3-a-[illegible]-4

A
9
G
57

R.P.D.F. IOANNIS

DA

# SYLVEIRA

COMMENTARIORVM

IN

# Textum Euangelicum

TOMVS TERTIVS.

# R.P.D.F. IOANNIS

Del Collegio de la Compª de Jesus de Granada

# DA SYLVEIRA OLYSSIPONENSIS,

## CARMELITÆ REGVLARIS

Obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ Primarij Lectoris Iubilati,

## COMMENTARIORVM

in Textum Euangelicum

## TOMVS TERTIVS.

*Explanans ſecundum ſacratiſſimum annum Prædicationis Chriſti* IESV

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON, & Soc.

*M. DC. XLIX.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Biblioteca Universitaria de Granada

# ÆTERNÆ
## SAPIENTIÆ GENITRICI
## Sacratiſſimæ
# VIRGINI MARIÆ
### *EPISTOLA DEDICATORIA.*

DECANTATISSIMA illa Samuelis mater,
*Poſtquam ablactauerat puerum, in tribus modiis* 1.Reg.1.
*farinæ, et in amphora vini adduxit eum ad do-*
*mum Domini*, 1. Reg.1.n.24. Vt templi vmbra
fœliciter viueret, ſecurus degeret, ne frau-
de hoſtis callidi macularetur, vt commen-
tantur D. Auguſtinus in Pſalm. 97. & ibi *D. Aug.*
D. Gregorius, Carthuſianus, Abulenſis & alij. Poſtquam hunc *D. Gregor.* *Carthuſ.*
Tertium tomum tenui noſtro penſu ablactauimus, humiliter ad *Abulenſ.*
te, ô SACRATISSIMA VIRGO, verè Dei templum, adducimus tribus
modiis farinæ, & amphora vini, tractatu nempe de diuiniſſimo
Euchariſtiæ Sacramento, in quo eſt triplex modius farinæ, vt
loquuntur D. Bernardus lib. 5 de conſideratione cap. 1. Richardus *D. Bern.*
de S. Laurentio lib.1. de laudibus Virg. Triplex ſcilicet ſubſtan- *Richard. de S. Laur.*
tia, Diuinitas, anima rationalis, & caro Chriſti, & amphora
vini pretioſiſſimi eius ſanguinis. Hoc ergo tractatu pro operis
coronide hunc noſtrum fœtum ad te adducimus, vt tui vmbra
fæliciter viuat, ſecurus degat ne fraude hoſtis callidi macule-
tur. Et ſi tui vmbra, Auctoris demeritis, opus indigniſſimum con-
ſiſtat; rei tamen materia multum tuam opem, ac auxilium exo-
ptat, & ſolicitat. Pertractatur materia de carne, ac ſanguine fi-
lij tui, immò & de tua; ſubſtantia enim, quam Æternum Ver-
bum in vtero tuo aſſumpſit, nunquam omnino fuit dimiſſa, ſed
eius pars ſaltem perenniter conſeruata, modò quoque & in cœlis

& in

& in Euchariſtia ipſi Verbo vnita eſt; vt innuit D. Auguſtinus in illud Pſalm. 38. *Adorate ſcabellum pedum eius.* &c. *De carne Mariæ carnem accepit, & in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit.* Hanc aſſertionem aſtruunt Richardus de S. Victore de Deipara cap. 23. in Cantica, Suarius tom. 2. ad 3. part. diſput. 1. ſect. 1. §. *Primò igitur hæc.* Salazar in cap. 9. Prouerb. n 144. Pro ergo tanta rei dignitate, Tu, Sacratiſſima virgo, es, vt teſtatur Rupertus lib. 4. in Cantica, *Per quam initium accepit ſanctum Euangelium, vt per vniuerſum mundum ſpiritualem irriget paradiſum.* Tuque, vt idem Abbas Turunenſis aſſeuerat lib. 1. de Gloria, & honore filij hominis, *Prophetiſſa Prophetarum, & magiſtra magiſtrorum, id eſt Apoſtolorum, fidei, ac Religionis magiſtra.* Tu, vt Bernardus ſerm. de Aquæductu eructat, *Solare corpus, quod mundum illuminas.* Tu ergo de tuo eximio ſplendore tantiſper quid luminis diffundas, vt depulſa tenebrarum caligine in his abditiſſimis Euangelicis myſteriis explanandis aliquid luce dignum in his commentariis appareat. Pleno enim ore, & alto clamore coram omnibus teſtificor, & fateor, quod ſiquid, in hoc opere, laudis, & gloriæ dignum inueniatur, tibi vt omnium magiſtræ, ac doctrici tribuatur; ſi quid vero rude, diſſonum, ac incompoſitum, mihi omnium minimæ creaturæ, tanquam auctori, ac ſcriptori referatur.

*D. Aug.* *Richard. de S. Vict.* *Suarius. Salazar. Rupert.* *D. Bern.*

*APPRO*

# *APPROBATIONES.*

SVPERIORVM iuſſu perlegi *Tomum tertium in Euangelia à R. admodum Patre & Sapientiſſimo M. Fr. Ioanne da Sylueira*, editum; in illo nihil eſt fidei contrarium, aut bonis moribus diſſonum; multa autem ſunt laude & admiratione digna; mirabilis Sanctorum Patrum textura; ſententiarum pondus & auctoritas, rationum vbertas, conceptuum nouitas, in explanandis rebus obſcuris & difficilimis, claritas, & geſtorum Chriſti mira diſpoſitio. Vnde vt laude ita & luce, & Prælo dignum ſanè opus iudico. In Carmelo Lysbonenſi die 7. Septembris Ann. Domini 1647.

D. Fr. NONEVS VIEGAS.

EX commiſſione Reuerendi admodum Patris Prouincialis Tertium Tomum in Textum Euangelicum, à Reuerendo Doctore, Magiſtro meo Theologiæ Primario lectore iubilato Patre Fr. Ioanne da Sylueira compoſitum, legi; in quo ſtylo tali ſacrum explanatur Euangelium, vt nihil Patres, Doctoréſque cæteri expoſuerint, quod ipſe non appoſuerit, & quò plura nouiſſima miro ingenio excogitauerit; ita nimirum, vt vnus pro omnibus ſufficiat Sylueira; nam vnum pro cunctis fama loquatur opus; quippe quod clara methodo, vberrima eruditione, acuta ſubtilitate, & ſincera veritate arcana ſacra patefacit, & abdita pandit. Quare reprehendenda nulla, imitanda plurima, vel omnia reperio admiranda pro quibus Concionatores ſacri tanto Magiſtro, & auctori totis animis congratulari teneantur, inſuperque digniſſima vt typis mandentur. Huic iudicio ſubſcribo in Carmelo Vlyſſiponenſi die 7. Septembris anni Domini 1647.

Præſentatus Fr. BENEDICTVS DE MACEDO
Theologiæ Veſperarius Lector.

*Facul*

*Facultas R. P. Prouincialis Carmelitarum in Luſitania.*

MAgiſter Fr. Ioannes Coëlho, Prouincialis Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo Regularis Obſeruantiæ, in his Portugalliæ & Algarbiorum regnis, &c. Ex commiſſione R. P. N. Magiſtri Fr. Hippolyti Seſoldi Vicarij Generalis antiquæ Obſeruantiæ, harum tenore facultatem facio R. P. D. Fr. Ioanni da Sylueira, Primario Iubilato, ac Magiſtro Regenti, vt Tertius Tomus *Commentariorum in Textum Euangelicum* ab ipſo compoſitus, ac Doctorum hominum Religionis noſtræ iudicio examinatus & approbatus, typis poſſit mandari. Datum in Carmelo Vlyſſiponenſi 6. Septembris anno Domini 1647.

Magiſter Fr. IOANNES COELHO
Prouincialis Electus.

## *APPROBATIO.*

NOs infraſcripti facultatis Pariſienſis Doctores fidem facimus, viſum à nobis librum qui inſcribitur, *R. P. D. F. Joannis da Sylueira Commentariorum in Textum Euangelicum, Tomus tertius*, nihilque in eo ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ fidei, ſanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri. Lugduni die 30. Aprilis 1649.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.
FR. MICHAEL MICARD Franciſcanus.

## Summa Priuilegij Chriſtianiſſimi Regis.

CAVTVM eſt, authoritate Regis, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis, intra decem proximos annos, librum, qui ſic inſcribitur: *R. P. D. Fr. Ioannis da Sylueira Olyſiponenſis Carmelitæ Regularis Obſeruantiæ, S. Theologiæ Primarij Lectoris Iubilati, ac Magiſtri Regentis, Commentariorum in Textum Euangelicum Tomus tertius*, abſque LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunenſis permiſſu, imprimat aut diuendat, à die publicationis horum exemplorum: qui ſecus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis 30. Iunij 1649.

*De mandato Regis*
Signatum,
CRAMOISY.

RECEN

# RECENSIO EVANGELISTARVM CAPITVM.

## MATTHÆVS.


CAP. 8. ACCESSIT *Centurio rogans eum* De puero Centurionis ſanato. cap. 11. p. 155
10 *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt.* Nominantur duodecim Apoſtoli. c. 5. p. 69
*In viam gentium ne abieritis.* Apoſtoli ad iter ſine pera, & calceamentis. c. 7. p. 98
*Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Apoſtoli ſicut oues inter lupos. c. 8. p. 105
*Cum perſequentur vos in ciuitate iſta fugite in aliam.* Fuga in aliam ciuitatem. c. 9. p. 125
*Non veni pacem mittere ſed gladium.* Mittitur gladius in terram. c. 10. p. 143
11 *Ioannes cum audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Ioannes in vinculis. c. 13. p. 200
*Cui ſimilabo generationem iſtam ſimilis eſt pueris.* Exprobantur ciuitates. c. 14. p. 232
*Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.* Pro reuelatione facta paruulis gratias agit Patri. c. 20. p. 327
12 *Abijt Ieſus per ſata Sabbati. Diſcipuli autem eius eſurientes.* Diſcipuli ſpicas colligunt in Sabbato. cap. 3. pag. 53
*Ecce homo manum habens aridam.* Manus arida ſanatur. c. 4. p. 60
*Oblatus eſt ei dæmonium habens cæcus, & mutus.* Dæmonium mutum eiicitur. c. 22. p. 363
*Magiſter volumus à te ſignum videre.* Signum de cælo petitur. cap. 24. p. 4 4
*Ecce Mater & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.* Chriſti Mater & fratres ſtant foris. c. 25. p. 433
13 *Exijt qui ſeminat ſeminare, & dum ſeminat.* Seminator exiit. cap. 26. p. 442
*Seminauit bonum ſemen in agro, cum autem dormirent homines.* Superſeminatur zizania. c. 27. p. 464
Simile eſt regnum cælorum grano Sinapis. c. 28. p. 480
*Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem cum inuenit* Theſaurus abſconditus. cap. 29. p. 493
14 *Veniens in patriam ſuam docebat eos.* Ieſus venit in Nazareth ſuam patriam. c. 30. p. 514
*Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis.* Baptiſtæ mors. cap. 32. p. 541
*Quod cum audiſſet Ieſus ſeceſſit inde in locum deſertum.* Saturantur quinque millia. c. 33. p. 558
*Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.* Ieſus ambulans ſuper mare. c. 34. p. 588


## D. MARCVS.


2 F*Actum eſt iterum cum Dominus Sabbatis ambularet per ſata* Diſcipuli Sabbato colligunt ſpicas. c. 3. p. 53
3 *Erat ibi homo manum habens aridam.* Manus arida ſanatur. p. 4 p. 60
*Aſcendens in montem vocauit ad ſe quos voluit.* Eliguntur Apoſtoli. c. 5. p. 69
*Et veniunt Mater eius, & fratres foris ſtantes.* Mater & fratres ſtant foris. c. 25. p. 433
4 *Ecce exijt ſeminans ad ſeminandum & dum ſeminat aliud cecidit ſecus viam.* Exiit ſeminator c. 26. p. 442
*Quemadmodum ſi homo iaciat ſemen, & dormiat.* Superſeminatur zizania. c. 27. p. 464
*Sicut granum Sinapis, quod cum ſeminatum fuerit.* Granum Sinapis. c. 28. p. 480
6 *Egreſſus abijt in patriam ſuam.* Venit Ieſus in patriam Nazareth. c. 30. p. 514

*Cum dies opportunus accidiſſet Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus.* Baptiſtæ mors. c.32.p.541

*Aſcendentes in nauiculam abierunt in deſertum.* Saturantur quinque millia hominum. c.33.p.558

*Cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari; & ipſe ſolus in terra.* Ieſus ſuper mare. c.34. p.588

13 *Tradent vos in conciliјs & in ſynagogis ſuis.* De Apoſtolorum perſecutione. c.8 p.105

## D. LVCAS.

4 *VTique dicetis mihi hanc ſimilitudinem. Medice cura te ipſum.* Nemo propheta in patria ſua. c.31.p.518

6 *Factum eſt autem in Sabbato ſecundo primo. Cum tranſiret per ſata.* Diſcipuli ſpicas colligunt in Sabbato. c.3.p.53

*Erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.* Manus arida ſanatur. c.4 p.60

*Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Eliguntur Apoſtoli. c.6.p.86

*Deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri.* Sermo in loco campeſtri. c.7.p.98

7 *Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens.* Centurionis puer ſanatur. c.11.p.155

*Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.* Filius viduæ Naim ſuſcitatur. c.12.p.184

*Conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum.* Ioannes in vinculis mittens diſcipulos. c.13. p 200

*Cui ſimiles dicam homines generationis huius.* Exprobantur Phariſæi ſimilitudine puerorum. cap. 14. p.232

*Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit.* Conuertitur Magdalena. c.15 p.239

8 *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Exiit ſeminator. c.26.p.442

*Veniant autem ad illum Mater & fratres eius.* Mater & fratres Chriſti ſtant foris. c.25.p.433

9 *Aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum.* Saturantur quinque millia. c.33 p.558

10 *Deſignauit Dominus alios ſeptuaginta duos.* Diſcipuli ſeptuaginta duo deſignantur. c.18.p.300

*Reuerſi autem ſeptuaginta duo cum gaudio* A ſua miſſione exultantes reuertuntur diſcipuli. c.19.p 322

*Confiteor tibi Pater Domine cæli & terra.* Pro reuelatione paruulis facta gratias agit. c.20.p.327

*Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Incidens in latrones. c.21 p.346

*Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier Martha nomine excepit illum.* Hoſpitatur Ieſus apud Martham. c.16.p.274

11 *Erat Ieſus eијciens dæmonium & illud erat mutum.* Eiicitur dæmonium mutum. c.22.p.363

*Extollens vocem quædam mulier de turba.* Beatus venter. Laudat Chriſtum in Virgine. c.23.p.388

*Generatio nequam eſt, & ſignum quærit.* Signum de cælo petitur. c.24. p 414

*Putatis quia pacem veni dare.* Separatio facienda. c.10 p.143

13 *Simile grano Sinapis, quod acceptum homo.* Granum Sinapis c.28.p.480

17 *Quicumque acquieſceret animam ſuam ſaluam facere, perdet illam.* Omnia ſunt dimittenda pro Chriſto c.10. p.143

## D. IOANNES.

5 *POſthac erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.* Sanatur Paralyticus in piſcina. cap.1.p.2

*Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in Sabbato.* Chriſti verba poſt ſanatum Paralyticum. c.2.p.30

6 *Poſt hæc abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Saturantur quinque millia. c.33.p.558

*Vt autem ſerò factum eſt, erat nauis in medio mari.* Ieſus ambulat ſuper mare. c.34.p.588

*Et cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei Rabbi, quando huc veniſti.* Sermo Euchariſticus, vſque ad finem. c.35.p.599

# Series CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

## LIBER QVINTVS

### *Explicans ſecundum ſacratiſſimum annum Prædicationis Chriſti* IESV.

### CAPVT I.

Paralyticus in Piſcina ſanatur.

QVÆST. I. *QVODNAM erat feſtum cuius hic meminit Ioannes?* pag.2

2 *Quare in hoc die feſto aſcendit Ieſus Hieroſolymam?* 3

3 *Quid hæc Piſcina myſticè ſignificet?* 5

4 *Circa lectionem Syriacam,* Plebs multa. *Quæritur an etiam Principes eſſent in his porticibus?* 6

5 *Quare apud Piſcinam tanta erat multitudo languentium?* 7

6 *Qualiſnam eſſet hæc Piſcina, & vnde tanta virtus?* 8

7 *An iſte Angelus eſſet vnus, & qualis, ac quis?* 9

8 *Quare iſte Angelus deſcendebat inuiſibili forma, & non apparenter vt cum Tobia?* ibid.

9 *Quare Angelus deſcendebat in Piſcinam ignoto tempore hominibus, & quodnam eſſet tale tempus?* 10

10 *Quare ex tot ægrotis vnus ſalutem aſſequebatur, & ille erat, qui prior deſcendebat?* 11

11 *Quare deſcendens in Piſcinam ſanabatur, cum alias fieri poſſet, vt eſſet valde iniquus & peſſimus?* 12

12 *De languore huius hominis, ac eius diuturnitate.* 13

13 *Quare Dominus quærit à Paralytico an vellet ſanari, cum hoc eſſet euidens & manifeſtum? rationibus moralibus expendo.* 14

14 *Eandem Domini interrogationem rationibus literalibus explico.* 15

15 *Quomodo cùm Angelus eſſet prima perſona in hac Piſcina, non ſanabatur tamen, niſi ille, qui hominem habebat?* 17

16 *Quare cum iſte languidus interrogatur, an velit ſanari ad hoc directè non reſpondet, ſed ſolùm ait ſe hominem non habere?* ibid.

17 *Quare hic languidus totam ſuam miſeriam ſoli Chriſto exponit?* 18

18 *Quare ex omnibus ægrotantibus in piſcina hunc Dominus potius elegit, quàm alium?* 20

19 *Quare ex multis ægrotantibus in Piſcina vnum aſſumit Chriſtus ad ſanandum?* ibid.

20 *Quare Chriſtus Dominus mandat huic homini ſuum aſportare grabatum?* 21

21 *Quare præcipit Dominus homini tollere grabatum, quod videbatur prohibitum ſabbato?* 22

22 *Quare Paralyticus ſuum defendit onus auctoritate ſibi imperantis tollere grabatum?* 23

23 *Quare Iudæi Ieſus nomen non pronuntiant ore, ſed ſolùm dicunt:* Quis eſt ille homo? 24

24 *Quare Iudæi beneficium ſanitatis non dicunt, ſed de aſportato grabato loquuntur?* 25

25 *Quare facto miraculo Chriſtus ſtatim diſceſſerit à loco?* 26

26 *Quid ſignificet Dominus in his verbis:* Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat? 27

27 *Quare Chriſtus non dedit hanc admonitionem huic homini quando ipſum ſanauit, ſed poſtea cum illum inuenit?* 28

28 *Vnde iſte homo hic cognouerit nomen Ieſus, quod antea ignorabat.* 30

### CAPVT II.

Chriſti verba poſt ſanatum Paralyticum.

QVÆST. I. *QVare Æternus Pater, & Chriſtus Dominus dicantur vſque modo operari?* 31

2 *Explicantur alia Chriſti verba,* Filius non poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. 33

3 *Eadem Chriſti verba in ſenſu morali explanantur.* ibid.

4 *Multiplici expoſitione explicatur illa prepoſitio,* Pater maiora demonſtrabit filio. 35

5 *Poteſtas iudiciaria, de qua hic eſt ſermo, intelliga-*

# Series Capitum, & Quæſtionum.

velligatur à Patre filio communicata ſecundum naturam diuinam, an humanam? 36
6 Quare dicitur omne iudicium datum filio, & quomodo intelligitur, quod Pater neminem iudicet. 37
7 Quare Chriſtus Dominus conſtitutus eſt iudex, cum ipſe dicatur fideliſſimus teſtis? 38
8 Quiſnam ſit verus ſenſus huius propoſitionis. Venit hora, & nunc eſt, &c. & agitur de promiſſione hic facta. 39
9 Quomodo cohæreat id quod ſupra dictum eſt. Omne iudicium datum eſſe Chriſto. Cum eo quod hic affirmatur. Non poſſum à me ipſo facere quidquam, ſed ſicut audio, iudico? 42
10 Quomodo Chriſtus cum ſit ipſa veritas de ſe teſtificatur. Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum, non eſt verum. 44
11 Quare Ioannes dicatur lucerna ardens, & lucens? 45
12 Quare Ioannes dicatur potius lucerna, quam lux? 47
13 Quare Ioannes dicatur potius lucerna ardens, & lucens quam è contra lucens & ardens. ibid.
14 Quomodo gloriæ deſiderium impediebat ſcribas quominus crederent? 51
15 Quomodo Chriſtus aſſerat, quod non eſt, eos accuſaturus, cum ipſe dicat. Qui me, negauerit coram hominibus, negabo & ego coram Patre meo. 52

## Capvt III.

### Diſcipuli ſpicas colligunt in Sabbato.

Qvæst. I. Qvale nam eſſet hoc Sabbatum, & explicatur difficilis textus Lucæ? 53
2 Quare Dominus ibat per ſata cum diſcipulis ſuis vellentibus ſpicas. 54
3 Quare diſcipulis non prouidentur cibi ex pecunia, quam Iudas ſecum aſportabat? 55
4 Quibus verbis & quomodo Phariſæi arguunt diſcipulos? 56
5 Quomodo verba Chriſti conueniant cum hiſtoria narrata. 1. Reg. 21. 57
6 Quare Dominus hic potius adducit Dauidem in exemplum quam alium virum perantiquum? 58
7 Quare Dominus pro defendendis ſuis diſcipulis non edidit aliquod miraculum, ſed tot rationibus Phariſæos inſipientiæ arguit? 60

## Capvt IV.

### Manus arida viuificatur.

Qvæst. I. Vt Iudæorum medicis eſſet licitum curare in Sabbato? 61
2 Quare dum Dominus interrogat Phariſæos, an liceat benefacere? Ipſi obmuteſcunt? 62
3 Quare Chriſtus Dominus hic reſpondet exemplo de oue cadente in foueam, cum alias videretur non eſſe ad rem? ibid.
4 Quid ſignificet iſtius hominis manus extenſio? 64
5 Quare Dominus receſſit ab illo loco? 65
6 Ob eximiam Chriſti lenitatem, qua neque clamabit, neque contendet, Euangeliſta hæc verba adducit; & quomodo hoc ſtat cum alijs locis, in quibus clamaſſe dicitur. 67
7 Quid ſignificatur per arundinem quaſſatam, ac linum fumigans? 68

## Capvt V.

### Eliguntur duodecim Apoſtoli.

Qvæst. I. Qvare Dominus montem aſcendit? 70
2 Quare Chriſtus Dominus orauerit? 71
3 Quare Chriſtus tam diuturna ac longa oratione orauerit? 72
4 Quare per noctem orat Dominus. 73
5 Quare Euangeliſta non facit mentionem de aſcenſu ac oratione diſcipulorum? 74
6 Quare die facta eligit Dominus ſuos Apoſtolos? 75
7 Quare Apoſtoli eliguntur duodenarij, & nec plures, nec pauciores? 76
8 Quare Dominus ſuos nominat Apoſtolos, & non principes; vbi etiam explicatur quare nullus ex electis ſe excuſat? 77
9 Quare Chriſtus Dominus quando primo ſuos diſcipulos vocat, non ſtatim Apoſtolos nominat, ſed modò? 78
10 Quare hos potius, quam alios elegit Dominus? ibid.
11 Quare non conqueritur aliquis ex diſcipulis non vocatis ad Apoſtolatum? 79
12 Quare nullus ex electis perſoluit gratias pro tanto beneficio? 80
13 Quare in hac electione ſingillatim Apoſtolorum nomina prolata ſunt à Chriſto Domino? ibid.
14 De ordine, quo Apoſtolorum Catalogus ſcribitur à ſacris Euangeliſtis? 81
15 Quare Apoſtoli ſcribuntur bini, & bini, fratres, & fratres, & in aliquibus cognomen exprimitur, non verò in alijs? ibid.
16 Quare Petrus dicitur Primus. 82
17 Explicantur quædam, quæ pertinent ad BB. Andream Iacobum, & Ioannem? ibid.
18 Quare Iacobus & Ioannes dicantur Boarneges, id eſt filij tonitrui. 83
19 Explicantur quæ pertinent ad cæteros Apoſtolos. 84
20 An quando Iudas electus eſt in Apoſtolum eſſet bonus, vel improbus. 85
21 Quare Chriſtus elegit Iudam, quem ſciebat improbum futurum? ibid.

## Capvt VI.

### Sermo in loco Campeſtri.

Qvæst. I. Qvare Dominus deſcendit de monte ad locum campeſtrem. 87
2 Quare turba non aſcendit in montem, ſed Chriſtus ad illam deſcendit? 88
3 Quare Dominus non deſcendit ſolus de monte, ſed ſimul cum ſuis diſcipulis? 89
4 Quare Dominus in monte ſedet cum Apoſtolis, ſtat verò cum turba in loco campeſtri? ibid.
5 Quare Dominus non docet turbas ex aliqua parte excelſa montis, ſed ſtans in loco campeſtri ſimul cum turbis? 90
6 Quare Euangeliſta facit mentionē de Ieruſalem, Tyro, & Sidonia, pætermiſſa Galilæa? 91

7 Explicantur tria illa verba, venerant, vt audirent, & ſanarentur, ac ordo in eis poſitus. 92
8 Quare dicitur, quod turbæ veniebant, vt audirent, deinde vt ſanarentur, cum tamen Chriſtus Dominus prius prædicauerit, & poſtea ſanauerit? 93
9 Quare Euangeliſta ſolum facit mentionem de his, qui venerunt, vt audirent, & ſanarentur, non verò de illis, qui aderant, vt inuidia obſeruarent? 94
10 Quare hic dicitur turbam tangere Chriſtum Dominum cum alibi dicatur eum comprimere? 95
11 Quare dicitur de Chriſto, quod de eo exibat virtus, & ſanabat omnes? ibid.
12 Quare virtus Domini erat hic tam largiter ad ſanandum omnes? 96
13 Quare D. Lucas hic ſcribat quatuor beatitudines, cum Matthæus octo enarret? 97

## Capvt VII.

### Mandantur Apoſtoli ad prædicandum ſine calceamentis, ac virga.

Qvæst. I. An hæc ſit prima Apoſtolorum miſſio, & quomodo cohæreat cum antecedentibus. 98
2 Quare præcipitur Apoſtolis ne prædicent gentibus, cum poſtea hoc eis mandetur? 99
3 An præcepta hic data Apoſtolis de non poſſidenda, ac aſportanda pecunia, calceis, duabus tunicis fuerint perpetua, non tēporalia? 101
4 Quare Dominus dedit ſuis Apoſtolis præcepta de non aſportanda pecunia, pera, ac alijs? 102
5 Quare vetatur Apoſtolis duplex veſtis in prædicatione Euangelica? 103
6 Quare Dominus ſuis vetat calceamenta, cum ſandalia eis concedat? ibid.
7 Quomodo Matthæus dicit negatam virgam, quam Marcus ſcribit permiſſam? 104
8 Quare Dominus ſuis mandauit, ne virgam aſportarent in itinere. ibid.

## Capvt VIII.

### Mittuntur Apoſtoli ſicut oues inter lupos.

Qvæst I. Qvare in præſenti Chriſtus tam diſtinctè explicat Apoſtolis perſecutiones, quas paſſuri erant? 105
2 Quare Apoſtoli à Chriſto nūcupantur oues? 106
3 Quinam ſint lupi, hic ſignificati? 108
4 Quare potius dixit Dominus oues inter lupos, quam inter Leones. ibid.
5 Quomodo oues in medio luporum ab eorum morſu ſe cuſtodient? 109
6 Quare Dominus à ſuis requirit ſerpentum prudentiam? ibid.
7 Quare Dominus ſuis mandat, vt columbarum ſimplicitatem teneant? 111
8 Quare Chriſtus Dominus coniungit prudentiam ſerpentis cum ſimplicitate columbæ? 113
9 Quare Dominus dixit, cauete ab hominibus, & non potiùs à lupis? 115
10 Quare Chriſtus denuntians ſuis Apoſtolis eorum paſſiones addidit, propter me? 117
11 Quomodo Chriſtus Dominus ſuis mandat, vt non cogitent de reſponſione danda, cum Petrus dicat quod ſint parati ad dandam rationem de ſpe fidei ſuæ? 118
12 Quare Chriſtus Dominus ſuis vetat præmeditari in præſentia principum quid reſpondeant? 119

13 Quare tam diſtinctè ait Dominus ſuis, quod non ipſi loquuntur, ſed ſpiritus Patris in eis. Cum tamen illi loquerentur? 120
14 Quare Chriſtus non dixit, ſpiritus meus, ſed ſpiritus Patris veſtri, dabit quid loquamini? 121
15 Quare tam ſæua perſecutio à parentibus, fratribus, ac cognatis exorta eſt in Apoſtolos? 122
16 Quare cum Apoſtoli omnibus eſſent benefici, tam crudelis perſecutio in eos commouetur, vt odio eſſent omnibus? 123
17 Quare perſeueranti vſque in finem Chriſtus per tertiam perſonam, ait Saluus erit, & non potius in prima, ego eum ſaluabo? 124

## Capvt IX.

### Propter perſecutionem de vna ciuitate fugiendum in aliam.

Qvæst. I. An doctrina hic data à Chriſto, de fuga ſit interpretanda de prima, vel ſecunda miſſione? 125
2 An fuga in perſecutione ſit laudabilis, an de ea hic detur præceptum? 126
3 A qua virtute ſit imperata fuga, quæ hic Apoſtolis dicitur? ibid.
4 Quare cum beati dicantur, qui perſecutionem patiuntur, Dominus hic à perſecutione ſuos mandat fugere? 127
5 Quare Chriſtus dixit, cum vos perſecuti fuerint in ciuitate, & non potius in via, vel in agro? 129
6 Quare Chriſtus ait ſuis, quod propter perſecutionem fugiant de vna ciuitate in aliam, & non potius ad deſertum vel montes? ibid.
7 Quid denotat Chriſtus, quando ſuis ait, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis? 130
8 Quare Chriſtus Dominus tantas perſecutiones, in ſuis permittere voluit? 132
9 Quare Chriſtus Dominus tam exactè vult excludere à ſuis diſcipulis timorem tyrannorum? 135
10 Quare Chriſtus Dominus propoſito Dei timore timorem humanum à ſuis diſcipulis excludit? 136
11 Quomodo Chriſtus Dominus hic dicat quod nec vnus ex paſſeribus cadit in terram ſine Patris nutu, cum Paulus dicat, nunquid de bobus cura eſt Deo? 137
12 Quare ſuis Apoſtolis ait Chriſtus capilli capitis veſtri numerati ſunt? 138
13 Quid ſignificet Dominus dum ſuis ait, multis paſſeribus præſtantiores eſtis vos? 139
14 Quare Chriſti præconium aſſignatur in præmium eius confeſſoribus in ſingulari numero, ac breui ſtylo? 141
15 Quare abnegatio in pœnam imponitur à Chriſto eum abnegantibus? 142
16 Quare cum Chriſtus Dominus ſit à Deo Patre conſtitutus omnium iudex, ipſe ſe exhibet hic vt teſtem? 143

## Capvt X.

### Mittitur gladius in terram.

Qvæst. I. Qvare Auctor pacis dicat ſe non veniſſe in terram ad mittendam pacem? 144
2 Quare Chriſtus Dominus teſtatur hic, ſuum aduentum eſſe ad mittendum gladium, cum alibi dicat ignem, & agitur quid ſit gladius? 145

3 Quare Chriſtus dicat ſe potius mittere in terram gladium, quam bellum? 146
4 Quare hic Chriſtus dicit veni ſeparare filium, filiam, nurum; non verò è contra veni ſeparare patrem, matrem, ſocrum? 148
5 Quare de viro & uxore non fit mentio, cum hîc ponantur Pater, filius; Mater & filia? 149
6 Quare iubet Chriſtus Dominus parentes, vel filios omittere, vel perdere propter Deum? 150
7 Quare Dominus hic proponit tantum præmium receptoribus ſuorum diſcipulorum? 152
8 Explicatur triplex merces, quam Chriſtus proponit recipientibus ſuos diſcipulos? 153
9 Quare promittitur merces danti potum aquæ frigidæ? 154


## Capvt XI.

### Curatur puer Centurionis.


Qvæst. I. De connexione huius hiſtoriæ cum ſuperioribus, & quiſnam eſſet Centurio, ex natione, patria, & nomine? 156
2 Quare Matthæus ſcribat, quod Centurio acceſſerit, cum Lucas dicat, quod miſerit per ſeniores, & amicos? 157
3 Quare Centurio primò per ſeniores, & amicos miſit petere a Chriſto ſanitatem pueri? 158
4 Quare ſeniores pro Centurione rogantes, de ipſo teſtantur, quod eis ſynagogam ædificauerit? 159
5 Quare iuxta D. Lucam Centurio per ſeniores rogat Chriſtum, vt veniat, cum tamen aſcendentem deprecatur, vt non veniat? 160
6 Quare Centurio tam ſolicitè deprecans aduenit pro puero, & explicatur, quomodo etiam erat illi pretioſus? 161
7 Quare cum Centurio veniret deprecans pro ſuo puero, non acceſſit adorans, vt Archiſynagogus & alij? 162
8 Quare Centurio infirmum peculiariter dicit ſuum. Puer meus? 163
9 Quare Centurio non ſolum exponit ſuum puerum infirmum, ſed etiam locum, in quo iacebat, nempe in domo? 164
10 Quare Centurio tam benignè exceptus eſt à Chriſto Domino? 166
11 Quare Chriſtus Dominus indilatè Centurionis petitioni annuit cum tamen valdè dure, ac cunctanter Chananææ reſponderit? 167
12 Quare Centurio ſe indignum appellauerit, vt Chriſtus in eius ædes, intraret? 169
13 Quare Centurio poſtulat, vt Dominus tantum dicat verbo, cum ſine verbo nihil dicatur? 170
14 Quare Deus diſpoſuerit, vt Centurio tam admirabilem fidei actum eliceret, in quo nos docuit verba proferenda, cum ad ſacram Euchariſtiam accedimus? 171
15 Quare Centurio ſe cum ſuo regimine proponit in exemplum? 173
16 Quare quando Centurio commemorat ſuum imperium in milites ſibi ſubiectos, ſe prius dicit hominem ſub poteſtate alterius? 174
17 Quare Centurionis miles ad eius vocem volat, & ſponſa ter vocata in Canticis, non exprimitur de ea, quod venerit, ſicut de Centurionis milite? 175
18 Quare Centurio non idem ſuo militi, cui dixit, vade; dixit, veni; ſed vni ait, vade, & alteri, veni? ibid.
19 Qua ratione Centurionis fides prælata eſt fidei cæterorum Iſraëlitarum? 177
20 Quare inter tam excellentes Centurionis virtutes ſola fides tam inſigniter laudatur? 178
21 Quare dixit Chriſtus, quod venient ab Oriente, & Occidente, & non potiùs à meridie, vel Septentrione? 179
22 Quare electi dicuntur, quod recumbent potius cum Abraham, Iſaac, & Iacob, quam cum alijs? 180
23 Quare poſtquam alij veniunt ab Oriente, & Occidente filij regni dicuntur eijci foras? 181
24 Quid ſint tenebræ exteriores, & quomodo ibi fletus, & ſtridor dentium? 182
25 Vtrum in inferno ſit fletus, & ſtridor dentium? ibid.
26 Quare Chriſtus Dominus non tendit in domum Centurionis, ſed abſens ſanat puerum? 183


## Capvt XII.

### Filius viduæ ſuſcitatur?


Qvæst. I. Qvænam eſſet ciuitas Naim, & quare Deus tantum miraculum in illa fieri ordinauerit? 185
2 Quare hic Domini occurſus fit defuncto ad portas ciuitatis, ita vt circunſtantibus videretur veluti fortuitò factus? 186
3 Quare in hoc defuncto peccator publicus tam exactè repræſentatur? 187
4 A quibus iſte adoleſcens efferebatur ad ſepulturam? ibid.
5 Quare hæc mater vidua comitabatur filium ſuum extra domum ad ſepulturam? 188
6 Quare dicitur quod turba ciuitatis erat cum muliere vidua? 189
7 Quare ex tota illa ciuitate hæc turba fuit digna, vt tantum miraculum videret? ibid.
8 Quare Dominus non rogatus à vidua, nec à turba tantam miſericordiam præſtitit? 190
9 Quare Dominus dicitur miſericordia motus? 191
10 Quare Chriſtus Dominus mandat mulieri, Noli flere, ante conceſſum beneficium? 192
11 Quare hic adoleſcens non ſuſcitatur à Chriſto nec in domo, ne in ſepulchro, ſed in loculo, quo ferebatur? 193
12 Quare Chriſtus Dominus tetigit loculum, ſeu feretrum? 194
13 Quare Chriſtus Dominus ſuſcitaturus hunc defunctum clara voce ait, Adoleſcens tibi dico? 195
14 Quare cum Chriſtus dixerit, Adoleſcens ſurge, Euangeliſta non ſcribit, de eo, quod ſurrexit, ſed quod reſedit & cœpit loqui? 196
15 Quare ſuſcitatum adoleſcentem Dominus dedit matri? 197
16 Quare ſuſcitatio huius adoleſcentis demonſtratur locutione; puellæ, manducatione; Lazari verò, deambulatione? 198
17 Quare poſt ſuſcitatum hunc adoleſcentulum, Dominus non dedit aliqua ſalutis monita, vt in alijs euentibus eum feciſſe legimus? 199


## Capvt XIII.

### Ioannes in vinculis ac eius laudes.


Qvæst. I. Qvare diuinus Baptiſta deſcribitur in vinculis? 201





2 Quare Ioannes dicitur, quod in vinculis audierit opera Chriſti. 202
3 Quare dicitur, quod Ioannes in vinculis audierit opera Chriſti, non verò turpia facta Herodis? ibid.
4 Quare Ioannes mittit ſuos diſcipulos ad Chriſtum, & non potius ipſe eos erudit? 203
5 Quare Ioannes, duos tantum mittit è ſuis diſcipulis? 204
6 Quare Ioannes non alios, ſed ex diſcipulis ſuis mittit? 205
7 Quare diſcipuli Chriſti in horto fugiunt, quando ipſe comprehenditur à Iudæis, diſcipuli autē Ioannis ad eum veniunt, in carcere? ibid.
8 Quare Ioannes quærit à Chriſto nomine ſuo, an ipſe eſſet Meſſias venturus? 206
9 Quare Baptiſta quærit à Chriſto quaſi ſub dubio: Tu es qui venturus es? Cum ipſe optimè hoc agnoſceret de Chriſto? 207
10 Quare Ioannes à Chriſto interrogat, Tu es qui venturus es; & non potius, Tu es qui veniſti? 209
11 Quare Ioannes non quærit à Chriſto, Tu quis es? Sed potius tu es qui venturus es? 210
12 Quare Ioannes ſe habet tam diuerſimodè cum legatis Iudæorum, ac cum ſuis diſcipulis quando eos hic mittit ad Chriſtum? 211
13 Quare Ioannes non petit à Chriſto, vt à vinculis liberetur, cum incarceratio ſit valdè duriſſima? ibid.
14 Chriſtus Dominus ad Ioannis quæſtionem non reſpondet verbis, ſed operibus? 213
15 Quare Chriſtus Dominus Samaritanæ, ac cæco à natiuitate dixit expreſsè ſe eſſe Meſſiam, non verò hic diſcipulis Ioannis? 214
16 Quare in Catalogo miraculorum ſpecialiter dicitur, quod pauperes euangelizantur? ibid.
17 Quare in hac narratione miraculorum pauperes euangelizantes ponuntur in vltimo loco, cum ſit quid maius cæteris? 216
18 Quare Chriſtus hic tantis encomijs extollit Baptiſtam? 217
19 Quare vt Dominus explicet Ioannis conſtantiam, negat eſſe arundinem agitatam? 218
20 Quare in proclamandis Ioannis laudibus, à deſerto ſermonem inchoat Dominus? 219
21 Quare Chriſtus ait, quod qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt? 221
22 Quare Ioannes dicitur à Chriſto non ſolum propheta, ſed etiam pluſquam propheta? 222
23 Quare Ioannes Baptiſta cum eſſet homo, Angelus nuncupatur? 223
24 Quare Dominus potius in hac occaſione, quam in alia Ioannem Angelum appellat? 224
25 Quibus ſanctis in hac prępoſitione, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta ſit ipſe prælatus? 226
26 Quare in tanto Ioannis elogio nullus contradicit, cum Iudæi non potuerint diſſimulare in Chriſto, quod ſe maiorem Abrahamo diceret? 227
27 Quomodo dicitur, quod minor in regno cælorum maior ſit Ioanne? ibid.
28 Quare abſolutè dies Baptiſtæ dicuntur tempus prædicationis eius, ac de connexione horum verborum cum antecedentibus? 229
29 A quibus & quomodo regno cælorum vis inferatur? ibid.
30 Quare qui vetat raptum in negotio regni cæleſtis, rapinas ac violentias meminit? 230


## Capvt XIV.

### Exprobantur ciuitates.


Qvæst. I. Qvid per hanc parabolam cantus hilaris, vel lugubris ſignificet Dominus? 233
2 Quomodo dicitur ſapientia iuſtificata à filijs ſuis? 234
3 Quare Dominus inter cæteras ciuitates Corozaim, Bethſaida, ac etiam Capharnaum exprobauit? 236
4 Quare Dominus ſpecialiter locutus eſt de Capharnaum, ac eam vſque ad cælum exaltatam dicit? 238


## Capvt XV.

### Conuertitur Magdalena.


Qvæst I. Qvare Chriſtus Dominus ingreditur domum Phariſæi, ac ibi diſcubuit? 239
2 Quænam fuerit Magdalena, & an vna? 241
3 Quare Euangeliſta nomen huius ſanctiſſimæ fœminæ non exprimit, ſed tantum eam mulierem appellat? ibid.
4 Quare Saulo poſt ſuam conuerſionem mutatur nomen, non verò Mariæ Magdalenæ? 243
5 Quare abſolutè hæc mulier dicitur peccatrix, & quomodo talis eſſet? ibid.
6 Quare hæc mulier lachrymoſa, & non inuitata inter conuiuantes in domum Phariſæi, audet introire, ac ad Chriſtum accedere? 245
7 Quare Magdalena Chriſtum Dominum non inuitat in propriam domum? 246
8 Quare vnguentum hic exhibitum à Magdalena non dicitur pretioſum, ſicut alijs in locis de eo exprimitur? 247
9 Quomodo mulier proceræ ſtaturæ ſtans potuerit irrigare, & capillis tergere, ac oſculari pedes Chriſti diſcumbentis? 249
10 Quare mulier ſtat retro, cum Phariſæi in conuiuio, & Iudas in horto ante conſpectum Domini ſe exhibuerint? 250
11 Quare Magdalena nec loquitur vt Rahab, nec clamat vt Chananæa, ſed ſtans nec verbum profert? 251
12 Quare Magdalena non lauat ſuos pedes tantis ſceleribus coinquinatos, ſed pedes Chriſti quos deoſculatur? 252
13 Quare Magdalena lauat Chriſti pedes non aqua, ſed lachrymis ſuis? 253
14 Quare Magdalena non linteo, ſed capillis tergit Domini pedes? 254
15 Quare Magdalena in præſenti vnxerit pedes Chriſti, non verò caput? 255
16 Quare Magdalena non petit micas vt Chananæa, ſed totum panem vitæ amplexatur, quam Dominus hic ſuſtinet, & non repellit, vt in reſurrectione? 256
17 Quantos errores Phariſæus commiſerit in ſuo iniquo iudicio? 258
18 Quare Phariſæus tantum errat, vt ex mulieris contactu iudicet Chriſtum non eſſe prophetam? 259

19 *Quare Phariſæus ad cognoſcendam publicam peccatricem donum prophetiæ requirit in Chriſto?* 260

20 *Quare Magdalena non fecit ſimilem Phariſæo diſcurſum, hic ſi eſſet propheta ſciret, vtique quis & qualis eſt iſte Phariſæus?* 261

21 *Quare Magdalena multas impugnationes ſuſtinet tacens, & ſemper ab eis magnis ſuis laudibus à Chriſto defenditur?* 262

22 *Quare Chriſtus Dominus ſe habet hic cum tanta modeſtia cum Simone calumniante, cum valdè rigoroſè ſe geſſerit cum Phariſæis alibi murmurantibus?* 263

23 *Totius præſentis paradygmatis explicatur ſenſus.* 265

24 *Quare Chriſtus Dominus laudat Magdalenam in præſentia, cum Baptiſtam non laudauerit niſi abeuntibus diſcipulis?* 266

25 *Quare Magdalena in tantis præfertur Phariſæo, qui Chriſtum inuitauerat ad menſam?* 267

26 *Quo tempore peccata fuerint remiſſa Magdalenæ?* 269

27 *Quare nec à Chriſto Domino exprimitur, a quo remittuntur peccata, nec quem, vel quid Magdalena diligeret?* 270

28 *Quare cum in alijs variæ virtutes celebrentur, in Magdalena verò charitas decantatur?* ibid.

29 *Quare cum fides ſit magnum Dei donum, mulieri dicitur fides tua?* 272

30 *Quare Magdalena mandatur abire in pace abſque vlla impoſita pœna cum aliter factum ſit cum Adamo?* ibid.

31 *Quare Magdalena nullum verbum facit de magnalibus Ieſu cum Samaritana multum de ipſis prædicet?* 273


## Capvt XVI.

### Ieſum Martha excipit hoſpitio.


Qvæst.I. *Qvare Chriſtus ingreditur potius in hoc caſtellum, & in hanc domum, quam in aliam?* 274

2 *Quare potius Martha, quam Maria dicitur quod exceperit Chriſtum in domum ſuam?* 275

3 *Quare in hoc Euangelico textu Martha nuncupatur mulier, non verò Maria?* 277

4 *Quare Euangeliſta non explicat, ſalutationes gaudia, ac verba, quibus Chriſtus exceptus eſt ab his ſororibus?* 278

5 *Quare Maria ad ſedendum non alium locum eligit, niſi Domini pedes?* 279

6 *Quare quando Magdalena ſedet ſecus pedes ſaluatoris, tunc ab Euangeliſta non nuncupatur Ieſus, ſed Dominus?* 280

7 *Quare Magdalena tam diligenter deſcribitur ſecus pedes Domini, audiens illius verbum?* ibid.

8 *Quare Martha tanta confidentia Chriſtum alloqui audet?* 282

9 *Quare Martha non ſororem ſuam, ſed ſolum Ieſum eſt allocuta?* ibid.

10 *Quare Martha turbata loquitur non verò Dauid turbatus?* 283

11 *Quare cùm ſimul cum Martha multi laboraſſent, dicit ſe ſolam miniſtrare?* 284

12 *Quare Martha ſic loquitur ad Chriſtum ſupremum Regem.* Domine non eſt tibi curæ? 285

13 *Quare Chriſtus Dominus hoc non diſſimulat ſed Martham reprehendit?* 286

14 *Quare Chriſtus hic modo reprehendit Martham & non antea?* 287

15 *Quod nam ſit hoc vnum, quod maximè neceſſarium eſſe Dominus hic docet.* 289

16 *Quare Dominus, qui iudex fuerat interpellatus, factus eſt Mariæ aduocatus?* 290

17 *Quænam ſit hæc pars optima, quam Maria ſibi elegit?* ibid.

18 *Quam magna, & optima ſit pars Mariæ ex magnitudine eius gloriæ expenditur?* 292

19 *Optima pars Mariæ oſtenditur ex ingenti gaudio, quo in die ſuæ aſſumptionis totam cœleſtem curiam repleuit?* 293

20 *Quare tanta meritorum merces, tantáque gloria Mariæ dicitur pars, & non potius totum?* 294

21 *Quare non dicitur, quod ei data ſit pars, ſed quod ipſa eam elegerit?* 295

22 *Quare dicitur, quod hæc pars Mariæ nunquam ſit auferenda ab ea?* 296

23 *Quare hæc Euangelica lectio recitatur in Aſſumptionis Virginis feſto?* ibid.


## Capvt XVII.

### Reuertuntur Apoſtoli à ſua miſſione.


Qvæst.I. *Qvare reuerſi Apoſtoli renunciant Chriſto omnia, quæ fecerunt, & docuerunt?* 298

2 *Quare Chriſtus cum Apoſtolis voluit recedere in deſertum locum?* 299


## Capvt XVIII.

### Deſignantur ſeptuaginta duo.


Qvæst.I. *De numero, nomine, ac electione Diſcipulorum Domini.* 301

2 *Quare præter duodecim Apoſtolos Diſcipuli deſignantur in numero Septuaginta duo?* 302

3 *Quare in noſtra vulgata exprimuntur deſignati ſeptuaginta duo, & eorum nomen ſupprimitur?* 303

4 *Quare hos potius elegit Dominus, quam alios?* ibid.

5 *Quare ex his diſcipulis nullus ſe offert, ſed omnes deſignantur à Domino?* 304

6 *Quare ex electis Apoſtolis vnus extitit proditor Iudas; ex Septuaginta duobus diſcipulis deſignatis nullus iniquus?* ibid.

7 *Quare diſcipuli bini mittuntur?* 305

8 *Quare ſub metaphora meſſis deſcribitur multitudo populi, quæ ſuſceptura erat Euangelium?* 308

9 *Quare Doctores, ac magiſtri neceſſarij ad meſſem vocantur operarij?* 309

10 *Quare Dominus, qui maximè inuigilat ſuper meſſem ſuam vult rogari pro mittendis meſſoribus?* 310

11 *Quare Apoſtoli cum mittuntur dicuntur oues, diſcipuli verò Agni?* 311

12 *Quare Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis vetat calceamenta?* 313

13 *Quare Dominus ſuis mandat, vt neminem per viam ſalutent?* 314

14 *Quare cum Dominus ſuis dederit poteſtatem communicandi pacem, non dederit eis ſignum, quo dignus illis ab indignis agnoſeatur?* 316

15 *Quare Chriſtus hic ponit hanc ſententiam; dignus eſt operarius mercede ſua?* 317

16 *Quare Dominus ſuis præcepit vt non tranſeant de domo in domum?* 318

17 *Quare Chriſtus præcepit ſuis Apoſtolis puluerem de pedibus excutere?* 321


## Capvt XIX.

### Reuertuntur Septuaginta duo.


Qvæst.I. *Caſus Satanæ aſſimilatus fulguri, multiplici ſententia illuſtratur.* 323

2 *Quare Satanas cum fulgure comparatur?* 324

3 *Quare Dominus ſuis vetat gaudium de eiectione dæmonum?* 325

4 *Vtrum ex hoc loco colligatur omnes Chriſti diſcipulos fuiſſe prædeſtinatos, iuſtos, & ſanctos?* 326


## Capvt XX.

### Confiteor tibi Pater.


Qvæst.I. *Qvare Chriſtus hic gratias agit Patri?* 328

2 *Quare inter cætera dona ſuis communicata tam inſigniter Chriſtus gratias agit pro ijs, quæ reuelata ſunt paruulis?* 329

3 *Quare cum Chriſtus Deum appellet Patrem, Dominum etiam dicit?* 330

4 *Quare cum reuelatio ſit à tota Trinitate, Chriſtus tamen pro illa facta ſoli Patri dat gratias?* 331

5 *Quare hæc myſteria dicantur abſcondita ſapientibus, & prudentibus?* 332

6 *Quare myſteria dicantur reuelata paruulis?* ibid.

7 *Ad maiorem explicationem literæ, tria documenta explano, quæ nobis Chriſtus hic inculcat?* 334

8 *Quare Chriſtus antequam ad ſe nos aduocet, omnia ſibi eſſe tradita dicit, & quænam ſint hæc omnia?* 335

9 *Si omnia dicuntur Chriſto tradita quid nobis eſt ſperandum?* 336

10 *Quare cum Chriſtus dicit omnia ſibi eſſe tradita, ſtatim nobis proponit ſuam ſupremam ſapientiam?* 337

11 *Ad quid Chriſtus nos aduocet præſenti voce, cuius benignitas explicatur?* 338

12 *Quid iugum ſignificet in præſenti, & quare Chriſtus potius dicit iugum meum, quam iugum veſtrum?* 340

13 *Quare cum Dominus ſupra promiſerit ſuis, quod eos requieſcere faciat, quomodo nunc eis mandat,* Tollite iugum meum ſuper vos? 341

14 *Quare hic tantum ſuam humilitatem Chriſtus nobis commendat?* 342

15 *Quare Chriſti lex dicatur ſuauis & leuis?* 344

16 *Quare cum via cæli ſit anguſta, & arcta, lex Chriſti ſuauis & leuis dicitur?* 345


## Capvt XXI.

### Homo incidens in latrones.


Qvæst.I. *Qvare hic dicantur beati oculi, qui Chriſtum viderunt. Cum Thoma dicatur Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* 346

2 *Quare dicitur quod multi reges & prophetæ voluerunt videre, cum de Abrahamo aſſeratur, quod vidit diem Domini & gauiſus eſt?* 347

3 *Quare quos Lucas dicit reges, D. Matthæus iuſtos vocat?* 348

4 *Quid ſit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, & quomodo in hoc cohæreat Lucas, cum Matthæo, & Marco?* 349

5 *Quare non dicitur tantum diliges Dominum Deum, ſed cum additamento tuum?* 350

6 *Quare de homine iſto dicitur potius quod deſcenderit, quam quod aſcenderit?* 352

7 *Quare nec Sacerdos, nec Leuita, ſed tantum homo iſte incidit in latrones, à quibus afficitur vulneribus?* 353

8 *Quare latrones non interficiunt hominem, ſed ſemiuiuum relinquunt?* 354

9 *Quare iſti latrones non numerantur; cum illi, qui affixi ſunt in caluario recenſeantur?* 355

10 *Quare in præſenti introducitur Samaritanus iſte habens miſericordiam in hunc vulneratum?* 356

11 *Quare ad ſemiuiuum curãdum vinum, & oleum infundit Samaritanus?* 358

12 *Vinum & oleum impenſum in charitatis officio, quantum inde emolumentum participauerint.* 359

13 *Vnde iſte homo in deſerto habuit alligaturas?* 360

14 *Quare tam ſolerter promittit Samaritanus ſe redditurum ſtabulario quidquid ipſe ſupererogauerit?* 361


## Capvt XXII.

### Eiicitur dæmonium mutum.


Qvæst.I. *Qvare Chriſtus Dominus aliquali mora vſus eſt in hoc miraculo edendo, & explicatur illud verbum.* Erat? 364

2 *Quare Dominus in deſerto dæmonium eijcit vno verbo, hic verò aliquali mora & inſtantia?* 366

3 *Quare Chriſtus Dominus non rogatus, hoc patrat miraculum?* ibid.

4 *Quare Chriſtus Dominus cum tanta poteſtate erat eijciens dæmonium, ab homine, cum tamen infra pro ſe non poteſtate, ſed rationibus vtatur.* 367

5 *Quare non ſcribitur quod Chriſtus ſanauerit hominem cæcum & mutum, ſed quod eiecerit dæmonium mutum?* 368

6 *Quam acerba tyrannide Diabolus hunc hominem torquebat.* 369

7 *Quare Diabolus non conqueritur cum expellitur ab hoc homine?* 370

8 *Quare non explicatur quiſnam eſſet homo iſte?* 371

9 *Quare dicitur locutus eſt mutus, & non potius ille, qui mutus extiterat?* 372

10 *Quare Euangeliſta non explicat verba, quæ iſte homo fuerit locutus?* ibid.

11 *Quare cum Scribæ admirantur, Phariſæi blaſphemant?* 374

12 *Quare viſo tanto miraculo, tam impudenter Phariſæi blaſphemant?* 375


14 Quare

13 Quanta

13 Quanta ſit cæcitas Phariſæorum in ſua blaſphemia? 376
14 Quare Magi videntes ſigna Moyſis dixerunt, Digitus Dei eſt hic. Phariſæi verò de Chriſto blaſphemant? ibid.
15 Quare non in ſingulari, ſed in plurali dicunt, quod dæmonia eijciat Ieſus? 377
16 Quare cum Phariſæi calumniatores extitiſſent verbo, & cogitatione, ſolum tamen ad eorum cogitationes reſpondit Dominus? 378
17 Qui nam hi filij ſint deſignati, quare eis dantur in iudices. 380
18 Quare Spiritus ſanctus digitus Dei nuncupatur? 381
19 Tota parabola explicatur, & maximè ad mores? 382
20 Quare pro cuſtodienda tota aula, & atrio vnus conſtituitur miles armatus, pro lectuli verò defenſione ſeptuaginta armati? 383
21 Quinam ſint hic ſignificati, & quale nam deſertum, & Diaboli requies? 384
22 Quomodo Diabolus omnis ſpurcitiæ, ac inquinamenti Pater dicitur inuenire ſibi domum ornatam, ac ſcopis mundatam? 386
23 Quare dicitur, quod fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus? 387

## Capvt XXIII.

### Beatus venter, qui Chriſtum portauit.

Qvæst. I. Qvare nomen huius mulieris, non exprimitur ab Euangeliſta. 389
2 Quare mulier de turba dicitur? ibid.
3 Quare tacentibus diſcipulis hæc mulier prodit in Chriſti laudes? 390
4 Quare hæc ſancta mulier Chriſti laudes proclamans dicitur vna? 391
5 Quare cum multæ piæ animæ Chriſtum laudauerint, ſolum de hac voce mulieris fit mentio. 392
6 Quare mulier tanta celeritudine extollit vocem? 393
7 Quot virtutes reſplendeant in hac voce mulieris? 394
8 Quàm opportuno tempore Chriſtum mulier laudat, in quo maximè eius virtutes irradiarunt? 395
9 Quare mulier Chriſtum in B. Virgine laudat? 396
10 Quare vt ſancta mulier refutaret Phariſæorum blaſphemias, in medium Virginis laudes profert? 397
11 Ex quo motiuo inducta fuit hæc ſancta mulier, vt tam clara voce Chriſti ſupereminentiam fateretur. 398
12 Quare mulier non Phariſæis, ſed Chriſto tantùm loquitur, eiuſque encomia valde ſtrictè celebrat? 399
13 Quare prius Marcella nominat beatitudinem, quam ventrem, & vbera Beatiſſimæ Virginis Mariæ? 400
14 Quare cum beatitudo corporis redundet ab anima beata, vterus Virginis in via prædicatur beatus? 401
15 Quare Marcella in hoc Virginis elogio tantum de ventre, & vberibus meminit? 402
16 Quare Marcella ſacratiſſimam Virginem non commendat, quia multis donis inſignita fuerit à Deo, ſed quia ipſum ventrem portauerit? 403
17 Quare non dixit Marcella: Beata Mater, quæ te portauit, ſed Beatus venter, & Beata vbera? ibid.
18 Quare potius mulier in præſenti laudat Chriſti Matrem, quam illius Patrem? 404
19 Quare non dicitur Beatus venter, qui te genuit, ſed potiùs, qui tè portauit, cum hoc quoddam pondus denotet? ibid.
20 Quomodo Arias legat, Portans te? 405
21 Quam grata fuerit huiuſmodi mulieris proclamatio Chriſto Domino. 46
22 Virgo Maria, ex eo quod Chriſti mater, Beata dicenda eſt. 407
23 Explicantur illa verba. Beati quinimo, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Et quomodo Virgo prius concepit mente, quam ventre. ibid.
24 Quare auditis encomijs B. Virginis Chriſtus ſic reſpondit? 408
25 Quare cum mulier loquatur in ſingulari, Chriſtus ei reſpondet in plurali? 409

## Pro Beatiſſima Virgine Montis Carmeli.

26 A generatione, ac nutritione filij ſui commendatur Virgo; inde laudes Carmelitarum auſpicantur. ibid.
27 Quare ad compeſcendos blaſphemos mulier in medio proponit Virginis maieſtatem; agitur de Carmelitici Scapularij excellentia? 410
28 Quare Beatiſſima Virgo è propria manu dat ſacrum Scapularium Carmeliticum B. Simoni Anglico. 411
29 Quantum ſit inſignita Carmelitica Religio Virginis protectione. 412
30 De inſigni titulo Beatæ Mariæ de monte Carmelo, quo inſignitus eſt hic ſacer ordo. 413

## Capvt XXIV.

### Signum de cælo petitur.

Qvæst. I. Qvare cum Iudæi ſigna petunt, Chriſtum Magiſtrum dicunt? 415
2 Quare cum Magiſtrum dicant petulanter propriam voluntatem pertendunt? ibid.
3 Quare cum Iudæi tot ſigna viderint facta à Chriſto, ſigna petunt? 416
4 Quare Chriſtus Dominus vocauerit iſtos generationem malam, & adulteram? 418
5 Quare Phariſæis blaſphemantibus blandè reſpondet Dominus, in hos verò petentes ſigna acriter inuehitur? 419
6 Quare Dominus Phariſæis petentibus non dedit ſignum? 420
7 Quare dixit Chriſtus generationi illi non eſſe aliud ſignum dandum, niſi ſignum Ionæ prophetæ, cum poſt hæc verba multa miracula ediderit. 421
8 Quare acriter Dominus hos ſigna poſtulantes reprehendat, cum in Achaz iraſcatur ob non petitum ſignum? 422
9 Quare cum Dominus tam durè increpet Iudæos, vt generationem malam, & adulteram dicat, nullus ex his reſpondet, ſed omnes tacent?
10 Quare ex omnibus antiquis ſignis, Ionæ ſignum adducit his Dominus, & in quantis iſte fuerit Saluatoris typus. ibid.
11 Quare cum duriſſimis, ac acerbis verbis Chriſtus magnum pietatis ſignum coniungit? 425
12 Quare Dominus dat ſignum ſuæ mortis, ſepulturæ, ac Reſurrectionis? ibid.
13 Quare tres dies, & ſimul noctes ad Reſurrectionis myſterium deſignantur, & quomodo computandi ſunt? 426
14 Quare tres dies, & noctes non integræ, ſed partiales ad hoc myſterium aſſumuntur? 427
15 Quare potius dicitur quod filius hominis erit in corde terræ, quam in ventre terræ? 428
16 Quare adducuntur in exemplum Niniuitæ, & vnde eorum pœnitentia tam mirabilis? 429
17 Quænam eſſet hæc regina Saba? 431
18 Quare poſt adductos Niniuitas adducitur Regina Saba in exemplum? ibid.
19 Quare cum Iudæi dicantur adulteri, mulier hæc Regina dicitur, & quod eos condemnabit? 432

## Capvt XXV.

### Mater, & fratres Chriſti ſtant foris.

Qvæst. I. Qvare toties Euangeliſta hic repetit aduerbium illud ecce. 433
2 Quare Chriſti cognati fecerunt, quod ipſe vocaretur, cum expectare poſſent. 434
3 Quare mater & fratres foris ſtabant? 435
4 Quo motiuo homo nuntiauit Chriſto matrem, & fratres adeſſe? 436
5 Quare tam ſeuerè Dominus reſpondit. Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei. 437
6 Quare Chriſtus Dominus facientes voluntatem Patris ſui appellat ſibi cognatos? 440
7 Quare Chriſtus ſibi obſequentes appellat fratres, ſororem, ac matrem? ibid.
8 Quare hos tres gradus fratris, ſororis, ac matris poſuit Chriſtus Dominus? 441

## Capvt XXVI.

### Exiit ſeminator.

Qvæst. I. Qvare Chriſtus Dominus per parabolas, ac ſimilitudines loquebatur, & docebat? 442
2 Quis fuerit finis, ac ſcopus huius parabolæ? 444
3 Quare ſatori ſe Chriſtus Dominus comparat? 445
4 Quare dicitur, quod ſator iſte exierit? 446
5 Quare bonus ſator non aliud ſeminat, niſi ſemen ſuum? 447
6 Quare ſemen cadens iuxta viam conculcatur, ac à volucribus comeditur? ibid.
7 Quare non exprimitur, à quibus ſemen conculcatum fuiſſet? 448
8 Quare ſemen cadens ſuper petram tam citò aruit? 449
9 Quare exortæ ſpinæ ſuffocant ſemen? 451
10 Quare cum ſemine ſimul exortæ ſunt ſpinæ, & non antea, vel poſtea? ibid.
11 Quare ſpinæ ſemen, & non potius ſemen ſpinas ſuffocat? 452
12 Quare bonus ſator tres partes ſeminis iecit, vbi ſciebat non eſſe fructum allaturas? 453
13 Quid ſignificetur per centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum fructum? 454
14 Quare ſolis diſcipulis datur intelligere diuina myſteria? 456
15 Quare Verbum Dei ſemen nuncupatur? 458
16 Quare diuitiæ, ac voluptates ſæculi ſpinis comparantur? 460
17 Quare diuitiæ fallaces dicuntur? 461
18 Quare fructus promittitur colligendus in patientia? 462

## Capvt XXVII.

### Superſeminatur zizania.

Qvæst. I. Qvare iſte ſeminator, hic dicitur homo tantum, & non potius, rex, vel Paterfamilias, vt infra? 464
2 Quare iſti homines alias probi, ita dormiunt, vt non pateat aditus inimico? 465
3 Quare homines, & non ſerui vel cuſtodes dicuntur dormientes? 466
4 Quare inimicus nocte venit? 467
5 Quare inimicus potius ſeminat zizaniam, quam aliam nociuam herbam? 468
6 Quare non dicitur, quod inimicus ſeminauerit, ſed quod ſuperſeminauerit? 469
7 Quare iſte aduerſarius, inimicus homo, & non alio nomine nuncupatur? ibid.
8 Quare poſt ſeminatam zizaniam inimicus ſtatim abierit, ac receſſerit? 470
9 Quare de orta zizania conqueruntur ſerui aſſerentes bonum ſemen non ab ſeipſis, ſed à Domino agri ſeminatum eſſe? 472
10 Quare cum inimicus venerit dormientibus hominibus vnde Dominus ipſum cognouit? 473
11 Quare Pater familias non prohibuit inimicum cum ipſum viderit ſuperſeminantem zizaniam? 474
12 Quare Dominus prohibuit illic aufferri zizania? 475
13 Quare zizania colligenda non committitur his ſeruis, ſed meſſoribus? 478
14 Quare prius mandatur colligi zizania, cum tamen in iudicio, prius ſit à Rege retributio bonorum? 479

## Capvt. XXVIII.

### Granum ſinapis.

Qvæst. I. Quare Eccleſia militans, ſeu prædicatio Euangelica cum grano Sinapis comparatur? 480
2 Quare Chriſtus Dominus per granum Sinapis interpretatur à multis Patribus, & agitur etiam de ſanctis martyribus? 482
3 Quare regnum cælorum aſſimilatur grano, & non granis ſinapis? 483
4 Quare iſte ſator non dicitur Paterfamilias, ſed homo accipiens granum, qui ſtatim illud ſeminat in agro ſuo? 484
5 Quare non exprimitur nomen illius, à quo homo accepit granum, & cur cum illud eſſet tam paruum non reiecit? 485
6 Quare granum ſinapis, cui regnum cælorum comparatur minimum dicitur? 486
7 Quare granum ſinapis creſcit in arborem, tam magnam? 487
8 Quare Chriſtus Dominus nobis hic proponit parabolas ſub nomine viri, & fœminæ? 488
9 Quid in parabola ſignificetur per fermentum, mulierem?

*mulierem?* 489
10 *Quid per tria ſata ſignificetur in parabola?* 491

## CAPVT XXIX.

### Theſaurus Abſconditus.

QVÆST. I *Quis nam ſit iſte Theſaurus, & quare tam abſconditus?* 493
2 *Quomodo abſconditus theſaurus inuenitur?* 495
3 *Quare homo theſaurum inuenit in agro, & non in ciuitate, in qua negociator reperit margaritam?* 496
4 *Quare dicitur quod homo gaudens vadit, & non quod regreſſus eſt, cum è ciuitate exierit?* 497
5 *Quare ad emendum agrum non aliqua, ſed vniuerſa ſua vendit homo?* ibid.
6 *Quare homo non conſiderat agrum ad emendum vt mulier Salomonis ſapiens?* 498
7 *Quare in prima parabola comparatur regnum cœlorum theſauro. In hac vero ſecunda homini negociatori quærenti bonas margaritas?* 500
8 *Quare negociator multas quærit bonas margaritas?* ibid.
9 *Quænam ſint bonæ margaritæ, quæue pretioſa, qua contentus eſt, qui multas quærebat?* 501
10. *Quare margarita inuenta vna dicitur?* 503
11 *Quare margarita inuenta pretioſa nuncupatur?* 504
12 *Quare pro theſauro comparando homo gaudens vendit omnia ſua, non ſic vero gaudens pro margarita?* 505
13 *Quare homo inuentum theſaurum abſcondit, non ſic vero pretioſam margaritam?* 506
14 *Quare Chriſti prædicatio, ſeu eius Eccleſia cum ſagena miſſa in mari comparatur?* 507
15 *Quare poſt parabolas de theſauro, & margarita introducitur ſagena extracta ab educentibus* 508
16 *Quare ſecus litus boni eliguntur in vaſa, mali autem foras mittuntur?* 509
17 *Quare hæc ſeparatio, & miſſio malorum, in caminum, fiet per ſanctos Angelos, qui noſtri cuſtodes fuerunt?* 510
18 *Quare dicitur quod Angeli ſeparabunt malos de medio iuſtorum; cum Matth. 25. ſcribatur, quod rex eos ſeparabit?* 511
19 *Quare hic non exprimitur gloria bonorum, ſed ſolum ponitur pœna malorum?* 512
20 *Quænam ſint noua, & vetera, quæ proferenda mandantur de theſauro?* 513

## CAPVT XXX.

### Ieſus in Patria.

QVÆST. I. *Quinam ſint fratres & ſorores, de quibus hic agitur?* 516
2 *Quomodo Nazareni Chriſtum filium fabri dicunt, & quam nam artem exercebat D. Ioſeph?* ibid
3 *Quare Ioſeph non nominant, ac dicunt apud eos eſſe ſicut de aliis aſtruunt?* 517
4 *Quare Iudæi vilitatem artis ac humilitatem generis Chriſto obiiciebant?* ibid.

## CAPVT XXXI.

### Nemo Propheta in Patria ſua.

QVÆST. I. *Quare cum Nazareni Chriſto obiicerent humilitatem generis, & abnegationem miraculorum in patria, Dominus huic ſecundo, & non primo reſpondit?* 519
2 *Quare Chriſtus in appoſita ſimilitudine, ait,* Dicetis mihi, *& non potius alteri ſeu vobiſmet ipſis.* 520
3 *Quomodo præpoſita ſimilitudo.* Medice cura teipſum *applicetur in præſenti?* ibid.
4 *Quare Nazareni tam acriter Chriſtum calumniabantur?* 521
5 *Quare cum Chriſtus Dominus edidiſſet miracula inter Nazarenos, ipſi dicunt facta in Capharnaum,* fac hic in patria tua, *ac ſi ibi nullum edidiſſet?* ibid.
6 *Quare cum in Chriſto reſplenderent omnes virtutes, Nazareni ad cum agnoſcendum, nil aliud quærunt niſi miracula?* 522
7 *Quare Nazareni tam confidenter à Chriſto expoſcunt miracula?* 523
8 *Quare Propheta non eſt acceptus in Patria ſua?* 524
9 *Quare Dominus in patria ſua non edidit miracula?* 525
10 *Si Chriſtus ob incredulitatem habitantium in Patria non fecit miracula, nec etiam aliis in locis faceret cum ibi multi increduli adeſſent?* 526
11 *Quare hic adducitur in exemplum Elias, cum eoque allegatur?* 528
12 *Quare non exprimitur aliquod miraculum ex multis, quæ Elias fecit apud viduam, agitúrque de magno Eliæ nomine?* 529
13 *Quare non dicuntur tempora, ſed dies Eliæ?* 530
14 *Quare Elias claudens cælum, curru igneo rapitur in cælum?* 531
15 *Quanta fuerit præeminentia in Elia vt habuerit poteſtatem ad claudendum cælum, explicantur aliqua eius elogia?* 532
16 *Quare Elias mittur in Sarepta Sidoniæ, & non alitur ab Abdia cum cæteris prophetis?* 534
17 *Quare hic ponitur Elias abſque aliquo titulo, agitúrque de eo, vt Monaſtici ſtatus principe?* 535
18 *Elias Carmelitici ordinis, Patriarcha, ac Parens.* 536
19 *Vnde in Nazarenis tanta malitia, vt educentes Chriſtum extra ciuitatem, eum præcipitare vellent?* 539
20 *Quare Chriſtus non eſt paſſus à Nazarenis præcipitari, ſed tranſiens per medium illorum ibat.* 540

## CAPVT XXXII.

### Baptiſtæ mors.

QVÆST. I. *De loco conuiuij, Herode Herodiade, ac eius filia ſaltatrice, eorúmque ſupplicijs.* 542
2 *Quare ſaltatrix ingreditur in conuiuium?* 543
3 *Quare ſaltatrix tantum placuit Herodi, ac recumbentibus.* ibid.
4 *Quare Herodes dimidium regni ſaltatrici pollicetur, quantúmque ſit diſcrimen inter Eſther, ac Herodiadem in hac oblatione?* 544
5 *Quare impudica ſaltatrix in ſua expoſtulatione, ait,* Volo, *& non aliquam cauſam pertendit?* 546
6 *Quomodo laſciua tripudiatrix audet inter epulas humanum ſanguinem commiſcere?* 547
7 *Quare turpis muliercula non aliud petit, niſi Ioannis caput?* 548
8 *Quare carnifex fœmina petit Ioannis caput in diſco, & non potius, quod ipſe ad eius præſentiam adducatur, vt ibi decolletur?* 549
9 *Quare Ioannis caput, non in alio, ſed in diſco execranda ſceleratrix petit?* 550
10 *An triſtitia in Herode fuerit vera, vel ſimulata?* 551
11 *Quare Herodes contriſtatur propter iuramentum, cum tamen in tali re iuramento non teneretur?* 552
12 *Quare Herodes cum Ioannem haberet in multa reuerentia, eum occidere mandat?* 553
13 *Quare Chriſtus non liberauit ſuum Ioannem à carcere, & à morte?* 554
14 *Quare Baptiſta decollatus occubuit?* ibid.
15 *Quare Ioannes è carcere vocatur ad mortem, Ioſeph autem è carcere accerſitur ad Ægypti principatum?* 554
16 *Quare decollato Baptiſta non ſtatim denunciatur pœna Herodi, ſicut interfecto Naboth Impiæ Iezabel?* 556
17 *Quonam tempore occiſus eſt Ioannes.* 557
18 *De loco ſepulchri Ioannis Baptiſtæ.* ibid.

## CAPVT XXXIII.

### Saturantur quinque millia.

QVÆST. I. *Quare Chriſtus ſeceſſit trans mare Tyberiadis?* 558
2 *Quare Euangeliſta explicat prope eſſe Paſcha, in quo Chriſtus non in Ieruſalem, ſed in deſertum cum tanta multitudine pergit.* 562
3 *Quomodo Euangeliſtæ conueniant in hac hiſtoria narranda?* 564
4 *Quare Chriſtus oculos ſubleuauerit ad videndas turbas.* ibid.
5 *Quare dicitur, quod Chriſtus ſubleuauerit oculos, non in diſcipulos, qui cum ipſo ſedebant, ſed in turbas venientes?* 565
6 *Quare ſolus Chriſtus de remedio huius magnæ multitudinis agit?* 566
7 *Quare Chriſtus Dominus tam ſolicite de horum hominum remedio pertractat?* 567
8 *Quare Chriſtus Dominus in conſilium vocat potius Philippum, quam alium Apoſtolum?* ibid.
9 *Quare non Petrum, vel alios Apoſtolos habet Dominus in conſiliaros?* 569
10 *Quare Iudas non adſit Conſiliarius in hoc negotio?* ibid.
11 *Quare Dominus in hoc negotio non explicat ſuam ſententiam, antequam à Philippo aliquid quærat?* 570
12 *An hæc pecunia ducentorum denariorum haberetur in Collegio Apoſtolico, & quomodo Philippus, ait, quod non ſufficiat?* 571
13 *Quare Philippus ad interrogationem ſibi propoſitam formaliter, ac directè non reſpondit?* ibid.
14 *Quare Apoſtoli in Samaria confugiunt ad Chriſti potentiam, non verò in hoc præſenti caſu.* 572
15 *Vnde huiuſmodi panes, & piſces fuerint habiti, explicatúrque quomodo Euangeliſtarum textus cohæreat.* 573
16 *Quare quinque panes hordeacei, & duo piſces eliguntur in materiam huius miraculi, & non plures, vel pauciores?* 574
17 *Quare Chriſtus Dominus ante miraculum à ſe editum gratias agit.* 576
18 *Quare Chriſtus Dominus hos panes, & piſces non creauerit, ſed ex acceptis multiplicauerit?* 577
19 *Quomodo panes, ac piſces fuerint multiplicati, & agitur de eorum diſtributione?* 578
20 *Quare diſpoſuerit Chriſtus Dominus vt tantæ fragmentorum reliquiæ ſuperfuiſſent?* 580
21 *In his turbis paſcendis multo liberalior extitit Chriſtus Dominus quam Moyſes in Manna adminiſtrando.* 581
22 *Quare Dominus mandat Apoſtolis colligere fragmenta & non permittit, vt turbæ ea ſecum deferant?* 582
23 *Quare Dominus mandat colligere fragmenta ne pereant.* ibid.
24 *Quare Euangeliſtæ de Cophinis faciunt mentionem, & vnde hi habiti fuerint?* 583
25 *Quare duodecim cophini colliguntur, & non plures, nec pauciores etiam pro puero, qui habebat panes & piſces?* 584
26 *Quare pro pane hic exhibito tot acclamationes Chriſto faciunt Turbæ, auditis tamen verbis de cœleſti pane murmurant Iudæi?* 586
27 *Quare Chriſtus Dominus fugit in montem?* 587

## CAPVT XXXIV.

### Ieſus ambulans ſuper mare.

QVÆST. I. *Quare tam grauis tempeſtas permiſſa eſt à Chriſto Domino?* 589
2 *Quare in hac tempeſtate maximè contrarius ventus exprimitur?* 590
3 *Quare Dominus è tam diſtanti loco eos viderit, cum ipſi Apoſtoli in proximo eum non cognouerint?* ibid.
4 *Quare Dominus venit quarta vigiliæ?* 591
5 *Quare Dominus greſſu corporis oſtendit ſe eos velle præterire?* 592
6 *Quare vt filij Iſraël tranſeant, diuiditur mare, non ſic ad Chriſti Domini ingreſſum in illud?* ibid.
7 *Quare Diſcipuli videntes Chriſtum ſuper mare, non magiſtrum cogitant, ſed Phantaſma dicunt?* 593
8 *Quare Chriſtus Dominus videns ſuos in mari conturbatos, ſtatim eis loquitur, ac fiduciam ingerit?* 594
9 *Quare Chriſtus Dominus permiſit Petrum aliquantulum mergi?* 596
10 *Quare ſacri Apoſtoli de miraculo heri facto non recordantur?* 597
11 *Quare Dominus ingrediens nauim de ſuo more, non dixit diſcipulis ſuis,* Pax vobis? 598

# Series Capitum, & Quæſtionum.

## Capvt XXXV.

### Sermo Euchariſticus.


Qvæst.1. Qvare Euchariſtia dicatur cibus permanens in vitam æternam? 600
2 Quare Chriſtus nobis mandat operari Euchariſticum cibum? 601
3 Quare dicitur quod Pater hunc ſignauerit, explicatúrque, quam obſignata ſit Euchariſtia hnmano intellectui, quæ fidei eſt patens? 602
4 Quare hic non ſolum dicitur Pater, ſed etiam cum expreſſione, ac additamento, Deus nominetur, quod hunc panem ſignauerit? 603
5 Quare Chriſtus de ſola fide facit mentionem? 605
6 Quare Chriſtus Dominus in præſenti fidem appellat opus? 606
7 Panis Euchariſticus in Manna præfiguratus ſine terrenarum rerum mixtione ſumendus? 607
8 Quare Manna Euchariſtiæ umbra, cum rore deſcendebat? 608
9 Quare Manna Euchariſtiæ typus omnem dulcedinem, ac ſaporem referebat? 609
10 Panis Chriſti excellentior Manna, ac quocumque alio opere? 610
11 Quare Iudæi hic Chriſtum, Dominum appellant. 613
12 Quare Chriſtus in Euchariſtia panis nuncupatur? 614
13 Quare ſpecies panis ad hoc Sacramentum eligitur, tres alias rationes aſſigno? 615
14 Quare dicitur quod hic panis tollat eſuriem, & ſitim? ibid.
15 Quomodo ad Chriſtum veniturin ſacramento altaris? 617
16 Pater ad Chriſtum trahit per confeſſionem? 618
17 Quare Chriſtus hic in præſenti facit mentionem de illis, qui ad eum veniſſent? 619
18 Qui ad Chriſtum venit non eijcitur foras, ſed multo honore ſublimatur? 620
19 Vt Euchariſtiæ Sacramentum magis pro ſola Virgine, quam pro reliquis fidelibus ſimul ſumptis fuerit inſtitutum? 622
20 Quare Chriſtus Dominus hic murmurantibus Iudæis, tam benignè, ac manſuetè reſpondit? 623
21 Quare credentes, ac fideles dicuntur hic docibiles? 624
22 Quare toties Dominus in hoc ſermone repetit excellentias ſui diuini panis? 625
23 Quare Chriſtus Dominus hic ait, quod qui manducauerit ex hoc pane viuet, & non morietur? 626
24 Quare Chriſtus hic ait, quod panis iſte ſit caro ſua pro mundi vita? 627
25 Quare Dominus hic dicit neceſſarium eſſe ad ſalutem ſumere carnem & ſanguinem ſuum, cum tamen populus prohiberetur à ſanguine ſacrificiorum? 629
26 Quare Chriſtus Dominus in hoc ſermone Euchariſtico multoties de morte facit mentionem? 630
27 Quare hic Chriſtus facit expreſſam mentionem de corpore, & ſanguine, non verò de anima, ac diuinitate ſua. 631
28 Quare Chriſtus Dominus dicit ſuam carnem verum eſſe cibum, cum humana caro valdè ſit improportionata ad humanum eſcam. ibid.
29 Quare hic potius, quam alijs in locis Chriſtus carnem & ſanguinem dicit ſuum? 632
30 Quare Chriſtus Dominus ordinauerit quod in hoc Sacramento ex vi verborum poneretur caro, & ſanguis? 633
31 Quare Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum in ratione ſacrificij, vt ipſe eſſet repræſentatione mortuus, cum realitate ſit viuus? 634
32 Quare Chriſtus ordinauerit vt ſacrificium legis gratiæ eſſet corpus, & ſanguis eius in Sacramento altaris? 636
33 Quare Chriſtus Dominus non ſimpliciter, ſed addita particula verè, dixit, carnem ſuam eſſe cibum, & ſanguinem potum? 637
34 Quare Chriſtus in hoc ſermone, & non, in Cœnaculo dixit carnem ſuam verè eſſe cibum & ſanguinem potum? 638
35 Quare Chriſtus loquitur de præſenti, cum adhuc Sacramentum non eſſet inſtitutum? ibid.
36 Quare de hoc myſterio antequam fieret Chriſtus loquitur de præſenti; cum de alijs myſterijs loquatur de futuro? 639
37 Quare in hoc myſterio vtitur verbo ſubſtantiuo, cum in alijs myſterijs verbum adiectiuum ponatur. 640
38 Ad vnionem ſacramentalem præcedat fidei vnio cum Chriſto. 641
39 Quare Chriſtus non dixit, qui manducat, & bibit digne, ſed abſolutè poſuit pronunciatum? 642
40 Quare Chriſtus in hoc ſermone non poſuit pœnas indignè communicanti? 643
41 Quanta ſit vnio inter Chriſtum, & communicantem? 644
42 Quam nobilitata ſit, Eccleſia ex vnione ad Chriſtum per Euchariſtiæ Sacramentum? 645
43 Quare Chriſtus non dixit manet in gloria, vel regno, ſed manet in me? 646
44 Quare Chriſtus in homine manet tanquam ſponſus? 647
45 Pro maiori explicatione textus multa reſoluuntur? 648
46 Quare Chriſtus Dominus alia myſteria per res humanas explicat, Euchariſtiæ verò Sacramentum per ſuam æternam vitam à Patre communicatam? 649
47 Quare hic Chriſtus facit mentionem de ſuo Patre viuente? 650
48 Quare dicitur, quod homo viuat propter Chriſtum? ibid.
49 Quare Chriſtus in Euchariſtia dicitur panis, cum ibi nulla ſit ſubſtantia panis? 651
50 Quare ſicut Chriſtus ſæpè dixit in hoc ſermone, hic eſt panis, qui deſcendit de cælo, non dixit etiam hic calix ſanguinis mei qui de cælo deſcendit? 652
51 Quare abſolutè Euchariſtia ſine aliquo additamento Panis nuncupatur? 653
52 Quare Chriſtus de ſuo cœleſti pane aliquando loquitur per primam perſonam, frequentius verò per tertiam? 654
53 Quare non dicitur. Hic panis miſſus eſt de cælo, ſed qui deſcendit de cælo. 655
54 Quare abſolutè dicitur, quod hic panis deſcendit de cælo, cum ad eius formationem terra materiam miniſtrauerit? 656
55 Quare Chriſtus in hoc ſermone dixit. Patres veſtri, & non potius Patres noſtri? 657
56 Quare Chriſtus in hoc ſermone multoties de Manna facit mentionem. 658
57 Quare Chriſtus valde frequenter in hoc ſermone de Manna agens, ſemper illud minuit, ac deprimit exaltans ſuum Euchariſticum panem? 659
58 Quare Chriſtus, ait, qui manducat, cum tunc Sacramentum non eſſet inſtitutum? 660
59 Quare hoc diſcrimen ponitur inter Manna, & Chriſti panem, quod hic tribuat vitam? ibid.
60 Quomodo Iudæi tam impudenter dicunt durus eſt hic ſermo? 662
61 Quare cum Chriſtus denuntiat diſcipulis futuras perſecutiones nullus abit, & recedit, vt faciunt audito hoc ſermone? 663
62 Quare Chriſtus hic quærit à ſuis diſcipulis, an ipſi velint abire? 664
63 Quare Iudas manens in Chriſti comitatu vocatur ab ipſo Diabolus, non verò diſcipuli recedentes? 665

# Summa CONCIONVM.

### *Dominica I. Aduentus.*

### Luc. 12.

ERVNT *ſigna in Sole, & Luna.* Verba rigoris plena, ſed in opere oſtendunt miſericordiam p.425. n.74.& 75

*Erunt ſigna in Sole, & Luna.* Aſtra hominibus benefica, nunc rigorem indicant, qui contemnunt benignitatem, experientur rigorem. p.479. num.96. 97. 98. & 99. p.510.511.n.118.119. & 120

*Erunt ſigna*, &c. Grandis dolor ab his habere ſupplicia, à quibus munimen ſperabas. pag. 380. n.99

*Erunt ſigna in Sole, & Luna.* Vt ex tot ſignis maximè timeatur iudicium finale, cuius memoria, ac timor eſt valde vtilis. p. 38. n.48. & p.41.n.65. & p.180. n.150

*Areſcentibus hominibus præ timore:* Scilicet venturi iudicij. Timor enim Dei omnium rerum timores expellit. p.135.136. n.63.64. & 68

*Areſcentibus hominibus præ timore.* Timor timore expellitur. p.137. n.75. & 76

*Areſcentibus hominibus præ timore.* Magis mouetur homo timore ſupplicij imminentis, quam amore bonorum. p.142. n.105

*Quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Non timent ſpiritualia damna, ſed temporalia, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. pag. 216. n. 94. pag. 586. n.178

*Quæ ventura ſunt vniuerſo orbi.* Magnus dolor ſuis oculis, ſuorum bonorum videre iacturam. p.185.186. n.8. & 9

*Videbunt filium hominis.* In hoc nitet ſumma pietas, cum nobis iudex datus ſit filius hominis Chriſtus Ieſus, noſter frater, & cognatus. p.37.38. n.45.46. & 47

*Videbunt filium hominis.* Magnus rigor hic denunciatur, cum detur iudex, qui nos abintus cognoſcit. p.380.381.n.100.& 101

*Cum poteſtate magna.* Quamuis tam magna non violentia, ſed ratione vtitur. pag. 365. n. 12. 13. & 14

*Dediſtis mihi manducare.* Inter cætera virtutum monumenta, opera miſericordiæ commemorat, quæ maximè iram iudicis auertit. p. 321. n.137.138. & 139

*Diſcedite à me maledicti.* Deus non patitur apud ſe peccatores. p.517. n.19

*Qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Quibus damnatorum tormenta committuntur, cum tamen beneficia Deus per ſe præſtet. pag. 511. n.125.126. & 127

### *Dominica II.*

### Matth. 11.

CVm *audiſſet Ioannes in vinculis.* Vide Cap.13

### *Dominica III.*

### Ioan. 1.

M*Iſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas.* Quamuis iniqui miniſtri non ſe offerunt, ſed mittuntur. p.478. n.90.91. & 92

*Miſerunt ſacerdotes, & Leuitas.* Etſi multi eſſent miniſtri in republica Iudaïca, tamen prudentiæ eſt, paucis, ac ſelectis magna committere. p.204.205. n.28. & 29

*Vt interrogarent eum, tu quis es.* Meſſias oriundus erat ex tribu Iuda, tamen Ioanni orto ex tribu Leui offertur. Tamen conſanguinitatis iure Leuitæ deferunt dignitatem. p. 87. n.2. & p.523. n.32. & 33

*Tu quis es.* Vt honorem iuxta ſuum affectum tribuant cuncta, ac omnes tribus volunt conturbare, ac confundere. p.10. n.56 57. & 58.

*Tu quis es.* Ioannes deſertum incolit, & ideo potius Deo ſimilis, quàm homo reputatur. p.496. n. 25.26. & 27

*Tu quis es.* Erat Ioannes vox, Propheta, baptizans, Præcuſor; & volebant eum facere Meſſiam; iniquitas hominum omnia officia vni dare. p.9. n.49. & p.478. n.88. & p. 420. n.44

*Confeſſus eſt.* Non vana gloria rapitur; & ideo in Chriſti confeſſione perſiſtit. pag. 51. n.121. & 122

*Et non negauit.* Quæ repetitio magnam iuſtitiam, ac conſtantiam Ioannis indicat. p. 219. n. 113. & 114

*Elias es tu, Propheta es tu? non.* cum ipſe magnus apud alios extimaretur, ipſe ſe parum reputat. p.168. n.26

*Elias es tu, Propheta es tu? non.* Et tamen à Domino vocatur Elias, ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias; deinde Propheta, & pluſquam Propheta appellatur; qui ſe deiicit propter Chriſtum, exaltatur.

*Ego vox clamantis.* Cur non dixit, ego vox clamans. Elegantis paranymphi munus, quod agebat expoſuit, ne ſibi, ſed Chriſto, cuius legatione fungebatur, omnia ſua tribueret. p.71. n.15. & p.456. n.85. & p.373. n.56.57. & 58

*Ego vox clamantis.* Qui vocis habet officium, vocem ſe nominat, vt voce, qua prædicabat, officium declararet. p.213.214. n.78.79. & 80

Quid



*Quid ergo baptizas.* Hoc non iniunctum fuerat legatis, ſed ipſi vtpotè miniſtri de ſe addunt. p.161. n.30. & 31

### *Dominica IV. Aduentus.*

### Luc. 3.

A*Nno quintodecimo Tiberij Cæſaris.* Miſeria reipublicæ Iudaïcæ ſub tot gubernatoribus deſcribitur. p.565. n.47

*Anno quintodecimo.* Neceſſitas reipublicæ Iudaïcæ ſub tot tyrannis deſcribitur, vt inde magnitudo beneficij diuinæ viſitationis agnoſcatur. p.597. 598. n.63.64 & 65

*Tiberij Cæſaris.* Vt ex contrarietate, ac oppoſitione tot iniquorum principum, excellentia virtutis Ioannis magis reſplendeat, & irradiet. p.395. n.48.49. & 50

*Sub principibus Anna, & Caipha.* Alternatiuè gerebant ſibi vices ſacerdotij; omnia enim volebant ſibi arripere. p.366. n.20

*Factum eſt verbum Domini.* Non dictum, ſed factum, bonus prædicator in ſe faciat prius verbum, quod prædicat ore. p.50. n.116. 117. 118. 119. & p.83. n.104. & 105

Vide *Prædicator*

*Venit in omnem regionem Iordanis.* Omnes vocantur ad ſalutem. p.507. n.97

Vide *multa, verbo beneficium.*

*Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* In prædicatore non vult Dominus blanditias verborum, ſed verba, quæ pœnitentiam, & rigorem ſonent. p.315. n.99.100.101. & 102

*Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Ioannis conſtantia coram tot iniquis principibus prædicat, & teſtificatur. p.46. n.91.92. & 93

*Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in deſerto.* Etiam Ioannes abſconditus in deſerto illuminat, & docet. ibid. n.95. & 96

*Prædicans Baptiſmum.* Ante prædicationem Baptiſtæ notatur impietas principum, qui regnabant, vt denotetur, quanta felicitate Ioanne prædicante mutata ſunt tempora. p.230. n.180.

*Vox clamantis.* Non clamans, ſed clamantis ſcilicet Chriſti, vt innuatur, quanta coniunctio, ac vnio ſit inter Chriſtum, & Ioannem. p.206. n.38. & p.224.225. n.147.148. & 149

*Vox clamantis.* Ioannis nomen vox clamans. p.550. n.55

*Omnis collis humiliabitur.* Deus ſuis dat occaſiones ad humilitatem. p.316. n.107.108. & 109

*Omnis vallis exaltabitur*, qui in humili eſt; de aſcenſu non deſperet. p.305. n.31.32. & 33

### *Pro Natiuitate.*

### Ioan. 1.

I*N principio erat verbum.* Cum filius Dei ad nos venit princeps, & rex noſter non dicitur omnipotens; ſed verbum, ſeu ratio, vt habet Græcus. p. 365. n. 12. 13. & 14. p. 440. n.44

*Erat Verbum.* Veniens omnium Magiſter, & princeps verbum, ſeu ratio dicitur: non enim poteſtati, ſed rationi accommodandum eſt. p.63.64. n.17.18.19. & 20

*Erat Verbum.* Cum Dei filius venit, vt agat cauſam ſuam gloriamque ſui patris, qui miſit eum. Ioan.7. num. 18. dicitur tantum Verbum, ſeu ſermo, cum vero ipſe ſermo venit, ac deſcendit ad liberandos filios Iſraël de Ægypto, dicitur omnipotens ſermo tuus. Sapientiæ 18. num. 15. Deus pro ſe agit ratione, pro nobis poteſtate, homines vero è contra. p. 367. 368. n.25. 26. & 27

*Omnia per ipſum facta ſunt.* Cum dicitur Dei Verbum ſtatim eius omnipotentia declaratur, ne æſtimetur imbecillum, vt humanum verbum. p.170. n.90. & p.195. n.70. & p.162. n.41

*Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Inter homines erat lux & tamen ita erant obcæcati, vt eam non cognouerint, nulla maior miſeria, quam quod rationis ſit impedita p 417. n.21.22.& 23

*Et mundus eum non cognouit.* Multa ad Chriſtum cognoſcendum requiruntur. p.24. n.155

*Et ſui eum non receperunt.* Sæpè ex propinquitate ſanguinis oritur odium, & impedimentum ad tuas dignitates, & honores. p.368. n.77. & 78. 79. & p.524 525. n.39.40. & 41

*Verbum caro factum eſt.* Verbum dicitur factum; nam verba ſine operibus non benè audiunt apud homines. p 270. num.219. 220. & p.314. n 98

*Verbum caro factum eſt.* Ipſum verbum, in quo eſt medicamen ad omnes noſtras infirmitates factum eſt caro. p.531. n.83

*Habitauit in nobis.* Tripliciter dans pacem, quam canunt Angeli. p.144. n.4

*Habitauit in nobis;* vt eius hoſpitio terra iungeretur cælo. p 238. n.37

*Habitauit in nobis:* in cunctos nos ſua dona diffundens. p.490.491. n.63.64. & 65

### *Pro Domini Circumciſione.*

### Luc. 2.

P*Oſtquam conſummati ſunt dies octo.* Poſt hos dies ſtatim habitum peccatoris aſſumit; humilitas enim, virtutum exaltatio, ac conſummatio eſt. p.218 num.107.108. 109. & p.249. 250. num. 75. 76. & 77. Vide Verbum, humilitas.

*Poſtquam conſummati ſunt;* In puerum natum poſt octo dies dolor, vulnus, cultellus ſtatim armantur, vt ſciamus, quod poſt virtutem natam multæ perſecutiones exoriuntur. p. 452. n.61. 62. & p.469. n.35

*Vt circuncideretur puer.* Habitum, ac figuram peccatoris aſſumit meus Ieſus, vt homines exiſtimantes ſe concurrere ad peccatorem, ad vitam æternam reducantur. pag.171.172. num.98.99. & 100

*Vt circuncideretur puer.* Circunciditur vt quilibet alius homo vulgaris, ne de ſingularitate notetur, in re virtutis valde ſuſpecta ſingularitas. p.20.21. n.128. 129. & p.326 n.24

*Vt circunciderettur puer.* Quamuis magnus, tamen vt iuſtus, & ſanctus ſubiicitur legi, & eam adimplet. p.175. n.119. & 120

*Vt circunciderettur.* Verbum Incarnatum, iam cœpit ſe operibus declarare, nam verba ſine opere non bene audiunt apud homines. p.270. n.219. & 220

*Vt circunciderettur.* Venit Chriſtus, vt rex regum, & legifer noſter, & octauo die iam effudit ſanguinem; dignitas enim non datur ad requiem,





ſed

ſed ad onus, laborem, ac ſudorem. p.89.n.18. 19.& 20.& p.106.n.6.7.8

*Vt circuncideretur puer*; Habitum peccatoris induit, vt doceat, quod principi nihil inglorioſum pro ſuorum ſalute. p.173.n.107

*Vt circuncideretur puer*. Ieſus vulnus accipit, vt deperditum mundum redintegraret, ac ſanaret. p.490.n.62

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus*. In quo nomine omnia magnalia recapitulantur. p.58.n.40

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus*. Antequam detur ei nomen Ieſus, ſeu nomen Saluatoris, prius vt Saluator effudit ſanguinem. p.213.214.n.78. 79.& 80

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus*. Ieſus nomen ſalutiferum præbens omne bonum, & tutamen. p.24 n.151.152.153. & p.29.n.190

*Quod vocatum eſt ab Angelo*. Hoc ſacratiſſimum nomen non capit in alio ore, niſi in ore puro, & ſancto. p.24.n.158.& p.30.n.192. & 195

Vnde ob tantam maieſtatem humiles non audent pronunciare nomen Ieſus. p.393.n.36

## De Epiphania.

### Matth. 2.

ECce *Magi*. Magi quærunt Chriſtum. p.112. n.50. aliter principes ſæculi volunt, vt Deus quærat illos. p.6.n.29

*Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Multis bonis in ſuis terris abundabant, & omnia pro Chriſto relinquunt. p.437.n.29.& p.582.n.158

*Vbi eſt, qui natus eſt*. Non ſcrutantur, ac coniecturantur ex ſtellis locum natiuitatis, ſed vt ſapientes quærunt; vbi eſt, qui natus eſt. p.207. n.40.41. & 42

*Vbi eſt, qui natus eſt*. Quamuis Magis non recuſant ſapiẽtes ad addiſcentis formam ſe ſubmittere. p.173.174.n.108.109. & 110

*Natus eſt Rex Iudæorum*. Non attenditur in eo ætas, ſed merita. p.513.n.139

*Vidimus ſtellam eius*. Non ſtatim per ſolem vocantur, ſed per ſtellam tenuiter micantem, paulatim ex tenebris, ac ſtatu imperfecto homines aſſueſiunt ad magna, & perfecta. p.184.n.1. & p.197.n.81.82.& p.256.n.118

*Turbatus eſt Herodes*. Cum timet, quod alius in ſuam dignitatem introducatur. p.180.n.155

*Turbatus eſt Herodes*. A ſua ambitione, ac crudelitate. p.188.n.25

*Et omnis Hieroſolyma cum illo*. Quæ regi placent, Aulicis & placent. p.543.547.n.14.& 39

*Et omnis Hieroſolyma cum illo*. Cum iniquitate Herodis, eius & aulici cooperantur, ſemper & illi valde apti ad omne malum. pag. 540. 541. n.136.& 137

*Congregans omnes principes Sacerdotum*. Quamuis Herodes iniquus quærit conſiliarios, qui rem iuxta Scripturam dicant, p.568.n.67.& 68

*Vt ego veniens adorem eum*. Callide dicit, vt puerum occidant, nullum nefas veretur homo adoriri pro conſeruanda ſua dignitate. pag. 390. n.12. & 13

*Obtulerunt ei*. Suum amorem non tantùm affectu, ſed etiam operibus manifeſtant. p.159.n.23

*Obtulerunt ei*. Non loquuntur, ſed munera offerunt, verus enim amor, non verbis, ſed operibus demonſtratur. p.270.n.219.& 220

*Reſponſo accepto ne redirent ad Herodem*. Qui ex Dei nutu ſe in curia Herodis in periculo dederunt, à Dei auxilio, ac gratia cuſtodiuntur. pag. 594.n.40.41.42. & 43

## Pro Quadrageſima.

### *Feria 4. Cinerum.*

### Matth. 6.

CVm *ieiunatis*. Supponit ieiunium, ac mortificationem, per quam, vt ſcalas aſcendimus in cælum. p.221.n.128

*Cum ieiunatis*. Supponit in nobis pœnitentiam, ad quam hoc ſancto ieiunio nos exhortat, vt per illam cæleſtia dona gratiæ, ac vitæ nobis conferat. p.427.428.n.95.96.97. & 98

*Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*. Statim Dominus hypocriſis vitium vetat, quod multa mala, ac peccata ingrediuntur. pag.388.n.150.151.& 152

*Nolite fieri ſicut hypocritæ*; Hypocriſis intercluditur, vt quædam vicinitas, & amicitia infidelitatis. p.422.n.58.& 59

*Tu autem cum ieiunas*. Supponit ieiunium, per quod guloſitas arceatur à nobis, per quam omnium malorum radix pululat in nobis. pagin.319 n.124.125.& 126

*Tu autem cum ieiunas*. Tanto opere commendatur ieiunium, vt excludatur gula, quo claudatur oſtium peccatis. p.543.544.& 546.n.11.12.23. & 37

*Ne videaris hominibus ieiunans*. Deus enim maximè capitur abſconditis virtutum operibus. p.250. n.80

*Ne videaris hominibus ieiunans*. Ne ambitu vanæ gloriæ mundanæ virtutum lucrum deperdas. p.26.n.169.170.& p.51 n.120

*Ne videaris hominibus ieiunans*. Cum ieiunium commendatur ſtatim vanam gloriolam fugere mandatur: nam cum virtus plantatur ſtatim apud eam vitium inuenitur. p.451. n.60

*Vnge caput tuum, laua faciem tuam*. Quæ quandam ſpeciem mundani cultus habent, tamen generoſa virtus in pietatis materiam vertit. pagin.254. n.105

*Ne videaris hominibus ieiunans*. Per hæc monetur iuſtus, vt cautè viuat, ne de ſe ſit ſecurus. p.86. n.125

*Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo*. Iuſtus ſolum Deum quærit, ſolique ei placere intendit. p.255.n.111.112.113. & p.274.n.245

*Theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Exhibita eleemoſyna in manibus pauperibus. pag.359. 360.n.90.91.& p.578.n.128.129.& 130

*Memento homo, quia puluis es*. Vide verbum. Mors. vbi multa de illius conſideratione.

### *Feria V.*

### Matth. 8.

De Centurione. Vide cap. 11.

### *Feria VI.*

### Matth. 5.

EGo *enim dico vobis diligite inimicos veſtros*. Vnitatem inter fratres Chriſtus maximè commendat, vtpote ei maximè grata. p.287. 288.n.94.95.& 96

Diligite



*Diligite inimicos veſtros*. Durum videtur, ſed amor omnia facit leuia, & ſuauia. p.344.345. n.114.117

*Ego autem dico vobis*. Exprimit illud pronomen, ego, tanquam ſeipſum dans in exemplum, vt eum imitemur. p.107. n.11 Vide verbum, *Exemplum*.

*Ego autem dico vobis*. In ſeruis Dei eſt amor in fratrem, & proximum, in ſeruis verò Diaboli nullus eſt amor. p.122.123.n.112.& 113

*Benefacite ijs, qui oderunt vos*. Non recordandum de actibus odij, ac iniuriis illatis. p.111. n.47. & p.218. n 103

*Benefacite ijs, qui oderunt vos*. Verus amor operibus comprobatur, ac demonſtratur. p.159.n.23. & p.270.n.219. & 220

*Vt ſitis filij Patris veſtri*. Chriſtus patientiæ documenta dat nobis. p.85. n.122. Eiuſque diuinitatis index patientia. pag.398. n.69. & 70. & p.425. n.78

*Vt ſitis filij Patris veſtri*. Cuius poteſtas potius patientia, quam imperio declaratur. p.312.n.79. 80. & 81

*Vt ſitis filij Patris veſtri*. Vt operibus ac factis nos declaremur filij parentis cœleſtis. p.566.n.53.& p.568.n.69.70. Vide verbum, *Filius*.

*Vt ſitis filij Patris veſtri*. Vt tanto propoſito præmio moueatur homo ad obtinendam tantam filiationem. p.105. n.5 & p.155.n.60.61.& 62

*Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*. Pro virtutum operibus occultandis. Vide, *Feria IV*.

### *SABBATO.*

### Marc. 6.

*Ambulans Ieſus ſuper mare*. Vide cap.34.

### *Dominica I.*

### Matth. 4.

DVctus *eſt Ieſus*. Scilicet recens baptizatus. Virtus cum plantatur, multas impugnationes patitur. p.452. n.61.& 62

*Ductus eſt Ieſus, vt tentaretur*. Vt ipſa tentatione, ac impugnatione dæmonis ipſa virtus plus reſplendeat, & niteat. p.23.n.145 & 146

*Ductus eſt Ieſus in deſertum*. Docens quantum præſidium habeatur ab Eremo ad reſiſtendum diabolo. p.496.497.n.25.26.& 27

*Ductus eſt Ieſus ab ſpiritu*. D. Marcus habet. *Spiritus expulit eum*, & cum diabolus aduertit Chriſtum eiectum, ac expulſum, ac humiliatum, opportunam ſe ſortitum occaſionem putat ad eum impugnandum, in deiectos enim, ac expulſos facilè omnes inſurgunt. pag.448. n.44. & 45

*Cum ieiunaſſet quadraginta diebus*. Cur non plures dies ieiunat; quam Moyſes, & Elias, cum ipſe vtpote verus filius Dei multò illi ſanctior, & potentior, ſingularitatem fugit, vtpotè in re virtutis valdè ſuſpecta. p.28. 29.n.128. & 129. & p.326. n.24

*Et accedens tentator*. Cum Dominum Ieſum vidit Diabolus fame laborantem, inde audax fit ad eum tentandum; multa enim mala parit fames. p.567.n.58.& 59

*Poſtea eſuriijt*. Ieiunant Moyſes, & Elias quadraginta diebus, & non dicitur de eis, quod eſurierint, vt de Domino Ieſu, ipſe ſibi reſeruat famem, & dura, vt nos habeamus blanda, & gaudia. p.445. n.22.23. & 24

*Et accedens tentator*. Magna Diaboli infirmitas dolo tentat. p.388.n.149

*Dic vt lapides panes fiant*; cur non addidit, & manduca, bona erant temporalia, quæ cum fiunt, ſtatim cadunt, vt ex illis non habeat homo, quibus repleatur. pag.186. n.10. 11. & 12. & p.198. n 86

*Non in ſolo pane viuit homo*. Potius de doctrina, quàm de cibo agendum. p.289.n.103

*Mitte te deorſum*. Cur Diabolus Chriſtum non impellit. Diabolus ſæpè vult facere per hominem, quod ipſe per ſe ipſum non audet facere. p.470. n.69 & p.115. num.40. 41 42.& 43. & p 540. n.128

*Iterum aſſumpſit eum Diabolus, & oſtendit omnia regna mundi*. Primò, & ſecundo victus diabolus, quomodo audet iterum accedere. Superbus Diabolus. valdè difficile ſuperbum à ſua præſumptione remouere p.423.n.63.& 64

*Vade Satanas*, qui tentans venerat, redargutus abiit, ac redit. p.356.n.68

### *Feria IV.*

### Matth. 12.

*Magiſter volumus à te ſignum videre*. Vide c.24.

### *Feria VI.*

### Ioannes 5.

*Erat dies feſtus Iudæorum; aſcendit Ieſus Ieruſalem*. Vide cap.1.

### *Dominica II.*

### Matth. 17.

ASſumpſit *Ieſus Petrum, Iacobum, & Ioannem*. Ex Apoſtolis hos tres elegit, & aſſumpſit, ac operibus illuſtriores; bonus enim præſul pro qualitate meritorum diſtribuit, & præmiat. p.78.79. n.69.70

*Duxit illos in montem*. Dauid Pſalm.10. dicebat. *Quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montes*. Dauid tranſmigrationem in montes cogitabat; at Chriſti Apoſtoli non in montes, ſed in vnum montem aſcendunt. In nullo enim minus homo laborat, quam in Chriſti rebus. p.308.309.n.56.57.& 58. & p.487. n.43

*Duxit illos in montem excelſum*. Vt poſt laborem itineris iucundior, ac felicior ei eſſet gloria, ac requies montis. p.494.495.n.15.16. & 17

*In montem excelſum ſeorſum*. Non in frequentia ciuitatis, ſed in ſeceſſu à negotiis, & hominum tumultu, gloria comparatur. p.129. n.27. 28. & 29. p.496. n.25.26. & 27

*Et transfiguratus eſt ante eos*. Id, quod Chriſtus aſſumit ſibi decoris, ſuis communicat, & impartitur. p.329.n.11. & p.38. num.47. & pag.336. num.61

*Apparuerunt cum eo Moyſes, & Elias*; ſcribit D. Lucas. Loquentes de exceſſu. Suo exemplo docet Chriſtus, quod optimi Conſiliarij ſunt

 quærendi,

quærendi, qui dicant verũ. p.568. n.67.68. & qui pro bono communi dicant. p.568. & 569. n.73

*Loquebantur de exceſſu.* Non difficultates apponebant, ſed de remedio generis humani agebant. p.572. n.92.93. & 94

*Domine ſi vis faciamus hic tria tabernacula.* In opere laborandi Petrus vult ingredi, *faciamus*, requiem vero tabernaculorum aliis adſcribit; tibi vnum, Moyſi vnum, *&c.* Sibi laborem, aliis requiem parat Petrus. pag.276. n.15.16.17. & 18

*Tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.* De his non vero de ſe, nec aliis Apoſtolis agit; ſciebat enim, quod bona diuina vnis collata, ad alios non minuuntur, ſed etiam ſe extendunt. p.336. n.62.63.64. & p.490.491. n.63.64.65. & 66

*Nubes lucida obumbrauit eos.* Non venit nubes auferens Ieſum, & vt ipſum abſcondens, ſed vt de illo ſic maior daretur flamma deſiderij, maiorque cognitio haberetur. p.495.496. n.20. 21.22. & p.591. n.23

*Ceciderunt in facies ſuas.* Audita Dei voce timent, non vero ita quando miracula vident, efficacior ſanè Dei vox, quam miracula. p.491. 492. n.71.72. & 73

*Neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.* Iuſtus ſolum Ieſum quærit, ſolumque in ipſum intentus eſt. p.255. n.111. 112.113. & p.274. n.245

*Nemini dixeritis.* Silentium indicit, ne cæteri Apoſtoli ægrè ferant fauores tribus collatos. p.7. n.33. 34. 35

## *Feria IV. à Dominica II.*

## Matth. 20.

E*Cce aſcendimus Ieroſolymam.* Non ait, aſcenditis, ſed aſcendimus, multum valet, ac conducit principis exemplum in labore. pag. 174. n.114. & p.392.393. n.33.34

*Ecce aſcendimus.* Chriſtus ad Ieruſalem, ad ciuitatem nempe cæleſtem aſcendit, aſcendamus, & nos, non enim debent membra ſperare ſe feliciora eſſe capite ſuo. p.132. n.48

*Filius hominis tradetur.* Hæc præponit Chriſtus, vt memoria illius paſſionis in nobis perſeueret, & duret. p.430. n.108.109.110.111

*Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum.* Hanc primam ærumnam in ſua paſſione commemorat Dominus, tradi principibus ſacerdotum, qui viri pij exiſtimabantur: nam exiſtimata pietas maximè crudelitatem exaggerat. p.114. n.66. & p.367. n.75

*Tradetur, flagellabitur, crucifigetur.* Labores, ac perſecutiones catenatim veniunt. p.354. n. 52. & p.44. n.12

*Tunc acceſſit.* Cum de morte, ac paſſione ſua loquitur Chriſtus, tunc mulier accedit quærens ſibi honores, & dignitates; valde enim ambitio cæca eſt, & inebriat mentem. p.86. n.127

*Adorans, & petens.* Quandam obſequij ſpeciem in adorationem exhibet, velut præſagium, quod filiorum dignitatem, quam quærebat, veluti quædam ſeruitus erat. pag.508.509. n.105.106. 107. & p.89. n.18.19. & 20

*Adorans, & petens cum filiis ſuis.* Ob quam benè dicitur eis, neſcitis, quid petatis. Nam qui ſe ad dignitates iudicat dignum, indignus eſt. p.525. n.49

*Dic vt ſedeant hi duo filij mei.* Vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram, non velit vnus omnia ſibi præoccupare loca, & honores. p.23. n.144. & p.478. n.88. & p.420. n.44

*Vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram.* Et ipſi poſtulantes non determinant, quiſnam ſit ad dexteram, quiſnam ad ſiniſtram, valde durum conſanguineo, vt ei conſanguineus præferatur. p.377. n.77. 78. 79. & pag. 433. num.5.6.7. & p.524. 525. n.39.40. & 41

*Neſcitis, quid petatis.* Cum petant iure conſanguinitatis & non meritorum enixi. pag.87. n.2. p.523. n.32. & 33

*Neſcitis, quid petatis.* Nam eorum petitio ad id tendebat, vt alij multo mœrore affligerentur, magnus dolor excitatur, cum omnia beneficia in vnum, vel alterum conferuntur. pag. 7. n.33.34. & 35

*Poteſtis bibere calicem.* Calicem paſſionis, ac laborum proponit, non vero gloriam reſurrectionis. Chriſtus in ſuis dignitatibus, quas confert, exprimit aſperum, ſuaue tacet, homines vero è contra. p.77. n.58. & 59

*Non eſt meum dare vobis.* Sedum diſtributio in iudice merita reſpiciunt pro qualitate meritorum omnibus largienda. p.90. n.23.24. & 25

## *Feria VI. à Dominica II.*

## Matth. 21.

H*Omo erat Paterfamilias.* Deus appellatur Pater, vt ſolers eius prouidentia explicetur erga homines, quibus benigniſſime cuncta prouidet. p.138. n.81.82. & p.152. n.46. & 48

*Sepem circundedit ei.* Deus ſuis multas parat tutelas, ac defenſiones. p.131. n.41. & 42

*Sepem circũdedit ei.* Ab iniquorum conſortio ſuos iuſtos, ac electos vult Dominus ſegregatos, ac diuiſos. pag.194.195. n.65. 66. 67. & p.461 n.30.31. & 32

*Sepem circundedit ei.* Vt ex difficultate habendi, & ingrediendi fieret magis æſtimabilis, & pretioſa. p.494.495. n.15.16. & 17

*Sepem circundedit ei.* Vineam plantauit, ſepe circundedit, fodit torcular; Deus multiplex in beneficiis conferendis, vt nunquam ceſſare videatur. p.93. n.41. 42

*Fodit in ea torcular.* Illud verbum fodit, magnam dicit conſiderationem. Nam Deus ſua beneficia alta conſideratione confert, mundus vero caſu. p.187. n.16.17. & 18

*Fodit in ea torcular*, maximè diuina liberalitas erga vineam commendatur, cum tot dona illi ſint conceſſa, quæ aliis fuerant negata. pag.33. n.38. & p.347. n.11. & p.456. n.82

*Fodit torcular.* Ipſe plantauit vineam, circundedit, fodit; bonus princeps reipublicæ negotia per ſeipſum, & non per miniſtros agat. p.105. n.1. & p.579. n. 135

*Miſit ſeruos ſuos, vt acciperent.* Non miſit petere, ſed accipere, valde enim durum eſt viro graui, & nobili petere. p.119. n.19. 20. 21. & p.318. n.115

*Occiderunt eos*, tot mala committunt, ne pecunias ſoluant, valde durum homini pecunias à ſe auferre. p.563. n.30

*Hic eſt hæres; venite occidamus eum.* Occiderunt ſeruos, occidunt, & filium, homo ſua malitia pignoratus à malo non deſtitit. p.371. n.43.44. & p.416. n.18

Hic

Summa Concionum.

*Hic eſt hæres.* Subditi erant, & contra Dominum conglomerantur; Prælatus quot ſubditos habet, tot retinet inimicos. p.108. n.120.121.122

*Eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt.* Cur non in vinea interficiunt, ſed extra illam, vt ex publicitate grauius fieret crimen. p.247. n.57. 58.59. & p.507. n.100.101

## *Dominica III.*

## Luc. 11.

*Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Vide Cap.22.

## *Feria II.*

## Luc. 4.

*Quanta audiuimus facta in Capharnaum.* Vide Cap.31.

## *Feria IV.*

## Matth. 15.

Q*Vare diſcipuli tui tranſgrediuntur.* Viuendi modum calumniantur Phariſæi, & de propria eorum vita non agunt, & cogitant, cum ipſi tantis eſſent infecti. pag. 317. n.111.112. & 113

*Quare diſcipuli tui*; in propriis rebus cæcutiunt Phariſæi, cum in alienis ſint oculatiſſimi. pag.264. n.177. & p.340. n.87. & p.261. n.159. & 160

*Quare diſcipuli tui.* Non dicunt, quare tu, ſed cur diſcipuli tui non lauant manus. Calumnia facta in diſcipulum, in magiſtrum retorquetur. p.55. n.22. & p.75. n.43

*Quare diſcipuli tui.* Non commemorant illuſtria diſcipulorum facta, ſed quod non lauant mãnus. *Iniqui circa falſitatem loquaces in veritate, ac bonitate taciturni. p.62. n.12. & 13

*Quare diſcipuli tui.* Murmuratoris ingenium: non vident totum hominem, ſed partem, vt facilius detrahant. pag. 376. n.71. & p.521. n. 19. 20. & 21

*Quare diſcipuli tui.* Phariſæi peſſimi ſanctos Domini diſcipulos calumniantur. Sic ſæpè multi bonorum expertes murmurant, & peccant, & alij poſſident, & ſaluantur. p.261. n.157

*Quare diſcipuli tui*: de conſuetudine Phariſæi arguunt diſcipulos, & contra ſemetipſos parant argumentum, cum ipſi Dei legem non cuſtodiant, iniqui enim ſemper contra ſe agunt. p.240. n.9.10.11. & p.415. n.6.7. & 8

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei.* Ecce Phariſæi, qui veniunt arguentes, reprehenſi abeunt. p.287. n.93. & p.356. n.68

*Quare & vos tranſgredimini.* Solus Chriſtus multa ſolertia pro ſuis ſtat eos defendens, & protegens. p.131. n.41. 42. & p.446. num. 29. 30. & 31

*Populus hic labiis me honorat.* Parum prodeſt oris locutio, ſi non adſit fructus operis. pag. 302. n.16

*Cor autem eorum longè eſt à me.* Non factis externis, ſed ex intentione opus ponderandum. p.379. n.91. & 92

*Accedẽtes diſcipuli dixerunt.* Benè excepit Ieſus à diſcipulis hoc dictum; vt ſua ſumma charitas nos doceat quanta prudentia ſit ad formam addiſcentis ſe aliquando demittere. p.173. 174 n.108.109. & 110

## *Feria VI. à Dominica III.*

## Ioan. 4.

I*Eſus fatigatus ex itinere.* fatigatur Ieſus pro muliere lucranda; declarans ſe magis illi, quam proprio ſuo commodo conſulere. p. 127. n.16. & 17

*Ieſus fatigatus ex itinere.* Sedet, & aquam petit, vt ſic miro artificio cum muliere ingerat colloquium, & eam ad ſalutem deducat, valde ſanè ingenioſa eſt charitas in peccatoribus trahendis. p.171.172. n.97.98. & 100

*Ieſus fatigatus ex itinere.* Notanter Ioannes poſuit nomen Ieſus, denotans proprium eſſe Saluatoris, ac Superioris, ad quem ſubditorum ſalus pertinet, pro illis laborare. p.89. n.18.19. 20. & p.310. n.63. & 64

*Sedebat ſic.* Prout tempus, & locus poſtulabant, quibus maximè eſt accommodandum. p.3. n.9. & p.71.72. num.16. 17. 18.19. 20. & pag.110. n.38

*Venit mulier.* Pro muliere laſciuiæ dedita lucranda, fatigatur Ieſus, & multum laborat, valde difficile luxurioſum in vitam reuocare. p. 242. n.127. & p.545. n 24. & p.556. n.93

*Da mihi bibere.* Chriſtus petit à muliere aquam, vt illi merendi præbeat occaſionem. p.310.311. n.68.69. 70

*Diſcipuli abierant in ciuitatem, vt emerent cibos.* Cur de cibis agit, non vero de potu, cum ipſe ſiti laboraret; bonus præſul, non de ſua ſiti, ſed de cibis, qui omnibus erant neceſſarij, agit. p.205. n.31. & p.465. n.7.8. & 9

*Diſcipuli abierant in ciuitatẽ.* Ad quid omnes tendunt in ciuitatem ad comparandos cibos, cum vnus, vel duo ſufficerent, voluit Chriſtus ſuos in humilitate exercere p.316. n. 107. 108. 109. vel vt diſcerent per ſe, & non per alios negotia facere. Vide Verbum, Prælatus.

*Et dediſſet tibi aquam* viuam pro aqua puteali, minima enim noſtra obſequia Deus multis remunerat. p.155. n.60.61.62. & p.222. n.132. & p.276. n.233.234.235

*Aquam viuam.* Non ſtantem, vt explicat Theophylactus, qualis eſt aqua putealis, ſed fluentem; gratia, ac vera virtus, non quieſcit in vno loco, ſed ſemper in noua augmenta procedit. p.255. n.109.

*Neque in quo haurias.* Mulier conſilia præbens tota ad difficultates in tenta; bonus autem conſiliarius de remedio, & non de difficultatibus agit. p.572. n.92.93. & 94

*Vos adoratis, quod neſcitis.* Quis colere poteſt, quod ignorat; ignorat Deum, qui localem Deum exiſtimat, vt eſt genuinus ſenſus loci; optimus mundi gubernator æqualis eſt in omnes, nec in vno, vel altero coarctat ſua beneficia. p.490.491. n.63.64. 65. 66. & p.199. 200. n.94. & 99

*Venite, & videte.* Mulier peccatrix iam prædicatoris munus tenet, de nullius ſalute deſperandum. p.453. n.69

Domini

## *Dominica IV.*

### Ioan. 6.

*Abiit Ieſus trans mare Tyberiadis.* Vide Cap.33.

## *Feria IV. à Dominica IV.*

### Ioan. 9.

P*Ræteriens Ieſus.* Caſu videbitur factum, tamen alta Dei prouidentia eſt diſpoſitum, qua nobis ſua beneficia confert, Aliter vero mundus præbet. p.22.n.16.17.& 18

*Vidit hominem.* Vt magnus princeps, quos videt in miſeria, ſubleuat, & eis ſubuenit. p.96.n.64. 65.66. & p.20. n.124.125. & 126

*Quis peccauit.* Erronea opinio eſt iſta, ait Ammonius, quæ exiſtimat non niſi ob peccata afflictiones hominibus venire; nam ſæpè iuſtus labore affligitur, vel vt in officio contineatur, vel vt proficiat. p.554. n.80. & p.395. n.48.49. & 50

*Neque is peccauit, neque parentes eius.* Docet aliorum defectus obtegendos eſſe. p. 358. n.78. p.504. n.82

*Sed vt manifeſtentur opera Dei.* Docet nos non defectus, ſed eorum excuſationes conſiderare. p.242. n.26. 27. & 28

*Vt manifeſtentur opera Dei*, quæ ſunt pietas, & & miſericordia, & hæc ſæpè oſtenditur negans beneficia illis, quibus futura ſunt in eorum perniciem. pag. 332. n.31.32.33. & p.526. n.55

*Hæc cum dixiſſet.* Non petenti, vltro dat mundiale bonum Chriſtus; temporalium contemptus, valde efficax eſt impetrandi ratio. p. 103. n.34. & p.313. n.86

*Liniuit lutum ſuper oculos eius.* V thomo ſanitatem obtineat, & poſſideat, ſuum caducum lutum ferat ſemper ante oculos. p.180.n.151.152.153. & p.331.332. n.21.22. & 23

*Liniuit lutum*, ſplendidiſſimi oculi luto cæcantur, & Chriſtus luto dat viſum, ipſe enim veluti per contraria media remedium parat. p.167. n. 71. p.242. n.26

*Abiit, & lauit*; non cunctatur; ſed vt ſibi erat mandatum exequitur, indéque multas aſſequitur virtutes in docendo, ac Chriſtum firmiter confitendum. p.500. n.49.50. & 51

*Venit videns*; Cum miſſus eſt in natatoria non in ſe dixit, ſi eſt omnipotens, cur me non ſanat, ad quid me mittit, ſed prompta obedientia exequitur imperata, indéque multa promeretur. p.280.281. n.44.45.& 46

*Non eſt hic homo miſſus à Deo.* Sic odium excæcat mentem, vt in manifeſtis ſic cæcutiant. p.367. n.22

*Non eſt hic homo à Deo.* Tanta miraculorum euidentia à ſua malitia non deſiſtunt Iudæi; nunquam homo à ſua opinione, ac præſumptione vult diſcedere. p.203.204.n.20.21.22.& p.209. n.52.53. & p.524. n.36

## *Freia V. à Dominica IV.*

### Luc. 7.

*Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Vide Cap.12.

## *Feria VI. à Dominica IV.*

### Ioan. 11.

E*Rat quidam languens Lazarus*: bonus, & amicus Chriſti; & infirmitate premebatur. p.341. n.94. & p.554. n.80

*Languens Lazarus*: Non mulieris Samaritanæ venientis ad puteum; ſed Lazari infirmantis in amoris ſignum illius nomen ſcribitur. pag. 25. n.160.161. & p.81. n.81. & p.262. n.162

*Miſerunt ad eum.* Labores nós ducunt ad Chriſtum. p.92. n.38

*Ecce quem amas infirmatur.* Non poſtulant beneficium ſanitatis, ſed neceſſitatem declarant; nam qui cognitione tuæ miſeriæ non ſe mouet in tui auxilium, minimè verbis tuis mouebitur. p.283. n.62

*Ecce quem amas, infirmatur.* Non dicunt veni, impone manum tuam, & ſana; ſed tantum neceſſitatem exponunt, remedium vero diuinæ prouidentiæ committunt. p.156. n.3

*Ecce quem amas, infirmatur.* Non alteri ſcribunt niſi tantum ſoli Ieſu, qui & remedium exhibere valebat: cum illis neceſſitates tractandæ ſunt, qui & remedium præbere valent. p.202. n.14.& 15

*Eamus in Iudæam*, Martha, & Maria languoris fratris remedium quærebant, non tamen aduentum Domini, & cum multo periculo ſupplicabant, nec reſurrectionem fratris quatriduani præſumebant, & tamen Chriſtus omnia hæc præbet, & largitur, ſemper vltra noſtrum poſtulatum multa concedit. p.17.n.107. & p.165. n.61. & p.564. n.35

*Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare.* Bonus prælatus nullum periculum, ac laborem pro ſuis recuſat. p.89. n.18. 19. 20. & p.310. n.63. 64. & p.364.365. n.7.8.9

*Eamus, & moriamur*, Generoſitas Thomæ, quæ Chriſtum comitari parata erat tam in proſperis, quam in aduerſis, ſcilicet tam quando miracula operabatur, ac quando mortis periculum imminebat. p.463.n.119.120.121

*Scio quæcumque popoſceris à Deo.* Non dixit, perte, & ſuſcita fratrem; ſed ſcio quod ſi vis, potes, & ſe tota diuinæ ordinationi ſubmittit: Dei enim voluntati conformandum. p.328.329.n.7. & p.334. n.47.48. & p.576. n.116

*Illa, vt audiuit, ſurgit.* Non aliquod vrbanitatis verbum habuit cum principibus, quibus loquebatur, ſed illico ſurgit. Pro Chriſto omnia relinquenda. p.253. n.196

*Ieſus ergo vt vidit eam plorantem.* Suorum lachrymis maximè mouetur Chriſtus ad quatriduanum fratrem ſuſcitandum. p.246. n.52.53.54.& p.248. n.64.65.66

*Lachrymatus eſt Ieſus.* Pro Lazaro lachrymatur, & in cruce pro genere humano. Ita enim Chriſtus diligit vnum, ac omnes. p.502. 503. n.66. & 73

*Lazare veni foras.* Non è monumento ad vitam vocat; ſed prius ait; vbi poſuiſtis eum, tollite lapidem; graduatim homo ſurget in virtutem. p.377.378. n 81.83.84

Domini

Summa Concionum.

## Dominica Paſſionis.

### Ioann.8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato.* Innocentia valde ſecura vt nulla aduerſariorum iacula pertimeat p.218.n.103

*Quis ex vobis arguet me de peccato*; Non vos timeo, bona enim conſcientia dat quietem. p.435. n.120.& p.395.n.48.49.& 50

*Quis ex ex vobis arguet me de peccato.* Inimicorum calumnia amputanda, & eradicanda. p.42. n.71.& p.64.n.21

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Inimicorum maleuolentiam non timet, nam eorum contradictione fiunt opera virtutis illuſtriora. p.9. n.45. & 46

*Si veritatem dico vobis.* Forte ideo non creditur, quia veritatem; nam apud mundiales veritas eſt in odio, rerum vero apparentia ac mendacitas in pretio. p.555.556.n.90.91.& 92

*Si veritatem*; vt Dominus, ac omnium hominum amator veritatem dicit; nam verus amicus pro veritate loquitur, licet appetitui aduerſetur p.287.n.89.90.& 91

*Si veritatem dico vobis.* diſtrictè loquitur, veritas enim non quærit verborum fucum p.315.n.99. & 100

*Si veritatem dico vobis.* Chriſtus mundialium contemptor excellentiſſimus magiſter ad veritatem prædicandam. p.390.n.11.12.& 13

*Si veritatem dico vobis.* Pro veritate cum magna voce ac libertate ſtandum eſt. p.393.n.37.38. & 39

*Nonne bene dicimus nos.* Tot blaſphemias eructant, cum Chriſti laudem audiunt; in multo diſcrimine verſaris, cum inimici tuas audiunt laudes. p.394.n.43.44

*Ego dæmonium non habeo*; Non tacet Chriſtus, ſed loquitur auditis blaſphemiis, ne talis vox, dæmonium habes, de eo audiatur, ac publicetur; nam vna vox publica rem notoriam, & etiam euidentem ponit in dubium, & quæſtionem. p.260.n.147.148.& 149

*Ego dæmonium non habeo.* Poterat Dominus ipſos blaſphemos ſupplicio ſubuertere, ſed dum mitè ac manſuetè reſpondet, ſe Dei filium declarat. p.398.n.69.70.& p.419.n.38

*Nunc cognouimus, quia dæmonium habes*; Quam tenaciter homo adhæret ſuæ opinioni, vt nunquam ab ea dimoueri velit. p.209.n.52. & 53. p.524.n.36

## *Feria. IV. à Dominica Paſſionis*

### Ioan.10.

F*Acta ſunt encænia Ieroſolymis.* Encænia, id eſt renouatio; virtus non veteraſcat, ſed ſemper nouis actibus renouetur. p.31.n.5 p.115.n.109

*Hyems erat*, Euangeliſta teſte D. Gregorio Mag. lib. 2. morali cap. 2 curauit exprimere tempus vt frigus malitiæ in cordibus Iudæorum innueret; tot ſignis enim viſis non emolleſcit obduratio Iudæorum. p.450.n. 51.52.& 53

*Ambulat in porticu*, veluti homines gyrans, & quærens. p.87.n.6.& p.446.n.26

*Ambulabat Ieſus in templo*; Veluti ante oculos habens obſequium illius extructionis. nam Chriſtus obliuiſcitur de iniuriis, recordatur de obſequiis noſtris. p.426.n.80.81.& 82

*Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Hæc dicunt, non quia velint de ſua ſalute agere, ſed vt eum calumniandi habeant occaſionem. p.18.n.111. 112.& 113

*Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Iſta ſimulata hypocriſis, quid intendebat niſi extremam malitiam, vt filium Dei nempe caperent, & interficerent; ſemper fictio extrema mala parat. p.388.n.150.151.& 152

*Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Hac blandienti interrogatione, crudeliter quærunt, & multa mala parant; nullus crudelior inimicus, quam occultus. p.115.n.71. 72.& 73

*Reſpondit Ieſus, loquor vobis.* benè eorum cauillationem agnoſcebat Ieſus, & tamen eorum defectus non diuulgat ſed tacet; hos enim bonus ſuperior diſſimulare ſcit. p.94. n. 50. & p.357. n.71.& p.505.n.82

*Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.* Notanter dixit in nomine Patris mei, vt omnia ſua in gloriam Patris referat. p.456.n.85. & p.472. n.56.57.& 58

*Teſtimonium perhibent.* Non verba, ſed opera pro ſe allegat; opera enim ſunt, quæ verum dant teſtimonium. p.44.n.80.& p.214.n.78.79.80. p.234.n.13. p.357.n.77

*Teſtimonium perhibent*; Non profert verba, ſed teſtimonium ab operibus quærit; nam frequenter in re ſua lingua periclitatur. p.44. n.83.84.85

*Oues meæ vocem meam audiunt.* Prædeſtinationis ſignum promptu Dei vocem obediendo audire. p.280.281.n. 44.45.46.47

## *Feria V. à Dominica Paßionis.*

### Luc. 7.

E*Cce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Vide cap.15

## *Feria VI. à Dominica Paſſionis.*

### Ioan. 11.

C*Ollegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium.* Conſultant quid faciant, & ipſamet conſultatio, ac inquiſitio rei quædam damnatio eſt p.37.n.43

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium.* In concilium congregantur, non vt iuxta veritatem, ſed vt ſecundum ſuum affectum rem diſponant. p.43.n.73.74.75.& p. 143.n.111. & 112

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium*, ex talibus congregatum, quis poterat ignorare, quod aduerſum Chriſtum Dominum fiebat; nam ex Conſiliariis, qui vocantur, facile deprehenditur rei determinatio. p.562.n.76

*Collegerunt Pontifices.* Ex talibus adulatorbus, quodnam Conciliū fieret, ex talibus debet fieri, non qui loquuntur ad voluntatem, ſed de illis, qui verum dicant. p.567.568.n.67.& 68.

*Collegerunt Pontifices, ac Phariſæi.* Licet aliàs eſſent diſcordes, tamen contra ſanctum, ac iuſtum maximè vniuntur. p.452.n.65.66

Hic

*Hic homo multa ſigna.* Si in eo tanta eſt poteſtas, quid timetis Romanos, ipſis venientibus vos ab illis liberabit; inuidia obcæcati non diſcurrere valent. p.182. n.166. & p. 232. n. 190. & p.376. n.72

*Hic homo multa ſigna facit.* O quam frequenter eximia poteſtas in ſe aduerſariorum odium excitat. p.123. n.119

*Hic homo multa ſigna facit.* Vident Chriſtum ſignorum magnitudine eis eſſe prælatum, & inde odio in eum commouentur. pag. 123. 124. n.120.121.122

*Hic homo*; Non eius nomen dicunt; inimici proprium, vt inter tua magnalia tuum nomen velit occulere. p.257, n.130. & p.363. n.109

*Venient Romani.* Cum terrena meditantur, tanta anxietate perturbantur; ſecus ſi de ſpiritualibus cogitarent. p.283. n.67.68

*Venient Romani.* Dei timorem, timore temporalium expellunt. p.137. n.75. & 76

*Venient Romani.* Cur tantum de ſupplicio cogitant, non vero de affluentia ſpiritualium donorum? apud mundiales plus valet timor ſupplicij, quam boni amor. p. 142. n. 105. & p.512. n.128

*Vos neſcitis quidquam.* Summus princeps erat, & conſiliarios ſuos habet ignauos, & ac inſcios, in quo ſemetipſum accuſat, ac contra ſe agit. p.240. n.9.10.11. & p.415. n.6.7.8.

## Dominica in Palmis.

### Matth. 21.

*INuenietis aſinam.* Ad hunc ingreſſum talem aſelum eligit Dominus. Nam Chriſtus ſuos miniſtros ſimplices eſſe vult. p.112. n.56

*Soluite, adducite mihi.* Eos qui per pœnitentiam à peccatis ſoluuntur, eligit Chriſtus ad ſui triumphi gloriam, & oblectamentum. pag.267. 268. n.200 201.202. & p.360. n.96.97

*Dicite, quia Dominus his opus habet*; Nam cum hominis ſalus illius miniſterio indiget, ait Chriſtus, quod ipſe opus habeat; nam nobis data ſibi conceſſa reputat. p.35. n.29. & p.447. n.36

*Quia Dominus his opus habet.* Se Dominum dicit, & tamen non mandat violenter trahere, ſed cum beneplacito ſui proprij Domini; nam ſupremi principes non debent violenter bona extrahere à ſubditis. p.318. n.117

*Ecce Rex tuus venit*; Chriſtus ad te venit, quia tu non vis ire ad ipſum. p.6. n.29. & p.87. n.6. p.446. n.26

*Venit tibi.* O magnus princeps, & Rex Chriſtus, qui venit non ſibi, ſed tibi, ac aliis, vt eis ſalutem præbeat. p.128.129. n.26.27. & p.194. n.62

*Venit tibi manſuetus.* Hoc eſt, benignus, & clemens; benignitas enim maximè noſtrum amorem ſolicitat. p.107. 108. num. 16.17.18.19. & p.359. n.86.87. 89

*Impoſuerunt ſuper eum veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt,* Quamuis enim quis ſit valde humilis, tamen ſi veſtibus Apoſtolorum, virtutibus nempe ſit inſignitus, maximè nobilitatur, ac ſublimatur. p.432. 433. n.127. 128

*Deſuper ſedere fecerunt.* Vt ponderat Chryſoſt. in imperfecto; non equo vritur, ſed aſino, non ſolum propter myſterium, ſed etiam vt inſtruamur ſuperflua reiicere, & ſolum neceſſariis eſſe contentos. p.583. n.159.160.161

*Hoſanna Filio Dauid.* Veſtimenta ſua proiiciunt in via pedibus Apoſtolorum conculcanda, tantis vocibus reſonant; & tamen à Domino nullum gratulationis verbum excipiunt; nam huiuſmodi voces ſtatim factis erant contradicendæ. p.373. n.58. 59

## *Feria III. Pro lachrymis D. Petri.*

### Matth. 26.

*COntinuo Gallus cantauit, & recordatus eſt Petrus.* Gallus cantat, recordatur Petrus verbi Ieſu, occaſio ſalutis oblata non omittenda, ſed arripienda, ac ſequenda eſt à nobis. p.11. n.62.63.64

*Egreſſus foras.* Ne iterum ab ancilla interrogetur; ſollicitus de ſua ſalute ab occaſione peccati exeat. p.92. n.39. & p.245. n.45. & p.560. n.16

*Fleuit amarè.* Vt lachrymis purgarentur ſenſus, qui peccato ſeruierant. p 240. n.14

*Fleuit amarè.* Vt Chriſto reconciliaretur, ad eúmque toto ſuo affectu veniret. p.246. n.52.53.54. & p.5. n.22

*Fleuit amarè.* Nil aliud facit Petrus pro ſe Chriſto reconciliando, quam lachrymas fundere; ſciebat enim, quod nil pretioſius illis Deo offerre valeret. p.248. n.64.65.66

*Fleuit amarè.* Non loquitur, ſed tantum lachrymas fundit, ſciebat enim, quod melius negotiabatur cum Deo lachrymis, quam verbis. p.170. n.88.89.90

*Fleuit amarè.* Vt per ipſas lachrymas vehementiſſimè ad ſe traheret Dei affectum. p.285. n.77

*Egreſſus foras, fleuit.* Non dilatauit pœnitentiam, ſed illico, ac ſine mora eam eſt amplexatus. p.186. n.14

*Fleuit amarè.* Vt à peccatis mundatus fulgentiſſima ſtella fieret. p.360. n.96. 97

*Fleuit amarè.* Vt per lachrymas turpitudo peccati deſtrueretur, ac expurgaretur. pag.360. 361. n.97.98

*Fleuit amarè.* Vt per pœnitentiam multis cæleſtibus donis ſublimaretur. p.427. 428. n.95.96. 97.98

## *Feria IV. Pro bono Latrone.*

### Luc. 23.

*MEmento mei Domine.* Confidenter petit; ſciebat enim, quod erat valde alienum à regia Chriſti maieſtate videre tantam miſeriam abſque eo, quod illi ſubueniret. pag.20. n. 125. 126. & p.96. n.64.65.66

*Memento mei.* Multa fiducia petit. Intuebatur Chriſti clementiam valde promptam in noſtram ſalutem, & alienam eſſe à Regum conditione, qui in remedium miſerabilium multas pariunt difficultates. p.90.91. n.29. 30

*Memento mei.* Chriſto exponit ſuam petitionem, qui & remedium exhibere valebat, illi res dicenda, qui & remedium præſtare valet. p. 202. n.14.15

*Domine memento mei.* Vnde fiduciam concepit latro, vt tantum à Chriſto peteret, iuſtitia ipſa qua iam conuerſus erat in Chriſtum, eiúſque puritatem confeſſus, hæc dedit fiduciam, ac ſpem, ſolus enim benè meritus ſpem habet. p.6 & 7. n.30.31.32

*Domine memento mei.* Coram Iudæis cum tanta audacia Chriſtum confitetur, nil humanum timebat, cum totus in Chriſtum eſſet conuerſus. p.245. n.47

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Chriſtus crucifixus valde promptus latroni crucifixo ſubuenit, qui neceſſitatem patitur, facile miſeretur illam ſuſtinenti. p.566. 567. n.54.55.56

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Ille tantum à Chriſto ſui quandam recordationem petebat, & tamen ſibi donatum hodie paradiſum audit, Chriſtus plus donat, quam ab eo petimus. p. 165. n.61. & p.17. n.107. & p.564. n.35

*Hodie mecum.* Tam feſtina conceſſio multam beneficij magnitudinem adauget. p. 19. n.122. & p.193. n.57

*Hodie mecum eris.* Cito aſſignat regnum collatum, & non in longum differt promiſſiones; quodlibet enim donum de præſenti multo gratius, quam ingentes promiſſiones de futuro. p. 216. n.95.96.97

*Hodie mecum eris* Sui memoriam petebat, & tam cito regnum impetrat, vbi orationis vis interuenit, nulla poteſt eſſe dilatio. p.446. n.30.31. & p.592. n.26. & 27

## *Feria V. In Cœna Domini.*

### Ioan. 13.

*ANte diem feſtum.* Cum de Paſſione Chriſti agitur feſtum commemoratur; nam dies paſſionis, dies feſtus Chriſti. p.562. n 21

*Sciens Ieſus.* Cum tanta vi amoris arderet, ac tanta potentia polleret, omnia ei dedit Pater in manus; tamen cuncta prudentia, ac ratione diſponebat, ac ordinabat. p.365. n.12.13.14. & p.440. n.44. & p.546. n.32.33

*Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Mortis horam meditabatur, tanquam ei valde gratam, ac in multa æſtimatione habitam. p.503. n.69. 70 71

*Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Ipſam horam recogitabat, tanquam iucundum ſui oblectamentum.

*Cum dilexiſſet ſuos.* tam ardenter dilexit, vt pro eorum ſalute vitam daret. p.424. n.69.70.72

*Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit.* Cum beneficiorum magnitudinem in eos conferre intendit. p.342. n.102

*Cum dilexiſſet ſuos.* In ſuis Apoſtolis omnes nos diligebat, omnibus ſiquidem remedia ad ſalutem prouidebat. p.302.3 3. n.17. 18.19

*In finem dilexit eos.* Ad coronidem, ac culmen ſui amoris peruenit, cum ſacram Euchariſtiam inſtituit. p 612. n.28

*Omnia dedit ei Pater in manus.* Tāti æſtimat Chriſtus hominum ſalutem, vt hominum ſalus dicantur ei omnia: potius enim eorum ſaluti attēdebat, quam ſuæ commoditati. p.127. n.16. & 17

*Cum diabolus iam miſiſſet in cor.* Vt diabolus per Iudam faceret, quod per ſe non audebat facere. p.115. n.68. & p.370 n.42

*Ponit veſtimenta ſua, cœpit lauare.* Ipſe mittit aquam in peluim, pedes lauat, & extergit. Verus amor totum dilecti negotium per ſeipſum vult facere, & adimplere. pag.253 n.100. & p.362. n.103. & p 253. n.100

*Cœpit lauare* Eximia Chriſti charitas ſe demittit, vt ſuos extollat, ac nobilitet. p.176. n.127

*Cœpit lauare.* Solus Chriſtus ſcit coniungere poteſtatem cum humilitate. p.181. n.61

*Non lauabis mihi pedes.* Quamuis valde reſoluto animo hæc diceret, tamen poſtea conceſſit, vt Dominus ei lauaret non tantum pedes, ſed etiam manus, & caput, maximè reſplendet charitas Petri; nam ob Chriſti amorem à ſua reſolutione diſceſſit. p.209. n.53

## *Dominica Reſurrectionis.*

### Marc. 16.

*VAlde mane.* Quæ tam ſedulè venerunt in multis virtutibus profecerunt, vt & Chriſtum videre meruerint. p.500. n.49 50.51

*Valde mane.* Quæ tam diligenter venerunt tanta felicitate donatæ ſunt, vt & primæ Chriſtum reſuſcitatum videre meruerint p.506. n.90.91 92

*Valde mane.* Vt poſt mœrorem mortis Chriſti eximia lætitia præfundantur, poſt tempeſtatem enim maius eſt gaudium. p.591. n.23. & 24

*Vt venientes.* Non Apoſtoli qui tanta dignitate erant à Domino ſublimati veniunt, ſed ſanctæ mulieres, in quibus maximè præualebat amor, plus enim poteſt amor, quam obligatio ex acceptis donis. p.495.496. n.19.20.21. 22

*Emerunt aromata vt venientes.* Ad mortuum vngendum veniunt, à quo nil ſperare valebant quo declaratur verus amoris affectus, ſine mercedis intuitu. p.588. n.191.192.193

*Veniunt, & non mittunt.* Verus amor totum dilecti negotium per ſe vult exhibere. pag. 253. n.100. & p 362. n.103

*Vt venientes.* Non timent incurſus nocturnos, nec fures, ac latrones, nec cuſtodes ciuitatis; cum enim Dei timore eſſent commonitæ, aliarū rerū timores excluſerunt. p.135.136. n.63.64. & 68

*Ieſum quæritis.* Vrbane quærunt Angeli quo enim perſona nobilior eo maiorem ſcit exhibere vrbanitatem. p.170. n 85.86.87

*Surrexit.* Merito ſanè, quæ Chriſtum Dominum in paſſione fuerunt concomitatæ, illius primas nuptias accipiunt; qui enim particeps eſt doloris, fit & gaudij. p.396. n.59.60

*Surrexit.* Reſurrectio Chriſti ob Virginem Mariam accelerata. p.427. n.92

# LOCA
## SACRÆ SCRIPTVRÆ,
### quæ hoc tertio Tomo explanantur.

## VETVS TESTAMENTVM.

### *Ex Geneſi.*


CAP.I. 3 DIXIT Deus: fiat lux: & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona. p.72.n.26
4 Vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris. p.468. num.31
11 Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. p. 171. n.95. & p.197. n.84
16 Fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti; & ſtellas cæli, vt lucerent ſuper terram. p.201.n.8. & p.220. n.119
26 Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. p.255.n100
28 Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini: dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, quæ mouentur ſuper terram. p.89. n.20. & pag.124. n.122. & p.445.n.18. & p.629. n.174
29 Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem. pag.317. n.110
31 Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. p.453. n.70. & p.580. n.44. & p.633.n.206
2.2 Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat; & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, qund patrarat. p.31. n.2. & p.300.n.13
8 Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem. p.310.n.64
10 Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. p.444. n.17
15 Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cu-ſtodiret illum. p.89. n.20
16 Ex omni ligno, quod eſt in paradiſo comedes. p.12. n.72
17 In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. p.67.n.43
21 Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam. Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem. p.93. n.42. & p.333.n.41
24 Erunt duo in carne vna. p.149.n.33
3.1. Serpens erat callidior cunctis animantibus. p.124. n.122
6 Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit; & aperti ſunt oculi amborum. p.347.n.8
9 Adam, vbi es? p.173.n.109. & p.241. n.22
10 Vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus eſſem. p.137.n74
12 Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi. p.182. n.166. & p.273. num.238. & p.283.n.65
15 Ipſa conteret caput tuum. p.548.n.44
17 Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. p.272.n.236. & p.354.n.51
19 Puluis es, & in puluerem reuerteris. p.69. n.53
24 Collocauit Dominus ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. p.146.n.16. & p.338. n.77. & p.394. n.46
4.8. Conſurrexit aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. p.369.n.34
4 Obtulit Abel de primogenitis gregis ſui. p.645.n.278
7 Cur concidit facies tua, nonne ſi bene egeris recipies. p.659.n.357
10 Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. p.393.n.39
11 Maledictus eris ſuper terram. p.182.n.166. & p.526. n.52
6.2. Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. p.244.n.38
4 Gigantes erant ſuper terram in diebus illis p.420. n.46
19 Ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcam. p.87.n.9
8.1. Recordatus autem eſt Deus Noë, cunctorumque animantium. p.484.n.23
2 Clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cæli. p.478. n.91
20 Ædificauit Noë altare Deo. pag.198. n.90. p.665.n.395
18 Erant ergo filij Noë, qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Iaphet. p. 242.n.28
21 Dormiuit Noë nudatus in tabernaculo, & filius eius Cham nunciauit fratibus eius foras. p.466.n.13
24 Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat filius ſuus minor. p.242. num.28







11.6. Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis: Venire igitur. p.217.n.100. & p.371. n.44. & pag.420.n.47. & p.423. num.64.
31 Tulit Thare filium ſuum, & eduxit eum de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaam. p.189. n.29
12.1. Exi de terra tua, & de cognatione tua. p.28. n.184
6 Cúmque veniſſent in eam, pertranſiuit Abraham terram vſque ad locum Sychem. p.89. n.19
12 Dixit Saraï vxori ſuæ: Noui, quod pulchra ſis mulier; & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: vxor illius eſt, & interficient me. p.316. n.108
13.9. Ecce vniuerſa terra coram te eſt; recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. pag.170. num.87
12 Lot moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem. p.468.n 32
13 Homines Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Deo. p.461. n.108
14.18 At vero Melchiſedech, Sacerdos Dei altiſſimi benedixit ei. p.658 n.350
15.2. Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam abſque liberis. p.330. n.19
3 Mihi autem non dediſti ſemen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit. p.162.n,37
5 Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum. p.501. n.54
9 Sume tibi vaccam, turturem, & columbam. p.498. n.38
16.2. Ecce concluſit me Dominus ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. p.276. n.16. & p.168. n.75
7 Inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem. p.428.n.97
8 A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. p.173. n.109. & p.250. n.82
13 Tu Deus, qui vidiſti me. p.80.n.76
17.1. Apparuit ei Dominus, dixítque ad eum, ego Dominus Omnipotens; ambula coram me, & eſto perfectus. p.135. n.66
3 Cecidit Abraham pronus in terram. p.555. num.91
6 Ponam te in gentibus, & reges ex te egredientur. p.348.n.15
7 Statuam pactum meum inter me, & te; & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno. p.178. n.143
10 Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri. p.197. n.82
17 Cecidit Abraham in faciem ſuam. p. 80. num.77
18.1. Apparuit Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi. p.163. n.43. & p.635. n.218
2 Apparuerunt Abrahamo tres viri prope eum. p.311. n.70
3 Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros. p.251.n.84
6 Feſtinauit in tabernaculum ad Saram, dixítque ei, accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. p.489. num.55
7 Ipſe ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, dedítque puero. p.606. n.39
15 Negauit Sara dicens, non riſi, timore perterrita. p.467. n. 9
17 Dixítque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum. ....
20 Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam, & videbo. p.264. n.176
19.2. Obſecro, domini, declinate in domum pueri veſtri. p.251. n.84
8 Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. p.594. n.42
15 Cogebant Lot Angeli dicentes ſurge: Tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. p.195. n.67
17 Noli reſpicere poſt tergum. p.149.n.32
22 Feſtina, & ſaluare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. p.161. n.31
23 Sol egreſſus eſt ſuper terram, & pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem. p.186. n.9
26 Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. p.379. n.92
30 Aſcendit de Segor, & manſit in monte, dueque filię cum eo. p.455.n.80. & p.509. n.112
21.7. Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium. p.199. n.94
10 Eiice ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. p.329. n.12. & p.422. n.61
11 Durè accepit Abraham hoc pro filio ſuo. p.188. n.28
22.1. Tentauit Dominus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, & offer eum in holocauſtum. p. 29. n.186. & p.88. n 10
2 Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. p.181. n.162
9 Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus. pag.88. num.15
12 Non extendas manum ſuper puerum, nec facias illi quiddam. p.357. n.75. & p.453. num.71
12 Nunc cognoui, quod times Deũ. p.35 n.32
13 Leuauit oculos Abraham, vidítque poſt tergum arietem inter vepres cornibus hærentem; quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. p.330.n.16. & p.649.n.301
14 Vſque hodie dictum, in monte Dominus videbit. p.210.n.60 & p.646.n.287
18 Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. p.635. n.218
23.3. Cúmque ſurrexiſſet ab officio funeris. p.200. num.98
13 Quæſo, vt audias me: dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo. p.362. n.103
16 Appendit pecuniã, quã Ephron poſtulauerat, quadraginta ſiclos argenti. p.461.n.110

24.14 Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa reſponderit bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac. p.362. n.104.& p.440.n.45
35 Dominus benedixit Domino meo valde, & magnificatus eſt, & dedit ei boues, oues, argentum, & aurum ſeruos & ancillas, p.362.n.106.
56 Nolite me retinere, quia direxit Dominus viam meam. p.484.n.28
64 Qui introduxit eam in cubiculum matris ſuæ Saræ, & accepit eam vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret p.130.n.34
25.22.Colidebantur in vtero eius paruuli p.12. n.70
25 Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus; protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu. p.250.n.77
34 Abiit paruipendens, quod primogenita vendidiſſet. p.347.n.7
26.1. Orta fame ſuper terram abiit Iſaac ad Abimelech regem paleſtinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus & ait: ne deſcendas in Ægyptum. p.92.n.37
13 Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens. p.620.n.124
32 Venerunt ſerui Iſaac annunciantes ei de puteo quem foderant. p.472.n.54
27.1.Caligauerunt oculi eius. p.332.n.32
17 Dedit pulmentum, & panes, quos coxerat. p.650 n.302
21 Noſti, quod frater meus Eſau homo piloſus ſit, & ego lenis; ſi attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo, ne putet, me ſibi voluiſſe illudere. p.553.n.77
20 Quomodo tam citò inuenire potuiſti, fili mi? Qui reſpondit. Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi. p.276.n.18
27 Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. p.494.n.9.& p.639.n.244
30 Vix Iſaac ſermonem impleuerat, & egreſſus Iacob foras, venit Eſau. p.386.n.143
34 Auditis Eſau ſermonibus patris irrugiit clamore magno. p.347.n.7
35 Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem. p.623.n.142
38 Irrugiit clamore magno, cumque eiulatu magno fleret. p.368.n.30
39 Cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: in pinguedine terræ & in rore cæli deſuper erit benedictio tua. p.251.n.89
40 Fratri tuo ſeruies. p.79.n.74
43 Conſurgens fuge ad Labam fratrem meum in Hiran. p.127.n.14
45. Cur vtroque orbabor filio in vno die. p.355.n.59
28.2.Vade ad domum Bathuel. p.127.n.14
3 Deus autem omnipotens benedicat tibi. p.611.n.75
11 Cumque veniſſet ad quendam locum & vellet in eo requieſcere. p.689.n.9
12 Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi. p.165.n.59.& p.238. n.37
18 Erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper. p.191.n.47.& p.360.n.92
22 Lapis iſte vocabitur domus Dei. p.108.n.19
29.2.Vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum, nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. p.7.n.33.& p.10.n.57
9 Ecce veniebat Rachel; quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, oueſque Laban auunculi ſui, amouit lapidem quo puteus claudebatur, & adaquato grege oſculatus eſt eam. p.155.n.61
14 Poſtquam impleti ſunt dies menſis vnius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi. p.78.n.66
32 Vidit Dominus humilitatem meam. p.331 n.23
34 Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus p.310.n.62
31.1. De patris noſtri facultate ditatus eſt Iacob, & factus eſt inclytus. p.77.n.59
13 Apparuit Deus Iacob dicens, Ego ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. p.142.n.103
14 Reſponderunt Rachel, & Lia, nunquid habemus reſidui quicquam in facultatibus, & hæreditate patris noſtri? non ne quaſi alienas reputauit nos. p 377 n.81
28 Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi? non es paſſus, vt oſcularer filios meos, & filias. p.115 n. 72
20 Noluit itaque Iacob confiteri ſocero ſuo, quod fugeret. p.128 n.25
29 Et nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum; ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi. p.450.n.52
33 Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriuſque famulæ non inuenit, cumque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit p.455.n.79
37 Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis; & iudicent inter me, & te. p.381.n.101
32.2. Ipſi Iacob fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc. p.131.n.42.& p.364.n.7
25 Tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit. p.16.n.96.& p.289.n.106
26 Non dimittam te donec benedixeris mihi. p.350.n.29
33.4. Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum eius, & oſculans fleuit. p.108.n.24
7 Extremi Ioſeph, & Rachel adorauerunt. p.160.n.27
35.1. Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum. p.406.n.118
2 Conuocata omni domo ſua, ait: abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini ac mutate veſtimenta veſtra. p.247. n.58
19 Mortua eſt Rachel. p.647.n.291
37.2. Accuſauit apud patrem fratres ſuos crimine peſſimo. p.142.n.107
3. Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos. p.312.n.82.& p.506.n.89





4 Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum. p.191. n.46
9 Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me. p.377. n.78
10 Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram. ibid. n.77
19 Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum. p.25. n.161
25 Portantes aromata, & reſinam, & ſtactem in Ægyptum. p.606. n.40
28 Extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt Iſmaëlitis viginti argenteis. p.509.n.107
33 Fera peſſima deuorauit Ioſeph. p.115. n.69. & p.25. n.161
38.14.Depoſitis viduitatis veſtibus aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu ſedit in biuio, quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem. p.255. n.155
27 Atque obſtetrix ligauit coccinum. p. 621. n.128
29 Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter, dixitque mulier, quare diuiſa eſt propter me maceria. pag.396. n.58.& p.506. num.90
39.1. Ductus eſt in Ægyptum, emítque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus; inuenítque Ioſeph. p.9. n.52
5 Benedixítque Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph. p.319. n.121
11 Accidit, vt quadam die intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret. p.257. n.129
12 Relicto in manu eius pallio, fugit foras. p.499. n.42
14 En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis, ingreſſus eſt ad me, vt coïret mecum. p.437. n.26
20 Tradidit eum in carcerem. p.571. n.90
40.8. Nunquid non Dei eſt interpretatio; referte mihi, quid videritis. p.78 n.63
13 Poſt tres dies recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te. p.305. n.33
14 Memento mei, cum benè tibi fuerit, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere, quia furto ablatus ſum de terra Hebræorum. p.202. n.15. & p.212. n. 69. & p.512. n.132
16 Ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum. p. 656. n.342
21 Nullum ſaturitatis dedere veſtigium, ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant. p.186. n.52. & p.662. n.375
38 Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit. p.375. n.69
43 Fecítque eum aſcendere ſuper currum ſuum. p.304. n.29
42.2. Quare negligitis, audiui, quod venundetur triticum in Ægypto, deſcendite, & emite. p.605. n.36.
6 Cúmque adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur. p.160. n.27
10 Non eſt ita Domine, ſed ſerui tui venerunt, vt emerent cibos, omnes filij vnius viri ſumus. p.240. n.11
43.11.Sic, ſi neceſſe eſt, facite, quod vultis, & deferte viro munera. p.280. n.38
33 Sederunt cum eo. p.643. n 261
45.5. Nolite pauere, neque durum eſſe vobis videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos. p.467.n.20
24 Ne iraſcamini in via. p.598. n.68
46.3. Noli timere deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te. pag. 383. n.122
6 Ad peregrinandum in terra tua venimus; quo audito, rex ait: in optimo loco fac eos habitare. p.211. n.64
9 Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum. p.91. n.36
12 Alebat eos, & omnem domum patris ſui. p.582. n.151
29 Pone manum tuam ſub fœmore meo, & facies mihi miſericordiam, vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis. p.618. n.112
48.3. Deus Omnipotens, qui apparuit mihi in Luza, benedixit mihi. p.485. n.32
5 Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. pag. 186. num.13
14 Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim. p.405. n.110
22 Do tibi partem vnam, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo p.386. n.140. & p.405. n.111
49.3. Ruben primogenitus meus. pagin. 419. num.34
4 Ruben effuſus es, ſicut aqua, non creſcas. p.186. n.12
5 Simeon, & Leui vaſa iniquitatis. pag. 382. n.112
6 Simeon, & Leui vaſa bellantia iniquitatis, maledictus furor eorum. p.186.n.12
8 Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum. p. 394. n. 45. & p.638. n.238
9 Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti; requieſcens accubuiſti, vt Leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum. pag.84. num. 112. & p.111. n. 42. & p.474. n.64
10 Non auferetur ſceptrum de Iuda. pag. 43. num.75
11 Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem fili mi, aſinam ſuam. pag. 119. n.118
15 Suppoſuit humerum ſuum ad portandum. p.78. n.69
16 Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus. pag. 199. num.93. & p.305. num.33
17 Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. p. 110. n. 40
20 Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. p.586. n.180
22 Filius accreſcens Ioſeph, decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum. p. 544. num.20
26 Deſiderium collium æternorum. p.346.n.3.
50.24.Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. p.128.n.26.& p.499.n.44.& p.555. n.87.

## Ex libro Exodi.

Cap.1. PRæcepit Pharao omni populo ſuo dicens: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini, reſeruate. p.544.n.19

2.2. Concepit, & peperit filium, videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus, cumque eum celare non poſſet. pag.357. n.76

5 Ecce deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei; quæ cum vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam ex famulis ſuis, & allatam aperiens, cernénſque in ea paruulum vagitantem, ait: de infantibus Hebræorum eſt. p.96. n.66

14 Quis te conſtituit principem, aut iudicem ſuper nos. p.446. n.29

15 Pharao quærebat occidere Moyſen, qui fugit de conſpectu eius. p.59.n.51

3.1. Moyſes paſcebat oues Iethro, cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti. p.469. n.37

2 Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. p.309. n.59. & 60. & p.120.n.102.& p.532.n.85

5 Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. p.88. n.15. & p.116. n.114. & p.646.n.287

7 Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum, qui præſunt operibus, deſcendi, vt liberem eum. p.19.n.119

15 Hæc dices filiis Iſraël, Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, miſit me ad vos, hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem. p.162.n.38

18 Ingredieris tu, & ſeniores Iſraël ad regem Ægypti. p.504.n 75

21 Dabo gratiam populo huic coram Ægyptiis, & cum egrediemini, non exibitis vacui: ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua vaſa argentea. pag.199. n.97

22 Poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua vaſa argentea, & aurea, ac veſtes, ponetíſque eas ſuper filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum. p.231. n.187

4.4. Ait Deus: Proiice in terram: proiecit, & verſa eſt in colubrum itaut fugeret Moyſes: Dixit ei Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit, & tenuit, & verſa eſt in virgam. p.87. n.7

10 Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. p.365.n.11.& p.487. n.42

12 Ego ero in ore tuo, docebóque quid loquaris. p.121.n.106

24 Cum Moyſes eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. p.137. n.76.& p.353.n.45

25 Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit præputium filij ſui. p.390. n.15

30 Locutúſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſen, & fecit ſigna coram populo, & credidit populus quod viſitaſſet Dominus filios Iſraël. p.23.n.150. & p.93. n 46

31 Credidit populus; & audierunt, quod viſitaſſet Dominus filios Iſraël, & proni adorauerunt. p.162.n.42

5.6. Præcepit in die illa præfectis operum, & exactoribus populi dicens, nequaquam vltra dabitis paleas. p.366.n.20

7.1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. p.301. n.8. & p.336. n.59. & 60

1 Aaron frater tuus erit propheta tuus. p.119. num.94

9 Dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. p.374. num.66

11 Vocauitque Pharao ſapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes ſuas. p.556.n.92

12 Deuorauit Virga Aaron virgas eorum. p.652. n.317

22 Fecerunt ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis. p.545.n.26

8.9. Conſtitue mihi, quando deprecer pro te; & pro ſeruis tuis. p.446. n.30. & p.450. num.53

19 Digitus Dei eſt hic. p.376. n.74. & p.381. n.102

24 Venit muſca grauiſſima. p.483.n.21

9.15. Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribíſque de terra; idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. p.476.n.79

12.3. Vt tollat vnuſquiſque agnum per familias ſuas, & edent carnes nocte illa aſſas igni. p.79. n.70.& p.337. n.64.& p.606.n.41

5 Erit agnus abſque macula. pag.445. n.19

6 Immolabit hœdum multitudo filiorum Iſraël ad veſperam. p.3. num.13.& pag.630. n.184

8 Et edent nocte illa carnes aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. p.345. n.122.& p.657.n 349

11 Renes veſtros accingeris, & calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus, & comederis feſtinanter. p.29. n.187.& p.618. n.114. & p 486. n.40

13 Erit vobis ſanguis in ſignum: videbo ſanguinem, & tranſibo. 654. n.330

14 Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris. pag.563. n.29

16 Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis. p.3.n.14

23 Tranſibit Dominus percutiens Ægyptios, & non ſinet, percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere. p.386.n.139

26 Cum dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt religio iſta? dicetis eis: Victima tranſitus Domini. p.457.n.87

42 Nox iſta eſt obſeruabilis Domino, quando eduxit vos de terra Ægypti. pag.562. num.28

14.21. Cum



14.21. Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illum Dominus; & vertit in ſiccum, & diuiſa eſt aqua. p.592. n.31

24 Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis interfecit exercitum eorum. p.474. n.63

15.1. Cantemus Domino, equum, & aſcenſorem proiecit in mare. p.452. n.65

5 Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. p.88. n.13

9 Dixit inimicus, perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea. p.71. n.12. & p.386.n.138

9 Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. p.545.n.27

10 Quaſi plumbum in aquis vehementibus. p.324. n.16

16 Irruat ſuper eos formido, & pauor; fiant immobiles donec pertranſeat populus tuus Domine. p.303.n.19

20 Maria prophetiſſa ſoror Aaron ſumpſit tympanum in manu ſua. p.593. n.38

26 Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieríſque omnia præcepta illius, cunctum langorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te. p.7. n.34

16.3. Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium. p.577. n.123

4 Dixit Dominus ad Moyſem, ecce ego pluam vobis panes de cælo. p.72. n.243

8 Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. pag.47. n.43.& p.119. num.96

13 Aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. p.615. n.98

16 Colligat vnuſquiſque quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita. p.581. n.148

21. Colligebant autem mane ſinguli, quantum poterat ſufficere ad veſcendum. p. 500. num.51

17.10. Moyſes, & Aaron, & Hur aſcenderunt in verticem collis, cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël. p.70. n.5

11 Cúmque leuaret manus Moyſes, vincebat Iſraël; ſi autem paululum remiſiſſet, vincebat Amalec. p.64. n.29

18.12. Obtulit Iethro cognatus Moyſi holocauſta, & hoſtias Domino, venerunt Aaron, & omnes ſeniores Iſraël, vt comederent panem. p.624. n.150

15 Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. p.143. n.112

18 Stulto labore conſumeris & tu, & populus tuus iſte, qui tecum eſt, vltra vires tuas eſt negocium. p.305. n.36

19.1. Menſe tertio egreſſionis Iſraël de terra Ægypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinaï. p 365. n 8

5 Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. p.351. n.33

10 Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras lauent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. p.92. n.39

12 Cauete, ne aſcendatis in montem, ne tangatis fines illius, qui tetigerit montem, morte morietur. p.95. n.58

20.5. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. p.526. n.50

8 Memento, vt diem Sabbati ſanctifices. p.563. n.30

20 Non habebis Deos alienos. p.643. n.267

21 Moyſes acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus. p.87. n.2

25 Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus, ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur. p.27. n.176

21.15. Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem morte moriatur. p.342. n.98

20 Qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam ſuam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. pag. 104. num.38

22.29. Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. p.248. n.65

23.20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducet in locum, quem paraui. pag. 17. n.105

24.1. Adorabitis procul, ſolúſque Moyſes aſcendet, & illi non appropinquabunt. p.256. n.117

7 Omnia, quæ dixit tibi Deus, vt faciamus, faciemus, & audiemus te. p.449. num.49

18 Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. p.72. n.21

25.24. Facies menſam de lignis Setim, faciéſque illis labium per circuitum. pag. 614. num.89

30. Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. pag. 582. n.156

25. Facies, & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & ſphærulas, & lilia ex ipſo procedentia. p.281. num.47

28.33. Deorſum vero ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica faciex ex hyacinto, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. p.314. num.98

38 Vt placatus ſit eis Deus. p.25. n.166

31.2. Ecce vocaui ex nomine Beſeel, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia & ſcientia in omni opere. pag. 381. n.107

18. Deditque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas. p.645. n.279

32.2. Fac nobis Deos, qui nos præcedant. p.390. num.11

4 Formauit opere fuſorio, & fecit vitulum conflatilem. p.79. n.75

5 Ædificauitque altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens, cras ſolemnitas Domini eſt. p.51. n.122

10 Dimitte me, vt iraſcatur furor meus, & deleam eos. p.479. n.98

19 Iratus valde proiecit duas tabulas, & fregit eas ad radicem montis. p. 495. n. 17. & p.526. n.53

 20 Arri

20 Arripiens vitulum combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam. p.610. n.66

29 Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. pag.150. n.39. & p 512. n.131. & p.533. n.97

9 Deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis, quod columna ſtaret ad oſtium tabernaculi. p.301. n.10

11 Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum. p.90. n.24

12 Noui te ex nomine. p.81. n.81

23 Ego oſtendam tibi omne bonum, videbis poſteriora mea. p.230. n.182

34.4. Moyſes ergo excidit duas tabulas lapideas, quales antea fuerant. p.35. n.29.& p.33. num.17


## *Ex Leuitico.*


Cap.7. SAnguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo. p.181. n.177.178

21.10. Caput ſuum non diſcooperiet,& veſtimenta non ſcindet. p.12. n.73

22.14. Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit Sacerdoti in ſanctuarium. p.254. n.102

23.10. Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulum ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem. p.54. n.15

25.4. Septimo anno Sabbatum erit terræ, agrum non ſeres, vineam non putabis, quæ ſponte gignet humus, non metes. pag. 564. num.38

26.9. Reſpiciam vos, & creſcere faciam. p. 565. num.43


## *Ex Numeris.*


Cap.11.5. IN mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia; anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Manna. p.495. n.16. & p.522. n.26. & p 583. n.161

14 Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum. p.520. n.10

18 Benè nobis erat in Ægypto. p.15. n.90

21 Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis, dabo eis eſum carnium menſe integro. p.572. n.93

33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus eſt in populum. p.569. n.74

12.6. Audite ſermones meos: ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. p.262. n.167

13.24. Quem portauerunt duo viri. pag.650. n.306

34 Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere Giganteo. p.17. n.105

14.4. Dixeruntque alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem,& reuertamur in Ægyptum. ibid. n.105

24 Ait Dominus, ſeruum autem meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram. p.135. n.63

16.46. Tolle thuribulum,& pergens cito ad populum, vt roges pro eis. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem. p.77. n.60

17.8. Regreſſus inuenit, germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas formati ſunt. p. 474. num.65

20.8. Ait Deus Moyſi, Tolle virgam, & congrega populum, tu, & Aaron loquimini ad petram coram eis. p. 72. n. 20. & p. 554. num.84

21.5. Anima noſtra nauſeat. p.466. n.404

9 Quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. p.358. n.83

22.5. Ecce egreſſus eſt populus ex Ægypto, qui operuit ſuperficiem terræ, ſedens contra me: Veni igitur,& maledic populo. p.388. n.152

12 Neque maledicas populo, quia benedictus eſt. p.354. n.56

41 Duxit eum ad excelſa Baal, & intuitus eſt extremam partem populi. pag. 376. num.71

23.7 Veni, inquit, maledic Iacob; propera, & deteſtare Iſraël. p.106. n.8

25.13. Ecce do ei pacem fœderis, & erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum. p.533. n.97

27.20. Dabis eis partem gloriæ tuæ. pag. 501. num.56


## *Ex Deuteronomio.*


Cap.4.24. DEus noſter ignis eſt. p. 47. n. 101. & p.336. n. 63. & p.523. n.86.

6.5. Diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua. p.350. n.24

9.16. Vidiſſemque vos peccaſſe Domino Deo veſtro, & feciſſe vos vitulum conflatilem. p.479. n 98

10.12. Diliges Dominum in toto corde tuo, in tota anima tua. p.350. n.25

16.1. Obſerua menſem nouarum frugum,& verni primum tempus, vt facias Phaſe Domino Deo tuo. p.53. n.1

17.3 Adorantes omnem militiam cæli. pag. 172. num.99

6 In ore duorum, aut trium teſtium ſtat omne verbum. p.306. n.39

18.1. Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Iſraël. p. 34. num.23

19 Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. p.52. n.128

23.25. Si intraueris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes. p.55. n.28

25.4. Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. p.194. n.59

28.23. Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum, & terra, quam pedibus calcas, ferrea. p.450. num.51

32.11. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos





ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. p.289. num.105. & p.511. n.127

24 Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. p 448. n.41

33.3. Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. p.279. n.34

25 Aſer ferrum, & æs calceamentum eius; ſicut dies iuuentutis tuæ, ita ſenectus tua. p.615. n.99

34.6. Et non cognouit homo ſepulchrum eius, vſque in præſentem diem. p.391. num.5. & p.585. n.175

10 Non ſurrexit vltra propheta in Iſraël, ſicut Moyſes. p.226. n.154.& 156


## *Ex Ioſue.*


Cap.2.9. IRruit in nos terror veſter. p.137. n.76

12 Iurate mihi per Dominum, vt quemadmodum ego feci miſericordiam vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei. p.251. n 87

6.17. Tradidit Dominus vobis ciuitatem; ſitque ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt Domino. Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt. p.24. n.153

7.18. Cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Acham filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda. p. 195. num.73


## *Ex libro Iudicum.*


Cap.4.4. DEbbora prophetiæ dono. pag. 391. num.24

5 Debbora iudicabat populum in illo tempore, ſedebat ſub palma, & aſcendebant ad eam filij Iſraël. p 489. n.56

6.14. Vade in hac fortitudine tua liberabis Iſraël. p.368. n.27

33 Igitur omnis Madian,& Amalech,& orientales populi congregati ſunt ſimul, & tranſeuntes Iordanem, caſtrametati ſunt in valle Iezraël. p.452. n.62

36 Si ſaluum facis per manum meam Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area. p.410. n.142. & p.647. n. 292

37 Si ros in ſolo vellere fuerit,& in omni terra ſiccitas. p.5. n.24

13 Vidi ſomnium,& videbatur mihi quaſi ſubcinericus panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere. p.653. num.327. & 328

9.8. Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem, dixerúntque oliuæ, impera nobis. pag.359. num.89

13.2. Erat autem vir quidam de Saraa,& de ſtirpe Dan. p.389. n.9

7 Reſpondit mihi ecce concipies, & paries filium, erit enim puer Nazaræus ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ vſque in diem mortis ſuæ. p.220 n.118

25 Creuítque puer, cœpítque ſpiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa, & Eſthaol. p.155. n.60

16.22. Poſt aliquod vero tempus iam capilli eius renaſci cœperant, & principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias pacificas Dagon Deo ſuo. p.204. n.22. & p.417. n.23


## *Ex Ruth.*


Cap.1.20. NE me vocetis Noëmi, id eſt, pulchram, ſed vocate me mara, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens. p.185. n.8

3.10. Benedicta es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. p.190. num.35

4.11. Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel,& Liam, quæ ædificauerunt domum Iſraël. pag.15. num.92


## *Ex I. Regum.*


Cap.1.5. ANnæ autem dedit partem vnam triſtis quia Annam diligebat. p. 194. num.60

2.1. Exultauit cor meum in Domino. pag.598. num.64

17 Retrahebant homines à ſacrificiis. p. 646. n.286

10 Vocauit tertio Samuëlem. p.75. n.45

12 Incipiam, & complebo. p.217. n.100

18 Dominus eſt, quod bonum eſt ante oculos ſuos, faciat. p.330. n.20

4.13. Sedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans. p.565. n.48

5.3. Altera die ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini. p.383. n.117

8.7. Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. p.75. n.43

9.19. Aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie. p.90. n.25

10.1. Dicens: Vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum. p.303. n.23

17 Conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maſpha. p.90. n 25

20 Cecidit ſors tribus Beniamin, & applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius,& cecidit cognatio Metri, & peruenit vſque ad Saul filium Cis. p.60. n.58.& pag.72. num.25

11.2. In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dexteros. p.370. num.38

12.18. Clamauit Samuël ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuias in die illa. p.368. n.27

20 Seruite Domino in toto corde veſtro. p.198. num.91

13.20. Deſcendebat omnis Iſraël ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum,& ſecurim. p.393. n.34

14.12. Aſcendite ad nos,& oſtendemus vobis rem. p.35. n.30

44 Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. p.56. n.32

15.30. Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei. pag.406. n.116.& p.556. num 96

16.1. Prouidi in filiis eius mihi regem. p.72. n.27. & p.485. n.33

6 Num coram Domino eſt Chriſtus eius? p.74.& 76.n.42.& p.333.n.37
12 Erat autem Dauid rufus & pulcher aſpectu. p.106.n.7
13 Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius. p.303.n.23
17.8. Nunquid ego non ſum Philiſtæus, & vos ſerui Saul eligite vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. p.490.n.64
26 Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc? p.377.n.79
34 Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos. p.465.n.8
55 Ait ad Abner; de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens. p.304.n.25
18.4. Nam expoliauit ſe Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad balteum. p.166. n.69 & p.377.n.57.& p.391.n.20
7 Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia, iratuſque eſt Saul nimis, & diſplicuit ſermo in oculis eius. p.282.n.56
10 Tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans quod configere poſſet Dauid cum pariete p.470.n 42
18 Quis ego ſum, vt fiam gener regis? p.448 n.42
21.1. Fugit Dauid, venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem, & obſtupuit Achimelech, eo quòd veniſſet Dauid. Et dixit ei: Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum? p.36.n.35.& p.275.n.8.& 9
9 Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi inuolutus pallio poſt Ephod. p.272.n.235
22.14. Quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & gener regis pergens ad imperium tuum. p.394.n.43
18 Irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod. p.572.n.96
22 Sciebam in die illa, quod, cum ibi eſſet Doeg Idumæus, procul dubio annunciaret Sauli p.567.n.59
23.26. Deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul; itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius. p.6. n.31
24.5. Ecce, dies de qua locutus eſt Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum in manibus tuis, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis p.159.n.21
6 Præcidi oram chlamydis Saul ſilenter. Poſt hæc percuſſit Dauid cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis .p.467.n.24
8 Confregit viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Saul. p.287.n.95
11 Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea, ſed pepercit tibi oculus meus. p.376.n. 72. & p.417.n.20
15 Quem perſequeris Rex Iſrael? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum, p.108.n.23
23 Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. p.283.n.62
25.7. Nec aliquando defuit eis quidquam de grege omni tempore, quo fuerunt nobiſcum. p.598.n.65
10 Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. p.170 n.86
25 Quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt. p.530.n.74
35 Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. p.403.n.96
26.7. Dormiebat Saul, & Abner, & populus in circuitu. p.466.n.14
12 Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul & abierunt, & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret. p.109.n.29.p 467. n.24

## *Ex 2. Regum.*

Cap.1.4. Saul, & Ionathas filius eius interierunt. p.211.n.67
6 Caſu veni in montem Gelboe. p.187.n.17
10 Stans ſuper eum occidi illum, ſciebam enim quod viuere non poterat poſt ruinam, & tuli diadema, quod erat in capite eius. p.461.n.112
21 Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium. p.396.n.54
3.14. Redde mihi vxorem Michol, quàm deſpondi mihi centum præputiis Philiſtinorum. p.448.n.42.& p.504.n.81
5.1. Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. Dominus dixit ad te; tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. p.10.n.58.&p.82.&81.n.93.&89.& p.38. n.46.&.p.330.n.17
6.6. Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues & declinauerunt eam; iratuſque eſt Dominus indignatione contra Ozam. p.25. n.166
7.16. Fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem meam & thronus tuus erit firmus iugiter. p.160 n.26
9.13. Miphiboſeth habitabat in Ieruſalem quia de menſa regis veſcebatur, & erat claudus vtroque pede. p.189.n.32
12.7. Dixit autem Nathan ad Dauid. Tu es ille vir. p.196.n.74.
14.2. Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri. p.191.n.41.& p.246.n.53
6 Duo filij rixati ſunt in agro, & percuſſit alter alterum, & interfecit eum. p.195.n.74
21 Et ait Rex ad Ioab, Ecce placatus feci verbum tuum, vade ergo, & reuoca puerum Abſalon. p.488.n.48
26 Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico. p.139.n.85.&p.254. n.107
15.3. Dicebat illi: videntur mihi ſermones tui boni, ſed non eſt conſtitutus à rege, qui te audiat. p.520.n.11
12 Facta eſt coniuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum Abſalon. p.123.n.113
7 Egredere, egredere vir ſanguinum, vir Belial. p.261.n.160
18.14. Tulit tres lanceas in manu ſua, & infixit eas



eas in corde Abſalon. p.123.n.113
18 Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle regis, dixerat enim, non habeo filium. p.389 n.10
23.8. Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, & ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus. p.389.n.4
16 Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de Ciſterna Bethlehem. p.85.n.173
24.15. Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt de populo. p.552.n.69
17 Ego ſum, qui peccaui, ego inique egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt. p.112.n.55
18 Aſcende, & conſtitue altare Domino in area Areuna. p.129.n.29

## *Ex 3. Regum.*

Cap. 1.5. Ego regnabo: fecit ſibi currus, & equites. p.304.n.29
10 Nathan prophetam non vocauit. p.79. n.73
21 Eritque, cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus ſuis; ego, & filius meus Salomon peccatores erimus. p.259. n.142
2.5. Tu quoque noſti, quæ fecit mihi Ioab, quę fecerit duobus principibus. p.488.n.48
10 Sepultus eſt in ciuitate Dauid. p.185.n.4
3.9 Dabis ſeruo tuo cor docile. p.568.n.63
20 Et poſuit eum in ſinu alterius. p.188 n.28
4.32. Locutus eſt Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia. p.503. n.71
6.25. In menſura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubin. p.306.n.43.
7.13. Rex quoque Salomon tulit Hiran filium mulieris viduæ de tribu Nepthali, patre Tyro artificem ærarium plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. p.187.n.21
8.18. Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans. p.160.n.26
10.8. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper. p.402.n.89.& p.410. n.139
13 Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio. p.191.43
30 Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. p.390.n.13
12.28. Fecit Ieroboam vitulos aureos. p.434.n.7
13.4. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum. p.110.n.39
14.8. Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo. p. 350.n.25
12 Tu igitur ſurge, vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum morietur puer. p.415.n.8
17.1. Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. p.20.n.126.& p.250. n.81.& p.533.n.93
6 Et corui deferebant ei panem, & carnes mane & veſperi. p.176. n. 126. & p.184. n.182 & p.625.n.153
7 Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat, ſuper terram. p.166.n.68
9 Vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te. p.496.n.26.& p 585.n.174
12 Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem. p.530.n.76
12 En colligo duo lingua, vt faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. p .528.n.59
13 Veruntamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcineri tium panem paruum, & affer ad me. p.578.n.130
14 Hæc dicit Dominus, Hydria farinæ non deficiet, nec lecytus olei minuetur vſque in diem in quo Dominus daturus eſt pluuiam. p.402. n.91.& p 581.n.150
18 Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt interficeres filium meum. p.18 n.112
19 Tulit eum de ſinu matris & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat. p.187. n.20
18.4. Aluit centum prophetas. p.153.n.51
6 Diuiſeruntque ſibi regiones, vt circuirent eas, Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram. p.205.n.29
12 Tu dicis mihi, vade, dic domino tuo, adeſt Elias: cumque receſſero à te ſpiritus Domini portabit te in locum, quem ego ignoro, & ingreſſus nunciabo Achab, & non inueniens interficiet me. p.203.n.21
22 Ego remanſi propheta Domini ſolus. p.392. n.30
19.2. Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis. p.554.n.78
3 Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. p.560. n.15
5 Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, proiecitque ſe, & obdormuit ſub vmbra iuniperi. p.164. n.54. & p.656. n.343
5 Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, Surge, & comede. p.184.n.182.& p.620.n.126.& p.625.n.153
6 Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ, dixitque illi ſurge, & comede. p.180.n. 153. & p.575. n.110.p.602.n.14. p.630.n.185.& p.637. n.231.&.p.647.n 293
8 Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. p.625.n.155.& p.650.n.309
14 Prophetas tuos occiderunt, & derelictus ſum ego ſolus. p.390.n.17.p.533.n.96
19 Miſit pallium ſuum ſuper eum. p.636. n.110
21.10. Submittite duos viros filios Belial contra Naboth, & falſum teſtimonium dicant, Benedixit Deum, & regem. p.556.n.95
23 Canes comedent Iezabel in agro Iezrael. p.556.n.94
25 Talis ſicut Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini. p.371.n.43

22.8. Re

22.8. Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum. p.568.n.68
31 Rex Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens, non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, niſi contra regem Iſraël ſolum. pag. 490. num.64

## *Ex 4. Regum.*

Cap.2.14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ; & dixit, vbi eſt Deus Eliæ. p. 299. num.7
3.20. Factum eſt igitur mane quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant. p.654. n.329
4.27. Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. p.258. n.137
31 Poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus. pag. 352. num.88
44 Da populo, vt comedat, hæc enim dicit Dominus, comedent, & ſupererit p.579. n.137
5.10. Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua. p.486. n.39
11 Putabam, quod egrederetur ad me,& ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui,& tangeret locum lepræ. p.6. n.29
15 Verè ſcio, quod non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſraël. p.538. n.123
6.13. Ite, & videte, vbi ſit, vt mittam,& capiam eum. p.416. n.14
11.12.Produxítque filium regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, fecerúntque eum regem. p.348. n.16
20.5. Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei. p 465. n.9
19 Dixit Ezechias ad Iſaiam, Bonus ſermo Domini, quem locutus es, ſit pax,& veritas in diebus meis. ibid. n. 9
22.19.Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino:idcirco colligam te ad ſepulchrum tuum in pace. p.145.n.9
23.29.In diebus eius aſcendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Aſſyriorum, & Rex Ioſias in occurſum eius, & occiſus eſt. ibid. n 9

## *Ex I. Paralip.*

Cap.12.17. Venerunt autem, & de Beniamin, & Iuda ad præſidium, in quo morabatur Dauid, egreſsúſque eſt Dauid obuiam eis, & ait, ſi pacificè veniſtis ad me. p.433. n.5
15.26.Cúmque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes. p.341. n.95
21.12.Elige,quod volueris,aut tribus annis famem, aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere;aut tribus diebus gladium Domini. pag. 470. num.41
22.7. Voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei,ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens: multum ſanguinem effudiſti. p.259. n.143
28.3. Eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis. ibid. n.143

## *Ex 2. Paralip.*

Cap.21.12. Allatæ ſunt ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus ſcriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus patris tui. p.533. n.92
25.14.Amaſias poſt cædem Idumæorum,& allatos deos filiorum Seir,ſtatuit illos in deos ſibi, & adorabat eos. p.376. n.73
26.18.Non eſt tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino. p.195. n.72
19 Statim orta eſt lepra in fronte eius. p.247. num.59

## *Ex 2. Eſdræ.*

Cap.9.7. Eduxit eum ab igne Chaldæorum. p.14. n.84
13.19.Vt nullus inferret onus in die Sabbati. p.22. n.141

## *Ex 4. Eſdræ.*

Cap.11.1. Ecce aſcendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria; & vidi, ecce expandebat alas ſuas in omnem terram. pag. 451. num.59

## *Ex Tobia.*

Cap.2.1. Factum eſt prandium bonum in domo Tobiæ. p.155. n.1
3.10. Perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit. p.72. n.21
4.8. Quomodo potueris ita eſto miſericors, ſi exiguum tibi fuerit,etiam exiguum libenter impertiri ſtude. p.361. n.99. & p.578. n.127
20 Omni tempore benedic Deo, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. p.473.n.60
5.2. Omnia quæcumque præcepiſti mihi faciam pater. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. p.159. n.20
8.3. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperiori Ægypti. p. 365. n.12. & pag.385. n. 132
11.15.Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatímque viſum recepit. p. 332. num.32
14.12.Prope erit interitus Niniue. Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic, ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros hinc. p.28. n.181
15 Curam eorum geſſit, & ipſe clauſit eorum oculos. p.549.n.53

## *Ex Iudith.*

Cap.9.3. Subueni, quæſo te, Domine Deus meus, mihi viduæ. p.191. n.40
10.3. Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ. Omnis iſta compoſitio,non ex libidine,ſed ex virtute pendebat. p.261. n.154



5 Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. ...
11 Factum eſt autem, cum deſcenderet montem circa ortum diei., occurrerunt ei exploratóres Aſſyriorum,& tenuerunt eam. p.91.n.30
12.12.Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, p.261.n.154
14.10.Nullus audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrando aperire. p.91. n.30

## *Eſther.*

Cap.1.3. Aſſuerus fecit grande conuiuium cunctis principibus ſuis, & pueris ſuis,& præfectis prouinciarum.p.409. n.135
2.22.Quod Mardochæum non latuit, ſtatímque nunciauit reginæ Eſther, & illa regi. p.90. n.29. & p.260. n.148
3.5. Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde.Et pro nihilo duxit, in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, magíſque voluit, omnem Iudæorum perdere nationem. p.406. n.116.& p.594. n.43
4.11. Ego quomodo ad regem introire, potero, quæ iam triginta diebus non ſum vocata. p.90. n.29
5.3 Quid vis Eſther regina?quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.p.291.n.117.& p.545. n 24. & 25
4 Si Regi placeat, obſecro, vt venias ad me hodié, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui. p.365. n.14
6.1. Noctem illam duxit Rex inſomnem, iuſsítque ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum, quæ cum illo præſente, legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat,quomodo Mardochæus nunciaſſet inſidias. p.285. n.81
9 Sic honorabitur, quemcumque Rex honorare voluerit. p.334. n.46. & p.643.n.262
4 Indicauit mihi, in toto Orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui regum iuſſa contemnerer. p 260. n.148
14.3. Domine mi, qui rex noſter es ſolus. p. 96. num.63
13 Tribue ſermonem compoſitum in ore meo. p.564. n.39
15.4. Circundata eſt gloria ſua,cumque regio fulgeret habitu. ibid. n.39

## *Ex Iob.*

Cap.1.1. Iob vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. p. 111. n.43. & p.333. & n.40
4 Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die ſuo.p.145. num.10
5 Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deum. p.456. n.85
8 Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra,homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum. p. 140. n.92. & p.536. n.109
9 Nunquid Iob fruſtra timet Deum,nónne tu vallaſti eum. p.395. n.49
11 Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet. p.478. n.92
21 Sit nomen Domini benedictum. p.394. n.45
2.10. Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. p.115. n.68
12 Exclamantes plorauerunt,ſciſíſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum. p.373. n.59
13 Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus. p.90. n.23
3.2. Poſt hæc aperuit Iob os ſuum,& dixit: Pereat dies,in qua natus ſum. p.333. n.40
4.18. In Angelis ſuis reperit prauitatem. p. 271. n.224. & p.471. n.46
6.10. Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti. p.117.n.80
27 Subuertere nitimini amicum veſtrum.p.165. num.56
14.15.Operi manuum tuarum porriges dexteram. p.51. n.7
15.32.Antequam dies implerentur,peribit, & manus eius areſcent. p.5. n.23
19.12.Simul venerunt latrones eius,& fecerunt ſibi viam per me,& obſederunt in gyro tabernaculum meum. p.355. n.63
24.19.Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium. p.179. n.147
24 Sicut ſummitates ſpicarum conterentur. p.164. n 52
26.7. Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. pag. 604. num.25
11 Columnæ cæli contremiſcunt,& pauent ad nutum eius. p.278. n.30.
28.17.Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. p.504. n.79
29.8. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. p 149. n.29
31.23.Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. p.22. n.137.
33 Si abſcondi quaſi homo peccatum meum & celaui in ſinu meo iniquitatem meam. p.273. n.239
38.6. Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt. p.604. num. 25
10 Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: vſque huc venies, & non procedes amplius. p. 398. num.73
39.27.Ad præceptum tuum eleuabitur aquila,& in arduis ponet nidum ſuum. p.70. n.11

## *Ex Pſalmis.*

Cap.1.1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. p.466. n.17
2 In lege Domini voluntas eius.p.175.n.120
2.8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& poſſeſſionem tuam terminos terræ. p.631. n.190
12 Apptehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus. p.174. n.117

4.8. A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. p.522.n.24
9.20. Exurge Domine, non confortetur homo. p.470. n.39
12.1. Vſquequo, Domine, obliuiſceris me in finem. p.96.n.65
13.3. Omnes declinauerunt. p.486.n.35
3 Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. p.309.n.60
3 Venenum aſpidum ſub labiis eorum.p.375. n.70
3 Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. p.568.n.64
4 Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis. p.521.n.20
15.10. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. p.634.n.210.& p.208.n.48
16.4. Ego cuſtodiui vias duras. p.344.n.114
17.14. Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam. p.83.n.102
18.7. Exultauit vt gigas ad currendam viam; à ſummo cælo egreſſio eius. p.201.n.7
8 Lex Domini immaculata conuertens animas. p.344.n.115
9 Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. p.459.n.99
10 Timor Domini ſactus permanens in ſæculum ſæculi. p.278.n.30
19.3. Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. p.248. num.66
21.15. Sicut aqua effuſus ſum, & factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. p.253. num.98
19 Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. p.500. num.48
22.4. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. p.117.n.78
4 Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. p.104.n.38.& p.358.n.82.
5 Paraſti in conſpectu meo menſam. Impinguaſti in oleo caput meum. p.268.n.205
5 Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. pag.505.n.87.& p.201.n.199.& p.635. n.217
23.7. Attollite portas principes veſtras, & introibit rex gloriæ. p.207.n.41
8 Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. p.382.n.114
26.4. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. p.289.n.104
28.3. Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit. p.83.n.102
29.10. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem. p.634.n.210
30.1. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. p.6.n.31
33.9. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. p.610.n.64
34.12. Retribuebant mihi mala pro bonis; & oratio mea in ſinu meo conuertetur. p.316. n.105.& 106
35.9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.p.505. num.87
36 Tota die miſeretur, & commodat. p.660. n.362
10 Obmutui, & non aperui os meum quoniam tu feciſti. p.370.n.39
39.1. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. p.6.n.31
40.10. Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. p.85.n.114
44.3. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. p.441.n.48.
4 Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſime, intende proſperè, procede, & regna. p.481.n.12
7 Virga æquitatis, virga regni tui. pag.104. num.38
45.1. Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. p.471.n.50
5 Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. p.251.n.85
46.2. Dominus excelſus, terribilis: rex magnus ſuper omnem terram. p.70.n.10
10 Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. p.181.n.160.& 161
47.4 Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. p.398.n.68
11 Secundum nomen tuum, ſic & laus tua. p.530.n.74
15 Ipſe reget nos in ſæcula. p.67.n.41
49.5. Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius. p.478.n.86
19 Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. p.377.n.82
54.23. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iuſto. p.119.n.90
25 Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. p.25.n.22
55.9. Deus vitam meã annũciaui tibi.p.241 n.273
56.5. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ. p.375.n70
57.5. Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. p.110.n.35
59.4. Commouiſti terram, & conturbaſti eam. p.185.n.7
5 Oſtendiſti populo tuo dura. p.35.n.30
61.7. Ipſe Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo. p.463.n.118
9 Effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum. p.602.n.18
12 Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia. p.291.n.117
64.11. In ſtillicidiis eius lætabitur germinans. p.192.n.49
65.6. In flumine pertranſibunt pede.p.583.n.160
16 Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. p.196.n.75
67.4. Exultent iuſti in conſpectu Dei. p.250.n.81
16 Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. p.627.n.168
18 Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in ſancto. ibid.n.168
20 Proſperum iter faciet Deus ſalutarium noſtrorum. p.341.n.95
27 In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſraël. Ibi Benjamin adoleſcentulus in mẽtis exceſſu.p.609.n.62.& p.610. n.63.& p.619.n.117.& p.630.n.186
26 Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum. p.630.n.187


68.10. Oppro

Loca S. Scripturæ.


68.10. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. p.426.n.80
22 Dederunt in eſcam meam, fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. p.205.n.34
71.7. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. p.143.n.3
11 Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei, quia liberabit pauperem à potente. p.364.n.6
72.7. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. p.248.n.66
14 Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. p.205.n.34
73.6. Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt. p.420.n.44
23 Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. p.469.n.38
74.5. Dixi iniquis, nolite inique agere. p.471. num.46
9 Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto; veruntamen fæx eius non eſt exinanita. p.477.n.82
76.5. Anticipauerunt vigilias oculi mei; turbatus ſum, & non ſum locutus; cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. p.283.n.66
19 Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota. p.83.n.102
21 Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. p.593.n.33
77.16. Eduxit aquam de petra. p.347.n.12
27 Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. p.581 n.150
49 Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per angelos malos. p.478. num 92
67 Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit; ſed elegit tribum Iuda mõtem Sion, quem dilexit.p.329.n.10
70 Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, & de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum. p.187.n.17
78.2. Carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. p.632.n.196
79.2. Qui ſedes ſuper Cherubim. p.268.n.201
80.9. Audi populus meus. & conteſtabor te: Iſraël, ſi audieris me, non erit in Deus alienus. p.93.n.40
16 Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. p.28.n.181
17 De petra, melle ſaturauit eos. p.347.n.12
83.3. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. p.632.n.196
8 Ibunt de virtute in virtutem. p.19.n.121
84.9. Audiam, quid loquatur in me Dominus p.41.n.67
85.16. Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. p.404.n.106
90.6. A negocio perambulante in tenebris. p.76. num.50
11 Angelis ſuis Deus mandauit, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. p.495.n.117
91.13. Iuſtus vt palma florebit. p.140. num.91.& p.283. num.68
94.7. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. p.98.n.2





95.6. Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. p.369.n.33
15 Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt. p.639 n.239
96.1. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ; ignis ante ipſum præcedet. p.348.n.13
3 Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: illuxerunt fulgura eius orbi terræ. p.47.n.102
101.5. Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. p.571.n.86
10 Cinerem tanquam panem manducabam. p.609.n.57
102.1. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.p.339. num.81
22 Benedicite Domino omnia opera eius. p.604.n.30
103.7. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. p.83.n.103
15 Vt exhilaret faciem in oleo. p.268.n.205
16 Saturabuntur ligna campi & cedri Libani, quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt, Herodij domus dux eſt eorum. pag.487. num.47
23 Exibit homo opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. p.446.n.27
104.20. Eloquium Domini inflammauit eum. p.146.n.14
106.8. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum, quia ſatiauit animam eſurientem. p.604 n.30
18 Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. p.616.n.103
20 Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. p.339. num.83
109.1. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. p.640 n.249
4 Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus à dextris tuis. p.640.n.249.& p.661.n.365
110.1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. p.327.n.2
10 Initium ſapientiæ timor Domini. pag.136. num.67
111.5. Diſponet ſermones ſuos in iudicio. p.587. n.184
112.3. A Solis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini. p.179.n.148
115.11. Omnis homo mendax. p.42.n.70
12 Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. p.22.n.137
117.1. Confitemini Domino, quoniam bonus. p.327.n.2
16 Dextera Domini fecit virtutem. pag.381. n.104
18 Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. p.196.n.75
118.39. Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum. p.375.n.67
45 Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. p.345.n.117
69 Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. p.469.n.35
72 Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. p.493.n.8
73 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me: da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. p.31.n.8




89 In

89 In æternum Domine permanet verbum tuum. p.487. n.43
105 Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. p.146. n.14
127 Dilexi omnia mandata tua ſuper aurum, & topazion. p.493. n.8
140 Ignitum eloquium tuum vehementer. p.533. n.94
169 Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. p.68. n.47
173 Fiat manus tua, vt ſaluet me. p.367. n.23
119.4. Sagittę potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. p.236. n.27
126.2. Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. p.197. n.80
4 Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. p.464. n.7
127.2. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. p.309. n.57
131.17. Paraui lucernam Chriſto meo; inimicos eius induam confuſione. p.45. n.89
133.1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini. p.163. n.47. & p.287. n.115. & p.219. n.96
136.9. Beatus, qui allidet paruulos ſuos ad petram. p.475. n.73
138.2. Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. p.197. n.81
5 Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua. p.27. n.176
17 Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum. p.139. n.87
19 Viri ſanguinum declinate à me. p.419. n.40
144 14. Erigit omnes eliſos. p.249. n.75
145.3. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. pag.295. n.151
146.3. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. p.360. n.96
4 Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. p.81. n.82
5 Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. p.329. n.11
9 Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. p.137. n.78
147.15. Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius. p. 170. n.90
148.4. Et aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. p.253. n.97
12 Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini. p.148. n.28


## *Ex Prouerbiis.*


Cap.1.6. Animaduertet parabolam, & interpretationem. p.443. n.7
5.15. Bibe aquam de ciſterna tua. p. 473. n.57
6.6. Vade ad formicam, ô piger, & conſidera ſemitas eius, & diſce ſapientiam. pag.109. num.30
8.18. Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. p.5. n.25
9.1. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem; immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam. pag.443. n.9. & pag.602. num.15. & p.503. n.70.
5 Comedite panem meum, quod miſcui vobis. p.491. n.71
17 Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. p.231. n.186
10.26. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt illum. p. 68. num.51
12.16. Qui autem diſſimulat iniurias, callidus eſt. p.114. n.65
19 Labium veritatis firmum erit in perpetuum. p.504. n.77
21 Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. p.557. n.65
13.4. Vult, & non vult piger. p.6. n.27
14.6. Doctrina prudentium facilis eſt. pag. 113. num.63
35 Acceptus eſt regi miniſter intelligens. pagin.161. n.36
15.12. Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit. p.539. n.124
17.2. Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis. p.161. n.36
18.19. Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. p.82. n.90
22.24. Neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. p.468. n.30
23.13. Noli à puero ſubtrahere diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. p.482. n.16. p. 104. num.38
26.5. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. p.419. n.36
27.7. Anima eſuriens etiam amarum ſumit pro dulci. p.53. n.2
8 Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui relinquit locum ſuum. pag.318. n.119
27 ſufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis. p.318. n.117
29.25. Qui timet hominem, cito corruet; qui ſperat in Domino, ſubleuatur. p. 134. num.58
30.33. Qui autem fortiter premit vuluam ad eliciendum lac, exprimit butyrum; & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem. p.318. n.117
31.1. Verba Lamuëlis Regis. p.119. n.92
16 Conſiderauit agrum, & emit eum. p. 498. num.39
20 Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. p.460. n.105
21 Veſtiti ſunt duplicibus. p.441. n.50
22 Byſſus, & purpura indumentum eius. p.71. num.16
29 Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. p.493. n.7


## *Ex Eccleſiaſte.*


Cap.1.17. Dedi cor meum, vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroréſque, & ſtultitiam. p.209. n.54
14 Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. p.499. n.43
3.7. Tēpus tacendi, tempus loquendi. p.456. n.81
4.6. Melior eſt pugillus cum requie, quam plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. p.286. n.86


9 Melius




9 Melius eſt, duos eſſe ſimul, quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, vt ſi vnus ceciderit, ab altero fulciatur. p.305. n.34
10 Væ ſoli. p.353. n.47
5.10 Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt illas: & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis. pag.414. n.168
10.4. Si ſpiritus poteſtatē habentis aſcēderit ſuper te, locum tuum ne demiſeris p.318. n.119


## *Ex Canticis.*


Cap.1.1. Oſculetur me oſculo oris ſui. p. 252. num.95
1 Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. p.342. n.97
3 Trahe me poſt te, curremus. p.338. n.76
6 Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. p.76. n.50. & p. 624. n.151
14 Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es. p.397. n.63. & 64
2.1. Ego flos campi, & lilium conuallium. p.90. n.26. & p.496. n.27
2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. p.475. n.70. & p.85. n.124. & p.391. num.23
4 Introduxit me rex in cellam vinariam. p.613. n.88. & p.633. n.202
5 Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. p.344. n.116
9 Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. p.310. n.69
10 Formoſa mea veni. p.175. n.119
12 Flores apparuerunt in terra noſtra: vox turturis audita eſt, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. p.88. n.16
16 Dilectus meus mihi, & ego illi. p.334. n.43
17 Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bethel. p.427. n.92. & p.591. n.23
3.1. In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea. p.256. n.123
2 Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea. p.619. n.122
3 Num, quē diligit anima, vidiſtis? p.88. n.16
4 Tenui eum, nec dimittam. p.350. n. 29. & p.435. n.13
6 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. p.291. n.114. & p.70. n.7. & p.221. n.127
7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. p.383. n.119. & p.146. n.14
9 Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum. p.147. n.22
11 Egredimini filiæ Sion, & videte regem veſtrum Salomonē. p.201. n.7 & p.435. n.19
4.1. Quam pulchra es amica mea: oculi tui ſicut colūbarū; dentes tui ſicut greges. p.389. n.7
1 Oculi tui columbarum; capilli tui ſicut greges caprarum; dentes tui ſicut greges tonſarum, 405. n.112
4 Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. p.297. n.156
5 Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. p.403. n.101
6 Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. p.424. n.69
8 Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. p. 117. n.78. & p.175. n.118. & p.291. n.118
9 Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum. p.306. n.43
11 Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. p.221. n.127
13 Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. p.403. n.100
12 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus. p.494. n.12
5.1. Surge Aquilo, veni Auſter, & fluent aromata illius. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. p.438. n.35. & p.610. n.65
1 Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo. p.609. n.59
1 Comedite amici, & inebriamini chariſſimi. p.274. n.245
2 Ego dormio, & cor meum vigilat. p. 291. n.115
2 Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. p 246. 247. n.54. & 58
6 At ille declinauerat, atque tranſierat. p.484. num.27
6 Quæſiui, & non inueni illum; vocaui, & non reſpondit mihi; inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem. p.395. n.51
7 Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. p.77. n.62. & p.88. n.15. & p.353. n.46. & p.396. n.56. & p.653. n.325
8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt annuncietis ei, quia amore langueo. p.276. n.17
6.2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. p.205. n.34
3 Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem. p.401. n.87. & 88
8 Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ. p. 400. n.81. & p.405. n.112
9 Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. pag.278. n.28. & p.292. n.121.122.123
2 Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. pag. 496. num.24. & p.257. n.128. & p.313. n.90
4 Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebō, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. p.404. n.102
3 Comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus. p.579. n.134. & p.138. n.83
8 Vbera tua botris aſſimilata ſunt. p.402. n.92
13 Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi. p.514. n.142
5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? p.280. n.42

## *Ex Sapientia.*

Cap.3.5. IN paucis vexati, in multis benè diſponentur. p.92. n.38
6 Tanquam aurum in fornace probauit eos. p.147. n.22
4.19. Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore. p.418. n.28
7 Ambulauimus vias difficiles. p.487. n.43
9 Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua; & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. p.493. n.7
10 Præpoſui illam regnis, & ſedibus; ſuper ſalutem, & ſpeciem dilexi eam. p.498. n.35
13 Sapientiam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico. p.306. n.42
14 Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. p.493. n.8
19 Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret. p. 340. n.86
14 Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ ſunt. p.487. n.43
11.24. Diſſimulas peccata hominum propter Pœnitentiam. p.477. n.82
16.20. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. p.495. n.16. & p.600. n.6. & p.650. n.307
18.14. Cum quietum ſilentium tenerent omnia. p.657. n.345

## *Ex Eccleſiaſtico.*

Cap.2.1. FIli accedens ad Deum præpara animã tuam ad tentationem. p.22. n.139
3.29. Cor nequam grauabitur doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum. p.540. n.130
4.5. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram. p.190. n.36
8.13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos; & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. p.65. n.32
11.22. Confide in Deo, & mane in loco tuo. p.318. n.119
13.28. Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes producunt. p.375. n.69
19.26. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. p.564. n.40
22.9. Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam. p.515. n.2
10 Supra mortuum plora, deficit enim lux eius. p.192. n.48
23.38. Gloria magna ſequi Deum. p.150. n.35
24.11. In his omnibus requiem quæſiui: Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. p.502. n.65
15 In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui. p.89. num.22
26 Trãſite ad me omnes, qui cõcupiſcitis me, & à generationibus meis implemini, ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis. p.610. n.64
25.1. In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & mulier benè conſentiens. p.81. n.89
27.6. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. pag.462. n.116
12 Stultus, vt Luna mutatur. p.523. n.32
28 Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras. p.186. n.14
32.1. Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. p.89. n.18
6 Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem. p.515. n.2
33.31. Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua. p.161. n.36
34.25. Panis egẽtium vita pauperũ eſt. p.354 n.75
15 Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici. p.27. n.177
16 Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare. p. 192. n.48
25 Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis. p.456. n.86
44.20. Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. p.140. n.92
45.18. Compleuit Moyſes manus Aaron, & vnxit illas oleo ſancto. p.498. n.37
48.1. Surrexit Elias Propheta quaſi ignis. p.531. & 532. n. 81. & 85
4 Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis: & quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi. p.532. n.88
10 Scriptus eſt, in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini. p.72. n.66

## *Ex Iſaia* I.

Cap.1.2. AVdite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei: filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum. p.142. n.108. & p.468. n.27. & p.614. n.91
3 Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. ...
19 Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. p.631. n.191
2.7. Non eſt finis theſaurorum eius. p.493. n.9
4.1. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa dicentes: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos. p.24. n.152
5.4. Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? p.233. n.8
18 Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. p.244. n.37
21 Væ qui ſapiẽtes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. p.332. n.29
6.1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. p.12. n.70
2 Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabãt pedes eius, & duabus volabant. p.307. n.45. & p.495. n.21
4 Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis. p.87. n.4
5 Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum. p.315. n.102
8 Ecce ego mitte me. p.87. n.8. & p.105. n.1.
6 Volauit ad me vnus de Seraphim p. 645. n.282
11 Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo. p.422. num.57
20 Radet Dominus in nouacula conducta caput, & pilos pedum. p.478. n.89
8.3. Accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari. p.427. n.92
9.3. Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe. p.308. n.56



Loca S. Scripturæ.

4 Iugum oneris eius. p.340. n.87
6 Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur Deus fortis. p.397. n.65
7 Pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia. p.144. n.7
14 Ecce Virgo concipiet, & pariet. p.639. n.240
11.2. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus conſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini. p.136. n.62. p.278. n.30
4 Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. p.150. n.40
10 Erit ſepulchrum eius glorioſum. p.426. n.80
13.21. Habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi. p.385. n.132
14.5. Contriuit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium. p.104. n.38
13 In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. pag.201. n.9. & p.240. n.10
15 Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. p.324. n.18
19.19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. p.633. n.202
20 Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, & liberabit eos. p.264. n.175
21.8. Clamauit leo ſuper ſpeculam Domini, ego ſum, ſtans iugiter per diem. p.90. n.23
23.4. Erubeſce Sidon, ait mare. p.366. n.70
24.15. In inſulis maris nomen Domini. p.68. n.46
25.6. Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium vindemiæ. p.637. n.227
26.5. Incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem; conculcabit eam pes, pedes pauperum. p.448. n.44
17 Sicut quæ concipit, cum appropinquat ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis. p.459. n.99
19 Viuent mortui tui, & interfecti tui reſurgent. p.212. n.72
28.1. Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim. p.86. n.127
21 Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. p.478. n.89
29.15. Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilia. p.299. n.4
30.27. Ecce nomen Domini venit de longinquo. p.68. n.46
32.13. Super humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent. p.451. n.56
33.16. In excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas eius; panis ei datus eſt, aquæ eius fideles. p.603. n.21. & p.651. n.310
20 Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter. p.102. n.26 & p.603. n.20. & p.635. & 636. n.215. & 224
5 Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. p.419. n.40. & p.212. n.72
8 Via ſancta vocabitur, & non tranſibit per eam pollutus. p.478. n 86
14 Domine vim patior, reſponde pro me. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine. p.262. n.166
40.17. Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt. p.271. n.223
41.18. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. p.54. n.21
43.2. Cum trãſieris per aquas tecũ ero. p.453. n.72
44.7. Annunciate nobis futura, & dicemus, quia dij eſtis vos. p.425. n.77
45.1. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius reges, & dorſa regum vertam, & aperiam contra eum ianuas. p 593. n.33
14 Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te p.635. n.216
15 Deus. Verè tu es Deus abſcõditus. p 494. n.9
22 Conuertimini ad me, & ſalui eritis. p.265. n.188
50.4. Dominus dedit mihi linguam eruditam. p.121. n.104
51.9. Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini: conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. p.107. n.18
53.1. Brachium Domini cui reuelatum eſt? p.381. n.104
2 Vidimus eum, & non erat aſpectus; deſiderauimus eum, deſpectum, nouiſſimum virorum. p.12. n.70. & p.347. n.9
4 Et nos putauimus eum quaſi leproſum. p.567. num.56
7 Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. p.312. n.78. & p.106. n.9
11 Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. p.647. n.289
54.1. Lauda ſterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. p.179. n.145
55.1. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite, & comedite. p.100. n.13. & p.615. n.101
56.10. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi. p.6. n.27.
58.1. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. p.445. n.20
60.8. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. p.111. n.49
61.1. Ad annunciandum manſuetis miſit me. p.213. n.73
63.1. Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus? p.207. n.41

3 Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea p.632.n.199.& 200
64.7. Ecce tu iratus es, & non eſt, qui conſurgat, & teneat te. p.435.n.14
66.7. Antequam parturiret, peperit. p.407.n.126
24 Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. p.134 n.58

## *Ex Ieremia.*

Cap.1. 13. OLlam ſuccenſam ego video, & facies eius à facie Aquilonis. p.521. num.21
2.18. Nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? p.98.n.1
5.3. Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti. p.450.n.51
6.26. Luctum vnigeniti fac tibi. p.185.n.5
9.4. Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit. p.121.n.107
21 Aſcēdit mors per feneſtras noſtras. p.185.n.2
11.11. Clamabunt ad me, & non exaudiam eos. p.264.n.175
19 Cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentiū. p.205.n 34
13.18. Dic regi, & dominatrici: Humiliamini, ſedete. p.185.n.8
15.17. Solus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me. ibid. n.8
17.21. Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die Sabbati: ne inferatis per portas Ieruſalem. p.22.n.141
18.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem eis. p.183. n.176
23.5. Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. p.144.n.7
29.23. Ego ſum iudex, & teſtis, dicit Dominus. p.38.n.48
31.16. Quieſcat vox tua à ploratu. p.192.n.50
22 Creauit Dominus nouum ſuper terram. Fœmina circundabit virum. p.277.n.24
11 Tulit veteres pannos, & antiqua, quæ computruerunt, & ſubmiſit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos, dixitque: Pone veteres pannos. p.411.n.145
40.5. Dedit ei cibaria, & munuſcula, & dimiſit eum. p.485.n.29
48.40. Quaſi aquila volabit. p.70.n.21
49.22. Quaſi aquila aſcendet. ibid. n.11
52.12. Venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram rege Babylonis, in Ieruſalem, & incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ieruſalem. p.319.n.126

## *Ex Threnis.*

Cap.1. 1. FActa eſt quaſi vidua domina gentium: Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius; non eſt, qui conſoletur eam. p.191.n.42
6 Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. p.369.n.33
7 Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis, omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius. p.11.n.64. & p.421.n 53
2.7. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius, vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni. p 186.n.11
12 Matribus ſuis dixerunt, vbi eſt triticum, & vinum. p.651. n.311
3.27. Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. p.340. n.87. & p.345. n.120
4.1. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. p.448. n.42
4 Adhæſit lingua lactantis ad palatum eius in ſiti. p.393.n.39
5 Paruuli petierunt panem. p.626.n.162
6 Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus. p.511.n.120
5.16. Cecidit corona capitis noſtri. p.164.n.53

## *Ex Baruch 3.*

Cap.24. O Quam magna domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius: Magnus eſt, & non habet finem. p.402.n.94

## *Ex Ezechiele 1.*

Cap.6. QVatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. p.307.n.46
14 Animalia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fuguris coruſcātis. p.254.n.105
16 Vna ſimilitudo ipſarum quatuor, & aſpectus earum, & opera, quaſi rota in medio rotæ. p.514 n.144
2.1. Et tu fili hominis. p.530.n.75
4.6. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. p.429.n.105
9.9. Et dixit ad me, iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valde, & repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta eſt auerſione. p.471.n.48
10.5. Sonitus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium interius, quaſi vox omnipotentis Dei. p.425.n.75
16.8. Iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi: & laui te aqua, & mundaui ſanguinem tuum. p.314. n.91
18.21. Si impius egerit pœnitentiam ab ominibus peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur, & omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor amplius. p.265. n.188
28.13. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis Paradiſi fuiſti. p.166.n.66
17 Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam in decore tuo. p.473. n.58
39.17. Tu fili hominis dic omni volucri, cunctiſque beſtiis agri: Conuenite, properate vndique ad victimā meam, quam ego immolo vobis, victimā grandē. p.621.n.127
47.12. Ex vtraque parte omne lignum & erunt fructus eius in cibum. p.487.n.43

Ex



## *Ex Daniele.*

Cap.1.8 PRopoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius. p.290.n.110
2.2. Præcepit rex, vt conuocarentur arrioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent regi ſomnia ſua. p.376.n.76
11 Sermo, quem tu quæris, rex, grauis eſt: nec reperietur quiſquam qui indicet illum in conſpectu regis exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio. p.78 n.63
32 Huius ſtatuæ ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & fœmora ex ære; tibiæ autem ferreæ; pedum autem quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. p.282.n.55
35 Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſque locus inuentus eſt eis: lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam factus eſt mons magnus: & impleuit vniuerſam terram. p.287.n.91. & p.487.n.45. & p.537. n.114
3.12. Sunt viri Iudæi, quos cōſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sydrach, Myſach, Abdenago, viri iſti contempſerunt, rex decretum tuum. p.420.n.43
51 Hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant Deum in fornace. p.202.n 12
95 Benedictus Deus deorum, Sydrach videlicet, Myſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos. p.547.n.39
4.7. Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cœlū. p.246.n 51
24 Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua: peccata tua eleemoſynis redime. p.287.n.91
30 Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum, vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, &c. p.488.n.96
5.2. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius. p.543.n.13
7 Exclamauit fortiter, vt introducerent magos, Chaldæos, & arupiſces p.205 n 32
17 Munera tua ſint tibi, dona domus tuæ alteri da; ſcripturam autem legā tibi, rex, & interpretationem oſtendam tibi. p.77.n.61
19 Quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat exaltabat. p.546.n.32
26 Mane: numerauit Deus regnum tuum. Thecel: appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: Phares, &c. p.394.n.46
29 Tunc iubente rege, indutus eſt Daniel purpura, & circundata eſt torques collo eius, & prædicatum eſt de eo, &c. p.198.n.87 & p.286.n.82
6.4. Principes &, Satrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli. p.375.n.69
10 Apertis feneſtris tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, & confitebatur coram Deo ſuo. p.76.n.54
16 Tunc rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum p.211.n.66
17 Quem obſignauit rex anulo ſuo. p.602.n.19
7.2 Videbam in viſione mea nocte p.73.n.34
3 Quatuor beſtiæ. p.434.n.7
10 Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies cētena millia aſſiſtebant ei. p.204. n.28
10.13. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus. p.659.n.354
13.22. Anguſtiæ ſunt mihi vndique, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. p.499. n.42
45 Suſcitauit Dominus ſpiritum ſanctū pueri iunioris cuius nomen Daniel. p.391.n.25
14.2. Cui impendebantur ſimilæ artabæ. p.665. n.394
28 Trade nobis Danielem. p.18.n.113
32 Ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo. p.630.n.187. & p.657.n.344
35 Apprehēdit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum. p.69.n.71
36 Et clamauit Habacuc dicens: Daniel ſerue Dei tolle prandium, quod miſit tibi Deus ſurgenſque Daniel comedit. p.16.n 97
36 Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. p.649.n.303

## *Ex Oſea.*

Cap.2.15 DAbo ei venitores eius ex eodem loco. p.380.n.100
6.1. Venite & reuertamur, ad Dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos, & viuemus in conſpectu eius. p.94.n.51
6 Miſericordiam volui & non ſacrificium. p.119.n.96
8.7. Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam, quod & ſi fecerit, alieni comedent eam. p 449.n.47
11.1. Ex Ægypto vocaui filiū meum. p.426 n.82
12.4. Fleuit, & rogauit eum. p.252.n.90.
13.14. Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne. p.208.n.48
14.5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus. p.157.n 8
8 Conuertentur ſedentes in vmbra eius. p.197.n.81

## *Ex Amos.*

Cap.5.10 ODio habuerunt corripientem in porta. p.539.n.124
13 Ideo prudens in tempore illo tacebit quia tempus malum eſt. p.445.n.20
7.7. Hæc oſtendit mihi Dominus. Ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarii. p.90.n.23.& p.564.n.47

## *Ex Iona*

Cap.1.2 SVrge, vade in Niniuen ciuitatem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me. p.244 n.40.
2.2. Orauit Ionas ad Dominum de ventre piſcis. p.74.n.35
3.4. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. p.424.n.67
5 Et veſtiti ſunt ſaccis. p.429.n.103
4.6. Aſcendit hedera ſuper caput Ionæ. p.451. n.54

Ex

## *Ex Michæa.*


Cap.3.3. COmederunt carnem populi mei. p.354. n.57

6.8. Indicabo tibi, ô homo, quod ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. p.11. num.63

12 Diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium. p.461. n.113

7.6. Filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, & nurus aduerſus ſocrum; & inimici hominis domeſtici eius. p.148. n.25

9 Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. p.19. n.121


## *Ex Habacuc.*


Cap.3.4. COrnua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. p.382. n.114


## *Ex Zacharia.*


Cap.1.3. COnuertimini ad me, & conuertar ad vos. p.265. n.188

3.5. Angelus Domini ſtabat. p.90. n.23

6.2. In prima quadriga equi ruſi, in ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes. p.590. n.15

11 Sumes argentum, & aurum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filij Ioſedech. p.447. n.37

9.11. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. p.208. n.48. & p.212. n.70

17 Quid bonum eius, & quid pulchrum eius niſi frumentum electorum. p.615. n.97

12.10. Et dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. p.185. n.5


## *Ex Malachia.*


Cap.1.11. AB ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus. p.179. n.148

3.1. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis. p.224. n.147

5 Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris. p.38. n.48


## *Ex 1. Machabæorum.*


Cap.1.7. VOcauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant enutriti, & diuiſit illis regnum, cum adhuc viueret. p.500. n.48

2.27. Exclamauit voce magna in ciuitate dicens: Omnis, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me; & fugit ipſe, & filij eius in montes. p.127. num.17. & p.129. n.30

41 Quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduerſus eum. p.67. num.41

9.43. Et venit die Sabbatorum vſque ad oram Iordanis in virtute magna. p.67. n.41

10.44. Ad ædificanda, & reſtauranda opera ſanctorum ſumptus dabantur de ratione regis, & ad extruendos muros Ieruſalem. p.216. n.96


## *Ex Matthæo.*


Cap.1.2. VIdimus ſtellam eius in Oriente. p.172. n.99

11 Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. p.343. n.107

13 Surge, accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. p.410. n.139

3.5. Exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. p.91. n.35

8 Facite fructũ dignũ pœnitentiæ. p.86. n.130

11 Ipſe vos baptizabit in aqua, & igne. p.47. n.100

12 Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, &c. p.308. n.52

4.1. Ductus eſt Ieſus in deſertum. p.409. n.138

2 Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. p.566. num.54

5 Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem. p.13. n.77

11 Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. pag.366. n.15. & p.222. n.132. & p.627. n.167

19 Faciam vos fieri piſcatores hominum. p.77. num.58

5.1. Aſcendit Ieſus in montem, & ſedebat cum diſcipulis ſuis. p.89. n.21

9 Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. p.145. n.8

11 Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint. p.132. n.52

16 Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. p.494. n.13

6.6. Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito. p.73. n.29. & p.629. n.174

11 Panem noſtrum da nobis hodie. p.567. n.60

30 Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, &c. p.137. n.78

8.1. Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. p.87. n.6

2 Domine, ſi vis, potes me mundare. p.177. n.135. & p.567. n.56

8 Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. p.642. n.257

20 Vulpes foueas habent, volucres cæli nidos, filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. p.102. n.22

25 Tunc acceſſerunt diſcipuli: Salua nos perimus. p.285. n.79

9.4. Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. p.263. n.100. & p.217. n.171

9 Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. p.281. n.46

20 Tetigit fimbriam veſtimenti eius. p.250. n.81

23 Et deſiderabant eum. p.658. n.353

31 Illi autem egreſſi diffamauerunt eum per totam regionem. p.30. n.195

35 Circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella, prædicans Euangelium regni. p.185. n.2

10.2. Primus Simõ, qui dicitur Petrus. p.536. n.108

10 Neque calceamenta, neque virgam aſportent. p.29. n.187

16 Ego mitto vos, ſicut oues. p.311. n.73

22 In ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. p.32. n.89. & p.663. n.383

25 Si





25 Si Patremfamilias Beelzebuth vocarunt, quanto magis domeſticos eius. p.557. n.97

33 Qui me negauerit coram hominibus, negabo, & ego eum corã Patre meo. p.52. n.126

11.2. Cum audiſſet Ioãnnes in vinculis. p.200. per totum cap.13.

5 Dicite Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt. p.365. n.10

7 Cœpit dicere ad turbas de Ioanne Baptiſta. p.266. n.192

11 Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. p.392. n.32. & p.554. n.83

27 Nemo nouit filium, niſi Pater; & nemo nouit Patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. p.24. n.155

29 Tollite iugum meum ſuper vos. p.517. n.15

12.8. Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati. p.23. n.142

24 In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. p.132. n.46

48 Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei. p.408. n.127

13.17. Dico vobis, quod prophetæ, & iuſti cupierunt videre. p.348. n.14

14.2. Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & virtutes operátur in eo. p.548. n.48

5 Timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant. p.205. n.33

23 Dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. p.73. n.32. & p.74. n.39

15.3. Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram. p.234. n.13

22 Miſerere mei, fili Dauid. p.251. n.86

24 Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. p.108. n.20. & p.167. n.70.71.72. & 73

26 Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. p.218. n.108. & p.167. n.70.71.72. & 73. & p.612. n.76

27 Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. p.257. n.126. & p.612. n.76. & p.642. n.256.

16.16. Tu es Chriſtus filius Dei viui. p.638. n.234. & p.642. n.257

17 Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. p.215. num.90. & p.331. n.26. & p.395. n.47

28 Amen dico vobis, ſunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem. p.303. n.22

17.2. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. p.574. n.106

4 Domine bonum eſt, nos hic eſſe. p.416. n.13. & p.569. n.73

4 Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. p.504. n.78. & p.529. n.69

11 Elias quidem veniet, & reſtituet omnia. p.528. n.64. & p.533. n.95

12 Fecerunt in eo, quæcũque voluerunt, ſicut & filius hominis paſſurus eſt ab eis. p.551. n.62

16 O generatio incredula, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum, quouſque patiar vos. p.179. n.144

17 Increpauit illum Ieſus. p.368. n.29

19 Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & illuc tranſibit. p.481. n.7

18.1. Quis putas maior eſt in regno cælorum. p.124. n.121

8 Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, &c. p.195. n.67

20 Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. p.287. n.94

26 Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. p.339. n.79

32 Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me. p.570. n.78

19.28. Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim. p.201. n.5

20.1. Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios. p.464. n.5. & p.579. n.135

6 Quid hic ſtatis tota die otioſi. p.386. n.141

8 Voca operarios, & redde illis mercedem. p.643. n.263

16 Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. p.328. n.9

21 Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. p.342. n.27

23 Non eſt meum, dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. p.143. n.109

21.7. Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. p.433. n.128

9 Hoſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini. p.373. n.58

10 Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum & areſacta eſt continuo ficulnea. p.38. n.47

22.2. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. p.464. n.7

3 Miſit ſeruos ſuos, vocare inuitatos, & noluerunt venire. p.579. n.135

4 Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata. p.509. n.111

9 Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias. p.129. n.28

11 Vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem. pag.575. n.111

13 Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. p.188. n.126. & p.511. n.24

23.6. Volunt primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi. p.51. n.120

10 Vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus. p.154. n.56

13 Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ. p.388. n.151

24.16. Tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. p.533. n.96

29 Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum. p.451. n.58

30 Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli. p.71. n.19

42 Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. p.11. n.62

45 Vt det i[illegible] cibum in tempore. p.653. n.324

51 Et di[illegible] eum, partémque eius ponet cum hy[illegible]itis. p.422. n.59

25.2. Quin

25.2. Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. p.506. n.92
12 Clauſa eſt ianua, neſcio vos. p.193.n.53
23 Intra in gaudium Domini tui. p.297.n.156
32 Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues. p.511. n.122
34 Dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum: eſuriui, &c. p.155. n.62. & p.304. n.28. & pag 479. n.93. & p.396. n.55. & p.408. n.130
37 Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Reſpondebunt ei iuſti: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te. p.588. n.193
40 Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. p.35.n.29.& p.152. num.44
26.4. Concilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent: dicebant, non in die feſto. p.415.n.7
7 Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. p.247. n.60
8 Diſcipuli indignati ſunt dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari multum, & dari pauperibus. p.379. n.91
13 Ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, &c. p.588.n.192. & p.262.n.165
21 Vnus veſtrum me traditurus eſt. p 527.n.57
28 Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. p.505. num.82. & p.633. n.203. & p.654. n.330. ibid.n.335.
29 Dico autem vobis, non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcū nouū. p.644.n.273.& 274
36 Sedete hic, donec vadā illuc orare. p.69.n.2
37 Cœpit Ieſus contriſtari, & mœſtus eſſe: tunc ait: Triſtis eſt anima mea. p.497. n.28
39 Procidit in faciem ſuam orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. p.632.n.199 & p.652.n.319
41 Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. p 632. n.198
50 Amice, ad quid veniſti? p.369. n.35
51 Percutiens ſeruum principis ſacerdotum. p.417.n.22
53 An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorū. p.95.n.60
55 Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehēdere me. p.205.n.34
65 Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens, blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus. p.12.n.73.& p.570.n.82
75 Egreſſus foras fleuit amarè. p 252.n.90
27.3. Videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. p.12. n.55
5 Proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. p.355. n.60. & p.551. n.66
7 Concilio inito emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum. p.31.n.138
19 Sedente illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius dicens; nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie propter eum. p.333. n.39. & p 432. n.123
29 Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & percutiebant. p.12.n.75
29 Genuflexo ante eum illudebant ei dicentes, Auē rex Iudæorum. p.519.n.8
35 Poſtquam crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortē mittētes. p.411.n.148
37 Ieſus Nazarænus Rex Iudæorū. p.214.n.79
39 Prætereuntes blaſphemabant. p.219. n.115
46 Clamauit Ieſus voce magna dicens Eli, Eli lammaſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, &c. p.67.n.44. & p.214.n.83. & p.283. n.64
51 Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & multa corpora ſanctorum ſurrexerunt. p.396. n.53. & p.626. n.162
53 Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, &c. p.94.n.52
54 Verè filius Dei erat iſte. p.638.n.234
63 Seductor ille dixit, poſt tres dies reſurgam. p.424. n.66
66 Signantes lapidē cum cuſtodibus. p.601.n.9
28.1. Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulcrum; & ecce terræ motus factus eſt magnus, &c. p.189. n.34
9 Ecce Ieſus occurrit illis dicens: Auete illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius. p.249.n.76.& p.281.n.46

## *Ex Marco.*

Cap.1.28. Et proceſſit rumor eius in omnem regionem Galilææ. p.518.n.25
32 Veſpere autem facto cum Sol occidiſſet, afferebant ad eum omnes malè habentes. p.424.n.70
2.14. Filius Alphæi. p.84.n.110
3.5. Circumſpiciens eos cum ira contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum. p.360.n.91
21 Dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt. p.434.n.10
4.34. Sine parabola nō loquebatur eis. p.442.n.3
5.18. Cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo, & non admiſit eum. p.373. n.55
41 Thalitha cumi. p 39.n.53
43 Iuſſit illi dari manducare. p.198.n.90
6.3. Nonne hic eſt filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ. p.84.n.110
5 Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. p.525.n.45
20 Herodes libenter eum audiebat, & eo audito multa faciebat. p.219.n.116
7.34. Ephpheta, quod eſt aperire; & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius. p.368.n.28
8.29. Dixit Petrus: Tu es Chriſtus. p.331.n.26
9.33. In via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet. p.94.n.53
10.29. Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios propter me, &c. p.462.n.117
13.32. De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius. p.443.n.10
14.37. Simon, dormis; non potuiſti vna hora vigilare mecum. p.466. n.13
50 Et diſcipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. p.260.n.149

65 Et

65 Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere. p.115.n.73
15.39 Videns centurio, quia ſic clamans expiraſſet, dixit: vere hic homo filius Dei erat. p.124.n.83.p. 374.n.63
16.1. Emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum. p.627.n.165
7 Dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. p.448.n.45
9 Maria Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. p.243.n.34

## *Ex Luca.*

Cap.1.24 Concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque p.206.n.35
26 Angelus miſſus à Deo. p.222.n.132
28 Aue gratia plena. p.210.n.62
30 Inueniſti gratiam apud Deum. p.295.n.143
34 Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. p.399.n.77
46 Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. p.293. n.125
42 Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui p.404.n.104
44 Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit infans in vtero meo. p.222.n.131
46 Magnificat anima mea Dominum p.397. 59.n
48 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. p.400.n. 82.p.407. n.120
51 Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. p.423.n.63
55 Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham. p.657.n.347
68 Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. p.225.n.149.p.638.n.236.
76 Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. p.250.n.81.p.550.n.60
78 Viſitauit nos oriens ex alto. p.200.n.99
2.1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Et hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cirino. p.104.n.42
9 Ecce Angelus Domini aſtitit, & claritas Dei circunfulſit. p.434.n.6
13 Subito facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus. p.392.n.28
14 In terra pax hominibus bonæ voluntatis. p.144.n.7
35 Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. p.146 n.18
3.5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur p.87.n 4
23. Qui putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli qui fuit Mathat. p.302.n.18
4.38. Surgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis. p.390.n.18
39 Imperauit febri & dimiſit eam. p.172.n.102
8 Exi à me, quia homo peccator ſum. p.22. n.137
7.11. Ibat Ieſus in ciuitatem Naim. *ac de toto Euangelio.*
14 Adoleſcens, tibi dico, ſurge. p.39.n.53.& p.366.n.17
37 Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. p.239
8.45. Ait Ieſus, quis eſt, qui me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt & tu dicis, quis me tetigit p.95.n.56
9.18. Interrogauit diſcipulos ſuos dicens, quem me eſſe dicunt turbæ. p.442.n.2
30 Loquebantur de exceſſu p.365.n.13
41 Generatio infidelis, & peruerſa. p.418.n.26
51 Factum eſt autem cum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe firmauit faciem ſuam, vt iret in Ieruſalem. 426.n.81
54 Domine vis, dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos. p.572.n.95
82 Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. p.417. n.15
10.1. Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe ventulus. p.81.n.88.p.130.n.36
6 Si fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem, ad vos reuertetur. p.145.n.10
18 Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. p.354.n.52
19 Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. p.313.n.87
23 Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. p.346.
34 Videns eum, miſericordia motus eſt; & appropians aligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, imponens illum in iumentū ſuū ducit in ſtabulum. p.187.n.18
38 Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. p.255.n.113
42 Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. p.262.n.165
11.5. Amice accommoda mihi tres panes. p.275 n.8.p.429.n.102
15 In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia, p.519.n.6
12.17. Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos, & dixit hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam. p.581.n.146.p.591.n.18
33 Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt. p.578.n.129
42 Vt det illis in tempore tritici menſuram. p.653.n.324
46 Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum, & partem eius cum infidelibus ponet p.422.n.59
49 Ignem veni mittere in terram. p.146.n.14
13.28. Cū videritis Abraham, Iſaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem foras expelli, & venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent in regno Dei. p.182.n.169
14.26. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. p.146.n18
15.4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit

ad illã quæ perierat, donec inueniat eam. p.76.n.55.& p.428.n.98.& p.503.n.74
17 Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. p.619.n.122
18. Surgam, ibo ad Patrem meum, & dicam ei
19 Pater, peccaui in cœlum, & coram te iam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. p.255. n.112.p.361.n.98. & p.446..n.31.p.638. n.232
20 Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt,& accurrens cecidit ſuper collum eius,& oſculatus eſt eum. p.202.n.14.p.590.n.17. p.369.n.33
22 Dixit ad ſeruos ſuos, cito proferte ſtolam primam,induite illum,& dare ei annulum in manum eius. p.270.n.220.p.360.n.97. p.500.n.50
23. Adducite vitulum ſaginatum. p.79.n.70. p.618.n.115.p.627.n.166.p.637.n.230
25 Audiuit ſymphoniam,& chorũ.p.627.n.166
28. Nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus foras cœpit rogare illum. p.619.n.119
29 Ecce tot annis ſeruio tibi,& nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. p.372.n.52
31 Fili tu ſemper mecũ es, omnia mea tua ſunt p.350.n.30
16.1. Hic diffamatus eſt apud illum quaſi diſſipaſſet bona ipſius; & vocauit illum & ait illi,quid hoc audio de te. p.507.n.101
8 Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. p.570.n.79
19 Induebatur purpura, & byſſo. p.71.n.16
22 Vt portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ p.147.n.21
23 Eleuãs autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham. p.419.n.33
25. *Fili, recordare, quod recepiſti bona in vita tua.* p.418.n.32.p.505.n.83
26 Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt,vt hi,qui volunt,hinc tranſire ad vos, non poſſint. p.321.n.139
28 Rogo te,Pater,mitte eum in domum patris mei,habeo enim quinque fratres,vt teſtetur illis, ne ipſi veniant in locum pœnarum. p.215.n.91
17.6. Si habueritis fidem quaſi granum ſinapis. 487.n.44
22 Venient dies, quando deſideretis videre vnum diem filij hominis. p.346.n.6
28 Edebant, bibebant, vendebant, & plantabant, & ædificabant; pluit ignem, & ſulphur de cœlo. p.461.n.108
18.32.Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur & flagellabitur. p.639.n.240
19.8. Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus & ſiquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. p.571.n.90.
38 Benedictus, qui venit rex in nomine Domini. p.587.n.189
20.38.Omnes enim viuunt ei. p.39.n.53
21.18.Capillus de capite veſtro non peribit. p.138.n.84
22.28.Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. p.270.n.221
31 Ecce Satanas expetiuit,vt cribraret ſicut triticum. p.630.n.182
32 Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. p.82.n.96.p.425.n.79
33 Domine, tecum paratus ſum, in carcerem, & in mortem ire. p.216 n.97
44 Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. p.95.n.60.p.497.n.28
53 Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. p.470.n.43
66 Blaſphemabant eum, Si tu es Chriſtus. p.519.n.8
23.1. Surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. p.452.n.66
2 Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram. p.257.n.130
11 Tunc ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit, & indutum veſte alba remiſit ad Pilatum. p.419.n.39
29 Venient dies in quibus dicent;beatæ ſteriles, & ventres;qui non genuerũt.p.403.n.97
34 Pater,dimitte illis non enim ſciunt,quid faciunt. p.112.n.54.p.332.n.33
42 Domine,memento mei, cum veneris in regnum tuum. p. 566.n.55. & p.642.n.256
43 Hodie mecum eris in Paradiſo. p.406. n.115
24.18.Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti,quæ facta ſunt in illa his diebus. Quibus ipſe dixit:quæ? p.209. n.55
31 Accepit Ieſus panem, & fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. p.422.n.56

## *Ex Ioanne.*

Cap.1.4 In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum;& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.p.397. n.67.& p.133.n.56
7 Venit,vt omnes crederent per illum.p.223. n.139
12 Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. p.228 n.166
16 De plenitudine eius nos omnes accepimus, p.336.n.61
20 Tu quis es? p.227.n.162
29 Ecce Agnus Dei. p.107.n.11.p.219.n.117
33 Ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit,ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. p.45.n.86.& p.207.n.43
37 Dicens,Ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo diſcipuli loquentem,& ſecuti ſunt Ieſum. p.130.n.35
42 Tu es Simon filius Iona.
49 Tu es filius Dei,tu es rex Iſrael. p.395.n.47. p.642.n.257
2.4. Quid mihi, & tibi mulier. p.438.n.34
15 Eiecit vendentes, & ementes de templo. p.171.n.92
3.10. Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras, p.218.n.109
14 Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis. p.649.n.300
20 Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lumen,vt non arguantur opera eius. p.467.n.21
29 Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. p.308. n.53





4.4. Oportebat,eum tranſire per Samariam.p.99. num.7
11 Neque in quo haurias,habes. p.584.n.166
19 Video, quia propheta es tu. p.260. n.146. & n.152
29 Venite, & videte hominem,qui dixit mihi omnia,quæcumque feci. p.273.n.242
35 Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſẽ. p.308.n.52
38 Ego miſi vos metere, quod non laboraſtis. p.98. n.3
38 Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. p.54.n.19
13 Omnis qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum. p.659. n.358
5.10. Sabbatum eſt, non licet tibi,tollere grabbatum tuum. p.370. n.40
25 Amen dico vobis, venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei. p.193. n.55
35 Erat lucerna lucens,& ardens. p.223.n.139
11 Accepit Ieſus panes,& cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. p.616.n.102
14 Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. p.209.n.57
15 Fugit in montem. p.90.n.28
71 Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt. p.85.n.115.& p.369.n.35
7.3. Dixerunt ad eum fratres eius; tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua,quæ facis. n.40. p.524
5 Neque enim fratres eius credebant in eum. p.434.n.10
28 Clamabat Ieſus in templo docens, & dicens. p.67.n.44
37 In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit,veniat ad me,& bibat. p.89. num.22. & p.393.n.40. & p.315. n.100
38 Qui credit in me,ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent. p.315. n.100. p.38. n.50
45 Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: nunquam ſic locutus eſt homo. p.398. n.72
8.2. Adducunt mulierem deprehenſam modo in adulterio. p.258.n.136
8 Ipſe autem inclinans ſe ſcribebat in terra. p.69.n.53. & p.360.n.91
12 Ego ſum lux mundi. p.47.n.97
13 Tu de te ipſo perhibes teſtimonium; teſtimonium tuum non eſt verum. pag.213. num.74
16 Teſtimonium meum eſt verum, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater. p.44. n.79
28 Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quod ego ſum. p.421.n.55
44 Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. p.418. n.31
53 Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham. p.227. n.161
56 Pater veſter Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit,& gauiſus eſt. p.347. n.10. & p.530. n.79
59 Exiuit de templo, & abſcondit ſe.p.9.n.46
29 Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autẽ neſcimus,vnde ſit. p.210.n.61.
31 Scimus, quia Deus peccatores non exaudit, ſed ſi quis Dei cultor eſt. p.286.n.88



10.1. Fur eſt, & latro. p.12.n.74
11 Ego ſum paſtor bonus. p.187.n.18
12 Videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. p.126.n.10
16 Vnum ouile,& vnus paſtor. p.99.n.10
32 Multa bona opera oſtendi vobis. p.35.n.30
11.2. Maria autem erat,quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis, cuius frater Lazarus infirmabatur. p.241. num.20
4 Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. p.119.n.96
9 Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia videt lucem huius mundi.p.75.n.46
24 Scio,quia reſurget in nouiſſimo die. p.572. num.91
27 Vtique ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui. p.285.n.78
28 Vocauit Mariam ſororem ſuam,dicens:Magiſter adeſt, & vocat te. Illa, vt audiuit, ſurgit cito,& venit ad eum. p.267.n.196
33 Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem. p.263. n.169
34 Vbi poſuiſtis eum. p.203.n.18
35 Ieſus lachrymatus eſt. p.503.n.73
41 Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me. p.329. n.15
43 Lazare veni foras.p.39.n.53.& p.195.n.70. & p.197.n.82
44 Ieſus magna voce clamauit,Lazare veni foras.Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, &c. p.302.n.12. & p.366. n.17. & p. 198. n.89. & 91
12.3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi,& vnxit pedes Ieſu.p.247. num.60
4 Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius,Iudas Iſcariotes: Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denariis, & datum eſt egenis. p.375. n.65.& p.379.n.91
6 Fur erat,& loculos habebat. p.569.n.76
7 Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. p.272. n.234
28 Clarificaui,& iterum clarificabo.p.421.n.50
31 Nunc iudicium eſt mundi. p.510.n.119
31 Nunc princeps huius mundi eiicietur foras;
32 Et ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. p.364.n.6.& p.365. n.13.& p.421.n.55.
13.1. In finem dilexit eos. p.612 n.78
2 Cum diabolus iam miſiſſet in cor,vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotæ. p.115. n.68. & p.355.n.60
4 Surgit à cœna,ponit veſtimenta ſua,& cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe; mittit aquam in puluim. p.253. n.100.& p.103. n.30
5 Cœpit lauare pedes diſcipulorũ.p.253.n.98
8 Non lauabis mihi pedes in æternum.p.209. num 53
14 Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus,& Magiſter veſter;& vos debetis,alter alterius lauare pedes. p.397.n.61
22 Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli hæſitantes,de quo diceret. p.94. n.53
27 Poſt buccellam introiuit in eum Satanas. p.527.n.57.& p.666.n.402
30 Cum ergo Iudas accepiſſet buccellam, exiuit continuo. p.691. n.11.& p.614.n.90. & p.643. n.260. & p.624.n.149

4.8. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. p.571. n.86
12 Maiora horum faciet. p.35.n.29
26 Paraclitus autem ſpiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. p.331.n.25.& p 533. n.95
27 Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. p.144.n.7
29 Nunc dixi vobis, antequam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. p.105.n.3
15.12. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. p.340.n 84
19 Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret, quia vos de mundo non eſtis, &c. p.123.n.118
24 Oderunt & me, & Patrem meũ. p.396.n.57
26 Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. p 331.n.25
16.7. Expedit vobis, vt ego vadam, ſi enim non abiero, &c. p.39.n 58
15 Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet. p.335. n.55
30 Dicunt ei diſcipuli: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis, nunc ſcimus, quia ſcis omnia. p.113.n.63
17.2. Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis. p.650 n304.
6 Tui erant, & tu mihi eos dediſti.p.283.n.64
9 Ego pro eis rogo non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi. p.336.n.58
18.4. Ieſus autem, ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit: Quem quæritis? p 109.n.30
6 Milites ceciderunt retrorſum. p.312.n.81
8 Ego ſum: Si ergo me quæritis, ſinite, hos abire. p.594. n.41.& p.205.n.33
20 Ego palam locutus ſum, & in occulto nihil. p.133 n.56
21 Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt. p.570.n.81. & 82
25 Nunquid tu ex diſcipulis eius es? pag.260. n.149
37 Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. p.395. n.48
40 Non hunc, ſed Barabbam. p.257.n.130
19.10. Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te. p.573.n.97.& p.43 n.74.& p.96 n.61
19 Ieſus Nazaræнus Rex Iudæorum. pag.391. n.27. & p.587.n.190
23 Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes. p.579.n.136
24 Non diuidamus eam, ſed mittamus ſortes. p.12 n.73
27 Cum vidiſſet Ieſus Matrem, & diſcipulum ſtantem, dicit diſcipulo, &c. p.418. n.34
28 Dixit Ieſus, ſitio. p.445.n.24
30 Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt; & inclinato capite, tradidit ſpiritum. p.503.n.70
31 Iudæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, &c. p.7.n.35
34 Exiuit ſanguis, & aqua. p.601.n.11
20.11. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. p.267.n.197
15 Mulier, quid ploras? p.242.n.23
17 Noli, me tangere. p.256.n.124
21 Sicut miſit me Pater, ego mitto vos. p.654. num.333
22 Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. pag.39. n.58. & p.661. n.366
25 Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loca clauorum, & mittam manum meam in latus eius, &c. p.249.n.76.& p.664.n.385
28 Dominus meus, & Deus meus. p.613.n.85
29 Quia vidiſti me, Thoma, crediſti; beati, qui non viderũt, & crediderũt. p.346.n.5
21.7. Dominus eſt. Simon Petrus, cum audiſſet, quia Dominus eſt, miſit ſe in mare.p.608. num.58
15 Simon Ioannis, diligis me plus his. p.391. n 21 & 22. & p.279.n.36
15 Dicit ei, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. p.279. n.36. & p.2 6.n.97
17 Paſce oues meas. p.82. n.93.& p.214.n.80
18 Amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas, cum autem ſenueris, &c. p.508.n.106
22 Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te, tu me ſequere.p.147.n.21.& p.566. num.49

## *Ex Actis Apoſtolorum*

Cap.1.4 ET conueſcens præcepit eis, ne ab Ieroſolymis diſcederent. p.647.n.291
9 Nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorũ p.71.n.19
12 Qui eſt iuxta Ieruſalem, Sabbati habens iter. p.55 n.28
18 Suſpenſus crepuit medius. p.18.n.138
21 In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis p.229.n.174
24 Tu Domine, qui corda noſti omnium.p.74. n.41
2.3. Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & apparuerũt illis diſpertitæ linguæ. p 324.n.15
7 Nonne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt. p.91 n 33
12 Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes, Quidnam hoc vult eſſe Alij irridentes dicebant quia muſto pleni ſunt iſti. p.23.n.146
3.18. Deus prænunciauit per os omnium prophetarum, pati Chriſtum ſuum. p.347.n.9
32 Nec quiſquam eorũ, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Virtute magna redebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis. p.215. n.92
6.4. Nos verò orationi, & miniſterio verbi intenti erimus. p.294.n.137
15 Intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli. p.224.n.246
7.2. Viri fratres, & patres audite. p.359.n.87
51 Vos Spiritui ſancto reſiſtitis; ſicut & patres veſtri, ita & vos. p.418.n.30
55 Vidit gloriam Dei & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à Dextris Dei. p.568.n.70.& p.224.n.146.
8.4. Pertranſibant Euangelizantes regnum Dei p.129.n.31





31 Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi. p.457.n 89
9.5. Ego ſum Ieſus. p.391.n.27
6 Domine, quid me vis facere? p.373.n.56
11 Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem. p.372.n.53
13 Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem. p.243.n.321
16 Egò oſtendam illi quanta oportet pro nomine meo pati. p.71.n.16
40 Tabita, ſurge. p.193.n.56
10.11. Deſcendens vas quoddam velut linteum magnũ quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terrã, in quo erant omnĩa quadrupedia, & ſerpentia terræ, &c. p.430.n.109
13 Surge, Petre, & occide, & manduca. Et ait Petrus: Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. p.259.n. 141
22 Qui cõſtitutus eſt à Deo iudex.p.640.n.245
28 Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam. p.98.n.1
38 Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes. p.38.n.47
43 Et huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent. p.347.n.9
12.7. Percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens ſurge velociter. p.202.n.11
8 Calcea te caligas tuas. p.103.n.33
11 Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. p.554.n.81
22 Populus autem acclamabat, Dei voces, non hominis. p.158.n.14.
13.46. Vobis oportebat, primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes. p.99.n.10
14.11. Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam, Iouem; Paulum vero Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi. p.97.n.73
17.28. Sicut quidam veſtrorum poetarum dixerunt ipſius enim & genus ſumus. p.172.n.100
20.29. Intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcẽtes gregi.p.465.n 12
22.3. Secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis. p.279.n.34
25 Cum aſtrinxiſſent eum loris dixit aſtanti ſibi: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare. p.392.n.31
26.2. Æſtimo me beatum, apud te cum ſim defenſurus me hodie. p.400.n.80

## *Ex Epiſtola ad Romanos*

Cap.1.14 GRæcis, ac barbaris, ſapientibus, ac inſipientibus, debitor ſum. p.507.n.97
24 Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. p.188.n.25
3.4. Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax. p.44.n.79
4.3. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam p.605.n.35
11 Pater omnium credentium. p.395.n.50
17 Viuificat mortuos. & vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt. p.195.n.68
18 Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium. p.88.n.10
5.1. Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum. p.272.n.229
6.13. Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis p.382.n.110
17 Gratias Deo meo quoniam fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde, in quam traditi eſtis formam. p.328.n.5
22 Nunc vero liberati à peccato ſerui autem facti Deo, habebitis fructum veſtrum in ſanctificationem. p.341.n.91
8.15. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. p. 228.n.166.p.344 n.111
17 Heredes Dei, cohæredes autem Chriſti. p 440.n.47
29 Prædeſtinauit nos conformes fieri imagini filij Dei. p.298.n.161
9.9. Promiſſionis verbum hoc eſt: Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius: non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac. p.451.n.60
10.10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. p.141.n.96
14 Quomodo audient ſine prædicante. p.453 n.68.
20 Iſaias autem audet, & dicit: inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. p.495.n.18
11.25. Cœcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret. p.130.n.40
32 Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. p.566.n.52
12.2 Reformamini in nouitate ſenſus veſtri. p.195.n.70
20 Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi. p.29.n.102
13.12. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. p.75.n.46
15.4. Per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. p.317.n.77
8 Dico, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncisionis propter veritatem ad confirmandas promiſſiones patrum. p.99.n.9
16.25. Secundum reuelationem myſterij, temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt per Scripturas prophetarum, p.492.n.75

## *Ex 1. ad Corinthios.*

Cap.1.18. VErbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis virtus Dei eſt. p.486.n.38
27 Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. p.80.n.78
2.4. Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis ſed in oſtentione ſpiritus, & virtutis p.118.n.87.
7 Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula. p.492.n.75
9 Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, diligunt illum.p.631.n.191
2 Lac vobis potum dedi, non eſcã.p.626.n.161

5.6. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. p.615. n.95
9.10 Nunquid de bobus cura eſt Deo p.137.n.77
14 Dominus ordinauit iis,qui Euangelium annunciant, de Euãgelio viuere.p.104.n.36
3 Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, &c. p.650.n.307
7 Neque idololatræ efficiamini,ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt. p.553.n.74
11 Hæc omnia in figura contingebant illis. p.492. n.73
11.11. Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino p.489. n.52
23 Dominus Ieſus,in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias egit.p.630.n.182
26 Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. p.430. n.111. & p.634.n.212
29 Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. p.614.n.93
12.27. Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro. p.652. n.322
13.2. Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem itaut montes transferam, &c. pag.502. n.67
5 Charitas nõ quærit,quæ ſua sũt.p.152.n.48
11 Cum eſſem paruulus,loquebar vt paruulus; ſapiebam,vt paruulus; cogitabam,vt paruulus. p.120. n.101
12 Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. p.606. n.37
13 Maior autem horum eſt charitas. pag. 182. n.222
14 20. Nolite pueri effici ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote. p.112. n.56
15.10. Abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.p.340. num 86
41 Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum. p.454. n.75
41 Stella enim à ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. p.292. n.122
45 Abſorpta eſt mors in victoria. p.483. n.19
58 Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter eſt inanis in Domino. p.307. n.48


## *Ex 2. ad Corinthios.*


Cap.1.5. QVoniam ſicut abundant Paſſiones Chriſti in nobis,ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. pag.117. num.77
3.3. Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui,non in tabulis lapideis,&c.p.449.n.49.
4.7. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. p.493. n.7
17 Id enim,quod in præſenti eſt momentaneũ, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. p. 309. n. 58
5.13. Auferte malum ex vobiſipſis. p.475. n.73
20 Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam à Deo exhortante per nos. p.152.n.44
6.11. Os meũ patet ad vos,ô Corinthij.p.285.n.75
9.6. Qui parcè ſeminat,parcè & metet,& qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. p.297. n.159
11.1. Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ; ſed ſupportate me. p.44. n.84.
23 Miniſtri Chriſti ſunt ( vt minus ſapiens dico ) plus ego. ibid. n.85
27 In vigiliis multis,in ieiuniis multis.p.73.n.50
29 Quis infirmatur,& ego non infirmor; quis ſcandalizatur, & ego non vror. p. 164. n.51. & p.206. n.38
33 Per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murũ,& ſic effugi manus eius. p.127.n.16
12.2. Raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. p.77. n.58
3 Scio huiuſmodi hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus, ſcit quoniã raptus eſt in paradisũ,&c. p.482.n.13


## *Ex Epiſtola ad Galatas.*


Cap.1.10. SI adhuc hominibus placerem,Chriſti ſeruus non eſſem. p.50. n.118
2.9. Cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi,Iacobus,& Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe. p.81. n.86
20 Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. p.629.n.181
23 Iis, qui ſub Lege ſunt. p.175. n.120
4.14. Non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. p.151. n.44
5.9. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. p.489. n.57
6.14. Mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo. p.150. n.35


## *Ex Epiſtola ad Epheſios.*


Cap.1.10. INſtaurare omnia in Chriſto. p.528. num.64
11 Qui operatur omnia ſecundum conſilium ſuæ voluntatis. p.334. n.46
14 Ieſus pax noſtra. p.143. n.4
17 Veniens Ieſus euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis,& pacem iis, qui prope, quoniã per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem. p.90. n.24
3.9. Diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo,qui omnia creauit,vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus.p.393.n.35
4.11. Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios vero Euangeliſtas.p.408. num.130
5.8. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. p.47. n.100. & p.133. n.56
8 Vt filij lucis ambulate. p.289. n.105
14 Exurge, qui dormis. p.19. n.121
30 Membra ſumus corporis eius,de carne eius, & de oſſibus eius. p.491.n.66
6.5. Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, &c. p.174. n.116
12 Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates. p.119. n.95


## *Ex Epiſtola ad Philippenſes.*


Cap.1.4. SEmper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis deprecationem faciens ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti. p.153. n.53


23 Deſide




23 Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. p.127. n.16
29 Vobis donatum eſt pro Chriſto,non ſolum, vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini. p.462. n.117
2.3. Sibi inuicẽ ſuperiores arbitrantes.p.79.n.72
7 In ſimilitudinẽ hominũ factus.p.371.n.47.
8 Factus obediens vſque ad mortem.pag.640. n.245
21 Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. p. 396. num.60
4.7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. p.144. n.4
5.32. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico,in Chriſto,& in Eccleſia.p.333.n.41


## *Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.*


Cap.3.14. SVper omnia charitatem habere,quod eſt vinculum perfectionis.pag.271. n.222


## *Ex Epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes.*


Cap.4.15. IN voce Archangeli, & in tuba Dei, p.41. n.64
15 Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit;ita Deus eos,qui dormierunt, per Ieſum,adducet cum eo. p.483. n.20


## *Ex 2. ad Theſſalonicenſes.*


Cap.3.10. SI quis non vult operari, nec manducet. p.600. n.6


## *Ex Epiſtola 1. ad Timotheum.*


Cap.1.9. LEx iuſto non eſt poſita. p.175. n.120
15 Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. p.99.n.10
2.2. Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate,& caſtitate. p.286.n.86
11 Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: Docere autem, mulieri non permitto. p.390. n.15
5.22. Manus cito nemini impoſueris. p.78. n.65
6.10. Radix omnium malorum cupiditas. pag. 86 n.126


## *Ex 2. ad Timotheum.*


Cap.4.6. EGo enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.Bonum certamen certaui. p.532. n.89
13 Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. p.101. n.19
14 Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit. p.35. n.30


## *Ex Epiſtola ad Hebræos.*


Cap.1.3. QVi cum ſit ſplendor gloriæ,& figura ſubſtantiæ eius. p.602. n.16
6 Et adorent eum omnes Angeli Dei. p.631. n.190
14 Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi. p.9. n.47
2.14. Vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. p.583. n.118
16 Nuſquam Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehendit. p.526. n.50
4.9. Relinquitur Sabbatiſmus populo Dei. pagin. 411. n.146
16 Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur. p.425. n.74
5.7 Qui in diebus carnis ſuæ preces,ſupplicationéſque ad eum,qui poſſet illum ſaluum facere à morte, &c. p.61.n.4. & pag.445. n.23. & p.503. n.73
13 Omnis enim,qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt; perfectorũ autẽ ſolidus eſt cibus.p.88.n.11
6.17. Volens Deus oſtendere immobilitatem conſilij ſui. p.219.n.114
7.12. Tranſlato ſacerdotio,neceſſe eſt, vt & Legis tranſlatio fiat. p.636. n.222
10.4. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. p.5.n.20
11.4. Fide plurima hoſtiam Abel obtulit. p. 394. num.44
13 Confitentes, quod hoſpites, & peregrini ſunt ſuper terram. p.91. n.36
24 Moyſes grandis factus negauit ſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei. p.446. n.29
12.1. Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamẽ p.329.n.11
2 Aſpicientes in Auctorem fidei. p.150. n.36
2 Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. p.497. n.28
16 Ne quis fornicator,aut prophanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita. p.319.n.125
13.12. Extra portam paſſus eſt. p.539. n.125


## *Ex Epiſtola Iacobi.*


Cap.1.6. POſtulet autem in fide nihil hæſitans. p.184. n.179
8 Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus operibus ſuis. p.6. n.27
18 Voluntarie genuit nos verbo veritatis,vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.p.295. n.139
2.18. Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam, p.196.n.75
4.4. Quicumque voluerit amicus eſſe huius ſæculi,inimicus Dei conſtituitur.p.50.n.118


## *Ex Epiſtola 1. Petri.*


Cap.1.9. SAlutem animarum. p.626.n.160
18 Redempti eſtis pretioſo ſanguine Agni. p.652. n.322
2.2. Sicut modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite. p.629. n.179
21 Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis.p.150 num.36
3.15. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. p.118. n.85
20 Noë,cum fabricaretur Arca,in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt. p.139. n.88
4.14. Si exprobramini in nomine Chriſti,beati eritis. p.122. n.108
15 Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. p.117. n.81


## *Ex Epiſtola 2. Petri.*


Cap.2.21 MElius erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti. p.526. n.55
3.7. Igni reſeruati in diem iudicij. p.633.n.206


Ex

### *Ex Epiſtola 1. Joannis.*


Cap. 3. 1 Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei nominemur, & ſimus. p.523. n.33

18 Filioli non diligamus verbo, & lingua, ſed opere, & veritate. p.159. n.23


### *Ex Epiſtola 3. Ioannis.*


Cap. 4. Maiorem horum non habeo gratiam quàm vt audiam, filios meos in veritate ambulare. p.304. n.26


### *Ex Epiſtola Iudæ.*


Cap. 1. Ivdas Ieſu Chriſti ſeruus. pagin. 84. n.112


### *Ex Apocalypſi.*


Cap. 1. 5. Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis. p.38. n.48

10 Audiui poſt me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis, quod vides, ſcribe in libro. p.393. n.38

15 Oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, &c. p.146. n.15. & p.481. n.11

2. 4. Habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primã reliquiſti: memor eſto itaque vnde excideris, &c. p.466. n. 16. & p. 580. n.144

17 Vincenti dabo Manna abſconditum.

3. 18. Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum, vt locuples fias. p.483. n.17

20 Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, &c. p.631. n.192

4. 5 De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes. p.83. n.104. & p.399. n.78. & 74

6 In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo. p.273. n.240

10 Procidebant vigintiquatuor ſeniores, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, &c. p.636. n.225. & p.645. n.280

5. 6. Vidi Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua, ſeptem, & oculos ſeptem. p.641. n.250

8 Ceciderunt coram Agno, habentes phialas ſuas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. p.367. n.24

6. 1. Audiui tanquam vocem tonitrui. pag. 83. n.102

2 Data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. p.613. n.87

4 Exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, &c. p.147. n.20

6 Et audiui tanquam vocem in medio animalium quatuor dicentium, bilibris tritici denario, &c. p.359. n.90

10 Vſquequo, Domine, ſanctus, & verus non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de his, &c. p.623. n.143. & p.627. n.163

11 Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. pag.441. num.50

7. 14. Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. p.644. n.275

11. 3. Dabo duobus teſtibus meis. p.534. n.99

4 Hi ſunt duo oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ a ſtãtes. ibid. n.98

12. 1. Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, &c. p.277. n.22. & p.280. n.41

14 Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum. p.291. n.115

15 Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, &c. p.180. n.152

14. 1. Vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta millia. p.107. n.17

4 Hi ſequuntur Agnum, quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus. p.567. n.57

14 Et ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis. pag.268. n.201

17. 2. Cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui habitant terram, de vino proſtitutionis eius. p.370 n.37

15 Aquæ multæ, populi multi. p.5. n.20

18 21. Lapis miſſus in ſtagnum. p.324. n.26

19. 9. Gaudeamus, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe: & dixit mihi, ſcribe beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt, &c. p.22. n.138

14 Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo. p.114. n.64

17 Vidi vnum Angelum ſtantem in Sole, & clamauit voce magna omnibus auibus: Venite, &c. p.620. n.126. & p.629. n. 179

20. 2. Apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, & ligauit illum per annos mille. p.382. n.115

21. 2. Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. p.277. n.24

11 Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo habentem claritatem Dei. p.601. n.9

23 Ciuitas non eget Sole, & Luna; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus. p.47. n.97. & p.294. n.131. & p.534. n.98. & p.636. n.224

22. 1. Vidi fluuium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de Sede Dei, & Agni. p.538. n.121

31. 2. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum; & folia ligni ad ſanitatem gentium. pag.611. n.72. & 73






# R.P.D.Fr. IOANNIS DA SYLVEIRA COMMENTARIORVM in textum Euangelicum

# LIBER QVINTVS.

## EXPLICANS SECVNDVM SACRATISSIMVM annum Prædicationis Chriſti Iesv.

### *PRÆFATIVNCVLA.*

SVperiori tomo explicauimus primum Chriſti Iesv prædicationis annum, quem D. Epiphanius hæreſi 41. appellat annum placabilem; in eo enim nullæ fuerunt controuerſiæ, aut altercationes inter Chriſtum, & Iudæos, quæ multæ iam ab initio huius ſecundi anni exortæ ſunt, vt videbimus à cap. 1. ſequenti, & deinceps. Cùm enim, vt notant D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. D. Gaudentius de Paraticio, Chriſti fama, & opinio multùm creſceret, creuit & multùm Iudæorum inuidia, vt non ſolùm ad calumnias, & detractiones obiiciendas, ſed etiam vſque ad mortem Domini machinandam, ac perpetrandam deueniret. D. Epiph. D. Auguſt. D. Gaudent.

Incepit hic ſecundus annus ſecundo Paſchate poſt Domini Baptiſmum, vt ſequenti cap. Expoſit. 1. explicabimus. Terminatur in Paſchate tertio poſt prædictum Baptiſmum. Quod cùm proximum eſſet, vt ait Ioannes 6. num. 4. ſatiauit Dominus in deſerto quinque millia hominum. In quo, tanquam in præludio, vt ait Albertus Magnus ibi, deſignauit, quod ſubſequenti Paſchate ante diem feſtum ab ipſo inſtituendum erat admirabile conuiuium ſui ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis, non ad ſaturandum tantùm quinque millia hominum, ſed ad omne genus humanum in vitam, & ſalutem æternam reficiendum. Ioan. 6. Albert. Mag.

Quomodo autem ſeries geſtorum Chriſti in hoc anno ſit intexenda, ipſa diſpoſitio, ac ordo operis indicat. Ad initium vniuſcuiuſque capitis cohærentiam hiſtoriæ explicamus, quantum ex contextu Euangeliſtarum cum meliori ſanctorum Patrum, ac Doctorum interpretatione colligere poſſumus.

# CAPVT PRIMVM,

## Paralyticus in piſcina ſanatur.

*Ioannis 5. n. 1.* Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.

### *VERSIONES.*

*D. Chryſoſtom. homil. 35.* Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam. Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum.

*Euthymius.* Poſt hoc erat feſtum Iudæorum.

*Græcus.* Erat ille dies feſtus Iudæorum.

### *EXPOSITIO I.*

1. *Ioannes aduertit tempora Paſchalia prædicationis Chriſti.*

SVBLIMIS Ioannes Aquila ſemper denotat Paſchalia feſta, quæ tempore prædicationis Chriſti inciderunt. Nam de primo Paſchate poſt eius Baptiſmum agit cap. 2. num. 13. & n. 23. *Cum autem eſſet Ieroſolymis in Paſchate.* De ſecunda ſolemnitate, in qua exoritur ſecundus annus prædicationis Chriſti, hic facit mentionem: *Dies feſtus Iudæorum.* Tandem de tertio cap. 6. num. 4. *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.*

2. D. Gaud. Albert. Mag. D. Thom. D. Bonau.

Dum noſter Euangeliſta ait: *Poſt hæc:* non ſolùm denotat, vt aduertunt D. Gaudent. tract. 11. de diuerſis, de Paralytico. Albert. Magn. D. Thomas, D. Bonauent. & communiter recentiores, geſta cum Nicodemo, Samaritana, ac Regulo, de quibus cap. 3. & 4. ſcribit; ſed etiam multa alia, quæ ipſe omittit, & commemorat Matthæus à cap. 5. vſque ad 9. quibus abſoluitur primus annus Prædicationis, vt hodie communiter computant recentiores, quæ à nobis explicata ſunt ſecundo tomo. Et magna energia noſter Euangeliſta poſt geſta cum Nicodemo, Samaritana, ac Regulo hanc hiſtoriam de Paralytico connectit, vt ex illorum collatione maximè appareat malitia, ac obſtinatio Iudæorum, qui multò maioribus miraculis nec Chriſtum receperunt, nec venerati ſunt; ſed potius tamquam legis tranſgreſſorem arguebant, vt benè notauit D. Cyrill. lib. 2. c. 122. *Non abſque cauſa reditum Domini in Ieroſolymam ſuperioribus Euangeliſta coniunxit; ſed vt à collatione rerum oſtenderet, quantò alienigenæ, tam moribus, quam facilitate credendi, Iudæis præſtarent.* Quod latiùs ipſe proſequitur.

*Magna Iudæorum incredulitas.* — D. Cyrill.

3. *Feſtiuitates celebrandæ cum mentis eleuatione.*

*Erat dies feſtus*, ſcilicet Paſchalis, vt explicabo ſequenti q. *Aſcendit Ieſus Ieroſolymam.* Nam Ieruſalem erat in loco edito conſtituta; & ideo à venientibus è Galilæa aſcendendum erat. Deinde vt innuatur, quod cum aſcenſu, ac eleuatione mentis noſtræ celebranda ſunt feſta Deo conſecrata, ſeu vt ait Albertus Magnus, quia actus Chriſti aſcenſiones ſunt. Et notandum, quod Euangeliſta non explicat hîc, quod Chriſtus cum diſcipulis ſuis aſcenderit, ſicut exprimit, quod cum eis ad Canæ nuptias tetendit, cap. 2. num. 2. Sicut & cum eo ad montem aſcenderunt Matth. 5. n. 1. Et ingrediente Domino in nauiculam, eum ſunt ſecuti Matth. 8. num. 23. Et ſæpè multis in locis. In iis, quæ voluntaria, ac ſupererogationis opera erant, Diſcipulorum comitatum exprimunt Euangeliſtæ. At in feſtiuitate, Ieroſolymam aſcendere, ad legis obſeruantiam ſpectabat. Et ideo in Domini diſcipulis tamquam notum, & manifeſtum præſupponunt. Nec enim qui per voluntaria obſequia Chriſtum ſequebantur, in his, quæ de legis obſeruatione erant, deficerent. Et ideo Ioannes cap. 2. num. 12. ſcribit Diſcipulorum comitatum in deſcenſu in Capharnaum; non verò in aſcenſu in Ieroſolymam ad primum Paſcha poſt Baptiſmum.

Albert Mag. — Ioan. 2. — Matth. 5. — Matth. 8. — *Qui voluntaria adimplent, in præceptis ne deficiant.* — Ioan. 2.

### QVÆSTIO I.

#### *Quodnam erat feſtum, cuius hîc meminit Ioannes?*

4. TRES erant feſtiuitates, in quibus Iudæi, Ieroſolymam aſcendere tenebantur, vt iam dixi lib. 2. cap. 10. quæſt. 1. & tom. 2. lib. 4. cap. 2. expoſit. 2. Prima feſtiuitas erat Paſcha. Et incidebat menſe Niſan, qui noſtro Martio, ſeu Aprili correſpondet. Secunda erat Pentecoſtes, quæ quinquageſimo die à Paſchatis feſto celebrabatur. Tertia Scenopegiæ, quæ Septembri menſe ſolemniſabatur. Quod ergo feſtum hîc intelligat Ioannes, dubitatur.

5. D. Chryſoſt. D. Cyrill. Euthym. Theoph. Albert. Mag. D. Thom. D. Bonau. Lyran. Maldonat. Caiet.

Feſtum Pentecoſtes denotari, tradunt D. Chryſoſtomus homil. 35. in Ioan. D. Cyrillus lib. 2. cap. 122. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Lyranus, Maldonatus. Et in eo videntur fundari. Quod Ioannes cap. 2. num. 13. mentionem facit de feſto Paſchali: ergo hic videtur agere de ſequenti feſto Pentecoſtes. Caietanus vult; hîc ſignificari feſtum hyemale. Et ſanè leui fundamento.

6. Probabilior, & verior ſententia eſt, quam docent D. Irenæus lib. 2. cap. 39. Abulenſis in ſuo defenſorio. Rupertus, Ianſenius, Salmeron, Beauxamis, Toletus, Barradas, Franciſcus Lucas, Cornelius, fuiſſe Paſcha. Nam, vt argumentatur Rupertus, Ieſus dixit cap. 4. num. 35. Adhuc *quatuor menſes* reſtare ad meſſem: meſſis autem apud Iudæos fiebat inter Paſcha, & Pentecoſtem: ergo quando Chriſtus illa dixit, feſtum grande, quod reſtabat in proximo, erat Paſcha.

*Vera ſententia.* D. Irenæus. Abulenſ. Rupert. Ianſen. Salmeron. Beauxam. Tolet. Barradas. Franc. Luc. Cornel.

7. Ioan. 2. Ioan. 6.

Secundò, quia Chriſtus poſt Baptiſmum tres annos cum tribus menſibus prædicauit: Oportet ergo horum annorum quatuor inuenire Paſcha. Primum expreſſit Ioannes cap. 2. num. 13. Secundum hîc. Tertium cap. 6. num. 4. Quartum paulò ante mortem Chriſti. Aliter ergo ex Ioanne tantùm tertiò Paſcha colligetur. Tertiò, quia Paſcha erat præcipuum feſtum, & feſtum feſtorum: ergo dum Ioannes dixit, quod erat dies feſtus abſque expreſſione, per antonomaſiam, intelligit Paſcha, quod erat primum, & præcipuum.

*Paſcha feſtũ per antonomaſiam.*

8. Ioan. 2. Matth. 4.

Quartò, quia Chriſtus D. à Paſchate vſque ad Pentecoſtem, in quo ſpatio ſeptem hebdomadæ interiacent, non videtur veriſimile, quod tot, & tanta perageret per Iudæam, Samariam, ac Galilæam, vt narrant Ioannes à cap. 2. hucuſque, & Matthæus à cap. 4. vſque ad 9. Ergo illa geſta ſunt ab anno vſque in annum. Ac proinde bene communiter hodie hic dies feſtus computatur ſecundum Paſcha poſt Baptiſmum, ita vt ſit exordium ſecundi anni prædicationis Chriſti.

### QVÆSTIO II.

#### *Quare in hoc die feſto aſcendit Chriſtus Ieroſolymam?*

9. Interlin.

AD quæſtionem rectè reſpondet primò Interlinealis: *Solemnitatem celebrat homo cum hominibus.* Lex erat, vt maſculi omnes in Paſchate Ieroſolymitanum in templum aſcenderent Deuteron. 16. n. 16. Chriſtus, quamuis ſupremus Dominus, cum habitu eſſet inuentus vt homo, cum aliis hominibus legis obſeruantiam oſtendens ſolemnitatem celebrat, docens nos, potiùs accommodandum præſenti conditioni, ac ſtatui, quàm ſupereminenti perſonæ qualitati. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 7. & cap. 4. n. 52. & 96. & tom. 2. cap. 7. n. 14. & cap. 24. n. 57.

Deuter. 16. — *Statui accommodandum.*

10. Chryſoſt. Theoph.

Secundò Chryſoſtomus homil. 35. ait: *Frequenter in ſolemnitatibus ciuitatem petit Ieſus, vt ſimplicem ad ſe multitudinem alliciat: maximè enim huiuſmodi diebus melius diſpoſita eſſe conſueuerat.* Theophylactus. *Aſcendit Dominus, vt plures per ſigna, & doctrinas alliceret, & maximè turbam ſimplicem. Solebant enim conuenire ruſtici, & opifices, qui aliјs in operibus ſuis erant occupati.* Diuinus Magiſter opportunam occaſionem quærebat ad prædicandum, ad docendum; & ideo diebus feſtiuis aſcendebat ad hoc munus præſtandum: tum quia ratione ſolemnitatis populus melius erat diſpoſitus; tum quia multa ruſticorum, ac opificum turba, quæ modò ab operibus vacabat, confluebat. Vide tom. 2. cap. 5. num. 225. & 279. & cap. 14. num. 33. & cap. 26. num. 83. & 84.

*Prædicator opportunitatem quærat ad docẽdum.*

11. Caſſian.

Tertiò Simon Caſſianus lib. 5. cap. 27. *Chriſtus Ieruſalem tempore feſtiuitatis aſcendens, velut nihili penſus ab his, qui ſibi ſani videbantur, terrenis feſtiuitatibus intendentes, ad malè habentes, qui feſtiuitatibus vacare non poterant, ſe conuertit miſericors miſeris factus homo: ſemper Chriſtus illis ſe tradit ad ſolamen, qui mundi ſolatia deſpexerunt, aut quos ipſe mundus abhorret.* Audiant hæc cuncti, paſchaliáque feſta peragere diſcant. Ad celeberrimam ſolemnitatem Chriſtus aſcendit: non tamen forum petit, vbi ludis, ac comeſſationibus, & oblectamentis homines vacabant; ſed ad hoſpitalia, ad afflictos, & laborantes ſe confert, vt eos docendo, ac illuminando in ſpiritualibus adiuuet, atque etiam eorum morbos ſanando, in corporalibus ſubueniat, vt nos ex his diſcamus, in maioribus feſtiuitatibus charitatis operibus opem proximis noſtris ferre.

*Feſta celebremus operibus charitatis in proximos.*

12. *Chriſto feſtiuus dies, quo beneficia præſtabat.*

Quartò. Magna conſideratione aduertit Euangeliſta, quod erat dies feſtus, quando Dominus aſcendit Ieroſolymam. Ibat enim, vt populum doceret, vtque miſero languido ſubueniret: & quãdo Dominus tam præclara in ſuos largiebatur beneficia, dies ei feſtiuus erat. Vnde de celeberrimo die illo Paſſioni Domini antecedente ſcribit Euangeliſta: *Ante diem feſtum Paſcha.* Ioannis 13. num. 1.

13. Exod. 12.

Quintò. In die Paſchali aſcendit Chriſtus Ieruſalem, vt nos inſtrueret, quod nullum eſt nobis ſine Chriſto feſtum, nullúmque ſine Chriſto gaudium noſtrum. Ac proinde, vt feſtum habeamus, à nobis eſt Chriſtus in memoria retinendus. Celeberrimo illo die, quo Populus egreſſus eſt de Ægypto, mandauit Dominus, Paſchale celebrare feſtum, tamquam ſuper cætera totius anni; & præcepit, vt ſumerent agnum anniculum: *Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Exod. 12. num. 6. Agnum illum Chriſtum mortuum, & paſſum repræſentare, conſtans eſt Patrum ſententia. Sed cur tam hilaris, feſtiuúſque dies, quo Populus Ægyptiacæ ſeruitutis iugum excuſſit, repræſentatione Chriſti demortui ſolemniſari mandatur? Vt fieret euidens, quod ſine Chriſto feſtum nullum eſſe poterat. Nam inter omnes, quas Populus ille venerabatur figuras, Chriſtum Agnus maximè adumbrabat; eius enim exprimebat innocentiam, puritatem, amorem, atque mortem. In præcipua, ac ſolemniſſima feſtiuitate magnus, ac præcipuus Chriſti typus ante omnium ponitur conſpectum, vt ad maximum Paſchale gaudium conſequendum mens ex maiori Chriſti contemplatione eleuetur. D Ambroſius ſerm. 12. in Pſalm. 118. *Quoties ergo*, ait, *Paſcha celebramus, meminiſſe debemus veteris ſeruitutis. Non ergo obliuiſcamur, quia Dominus Ieſus Agnus Dei ſoluit nos grauium nexibus delictorum, quibus Pharao ille vinculo ſeruitij grauis nos tenebat adſtrictos.*

*Ex maiori Chriſti cognitione maior accreſcit feſtorum ſolemnitas.* — D. Ambr.

14. Exod. 12.

Ab eodem Exodi loco ne recedamus. Mandauit Deus Moyſi, quod diebus ſeptem comedantur azima. Et addidit: *Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis, nil operis facietis in eis.* Exod. 12. n. 16. Maximè conſideratione dignum: Cur in ſeptenario illo dies prima, & vltima magno feſtiuitatis applauſu recoli deſignantur? Cur non potiùs ſecunda, tertia, aut quarta dies? Auctor eſt Rupertus, quod illa dies prima, & vltima Chriſtum Dominum exprimebat: nam ipſe eſt Alpha, & omega; principium, & finis. Ipſe eſt, in quo prima nobis gratiæ dies illuxit; & in quo, ſicut in

ſeptenario, reſoluitur dierum numerus, deſignanda eſt tota vita noſtra, vt cum ipſo reſurgamus in gloriam. Meritò ergo in illa hebdomada præcipua, & magna feſtiuitate mandatur venerari dies prima, & vltima, in quibus advmbrabatur Chriſtus; nam vbi Chriſti repræſentatio elucet, ibi inſigniter magna feſtiuitas ac ſolemnitas interuenit. Rupertus ad citatum Exodi locum. *Hæc dies planè eſt Chriſtus, in quo de tenebris vocati in admirabile lumen educti ſumus: hanc diem ſequuntur noſtri dies ſeptem continua celebritate, vt ſeptimus quoque eadem feſtiuitate ſit venerabilis; tota námque vita noſtra ſic agenda eſt, vt in eo conſumetur, à quo cœpit.*

*Vbi Chriſti repræſentatio, ibi ſolùm magna feſtiuitas.* Rupert.

*Ioannis 5. n. 2.* Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Bethſaida, quinque porticus habens.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Eſt autem illic in Ouriſchlem locus quidam baptiſterij, qui vocatur Hebraicè Beth-Cheſdo (domus miſericordiæ) erántque in eo quinque porticus.

*Vatabl. Pagninus Franciſcus Lucas ex Græco.* Eſt autem illic in Ieruſalem ad probaticum Piſcina. Hoc eſt iuxta portam ouis, ſeu gregis lauacrum quoddam.

*D. Irenæus lib. 2. cap. 9. D. Ambr. lib. 1. de Spirit. ſanct. c. 7.* Eſt autem in Ieruſalem natatoria

*Euthym. Cornelius.* Quæ vocatur Bethſaida, id eſt domus venationis ſeu piſcationis.

*D. Hieronymus de locis.* Quæ vocatur Bethſaida, id eſt domus effuſionis.

*Arabicus.* Quæ vocatur Hebraicè Bethſaida, cuius interpretatio eſt piſcina ouium.

## *EXPOSITIO II.*

15. Caſſian. EST *autem Ieroſolymis*, quæ ciuitas viſio pacis interpretatur. Vnde benè ait Simon Caſſianus lib. 5. c. 27. quod rectè in ea deſcribitur lauacrum ſanitatis; nam vbi pax eſt, ibi ſolùm ſanitas, ac vita reperitur. *Probatica* vox eſt Græca, & idem ſignificat, ac Latinè Ouina, vel Pecuaria. Et ideo ſic dicta ab oue, vel pecore, quia in ea congregabantur, & abluebantur oues, quæ quotidie Deo in ſacrificium offerebantur in templo, vt docent D. Hieronymus lib. de locis, Gloſſa, Beda, Rupertus, Albert. Magnus, Theophylactus, D. Thomas, Carthuſianus, D. Bonauentura, Lyranus, & alij. Vel etiam nuncupabatur Probatica, quia ſita erat iuxta portam, per quam ingrediebantur ouium greges in templo ſacrificandi. Et de hac gregis porta facit mentionem Eſdras 2. cap. 3. num. 1. & 32. Et quod ad huiuſmodi oſtium eſſet hæc piſcina conſtituta, teſtatur magnus Terræ Sanctæ explorator Borchardus 1. part. cap. 7. §. 43. his verbis: *Intrantibus portam gregis ad ſiniſtram iuxta aram templi occurrit piſcina probatica. Hæc adhuc oſtenditur.* Vnde aliqui legunt ſuper probaticam, ſeu ad probaticam, ſeu in probatica, hoc eſt ſuprà, ſeu iuxta, ſeu in porta gregis.

*Vbi pax, ibi ſanitas.* D. Hieron. Gloſſa. Beda. Rupert. Albert. Mag. Theoph. D. Thom. Carthuſ. D. Bonau. Lyran. Eſdr. 2. c 3. *Quid ſignificet probatica.* Borchard.

16. *Piſcina*, hoc eſt ſtagnum, ſeu aquarum congregatio, ſic dicta à piſcibus, quos habebat, vel habere poterat. D. Thomas, Albertus Magnus, Salmeron volunt, quod dicatur piſcina per antiphraſim à piſcibus, quod eis careat; ſicut lucus, eo quod minimè luceat. Syriacus legit *baptiſterium*, ſeu lauacrum, veluti ſic dicta à miniſterio, cui inſeruiebat. D. Irenæus, Ambroſius, D. Cyrillus, & alij Græci Codices legunt *natatoria*, quia in ea piſces natare poterant, vel ſolebant. Caietanus verò ait, quod ita dicebatur, quia in ea natando animalia abluebantur, vt eſſent munda. Vnde ait Simon Caſſianus citatus, quod *vocabatur probatica piſcina, ſeu natatoria ab officio, non à proprietate rei, quoniam ibi oues abluebantur.* Cùm eſſet aquarum congregatio, non habebat nomen à ſua natura, ſed ab officio, quod præſtabat. Semper officij ratio, ac obligatio omni eſt naturæ, ac rei proprietati anteponenda.

*Piſcina vnde dicta.* D. Thom. Albert Mag. Salmeron. Syriacus. D. Irenæus. Ambroſ. Cyrill. Caiet. Caſſian. *Officij obligatio omnia antecedat.*

17. Quæ Hebraicè nuncupatur Bethſaida. Circa apices, ac puncta huius dictionis varia ſcribunt, & dicunt recentiores. Et ita cum noſtra vulgata legunt Chryſoſtomus, Euthymius, Beda, D. Thomas. Et hæc dictio Bethſaida, vt habes ex Euthymio, ſignificat domum piſcationis, ſeu venationis, quaſi ſic dicta à piſcatione piſciū; nam in ea piſces natare poterant, vel ſolebant. Vel, vt habet D. Hieronymus de locis, Bethſaida, id eſt domus effuſionis, in illam enim piſcinam pluuiales aquæ è tectis, ac editioribus locis effundebantur. Syriacus verò interpretatur: *Domus miſericordiæ*: vel quia ibi infirmi à Deo ſanabantur; vel à viris piis eleemoſynas accipiebant. Arabicus autem habet: *Quæ vocatur Hebraicè Bethſaida, id eſt piſcina ouium*: quaſi quod Græcè, & Hebraicè Euangeliſta nomen ponat deductum ab oue. Et hoc tam accuratè Euangeliſta ſcripſit propter huius miraculi excellentiam, ad diſtinguendam à cæteris hanc piſcinam, aliæ enim multæ extabant, vt piſcina Siloë, & alia in agro fullonis, illáque in Samaria, vt notat Petrus Bleſenſis ſerm. 1. de aduentu.

*Quid ſignificet Bethſaida?* Chryſoſt. Euthym. Beda. D. Thom. D. Hieron. Syriacus. Arabicus. Bleſenſis.

18. *Quinque porticus habens.* Porticus loca ſunt è ſuperiori parte contecta; à lateribus ſaltem ex vna parte aperta, & apta ad ambulandum, & quieſcendum, illíſque piſcina circumducta, ac cincta erat, vt percepta aquarum motione facilè ex quolibet porticu languidi pro ſua induſtria, ac diligentia deſcenderent in ſtagnum. Per hos quinque porticus quinque morborum genera intelligit Albertus Magnus. Aliquas interpretationes morales require q. ſequenti.

*Situs piſcinæ.* Albert. Mag.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO III.

### *Quid hæc piſcina myſticè ſignificet?*

19. D. Chryſoſt. Theoph. RESPONDENT primò D. Chryſoſtomus homil. 35. Theophylactus, qui ait: *Videbatur vtique diuina ſapientia à longè viam facere Iudæis ad fidem Chriſti, præordinando miraculum piſcinæ. Angelus enim tempore opportuno deſcendebat, & turbabat aquam, & ſanatiuam virtutem indebat. Ita & apud nos aqua baptiſmatis, aqua eſt ſimpliciter: cum autem acceſſerit Spiritus ſancti gratia per inuocationem Dei morbos ſoluit animarum.* Daturus erat Deus Sacramentum baptiſmatis, quo in aqua naturali, adueniente Spiritus ſancti gratia, à peccatorum ſordibus abluuntur animæ, virtute paſſionis Chriſti, quam paſſionem etiam ipſe Baptiſmus ſignificat. Hoc totum ordinauit in illa præfigurari piſcina, vbi in aqua adueniente angelico ſpiritu ſanabantur ægri. Et per quinque porticus piſcinæ, quinque vulnera Chriſti ex Chryſoſtomo interpretatur D. Thom. Vt ita illis figuris paulatim homines diſponerentur, atque ad ſublimia, altáque Chriſtiana myſteria aſſuefierent. Vide tom. 2. cap. 1. num. 123. & cap. 37. num. 5.

*Baptiſmus mundat à peccatis.* D. Thom. *Paulatim ad magna diſponendum.*

20. D. Auguſt. Apoc. 17. Secundò D. Auguſt. tract. 17. ait, quod piſcina aquarum copia repleta populum Iudaicum adumbrabat. Nam aqua populum ſignificat. *Aquæ multæ, populi multi.* Apoc. 17. num. 15. Aqua illa erat incluſa per circuitum habens quinque porticus. Nam populus ille ſub diuinæ legis limite erat incluſus, & quinque Moyſis libris, tanquam quinque porticibus claudebatur, in quibus languentium multitudo iacebat, quia lex non poterat peccata ſanare. *Impoſſibile eſt, per ſanguinem hircorum, aut taurorum auferri peccata.* Ad Hebr. 10. num. 4. Angelus deſcendens Chriſtus Dominus magni conſilij Angelus. Languidus verò genus humanum, Et vnus ſanabatur, nam qui vniti ſunt in vno Chriſti corpore, ſanantur.

Hebr. 10. *Qui vniti ſunt in Chriſto, ſanantur.*

21. Galfrid. Tertiò Galfridus in Catena Græca ſic explicat. Mens noſtra velut quædam piſcina cogitationum, velut aquarum collectio, quinque porticus habet, ſcilicet corporis ſenſus, in quibus iacet multitudo languentium. Aqua verò profunda ſenſus in corde viri, quæ per Angelum Domini mouetur, cùm diuinitus cogitatio noſtra timore concutitur. Et qui primus immergitur, ſanatur. Nam qui perfectè in hac vita compungitur, ſaluus erit. Non ſimiliter autem meretur, qui poſtea venerit, quia poſt mortem etſi pœnitentia erit, ſed iam fructuoſa non erit.

*Meritum in hac vita.*

22. Hugo. Quartò Cardinalis Hugo ait, quod moraliter piſcina eſt pœnitentia; ſicut enim in piſcina abluebantur victimæ, ita in lachrymis pœnitentiæ abluitur homo. Et ſicut nihil erat dignum offerri Domino ad litteram, niſi prius in piſcina lauaretur; ita nihil eſt dignum offerri Deo ſpiritualiter, quin priùs lotum ſit per pœnitentiam. Et in huius rei confirmationem adducit ex Exod. 30. num. 18. Labrum æneum, quod Deus mandauit facere ante altare, in quo Aaron, & filij eius lauabant manus, & pedes. Et mare æneum dicebatur; pœnitentia enim amara eſt. Et ſicut piſcina aquam non ex ſe, ſed à pluuia habebat; ita homo non ex ſe veram pœnitentiam facere poteſt, ſed à cœleſti gratia debet prouenire. Et qui prior deſcendebat, ſanabatur. Prioritas deſcenſus dicit ſeparationem à cæteris; & qui ſeparatus à mundo in has deſcendit aquas, ſanatur. Quinque porticus pœnitentiæ, ait Hugo: Eſt primus recogitatio peccatorum. Secundus recogitatio, quod poſt mortem non eſt locus pœnitentiæ. Tertius cogitatio, quod niſi pœnituerit in præſenti, pœnas in futuro æternas exoluet. Quartus cogitatio, quod leuius eſt, ac fructuoſius ſtatim pœnitentiam agere, quam in vitæ fine. Pſalm. 54. num. 25. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Quintus eſt cogitatio, quòd pœnitentia temporalem vitam prolongat, quam continuatio peccati celeriter abſoluit. Iob. 15. n. 32. *Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius areſcent.*

Exod. 30. *Pœnitentia valde fructuoſa, & hominem lauat à ſordibus.* Pſalm. 54. Iob 15.

23. Bleſenſis. Quintò, Petrus Bleſenſis ſerm. 1. in aduentu Domini ait, quod Probatica piſcina B. Virginem ſignificat. Probatica, id eſt ouina, vt iam eſt dictum. B. Virgo non ſolùm ouina propter ſimplicitatem, & innocentiam dici poteſt, ſed etiam ouis, ipſa enim peperit agnum, *qui tollit peccata mundi.* Cùm eam obumbraret virtus Altiſſimi, in eam deſcendit magni conſilij Angelus. Et mota eſt triplici motione. In ſeparatione carnis, ex qua formata eſt caro Saluatoris. In remotione fomitis, atque in virtute benedictionis. Piſcina quinque porticus habebat, per quos quinque vulnera Chriſti interpretantur, vt dixi ex D. Thoma, vbi languidi fouentur, ac recreantur. Et vnus, qui deſcendebat, ſanabatur: nam qui in vnitate Eccleſiæ Catholicæ per fidem Chriſti ad has ſalutiferas aquas auxilij, patrocinij, ac interceſſionis B. Virginis confugit, ab omni preſſura, ac malo liberatur, & eximitur. Huic conſiderationi patrocinatur D. Damaſcenus orat. 1. de Mariæ Natiuitate. Vbi comparat hanc piſcinam cum Eccleſia habente Mariam. Nam anteà ſanabatur vnus, ait Damaſcenus: at poſtquam habemus Mariam, in quam deſcendit magni conſilij Angelus; omnem naturam, morbo laborantem, in ſalutem, & vitam reſtituit Maria.

*Per Virginē Mariam ſanantur omnes.* D. Damaſc.

24. Et quid mirum, ſi dicamus, quod Maria eſt piſcina illa quinque porticus habens, cum omne bonum, omniáque dona ſupernaturalia gratiæ, ac beatitudinis ex vulneribus Chriſti comparata, decreuerit Deus nobis per manus Mariæ diſpenſari, ac communicari. In victoriæ ſignum poſtulat Gedeon, vt cœleſtis ros in vellus deſcendat, cùm eſſet ſiccitas in area tota. Iudic. 6. num. 38. Et poſtea expreſſo vellere effunditur aqua, vt terram valeat irrigare. Sed cur illa cœleſtis irroratio non cadit ſimul in vellere, ac in terra, ſed priùs in vellus? Ros ſignificat diuinum Verbum cum ſupernaturalibus donis. Vellus B. Virginem. Area humanum genus magna bonorum ariditate exſiccatum, vt Auctor eſt Adamus homil. 8. Diuina ergo dona reponuntur in Maria, vt inde per eam in cæteros diffundantur, ac diſpenſantur. D. Bernardus ſerm. de aquæductu in Natiuitate Mariæ. *Intuere ô homo*, ait, *conſilium Dei, conſilium pietatis. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infundit. Redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam.*

Iudic. 6. *Omnia bona diſtribuũtur per manus Mariæ.* D. Bernard.

25. Prouerb. 8. D. Bonau. Salazar. Cornel. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Prouerb. 8. num. 18. Quæ verba interpretantur de B. Virgine D. Bonauentura in ſpeculo. Salazar, Cornelius, & alij. Tanquam ſi ipſa Virgo dicat:

Symmach. dicat: Mecum ſunt diuitiæ, ſeu,vt legit Symmachus, *à me ſunt diuitiæ.* Expende illud: *a me ſunt:* Et ſtatim declarantur, quæ ab illa ſunt, diuitiæ, opes ſuperbæ, hoc eſt magnæ, & excellentes; nam ſuperbæ hoc loco, non iactantiam, ſed magnitudinem denotat. Septuag. Vnde *ſuperbæ*, Septuaginta legunt, *Poſſeſſio multorum.* *A Maria omne bonum.* Tanquam ſi ipſa B. Virgo dicat: Meæ poteſtati commiſſa ſunt omnia bona, tam ſpiritualia, quàm temporalia, vt illa diſpenſem, & diſtribuam cum his, qui me colunt. Vnde ait Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Encomio in adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ cap.11. German. *Nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per te, ô puriſſima: nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per te, ô caſtiſſima; nemo eſt, cuius miſereatur gratia, niſi per te, ô honeſtiſſima.* Et D. Bernardus ſerm. citat. de Natiuitate Virginis ſic ait: D. Bernard. *Totis medullis cordium, totis quidem præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia hæc eſt voluntas Domini, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Cùm ergo omne donum per manus Mariæ habeamus, ipſa nobis hoc concedat, vt noſtrum calamum dirigat, vt totum hoc opus noſtrum, ipſi conſecratum, in dilectiſſimi filij ſui, atque ipſius gloriam, ac honorem cedat.

*Ioannis* 5. *n.*3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et in his iacebant plebs multa ægrotantium, &c. ac expectabant motum aquarum.

*Arias.* Iacebat multitudo multa.

*Græcus.* In his iacebat multitudo magna ægrotantium, cæcorum, claudorum, ac habentium membra exſiccata.

## *EXPOSITIO III.*

26. IN *his*, nempe in illis porticibus ſupradictæ piſcinæ, *Iacebat multitudo magna* eorum, qui infirmitate aliqua detinebantur. Et quatuor genera infirmitatum numerat Euãgeliſta, *languentium*, id eſt, vt clariùs habes ex Græco ægrotantium febri; ſecundò, *cæcorum*; tertiò, *claudorum*; quartò, *aridorum*, id eſt, habentium membrum aliquod ſua virtute deſtitutum. *Expectantium aquæ motum*; explorabant enim opportunam occaſionem ad habendam ſanitatem. *Quatuor genera infirmitatum.*

27. Caſſian. Beda Albert. Mag. Moraliter Simon Caſſianus lib.5. cap.27. Beda, Albertus Magnus. Iacebat multitudo magna languentium peccatis, cæcorum ignorantia veritatis; claudorum in fide; aridorum in actione virtutum. Hugo. Hugo ita exponit. Languentium per torporem, & ignauiam. *Stultorum infinitus eſt numerus.* Eccleſiaſtes 1. n. 15. Eccleſiaſt. 1. Cæcorum per ignorantiam. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi.* Iſai.56. num.10. Iſai.56. Claudorum per vacillationem, & titubationem. Faciam, non faciam, dicit piger. *Vult, & non vult piger.* Prouerb.13. num. 4. Prouerb.13. *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus operibus ſuis.* Iacobi 1. num.8. Iacob.1. Aridorum per cordis duritiem, quando indeuoti ſunt, & incompatientes ad opera miſericordiæ.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Circa lectionem Syriacam:* Plebs multa: *quæritur: An etiam principes eſſent in his porticibus?*

LECTIO Syriaca habet: *Plebs multa iacebant.* Ergo videtur denotare, quod principes in illis communibus porticibus cùm cætera turba non erant, ſed in alio ſecretiori, ac commodiori loco, vt frequenter fit in balneis. 28. Syriacus.

Secundò, & moraliter dic. Quòd quamuis maiori ex parte principes ſæculi ſint multum ægrotantes, & maximè de ſua ſalute ſoliciti, cum plebe tamen Angelum in communi, ſuetóque loco, in quem ipſe deſcendebat, præſtolari nolebant; ſed maximè ſuo faſtu elati affectabant, vt Angelus in eorum domos veniret, ipſóſque in piſcinam adduceret: tanta enim magnates ſæculi efferuntur ſuperbia, vt velint, quod ipſos cœleſtia dona quærant. Sic Naaman itinere accipiens Eliſæi mandatum, quod ad ſe lauandum tenderet in Iordanem, iratus ait: *Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret locum lepræ, & curaret me*, 4. Reg.5. num.11. Abulenſis ibi quæſt.12. *Iratus eſt Naaman propter Eliſæum, qui ſaltem noluit exire ad oſtium domus ſuæ, vt videret ipſum, vel non iuſſerat ei, quod introiret ad ſe.* Syriæ princeps non ſolùm volebat ſanitatem, ſed expectabat, quòd ei obuiam Propheta exiret, atque ipſum quæreret, multáque cum reuerentia, ac veneratione erga tantum magnatem ſe haberet. Vide tom.1. lib.3. cap.2. num.12. & tom.2. cap.5. num.170. 171. & 172. & cap.6. num.38. 29. *Magnates ſæculi volunt, vt ad eos quærẽdos cœleſtia dona deſcendant.* 4 Reg.5. Abulenſ.

Tertiò ſubdit Euangeliſta, quod ibi iacebat multitudo languentium, expectantium aquæ motionem. Vbi enim de ſpe ſermo interceſſerat; non de magnatibus, qui ſua ſuperbia inflati fortè erant in ſecretiori parte piſcinæ; ſed de candida, ac ſimplici plebe mentionem facit. Solùm enim qui ſunt vitæ candore, ac probitate inſigniti, diiudicantur, & agnoſcuntur, ſpem concipere, haberéque veram, à qua multi ſuperbia, ac demeritis excluduntur. 30. *Ibi tantùm danda ſpes, vbi meritum nitet.*

Magna inſtantia Saul perſequebatur Dauidem, eiúſque ſocios, quos iam in deſerto Maon circunſeptos tenebat, itaut Dauid cum ſociis, vt docent Abulenſis quæſt.32. & communiter recentiores, deſperaret, *ſe poſſe euadere à facie Saul: itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauidem, & viros eius, vt caperent eos.* 1. Reg. 23. num.26. Conſiderato vrgenti periculo, inſpectis humanis viribus Dauid, eiuſque ſocij ſpem omnem depoſuerunt, quòd ſe in illa die à 31. Abulenſ. 1. Reg. 23.



Saulis manibus expedirent. Et tamen Dauid de perſecutionibus Saul, vt docent Auguſtinus, Incognitus, immò expreſsè Lorinus, peculiariter de hac facta in deſerto Maon loquens ait: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me.* Pſalm.30. num.1. Et iterum: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Pſalm.39. num.1. Cur, quando perpenſis humanis viribus incidit deſperatio à facie Saul euadendi, omnes ſimul Dauidem, & ſocios apprehendit; quando verò ad auxilium diuinum confugitur, Dauid ſolus de ſe inquit: *In te Domine ſperaui?* Licet de induſtria humana omnes diffidant, dum tamen ſpes ad Deum erigitur, ipſa in Dauide ſolùm nitet, atque reſplendet, in quo tot, ac tam præclaris inueniebatur meritis concomitata. S. Remigius in Pſalm.30. *In te ſperaui, non confundar in æternum, quia temporaliter confundar; non enim aliter in te ſperarem: temporaliter confunditur, qui præterita peccata reſpiciens, horreſcit, erubeſcit, ac corrigit:* Expende verbum: *Non aliter ſperarem:* ſcilicet niſi meritum contritionis haberem. Auguſt. Incognit. Lorin. Pſalm.30. Pſalm. 39. *Qui meritis eſt vacuus, ſpem non cõcipiat.* S. Remig.

32. Ierem.17. Ait Ieremias 17. num.5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* In quem ergo ſpes noſtra coniicienda? In Deum nempe. Sic ait Eccleſiaſticus 2. n.9. *Qui timetis Dominum ſperate in illum.* Eccleſiaſt.2. Sed qui ſunt iſti, qui ſpem ſuam in Deum collocabunt? *Qui timetis Deum.* Vt explicat Carthuſianus, *Qui timetis Deum, bene viuendo.* Carthuſ. Qui ergo improbè, ac ſceleratè conficiunt vitæ curriculum, vbi ſpem ſuam reponent, cum nec in homine, nec in Deo inueniatur locus? In nullo ſanè. Qui enim vacui ſunt merito, vacui ſint & ſpe. Vide tom.1. lib.2. cap.5. num.71. *Vbi non inuenitur meritum, nec ſpes reperienda.*

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare apud piſcinam tanta erat multitudo languentium?*

33. APERTA huius rei ratio traditur ex textu. Expectabant enim aquæ motionem. Secundò, & moraliter optimè ait S. Ambroſius lib.2. de Sacrament. S. Ambr. *Vide myſterium*, ait, *venit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad piſcinam, multi ægri iacebant. Et facilè ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tantummodo curabatur.* Non mirum, quod ibi eſſent multi ægrotantes, vbi vnus tantùm ſanabatur: nam ſi beneficia omnia in vnum defluunt, neceſſe eſt, vt cæteri morbo laborantes remaneant. Vnde pondera illud verbum: *Iacebat multitudo.* Iacere enim propriè infirmantium eſt. Aliter apud Meſopotamiam erant oues. Nam Geneſ.29. num.2. dicitur, quod Iacob. Geneſ.29. *Vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum.* Accubare propriè eſt lætantium, ac epulantium. Apud puteum greges hilares requieſcunt, quia ibi aquæ beneficium in omnes diffundebatur, os enim putei, non niſi poſtquam cuncti greges eſſent congregati, aperiebatur. Ac iuxta piſcinam magna languentium iacet congeries, in vno enim tantùm coarctabatur donum ſanitatis. Et cùm fauores omnes in vnum volant, conſequens eſt, vt cæteri dolore, ægritudine, ac preſſura vexati iaceant. Et hic eſt valdè vehementiſſimus angor. *Si fauores in vnum conuolant, alij maximè laborant.*

Dei nomine loquens Moyſes ad populum ait: *Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt, coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum langorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te.* Exod. 15. num.26. 34. Exod.15. Obſeruantibus diuinam legem promittit Deus, ſe ab eis auerſurum omnem morbum, & langorem, quo Ægyptus vexata eſt. Et vt benè adnotauit Adamantius homil.7. in Exod. Adamant. ſermo non eſt de quolibet morbo, vt febri, ſeu lepra; nam, vt ipſe ait, *Iob iuſtiſſimus, & totius legis obſeruantiſſimus, à capite ad pedes repletus vlcere peſſimo: non his carere dicuntur infirmitatibus, qui mandata cuſtodiunt, ſed non ſubeunt illas infirmitates, quas Ægyptij habent.* Quiſnam ergo eſt iſte Ægyptiacus morbus, de quo hic eſt ſermo, cuius expertes erunt adimplentes diuinam legem? Vehemens Ægyptiorum langor extitit in eo, quod cum ex diuina gratia in Iſraëlitas confluerent omnia bona, ipſi ab eis remanſerunt euacuati. Et datis vni fauoribus, illi, qui excluduntur, magnis langoribus, ac infirmitatibus circundati inueniuntur, à quibus maximè immunes euadunt cuſtodientes Dei mandata. *Expoliatio beneficiorũ, magna ægritudo.* Vnde eleganter D. Laurentius Iuſtinianus cap.3. de Patientia; D. Laur. loquens de diuina beneficentia, ac gratia ait: *Altiſſimus ipſam hominibus pro medicina contulit.* Nam qui diuina gratia ſunt communiti, omni malo ſuperiores exiſtunt; qui verò illius ſunt expertes, vniuerſali plaga reperiuntur concluſi.

35. Si enim omnia conglomerantur in vnum, valdè conſequens eſt, vt alij multi in dolore ſint, omníque anguſtia. Poſtquam Ieſus, ac duo latrones crucifixi ſunt, ait Ioan.19. num.31. Ioan.19. *Iudæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Quodnam erat hac in re Iudæorum conſilium? nempe vt Sabbato ſuo omnem exhiberent honorem, cultum, ac reuerentiam; & ad hoc petunt, vt crucifixorum crura confringantur; nec enim aliter ſe præbent ſoliciti, vt omnis Sabbato ſuo deferatur veneratio, niſi vt crucifixi afficiantur contemptu, eiſque dolor augeatur, atque eorum corpora minutim dilacerentur in fruſta. Fauet D. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Ioan. cap.38. D. Cyr. Alex. *Honorant magnum illius Sabbati diem, qui magnæ diei Dominum crucifixerunt. Itaque gratiam à Pilato impetrarunt, ſibi ſolis conuenientem. Crura eorum fregerunt, vt magnitudine doloris, qui iam in extremis erant, citius morerentur.* Expende verba. *Honorant magnum illius Sabbati diem; vt magnitudine doloris.*

*Ioannis* 5. *n.*4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.

### VERSIONES.

*Syriacus.* Angelus enim aliquando deſcendebat in baptiſterium, & turbabat aquas. Iſque, qui primus deſcendebat poſt turbationem aquarũ, ſanitati reſtituebatur, à quocumque dolore afficeretur.

*Maldonatus.* Angelus deſcendebat certis, & opportunis momentis temporis.

*Vatablus.Pagnin.* Certo tempore deſcendebat, & turbabat aquam.

*Arabicus.* Mouebat aquam.

*Euthymius.* Angelus ſtatuto tempore deſcendebat in piſcinam, & turbabatur aqua. Qui ergo primus introiſſet in piſcinam poſt turbationem aquæ.

### EXPOSITIO IV.

36\. REDDIT Euangeliſta rationem, cur in piſcina tanta erat multitudo languentium. *Angelus autem Domini.* Interpres ad denotandum bonum Angelum poſuit illud verbum: *Domini*: cùm in Græcis codicibus non habeatur. Et manifeſtum eſt, quod bonus Angelus erat, cùm è cœlo deſcenderet ad tantum beneficium hominibus præſtandum. A multis coniecturatur, quod iſte Angelus erat Raphael, vel alius, qui præeſt medendis corporibus. *Deſcendebat*, quia vt curentur, adiuuenturque inferiores, neceſſe eſt, vt ſuperiores ſe inclinent, ac condeſcendant. *Secundum tempus*, hoc eſt certo, & determinato tempore ex diuina diſpoſitione. Et quamuis Angeli deſcenſus frequenter fieret in anno, vt obſeruat Euthymius, nam aliàs tanta languentium turba in piſcina non eſſet; tamen tempus deſcenſus hominibus erat ignotum, vt notarunt Chryſoſtomus homil. 35. Albertus Magnus D. Thomas.

*Angelus benefaciens, bonus.*

*Deſcendant ſuperiores, vt adiuuentur infirmi.*

Euthymius.

Chryſoſtom. Albert. Mag. D. Thomas.

37\. Syriacus. *Et mouebatur aqua*, ab ipſo ſcilicet Angelo, ſeu *turbabat*, vt habet Syriacus, hoc eſt æſtuare faciebat quodam circulari motu, vt ita agnoſcerent omnes, quod aderat Angelus ad ſanctificandas aquas, vt docent D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 125. D. Ambroſius lib. de iis, qui initiantur myſteriis. cap. 4. Beda, Henricus, D. Bonauentura, & alij. Et ita fieret manifeſtum, quod illa vis ſanatiua, non ab aqua, ſed ab Angelo mouente proueniebat. Et Angelus mouebat aquam motione quadam ſonora, vt aduertit Hugo, & ante eum iam notauit Ambroſius proximè citatus, vt ab omnibus, qui erant in piſcina benè audiretur. Nam aliter ſi Angelus deſcenderet nocte commotio aquarum non perciperetur; & ſi fieret die, à cæcis non agnoſceretur. Et diuinus miniſter neminem ex ſe excludit à ſuis donis, ſed ad omnes æqualiter ſe exhibet. Græcè verò habetur, turbabat aquas. Turbatio illa, vt docet D. Auguſtinus in Pſal. 102. Chriſti paſſionem ſignificat, in qua omnes aquæ dolorum, ac tormentorum commotæ ſunt in ipſum, & ibi inuenitur noſtra ſalus.

D. Cyrillus. D. Ambroſ. Beda. Henricus. D. Bonauent. Hugo. D. Ambroſ.

*Dei miniſter beneficia ſua extendit ad omnes.* D. Auguſt.

38\. *Et qui prior deſcendebat poſt motionem aquarum, ſanus fiebat.* Ita enim ordinatum fuit à Deo vt manifeſtè pateret, quòd illa vis ſanatiua non proueniebat à natura aquarum, ſed ab Angeli motione; & vt agnoſceremus, quantum valeat apud Deum labor, ac diligentia. *A quacumque detinebatur infirmitate*, Græcè *morbo*, ſeu vitio corporis.

*Diligentia, & labor multum valent apud Deum.*

### QVÆSTIO VI.

#### *Qualis nam eſſet hæc Piſcina? & vnde tanta eius virtus?*

39\. PISCINÆ nomen à piſcibus dictum eſt, vt ſatis explicaui expoſit. 2. Pro miniſterio templi à Salomone extructa. Vnde à D. Auguſtino tract. 20. in Ioan. piſcina Salomonis appellatur. Et à Ioſepho lib. 6. Belli. cap. 6. dicitur ſtagnum Salomonis. Ibi enim Nathinæi ſacrificandas in templo victimas abluebant, & tunc poſtea Sacerdotibus tradebant.

*Piſcina à Salomone ædificata.* D. Auguſt. Ioſephus.

40\. Circa virtutem huius piſcinæ, cur Deus huiuſmodi miracula voluerit in ea efficere? Res non eſt ſatis explorata. Primò Theophylactus victimarum ſanguini eò confluentium, & ablutioni animalium immolandorum adſcribit. Secundò, Aliqui apud Magiſtrum hiſtoriæ in hiſtoria euangelica cap. 81. tradunt, hanc virtutem inditam fuiſſe aquæ à ligno Crucis, quod ibi abſconditum erat in fundo huius piſcinæ, & circa tempus paſſionis Chriſti enatauit, vt in eo Filius Dei crucifigeretur. Tertiò Beda in cap. 2. Eſdræ, Genebrardus in notis Chronol. Adricomius in deſcriptione Ieruſalem n. 62. Serarius lib. 2. Machab. cap. 1. q. 14 putant in hoc piſcinæ loco à Ieremia abſconditum fuiſſe ſacrum ignem, quem requirens Nehemias inuenit craſſam aquam, quæ effuſa in lapides templi verſa eſt iterum in ignem.

*Circa originem virtutis piſcinæ triplex ſententia.* Theophyl. Magiſter. *Crux Chriſti ſanat.* Beda. Genebrard. Serarius.

41\. Nulla ex his ſententiis mihi videtur probabilis; quia qualibet ex illis ſtante, ſequeretur, quod illa virtus ſanatiua aquarum, non eſſet certo tempore, ſed perpetua, & conſtans; cùm quælibet ex illis cauſis eſſet permanens in piſcina.

*Refutantur ſuperiores ſententiæ.*

42\. Petrus Bleſenſis ſerm. 1. in Aduentu Domini ex antiqua traditione tanquam probabilius refert, quod Chriſtus D. veniens in mundum viſibilibus ſignis ſuum aduentum demonſtrauit, Gentibus in Oriente, & Occidente, ac Iudæis in vmbilico Gentium poſitis. Gentibus in oriente ſtella noui Regis ortum indicauit. Occidentalibus Romæ ſignum dedit: nam in ipſo die Natalis Domini fons olei erupit, & fluxit vſque in Tyberim. Iudæis verò datum eſt ſignum in aqua inſeruiente vſibus hoſtiarum: ac ſi diceretur eis: Veritas de terra orta eſt, & ceſſabunt hoſtiæ figurarum.

Bleſenſis. *Deus in ſua natiuitate dedit ſigna.*

43\. In re nobis tam abſcondita, & occulta dicam, quod mihi videtur probabiliùs coniecturandum; nempe quod hæc virtus ſanandi morbos

*Quando incepit virtus piſcinæ.*



inceperit in piſcina circa Chriſti D. aduentum, vt etiam docent Franciſcus Lucas, & alij Recentiores; & ideo huius miraculi piſcinæ nulla eſt mentio in libris veteris teſtamenti. Illud tamen certum, quod poſt Chriſti paſſionem fieri deſiit huiuſmodi miraculum; ſicut & cætera beneficia Dei in populo Iſrael, vt aduertit Tertullianus lib. aduerſus Iudæos cap. 13. & hac ex cauſa nihil de hoc miraculo ſcripſit Ioſephus, cum ipſius belli Iudaici tempore iam non fieret.

Franciſcus Lucas. Tertull. Ioſephus.

44\. Ratio autem, cur Deus appropinquante Chriſti tempore virtutem hanc aquis piſcinę huius dare voluerit, res eſt etiam valde obſcura, dependens à diuini Concilij decreto. Conſtans eſt tamen Patrum ſententia, quod ita ordinatum fuit à Deo, vt Iudæorum animi præpararentur ad fidem, amoremque Baptiſmi à Chriſto D. inſtituendi, in cuius piſcina, ſiue fonte, aquarum motione à peccatorum ſordibus animæ abluuntur, atque ſanantur. Ita docent D. Chryſoſtomus homil. 35. D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto. cap. 7. & lib. 2. de ſacram. cap. 2. Euthymius. Theophylactus. Beda. Rupertus. D. Thomas. D. Bonauentura & alij. Vide q. 3.

*Homines Deus aſſuefacit ad myſteria.*

D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Ambroſ. Euthymius. Theophil. Beda. Rupertus. D. Thomas. D. Bonauent.

45\. Deinde Populus ille Iudaicus, vtpote valde carnalis, ex Ægypto educatus fuit, & enutritus multis ſignis, vt ita in Dei obſequio permaneret. Vnde in illo populo fuerunt continua ſigna, vt mannæ, & columnæ ignis, & nubis per quadraginta annos, & virgæ Moyſis tot ſigna operantis. Fuerunt etiam ſigna in oraculis, & in applicatione Ephod coram Arca. Sic etiam in vltimis temporibus voluit dare ſignum in huius piſcinæ aquis. Vnde tot mirabilibus oſtendebatur, Deum in illa populi congregatione aſſiſtere. Sicut nunc illis ſublatis à tempore paſſionis Chriſti, apertè, ac manifeſtè declaratur, Deum ab illo populo abiiſſe, ipſumque à Deo eſſe derelictum. Et hoc multis aliis declaratum eſt.

*Populus Iudaicus à Deo derelictus.*

46\. Ioan. 8. Chriſtus D. Ioan. 8. n. 59. *exiuit de templo, & abſcondit ſe.* In variis occaſionibus Iudæi Chriſtum D. lapidare, apprehendere, & præcipitare voluerunt: & tamen hîc ſolum dicitur, quod exiuit, & abſcondit ſe; propè enim erat iam paſſionis tempus, in quo Deus à cultu populi Iudaici exiuit, ab eoque abſcondit ſuæ miſericordiæ vultum. Albertus Magnus. *Exiuit de templo deſignans derelictionem illorum.* Ecce relinquetur domus veſtra deſerta Matth. 23. *Et abſcondi faciem meam ab eis. Et ſic diſpenſatiuè receſſit Dominus.*

*Populus Iudaicus à Chriſto derelictus.* Alber. Magn.

### QVÆSTIO VII.

#### *An iſte Angelus eſſet vnus? & qualis? ac quis?*

47\. QVAMQVAM Deus per ſe ſolum ſua diuina virtute ſine Angelo poſſet efficere illam motionem aquarum ad ſanandum; tamen miniſterio Angeli vtitur: *Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi.* Ad Hebræos 1. n. 14. Nec enim ſolet Deus optimos ſuos miniſtros in ſuis functionibus impedire, ab eiſque commiſſa munera auferre. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 16. & tom. 2. cap. 1. n. 118. & cap. 2. n. 5. & cap. 5. n. 17. & cap. 16. n. 6.

Hebr. 1.

48\. Ex Dei ergo commiſſione Angelus deſcendebat ad mouendas aquas. Et circa illum quatuor quæro; tria in hac quæſtione, quartum in ſequenti. Primò. An Angelus eſſet vnus? Secundò qualis eſſet? Tertiò Quis? Tandem quomodo veniret?

Circa primum D. Cyrillus lib. 2. cap. 125. videtur affirmare, plures Angelos deſcendiſſe. Et non ita eſt intelligendus S. Pater, quaſi quod ſimul multi venerint: nam Euangeliſta in numero ſingulari loquitur. Et quando pauca ſufficiunt, non omnia ſunt adhibenda. Intelligendus eſt ergo Cyrillus, quod plures Angeli venerint ad plures motiones præſtandas, ita vt non ſemper vnus Angelus eſſet miſſus, ſed modò iſte, modò ille ex hierarchia illorum, qui ſanitati præſunt; nec enim omnes cõmiſſiones vni ſunt deferendæ, ſed etiam aliis aliqua præſtanda. 49.

D. Cyrillus. *Omnes commiſſiones non vni dandæ ſunt.*

Circa ſecundum: qualis eſſet Angelus, an bonus, vel malus? Iam in expoſitione dixi, quod erat bonus, cum deſcenderit è cælo, vt inferioribus hominibus tantum beneficium præſtaret. 50.

*Qui è ſublimi pro inferioribus deſcendit, vir valde magnus.*

Circa tertium: Aliqui dicunt, quod iſte Angelus erat Raphael, qui Tobiam ſanauit. Certum eſt, quod erat aliquis ex eorum ordine, qui præſunt corporibus medendis. Niſi velis coniecturare moraliter, quod hoc commiſſum eſt Raphaeli; nam quanuis alij extarent optimi miniſtri; magnum tamen de Raphaele in ſanitate hominibus præſtanda dabatur experimentum. 51.

*Miniſter expertus quærendus.*

Poſtquam Ioſeph venditus à fratribus ſuis *Ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus. Inuenitque Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa, quæ ei credita erant.* Gen. 39. n. 1. & 3. Poſtea verò ſuccedentibus rebus Ioſeph miſſus eſt in carcerem. *Dedit ei Deus gratiam in conſpectu principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur, & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.* ibidem n. 21. Sed cur tot, tantæque cum Ioſeph viciſſitudines fiunt? cur in Ægypto non apud mercatores manet, ſed in domum principis tranſit, vt in illa bonorum affluentia præſit: & tandem in carcerem traducitur, vt illa in miſeria, ac ſqualore ſit præpoſitus? Vide altam Dei ſapientiam. Ordinabatur Ioſeph, vt totius Ægypti regimen teneret in abundantia frumenti per ſeptem annos; & in tempore famis per aliud ſeptennium. Diſponitur res itaut prius tamquam Præpoſitus exerceretur in magna principis copia; & tandem in pauperrima carceris oppreſſione. Nec enim aliter ob noſtram eruditionem voluit Deus eligere hominem ad gubernacula pro ſaturitate, & fame, niſi in talium regimine ſatis probatum, & expertum. D. Nazianzenus. Orat. 1. *Ioſeph dum venderetur, & amaretur, & liberaretur, & potentiam obtineret, maioriſque diſpenſationis cauſa, diſpenſatoris munere fungeretur.* Perpende illa verba: *Maioris diſpenſationis cauſa*: Vide Tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 17. & tom. 2. cap. 8. n. 35. 52.

Geneſ. 39. *Miniſter experiẽtia comprobandus.* D. Nazian.

### QVÆSTIO VIII.

#### *Quare iſte Angelus deſcendebat in forma inuiſibili, & non apparenter, vt cum Tobia?*

CARDINALIS Hugo exiſtimat, quod Angelus deſcendebat aſſumpto corpore. Communiter 53.

Hugo.

niter Recentiores docent, quod inuiſibiliter veniebat, ita vt à nemine videretur. Nam aliter langui di explorarent aduentum Angeli, vt ſe mitterent in piſcinam. Euangeliſta teſtatur, quod ipſi expectabant motionem aquarum.

54. Inquirimus ergo: cur Angelus deſcenderit inuiſibili forma indutus, & non apparenti, vt quando ſe exhibuit comitem cum Tobia, vel Abrahamo, ſeu Lot apparuit? Reſpondetur primò, quòd Iudæi non erant digni, qui angelico recrearentur aſpectu. Secundò, Quia aliàs non expectarent motionem aquarum, ſed aduentum Angeli, cognito enim Angelo ſtatim deſcenderent in piſcinam. Tertiò, Quia ſi Angelus agnoſceretur, Iudæi maximè terrerentur. Vnde dixit mater Sanſonis Iudic. 13. n.21. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Nec enim conueniens erat, vt Angelus qui venerat ad ægrotos ſanitatis beneficio ſubleuandos, eos præſentia terreret, ac conturbaret.

Iudic. 13.
*Qui beneficus venit, terrorem non debet incutere.*

55. Quartò, & moraliter. Piſcina languentium multitudine erat plena. Angelus inuiſibiliter veniebat, quaſi pudore affectus, noſtro dicendi modo, non apparebat, quod viſis tot infirmis, neceſſitateque oppreſſis, vni tantùm ſalutem miniſtrabat. Chriſtus D. in Cœna *Turbatus eſt ſpiritu.* Ioan. 13. n. 21. Sed quænam huius rei cauſa? Quia ex duodecim, quos ſecum habebat, ac videbat, vnus periturus erat, ac in perditionem abiturus. Et ita ſubdit Euangeliſta. *Turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Vnde ait D. Auguſtinus tract.60. in Ioan. *Ipſum Iudam pereuntem miſerando turbatus eſt.*

Ioan. 13.
D. Auguſt.

56. Quintò, & etiam ad noſtros mores dicam. Inuiſibili forma veniebat Angelus in piſcinam, vt omnem illius molem aquarum moueret, ac turbaret ad ſubueniendum vni, eumque incolumitatis dono condecorandum. Et quodammodo, vt ita dicam, videbatur Angelus rubore ſuffundi, vt ſe in omnium oculis daret, cùm omnem illam aquarum machinam pro vnius ſanitatis beneficio concitaret, reuolueret, ac conturbaret.

*Non ſunt mouenda aquæ omnes, vt extollatur vnus.*

57. Venit Iacob in Meſopotamiam. *Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Moriſque erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rurſum ſuper os putei ponerent.* Gen. 29 n.2. Quænam huius rei cauſa? Immò, vt ait Abulenſis, fortè conſtitutum erat quòd ſi aliquis paſtor ſine aliis os putei aperiret, grauem pœnam incurreret. Cur veniens paſtor cum ſuo grege, ac ſua oue non ſtatim ei præberet aquam, nam omnibus congregatis magna eſſet confuſio; & fieri poſſet, vt vna ouis præ ſiti eſſet moribunda? Ait ipſe Abulenſis. Ita more introductum erat, *Ne quilibet paſtor veniens ſingulariter, quandocumque veniret, & adaquaret pecora ſua.* Prudenter Meſopotami pro vna oue ſatianda ſingulariter, nolebant, vt os putei aperiretur, ac vt omnes illius aquæ reuoluerentur; verùm ſi omnes mouendæ erant, pro omnium ſatietate hoc fieret, ac exhiberetur.

Genes. 29
Abulenſis.
Abulenſis.
*Pro vno non ſunt omnia perturbanda.*

58. Vt Saül in dominatorem Iſrael ſubleuaretur, omnes regem poſtulant, & ex iuſſu Dei omnes congregantur à Samuële in Maſpha; applicantur omnes tribus per ſortes. *Et cecidit ſors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius; & cecidit cognatio Metri, & peruenit vſque ad Saul filium Cis.* 1.Reg. 10.n.2. Eligitur Dauid in regem, & conueniunt ad eum tribuum capita in Hebron, & dicunt ei: *Dixit Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.* 2.Reg.5.n.2. Hoc dicunt tanquam principalem rationem ad ipſum conſtituendum regem: Cur in electione Saülis tot, ac tanta mouentur? Congregantur omnes, agitantur per ſortes omnes tribus, familiæ, ac cognationes vniuerſi Iſraël. At in electione Dauid nihil horum habetur? Cùm Saül ad apicem regni eueheretur, omnes ex communi conſenſu regem poſtulabant, omneſque ipſam purpuratam dignitatem ambiebant; nam adhuc voluntas Dei erat abſcondita, Saül enim à Samuele in ſecreto vnctus eſt. At in Dauidis negotio res erat manifeſta, in omnium ore verſabatur: *Dixit Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael.* Quando ergo omnes conſentiunt, ac poſtulant, & vnuſquiſque pro ſua expectatione ſibi dignitatem blanditur; tunc omnes agitentur, ac moueantur. At quando res eſt manifeſta, quod de vnius ſublimitate eſt negotium, quamuis ſit adeò meritis conſpicuus, vt Dauid, ad quid omnes inquietudine, ac conturbatione ſunt concutiendi, ac conturbandi?

1.Reg. 10.
2. Reg. 5.
*Pro vno omnia non ſunt mouenda, ac reuoluenda.*

---

## Qvæstio IX.

### *Quare Angelus deſcendebat in piſcinam tempore hominibus ignoto? Et quodnam eſſet tale tempus?*

59. DIVVS Cyrillus lib. 2.in Ioan. cap.125. exiſtimat, Angelum deſcendere ſolitum in die Pentecoſtes. Alij verò, cùm teneant, hìc non agi de feſto Pentecoſtes, ſed de ſolennitate paſchali, vt dixi q. 1. aſſerunt, Angelum aduenire in piſcinam in ipſo paſchatis die. Et Tertullianus lib.de Baptiſmo.cap.3. tenet, Angelum venire in piſcinam ſemel in anno. Ex quo ipſe maximè extollit excellentiam Legis gratiæ ſuper veterem; nam olim ſemel in anno veniebat Angelus, vt ſalus vni impertiretur. At verò nunc poſtquam eluxit gratia Chriſti in ſacratiſſimis eius fontibus Baptiſmatis, & Pœnitentiæ, iam non ſemel in anno, ſed omnibus momentis fluunt in nos cœleſtia æternæ vitæ beneficia. Sic ait ipſe: *Proficiente itaque in hominibus gratia Dei plus aquis, & Angelo acceſſit: qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritum medentur: qui temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant: qui vnum ſemel in anno liberabant, nunc quotidie populos conſeruant deleta morte per ablutionem delictorum.*

D. Cyrillus.
Tertullian.
*Excellentia Legis gratiæ ſuper veterē.*

60. Dicendum tamen exiſtimo, quòd Angelus deſcendebat opportuno tempore, quando Deo viſum erat, non certo aliquo, & determinato Paſchatis, vel Pentecoſtes, ſed incerto, hominibuſque minimè cognito. Ac proinde Angelus aliquando veniebat interdiu, aliquando noctu, aliquando frequenter in anno, aliquando rarò. Ita Euthymius, qui ſic ſcribit: *Non ſemper fiebat miraculum, ſed certis temporibus, hominibus quidem incognitis, verum frequenter, vt opinor, in anno, propter hoc ſiquidem in porticibus decumbebat magna languentium multitudo.* Idem docent D. Chryſoſtomus homil.35. in Ioan. Magiſter hiſtoriæ in hiſtoria euangelica cap.81. ſequuntur communiter Recentiores Toletus. Beauxamis. Franciſcus Lucas. Cornelius & alij.

*Angelus veniebat tempore hominibus ignoto.*



Euthym.
D. Chryſoſt.
Tolet.
Beauxam.
Fr. Lucas.
Cornelius.
Magiſter.

61. Probatur primò. Quia ſi Angelus in ſuo deſcenſu certum tempus obſeruaſſet, reliquis temporibus non eſſet ibi tanta ægrotantium multitudo, aquæ motionem expectantium. Euangeliſta ait: *Iacebat ibi:* quod non videtur denotare aliquod tempus, verbi gratia, Paſchatis, ſed temporis continuationem. Secundò. Angelus veniens incerto tempore maximè demonſtrabat, quod ſanatiua vis non erat à natura aquarum, ſed à Dei dono. Tertiò. Hoc fuit valde conueniens ad euitandam diuitum inſolentiam, & pauperum oppreſſionem. Nam, ſi certum eſſet tempus ſanandi, non illic daretur pauperibus locus; diuites enim loca omnia præoccuparent, præcipuè illa, quæ fuiſſent ad deſcenſum prona: & ad hoc miniſtros multos ſecum haberent, ita vt non permitterent, quod pauperes prius in ſtagnum venirent.

*Quare Angelus veniebat ignoto tempore.*
*Dona Dei ne velint diuites ſibi appropiare.*

62. Quartò. Quia Deus non vult, nos deſides, & negligentes in negocio noſtræ ſalutis, ſed maximè vigilantes, ac ſolicitos. Deſcendens autem Angelus ignoto hominibus tempore ſanandorum diligentiam magis prouocans excitabat. Et ſicut expectantibus beatam ſpem Chriſtus præcipit, vigilare, *qua neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Matth. 24.n.42. Ita in illa piſcina, in qua decurſus huius vitæ præfigurabatur, omnibus momentis vigilandum erat. Hoc enim Dominus à nobis maxime optat, vt omnibus horis, & momentis de noſtra ſalute ſoliciti ſimus.

Matth. 24.
*De noſtra ſalute multum debemus eſſe ſoliciti.*

63. Ait Dominus Micheæ 6.n.8. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus quærat à te: Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Multa ſunt, quæ Deus à nobis requirit, virtutum opera, & tamen Propheta tria tantum numerat, *facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo,* quaſi ad hæc tria cætera reducantur. Et qui ſolicitus ambulat cum Deo, maximè inuigilat in omnibus, quæ ſunt Dei. Hæc autem vigilantia omnium vitutum conſummatio eſt, ac omnibus nobis maximè neceſſaria. D. Hieronymus. *Iubetur nobis,* ait, *vt præparati ſimus ambulare cum Domino Deo noſtro: nulla hora dormire, nullo tempore ſecuri eſſe debemus; ſed ſemper expectare, patremfamilias venientem, & diem formidare iudicij, & in nocte huius ſæculi dicere: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Summa eſt nobis Domini aduentus ſolicitudine vigilandus, ne oblatam ſalutis amittamus occaſionem, qui magnus eſt, vehemenſque dolor.

Micheæ 6.
*Maximè ſoliciti ſimus de noſtra ſalute.*
D. Hierony.

64. Ait Ieremias Then.1.n.7. *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis: omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator.* Introducit Propheta Ieruſalem, myſticè noſtram animam, in pœnis conſtitutam, quando recordatur ſuæ miſeriæ, ſuorumque peccatorum, atque omnium deſiderabilium ſuorum, hoc eſt omnium bonorum, quæ habuerat, quibus ſalutem poterat comparare. Et tunc recordatur, cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator. Notandum eſt cum D. Paſchaſio, quod huic dictioni titulus eſt *Zain* id eſt, *perfecta vltio.* Sed quomodo in hac recordatione animæ deſiderabilium ſuorum viſitur conſummata, & perfecta vltio, magnum ſupplicium, & vehemens cruciatus? Nil enim magis dolorem, ac tormentum acuere valet, quàm dum anima cogitat bona, quæ poſſedit, quibus poſſet comparare ſalutem, & tantam occaſionem contempſit, atque neglexit. Et tunc recordatur, quando occaſio præteriit, & non eſt auxiliator. D. Hieronymus ad hunc locum. *Dolet,* ait, *hæc myſtica Ieruſalem, & maximo dolore torquetur, cum in pœnis conſtituta ſerò dolet, ſe tunc negligentem fuiſſe, quando per bona opera, & rectam conuerſationem potuit ſibimet ipſi ſubuenire. Non enim cum ſanctis Angelis exultat, ſed in inferno cum Dæmonibus cruciata infructuosè præterita peccata deplorat, iuxta illud, quod, ſcriptura ſacra teſte, impij in inferno dicturi ſunt: Ergo errauimus à via veritatis.* Et nota, quod præterita bona, in quibus eis fuit occaſio ſuæ ſalutis oblata, appellant deſiderabilia, quia tunc in vehementi deſiderio habita erunt.

Thren. 1.
*Magnus cruciatus, oblatam ſalutis occaſionem prætermitti.*
D. Paſchaſ.
D. Hieron.

---

## Qvæstio X.

### *Quare ex tot ægrotis vnus ſalutem aſſequebatur; & erat ille, qui prior deſcendebat?*

65. IN confeſſo eſt apud omnes, quod in illis aquis motis, ac perturbatis ab Angelo, omnes ægrotantes ſalutem aſſequi poterant. Cur ergo Deus inſtituerit, quod vnus tantum ſalutem reportaret? Conſilium fuit ſapientiæ Dei, quod à nobis eſt hic coniecturandum.

*Ratio difficultatis.*

66. Reſpondetur primò. Vt ita oſtendatur, vim ſanandi diuinitus aquis ad momentum temporis communicatam, & non naturaliter impreſſam eſſe. Si enim naturalis fuiſſet, ſemper, & omnes ſanaret, ſicut Sol ſemper illuminat, ignis calefacit, aqua frigeſcit. Vnde maximè ponderandum, quot hic adhibitæ ſint circunſtantiæ, vt hoc miraculum, non aquæ, ſed diuinæ virtuti tribueretur. Ideo enim ſalus non niſi poſt aquarum motionem obtinebatur, & Angelus incerto tempore veniebat; atque vnus prior deſcendens ſanabatur. Quæ ſunt omnia explicata ſatis. In ſuis enim donis Deus vult recognoſci auctorem, vt gloria, & honor inde prouenieus, non alteri, ſed ipſi tribuatur.

*Deus in ſuis beneficijs vult vt recognoſcatur auctor.*

67. Secundò, Vt eximia diligentia, atque ſolertia noſtra maximè commendaretur: nam quanuis currant multi, vnus accipit brauium. Tertiò. Vt ex ipſa raritate, ac aſſequendi difficultate beneficij maximè accreſceret æſtimatio, atque pretium. Quartò, Vt videatur, quanti Deus vitam hominis habeat; nam ob vnius ſanitatem, vt totam aquarum reuolueret molem, Angelus ſpiritus nobiliſſimus mittebatur. Quintò. Piſcina hæc, vt ſupra explicaui ex D. Auguſtino, veterem legem adumbrabat. Vnde ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 125. *Hæc curationis virtus in vno terminabatur homine: quod ſignum erat, vtilitatem legis in ſolo Iudæorum genere terminatam, nec ad alios vnquam tranſgreſſam fuiſſe.*

*Beneficium ex ſingularitate creſcit.*
D. Cyrillus.

68. Sextò Cardinalis Hugo ait, quod vnus, vel prior dicit diuiſionem, ſeu ſeparationem: aquæ illæ

*Separandum à mundo, vt ſanitatem in Chriſto habeas.*

illæ perturbatæ Chriſti paſſionis aquas, quibus ipſe eſt agitatus, denotabant, vt dixi in expoſitione; vt ita ſignificaretur, quod ſi quis velit ſanitatem habere, in his Chriſti paſſionis aquis habeat ſeparationem, ac diuiſionem ab huius ſæculi infirmitatibus, ac etiam à mundo in illa piſcina adumbrato.

69. Septimò, venit Angelus in piſcinam, & vnus tantùm ſanatur. Venit Chriſtus ad Iordanis aquas, vt ad ſuum ſacrum baptiſma daret initium; & quicumque accedunt, omnes incolumitate donantur. Vide, quàm differt donum per manus miniſtri, vel Domini diſpenſatum: dum miniſter interuenit, in vno ſanitas coarctatur; cùm autem Dominus adeſt, in omnes extenditur, ac ſtagnatur ſalus, itaut vacuus nullus redeat. D. Chryſoſtomus homil. 36. in hac conſideratione ſic ait: *Nunc vnuſquiſque poteſtatem habet accedendi. Non enim Angelus aquam mouet, ſed Angelorum Dominus totum perficit. Et licèt vniuerſus mundus accedat, non conſumitur gratia, neque virtus deficit; ſed eadem ſemper manet.*

*Dona data per miniſtrũ coarctantur in vno, per manus Domini ſe extendunt ad omnes.*
D. Chryſoſt.

70. Octauò, multi ægrotantes ad piſcinam concurrebant; ſolus tamen ſanabatur, qui prior deſcendebat: alij verò in ſua detenti infirmitate remanebant. Salus illa donum quoddam temporale extiterat; & hoc eſt adeò tenue, atque paruum, vt vix vnum capiat. Vnde pulchrè alibi Theophylactus. *Euaneſcit gloria mundi extenſa.* E contra verò infirmitates, & ægritudines multos apprehẽdunt, vt ſuis doloribus crucientur multi, atque plectantur. De Iacob, ac Eſau ait Scriptura Geneſ. 25. num. 22. quod *collidebantur in vtero eius paruuli.* Aquila transfert *confringebantur.* Alij verò, *plectebantur.* Tamquam ſi ipſi pueri pugnis, ac calcitrationibus contenderent. Tota in eis pro primo greſſu, ac progenitura erat altercatio, vt notant D. Auguſtinus, Rupertus, & alij. Hoc, vt quid temporale vitæ huius, vni reſeruabatur; cruciatus verò colliſionis, confractionis, ac plexionis ambos apprehendebat. Iſai. cap. 6. num. 1. ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum;* & cap. 53. num. 2. *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, & nos putauimus eum quaſi leproſum.* Dolor, & afflictio ex leproſi agnitione ad multos ſe extendebat; vni verò conſolatio, ac recreatio ex maieſtatis apparitione deputatur.

*Temporale bonum ad vnum ſe extendit; dolor verò ad multos.*
Theoph.
Geneſ. 25.
Aquila.
D. Auguſt.
Rupert.
Iſai. 6.
Iſai. 53.

71. Nonò, & eſt communis ſolutio ſanctorum Patrum D. Auguſtini, Ruperti, Bedæ, Henrici, Alberti Magni, D. Thomæ, S. Bonauenturæ, qui in hoc vno in piſcinam deſcendente, intelligunt vnitatem populi Chriſtiani. Qui enim eſt in vnitate Eccleſiæ, ac corporis Chriſti, ſanatur; qui verò diſcrepat, ſalutem habere non poteſt. Vnde ait D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. *Non niſi qui vnus eſt cum Chriſto, & in vno corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſeruatur.* In hac piſcina ſalus vni conferebatur; infirmitates verò, atque dolores multi obtinebant: ad ſe enim vnitas aduocabat ſanitatis bonum, quod diuiſio à ſe excluſerat, ac ſeparauerat.

D. Auguſt.
Rupert.
Beda.
Henric.
Albert. Mag.
D. Thom.
S. Bonau.
D. Auguſt.
*Salus ſolùm in Eccleſia Chriſti.*

72. Quidquid enim bonum, ac ſalutiferum, in vnitate inuenitur; quidquid malum, & peſſimum, in diuiſione, ac ſeparatione pullulat. Iuxta Septuaginta, quorum lectionem ſequitur D. Ambroſius. *Præcepit Dominus Deus Adam dicens: Ex omni ligno, quod eſt in paradiſo, eſca edes. De ligno autem cognoſcendi bonum, & malum non edetis ex illo. Qua die autem ederitis ex eo, morte moriemini.* Geneſ. 2. num. 16. Sed quomodo pluraliter mandat: *Non edetis;* cum antea in ſingulari fuiſſet locutus: *Eſca edes?* Cur non idem loquendi modus in vtroque caſu ſeruatur? Id, quod Deus ad vſum homini concedit, bonum eſt, & vtile nobis. Quod verò cunctis prohibet, malum, & mortiferum conſiſtit. Dum ergo interuenit ſermo de his, quæ Deus homini donabat in eſcam, vtpote valdè bona, cum ſingularitatis vnitate fuerunt explicanda: Cùm autem ſermo conuertitur ad prohibita, vtpote nobis mala, & diſſona, non aliter fuerunt, niſi cum diuiſione pluralitatis, ac multitudinis, proferenda. D. Ambroſ. lib. de Paradiſo cap. 5. *Qua ratione, vbi præcepit ex omni ligno edendum, ſingulariter dixerit: edes: Vbi autem de ligno ſcientiæ boni, & mali, pluraliter: Non edetis: dixerit; non otioſa quæſtio eſt. Quod enim bonum, & faciendum, conſonans, & adhærens: quod verò turpe, hoc diſſonans, incompoſitum, atque diſcretum eſt.* Et iterum poſtea ait: *Vbi bonum præcepit, tamquam ad vnum præcepit, dicens, edes; vnitas enim præuaricari non poteſt. Vbi verò de ligno ſcientiæ boni, & mali dicit, non eſſe guſtandum, quaſi ad plures dicit, non edetis: quod enim prohibitorium eſt, tamquam pluribus imperatur.*

Geneſ. 2.
Septuag.
S. Ambr.
*Bonitas in vnitate exiſtit, malitia verò in diuiſione.*
D. Ambr.

73. In paſſione Domini veſtis eius indiuiſa ſeruatur. Ioan. 19. num. 23. nec per milites diſpertitur, vt in damnatorum veſtimentis erat Romanorum conſuetudo. E contra verò Caiphas Pontifex ſcidit veſtimenta ſua. Matth. 26. num. 65. cùm hoc eſſet prohibitum in lege. Leuit. 21. num. 10. Quòd ponderauit Beda in cap. 14. Marc. Et ait: *Altiori myſterio factum eſt, vt in paſſione Domini Pontifex Iudæorum ſua ipſe veſtimenta diſcinderet, hoc eſt Ephot; cum tunica Domini, nec ab ipſis, qui eum crucifixere, militibus ſcinderetur.* In Chriſti veſte erat omnis bonitas, ac ſanctitas. In ſacerdotali iniqui pontificis ornamento ſcelus, atque malitia. Diuiniſſimæ veſtis ſanctitatem integritas, ac vnitas concomitatur, quæ à turpitudine Ephot pontificis maximè diſiungitur, itaut etiam lege reclamante diuiſio, ac ſeparatio ab ea minimè arceri potuerit.

Ioan. 19.
Matth. 26.
Leuit. 21.
Beda.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare ille primus deſcendens in piſcinam ſanabatur, cum aliàs fieri poſſet, vt eſſet valdè iniquus, & peſſimus.*

74. RATIO huius rei litteralis, diuina inſtitutio, quæ ita decreuit, vt doni, ac miraculi excellentia maximè pateret. Secundò, & moraliter. Angelus bonus, & ſanctus deſcendens de cælo aquas mouebat: & aquæ ſanguine victimarum, quæ in templo offerebantur, miſtæ erant: Angelus ergo, ac victimæ quandam in aquis ſanctitatem exhalarunt, ex quo tanta in eas efficacia eſt deriuata. Eſt enim res ſacra adeò præpotens, vt ex ipſa, etiam cum indignè tractatur, magna emanet vis, ac efficacia.

*Sacra, & pia, etiam indignè tractata, bonum exhalant.*

75. In paſſione Domini, *videns Iudas, quod eum tradidit, retulit triginta argenteos.* Matth. 27. n. 3. Perfidus traditor *fur erat, & latro.* Ioan. 10. n. 1. Multa ſurripuerat, ac vſurpauerat; & nunquam dominis

Matth. 27.
Ioan. 10.



dominis ſuis oblata reddidit. Vnde tibi, inique latro, in Chriſti ſanguinis pretio hæc venit reſtituendi cogitatio? S. Maximus hom. de Iuda traditore ſic ait: *Reſtituit ergo pecuniam Phariſæis. Vide igitur, quanta vis Dominicæ ſit pecuniæ.* Magnum, & turpe nefas traditor commiſit in Chriſtum, dum ſacratiſſimum eius corpus pretio vendidit; cum tamen pecunia illa eſſet ex Chriſti corpore comparata, in marſupio retineri non potuit, ſed in actum iuſtitiæ, ac reſtitutionis cupidum impellit latronem. Et nota, quod triginta argenteos retulit, non in domo Caiphæ, ſed in templo. Traditorem, ad pecuniam illam dimittendam, illius loci ſanctitas maximè prouocauit.

S. Maxim.
*Diuina impellunt iniquum in actũ iuſtitiæ.*

76. Illudentes Iudæi Ieſu, *& plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius; & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Matth. 27. num. 29. & Marc. 15. n. 16. Per arundinem illam intelligitur humanæ naturæ fragilitas, quæ ſacratiſſimum Chriſti tangendo caput firmata eſt, ac ſolidata, vt ſapienter expoſuit D. Ambroſ. in c. 23. Luc. ad illa verba: *Emendatum illum dimittam:* ſic ait: *Secundum Marcum caput eius percutit arundo, vt ſolidata diuinitatis attactu noſtra conditio nutare non poſſit.* Sed quomodo docet Magnus Ambroſius, quod noſtra humanitas, in arundine adumbrata, caput Chriſti tangendo roboratur, ac redintegratur; arundo enim ſacratiſſimum caput ſpinis coronatum in contemptum, ac tormentum percutiebat. Quomodo ergo tantam inde excellentiam participauit? Tactus ille, etſi à carnificibus indignè fieret, corporis Chriſti tactus erat: inde igitur tantùm hauſit bonum noſtra ibi ſignificata humanitas, vt in omni iuſtitia ac ſanctitate firmata eſſet, ac ſolidata maneret.

Matth. 27.
Marc. 15.
D. Ambr.
*Ex tactu corporis Chriſti conſolidatur arundo.*

77. Tentat Chriſtum Satanas, & ait Euangeliſta. Matth. 4. num. 5. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Cur Dominus à Diabolo non potiùs ad turres, ac palatia regum, ſed aſportatur in templum? Diabolus corporaliter, veluti in manibus, Chriſtum aſportabat, vt ex D. Hieronymo, Gregorio, ac aliis Patribus dixi tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 23. num. 112. Et etiam Diabolus (ad mores dicimus) dum Chriſtum manibus aſportat, in templum tendit, ac pergit.

Matth. 4.
*Indignè Chriſtum aſportans in templum tendit.*

*Ioannis 5. n. 5.* Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Arabicus.* | Erat autem ibi vir infirmus per triginta octo annos. |
| *Syriacus.* | Qui trigeſimum octauum annum agebat in mala valetudine. |
| *Vatablus.* | Qui triginta, octo annos morbo tenebatur. |
| *Græcus.* | Triginta, & octo annos habens in morbo, ſeu ægritudine. |



## *EXPOSITIO V.*

78. DESCRIPTA iam, & explicata piſcina, eiuſque ratione; ad miraculum narrandum accedit Euangeliſta. Et ait: *Erat ibi*, in quodam ſcilicet porticu ex illis quinque, quibus piſcina cingebatur, *Quidam homo.* Notat Hugo, quod Euangeliſta non ponit eius nomen, vt expreſſit in Lazaro, ad innuendam hominis paupertatem, & humilitatem. Tamen cum hominis paupertate ſtat, quod Euangeliſta non dicit, Erat quidam, ſed *Erat quidam homo*, ſeu, vt legit Arabicus, *Erat ibi vir*, quia in tanta miſeria virilem habebat animum, quo ſanitatem ſibi ſperaret. Vnde notat R. P. Didacus de Baëza tom. 4. de Chriſto figurato, lib. 8. cap. 26. §. 31. quod cum Euangeliſta ſuprà dixiſſet: Iacebat ibi multitudo magna languentium: de hoc homine hic non ait, quod iacebat, ſed quod erat ibi; quia non iacebat animo proſtrato, ſed ſpe erectus erat.

Hugo.
Arabicus.
Baëza.
*Animus virilis in aduerſitate reſplendet.*

79. *Triginta, & octo annos habens.* Explicat Euangeliſta tam longam temporis ſeriem ad maiorem miraculi euidentiam, atque ad magis declarandam hominis tolerantiam, qui per tot annos infirmitatem patienter ſuſtinuerat; ad exprimendámque eius conſtantiam in tam diuturno morbo; vt explicabo quæſt. 13. An verò per totum hoc tempus extiterit in piſcina? Affirmant Chryſoſtomus, & Theophylactus. Mihi tamen certum, quod ſaltem per magnam illius temporis partem ibi iacuerit: nam ipſe infrà num. 7. de ſe ait: *Dum venio ego, alius deſcendit ante me.* Textus. *In infirmitate ſua.* In Græco non legitur *ſua*, ſed tantùm in langore, ſeu morbo: nam ita erat in ipſa infirmitate, vt in aliquo extraneo, & non ſuo, cum totis viribus intenderet, ab illa ſe liberari, & expediri.

Chryſoſt.
Theoph.
Græcus.

## QVÆSTIO XII.

### *De langore huius hominis, ac eius diuturnitate.*

80. DVO in hac quæſtione quæro. Primò, quiſnam eſſet huius hominis morbus? Secundò. Cur infirmitas deuenerat ad hunc potiùs triginta, & octo annorum numerum, quàm ad alium terminum?

81. Quò ad primum. Chryſoſtomus tradit, hunc hominem fuiſſe cæcum. Communis tamen ſententia, fuiſſe paralyticum. Ita docent ipſe Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Leontius, Rupertus, Beda, Albertus Magnus. Idem tradunt D. Irenæus lib. 2. cap. 41. D. Hilarius lib. 7. de Trinit. D. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 7. Quod ex eo colligitur, quòd membrorum impotens, cum ea ſuſtinere non poſſet, iacebat in grabato: nam paralyſis dicitur à Medicis diſſolutio neruorum, quæ gignitur ab humore frigido, & craſſo, neruos plus æquo humectante, & laxante. Vnde Tertullianus in Apologetico ad Gentes, de Chriſti miraculis agens ait: *Cum ille verbo Dæmonia excuteret, leproſos mundaret, paralyticos reſtringeret.* Et notandum, quod hic morbus, non totum hominẽ occupat, ſed aliquam illius partem, vt latus.

D. Chryſoſt.
Euthym.
Theoph.
Leont.
Rupert.
Beda.
Albert. Mag.
D. Irenæus.
D. Hilar.
D. Cypr.
Tertul.

B Vnde

*Valde languidus, qui ex vna parte infirmus, ex alia ſanus.*

Vnde à Græcis dicitur Hemiplexis, eo quòd malum vnam partem corporis rapiat. Et ſanè grauiſſimus eſt morbus, ſtante vna parte ſana, dum alia plus æquo laxatur ad bona temporalia, ad mundi delectationes.

*Quid ſignificet diuturnitas huius temporis.* D Auguſt. Euſebius. Beda. Henricus. Hugo.

82. Quoad ſecundum. Diuturnitas temporis in infirmitate erat per triginta, & octo annos. Hic enim numerus maximè ad langorem pertinet, vt obſeruant D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. Euſebius Gallicanus homil. in 2. Feria VI. Quadrageſimæ, Beda, Henricus, Hugo, & alij. Tum quia perfecta pœnitentia in quadragenario numero ſignificatur; tali enim dierum numero D. Ieſus-Chriſtus Moyſes, & Elias ieiunarunt: tum quia decies quatuor quadraginta efficiunt; nam decem ſignificat perfectionem operum, contentam in decem Legis præceptis; Quatuor ipſam perfectionem contentam in quatuor Euangeliis; nam fructuoſa operum conſummatio, ac integra pœnitentia debet eſſe, vt ait Euſebius, ſecundum doctrinam, ac diſciplinam vtriuſque teſtamenti. Maximè ergo languidus erat, qui ad quadraginta duo minus habebat; ſcilicet Dei, ac proximi charitate carebat.

*Perfecta operatio ſit ſecundum doctrinā vtriuſque teſtamenti.*

83. Secundò. D. Apollinarius in Catena Græca. Triginta illi, & octo anni, ait; iſtius ibi paralytici decumbentis ſignificant, punitionis tempus iam ferè expletum eſſe; quoniam quadraginta annos in deſerto Populus pœnas dedit; & quadraginta dies diluuium perdurauit; & lex ipſa quadraginta plagis peccantes feriebat. Dominus igitur ſupplicij plenitudinem reſecans, anno trigeſimo, & octauo ægrum ſanans, legales quodammodo punitiones diuina gratia reſcidit, mundi ferè tempore adimpleto. Ita ille. Ac proinde antequam caſtigationis tempus eſſet expletum, aduenit Chriſti benignitas, vt ſupplicium euitetur, & diuina miſericordia largiatur.

Apollinar.

*Deus vult euitare ſupplicium, & miſericordiā elargiri.*

*Ioannis 5. n.6.* Hunc cùm vidiſſet iacentē, & cognouiſſet, quod iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?

### *VERSIONES.*

*Euth. Theophyl.* Quum hūc vidiſſet IESVS decumbentem, & cognouiſſet, quòd multo iam tempore ægrotaret.

*Syriacus.* Cognouit, eum multo tempore egiſſe in morbo, dixitque ei: Vis ſanitati reſtitui.

*Vatablus.* Et cognouiſſet, eum iam multo tempore affici; dixit ei.

*Ex Radice Græca.* Vidiſſet decumbentem, & intimè agnouiſſet, quod iam multum tempus haberet,

### *EXPOSITIO VI.*

84. MVLTVM diſcrepat diuinus intuitus ab humanis oculis: humanus viſus non niſi in nobiles, ac præpotentes coniicitur: at diuinus aſpectus in pauperes, & humiles fertur. Erant in piſcina magnates, & diuites, ſed hominem pauperculum, quem naturæ virtus, ac humanum auxilium deſtituerat, ipſe non deſtituit. *Hunc cùm vidiſſet* ſcientia ſua diuina, ac infuſa, & oculis miſericordiæ ſuæ *iacentem*, id eſt, decumbentem, membrorumque impotentem, *& cognouiſſet*, ſeu vt eſt in Græco, *& intimè agnouiſſet*. Ideò enim multi ſuper tua neceſſitate non dolent, quia te licet tranſeunter videant, non intimè agnoſcunt, nec conſiderant tuam miſeriam, *quia iam multum tempus haberet*, in illa infirmitate, in illa impatientia, ac tolerantia dolorum, atque laborum per triginta, & octo annos.

*Diuinus intuitus, non vt humanus, in potentes, ſed in pauperes fertur.*

*Patientiæ comparantur bona.*

85. *Dixit illi Ieſus.* Introiuit Dominus in piſcinam, appropinquauit ad lectum, acceſſit ad hominem, & ait illi: *Vis ſanus fieri?* Vt benè poſt Chryſoſtomum notauit Euthymius. *Neque dixit, vis vt te ſanem, quia erat ab arrogantia alienus; & quia is, qui morbo tenebatur, ipſum nequaquam cognoſcebat; ideò etiam nec fidem ab eo requiſiuit.* Fidem Dominus non poſtulauit à paralytico iſto, ſicut ab illo alio, cuius meminit Matthæus cap. 9. n. 2 cuius hiſtoria eſt valdè diſtincta, vt patet ex circunſtantiis. Iſte paralyticus piſcinæ Chriſtum adhuc non agnouerat; & in eum, quem non agnouerat, credere non poterat, ſed ex iſto erat opere adducendus ad fidem, vt patet infrà n. 13. Et Deus à nobis plura, quàm quæ præſtare poſſumus, non requirit.

D. Chryſoſt. Euthymius.

Matth. 9.

*Deus non vult à nobis niſi quod præſtare poſſumus.*

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Dominus quærit à Paralytico, an vellet ſanari? cùm hoc eſſet euidens, & manifeſtum? Rationibus moralibus expendo.*

86. HOMO iſte præ ſanitatis deſiderio in piſcinæ porticibus erat aquæ motionem expectans. Superuacaneum ergo videtur, eum interrogare, an vellet ſanitatem habere. Qui vnquam ægrotus ſanitatem repudiauit? Et magis augetur difficultas. Quia ex omnibus, quos Dominus ſanauit, quantum capis, ab hoc ſolùm rogauit, an vellet ſalutem. Vnde ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 124. *Interrogatio huiuſmodi, ſi vellet rem optatam conſequi, ad aliud occultius intelligendum reducit.* Quidnam ſit in hac interrogatione hoc occultum, & abſconditum, eſt inquirendum.

*Ratio dubitandi.*

D. Cyrillus.

87. Reſpondet D. Cyrillus citatus. *Magnum miſericordiæ Chriſti eſt argumentum, non expectare ſemper laborantium preces, ſed ſua miſericordia præuenire.* Magnum benignitatis argumentum, dum ſalutem offert, & ante preces præuenit. Secundò, reſpondet idem Cyrillus. *Interrogat autem, ſi ſanari vellet, non quia id alicui dubium eſſet, ſed vt cupiditate valetudinis ad petendum incenderet.* Hac eum Dominus interrogatione ad opem

D. Cyrillus. *Magnum beneficium, dare, præueniēdo preces.* D. Cyrill.



opem expoſtulandam prouocat. Quod etiam docet Caietanus.

Caietanus.

88. Tertiò. D. Chyſoſtomus homil. 35. Interrogat, vt fieret manifeſta hominis conſtantia, quia per triginta, & octo annos adhuc ſperabat, & animus non defecerat. Vnde frigiditatem noſtram S. Pater meritò pungit. Si enim decem diebus orationibus vigilantes ſperamus, iam frangitur animus, & tepeſcit ardor. Et ſolum ſpe, ac perſeuerantia fundati magna aſſequimur.

D. Chryſoſt. *Perſeuerantia neceſſaria ad bona impetranda.*

89. Quarto Theophylactus ſic gloſſat. *Vis ſanus fieri? Hoc enim non ſolum ſuperfluum eſſet, ſed inſipiens, quærere, an æger velit ſanari? factum ergo eſt, vt monſtraretur nobis hominis patientia. Quid igitur ille? multa cum manſuetudine reſpondet. Etiam, inquit, Domine, volo quidem, ſed non habeo hominem.* Superflua, & importuna videbatur hæc interrogatio ab auido ſanitatis ægroto, qui pro ea obtinenda diligentiam ſemper adhibebat: *Dum ego vado, alius deſcendit ante me:* Ad quid ergo interrogatio hæc? Vt hominis patientia manifeſtetur, vt eſt ſententia Theophylacti. Sed ipſa tolerantia nonne ſatis explicata erat in infirmitate triginta, & octo annorum, vt tenent Chryſoſtomus, D. Thomas. & alij? Adhuc tamen in his non eſt patientia exactè publicata, donec obiecta interrogatione, quæ importuna, ac intempeſtiua videri poterat, ipſe abſque ira mitè ſuſtinet, pacatè, & quietè reſpondet; his enim rigoroſiſſimo examine ſuperato hominis patientia radiauit.

Theophyl.

Chryſoſt. D. Thomas. *Patientia maximè cōprobatur dū mitè ſuſtinet intēpeſtiuum verbum.*

90. Quintò, Simon Caſſianus lib. 5. cap. 27. *Quærit Ieſus, ſi vult ſanus fieri, vt ore profiteretur malum.* Ad ſanandum ex infirmitate confeſſio ex ore proprio neceſſaria eſt. Sextò, Idem Caſſianus citato loco. Ait Dominus *Vis ſanus fieri? Placet ne tibi ſanitas? Infirmitas diſpliceat; imo ſanitas magis placeat.* Meritò quæſiuit ab eo, an vellet ſanitatem; in tam enim diuturna triginta, & octo annorum infirmitate aliquod iam homo commodum, ac viuendi modum inuenire poterat, quo ei potius placeret experta miſeria, quàm non guſtata felicitas; nam in præſenti ærumna iam tenebat vitæ modum, quem in futura ſalute ignorabat. Ideo Dominus quærit ab eo, an, ſanitas magis placeat? Vnde filij Iſrael timētes ingreſſū Terræ promiſſionis, paſſim per deſertum clamabant: *Reuertamur in Ægyptum* Num. 14. n. 4. Et iterum: *Bene nobis erat in Ægypto.* Num. 11. n. 18. Volebant potius ruſtica olera Ægypti, quàm ſuauitatem mellis, & lactis Terræ promiſſæ.

Caſſianus.

*Sæpè magis placet experta miſeria, quàm non guſtata felicitas.*

Num. 14. Num. 11.

91. Septimò, Albertus magnus. Interrogat eum, alliciens conſenſum. Et in hoc ſignificat quod diſſentiens non curatur ab infirmitate ſpirituali, quia ponit impedimentum. Idem ante eum docuit Fauſtinus Epiſcopus lib. 1. de Libero arbitrio. cap. 9. Deus enim non vult coacta obſequia, ſed valde libera, & ſpontanea. Octauò, Interrogat: *Vis ſanus fieri?* quia noſtram voluntatem, ac deſiderium habet ipſe in magno pretio, & æſtimatione; vt ad verba Iſaiæ 52. n. 3. *Emite abſque argento:* notarunt D. Gregorius Nazianzenus Orat. in ſanctum Baptiſma. Clemens Alexandrinus in Protreptico. *Hoc bonum*, ait Nazianzenus, *ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur.* Nonò, Vt maximè appareat excellentia doni, dum non inuito, ſed deſideranti ac appetenti datur. Caſſiodorus lib. 1. variar. Epiſtol. 38. *Non eſt beneficium, quod præſtatur inuitis: nec cuique videtur vtile, quod aduerſa voluntate conceditur.*

Alber. Magn. Fauſtinus.

*Noſtra voluntas Deo in magno pretio.* Iſaiæ 52. D Nazian. Clemens. Alexandrin.

*Beneficia, vt magna habeantur, deſideranti dentur, non inuito.* Caſſiodor.

92. Cum Booz duceret in matrimonium Ruth, omnes ei fælicitatem imprecantes dicebant: *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Ruth. 4. n. 11. Sed cur Rachel prior nominatur, cum Lia eſſet maior natu, & prima vxor Iacob, & valde ſobole glorioſa in Iſrael; nam ex ipſa eſt nata tribus regalis Iudæ, & ſacerdotalis Leui? Quanuis Lia tot, & tanta pro ſe haberet, tamen Iacob ab auunculo ſuo Labano accepit in vxorem Rachelem valde ſpontaneè, ac voluntariè. Non ſic verò Liam, ſed coactus conſuetudine loci. Vnde Rachel magno pretio æſtimabitur, eique erat præcipua vxor. Abulenſis q. 80. *Rachel prius nominata eſt, quàm Lia, quia illa erat verè vxor Iacob: Lia verò per quandam neceſſitatem.* Expende verba: *per quandam neceſſitatem:* Idem ferè habent Liranus, & alij.

Ruth 4. *Illud magnum donum habetur, quod datur appetenti.*

Abulenſis. Liranus.

## QVÆSTIO XIV.

### *Eandem Domini interrogationem rationibus litteralibus explico.*

93. SVPERIORI quæſtione appoſui rationes morales: magis ad litteram accedamus: Cur quærit ab iſto languido, an vellet ſalutem? præcipuè cum non iuueniam, ab vllo alio hoc Dominum interrogaſſe. Et ſunt rationes ex parte Chriſti, & ex parte Paralytici.

94. Ex parte Chriſti primò. Languidus iſte Chriſtum non agnoſcebat, vt patet infra verſu 13. Interrogat ergo eum Dominus, vt ille in eum intendat, eumque agnoſcat, vt poſtea inueniens poſſit ipſum Iudæis oſtendere, teſtificarique, quod ille eſſet, qui eum fecit ſanum, vt infra n. 14 maximè enim vult Deus, vt eum in ſuis beneficiis recognoſcamus auctorem. Secundò, Vt hac interrogatione obiecta, dum poſtea Chriſtus ait: *Surge, tolle grabatum tuum:* agnoſcat apertè homo, ſe ſanatum eſſe, non piſcinæ virtute, ſed efficacia verbi Chriſti. Tertiò, Vt agnoſceret homo eximiam Chriſti virtutem; & quam faciliori modo dabat ſanitatem, ac Angelus miniſter. Nam neceſſe erat, vt Angelus moueret aquam, languidus ſe moueret, & in piſcinam deſcenderet. At iacens homo in lectulo vno verbo à Chriſto impetrat ſanitatem. Cyrillus lib. 2. cap. 124. *Interrogatio huiuſmodi, ſi vellet rem optatam conſequi, ad id intelligendum reducit, quod ipſe facile id præſtare poſſit.* Dona enim, quæ à ſerui diſpenſatione veniunt, difficiliter, ac parcè decidunt; è manu verò Domini, promptè, & largiter fluunt. Vide tom. 2. cap. 5. n. 146. & 147.

*Deus in ſuis beneficijs recognoſcendus eſt auctor.*

Cyrillus. *Dona à miniſtro difficiliter, à Domino promptè veniunt.*

95. Ex parte Languidi. Vt hac quæſtione propoſita Languidus ſe recipiat in conſiderationem ſuæ miſeriæ, ſuæque infirmitatis; & ita maximè diſponatur ad donum ſanitatis aſſequendum. Cyrillus citatus. *Ad hæc paratiorem ipſum fieri ad ſuſcipiendam hanc gratiam, interrogando adhortatur.* Secundò, Interrogat, vt ita homo ſe inducat in conſiderationem ſuæ deſertionis, ſuæque deſtitutionis ab humano auxilio, vt dicat: *hominem non habeo:* ex quo mentem eleuet ad Deum, ſuamque ſpem in eum conſtituat. Vnde ait Abbas Chæremon in Collatione 13. cap. 15. *Interrogatione, vt ſperaret, hortatur.* Nam forſitan iſte homo totus erat deditus, ac applicatus humanis diligentiis, ita vt nihil de

Cyrillus.

*Deſtitutus ab humanis, in Deo confidens valde ſecurus.*

Chæremon.

de Deo curaret: *Dum ego deſcendo, alius venit ante me:* nec ab ipſo Deo aliquid rogaret. Quod notauit citatus Abbas cap. 16. & Ericus in homil. ſic ait: *Diuturno morbo tabeſcentem interrogat Dominus, vtrùm vellet ſanus fieri, vt eum ad maiuo ſanitatis deſiderium accenderet, qui nec ſaltem pro ſua reſtauratione rogare nouerat. Vnde ille cauſam impoſſibilitatis cœpit obtendere, quod hominem non haberet. Sed Dominus languentis miſeratus inſciam ſimplicitatem ait illi: Surge, tolle grabatum tuum,* &c. Interrogat ergo Dominus languidum, vt mentem ab humano auxilio auertat, vtque ſpem ſuam totam in Deo ponat, & ita miſericordiam aſſequatur.

Ericus.

*Homo in Deo ſpem ſuam habeat.*

96. Theodor. Abulenſ. Liran.

Pergens Iacob ad patrem ſuum Iſaac, vehementer Eſaü fratrem formidabat. Ecce Angelus aſtitit ei, cum quo per noctem luctatur, vt eum ita corroboraret, animóque muniret, vt docent Theodoretus, Abulenſis, Liranus, & alij. *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis.* Tamen in ipſa lucta *Angelus tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit.* Gen. 32. n. 25. Sed ſi Angelus aduenerat, vt ſuo luctamine animaret fortitudine, ad quid mancum efficit? ad quid vult, quod in conſpectu fratris claudum ſe exhibeat? Dum illam pedis patitur debilitatem, inde ad fugam omninò ineptus erat: & quò magis erat humano auxilio deſtitutus, eò vehementius ſpes tendebat in Deum; & nulla fortior ad hoſtes ſubiugandos armatura, quàm animum, relictis humanis, ſolius Dei fiducia ſtabiliri. Gloſſa, vt refert, ac expendit R. P. M. Ioannes de la Hay. *Claudus quippe*, ait Gloſſa, *effectus eſt, ne fortis timeat fratrem.* Ac ſi illa claudicatio eſſet fortitudo; & quia mancus ſolius Dei ſpe efficeretur fortis.

Geneſ. 31.

*Relictis humanis ſpes in ſolo Deo valde ſequra.*

Gloſſ. ordin. Ioan. de la Hay.

97. Aſſumitur Daniel cum ſociis ad Regis palatium; & contempta regali alimonia, abſtinentium cibis, nempe leguminibus, & aqua viuebat. Daniel 1. n. 12. Poſteà verò ob contemptam Babylonicam idololatriam in lacum inter famelicos leones conijcitur. Tunc in Iudæa Habacuc Propheta in alueo ferens pulmentum, & panes ad meſſores ſuos, aſportatur ab Angelo in lacum. *Et clamauit Habacuc dicens: Daniel ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus; ſurgenſque Daniel comedit.* cap. 14. n. 36. Valdè mirum, quod tam ſolicitum ſe exhibeat Angelus de prandio Danielis ex pulmento, & panibus, cùm in Regis palatio legumine, & aqua auſterè ieiunaret. Et quomodo Daniel ita in lacu quietus prandet? In magnifico palatio degebat Daniel communitus regali protectione, præpoſiti cura, ſociorum, & amicorum caterua ſtipatus. At in lacu ſola firma in Deum ſpe adſtabat omni humano auxilio deſtitutus. Merito igitur ex ipſo vrgenti periculo, afflante ſpe in Deum, facit ſibi munimen, vt ſecurus prandeat, qui inter regalia ſcuta, ac amicorum cœtus, tanquam ſui ſolicitus, ieiunabat. D. Zeno Veronenſis ſerm. de Timore. ſic ait: *Huius ſuffragio Daniel populis terribilem inermis draconem necat. Leonibus obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculum ieiunare.*

Daniel 14.

*Tunc ſecurè degis, quando in ſolo Deo confidis.*

D. Zeno.

*Ioannis 5. n. 7.* Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* Reſpondit ei ægrotus.

*Syriacus.* Reſpondit ægrotus ille: Etiam Domine mi, nemo eſt autem, cùm turbatæ fuerint aquæ, qui mittat me in baptiſterium.

*Arabicus.* Vtique Domine, ſed non eſt mihi homo.

*Theoph. Euthym.* Sed interim dum venio ego.

*Arias.* In quo autem venio ego.

*EXPOSITIO VII.*

AVDIENS languidus iſte Chriſti D. interrogationem: *Vis ſanus fieri?* vt notat Chryſoſtomus, non iraſcitur, nec excandeſcit, nec dixit, quid hoc ad te pertinet? quid quæris à me? Theophylactus. *Nihil blaſphemum reſpondit, non arguit Chriſtum, ſed manſuetè, & placidè reſponſum dat, etiam ſi neſciret, quiſnam eſſet, qui interrogabat: namque hoc ſolum exiſtimauit vtilitatis ſibi accedere fortaſſis vt inferret ipſum in aquam.* Quamuis enim Paralyticus Chriſti perſonam non agnoſceret infra verſu 13. tamen cùm ex eius manu aliquid ſibi accipiendum iudicauerit, ideò manſuetè, ac vrbanè affatur dicens, *Domine*, Cardinalis verò Hugo ita gloſſat: *Tanta deuotione captus eſt ad benignitatem ſermonis Chriſti, ſtatim enim eum honorans Dominum dicit.* Licet perſonam Chriſti ignoraret, tamen ex tanta benignitate, captus eſt in verbis eius; cùm enim Dominus dicat relationem ad ſeruum, iam ſe ſeruum eius profitetur. Quod clariùs habet Syriacus: *Domine mi.* Deinde eſto languidus nihil ab eo ſperaret, ob beneuolum verbum maximè aſtrictum ſe videt, & honorifico reſponſo loquitur. 98.

Chryſoſtom.

Theophyl.

*Qui ſperat aliquid, valdè vrbanus.*

Hugo.

Syriacus. *Beneuolum verbum animum vincit.*

*Hominem non habeo.* Quamquam Syriacus habeat: *Etiam Domine*: & Arabicus: *Vtique Domine*: tamen iuxta græca, & latina exemplaria, quæ ſequuntur ſancti Patres Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, Beda, Rupertus, S. Thomas, non reſpondet languidus directè ad Chriſti interrogationem: volo: quia hoc tanquam omnibus manifeſtum, ſe ſalutem deſiderare, præſupponit; ſed reſpondet: *hominem non habeo*: quia ſibi perſuaſit, Chriſtum illud interrogaſſe ex quodam commiſerationis affectu, ſcilicet. Ex qua cauſa proueniret, quod tandiu illic iaceret abſque eo quòd ſanitatem obtineret. Et ait: *hominem non habeo*: quia pauper erat, vt notant Chryſoſtomus homil. 36. Beda, S. Thomas, Bonauentura. Vnde ait Simon Caſſianus lib. 5. cap. 27. *Priuatum ſe fatetur auxilio humano, & à valentioribus præuenitur in cura.* Nota huius infirmi modeſtiam: non accuſat miniſtros piſcinæ, quod ipſum vt pauperem deſerebant, vt ad diuites euolarent, ſed ſolùm 99.

Syriacus. Arabicus. Chryſoſt. Auguſt. Cyrillus. Beda. Rupertus. S. Thomas.

D. Bonauent. Caſſian.

*Age de remedio tuo abſq; aliorum accuſatione.*



lum ſuam miſeriam detegit, ac aperit: *hominem non habeo.*

100. *Vt cùm turbata fuerit aqua:* Non negat abſolutè, ſe habere hominem; ſed negat, illum habere cùm turbata fuerit aqua. Nam quamuis iſte languidus non careret aliquo amico, ſeu ſibi beneuolo viro; tamen cùm aqua erat turbata, & ſibi neceſſaria aderat occaſio, non hominem, ſeu neminem habebat, quia omnes ipſum deſerebant, & ad potentiores currebant, à quibus aliquod emolumentum ſperabant. *Mittat me in piſcinam*, vt ita primus ingrediar. *Dum venio enim ego* moroſo greſſu ob debilitatem membrorum, *Alius ante me deſcendit*; quia in piſcinam ex porticibus in ſtagnum per gradus deſcendebatur. Et alius ante me deſcendit, & ſanitatem mihi præripit.

*Propter ſuū lucrum homines in occaſione deſiciunt.*

101. Rupertus. Allegoricè Rupertus lib. 5. in Ioan. ſic explicat, quod languido, nempe in peccatis, neceſſarius eſt Sacerdos, vt ipſum applicet Sacramento dominicæ Paſſionis, vt ita ſanus fiat, à peccatiſque mundetur: nam illa piſcina turbata, plenáque victimarum ſanguine, Chriſti paſſionem adumbrabat; vt iam dixi.

*Confeſſio neceſſaria ad remiſſionem peccatorum.*

# QVÆSTIO XV.

## *Quomodo, cùm Angelus eſſet prima perſona in hac piſcina, non ſanabatur tamen, niſi ille, qui hominem habebat?*

102. ANGELVS deſcendens de cœlo in mouendis aquis pro adminiſtranda ſanitate gubernator erat. Quomodo ergo incolumitatem non aſſequebatur, niſi ille, qui hominem habebat? cur non pro meritis tantum ſanitatis diſtribuebatur beneficium?

*Ratio difficultatis.*

103. Ratio litteralis huius rei eſt manifeſta. Quia Angelus de cælo ſolùm ad mouendas, perturbandaſque aquas deſcendebat; humanæ verò diligentiæ cætera commiſſa erant: ideò qui hominem habebat, ſalutem ſortitus erat.

*Res ſæpè committuntur noſtræ diligentiæ.*

104. Secundò moraliter reſpondeo ad quæſtionem. Quòd quamuis prima, ac ſuprema perſona, quæ in hac piſcina pro adminiſtranda ſanitate interueniebat, Angelus de cælo eſſet; ſolus tamen ille, qui hominem habebat, ſanus factus erat: miniſtri enim ægros ad ſtagnum deferentes, omnes erant reſpectiui, temporalium bonorum cupidi; ac adeò ſolum aſportabant eos, à quibus aliquod emolumentum ſperabant. Languidus autem iſte, vt in expoſitione dixi, pauper, & contemptibilis erat. Et parùm prodeſt, quod ſuperior, ac ſupremus gubernator ſit veluti Angelus, dum res diſponuntur, ac diſpenſantur per miniſtros, qui ambitione, ac reſpectu commouentur. Vnde perbellè ait D. Bernardus lib. de Conſideratione ad Eugenium. *Non te dixeris ſanum dolentem latera.* Quid intereſt, quod caput ſit incolume, ſi latera vlcere peſſimo, ac peſtifero humore ſint corrupta.

*Quamuis princeps ſit veluti Angelus, nequitia miniſtri omnia corrumpuntur.* D. Bernard.

105. Tendenti Iſraëli per deſertum, in terram promiſſam introducendo, ſuum dat Dominus Angelum, vt dux, ac ductor eſſet per viam. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui.* Exod. 23. n. 20, & 23. vt explicant D. Epiphanius orat. de laudibus Virg. D. Hieronymus cap. 5. in Epiſt. ad Galatas, Abulenſis, Lipomanus, & alij. Pergit Iſraël per itinera, deuenit in deſideratam plagam, mittit Moyſes duodecim exploratores ad terram conſiderandam; qui reuertentes, optimam eſſe, dixerunt; tamen ex eis decem locum acquiſitu inacceſſibilem aſſeruerunt. *Populus quem aſpeximus, procera ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Num. 13. n. 34. Tunc Populus in deſperabundas contra Deum voces erumpit. *Dixeruntque alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Num. 14. n. 4. Quod fortaſſe perſuaſu exploratorum dictum eſt. Tunc ira Dei deſæuit, mortui ſunt iniqui exploratores ſubitò, ac horribiliter, vt notant Abulenſis, & Liranus. Et populus iubetur iterùm reuerti in ſolitudinem per viam maris Rubri. Sed quomodo eis mandatur, caſtra retrorsùm mouere, iterúmque repetere iter iam confectum, cùm ad introducendum populum dux Angelus eſſet? Nonne ſufficiebat, vt murmurationis capita eſſent occiſa, ſicut per decem vices iam factum? Alto conſilio diſponuntur omnia. Vt ex his diſcamus, quod quamuis Angelus eſſet populi ductor ad eum introducendum in locum deſignatum; tamen cùm miniſtri, in hoc munere electi, eſſent valdè iniqui, & ambitioſi; protinus clauditur terræ introitus, obſtacula opponuntur, omnia in retrorsùm abeunt, & in peius cadunt. Pulchrè dixit Ioannes Erigena Bedæ diſcipulus lib. de officiis humanis. *Non nutrit, ac viuificat fons aquarum deſluentium per canales, vbi ſerpentes, ac ſcorpiones habitant: ſic nec principis integritas ſaluat, vbi cuncta miniſtrantium veneno infecta veniunt.*

Exod. 23.

D. Epiph.



D. Hieron. Abulenſis. Lipoman.

Numer. 13.

Numer. 14.

Abulenſis. Liranus.

*Parum prodeſt principis probitas, ſi miniſtrorum graſſatur iniquitas.*

Erigena.

# QVÆSTIO XVI.

## *Quare, dum iſte languidus interrogatur, an velit ſanari? ad hoc directè non reſpondet, ſed ſolum ait, ſe hominem non habere?*

QVÆSIVIT Dominus à languido iſto: *Vis ſanus fieri?* Ecce tandiu deſiderata ſalus offertur: & tamen ad hoc directè homo non reſpondet, nec ex ipſa appoſita occaſione negotiatur ſalutem; non enim dixit, volo; ſed in aliud diuertit ſermonem: *hominem non habeo.* Nam ſalutis appetentiam, vt notam, ſuppoſuit, in quo immorandum non erat, vt dixi in expoſitione. Alias rationes proferamus. 106.

Reſpondent primò D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 125. Euthymius, D. Chryſoſtomus, S. Thomas, Bonauentura. *Hominem non habeo*, ait, *qui me mittat in piſcinam, ad hoc enim profuturum ſibi Chriſtum ſperauit.* At Chriſtus plus præſtat, quàm homo ab eo expoſtulauerat; nam ille ſolum eius ſperabat auxilium; vt deſcenderet in piſcinam; at Dominus non tantùm opem, verùm & ei in lectulo ſuo integram, perfectamque vno verbo tribuit ſanitatem. Vide tom. 2. cap. 6. n. 71. & 119. & cap. 20. n. 52. & 53. 107.

D. Cyrillus. D. Chryſoſt. Euthymius. D. Thomas. D. Bonauent.

*Deus plus dat, quàm ab eo expoſcimus.*

Secundò Caietanus. *Non audet languidus explicitè petere à Ieſu, vt velit, ſibi opem offerre, mittendo eum in piſcinam, ſeu natatoriam; ſed tacitè* 108. Caiet.

*hoc petit, manifeſtando id, quo indiget, ſcilicet quod indiget homine mittente ipſum in natatoriam.* Quod homo ſibi conſcius petere explicitè, non audet, Deus benignè largitur; & fortaſsè ipſa in petendo verecundia, quædam extitit magna ad obtinendum negotiatio.

*Pudor in petendo magna negotiatio.*

109. Tertiò, Euthymius. *Suſpicabatur*, ait, *quod hoc Dominus propterea interrogaret, vt argueret, quod præ ſegnitie fruſtraretur ſanitate, ideò reſpondet, quia hominem non haberet. Dicens autem, dum venio ego, alius ante me deſcendit, ſuam oſtendit perſeuerantiam, qua tot annis fruſtratus, adhuc perſeuerabat, idque non ſegnis, nec ſic negligentior efficeretur.* Audita Chriſti interrogatione ſibi languidus perſuaſit, à Domino de ſua ignauia arguendum, quod per tot annos ibi iaceret; ideò præoccupans reſpondit: *hominem non habeo*: ſegnitiei namque vehementer timenda nota; ſicut & à viro eminentis auctoritatis reprehenſio: ac adeò ad hanc declinandam ita reſpondet Paralyticus, Et non ſolùm contentus eſt verbis, verùm etiam rationes adhibet, vt ita ſe abſque negligentia inculpatum oſtendat. *Dicens, dum venio ego, alius ante me deſcendit, ſuam oſtendit perſeuerantiam*, &c.

Euthymius.

*Ignauia nota ac reprehenſio timenda.*

110. Quartò, Languidus iſte vehementer deſiderabat ſanitatem: tamen ad Domini interrogationem: *Vis ſanus fieri?* non ait: volo; ſed, *hominem non habeo, dum venio enim ego: non audet* à Domino petere ſanitatem, quin priùs repræſentet, ſe iam non habere, quid ſperet in ſe, vel in homine, cuius auxilio per tot annos erat deſtitutus. Quando ergo humana deſunt, neque in eis eſt recurſus, neque ſpes, cùm iam quidquid præſtare queunt, per vires noſtras ſit exhibitum: tunc diuinæ potentiæ committendum, ac à Deo exquirendum, flagitandumque miraculum. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. n. 71. & tom. 2. cap. 7. n. 38. 39. & 40.

*Quando humana deſunt, tunc ad miracula recurrendum.*

111. Quintò, fortè iſte homo murmurationis morbo maximè laborabat. Nam Chriſtus Dominus quæſiuit ab illo: *Vis ſanus fieri?* ille, vt conſequenter loqueretur: Volo, Domine, in ore habere debebat; verum hoc prætermittens: *Domine, hominem non habeo*; ait, cuiuſdam venenoſæ linguæ ſpeciem proferens, proprij enim remedij, ac ſalutis oblitus in alios inuehitur, anſamque arripit eis detrahendi, ac calumniandi, eo quòd ipſum vt pauperem miſerrimè deſererent.

*Murmurator potiùs aliis detrahere, quàm de ſua ſalute agere cupit.*

112. Poſtquàm parens meus Elias in Sarephtanæ mulieris receptus eſt domo, ad cuius ingreſſum è cælo bona defluxere multa, ita vt nec hydria farinæ deficeret, nec lecythus olei eſſet minutus: mortuus eſt tamen mulieris filius, quæ ad Prophetæ pedes prouoluta ait: *Quid mihi, & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt remorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. n. 18. Bona mulier, agnoſcis Prophetam, & magnorum miraculorum eſſe operatorem, vt tua ipſa domus eſt experta; cur ergo non pro ſalute filij deprecaris, vt ipſe iterùm reſtituatur ad vitam, ſed pueri mortem obiicis Prophetæ: *Ingreſſus es ad me, vt interficeres filium meum?* Obitus ille contumeliæ erat Prophetæ, vt ait D. Chryſoſtomus ſerm. 1. in Eliam. Et Abulenſis inquit: *Mater pueri mortui conquerens dixit ad Eliam: Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingreſſus es ad me, &c. Putabat enim mulier, quòd ſi Elias non veniſſet, non mortuus fuiſſet filius ſuus.* Spiritu mulier ferebatur humano vnde filij ſalute neglecta, in Prophetæ contumeliam, querimoniamque deſcendit; *Vt interficeres filium meum.*

3. Reg. 17.

D. Chryſoſt. Abulenſis.

*Ob alicuius contumeliam ſæpè noſtrum omittimus bonum.*

Daniel orationis reus damnatur. Et renitente Rege, ob magnatum importunationem in lacum leonum mittitur. Sequenti die cùm inueniretur illæſus, ſtatim immiſſi eius accuſatores ſubitò dilaniati ſunt. Daniel 6. n. 24. Iterùm ob demolitam Babylonicam ſuperſtitionem inſtant principes ad Regem: *Trade nobis Danielem.* cap. 14. n. 28. Et ex eorum conſilio, ac machinatione iterata vice in leonum cauea includitur Daniel. Valdè mirùm, quòd Babylonici ſatrapæ affectent ſanctum Prophetam in abyſſum leonum iterùm detrudere. Quomodo non timent, quod modò res accidat, ac primò euenit, vt ita egrediatur Propheta illæſus, & ipſi eius accuſatores, debita talionis pœna, vt notauit Liranus, leonibus obiiciantur? Adeò iſti in Prophetæ accuſationem, atque calumniam erant mente defixi, vt ea, quæ ad vtilitatem, ac conſeruationem propriæ vitæ, & ſalutis ſpectabant, omninò è memoria exciderent, ac illaberentur; & ſolùm omni mente, atque conatu in Prophetæ accuſationem ferebantur. 113.

Daniel 6.

Daniel 14.

Lyran.

*Impij ita intenti ſunt in accuſationē iuſti, vt vita propria obliuiſcātur.*

## Qvæstio XVII.

### *Quare hic languidus totam ſuam miſeriam ſoli Chriſto exponit?*

DVAS hic homo patiebatur impotentias, vt notat Hugo. Deſtitutus erat ab humano auxilio: *hominem non habeo*: & etiam humanæ in eo vires defecerant, vt opportuno tempore deſcenderet in ſtagnum: *dum ego venio, alius deſcendit ante me*; ob debilitatem membrorum lento gradu incedebat, vt turbata aqua non poſſet primum occupare locum. Totam hanc ſuam miſeriam hîc Chriſto repræſentat; cùm tamen anteà magna patientia degeret, ita vt, notant Chryſoſtomus homil. 35. & 36. Theophylactus, Euthymius, Beda, Henricus, Albertus Magnus, Hugo, nunquam eſſet conqueſtus nec de vita ſua, nec de morbo, nec de miniſtris. Cur ergo hîc totum exponit Chriſto. 114.

Hugo.

*Ratio dubitandi.*

Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. Beda. Henricus. Albert. Mag. Hugo.

Reſpondeo primò. Hic homo, vt ſuprà dixi ex iiſdem Patribus, erat pauper, & humilis, eiuſque cauſa diuitibus, ac potentibus erat oppoſita: nam ſi ipſe prior deſcenderet, ſeu priùs aſportaretur à miniſtris in ſtagnum, ſanandi locus magnatibus impediretur: non mirùm ergo, quòd hic homo ab humano auxilio eſſet deſertus; negotium enim pauperis diuitibus contradicens, patronum nullum habet, ſed oppugnatores multos. Et ideò prudenter de miniſtris non conquerebatur, nec ſuum alicui puro homini exponebat negotium; ſed ſoli Ieſu Chriſto vero Deo, & homini, pauperum cauſas ſuſcipienti. Vnde ait Auguſt. tract. 17. in Ioan. *Verè neceſſarius erat illi homo ad ſalutē, ſed homo ille qui Deus eſt; vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* 115.

*Negotium pauperis, diuitibus oppoſitum, nullum habet hominis patrocinium.*

D. Auguſt.

Secundò. D. Ambroſius lib. de iis, qui initiantur cap. 4. *Denique Paralyticus ille expectabat hominem. Quem? niſi illum Dominum Ieſum, cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed veritas*

116.

D. Ambroſ.



*vniuerſos.* Iacebat in piſcina homo iſte expectans Chriſtum Dominum, ante cuius aduentum vigebat vmbra, in qua ſalutis non erat iuſta diuiſio, ſed ſingularitas, ac partialitas. At vbi aduenit veritas Chriſtus Ieſus, partialitas omnis, atque iniuſtitia fugit: *Veritas vniuerſos ſanat*: & apparent in æqualitate omnia, nullúſque ſiue proximus, ſiue remotus; ſiue diues, ſiue pauper excluditur à ſalute. Meritò ergo, quando iam aderat veritas, totam ſuam Paralyticus miſeriam explicat, &, de ſua ſalute agit.

*Si veritas adeſt, non partialitas, ſed omnimoda exiſtit æqualitas.*

117. Tertiò, Chriſto totam ſuam miſeriam repræſentat. Odoratus eſt ipſum eſſe miſericordiæ fontem. Vnde meritò hunc Paralyticum pungit D. Bernardus ſerm. de diuite, quòd cum haberet præſentem ſuperfluentem Dei miſericordiam, adhuc aquarum piſcinæ miſeriam deſideraret. Sic ait S. Pater. *Stulte, ecce oleum ſalutiferum Ieſu, cuius nomen eſt oleum effuſum. Quid tibi cum aqua? Si vis, recipere ſanitatem, ecce fons olei miſericordiæ, in quo nullus prohibet, te baptizari, cuius nomen eſt effuſum oleum, id eſt omnibus gentibus manifeſtum.*

*Cùm Chriſti abundantia adſit, mundi miſeriam non appetamus.*

D. Bernard.

118. Quartò, in piſcinæ miniſtris vigebat reſpectus, vt ad ſtagnum non niſi eum aſportarent, à quo aliquid commodi ſperarent: ideo ſuam Paralyticus patienter ſuſtinebat miſeriam. Aduenit Chriſtus totámque ſtatim ei ſuam pandit miſeriam, homóque ſanatur. Petulantium miniſtrorum exceſſus, atque in pauperes vexationes adeò exorbitant, vt ad illas ſuperandas, atque vincendas, magna paretur occaſio, vt Deus adueniat, & adſit.

*Vt miniſtrorum vincatur inſolētia, Deus adſit.*

119. Duriter, ac ſeuerè vexato Iſraël in Ægypto, apparens Deus Moyſi ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiem eorum, qui præſunt operibus; & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberē eum.* Exod. 3. num. 7. Exiit Iſraël à crudeli oppreſſione illa. Et cum deueniſſet ad mare Rubrum, Angelus Domini ei ducatum præſtitit. Exod. 14. num. 19. Sicut & per deſertum: *Præcedat te Angelus meus.* Exodi 23. num. 20. vbi multæ fuere hoſtium inſidiæ, copioſiſſimíque exercitus profligandi. Maximè inueſtigandum: Cur ad cuſtodiam, & ducatum per mare, per deſertum, pérque medios hoſtes Angelus vnus adeſt; vt verò ab Ægypto populus exeat, Deus ipſe deſcendit? Ad maris pericula ſuperanda, ad hoſtium fortitudinem, atque inſidias conculcandas vnus Angelus deputatur: vt autem populus euadat à duritie eorum, qui præſunt operibus, à miniſtrorum ferocitate, ac crudelitate, ipſiuſmet Dei deſideratur præſentia, Deúſque ipſe veniat, atque deſcendat. Abulenſis. *Præpoſiti operum affligebant Hebræos, imponentes tam dura, & magna opera, quæ nullus poſſet facere.* Et ſtatim poſt pauca. *Hanc iuſtam cauſam attendens Deus, nunc deſcendit ad terras, vt vindictam reddat, & liberet de manu tribulantium.*

Exod. 3.

Exod. 14.

Exod. 23.

*Deſcendit Deus, vt miniſtrorum ferocitas reprimatur.*

Abulenſ.

*Ioannis* 5. *n.* 8. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

*Num.* 9. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo.

*VERSIONES.*

*D. Cyrillus Catecheſi* 10. Non pecces amplius, & tollens grabatum tuum ambula.

*Arias.* Excitare, tolle grabatum.

*D. Irenæus lib.* 2. *cap.* 42. Ambula, & vade in domum tuam.

*Syriacus n.* 9. Eóque momento ſanitatati reſtitutus eſt vir ille: & ſurgens ſuſtulit lectulum ſuum.

## *EXPOSITIO VIII.*

TRIA imperauit Dominus Paralytico. Surge, Tolle, Ambula. *Surge*, ait D. Auguſt. tract. 17. *Non operis imperium fuit, ſed operatio ſanitatis.* Per hoc enim verbum abſtulit morbum, vímque ſurgendi dedit. Et notandum, quod non dixit Dominus Paralytico: Eſto ſanus: ſed: *Surge.* Sicut filiæ Archiſynagogi non dixit: Viue puella: ſed: *Surge.* Luc. 8. n. 54. Et Lazaro non dixit: Viue: ſed: *Veni foras.* Ioan. 11. n. 43. Voluit Dominus oſtendere virtutem ſuam ipſis potiùs operibus, quam verbis, vt ita falſæ, ſimulatæque ſanitatis tolleretur ſuſpicio. *Tolle grabatum tuum*, nempe lectulum, in quo iacebat, vt ipſo facto fieret homo miraculi prædicator, & omnibus collata ſanitas conſtaret. D. Cyrillus citata Catecheſi 10. legit: *Ne pecces amplius, & tollens grabatum ambula.* Sic ait S. Pater. *Cùm propter animi morbum langueret corpus, prius animam curauit, vt corporis etiam indueret ſanitatem.* Illud tamen verbum: *Non pecces amplius*: addictum eſt ad doctrinam, nec enim habetur in Radice Græca, neque in noſtra vulgata. *Et ambula* in ſignum veræ ſanitatis per mediam turbam, quæ conſtituta erat in eo loco infrà verſ. 13. D. Irenæus addidit: *Et vade in domum tuam.* Hoc nec habetur in Græco, nec in Latino, & videtur deſumptum ex illo alio Paralytico. Matth. 9. n. 6. 120.

D. Auguſt.

Luc. 8.

Ioan. 11.

*Virtus potiùs operibus, quàm verbis oſtendenda.*

D. Cyrill.

*Cauſa morbi auferenda.*

D. Irenæus.

Matth. 9.

Moraliter D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. & D. Eligius homil. 8. in Cœna Domini dicunt, quod homini iam ſanato in illo verbo, *Surge*, duo præcepit Dominus, ſcilicet duo charitatis mandata, Dei nempe, & proximi: *Tolle grabatum*, hoc eſt dilige proximum, infirmitates eius in lectulo adumbratas portando. *Et ambula*, nimirum in via, ac charitate Dei. Secundò, Beda. *Surge* è torpore, & ignauia, in quibus prius iacebas, & in bonis operibus proficere ſtude. Tertiò, D. Thomas. Tria Dominus mandat. Primò, vt ſurgat recedendo à peccato. *Exurge qui dormis.* Epheſ. 5. num. 14. Secundò præcipitur: *Tolle grabatum* ſatisfaciendo de commiſſis, grabatum enim, in quo homo requieſcit, peccatum denotat: tollit ergo homo grabatum, quando fert onus pœnitentiæ ſibi pro peccato impoſitum. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Mich. 7. num. 9. Tertiò, vt ambularet proficiendo in bonum. *Ibunt de virtute in virtutem.* Pſalm. 83. num. 8. Euſebius Emiſſenus homil. in 6. Feria poſt Dominicam I. *Ambula, ne ſis otioſus*; vt ita proficiat in bonum. 121.

D. Auguſt.

D. Eligius.

Beda.

D. Thom.

Epheſ. 5.

Mich. 7.

Pſalm. 83.

Euſeb. Emiſ.

*Et ſtatim ſanus factus eſt*, ſeu vt habet Syriacus, 122.

*Donum accreſcit ex feſtina collatione.* Nonnus.

cus, *eo momento.* In eo momento, quo Chriſtus verba protulit, homo ſanus effectus eſt. Sicut enim donum ex tarditate expectationis minuitur; ita maximè augetur ex feſtinatione collationis. *Et ſuſtulit grabatum ſuum*, addit Nonnus *oneroſum humerale.* Non prorumpit in gratiarum actionem, ſed nullo interpoſito verbo ſibi mandata exequitur, Obedientia enim Deo gratiſſima. *Et ambulabat*, ſcilicet coram omnibus. Euangeliſta repetit eademmet Chriſti verba, quibus vſus fuerat in præcipiendo, vt oſtendat, à Chriſto nihil dictum fuiſſe, quod non etiam factum. *Erat autem Sabbatum in die illo.* Sabbatum dictum, iuxta Radicem Hebraicam, à requie; quia in eo die requieuit Deus ab vniuerſo opere, vt iuxta probabiliorem ſententiam tenet Toletus annot. 7. Et alto Dei conſilio hoc opus editum eſt in Sabbato, vt propter replicam Iudæorum inde ſubſecutam, haberet occaſionem Dominus dandi admirabilem doctrinam in gloriam Dei. Vide ſuprà quæſt. 2. & infrà quæſt. 21.

*Obedientia magis accepta, quàm gratitudo.*

*Sabbatum vnde deriuatum.* Tolet.

## Qvæstio XVIII.

### *Quare ex omnibus ægrotantibus in piſcina Dominus hunc potiùs elegit, quàm alium?*

123. Ex triplici cauſa factum dico. Primò, vt Chriſti potentia maximè manifeſtaretur. Nam hic languidus ægrotabat morbo valdè damnoſo, & immedicabili, ac nimis inueterato per tot annos. Et ideo in integra hominis reſtitutione virtus diuina maximè reſplendebat. Secundò, diuina æquitas, ac iuſtitia oſtendebatur: hîc enim homo beneficio præ cæteris dignior erat; nam tam longa patientia, perſeuerantia, ac manſuetudo eum maximè commendabant. Quàm cauſam apponit Euthymius. *Eum*, ait, *qui multo tempore aſſiduus fuerat, ac toleratiſſimus, cæteris præponit.*

*Beneficia diſtribuenda in digniores.* Euthym.

124. Tertiò, vt diuina miſericordia exhiberetur in opere. Hic languidus maximè deſtitutus erat, non ſolùm corporis viribus, ſed etiam humano auxilio, itaut hominem non haberet. Viſa tanta languidi pauperis miſeria à Chriſto Domino, in cuius manibus cunctorum eſt ſalus, multum eius clementiam ſolicitauit. Vt enim Deus ſuis oculis noſtram oppreſſionem intuetur, ſtatim ſuæ miſericordiæ fontes aperit, vt ſuis nos cœleſtibus donis ditet.

*Qui miſeriã videt, ſubueniat.*

125. Andreas Ieroſolymitanus ſerm. in ſalutationem Angelicam explicans ſolemnitatem diei Dominicæ Incarnationis, alludens ad Virginis verba: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Luc. 1. ſic ait: *Hodie pater omnis gloriæ, humani generis calamitatem miſertus, corruptam in Adamo naturam proprijs oculis intuitus eſt. Hodie miſericordiæ largitor viſcerum ſuorum optimorum abyſſum nobis reuelat.* Expende illa verba: *Hodie corruptam naturam proprijs oculis intuitus eſt.* Omnia in conſpectu Dei ſunt poſita. Quomodo ergo tantus Archiepiſcopus Ieroſolymitanus ait, quod hodie intuitus eſt? Rationem antea præmiſit: *Hodie miſertus:* antea enim, quandiu cœleſtis Pater miſericordiæ fontem è cœlo non mittebat, veluti tamquam verſo vultu ſe exhibebat; nunc autem inclinat faciem ſuam, & propriis nos oculis videt, cum abyſſum pietatis largitur.

Luc. 1. Andr. Ieroſ.

*Deus tunc videt, cum miſeretur.*

Alienum eſt enim à pietate, ac benignitate, repræſentatam oculis miſeriam deſertam relinquere, eique opem denegare, cum in poteſtate auxilium, & adiuuamen habeatur. Dixit Elias Thesbites: *Viuit Dominus, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith.* 3. Reg. 17. num. 1. & 2. Sed quare, cum Elias mittit famem in terram, ſtatim ei à Domino mandatur, vt recedat, ac abſcondatur? Cur in vna ciuitate, ac in medio populi non ſuſtentatur, ac alitur à Deo, ſicut in torrente Carith? Non decebat, vt Dei miniſter propriis oculis pereuntem populum videret, & remedium in ſua poteſtate poſitum denegaret. Eius enim verbo cœlum erat aperiendum, vt pluuiali rore terra fœcundaretur. Cùm autem in eius voluntate fixum eſſet, clauſum tenere cœlum, meritò triplici à Deo ei mandatur verbo, Recede hinc, vade, abſcondere. D. Chryſoſt. ſerm. 2. de Elia. *Solus Elias altior mundo, proximus cœlo, montis habitaculo, & Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perſpiceret, quorum ſcelera videre non poſſet. Tunc Dominus ad eum loquitur: Exurge, & vade.* Expende verba: *Ne illorum pœnam perſpiceret; Dominus ad eum, exurge, & vade.* 126.

3. Reg. 17.

*Non decet, vt qui videt miſeriam, remediũ deneget.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio XIX.

### *Quare ex multis ægrotantibus in piſcina vnum aſſumit ſibi Chriſtus ad ſanandum?*

Omnem turbam in porticibus iacentem vno verbo Chriſtus Dominus, ſimul ſanare poterat: tamen ex tanta multitudine vnum ad hoc beneficium vocat. Ad quod primò reſpondeo, quod voluit Chriſtus Dominus paulatim potentiam ſuam diuinam declarare. Nec omnia, quæ præſtare poſſumus, ſtatim perpetranda: nam, vt dixit Chriſtus Dominus. Ioan. 7. num. 21. hoc miraculum Paralytici denotans: *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Quid eſſet, ſi omnes piſcinæ languidi ſanarentur? ideo prudentiſſimè fuit paulatim procedendum. Secundò, vt ex ſingularitate, ac raritate beneficium eſſet in maiori æſtimatione. 127.

*Chriſtus voluit potentiam ſuam paulatim declarare.*

Ioan. 7.

Tertiò, vt hoc facto Chriſtus demonſtraret, ſuam potentiam potentiæ Dei Patris, per piſcinam ſanantis, æqualem; & quod ille ſicut & Pater ſuus operabatur, vt dixit ipſe infra 19. *Quæcumque enim ille*, ſcilicet Pater, *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quartò, deſcendente Angelo in ſtagnum vnus fiebat incolumis, Venit magni conſilij Angelus ad piſcinam, ex tanta turba vnum aſſumit, vt ei ſanitatis beneficium præſtet; nec determinat excedere, ſed ſicut Angelus veniens è cœlo vnum ſanat; ita & Dominus Ieſus alterum; nec vltrà procedit, vt poterat. Vnde vituperandi ſunt, qui in ſuis actionibus nouitatem affectant, & ſuprà alios aliquid addere conantur; cum maximè laudabile ſit antiquorum morum ſpeciem dare. 128.

*Homo ne velit in ſuis actionibus alios excedere, nec ſingularitatem affectet.*

A ſuis Diſcipulis quærit Dominus, quænam de eo diuulgaretur opinio? At illi dixerunt: *Alij Ioannem Baptiſtam; alij autem Eliam; alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Matth. 16. n. 14. Valde mirum, quod eum dicant vnum ex defunctis Patribus! Venit Chriſtus nouus homo in mundum: Cur ergo nouus homo non dicitur, ac iudicatur? Veritatis Magiſter nouitatem fugiebat: eos enim mores in ſuis actionibus exhibebat, qui iam in aliis agniti, omnique erant veneratione comprobati, itaut vnus ex antiquis Patribus exiſtimaretur. Tertulianus lib. 4. in Marcionem ſic ait: *Nullum Deum nouum à Chriſto probatum illa etiam opinio declarauit, quia Chriſtum Ieſum alij Ioannem, alij Eliam, alij vnum ex veteribus prophetis aſſeuerabant.* Pro hac ſententia maximè videnda ſunt, quæ dixi tomo 1. lib. 1. cap. 5. q. 29. n. 76. & cap. 8. q. 6. n. 12. & lib. 2. cap. 10. q. 3. n. 8. & lib. 3. cap. 3. q. 8. n. 44.

Matth 16.

*Singularitas in actionibus vitanda.*

Tertull.



## Qvæstio XX.

### *Quare huic homini Dominus mandat, aſportare grabatum?*

130. Ratio huius rei litteralis eſt manifeſta, eamque in expoſitione adnotaui. Solus abſque teſte Dominus apud languidum edidit miraculum: tamen ad laudem, & gloriam Dei; vtque omnes agnoſcerent ipſum eſſe Dei filium, ſine cuius fide non datur ſalus; homini, mandat aſportare lectulum, vt non hominis vox, ſed ipſum factum miraculum publicaret, omnibúſque fieret notum, quod ille, qui per tot annos ægrotauerat, ſubito Chriſti virtute redditus eſt ſanus, validus, ac fortis, vt præſens indicabat effectus. Solebat enim Chriſtus D. ad impudentem inimicorum inuidiam refrænandam poſt facta à ſe miracula, vt notant Chryſoſtomus, Euthymius, aliquid addere, vel mandare, ex quo miraculi veritas, & magnitudo cunctis fieret euidens. Ideo huic reſtituto ſanitati lectulum ferre iubet. Puellæ ſuſcitatæ dare manducare iuſſit Marc. 5. n. 42. Leproſo ſanato ait. *Vade oſtende te ſacerdoti.* Matth. 8. n. 4. Poſt ſaturatam turbam fragmenta colligere præcepit. Ioan. 6. n. 13. Alias huius rei morales proferamus rationes.

*Demonſtratione operum inuidia inimicorum refrenanda.*

Chryſoſt. Euthymius

Marc. 5. Matth. 8. Ioan. 6.

131. Reſpondet Primò D. Chryſoſtomus homilia quadam de Paralytico in quibuſdam exemplariis tom. 3. p. 816. quam etiam refert Roël in Iudices. cap. 9. verſ. 53. n. 11. *Idcirco Dominus*, ait, *ſicut trophæum quoddam, & argumentum longè clariſſimum, euidentiſſimúmque, lectulum illum, quaſi in triumpho, portari iuſſit.* Mandat Dominus, illum erigere lectulum, & in humeris ferre, veluti glorioſum trophæum de morbo deuicto, adepta ſanitate, inuidiáque inimicorum ſuperata; vt huiuſmodi monumento euidens fieret de tanto miraculo teſtimonium.

Chryſoſt. Roel.

*Demonſtratio operum, de inimicorũ inuidia trophæum.*

132. Secundò. Idem Chryſoſtomus citato loco. *Ne ſcilicet quod de eo, qui oculis captus fuerat, dixerant, idem de hoc paralytico dicerent. Quid igitur de illo dixerunt? Hic non eſt ille. Item Ipſe eſt. Ne itaque eiuſmodi quædam de hoc quoque dicerent, lectulus ille, qui ſublimis ferebatur, eos impudentiæ accuſabat.* Cum inimicis cautè procedendum eſt, quia cum factum negare nequeunt, illud ſaltem confundere intendunt. Et quia ex Iudæis poſt reſtitutum cæco à natiuitate viſum quidam dixerunt, hic eſt; alij, non. Ioan. 9. n. 8. igitur ne ſimilis in hoc miraculo fieret quæſtio, an ille ipſemet tot annorum languidus eſſet, qui in grabato iacuerat, ideo ei mandatur, illum aſportare, vt omnis calumniæ anſa amputaretur. Miraculum tamen Cæci à natiuitate multo poſt hoc præſens contigit, vt ex huius operis diſcurſu patebit.

D. Chryſoſt.

*Cautè cum inimicis, agẽdum, qui opera ſaltem cõfundere volunt.*

Ioan. 9.

Tertiò. D. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 15. *Sanatus*, ait, *hoc portat, vbi infirmus iacuerat, quia diuino adiutorio ereptus à vitijs, eiuſdem carnis contumelias poſtmodum tolerat, in cuius prius deſideriis requieſcebat.* Quando homo infirmitatis vitio tenebatur, lectulus ei in deliciis erat, in eo ſiquidem requieſcebat: iam ſano effecto illum in humeris aſportare mandatur; nam reſtitutis in vitæ integritate, atque ſanctis graue onus fiunt, quibus antea delectabantur, deliciæ, illiſque magnopere rebus premuntur, quibus antea recreabantur. Cur ergo Dominus hæc præmittat, rationem ſubdit Doctor. *Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus huiuſmodi iter aſperum facit, ne dum quis oblectatur in via, obliuiſcatur, quod deſiderabat in Patria.* 133.

D. Gregor.

*Sancti premuntur cognitione deliciarum, quibus antea recreabantur.*

Quartò. Idem D. Gregorius magnus homil. 12. in Ezechiel. *Quid ergo eſt, dicere: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam: niſi porta tentationes carnis, in quibus hactenus iacuiſti; ac reuertere ad conſcientiam tuam, vt videas, quæ feciſti.* Lectulus in quo infirmus iacuerat, præteritæ vitæ peccata, atque vitia denotat. Homini iam ſano Dominus mandat, lectulum in domum ſuam aſportare, vt ante oculos, ſuamque cognitionem ſemper habeat delicta commiſſa, quorum memoria compungatur, ne, ita humiliatus, pro ſalute aſſecuta in elationem efferatur. Vide tom. 2. cap. 5. n. 164. & n. 189. & 190. & cap. 10. n. 89. 134.

D. Gregor.

*Homo, vt proficiat, ſuorum habeat peccatorum cognitionem.*

Quintò S. Maximus homil. 1. ſic ait, vbi hanc rem latè meditatur. *In hoc, ſcilicet* paralytico, *planè completa eſt prophetica illa ſententia:* Verſaſti ſtratũ eius in infirmitate eius. Pſal. 40. n. 4. *Vt verſa vice portaret lectulum, in quo fuerat paulò antè portatus, vt anima illius, quæ prius vaſculo corporis ferebatur, poſteà corpus ſuum vtilius circumferret.* Idem denotat S. Ambroſius ad citatum locum Pſalm. & D. Paulinus Epiſtol. 12. Mandat Dominus, ligneam cratem aſportare: nam ſicut homo in infirmitate à lectulo, ſeu à corporis voluptatibus, animum rapientibus, ferebatur; ita iam in ſua valetudine poſitus ipſas habeat religatas, ac ſubiugatas voluptates, eaſque in obſequium rationis, ac conſcientiæ ad domum ſuam, hoc eſt ad ſui cognitionem adducat; vt ita membra, quæ ſeruitium exhibuerant immunditiæ ad iniquitatem, exhibeant, & ſeruiant iuſtitiæ ad ſanctificationem; vt ita homo ambulare, & proficere valeat, vt innuit citatus S. Maximus. 135.

S. Maximus.

Pſalm. 40.

S. Ambroſ. D. Paulinus.

*Vt homo proficere valeat, in ſpiritus ſeruitutem membra redigat.*

Sexto. Sedulius lib. 3. Paſchali. cap. 9. *Tollens*, ait, *lectum, quo iacebat immobilis, gratiæ mutuæ redhibitione mercedis, vectorem ſuum proprium humeris famulantibus mox euexit.* Ad quid, lectum vectitare iubetur, niſi vt par pari referret, & idem grabato exhiberet beneficium, ac ab illo tot annis ſuſtentatus acceperat; & nunc deſertum minimè relinqueret, ſed ſuſtinentem ſe per tot annos in ſuam ſuſtolleret domum. Vt ſic mens maximè excitaretur, ad ſe præſtandam gratam benefactori ſuo, à quo valetudinis tantum acceperat donum. 136.

Sedulius.

*Gratificandum pro acceptis beneficijs.*

Pulchrè

137. D. Bernard. Pulchrè in hac conſideratione meditur.D. Bernardus ſerm.15.*Qui habitat* : hoc onus. Et ſic ait: *Oneriferum animal homo. Si adhuc portat peccata ſua,onus eſt graue.Si iam forte exoneratus eſt à peccatis,minus quidem graue. Sed ſi ſanum ſapiat, non minus grande onus inueniet hanc ipſam , quam diximus , onerationem. Onerat nos , cum exonerat, Deus ; onerat beneficio,cum exonerat peccato. Vox onerati :* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.Pſal.115.n.12.*Vox onerati:*Exi à me , quia homo peccator ſum , Domine. Luc.5. n.8.*Vox onerati :* Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.Iob.31.n.23.Vectitet lectum homo , quia ſi antea erat oneratus grauedine morbi, modo pondere beneficij. Expende locum Iobi. *Quaſi tumentes ſuper me fluctus , timui Deum.* Vox onerati eſt,ait Bernardus. Nam licet homini in gratia conſtituto non eſſet pondus tumentium fluctuum , dolorum , ac tribulationum; magnum tamen imponebatur onus cæleſtium rorum , ac beneficiorum,quibus anima ditabatur.

*Beneficia grauant homines.*

Pſalm.115. Lucæ 5. Iobi 31.

138. Profunda , & alta in toto Apocalypſeos libro aperiuntur myſteria,itaut totus ſit liber viſionum. Vbi viginti quatuor ſeniores cadebãt in facies ſuas ante thronum : Videtur ibi Angelus in ſole ; alter ſtans in mari, & in terra;aliaque ibi innumerabilia reſerantur arcana. Et tamen inter hæc , & tanta, nunquam dicitur , quod Ioannes ceciderit in faciem ſuã ante pedes Angeli hæc nuntiantis , vt eum adoraret;niſi poſtquam cap.19.n.9.ei manifeſtauit Angelus nuptias Agni,&beatitudinem eorum,qui ad eaſdem nuptias vocati erant è quorum numero ipſe Ioannes vnus erat. *Gaudeamus,quia venerunt nuptiæ Agni , & vxor eius præparauit ſe.Et dixit mihi : ſcribe Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt ; & cecidi ante pedes eius , vt adorarem eum.* Celebris eſt quæſtio apud Expoſitores : Cur nunc potius Ioannes ſe proſtrauit in faciem ſuam, atque adorare voluit quam antea? Tanta enim lætitia,ac gratulatione fuit profuſus ex nuptijs Agni, ac gloria eorum,qui inuitati erant, in quorum numero & ipſe computabatur,vt pondere lætitiæ,ac gratitudinis prouolutus ceciderit ante vultum. Rupertus lib.10. in Apocalypſim. *Porro Ioannes quam gratanter acceperit , quantique æſtimauerit demonſtrationes huiuſmodi,claret ex eo,quod dixit: Cecidi ad pedes eius.*

Apocal.19.

*Beneficia magnum requirunt gratitudinis põdus.*

Rupertus.

| | |
|---|---|
| *Ioannes 5.n.*10. | Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat:ſabbatũ eſt, non licet tibi, tollere grabatum tuum. |
| *Num.*11. | Reſpondit eis : Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum , & ambula. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Auguſtinus tract.*17.*in Ioan.* | Non licet tibi facere, quod facis, tollere grabatum. |
| *Arias.* | Dixerunt curato. |
| *Nonnus.* | Et dixerunt cum clamore proferentes criminatricẽ vocem:ſabbatum eſt , quod oportet vnũquemque hominẽ tranſigere totum in otio. |
| *D.Gaudent.tr.* 1.*de diuerſ.* | Non licet tibi , portare grabatum. |
| *Syriacus n.*11. | Ille,qui effecit me ſanum, ipſe dixit: Tolle lectum tuum. |
| *Arias.* | Faciens me ſanum. |

## *EXPOSITIO IX.*

DICEBANT *Iudæi* , ſcilicet illi,per quos trãſibat, vt videtur ſẽtire Chryſoſtomus ; nam ſi præſentes fuiſſent miraculo , ignorare non poterant , à quo factũ fuiſſet,ac adeo nõ dicerent verſu 12. *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi* ,&c.Tamẽ forſitan aliqui eorum præſentes fuerant miraculo, & metu,ac reuerentia Chriſti non auſi ſunt, hominem reprehendere,niſi poſtquam Dominus declinauit à loco verſu 12. Nam accuſantes hominem portantem lectulum in ſabbato , ſaltem indirectè etiam Chriſtum imperantem accuſabant : *Non licet tibi,tollere grabatum tuum.* Euidentia miraculi obſtruſum erat iniquorum os; tamen inuidia ita eſt cæca,& obſtinata,vt cum non poteſt carpere opus, modum illius intendat reprehendere. Et hoc faciunt religionis prætextu : *Sabbatum eſt non licet tibi.* Benè ponderat hic Hugo , quod homo conuerſus ad Deum protinus inuenit obſtacula, impugnatores , ac contradictores. Eccleſiaſtici 2. n. 1. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei,præpara animam tuam ad tentationem.* 139.

Verſ.10. Chryſoſt.

*Inuidia, dum opus carpere nõ poteſt, modum illius detrahit.*

Hugo. *Conuerſi ad Deum oppugnatores habent.* Eccleſiaſt. 2.

*Reſpondit eis.* Euthymius: *Vide*,ait, *libertatem; neque enim ſolum non obediuit illis , ſed & beneficii Auctorem prædicauit,ac omnibus præſtantiorem demonſtrauit.*Mira libertate , atque animoſitate reſpondit ſuum benefactorem annuntians,nec eorum dictis lectum à ſe demittit , ſed ſtans perſeuerat in opere ſibi mandato. *Ille mihi dixit.* Significat , ſe non ignorare,eſſe ſabbatum,ac illius debitam religionem ; ſed totum ſuum factum obedientia excuſat. *Ille mihi dixit.* Magnam vim habet particula *Ille*,nempe ille diuinus homo maximè Deo gratus, ac placitus,qui tam diuinam habet poteſtatem, vt vno verbo immedicabilem triginta, & octo annorum ſanaret ægrotum. Optima fuit Paralitici excuſatio , cum adimpleuerit iuſſionem viri , in quo tanta erat diuina auctoritas,& qui optimè intelligebat,& agnoſcebat Sabbati religionem. *Tolle grabatum tuum , & ambula.* Verba ſibi à Chriſto imperata optimè memoria retinebat, vt ne in puncto ab eis diſcederet,& ideò totum repetiuit. 140.

Verſu 11. Euthymius

*Perſeuerandum in opere iniuncto.*

*Obedientia magnam excuſationem dat.*

*Mandata Chriſti memoria retinenda.*

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare Dominus præcipit homini tollere grabatum , quod videbatur ſabbato prohibitum.*

MAGNA obſeruatione ſabbatum venerabantur Iudæi, ideoque omne in eo ſeruile opus prohibitum erat Exod. 20.n.8.Et expreſsè onerum geſtatio vetita deſcribitur à Ieremia cap. 17. verſu 21. *Cuſtodite animas veſtras* , ait , & *nolite portare pondera in die ſabbati , nec inferatis per portas Ieruſalem.* Et à Nehemia 2. Eſdræ 13. num. 19. Si & colligere Manna , & parare cibos erat prohibitum in ſabbato ; quomodo ergo Chriſtus huic homini lectum in ſabbato aſportare mandat? Vide ſuprà quæſt.2. 141.

Exod 20. Ierem.17. 2. Eſdræ 13.



142. Reſpondetur primò. Quia Chriſtus D.non erat ſub Lege,ſiquidem Dominus,& auctor Legis erat: *Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.* Matth. 12.n.8. Ac proinde in ſua lege potuit diſpenſare. Grauiter in hanc rem notauit Tertullianus lib.2. contra Marcionem cap.21. *Qui ſabatis lignatum ierat , morti datus eſt : ſuum enim opus fecerat Lege interdictum.Qui verò Arcam ſabbatis circuntulerant , impunè geſſerunt ; non ſuum enim opus , ſed Dei , ex præcepto ſcilicet ipſius adminiſtrauerant.*

Matth.12. *Chriſtus,vt Dominus in lege diſpenſare poterat.* Tertull.

143. Secundò , vt denotat Beda , & Rupertus hoc loco. Geſtare lectum humeris , tanquam opus ſeruile , contra , legem erat : at verò portare tamquam opus pium cedens in gloriam Dei , & vt publicum teſtimonium beneficij accepti,vt omnes, qui turmatim in die ſabbati confluebant ad templum , recognoſcerent, Ieſum eſſe illius auctorem, ac verum Meſſiam;hoc non erat contra ſabbatum, ſed ſecundum ſabbatum,quod ideo fuit inſtitutum, vt omnes recognoſcerent diuina beneficia , & Deum eſſe omnium auctorem , qui omnia operatus eſt , & fecit. Quod etiam docet Ambroſius in cap.13.Luc.à n.12.

Beda. Rupertus. *Portare lectum non erat contra ſabbatum.* D.Ambroſ.

144. Tertiò. Albertus magnus.Quod *colligens ligna in die ſabbati præcipitur lapidari, non lucrum in colligendo quæſiuit.* Num.15.n.32. *Et ſic ſeruile in auaritia perpetrauit opus. Ipſe autem pauper portando lectum,ſibi neceſſarium reſeruauit, & alij infirmo in porticu locum dedit.* Exiſtimat Albertus magnus,quod ille colligens ligna illud faciebat ex lucro & ideo ſeruile opus edidit. At vero iſte pauper ferebat lectum vt ſibi neceſſarium , vtque alii ægroto daret locum in piſcina , ſat enim erat ei, quod abiret in domum ſuam;nam non velle occupare omnes ſtationes , ſed aliis dare locum , opus pium eſt.

Albert.Mag. Num.15. *Dare alij locum opus pium.*

145. Quartò, Theophylactus.Ordinauit Dominus, miraculum hoc facere in ſabbato. *Nam Iudei reprehendentes,cum factum inquirerent,multis ſermonibus celebrius illud reddunt.* Volebat Dominus, vt hoc magnum miraculum maximè fieret manifeſtum,& notum omnibus ; permittit , illud inuidiæ , ac contradictioni inimicorum exponi : nam ex eorum contentione , ac altercatione maximè opus erat,publicandum ac diuulgandum,ita enim frequenter fit, quod dum inimici in opera noſtra inuehuntur,inde maximè clareſcant,& extollantur; & quo magis noſtra facta ſuo vituperio obſcurare appetunt eo illa illuſtriora , & glorioſiora reddunt.

Theophyl. *Ex altercatione inimicorum opus noſtrum fit illuſtrius.*

146. Adueniente Diuino ſpiritu variis linguis loquũtur Apoſtoli ; inde populus ſcinditur in varias ſententias. *Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes. Quid nam vult hoc eſſe ? Alij autem irridentes dicebant : quia muſto pleni ſunt iſti.* Actor. 2. n. 12. Seu vt legit D. Auguſtinus vltima verba, *muſto grauati ſunt iſti.* Sed quomodo permittit Deus , quòd in Apoſtolos , quos in omnium oculis magna virtute , ac ſignis volebat extolli , tanta dicatur blaſphemia : *muſto pleni ſunt iſti.* Voluit Deus , vt Apoſtolica virtus agnoſceretur , ac per omnium ora diuulgaretur ; tantam igitur ſinit moueri contradictionem , ac contumeliam in ipſos , vt hanc refutante Petro, maximè illius , & ſociorum virtus pateſiat , ac declaretur , itaut ipſi in omnium æſtimatione , ac veneratione maneant , eorumque celſitudo in omnium ore celebretur : nam Petri ſermone tria millia conuerſi ſunt. Et ſtatim dicitur : *Fiebat autem omni animæ timor , & metus erat magnus in vniuerſis.* ibidem. Hoc eſt , vt explicant Lorinus, Cornelius , Apoſtoli erant in magna reuerentia, ac opinione omnium , non ſolum bonorum , ſed etiam iniquorum. Ita ait Chryſoſtomus homil.7. in Acta. *Neque vt vulgares homines deſpiciebant: meritoque corrupti ſunt metu , & teſtificabantur dictis ſigna.*

Actor.2. D. Auguſt.

*Ex contradictione paratur occaſio, vt magis virtus declaretur.*

Lorinus. Cornelius

Chryſoſtom.

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare Paralyticus ſuum onus defendit auctoritate ſibi imperantis, tollere grabatum?*

PHARISÆI accuſabant hominem, quod in ſabbato lectum aſportaret : at ille totum ſe imperio ſui benefactoris excuſat ; nam , vt ait rectè D. Chryſoſtomus homil.36. *Si malignus reſpondere voluiſſet , poterat : Non ſponte ſua , ſed alterius iuſſu id facere; neque id ſuum , ſed imperantis peccatum : & depoſito lecto acceptum occultare beneficium.* At nihil ille eorum fecit ; immo beneficium diuulgat, in opere iniuncto perſiſtit,& ſuo benefactore ſe tuetur. 147.

*Difficultas quæſtionis.* D. Chryſoſt.

Primò ſe defendit ſanctitate , ac auctoritate imperantis ; nam ſi vir diuinus non eſſet , tantum miraculum minimè ederet. D. Cyrillus lib.2. cap. 28. *Magna voce dicere videtur , illum potius , quàm ſabbatum eſſe honorandum , cui tanta ineſt gratia , vt diuturnum hunc morbum verbo fugaret : non enim homo , ſed Deus ſolummodo, rem huiuſmodi facere poteſt. Quomodo enim Deo gratus non eſt , qui mirabili , diuinaque poteſtate vtitur.* 148.

D. Cyrill. *Ex miraculoſa poteſtate diuinitas probatur.*

Secundò ſe defendit obedientia ſuo benefactori debita. Nam , vt ait D. Auguſtinus tract.17. in Ioan. *Quomodo non acciperem iuſſionem , à quo acceperam ſanitatem.* Et perbellè Simon Caſſianus lib.5.cap.27. *Si ei obediuit infirmitas fugiens, & ego obedire debui.* Proh dolor ! Infirmitas , ac inſenſibilia Deo obtemperant ; homo tamen ei reſiſtere intendit ! Et bene obedientia ſe defendit ; hæc enim in mandatis imperatis magnum tutamen præbet. *Ille mihi dixit : tolle grabatum tuum.* 149.

D.Auguſt. Caſſianus. *Si inſenſibilia Deo obediunt, quantò magis homo obedire debet.*

Tertiò poteſtate , ac magnitudine ſignorum Chriſti ſe tuetur. Albertus magnus. Tam præclaris ſignis Chriſti Domini tenebantur homines ei obedire , ac obtemperare : maximè cum Moyſes non niſi per ſigna ſe probauerit audiendum. *Et fecit*, ſcilicet , Moyſes , *ſigna coram populo , & credidit populus. Et audierunt , quod viſitaſſet Dominus filios Iſrael.* Exod. 4.n. 30. Et valde mirum , quod Iudæi id, quod Moyſi deferebant,Chriſto D.denegabant. 150.

Albert.Mag. Exod.4. *Iudæi ob ſigna verbis Moyſi crediderunt,& nõ verbis Ieſu.*

Quartò

151. Quartò, ſanctiſſimo Ieſu nomine ſe tuetur. *Qui me fecit ſanum, ille mihi dixit.* Expende nomen. *Ille mihi dixit.*

*D. Gaud.*

D. Gaudentius tract. 2. de Paralytico ſic ait: *Ille ergo, qui me fecit ſanum, cuius & nomen ſalus eſt: & quomodo poteſt ſalus per præſcriptam legem prohiberi ne ſanet.*

*Ieſus nomen ſalutiferum.*

Tamquam ſi dicat: nulla lex, nulla vis damnantem ſalutem à Ieſu, ac eius ſanctiſſimo nomine prohibere poteſt, cum ipſe ſit ſalutis, ac bonorum omnium fons. *Cuius & nomen ſalus eſt.*

152. *Iſai. 4.* Ait Iſaias 4. num. 1. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa dicentes: Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.*

*D. Greg. Gloſſa.*

D. Gregorius homil. 25. relatus in Gloſſa in morali, ait, *Quod ſeptem diebus vniuerſitas temporum comprehenditur; rectè ſeptenario numero vniuerſitas figuratur: per ſeptem ergo mulieres innuitur vniuerſitas meretricium,* ſeu peccantium, *ad Dominum reuertentium*, qui quamuis languidi, ac valde infirmi, ſi tamen ſuper nos inuocatur nomen tuum Ieſus, ſtatim omne opprobrium infirmitatis, ac peccati aufertur, atque aboletur.

*Nomine Ieſus omne malum fugatur.*

153. *Ioſue 6.* Ait Ioſue Populo: *Tradidit Dominus vobis ciuitatem; ſitque ciuitas hæc anathema: & omnia, quæ in ea ſunt, Domino: ſola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Ioſue 6. num. 17. Sed cur, cum omnis ciuitas deuaſtationi, ac deſolationi traditur, domus Rahab, cum aliàs fuerit meretrix, cum omnibus ſuis incolumis reſeruatur? Ingreſſus eſt in domum illam Ioſue; & vbi vmbram nominis Ieſus excepit, ſtatim ab illa mors fugatur, vita, ſalute, omnique bono tota domus ditatur, ac locupletatur.

*Ieſus vmbra cuſtodit ab omni malo.*

*D. Irenæus.*

D. Irenæus lib. 4. cap. 37. *Rahab fornicaria ſuſcepit exploratores, qui ſpeculabantur vniuerſam terram. Et cum vniuerſa ciuitas, in qua habitabat, concidiſſet in ruinam, Rahab conſeruata eſt cum vniuerſa domo ſua.* Expende *ſuſcepit exploratores*, ſcilicet Ioſue, & Caleb.

*Ioannis 5. n. 12.* Interrogauerunt eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula.

*Num. 13.* Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat, quis eſſet; Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quis eſt vir ille, qui dixit tibi.

*Num. 13.* Is autem, qui ſanatus fuerat, neſciebat, quis eſſet, Ieſchua enim ſubduxerat ſeſe per turbam multam, quæ erat in illo loco.

*Aliqui ex Græco.* Ieſus autem ſe peregrinum præſtitit.

## *EXPOSITIO X.*

154. *Verſ. 12.* IVDÆI, ſeu principes Iudæorum interrogant eum, non vt ſciant; benè enim agnoſcebant, Ieſum eſſe miraculorum auctorem; ſed vt maiorem habeant occaſionem calumniandi.

*Iniqui occaſionem calũniandi quærunt.*

*Qui eſt ille homo?* veluti per contemptum dicunt hominem illum, de quo plura q. ſequenti. Tamquam ſi dicant: *Quis eſt ille*, inſolens, & audax, qui contra Dei mandatum audet mandare, & in Sabbato portare lectum. *Qui dixit tibi, tolle grabatum.* Illi ad lectuli aſportationem ſolùm attendunt, non autem ad finem operis, valdè pij, vt iam dixi quæſt. 21. nec etiam, vt multum inuidia cæci recogitant imperantis auctoritatem: nam qui tam inueteratum morbum vno verbo ſanauit, abſque dubio diuina auctoritate eminebat. Ex hoc habeamus documentum, ne ſimus faciles in damnandis, ac iudicandis proximorum factis; nam quod aliàs videtur legi Dei repugnans, ſecundùm ſuas circunſtantias eſt illi valdè conforme, opúſque valdè honeſtum, & pium.

*Ne ſis facilis in iudicandis proximorum factis.*

155. *Verſ. 13.* *Is autem, qui ſanus fuerat effectus.* Sanatus enim neſciebat nomen Ieſu; nam antea eum non agnoſcebat; & finito colloquio cum ipſo, ſtatim diſceſſit Ieſus, nec fecit interrogationem aliquam, vt notat Simon Caſſianus lib. 5. cap. 27. propter obedientiam, ne in exequendo ſibi mandato faceret aliquam remoram.

*Caſſian.*

*Euſeb. Gall.*

Euſebius Gallicanus homil. in Feria 6. poſt 1. Dom. ſic ait: *Nec mirum, ſi iſte neſciebat, quis eſſet Ieſus, neque enim facilè eſt, cognoſcere Ieſum.* Vnde ipſe inquit: *Nemo nouit filium niſi Pater, & nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matth. 11. n. 27.

*Ad Ieſum cognoſcendum multùm requiritur.*

*Matth. 11.*

156. *Ieſus autem declinauit à turba conſtituta in loco.* Aliqui ex Græco legunt: *Peregrinum ſe exhibuit:* Tamquam ſenſus ſit, quod Dominus fecit miraculum in aliena forma, ne agnoſceretur, ſicut cum Magdalena ſe præſtitit hortulani ſpecie. Ioan. 20. num. 15. At hæc lectio non eſt retinenda, nam Pattes Græci cum noſtra vulgata legunt, *Declinauit.* Deinde Chriſtus non faciebat miracula aliena forma, ſed manifeſtè, vt ipſe agnoſceretur, eſſe verum filium Dei, & verum Meſſiam.

*Ioan. 20.*

157. Facto miraculo ſtatim Ieſus declinauit, ſeu ſe *ſubduxit*, vt habet Syriacus, ob rationes dandas quæſt. 25. Benè notat Rupertus, quod non dicitur, quod Ieſus declinauerit à loco, in quo hominem ſanauerat, id eſt ab Eccleſia, ſeu loco pio; ſed quod declinauerit à turba conſtituta in loco, nempè ab illa multitudine, quæ faciebat tumultum, ac turbam contra Dominum, ac eius ſanctitatem.

*Syriacus. Rupert.*

*A turba impiorum declinat Chriſtus.*

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare Iudæi nomen Ieſu non pronuntiant ore; ſed ſolùm dicunt:* Quis eſt ille homo?

158. IVDÆI benè agnoſcebant Chriſtum Dominum, eúmque eſſe miraculi auctorem; eius tamen nomen non dicunt, ſed tantùm ita loquuntur: *Quis eſt ille homo.* Primò, hæc ſunt



*Ieſu nomen in ore puro.*

ſunt illorum verba, non enim erant digni, qui ſanctiſſimum IESV nomen ore proferrent. Secundò, tanquam inimici, ac inuidi veluti per contemptum dicunt; *Quis eſt ille homo*, qui contra legis præceptum mandauit.

159. *Toletus.* Tertiò, Toletus in commentar. Iudæorum nequitia, ait, non potuit occultari. Languidus enim non dixit, ille homo, qui me ſanum fecit, ſed abſolutè, *qui me ſanum fecit*: non auſus eſt, determinare, an homo dicendus eſſet, qui tanta virtute pollebat, magnum aliquid concipiens, quod certum erat, protulit dicens, *qui me ſanum fecit.* At inuidi, & calumnia pleni Iudæi, quod eis non conſtabat, affirmarunt, quis eſt ille homo. Semper inuidia auſa eſt, plus affirmare, quàm cognoſcit, vt ſic licentioſiùs valeat detrahere, ac maleuolo dente mordere.

*Inuidia, ac calumnia plus affirmat, quàm cognoſcit.*

160. *D. Chryſoſt. 1. Reg. 20.* Quartò, D. Chryſoſtomus homil. 7. ad Antiochum, ſic ait: *Saül non dixit, vbi eſt Dauid? ſed vbi eſt filius Iſai? Iudæi quoque, quoniam aduerſabantur, & oderant, non dixerunt, vbi eſt Ieſus: ſed vbi eſt ille? ſed Deus, in hoc demonſtrare volens, quod nec peccatum amorem extinxit, ait, Adam vbi es?* Proprium nomen ore proferre, amoris ſignum, nomen verò prætermittere, odij, ac inimicitiæ nota. Et ideò Iudæi ob crudele odium in Chriſtum, eius proprium nomen non dicunt; ſed, *vbi eſt ille?* ſic & ob hanc cauſam non ait Saül, vbi eſt Dauid? ſed *vbi eſt filius Iſai?* At Deus, vt ſuum eximium amorem, nec per peccatum extinctum, declararet, ait, *Vbi es Adam?*

*Pronuntiare nomen, amoris ſignum; ſicut illud præterire, odij nota.*

161. Inexecrabili odio filij Iacob fratrem Ioſeph perſequebantur, ita vt cùm viderent eum ad ipſos venientem, dicerent: *Ecce ſomniator venit.* Gen. 39. n. 19. Et cùm eius pallium ad patrem mitterent, dixerunt: *Vide vtrùm tunica filij tui ſit, an non?* ibidem n. 33. E contra verò Pater lachrymans repetito ſermone dicebat: *Beſtia deuorauit Ioſeph.* ibidem. Valdè mirum, quòd cùm filij Iacob ſæpiſſimè de fratre agerent, tum quando eum vident venientem ad ſe; tum quando eum in ciſternam mittunt, déque eius venditione pertractant; nunquam tamen nomen Ioſeph exprimunt: è contrà verò Iacob nihil aliud habet in ore, niſi *Beſtia deuorauit Ioſeph?* Nam ſicut iſte eum in animo, vi amoris, retinebat; ita etiam & in ore. Vice verſa ſicut à fratrum animis Ioſeph aberat, ſic & eius nomen ab eorum lingua procùl erat.

*Geneſ. 39*

*Amor habet nomen proprium in ore.*

*Abulenſis.*

Abulenſis ad illa verba: *Ecce ſomniator venit:* ſic fatur: *ſatis apparet modus iſte loquendi, mordax, & hoſtilis eſt, quia eum non fratrem, quod naturæ, & amoris nomen erat; ſed ſomniatorem, tanquam hoc aliquid crimino ſum eſſet, vocabant.* Vide tom. 2. cap. 5. n. 234. & cap. 6. n. 2.

## QVÆSTIO XXIV.

### *Quare Iudæi beneficium ſanitatis non dicunt, ſed de aſportato grabato loquuntur?*

162. DVo præſtitit Chriſtus Dominus in hoc negotio: primum homini dedit ſanitatem; ſecundò mandauit ei tollere grabatum, cùm eſſet dies Sabbathi, vt notat Euangeliſta. Iudæi primum tacent, & ſecundum tantum dicunt: *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum.*

*Ratio dubitandi.*



*D. Athanaſ.*

Quod notauit D. Athanaſius homil. de ſemente. *Iudæi non viderunt miraculum factum in Sabbato, ſed eum, qui grabatum ſuum baiulabat.*

163. *Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. Rupertus.* Ad quod, primò poſt Chryſoſtomum, Theophylactum, Euthymium reſpondet Rupertus; *Non dixerunt*, ait, *quis eſt, qui te ſanum fecit, ſed quis eſt ille, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula. Illud quippe manifeſtum tantæ virtutis beneficium diſparere mallent, vt potè laudis, & gloriæ eius cauſam: hoc autem ſcire ſtudebant, quod videbatur eis, quod quaſi legitima accuſatione in calumniam trahere poſſent.* Hoſtilis, ac inuidus animus lynceus eſt, non ſolùm ad intuendum defectus, ſed etiam ad id, quod leuiſſimas eorum vmbras exiſtimat, vt ita ad calumniandum, ſibi materiam præparet. Ad virtutes verò vt talpa cæcutit, nec eas videt, nec de eis loquitur; nam earum halitu confunditur, ac torquetur. Et ideò Iudæi, non hominis ſanitatem, ſed aſportationem in ſabbato, tanquam anſam ad calumniam ſibi aſſumunt, & dicunt.

*Inimicus videt vmbras defectuum, non verò virtutes.*

164. *D. Gaudent.* Secundò, D. Gaudentius tract. 1. de variis. de Paralytico. notans hanc Iudæorum admirationem expendit illud, quod Chriſtus Dominus, Ioan. 7. n. 21. dixit de hoc paralytico ſanato: *Vnum opus feci, & omnes miramini*: ponderat, quod Chriſtus Dominus multa iam miracula ediderat; aquã conuerterat in vinum; filium Reguli ſanauerat, Archiſynagogi filiam ad viuos reduxerat; cæcos illuminauerat; tunc ſic ait S. Pater. *In catalogo magno virtutum, adhuc vnum fecerat opus Ieſus, quod frementi contra ſe imperito populo Iudæorum, quaſi veriſimilem ſæuiendi aditum dediſſe videbatur, quòd ſcilicet paralyticum in ſabbato curaſſet. Itaque tamquam violati ſabbati reus inſectationem patitur.* Magna miracula fecerat Dominus; multa omnium virtutum monumenta exhibuerat: & tamen Iudæi nec de his mirantur, nec loquuntur; ſed ſolùm ad onus impoſitum ſabbato, quod ipſis crimen videbatur, attendunt. O crudele noſtræ conditionis ingenium! Non enim in aliis conſideramus eorum præclara facta, vt eos laudibus extollamus, ſed tantùm qualemcumque imaginatam defectuum vmbram aduertimus, vt ita eos vilificare, ac deprimere valeamus.

*Ioan. 7.*

*Homines non vident aliorum virtutes, ſed defectuum vmbras.*

165. Tertiò, interrogant Iudæi, *Quis eſt ille, qui dixit tibi, tolle grabatum:* & tamen ipſe homo, cùm Ieſum poſteà inueniſſet in templo, *Abiit, & nuntiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* Cur illi de grabato aſportato loquuntur; iſte verò ſolum de ſanitate collata;

*D. Cyrillus.*

D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 31. *Non enim quaſi accuſans dixit, quia Ieſus eſſet, qui tollere grabatum, ac ambulare in ſabbato imperaſſet; ſed qui fecit eum ſanum.* Sicut malignus cæcutit ad bonum, & ſolum videt, quod cogitat malum, vt illud diuulget, ac manifeſtet: ſic probus, ac pius ſolum attendit ad bonum, vt illud explicet, & dicat; ab eo autem, quod à nequiſſimis retorqueri poteſt in malum, omninò fugit, & declinat.

*Iuſtus virtutem videt; è contra verò peccator.*

166. O quantùm diſplicet Deo hæc miſera hominum conditio, quæ in aliorum factis, non, vt faciunt iuſti, præclara, & excelſa, ſed vt iniquorum eſt proprium, inferiora, & depreſſa conſiderat! In ſancta ſanctorum, vbi poſita erat Dei Arca, ingrediebatur ſummus Sacerdos, ibíque miſericordiam pro cuncto populo inueniebat, re-

Exod. 28. portabátque, *vt placatus ſit eis Dominus*. Exod.28. num.38. Reducitur Arca Dei è domo Abinadab, 1. Reg.6. *Tunc extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratúſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta Arcam Dei*. 2. Reg.6. num.6. Sed cur ex præſentia Arcæ ſummus Sacerdos in vniuerſum populum impetrat Dei benignitatem; Oza verò ſibi comparat iram, indignationem, & mortem? In Arca, non eius ex humili ligni materia fabricationem, ſed aſſiſtentem Dei ſummus Sacerdos recogitabat maieſtatem, omnipotentiam, & miſericordiam, próque populo operata magnalia. At Oza eorum nihil habebat in mente, ſed Arcæ ipſius inclinationem, caſum, prolapſúmque conſiderabat. Qui ergo non infimam conditionem, ſed celſitudinem meditabatur in Arca, à Deo etiam eſt miſericordiam conſecutus: ſibi verò mortem, ac Dei iram acquiſiuit, qui ad inferiora deſcendens, magnalia prætermitendo, mentem ad inclinationem contraxit.

*Maximè punitur, qui in alijs ſolùm videt inclinationes, ac lapſus.*

Rupert. Rupertus lib.2. cap. 28. *Per hanc ſimilitudinem*, ait, *vehementius commonemur, ne quando nos otioſi, aut vacui cum ſimus, humiles Arcæ Dei portitores, ſi quando exceſſerint veluti boues calcitrantes, temerè iudicemus. Iratus eſt enim Dominus contra Ozam indignatione, & percuſſit eum ſuper temeritate, quia videlicet qui ſanctorum infirma reſpiciunt, & non potiùs, quia conualuerunt de infirmitate, & fortes ſunt in bello, ibi contra ſemetipſos diuinum prouocant iudicium*. Vide tom.1. lib.1. cap. 1. num. 115. & cap.5. num.92. & tom.2. cap.5. num. 103. & 206. 207. & cap.4. num.19. & 20. & cap.3. num.44. & cap.27. n.15. & 16. & plura verb. Defectus in Indice.

## QVÆSTIO XXV.

### *Quare facto miraculo Chriſtus ſtatim diſceſſit à loco?*

167. Chryſoſt. RESPONDET primò. Chryſoſtomus. *Vt ſe abſente minimè ſuſpicioſum eſſet teſtimonium.* Nam ſi præſentem Chriſtum laudaſſet ſanatus, videretur Iudæis, quod hoc in illius gratiam faceret; at dum illo abſente, eius miracula prædicat, fit manifeſtum, quod id facit veritatis amore.

*Teſtimonium efficax in abſentia.*

D. Cyrillus. Secundò, D.Cyrillus lib.2. in Ioan.c.129. *Medicum non cognouit*, ait, *non abſque diſpenſatione in multitudine hominum occultatum, vt ira Iudæorum aliquantulum deferueſceret; non quia ipſe timeret, ne quid irati poſſent aduerſus eum, antequam vellet, facere; ſed vt exemplo eius declinandum eſſe ab iratis diſcamus*. Vide tom.1. lib.1. cap.10. num.22. & num.33. & lib.2. cap.4. n.90. & cap.7. n.16. & tom.2. cap.13. n.26.

*Ira inimicorum cedendum eſt.*

168. Theoph. Tertiò, Theophylactus. *Ieſus ſubduxerat ſe, inuidiam amputans iniquorum. Solet enim frequenter ſolus eius conſpectus, cui quis inuidet, multam infundere flammam iræ.* Declinauit Dominus, vt mitigaretur, ac demulceretur inimicorum inuidia. Vide tom.2. cap.11. num. 150. & c.12. num.13. & cap.23. num.4. & cap.26. n.1.

*Inuidiæ cedendum.*

Theoph. Quartò, idem Theophylactus. Subduxit ſe Dominus, vt Iudæi haberent locum altercandi de miraculo, ac contra illud ponerent obiectiones, quod in præſentia Domini tam licentioſè non auderent; vt ita ipſum miraculum maximè diuulgaretur, ac fieret publicum. Vide ſuprà q.21. n.145. & 146.

169. Euthym. Quintò, Euthymius. *Simul*, ait, *vt hominem ſanauerat, ſubduxerat ſe propter turbam, fugiens laudem æquorum*. Vt ita ſe oſtenderet ab omni inani gloria maximè alienum, atque iactantia. Chryſoſt. Vnde de Chriſto D. ait Chryſoſtomus homil.15. in Matth. expendens illud 5. num.1. *Aſcendit Ieſus in montem, & aperiens os ſuum*: ſic ait: *Per hoc, quod non in ciuitate, & foro, ſed in monte, & ſolitudine ſedit, ſcilicet, Chriſtus D. erudit nos, nihil ad oſtentationem facere, & à tumultibus abſcedere, maximè cum de neceſſarijs diſputare oportet.*

*Vanæ gloriæ nota fugienda.*

170. Exod. 20. Mandauit Deus Moyſi: *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus, ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur*. Exod. 20. num.25. Sed cur altare Deo conſecratum, cum ſit omni cultu, ac veneratione digniſſimum, mandat Deus, ne fiat, ex lapidibus ſectis, ſeu elaboratis, ſed ex rudibus, ſeu impolitis? Inter vtrumque lapidem hoc extat diſcrimen, quòd petra præparatur, ac expolitur, vt omnium ad ſe oculos trahat, ab omnibúſque laudetur: at rudis petra inſeruit ad hoc, vt ab humano ſegregata conſpectu abſcondatur in fundamento repoſita. His ergo Deus nos admonet, quod altare, ſuprà quod Deo ſacrificandæ ſunt actiones noſtræ, ædificiúmque ſpirituale ex noſtris operibus erigendum, ne ſit conſtructum ex lapidibus, qui captent humanum viſum, ſed ex illis, qui ſint diſpoſiti, vt in terra abſcondantur, ac fodiantur, vt ita ſint ab humano aſpectu ſecluſi. Stephan. Stephanus Cantuarienſis in allegoriis apud Tilma. *Altare*, ait, *eſt mens hominis, vbi conſtruendum non eſt ædificium de ſectis, vel politis lapidibus; lapis enim non politur, niſi vt videatur; vnde lapis, qui in fundamento ponitur, non politur, quia videri non poteſt. Ille ergo conſtruit altare de ſectis lapidibus, qui ideo facit opera ſua, vt videantur. Abſcondendum eſt opus, quia, vt ait Salomon, iuſtus, quaſi fundamentum ſubſiſtit. Si ergo eleuaueris cultrum, id eſt opus tuum cura, & arte humana polire volueris; polluetur*. Vide tom.1. lib.3. cap.3. num.124. & tom.2. cap.5. n.138. & 225. & cap.6. n.85. & cap.20. n.68. & 69. & cap.29. num.89.

*Oſtentatio in noſtris operibus fugienda.*

*Ioan.5.n.14.* Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Poſt *aliquod* tempus inuenit eum Ieſchua in templo, & dixit ei: Ecce ſanus es, ne peccaueris amplius, ne quid deterius tibi contingat, quàm à principio. |
| *Theoph. Vatablus.* | Poſtea reperit eum Ieſus in templo. |
| *Arabicus.* | Iam ſanus factus es, ne redeas ad peccandum, ne fiat tibi maius malum. |
| *D.Iren.l.5.c.7.* | Ne quid deterius tibi fiat. |

EXPO



## *EXPOSITIO XI.*

171. Euthym. POSTEA, vt veriſimile videtur, eodem die Sabbati, *cum iam*, vt ait Euthymius, *miraculi rumor defeciſſet, ac tumor Iudæorum*. Sequitur textus. *Inuenit*. Sic diuina ſapientia abſcondebat alta myſteria, vt ea, quæ veluti caſu facta videbantur, alto eſſent ordinata conſilio. Sanato occurrit Dominus, tum vt auctorem tanti beneficij agnoſceret, illúmque prædicaret; ſicque ab omnibus diuinum opus perciperetur: tum vt hominem moneret, de quibus poſtea ſibi cauendum foret. *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare*. Et notandum, quod paulò poſt Dominus latuit, vt patet ex ſuperiori verſu: *Ieſus declinauit à turba conſtituta in loco*: vt expendi ſuperiori quæſt. D. Cyrill. Tamen Dominus iterum hic ſe manifeſtat. D.Cyrillus lib.2. cap.130. ſic ait: *Diſpenſando latuit, rurſus diſpenſando apparet, temporum in omni re opportunitate ſeruata*. Veluti occaſioni rerum condeſcendens. D. Thom. Aduerte cum D.Thoma, quod dicitur, quod inuenit eum Ieſus, non verò è contra, quia homo ſua virtute Chriſtum inuenire non poteſt. Pſalm. 118. Vnde dicitur in Pſalm. 118. numer.176. *Require ſeruum tuum*. Sapient.6. Sapient.6. num.14. *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat*.

*Occaſioni accommodandum.*

*Homo non virtute ſua venit ad Chriſtum.*

172. D. Chryſoſt. *In templo*. Gloſſat D. Chryſoſtomus homil.37. *Magnum profectò, & reuerentiæ, & pietatis ſignum: non enim in forum, non in porticus conceſſit; non voluptati, non otio indulſit: ſed in templo verſatur*. Euthym. Et vt ſcribit etiam Euthymius, *Inuenit eum orantem, vt opinor, & Deo gratias agentem*. Valdè veriſſimile eſt, quod adimpleto obedientiæ actu, aſportato ſcilicet grabato in domum, protinus homo venit in templum, vt ibi ob aſſecutam ſanitatem Deo gratias referret. Et ibi tunc animus gratus nouum beneficium promeretur, vt Ieſum reperiat, ſuæque ſanitatis recognoſcat auctorem. D. Auguſt. Vnde ait D. Auguſt. tract.17. in Ioan. *Ille languidus Ieſum in turba non agnoſcit, in templo cognoſcit. Peruenit ergo ille ad Dominum; vidit eum in templo, vidit eum in loco ſacrato*. Sanatus iſte, non in turba, non in ſocietate iniquorum; ſed in templo Chriſtum agnoſcit. Si ergo Chriſtum volumus inuenire, malorum conuenticula fugiamus, pérque piam cogitationem ad locum ſanctum veniamus, vt Saluatorem noſtrum intueamur. Et nota, quod priùs in domum aſportando lectum adimpleuit obedientiæ actum; deinde ad orandum in templum venit: priùs enim obedientiæ operibus, quàm orationi eſt incumbendum.

*Animus gratus noua beneficia meretur.*

*Malorum ſocietas fugienda, vt cœleſtia bona habeamus.*

*Obedientia adimplenda.*

173. *Dixit illi*; piè Dominum optanti occurrit Ieſus, eíque fatur: *Ecce* denotat magnitudinem, ac excellentiam beneficij collati, & neceſſitatem doctrinæ ſuggerendæ. *Sanus factus es*. Hugo. Aduertit Hugo, quod tria hîc dicit Dominus. Cómemorat præcedens beneficium; prohibet peccatum; comminatur ſupplicium. D. Chryſoſt. In præſentibus verbis notat D.Chryſoſtomus Chriſti humilitatem: non enim dixit, Ego te ſanum feci, ſed *Ecce ſanus factus es*: nec dixit, ne deterius tibi faciam; ſed *ne deterius tibi contingat*, hoc eſt, ne amplius pecces. Nam ob peccata hæc tam diuturna infirmitas hunc hominem apprehendit, vt dicam q. ſequenti. Hugo. Et ait: *Noli peccare*: quia, vt aduertit Hugo, non ſolùm prohibet peccatum, ſed etiam voluntatem peccandi: *Ne amplius pecces*, vt habet Syriacus. Syriacus. Dum Chriſtus eum admonet, peccata futura præcauere, rectè colligitur, præſentia peccata, quæ habuerat, remiſſa fuiſſe à Domino, vel quando ipſum ſanauit; vel modò hic, quando ei dixit: *Ecce ſanus factus es*: quod eſt probabilius. Nam vt benè ait Maldonatus, Paralyticus iſte corpore ſanatus fuerat, animo omnino ſanatus non fuerat, cum nondum Ieſum cognouiſſet, quem modò hic in templo agnouit. Maldonat.

*Chriſti modeſtia in ſuis magnalibus prædicandis.*

*Ne deterius tibi aliquid contingat.* Minatur ei Dominus hic æternum ſupplicium; nam peccata iterata, nouáque poſt acceptum beneficium ingratitudo quid deterius, & rigidius promeretur. 174. Expende hic diuerſum, quem Deus habet, in beneficiis, ac ſuppliciis loquendi modum. Nam in beneficiis, vt in Redemptione nobis facta à Chriſto Ieſu dicitur res ordinata prædefinito conſilio Dei. Act.2. n.24. & c.4. n.28. Act.2. & 4. At in ſuppliciis dicitur, *ne quid tibi contingat*. Nam cœleſtia dona Deus nobis per ſuam miſericordiam parat: ſupplicia verò homo ſibi per ſuam malitiam comparat.

*Deus nobis dat dona ſua; homo ſibi ſupplicii parat.*

## QVÆSTIO XXVI.

### Quid ſignificet Dominus in his verbis: *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne quid deterius tibi contingat?*

IN his verbis admonet Dominus hunc ſanatum, vt cautè, & circunſpectè viuat. 175. Nam fœlicitas memoriam præteritorum malorum delet, & ad noua mala perpetranda licentiam generat. Chryſoſt. Vnde Chryſoſtomus homil.37. exhortatur, vt quilibet Chriſtianus in gratiam iam vocatus hæc Chriſti verba apud ſe frequenter dicat: *Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare*, &c. Magna in his verbis latent documenta, quæ nobis hîc ſunt ex mente ſanctorum Patrum aperienda.

*Fœlicitas licentioſa.*

176. Primò, in his verbis oſtendit Chriſtus, ſe benè ſcire, ac penetrare eius vitam anteactam. Sic docet Chryſoſtomus citato loco. Chryſoſt. *Omnia ſe vidiſſe indicat*, ait, *quæ ille ſuperiori tempore commiſit*. Euthym. Euthymius. *Omnia ſe noſſe ſignificauit, quantumuis arcana*. Morbus fuit homini inflictus à triginta, & octo annis, antquam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur: ergo dum de illius, cauſa, ſcilicet peccatis commiſſis, admonet, ſe manifeſtat æternum Dei filium ſcrutatorem cordium, & cognitorem occultorum à ſæculo, cui dicere poterat hic Paralyticus: *Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua*. Pſal.138. num.5. Pſalm.138.

*Chriſtus ex ſua ſcientia ſe manifeſtat Dei filium.*

177. Secundò, indicat Ieſus hunc hominem in morbum incidiſſe ob ſua peccata, dum admonet eum, ne in peccata reincidat, ne quid grauius illi accidat. Ita docent Chryſoſtomus citatus, D. Irenæus lib.5. cap. 15. D. Cyrillus lib. 2. cap. 133. Ioannes Caſſianus collat.6. cap. 11. D. Chryſologus ſerm.15. D. Ambroſius in Epiſt.1. ad Tim. cap. 1. D. Auguſtinus lib. de fide, & operibus, cap. 20. Arnobius in Pſalm. 6. Theophylactus, Euthymius, Beda, D. Thomas, D. Bonauentura, &

D Chryſoſt. D. Irenæus. D. Cyrill. Caſſian. D. Chryſol. D. Ambr. D. Auguſt. Arnob. Theophyl. Euthym. Beda. D. Thom. D. Bonau.

*Homo ſæpè ob ſua peccata ægrotat.*

Eccleſ. 38. D. Chryſoſt.

& alij, comminiter. Ex his ergo inſtruimur, quod ſæpè morbis affligimur ob propria peccata. Eccleſiaſt. 38. num. 15. *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Cuius rei rationem dat Chryſoſtomus citatus. *Ideo autem Deus ob animi peccatum corpus flagellat, vt deterioris partis ſupplicio melior ad quærendum remedium conuertatur.* Vnde cum quis morbo vexatur, cogitet ob quod peccatum Deus eum ita ægrotare permittat, vt per pœnitentiam illud deleat. Cautè dixit *ſæpè*, nam multoties Deus ſuis iuſtis infirmitates immittit, ad probandam augendámque eorum patientiam, vt in ſancto Iobo factum vidimus.

178. D. Fulgent. *Timore iuſtitiæ cautè viuendum.*

Tertiò, D. Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccatorum; ſic ait, cap. 10. *Timor iuſtitiæ præcipitur ſanato, cui dicitur: Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare.* Docet Dominus, quod ſanitas aſſecuta retinenda, ac conſeruanda ſit, ab homine cum timore, ac tremore amittendæ iuſtitiæ; vt inde cum magna vigilantia, ac cautela viuat.

179. *Supplicij tẽpus longius tempore peccati.* Chryſoſt.

Quartò, declarat Dominus, ſupplicij tempus valdè longius eſſe, tempore commiſſionis peccati; nam in inferno æterna cruciatio peccatis deputatur. Ita ait Chryſoſtomus citatus. *Ob admiſſum breui tempore peccatum perpetuas pœnas daturus eſt Deus. Ecce hic non tot annis peccauit, quot pœnas dedit. Breui peccatum patratur, morbi tormenta diuturna ſunt: non enim tempore peccata, ſed peccantium animus iudicatur.*

180. *Peccatorum reincidentia grauiſſimè punitur.* Theoph. Chryſoſt.

Quintò. *Ne quid deterius tibi contingat.* Docet Dominus, peccata iterata eſſe grauiora ob ſuam ingratitudinem, audaciam, & impudentiam, ideóque grauiùs prioribus punienda. Sic ait Theophylactus. *Qui enim priori ſupplicio non eſt emendatus, ad maiora tormenta ducetur, tamquam inſenſatus, & contemptor.* Et D. Chryſoſtomus citatus, *Ipſum peccatum, lapſum ſatis, ſempérque cohibere, & ſapientiorem reddere debebat hominem, ne in diem prolaberetur. Verùm cum neque ſupplicium ſontem corrigit, non iniuria flagello vtitur vehementiore.*

181. Pſalm. 80. *Peccata iterata grauiter puniuntur.* D. Auguſt.

*Inimici Domini mentiti ſunt ei; & erit tempus eorum in ſæcula.* Pſalm. 80. num. 16. Sed quinam ſunt iſti inimici, qui mentiti ſunt, quorum tempus eſt in ſæcula? Nempe illi, qui olim fuerunt amici, & non perſiſtentes in gratia, nec in fide data Deo, redeuntes ad præterita vitia, mentiti ſunt Domino. Sed quid tunc erit? num punientur pœna temporali, vt ſæpè afflicti ſunt Hebræi? minimè, ſed *erit tempus eorum in ſæcula*, nempè in æterna pœna, atque ſupplicio. D. Auguſtinus ſic ait: *Factis malis, factis diabolicis renuncias. Et rurſus his inflexus ſuperaris. Facta ſunt tibi poſteriora deteriora prioribus.* Quod latè diſcurrens, poſteà ſubdit: *Erit tempus eorum, non ad tempus, ſed in æternum.*

182. Tobiæ 14.

Cùm ſenex Tobias eſſet iam morti vicinus, ad ſe aduocat filium ſuum, ac nepotes, aitque eis, cap. 14. num. 12. *Prope erit interitus Niniue. Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hîc; ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc. Video enim, quia iniquitas eius finem dabit.* Quomodo tam certa aſſertione ſanctus ſenex Niniue deſolationem proponit, benè enim ſciebat, ciues illius vrbis, deuaſtatione à Iona Propheta denuntiata, per pœnitentiam euaſiſſe. Vnde ergo tam certa reſolutio? *Prope erit interitus Niniue.* Cur etiam modò homines iam edocti ad ſimilem pœnitentiam non confugient, vt ita iram Dei effugiant? Agnoſcebat vir ſanctus, quod ex praua conſuetudine peccandi indurata perſiſtebant Niniuitarum corda, itaut nihil aliud fieret, niſi quod peccata peccatis adderentur, & in remiſſa crimina iterum redirent. Et vbi tantus erat peccatorum cumulus, ac ſcelerum relapſus, pro certo apud ſe ſtatuit, quod nihil aliud eis reſtabat, quàm ineuitabilis Dei ira, ac acerbo ſupplicio omnium interitus, ac mors. *Iniquitas eius finem dabit.* Lyranus. *Quoniam ad verbum Ionæ Niniuitæ egerunt pœnitentiam: ideo ſubuerſio illa fuit dilata. Poſteà verò Niniuitæ reuerſi ad vitia conſueta, propter quod deſtructionem eius iterum dixit Dominus per Nahum Prophetam, quàm appropinquantem prædixit hic Tobias.*

*Relapſus in peccata ineuitabilẽ Dei irã ſolicitat.* Lyran.

---

## Qvæstio XXVII.

### *Quare Chriſtus hanc admonitionem huic homini non dedit, quando ipſum ſanauit; ſed poſtea dum illum inuenit?*

183. *Ratio dubitandi.*

IN præclaro documento Chriſtus hunc Paralyticum inſtruit: *Ecce ſanus factus es, iam noli ampliùs peccare.* Cur ita eum admonet Dominus modò, & non immediatè, quando ipſum ſanitati reſtituit?

184. D. Chryſoſt.

Reſpondet primò. D. Chryſoſtomus homil. quadam de Paralytico tom. 3. ſuprà citata in quibuſdam codicibus. *Vbi verò*, ait, *morbum expulit, vbi priſtinæ ipſum valetudini reſtituit, vbi potentiæ, atque prouidentiæ fidem re, & opere fecit: tum verò tempeſtiuam adhibuit admonitionem, cum deinceps ei ob res tantas geſtas iure, meritóque fides fuit adhibenda.* Non dixit Dominus Paralytico, noli peccare, dum decumbebat in grabato, vel quando ipſum fecit ſanum, ſed poſteaquam ipſe ambulauit, lectum aſportauit, & ipſa experientia miraculum ſenſit, ac Chriſti virtutem, efficaciam, potentiámque agnouit; vt his maximè edoctus dictis Chriſti crederet, eíque fidem daret. Et ideo in opportunum tempus hanc admonitionem Dominus reſeruauit. Vt doctrina prædicatoris quis proficiat, eiuſque dictis vt acquieſcat, multum per omnem modum intereſt, quod in ſui admonitoris virtute, ac probitate ſit maximè firmatus, atque inſtructus. Priùs Dominus eduxit Abrahamum de Vr Chaldæorum. Geneſ. 11. num. 31. & 15. n. 7. hoc eſt ab igne Chaldæorum, vt explicat Eſdras 2. 9. num. 7. & tunc Abrahamus experta Dei virtute, ac potentia, eius præcepto aſtringitur: *Exi de terra tua, & cognatione tua.* Geneſ. 12. num. 1.

*Homo inſtruatur in ſui doctoris virtute, vt dictis eius acquieſcat.* Geneſ. 11. & 15. 2. Eſdr. 9. Geneſ. 12.

185. Rupert. *Virtus ſuam habet infantiam, ideò paulatim procedendum.*

Reſpondet ſecundò Rupertus in præſenti. *Iam noli peccare, ne tibi deteriùs aliquid contingat. Hoc à principio non dixit, quando ſanum illum fecit: quia profectò cum adhuc tenera eſſet fides, non pulſanda minis, ſed lactanda erat blandimentis; & multa de vetuſta conſuetudine erant diſſimulanda*



*diſſimulanda ad tempus.* Cùm beneficum ſanitatis homo accepit, virtus illius adhuc tenera erat, & ideò benignè, ac blandè fuit fouenda, & non ſtatim minis ſeueri ſupplicij terrenda: *Ne quid deteriùs tibi contingat*: nec expreſſione magni præcepti: *noli amplius peccare*, concutienda. Nam virtus ſuam etiam habet infantiam, ideò ei permittitur, vt adoleſcat, vtque homo ambulando miraculo informetur, diſputando cum Iudæis creſcat in iuſtitia, orando in templo proficiat in probitate; & poſtea tanquam benè corroborato ei mandatur: *Noli amplius peccare.* Ex quo habemus documentum, quod in via virtutis non ſtatim ad ſummam celſitudinem euolandum, ſed paulatim eundum eſſe.

186. D. Ambroſ. Geneſ. 22. *Priùs exercenda virtus quàm grauiora imponantur.* D. Ambroſ.

Rectè ponderat D. Ambroſius, quod multa, & rigida præcepta Deus mandauit Abrahamo. Vt exiret de terra ſua, & cognatione ſua, & de domo patris ſui: & vt peregrinaretur in terra Chanaan; & vt deſcenderet in Ægyptum, vbi per varias tribulationes vexatur; & tandem tanquam ad vltimum reſeruatum ei dicitur; *Tentauit Dominus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, & offer eum in holocauſtum.* Gen 22. n. 1. Quod factum eſt, vt inſigni merito, ac magna fide inſignitus Patriarcha magnas promiſſiones ex diuina benignitate exciperet. Ad quid ergo tot, & tanta præmittuntur? Cur ei non ſtatim datur filius, cuius ſacrificium ei mandetur? Tam magnum præceptum de mactando vnigenito ſibi dilectiſſimo, non tyroni militi erat imponendum, ſed valdè veterano, & in virtute apprimè per multa exculto. D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo, cap. 8. *Multis igitur probatum, quaſi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibuſdam imperiis durioribus.*

187. Exod. 12. Matth. 10. *Multùm diſtant in perfectione incipientes, ab illis, qui ſunt, in culmine.* D. Gaud. 1. Corinth. 4.

Iſraëlitis in Terram promiſſionis profecturis ad Agnum comedendum mandat Dominus: *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. n. 11. Ordinat Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad peragendam viam in prædicationem Gentium, eiſque præcipiendo cauet, *ne calceamenta, nec virgam aſportent*, Matth. 10. n. 10. Sed ſicut Apoſtoli mandatum accipiunt, vt nudatis pedibus abſque virga incedant; cur & ſimiliter idem Hebræis non imponitur? Iſraëlitæ erant in exordio viæ, in primordiis virtutis; conceduntur eis & calceamenta, ne per itinera à ſpinis moleſtati vexarentur; & etiam baculi, vt ſe cuſtodirent, firmarent, ac tuerentur. At Apoſtoli erant in culmine perfectionis, & neutro eorum indigebant. Et quod ſumma celſitudo probitatis non patitur, nec permittit; tenera, & infantilis virtus non excludit, ſed admittit. D. Gaudentius. tract. 5. in Exodum. *Opus eſt mihi*, ait, *baculo adhuc in Ægypto Paſcha celebranti, vt Hebræum meum ab interitu liberem percuſſo Ægyptio. Si quis verò eſt Apoſtolus, & per Ieſum proſtrato Ægyptio magnus factus, ac potens, iam non propter ſe baculum portat, ſed propter eos, quibus dici neceſſe eſt: Quid vultis, in virga veniam ad vos: an in charitate.* 1. Corinth. 4. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 14. & lib. 2. cap. 4. n. 51. Et tom. 2. cap. 23. n. 19. 20. & 21.

*Ioannis 5. n. 15.* Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

### *Verſiones.*

*Syriacus.* Et profectus eſt homo ille, dixitque Iudæis, Ieſchua eum eſſe, qui ſanauerat eum.

*Græcus.* Et abiit vir ille.

*Vatablus.* Renuntiauit Iudæis, Ieſum eſſe, à quo ſanatus fuiſſet.

### *Expoſitio XII.*

188. Caiet.

POSTQVAM homo audiuit ſuperiora Chriſti verba, & cùm agnouiſſet ſuum benefactorem ex voce, vultu, veſtibus, ac geſtu corporis, *Abiit, & nuntiauit Iudæis*, nempe prmoiribus Iudæorum, vt notat Caietanus, cum his enim antea diſputauerat. Ieruſalem enim, vt ait ipſe Cardinalis, plena erat Iudæis; & niſi aliqui certi, & determinati fuiſſent, non diceret Euangeliſta: *Abiit homo, & nuntiauit Iudæis.* Et in ſua loquela iam multis virtutibus inſignitus declaratur homo, nempe diligens prædicatione, gratus beneficio, prudens in verbis, charitate feruidus, magnus doctor in rerum cognitione.

189. *Diligens prædicator.* D. Auguſt. *Gratus beneficio.* D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Cyrill. Euthymius. *Beneficium publicandũ.*

Diligens prædicatione. Vbi agnouit Chriſtum, ſtatim *abiit, & nuntiauit.* Quod ponderat D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. *Poſtquàm Ieſum vidit, & cognouit Ieſum auctorem ſuæ ſanitatis, non fuit piger in euangelizando, abiit, & nuntiauit.* Gratus beneficio. Annuntiat, quod Ieſus eſſet, qui fecerat eum ſanum. Quod homo non fecit ex maleuolentia, vt accuſaret, vt perperam aliqui dixerunt; ſed ex animo gratitudinis, ne auctorem tanti beneficij abſconderet, vt rectè notant D. Auguſtinus citatus, D. Chryſoſtomus homil. 37. D. Cyrillus lib. 2. cap. 131. ita ait Euthymius. *Abiit, & nuntiauit, non tamquam iniquus, vt proderet; ſed tanquam gratus, vt benefactorem diuulgaret: nam quia crimen incurrere ſe putabat, ſi tacuiſſet, beneficium prædicauit.* Et hoc optimè colligunt ſancti Patres citati ex eo quod dixit: *Qui fecit me ſanum*; non autem, qui iuſſit lectum portare; quod Iudæi accuſantes quærebant.

190. *Prudens in verbis.* *Feruidus charitate. Charitas bonum non ſibi retinet, ſed aliis annuntiat.* D. Cyrillus. Hugo. *Nomen Ieſu ſalutiferum.*

Prudens in verbis. Quod patet ex proximè dictis. Nam ſolùm publicauit beneficium: *Qui me ſanum fecit*: quod valdè efficax erat ad eorum gratiam reconciliandam: id autem, quod aliqualiter iram, ac inuidiam inimicorum conflare poterat, ſilentio præteriuit. Feruidus charitate. Nam ſuum medicum non occultat, ſed omnibus manifeſtat, vt alij ſimiliter poſſint ab eo impetrare ſanitatem. D. Cyrillus citatus. *Nuntiat Iudæis*, ait, *manifeſtatque medicum, vt eum non ignorarent, ſi quis etiam illorum curari deſideraret.* Magnus doctor in rerum cognitione. *Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum. Non dixit*, ait Hugo, *quis, & qualis Ieſus magis deſcribendo, quia ex ſola nominatione propter excellentiam multorum operum, ac doctrinæ omnibus erat notus.* Non enim eſt aliud nomen, in quo habeamus ſalutem, & nos oporteat ſaluos fieri, niſi in ſolo ſacratiſſimo Ieſu nomine, à quo omnis ſanitas dimanat, vt ex D. Gaudentio dixi ſuprà quæſt. 22. num. 151.

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Vnde iſte homo hîc modò cognouit nomen Ieſu, quod antea ignorabat?*

191. ISTE olim Paralyticus, cum eſſet iam ſanus, lectúmque aſportaret, ſui medici nomen omnino ignorabat, vt patet ex verſu 13. nam quærentibus Iudæis nomen ejus, ait Euangeliſta: *Is autem, qui ſanus effectus fuerat, neſciebat, quis eſſet.* Vnde ergo nomen Ieſu hîc habuit agnitum?

*Ratio difficultatis.*

192. Reſpondeo primò, quòd inuento Ieſu in templo, ipſum cognouit ex vultu, ac geſtu, & nomen ſui benefactoris interrogauit. Sed ſtatim inſtabis: Cur modò hîc nomen interrogat, non verò in piſcina, quando ſanatus eſt? Dum Dominus ei ſalutem dedit, præcipiendo ei mandauit: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ille verò omnimoda obediẽtia obtemperans, ſine dilatione ſibi mandata exequitur. Perfecta enim obedientia nullam nec paruam patitur morulam. Et ideo, ne tranſeunter quidem hanc interponat, nomen Ieſu tunc non interrogat, Quod optimè præſtat in templo, vt ſuum benefactorem recognoſcat, eúmque miris laudibus extollat, omnibúſque annnuntiet. Nam obedientia nullam admittit morulam. Gratitudo verò cum benefactoris cognitione multa præconia, multáſque laudes requirit.

*Obedientia perfecta nullam admittit morulam.*

193. Secundò, probabile eſt, quod perfectam, & omnimodam animi ſanitatem hic homo non habuit, quando curatus eſt, ſed quando in templo ei Chriſtus dixit: *Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare:* vt notaui expoſitione 11. Non ergo cognouit nomen Ieſu, dum à corpore morbus excluditur, ſed dum animo perfectè ſanatur. Diuiniſſimum enim nomen hoc non capit, ac tenet animus peccatorum fæce coinquinatus, ſed ſolùm mens pura, ſana, & recta.

*Nomen Ieſu ſolùm capit mens pura.*

194. Tertiò, poſtquam hic homo corpore ſanatus fuit à Chriſto, adhuc eius nomen ignorabat, vt patet ex citato verſ. 13. *Qui ſanus factus fuerat, neſciebat, quis eſſet.* At cum in templo à Domino inuenitur, ab ipſóque audit: *Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare:* vbi perfectam animi ſalutem ei conceſſit, vt iam dixi; tunc eius ſacratiſſimum nomen aſſequitur, ipſúmque prædicat: *Quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* Magis enim cognouit, ac penetrauit, ipſum eſſe Ieſum, ac ſaluatorem ob remiſſionem peccatorum ei miſericorditer conceſſam: *Ecce ſanus factus es,* &c. quàm ob ſalutem corporis tam promptè, ac liberaliter datam: *Surge, & ambula:* Et ideo non hac ſtante, ſed illa interueniente, ipſum eſſe Ieſum, ac ſaluatorem, pleno ore profitetur.

*Chriſti poteſtas, ac efficacia magis reſplendet in ſananda anima, quàm in corpore.*

195. Tranſeunte Domino duo cæci clamant: *Miſerere noſtri fili Dauid.* Matth. 9. num. 27. A quibus Dominus requirit fidem dicens: *Creditis, quia hoc poſſum facere?* Illi verum fidei aſſenſum, Dei gratia auxiliante, præſtantes, à Domino viſum recipiunt. Nam, vt ait Hugo, ſicut illuminati erant interius, ſic & exterius illuminantur. Poſteà verò illi egreſſi *diffamauerunt eum per totam regionem.* Nempe, vt ait Albertus Magnus, *diuulgauerunt per totam regionem nomen Ieſu, à quo ſanati erant.* Sed cur primò filium Dauid dicunt; poſteà verò Ieſus nomen pronuntiant, & per totam regionem manifeſtant? Quando enim de ſalute corporis, ac exterioribus oculis agebant, filium Dauid habent in ore: At verò poſtquam ab eo, non ſolùm corpore, ſed etiam mente ſunt illuminati, tunc aperto ſermone Ieſum, ſeu ſaluatorem appellant, & nominant eiuſque eximiam virtutem recognoſcentes, ac profitentes, non tantùm ſanitate corporis, ſed potiùs animæ, quam diuina gratia afflante receperant. Vide tom. 1. cap. 6. quæſt. 5. num. 16.

*Matth. 9.* *Hugo.* *Albert. Mag.*

*Magnum Ieſu ſignum, remittere peccata.*

## CAP. II.

### *Chriſti verba poſt ſanatum Paralyticum*

*Ioannis 5. n. 16.* Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in Sabbato.

*Num. 17.* Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.

#### *VERSIONES.*

*Syriac. & Codices Græci num. 16.* Ac propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, & ſtudebant eum interficere, quod iſta feciſſet Sabbato.

*Num. 17.* Pater meus vſque adhuc operatur.

*Vatablus.* Ad hoc vſque temporis operatur.

*Radix Hebraic.* Sicut Pater meus.

*Græcus.* Eadem cum illo operor.

## *EXPOSITIO I.*

FACTO ſuperiori miraculo ſanati hominis, ſubdit Euangeliſta: *Propterea*, id eſt propter hanc cauſam, ſeu ſimulato prætextu religionis ſabbati. Vera tamen cauſa erat eorum maligna inuidia, vt notauit Euthymius. *Quantum ad id, quod apparebat, propter hoc, quantum verò ad id, quod occultum erat, propter inuidiam.* Tamen vt licentiùs ſuum venenum diffunderent, ſpeciem religionis fingebant. *Perſequebantur Iudæi Ieſum.* Iudæi ſcilicet principes, ac magnates Iudæorum, vt ſuprà dixi; & perſequebantur dictis, factis, calumniis, ac detractionibus, & omni ſtudio. Codices Græci addunt: *Et quærebant eum interficere:* vt ita eorum malignitas detegatur. Et rectè aduertit D. Cyrill. lib. 2. cap. 132. quod Euangeliſta hoc ſcribit, vt proponat inſipidam Iudæorum calumniam, quia ex tantis curationis beneficiis, quibus ſe maximè obligatos debebant exhibere, Domino detrahebant. Deinde quia Sabbati obſeruantiam non intelligebant, ſiquidem non per opera pia, ſed per ſeruilia, & mundana violabatur.

1. *Verſ. 16.* *Euthym.* *Cod. Græc.* *D. Cyrill.*



2. Reſpondit Ieſus falſam eorum calumniam refutando, *Pater meus vſque modò operatur.* Nam Iudæi Chriſtum D. arguebant tanquam hominem irreligioſum, qui contra Dei operationem, ac diſpoſitionem operabatur in ſabbato, in quo Deus requieuit, vt habes Gen. 2. Tunc Chriſtus Dominus ſui Patris exemplo eorum calumniam retundit, ac reiicit; nam *Pater meus*, verus Deus, *vſque modò*, omnibus diebus, omnibuſque ſabbatis, ſine vlla interruptione; nam illa phraſis *vſque modò* dicit temporis continuationem, vt obſeruant D. Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad litt. cap. 12. Beda. Et ait, *operatur*, cunctas res conſeruando, gubernando, vnam rem producendo ex alia, animas rationales creando in conſeruationem ſpeciei humanæ, adque omnes actiones concurrendo. Si verò dicitur Gen. 2. n. 2. quod Deus *requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat,* non ita intelligendum quaſi, quod poſteà nihil egerit, ſed quod ceſſauerit à nouis rerum generibus producendis. Ita ait D. Auguſtinus citato loco. *Quapropter ſic accipimus, Deum requieuiſſe, ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit, vt iam nouam naturam vlterius nullam conderet; non vtique, vt quod condiderat contemneret, & gubernare ceſſaret.* Ita præſentem locum præter Auguſtinum explanant Origenes homil. 23. in Numer. Sanctus Eucherius ad citat. locum Gen. & hîc in præſenti Diuus Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, Beda, Rupertus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, & alij.

*Verſ. 17.* *Geneſ. 2.* *Vera explicatio.* *D. Auguſt.* *Beda.* *Geneſ. 2.* *D. Auguſt.* *Origenes.* *S. Eucherius.* *D. Chryſoſt.* *D. Cyrillus.* *Euthymius.* *Theophyl.* *Beda.* *Rupert.* *Albert. Mag.* *D. Thomas.* *D. Bonauent.*

3. *Et ego operor*, vt colligitur ex phraſi hebraïca, & radice græca, Ego ſimiliter, ſeu pariter cum illo, ſcilicet Patre meo, vſque ad hoc tempus operor. Ex dictis quatuor ſunt obſeruanda. Primò, vt notant Beda, Rupertus, D. Thomas. Iudæi exemplo Dei intendebant Chriſtum accuſare, quòd ſabbatum non obſeruabat: Ipſe Dei operibus oſtendit, ſabbatum non violari. Secundò, vt notant Chryſoſtomus, Euthymius. Chriſtus ſe declarat verum Deum, dum Patrem ſuum dicit Deum, vt ita eos ad ſublimia erigat. Tertiò, comprobat, ſua facta non eſſe ſubiecta ſabbato; ſicut nec opera Patris ſui. Ipſe enim cum Patre eſt vnus verus Deus: Deus ſabbato non eſt ſubiectus, ſed Dominus illius. Quartò, colligit D. Cyrillus, hæc habita fuiſſe ſabbato, ex illis verbis: *Vſque modò operatur*: id eſt vſque ad hunc diem ſabbati operatur. Ex quo deducitur, miraculum Paralytici, & hæc omnia verba in vno ſabbato contigiſſe.

*Beda.* *Rupert.* *D. Thomas.* *Chryſoſt.* *Euthymius.* *D. Cyrillus.*

⁂

## QVÆSTIO I.

### *Quare Æternus Pater, & Chriſtus Dominus dicantur vſque modò operari?*

CERTVM axioma Theologorum eſt, opera ad extra eſſe communia toti Trinitati, ſcilicet Patri, Filio, Spiritui ſancto. Tamen Chriſtus Dominus ſolùm de ſe, ac Æterno ſuo Parente hîc mentionem facit; tum quia Iudæi rudes præparati non erant ad percipiendum Trinitatis myſterium; tum quia ad præſentem calumniam reprimendam ſat erat, Æternum Parentem in exemplum adducere. Et ideò Iudæorum imbecillitati ſe accommodans, tantùm locutus eſt de Patre. Cur autem Ipſe, & Pater dicantur vſque modò operari? Rationem litteralem iam in noſtra expoſitione dedi. Senſum moralem inquiro. 4.

*Cur non ſit mentio de Spiritu Sancto.*

Reſpondet primò, Origenes homil. 1. in Ezechiel. *Pater meus, inquit Dominus Ieſus Chriſtus, vſque modo operatur, & ego operor: & tibi diſplicet operari, qui ad opus natus es? Non vis opus tuum fieri, iuſtitiam, ſapientiam, caſtitatem: Non vis opus tuum eſſe fortitudinem, aliaſque virtutes.* Parentis Æterni exemplo maximè excitatur homo, vt toto ſtudio in ſuum Iuſtitiæ, virtutumque omnium opus incumbat: Nam ſi Deus, qui eſt ab omni opere alienus pro nobis quotidie operari non ceſſat, quantò magis natus ad opus homo nunquam manum amouere debet, vt pro Deo, proque anima ſua à præclaris virtutum monumentis deſiſtat. 5.

*Origenes.* *Homo exemplo Dei à ſuo opere ceſſare non debet.*

Secundò, Æternus Pater, ac Chriſtus Dominus vſque modò operantur, hactenuſque ab operibus ſuis minimè quieſcunt, vi ſui ineffabilis erga hominem amoris. Eſt enim infatigabilis amor, ab operandoque, ac benefaciendo nunquam deſiſtens. Apprimè in hanc rem eius naturam depingit D. Dionyſius de cæleſti Hierarchia. *Amor eſt quiddam mobile, inceſſabile, acutum, feruens, & ſuperferuens.* Amor laboris, aut etiam laborando moleſtiæ, aut in benefaciendo faſtidij neſcius ſemper feruet, & ſuperferuet, & ab opere nunquam deſiſtit. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 6. q. 2. n. 9. 6.

*Amor operari, & non quieſcere facit.* *D. Dyoniſ.*

Tertiò, Chriſtus Dominus cum ſuo Æterno Parente vſque modò operatur, vt opus ſuum perficiat. Ioan. 4. n. 34. Homines enim, quos ipſe condidit, non deſerit, neque deſertos relinquit, ſed eos vt in perfectum deducat, miris beneficiis accumulat, exornatque donis. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Iob. 14. n. 15. Pro dictione: *Porriges*: in radice hebraica habetur verbum ſignificans amare, ſeu concupiſcere, quaſi denotetur, quod Deus amet dexteram ſuam, ſeu ſuam operi manuum ſuarum protectionem. Quilibet enim ad opus manuum ſuarum magno rapitur, afficiturque amore. 7.

*Ioan. 4.* *Iob. 14.* *Quilibet ad opus ſuum magno afficitur amore.*

Ait Regius Vates Pſal. 118. verſ. 74. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me. Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.* Dauid ad diuina mandata cuſtodienda intellectum à Deo expoſtulat. Sed quid ad hoc adducit in medium? Quid allegat? *Manus tuæ fecerunt me*, tanquam quod, cùm opus Dei ſit, inde maximè in ſui perfectionem, 8.

*Pſalm. 118* *Homo ſuum opus perficere augeréque tenetur.*

nem, & augmentum diuina manus moueri debet. Pulchrè in hanc rem multa dicit D. Ambroſius in D. Ambroſ. præfatum Pſal. Et ſic ait: *Grandis enim prærogatiua eſt in rebus humanis, vt aliquis operibus, & beneficiis faueat ſuis: nec meritum ſpectet alienum, ſed in ſuæ gratiæ manus intendat: ne videatur abrogare, quod ipſe donauit*: Et poſt pauca ſubdit: *Clamat ad Deum Propheta. Opus tuum, Domine, ne deſeras, non derelinquas. Te auctorem conuenio, te teneo conditorem, præſidia aliena non quæro, in adiumentum accingere, qui accinctus es, vt me creares.*

*Ioannis* 5. *n.* 18. Propterea ergo magis quærebant Iudæi eum interficere; quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum; ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaque Ieſus, & dixit eis.

*Num.* 19. Amen, Amen dico vobis Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.

*VERSIONES.*

*Syriacus. n.* 18. Et propterea magis ſtudebant Iudæi, &c. ac ſe ipſum coæqualem feciſſet Deo.

*Radix Græca.* Et Patrem ſuum propriũ dicebat Deum

*Arabicus.* Quoniam dicebat, quia Deus pater meus eſt.

*Syriacus n.* 19. Non poteſt Filius quid agere ex voluntate ſui ipſius, niſi quod viderit Patrem agentem; ea enim quæ Pater facit, hæc itidem & Filius facit.

*Græcus* Videat Patrem facientẽ.

*Syrus.* Videns Patrem facientẽ.

*Arabicus.* Videt Patrem.

*Marius Victorinus, lib. 3. cõtra Arium.* Non poteſt Filius à ſemetipſo facere aliquid, ſi non viderit Patrem facientem: quæ enim ille facit, eadem & Filius facit.

*EXPOSITIO II.*

9\. PROPTEREA *ergo.* Conſequentia eſt ex ſuprà dictis ſuperiori verſu, vbi Chriſtus ſe dixit filium Dei; Ex quo crudeli odio, ac inuidia Iudæi cruciabantur, quia Chriſtus, ait Beda, *verum ſe Dei filium credi vellet.* (Verſu 18. Beda.) Quid inde reſultauit? *Quærebant eum Iudæi interficere.* Semper in maius malum tendit iniquitas. (*Semper in maius malũ præcipitatur iniquitas.*) Anteà verſu 16. perſequebantur Iudæi Ieſum. Iam verò malum maius cogitant: volebant interficere. Et eſto iuxta radicem græcam citato verſ. 16. Studebant interficere; hîc tamen maiori conatu, maiorique ſtudio volebant occidere. Vnde ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 134. (D. Cyrillus.) *Ad maiorem excitatur crudelitatem animus Iudæorum.* Sequitur textus. *Quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum*, in eorum opinione, *ſed patrem ſuum dicebat Deum.* Græcus. (Græcus.) *Patrem ſuum proprium*, ſibi peculiarem, & proprium, non adoptione, vt in aliis hominibus, ſed generatione, ac natura. Vnde Ioan. 19. n. 17. (Ioan. 19.) Chriſtum accuſabant, *quia filium Dei ſe fecit.* Pergit Euangeliſta narrans calumniam Iudæorum: *æqualem ſe faciens Deo.* Optimè ait D. Auguſtinus. (D. Auguſt. Ad Phillip. 2.) *Non ipſe ſe faciebat æqualem Deo, ſed Deus eum genuerat æqualem; non rapina ipſi erat*, Ad Philipp. 2. n. 6. *eſſe æqualem Deo*, ſed natura, ac eſſentia: *æqualem ſe faciens Deo*, non verbis, ſed operibus: ſic ait Chryſoſtomus homil. 38. (Chryſoſt.) *Non verbo tenùs, ſed frequentibus operibus ſe Deo æqualem oſtenderat.* Subdit Euangeliſta: *Reſpondit eis Ieſus*: Aliqui Recentiores ſcribunt, quod Iudæi aliquot verba dixerunt. Verùm ſi ab eis dicta eſſent, Euangeliſta narraſſet. Reſpondit ergo Ieſus ad eorum ſtudium, voluntatem, ac cogitationem.

10\. *Amen, amen dico vobis.* Hac aſſeueratione vtitur geminata dictione illa, de qua multa dixi tom. 2. cap. 3. (Verſ. 19. D. Cyrillus.) Et reſpondet Chriſtus Dominus, vt notat D. Cyryllus lib. 2. cap. 135. in fine, veluti demonſtrando id, quod ſuprà dixerat. *Pater meus vſque modo operatur; & ego operor.* Id eſt, quidquid Pater meus operatur, & ego operor, ita vt ſi per impoſſibile ego vellem aliud facere, quàm Pater facit, nequaquam poſſem, vt notauit D. Hilarius lib. 7. de Trinit. (D. Hilarius.) cùm ſim vnum omninò principium operandi ad extra cum Patre, ita inſeparabiliter, & indifferenter operor cum Patre meo, vt ait D. Leo ſerm. de Transfigurat. cap. 6. (D. Leo.)

11\. *Non poteſt Filius*: Hoc non arguit in Filio aliquam imbecillitatem, ſed ſummam perfectionem, ſuamque in natura cum Patre identitatem, æqualemque potentiam, vt notarunt hoc loco D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Beda, Rupertus, & D. Auguſtinus lib. contra ſermonem Arianorum, cap. 14. (D. Chryſoſt. D. Cyrill. Beda. Rupertus. D. Auguſt.) *Filius.* Loquitur hîc Chriſtus Dominus de ſe per tertiam perſonam modeſtiæ causâ, vt frequenter ſolet, *à ſe facere quidquam*, Græcè à ſeipſo, à ſemetipſo operari circa creaturas. (Græcus.) *niſi*, hæc particula idem valet, ac *ſed tantùm.* Id ſignificat Matth. 12. n. 4. Galatas 2. n. 6. (Matth. 12. Ad Galat. 2.) *Quod viderit Patrem facientem.* Cùm enim Filius habeat cum Patre eandem numero naturam, quæ eſt operationum principium, Filius non poteſt facere quidquam, niſi id, quod Pater, ipſo vidente, ſeu intelligente, ac ſimul operante, facit. De hoc plura quæſtione ſequenti.

12\. *Quæcumque enim ille fecerit*, ſcilicet Pater circa creaturas



creaturas, *hæc & Filius ſimiliter facit.* ſcilicet eodem prorſus modo, eâdem virtute, ac potentia. Et aduerte, dici, quod Filius facit ſimili modo, hoc eſt eodem modo, eodem dominio, ac Pater; non tamen dici, quod facit ſimilia Patri, ſed ſimul facit eadem omnino, quæ Pater operatur. Quod optimè notarunt D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Filio. (D. Athanaſ. D. Greg Naz. D. Auguſt.) Ex quo ait D. Auguſtinus tract. 18. *Non cum ille*, ſcilicet Pater, *fecerit, alia Filius ſimiliter facit; ſed quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit: ſi hæc facit Filius, quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater.* Quod optimè comprobatur doctrina D. Cyrilli ſupra citato loco. (D. Cyrillus. *Vnitas operationis monſtrat eſſentiæ vnitatem.*) *Similiter operantur, quæ omnino eiuſdem naturæ ſunt: quæ autem diuerſas eſſendi habent rationes, in ijs idem operationis modus eſſe non poteſt. Sicut igitur Deus verus de Deo vero, eadem, Patri ſimiliter, facere poteſt.*

---

# QVÆSTIO II.

## Explicatur alta Chriſti locutio: *Filius non poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.*

13\. SATIS difficilis eſt hic locus, ex quo phantaſticas imaginationes falsò fabricabant Ariani, vt Filij minoritatem arguerent. Vnde ad eorum argumenta declinanda præſentem locum de Filio ſecundum humanitatem aſſumptam explicauit Tertullianus lib. aduerſus Praxeam, cap. 4. Cæſarius Dialog. 3. Seuerus Antioch. Epiſtol. ad Sergium. (Tertull. Cæſarius. Seuerus.) At hæc interpretatio non ſtat cum ſequentibus verbis: *Quæcumque enim ille*, ſcilicet Pater, *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*: vt rectè notat D. Thomas, (D. Thomas.) nunquam enim ſecundum naturam aſſumptam Filius creauit mundum, ſicut Pater creauit. Nec valet explanatio Tertulliani, ac aliorum, qui hæc intelligunt de voluntate Chriſti humana, quia non poteſt Chriſtus, vt ſeruus, vt ait Tertullianus, (Tertull.) velle, quod non fuerit conſentaneum voluntati diuinæ. Hoc tamen ſubterfugium non valet: non enim hic denotatur conformitas operationis Chriſti cum voluntate Dei Patris; ſed ſignificatur vnitas operationis, quia non dicitur, quod viderit Patrem volentem, ſed quod viderit facientem, vt notauit Toletus annot. 15. (Toletus.) Ergo de operatione eſt ſermo.

14\. De Filio ſecundum naturam diuinam intelligitur præſens textus, vt docent D. Baſilius in Apologia de ſua diſceſſione, quæ eſt Epiſtola 141. D. Hilarius lib. 7. & 8. de Trinit. D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos. D. Epiphanius hæreſi. 69. D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. Theolog. D. Auguſtinus tract. 18. & 20. in Ioan. D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 135. D. Ambroſius lib. 4. de fide. cap. 3. S. Leo ſerm. de Tranſigur. & hoc loco. Beda. Rupertus. Albertus magnus. D. Thomas. D. Bonauentura, & alij communiter. (D. Baſilius. D Hilarius. D. Athanaſ. D. Epipha. D. Greg. Naz. D Auguſt. D. Cyrillus. D. Ambr. S. Leo. Beda. Rupertus. Albert Mag. D. Thom. D. Bonauent.)

Ait ergo Chriſtus: *Filius à ſe non poteſt facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem:*

15\. (D. Thom.) Operari ſequitur eſſe. Sicut ergo, ait D. Thomas, Filius non habet eſſe à ſe, ſed à Patre per æternam generationem communicatum; ita Filius non operatur ſolum à ſe ſimul cum Patre, & à Patre, itaut vna, & eadem actio ſit ſimultaneè à Patre, & Filio cum omnimoda æqualitate.

16\. (*Expenditur particula:* Viderit.) Et Chriſtus D. hic appoſuit illam particulam: *viderit*: quæ, quanuis apud homines videatur denotare aliqualiter illum modum, quo diſcipuli magiſtri facta, ac exemplaria imitantur; non ita accipienda eſt de Filio Dei ſed ſecluſis omnibus imperfectionibus: nam, vt rectè notarunt D. Hilarius, & Cyrillus citati, ac D. Chryſtomus homil. 37. (D Hilarius. D, Cyrillus. D. Chryſoſt.) Chriſtus D. habebat ſermonem apud Iudæos rudes, qui arcana Trinitatis minimè penetrabant, & apud homines ſuperbos, ac captioſos; ne eos magis irritaret, modo humano, ac modeſtè loquebatur, declarans, operationem ſuam in nullo diſcrepare ab operatione ſui Patris, ſed vnam eandem eſſe; vt ita refutaret calumniam ſibi obiectam de ſabbati violatione.

17\. (*Explanatur vnitas eſſentiæ.*) Alta ratione appoſita eſt hæc particula: *viderit*: vt alta myſteria nobis Chriſtus ſignificaret. Primò. Oſtendit nobis vnitatem eſſentiæ in eo, quod ait: Filius non poteſt facere, niſi quod Pater facit; nam ex identitate operationis colligitur identitas eſſentiæ, vt dixi ex D. Cyrillo in fine expoſitionis. Secundò ait: Viderit facientem: ne aliquis ſibi perſuaderet, Filium eſſe inſtrumentum Patris; (*Filius cum Patre creaturarum eſt æquale principium.*) nam Filius operatur cum Patre videns, ſciens, ac proinde volens, quod operatur, ſicut & ipſe Pater, itaut omnium creaturarnm ſit æquale principium ſuo Patri.

18\. (D. Thomas.) Tertiò. D. Thomas. *Viſio*, ait, *deſignat deriuationem cognitionis ab alio: rectè ergo per viſionem generatio Filij à Patre deſignatur, vt ita nihil aliud ſit, Filium videre Patrem facientem, quàm intelligibili proceſſione à Patre operante procedere.* (*Filius quod videt, & facit, videt in Patre.*) Filius procedit à Patre, vt illius imago, ac vt verbum mentis, vtque terminus cognitionis Patris: nam Pater videns, & intelligens ſe, ac omnia, producit Verbum, ſuamque ei communicat naturam, potentiam, cognitionem, & actionem; Ergo nihil videt Filius, quod non videat Pater, ergo nihil facit Filius, quod non videat Patrem facientem; ipſe enim Filius eſt verbum, ac idea omnium rerum, vt docet Suarius in Metaphyſ. diſp. 31. ſect. 2. & lib. 3. de Attributis poſitiuis cap. 5. n. 6. (Suarius.) in quo, vt ermino Pater exprimit omnem ſuam cognitionem, tam ſpeculatiuam, quam practicam, itaut rectè dicatur de Filio: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* (Ioan. 1.)

19\. (*Concluſio quæſtionis.*) Ex his ergo rectè comprobat Chriſtus Domiſuam præpoſitionem aſſumptam, quo ea, quæ ipſe operatur, & Pater ſuus operatur, eâdem omninò cognitione, voluntate, potentia, & actione. Et ita valde efficaciter retundit obiectam de ſabbato calumniam, quia tunc curando hominem non egerat contra diſpoſitionem Patris ſui; immo cum ipſo Patre operabatur. Et ideo ſi ipſum accuſabant, Deũ quoque Patrem acccuſabant; cum ille eadem eſſet operatus cum Filio.

---

# QVÆSTIO III.

## *Eadem Chriſti verba in ſenſu morali explanantur.*

20\. SVPERIORI quæſtione ſenſum litteralem præſentium verborum appoſui; nunc ad

Tertul. Ad Philip.2.

ad moralem conuerto ſermonem. Et primò huc reuoco illud, quod eleganter dixit Tertullianus, ſiue Nouatianus lib. de Trinit. cap. 17. explicans Apoſtoli verba: *Qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt*: ad Philip.2.verſ.6. *Quanuis enim Chriſtus Ieſus ſe ex Deo Patre Deum eſſe meminiſſet, nunquam ſe Deo Patri, aut comparauit, aut contulit, memor ſe eſſe ex ſuo Patre, & hoc ipſum, quod eſt, habere ſe, quia Pater dediſſet.* Vide ſupereminentem Chriſti charitatem, reuerentiam, ac gratitudinem, qui, cum Deus eſſe æqualis Æterno ſuo Parenti, per quem omnia facta ſunt; nunquam ſibi attribuit omnia, nunquàm que cum ſuo Æterno Parente ſe comparauit; ſed ait: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Tacet Chriſtus ſuæ diuinitatis celſitudinem; ſolumque ea manifeſtè diuulgat, quæ paternæ erant dignitatis, atque originis, per quam ſibi erat eſſentia, & operatio communicata, vt in Dei Patris gloriam ordinet, ac referat omnia.

*Chriſtus dignitatis paternæ ſemper memor.*

21\. D.Epiphan. Secundò D.Epiphanius hæreſi 69.ſic ait: *Nihil facit Filius, niſi viderit Patrem facientem, vt oſtendat, opus Filij, eſſe opus Patris, & Patrem complacentiam habere in ipſius totius operationis diſpenſationem.* Filij opus eſt opus Patris. Sed quid tunc ſequitur? Patrem complacentiam habere in operis diſpenſatione. Hæc à diuino Parente, tamquam omnium exemplari, quantum licet, ad humanos parentes deducamus; qui maximè delectantur, dum filios ſuos vident paterna virtute condecoratos, atque in probitate ſuorum parentum imaginem referre: alioqui ab eis tamquam alieni, ac degeneres denotantur,

*Complacet patri, ſi videt filium ſui imitatorem.*

22\. Damianus. Tertiò. Petrus Damianus ſerm.17.ſic ait: *Veriſimile quippe eſt, vt quidquid virtutis in ſanctorum filijs cernitur, totum ab ipſis parentibus traditum fuiſſe credatur. Non poteſt quidquam Filius facere, niſi quod viderit Patrem facientem.* Aliqualem participatam ſimilitudinem præponit Damianus inter Dei filium ad Æternum Parentem, ac humanos natos ad ſuos probos genitores. Nam illa immenſa diuinæ naturæ bonitas à Deo Patre per æternam generationem Filio ſuo naturaliter communicatur. Ex quo dicitur: *Non poſt quidquam Filius à ſe facere, niſi quod viderit Patrem facientem*: vt explicaui in expoſitione, ac ſuperiori q. Ex his, quantum fas eſt, ad humana deſcendentes, ſæpè à piis parentibus creatis eorum ſanctitas deriuatur in filios, *quaſi quadam iuſtitiæ hæreditate*, vt de Baptiſta à ſuis parentibus, dixit D.Paulinus Epiſtol. 10. Frequenter cum ſanguine maiorum mores in natos transfunduntur: ad quod multum conducit parentum meritum cum bono exemplo, atque optima filiorum educatione.

*A pijs parentibus probi naſcuntur filij.* D.Paulinus.

23\. Deuter.18. Deuter.18.n.1. *Non habebunt ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael.* Valde difficilem, & heroicum actum mandat Deus ſacerdotibus, & Leuitis, vt omnibus temporalibus bonis, ac cognatis renuntient. Leuitarum genus copioſa hominum multitudo extiterat, viginti enim tria millia computabantur Numer.26.n.62. Sed quomodo tot homines tam rigido præcepto aſtringebantur? Erat Abrahami proles, cui dictum fuerat: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui* Gen.12.n.1. Et eis abſque dubio multum profuit meritum, ac origo à tam præclaro progenitore, vt in tanta rerum abdicatione perſiſterent. D.Ambroſius lib. de fuga ſæculi. cap. 2. *Congruè autem prouiſum liquet, quia Leuitæ fugitantes ſunt huius mundi, vt placeant Deo: relinquunt parentes, filios, omnem cognationem; vt adhæreant vni Deo. Denique Abrahæ dictum erat: Exi de terra tua, & de cognatione tua: ſed forte dices Leuita non erat; ſed habebat in lumbis ſuis Leui.* Cum Leuitæ in lumbis Abrahæ eſſent, ibi cum origine generoſitatem illam animi hauſerant. Vide tom. 1. lib.1. cap.4.n.7. & 9.& lib.3.cap.2.n.25.

Num.26. Geneſ.12. *Virtus parentum in filios transfunditur.* D.Ambroſ.

*Ioannis* 5.*n*.20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit; & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.

*Num*.21. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & Filius, quos vult, viuificat.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Pater ſiquidem diligit Filium, & quæcumque agit, oſtendit ei, & quæ ſunt maiora iſtis opera demonſtrat.

## *EXPOSITIO III.*

DIXERAT Chriſtus ſupra. *Filius à ſe non poteſt facere quidquam, niſi quòd viderit patrem facientem*: nunc verò in præſenti explicat, quomodo videat Patrem facientem, quia Pater eum diligit, & omnia, quæ facit, ei demonſtrat: *Pater enim diligit Filium.* Particula *Enim* ad ſuperiora refertur, & reddit illorum rationem. *Pater diligit Filium.* Hoc non eſt ita intelligendum, quaſi quod Pater omnia demonſtret, ac communicet Filio, quia ipſum diligit, hoc enim non prouenit ex dilectione libera, ſed naturaliter ex fœcunditate naturæ. Et actus intelligendi, quo producitur Verbum, præcedit actum voluntatis, quo Pater, & Filius Filius ſe diligunt. Præponitur ergo hic dilectio; tanquam ſignum valde notum inter homines, cum quibus Chriſtus hîc loquebatur. In creatis enim, ſi pater eximiè diligit filium ſuum facit eum participem ſuorum conſiliorum, honoris ac dignitatis, omniaque ſua in eum transfundit. In diuinis Pater generat Filium ſibi ſimillimum, eique omnia ſua communicat, ac incomprehenſibili amore complectitur. Ita reſpondent D. Thomas. Lyranus. Hugo. Toletus. Franciſcus Lucas & alij.

24\. Verſ.20. *Connexio textus.* D.Thomas. Lyranus. Hugo. Toletus. Franciſ. Luc.

25\. Euthymius. *Et omnia demonſtrat ei*, non tanquam præceptor diſcipulo, vt ait Euthymius, ſed tanquam Pater Filio, Deus verus Deo vero: Pater enim per generationem æternam communicat Filio ſuam naturam, omnemque ſuam cognitionem, ac ſciẽtiam, quæ in re ipſa idem eſt cum Deo; *quæ ipſe facit*. Ita Pater demonſtrat omnia Filio, vt non ſit ſola nuda demõſtratio, ſeu cognitio; Sed eſt quędam communicatio ſcientiæ, potentiæ, atque operationis; ita vt Pater in omnibus habeat Filium ſecum operantem. *Demonſtrare Patrem*, ait Beda, *eſt, per filium facere, quæ facturus eſt.* Addidit Chriſtus Dominus. *Et maiora his demonſtrabit ei opera.* Quanuis in præſcientia omnia ſint cognita ab æterno à Filio Dei; tamen dicitur, quod Pater demonſtrabit, hoc eſt dabit, ſeu communicabit maiora facere in effectu; ac reali exiſtentia coram vobis, & in oculis veſtris, de quo quæſtione ſequenti.

*Senſus litteralis.*



26\. Quæ autem ſint hæc maiora, ſtatim explicat, eſſe ſcilicet reſurrectionem mortuorum, ac iudiciariam poteſtatem, quæ præclariora ſunt ſanatione huius Paraclytici: *Vt vos miremini*, tantam in me eſſe ſitam poteſtatem, vt ait D. Cyrillus. Et non dixit, vt vos credatis, vt notat Rupertus, quia viſis miraculis Chriſti, ſolum in ſtuporem, ac admirationem adducti ſunt Iudæi; non autem ad fidem, vt patet infra.cap.11.n.47.

D. Cyrill. Rupertus.

27\. Verſ.21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat.* Ecce diuinus magiſter ſpeciatim explicat, quæ ſint iſta maiora opera, quæ Pater demonſtrabit, ſeu communicabit Filio ſuo, ſcilicet mortuorum ſuſcitationem; maius eſt enim, mortuos ad vitam reuocare, quàm languidos ſanare, vt notarunt D. Auguſtinus. D. Cyrillus. Albertus magnus. S. Thomas, Rupertus, & alij. *Sic & Filius.* Tacitè indicat, ſe eſſe Deum æqualem Patri in poteſtate, ac voluntate ſuſcitandi ac viuificandi. Quos vult, viuificat æquali poteſtate, ac Pater, vt notarunt D. Chryſoſtomus. Theophylactus. Quos vult, vt aduertit Auguſtinus, non vnos vult Pater, alios Filius; ſed eoſdem, quos vult Pater, vult & Filius, cum in eis vna, & eadem ſit voluntas.

D. Ambr. D. Cyrill. Albert.Mag. D. Thom. Rupertus. Chryſoſt. Theoph.

---

## QVÆSTIO IV.

### Multiplici expoſitione explanatur: illa propoſitio: *Pater maiora demonſtrabit Filio.*

28\. D Auguſt. Cretenſis. Seuerus. Cæſarius. GRAVES Patres, ac Auctores, vt D. Auguſtinus tract. 21.in Ioan. Elias Cretenſis in Orat.4.D.Gregorij Nazianzeni. Seuerus Antioch. Cæſarius citati ſuperiori q. ob illam vocem: *demonſtrabit*: non auſi ſunt, de Chriſto ſecundum diuinitatem interpretari: ideo de ipſo ſecundum humanitatem eam explicant. Sed nec ſic euitatur difficultas: nam Deus Pater in primo conceptionis puncto Chriſto D. vt homini demonſtrauit cognitionem omnium, quæ futura erant, per ſcientiam beatam, ac per ſe infuſam.

29\. D.Auguſt. D.Thomas. Ideò aliter D. Auguſtinus tract. 21. explicat, vt dicat demonſtranda maiora ei, ſcilicet corpori illius myſtico. Et ſic ait D.Thomas hîc. Conſuetus modus loquendi eſt Chriſti, vt aliquando attribuat ſibi fieri, quod fit membris eius, ſecundum illud, Matth.25.n.40. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Et tunc eſt ſenſus: Vos vidiſti Filium magna facientem in curatione languidi, & miramini: ſed maiora his demonſtrabit Pater in Diſcipulis meis, iuxta illud Ioan.14.n.12. *Et maiora horum faciet.* Et hac ſententia maximè explicatur eximia charitas Chriſti in nos ſiquidem nobis conceſſa, ſibi data reputat. Aliter poteſt explicari de Chriſto, vt homine, nempe de eius corporalibus oculis, vt etiam placet Barradas. Hæc ſententia in eo habet difficultatem, quod Chriſtus D. eundem ſermonẽ continuat. Ergo ſicut immediatè antè dicta, de diuinitate interpretantur; ſic & præſentia de diuinitate exponenda ſunt, cum D.Cyrillo lib. 2.cap.138. Beda, Ruperto, Alberto magno & etiam D.Thoma, D.Bonauentura, Caietano & aliis.

Matth.25. *Chriſtus data nobis, ſibi facta reputat.* Ioan 14. Barradas. D. Cyrillus. Beda. Rupertus. Albert.Mag. D.Thomas. D. Bonauent. Caiet.

30\. Maldonatus. Lorinus. Pſalm.59. Pro maiori huius rei intelligentia notandum eſt cum Maldonato, Lorino ad citandum locum Pſalmi. Ex radice græca hoc loco *demonſtrare* idem valere, ac facere, dare, ſeu communicare. Pſal.59. n.5. *Oſtendiſti populo tuo dura.* Alij legunt: *videre feciſti.* 1.Reg.14.n.12. *Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem,* hoc eſt faciemus. Chriſtus D. ait Ioan.10.n.32. *Multa bona opera oſtendi vobis*, id eſt feci vobis. Et Paulus 2.ad Timoth.4.n.14. *Alexander Ærarius multa mala mihi oſtendit.* id eſt fecit. Hoc loco ergo *demonſtrare*, idem eſt, ac dare, ſeu communicare.

1.Reg.14. Ioan 10. 2.Timoth.4.

31\. Carthuſ. Toletus. Dupliciter iuxta litteram poteſt hic locus explicari de Chriſto Domino ſecundum diuinitatem. Primò cum Carthuſiano, Toleto annot.16. Æternitas eſt tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, comprehendit, & ambit omne tempus; immo & illud excedit ante, & poſt. Vnde quæ ſunt æterna, omne tempus continent, & variis differentiis temporum explicantur, prout ratio locutionis humanæ poſtulat. Et ita dicimus: Deus Pater ab æterno generauit Filiũ, & modò generat, & generabit. Sic etiam dicimus: Deus cognouit cogitationes hominum, cognoſcit, & cognoſcet. Quãdo ergo dicimus Deus Pater generat Filiũ, vel cognoſcit cogitationes: non negamus, quod ab æterno generauit, & cognouit; & quod in perpetuum generabit & cognoſcet: ſed ſolum in noſtro ſermone facimus mentionem de illa differentia temporis præſentis. Sic quando Chriſtus ait: Pater demonſtrabit Filio: non negatur, quod ab æterno omnia demonſtret, & communicet; ſed ſolum de illo temporis articulo agitur, qui faciebat ad intentum præſentis ſermonis cum circunſtantibus. Sic Chriſtus Dominus ait de Spiritu ſancto: *Quæcumque, audiet, loquetur, & de me accipiet.* Ioan.16.n.13.& 14. Et tamen Spiritus ſanctus ab æterno omnia habet audita, & accepta; more enim humano cum hominibus de rebus excellentioribus loquitur ſcriptura, vt ponderat D. Athanaſius oratione contra Arianos.

*Prima litteralis expoſitio.* Ioan.16.

32\. Rupertus. Caietanus. Titelman. Secundò cum Ruperto, Caietano, Titelman. & multis Recentioribus explicabis. Quanuis enim Filius Dei omnia ab æterno habeat cognita, & inſpecta, tamen dicitur, quod Pater demonſtrabit ei, non in ſua præſcientia, ſed in actuali exiſtentia rerum in conſpectu hominum, ſeu in oculis veſtris. Nam, vt optimè notat D.Thomas, Conſuetum eſt in Scriptura, quod tunc aliquid dicitur fieri, dari, quando innoteſcit, ac declaratur. Sic dixit Dominus Abrahæ Gen.22.n.12. *Nunc cognoui, quod times Deum*: id eſt nunc per iſtum factum feci notum, & cognoſcibile euidenter, quod Deum timeas, vt explicant Diodorus, Pererius & alij.

*Secunda expoſitio litteralis.* Geneſ.22. Diodorus. Pererius.

*Ioannis* 5.*n*.22. Neque enim Pater iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit Filio.

*Num*. 23. Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honori

honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.

*VERSIONES.*

*Arabicus n.*22. Pater non iudicat quemquam,

*Syriacus n.*23. Vt vnuſquiſque honoret Filium, provt honorat Patrem.

## *EXPOSITIO IV.*

33. Verſ. 22. D. Cyrillus.

Ecce alterum opus maius ſanatione Paralytici, quod Pater dabit, ſeu communicabit facere Filio ſuo in conſpectu veſtro, nempe iudicium generale omnium hominum, vt ponderat D. Cyrillus lib. 2. cap. 140. Ad hoc refertur illa particula *Enim*, ad comprobandum ſuperius dicta. *Demonſtrabit.* Et ſic dicitur: *Pater non iudicat quemquam*; externa, ac viſibili forma iudiciali; non enim iudicabit ſumpta perſona viſibili iudicis, ita vt à iudicandis hominibus videatur, cum illiſque loquatur, oréque ſuo ſententiam proferat; *ſed omne iudicium dedit Filio* ſuo, vni ſecum æqualiter Deo, ſed per Incarnationem homini facto. De his latiùs vide duas quæſtiones ſequentes.

34. Verſu 23. D. Auguſt.

*Vt omnes.* Illa particula *vt* denotat cauſam, cur Deus Pater Filio ſuo, Deo, & homini dederit poteſtatem viuificandi, ſuſcitandi, ac iudicandi. *Omnes honorificent.* Omnes ſcilicet homines, etiam Iudæi, ac inimici eius, qui eum in hac vita contempſerunt. D. Auguſtinus tract. 21. ait: *A Iudæis honorificatur Pater, contemnitur Filius. Filius videbatur ſeruus, Pater honorificatur vt Deus: apparebit Filius æqualis Patri, vt omnes honorificent.* Hic enim dies Iudicij nouiſſimus, tanquam valdè honorificus, ac proprius dies gloriæ Chriſti celebratur in Scripturis. Matth. 26. n. 64. *Et vt omnes honorificent Filium.* Non ſolùm dixit, quod ipſe habet poteſtatem viuificandi; ſed addidit, & iudicandi; quia quos non adducit benignitas, compellit timor. Theophylactus. *Quia autem benefaciendo non placuit, eos nec attraxerat, vt ſe honorarent, ſicut dignum erat, dicit, quod Pater omne iudicium dederit Filio, vt timor iudicij illis perſuadeat, quo ipſum honore proſequantur. Conſueuimus nos homines præſertim craſſiore mente præditi, metu potiùs, quàm beneficiis, quod oportet, addiſcere.*

Matth. 26.

*Quos non abducit benignitas, compellit timor.*

35. D. Chryſoſt. D Auguſt. D. Cyrillus. Euthymius. Beda. Theophyl. D Baſilius Seleucus.

*Sicut honorificant Patrem. Sicut* æqualitatem denotat Filij cum Patre, vt notant D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, D. Cyrillus, Euthymius, Beda, Theophylactus. Vnde perbellè contra Arianos dixit D. Baſilius Seleucus Orat. 23. *Tenemus, Domine Ieſu, verba tua poteſtatis tuæ pignora. Audiuimus te clamantem. Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Honoris æqualitas, poteſtatis æquilibritati reſpondet.* Sequitur textus. *Qui non honorificat Filium*, eodem ſcilicet cultu, Latriæ, quo Pater adoratur, *non honorificat Patrem*, cùm Filius in natura æqualis ſit ſuo æterno Parenti, cum quo eſt vnus Deus. Et qui negat Filium, negat Patrem; ſunt enim correlatiua, & ablato vno tollitur aliud. *Qui miſit illum.* Innuitur hîc cauſa, cur qui non honorat Filium, non honorat Patrem: nam Pater miſit Filium in mundum, vt noſtræ redemptionis opere Pater honorificaretur per Filium, vt inquiunt D. Auguſtinus, ac Rupertus. Deinde hoc dicitur, quia Pater mittendo Filium non minuit eius honorem, ſiquidem miſſus eſt, non vt ſeruus, ſed vt Filius, ac procedens à Patre.

*Exhibetur honor ad æqualitatem poteſtatis.*

D. Auguſt. Rupertus.

---

## QVÆSTIO V.

### *Vtrùm poteſtas iudiciaria, de qua hic eſt ſermo, intelligatur à Patre Filio data ſecundùm naturam diuinam, an humanam?*

36. Tertull. D Athanaſ. D. Hilarius. D. Ambroſ. Chryſoſt. Euthymius. Theoph.

De poteſtate data Filio ab æterno hunc ſermonem interpretantur Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 16. D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos. D. Hilarius lib. 7. de Trinit. D. Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. & communiter citantur Ghryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus. Et certum eſt in omni ſententia, quod Chriſtus Dominus, vt naturalis Filius Dei, ſicut cum Patre habet eandem naturam diuinam: ſic & cum illo habet eandem ſupremam poteſtatem dominandi, ac iudicandi vniuerſa: quæ poteſtas communis eſt omnibus perſonis diuinis, opera enim ad extra communia ſunt toti Trinitati.

*Deus habet ſupremam iudicandi poteſtatem.*

37. *De Chriſto vt homine intelligenda eſt propoſitio.*

Præſens propoſitio intelligenda eſt de Chriſto Domino, ſecundum naturam diuinam, & humanam, ſeu de natura humana Chriſti ſubſiſtente in ſuppoſito Verbi. Nam ob vnionem hypoſtaticam communicata eſt humanitati hæc poteſtas excellentiæ ad exercendum iudicium. Immò datum eſt illi, vt eam mereretur, vt docet D. Thomas 3. p. q. 59. art. 3. Ibi Expoſitores. Quod autem de Chriſto, vt homine, intelligendus ſit hic ſermo, tenendum eſt cum D. Auguſtino tract. 21. in Ioan. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. vbi docet, oppoſitam ſententiam ſuſtineri non poſſe, Et probat. Quia Chriſtus Dominus ait: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio*; ergo cum opera Trinitatis ad extra, ſint indiuiſa, non eſt ſermo de Filio ſecundum naturam diuinam. Nec ſatisfacit, qui dixerit, quod Pater iudicat, ſed dedit iudicium exercendum Filio. Hoc non ſatisfacit: nam illud exercitium iudicij, ac prolatio ſententiæ, eſt quid externum: ergo vt ſic non dicitur de Filio ſecundum naturam diuinam, ſi quidem non erat negandum de Patre, cùm opera ad extra ſint indiuiſa. Deinde Chriſtus Dominus ait infra verſ. 27. *Poteſtatem dedit ei, iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Et ita cum Auguſtino conueniunt D. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum. cap. 33. D. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi. 15. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 140. Arnobius in Pſal. 71. Suarius tom. 2. ad 3. p. q. 59. art. 1. & 2. in commentar. Toletus annot. 19.

D. Thom.

D. Auguſt.

D. Cyprian. D. Cyrill. Ieroſol. D. Cyrillus. Alexandr. Arnobius. Suarius. Toletus.

38. Et ita in hac ſententia omnia optimè cohærent in textu: Nam vt Chriſtus Dominus refutaret calumniam Iudæorum de curatione hominis in ſabbato, oſtendit, opera ſua non eſſe contraria operibus Patris ſui. Immò quod ipſe, vt filius eius naturalis in vna natura, ſimul cum ipſo operatur. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Et iterùm: *Quidquid viderit Patrem facientem, ſimiliter ipſe faciet.* Et ne ob humanitatem aſſumptam videretur contemptibilis, ſed vt omnes, qui honorificant Patrem, honorificent Filium, explicat ſuam ſupremam poteſtatem iudiciariam in generali, ac œcumenico iudicio extremæ diei, de hoc enim hic agit, vt in confeſſo eſt apud Doctores, vt ita omnes, ſaltem ob metum, ipſum venerentur, vt dixi in expoſitione ex Theophylacto.



*Series verborum in Chriſti ſermone.*

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare dicitur omne iudicium datum Filio? Et quomodo intelligitur, quod Pater neminem iudicat?*

39. *Litteralis ratio.*

Respondeo primò ſimul explicando hanc propoſitionem. *Pater non iudicat quemquam.* Omnes tres diuinæ perſonæ, cùm ſint vnus Deus in vnitate vnius naturæ diuinæ, ſupremo dominio, ac iudicio vniuerſa gubernant, & iudicant: dicitur tamen omne iudicium datum Filio in illo œcumenico, ac generali iudicio, de quo hîc eſt ſermo, in quo Chriſtus Dominus vt homo, apparebit in forma viſibili. Et in hoc ſenſu dicitur, quod Pater non iudicat quemquam, ità vt aſſumpta viſibili forma, exteriori ritu, ac ſpecie iudicis, cum hominibus loquatur, & verbis ſententiam proferat. Sic explicant D. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. & lib. 50. homiliarum homil. 22. dicens: *Omne iudicium dedit Filio, quia iudex in forma filij hominis apparebit, quæ forma non eſt Patris, ſed Filij.* Sequuntur Beda, Albertus Magnus, D. Thomas huius rei reddens rationem: *Pater in iudicio non apparebit, quia ſecundum iuſtitiam Deus propria natura iudicandis omnibus apparere non poteſt, quia cùm viſio diuina ſit beatitudo noſtra, ſi mali Deum in propria natura viderent, iam eſſent beati. Apparebit ergo ſolus Filius, quia ſolus habet naturam aſſumptam.* Idem habet D. Auguſtinus loco citando.

D. Auguſt. Beda Albert. Mag.

D. Thomas.

40. D. Auguſt. *Iudicandi ſuum iudicem videant.*

1. Huius rei alteram rationem inculcat D. Auguſtinus ſerm. 64. de verbis Domini. *Hoc rectum erat, ait, vt iudicandi iudicem viderent.* Valdè enim æquum eſt, vt iudicandi iudicem intueantur, vt pro ſe loquantur, cauſam ſuam exponant.

41. Iobius.

Secundò, Iobius Monachus lib. 3. de Chriſto Incarnato apud Photinum in Bibliot. ſic ait: *Quare Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Qui creaturam per ſemet refigens, & primus leges implens, exemplum nobis degendæ vitæ ſe ipſum præſcribit. Optimus quippe legiſlator ille, qui non verbis modò, quid agendum, ſed actione potius ipſe præit.* Filius à Patre conſtituitur omnium Iudex, vt vniuerſis leges condat, vt ita cuncti ei obtemperent. Sed cur hoc non exequitur Pater, ſed Filio committitur? Solus Filius legibus obtemperauit, ſolus Filius leges ſtatuat. Ille enim, qui nouit obedire, facillimè alios in ſui obedientiam aduocat, & excitat.

*Qui obtemperauit, ad leges condendas optimus.*

42. Albert. Mag.

Tertiò, Albertus Magnus. *Filius ex obedientia Patris carnem aſſumpſit, & iudicatus eſt in carne, & paſſus: Iuſtum fuit, vt à Patre in poteſtate iudiciaria honoraretur.* In eo honorificatur Filius, in quo ob Patris obedientiam, & amorem humiliatus eſt. Deinde expende illud; *Iudicatus eſt.* Qui enim rigorem iudicij, & ſententiam iudicis ſuſtinuit paſſus, optimus vt Iudex conſtituatur. Nullus enim aptior iudex, quàm ille, qui Rei formam induit. Ex hoc iudicandos conſolatur D. Auguſtinus ſerm. 64. de verbis Domini. *Forma hominis ventura eſt ad iudicium; forma illa hîc iudicabit, quæ iudicata eſt. Sedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice. Damnat reos veros, qui factus eſt falſus reus; ille veniet, forma illa veniet.*

*Qui iudiciũ eſt expertus, aptus vt ſit iudex.*

D. Auguſt.

43. Quartò, iudicare, multoties ſumitur in Scriptura pro condemnare, vt dixi tomo 2. cap. 3. num. 289. & 290. Solus Filius damnare dicitur, & non Pater. Nam ſolus Filius in iudiciali tribunali apparebit, vbi liber ſcriptus proferetur, auditis dæmonibus accuſatoribus, ac depoſitis teſtibus, reorum cauſa ventilabitur. Et tunc aſtantibus omnibus ſententia promulgabitur. At Pater occultiſſimo vnico intellectus intuitu, & abdito voluntatis actu vnumquemque iudicat, & reprobat. Solus ergo Filius damnare dicitur; nam delicta, qui diſcutit, prodit. Illa criminum inueſtigatio, quaſi quædam damnatio eſt. Quamuis ergo Pater per internum actum vnà cum Filio ſententiam determinet, neminem damnare dicitur; ſed hoc tribuitur Filio, qui diſcutiendo crimina inquirit, ac agitat, & clara voce ſententiam denuntiat. Vide tomo 2. cap. 3. n. 305. & 306. & cap. 12. numero 60. 61. & 62.

*Qui diſcutit crimina, dãnare dicitur.*

44. Quintò, ſi Filius iudicat, quomodo Pater non iudicat? immò, cur hoc iudicium potiùs datur Filio, quàm Spiritui ſancto? Pater, & Spiritus ſanctus ſolùm habent in ſe naturam diuinam: at Filius præter hanc, etiam aliam, quæ hominis eſt, habet naturam, ſecundùm quam poterit aliquid exercere, quod duæ illæ diuinæ perſonæ non exerceant. Non ergo Pater iudicat, & condemnat; nec Spiritus ſanctus, cùm in eis diuina tantùm inſit natura, quæ eſt tota clementia, & pietas, magnáque, non vt puniat, ſed vt parcat, ac miſereatur, propenſio. Datur ergo totum iudicium Filio, cùm vltra diuinam naturam humanam habeat iuxta quam tribunal aſcendere, ibíque iudicare poterit, ac condemnare. Et ita dicitur: *Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.*

*Natura diuina tota in miſericordiã propenſa.*

45. D. Bernard.

Sextò, in altero ſenſu D. Bernardus ſerm. 73. in Cantica. *Denique ipſe Pater Deus dedit Filio ſuo iudicij poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia filius hominis eſt. O verè Pater miſericordiarum! vult per hominem homines iudicari, quo in tanta trepidatione, & perturbatione malorum, electis fiduciam præſtet ſimilitudo naturæ.* Primò, expende illa verba: *Pater Deus dedit Filio iudicij poteſtatem, non quia ſuus, ſed quia filius hominis:* In humanitate promeruit illam ſupremam iudicis poteſtatem, vt ſuperiori quæſt. dixi ex D. Thoma. Deinde conſidera ſummam Dei clementiam, & bonitatem, qui nobis dedit in iudicem, non aliquem, qui eſſet extraneus, & alienus; ſed eum, qui cognatus eſt noſter, ac nobiſcum eiuſdem naturæ, & ſanguinis particeps:

*Eximia Dei charitas, quod cognatum, ac fratrem noſtrũ nobis in iudicem dederit.*

particeps : ſi enim nobis optio ad iudicem eligendum,daretur , quiſnam alius eſſet optandus?

46. Veniunt cunctæ tribus ad Dauid in Hebron , vt eum ſuper ſe ipſas conſtituant regem , & iudicem. Et ad hoc allegant : *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus*. 2. Reg. 5. n. 2. vt explicat ibi Caietanus : *Ex eodem patre geniti ſumus*. Hoc dicunt tamquam potiſſimum motiuum ad eum eligendum , vtque declarent , quod magnam fiduciam habebant in eo, à quo nihil erat formidandum , cum ex eodem patre eſſent geniti. Et ita omnes hanc in Domino Ieſu ſumus experti clementiam.

2. Reg. 5. Caietanus. *Homines iudicem volũt habere cognatum.*

47. Acceſſit Dominus ad ficulneam , quam videns pomis carentem maledictione percuſſit: *Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum. Et areſacta eſt continuo ficulnea*. Matth. 21. n. 19. Sed quomodo tam rigida ſententia in ficulneam profertur à Domino Ieſu , cum de ipſo dicat Petrus : *Qui pertranſiuit benefaciendo , & ſanando omnes:* Actor. 10. n. 38. Dominus Ieſus totus benignus , & clemens erat in homines , quos multis proſequebatur donis , ac fauoribus , frater enim eorum erat. At dum ſuæ rigoroſæ ſeueritatis monumentum in obſtinatos peccatores vult exhibere , ad ficulneam accedit , eamque aſſumit in parabolam, quæ alterius extabat ſpeciei , atque naturæ. D. Hilarius Canon. 21. in Matth. ſic ait : *In hoc bonitatis dominicæ argumentum reperimus : nam vbi afferre voluit procuratæ per ſe ſalutis exemplum , virtutis ſuæ poteſtatem in humanis corporibus exercuit: nunc verò vbi in contumacibus famam ſeueritatis conſtituebat , damno arboris iudicauit*. Tanta eſt in homines clementia Chriſti.

Matth. 21. Actor. 10. *Magna in homines clementia Chriſti.* D. Hilarius.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Chriſtus Dominus conſtitutus eſt iudex, cum ipſe dicatur fideliſſimus teſtis?*

48. CHRISTVS Dominus conſtitutus eſt iudex à Patre , vt ex hoc loco conſtat ; & etiam vt teſtis , eſt datus Apocal. 1. n. 5. *Et a Ieſu Chriſto , qui eſt teſtis fidelis*. Et ita ipſe Dominus ait per Ieremiam 29. n. 23. *Ego ſum iudex, & teſtis, dicit Dominus*. Et Malach. 3. n. 5. *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis maleficis , & adulteris*. Vbi ſermo eſt de extremo iudicio , vt interpretantur Theodoretus, Remigius, Hugo, Lira, Rupertus, & alij. Eſt iudex, quia in omnes profert ſententiam: teſtis verò , quia nihil ei eſt abſconditum, ſed omnia agnoſcit , etiam occultiſſimos actus , vt cogitationes cordium , quæ omnia , vt Deus , per ſuam ſcientiam intuetur ; vt homo autem per beatam , ac per ſe infuſam ſcientiam omnia penetrat. Et ita dicitur : *Ero teſtis velox*. Tigurina legit: *feſtinus* : Vatablus : *Promptus*. Vnde ait D. Hieronymus ad citatum Malachiæ : *Quanta formido iudicij cum ipſe ſit teſtis , & iudex ? Teſtis autem cunctis maleficis , & adulteris futurus dicitur, quia hac crimina perpetrantur occultè : & ideò proferentur in medium , ne lateant*.

Apocal. 1. Ierem. 29. Malach. 3. Theodor. Remigius. Hugo. Lira. Rupertus. Tigurina. Vatablus. D. Hieroym. *Maximè formidandum iudicium.*

49. Cur autem Dominus in die iudicij generalis teſtem ſe futurum promittit, præclarè explicat D. Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei. cap. 26. *Teſtem ſe dicit futurum , quia in iudicio ſuo non indiget teſtibus. Eumque velocem ; ſiue quia repente venturus eſt : erit enim iudicium celerrimum, quod tardiſſimum putabatur ; ſiue quia ipſas conuincet abſque vlla ſermonis prolixitate conſcientias: in cogitationibus enim , ſicut ſcriptum eſt impij interrogatio erit. Rectè ergo Dominus futurus teſtis intelligendus eſt velox, cum ſine mora reuocaturus eſt in memoriam , vnde conuincat, puniatque conſcientiam*. Vbi triplicem rationem inculcat , ob quas Dominus dicatur teſtis. Primò quia ipſe ob ſuam infallibilem cognitionem , & veritatem, non, vt in iudicio humano , indiget teſtibus. Secundò , quia ſine prolixitate ſermonis , ſua ſupereminenti ſcientia omnia penetrante , conſcientiam vniuſcuiuſque redarguet , & euincet. Tertiò , quia ita erit teſtis velox , vt in mentem cuiuslibet infundat omnium peccatorum ſuorum cognitionem, qua conſcientias reſtringat , & conuincat.

D. Auguſt. *Chriſtus teſtis ob triplicẽ rationem.*

*Ioannis 5. n. 24.* Amen, amen dico vobis quia qui verbũ meum audit ; & credit ei , qui miſit me , habet vitam æternam , & in iudicium non venit , ſed tranſiit à morte in vitam.

*Num. 25.* Amen , amen dico vobis, quia venit hora, & nũc eſt , quando mortui audient vocem filij Dei , & qui audierint, viuent.

### *VERSIONES.*

*Tertull. lib. de Reſurrectione cap. 37.* Qui audit ſermones meos, & credit in eum, qui me miſit.

*Syriacus.* Nec ſubibit iudicium, ſed tranſiuit à morte in vitam.

*Euthymius. Theophylact.* In condemnationem non veniet , ſed tranſibit à morte in vitam.

*Euthym. n. 25.* Venit tempus , & nunc eſt.

*S. Hyppolitus martyr. Orat. de conſummatione mundi.* Quando multi in illa die audient vocem filij Dei , &c.

### *EXPOSITIO V.*

50. Verſ. 24. DIXIT Dominus ſuprà , ſibi à Patre eſſe datam mortuorum ſuſcitationem ſimul cum vniuerſali iudiciaria poteſtate: nunc verò explicat, qualem viuificationẽ , ac iudicium habituros credentes , eumque honorificantes , quod ſcilicet tranſibunt in vitam æternam. *Amen, amen* ſolita





formula, vt perſuadeat , attentionémque requirat, *quia*, id eſt quod. *Verbum meum audit*, id eſt obediendo recipit doctrinam meam ; ſolus enim recipiens, ac obediens, verus eſt auditor. *Et credit ei, qui miſit me*. Qui enim Filij doctrinam amplectitur , conſequens eſt , vt Patri credat. Et non ait: Qui credit mihi, ſed *Qui credit ei, qui me miſit*: hoc dictum aſſeuerant Chryſoſtomus , Euthymius, Theophylactus modeſtiæ cauſa, arrogantiæ notam deuitare volens. Sed hæc ratio non eſt multum valida ; nam Ioan. 7. n. 38. ait: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent*. Aptius ergo dicendum cum Caietano, Toleto , ac Beauxamis , quod ait: *Qui credit in eum qui miſit me* , iſte talis credit in mittentem, & in miſſum. Et in hoc denotatur Trinitatis myſterium. Et dum credit, Chriſtum Filium Dei miſſum , myſterium Incarnationis profitetur. Quæ ſunt duo præcipua fidei noſtræ myſteria. Et potius fidem , quàm opera requirit hic, cum fides ſine operibus ſit mortua, quia totius ædificij ſpiritualis fundamentum eſt fides.

*Obediens verus eſt auditor.* Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. Ioan. 7. Caietan. Toletus. Beauxam. *Fides totius ſpiritualis ædificij fundamentum.*

51. *Habet vitam æternam*, id eſt certiſſimè habiturus eſt : dicitur tamen de præſenti habet, quia iam in radice , iure , ac ſpe obtinet : & dona Dei nobis promiſſa, ita ſunt certa, ac ſi iam in noſtra poſſeſſione eſſent. *In iudicium non venit* , hoc eſt , vt explicant Euthymius, & Theophylactus, in gehẽnæ condemnationem. Vide quæ dixi tom. 2. cap. 3. n. 289. & 390. *Tranſit à morte*, hoc eſt tranſibit à morte temporali corporis *in vitam*, nempe in cæleſtem beatitudinem. Et ſimpliciter eam appellat vitam, quia Reproborum in pœnis vita , mors eſt potius dicenda , quam vita. D. Auguſtinus lib. 6. de Ciuitate Dei ſic ait : *Nulla quippe maior , & peior eſt mors quam vbi non moritur mors*.

*Dei promiſſio ita certa , ac rei poſſeſſio.* Euthym. Theophyl. *Damnatorũ vita potius mors.* D. Auguſt.

52. Verſu 25. *Amen, amen dico vobis, venit hora, & nunc eſt*, exemplo mortuorum , quos Dominus ſuſcitauit, dum degeret in hac vita , comprobat ſuam poteſtatem ſuſcitandi mortuos in iudicio generali. *Venit hora, & nunc eſt* id eſt venit iam tempus , & in præſenti eſt , *Quando mortui* , vt inquit Theophylactus , *dicit enim de his , quos ſuſcitaturus erat , vt de filio viduæ , filia Archiſynagogi , & Lazaro*.

Theoph.

53. *Audient vocem filij Dei*. Hæc ait, quia Chriſtus in horum ſuſcitatione humana voce vſus eſt. *Talitha cumi*. Marc. 5. n. 41. *Adoleſcens tibi dico , ſurge*. Luc. 7. n. 14. *Lazare, veni foras*. Ioan. 11. n. 43. Et notandum, quod ait, *vocem filij Dei*, &, non vtitur ſuo ſatis vulgati vocabulo filij hominis, vt ſe paſſim in multis actionibus vocabat : vbi enim vox eius, atque loquela audienda fuit, neceſſarium erat, vt interna virtus filij Dei in medium prodiret , ac manifeſtaretur. Fauet D. Auguſtinus ſerm. 64. de verbis Domini. *Talis ergo* , ait , *ad nos venit filius Dei , filius hominis : ſecundum id , quod filius Dei eſt, ait, venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei: non dixit filij hominis: veritatem commendabat, in qua æqualis eſt Patri*. Vox, in qua veritas commendatur , quandam diuinam virtutem exprimit , & declarat. Et ait *Audient*, tanquam cum dormientibus loquitur Dominus, *Omnes enim viuunt ei*. Luc. 20. n. 38. *Et qui audierint, viuent*, hebraiſmus eſt , & ſignificantur illi , ad quos ex voluntate filij Dei , virtus eius peruenit, vt viuant , & reuiuiſcant. Et valde mirum , quod mortui audiunt vocem filij Dei , vt ei obediant; & etiam lapides , vt ex ipſis ſuſcitentur filij Abrahæ. Matth. 3. num. 9. Et nos homines viui inobedientes volumus reſiſtere Deo , vt ponderat Clemens Alexandrinus in Exhortatoria ad gentes.

Marc. 5. Luc. 7. Ioan. 11. *Vox interioris virtutis index.* D. Auguſt. Luc. 20. Matth. 3. Clem. Alex.



## QVÆSTIO VIII.

### *Quiſnam ſit verus ſenſus huius propoſitionis:* Venit hora, & nunc eſt? *Et agitur de promiſſione hîc facta.*

54. VARIÆ ſunt huius loci interpretationes. Primò Maldonatus de iudicio generali textum intelligit ; tanquam ſi Dominus continuet ſuum ſermonem. Non obſtat, ait ipſe illa particula *Nunc* quia ex hebræo idiomate hora idem valet, ac tempus, hoc eſt poſt Chriſti aduentum , *nunc* in Lege gratiæ eſt vltimum tempus, in quo nihil aliud reſtat , niſi dies iudicij. Tamen hæc ſententia videtur inferre vim illi particulæ *Nunc* : nam hæc denotat rem præſentem; & quando Dominus loquitur de die iudicij , nunquam illam ponit, vt patet infra verſ. 28. & 29.

Maldonatus. *De die iudicij explicat.*

55. Secundò D. Auguſtinus lib 20. de ciuitate Dei cap. 6. & ſerm. 64. de verbis Domini Ammonius, Beda , Rupertus de Reſurrectione ſpirituali animæ interpretantur , quando anima è peccato ad vitam gratiæ reuocatur. Et tunc facilis currit ſenſus : *Venit hora, & nunc eſt, quãdo mortui* peccato *audient vocem* , &c. Probabilis eſt explicatio. Tamen Dominus loquitur in præſenti de mortuis corpore ſuſcitandis; ac proinde magis conſequenter ad antecedentia, & ſubſequentia.

D. Auguſt. Ammonius. Beda. Rupert.

56. Eſt tertia ſententia Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, Alberti Magni, Caietani, Toleti. Quod Chriſtus hic loquitur de mortuis à ſe ſuſcitandis in hac vita , vt de Lazaro ; vt dixi in expoſitione, agit hîc Dominus de poteſtate ſibi data ad reſuſcitanda defunctorum corpora ? & ideo exemplo eorum , quos ſuſcitauit in præſenti vita comprobat ſuam poteſtatem ad ſuſcitandum in generali iudicio.

Chryſoſt. Theoph. Euthym. Albert. Mag. Caietanus. Toletus. *Vera ſententia.*

57. Cuius rei optimam rationem moralem aſſignat Chryſoſtomus homil. 38. *Ne longum poſt futurum arbitreris, ſubdit, Et nunc eſt, nam ſi futura tantum anuntiaret, non immerito eſſet dubitandum: ſed ſe in terris conuerſante hac ventura dixit*. Promittebat Dominus, à ſe mortuos ſuſcitandos in generali iudicio , ſicut & infra verſ. 28. ne ob tam longum, & diſtans tempus aliquis de hac poteſtate dubitaret, ita ſpondet, ſe reſurrectionem generalem facturum, vt etiam *nunc* hoc eſt in præſenti, aliquod beneficium tantæ poteſtatis exhiberet reuocando in vitam Lazarum, filium viduæ, & puellam Archiſynagogi : tunc magnæ de futuro ſponſiones delectant , eiſque animus acquieſcit, quando nunc, ſeu in præſenti aliquid earum exhibetur. Idem docet D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 56. Quod ſequenti documento confirmat.

Chryſoſt. *Ita ſit promiſſio de futuro, vt aliquid in præſenti exhibeatur.*

58. In vltima Cœna ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis : *Expedit vobis, vt ego vadam : ſi enim non abiero , Paraclitus non veniet ad vos : ſi autem abiero , mittam eum ad vos*. Ioan. 16. n. 7. Tamen poſt Reſurrectionem antequam abiret ad Patrem , dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum , quorum*

Ioan. 16. Ioan. 20.

*remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ioan.20.n.22. Grauis eſt dubitatio inter Patres, ac Expoſitores: Quomodo Chriſtus Dominus poſt aſcenſionem ad Patrem, promittat Spiritum ſanctum; & tamen antequam in cælum abeat, tempuſque aſſignatum adueniat, illud mirabile donum Diſcipulis largitur? Optimè difficultatem ſolues cum Toleto in cap.20.Ioan.annot.20.ex D.Cyrillo. Dona Spiritus ſancti multiplicia exiſtere, quædam eſſe donum ſcientiæ, & intellectus ad prædicandum, docendum, & gubernandum populum; alia verò eſſe donum linguarum, fortitudinis, poteſtatis miraculorum, & alia innumera. Chriſtus Dominus promiſit, ſe Spiritum ſanctum miſſurum in Apoſtolos in die Pentecoſtes cum omni plenitudine donorum, quibus repleti ſunt Apoſtoli. At ante aſcenſionem ſuam, dum ait: *Accipite Spiritum ſanctum:* non omnia dona tunc eis infudit, ſed vnum certum, ac ſingulare chariſma, nempe facultatem ad remittenda peccata. Noluit enim Chriſtus in futurum omnia reſeruare, ſed decreuit, antequam recederet, aliquid ex parte dare, veluti arrhabonem quemdam, quo certi eſſemus, implenda eſſe omnia, promiſſa, quæ pollicitus erat. D.Cyrillus loco proximè citato. *Quanuis tempore ſuo multa facturus ſit Dominus, quaſi tamen arrhabonem generaliter rei futuræ nonnihil fecit ex parte, vt generalia credantur. Eodem modo cum, ſe miſſurum ſpiritum ad omnes, dixerit, poſteaquam ad Patrem aſcenderit, primitias tamen pollicitationis, & quaſi arrhabonem in Diſcipulis dedit.*

Toletus. D. Cyrillus.

*Qui promittit in futurum, det aliquid in præſenti.*

D.Cyrillus.

*Ioannis 5.n.26.* Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam.

*Num.27.* Et poteſtatem dedit ei, iudicium facere, quia filius hominis eſt.

*Num.28.* Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.

*Num.29.* Ex procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.

*VERSIONES.*

*Syriacus n.27.* Ac tribuit ei poteſtatem exercendi quoque iudicium quod verè filius hominis ſit.

*Cornelius ex Græco.* Vt filius hominis eſt.

*Syriacus, & Græc.n.28.* Ne miremini hoc, & Audient vocem filij eius.

*Theophylactus Euthimius n.29.* Et prodibunt :: ij autem, qui mala fecerũt, in reſurrectionem damnationis,

*D. Auguſtinus Tract.19.* Et procedent, qui bene fecerunt :: qui verò male egerunt.

*EXPOSITIO VI.*

95. EXPLICAT Chriſtus cauſam, & rationem, vnde tanta ſit virtus eius, vt ſola voce ſua queat viuificare mortuos, ac in vitam reuocare. *Pater habet vitam in ſemetipſo.* Hic modus loquendi duo denotat. Primò, vt docet D. Auguſtinus tract.19. quod Pater per ſe eſt ipſa prima vita, cuius eſſentia eſſentialiter eſt ipſa vita, quam nec participatione, nec dependenter habet ab alio, ſed totam habet à ſe. Secundò denotatur, Deum eſſe auctorem, ac principium totius vitæ creatæ. Vt ait Euthymius. *Habet vitam in ſemet ipſo, hoc eſt ad modum fontis ſcaturire facit vitam.* Ab ipſo enim Deo dimanat omnis vita creata, vt eam communicet, vel adimat, quibus vult, quomodo vult, & quando vult, à nutu beneplaciti eius omnis vita, & mors dependet. *Sic dedit Filio. Sic,* eodem ſcilicet modo, vt explicat Albertus magnus, *Dedit,* nõ gratuito dono, ſed naturali generatione, *Filio* ſuo naturali. *Habere vitam in ſemetipſo:* nam Pater per generationem communicando Filio ſuam eſſentiam, quæ eſſentialiter eſt ipſa vita, & fons totius vitæ, totum hoc communicat Filio, vt ipſe Filius ſibi ſit vita per eſſentiam, & aliis per communicationem.

Verſ.26. D. Auguſt. Euthymius. Albert.Mag.

60. Aduerte cum D. Auguſtino citato; quod Pater habet vitam in ſemet ipſo, & à ſemet ipſo; tali enim modo habet in ſe eſſentiam. At Filius habet vitam in ſemetipſo; non tamen à ſemetipſo, ſed à Patre. Hinc tamen non ſequitur, vt rectè notauit D.Cyrillus lib.2.in Ioan.cap.144. quod Filius habeat vitam dependentem, & participatam à Patre, ſiquidem cum eo habet vnam, & eandem eſſentiam, quæ eſt eſſentialiter ipſa vita. Vnde ait Caietanus hic. Qui habet vitam dependentem ab alio, quantum eſt ex ſe, poteſt deficere à vita; ac per hoc, non in ſemetipſo, ſed in alio conſiſtit conſeruatio vitæ eius: & partim habet, partim non habet in ſe vitam. Qui autem habet ſimpliciter, & abſolutè in ſemetipſo vitam, ſine dependentia ab alio habet: ſic autem eſt in Trinitate.

D. Auguſt. D. Cyrill. Caietanus.

61. Notat etiam hic D.Thomas, quod, dum dicitur: *Sicut Pater, ſic dedit:* denotantur Pater, & Filius æquales in vita. Cum autem dicitur *Dedit,* diſtinctio Perſonarum innuitur: diſtinctus eſt enim ille, qui communicat, ab illo, cui communicatur. Aduerte tandem, quod D.Auguſtinus tract.22. & aliis locis ait, hæc verba conuenire Chriſto, vt Deo. D. Cyrillus verò lib.2.cap.144. vt homini, ratione humanitatis aſſumptæ. Nam Chriſtus, vt homo, habet vitam in ſemet ipſo, & vitæ, ac mortis omnium retinet poteſtatem; & ipſe à Patre conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum: de quo hîc procedit ſermo.

D. Thomas. D.Auguſt. D.Cyrillus.

62. *Et poteſtatem dedit ei.* Expende illlam particulam *Et,* connectit hanc ſententiam cum ſuperiori. Totus hic verſus ſatis eſt explicatus expoſitione 4. q.5.6. & 7. Circa lectionem huius verſus aliqua eſt controuerſia: nam D. Chryſoſt.homil.38. quem ſequuntur Theophylactus, & Euthymius, ita legunt: *Dedit ei poteſtatem, iudicium facere.* Et poſito puncto cum ſubſequentibus connectunt. *Quia filius hominis eſt, nolite mirari,* &c. Huius diſpunctionis iſte eſt ſenſus: Pater iudicandi poteſtatem

Verſ.27. D. Chryſoſt. Theoph. Euthymius.



poteſtatem dedit Filio, & nolite mirari hoc, quia filius hominis eſt. Ad hanc autem lectionem mouebatur Chryſoſtomus propter Paulum Samoſatenum affirmantem, Chriſtum merum hominem; ne ex hoc arriperet occaſionem confirmandi ſuam hæreſim; quod ſcilicet tanta poteſtas ei erat data, quia homo erat. At hoc non multum vrget, quia ſolùm conuincitur ex hoc loco, quod Chriſtus ſit verus homo: quod autem ipſe ſit etiam verus Deus, innumera loca Scripturæ clamant, & teſtantur. Legendum ergo cum D. Auguſtino, Cyrillo, Beda, Ruperto, Syriaco, ac noſtra vulgata: *Dedit ei poteſtatem, iudicium facere,* ſine puncto, *quia filius hominis eſt;* tunc poſito puncto: *Nolite mirari,* &c. Et magnam emphaſim habet illud *quia* aſſignat cauſam, cur Deus Pater tantam poteſtatem dederit Chriſto, quia ipſe vt homo obediens vſque ad mortem meruit hanc poteſtatem iudiciariam. Deinde ob alias rationes, quas dedi ſuprà quæſt.6.

*Propria lectio huius loci.*

D. Auguſt. D. Cyrill. Beda. Rupert. Syriacus.

63. *Nolite mirari hoc,* ait D. Cyrillus lib.2.in Ioan. cap.145. *Repetitur autem hoc paulò ante dictum, vt tarda Hebræorum mens, maiora facturum, poſſit intelligere, quàm vnius ægroti curatio eſt.* Quæ neceſſaria ſunt, non faſtidium generent, ſi repetitè dicantur. Ideo D. Cyrillus *hoc* refert ad miraculum Paralytici ſanati. Meliùs tamen referendum ad proximè dicta, vt ſit ſenſus. Non ita miremini, vt vobis incredibile videatur, quod Pater mihi Filio ſuo dederit habere vitam in me ipſo, ac tantam poteſtatem; quia vos ipſi experientia teſtes eritis. Et ita eſt intelligendum: ne admiremini, vt ſit vobis incredibile: nam admiratio incredibilitatem generat. *Venit hora,* ſcilicet appropinquat tempus vniuerſalis iudicij. De hoc loquitur hîc, vt ait Euthymius, Beda, D. Thomas. Vnde benè notat D. Auguſtinus tract.22. quod non dixit hîc, ſicut ſuprà verſ.25. *nunc eſt,* quia, vt ait Theophylactus, *Poſtquam dixit de particulari reſurrectione Lazari, & aliorum; nunc dixit de vniuerſali.* Et ideo hîc non ponit illam dictionem, ſicut in particulari reſurrectione, quæ in proximo erat. *In qua omnes,* tam boni, quàm mali, vt explicat D. Auguſtinus. *Qui in monumentis ſunt.* Poſuit communem modum mortuorum, vt ait Euthymius, qui ſepulturæ mandantur, & intelligit omnes mortuos, etiam ſepultura carentes, ac in mari ſuffocatos. Apoc.20. num.13. *Dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos.*

Verſ.28. D. Cyrill. *Neceſſaria repetenda.*

Euthym. Beda. D. Thom. D.Auguſt. Theophyl. D. Auguſt. Euthym. Apoc.20.

64. *Audient vocem,* hoc eſt ſentient vim, ac efficaciam iuſſionis Chriſti, itaut reſurgant. Hæc vox eſt illa, de qua ait Apoſtolus 1. ad Theſſalonic.4. num.15. *In voce Archangeli, & in tuba Dei.* Dicitur autem vox Dei, & Chriſti, quia eius iuſſu miniſterio Angelorum erit efformata.

1.ad Theſ.4.

65. *Et procedent,* ſeu, vt habet Syriacus, *& prodibunt,* ſeu exibunt de monumentis, *qui bona fecerũt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in reſurrectionem iudicij,* hoc eſt condemnationis æternæ. Theophylactus. *Ne putemus,* ait, *quod fides ſola ad ſalutem ſufficiat: dicit, quod reſurgent, qui mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij; qui autem bona, in reſurrectionem vitæ. Non igitur ſola fides ſine operibus iuſtificat.* Aduerte diuerſum loquendi modum. De bonis ait: *In reſurrectionem vitæ:* de malis verò non ait, in reſurrectionem vitæ damnationis, ſed vitam prætermittit in eis. Quia ſolùm iuſti in Chriſto viuunt; iniquorum autem vita potiùs eſt mors, quàm vita. Tandem nota, quod Chriſtus Dominus, in hoc admirabili ſermone de ſua poteſtate ad indomitam iniquorum Iudæorum calumniam reprimendam, eis obiicit iudicij finalis memoriam: nam hæc valdè efficax eſt ad impiorum elationem refrænandam, ac confringendam.

Verſ.29. Syriacus. Theoph. *Fides ſine operibus mortua.* *Damnatorũ vita mors eſt.* *Memoria iudicij valdè efficax ad reprimendos impios.*



*Ioannis 5.n.30.* Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam; ſicut audio, iudico; & iudicium meum iuſtum eſt; quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Non poſſum ex voluntate mei ipſius quicquam agere; ſed prout audio, iudico: & iudicium meum rectum eſt.

*Vatabl.ex Hebræo.* Propterea iudicium meum iuſtum eſt.

*Græcus.* Iudicium illud meum iuſtum eſt.

*D. Chryſoſtom. hom.38. Caietanus.* Qui miſit me Patris.

*EXPOSITIO VII*

66. PRÆOCCVPAT hîc Dominus quandam Iudæorum obiectionem, vt notat D. Auguſtinus tract.19. in Ioan. Ne enim quis diceret: Si Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis eſt; iudicium tuum non erit verum, & rectum, cum homo ſis; & vnus homo non poſſit omnium actiones penetrare. Ideo Chriſtus Dominus oſtendit hîc, iudicium ſuum in omni veritate, & iuſtitia rectum futurum ex triplici ratione, vt notat Caietanus, in qua à iuſto iudicium declinare poteſt; vel ex parte potentiæ, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis. Ex his omnibus demonſtrat, iudicium ſuum in omni æquitate ſtare.

Caiet.

67. Inchoat à potentia: *Non poſſum ego,* vt filius Dei, & vt filius hominis, *à me ipſo facere quidquam:* nam quidquid ego facio, non ſolùm à me ipſo facio, ſed ſimul cum Patre meo facio. Euthymius. *Quemadmodum ſuperius de operando dicebat, non poteſt Filius à ſe facere quiddam, niſi quod viderit Patrem facientem; ita & nunc de iudicando ait, non poſſum ego.* Et nota, quod non dixit ſolùm non facio, ſed ait, *non poſſum:* quod non eſt ex imbecillitate, ſed ex magna perfectione, vt ſuprà eſt explicatum. *Sicut audio, iudico.* Nunc probat ratione ſcientiæ. Audire, in diuinis, idem eſt, ac videre, cognoſcere, & intelligere. Ac ſi dicat, ita iudico, ac à Patre intelligo iudicandum. Chryſoſtomus. Ac ſi dicat: *Ita iudi-*

Euthym. Chryſoſt.

*co, ac ſi Pater ipſe iudex ſit.* Et notandum, quod ſupra verſ. 19. proximè citato in ſimili ſententia vſus eſt Chriſtus Dominus verbo videndi: *Viderit facientem*: hîc autem verbo audiendi. Quod diſpenſatoriè intelligendum eſt, vt ait Euthymius. Nam illic loquebatur de faciendo; hîc autem de iudicando: Qui enim ex alterius præſcripto operantur, ſolent in eum, quaſi in exemplum intueri; Qui autem iudicant ex alterius voluntate, auſcultant, quod ille iudicandum dicat. Aliter D. Thomas ſoluit hoc dubium. Quod in citato verſ. 19. agebat de ſe, vt filius Dei; hîc autem agit de ſe, vt filius hominis: Et audire hoc loco, ait S. Doctor, idem eſt ac obedire, quod propriè pertinet ad eum, qui habet imperium alterius *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Pſalm. 84. num. 9.

Euthymius. D. Thomas. Pſalm. 84.

68. *Non quæro voluntatem meam.* Tertiò, & vltimo ex parte voluntatis probat Chriſtus Dominus reſolutionem ſuam, quod ſcilicet iudicium ſuum ſit verum, & rectum, quia ipſe præciſè, ac ſolummodò non ſequitur voluntatem humanam: Nam, vt bene ait Maldonatus, *Vna enim res, maximè omnium, errandi cauſa eſt, quod ſuam quiſque ſequatur voluntatem, peſſimum plerumque conſiliarium.* Sequitur textus. *Sed voluntatem eius, qui miſit me:* Nam, vt Deus, eandem numero voluntatem habet cum Patre; vt homo verò, voluntas eius diuinæ voluntati planè conformis, vt ait D. Auguſtinus; ab ipſa per omnia dirigitur, vt ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 146. *Illius voluntatem*, ſcilicet Patris, *quaſi regulam in omnibus ſequitur.* Et ideò non poteſt aliquid diſcrepans à voluntate Patris velle, aut iudicare. Ait, *Qui miſit me.* Explicat veluti cauſam, cur ex voluntate eius iudicare debeat, non ſolùm quia Pater eſt, verum & quia ad hoc ipſum miſerat, vt iudicaret.

Maldonat. *Adhæſio ad propriam voluntatem ſuſpectus error.* D. Auguſt. D. Cyrillus.

---

## Qvæstio IX.

*Quomodo cohæret id, quod ſupra dictum eſt;* Omne iudicium datum eſſe Chriſto; *cum eo, quod hîc affirmatur:* Non poſſum à me ipſo facere quidquam; ſed ſicut audio, iudico?

*An textus iſte de Chriſto ſit intelligendus, ſecundum diuinitatem, an ſecundum humanitatẽ?*

69. Præsentem textum de Chriſto ſecundùm naturam diuinam interpretantur D. Ambroſius ſerm. 20. in Pſal. 118. D. Chryſoſtomus homil. 38. D. Auguſtinus tract. 22. & D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 146. Alij verò explicant hanc ſententiam de Chriſto, vt homo eſt, vt D. Hieronymus lib. 2. aduersùs Pelagian. & D. Cyrillus allegatus, & D. Gregorius, ac D. Bernardus citandi, & D. Thomas, Albertus Magnus, Caietanus, & alij. Et in vtroque ſenſu optimè poteſt explicari. Quia Chriſtus Dominus, vt Deus, omne iudicium habet à Patre, à quo ab æterno eſſentia, ac ſapientia ei communicatur: audire, hoc loco, idem eſt, ac ſcientiam habere. Et etiam de ipſo ſecundum humanam naturam rectè procedit ſententia. Quia, vt homo, nihil facit à ſe ipſo ſolùm, quia maximè conformatur cum diuina voluntate, vt eſt dictum; & *ſicut audio, iudico?* quia omnis eius ſcientia à diuina procedit. Et in hoc ſenſu valdè conſequenter ad proximè dicta eſt accipiendus hic textus; nam ibi de Chriſto, vt filio hominis agitur.

D. Ambroſ. D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Cyrillus. D. Hieron. D. Cyrillus. D. Gregor. D. Bernard. D. Thomas. Albert. Mag. Caietanus.

70. Ad præſentem quæſtionem iuxta litteram ſatis reſpondi in expoſitione. Nam dixerat Chriſtus, ſibi filio hominis datum eſſe omne iudicium: cùm ergo Dauid dicat: *Omnis homo mendax*, Pſalm. 115. n. 11. Ideò Chriſtus oſtendit, ſummam eſſe veritatem, & rectitudinem in ſuo iudicio: quia à ſe ipſo non poteſt facere quidquam, ſed ſicut audit, ſeu intelligit per ſcientiam communicatam à Patre, ita iudicat, in omnibus ſequens non dictamen propriæ voluntatis humanæ, ſed voluntatis diuinæ Patris, cui conformatur. *Adeò*, inquit Euthymius, *quòd illius voluntas etiam mea eſt.* Vnde ait Theophylactus. *Qui ſuam*, ſcilicet voluntatem, *voluerit ſtabilire, fortaſſis ſuſpectus erit, quod corrumpat, quod iuſtum; qui autem non ſua ſpectat, quo prætextu poſſit iniuſtè iudicare? Ego igitur non quæro voluntatem meam, ſed quod vult Pater, illud & ego.*

Pſal. 115. Euthymius. Theophyl. *Qui ſequitur voluntatem propriam ſuſpectus.*

71. Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 38. ſic ait: *Cum aliena, & à Prophetarum ſententia dicere videretur; illi enim dicebant, quod Deus iudicat terram omnem, hoc eſt humanum genus; & Dauid hoc vbique prædicat dicens. Indicabit populos in æquitate*: Pſal. 95. n. 13. & iterùm: *Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens: Chriſtus autem ait: Pater non iudicat quemquam, ſed ego ſum, qui iudico: hoc facilè Iudæum perturbare poterat, vt à Deo alienum Chriſtum arbitraretur. Quamobrem ad humilia deſcendit, quantum eorum imbecillitas poſtulabat, vt penitùs, quæ inde ſuboriretur opinio, tolleretur: Ego à me ipſo non poſſum facere*, &c. Idem docet D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 146. Ne ſententia Chriſti: *Pater non iudicat quempiam*: videretur contraria Prophetis, & Legi, ideò ipſe explicat: *Ego à me ipſo non poſſum facere quidquam*: vt ita à ſua doctrina excludatur omnis ſuſpicio aduerſitatis reſpectu Scripturæ, auditorumque imbecillitati condeſcendat, ac iram omnem ab eorum animis remoueat, vt ait D. Cyrillus. Hinc auditores, & prædicatores diſcant ſimilia in ſuis dictis obſeruare.

D. Chryſoſt. Pſalm 95. D. Cyrillus. *Doctor ſuſpicionem mali à doctrina ſua remoueat.*

72. Tertiò D. Gregorius lib. 35. Moral. cap. 12. ſic ait: Chriſtus Dominus; *ſi ſicut audit, iudicat, tunc quoque obedit, cùm iudex venit: ne igitur nobis vſque ad præſentis vitæ terminum obedientia laborioſa appareat. Redemptor noſtram iudicat, quia hanc, etiam cùm iudex venerit, ſeruat.* Obſerua primò in noſtrum documentum eximiam Chriſti obedientiam, quia non ſolùm obediens ſe præſtitit Patri vſque ad mortem, ſed etiam vſque ad extremum iudicij diem. Illud tamen hîc maximè expende, quod Chriſtus, vt iam dixi, ne contemptibilis videretur à Iudæis, magnoperè in hoc ſermone explicat magnitudinem ſuæ poteſtatis, ac dignitatis. Ideò ait, verſ. 17. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*: & verſ. 19. *Quæcumque ille*: ſcilicet Pater, *fecerit, ſimiliter Filius facit*: verſ. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei*: & verſ. 22. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Quomodo ergo inter thronos ſuæ Maieſtatis, gloriæ, ac dignitatis ſuam obedientiam ad Patrem exprimit: *ſicut audio iudico*: quod obedientiam denotat, vt ait D. Thomas citatus in expoſitione; & iterùm; *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Nulla eſt enim præclarior celſitudo, ac ſublimitas, quàm in omni faſtigio honorum, ac dignitatum obedientiæ metas habere fixas in mente, eaſque ſeruare, ac non tranſigere. *Tunc quoque obedit, cum iudex venit.* Et pergit citatus Gregorius. *Quid ergo mirum, ſi homo peccator ſe obedientiæ in præſentis vitæ breuitate ſubijciat, quando hanc mediator Dei, & hominum, cum obedientes remunerat, non relinquit.*

D. Gregor. *Magna Chriſti obediẽtia.* D. Thomas. *Magna celſitudo in omni faſtigio obedientiam ſeruat.*



73. Quartò D. Bernardus de gradibus humilitatis in documentum vnius cuiuſlibet iudicis hæc verba transfert: Sicut audio, iudico: *Non ſicut odi*, inquit, *non ſicut amo; non ſicut timeo; ſed ſicut audio.* Diſcant iudices, vt in cauſis amicorum, ac inimicorum tractandis non particularis attendatur affectus, ſed iuſta ratio, ac æquitas conſideretur, vt in omnibus ſequatur. In hunc ſenſum ad præſentem locum ait Albertus Magnus. *Bonus iudex non iudicat, niſi ſicut vidit, & audit à lege, & non voluntatem propriam facit, ſed legis. Dauid clamabat: De vultu tuo iudicium meum prodeat.* Pſalm. 16. num. 2.

D. Bernard. *Iudex in iudicãdo ſuum amoris, vel odij ne ſequatur affectum.* Albert Mag.

74. Elegantem combinationem inter verum iudicem Ieſum, & iniquum Pilatum facit D. Ambroſius ſerm. 20. in Pſalm. 118. ad illa verba: *Secundùm iudicium tuum viuifica me*: ſic ait, *Audite, quid iudex dicat cœleſtis: Non poſſum à me facere quidquam, ſed ſicut audio iudico. Et Pilatus dicebat ad Dominum Ieſum: Poteſtatem habeo dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te.* Ioan. 19. num. 20. *Vſurpas, ô homo, poteſtatem, quam non habes, cum Dominus neget, ſe habere, qui habet ſuper omnia poteſtatem? Audi, quid iuſtitia dicat: Non poſſum à me facere quidquam. Audite, quid iudex æquitatis afferat: Sicut audio ita & iudico: Audite, quid iudex iniquitatis loquatur: Poteſtatem habeo dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te. Tua te Pilate voce conſtringis, tua damnaris ſententia. Pro poteſtate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidiſti: per poteſtatem abſoluiſti latronem, auctorem verò vitæ interfeciſti.* Et poſt pauca ſubdit S. Doctor. *Mala poteſtas, poſſe, quod non liceat. Poteſtas iſta tenebrarum eſt, verum non videre, ſed ſpernere. Audite, quid verus iudex loquatur*: Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. *Quaſi homo loquitur, quaſi iudex docet; quoniam qui iudicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere, quod legum eſt.* Agebat Dominus hic formam veri iudicis. Verus iudex ait, non poſſum à me facere quidquam, ſed ſicut audio, iudico. At iniquus iudex ait, poteſtatem habeo. Verus iudex non agnoſcit in ſe poteſtatem, ſed in lege, ac iuſtitia. At falſus iudex inquit, poteſtatem habeo; non enim introſpicit potentiam in lege, ac veritate, ſed in ſua nequitia, ac voluntate, quam pro regula ſibi ſtatuit. *Poteſtas iſta, poteſtas tenebrarum eſt.* At verus iudex ait: *Non quæro voluntatem meam: quia non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere, quod legum eſt.*

D. Ambr. Ioan. 19. *Verus iudex, non voluntatem ſuam, ſed ſequitur legem; iniquus verò contra.*

75. De Iacob ait Scriptura Geneſ. 37. n. 10. *Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos.* Et tamen moriens, non in eum, ſed in Iudam confert regalem dignitatem. *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* Geneſ. 49. num. 10. Ad quod ſatis in rem noſtram reſpondet Rupertus lib. 4. de operibus Spiritus ſancti, cap. 10. *Quia in dandis*, ait, *benedictionibus, non ſuam, ſed Dei voluntatem debuit facere; non carnis affectum, ſed Spiritus inſtinctum ſequi dignum fuit.*

Geneſ. 37. Geneſ. 49. Rupert.

| | |
|---|---|
| *Ioannis* 5. *n.* 31. | Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. |
| *Num.* 32. | Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio, quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet per me. |

### *Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Syriac. n.* 31. | Si ego teſtor de me ipſo. |
| *Theophyl. Pagninus. Vatablus.* | Si ego teſtimonium perhiberem de me ipſo, teſtimonium meum non eſſet verum. |
| *Hebraicus.* | Teſtimonium meum non eſſet fidele, ſeu fide dignum. |

### *Expositio VII.*

Cvm Chriſtus Dominus valdè ſublimia, ac excelſa de ſe diceret, vt patet ex toto diſcurſu huius ſermonis, Iudæi intra ſe dicebant: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*: Chriſtus Dominus verus Deus ſe manifeſtans ad eorum cogitata reſpondet præoccupans obiectionem, quàm Iudæi ei opponere poſſent. Ac ſi diceret: Vos in promptu habetis in ore, quod quia ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum; ſeu vt habet radix Hebraica, fide dignum. Hæc ait, non quia teſtimonium ſuum in re non eſſet verum, ſiquidem in ore eius non eſt inuentum mendacium; ſed quia opinione, ac æſtimatione Iudæorum verum, ſeu fide dignum non reputabatur, cum teſtimonium vniuſcuiuſque in ore ſuo ſit ſuſpectum. De quo latiùs quæſtione ſequenti. 76.

*Legitimus ſenſus.*

*Eſt alius, qui teſtimonium.* Hunc alium D. Chryſoſtomus homil. 39. Euthymius, Theophylactus, Leontius, D. Thomas, & alij, Ioannem Baptiſtam interpretantur: D. Cyrillus verò, Beda, Rupertus, Albertus Magnus, Caietanus Patrem Æternum intelligunt. Mihi tamen accommodatius videtur cum Maldonato, Franciſco Luca, Cornelio, per hunc alium denotari Ioannem Baptiſtam, Æternum Parentem, Moyſem, & Prophetas. Ad huius intelligentiam expende textum. Nam Chriſtus refutans calumniam Iudæorum, vos ſcilicet dicitis, Quia ego teſtificor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum; tunc ait in genere: Alius eſt, qui dat de me teſtimonium: & ſtatim ſpecificat, quis ſit iſte alius. Eſt primò Ioannes verſu ſequenti: *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit*: vt patet ex cap. 1. Ioannis à verſ. 19. & ſequentibus. Secundò opera verſ. 36. 77.

D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Leont. D. Thom. D. Cyrill. Beda. Rupert. Albert. Mag. Caiet. Maldonat. Franc. Luc. Cornel.

*Opera quæ ego facio.* Tertiò, Pater meus, verſ.37. ipſe intonuit. Hic eſt filius meus. Quartò, Moyſes, & Prophetæ verſ. 39. & 46. *Et ſcio, quia verum eſt teſtimonium.* Ac ſi ad hoc referatur, ideò intendo, vt & vos id recipiatis; nam ſi hoc teſtimonium de me non eſſet verum, nullo modo vellem, vt vos illi fidem attribueretis.

## QVÆSTIO X.

### *Quomodo Chriſtus, cùm ipſa ſumma ſit veritas, de ſe teſtificatur: Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum?*

78. D. Chryſoſt. Ioan.8.

MAXIME hanc difficultatem excitat Chryſoſtomus homil. 39. Nam Chriſtus Dominus, ait Ioan.8.n.14. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum eſt verum.* Quomodo hæc cohærent cum præſenti textu: Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum? Et hoc dubium valdè vrget D Thomas hîc, ſic ſcribens: *Admirationis præbet materiam, quod dicitur; nam ſicut Dominus de ſe infra* cap.14.n.6. *Ego ſum veritas: quomodo ergo teſtimonium eius non eſt verum? ſi veritas eſt? vel cui creditur, ſi veritati non creditur?*

D. Thomas. Ioan. 14.

79. D. Ambroſ. Alcuinus. Beda. Gloſſ. D. Thom.

Reſpondent primò, D. Ambroſius lib. 5. de fide cap.4. Alcuinus, Beda, & Gloſſa, & probabilem iudicat D. Thomas, Quod Chriſtus hîc loquatur vt homo; & ſit ſenſus: Si ego, vt homo tantùm, abſque Deo, de me ipſo dem teſtimonium, teſtimonium meum non eſt verum: quia, vt ait D. Thomas, *Verbum humanum, niſi à Deo fulciatur, nihil veritatis habet, ſecundum illud* Rom.3.n.4. *Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax.* At verò ſi Chriſtus Dominus conſideretur, provt ipſe eſt, non ſolus homo, ſed ſimul verus Deus cum Patre, tunc teſtimonium eius eſt veriſſimum, & ita ait citato cap. 8. Ioan. *Teſtimonium meum eſt verum:* & ſubdit n.16. *Quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.*

Rom.3.

Ioan.8.

80. *Opera, & non verba teſtificari debent.*

Secundò, Rupertus lib.6. in Ioan. ſic explanat. Si ego teſtificor de me ipſo ſolùm compoſitis, & adornatis verbis abſque operibus, & aliis probationibus; teſtimonium meum non eſt verum. Longè enim à vero diſtant verba, quæ operibus non proportionantur. At ego teſtimonium perhibeo præclariſſimis operibus, & factis. Nam quamuis nulli eſſent ſermones, ipſamet opera ſunt valdè digniſſima, quæ omnium animos ad me inclinent, & attrahant: atque ita tot, tantiſque operibus teſtimonium meum eſt verum. Sic ait citatus Rupertus. *Ego apud vos, non verbis accuratis, beneuolentiam, vel fauorem veſtrum captare ſtudui, ſed exhibito veræ virtutis opere, cunctorum hominum beneuolentia digno, id eſt ſanato toto orbe à longa infirmitate auditorium poſtulaui.*

Rupertus.

81. *Difficultas in vtraque ſententia.*

Vtraque ſententia ſuam habet probabilitatẽ. Tamen illud monet difficultatem, quia Chriſtus Dominus refutans illam obtrectationem Iudæorum: Vos dicitis, quia teſtimonium meum non eſt verum, quia ego teſtimonium perhibeo de me ipſo: non adducit immediatè ſuam diuinitatem, vel ſua opera; ſed alium teſtem, nempe Ioannem, & Patrem: ergo in eo fundabatur calumnia, quod ipſe de ſe daret teſtimonium, cum ab alio diſtincto illud eſſet proferendum.

82. D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. Leontius. D. Thomas. D. Bonauent. Ioan.8.

Eſt ergo tertia ſententia vera, quam tradunt Chryſoſtomus homil. 39. Euthymius, Theophylactus, Leontius, D. Thomas, D. Bonauentura, & alij. Quod Chriſtus hîc non loquitur de ſuo teſtimonio, provt erat in re ipſa, ſiquidem vt ſic erat veriſſimum, & omni fide dignum, & in hoc ſenſu de eo dixit Ioan. 8. citato. *Teſtimonium meum verum eſt.* Sed hîc in præſenti loquitur iuxta vulgarem hominum opinionem, quia quamuis quis de ſe veriſſimè dicat, tamen apud homines fide caret propter ſuſpicionem de nimio ſui amore, vt ait Euthymius. Et D. Cyprianus Epiſtol. 69. ad Florentium. *Eo quòd*, inquit, *vnuſquiſque ſibi faueat, ne aduerſùm ſe quiſquam infeſta, & aduerſa depromat.* Erat apud Iudæos commune, tritumque prouerbium: Si quis teſtimonium de ſe perhibet, teſtimonium ſuum non eſt verum. Chriſtus Dominus ex abundantia, vt eos magis conuincat, ac veritatem demonſtret, illud admittit, vt explicat D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 147. *Aliquid hominum conſuetudini conceſſit, qua minus ea probantur, quæ de ſe ipſo à quopiam dicuntur.* Tamquam ex hypotheſi ita loqueretur: Vos dicitis, meum teſtimonium non eſſe verum, quia ego illud perhibeo de me ipſo: propter ignorantiam veſtram, vt ait Cyrillus, moleſtè hoc non fero. Eſt alius, qui dat teſtimonium. Vt ita omninò concluſi veritatem fateantur. Euthymius. *Ex abundanti cautione ſilentium illis imponit.*

Euthymius. D. Cyprian.

*Teſtimonium opinione vulgi non reputabatur verum.*

D. Cyrill.

Euthymius.

83. Ex hoc conſidera, quantum periclitatur laus in ore proprio: Veritatis enim teſtimonium, cùm in re eſſet veriſſimum; inde apud homines infirmum videbatur, quod à ſuomet ore prodibat. Vnde ait Chryſoſtomus citatus. *Dicetis mihi, nemo, qui de ſe ipſo teſtimonium perhibet, habet apud homines auctoritatem. Et ita illa particula: Non eſt verum: non eſt temerè legenda, ſed ad illorum opinionem referenda, hoc eſt vobis non eſt verum.* Chriſti teſtimonium valdè perexcelſum; cùm eſſet tamen laus in ore proprio, apud aliquos homines omni decore, ac munimine ſibi debito non videbatur ornatum.

Chryſoſt.

84. 2. Corinth.11.

Compulſus Paulus, aliquid ſuarum laudum Corinthiis dicere, ait illis: *Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed ſupportate me.* 2. Corinth. 11.n.1. ſeu, vt legit Chryſoſtomus. *Vtinam ſuſtineretis me pauliſper in inſipientia.* Sed quænam hæc eſt omnium Magiſtrorum Doctoris inſipientia? Laudum ſuarum euulgatio; vt notant Chryſoſtomus, Hieronymus, D. Remigius. Adeò deuenuſtatur laus in ore proprio, vt dum quis has percipit, proclamatorem inſipientem iudicet. Petit ergo Apoſtolus, vt ait D. Thomas, ne aliquibus videatur inſipiens, dum in ſuas laudes deſcendit; nam hoc ex vrgenti cauſa facit, quod tunc ſatis prudenter, & maturè fit. Pergit D. Thomas. *Communis lex moralis eſt, quod homo non commendet ſe ipſum, vt dicitur* Prouerbior. 27. Laudet te alienus. *Poteſt tamen fieri in aliquo caſu, præter hanc communem regulam, vt homo commendet ſe, & laudabiliter hoc facit; tamen indiſcreti hoc reputant inſipientiam. Vnde cùm immineret caſus, quo Apoſtolus deberet ſe commendare, hortatur eos ad hoc, quod iſtud non reputent ei ad inſipientiam.*

D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Remig.

*Qui ſe laudat ab aliquibus iudicatur inſipiens.* D. Thom. Prouerb. 27.

85. 2. Cor. 11.

Eodem loco 2. Corinth. 11.n. 23. vrgente neceſſitate ſe aliis Apoſtolis in laboribus, ac tribulationibus



præfert, ſic dicens: *Miniſtri Chriſti ſunt, vt minus ſapiens dico, plus ego.* Quæ verba ſic legit Chryſoſtomus homil. 11. in Gen. *Vt delirans loquor, plus ego.* Cùm diuina ſapientia Pauli alios antecellere diceretur, non ſolùm inſipiens, ſed etiam delirans aliquibus indiſcretis videri poterat D. Chryſoſtomus citato loco. *Cùm demonſtraturus eſſet*, ait, *quod alios præcelleret, iterùm delirium vocat, quod à ſe dicebatur. Quaſi diceret: Non ſum neſcius, quod rem facio, quæ multos offendat, & quæ neque me deceat, ſed me compellit magna neceſſitas; ideò ignoſcite mihi, inſipientiæ verba loquenti:* Nam quamuis dictum Pauli eſſet valde iuſtum, & prudens; tamen cùm eſſet laus ab ore proprio, ſpeciem inſipientiæ, ac delíramenti aliquibus dare poterat.

D. Chryſoſt. *Laus in ore proprio delíramenti ſpeciem habet.* Chryſoſt.

*Ioannis 5 n.62.* Vos miſiſtis ad Ioannem & teſtimonium perhibuit veritati.

*Num. 34.* Ego autem non ab homine teſtimonium accipio. ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis.

*Num. 35.* Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horã exultare in luce eius.

### *VERSIONES.*

*Albert. Magn.* n. 34. Ego autem ab hominibus claritatem non accipio.

*Vatablus.* Sed hæc dico, vt vos ſalutem conſequamini.

*D. Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 13.* n. 35. Ille erat lucerna ardens, & illuminans.

*Syriacus.* Vos autem voluiſtis, voſmetipſos glorificare ad horam in luce eius.

*Vatablus.* Ad tempus exultare.

### *EXPOSITIO IX.*

86. PRIMO loco adducit Dominus teſtimonium Ioannis, tanquam apud Iudæos valdè celebre, & notum. Aitque: *Vos miſiſtis:* quæ verba magnam habent emphaſim. Vos miſiſtis ad Ioannem, vt ait D. Cyrillus, *Non vltrò ille ad vos acceſſit:* ne ſe ingerendo eius teſtimonium videretur ſuſpectum. *Vos miſiſtis.* Non ego miſi, nec procuraui, ſed vos miſiſtis ſacerdotes, & leuitas, vt interrogarent eum Ioan.1.n.19. Vos miſiſtis ad Ioannem, vt ait Chryſoſtomus homil.39. *Non miſiſtis autem ad eum, niſi dignum arbitraremini, cui fides eſſet adhibenda;* miſiſtis tanquam ad virum ſanctum, iuſtum, ac fide dignum, cuius dictis ſtandum erat: *Ad Ioannem,* qui veſtra opinione, ac æſtimatione tanquam Chriſtus, ac Meſſias arbitrabatur. Ioannes, quem vos elegiſtis, vt digniſſimus ad teſtificandum, *teſtimonium perhibuit veritati.* Non ait, mihi, ne cum arrogantia loqui videretur, ſed modeſtè *Veritati,* vt ita explicetur efficax teſtimonium Ioannis valdè alienum ab omni affectu ſanguinis, ac amicitiæ, & ſolùm veritati, atque æquitati conſonum. Vnde tantis circunſtantiis plenum, *eius teſtimonium refellere non poteſtis,* ait Euthymius. Ita eos conuincit ex eo, quod miſerunt ad Ioannem.

D Cyrillus.

*Teſtis oblatus ſuſpectus.* Ioan.1. D. Chryſoſt.

*Teſtis ſit alienus ab omni affectu.*

Euthymius.

87. Verſ.34.

*Ego autem teſtimonium ab homine.* Dixerat Dominus ſuprà: Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me: ne quis exiſtimaret, quod ipſe Ioannis teſtimonio vellet defendere ſuam ſententiam, ait: *Ego teſtimonium,* &c. Quod dupliciter explicatur. Primò D. Chryſoſtomus, Euthymius, Rupertus. Ego ſcilicet teſtimonio humano non indigeo; nam quamuis Ioannes *venerit in teſtimonium* Ioan.1.n.7. vide dicta ibi q. 33. tamen eius teſtimonium licèt datum per hominem, nihilominùs diuinum fuiſſe, atque adeò emanaſſe conſtat. *Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ioan. 1.n.33. Secundò, accommodatior expoſitio mihi videtur D. Cyrilli, Theophylacti, D. Thomæ. Ac ſi Chriſtus dicat, quod ipſe propter ſe nullius indiget teſtimonio, cùm ad hoc abundans ſit eius ſuprema auctoritas, ac miraculorum poteſtas. D. Cyrillus. *Oſtendit, ſibi nullius hominis teſtimonium eſſe neceſſarium, cùm à ſplendore ſignorum, ac gloria naturæ Deus demonſtretur.* Iudæis autem neceſſarium fuit Ioannis teſtimonium, vt ita præpararentur in initio ad Chriſtum ſuſcipiendum, ac cognoſcendum. *Sed hæc dico, vt ſalui ſitis:* hoc eſt veſtri cauſa dico, vt ſaluemini, & adducamini ad credendum in me, quem Ioannes Dei filium teſtatus eſt.

D. Chryſoſt. Euthymius. Rupertus. Ioan.1.

Ioan 1.

D. Cyrill. Theophyl. D. Thomas.

D. Cyrillus.

88. Verſ.35. Ioan.1.

*Ille erat lucerna.* Conſequentia ſunt hæc ad ſuperiora. Laudat hîc Ioannem, & arguit Iudæos. *Erat ille lucerna:* Non erat ille lux: Ioan. 1. n. 9. ſed erat lucerna accepto lumine à Chriſto, vt Iudæos illuminaret, ac ab eorum mentibus ignorantiæ tenebras depelleret. *Ardens, & lucens.* Ardens charitate, ac animarum zelo; & lucens veritate prædicationis, ac ſplendore doctrinæ. *Vos autem voluiſtis ad horam,* hoc eſt ad breue tempus, *exultare in luce eius.* Cùm Ioannes initio ſuæ prædicationis tanta ſanctitate, ac virtute reſplenderet, maximè exultaſtis, quod tantus vobis datus eſſet Propheta, quem veſtrum eſſe Meſſiam ſperabatis. At poſtquàm ille vos reprehendit, ac veſtra ſcelera eſt obiurgatus, meque veſtrum Meſſiam declarauit, ipſum ſpreuiſtis, nec eius teſtimonium, nec me vultis recipere. Ita D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Euthymius, Albertus Magnus, & alij.

D. Chryſoſt. D. Cyrillus. Euthymius. Albert. Mag.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Ioannes dicatur lucerna ardens, & lucens?*

89. Moplueſtan. Ammonius. D. Ambroſ. Euthymius. Theophyl.

RESPONDENT primò Theod. Mopſueſtan. Ammonius in Catena Græca, D. Ambroſius ſerm.2. de Chriſti natiuitate, aliàs ſerm. 8. Enthymius, Theophylactus, & alij Quod Ioannes fuit lucerna accenſa à Chriſto Domino, qui eſt vera lux, & verum lumen: nam lucerna

cerna ex ſe non habet lumen, ſed ab alio; & ita Ioannes extitit lucerna lucens his, qui erant in peccatorum tenebris, quia adueniente excellentiori lumine Solis Iuſtitiæ obſcuratus eſt, vt ait Euthymius. Et Ammonius ſic ait: *Lucerna eſt Ioannes in ordine ad politiam Chriſti, qui Sol eſt. Lucebat quidem Ioannes, ſed præ nimio ſolaris iubaris fulgore fuit obfuſcatus.*

Ammonius.

90\. Tertull. D. Auguſt. D. Chryſol. D. Cyrill. *Quomodo Ioannes dicatur lucerna,* Ioan. 1.

Accommodatior mihi videtur explanatio Tertulliani lib. contra Iudæos. D. Auguſtini tract. 23. D. Chryſologi ſerm. 173. D. Cyrilli lib. 3. cap. 1. Quod Chriſtus Ioannem vocat lucernam, non vt deprimeret, ac extenuaret eius teſtimonium, quod ſolùm abſente Sole luceret; nam etiam radiante lumine in præſentia Chriſti illuminauit mentes hominum, proclamans: *Ecce Agnus Dei*: tunc ſecuti ſunt duo Diſcipuli. Ioan. 1. n. 36. Appellatur ergo lucerna, vt fiat manifeſtum, quod quamuis Ioannes homo eſſet; tamen in illa nocte Legis veteris Rom. 13. n. 12. maximè illuxit. Qua luce ſi bene vſi fuiſſent Iudæi recipiendo eius teſtimonium, non ad horam, ſed in perpetuum exultarent, vt ſalutem in Chriſto aſſequerentur. Et quia contempſerunt, induti ſunt confuſione. Et ideò de Ioanne interpretantur Tertullianus, D. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini, D. Cyrillus hîc. D. Proſper. in commentar. illud Pſal. 131. n. 17. Vnde Alcuinus ſic ait: *Paraui lucernam Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione. Ioannes erat lucerna, illuminatus à Chriſto luce, ardens fide, & dilectione, lucens verò & actione; qui præmiſſus eſt, vt inimicos Chriſti confunderet, ſecundum illud Pſalmi: Paraui lucernam Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione.* In laudem Ioannis alias apponamus rationes.

Rom. 13.

Tertull. D. Auguſt. D. Cyrill. D. Proſper. Alcuinus.

Pſalm. 131.

91\. D. Bernardus. *Tunc lux ſine vanitate exterius reſplendet, quando & interius ardet. Ioannes totus perfectus.*

Tertiò, D. Bernardus ſerm. de Baptiſta ſic ait: *Audite, quid de Ioanne loquatur*, ſcilicet Chriſtus, *Ipſe*, inquit, *lucerna erat ardens, & lucens. Eſt enim tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; ardere, & lucere, perfectum.* Lucere exterius ſine interiori ardore virtutum, vt faciunt hypocritæ, vanum eſt. Ardere autem interius abſque eo, quod proximo proſis, parum eſt. Ioannes, cùm eſſet in omnibus perfectus, *Erat lucerna ardens & lucens.* Nam in hoc tria reperiuntur, quæ Ioannem perficiebant, vt notat D. Thomas. *Primum pertinet ad conditionem naturæ, & hoc cùm dicit, Ille erat lucerna. Secundum pertinet ad perfectionem affectus, ſeu voluntatis, ardere. Tertium ad perfectionem intellectus, quia lucens.* Et ita totus Ioannes perfectus erat.

D. Thom.

92\. D. Bernardus. *Ioannes valde firmus, & conſtans in teſtificando de Chriſto.*

Quartò D. Bernardus citato loco. *Audi quid dicat Scriptura: Sapiens permanet vt Sol, ſtultus vt Luna mutatur. Quia enim ſplendet Luna ſine feruore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. At verò Solis ſplendor igneus eſt, & cùm feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic Sapientis ardor.* Ponderat S. Pater, quod Chriſtus Dominus ſolita ſua ſapientia de Ioanne loquens, ipſum nominat non tantum lucernam, ſed addit, quod ardens, & lucens erat, vt fieret notum, non Lunæ, ſed Soli comparari Ioannem: nam Luna lucet, ſed non ardet, Sol verò feruore ſuo lucet, & ardet. Quare autem tam circumſpectè agitur, vt Ioannes, non Lunæ, ſed Soli comparatus credatur, cùm Eccleſia pulchra vt Luna dicatur? Luna ſuas habet mutationes; modò plena, modò exigua apparet: at Sol pro ſuo loco ſemper æqualiter fulget, atque reſplendet. Talis ſe exhibuit Ioannes de Chriſto teſtificans, æquali lumine firmiter fulgens. Vnde fuit vera lucerna; quæ vanitatis vento mutari, ac extingui minimè potuit. Vnde de ipſo coram Iudæorum legatis ait D. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini. *Erat Ioannes lucerna accenſa, vt luceret, quæ accendi poteſt, & extingui; ſed vt non extinguatur, ventum ſuperbiæ non patiatur.*

D. Auguſt.

93\. D. Bernardus.

Quintò, idem D. Bernardus citato loco. *Vultis noſſe, ait, quemadmodum arſit Ioannes, & luxit? Ego vtrumque in eo triplicem poſſe arbitror inueniri, & ardorem ſcilicet, & ſplendorem. Ardens enim erat in ſe ipſo, vehementi auſteritate conuerſationis: Erga Chriſtum intimo quodam, & pleno feruore deuotionis: erga peccantes proximos conſtantia liberæ increpationis. Luxit nihilominùs, vt paucis dixerim, exemplo, digito, verbo, & ſe ipſum oſtendens ad imitationem, & luminare maius quod latebat ad peccatorum remiſſionem, & ipſas quoque tenebras noſtras illuminans.* In tanto Ioannes perfectionis culmine extitit, vt quidquid perfectionis erat, non vno modo, ſed fœnore multiplicato inueniretur in eo, qui, vt valdè ſublimis, lucerna erat ardens, & lucens, quod triplici methodo, vt rectè ait S. Pater, adimpleuit.

*Tanta eſt Ioannis ſublimitas, vt quidquid perfectionis eſt, multipliciter habeat.*

94\. D. Gregor.

Sextò, quandam moralem rationem colligo ex D. Gregorio in 1. lib. Reg. cap. 11. n. 9. ad verba illa: *Cras cùm Sol incaluerit*: ſic ait: *Geminum mentis remedium contra duplex Diaboli bellum exhibetur. Nam malignus ſpiritus, vt mentes electarum tentando ſuperet, priùs tenebras malarum cogitationum obiicit. Deinde concupiſcentiarum flammas accendit: quia niſi priùs mentem excæcauerit, ad prauitatem concupiſcentiæ non impellit. Electa verò mens in aduentu gratiæ ab vtroque malo releuatur, dum contra tenebras lucem accipit, & per calorem ſpiritus abiicit frigus mentis.* Venit Ioannes vt cæleſtis medicus: & ideò ardens, & lucens: lucens, vt cæcitatem tenebrarum à mentibus excluderet; ardens, vt depulſo frigore peccati à cordibus audientium, diuino eos inflammaret amore.

*Ioannes venit, vt optimus medicus.*

95\. Hugo. Luc. 1.

Septimò, Cardinalis Hugo. *Hæc lucerna fuit accenſa in natiuitate, & in vtero matris ſuæ*, Luc. 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Poſita fuit ſuper candelabrum in prædicatione, abſconſa, & recondita fuit in carcere.* Mihi tamen dicere liceat, quod tam præexcelſa, & illuſtris lucerna Ioannes extiterit, vt non ſolùm ſuper candelabrum poſita illuxerit, verùm etiam in carcere recondita ibi diſcipulos ſuos, vt eos doceret, ad Chriſtum deſtinauerit; & ſub modio materni vteri illuſtrauerit matrem: nam *cùm puer eſſet repletus, repleuit & matrem*; vt eſt valdè celebre D. Ambroſij dictum. Eleganter D. Bernardus citato ſerm. de Baptiſta. De ipſo in vtero ſic ait: *Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, ſed interim adhuc ſub modio. Illo enim tempore ſolum potuit illuminare modium ſuum; ſoli interim lucere matri, magnum ei pietatis ſacramentum reuelans ipſo motu nouæ exultationis.*

*Ioannes etiã abſconditus vbique lucet.*

D. Ambr. D. Bernard.

96\. *Chriſtus abſconditus in Eccleſia reſplendet.*

Chriſtus Dominus, cùm ſit præclariſſima lux, à quo omnis alia eſt participata, non ſolùm quandiu fuit in mundo, illuminauit, & reſplenduit, ſed etiam nunc, & multò excellentius, prout ſub ſpecierum velamine, ſubque frumenti accidentium modio occultatus exiſtit. Vnde ex D. Thoma Opuſculo de Euchariſtia ait Cardinalis Georgius in Pſalm. 19. *Sub modio frumenti abſconditus ſeruatur in Eccleſia, quam ſuo fulgore illuminat, omnéſque mentes*

D. Thomas. Georgius.



*mentes illuſtrat.* Chriſtus abſconditus illuminat, hoc etiam Ioanni, quantum fas eſt, communicatur, vt clauſus vtero materno matrem illuſtret.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Ioannes dicitur potius lucerna, quàm lux?*

97\.

IOANNES dicitur lucerna, & non lux; immò expreſsè ait noſter Euangeliſta, cap. 1. num. 8. de Ioanne: *Non erat ille lux*: quod explicat Caietanus non erat ille lux illa, ſcilicet Chriſtus Ieſus: ſeu, vt enucleat D. Cyrillus, Theophylactus, & D. Auguſtinus tract. 23. in Ioan. non erat ille lux comparatione Chriſti, de quo ibi agebatur, cuius comparatione, nec Ioannes, nec alij ſancti poſſunt dici lux. Vide ibi dicta tom. 1. lib. 1. cap. 1. expoſit. 12. Tamen altius in laudem Ioannis hic quæſtio hæc eſt repetenda: Cur alij ſancti, nempe Doctores, ac Prælati Eccleſiæ in perſona Apoſtolorum dicantur lux, Matth. 5. num. 14. Ioannes verò lucerna lucens, & ardens?

Caiet. D. Cyrill. Theoph. D. Auguſt.

Matth. 5.

98\. Ioan. 8.

Reſpondeo primò aduertendo, quod Chriſtus Dominus in hac mortali vita inter homines degens, de ſe ipſo ait: *Ego ſum lux mundi*, Ioan. 8. num. 14. in cœleſti autem patria cum Beatis ſuis ſempiterna gloria regnans, lucerna nuncupatur: *Lucerna eius eſt Agnus.* Apoc. 21. num. 23. Omnes ſancti donis, ac gratiis ſuis à Chriſto Domino, tamquam à bonorum omnium fonte, atque origine, deriuatis lucent, atque reſplendent fulgore miro. Dicuntur ergo ſancti lux mundi participatione à Chriſto Domino, prout in corpore mortali inter homines degens lux mundi eſt appellatus. At Ioannes, vt præclariſſimum ſydus, lucerna nuncupatur participatione quadam à Chriſto Domino, in æterna beatitudine ad Patris dexteram reſidente, qui, illius ſupremæ ciuitatis lucerna dictus, ſemper Baptiſtam ſuum valdè magnis, ac peculiaribus condecorauit, ditauítque priuilegiis, atque fauoribus.

Apoc. 21.

*Ioannis priuilegia valdè magna, & peculiaria.*

99\. Ioan. 1. *In eo Ioannes honoratur, in quo præſtitit obſequium.*

Secundò Ioannes Chriſtum Dominum, ſub nomine Agni teſtatus eſt dicens: *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. num. 29. Cùm ergo, vt patet ex citato Apocalyſeos loco, Chriſto, prout eſt Agnus, attribuatur lucerna; optimo iure ad nobilitandum Ioannem, Chriſtus eum lucernam appellat: nam ſi ille Chriſtum Agni nomenclatura glorificauit, conueniens eſt valdè, vt & iis, quæ Agni ſunt propria, ipſe nobilitatus condecoretur.

100\. Ad Epheſ. 5. *Ioannis fauores valdè peculiares.*

Tertiò, Sancti dicuntur lux; immò & Chriſtiani omnes, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 5. num. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* At Chriſtus dicitur lucerna, & lucerna Ioannes appellatur. Nam quæ aliis ſanctis communicantur, multis ſint communia: quæ verò Ioanni, adeò peculiaria, vt Chriſto tanquam primo capiti conueniant; & deinde in Ioannem ſingulari fauore tranſeant, & particulari benignitate deriuentur.

101\. *Diſcrimen inter lucem, & lumen.*

Quartò, Ioannes dicitur lucerna ardens, & lucens, vtpote accenſa, vt inquit hîc D. Cyrillus, lumine diuinæ gratiæ. Pro cuius maiori explicatione nota, quod quamuis apud Auctores lumen, & lux pro eodem habeatur; tamen ſi rectè expendas, hanc inuenies differentiam, quod lux illuminat, & calefacit: at lumen illuminat, magna acrimonia ardet, inflammat, atque comburit. Vnde Moyſes Deuteron. 4. num. 24. ait de Deo: *Deus noſter ignis eſt*: vt explicant D. Auguſtinus lib. contra Adamantium, cap. 13. tom. 6. Nicetas in orat. 44. D. Gregorius Nazianzenus, D. Ambroſius lib. 4. Exameron. cap. 3. Deus noſter ignis eſt edax, qui mira vehementia agit, comburit veterem hominem, ardet in corde in omni opere bono, inflammat mentem in ſui amorem: & ob hanc agendi vehementiam Chriſtus à Simeone lumen dicitur: *Lumen ad reuelationem gentium*: & noſter Baptiſta de Chriſto ait: *Ipſe vos baptizabit in aqua, & igni.* Matth. 3. num. 11. hoc eſt in Spiritu ſancto, qui ignis eſt conſumens peccata, ac vehementer incendens, & inflammans corda in Dei charitate, atque amore, vt explicant D. Chryſoſtomus homil. ad Neophytos tom. 5. D. Cyrillus in cap. 4. Iſai. D. Leo Epiſt. 4. ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, Druthman, Albertus Magnus, & alij ibidem.

Deuter. 4. D. Auguſt. Nicetas. D. Nazian. D. Ambr.

*Chriſtus lumen.*

Matth. 3.

D. Chryſoſt. D. Cyrill. D. Leo. Druthman. Albert Mag.

102\. *Ioannes fulgur, & ignis.*

Ioannes ergo dicitur *lucerna lucens, & ardens*, quia magnopere vita, auſteritate, ac prædicatione ſua illuxit, atque reſplenduit, audientium corda ad pœnitentiam, ac Dei amorem inflammans, atque exardeſcere faciens, vt docent D. Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. Euthymius, D. Paſchaſius in cap. 3. Matth. Vnde de Ioanne explico locum Pſalmi 96. qui à multis Patribus, & Auctoribus de primo Chriſti aduentu interpretatur. Ait Regius Vates num. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ; vidit, & commota eſt terra.* Quæ verba de Prophetis, qui Chriſtum præceſſere, explanant D. Remigius, ac Brunonius, & ego à fortiori de Ioanne intelligo. Annuntiat Propheta, & ait: *Ignis*, ſcilicet Baptiſta, *ante ipſum Chriſtum præcedet, & inflammabit inimicos eius*, ait D. Remigius, *comburendo in eis nociua*; nam per peccata inimici erant Chriſti, inflammabit ad pœnitentiam, & contritionem. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ*, hoc eſt Ioannis verba, nam vnumquodque verbum eius fulgur, ac ſplendor erat. *Vidit, & commota eſt terra*, explicat Brunonius: *Commota eſt, hoc eſt terreni perterriti ſunt in nouitate prædicationis.*

D. Chryſoſt. Euthym. D. Paſchaſ.

Pſalm. 96.

D. Remig. B. Brunon.

D. Remig.

Brunon.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Ioannes dicitur potius lucerna ardens, & lucens; quàm è contrà lucens, & ardens?*

103\. *Ratio dubitandi.*

SI lucerna lucet, planum eſt, quod ardet; nec enim extincta lucerna ſplendorem emittit. Et ſi lucerna ardet, planum eſt, quod lucet; nam hoc ex natura rei conſequens eſt ad eius ardorem. Ioannes tamen à Chriſto Domino dicitur lucerna ardens, & lucens; & non è contra.

104\. *Ioannis laudes, ſi mens non illuſtretur, non percipiet.*

Reſpondeo primò, quod ita dictum eſt, vt recta analogiæ metaphora ſeruaretur: nam lucerna materialis prius ardet in ſe; deinde fulgore reſplendet. Et quamuis hoc ſecundum videatur conſequens ad primum, illud ſpeciatim explanat Dominus, tum quia ſententiæ repetitio magnam emphaſim

emphaſim habet; tum quia ad Ioannis laudes pertinebat, cuius omnia adeò ſunt ſublimia, vt nemo intellecta ſit percepturus, quin Chriſtus Dominus ſua infinita ſapientia illa pro nobis aperiat.

105. D. Gregor. Secundò D. Gregorius homil. in Ezechiel ita ait: *Ardens, & lucens. Ardens videlicet per cæleſte deſiderium; lucens per verbum. Vt ergo ſeruetur veritas prædicandi, teneatur, neceſſe eſt, altitudo viuendi.* Rupert. Rupertus ad hunc locum ſimiliter. *Ardens intrinſecus*, ait, *teſtificandæ veritatis amore; lucens extrinſecus verbo, & opere.* Ardens ad vitam, lucens ad prædicationem referunt. Docent enim, quod Ioannes priùs arſit in ſe ſanctitate morum, ac veritate ſcientiæ, poſtea verò aliis luxit vitæ exemplo, ac manifeſtatione doctrinæ.

*Doctor prius ardeat in vita; poſtea illuminet opere, & verbo.*

106. D. Bernard. Tertiò D. Bernardus ſerm. de Baptiſta ſic inquit. *Ardens, & lucens: Non ait, lucens, & ardens, quia Ioannis ex feruore ſplendor, non feruor prodijt ex ſplendore: ſunt enim, qui non eo lucent, quia feruent; ſed magis feruent, vt luceant: at iſti non planè feruent charitatis ſpiritu, ſed magis ſtudio vanitatis.* Sunt multi vanitatis amatores, qui videntur exterius fulgere, non tamen interiùs habent ardorem: & ſplendor in iſtis, non ex feruore prouenit, ſed ex vanitatis affectu. In Ioanne autem, vt in viro planè perfecto, ac Apoſtolico fulgor proueniebat ex intrinſeco ardore charitatis, ac ſanctimoniæ vitæ; & ideo priùs dicitur ardens, deinde lucens.

*Fulgor exterior ab interiori ſpiritus calore procedat.*

107. Eccleſ. 48. Vatablus. Hugo. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Eccleſiaſti. 48. n. 1. Seu, vt legit Vatablus, *Et ſermo eius inſtar facis flagranit.* Quod explicans Cardinalis Hugo in præſenti ait. Priùs oportet, quod homo ſit ignis, vt in ſe ardeat, antequam verbum eius alios comburat, ac inflammet.

108. Matth. 10. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* Matth. 10. num. 16. Ea eſt ſerpentis prudentia, vt æſtiuo tempore dum Sol vehementer vrget, ad illius radios egrediens, in eíſque ſe volutans, eorum feruore concepto vetera ſpolia exuens, noua induens multiplici variata colore maximè niteat, atque reſplendeat. Ad eius ſimilitudinem vir Apoſtolicus feruore Chriſti concepto vetera deponat, nouáque induat; & tunc verbo, ac doctrina fulgeat in orbe. D. Ambroſ. D. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 6. ſic ait: *Qui velut boni ſerpentes depoſitis carnis exuuijs, tentationum hyemalium rigore ſuperato, Spiritus ſancti renouati gratia, æſtiua mundi luce fulſere.*

*Prius quis interiùs ardeat, & poſteà ſit fulgor exterior.*

*Ioannis 5. n. 36.* Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne, opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.

*Num. 37.* Et qui miſit me me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me; neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.

*Num. 38.* Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem ille miſit, huic vos non creditis.

## *VERSIONES.*

*Euthym. Theophyl. n. 36.* Ego autem habeo teſtimonium maius teſtimonio Ioannis.

*Syriacus.* Opera enim, quæ dedit mihi Pater meus, vt ea perficerem, teſtantur de me.

*Arabicus n. 38.* Et verbum eius non eſt firmatum in vobis.

*Euthym. Theophylactus.* Et ſermonem eius non habetis.

## *EXPOSITIO X.*

NVNC Dominus ſecundum de ſe teſtimonium profert. Et quamuis Ioannis teſtificatio eſſet valdè magna; ille quippe erat lucerna ardens, & lucens; modò tamen ait; 109.
*Ego habeo maius teſtimonium Ioanne*, hoc eſt, vt clariùs habent Græca exemplaria, & Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, *teſtimonium maius teſtimonio Ioannis.* Et dum ait *maius*, ſupponit, Ioannis teſtimonium fuiſſe magnum. Quod quidem cum eſſet datum à Spiritu ſancto Ioan. 1. num. 33. per os Ioannis loquente, vt notant Toletus, ac Barradas, certum, ac verum erat re ipſa, vt omne aliud teſtimonium. Sed *maius*, id eſt efficacius, ac magis conuincens ſine contradictione, me eſſe Meſſiam, ac filium Dei: nam, vt ait Euthymius ex Chryſoſt. *Siquidem Ioannis teſtimonium poterat quiſpiam calumniari, tamquam ad gratiam factum, verum opera, omni ſuſpicione libera, cunctorum ora contentioſa obturabant.*

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Tolet. Barradas. Chryſoſt. Euthym.

110. Verſ. 30. *Opera, quæ dedit mihi Pater*: Non ait, opera, quæ ego facio, ſed quæ Pater dedit; ſuprà enim dixerat: *Non poſſum à me ipſo facere quidquam:* Vt oſtendat, omnia opera ſua manare à poteſtate, ac voluntate Patris, cum ipſo cooperantis. *Ipſa opera teſtimonium perhibent*, nam, vt ait Lyranus, *firmum teſtimonium eſt per opera ſoli Deo poſſibilia, qui non poteſt teſtis eſſe falſuatis.* Continua, ac innumera Chriſti miracula in omni tempore, non cum aliquo interuallo, vt Elias, Eliſæus, ac Moyſes in promulgatione legis ediderunt; ſed ſine mora facta à Chriſto, támque crebra Dæmonum à corporibus eiectio cum ipſorum ſpirituum reluctatione, ac tam frequens cordium penetratio, & tot futurorum tam certa prædictio; támque diuinus, ac admirabilis viuendi modus, tantáque mirabilia in natiuitate facta, quæ tunc ſine dubio memoria reuoluebantur, euidenter, ac apertè Chriſtum Dominum verum filium Dei, ac verum Meſſiam teſtabantur, ac demonſtrabant, vt docent D. Auguſtinus Epiſtol. 3. ad Voluſian. D. Cyrillus, ac D. Chryſoſtomus, quos citat, ac ſequitur S. Thom. 3. part. quæſt. 43. art. 4. *Quia Pater miſit me*: Non ait, quia ego ſum Deus, vt obſeruant Chryſoſtomus, Euthymius, Albertus Magnus, ſed quia Pater miſit me: quia totus Chriſti ſermo in hoc erat, vt oſtenderet, quod ipſe in nihilo à Patre diſcrepabat, ſed ad hoc miſſus erat à Patre, vt opera illa faceret.

Lyran. *Opera Chriſti teſtantur ipſum eſſe verum Deum.* D. Auguſt. D. Cyrillus. D. Chryſoſt. S. Thom. Chryſoſt. Euthym. Albert. Mag.



111. Verſ. 37. D. Chryſoſt. Rupert. D. Thom. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Chryſoſtomus, Rupertus, D. Thomas ad teſtimonium Patris in Baptiſmo; ſed vox illa à multis fuit audita, vt dixi tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæſt. 23. num. 86. Cohærentius tamen ad ſubſequentia, hoc eſt ad teſtimonia Patris data in Scriptura reducunt D. Cyrillus, Theophylactus, Beda, Euthymius. *Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* Difficilis, & obſcurus eſt locus. Ita tamen explico cum Euthymio, Franciſco Luca; ac ſi ſit ſenſus. Ego dico, quod Pater teſtimonium perhibet de me: vos obiicietis mihi, quod *neque vocem audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis:* Quomodo ergo credendum eſt mihi, quod Pater teſtimonium perhibet de me? Ad quod vobis reſpondeo, verum eſſe, quod neque vocem eius propriè audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis: nam Deus non habet propriam vocem, nec propriam linguam, aut guttur: vox autem, quæ audita eſt in Monte Sina, in Iordane, ac aliis in locis tanquam è perſona Dei, miniſterio Angelorum formata eſt in aëre. *Neque ſpeciem eius vidiſtis.* Deus non habet própriam formam viſibilem, ac circunſcriptam, cum expers ſit corporis. Et ita nullus homo vnquam vocem veram Dei auribus percepit, nec ſpeciem vultus eius vnquam vidit. Dat ergo Pater teſtimonium de me in Prophetis, in lege, ac Scriptura. Et quia verbum eius, datum in Scriptura, non manet in vobis, ideo, vt explicat ſequenti verſu, non recipitis teſtimonium Patris mei perhibentis de me.

D. Cyrill. Theoph. Beda. Euthym. Franc. Luc. *Verſus ſenſus.*

112. Verſ. 38. Theoph. Euthym. Maldonat. *Et verbum eius non habetis in vobis manens.* Non ait, vocem eius, ſed verbum eius, ſeu ſermonem, vt legunt Theophylactus, Euthymius, quia ex ſua radice Græca, vt notat Maldonatus, diſtinguitur à voce, quæ quidem propriè, vt ſenſibilis, à Deo pronuntiari non poteſt, vt à nobis audiatur. At verbum, ſeu ſermo appellatur, quidquid à Deo per Prophetas dictum eſt, vt eſt omnis Scriptura, quam per *verbum* hîc intelligit, *non habetis in vobis manens.* Iudæi habebant verbum Dei contentum in Scriptura, in codicibus; non tamen in cordibus: habebant in chartis; non tamen in ore, ac auribus; ſiquidem illud rectè, ac ſincerè nolebant intelligere, ſed deprauato, ac maligno affectu, iuxta ſuam intentionem malam detorquebant. Et ideo dicitur: *Non habetis manens*, id eſt fixum, & inſculptum, vt iuxta illius veram mentem intelligatis, eámque ſequamini; ſed hoc negligitis, *Quia quem ille miſit, vos huic non creditis.* Eorum obduratæ erga Patrem inobedientiæ apponit ſignum. Siquidem mihi non creditis, de quo Pater per Prophetas, ac totam Scripturam teſtimonium perhibet. Vel quia, ſi mihi non creditis, nec Patri creditis, cum doctrina mea in omnibus ſit eadem cum doctrina Patris mei.

*Doctrinam nõ habet, qui eam, non in corde, ſed in codice habet ſcriptam.*

*Ioannis 5. n. 39.* Scrutamini. Scripturas, quia in illis vos putatis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.

*Num. 40.* Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.

*Num. 41.* Claritatem ab hominibus non accipio.

*Num. 42.* Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

## *VERSIONES.*

*Euthym. Theophyl. n. 39.* Quæ teſtificantur de me.

*Syriac. n. 41.* Gloriam ab hominibus non capio.

*Vatablus, n. 42.* Vt qui amorem Dei non habeatis in vobis.

## *EXPOSITIO XI.*

113. Verſ. 39. QVARTVM teſtimonium adducit Chriſtus Dominus ex Scriptura. *Scrutamini*, tam Græcè, quàm Latinè ambiguus eſt modus: nam poteſt eſſe indicatiuus, vt docent D. Cyrillus, Ianſenius, & Toletus, vt ſit ſenſus. Vos legitis, & euoluitis Scripturas. Accommodatior tamen eſt expoſitio Chryſoſtomi homil. 40. D. Baſilij lib. de Baptiſmo, cap. 4. D. Auguſtini, Euthymij, & aliorum. Quod iſte ſit modus imperatiuus; hoc enim magis explicatur gratia, ac efficacia ſermonis Chriſti, quod eos ad ſuas Scripturas mittat, in quibus illi omnia bona ſua collocabant. D. Chryſoſtomus. *Chriſtus Iudæos ad Scripturarum, non ſimplicem, & nudam lectionem, ſed ad inueſtigationem perquam diligentem relegauit, non enim dixit, legite Scripturas, ſed ſcrutamini.* Non mandat Dominus, vt Scripturam tantùm legant, ſed vt maxima attentione, ad diligentia per altam inueſtigationem eius puram, ac ſinceram mentem inquirant, vt ita ex ipſa, tanquam ex ditiſſima auri fodina, verum ſapientiæ aurum profodiant. Euthymius. *Effodere profundius iubet, vt ea, quæ altè in modum theſauri recondita ſunt, poſſint inuenire.* Diuina enim, non in ſuperficie, poſita ſunt, ſed profundè recondita; & ideo ad inueniendum magnus labor exigitur, vt ponderat Chryſoſtomus.

D. Cyrill. Ianſen. Tolet. D. Chryſoſt. D. Baſil. D Auguſt. Euthym. D. Chryſoſt. Euthym.

114. *Quia vos in illis putatis vitam æternam habere*; hoc eſt omnia bona, per quæ peruenitur ad vitam æternam. Ex hoc patet, quod multi ex Iudæis, vt Phariſæi, credebant animæ immortalitatem, quam Sadducæi negabant. Actor. 23. n. 8. Et notandum cum Chryſoſtomo, Theophylacto, quod non dixit eis Dominus, vos habetis, ſed *putatis habere.* Arguit eos Chriſtus, quia ſine fide in ipſum non habebant vitam, quamuis falsò contrarium exiſtimarent. Rectè Euthymius ait. *Putatis habere, verùm non habetis: quia ſuperficie tenus ſolùm eas legitis, non inuenitis illum certum vitæ æternæ fontem.*

Actor. 23. Chryſoſt. Theoph. Euthym.

115. Verſ. 40. *Et non vultis venire.* Arguit Dominus hoc loco Iudæos, quia cum Scripturæ de ipſo perhibeant teſtimonia, ac de tempore aduentus ſui, miraculis, ac aliis circunſtantiis, quæ omnia ſunt impleta in ipſo Chriſto Ieſu: tamen Iudæi ſua nequitia perſiſtebant. Et non dixit Chriſtus, non venitis ad me, ſed *non vultis venire ad me*, ait Theophylactus, vt hac doctrina declaret libertatem liberi arbitrij noſtri; Albertus Magnus inquit,

Theoph. Albert. Mag.

*Sine Chriſto non inuenitur ſalus.* quit, vt manifeſtaret, quod eorum malitia, ac nequitia obſtabant, quominus Chriſtum verum Deum, à Patre miſſum reciperent, ac in eum crederent, vt ita eorum culpam inexcuſabilem eis
Ioan. 14. obiiceret. *Vt vitam habeatis*, ſcilicet æternam, cum ego ſolus illius ſim via, & veritas. Ioan. 14. num. 16.

116. *Claritatem ab hominibus.* Præoccupat Domi-
Verſ. 41. nus hîc quandam Scribarum ſuſpicionem; & quia fortè aliqui hoc corde conceperant, quod Chriſtus rot, tantáque adducebat ad probandam ſuam doctrinam, & auctoritatem ex aliquo vanitatis ſtudio, quia magnificari, ac laudari cupiebat ab hominibus, vt filius Dei, ac verus Rex Iſraël. Ideo hanc falſam Dominus hîc opinionem remouet dicens. *Claritatem*, Græca exemplaria habent *gloriam ab hominibus non capio.* Hæc dico,
D. Cyrill. non mei cauſa, ſed ob veſtram ſalutem. D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 5. *Non voco vos ad me*, ait, *vt à vobis, vel ab alijs gloriam acquiram, qui*
Euthym. *gloriæ à me ipſo plenus ſum.* Et Euthymius ait: *Sol lucernæ lumine non indiget.* Motiuum ergo ver-
D. Chryſoſt. borum Domini ex ipſiuſmet verbis colligit Chryſoſtomus homil. 40. *Quia igitur gratia illa dixit, vt ſalui ſitis, ſuperiùs inquit*, verſ. 34. *ſignifica-*
Euthym. Theophyl. Beda. Rupert. *uit tamen & hîc etiam, cum dixit, vt vitam habeatis.* Similiter notant Euthymius, Theophylactus, Beda, Rupertus, & alij.

117. *Sed cognoui vos*: id eſt tanquam cordium in-
Verſ. 42. ſcrutator, & agnitor cognoſco vos, quod me,
*Germanus ſenſus.* tantis teſtimoniis declaratum in Scripturis, non recipitis; immò mea dicta ex ſtudio vanitatis cogitatis, *quia dilectionem Dei non habetis in vobis*; ſi enim verè, ac ſincerè Deum diligeretis, illíque placere optaretis, me in Scripturis expreſſum, à Patre miſſum in mundum agnoſceretis, meámque doctrinam ob veſtram ſalutem à me tamquam ab vniuerſali omnium doctore, & magiſtro eſſe datam.

*Ioannis 5. n. 43.* Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

*Num. 44.* Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, nom quæritis.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n. 43.* Si alius venerit nomine proprio, illum recipietis.

*Syriacus, n. 44.* Quomodo poteſtis credere, qui gloriam alius ab alio captetis.

*Vatablus.* Qui gloriam, à vobis inuicem accipitis.

*Euthymius.* A vobis mutuò.

*Theophylactus.* Et gloriam, quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæritis.

*EXPOSITIO XII.*

EGo *veni*. Probat, ac confirmat Do- 118.
minus, vt rectè ait D. Cyrillus Verſ. 43.
lib. 3. in Ioan. cap. 5. quod in eis D. Cyrill.
nulla ſit dilectio Dei, tam ex præſenti, quàm ex futuro euentu: Propheticè enim prædixit, quæ poſtea euentura erant. Ex præſenti euentu: *Ego veni in nomine Patris mei*, vt explicant D. Chryſoſtomus, Theophy- D. Chryſoſt. Theoph. Euthym. D. Thom. D. Bonau.
lactus, Euthymius, D. Thomas, D. Bonauentura. Ego veni miſſus à Patre meo, omnia illius nomine, & auctoritate peragens, omniáque in eius laudem, ac gloriam referens, implénſque omnia, quæ in Sciptura dicta ſunt de Meſſia, vt vos per me vitam æternam habeatis. Ex futuro euentu prædicens ait: *Si alius venerit*: Illud *ſi* non eſt dubitantis de rei euentu, quem abſolutè prædixit Matth. 24. num. 5. & 24. Sed ſignifi- Matth. 24.
cantis inclinationem, ac affectum eorum. *Alius venerit*, vt reuera veniet. Quod communiter veteres, vt Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Euthymius, D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Beda. Rupert.
Theophylactus, Beda, Rupertus de Anti-chriſto interpretantur. Graues tamen recentiores, & valdè probabiliter, non ſolùm de Anti-chriſto, hoc intelligunt, ſed etiam de illis falſis prophetis, qui ſub tempore Saluatoris inſurrexerunt, vt referunt Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 14. Euſebius lib. 4. Ioſeph. Euſeb.
hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. *Nomine ſuo*, Syriacè *proprio nomine*, hoc eſt non miſſus à Deo, ſed propria ſua auctoritate, ac malitia, *illum accipietis.* Illum ſuſcipietis, vt à Deo Miſſum, ac probatum, in eúmque credetis.

*Quomodo vos.* Suprà obſtinatam Iudæorum 119.
obdurationem oſtendit Dominus ex defectu cha- Verſ. 44.
ritatis: *Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Nunc verò eam demonſtrat ex ſtudio vanitatis, ob quam falſum prophetam, ſeu Pſeudo-chriſtum recipient; ſe tamen verùm Meſſiam miſſum à Deo nolunt recipere, ait Theo- Theoph.
phylactus, *quia ille vobis gloriam vitæ pollicebitur, quam vos quæritis: ego autem nihil præclarum vobis in hac vita polliceor.* Vnde ait Dominus: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*; vnuſquiſque enim veſtrum tantùm eſt intentus, vt apud alios habeatur tanquam maximus doctor, maximúſque legis, ac traditionum obſeruator; vnde non eſt vobis in animo, vt meæ doctrinæ ſubiiciamini, méque vanitatis contemptorem ſuſcipiatis. *Et gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis*: nempe illum honorem, ac laudem, quæ à Deo eſt, & conſiſtit in veritate fidei, ſinceritate virtutum, ſoli Deo cognita, hominibus verò ignota, contemnitis, & parui facitis. Et non dixit, vt notat Caietanus, non vul- Caiet.
tis, ſed *non quæritis*, eorum electionem, ac ſtudium culpans: laudari quæritis potiùs ab hominibus, quàm à Deo; & ideo non poteſtis credere, vt notat hic D. Cyrillus ex Paulo ad Galat. 1. D. Cyrill. Ad Galat. 1.
n. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Et Iacob 4. num. 4.
*Quicumque voluerit amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Iacob. 4.





QVÆSTIO XIV.

*Quomodo gloriæ deſiderium impediebat Scribas, quominus crederent?*

120. PEr gloriam hîc, quæ à ſolo Deo eſt, in-
Rupert. telligit Rupertus teſtimonium bonæ con-
Carthuſ. ſcientiæ. Carthuſianus verò æternam fœlicitatem. Probabilius tamen eſt, per gloriam intelligi commendationem, nomen illuſtre, ac laudem, vt ſecutus ſum in expoſitione, quam pij viri ha-
2. Cor. 10. bent apud Deum: *Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* 2. Corinth. 10. num. 18. Et in hoc ſenſu accipitur in prima parte huius textus: *Gloriam ab inuicem quæritis*: ergo eodem modo in ſecunda parte: *Gloriam, quæ a ſolo Deo*: pro honore, ac commendatione. Inquirimus igitur in præſenti: Quomodo vanitatis cupiditas impediebat eos ad credendum?

121. Reſpondent primò Leontius, ac Theophyla-
Leont. Theoph. ctus, quos ſequuntur recentiores. Quod Principes Sacerdotum, Scribæ, ac Phariſæi ambiebant, ab hominibus vocari, ac haberi tanquam maxi-
Matth. 23. mi Doctores: *Volunt primas cathedras in ſynagogis, & vocari ab hominibus Rabbi*: Matth. 23. num. 6. & affectabant reputari tanquam maximi
*Ambitio vanæ gloriæ homines excæcat.* obſeruatores legis, ac veterum traditionum. Vnde timentes, amittere popularem vanitatis auram, nolebant, ſe ſubmitti doctrinæ Chriſti, nec eius diſcipulos ſe profiteri, ne inde ſuas traditiones deponerent. Et populus etiam intentus erat, vt haberetur tanquam maximus Phariſæorum, & Scribarum ſectator, vt apud ipſos honoraretur. Et ita vnuſquiſque ſua ambitione obcæcatus, gloriam, & laudem ab inuicem quærebant, ac veritatem contemnentes in errore ſuo perſiſtebant.

122. Reſpondet ſecundò D. Cyrillus lib. 3. in Ioan.
D. Cyrill. *Gloriæ hominum, ac principatus cupidos eſſe arguit; & hac inanis gloriæ cupiditate, optimæ rei, fidei videlicet in eum, iacturam illos facere, oſtendit. Quaſi enim natura neceſſariò accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, vt gloriam Dei*
*Studioſus vanæ gloriæ iacturam facit in fide.* *amittant, & à ſolo Deo decidant.* Vbi ſtudium vanæ gloriæ intrat, facilè, immò quaſi ex ſua natura, ac neceſſariò contemnitur, ac excluditur Chriſtus, & totius fidei ruinæ occaſio intromit-
D. Nyſſen. titur. D. Gregorius Nyſſenus de Scop. Chriſti. *Eum*, ait, *qui honoris hic collati appetens eſt, Dominus inter infideles recenſet, dicens: Quomodo poteſtis credere, qui ab hominibus gloriam*, &c.
D. Auguſt. Idem docet D. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 14. Quod confirmat exemplo quorundam, qui in Chriſtum crediderant, & verebantur, eum
Ioan. 12. palam confiteri: de quibus ait Ioan. Apoſtol. 12. num. 45. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*

123. Ad petitionem Populi auro in ignem iniecto
Exod. 32. idolum formauit Aaron: *Ædificauitque altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt.* Exod. 32. num. 5. Sed quomodo tantus vir eloquio Dei inſtructus, tantorum ſignorum viſione corroboratus, in tam turpiſſimum facinus prolabitur, vt negata adoratio-
Oleaſter. Caiet. Lyppoman. ne vero Deo, eam idolo cuidam mandet exhiberi? Oleaſter, & Caietanus hoc referunt ad ambitionem. Aliter Lyppomanus explicat. *Quomodo Aa-*



*ron potuit ſic decipi, & ſuperari, vt neglecto Deo certo, & agnito, Populo tam ſtulto acquieſceret in tam nefario facinore? Certè non aliunde, quàm quod oculos ſuos ſtatuit declinare in terram; & à voluntate Dei deflexit ad fauorem vulgi.* Valdè *Ob vanitatem in magna ſcelera prolabitur.*
magnus religione, ac fide videbatur Aaron; vbi tamen propenſus fuit ad fauorem vulgi, vt popularem auram captaret, ſtatim contempto veri Dei cultu in adorationem vituli prolabitur.

*Ioannis 5. n. 45.* Nolite putare, quod ego accuſaturus ſum vos apud Patrem: Eſt, qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.

*Num. 46.* Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.

*Num. 47.* Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis.

*VERSIONES.*

*Vatablus, n. 45.* In quo ſpem collocatis.

*Syriac. n. 46.* Si Mouſche crederetis, mihi quoque crederetis.

*D. Iren. lib. 4. c. 3. D. Cypr. lib. 1. contra Iudæos. c. 18.* Si crederetis Moyſi, mihi crederetis.

*Euthym. Theophylactus.* Crederetis vtique mihi.

*EXPOSITIO XIII.*

IVDÆI affectu ſeruandæ legis 124.
Moſaycæ Chriſto non credebant, Verſ. 45.
vt ita, non apud Deum, ſed apud homines gloriam quærerēt. Nunc in ipſos argumentum retorquet Dominus, quod contra eos in extremo iudicio Moyſes non erit patronus, ſed rigidus accuſator. Et ait: *Nolite putare*, id eſt non putetis, *quod ego accuſaturus ſum vos*, quod ego ad pœnam poſtulaturus ſum vos rebelles, & incredulos, *apud Patrem*, Deum, quod non eſt neceſſarium, vt ego vos accuſem, vt explicabo quæſt. ſequenti. *Eſt, qui accuſat vos Moyſes*: Non ait, qui accuſaturus eſt vos, ſed qui accuſat in præſenti, id eſt, vt explicat Toletus, vos dignos omni damnatio- Tolet.
ne coram Dei iudicio clamat, eo quod ipſi ſitis increduli, & infideles; nam ille teſtimonium perhibet de me. Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de* Deuter. 18.
*gente tua*, &c. *In quo vos ſperatis*; vt ait Euthy- Euthym.
mius, *tanquam in tutorem, ac mediatorem.* Satis *Durum, vt defenſor, ſit accuſator.*
durum ſupplicium, eum habere accuſatorem, quem ſperabas defenſorem, & eum ſortiri damnatorem, quem tibi auxiliaturum confidebas.

*Si enim crederetis Moyſi; forſitan & mihi.* 125.
Noſter Interpres poſuit *forſitan*; tamen ex Græ- Græcus.
co legitur *vtique*, ex Syriaco *quoque*, quod eſt con- Syriacus.
firmantis, & non dubitantis, vt obſeruat Alcui- Alcuin.
nus apud D. Thomam. Immò ſine vlla particula

legunt antiqui Patres citati in verſionibus, & D. Auguſt. Rupert. D. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 26. *Crederetis Moyſi, mihi crederetis.* Rupertus ait, quod illa particula *forſitan* appoſita eſt ad indicandum animum obſtinatum aduerſus Chriſtum, quod quamuis Moyſi crederent, adhuc forſitan Chriſto non crederent. Hanc Ruperti ſententiam non admitto, ſed in prima expoſitione ſto cum Maldonato, & aliis. Geneſ. 49. Deuter 18. *De me enim ille ſcripſit*, clarè, & apertè Gen. 49. num. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, &c. & citato loco Deuter. 18. n. 15. & 18. Immò vniuerſa, quæ ſcripta ſunt in Pentateucho, omnes hiſtoriæ, ac ceremoniæ Chriſtum, tanquam ſuum ſcopum, reſpiciunt, in illíſque Chriſtus Dominus præfiguratur, D. Auguſt. D. Cyrill. D. Chryſoſt. vt notarunt D. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum, cap. 22. D. Cyrillus, ac Chryſoſtomus. Et hac de cauſa Chriſtus hîc non citat peculiarem locum, in quo Moyſes de eo ſcribat. Leont. Leontius aſſignat tres alias rationes. Primò, vt excitaret ad ſcrutandam ſcripturam. Secundò, vt eos moueret ad interrogandum. Tertiò, ne, ſi illis loca dixiſſet, & adhuc non crederent, maior illis pœna augeretur.

126. Verſ. 47. *Efficax redargutio.* *Si autem illius litteris non creditis*, hoc eſt illius libris. *Quomodo verbis meis credetis.* Concludit Dominus ſuum ſermonem, ſumpto argumento ad hominem contra Iudæos, præſuppoſita eorum praua, & iniqua opinione: nam illi in magno habebant Moyſem, Chriſtum Dominum autem in minimo; Moyſem multa veneratione, ac amore proſequebantur, crudeli autem odio, ac contemptu Chriſtum Dominum. Vnde peſtifero errore Moyſem præferebant Ieſu. Et ideò contra eos rectè argumentatur Dominus: Si Moyſi non creditis, quomodo verbis meis credetis.

## QVÆSTIO XV.

### *Quomodo Chriſtus aſſerat, quod non eſt eos accuſaturus, cùm ipſe dicat:* Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo? *Matth.* 10. *n.* 33.

Matth. 10.

127. D. Cyrill. VTRVMQVE locum combinans D. Cyrillus lib. 3. cap. 8. dubium excitat. Vnde ait: *Non erunt Iudæi, qui pertinacia ſua Chriſtum negarunt, aut negant, ab hac accuſatione liberi.* Quomodo ergo ait Dominus, non accuſaturus ſum vos, quaſi ipſe dedignetur, reputari, quod accuſatoris officium teneat? Vnde aliqui graues recentiores, Barradas. vt Barradas, dicunt, quod Chriſtus ait, quod non eſt eos accuſaturus, ſiquidem ipſe in extremo iudicio, non accuſator, ſed iudex hominum eſt conſtitutus: nam accuſare hoc loco, Tolet. Franc. Luc. vt notant Toletus, & Franciſcus Lucas, non dicitur, quaſi peccata ad iudicem deferre, vt ſolet fieri in humanis iudiciis, vt declaretur integritas cognitionis, ac affectus in iudice: at in diuino iudicio, in quo eſt ſumma æquitas, iuſtitia, ac cognitio, accuſare, de quo hic eſt ſermo, idem eſt, ac dignos pœna, & damnatione dicere, & clamare: nam Moyſes ſua lege, ſuíſque ſcriptis vos reos pœnæ demonſtrat.

128. Euthym. Reſpondet primò Euthymius. *Etſi me id oportebat facere, ſcilicet accuſare vos; non tamen faciam, quia clemens ſum.* Similiter Beda. Beda. Ideo non accuſo, quia non veni damnare, ſed ſaluare. Secundò, D. Thomas, Carthuſianus, Lyranus, Titelman, Toletus. D. Thom. Carthuſ. Lyran. Titelman. Tolet. Nolite putare, quod ego accuſaturus ſum vos, ego ſcilicet ſolus, mecum accuſat Moyſes: Tertiò, Caietanus ita explicat. Caiet. Nolite putare, quod reſeruetur mihi accuſatio veſtri, quod retardetur vſquequò accuſem vos in futurum; iam enim in præſenti datur accuſatio contra vos, non expectans meam futuram accuſationem; nam Moyſes iam vos accuſat, ac ſuis ſcriptis vos damnabiles oſtendit.

129. *Germana explicatio.* D. Cyrill. Quartò, mihi videtur valdè germana explanatio D. Cyrilli loco citato. Ac ſi dicat; *nec opus eſſe alio accuſatore, ſed etiam cæteris omnibus ſilentibus, ſolam Moyſis legem ad condemnationem non credentium in ſe Iudæorum ſufficere, aſſerit.* Quaſi dicat S. Pater, quod Chriſtus hoc loco non negat, ſe Iudæos accuſaturum, ſeu pœna dignos dicturum; ſed tantùm in præſenti denotare, hanc ſuam accuſationem non eſſe neceſſariam; nam Moyſes, in quo ipſi magnopere confidunt, ſatis latè, & abundè eſt eos accuſaturus. Ita enim ille ſcripſit Deuter. 18. num. 19. Deuter. 18. *Qui autem verba eius, (ſcilicet Prophetæ) quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.*

# CAP. III.

## *Diſcipuli ſpicas colligunt in Sabbato.*

*Matth.* 12. *n.* 1. In illo tempore abiit Ieſus per ſata Sabbato: Diſcipuli autem eius eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Iter faciebat Ieſchua in Sabbato per ſata.

*Vatablus, Theophylactus.* Ibat Ieſus Sabbatis per ſegetes; Diſcipuli verò illius eſuriebant.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.* 2. *n.* 23. Factum eſt iterum, cum Dominus Sabbatis ambularet per ſata, & Diſcipuli eius cœperunt progredi, & vellere ſpicas.

*Luc.* 6. *n.* 1. Factum eſt autem in Sabbato ſecundo primo, cum tranſiret per ſata, vellebant Diſcipuli eius ſpicas, & manducabant confringẽtes manibus.

EXPO



### *EXPOSITIO I.*

1. *Connexio hiſtoriæ cum ſuperioribus.* SVPERIORI hiſtoriæ de Paralytico ad piſcinam ſanato hanc communiter connectunt Recentiores. Et meritò quidem, nam in Iudæa circa Paſchale tempus matureſcebant ſegetes, Deuteron. 16. vt ſatis eſt vulgaris opinio Deuteron. 16. n. 1. *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phaſe Domino Deo tuo.* Non ergo Diſcipuli ſpicas euellunt poſt primum Paſcha à Baptiſmo, quando vendentes eiecit, vt eſt manifeſtum: non poſt tertium Paſcha poſt turbam ſaturatam, quia tunc obiit, & non interfuit in Ieruſalem: Ergo poſt ſecundum Paſcha hoc factum eſt.

2. *In illo tempore*, ſcilicet prædicationis Chriſti, *Abiit Ieſus per ſata ſabbato.* Iterfaciebat Dominus per ſegetes; & notat Euangeliſta, quod erat Græci. in ſabbato: aliqui codices Græci habent *ſabbatis*, id eſt Græcè vno ex ſabbatis; qualénam hoc eſſet, ſequenti q. explicabo. *Diſcipuli autem eius eſurientes*, Græcè, *eſuriebant.* Vt pauperes fame premebantur. *Cœperunt vellere ſpicas, & manducare.* Hoc ſatis auſteræ, & rigoroſæ vitæ indicium eſt: non præparata fercula habebant, ſed ſimplici cibo, & primò occurrenti contenti erant. Addidit D. D. Lucas. Lucas *Confringentes manibus*, quaſi manibus ſpicas triturantes, vt granis à palea ſegregatis veſcerentur, Prouerb. 27. vt ita fami ſubuenirent Prouerb. 27. n. 7. *Anima eſuriens etiam amarum ſumit pro dulci.* Et niſi fame vexarentur, hoc ſabbato non feciſſent, vt communiter notant Expoſitores.

## QVÆSTIO I.

### *Qualénam eſſet hoc ſabbatum? & explicatur difficilis textus Lucæ.*

3. MAGNAM difficultatem in hac re nobis facit textus Lucæ, ait enim *in ſabbato ſecundo primo.* Quod nam eſſet hoc ſabbatum, magna eſt dificultas. Theophyl. Primò Theophylactus exiſtimat, eſſe ſabbatum, ante quod incedebat aliquod feſtum, verbi gratia quando in Paraſceue, ſeu feria ſexta præcedebat ſolennitas Paſchæ, vel Pentecoſtes, hoc ſabbatum dicebatur ſecundo primum. erat enim ſecundum à feſto præcedente, & primum poſt illud.

4. D. Chryſoſt. Ianſenius. Toletus. Franciſ. Luc. Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 40. in Matth. Ianſenius, Toletus, Franciſcus Lucas tenent, ſabbatum dici ſecundo primum, quando in ipſomet ſabbato aliud feſtum incidebat; tunc enim erat duplex, ſeu bis feſtum; & ita propter duplicem ſolennitatem, vt ait Toletus, ſecundo primum dicebatur, quaſi primum, & ſecundum feſtum.

5. *Impugnatio vtriuſque ſententiæ.* In vtraque ſententia illud mihi eſt difficile, quod Euangeliſta hîc intendit explicare certum determinatum tempus, quod in neutra ſententia planè exprimitur. Deinde ſecundum ſabbatum dicit ordinem ad aliud primum: ergo non poteſt dici abſolutè ſabbatum primum, & ſecundum per reſpectum ad eundem diem. Tertiò. Quia tres Euangeliſtæ hoc feſtum narrantes ſolum ſabbatum appellant, & alterius feſti non meminerunt: ergo ſolum ſabbatum erat.



6. Peluſiota. Boſtrenſis. Euthymius. Beauxamis. Tertiò, D. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſtol. 110. Titus Boſtrenſis Euthymius, Beauxamis aſſerunt, ſabbatum ſecundo primum nuncupari primum diem Azimorum: nam Iudæi quodlibet feſtum ſabbatum dicebant, vt ſtatim dicam; Iudæi celebrabant Paſcha decima quarta die lunæ primi menſis *Niſan* ad veſperam, ſeu poſt ſolis occaſum in crepuſculo. Decimaquinta ergo erat prima dies Azimorum, & vocabatur ſecundum ſabbatum, id eſt ſolennis, poſt Paſcha, primum, & celeberrimum ſabbatum.

7. D. Epiphan. Vatablus. Barradas. Quartò, D. Epiphanius hæreſi 51. Vatablus, Barradas, hi docent, ſabbatum ſecundo primum dici octauam Paſchæ, ac vltimum diem Azimorum nam Paſcha per octo dies celebrabatur; & ille octauus erat cæteris celebrior. Paſcha ergo vocabatur ſabbatum primo primum; octauus verò dies dicebatur ſabbatum ſecundum primo, quia erat poſt diem Paſchæ primum ſabbatum.

8. Maldonatus. Quintò, Maldonatus tenet, eſſe Pentecoſtem. Paſcha enim, ait, erat ſabbatum primo primum, id eſt feſtum celeberrimum, & primum; Pentecoſten proximum huic, erat ſecundum valde celebre ſabbatum poſt primum.

9. *Difficultas contra prædictas ſententias* Vnaquæque ex his ſententiis ita explicata magnam habet difficultatem; ſi tamen aliquid addatur, facile ſuſtineri poteſt. Difficultas eſt. Quia licet omne feſtum apud Iudæos ſabbatum vocaretur Leuitic. 23. n. 15. 24. 32. 39. Leuitic. 23. tamen ſabbatum ex natura ſua, propriè dictum, erat ſeptimus dies vniuſcuiuſque hebdomadæ; & ita erat ſacratiſſimus apud Iudæos, vt in eo eſſet eis omnino vetitum, ſpicas vellere, ciboſque præparare. Exod. 35. Exod 35. n. 3. At in aliis diebus feſtiuis, vt Pentecoſtes, Neomeniæ, Azimorum, licet à ſeruilibus abſtinerent, cibos aptare licitum erat. Exod. 12. n. 16. Exod. 12. Iudæi autem hîc arguebant Chriſti Diſcipulos, quod ſpicas vellerent, & confricantes manibus pararent cibum, tanquam quid in illa die prohibitum: ergo tunc non erat quodlibet feſtum, ſed propriè ſabbatum.

10. *In quo ſenſu dict. ſententiæ ſuſtineri poſſunt.* Dixi, quod vnaquæque ſententia, ſi aliquid addatur, facile defendi poteſt. Si dicas, quod, dies prima Azimorum, vel dies octauus Paſchæ, vel dies Pentecoſtes eo anno ſabbatum proprium ex natura ſua erat. Et in hoc ſenſu ſuam ſententiam de die octauo defendit Barradas.

11. Cornelius. Corderius. Sextò. Cornelius à Lapide, Corderius in cap 6. Lucæ. aſſerunt, vocari ſabbatum ſecundo primum, quod incidebat in feſtum Pentecoſtes, vel infra hebdomadam Pentecoſtes, hoc enim erat ſecundum feſtum apud Iudæos, ſed ipſe dies Pentecoſtes non erat; nam in eo non erat prohibitum, parare cibos, vt iam dixi, & notat Abulenſis in Abulenſis. cap. 23. Leuitic. q. 16. & 20.

12. *Prima ſententia veriſſimilis.* Ex his omnibus mihi veriſſimilius videtur dicendum, ſabbatum ſecundo primum, eſſe ſabbatum occurrens infra hebdomadam Paſchatis, vel Pentecoſtes. Hoc ſecundum affirmat proxima ſententia: nam illud ſabbatum infra hebdomadam Pentecoſtes dicebatur ſecundo primum, id eſt primum à ſecundo feſto celebri Iudæorum, ſeu poſt ſecundum feſtum. Et facit pro hac ſententia, quod eo tempore Pentecoſtes valde maturæ erant ſegetes in Palæſtina; & tunc mandabantur Iudæi in ipſa feſtiuitate primos panes nouæ frugis Deo offerre. Leuitic. 22. Leuitic. 23. n. 16. & 17.

13. *Secunda ſententia veriſſimilis.* Quod ſi etiam tale ſabbatum eſſet primum occurrens infra hebdomadam Paſchatis, mihi eſt valde probabile.

*Scaliger. Vaſquius. Petauius.*

probabile. Et in re hanc ſententiam docent Ioſephus Scaliger lib.6. de Emenda. temp. cap.6. Vaſquius tom. 3. ad 3. p. diſp. 173. cap. 2. n. 10. & Dyoniſius Petauius in animaduerſionib. ad Epiphan. hæreſi 30. Iudæi incipiebant ſuum annum Luna decima quarta, vt eſt dictum: & tunc erat feſtum Paſchæ valdè celeberrimum; eratque primo primum nobiliſſimum ſabbatum. Vnde à Ioanne 19. n. 31. dicitur *Magnus dies ſabbati.* Et hic dies modò incidebat feria tertia, vel quarta, ſicut noſter primus dies Ianuarij. *Ioan. 19.*

14. *Probatio ſuperioris ſententiæ.*

Sequens ergo ſabbatum dicebatur ſecundum primum, hoc eſt ſecundum poſt Primum, id eſt, poſt Paſcha, quod erat primum ſabbatum: nam illud ſecundum primum ſunt duæ dictiones diſtinctæ, vt habet noſtra vulgata; & ita etiam in Græco ſunt, vt notat Vaſquius citatus. Probatur: Quia ſicut non computamus noſtras Dominicas, & dicimus Dominica ſecunda, vel tertia poſt Paſcha; ita & Iudæi annumerabant ſua ſabbata, & dicebant ſecundum, vel tertium primum, hoc eſt poſt primum, ſcilicet Paſcha, quod ſimpliciter erat primum ſabbatum.

15. *Obiectio.*

Dices, tempore Paſchatis non erant ſegetes maturæ, vt ita Diſcipuli poſſent vellere ſpicas ad comedendum. Sed contrà. De tempore Paſchatis loquens Dominus ait Moyſi, Leuitic. 23. n. 10. *Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulum ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem.* Altera die ſabbati, ſcilicet prima die Azimorum, vt eſt communis explicatio, *ſanctificabit illum.* Ergo pro tempore Paſchatis aliquibus in partibus dabantur iam ſpicæ maturæ; & ideo de omni grano, ſiue triticeo, ſiue hordeaceo indiſtinctè præceptum intelligunt Abulenſis, Hugo, Lyranus, Carthuſianus, Caietanus, qui ait ex radice hebraica, quod Homor ſpicarum offerebatur. Cornelius à Lapide inquit, quod hoc intelligitur de faſciculo ſpicarum hordeaceo, quod illo tempore matureſcit in Palæſtina. Et, ſi hoc dicas, ſufficienter ſoluitur argumentum: nam Diſcipuli vita auſteriori enutriti illis erant contenti. Deinde bene ait Lyranus, quod ſi tunc non eſſet meſſis communis, aliquibus partibus colligebant homines ſpicas propinquantes ad maturitatem, quæ Paſchate offerebantur: nam Pentecoſtes panes primi apponebantur. *Leuitic. 23. Abulenſ. Hugo Lyranus. Carthuſian. Caiet. Cornelius Lyranus.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare Dominus ibat per ſata cum Diſcipulis ſuis vellentibus ſpicas?*

16. *D. Hieron. D. Chryſoſt.*

HOc auſteritati vitæ, ac paupertati Diſcipulorum tribuit D. Hieronymus dicens. *Quod autem ſpicas ſegetum manibus confricant, & inediam conſolantur, vitæ auſterioris indicium eſt.* Et D. Chryſoſtomus homil. 40. in Matth. *Tu Diſcipulorum abſtinentiam admirare: admirare, inquam, quomodo nullam corporis curam habebant; ſed ſine præmeditatione aliqua, ac præparatione menſam ſibi ſic conſtituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi, neque tamen à Chriſto abſcedant: nam niſi malo inediæ nimium vexarentur, nunquam certè illud in ſabbato feciſſent.* Nota eximiam auſteritatem, ac paupertatem Diſcipulorum, quod paucis granis, & fortè hordeaceis, vt dixi ſuperiori quæſt. contenti erant. Vide, quantum ab eis diſtant, atque degenerant aliquot eorum in dignitate ſucceſſores tot epulis præparatis. Deinde conſidera, quod tanta paupertate *neque à Chriſto abſcedebant*, non enim in Chriſto temporale lucrum quærebant, ſed ipſum tantum ſequebantur ob amorem, animarumque ſalutem. *Auſteritas vitæ, ac abſtinentia Diſcipulorum Chriſti. In Chriſto nō eſt quærendū temporale lucrum.*

17. *Euthymius.*

Secundò, Euthymius ſic ait in 12. Matth. *Tanquam fame compulſi hoc facientes*, ſcilicet vellere ſpicas, *ſiquidem minimam corporis curam gerebant, & omni tempore, auditu, & aſſiduitate Saluatoris detinebantur, & ideò fame premebantur.* Diſcipuli tanta in Chriſtum charitate, ac amore ferebantur, vt ob eum ſequendum omnem curam de rebus corpori neceſſariis negligerent, & ſimplici primum inuento cibo eſſent contenti. Ad ſenſus morales veniamus. *Ob Chriſti amorem omnia temporalia negligenda.*

18. *D. Athanaſ.*

Tertiò, D. Athanaſius homil. de ſemente ſic inquit: *Tranſibat Saluator per ſegetes, granum ipſe nimirum frumenti per ſegetes, & ſpirituale illud granum, quod in certum aliquem locum cadens cum multiplicibus ſpicis per orbem terrarum exurgit; ipſe enim de ipſo dixit: Niſi granum frumenti cadens in terram, &c.* Magno gaudio Dominus ad ſegetes ferebatur ob aliqualem cum ipſo ſimilitudinem; ſegetes enim ex cadente in terram, grano in vberes fructus exurgunt, & creſcunt; ita ipſe tanquam frumenti granum cadens in terram, magnum ſua pretioſiſſima morte animarum fructum in toto attulit orbe. *Chriſtus frumenti granum multum fructum afferens.*

19. *D. Paſchaſ. Ioan. 4.*

Quartò, D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Dixerat Dominus Diſcipulis ſuis Ioan. 4. n. 38. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Vt ergo denotaretur verbum Domini iam adimpleri, ipſoſque Diſcipulos eſſe animarum meſſores, atque in prophetarum labores introduci, per ſegetes eos Dominus ducit, vt ſeminatos, ac elaboratos ab aliis colligant fructus. Quintò, D. Thomas ait, quod per huiuſmodi ſata intelliguntur ſacræ litteræ, ad quas ducit Dominus ſuos Diſcipulos, vt inde ſuauiſſimos cibos ſumant, ex quibus reficiantur. *D. Thom.*

20. *D. Ambroſ.*

Sextò, D. Ambroſius lib. de Iſaac. cap. 6. *In ſabbato*, ait, *Ieſus ducit per ſeminata Diſcipulos; Moyſes per deſertum duxit populum Iudæorum, Chriſtus per ſeminata ducit, Chriſtus per lilia ducit, quia per paſſionem eius deſertum floret vt lilium.* Chriſto duce omnia repleta ſunt abundantia, ac fœcunditate; ſecùs verò, ſi homo ducatum præſtat, omnia ſicca, & arida apparent. Hinc Chriſtus Ieſus ſuos Diſcipulos ducit per ſeminata, Moyſes verò Hebræos ſuos per terram deſertam, inuiam, & inaquoſam. *In Chriſto fœcunditas; in homine ſiccitas.*

21. *Exod. 17. Num. 20. Iſai. 41.*

Sub Moyſe duce egreditur Iſraël de Ægypto per deſertum, vbi ſæpiſſimè aquarum penuria depreſſus laborauit Exod. 17. n. 1. Num. 20. n. 20. Compone hæc cum Chriſti Domini aduentu, de quo ait Iſaias 41. n. 18. *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Duce Moyſe paſſim ſitibundi ſtant homines, & omnia, ſicca, aridaque videntur. At apparente Chriſto, aquarum copia abundant cuncta, multitudineque fontium irrigantur omnia. Origenes homil. 11. in Exod. & D. Auguſtinus ſerm. 93. de tempore ſic inquiunt. *Dux erat Moyſes, & ſitiuit Populus aquam. Percuſſus eſt Chriſtus, & in crucem actus, noui teſtamenti fontes produxit.* *In Chriſto abundant cuncta; in homine arida apparēt omnia. Origenes. D. Auguſt.*



## QVÆSTIO III.

### *Quare Diſcipuli non prouidentur cibo ex pecunia, quam Iudas ſecum aſportabat?*

22. *Ratio difficultatis.*

DVo inquiro in hac quæſtione. Circa primum. Diſcipuli colligebant ſpicas non longè à ciuitate, vt infra dicam n. 28. ex qua poterant ſibi comparare cibos; nam Iudas loculos habebat & pecuniam aſportabat, ex qua emebat ea, quæ neceſſaria erant Ioan. 12. n. 6. & cap. 13. n. 29. vt factum legimus in hiſtoria de Samaritana, vbi Diſcipuli profecti ſunt in ciuitatem ad cibos pecunia comparandos. *Ioan. 12. & 13. Ioan. 4.*

23. *Abulenſis.*

Reſpondent aliqui apud Abulenſem q. 4. Quod Diſcipuli nec peram, nec pecunias habebant Matth. 10. n. 9 ex quibus cibos emerent; & quod Iudæi in pauperes ſæpe immiſericordes erant. Vnde contingebat, aliquando eos eſurire. Et aliquando Dominus, cum prædicaret in Ieruſalem, cogebatur redire in Bethaniam ad ſumendum cibum. Ei ſemel eſuriens venit ad ficum ſecus viam. Matth. 21. n. 19. & Marc. 11. n. 20. Sed præcitata Ioannis loca conuincunt, quod Iudas habebat loculos, & pecuniam. Poterit aliquis dicere, quod illud eſt verum in citatis locis; at in præſenti occaſione nulla erat pecunia in Collegio Apoſtolico. veruntamen ad hoc affirmandum nullum video fundamentum. *Matth. 21. Marc. 11.*

24. *D. Hierony.*

Reſpondet primò D. Hieronymus in cap. 12. Matth. Quod propter nimiam importunitatem turbarum ne veſcendi quidem habebant locum, vt alibi factum legimus ex D. Marco cap. 3. n. 20. & ideo quaſi homines eſuriebant. Secundò, Abulenſis q. 2. ex. D Chryſoſtomo, & Epiphanio aliam colligit rationem. *Per ſata ſuos ſabbato ducebat Dominus: volebat ſoluere ſabbatum; volebat quidem, ſed non ſimpliciter; ideo non ſine cauſa illud ſoluit, ſed dans occaſionem rationabilem: vt & legem ceſſare faciat, & legem non offendat.* Lex per tot annorum ſecula docuit homines in cultu, ac veneratione Dei, tempus erat iam, vt ipſa ceſſaret: hoc præſtat Dominus ſine offenſione Legis, ipſam honorando appoſita rationabili cauſa: qui enim in tuo fuerunt obſequio, non cum offenſione, ſed potius cum honore dimittendi. *Marc. 3. Abulenſ. Chryſoſt. Epiphanius. Qui fuit in tuo obſequio, non cum offenſa, ſed honore dimittendus.*

25. *Ante honores merita videantur.*

Tertiò, dici poteſt, ſuppoſita doctrina Chryſoſtomi, ac Euthymii ſuperiori quæſt. Hoc, factū eſſe, vt eximius Diſcipulorum amor in ipſum pateſieret, ſiquidem fame premente à ſuo magiſtro non diſcedebant, vt ita omni dignitate, ac apice Apoſtolico, quo erant ſublimandi, vt dicam cap. 5. & ſcribit Marc. cap. 3. n. 3. digniſſimi in omnium oculis viderentur. Quartò, Facilè poterat Dominus ſuos abundanter paſcere ciborum emptione, vel miraculo edito: ita tamen eos inſtruere decreuit, vt ſuſtinendæ famis iam bene informati, modicis contenti, aſſueſcerent penuriæ pro illo tempore, quando ipſe corpore abeſſet; ſiquidem tunc pro Euangelij promulgatione omnes preſſuræ, ac moleſtiæ in fame, & ſiti ab eis erant tolerandæ. *Marc. 3. Laboribus homo aſſueſiat.*

26.

Quintò, & mihi videtur germana ratio. Hoc factum eſt vt manifeſtaretur eximia paupertas, ac abſtinentia Diſcipulorum. Nam diſcipuli Ioannis, ac Phariſæi paulo ante Chriſto obiecerant, quod Diſcipuli eius non ieiunabant Matth. 9. n. 14. ad hanc calumniam reprimendam, vult Dominus in eorum oculis ſuorum Diſcipulorum rigidam abſtinentiam declarare; non enim cibo indulgebant, ſed paucis tantum granis contenti erant. Et ad hoc indicandum, valde veriſſimile eſt, quod poſt appoſitam illam Phariſæorum obtrectationem, immediatè hanc de Diſcipulis ſpicas colligentibus apponunt hiſtoriam Marc. 2. n. 23. & Lucas 6. n. 1. vt ita illam in Diſcipulos detrectationem Dominus non ſolum præclariſſimis verbis refutaret, ſed etiam hoc inſigni facto falſam eſſe demonſtraret. *Matth. 9. Calumnia dictis, & facto refutanda. Marc. 2. Luc. 6.*

*Matth. 12. n. 1.* Phariſæi autem videntes dixerunt ei: Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbatis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus* Periſchæi verò cum aſpexiſſent eos, dicunt ei: Ecce Diſcipuli tui id faciunt, quod illicitum eſt factu in ſabbato.

### ALTER TEXTVS.

*Marci 2. n. 24.* Phariſæi autem dicebant ei: Ecce quid faciunt ſabbatis, quod non licet.

*Lucæ 6. n. 2.* Quidam autem Phariſæorum dicebāt illis: Quid facitis, quod non licet in ſabbatis.

### *EXPOSITIO II.*

27. *Abulenſis.*

PHARISÆI *videntes*, qui cum cætera turba Dominum ſequebātur, non vt aliquid ab eo diſcerent; ſed vt obſeruarent eum. Et Phariſæi potius, quam alij vt ait Abulenſis q. 5. tanquam viri in Lege periti, religionis zelum diſſimulantes, cum vehementer eſſent inuidia commoti. *Dixerunt ei.* Lucas verò ſcribit, redargutionem Diſcipulis obieciſſe: *Quid facitis.* Vtrumque verum: nam primùm Diſcipulis, poſtea Chriſto dixerunt: Vel, vt alij exponunt, quidam cum Chriſto, alij verò cum Diſcipulis locuti ſunt. *Ecce Diſcipuli tui*, qui in tua doctrina eruditi ſunt. Et ita Diſcipulos arguunt, vt in magiſtrum calumniam detorqueant. *D. Lucas. Calumnia in Diſcipulos, magiſtri eſt redargutio.*

28. *Exod. 35. Deuter. 23.*

*Quod non licet facere ſabbatis*; plurale pro ſingulari; nam in ſabbato prohibitum erat Iudæis, ſpicas vellere, & cibos parare. Exod. 35. n. 3. & ideo hoc obiiciunt Phariſæi, non autem quod de agro alieno ſpicas colligerent; hoc enim Lege permiſſum erat Deuteron. 23. n. 25. *Si intraueris*



*ſegetem*

*ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes.* Nec etiam carpunt eos, quod iter faciunt in die ſabbati, cùm hoc ex Lege eſſet vetitum; quoniam locus ille non multùm diſtabat à ciuitate, & illud iter erat breue, quod ſabbato peragi poterat. Vnde dicitur Actor. 1.n.12. quod mons Olìueti diſtabat à Ieruſalem ſabbati itinere. *Qui eſt iuxta Ieruſalem, ſabbati habens iter.* Sabbati iter illud nuncupatur, quod licitum erat ſabbato confici; mons autem Olìueti non multùm diſtat à Ieruſalem, breue ergo erat iter ſabbati. Ad quantum verò ſpatij extenderetur? Abulenſis Exod. 12. quæſt. 24. & hoc loco, quæſt. 8. aſſerit, ad mille paſſus extendi, id eſt vſque ad dimidiam leucam. Lorinus citato Actorum loco varias refert opiniones, plus minuſve affirmantes, quæ ad plurimum, vſque ad leucam extendunt.

Actor. 1. *Quodnam eſſet iter ſabbati.*
Abulenſis.
Lorinus.

## Qvæstio IV.

### *Quibus verbis, & quomodo Phariſæi Diſcipulos arguunt?*

29. Chryſoſt. Belle notauit Chryſoſtomus homil. 40. quod Phariſæi *non vehementer hoc in loco, quamuis conſequentia rerum id petere videatur, incenſi ſunt, ſed ſimpliciter, atque oratione quieta criminantur. Quando autem ſiccam manum curauit, tanta tunc exarſerunt immanitate, vt etiam de interimendo ipſo conſilia agitarent. Cùm enim nil magnum, atque ſublime fit, quietiores ſunt: cùm autem ſanitatem hominibus ſolo verbo præſtari conſpiciunt, quaſi feroces beſtiæ perturbati vehementius in illum inſiliunt. Sic inuidiæ veneno ſuffecti ſalutem hominum perſequuntur.* Falsò ſibi perſuadebant Phariſæi, quod Domini Diſcipuli ſabbatum violabant; & tunc ſimplici, ac blando ſermone dicunt: *Quare Diſcipuli tui*, &c. Cum verò ſabbato manum aridam ſolo verbo ſanat, de eo occidendo ineunt conſilia. Phariſæi inuidiæ veneno ſtimulati, acutiori dolore pungebantur, quod Chriſtus tam inſigni miraculo reſplendeſceret, & quod homo manu detentus tantum eſſet beneficium aſſecutus, quàm quod Religioni, ac legi ſabbati irreuerentia (vt ipſi perperam cogitabant) irrogaretur.

*Plus dolent homines de bono alterius quàm de cōtemptu Legis Dei.*

30. Chryſoſt. Abulenſis. Beda. Albert. Mag. Quo ergo motiuo tantam calumniam in Diſcipulos illatam fuiſſe à Phariſæis, dicatur, præcipuè in hac quæſtione inquirimus? Et ex inuidia prodiiſſe, conſtans eſt ſententia Chryſoſtomi proximè citati, Abulenſis quæſt. 5. Bedæ, Alberti Magni, & aliorum communiter, vt explicatum eſt in expoſitione

31. D. Athanaſ. Alteram huius rei rationem pulchrè excogitauit D. Athanaſius homil. de ſemente. Sic ait: *Atqui illi, qui eſum in ſabbato pro crimine obiiciunt, ipſi cædem in Dominum ipſo ſabbato moliuntur.* Phariſæi magnæ obſeruantiæ ſpeciem ferentes, ſimulato zeli prætextu, Diſcipulos arguunt, quod in ſabbato neceſſitatis gratia ſpicas euellant. Et ipſi ſabbato verum frumenti granum è terra viuentium eradicando crucifigunt, ac crudeli morte damnant. Iniquorum propria conſuetudo, qui in paruis, ac minutiſſimis ſunt nimis ſcrupuloſi, ac valdè timidi; grauiſſima tamen, turpiſſimáque ſcelera deglutiunt, atque deuorant.

*Scrupuloſi in minimis magna deuorāt.*

Iuramento obligauit Saül populum, quod nullus vſque ad veſperam panem comederet, donec de inimicis ſuis vlciſceretur ipſe. Quod non audiuit Ionathas; & fame penè deficiens extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, intinxit in melle, & conuertit ad os, & tunc illuminati ſunt oculi eius. Quod agnoſcens Saül, ait iure iurando more Hebræorum, vt notant Abulenſis, Lyranus, Carthuſianus, Hugo. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Ionatha.* 1. Reg. 14. n. 44. Poſtea mandat Deus Sauli, vt vadat in ciuitatem Amalec, percutiatque Regem, & omnia illius deuaſtatione conſumat. Pepercit tamen Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, *Quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea.* 1. Reg. 15. n. 9. Sed quomodo Saul contra Domini mandatum, Regem viuum relinquit, & magnam armentorum multitudinem; & pretioſiſſimam ſupellectilem auri, argenti, ac veſtium ſibi aſſumit, qui antea pro guſtata vna mellis gutta, neceſſitate cogente, Ionatham occidere volebat? Cùm Saul eſſet iniquitate plenus, valde ſcrupuloſus obſeruantiæ ſpeciem exhibet pro vna gutta mellis, aſſumpta graui cauſa; qui ad deuorandum Regem viuum, ac latiſſimos greges, ampliſſimaſque gazas, nullum habuit conſcientiæ morſum; ſed diuini mandati irruit audax contemptor, & prophanator. Huc aduoco id, quod dixit Caſſiodorus 1. Variar. *Ne princeps pro vilibus multa faciat, examina, cum magna, & ampla largè, & incautè diffundat.* 32.

Abulenſis Lyranus. Carthuſian. Hugo. 1 Reg. 14.
1. Reg. 15. *Saul pro vna gutta ſtimulum conſciētia habet, & magna deglutit.*
Caſſiodor.

*Matth. 12. n. 3.* At ille dixit eis: Non legiſtis, quid fecerit Dauid, quando eſuriit, & qui cum eo erant.

*Num. 4.* Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus.

### *Versiones.*

*Syriacus* Quomodo ſit ingreſſus ædem Dei, & panem menſæ Domini comedit.

*Septuaginta.* Panem facierum, ſeu faciei.

*Hebraicus.* Panes propoſiti, ſeu appoſiti.

### Alter Textvs.

*Marci 2. n. 25.* Et ait illis: Nunquid legiſtis: quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant.

*Num. 26.*



*Num. 26.* Quomodo intrauit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus; & dedit eis, qui cum ipſo erant.

*Lucæ. 6. n. 3.* Et reſpondens Ieſus ad eos dixit: nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid, cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant.

*Num. 4.* Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipſo erant, quos non licet manducare, niſi tantum ſacerdotibus.

### *Expositio III.*

33. Verſ. 3. Obiectam Phariſæorum calumniam refutat Dominus quinque ſequentibus rationibus. Et primò hic exemplo Dauidis: nam fugiens ipſe à facie Saul venit Nobe ad ſacerdotem Achimelech 1. Reg. 21. n. 3. Et cū ipſe, ac ſocij eius fame premerentur, & ſacerdos non haberet panes illi accommodandos; conceſſit, vt ingrediens templum, è menſis aureis panes propoſitionis acciperet, ac manducaret, ſuiſque ſociis daret; cum tamen ex Lege ſolùm à ſacerdotibus illi panes comedi poſſent. Leuitic. 24. n. 8. & 9. Si ergo Dauid, cum eſſet vir perfectus, ac ſecundum cor Dei, Lege non obſtante, ob neceſſitatem licitum ei fuit, comedere panem ſanctum; etiam Diſcipulis meis, ait Chriſtus, Lege non obſtante, ob neceſſitatem licitum erit, ſabbato ſpicas vellere, ac comedere. Apertè docet Chriſtus Dominus hic, quod lex poſitiua prohibens, ita interpretanda eſt, vt nunquam aduerſetur naturali iuri, quo homo vitæ ſuæ conſulere tenetur. De quo vide cap. 4. q. 1. Et ait Dominus: *non legiſtis:* ad reprimendam ſuperbiam Phariſæorum, ait Abulenſis q. 10. tanquam ſi dicat, non legiſtis, nec intellexiſtis rem tam notam in ſcriptura, cum ipſi vos maximè de eius intelligentia gloriemini.

1. Reg. 21.
Leuitic. 24.
*Efficacia argumenti explicatur.*
Abulenſis.

34. Verſ. 4. *In domum Dei*, ſcilicet in atrium tabernaculi; non enim laicis, qualis erat Dauid; ſed ſolis ſacerdotibus conceſſum erat, Sanctum intrare. *Et panes menſæ Domini*, Syriacus, *panem menſæ Domini*, Septuaginta, *panem facierum*, Hebraice, *panes propoſiti.* Quaſi quod iſti panes nunquam deeſſe poterant, vt eſſent appoſiti, ſiue propoſiti in conſpectu Domini, ſeu ante faciem Domini. Panes erant duodecim in menſa aurea ad hoc deſtinata, ſeni in vna parte menſæ, ſeni in altera; & in vnaquaque hebdomada noui panes applicabantur, & veteres remanebant in vſum ſacerdotum Leuitic. 24. n. 8. & 9. Ioſephus ait, quod iſtis duodecim panibus annus fuit ſignificatus. Accommodatior tamen eſt interpretatio, quod hac gratitudine oblationis duodecim panum, Deus viciſſim ſe duodecim tribuum meminiſſe, eaſque ante faciem, & ante oculos ſemper habere, denotabatur.

Syriacus. Septuaginta. Hebræus.
Leuitic. 24. Ioſephus.
*Tribus Iſrael ante faciē Domini.*

## Qvæstio V.

### *Quomodo verba Chriſti conueniant cum hiſtoria narrata 1. Reg. cap. 21?*

35. 1. Reg. 21. *Duplex difficultas.* Ex textu D. Marci duplex inſurgit difficultas: nam citato loco Reg. n. 1. dicitur, quod Dauid venerit *ad Achimelech ſacerdotem, qui dedit ei ſanctificatum panem.* Marcus verò ait, quod intrauerit Dauid *ſub Abiathar ſummo ſacerdote.* Alia autem difficultas eſt, quia vt conſtat ex commemorato loco Reg. Dauid nullum habebat comitem; nam Achimelech dixit Dauid, *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* Et tamen D. Marcus ait, quod *Dauid manducauit panes propoſitionis, & dedit eis, qui cum eo erant.*

36. Beda. Albert. Mag. Hugo. Caietanus. Ad primam difficultatem. Reſpondetur primò cum Beda, Alberto magno, Hugone, Caietano, Quod quando Dauid venit in Nobe, aderat ſimul Abiathar cum patre ſuo Achimelech, & cum multis aliis ſacerdotibus, quos occidit Saul. Et licet Achimelech pater, fuerit celebris tempore Saul; tamen cum Abiathar factus fuiſſet comes totius exilij Dauid, poſtea, eo regnante, ſummi ſacerdotij gradum accepit; ac tempore regni illius in pontificatu perſeuerans, multo maioris excellentiæ, quàm pater effectus eſt; & ideo dignus habitus, vt Dominus faceret de eo mentionem, vt illuſtratio nominis ac famæ, non in vno terminaretur, ſed ambos amplecteretur dum vterque glorioſo nomine ſcribitur. Quod autem Abiathar dicatur princeps ſacerdotum, nihil obſtat; quia erat ſummi ſacerdotis filius, & miniſtrabat in tabernaculo. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 4. q. 19. Aliqui etiam dicunt, vt Franciſcus Lucas, & Cornelius, quod ægrotante patre ſene, & occupato in ſuo officio, Abiathar pontificis munus obibat.

*Nominis illuſtratio, non in vno terminetur, ſed ad plures extendatur.*
Francisc. Luc. Cornelius.

37. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. Ianſenius. Toletus. Probabilius tamen dicendum videtur cum Chryſoſtomo, homil. 40. in Matth. Euthymio, Theophylacto in 2. Marci, & ibi Ianſenio, & Toleto in 6. Luc. annot. 5. Quod tam pater, quam filius erant binomini; quilibet enim habebat nomen, & cognomen; vterque modò appellatus Abiathar, modò Achimelech: nam idem dicitur Abiathar filius Achimelech. 1. Reg. 22. n. 20. & poſtea dicitur Achimelech filius Abiathar 2. Reg. 8. n. 17. & 1. Paralip. 18. n. 16. & 24. n. 6. qui tempore Dauidis miniſtrauit.

1. Reg 22. 2 Reg 8. 1. Paralip 18.

38. Ianſenius. Ad ſecundam difficultatem reſpondet Ianſenius. Quod Dauid ſolus acceſſit ad ſacerdotem, Cum verò ipſe dixit, *ſe pueris ſuis in illum, & illum locum condixiſſe:* officioſo mendacio vſum fuiſſe, vt fugam diſſimularet. Ad hæc ſolutio repugnat cum verbis Chriſti in textu Marci, & Lucæ; nam dicitur, quod Dauid comedit, & dedit iis, qui cum ipſo erant.

39. Lyranus. Aliter reſpondet Lyranus ad citatum textum 1. Reg. 21. Quod Dauid ſemper incedebat aſſociatus multis militibus; cum paucis tamen ſe contulit ad ſacerdotem; & ideo pro paucitate ei dixit, cur ſolus eſſet. Veriſſimilius tamen dicendum eſt, quod Dauid ſolus ingreſſus eſt in ſacerdotis domum; comites

*Vera ſolutio.*

comites tamen habuit, quos alio loco reliquit,& ideò ait; *pueris condixi in illum, & illum locum:* Vnde dixit Sacerdos: *Si mundi ſunt pueri*.n.4. Et ita Dauid ex panibus acceptis à Sacerdote & pueris ſuis dedit. Ita ibi Abulenſis. Abulenſ.

---

## Qvæstio VI.

### *Quare Dominus hîc in exemplum adducit Dauidem potiùs, quàm alium virum perantiquum?*

40. *Nouitas fugienda.* D.Paſch.

Dominvs nouitatem fugiens, ad Phariſæorum calumniam in Diſcipulos refutandam, ex Dauidis hiſtoria antiquum adducit exemplum, vt liquidò conſtet, ait D.Paſchaſius lib.6.in Matth. quod in rebus geſtis Saluatoris nihil erat inuentum, quod non fuerit antea factum, vel adumbratum, ſeu prædictum. Et Dauidem nominat abſque aliquo dignitatis titulo, vel Regis, vt Matth.1.n.6.vel Patriarchæ, vt Actor.2.29. Ad quod reſpondet primò Chryſoſtomus. *Quoniam ſecundum ſeriem generis ab illo trahebat originem.* Qui enim proauos laudat, ſe ipſum laudat. Vel dici poteſt, quod tam illuſtris perſona erat Dauid, & apud Iudæos adeò nota, vt in eius nomine magnalia omnia recapitularentur. (D. Chryſoſt. *Qui proauos laudat, ſe ipſum laudat* *In nomine Dauidis magnalia recapitulantur.*)

41. D Chryſoſt. 1.Machab.2. & 9.

Quæſtio præſens eſt: cur ergo hoc exemplum proponit Dominus; nam ſabbatum aliquando ſolutum legitur, vt teſtatur Chryſoſtomus homil. 40. Immò & propter neceſſitatem factum bellum in eo inuenimus 1. Machab. 2. n. 41. & cap. 9. num. 43.

42. D Cyrillus. Abulenſis. *Dauid valdè magnus reputatus in populo.*

Reſpondetur primò ex D. Cyrillo, Abulenſi, quæſt. 11. Quia Dauid in magna reputatione erat apud Iudæos, vt valdè ſanctitate illuſtris, dicitur vir ſecundum cor Dei 1. Reg. 13. n. 14. Cui Meſſias de eius ſemine futurus promiſſus erat. Vnde ipſe erat tota gloria Iudæorum. Si ergo ille propter famem fecit, quod aliàs non licebat: ergo etiam propter famem aliquid erit licitum Diſcipulis meis facere, quamuis aliàs videatur prohibitum in ſabbato. Nec ſat eſt dicere, quod Dauid erat propheta; quia eius comites prophetæ non erant. Deinde quia licet propheta, non conueniebat ei edere de pane ſolis ſacerdotibus deputato. Immò ob tantam ſanctitatis perfectionem, ad maiorem Legis obſeruantiam potiori iure tenebatur, vt rectè argumentatur Chryſoſtomus homil. 40. in Matth. D. Chryſoſt.

43. D.Hieron.

Secundò, D. Hieronymus in cap. 12. Matth. ſic ait: *Opponit ergo Dominus, & dicit: Si & Dauid ſanctus eſt, & Achimelech pontifex à vobis non reprehenditur; ſed Legis vterque mandatum probabili excuſatione tranſgreſſi ſunt; & fames in cauſa eſt: cur eandem famem non probatis in Apoſtolis, quam probatis in cæteris.* Phariſæi illam detractionem obiiciebant, ſanctitatis, ac eruditionis in lege ſpeciem fictè oſtendentes: ideò Dominus hanc eis aptiſſimè opponit hiſtoriam: nam eorum ſimulatæ ſanctitati Dauidem ſanctum, eorumque falſæ doctrinæ, pontificem Achimelech valdè eruditum obiicit. Si ergo propter famem in illis admittitis excuſationem in lege, cur hoc negandum in Diſcipulis meis? Valde enim durum eſt, quod idem factum, in quibuſdam pium, in aliis videatur iniuſtum; tantam tamen amor, vel odium differentiam gignit. (*Valde durũ vt id, quod in vno approbas, in altero reprobes.*)

44. D. Athanaſ. *Filius ſe parentis virtutum exhibeat imitatorem.*

Tertiò, D. Athanaſius homil. de ſemente. Ita ait: *Ille, qui ex Dauide eſt, Dauidis meminit.* Ad exemplum Dauidis potius, quàm alterius, Dominus recurrit, nam Chriſtus, vt Meſſias in Lege promiſſus volebat ab omnibus cognoſci, vt verus Dauidis filius. Matth. 9.n.17.ideò vt eius filius, ſe manifeſtat, Dauidis virtutibus inſiſtere, ab illóque non eſſe degenerem.

45. Tertull.

Quartò Tertullianus lib.4. in Marcionem.cap. 12. ait: *Quoniam Dauid, comiteſque eius cum Diſcipulis ſuis æquat in culpa, & venia; ideò alienus eſt à Creatore?* Erat Dauid valdè celebris in toto orbe, vt populi liberator, à Deoque in regem electus, erant comites eius viri ſtrenui, ac magni duces, vt Ioab. Diſcipuli autem Domini extiterant piſcatores pauperes, & humiles. Tamen cùm Chriſtus Dominus non ſit alius à Creatore, ſed vnus, & idem Deus, nullam habens perſonarum acceptionem, ideò magnos, & humiles; principes, & pauperes, ſiue in culpa, ſiue in venia, ac fauoribus adæquat, facitque pares. (*In Deo non eſt acceptio perſonarum.*)

46. D. Ambroſ.

Quintò, D. Ambroſius lib. 6. in Luc. ſic ait. *Defenſores Legis arguit neſcire, quæ Legis ſunt; exemplum afferens, quod Dauid, cùm eſuriret ipſe cum ſociis, intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducauit.* Peritos magiſtros, qui de Legis ſcientia maximè gloriabantur, Dominus arguit, quod legem non intelligant, ſed ignorent, cum illa, quæ in ea valde ſunt nota, non capiant, neque penetrent. Et ita ſæpè contingit, quod multi Doctores iuxta ſuam prauitatem Scripturam interpretantes, ſenſum illius valdè manifeſtum non penetrant, ſed omnino ab illo aberrant. (*Iniqui Doctores manifeſta non capiunt.*)

47. Pſalm. 118.

Dicebat Dauid: *Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Pſal. 118. n. 169. Sed cur intellectum non generaliter poſtulat? ad quid addidit: *iuxta eloquium tuum?* Sunt enim multi, qui licet habeant intellectum, vt Scripturas legant, eas tamen intelligunt, non iuxta eloquium Dei, ſed iuxta ſuum eloquium, ſuamque voluntatem. Accipe Ambroſium in eundem Pſalm. ſerm. 22. *Secundum verbum tuum intellectum tribue mihi, id eſt, non ſecundùm Philoſophos, non ſecundùm cauſidicos, non ſecundùm mercatores huius ſæculi, non ſecundùm architectos domorum, ſed ſecundùm verbum tuum, quod eſt vera ſapientia, bonorum operum fundamentum, vt ſuper illud conſtituat Propheta aurum cordis ſui, argentum ſermonis ſui.* (*Multi Doctores intelligunt, non iuxta intellectum, ſed iuxta ſuam malam voluntatem.* D. Ambroſ.)

*Matth.*12.n.5. Aut non legiſtis, quia ſabbatis Sacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt.

*Num. 6.* Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic.

### *VERSIONES.*

*D. Chryſoſt. homil.* 40. Neſcitis, quoniam in templo ſacerdotes.

*Syriacus.* Sacerdotes in templo profanare ipſum ſabbatum, nullóque teneri crimine.



*D. Paſchaſ. lib. 6. in Matth.* Sabbatum violant profanantes.

*Arias.* In ſacro ſabbatum violant, & inculpati ſunt.

*Arabicus.* Et non eſt eis peccatum.

*Vatablus n.6.* Templo maiorem eſſe hoc in loco.

*Arias.* Sacro maior eſt hic.

### *EXPOSITIO IV.*

48. Verſ.5. *Præſentia valdè efficacia.* Numer.28.

Secvndam rationem apponit Dominus, vt valde efficaciter refutet obiectam calumniam. Deinde, quia illud ex hiſtoria Dauid nimis perantiquum ideo eorum oculis præſens ponit exemplum: *Non legiſtis in lege*, Num.28.n.9. vbi præcipitur, vt in die ſabbati ſacerdotes in templo offerant ſacrificia ex agnis ac vitulis, & ideo in ſabbato victimas mactabant, pelles detrahebant, inteſtina lauabant, ligna findebant, ignem accendebant, pueros circuncidebant, vt notant D.Chryſoſtomus, D.Hieronymus, Euthymius, Albertus magnus. Et quanuis hæc, vt pote ſeruilia nudè conſiderata aliàs eſſent prohibita ex Lege die ſabbati Exod.23.n.3. tamen ob pietatem, & miniſterium templi Sacerdotes à violatione ſabbati excuſantur; itaut extra templum nullo modo fieri poſſent, vt notat D.Paſchaſius lib.6.in Matth. Ergo à fortiori, ait Dominus, Diſcipuli mei ob miniſterium, ac pietatem in me, qua ciborum obliti mihi aſſiſtunt, me comitantur, ac verba mea audiunt, vt in via ſalutis inſtruantur, cum ego ſim templo multò maior, atque præſtantior, à fractione Legis ſunt excuſandi. Ex quo (D, Chryſoſt. D. Hierony. Euthymius. Albert.Mag. Exod.23. D.Paſchaſ.)

49. *Neceſſitas excuſat.*

Valde efficaciter reſpondet Dominus. Nam ſi ſine culpa exiſtimatis Dauidem ob neceſſitatem: ſi ſacerdotes in templo ob pietatem: ex iiſdem etiam rationibus immunes ab omni vitio Diſcipulos meos reputare debetis. *Violant ſabbatum*; non quod propriè ſabbatum violarent ſacerdotes; verum quod ea perpetrabant, quæ niſi Dei cultus interueniſſet, facere non licebat.

50. Verſ.6. *Germanus ſenſus.*

*Dico vobis.* Conteſtandi, ac affirmandi efficax eſt modus. *Templo maior eſt hic.* Ex modeſtia loquitur de ſe Dominus per tertiam perſonam. *Templo maior eſt hic*, vt pote Dominus, & Deus templi: nam templo Pater accindentariam quandam ſanctitatem tribuit; Filio autem ſuo eſſentialem, ac ſubſtantialem ſuæ naturæ communicat ſanctitatem. Ac ſi Dominus dicat. Si miniſterium templi à violatione ſabbati excuſat opera aliàs ſeruilia, templo ſanctitatem illis conferente, ita vt pius, & ſanctus Dei cultus reddatur: multò efficacius à ſabbati prophanatione excuſatur miniſterium in vellicatione ſpicarum Filio Dei exhibitum, Filio huic officio præſtante excellentiorem ſanctitatem, itaut in cultum Dei valde diuinum, excellentémque tranſeat.

*Matth.*12.n.7. Si autem ſciretis, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium; nunquam condemnaſſetis innocentes.

*Num. 8.* Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.n.7.* Non condemnaſſetis eos, quum inſontes ſint.

*Arias.* Non condemnaſſetis inculpatos.

*Arabicus.* Non iudicaueritis ſuper eum, cui non eſt peccatum.

### Alter textvs.

*Marci.*2.*n.*27. Et dicebat eis ſabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum. Itaque Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.

*Lucæ.*6 *n.*5. Et dicebat illis: quia Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.

### *EXPOSITIO V.*

Contra calumniam Phariſæorum tertiam rationem dat Dominus, vt ait Abulenſis q. 28. ad maiorem probationis abundantiam, maioremque confuſionem Phariſæorum, qui multum de Scripturæ ſcientia præſumebant. De ignorantia arguit eos Dominus: *Si autem ſciretis*, hoc eſt ſi autem intelligeretis, ac penetraretis. *Quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium:* citat locum Oſe. 6.n.6. quem explicaui tom. 2. cap. 27. q.18. Et ad præſens ita aptandus eſt locus, vt ait Caietanus: Subuenire eſurientibus, eſt gratius Deo, quam obſeruatio ſabbati; quia paſcere eſurientes, eſt miſericordia; huiuſmodi autem obſeruationes ad genus ſpectant ſacrificij; nam ſacrificium dicitur, quidquid attinet ad Dei cultum, ſiquidem inter cæteras cæremonias ſacrificium maximè eminebat. Vnde ait citatus Abulenſis: *Deus magis vult, vt pereat aliquid de cæremoniis cultus eius, quam quod ſubtrahatur miſericordia, id eſt prouiſio in neceſſitatibus humanis.* Textus. *Nunquam condemnaſſetis innocentes*, ſcilicet à tranſgreſſione Legis ſabbati. (51. Abulenſis. Verſ.7. Oſe.6. Caietanus. Abulenſis. *Deus potius vult, vt indigenti ſubueniatur, quàm vt ſuo cultui incumbamus.*)

Marcus quartam ponit rationem. *Dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum:* ſeu, vt habet Syriacus, *creatum*. id eſt ſabbatum inſtitutum eſſe ob commodum, ac vtilitatem hominis, vt homo ſex dierum labore fatigatus ſeptimo die requieſcat Exod.20.n.10. Deuteron.5.n.14. & tunc à preſſura corporis vacuus mentem erigat ad audiendam diuinam Legem, diuinaque beneficia contemplanda. *Et non, homo propter ſabbatum.* Sabbatum homini ſeruiat, & non homo ſabbato, itaut ſi tali die homini occurrat grauis neceſſitas vel vtilitas corporis, vel animæ; ſabbati cultus poſtponatur vtilitati hominis. Efficacia ergo argumenti in hoc conſiſtit: Quies ſabbati in bonum hominis eſt inſtituta: ſi ergo ei ipſa fuerit noxia, (52. Marc.n.27. Exod.20. Deuteron.5. *Litteralis ſenſus.*)

noxia,relinquenda eſt, & aſſumendus labor: Ideò ego rectè permitto meis Diſcipulis,ſpicas vellicare in ſabbato, vt fami conſulant, ſalutíque ſuæ incumbant,dum verba mea audiunt, à meque non diſcedunt.

53. Verſ.8. D, Marcus. *Dominus enim eſt filius hominis.* Quintam rationem in medium proponit Dominus. Marcus verò ait. *Itaque Dominus.* Illud *itaque* multi volunt, quod ſit illatiuum; melius tamen dicendum,quod ſit completiuum, & idem valet, ac *denique*, vt habet Arabicus. (Arabicus.) *Dominus eſt enim filius hominis*, hoc eſt:Ego,qui per naturam ſum filius Dei, per charitatem factus ſum filius hominis,ac proinde Dominus, & auctor ſum Legis Moyſaicæ, ac ſabbati,in eaque diſpenſare poſſum cum Diſcipulis meis. Vnuſquiſque de re ſua,quod velit,facere poteſt.

---

## Qvæstio VII.

### *Quare Dominus pro defendendis ſuis Diſcipulis non edidit aliquod miraculum, ſed tot rationibus Phariſæos inſipientiæ arguit?*

54. *Ratio difficultatis.* FACILE poterat Dominus pro ſuis tuendis aliquod miraculum patrare: tamen quinque rationibus ex Scriptura ſumptis reſpondit, in quibus frequenter Phariſæis eorum ignorantiam obiicit Verſ. 3. *Non legiſtis, quid fecerit Dauid.* Verſ.5. *Aut non legiſtis, quia ſabbatis*, ſeu, vt habet Chryſoſtomus (D. Chryſoſt.); *Neſcitis*; & Verſ. 7. *Si ſciretis.* Quare ergo, toties eorum ignorantia repetita, arguuntur?

55. Abulenſ. Rectè reſpondet Abulenſis, quæſt. 10. *Fuit hoc ad confringendam ſuperbiam Phariſæorum; nam ſi Chriſtus per aliquod miraculum oſtenderet eis,quod Diſcipuli non violabant ſabbatum, non eſſet eis confuſio, quia Deus per hoc videretur reſpondere:cùm tamen ex Scriptura conuincantur, eſt confuſio ipſorum; maximè quia conuincuntur per Scripturas vulgatas, & etiam modus allegandi Chriſti contra eos eſt mordax, & increpatorius, ſcilicet, Non legiſtis, quid fecerit Dauid, quaſi dicat, nunquam legiſtis, vel non intelligitis; ſed quia nihil intelligitis, inſipienter loquimini. Et iſta erat magna confuſio pro illis, qui putabant, ſe eſſe in lege doctiſſimos, & magnæ opinionis erant apud plebem.* (*Grauiſſima eſt præſumptuoſo inflato ignorantis cenſura.*) Si Chriſtus feciſſet aliquod miraculum, quòd ſua diuina Omnipotentia eos compeſceret, intelligeretur:at dum per vulgata Scripturæ loca eos conuincit eorum ignorantiam obiiciendo,magna acrimonia, & efficacia eorum ſuperbiam reprimit, atque compungit:magna enim confuſio eſt,dum ſcientiæ opinione inflatus ignorantis cenſura vulneratur.

56. Iob. 1. Cùm Iob multis eſſet vulneribus, plagiſque vexatus, ait ad eum vxor eius: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Iob. 1. n. 9. In quibus eum ad maledicendum Deum prouocat, vt eſt communis interpretatio. Quod grauiſſima in Creatorem blaſphemia erat. Cui Iob reſpondit: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Sed cum blaſphemia grauiſſimum ſit in Deum ſcelus, cur, non de blaſphemia, ſed de ſtultitia arguit? (Origenes. *Vehementer pungit ignorantis cenſura.*) Mulier, vt ait Origenes lib. 2. in Iob, verba illa valdè præſumptuosè dixerat, tanquam ſi magnum proloquium eſſet effata, & vaniloquus,ac multùm de ſua prudentia confidens vehementius percutitur, ac pungitur ſtultitiæ, quàm blaſphemiæ cenſura.

# CAP. IV.

## *Manus arida viuificatur.*

*Matth.* 12.*n*.9. Cùm inde tranſiret, venit in Synagogam eorum.

*Num.* 10. Et ecce homo manũ habens aridam, & interrogabant eum dicentes: Si licet, Sabbato curare: vt eum accuſarent.

### *VERSIONES.*

*Vatablus*.*n*. 9. At progreſſus illinc.

*Syriacus*. *n*.10. Erat homo vnus illic, cuius manus aruerat, & interrogauerunt dicentes: licet ne, in ſabbato curare?

*Aliqui ex Græc.* Brachium habens aridum.

### Alter Textvs.

*Marci* 3.*n*. 1. Et introiuit iterum in ſynagogam, & erat ibi homo habens manum aridam.

*Num.* 2. Et obſeruabant eum, ſi ſabbatis curaret, vt accuſarent illum.

*Lucæ* 6. *n*. 6. Factum eſt autem, & in alio ſabbato, vt intraret in ſynagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.

*Num.* 7. Obſeruabant autem eum Scribæ, & Phariſæi, ſi ſabbato curaret vt inuenirent, vnde accuſarent eum.

### *EXPOSITIO I.*

ANTECEDENTI hiſtoriæ hanc connectunt tres Euangeliſtæ,Matthæus, Marcus, & Lucas. *Cùm inde tranſiret*, nempe à loco, in quo Phariſæi Diſcipulos arguerant, *venit in Synagogam eorum*, non eodem ſabbati die ſupra memorato, ſed in alio ſabbato, vt exprimit D. Lucas. *Et venit in ſynagogam*, quia ſaabatum erat, in quo die Iudæi ab operibus vacantes conueniebant in Synagogis, ad orandum, 1. Verſ.9. (D. Lucas. *Chriſtus Dominus communes conſuetudines obſeruabat.*)

ac ad



ac ad audiendam diuinam legem; à qua communi conſuetudine Chriſtus Dominus, ne diſſimilis videretur,noluit deuiare, obſeruabat enim eorum laudabiles conſuetudines,vt notat Abulenſis q.30. (Abulenſis. Albert.Mag.) Deinde venit in Synagogam, vt ibi tanquam in loco publico doceret,vt ait Albertus Magnus.

2. Verſ 10. D.Marcus. D.Lucas. D.Hilarius. Abulenſis D.Hieron. D.Paſchaſ. *Et ecce homo*, vt exprimunt D.Marcus, & Lucas,*erat ibi* in ipſa Synagoga. An iſte homo fuerit inductus à Phariſæis, vt ſe Chriſto præſentaret, vt inde haberent occaſionem eum arguendi? affirmant D. Hilarius,& Abulenſis quæſt.31. vt ita, ſi eum non curaret,crudelitatis, aut imbecillitatis: ſi verò ſanaret, tranſgreſſionis accuſarent. Veriſſimilius tamen D. Hieronymus, & D.Paſchaſius, ſequenti numero citandi, ex Euangelio Nazaræorum docent, quod iſte homo ob ſuam neceſſitatem, Chriſti fama miraculorum motus,eius opem implorauit. (Albert. Mag.) Et notat Albertus Magnus, quod non in itinere,ſed *in Synagoga præſentauit ſe iſte,vt ex religione loci, & prophetarum, qui ibi à Chriſto logebantur, faciliùs inclinaret eum ad miſerendum.* (*Sanctitas loci multum valet ad impetrandum.*) Sanctitas loci multum conducit ad impetrandum.

3. *Manum habens aridam:* loco manus aliqui ex Græco vertunt brachium, quod erat arefactum. D. Lucas exprimit, quod erat manus dextera, ad explicandam beneficij magnitudinem, cum homo magis indigeat manu dextera, quam ſiniſtra. D. Hieronymus,ac D.Paſchaſius lib.6. in Matth. tradunt. (D.Hieron. D.Paſchaſ. *Euangelium Nazaræorũ.*) *In Euangelio, quo vtuntur Nazaræi, quod homo ille, qui aridam habet manum, cæmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te,Ieſu, vt mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Erat iſte maximè dignus, qui in ſua petitione exaudiretur, cum ſanitatem peteret, non vt otio torperet, ſed vt cibos ſine verecundia compararet

4. Franciſcus Lucas. *Et interrogabant eum: Si licet,Sabbato curare.* Non eſt veriſſimile, ait Franciſcus Lucas, quod illi exiſtimarent, ſanitatem ſolo verbo collatam, Sabbati obſeruatione prohiberi; nec illam vnquam Chriſto improperarunt, niſi ratione alicuius operis externi. (Ioan. 5. & 9.) Ioan.5. num.16. & cap.9. n.16. nemo vnquam, verba, aut orationem eſſe prohibitam die Sabbati, dixit: ſed cum neſcirent, aut dubitarent, an ſolo ſermone, vel aliquo opere externo adhibito rem eſſe faciendam, ideo promiſcuè, & confusè loquuntur, & quærunt: An liceat Sabbato curare? *Vt accuſarent eum*, tanquam aduerſarium legis.

---

## Qvæstio I.

### *Vtrum Iudæorum medicis eſſet licitum, curare in Sabbato?*

5. *Duplex curatio diſtinguitur.* Abulenſis. DVPLEX curatio diſtingui poteſt. Vna pro conſeruanda vita, quæ hac,vel illa die fieri poterat. Altera,quando febris, vel morbus vrgebat,ac neceſſitas expoſtulabat. Primo caſu. Indiſtinctè negatiuè reſpondet Abulenſis quæſt.37. At diſtinguendum eſt: nam ſi illud eſſet tantùm quoddam medici conſilium, aut quædam ore tantùm ſermocinatio per modum cuiuſdam conuerſationis,non erat illicita,vt proximè dixi: at verò ſi talis curatio eſſet, vt congruens medicina præpararetur, cibíque infirmitati conformes aptarentur; cum hæc eſſet grauis,& laborioſa occupatio, prohibita erat die Sabbati; & languidus non erat aliàs in tanta neceſſitate, vt eo die ſi illi non prouideretur, periret.

In ſecundo caſu, quando neceſſitas vrgebat, licitum erat medicis,infirmos curare, medicamenta componere, venam ſcindere,ſanguinem effundere. 6. Ita Abulenſis citatus, Toletus in cap.6. Luc. ad illa verba: *Nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid.* (Abulenſis Tolet. *Dum morbus vrgebat, licitum erat medicis, ſabbato curare.*) Nam ſi tunc tali die medicamentum non applicaretur,ægrotus periret: & ratio eſt; quia lex naturalis de vtilitate vitæ,ac corporis præferenda eſt legi poſitiuæ de obſeruatione Sabbati, vt iam dixi ſuperiori cap. Et ita colligitur ex præſenti textu; & ex cap.13. Lucæ num.15.& cap.14. n.5. (Luc.13.&14. Exod. 35.) Ex hac doctrina inferes, quod licet pro ſanis die Sabbati non poſſent cibi præparari Exod.35. n.3. tamen pro infirmis, quando medicus iudicabat, hoc non erat prohibitum, ſiquidem hoc vt neceſſarium exigebatur.

7. Abulenſis. Abulenſis citatus ait, Iudæos arguere Chriſtum Dominum, quod curationes faceret in Sabbato non neceſſarias, ſiquidem abſque periculo poterant in alios dies differri. At quando curabat, vrgente morbo, ac febri, vt legitur de ſocru Petri Luc.4. n.38. de puero centurionis, Matth.8. n.13. de filio Reguli, qui incipiebat iam mori. Ioan.4. num.50. (Luc. 4. Matth 8. Ioan. 4. Abulenſ.) Tunc Iudæi non arguebant Chriſtum curantem, ſicut nec ſuos medicos. Et ait Abulenſis, quod Chriſtus Dominus nihil contra legem faciebat, vt ſatis eſt explicatum.

8. *Iudæi ob ſuã malitiam arguebant Chriſtum.* Dicendum tamen exiſtimo, quod Phariſæi ſic Dominum arguebant ob ſuam malitiam, ac crudele odium. Nam in primis non conſtat, quod proximè numeratæ curationes factæ fuiſſent Sabbato, cum hoc nullus ex Euangeliſtis ſcribat. Deinde curare ſolo ſermone, non erat prohibitum, ſicut nec conuerſari, vel deambulare: & tamen hoc reprobant in Chriſto, vt patet in hac præſenti hiſtoria; & ideo poſt ſanatum hominem faciebant conſilia, vt eum perderent infrà verſ.14. Sic etiam, leuiter manu tangere languidum,non erat vetitum in Sabbato; ſicut nec alicuius manum frigidam ſumere ad calefaciendum: & tamen dum Chriſtus Dominus tactu manus mulierem inclinatam Sabbato ſanat, Archiſynagogus indignatur. Luc. 13. num. 14. (Luc.13. *Iniquus in aliis reprobat quod in ſe admittit.*) Arguebant ergo Phariſæi Chriſtum, non ob violationem Sabbati, ſed ob crudele odium, quo ipſum proſequebantur: & id,quod ipſi ſibi inuicem ob proprium commodum præſtabant, hoc in Chriſto, in aliorum vtilitatem operante,damnabant.

*Matth.* 12.*n*.11. Ipſe autem dixit illis:Quis erit ex vobis homo,qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit,& leuabit eam?

*Num.* 12. Quantò magis melior eſt homo oue? Itaque licet, Sabbatis benefacere.

### *VERSIONES.*

*Syriac.* *n*.11. Non prehendat, & erigat eam.

*Euthym. Theophylactus.* Nonne apprehendet eam, & eriget.

*Vatablus, n.* 12. Quantò igitur præſtantior eſt homo oue? licet igitur, Sabbatis beneficium dare.

*Arabicus.* Itaque licet operatio boni in Sabbato.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 3. n. 3.* Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

*Num. 4.* Et dicit eis: licet, Sabbatis benefacere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere? at illi tacebant.

*Luc. 6. n. 8.* Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.

*Num. 9.* Ait autem ad illos Ieſus: Interrogo vos, ſi licet Sabbatis benefacere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere?

## EXPOSITIO II.

9. *Ad textum D. Marci, & Lucæ.*

VIDENS Ieſus iniquas eorum cogitationes, vt ait Lucas, quod interrogabant eum animo accuſandi, mandat homini: *Surge, & ſta in medium*: vt ſcribunt Marcus, & Lucas, vt ſpectaculo miſeri hominis omnes in opinionem, ac iudicium ei benefaciendi flecterentur, vt obſeruat D. Chryſoſtomus homil. 41. (D. Chryſoſt.) Nam miſeria viſa vehementer mouet affectum. Iuxta Lucam ait Dominus: *Interrogo vos*: Ipſe primò interrogatus, vt ait D. Auguſtinus lib. 2. (D. Auguſt.) de conſenſu Euangeliſt. cap. 35. nunc eos interrogat propoſita quadam quæſtione: *Licet, Sabbatis benefacere, an malè?* (*Legitimus ſenſus.*) Benefacere appellat, miſeros in ſua neceſſitate iuuare; malefacere autem, hominem relinquere in ſua miſeria, quem facilè ab ea poſſis eximere, vt explicabo quæſt. 3. *Et animam ſaluam facere, an perdere?* Per animam intelligit totum hominem per Synedoche partem pro toto. *At illi tacebant*; cum nihil omnino haberent, quod reſponderent, tam efficaciter Domini interrogatione confuſi.

10. Verſ. 11.

Tunc Chriſtus Dominus manifeſto exemplo eos conuincit: *Quis erit ex vobis homo*: Idem valet, ac quis veſtrum: *qui habeat ouem vnam*. Rectè ait Albertus Magnus, (Albert. Mag.) quod Dominus hîc exprimit paucitatem, dum dicit *vnam*; paruitatem verò, dum *ouem* commemorat. (*Eximia in nos charitas Chriſti.*) Ex quo coniice eximiam Chriſti charitatem, quod cum ipſe tot habeat oues, ita quemlibet diligit, ac Paſtor, qui vnam tantùm poſſidet. *Et ſi ceciderit hæc Sabbatis in foueam*, hôc eſt quocumque die Sabbati, *Nonne tenebit, & leuabit eam?* Hæc enim erat frequens conſuetudo, ac opinio apud Iudæos, vt docet D. Thomas. (D. Thom.) Ex quo valdè efficaciter contra eos argumentatur Chriſtus. Nam ſi veſtra ſententia eſt, ô Scribæ, lapſam ouem in foueam, extrahendam eſſe die Sabbati, ne ibi remanens pereat; potiori iure licet, hominem morbo oppreſſum ſubleuare, ac ſanare.

11. Verſ. 12.

*Quanto magis melior eſt homo oue?* Cum ergo homo multò magis præſtet oue, licitum erit, die Sabbati remedio adhibito ſanare. Cuius ærumna etiam per vnum diem multa incommoda parturit. *Itaque licet, die Sabbati benefacere.* (*Verus ſenſus.*) Concluſio eſt ex ſupradictis. Si licet beneficium, ſeu opem dare animali laboranti die Sabbati; à fortiori curationis beneficium non eſt denegandum homini ægritudine oppreſſo, cum ipſe multò ſit excellentior.

## QVÆSTIO II.

### *Quare, dum Dominus Phariſæos interrogat: An liceat benefacere? ipſi obmuteſcunt, & tacent?*

12. D. Athanaſ.

RATIONEM huius rei litteralem iam appoſui in expoſitione. Nunc aliam moralem profero ex D. Athanaſio homil. de ſemente ſic dicente: *Cùm nugandum eſt, magnas nugas dicunt: cùm calumniandum, altiſſimè vociferantur: tolle, tolle, homo iſte hæc, & illa deſignauit: Cum autem quæritur, benè ne, an male facere liceat, ſilent.* Phariſæi, vtpote valdè iniqui, quorum ingenium hæretici ebibunt, pro calumniis excitandis, pro altercationibus mouendis vehementer vociferantur, magnas voces extollunt. (*Iniqui in vanitate loquaces: at in iuſtitia, & veritate obmuteſcunt.*) Cùm verò quæſtio, an ſecundum conſcientiæ dictamen, ſit bene, vel malè operandum? omnino tacent, quaſi ad eos nullum honeſtatis, ac bonitatis negotium ſpectet.

13. Accedunt Phariſæi, & Scribæ ad Dominum tentantes eum, & dicunt: Quare Diſcipuli tui maiorum traditiones non obſeruant, non enim lauant manus, cum panem manducant. Quos Dominus de violatione, ac corruptione legis redarguit dicens: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Matth. 15. num. 3. (Matth. 15.) Vbi multa de legis mandatis diſſerit Dominus. Ad quæ omnia Scribæ, & Phariſæi tacent, nec verbum proferunt, in iniquorum conditione perſiſtunt. (*Falſi doctores de falſitate loquuntur: circa veritatem tacent.*) Qui enim valdè garruli erant in vanitatibus, ac falſis dogmatibus, dum de veritate, iuſtitia, ac vera Dei lege pertractatur, ita ab eorum mentibus omnia fugiunt, vt omnino obmuteſcant, neque vnum in ore muſſitent verbum. Albertus Magnus. (Albert. Mag.) *Acceſſerunt*, ait, *accuſantes de traditionibus, & redarguit de lege tacent.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc reſpondet exemplo de oue cadente in foueam, cum aliàs videatur non eſſe ad rem?*

14. DVo in præſenti quæſtione inquiro. Primò, cur Dominus ad quæſtionem obiectam hoc exemplo



exemplo reſpondet? Secundò, de adæquatione ipſius exempli ad materiam ſubiectam.

15. Ad primum. Dico, quod Dominus quæritur à Phariſæis, an liceat, Sabbato curare? non interrogabant, vt diſcerent; ſed vt accuſarent eum, vt exprimit D. Lucas; (D. Luc.) & ita obfirmati erant in ſua nequitia, & odio, vt nulla illud ratione deponerent. (*Odium rationem excludit.*) Animus enim, odio infectus, euidenti etiam ratione nec acquieſcit, nec conuincitur. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 4. quæſt. 12. num. 58. & 59. Vnde cautè, & prudenter quæſito ſatisfacit Dominus, non aliqua demonſtratione, ſed manifeſto, & patenti exemplo, quo ipſi conuicti omnino tacuere. Vnde Chriſtus, vt declarat D. Lucas, cum ira circunſpexit omnes, vt videret, ſi quis circunſtantium aliquid obiicere vellet. Et nemo potuit. Tunc dixit homini: Extende manum tuam.

16. D. Hieron. Rabban. D. Paſchaſ. Euthym. D. Thom.

Secundò ex D. Hieronymo, Rabbano, D. Paſchaſio lib. 6. in Matth. Euthymio, D. Thoma, & aliis. Quod Dominus hoc apponit exemplum ad increpandum eos. Nam ipſi educebant ouem de fouea, non propter miſericordiam, quam in illam haberent, ſed propter auaritiam, ne pecus illud perderent: & tamen hoc licere in Sabbato, exiſtimabant: ergo à fortiori euincebantur, fateri, licitum eſſe Chriſto, Sabbato curare, cum hoc ex ſola tantum charitate præſtaret. Vnde dixit Rabbanus: (Rabban.) *Competenti exemplo ſoluit quæſtionem, vt eos oſtendat Sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis.*

17. *Secunda difficultas.*

Ad ſecundum. Dicet aliquis. Exemplum non videtur ad rem, nam ſi homo, manu arida laborans, non eſſet ſanus die Sabbati, poterat fieri ſequenti die; at ſi ouis, incidens in foueam, non educeretur illo die, periret.

18. Abulenſ. *Exemplum optimè adductum.*

Reſpondetur, exemplum eſſe optimum, & maximè ad intentum, vt notat Abulenſis quæſt. 35. Primò, quia Iudæi dicebant, licitum eſſe, educere ouem, non vt neceſſitati animalis ſuccurrerent, ſed propter ſuam auaritiam, ne illud perderent. A fortiori opus charitatis licitum erat. Secundò, Maius malum eſt, quod homo vulneretur, quàm quod ſuum pecus occidatur: & maius malum eſt, quod patitur æger vna die, etiamſi non ſit moriturus, quàm damnum amiſſi pecoris: ergo ſi permittebatur die Sabbati ouem, ne periret, de fouea educere; multò magis licebit, hominem Sabbato curare, ne illo ſaltem die langoris detrimentum ſuſtineat. Tertiò, quia curare Sabbato, eſſet prohibitum ratione laboris adiuncti: atqui multo maiorem in educenda oue de fouea exhibebant Iudæi laborem, atque conamen, quàm Chriſtus in ſanando, ſiquidem hoc præſtabat ſine vllo labore, vel ſolo verbo, vel tactu, vel aliquo ſimili: ergo ſi vnum licitum erat, à fortiori & aliud.

*Matth. 12. n. 13.* Et ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.

*Num. 14.* Exeuntes autem Phariſæi concilium faciebant aduerſus, eum quomodo perderent eum.

VERSIONES.

*Arias, n. 13.* Tunc ait homini exſiccatam habenti manum, & reſtituta eſt ſana.

*Syriacus.* Et extendit manum ſuam, & reſtituta eſt ſicut ſocia ſua.

*Vatablus, n. 14.* Porrò Phariſæi egreſſi cœperunt conſilium.

*Syriacus.* Conſilium inierunt aduerſus eum.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 3. n. 5.* Et circunſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi.

*Num. 6.* Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebãt aduersùs eum, quomodo eum perderent.

*Luc. 6. n. 10.* Et circunſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit; & reſtituta eſt manus eius.

*Num. 11.* Ipſi autem repleti ſunt inſipientia, & colloquebantur ad inuicem, quid facerent Ieſu.

## EXPOSITIO III.

19. *Ad textum Marci, & Lucæ.*

POSTQVAM Dominus optimo exemplo propoſitam à Phariſæis quæſtionem ſoluit, *Circunſpiciens eos.* Ait Euthymius, (Euthym.) vt eos ſuo aſpectu confunderet. Toletus in Lucam, (Tolet.) vt eos ad reſpondendum inuitaret. Marcus (D. Marc.) tamen ait: *Circunſpiciens eos cum ira.* Ac proinde poſtquam quæſtio ſoluta eſt, humano modo iniecit Chriſtus oculos in circunſtantes vultu toruo, atque irato incredulitati eorum iraſcens, vt ait Interlinealis, (Interlin.) tanquam indignans ſuper malignam obſtinationem eorum. Ex hoc patet, quod in Chriſto Domino fuerit vera ira, vt docent Theologi cum D. Thom. 3. p. quæſt. 15. art. 9. (D. Thom.) ſicut fuerunt in eo cæteri humani affectus, verbi gratia triſtitia, timor; qui omnes in Chriſto rationi erant ſubiecti, atque ſummiſſi. *Cum ira*, ait Euangeliſta, quæ à Chriſto excitata eſt in ſe ipſo pro zelo gloriæ, ac honoris Dei. Pulchrè notat D. Ambroſius (D. Ambr.) ſerm. 8. *In ira præcipiens, ait, refundit corpori ſanitatem: ira, inquam, ſicut ait Euangeliſta, reſtituit vigorem dexteræ, vnde intelligimus, qualis dominicæ benignitatis ſit ſanitas, cuius indignationis talis eſt medicina; aut quemadmodum placatus prodeſt, qui ita miſeretur iratus.* (*Si Deus cum ira effundit ſua beneficia, quid erit cũ ſua miſericordia?*) Si Dominus iratus effundit ſuam beneficentiam, & dat ſanitatem,

qualis erit eius benignitas, dum miſericordia ſua repletur.

20. Franc. Luc. Græcus. Syriacus.

*Contriſtatus*, ſeu, vt legit Franciſcus Luas ex Græco, *Condolens*, ſeu commiſerans *ſuper cæcitate*, ſeu, vt habet Syriacus, *ſuper duritie.* In Chriſto erat ira mixta miſeratione: habuit iram ob circunſtantium prauitatem, ac malignitatem; habuit autem miſerationem ob homines, quos intimè diligebat, cum videret eos tot vitiis, ac peccatis detentos.

21. Verſ. 13. Syriacus.

*Tunc ait homini*, nempe tam efficaci exemplo redargutis Phariſæis, *Extende manum tuam.* Ad vocem Chriſti extendit ille manum, quæ reſtituta eſt ſana, ſicut altera, ſeu, vt habet Syriacus, *ſicut ſocia.* Et notandum eſt, quod non curat hic hominem aliquo opere externo exhibito, verbi gratia impoſito luto, vel extenſa manu, ſed ſolo verbo: nam Phariſæi hic valdè malignè quæſierant, an licet, Sabbato curare, vt eum accuſarent, vt notat D. Lucas. Voluit ergo Dominus hoc loco eorum malitiam confundere, omnémque eis arguendi anſam amputare, dum ſolo verbo ſanat; nam loqui Sabbato, prohibitum non erat, alioqui nec ipſi eum Sabbato interrogare potuiſſent. Quod notauit D. Athanaſius homil. de ſemente ad finem. *Dixit illi Ieſus: Extende manum tuam: nam ego te non tango, ne habeant Iudæi, quod calumnientur, ne tangere, illis idem ſit, quod operari; verbo tantummodo ago: non enim prohibitum eſt a Deo, ne quis in Sabbato loquatur.*

*Inimicorum calūnia omnino amputanda.* — D. Athanaſ.

22. Verſ. 14.

Phariſæi *repleti ſunt inſipientia.* Hoc viſo tanto miraculo non ſuum errorem deponunt, ſed replentur inſipientia, vt exprimit Lucas. Ex Græco legitur *amentia*, qua ob inuidiam cæciores ſunt effecti. *Exeuntes*, nempe è ſynagoga, relicta turba, apud quam confuſi mutire non audebant; ſtatim cum Herodianis, ait D. Marcus, Herodiani vocabantur illi, qui Herodis partes agebant in iudicando populo, caſtigandíſque publicæ pacis perturbatoribus. Cum his vniuntur Phariſæi, quaſi Chriſtus res nouas moliretur, quibus publicam pacem perturbaret; quo circa *Conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo perderent.* Vnde, ait Druthmarius Grammaticus, meliores debuerunt fieri, inde deteriores effecti ſunt: tanta erat eorum ingratitudo, ac inuidia. Et ita ait Chryſoſtomus homil. 41. *Nulla iniuria vexati de interitu meditabantur, adeò pernicioſum malum inuidia eſt*, quod aliena bona propria incommoda reputat.

*Quinā eſſent Herodiani.* — Druthmar. — Chryſoſt.

# QVÆSTIO IV.

## *Quid ſignificet iſtius hominis manus extenſio?*

23. D. Thom.

HIc homo habebat dexteram manum aridam, vt exprimit D. Lucas; ſiniſtram verò ſanam. Quod moraliter explanat D. Thomas. Quia primò ſunt homines potentes ad malum, ſed poſt ſanantur per gratiam; & tunc ſunt proni ad benè agendum. Roman. 6. num. 19. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem. Ita nunc exhibete ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Vel aliter dici poteſt, quod manus dextera eſt arida, quia ſæpè homo impeditur ad bonum, cum maneat expeditus ad malum, quod per ſiniſtram ſignificatur.

Rom. 6. — *Homo ſæpè impeditus ad bonum, & expeditus ad malum.*

In præſenti quæſtione inquirimus: Quid hæc manus extenſio ſignificet? nam ad litteram, facta eſt in apertum, & euidens ſignum ſanitatis hominis. Moralem rationem inquiro. Et primò hîc D. Hieronymus ſic ait: *Vſque ad aduentum Saluatoris arida manus in ſynagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras, reddita eſt in Apoſtolis dextera, & operi primo reſtituta.* 24.

D. Hieron. *Vſque ad aduētum Chriſti arida erat Synagoga.*

Secundò Druthmarius Chriſtianus Grammaticus, in Matth. cap. 23. Beda, & alij. Quod homo iſte genus humanum deſignat, ſterilitate boni operis arefactum per manum ad pomum vetitum extenſam in Adamo; quam Chriſtus obediens Patri, extendens manus ſuas in cruce, ſanauit, ac ſuis donis viuificauit. Et ita manus extenſio in Adamo attulit mortem; manus extenſio in Chriſto dedit vitam. 25.

Druthmar. Beda. *Manus hominis arida, in Chriſto ſanatur.*

Tertiò Rabbanus ſic inquit. *Benè manus in ſynagoga erat arida, quia vbi maius donum ſcientiæ, ibi grauius eſt inexcuſabilis noxæ periculum: ſananda autem manus arida iubetur extendi.* In Synagoga, vbi maior eſt ſcientia, habet homo manum aridam, qui eam ad Deum per deprecationem; ad proximum per miſerationem; ad ſe ipſum per ſanctam exercitationem non extendit. Quartò aliter dic. Quod in Synagoga Iudæorum, vbi falſa doctrina, manus hominis arida erat; at vbi vera Chriſti doctrina eluxit, hanc audiens homo ſtatim ſanitati reſtituitur. Quintò, otio, ac accedia torpeſcit hominis manus; boni tamen operis exercitio Chriſto iubente, ac mandante, extenditur, atque ſanatur. 26.

Rabban. *Si manus non extēditur ad bona opera, arida eſt.* — *In cœtu falſæ doctrinæ manus eſt arida.*

Sextò, Rabbanus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas, Hugo inquiunt. Quod homo iſte per auaritiam habebat manum aridam, ac contractam, ad dandum: nam iſte, vt ait Albertus Magnus, erat cæmentarius, ac proinde ardore calcis, id eſt cupiditatis rerum, exſiccata eſt manus: quæ non poteſt melius curari, quam extendendo eam in ſubleuationem pauperum. 27.

Rabban. Beda. Albert. Mag. D. Thom. Hugo.

Accipe D. Anſelmum hîc ſic loquentem. *Sananda, ait, manus arida iubetur extendi, quia infructuoſæ animæ debilitas nullo melius ordine, quàm eleemoſynæ largitate curatur. Vnde Ioannes Baptiſta turbis ſciſcitantibus, quid facerent, vt non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc ſolum præcipit: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Luc. 3. num. 11. *Et in Eccleſiaſt. dicitur: Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Eccleſiaſt. 4. num. 36. *Fruſtrà enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non hās ad inopem rogantem, beneficium laturus, extendit.* Vnde eleganter dixit D. Auguſtin. de diuite epulone. *Qui micas panis non dedit, guttas aquæ non impetrauit.* 28.

D. Anſelm. *Manus arida auaritia, liberalitate in pauperes extenditur.* Luc. 3. Eccleſ. 4. *Vt Dei beneficia accipias, ad pauperes manus extendo.* D. Auguſt.

*Cùmque leuaret manus Moyſes, vincebat Iſraël; ſi autem paululùm remiſiſſet, vincebat Amalech.* Exod. 17. num. 11. Quæſtionem omnibus excitat: Cur extenſio manuum Moyſis dabat victoriam Iſraëli, contractio verò perditionem? Si enim in populi adiuuamen manus extendas, Amalech, omnéſque penitus inimicos ſuperas, & deſtruis; ſi autem manus ſint remiſſæ, contra te hoſtes valido inſurgunt impetu, vt perdant, atque perimant. D. Auguſtinus homil. 17. ex Quinquaginta. *Quando vni ex minimis Chriſti eleemoſynam das, extendis manum, & vincitur Amalech.* 29.

Exod. 17. *Eleemoſyna dat victoriā contra hoſtes.* — D. Auguſt.



| | |
|---|---|
| *Matth.* 12. *n.* 15. | Ieſus autem ſciens receſſit, inde: & ſecuti ſunt eum multi, & curauit eos omnes. |
| *Num.* 16. | Et præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Chryſoſtom. homil.* 41. | Ieſus autem, cùm cogitationes eorum cognoſceret, receſſit inde. |
| *Theophylactus.* | At Ieſus, vbi nouiſſet, ſeceſſit illinc. |
| *Syriacus, n.* 16. | Et inhibuit eis, ne ipſum reuelarent. |
| *Vatablus, Euthymius.* | Et interminatus eſt illis, ne ſe facerent manifeſtum. |
| *Theophylactus.* | Increpuit eos, ne ſe manifeſtum facerent. |

### ALTER TEXTVS.

| | |
|---|---|
| *Marc.* 3. *n.* 7. | Ieſus autem cum Diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare: & multa turba à Galilæa, & Iudæa ſecuta eſt eum. |
| *Num.* 8. | Et ab Ieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna, audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. |
| *Num.* 9. | Et dixit Diſcipulis ſuis, vt nauicula ſibi deſeruiret propter turbam, ne comprimerent eum. |
| *Num.* 10. | Multos enim ſanabat, itaut irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas. |
| *Num.* 11. | Et ſpiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes. |
| *Num.* 12. | Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarentt illum. |

### *EXPOSITIO IV.*

30. Verſ. 15. Chryſoſt.

IESVS *autem ſciens*, ſcientia diuina, occulta eorum conſilia. Et ita legit Chryſoſtomus *cogitationes*, *receſſit inde*, nempe è Synagoga Iudæorum, ad mare ſcilicet, vt exprimit D. Marcus. Vnde hæc geſta coniecturantur in Galilæa; vbi mare Tiberiadis defluebat. Receſſit autem, iram Iudæorum declinans. *Et ſecuti ſunt eum multi*, nempe multitudo magna, quæ tunc verſabatur in Galilæa, vt declarauit D. Marcus, nempe ex Iudæa, ex Ieruſalem, ex Idumæa regione trans Iordanem, & ex locis Tyro adiacentibus. Sequebantur autem eum, tum vt ſanarentur à ſuis infirmitatibus; tum propter admirabilem, & ſuauem eius doctrinam; tum *Chriſti dilectione*, vt ait D. Remigius, *vnde mox ſui deſiderij conſequuntur effectum.* Et ideo ſubditur, *curauit eos.* D. Marcus ſcribit, quod mandauit Diſcipulis ſuis, *vt nauicula ſibi deſeruiret*, ſeu vt vertit Budæus, *vt præſto eſſet ad manum*, ne à turba comprimeretur. Et ait D. Marcus, quod *curauit multos, quotquot habebant plagas.* Ex Græco id eſt flagella; morbi enim ſunt flagella, quibus Deus caſtigat. 1. Corinth. 11. num. 30.

*Sylueira in Euang. Tom. III.*

D Remig. *Sequi Chriſtum, dat noſtri deſiderij effectum.* Budæus. *Morbi flagella Dei.* Græcus. 1. Cor. 11.

31. Verſ. 16.

*Et præcepit eis*, ſeu increpauit, ſeu interminatus eſt rigidis, ac acrioribus verbis mandauit. Matthæus ait, quod præcepit hominibus à ſe curatis: D. Marcus autem declarat, hoc fuiſſe dæmonibus imperatum; & ideo vtriſque mandatum eſſe impoſitum, exiſtimamus: *ne manifeſtum eum facerent*: ſcilicet ne miracula à ſe perpetrata diuulgarent: tum, vt ait D. Remigius, ne Scribæ ad maiorem iram, ac inuidiam concitarentur, & deteriores fierent; tum, vt aiunt Euthymius, Rabbanus, vt manifeſtaretur, quod ipſe erat alienus ab inani gloria hominum captanda. Et quia, vt ait Abulenſis quæſt. 65. non aliquid agebat propter gloriam hominum, ſed propter Deum.

*Mandatum & hominibus, & dæmonibus impoſitum.* D. Remig. Euthym. Rabban. Abulenſ.

# QVÆSTIO V.

## *Quare Dominus receſſit ab illo loco?*

PRIMO ait D. Hieronymus, Vt cederet inſidiis, & odio Phariſæorum. Secundò D. Remigius. Quia non erat tempus, & locus patiendi, non enim conueniebat, prophetam perire extra Ieruſalem. Tertiò D. Hilarius Canon. 12. *Sciénſque eorum conſilia ſeceſſit, vt à concilijs malignantium procul abeſſet.* Inſtruens nos, quantum iniquorum concilia ſunt declinanda. Quartò D. Thomas, vt ſe hominem monſtraret. Et reliquit eos, vt non incitaret eos. Illud enim eſt boni prædicatoris, quod videns homines motos, & incitatos, dimittat eos. Eccleſiaſt. 8. numer. 13. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* 32.

D. Hieron. D. Remig. D. Hilar. *Impiorum Concilium fugiendum.* D. Thom. Eccleſ. 8.

Quintò. Receſſit Dominus, non metu, aut impotentia, ſed ſicut Apoſtolos ſuos fugere docuerat Matth. 10. num. 23. ita ipſe fugit: Et ſimul proprio facto, vt ait Caietanus, docuit, inculpabilem eſſe quandoque fugam: nec dedecere virum ſummæ perfectionis. 33.

Matth. 10. Caiet. *Aliquando fugere decorum eſt.*

Intuere Dauidis Pſalmos, & inuenies, quod nec primus, nec ſecundus habet titulum, ſed in tertio primò inſcribitur. *Pſalmus Dauid, cum fugeret a facie Abſalon filij ſui.* Sed cur eiuſmodi titulus primus eſt inter Pſalmos? Cur fugam ſuam non abſcondit, ſed ita eam primò ponit Dauid? Præuiderat ipſe, ne fortè quis contra ſuam glo- 34.

Pſalm. 3. *Fugere ex iuſta cauſa non dedecorat.*

 riam

riam hanc fugam obiiceret ; & ideo tantùm abeſt, vt eam abſcondat , quod ſtatim in limine ipſam manifeſtat , cum fuga ex iuſta cauſa non dedecoret , ſed nobilitet. D.Chryſoſtomus in Pſalm.3. *Domine , quid multiplicati ſunt.* Sic ait. *Cùm fugeret à facie Abſalon. Et quando laude dignus eſt habitus , qui fugit , & quando dignus eſt habitus exul.* Vide tom.1. lib.3. cap.3.q.2.n.10.

D. Chryſoſt.

*Matth.12.n.17.* Vt adimpleretur , quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem.

*Num.18.* Ecce puer meus , quem elegi ; dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ : ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.18.* Ecce ſeruus meus , in quo mihi complacui , dilectus meus, in quo requieſcit anima mea.

*Vatablus.* Ecce ſeruus meus , quo nitar : dilectus meus; quo vnicè placatur anima mea.

*Idem in ſchol.* Ecce ſeruus meus , quem ex animo diligo.

*Chald. Iſai.42.* Ecce puer meus Meſſias, admouebo eum : : & iudicium meum gentibus reuelabit.

*Pagninus.* Iudicium gentibus exire faciet in lucem.

*Hebraicè.* Iudicium proferet.

*EXPOSITIO V.*

35. DIVVS Matthæus cum ſcriberet Iudæis , frequenter prophetias adducit ex veteri teſtamento. Et ideo ait Abulenſis quæſt. 46. quod hæc prophetia adducitur hîc ab Euangeliſta ad oſtendendam Chriſti excellentiam , cuius tanta eſt dignitas , vt omnes prophetæ ipſum prædixerint , & omnia , quæ ipſe faciebat , per Spiritum ſanctum fierent. Aliqui recentiores exiſtimant , ideo teſtimonium adduci , vt ratio reddatur , cur omnes curauerit. Germanum ſenſum tradit Chryſoſtomus homil. 41. Quod hac prophetia probat Euangeliſta , Chriſtum eſſe verum Meſſiam vaticinatum ab Iſaia ; nam ita mitis , ac manſuetus erat Dominus , vt iniurias ſibi allatas ex odio , ac conſilio Phariſæorum non vlciſceretur, *arundinem quaſſatam non confringet :* ſed mira benignitate fulgebat in omnes , ægrotos ſanando , oppreſſos adiuuando, cunctóſque ſua admirabili doctrina illuminando.

Abulenſ. *De Chriſto vaticinarũt prophetæ omnes.* D. Chryſoſt. *Chriſtus valdè mitis.*

36. *Ecce puer meus. Ecce,* vox eſt Prophetæ Iſai.42. n.1. omnes excitantis. *Puer meus.* Græcè , *ſeruus meus* , ſermo eſt de Chriſto ſecundùm humanam naturam. Chaldaicè habetur *Meſſias.* Chriſtus, non qualiſcumque Dei ſeruus , ſed valdè per excellentiam,cui commiſſum , ac iniunctum eſt negotium redemptionis generis humani. Albertus Magnus ait, quod *Puer* notat ſubiectionem, *meus*, conſenſum eius, cui ſubiicitur, *quem elegi.* In textu Iſaiæ eſt : *Suſcipiam eum :* Septuaginta , *aſſumam eum*, Chaldæus , *admouebo eum* ; quæ omnia conueniunt cum eo quod Euangeliſta poſuit , *elegi*; nam temporum præteriti , & futuri non eſt ratio apud Prophetas, vt notat Franciſcus Lucas. Et aduertendum eſt ex Gaſparo Sanchez ad text. Iſai. ex radice Hebræa, *ſuſcipiam eum, elegi eum*, quod non ſignificat ſuſcipere communi , & vulgari modo; ſed illo ſingulari , quomodo pater filium ſuſcipit, quem vulnis ſuis ſuſtentat.

Iſai.42. Græcus. Chald. Albert. Mag. Iſaias. Septuag. Chald. Franc. Luc. Sanch.

*Dilectus meus :* nam quamuis Deus omnes diligat ; tamen Chriſtus Dominus per antonomaſiam dicitur Dei dilectus, vt Matth.3.n.17.& c.17. n.5. Quia, vt ait D. Thomas, Chriſtus dilectus eſt ſpeciali dilectione , vt filius Dei naturalis. *In quo benè complacuit.* In quo , & non in alio , Græcus habet , *acquieuit animus meus.* Senſus eſt. Qui ita mihi ſingulariter placet , vt in eo nihil mihi diſpliceat , & ideo peculiari eum proſequor amoris affectu , in eóque acquieſco , itaut mihi gratiſſimus ſit. *Anima mea :* Metaphoricè Deus ſibi animam tribuit, qua intimè ſuum erga Chriſtum declarat amoris affectum. 37.

Matth. 3. & 17. D. Thom. *Verſus ſenſus.*

*Ponam ſpiritum meum ſuper eum*, id eſt dabo illi omnia dona Spiritus mei. In Chriſto Domino fuerunt omnia dona Spiritus ſancti Iſai.11.num.2. *Requieuit ſuper eum ſpiritus Domini , ſpiritus ſapientiæ, & intellectus* , &c. Quod etiam viſibiliter adimpletum eſt , deſcendente Spiritu ſancto ſuper eum. Ioan.1.num.16. Matth.3.n.17. *Et iudicium,* Chaldæus addidit, *meum*, Gentibus nunciabit , ſeu reuelabit , id eſt quod iuſtum, rectum, ac ſanctum Chriſtus , vt legiſlator legis Euangelicæ, manifeſtabit , ac diuulgabit, non ſolùm Iudæis, ſed etiam cunctis gentibus per ſuos Apoſtolos , vt adimpletum vidimus. 38.

Iſai.11. Ioan. 1. Matth. 3. Chald.

*Matth.12.n.19.* Non contendet , neque clamabit , neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Non litigabit, neque clamabat.

*Tertull. lib. de Patient. c.3.* Non contendit , non reclamauit.

*EXPOSITIO VI.*

NON *contendet* , ſeu *non litigabit.* Chriſti ſignum appoſitum à Propheta , alienum eſſe à contentionibus; ac litibus , non contendet, non clamabit eadem penè ſunt ; tamen contendere propriè fit immoderatis verbis ; clamare verò hoc loco , idem eſt , ac ira, & indignatione vociferare. Vnde ait Euthymius. *Chriſtus ita mitis , ac manſuetus erat , vt non contenderet aduersùs contradictores , neque clamaret , dum ei fieret iniuria.* Iſaias citato cap. 42. n.2. *Non clamabit, nec accipiet perſonam* : tamen pro *accipiet perſonam*, in radice hebraica habetur *non leuabit*, quod explicat Rabbi Salomon , & placet Hieronymo, non leuabit vocem ſuam , ita vt dicat Propheta, non clamauit, nec leuabit vocem. Tamen D. Matthæus multò ſignificatius, & maximè exprimendo vim textus hebraici , pro *Non clamabit* poſuit *non contendet* ; nam contentio magnis vocibus fit, & pro *nec leuabit vocem non clamabit* ; nam leuare vocem , clamare eſt. Et ita prædicit Propheta de Chriſto , quod non erit contentioſus , aut clamoſus. 39.

*Chriſti ſignum , eſſe à litibus alienum.* Euthym. Iſai.42. Rabbi Salomon. D. Hieron.



40. Propheta autem , iuxta noſtram tranſlationem explicat id , quod ſuprà dixerat , quod ſcilicet Chriſtus annunciabit verum iudicium. Quia vt verus iudex , non erit verbis contentioſus , nec accipiet perſonam. *Neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Per hoc denotatur eximia Chriſti lenitas , ac manſuetudo. Euthymius , & Theophylactus hoc referunt ad Chriſti humilitatem , qua erat alienus à vana gloria; nam qui illam quærunt, maximè intendunt , vt eorum vox foris, ac in plateis audiatur , vt ita ab omnibus percipiatur.

*Chriſtus verus, & perfectus iudex.* Euthymius. Theophyl. *Qui vanam gloriam quærunt, foris ſonant.*

## QVÆSTIO VI.

*Ob eximiam Chriſti lenitatem , qua neque contendet , neque clamabit Euangeliſta hæc verba adducit. Et quomodo hoc ſtat cum aliis locis, in quibus clamaſſe dicitur?*

41. OB hæc præſentia verba : *Non contendet, non clamabit :* Euangeliſta hoc vaticinium adducit , vt notat Euthymius. Quia cùm Phariſæi conſilium inirent, quomodo Ieſum perderent ; ipſe adeò erat benignus, ac lenis, vt receſſerit, iræ dans locum , ac ſimul infirmos , & languidos curando. Et ita Euangeliſta præmiſit, vt adimpleretur, quod dictum eſt, &c. Vnde hanc Chriſti lenitatem recogitans Dauid ait : *Ipſe reget nos in ſæcula.* Pſal 47. n.15. Hebræi , vt teſtantur Lyranus , Lorinus, legunt : *Ipſe reget nos ſuauiter.*

Euthymius. *Chriſtus mãſuetudine regit.* Lyranus. Lorinus.

42. Hanc præclaram Chriſti manſuetudinem contemplatur Tertullianus lib. de Patientia.cap.3. Et ſic ait : *Non contendit , non reclamauit , ne quiſquam in plateis vocem eius audiuit , arundinem quaſſatam non fregit , linum fumigans non reſtinxit. Neque enim mentitus fuerat Propheta , immò nec ipſius Dei conteſtatio , ſpiritum ſuum in Filio cum tota patientia collocantis.* Perpondera vltima verba: *Spiritum ſuum in Filio cum tota patientia collocantis* Ex ſpiritu Dei tota patiẽtia erat in Chriſto, habebat ipſe ſupremam poteſtatem, vt impios perderet , ac conſumeret ; tamen in tot , ac tantis occaſionibus iræ zelum cohibuit, & cùm poteſtate tam ampla tantam exhibere lenitatem , à nullo alio poterat prouenire , niſi à Dei ſpiritu cum tota patiẽtia collocato.

Tertull. *Præclara patientia, iram cohibere, cùm pœnam infligere poſſes.*

43. Hinc eſt maximè extollenda diuina clementia. Nam primum hominem , mandatum ſibi impoſitum , tranſgredientem , poterat Deus punire iuxta promulgatam ei legem : *In quacumque die comederitis ex eo , morte moriemini* : Gen. 2. n. 17. miſericorditer tamen patienter ſuſtinuit. Vnde maximè prædicanda eſt diuina patientia. D. Chryſoſtomus homil.17. in Gen. *Vide* , ait , *excellentem miſericordiam , & patientiam Domini : nam, cùm poterat , ne reſponſo quidem dignari eum , qui peccauerat ; ſed ſtatim pœnam infligere : longanimis tamen eſt , & ſuffert , & interrogat ; & reſponſum accipit , vt arrepta occaſione ſuam erga illum miſericordiam declaret.*

Geneſ. 2. *Summa miſericordia, ſuſtinere, quos punire poſſis.* D. Chryſoſt.

44. Pro complemento huius rei quæres : Quomodo dicatur de Chriſto : *Neque clamabit* : cùm aliquando ipſum clamaſſe dicatur ? Matth. 27. n. 46. *Clamauit Ieſus voce magna* : Et Ioan.7. n.28. *Clamabat ergo Ieſus in templo dicens.* Ad Hebræos 5. n.7. *Preces cum clamore valido, & lachrymis offerens , exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Reſpondetur, quod clamor locis proximè allegatis non proueniebat ex animo contentioſo , ira , vel indignatione , de quo loquitur Propheta ; ſed ex pietate, ac commiſeratione in homines.

*Dubium incidens.* Matth.27. Ioan.7. Ad Hebræ.5.

*Matt.12.n.20.* Arundinem quaſſatam nõ confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium.

*Num.21.* Et in nomine eius gentes ſperabunt.

*VERSIONES.*

*Pagn. in Iſai 42.* Calamum ferè quaſſatum non conteret , & linum ferè extinctum non extinguet : ad veritatem educet iudicium.

*Euth. Theophyl.* Arundinem comminutam non confringet.

*Syriacus.* Arundinem quaſſatam nõ conteret , lucernam prope extinguendam non extinguet , vſque proferat iudicium ad victoriam.

*Aliqui apud D. Hieronymũ , & Paſchaſiũ.* Et linum obſcurum, atque tenebroſum non extinguet.

*Tertull. aduerſus Iudæos cap. 9.* Et linum ardens non extinguet.

*Aliqui ex Græco.* Et lucernam crepitantem non extinguet.

*Hebraicè.* Educet iudicium ad veritatem.

*D. Iren. lib. 3. aduerſus hæreſ. cap. 11.* Vſquequò emittet in contentionem iudicium.

*Procop. in Iſai.* Donec iudicium ſuper terram ponat.

*Græcus verſ.21.* Et inſulę in Lege eius ſperabunt.

## EXPOSITIO VII.

45.
Verſ.20.
*Duplex prouerbiũ Iſaiæ.*

CHRISTI Domini manſuetudinem, ac lenitatem duplici vulgari prouerbio, idem ſignificante, ex prophetia Iſaiæ declarat Euangeliſta. Primum prouerbium: *Arundinem quaſſatam non confringet:* hoc eſt calamum, ſeu arundinem contritam, ſeu comminutam iam aliqua ex parte, non verò totaliter ſciſam, non peſſundet, ac prorſus franget. Secundum prouerbium: *Et linum fumigans non extinguet*; Linum, in quo aliqua eſt ignis ſcintilla, cum fumigans ſit, cuius grauis eſt, & noxius odor, non extinguet.

Syriacus.

Syriacus, & aliqui ponunt: *lucernam prope extinguendam:* & idem redditur ſenſus, ac maximè noſtram expoſitionem exprimit *prope extinguendam.*

Alia lectio.

Alij vertunt *lignum obſcurum, & tenebroſum:* nam lucerna cum ad deficiendum accedit, obfuſcatum

*Germanus ſenſus.*

præbet lumen, ſicut & crepitationem reddit. Hoc gemino prouerbio ſignificatur, Chriſtum Dominum infirmos, ac debiles in fide, & charitate, non cum rigoribus, ac clamoribus oppreſſurum, ſed patientia, ac benignitate ſuſtinendo, eos in iuſtitia, ac bonitate corroboraturum. De quo q. ſequenti. Et ideò ſubditur.

46.
*Chiſtus multo labore ſibi Eccleſiam comparauit.*

*Donec eiiciat ad victoriam iudicium:* id eſt, donec proferat *iudicium*; hoc eſt iuſtitiam, rectitudinem, ac fidem Euangelicam *ad victoriam.* nam magno conatu, ac certamine Lex Euangelica vincit, ac dominatur in toto orbe. Verbum illud *eiiciat* denotat ingentem vim, ac laborem, nam Chriſtus magno ſudore, ac labore iudicium ad victoriam adduxit. In Hebræo habetur: *Donec educat iudicium ad veritatem:* id eſt, faciet, vt iuſtitia Euangelica ab omnibus vera eſſe agnoſcatur.

D.Irenæus.

Irenæus legit: *Emittet in contentionem iudicium:* nam Lex Euangelica emiſſa eſt in contentionem cum aliis legibus, quas libido, ac auaritia introduxere.

Iſai.42.
*Iuſtitia magna pugna conſtituitur in terra.*

Iſaias cap. 42.n.3. ſic habet: *In veritate educet iudicium.* Noſter tamen Euangeliſta Prophetæ ſenſum ſecutus magna emphaſi pro *veritate* poſuit *victoriam*, quia iuſtitia, ac ſanctitas abſque magna pugna, atque certamine non ſeruatur in terra.

Maldonatus.

Maldonatus vult, quod Euangelium Syriacum habeat verbum, quod innocentiam, & veritatem, & victoriam poteſt ſignificare.

47.

*Et in nomine eius*, ſcilicet Chriſti Ieſu, *nec enim eſt aliud nomen datum hominibus ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri.* Actor.4.n.12. Illud notare debes, quod frequenter in ſcriptura nomen Domini pro ipſomet Domino ponitur. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Iſai.30.n.27. *Gentes ſperabunt.* Potius ponuntur gentes, quam Iſraelitæ, tum quia conuerſione gentium, quippe quæ inexpectata, magis declaratur diuina bonitas: tum quia Euangelium erat præcipuè inter gentes fructificandum. Iſaias habet: *Et legem eius Inſulæ expectabunt*, Tamen Euangeliſta, vt obſeruat D.

Actor.4.
*Nomen Domini pro domino ponitur.*
Iſai.30.

D.Hieroym

Hieronymus Epiſtol. ad Algaſiam.q.2. ſecutus eſt proprietatem textus Hebraici: & idem ſemper eſt ſenſus: nam iuxta ſcripturæ phraſim omnes terræ à Syria ſeparatæ, ad quas per mare erat accedendum, Inſulæ vocantur: per Inſulas autem in Scriptura gentes deſignantur, vt notat Sanchez in

Sanchez.

Commentar.ad cap.42.Iſai. *In Inſulis maris nomen Domini.* Iſai 24. n. 15. Nam gentes, ſicut Inſulæ ſeparatæ erant ab Iſrael: idem ergo gentes, ac Inſulæ. Et quia Chriſtus ſperabatur, vt vniuerſalis legiſlator, eundem reddit ſenſum: *In nomine eius ſperabunt:* ac *Legem eius expectabunt*, ſcilicet ab ipſo Chriſto Ieſu promulgandam.

Iſai.24.

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quid ſignificetur per arundinem quaſſatam, & linum fumigans.*

48.
*Explicatur genuinus ſenſus.*

LEGITIMVM huius rei ſenſum in expoſitione appoſui: & clarius hic explico. Chriſtum Dominum à Synagoga recedentem ſequebatur hominum vulgus, quod ob inanitatem ſimul, & inſtabilitatem arundini aſſimilatur; ac etiam ob ſuam leuitatem, noxiumque fœtorem, & obſcuritatem malorum animi, & corporis lino ſeu ellychnio, meritò comparatur. Hunc ergo populum ſemifractum in fide tanquam arundinem quaſſatam; habentem idem fidei lumen valde obſcurum, & quaſi extinctum, tanquam linum fumigans, Chriſtus D. non contempſit, nec oppreſſit, neque extinxit, ſed potius beneficiis doctrinæ, ac miraculorum tamquam oleo infuſo fouet, conſolidat, accendit, ac mirè micare facit in fide, charitate, atque iuſtitia. Quod prædictum eſt ab Ezechiele cap.34.n.16. *Quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, conſolidabo.* Hunc ſenſum tradunt D. Hilarius, D. Hieronymus hoc loco, D. Paſchaſius lib.6.in Matth. D. Auguſtinus lib.20. de ciuitate. cap.30. ſic ait: *Perſecutores Chriſti perdita integritate, quaſſato calamo, & amiſſo lumine, lino fumanti comparatur, quibus pepercit, quia non venit iudicare.*

Ezechiel.34.
D.Hilarius.
D.Hieron.
D.Paſchaſ.
D.Auguſt.

49.
*Maldonatus non approbatur.*

Vnde primò. Non approbo ſententiam Maldonati hoc loco exiſtimantis, per hæc ſignificari, Chriſtum D. tam ſuaui, ac leui ambulaturum motu, vt ſi per calamum fractum incedat, ſeu per ſtuppam fumigantem, neque illum comminuat, neque hanc extinguat.

50.
D.Hierony.

Secundò. D. Hieronymus Epiſtol. ad Algaſiam.q.2. per calamum quaſſatum interpretatur inſtrumentum muſicum, ſeu fiſtulam, quæ ſi fracta ſit, valde vilis redditur, & abſonum, ac inconditum edit ſonum. Calamus fractus, qui fuit antea vocalis, appellandus eſt Iſrael, qui poſtquam impegit in lapidem angularem, & cecidit ſuper eum, fractus eſt: tamen Dominus multos in illo populo redintegrauit, ac ſanauit in fide: Per linum fumigans intelligit S. Doctor populum gentilem, qui extincto legis naturalis ardore, amariſſimi fumi erroribus inuoluebatur: quem Dominus non redegit in cinerem, ſed maxima fidei incendia in eo excitauit. Hanc expoſitionem de populo Iudaico, & gentili etiam tradunt Tertullianus lib. aduerſus Iudæos cap.9. Rabbanus. Quamquam hæc expoſitio inſeruiat ad ſenſus morales, tamen non eſt litteralis; ſed per arundinem, & linum idem populus Iudaicus interpretatur à Sanctis Patribus, ac Doctoribus: nec gentilis populus poteſt intelligi per linum, ſeu ſtuppam fumigantem, cum in eo nec paruum, nec exiguum eſſet fidei lumen.

*De populo Iudaico, & gentili interpretatio.*
Tertull.
Rabbanus.

51.
D.Gregor.

Tertiò. D. Gregorius lib.33.moral.cap.3. docet, calamum denotare regnum temporale Iudæorum, exteriùs vireſcens, interiùs verò vacuum: quaſſatum autem



autem dicitur, quia Chriſti tempore iam à Romanis obtinebatur. Linum fumigans, exiſtimat, ſignificare Iudæorum ſacerdotium, lineis enim veſtibus ſacerdotes vtebantur. Et quia in aduentu Domini charitatis ardorem perdidit, quaſi amiſſo iam fidei igne, illorum fides non ardens, ſed fumigans fuit.

*Aliquorum fides, non ardens, ſed fumigans eſt.*

52.
D.Baſilius.

D. Baſilius in Regulis breuioribus. Reſponſi. 291. per calamum quaſſatum, illum intelligit, qui non ea, qua oportet, animi ſinceritate, mandatum Domini exequitur, quia nimirùm calamus vacuus eſt, & medullam non habet, quem non conuenit conterere, neque abſcindere, ſed ſanare. In lino vero fumigante eos interpretatur, qui mandatum quidem Dei exequuntur, ſed non ardenti deſiderio, & pleno ſtudio, verùm ſegniter, ac lentè: In hac de lino fumigante ſimilitudine videtur Baſilius reſpicere ad locum Prouerb. 10. n. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt illum:* Quē ita aliqui exponunt: ſicut acetũ affert ſtuporē dentibus; & fumus abiit abſque ſpe reditus: ita, qui ſeruum deſidem mittit, habet dolorem, & nullam ſpem de reditu.

*Seruus piger valde moleſtus.*
Prouerb. 10.

53.
*Peccator de venia non deſperet.*

Ex his moraliter colliges, quod nullus peccator, quamuis ſit in via iniquitatis tanquam calamus quaſſatus, & tam penè extincto virtutum lumine, fœtido vitiorum fumo denigratus, de venia deſperet: eſt enim Dominus valdè patiens ad miſerendum. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 41. *Ex his Propheta virtutem Chriſti tantam eſſe confirmat, vt comprimere, ac extinguere faciè poſſit: quod cum non fecerit, immenſa humilitate, ac manſuetudine feciſſe, comprehenditur.*

54.
*Peccator, quantumuis iniquus, non contemnendus.*

Ex Chriſti exemplo diſcamus, ne eos, quos vidimus in bono fractos, tanquam arundinem futilem, ac quaſſatam contemnamus; Dominus enim expectat, vt benigno ſuo afflatu reſtitui, ac ſolidari valeat, quod eſt quaſſatum. Ad Chriſtum adducitur mulier in adulterio deprehenſa: *Ipſe autem inclinans ſe ſcribebat in terra.* Ioan. 8. n.8. Sed quid agis, Domine? Cur à te mulierem peccatricem non repellis? Vel cur eam iudicibus ſtatutis ad pœnam non tradis? Inclinat ſe, & ſcribit in terra. Mulierem tam turpi ſcelere irretitam non contemnit, ſed infirmitatem carnis deſumptæ ex eodem puluere reſpexit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen.3. n. 19. Vt ita & ipſe dimittendi occaſionem quæreret: & mulier ſua fragilitate obiecta, tantaque Domini clementia agnita, diſponeretur ad contritionem, & pœnitentiam, vt audire meruerit: *Vade in pace; iam noli amplius peccare:* quia non ſolùm in foro externo, ſed etiam interno dimiſſa illi erant peccata ſua, vt docent Euthymius, Ianſenius, Toletus, Beauxamis. Audi Chryſologum ſerm.115. *Auertit faciem ſuam Dominus*, ait, *& declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret: ſed maluit in puluere ſcribere veniam, quam dare in carne ſententiam.*

Ioan.8.
Geneſ.3.
Euthymius.
Ianſenius.
Toletus.
Beauxamis.
D.Chryſol.

# CAP. V.

## *Eliguntur duodecim Apoſtoli.*

*Luc.6.n.12.* Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Vt exiret in montem precandi gratia, illicque pernoctauit in oratione.

*Vatablus.* Exiit in montem ad orandum, & pernoctabat in deprecatione Dei.

*Pagninus.* Exiit in montem, vt oraret.

*Tertull. lib.4. cõtra Marcio. cap.13.* Aſcendit in montem, illicque pernoctat in oratione.

### ALTER TEXTVS.

*Marci 3.n.13* Aſcendens in montem: Vocauit ad ſe, &c.

### *EXPOSITIO I.*

1.
*Connexio textus.*
Ianſenius
Barradas.
Cornelius
Matth. 12.

POST ſupradictam hiſtoriam de manu arida ſanata ſequentes textus Marci, & Lucæ hanc connectunt: Ianſenius, Barradas, Franciſcus Lucas, Cornelius, & alij. Si quis verò opponat, quod D. Matthæus poſt illam hiſtoriam de manu arida narrat expulſionem Dæmonis; *Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens*; Matth.12.n.22. Reſpondemus, quod illa particula *Tunc* non indicat proximationem temporis. ſed quod hoc factum fuit illo tempore, quo Dominus prædicabat in Galilæa.

2.
Verſ.12.
*Homines cogitant de perditione, Deus verò de ſalute.*

*Factum eſt autem illis diebus*, in quibus Dominus docebat in Galilæa, & narrata ſuperiori cap. 4. geſta ſunt: Vnde cogita, quantum diſtat conſilium Dei à conſilio hominum: nam ipſi cogitabant, quomodo Ieſum perderent, vt patet ex ſuperiori capite, ipſe verò de eorum ſalute agit, & adhuc duodecim Apoſtolos eligit. Vt miſericors pater iniuria laceſſitus non de vindicta cogitat, ſed de remedio pertractat.

3.

*Exiit*, à ciuitate nempe, ac turba populi, appropinquante iam nocte; nam totum diem in cæleſti doctrina tradenda, ac miraculis edendis conſumpſerat, *In montem* ciuitati propinquum. Marcus ait: *Aſcendens in montem.* Et ſecundùm litteram idem eſt ſenſus. Moraliter autem. Qui exiit à populo ad orandum, maximè aſcendit. *Orare*, ad orandum ſcilicet, ſeu vt oraret; & ad hoc montis ſeceſſum captauit. *Et erat pernoctans in oratione Dei*: hoc eſt tota nocte perſeuerauit in oratione, nempe Deum Patrem orando, vt facto manè è Diſcipulis Apoſtolos deſignaret, ac eligeret, qui tanto muneri eſſent digni. Quod latiùs explicandum eſt in ſequentibus.

*Qui rectè orat, aſcẽdit.*

⁂

QVÆSTIO

## QVÆSTIO I.

### *Quare Dominus montem aſcendit?*

4. Marc. 6. Luc. 4. Ioan.

EGIMVS multoties, quod Dominus ibat in deſertum locum Marci 6. n. 31. Lucæ 4. n. 42. Et Dominus ad orandum frequentabat vallem Gethſemani Ioan. 18. n. 2. Modò verò ad orandum aſcendit in montem. Ratio autem litteralis ea mihi videtur, quia Dominus illum ad ſuam orationem locum accommodatum pro temporis ratione eligebat, nec ſemper vallis, nec ſemper mons erat, ſed prout ſua infinita dictabat prudentia, ita vt ab hominum frequentia, atque tumultu ſeparatus eſſet huiuſmodi locus.

*Chriſtus valles, & montes condecorat.*

5. D. Cyrillus. *Secretò orandum.*

Secundò, D. Cyrillus in Catena græca ponderans, quod Chriſtus Dominus ad orandum, ſecretum, ac remotum quærit locum, ſic ait: *Contemplemur igitur, tanquam in exemplari rerum à Chriſto geſtarum, qua ratione ad Deum nos noſtras facere deceat orationes. Clam videlicet, & ſecretò, ac nemine vidente.* Tertiò. Carthuſianus, Beda, Hugo. Suo exemplo docet nos Dominus, vt tempore orationis à turba nos ſeparemus, ne illius tumultus nos turbare, ac diſtrahere valeat. Et ita dixit Diſcipulis ſuis: *Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.* Matth. 26. n. 36. Vnde ait D. Bonauentura: Aſcendit ad orandum, vt oſtenderet, quod oratio debet eſſe eleuata, & orans eleuatus à terris. Quia, ſicut dicit Damaſcenus, *Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum*. Huius figura præceſſit in Moyſe Exod. 17. n. 10. vbi dicitur, quod *Moyſes, & Aaron, & Hur aſcenderunt in verticem collis, cùmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael.*

Carthuſian. Beda. Hugo. *Adorandum, ſeparandum à tumultu.* Matth. 26. D. Bonauent. Damaſcenus. Exod. 17.

6. Gloſſa.

Quartò, Gloſſa. *Mons, in quo Apoſtolos eligit, & docet, altitudinem ſignificat iuſtitiæ, quia inſtituendi erant, & prædicaturi, ne infirmi remaneant, ſed ad ſuperna erigantur. Sic & Lex in monte data fuit. Apoſtolos præeminentius adducit, vt à monte priùs montes ſuſcipiant pacem, populo annunciandam.* Diſcipuli inſtituendi erant Apoſtoli, doctores, ac principes ſeculi: eos adducit Dominus in montem, qui ſignificat iuſtitiam, vt qui gubernaturi, ac prædicaturi erant, in omni iuſtitia informarentur, vt ita Apoſtoli montes à ſupremo monte Chriſto pacem, virtutemque ſuſcipiant.

*Principes, ac Doctores inſtruantur in omni virtute.*

7. D. Ambroſ.

Quintò, D. Ambroſius lib. 5. in Luc. ſic ait: *Non omnis, qui orat, aſcendit montem, ſed qui bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curiæ ſublimis aſcendit. At ille non aſcendit in montem, qui de ſæculi diuitijs, aut de honore ſolicitus eſt: non aſcendit in montem, qui fundi ius optat alieni. Aſcendit ille, qui Deum quærit; aſcendit ille, qui curſus ſui dominica adiumenta depoſcit.* Qui enim dimiſſis temporalium curis ad Deum orat, aſcendere dicitur. Vt iam ponderaui in expoſitione ad verbum *Exire in montem*. Et ita aſſeritur de Eccleſia ad Deum orante: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum.* Cantic. 3. n. 6. Vnde ſacrificia Deo oblata nuncupantur eleuationes: *Tollant mihi primitias:* Exod. 25. n. 2. Hebraicè *Eleuationem*. Quod ponderans Caietanus inquit: *Quod offerebatur Deo, appellabatur eleuatio, tum ab actu eleuandi, quia offerebatur eleuatis manibus: tum à dignitate, quia ex re prophana eleuabatur in diuinam. Res enim Deo oblata in diuinum tranſlata eſt ordinem.* In oblatione men eſt ad Deum eleuanda.

*Qui rectè orat, aſcendit.*

Cantic. 3. *Res deo oblata dicitur eleuatio.* Exod. 25. Hebræus. Caietanus.

8. Pſalm. 2.

Sextò, Chriſtus D. de ſe ait Pſal. 2. n. 6. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum eius.* Chriſtus conſtitutus fuit à Patre ſuper montem rex, ac prædicator; in montem aſcendit, vt munera regis adimpleat, principes, ac Apoſtolos orbis terræ creet; vt hoc exemplo nos informet, quod vt vnuſquiſque rectè gubernet, ac ſe gerat, ſtet in loco à Deo deſignato, ab illóque minimè recedat. Vide tom. 2. cap. 10. q. 4. n. 27. 28. 29. 30. Vbi alia loca citata inuenies. Septimò. Aſcendit Dominus in montem, vt doceat omnes electores excelſam habere mentem, vt relicto, tanquam in valle, omni ſanguinis, amoris, vel odij affectu, ad aptiorem, digniorémque quærendum, rectis in Deum oculis liberum iudicium habeant. Vide tom. 2. cap. 3. n. 277. & 278.

*Vt quilibet rectè ſe gerat, ſtet in loco ſibi aſſignato.*

*Electores mentem ab omni affectu liberam habeant.*

9.

Octauo. Non in deſertum, nec in vallem tendit Dominus, ſed in montem vbi ad ſuperiora aſcenditur. Deſignabatur ibi locus, vt ſuos Apoſtolos, & Orbis terræ principes crearet, magniſque nobilitaret honoribus: & tunc videtur, quod Rex, ac Dominus aſcendit, & eleuatur, cum ſuam magnificentiam declarando eximiis fauoribus, præclariſque muneribus, ac dignitatibus ſuos condecorat, atque extollit.

*Tunc maximè aſcendit princeps, cum ſuos muneribus condecorat.*

10. Pſalm. 46. Caſſiodorus. Arnobius. Græcus.

*Dominus excelſus, terribilis: rex magnus ſuper omnem terram.* Pſal. 46. n. 2. *Dominus excelſus*, ſeu vt legit Pſalterium Vaticanum apud Caſſiodorum, & Arnobium, *Deus ſummus*; ſeu vt alii ex Græco, *Deus altiſſimus*, & terribilis dicitur contra hoſtes Eccleſiæ. Sed cur Regius Vates per omnem modum decantat, ac extollit Dei magnificentiam. Deus excelſus, ſummus, altiſſimus, magnus? An ob eius omnipotentiam, qua cuncta poteſt facere; vel ob eius prouidentiam, qua cuncta gubernat; vel ob eius ſapientiam, qua omnia penetrat? minimè; ſed rationem apponit Pſalmographus: *Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris, elegit nobis hereditatem ſuam* Vbi loquitur in perſona Apoſtolorum, vt docent. D. Auguſtinus, Ruffinus. D. Thomas, S. Bonauentura, Deo gratulantium ob poteſtatem, ac principatum orbis terrarum ipſis traditum. Et in tali euentu, omni magnitudinis titulo Deum celebrant, quaſi quod tunc ipſe in ſummo ſublimitatis faſtigio appareat, cum poteſtatis, ac dominationis excellentias inter ſuos diuidit, atque diſtribuit. Theodoretus. *Apoſtolorum chorus dicitur, triumphalem hymnum Deo omnium conditori afferre, qui reges nobis ſubiecit, & omnium gentium nobis principatum donauit.*

D. Auguſt. Ruffinus. D. Thomas. S. Bonauent.

*Tunc princeps omni extollitur celſitudine, cum bona ſuis diuidit.*

Theodor.

11.

Maximè celebratur in Scriptura aquilæ volatus, tanquam valde ſublimis. *Ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum.* Iob. 39. n. 27. *Quaſi aquila volabit.* Ierem. 4. n. 40. & iterum. *Quaſi aquilia aſcendet* 43. n. 22. & ſæpè alibi Tamen ſi Auctores hiſtoriarum naturalium conſulas, inuenies, quod extant aliæ aues, vt Ardea, quæ ſublimiùs aſcendunt, & volant. De hac dixit Virgilius 1. Georg. *Atque altam ſupra volat ardea nubem.* Cur ergo aquilæ volatus tot encomiis illuſtratur? De regali aquila ſcribit Barthol. Anglicus lib. 12. cap. 1. Quod inter omnes auium diuerſarum ſpecies aquila ſit maximè liberalis: nam prædam, quam arripit, auibus eam inſequentibus quaſi communem exponit; ideò aliæ aues aquilam ſemper inſequi ſolent ſperantes, quod de ipſius præda eis debeat aliqua portio dari Optimo ergo iure aquilæ volatus, vt aliarum volucrum ſublimior, prædicatur: maximè enim regalis animus extollitur, ac eleuatur, cùm bona ſua inter ſuos partitur, atque diſtribuit.

Iob. 39. Ierem. 48. Ierem. 49. Virgilius. Anglicus.



*Apex principis, bonorum diſtributio.*

12. Exod. 15. D. Chryſoſt.

*Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea.* Exod. 15. n. 9. Ambitioſiſſimus Pharao vehement diuitiarum æſtu anhelans, vt de eo ponderat D. Chryſoſtomus, ſpolia vult partiri, vt ſatietur anima ſua. Verùm iniquus ille inde hanc cogitationem habuit, cùm ob auiditatem omnia præoccupare intendebat? In hoc euentu affectabat ille aliqualem boni principis ſpeciem exhibere; vtque hoc ſimulatè ageret, teſtatur, quod tunc anima ſua omni diuitiarum adimplebitur magnitudine, atque pinguedine, cùm inter ſuos bona illa diſtribuerit, agnoſcens, optimi principis apicem eſſe, bona ſua, non ſibi ſoli retinere, ſed ſuis communicare, atque præbere. Ad quod reſpiciens Ægidius Archiepiſcopus Biturien. ſic ait: *Principis officium, ac munus eſt, ita regnum gubernare, ac præſidere, ſicut corpori præſidet anima, quæ tunc ſuum munus adimplet, cùm functiones ſuas corpori communicat, vt verbi gratia oculis viſum, manibus tactum, pedibus greſſum.*

*Saturatior princeps, & ſuum officiũ adimplet, cùm ſua diuidit.*

Ægidius.

## QVÆSTIO II.

### *Quare Chriſtus Dominus orauerit?*

13. Toletus.

CHRISTVS Dominus, non vt Deus, ſed vt homo orat, & vtitur oratione, ieiuniis, aliiſque ſimilibus actibus, vt ponderat Toletus in cap. 6. Luc. annot. 16. vt pluribus modis impetraret, quod ſibi iure vnitæ Diuinitatis debebatur, omnibuſque viis Patri placeat. Germana ratio huius orationis extitit: Vt Chriſtus per eam exoraret Patrem, vt die facto è ſuis diſcipulis duodecim eligeret in Apoſtolos, qui tanta præeminentia, atque gradu digni eſſent, vtque ita orando, feruentem eis ſpiritum, ac gratiam ad Apoſtolicum munus implendum impetraret.

*Chriſtus orat pro electione Apoſtolorum.*

14. Theophyl.

Secundò, Theophylactus. *Poſt orationem elegit Diſcipulos*, ait, *vt doceat, etiam nos, quando quempiam in ſpirituale miniſterium ſumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, vt doctis à Deo, & ab illo petentibus reuelet, quis idoneus ſit.* Optimè ſciebat Chriſtus Dominus, quinam in decreto Patris eſſent in Apoſtolos deſignati; & tamen pro eorum electione orat, vt ſuo exemplo nos doceat, pro eligendis miniſtris Deum precibus exorare, vt ſecluſo omni carnali affectu Dei ſpiritum in omnibus ſequamur. Vt fecerunt Moyſes in electione Ioſue Numer. 27. n. 15. & Apoſtoli pro aſſumendo Matthia in ſortem Iudæ Actor. 1. n. 24. Itaque Chriſtus, non ſua cauſa, deprecatur, ſed vt nobis legem præſcribat, qua in electione, ac omni magno negotio ab oratione exordiamur.

*In electione, non noſtrum, ſed Dei ſequamur Spiritum.* Num. 27. Actor. 1.

15. D. Cyprian.

Tertiò, D. Cyprianus de Oratione Dominica. *Non verbis tantùm, ſed & factis Dominus orare nos docuit: ipſe orans frequenter, & deprecans, quid facere nos oporteret, exempli ſui conteſtatione demonſtrat.* Docuit nos Dominus, vt oremus ad Patrem. Matth. 6. à n. 5. Hoc, quod verbis docuit, tanquam magiſter optimus factis adimplet. Vide tom. 2. cap. 11. n. 73. 74. & 75. & cap. 20. n. 67. Quartò, Theophylactus in cap. 3. Marc. ſic ait. *Aſcendit in montem ad orandum: Quoniam enim miracula fecerat, factis miraculis adorat, docens nos omnes gratias agere Deo, ſicubi boni quidpiam perfecerimus, id diuinæ virtuti offerre debere.* Similiter Victor Antiochenus in Marc. Vide tom. 2. cap. 3. n. 256. & 257. & cap. 5. n. 153. & cap. 6. n. 107.

Matth. 6. *Bonus magiſter, & verbo, & facto docet.* Theophyl. Vict. Antioc. *Bona opera noſtra Deo referenda.*

16. D. Ambroſ.

Quintò, D. Ambroſius lib. 5. in Luc. ſic ait: *Etſi omnia Pater poſuerit in poteſtate Filij; Filius tamen, vt hominis formam impleret, obſecrandum Patrem putat eſſe pro nobis, quia aduocatus eſt noſter: Si aduocatus eſt, debet vtique pro meis interuenire peccatis.* Et idem ferè habet ſerm. 20. in Pſal. 118. verſ. 3. Chriſtus formam ſerui, ac aduocati gerebat; illi ſe ſtatui vult accommodare, ac proportionari; ideoque, vt ſeruus, ac aduocatus Patrem deprecatur. Inter præclara mulieris fortis encomia prædicatur *Byſſus & purpura, indumentum eius.* Prouerb. 31. n. 22. Et tamen hoc vt grande nefas criminatur in Diuite Auaro. *Induebatur purpura, & byſſo.* Luc. 16. n. 19. Vis huius rei ſcire diſcrimen? Mulier fortis valdè illuſtris. *Nobilis vir eius, cùm ſederit cum Senatoribus.* At auarus, homo vulgaris, & plebeius, vt colligitur ex grauiſſimorum Patrum ſententia aſſerente, re hanc eſſe hiſtoriam. Reginam purpura exornari, valdè æquum, & dignum: at hominem plebeium illa indui, omni vituperio reprobandum. D. Bonauentura ad cap. 16. Luc. ad illa verba: *Induebatur purpura*, ſic ait ex Beda. *Valde abſurdum eſt, putridum cadauer pretioſa veſte ornari: excuſatur autem hoc ratione dignitatis perſonæ.* Vide tom. 2. cap 7. n. 14. & cap. 24. n. 57.

*Statui, ac conditioni propriæ accommodandum.* Prouerb. 31. Luc. 16. *Nobilis veſte purpurea exornetur.* D. Bonauent. Beda.

17.

Sextò, interuenerant hîc in Chriſto duo valde conſideranda, ſumma, & abſoluta poteſtas: *Cui Pater omnia dederat in manus*: qua nullo præmiſſo poterat Apoſtolos eligere. Aderat etiam temporis conuenientia, ac prudentiæ ratio, vt præuia oratione Apoſtolos deſignaret, vt ita omnibus modis nobis mereretur, ac eſſet in exemplum: Decreuit potius dictamine conuenientiæ, prudentiæ, ac rationis vti, quàm ſuæ abſolutæ poteſtatis dominatione. Et ideò accommodans ſe, non facultati, ac dominationi, ſed temporis conuenientiæ Patrem exorat.

*Operandum non pro potentiæ ratione, ſed pro rei conuenientia.*

18.

Duo Seraphim, quos vidit Iſaias 6. num. 2. ſtabant circa thronum Domini: *ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Si ſex alas adnatas habebant, vt ait Diuus Cyrillus, & volant, cur hoc, non omnibus ſex, ſed tantùm duabus præſtant? Rectè Rupertus lib. 1. de Trinit. & operibus eius cap. 28. *Volabant pro loco, & tempore.* Seraphim diuina illuſtrati ſcientia, non pro omnimoda ſua facultate, ſed pro ratione, ac conuenientia rei, non omnibus alis, ſed tantum duabus volatum præſtant.

D. Cyrillus. Rupertus. *Non pro potentia, ſed pro loco, & tempore agendum.*

19. Abulenſ. Actor. 1. Matth. 24.

Graue dubium excitat Abulenſis in cap. 24. Matth. quæſt. 180. Cur Dominus aſcendens in cælum ab vna nube aſportatur: *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*: Actor. 1. n. 9. Cùm tamen in vltima die Iudicij in multis nubibus ad iudicandum ſit venturus: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*: Matth. 24. n. 30. Æqualis poteſtas Domini aſcendentis in æthera, ac redeuntis ad diem Iudicij. Cur ergo illic nubes vna, hîc verò multiplex miniſterium exhibet? Quamuis eſſet æqualis poteſtas, inæqualis tamen erat conuenientiæ ratio. Aſcendebat Dominus videntibus paucis,

*Iuxta rerum conuenientiam declaranda maieſtas.*

paucis, & Diſcipulis, ac amicis, qui eius potentiam agnoſcebant; veniet autem coram omnibus hominibus, multis inimicis, & contrariis, qui eum contempſere: ſi ergo inſpectantibus amicis, maieſtatem profitentibus ſat erat, vt nubes vna daret obſequium, coram verò negantibus multiplex ſit famulatus, vt inde maiorem eius gloriam, ac eminentiam agnoſcant, & reuereantur. Abulenſis. *In aduentu Chriſti non ſolum deſcendet vna nubes, ſed multiplex, vt maior honor ſit deſcendentis, eo quod nunc omnibus hominibus manifeſtandus; tunc verò à ſolis Diſcipulis, & quibuſdam alijs credentibus viſus eſt.*

Abulenſis.

20. Numer. 20.

Cum Populus premeretur aquarum penuria, *Ait Deus Moyſi: Tolle virgam, & congrega Populum. Tu, & Aaron loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Numer. 20.n.8. Ipſe verò ſumpta virga tot ſignorum operatrice, prætermiſſa locutione ad petram, eam percuſſit. In quo grauiter deliquit, vt ait Caietanus. *Percuſſit duabus vicibus, ex peccato proceſſit, Deus enim mandauerat, vt alloquerentur petram, cum virga Moyſis. Ipſi autem non ſunt allocuti petram, ſed quantum ad virgam paruerunt.* Cum ergo omiſſa debita locutione præpotenti virga præter debitam rerum proportionem vtitur Moyſes grauiter delinquit, ac offendit. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 7. n. 39. & tom. 2. cap. 17. n. 1. & n. 53. & 54.

Caietanus.

*Non vtendum potentia præter occaſionem.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Chriſtus tam diuturna, ac longa oratione orauerit,*

21. D. Bonauent.

RESPONDET Primò D. Bonauentura. *Quia non ſufficit oratio quamuncumque deuota, niſi etiam ſit aſſidua; & ideò ſubditur: Erat pernoctans in oratione Dei.* Vnde Moyſes aſcendit in montem, *& fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Exod. 24 n. 18. Hinc dicitur de Sara deuota. *Perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ; & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, ſed in oratione perſiſtens.* Tob. 3. n. 10. Alias rationes morales ſubiicio.

Exod. 24.
*Perſeuerandum in oratione.*
Tob. 3.

22. *Magna multa conſideratione peragenda.*

Secundò, Ante electionem Apoſtolorum tam longam orationem præmittit Dominus: *Erat pernoctans*: Vt ſuo exemplo nos doceat, quod magna, & ſublimia ordinanda, & diſponenda ſunt conſideratione multa. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 1. n. 52. & tom. 2. cap. 8. n. 2 & cap. 5. n. 139. Tertiò, Vt hoc documento nos informaret, in quanta ei æſtimatione erat dignitas apoſtolica conferenda, ante cuius deſignationem tantum orationis pondus ſuſtinebat.

23. *Nouitas magna meditatione facienda.*

Quartò, in hac electione Chriſtus rem nouam nunquam antea viſam erat operaturus: nam Apoſtolica dignitas erat denuò creanda; homines pauperes, humiles, ac idiotæ, inſtituendi erant totius orbis terrarum principes, omnium gentium doctores, ac totius Eccleſiæ capita: & ideò tantum orationis molimen ad rem nouam perpetrandam exhibet. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 77. & tom. 2. cap. 11. n. 163.

24. *Eccleſia in multa æſtimatione eſt Chriſto.*

Quintò, Chriſtus Dominus, non quotidiano modo rogauit Patrem, ſed totam noctem orando tranſegit, declarans, quantum eſſet de Eccleſia ſua ſolicitus; nam poſtera die electurus erat paſtores, ac doctores Eccleſia. Vnde nota, quod ipſe in horto, dum precatur, vt calix paſſionis ab eo tranſeat per vnam horam, vel parum magis, vt colliges ex Maldonato, Franciſco Luca, orauit. Matth. 26. n. 40. Nunc verò pro ſua Eccleſia totam noctem precibus conſumpſit. Vt cunctis fiat notum, in quanto illi pretio, ac æſtimatione ſit. Sextò, Vt ipſe, qui eſt ſapientia Patris, ſuo exemplo nos inſtruat, quantum debemus orare, ac præmeditari ante electionem; ſiquidem ob noſtram fragilitatem, prudentia, ac conſilio deſtituimur, & affectuum violentia rapimur.

Maldonatus.
Franciſ. Luc.
Matth. 26.

*Electio multa conſideratione facienda.*

25. 1. Reg. 10.

Dum Samuel procedit ad eligendum Saulem in regem. *Applicuit omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors tribus Beniamin: & applicuit tribum Beniamin, & cecidit cognatio Metri: & peruenit vſque ad Saul filium Cis.* 1. Reg. 10. n. 21. Si hæc electio fiebat Dei nutu, cur non ſtatim prima ſorte deprehenditur Saul, ſed quarto loco exiit; nam primo egreſſa eſt tribus Beniamin; ſecundo cognatio Metri; tertio familia Cis; quarto Saul? D. Gregorius magnus ibi. *Quid in hoc facto ſignificatur, niſi quia Sanctæ Eccleſiæ principes multa conſideratione eligendi ſunt.* Decreuit Diuina prouidentia, vt Saul per tot ſortes; aſſumeretur in regem, non quod eſſent neceſſariæ; ſed ordinat, illas fieri, vt aliqualiter dicam, veluti actiones reflexas, ac conſiderationis actus ob magnum noſtrum documentum: nam ſi Deus, cui nulla ſuccedit noua ſententia, ſed omnia ſunt in promptu, noſtro dicendi modo illa præmittebat iudicia ad creandum regem; nos, qui maximè decipimur, inde diſceremus multo iudicij pondere, ac examine in electione perpetranda agere.

D. Gregor.

*Deus nos excitat ad conſiderandum in electione.*

26. Genes. 1. Oleaſter.

*Dixit Deus: fiat lux; & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* Gen. 1. n. 3. Vbi pulchrè Oleaſter in expoſitione, ad mores ait: *Conſidera diligenter locum hunc, qualiter non ſat fuerit Deo, lucem pulcherrimam creare, niſi & eam, poſtquam condita, examinaret. Nunquid opus tuum, Domine, malum eſſe poteſt; aut in eo defectus aliquis contingere, vt examine opus ſit? Et ſi alia opera tua examine indigerent, non tamen lux, quam puriſſimam, & ſpecioſiſſimam facere dignatus es. Quid, quæſo, me docere vis in hoc examine?* Pro quæſtionis ſolutione aduerte ex Beda. Magiſtro, D. Thoma. Hugone, Bonauentura, Lyrano, Abulenſi, Pereyra, Cornelio à Lapide, ita dicente, lucem illam fuiſſe corpus lucidum, quod in circuli, ac columnæ ſpeciem conformatum orbi præfulſerit, quod fuerit inſtar materiæ, ex qua poſtmodum fabricatis igneis globoſis, Sol, Luna, & ſtellæ factæ fuerunt. Vnde illa lux dicitur à D. Thoma Sol informis. Cum ergo ex illa luminoſa materia creanda eſſent ſyderea, Sol, Luna, & Planetæ in gubernationem, ac præſidentiam diei, & noctis: antequam in tantum rerum apicem efformentur, prius ipſa materia vocatur in rigoroſum conſiderationis examen ob noſtrum documentum, vt antequam aliquem ad ſummum gradum ſubleuemus, omnia illius exactè rimemur, ac magna conſideratione diſcutiamus. Pro quo etiam pondera, quod Sol, & Luna, non primo die, nec ſecundo, ſed tertio poſt illud corpus luminoſum creati ſunt: tantum tempus noſtræ eruditioni, ac exemplo præbet Dominus.

Beda.
Magiſter.
D. Thom.
Hugo.
D. Bonauent.
Lyranus
Abulenſis.
Pereyra.
Cornelius.

D. Thom.
*Ante electionem præmittendum magnum conſiderationis examen.*

27. *Dum quis ſibi eligit, præſtantiorem aſſumat.*

Diſcant ex his electores, præſules eccleſiaſtici, ac religioſi multum conſiderationis examen adhibere in ſuis promotionibus faciendis, nam ſuæ



ſuæ Eccleſiæ, & ſibimet eligunt paſtorem, & caput: ergo cum ſibimet ipſis eligant, præſtantiorem aſſumant. Mandat Deus Samueli, vt vadat in Bethleem ad domum Iſai: *Prouidi in filiis eius mihi regem*: 1. Reg. 16. n. 1. Valde veriſſimile eſt, quod Propheta pergeret ſibimet grauis, & cum ſua moleſtia, ac tædio: nam forſitan ſecum diceret, ſe in electionibus benè affortunatum non eſſe; vnum enim, nempe Saulem, elegit in regem, qui valdè peſſimus, ſacrilegus, ambitioſus, inobedienſque euaſit. Cur ergo Prophetæ aliquod à Deo non datur leuamen, nimirùm quod iſte, qui eſt vngendus, omni probitate, ac ſanctitate illuſtris exiſtat, ac quod vir eſt ſecundum cor Dei; de cuius ſemine à Dei verbo aſſumenda eſt caro? Horum nihil de Dauide Samueli dicitur modò. Verùm ſine dubio valde ſublimia pronuntiantur. D. Baſilius Seleucus. Orat. 14. *Vidi, ô Propheta*, ait Deus, *animam gratiæ receptricem, animam ad Spiritus receptionem bene comparatam. Hunc prouidi mihi in regem, non ſimpliciter prouidi, ſed mihi.* Deus inquit, quod præparauit regem; non abſolutè, ſed ſibi. Ergo ſine dubio virum omni virtute conſpicuum, ac excellentiorem deſignauit: nam quando aliquis alteri eligit, poterit in dubium vocari, an præſtantiorem aſſumat; at quando quis ſibi eligit, ſine dubio probatiorem requirit. Igitur cùm in noſtris promotionibus, non aliis, ſed nobiſmet ipſis eligamus, aptiorem ſuper capita noſtra euehamus.

1. Reg. 16.

D. Baſilius Seleucus.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare per noctem orat Dominus?*

28. D. Cyprian.

POTERAT Dominus tota die orare, ſed ad hoc potius eligit noctem. Ad quod reſpondet primò D. Cyprianus. De oratione Dominica. *Quid facere nos oporteat*, ait, *exempli ſui conteſtatione demonſtrat Dominus. Quod ſi ille orabat, qui ſine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et ſi ille per totam noctem iugiter vigilans continuis precibus orabat, quantò magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, non pro ſe, quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris.*

*Chriſtus nos excitat ad orandum.*

29. Boſtrenſis.

Secundò, Titus Boſtrenſis ex D. Cyrillo ſic ait: Hoc exemplo voluit docere Dominus, preces, quæ ad Deum tranſmittuntur, ſecretò, hoc eſt, nemine cernente, tranſmitti debere. Id, quod ante verbis expreſsè tradiderat Matth. 6. n. 6. *Tu, quando oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Suo exemplo docet Dominus, ſecretè orandum: & tanquam bonus magiſter in ſe adimplens, quod præceperat, nocte orat, veluti tenebris ſe operiens, & viſui claudens oſtium. Vide tom. 2. cap. 15. n. 45. 46. & 47.

Matth. 6.
*Doctor in ſe adimpleat, quæ mandat.*

30. D. Ambroſ.

Tertiò, D. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 20. *Non ideo pernoctauit, quaſi qui aliter Patrem nobis reconciliare non poſſet; ſed vt qualis aduocatus eſſe debeat, demonſtraret: qualis ſacerdos, vt non ſolum diebus, ſed etiam noctibus pro grege Chriſti debeat precator aſſiſtere.* Prælatus debet totus eſſe vigilans die, ac nocte in oratione pro ſuo grege. Vnde D. Paulus longum faciens ſuorum laborum catalogum 2. Corinth. 11. n. 27. nullos multos dicit, niſi vigilias, & ieiunia: *In vigiliis multis, in ieiuniis multis*: quaſi quod hæc in præſule debeant eſſe multa.

*Prælatus ſit vigilans pro grege.*



2. Corint. 11.

31. D Gregor.

Quartò, D. Gregorius Magnus lib. 28. moral. cap. 6. vel in aliis antiquis editionibus cap. 14. *Nam*, ait, *cùm in vrbe miracula faceret; in monte verò orando continuè pernoctaret, exemplum ſuis fidelibus præbuit, vt nec contemplationis ſtudio proximorum curam negligant; nec rursùs cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis ſtudia derelinquant.* Nocte orat; diem verò ſaluti animarum docendo, prædicando, ac miracula faciendo præſcribit, docens nos verus Magiſter, quod munera proprij officij, ac conuerſionis proximorum, nec orationis prætextu omittenda ſunt, ſed nocte, cùm tempus ſupereſt, orationi incumbamus. Vnde ait citatus Gregorius. *Vt ſic in vtriſque mentem partiendo coniungant, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi; nec amorem proximi, quia tranſcendit, abiiciat amor Dei.*

*Obligatio officij ob orationem non eſt omittenda.*

D Gregor.

32. D. Chryſoſt.

Quintò, D. Chryſoſtomus homil. 44. ad populum latè diſcurrit, quàm opportunum ſit noctis tempus ad orandum: nam tunc ſilentium inducit ad compunctionem: Cœlum tot aſtris interpunctum ad ſui auctoris contemplationem vocat: Nulla vox audita, ac ſi omnes eſſent in ſepulchris, in multam conſiderationem trahit: tunc non turbat vana gloria, ignauia non imminet, tumultus non diſtrahit, & omnia cæleſti rore fœcundantur. Hoc noctis tempus pro noſtra eruditione tanquam valde proportionatum ad orationem elegit, docens nos, quod ad orationem multum auſcultanda eſt opportunitas loci, & temporis. Chriſtus Dominus *Dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare.* Matth. 14. num. 23. Vt ita nos doceret, ait Chryſoſtomus homil. 51. *Vt tam à tempore, quàm à loco tranquillitatem orandi quæramus.*

*Ad ſpiritualia tempus & locus opportunus quærendus.*

Matth. 14.
D. Chryſoſt.

33. D. Chryſol.

Sextò, D. Chryſologus ſerm. 24. ſic ait: *Ipſe Dominus pernoctat in oratione Dei, vt antè nos oratione liberaret, quàm redimeret paſſione.* Ac ſi ad redemptionem generis humani non minoris efficaciæ eſſet oratio Chriſti, quàm tota paſſionis ſeries cum tanta tormentorum acerbitate, támque ampla ſanguinis effuſione. Ad quod indicandum Chryſologus, ipſam Chriſti pernoctantis orationem comparat cum efficacia ſanguinis effuſi. Valde illuſtris eſt oratio nocturna, magniſque encomiis paſſim in Scriptura decantata.

*Oratio pernoctantis multam habet efficaciã.*

34.

Iniqua Regis Darij iuſſione mandatur, vt quicumque exorauerit Deum vſque ad triginta dies; niſi ipſum regem, mitteretur in lacum leonum. Tunc Daniel *apertis feneſtris tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, ac confitebatur coram Deo ſuo.* Daniel 6. n. 10. Oratione tamen tam inſigni eum non legimus à Deo viſione aliqua recreari: at verò cap. 7. n. 2. Propheta de ſe ait: *Videbam in viſione mea nocte*, ſeu, vt legit D. Thomas, ibi, *media nocte*: quod explicat ipſe Angelicus Doctor, cùm ſurgeret ad confitendum Dominum; tunc valde magnam reuelationem Chriſti cum ampla poteſtate venientis accipit, & in magnis aliis myſteriis inſtruitur; ſicut & cùm eſſet iuxta fluuium Tigris in oratione, certa aſſertione de excludenda populi captiuitate, ac miſeria, à Gabriele communitur cap. 10. n. 4. Cur ergo dum orat in ſuo cœnaculo patentibus ianuis, tam illuſtri oratione, ita vt nulla alia ex motiuo excellentiori videatur excogitanda; flectebat enim

Daniel 6.
Daniel. 7.
D. Thom.
Daniel. 10.

genua ſua, vt verum Deum, ſeque illius verum cultorem profiteretur, ac idolorum contemptorem demonſtraret: cur, inquam, nulla pro tunc cæleſti viſione muneratur, cum autem orat media nocte, magis reuelationibus fruitur, ac nobilitatur? Tantum nocturna oratio Deum delectat, eique placet, vt maioribus donetur fauoribus, quam quæcumque diurna obſecratio etiam ex quocumque nobiliori motiuo edita. D. Chryſoſtomus homil. 42. ad populum poſtquam latè oſtendit, quod non propter hoc facta eſt nox, vt ſemper dormiamus, ſic ait: *Flecte genua, geme, Dominum tuum ora, tibi fieri propitium, Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Poſt tales pernoctationes, ſomni ſuaues, & miræ reuelationes.*

*Oratio pernoctantis magna, & alta promeretur.* D. Chryſoſt. Pſalm. 6.

35. Tempeſtate premitur nauis illa, qua ferebatur Ionas in Tharſis. Clamat ad eum gubernator, vt Deum ſuum inuocet, ſi forte recogitet de eis, ne pereant. Quod Ionas minimè fecit; ſed ſomno potius indulget. Proiectus autẽ in mare, ab ingentiq; abſorptus bellua; in cuius ventre extitit tribus diebus, & tribus noctibus, *Orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis*. cap. 2. n. 2. Cur è naui, nauclero adhortante, non obſecratur; nam facile, Deo ordinante, quodam ventorum impetu ad Niniue oram deuenire poterat: ſed modò ex vtero ceti, in quo ferebatur, tanquam in tenebroſo carcere, vt late diſcurrit D. Baſilius Seleucus orat. 2. in Ionam. Vel ſub vmbra mortis, vt docet Theodoretus, Deum deprecatur, affectans rem valde difficilem, mirabilem, & nunquam viſam, nimirum vt à piſce ad littus Niniue exiret illæſus: Oratio in viſceribus illis ſub noctis, mortiſque vmbra, valde abſcondita erat, atque ſecreta: in naui verò coram aliis in manifeſto erat: Et pro certo iudicauit Phropheta, quod ad rem valde extraordinariam, ac prodigioſam impetrandam validior eſſet oratio ſub noctis, mortiſque tenebris recondita; quàm, ad non tam mirabilem, ſed quodammodo ordinarium edendum effectum, qui facilè ex mutatione, & alteratione ventorum euenire poterat, in manifeſto, ac coram aliis effuſa deprecatio: multum enim per omnem modum penetrat ſecreta, occultaque oratio. Tertullianus lib. de oratione cap. 13. ſic ait: *Oratio Ionæ de ventre Ceti per tantæ beſtiæ viſcera ab ipſis abyſſis per tantam aquarum molem ad cælum potuit euadere.*

Ion. 2. D. Baſil. Seleucus. Theod. *Oratio ſecreta valdè potens.*

## Qvæstio V.

### *Quare Euangeliſta non fecit mentionem de aſcenſu, ac oratione Diſcipulorum?*

36. *Ratio difficultatis.*

NEc D. Marcus, nec D. Lucas exprimunt, an Diſcipuli Dominum eſſent ſecuti per montem? & an ſimul cum eo orauerint? Immò Euangeliſtæ dicunt infra quod vocauerit eos, quaſi prius cum illo non fuiſſent. Et D. Ambroſius hic videtur tradere, quod ſolus Dominus orauerit. Sic ait, *Chriſtus miſſurus Apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit.*

D. Ambroſ.

37. *Diſcipuli aſcenderunt in montem, & orarunt.*

Tamen mihi valde veriſſimile videtur, quod Diſcipuli vnà cum Domino in montem aſcendiſſent. Nec enim mihi perſuadeo, quod Diſcipuli, qui Dominum ſemper comitabantur in ciuitate, itinere, miraculis, illum in nocte desererent, ipſis in ciuitate hoſpitantibus. Et dum Euangeliſta ait, quod vocauit eos, innuit, quod non multum diſtabant ab ipſo. In illo ergo monte ſubducit ſe Chriſtus à Diſcipulis in aliquem remotiorem locum, vt ſolus oraret, ſicut fecit in horto. Matth. 26. n. 36. Et etiam mihi eſt valde probabile, quod Diſcipuli orando tranſegerint aliquam noctis partem; nam ipſi intelligebant, quod Chriſtus in oratione erat: ergo eum ſaltem per aliquod noctis tempus ſunt imitati. Cur igitur hæc Euangeliſtæ tacuerunt? inquiro.

Matth. 26.

38. Primam ſolutionem colligo ex D. Iuſtino martyre q. 105. qui ſic ait: *Quoniam de Apoſtolis nulla fuit controuerſia, & dubitatio, eſſent ne homines: de conſeruatore autem futura erat dubitatio; propterea crebrius etiam eum, quàm illos, precatum eſſe, cæteris hominibus diuina ſcriptura expoſuit.* Quia futuri erant multi hæretici negantes, non in Apoſtolis, ſed in Chriſto humanæ naturæ veritatem; ideò frequenter Scriptura, non Diſcipulorum, ſed Chriſti orationem, ſicut & famem, atque ſitim explicat, ad eius naturam declarandam noſtræ imbecillitatis verè participem. Vide tom. 1. lib. 1 cap. 2. n. 71. 77. & 78. Et tom. 2. cap. 27. n. 39. 40. & 41.

D. Iuſtin. *Quod maleuoli obnubilare volunt, explicãdum.*

39. Secundò. Euangeliſtæ Diſcipulorum aſcenſum ac orationem, tanquam quid notum ſuppoſuerunt; & ideò peculiariter non illam ſcripſerunt. Vnde quando ſolus orauit, hoc tanquam valdè rarum exprimunt. Matth. 14. n. 13. *Aſcendit in montem ſolus orare.* Tertiò. Non ſcribunt, quod Diſcipuli Dominum eſſent ſecuti in montis aſcenſu, ſed quod poſtquam vocauerit eos: Vt ita erudiamur, quod nemo ſe ad dignitates intromittat, ac ingerat; ſed vocetur, ac eligatur.

Matth. 14. *In dignitatibus nullus ſe intromittat.*

40. Quartò. Narrant Euangeliſtæ, non Diſcipulorum, ſed Chriſti orationem: nam Chriſtus, vt totius orbis præſidens, elegit Apoſtolos: ipſi verò ad tantum apicem à Domino ſunt euecti: Vt ita hoc facto doceamur, quod plus debet orare, ac conſiderare ille, qui officia diſtribuit, ac dignitates confert, quàm ille, qui eas accipit, illiſque condecoratur.

*Plus debet conſiderare eligens, quàm electus.*

41. Pro huius rei confirmatione nota, quod Diſcipulorũ oratio hîc tacetur, cùm tamen Apoſtoli ipſi ad eligendum Mathiam procedunt, ſtatim ait textus Actor. 1. n. 24. *Orantes dixerunt: Tu Domine,* &c. Nam in præſenti hîc erant eligendi in Apoſtolatum; illic verò electuri: & ideo tanquam eis maximè neceſſaria cõſiderationis diſcuſſio, ac orationis obſecratio, tunc aperitur, ac diſertè narratur. Vnde ait Caietanus. *Bene inſtructi ad conſulendum Dominum recurrunt:* pro ipſa, ſcilicet electione.

Actor. 1. *Maximè orent, ac inuigilent eligentes.* Caiet.

42. Ad vngendum in regem vnum ex filiis Iſai tendit Samuel in domum eius, ex Dei mandato quin ipſi indicaret Dominus, quis eſſet eligendus. Cum pergeret ad vnctionem, eſſetque ei præſentatus Eliab, ait: *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* 1. Reg. 16. num. 6. Quod per modum orationis eſſe dictum colliges ex Abulenſi, aliiſque Doctoribus. Propheta ante electionem fundit preces; & tamen filii Iſai eligendi non obſecrant. Prophetæ regem deſignandi munus obtinenti maximè incumbebat orare, ac deprecari; & miſſo, hac fortaſſe ex cauſa, eligendus

1. Reg. 16. Abulenſ. *Multum oret elector.*



non declaratur, vt ita hoc modo ad orationem induceretur, tanquam electori maximè neceſſariam, vt ſic in totius rei conſiderationem ſe reciperet. Vnde ponderans D. Gregorius in cap. 16. Quod Samuel ad hanc electionem ingreſſus eſt domum Iſai, ſic ait: *Quid enim eſt ſapientibus, ingredi, niſi ad ſubtile diſcretionis ſacrarium intrare.*

D. Gregor.

43. Et ratio huius eſt, quia omnis in præſulem obmurmuratio, atque querela, in ſuum electorem, ac promotorem detorquetur. Vnde obloquente populo contra Moyſem, & Aaron ob carnium auiditatem, ait Moyſes: *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Exod. 16. n. 8. Quod explanans D. Auguſtinus q. 59. in Exod. ait. Vt ita *Illi aduersùs Deum ſe ſcirent murmuraſſe, qui iſtos miſerat.* Et cùm Populus à Samuele regem peteret, ait ei Dominus: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1. Reg. 8. n. 7. Carthuſianus. *Non te ſolum vt principaliter, ſed me, qui hucvſque fui eorum rex, & de vicario regiminis mei eis prouidi, iudices ſuſcitando.* Ex quo monet D. Gregorius in Regiſtro. *Cauendum eſt, ne manum detractionis, aut vituperationis, aut dehonorationis quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatores ſanctæ Eccleſiæ: quia eorum vexatio, ſiue detractio ad Chriſtum pertinet, cuius vice in Eccleſia legatione funguntur.*

*Querimonia electi in promotorem refunditur,* Exod. 16. D. Auguſt. 1. Reg. 8. Carthuſian. D. Gregor.

| | |
|---|---|
| *Luc. 6. n. 13.* | Et cùm dies factus eſſet vocauit Diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus* | Et cùm illuxiſſet, aduocauit Diſcipulos ſuos, & ſelegit ex eis duodecim. |
| *Vatablus.* | Cùm dies illuxiſſet. |
| *Arias.* | Aduocauit Diſcipulos ſuos eligens. |

### Alter Textvs.

| | |
|---|---|
| *Marci* 3. *n.* 13. | Vocauit ad ſe, quos voluit ipſe; & venerunt ad eum. |
| *Num.* 14. | Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. |
| *Num.* 15. | Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. |

### *EXPOSITIO II.*

44. IN oratione pernoctat Dominus; cùm autem dies iam adeſſet, regimini ſuæ Eccleſiæ intendit. *Cùm dies factus eſſet.* Interlinealis. *Dies non ſæculi.* Tempus, in quo fiebant electiones ſecundum debitam proportionem, ac ſecundum altum Dei dictamen, non dies huius ſæculi, ſed æternæ fœlicitatis, ac beatitudinis computandus erat. *Vocauit Diſcipulos ſuos*, nempe ſuos perpetuò comites. Marcus ait: *Vocauit ad ſe quos voluit*, ex his, qui ſe eius diſciplinæ tradiderant, vocauit aliquos. *Et elegit duodecim ex ipſis* Maior erat Diſcipulorum numerus; ex eis tamen deſignauit duodecim; Vt diſcamus, ait Caietanus, quod ex gremio Eccleſiæ eligendi ſunt præpoſiti. *Et vocauit*, non eos, qui ſe intromittunt; ſed *quos voluit* ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis. *Quos Apoſtolos nominauit.* Apoſtolus ex ſua radice miſſum ſignificat. Nota, Quos Dominus vocauit, omnes honoribus condecorauit; nam quidam Apoſtoli ſunt dicti, alij verò in Diſcipulorum catalogo conſcripti. Ter vocat Dominus Samuelem 1. Reg. 3. n. 10. Interlinealis. *Trina vocatione ſignificatur, quia erat futurus propheta, dux, & ſacerdos.* Ita vt cuilibet vocationi ſua dignitas correſponderet.

Interlin. *Electio ſecundùm debitam proportionem, non videtur huius ſæculi.* Caietan. *Deus omnes quos vocat, honorat.* 1. Reg. 3. Interlinealis

45. Addit D. Marcus. *Vt mitteret eos ad prædicandum* per totum Orbem. Et eos modò Chriſtus eligit, ac mittit, vt officium, ad quod vocauit eos, ſub eius magiſterio incipiant exequi; ac ipſo viuente deponant tyrocinium, vt poſt pleniſſimè omni perfectione, ac modo illud exequantur, & adimpleant. *Et dedit illis poteſtatem curandi.* Quos mittebat in prædicationem, dedit eis plenariam poteſtatem ſuum munus exequendi; nam facultas edendi miracula, eſt magnum & aptiſſimum ſignum veritatis Euangelicorum promiſſorum.

*Cum officio detur debita poteſtas.*

## Qvæstio VI.

### *Quare die facta eligit Dominus ſuos Apoſtolos?*

46. REſpondet primò D. Bonauentura. In die vocat, quia ſicut dicitur Ioan. 11. n. 9. *Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia videt lucem huius mundi,* videlicet Chriſtum, qui eſt lux vera, *quæ illuminat omnem hominem.* Vt ita doceat miniſtros ſuæ Eccleſiæ, quod omnes eius electiones fiant in ipſo Chriſto Ieſu, qui eſt vera lux. Secundò, Toletus. Vt ſignificaret, quod miniſtri electi erant, non Legis veteris, ſed Gratiæ? nam illa Lex nocti, Euangelica verò diei comparatur. Paulus Rom. 13 n. 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Nam in Lege continebantur vmbræ myſteriorum, quæ per Euangelium manifeſtantur.

D. Bonauent. Ioan. 11. *Electiones fiant in Chriſto.* Toletus. Rom. 13.

47. Tertiò, & ad litteram, vt dixi in expoſitione. Dominus per totam noctem orauit; facto die intendit regimini ſuæ Eccleſiæ: in noſtram eruditionem, vt ſuprà ſatis eſt explicatum. Quartò, Facta die clara eligit, vt nos doceat, quod ille, qui aſſumendus eſt in miniſtrum Eccleſiæ, ſit ex omni parte, ex omnique circunſtantia cognitus, viſus, ac probatus; nam vt ait D. Chryſoſtomus lib. 4. de Sacerdotio. *Neque eos qui elegerint, ſubleuare quicquam poterit, ſi dixerint, ignoraſſe ſe eum, quem elegere; verùm vel hoc ipſo crimen grauius efficitur, quod quem ignorauere, perduxerint; ac certè quæ illis videtur excuſatio, accuſationem auget: nam quomodo id abſurdum non ſit, eos, qui mancipium aliquod empturi ſunt, id tum medicis oſtendere, tum vicinos interrogare.* Latè proſequitur ſanctus Pater, quantò magis debeant

*In electione rimentur circunſtantiæ omnes.* D. Chryſoſt.

beant conſiderare, qui aliquem ad epiſcopale munus vocant.

48. *Electiones clarè, & manifeſtè fiant.* 1.Reg.16. Abulenſ.

Quintò, die facta vocantur Apoſtoli, vt documentum habeamus, quod electio ſancta debet fieri clarè, ac patenter in omnium oculis: non verò obſcurè, ac furtiuè in tenebris. Ex Dei mandato venit Samuel in domum Iſai ad vngendum in regem vnum ex filiis eius. Et cùm vidiſſet Eliab natu maiorem, ait: *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* 1.Reg. 16 n.6. Quod ſeorſim ab aliis fratribus, ac familiaribus domus factum, ac dictum fuiſſe, exiſtimat Abulenſis. Et eodem modo ſe habuit cum Abinadab natu ſecundo, aliiſque fratribus. Cùm autem veniſſet ad Dauid, ait textus: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* ibidem n.13. Si igitur quilibet ex aliis fratribus ſeparatim, ac ſeorſim vocatur, & ponitur coram Domino, an ſit eligendus in regem; cur Dauid ad regni culmen in medio fratrum deſignatur? Totum negotium dirigebatur à Deo, qui Dauidem virum ſanctum, & iuſtum eligebat in principem, & ideò cùm à Deo eſſet electio, non permiſit, vt in ſecreto, atque occulto, ſed in manifeſto coram omnibus fieret. De quo præclarè ait D.Gregorius Magnus ibi: *Oleo quippe in medio aliorum vngitur, quia qui in aliorum exemplum poſitus eſt, nullam ſui partem habere obſcuram debet, vt hunc omnes aſpiciant, & ab eo lucis exemplum ſumant.*

*A Deo publicè, & manifeſtè fit electio Iuſti.* D.Gregor.

49. 1.Reg.10.

Et poſt pauca ſubdit S. Pater. *Vnde & Saul ſolus in extrema parte ciuitatis vnctus fuiſſe perhibetur.* 1. Reg. cap.10.n.1. Saul in abſcondito vngitur, & etiam eius puero inſcio. Dauid autem in publico. Cur hoc à diuina prouidentia ita diſpoſitum? niſi in magnum ſignum, atque præſagium, quod ille futurus erat valde iniquus, hic verò perexcellenter iuſtus, pius, & omnibus in exemplum principibus datus. *Vt hunc omnes aſpiciant, & ab eo lucis exemplum ſumant.*

*Electio abſcondita malum præſagium.*

50. Pſalm. 90. Pagninus. Vatablus.

Semper enim eſt valde ſuſpecta, atque mala in abſcondito, & ſecreto negotiatio. Ait Regius Vates, quod Chriſtus, ſeu Iuſtus non timebit *A negotio perambulante in tenebris.* Pſal.90.n. 6.Pagninus transfert. *A morte in caligine ambulante.* Vatablus. *A peſte in obſcuro graſſante.* Alij ex Hebræo. *A peſte celeriter necante.* Nam negotium in tenebris, eſt Reipublicæ mors, ac quædam crudelis peſtis. Negotium autem Dei non fit, niſi in aperta luce. Vnde dilecta anima, vt cum ſuo ſponſo negotiaretur, ac loqueretur, dicebat: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cantic.1.n. 6.D.Hieronymus in citatum Pſal. 90. *O ſponſe, vis me inuenire, in meridie inuenies in claro lumine.*

*Negotiatio in abſcondito mala.* Cantic. 1. D. Hieron.

## Qvæstio VII.

### *Quare Apoſtoli eliguntur duodenarij, & nec plures, nec pauciores?*

51. Carthuſian. D.Gregor. *Apoſtolus nomen officij. Paulatim ad magna diſponendum.*

Apostolvs, vt notat Carthuſianus, nomen eſt officij, ſicut Propheta, vel Angelus, ſecundùm Gregorium. Duodenarius numerus maximè placuit Domino in ſuis Apoſtolis, vt ipſi ita reſponderent duodecim Patriarchis filiis Iacob: & ſic voluit Dominus aliquam inter nouum, & vetus teſtamentum ſimilitudinem facere, ne antiquum omnino reprobatum videretur. Deinde vt qui ex Iudaiſmo conuertebantur, ſenſim, ac paulatim diſponerentur ad fidem facilius amplectendam. Vide tom.2.cap. 3.n.124. cap. 8,n.24.& cap.27.n 5. Ita docent D. Chryſoſtomus, D Hieronymus, D. Auguſtinus, D. Paſchaſius, Albertus Magnus, D. Thomas, & alij Patres communiter. Breuiter alias appono rationes.

Chryſoſt. D.Hieron. D. Auguſt. Albert. Mag. D.Paſch. D. Thomas.

52. D. Remig. Beda. D. Auguſt.

Primò, D. Remigius ait, quod duodenarius numerus perfectus eſt, naſcitur à ſenario, qui perfectionem habet; ſenarius autem numerus duplicatus duodenarium gignit. Secundò Beda ex D. Auguſtino in Pſal. 103. Concion.3. & tract.27 in Ioan. Bene duodecim ſunt electi, vt videlicet mundi ſalutem, quam verbo prædicarent, ſuo quoque numero myſticè commendarent; Quatuor ter ducta duodenarium efficiunt. Ter myſterium Trinitatis dicit, Quatuor quatuor Orbis plagas, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Auſtrum ſignificat, per quas Trinitatis fides erat prædicanda. In omnem enim terram exiuit ſonus eorum.

53. D. Bonauent. Geneſ. 46. Exod. 28. Numer.7. Numer.13. Exod. 15. Ioſue 4. 3. Reg. 7. Ioan. 11. Apocal.21.

Tertiò, D. Bonauentura. Duodecim elegit Dominus. Hic autem numerus deſignatur in duodecim filiis Iacob. Gen.46.n. 8. In duodecim lapidibus Exod.28. n. 17. In duodecim principibus plebis Iſrael Numer. 7.n.2. In duodecim exploratoribus miſſis à Moyſe Numer. 13. n. 4. In duodecim fontibus aquarum, Exod. 15. n. 27. In duodecim lapidibus de Iordane extractis, Ioſue 4. n. 8. In duodecim bobus ſuſtentantibus mare æneum 3. Reg. 7.n.25. In duodecim horis diei Ioan.11.n.9. In duodecim fundamentis ciuitatis, Apocal.21.n. 14. Fuerunt enim Apoſtoli figuris plurimis deſignati propter multiplicem dignitatem, fuerunt enim Patriarchæ filiorum ſpiritualium procreatione, lapides pretioſi virtutum varietate: Principes multitudinis, prælationis ſublimitate; Exploratores contemplationis ſubtilitate, fontes aquarum, ſapientiæ profunditate; lapides Iordanis, fidei fundatione; Boues, prædicationis exercitatione; Horæ diei, exemplorum honeſtate; Fundamenta ciuitatis, totius Eccleſiæ ſupportatione. Hæc Bonauentura. Multas alias figuras circa numerum duodecim affert Abulenſis in cap.10. Matth.q.24. quæ omnia requiruntur ad explicandam eorum eximiam dignitatem, vt ait D. Paſchaſius lib.6.in Matth.

*Dignitas Apoſtolorum valdè præclara.* Abulenſis. D.Paſchaſ.

54. D.Paſchaſ. Philippus Abbas. *Numerus à Deo determinatus minui non poteſt.*

Fuit autem hic duodenarius numerus ita præfixus, vt nec tota Iudæ diabolica malitia illum minuere, neque extenuare potuerit, vt notat citatus Paſchaſius. Et Philippus Abbas lib. de ſalute primi hominis, cap.10.ait. *Adeò autem Chriſtus ſecum voluit eſſe duodecim, vt ne Iudas poſſet efficere, vt tantùm eſſent vndecim, ſed eo corruente in præcipitium, ſua tamen perfectio ſeruauit duodenarium.*

55. Luc. 15. D. Chryſol.

Suos numeratos Deus ita intactè ſeruat, vt nullus ex eis pereat, neque deficiat; ſed omnes indefectibiliter cuſtodiuntur. De ſe ipſo loquens diuinus magiſter ait: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat.* Luc.15.n.4. Sed cur tam exacta ponitur inquiſitio circa vnam, & non circa quatuor, vel quinque? Quod rectè notans D. Chryſologus ſerm. 168. ait: *Quare non quatuor, quare non quinque, ſed vnam? Vt oſtenderet, non ex damno fuiſſe, ſed ex numero plus dolorem, namque*



*amiſſio vnius totum diſſipauerat centenarium numerum.* Et poſt pauca ſubdit: *Ideò relictis nonaginta nouem vnam ſequitur, vnam quærit, vt inueniret in vna omnes, redintegraret omnes in vna.* Numerus centenarius à Deo determinatus erat: vna introducitur amiſſa, & non plures, quia ex illo præſcripto numero nec vna minima eripi poteſt; neque amitti ex vi aliqua creata. Vide infrà cap. 9. q. 12.

56. *Apoſtolatus Pauli, & Barnabæ.*

Nota tamen hîc, quod inter hos duodecim Apoſtolos non fuere Paulus, & Barnabas: hi enim duo à Chriſto non in terris degente, ſed glorioſo iam, & regnante in cælis vocati ſunt ad Apoſtolatum. Vnde parem cum duodecim Apoſtolis poteſtatem, & ſpiritum habuere.

## Qvæstio VIII.

### *Quare Dominus ſuos nominat Apoſtolos, & non Principes? Et explicatur, quare ex electis nullus ſe excuſat?*

57. *Ratio difficultatis.*

Satis vulgare, quod Apoſtoli dicuntur Principes orbis terrarum. Quare eos vocat Dominus Apoſtolos, & non principes, cùm nomen Principatus videretur multò ſpecioſius? Ad quod tripliciter reſpondeo, ita fuiſſe dictos, tum propter ipſum Dominum vocantem; tum propter ipſos electos; tandem propter ipſam, ad quam eligebantur dignitatem.

58. *Chriſtus in ſuis muneribus exprimit aſperum & tacet ſuaue.* Matth.4. Actor.9. 2.Cor.12. Lyranus.

Primò ex parte Domini, ob magnam eius excellentiam. Nam quamuis ſimul eos faceret Principes, tamen Apoſtolos nominat, quod idem valet, ac miſſos in prædicationem Euangelicam, labore, ac perſecutione circundatos. Conſidera præexcellentiam Domini in muneribus à ſe collatis. Erumnæ, ac perſecutionis difficile, aſperúmque exprimit, atque declarat; excellentiæ verò, ac maieſtatis magnitudinem ſupprimit, & tacet. Sic dum vocat Petrum, & Andream, ait eis: *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. 4. n. 19. De Paulo inquit Dominus ad Ananiam. *Ego oſtendam illi, quanta oportet pro nomine meo pati.* Actor. 9. n. 16. D. Paulus raptus eſt vſque ad tertium cælum 2. Corinth.12,n.2. In qua viſione, vt ait Lyranus; *vidit præmia Beatorum, quæ excedunt totam humanam facultatem.* A Domino tamen non diuulgantur excellentiæ æternæ beatitudinis, quæ ei ſunt apertæ; ſed perſecutiones, ac preſſuræ, quæ ab eo ſunt ſuſtinendæ.

59. *Homines aſperum tacent, & ſuaue explicant.* Geneſ.31.

E contra verò homines in donis ſuis ſemper habent in ore emolumenta quæ conferunt, non verò labores, qui inde naſcuntur. Poſtquam Iacob fuit à Laban ouium ſuarum paſtor conſtitutus, dicebant filij Laban, quod de patris ſui *facultate ditatus eſt Iacob, & factus eſt inclytus.* Gen.31.n.1. Et tamen mentionem non faciebant, quomodo in paſcendis gregibus die, noctuque æſtu vrebatur, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis eius. ibidem n. 40.

60. *Perfecta obedientia amplectitur omnia, excuſationem neſcit.* Numer.16.

Secundò, ex parte ipſorum Diſcipulorum. Vt eximia eorum charitas, ac obedientia in ſuum magiſtrum ſit nota. Nam cùm ipſi eligerentur, vt miſſi irent per vniuerſam terram ſiti, fame, nuditate, ac multa calamitate oppreſſi, nullus tamen ſe excuſat, ſed indilatè, & ſine cunctatione obediunt cuncti. Cùm ob populi murmurationem, multitudinis filiorum Iſrael magnam partem deuaſtaret incendij plaga, ait Moyſes ad Aaron. *Tolle thuribulum, & perges citò ad Populum, vt roges pro eis. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam vaſtabat incendium*, &c. Numer.16.n.46. Mandatur Aaron, vt tendat, vbi ignis graſſabatur; & tamen charitate, ac obedientia munitus non timet ignem, neque moratur aliquod proferendo verbum; ſed plus præſtat, quàm ſibi eſt mandatum, vt notat Lorinus ibi; nam Moyſes dixerat, perge; ipſe autem cucurrit. Vide tom. 2. cap. 8. n. 93. & 94. & cap. 24.n.9.

*Obediens plus præſtat, quàm ſibi mandatur.* Lorinus.

61. Daniel. 5.

Tertiò, ex parte ipſius muneris. Non Principes, ſed Apoſtolos, id eſt miſſos ad prædicandum, dicit Dominus. Nulla maior dignitas, nulláque nobilior donatio, quam Chriſtum prædicare, veritatemque cunctis annuntiare. Magna, & præclara munera Balthaſſar rex Danieli pollicetur, ſi ei aperiat exaratam in pariete ſcripturam. Cui ait Daniel: *Munera tua ſint tibi; dona domus tuæ alteri da; ſcripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem eius oſtendam tibi.* Daniel 5. n. 17. Sed cur tantam regis liberalitatem Daniel ipſe contemnit, cùm aliàs tempore Darij regis vnus eſſet ex tribus principibus, qui totius regni præfecturam tenebat? Daniel 6.n. 2. Forſitan, quia fauores palatij timebat? minimè, alios enim maiores expertus eſt. Cur ergo? Pro magna mercede iudicauit, veritatem annuntiare, eamque à falſis, atque ſiniſtris eximere interpretationibus. D.Chryſoſtomus in Pſal. 95. in corpore ſic ait: *Si hanc quæſtionem diſſolueris, inquit rex, purpuram indues, & torquem aureum circa collum tuum. At beatus, & admirabilis ille pro nihilo ducens hominum munera, ſed ſupra omnia veritatem honorans ait: Rex, munera tua alteri da. Ego tamen ſcripturam enarrabo. Et quod erit interpretationis præmium? A Deo merces veniet. Quin potius hoc ipſum mihi veritatis præmium erit, interpretari veritatem, ac pietatem, quæ infamatur, vindicare.* Vide tom. 1.lib.3. cap.1.n.36. & tom. 2. cap. 8. n. 71. & cap.23. n. 26.& 27.

*Magna merces, veritatem annuntiare.* D. Chryſoſt.

62. Cantic.5. D.Greg.Nyſ. D.Ambroſ. Pſellus. Catena triũ. *Nulla maior dignitas, quàm pro Chriſto pati.*

Aliter etiam dici poteſt. Non Principes, dicit, ſed Apoſtolos, hoc eſt deſtinatos ad mortem, ac ad omnem afflictionem: nulla enim certè maior dignitas, nullaque merces maior, quàm pro Chriſto pati. Pulſat Sponſus ad dilectæ animæ oſtium, quæ dum ipſum quærit per vicos, & plateas, ait, *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt pallium mihi cuſtodes murorum.* Cantic.5. n.7. Per hos cuſtodes ſanctos Angelos interpretantur D. Gregorius Nyſſenus, D. Ambroſius lib. 3 de Virg. & lib. de Iſaac.cap.6. Pſellus, & Catena trium Patrum. Magna ſanè eſt indagine dignum, quomodo pia anima, ob Chriſti amorem, lectuli, domuſque ſuæ deſpiciens delicias, toto Chriſtum conatu per publicas plateas quærens, vehementi dilectionis impetu iter ſuum proſecuta, à ſanctis Angelis percutitur, vulneratur, eique pallium aufertur, fortè dum ipſam in manus tyrannorum, à quibus tot, tantaſque calamitates eſt perpeſſa, incidere ſinunt? Certiſſimè apud ſanctiſſimos illos Spiritus fuit ſtatutum, nullo alio, pro tot, tamque illuſtriſſimis actionibus, ac præclarè geſtis, præmio, atque honore feruidam illam animam poſſe ſublimari,

ſublimari, ac condecorari, quàm nouis pro Chriſto preſſuræ, vulneris, ac mortis occaſionibus oblatis: nulla enim maior dignitas, quam pro ipſo pati, atque mori, vt inde inſigniter exultari, lætarique poſſit. D. Gregorius Nyſſenus homil. 12. *Percutitur anima, vt viuificetur. Bonum ergo eſt, virga cædi tribulationum, quæ tantorum bonorum copiam continet. Porrò cuſtodes ſunt Angeli, quibus anima credita eſt cuſtodienda ab omni malo. Hi, cum percutiunt ictu diuinæ virgæ, non tantùm pellem tangunt, ſed & forinſecus penetrant, & ſtigmata relinquunt, prout Paulus hiſce percuſſus exultabundus proclamat: Stigmata Domini Ieſu in corpore meo fero.*

D.Greg.Nyſ.

63. Cum duo illi Pharaonis miniſtri ſimul detruſi in carcere, atque in vinculis ob ſomnia viſa vehementer contriſtarentur, cum non eſſet, qui ea ipſis interpretaretur, enarrationem poſtulat Ioſeph addens: *Nunquid Dei eſt interpretatio? referte mihi, quid videritis.* Geneſ.40. num.8. Valdè mihi eſt difficilè, quomodo modeſtiſſimus Ioſeph fateatur, ſolius Dei propriam eſſe ſomniorum interpretationem; nihilominus tamen ſibi inde confidat, poſſe eam aperire. De altero ſomnio Babylonici ſapientes requiſiti dixerunt Nabuchodonoſori: *Sermo, quem tu quæris, rex, grauis eſt; nec reperietur quiſquam, qui indicet illum in conſpectu regis, exceptis Dijs, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio.* Daniel.2. num.11. Vnde ergo Ioſeph ad rem, quæ ad Deum propriè ſpectabat, ſe intromittere audet? Erat ille carceris ærumna, atque ſqualore oppreſſus, & inde maximè certus, Deum ſibi benigniſſimè adeſſe, cuius diuino afflatu ad altiſſima quæque, etiam ipſius Dei, ſe habere aditum confidebat. Theodoretus ſerm.8. de Prouidentia. *Cùm interpretationem Dei eſſe dicit, aliquid in hac audet, vt qui ſe diuinum quoddam adytum parauerat. Ipſe interpretatur, & quæ obſcura erant, explicat.*

Geneſ.40. Daniel.2. *Labores pati, facit adytum ad diuina.* Theod.

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Chriſtus Dominus, quando primò ſuos Diſcipulos vocat, non ſtatim Apoſtolos nominat, ſed modò?*

64. IN exordio ſuæ prædicationis vocauit Dominus ſuos Diſcipulos, vt ipſum ſequerentur; Philippum, & Nathanaëlem Ioan.1. num.43. & 44. Petrum, & Andream Matth.4. n.19. Iacobum, & Ioannem ibidem num.21. & Matthæum cap. 9. num. 9. Et alios ad ſe vocauit. Cur ergo non ſtatim eos nominauit Apoſtolos, ſed modò ferè circa annum, & dimidium ſuæ prædicationis?

Ioan. 1. Matth.4. Matth.9.

65. Ad quod reſpondeo. Primò, quod per hoc nos Dominus inſtruere voluit, quod homines paulatim, & veluti per gradus ad magnas, & altas dignitates ſunt promouendi Secundò, decreuit Dominus, quod Diſcipulis præclaris priùs meritis, & actionibus præfulgerent, quàm ad Apoſtolicum apicem eleuarentur. Tertiò, ob noſtram eruditionem, in minori gradu experiuntur, & poſtea ad ſublimiora euocantur; & ita eorum ſufficientia benè nota, in ſupremo Apoſtolico apice conſtituuntur; vt ſic ab inuidorum iaculis eſſent immunes, nóſque in noſtris electionibus magnum ad imitandum haberemus exemplum: ſiquidem Dominus priùs vocauit Diſcipulos, & hos, experientia, cognitos, nominauit Apoſtolos. Prò quo grauiter facit D. Leo Epiſt.83. ad Epiſcopos African. explicans illud Apoſtoli 1.Tim.5. num.22. *Nemini citò manus imponatis.* Sic ait Pontifex. *Citò manus imponere, eſt, ante ætatis maturitatem, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ ſacerdotalem dignitatem conferre non probatis.*

*Ad dignitates paulatim eundum. Merita ante dignitates.* *Ad magna miniſter expertus quærendus.* D. Leo. 1. Tim.5.

66. Pro confirmatione vltimæ ponderationis. Venit Iacob in domum Laban. Ait textus Geneſ.29. num.14. *Poſtquam impleti ſunt dies menſis vnius, dixit ei,* ſcilicet Laban, *Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi?* Vult cum eo fœdus inire, ac mercedem conſtituere pro paſcendis gregibus. Sed cur quando primò Iacob aduenit in domum, non agit, ac paciſcitur cum eo Laban de hoc præmio, ſed poſt menſem tranſactum mercedem aſſignat? Prudenter ſanè. Decreuit enim, in famulatu ſuo non aſcribere, nec officia domus ſuæ concedere, niſi præuio experimento, & agnita hominis ſufficientia. Oleaſter. *Docet nos Laban, famulos experiri, antequam mercede eos conducamus.* Vide ſuprà cap.1. num. 51. & 52. Et pro dictis in hac quæſt. vide multa tom.1. & 2. in Indice, verb. dignitas, Experientia, Paulatim.

Geneſ. 29. *Munera non danda, niſi poſt habitam experientiã.* Oleaſter.

## QVÆSTIO X.

### *Quare hos potiùs eligit Dominus in Apoſtolos, quàm alios?*

67. RATIO formalis, & à priori huius rei extitit diuina voluntas: nam ſecundum ſuum beneplacitum hos potiùs elegit, quam alios. Quod ſignificat D. Marcus dicens: *Vocauit ad ſe, quos voluit ipſe.* Et ſemper D. Paulus commendat Dei voluntatem, ac conſilium in vocatione ad ſuum Apoſtolatum 1. Corinth.1. num.1. Epheſ.1. num.1. Galat.1. num.15.

D. Marcus. 1.Cor.1. Epheſ.1. Galat.1.

68. Cùm Chriſtus Dominus omnia ſemper prudentiſſimè diſpoſuiſſet, coniectura in hac materia eſſe poteſt, vt tradit Euthymius in cap.3. Marc. *Quod elegit ex omnibus credentibus in ipſum, quos voluit, puta digniores.* In hac etiam ſententia ſunt Theophylactus citato loco in Marcum, & D. Bonauentura in Lucam. Et eam expreſsè docet Toletus hic annot.19. §. Tertiò. Sed hoc ſemper reducendum eſt in Dei voluntatem, quia ipſe, prout vult, dat gratiam, qua noſtra merita fiunt, & qua iſti Diſcipuli aptiores fuere, vt ad tantam dignitatem vocarentur.

Euthym. Theoph. D. Bonau. Tolet.

69. Vt ita hoc Domini exemplo inſtruamur, vt ſemper ad dignitates quæramus digniores, itaut pro meritorum menſura ſit ad dignitates aſcenſus. Iſaias cap.9. num.7. de Chriſto loquens ait: *Factus eſt principatus ſuper humerum eius:* Seu, vt vertit Aquila, & refert D. Hieronymus, *Facta eſt menſura ſuper humerum eius.* Sed cur potius in humeris, quàm in capite, vbi reſidet corona; vel in manibus, vbi conſtituitur ſceptrum? De Chriſto in ſpiritu agens Iacob ait: *Suppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Geneſ.49. num.15. Diuina ergo diſpoſitione vbi merita relucebant, ibi

*Ad dignitates quærendi digniores.* Iſai. 9. Aquil. D. Hieron. Geneſ. 49.



ibi dignitatis honor refulget. D. Ambroſius cap.6. de benedictionibus. *Subiecit humerum ſuum ad laborem, ſubiiciens ſe cruci, vt noſtra peccata portaret: ideo dicit Propheta: Cuius principatus ſuper humerum eius.* In humeris portauit crucem, per quam noſtram redemptionem promeruit: humeri ergo honore, ac dignitate appareant inſigniti. Verùm notanda eſt lectio illa: *Facta eſt menſura:* nam munerum largitio pro menſura meritorum, diſtribuenda, ac metienda eſt.

D.Ambroſ. *Pro meritis metienda dignitas.*

70. Proficiſcenti Iſraeli ex Ægypto mandat Deus: *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domus ſuas.* Exod.12. n.3. Vbi vni integræ familiæ vnus agnus iubetur apponi. Reuertenti autem ex terra longinqua Prodigo Pater vitulum ſaginatum, atque tenerrimum mactari, præpararique præcipit. *Adducite vitulum ſaginatum.* Luc.15. n.23. Quare illi vnus conceditur agnus, huic verò vnus vitulus? Ambo à ſua propria terra exules erant: ambo ſeruitute, & captiuitate detenti fuerant: ambo abiiciebant miſeram ſeruilem conditionem: ambo ſub Dei fauore, atque clementia iter aggrediebantur, ac deuenerunt: Si ergo tam pares videntur conditione; quomodo tam diſpari nobilitantur conuiuio? Iſraël magnis fauoribus adducebatur per iter. Veluti pulli aquilarum, ſuorum parentum portantur in alis. Deuteron. 32. At Prodigus ille per viam incedebat propriis pedibus, multo labore, ſudore, ac fame oppreſſus; & cùm tam diſpar fuerit progreſſus itineris, ac merendi ratio; diſpar etiam fuit honoris dignitas, ac remuneratio. Ruricus Epiſcopus Lemouicenſis lib. 1. Epiſt.1. *Datur etiam,* ait, *ipſi iuniori vitulus reuerſo, qui ſeniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipſe educit ex Ægypto Pater.*

Exod.12. Luc.15. *Pro excellentia meritorum dignitas confertur.* Deuter.32. Ruricus.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare non conqueritur aliquis ex diſcipulis non vocatis ad Apoſtolatum?*

71. VT ait D. Marcus, Ex ſuis Diſcipulis vocauit Dominus ad ſe, quos voluit; & ex ipſis Diſcipulis vocatis elegit Dominus duodecim in Apoſtolos: ergo aliqui ex Diſcipulis non ſunt inſigniti Apoſtolico honore. Quare igitur nullus ex his conqueritur, vel obmurmurat, in hac quæſtione quæro?

*Ratio difficultatis.*

72. Reſpondeo primò. Hilari vultu omnes de electione, ac promotione aliorum lætantur, & nullus triſtatur ob reſignationem, ac conformationem cum Dei beneplacito, ac voluntate. Secundò, ob intimam charitatem, qua vnus alterum proſequebatur. Tertiò, ob propriam humilitatem, qua vnuſquiſque de ſe parum præſumebat. Ad hoc exhortatur Paulus ſuos diſcipulos. In humilitate ſibi inuicem ſuperiores arbitrantes. Ad Philipp.2. num.3.

*Iuſti cum Dei voluntate conformantur.* Philipp.2.

73. Quartò, ait D. Lucas: *Vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit ex ipſis duodecim.* Ita hi fuerunt electi in Apoſtolos, vt alij remanerent in Diſcipulorum catalogo conſcripti. Cùm autem ex eis nullus ſit contemptus, neque abiectus, ſed omnes honore affecti; ideo nullus ex eis obmurmurat, aut conqueritur. Nathan propheta familiaris erat Adoniæ, cum eoque educatus, contra ipſum tamen, ne regnaret, ſe oppoſuit, Salomonis negotium patrocinans, ac fouens: ſic ipſe Bethſabee conſilium dat, vt intraret ad regem, & pro filio ſuo loqueretur 3. Reg. 1. n. 11. Et ipſa loquente cum rege ingreditur Nathan, & illius cauſam ſuſcipiens, illos matris ſermones complet. Cur ergo Adonias non conqueritur de Nathan? cur contra ipſum non loquitur? Inquit enim textus 3. Reg.1. n.10. Quod Adonias *Nathan prophetam non vocauit ad conuiuium.* Vnde ait Abulenſis q. 26. *Nathan viderat, ſe contemni ab Adonia; eo quod non vocauerat eum ad conuiuium, ſicut vocauerat Abiathar, & Ioab.* Cùm quidam maximi æſtimantur, vt Abiathar, & Ioab; & alius, vt Propheta, ſe videt contemptum, hoc valde durum, & aſperum eſt, & ideo non mirum, quod in contrariam partem declinet. At vbi nullus ſpernitur, ſed quidam eliguntur Apoſtoli; alij Diſcipuli nominantur, omnes hilari, ac placido vultu exultant, atque lætantur.

*Vbi omnes honorantur, & nemo eſt abiectus, nullus conqueritur.* 3. Reg. 1. Abulenſis.

74. Quintò, Nullus ex non electis conqueritur. Agnoſcebant omnes Dei voluntatem, qua *vult omnes homines ſaluos facere.* Et ideo apud ſe ſtatuebant, quod illi vocabantur ad Apoſtolatum, quia hoc eorum ſaluti valde aptiſſimum erat. Et quod ad tantum apicem alij non eleuabantur, neque Apoſtoli erant dicendi, ſed ſubditi remanebant, hoc enim credebant ſuæ ſaluti peropportunum, atque conueniens. Diuina diſpoſitione Iſaac dat benedictionem Iacob, vt maioratum teneat, vt ita maximè proficiat. Eſau autem in benedictionem datur: *Fratri tuo ſeruies.* Gen.27. n.40. tanquam ei valde opportunum, ne deterior fiat. Philo Alexandrinus lib. de Nobilibus. *Communis amborum pater,* ait, *miſeratus eum, qui à virtute deſciuerat, precatur ei, vt fratri ſeruiat, ſeruitutem, quæ videtur malum maximum, exiſtimans rem inſipienti vtiliſſimam eſſe, ne ſi relinqueretur in ſua poteſtate, prolaberetur in omnem licentiam, ſed per potioris curam emendatis moribus in melius proficeret.*

*Deus dat quod conuenit noſtræ ſaluti.* Geneſ.27. Philo.

75. Cùm Iſraël educitur de Ægypto, Dei ordinatione Moyſes illius conſtituitur dux, & caput. Sed cur regimen hoc non defertur Aaroni, qui ſenior frater erat, & valdè eloquens, ita vt ipſe loqueretur ad regem, & ad populum. Exod.3. n.15. Cur ergo tanto viro non datur poteſtas? Moyſes vir fortis, ac robuſtus animo erat: Ægyptium percutientem Hebræum, interfecit; impetus tumultuantis populi frequenter repreſſit; Idololatras, ac ſacrilegos multoties occidit. At Aaron non ita animoſus, ſed imbellis, ac paruus animo. Nam cùm Moyſes aliquando aſcenderet in montem, & illius vices in Populi adminiſtratione teneret, Populo non audet reſiſtere, ſed ob illius formidinem idolum fabricauit. Exod. 32. n.4. *Formauit opere fuſorio, & fecit vitulum conflatilem.* vt ibidem notant D. Auguſtinus, Carthuſianus, Lyranus, Abulenſis ibi. Et. 9. Deuteron. Qui ait: *Populi timiditate percuſſus idolum fabricauit.* Altiſſima diſpoſitione populi adminiſtratio Moyſi datur; nam cum illa meritum magnum, ampliſſimámque lucrabitur æternæ vitæ coronam. Aaroni autem denegatur, tanquam ei occaſio ruinæ, atque peccati. Illi confertur, vt promereatur; huic autem, ne pereat, non conceditur.

Exod.3. *Deus aliquando dat cuidam regimen, quod alteri negat, ob ſalutis bonum.* Exod.32. Deuteron. 9. D. Auguſt. Carthuſian. Lyranus Abulenſis

## Qvæstio XII.

### *Quare pro tanto beneficio nullus ex electis gratias perſoluit?*

76. *Sunt beneficia adeò magna, vt omnia excedant gratulatoria verba.*

ELIGVNTVR duodecim in Apoſtolos; eos tamen gratias exhibuiſſe, non legimus, non quia ingrati extiterint, ſed quia tanta erat beneficij magnitudo, vt omnem noſtram gratitudinem excedat, itaut nullis humanis verbis queat explicari. Et fortè ob hanc cauſam, nec Dauidem poſt vnctionem ſuam 1.Reg.16. num.13. nec ſanctum Latronem poſt cœleſtis regni ſponſionem. Luc.23.num.43. aliquas gratias retuliſſe, ſcriptum habemus.

77. Secundò, maximè fuerunt grati, non verbis, ſed operibus, intimè Dominum diligentes, eique indiuiſibiliter adhæſi ipſum per omnia ſectantes, ac indilatè, in quamcumque partem miſſi, obedientes. Cùm Agar fugeret à facie Sarai dominæ ſuæ, apparet ei Angelus, eamque conſolatur. Vnde ipſa in gratulatorias voces prorumpens ait: *Tu Deus, qui vidiſti me.* Geneſ. 16. num.13. (Geneſ.16.) Cùm Abrahamus eſſet iam nonagenatius, Domini præſentia recreatur, à quo multas, magnáſque promiſſiones accipit, nempe quod eſſet habiturus filium, qui eſſet in nationes, & reges, & in numeroſam, ac magnam prolem. Ob hoc cecidit Abraham in faciem ſuam. Geneſ.17. num.17. (Geneſ.17. *Vera gratificatio, nō verbis fit, ſed opere, & actione.*) Cur pro tanto beneficio gratias, ſicut Agar, magnis vocibus non perſoluit; ſed cecidit in faciem ſuam, veluti ſuam magnam in Deum obedientiam, ac veneratione proteſtatus abſque verbo vllo? Agnoſcebat enim, quod vera gratiarum actio, non ore, & lingua, ſed actione, & opere exhibetur. D. Chryſoſtomus homil. 19. in Epiſt. ad Epheſ. cap.5. ait. (D. Chryſoſt.) *Impendamus gratiarum actionem, non verbis, neque linguis, ſed rebus, & factis; cogitatione, & corde.*

*Matth.* 10.*n.*2. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc 1. Primus Simon, qui dicitur Petrus, 2. & Andreas frater eius, 3. Iacobus Zebedæi, 4. & Ioannes frater eius, 5. Philippus, 6. & Bartholomæus, 7. Thomas, 8. & Matthæus publicanus, 9. Iacobus Alphæi, 10. & Thadæus, 11. Simon Chananæus, 12. & Iudas, Iſcariotes, qui tradidit eum.

*Marc.* 3.*n.*16. Et impoſuit 1. Simoni nomen Petrus, 2. & Iacobum Zebedæi, 3. & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui, 4. & Andream, 5. & Philippum, 6. & Bartholomæum, 7. & Matthæũ, 8. & Thomam, 9. & Iacobum Alphæi, 10. & Thadæum, 11. & Simonem Chananæũ, 12. & Iudam Iſcariotem, qui tradidit eum.

*Lucæ* 6.*n.*14. 1. Simonem, quem cognominauit Petrum, 2. & Andream fratrem eius, 3. Iacobum, 4 & Ioannem, 5. Philippum, 6. & Bartholomæum, 7. Matthæum, 8. & Thomam, 9. Iacobum Alphæi, 10. & Simonem, qui vocatur Zelotes, 11. & Iudam Iacobi, 12. & Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor.

### *EXPOSITIO III.*

SACRORVM Apoſtolorum nomina non ſolùm exactè ſcribuntur à tribus Euangeliſtis, verùm etiam in hac admirabili electione à Chriſto Domino fuere prolata, vt apertè conſtat ex textu Marci, & Lucæ. (Marc. Luc.) Et aliqua in præſenti inquirenda veniunt. Quod commodiùs fiet per ſequentes quæſtiones. 78.

---

## Qvæstio XIII.

### *Quare in hac electione ſingillatim Apoſtolorum nomina prolata ſunt à Chriſto Domino?*

VNIVSCVIVSQVE Apoſtoli nomen pronunciat hic Chriſtus Dominus; quod ex triplici ratione factum eſt. Primò, ob nos. Secundò, ob ipſos Apoſtolos electos. Tertiò, ob ipſum Dominum eligentem. Ob nos. D. Hieronymus, D. Paſchaſius, Euthymius in cap.10. Matth. inquiunt. *Vt extra hos, qui Pſeudo-Apoſtoli ſunt, excludantur.* Vt ita veros magiſtros agnoſcamus, quos ſequamur; & etiam falſos, à quibus declinemus; vtque etiam agnitis nominibus ſemper noſtros principes memoria teneamus; ac eos veneremur, qui tantùm pro ſalute noſtra laborarunt. 79.

(D. Hieron. D. Paſchaſ. Euthym. *Verus magiſter agnoſcēdus, vt ſequatur.*)

Secundò, ob ipſos Apoſtolos, vt ita clarè, & diſtinctè agnoſcerentur, qui tanta dignitate erant inſigniti. Deinde vt eos magnopere extolleret, ac nobilitaret. Abulenſis in cap.10. Matth. quæſt.27. *Viri illuſtres*, ait, *& famoſi ab omnibus cognoſcuntur ex nomine; cæteri autem, & turba, quorum origo, & geſta obſcura ſunt, licet cognoſcantur vt homines, eorum tamen nomina ignorantur.* Cùm Apoſtoli ſint viri illuſtriſſimi, ac Principes Eccleſiæ, eorum nomina ſingillatim ſcribuntur. Non ſic autem Diſcipulorum. Luc.10.n.1. 80. (*Viri illuſtres cognoſcuntur ex nomine.* Abulenſ.)



Luc. 10.

81. Tertiò, ob ipſum Dominum eligentem. Vt diuinæ electionis altitudo cognoſcatur, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia. 1. Corinth.1. n.27. (1.Cor.1. *Cognitio nominis amoris ſignum.*) De quo multa dixi tom.2. cap.8.q. 8. Deinde Chriſtus proprio ore eos nominat, ad oſtendendam eius ſingularem erga eos beneuolentiam. Et ita Deus dixit Moyſi: *Noui te ex nomine*: Exod. 33. n.12. (Exod. 33.) ad oſtendendum, quod ei Moyſes erat valde acceptus, vt dixi cap.1.n.60.& 61.

82. Vltimò, & maximè moraliter. (*Prælatus ſuos agnoſcat ex nomine.* Gen.2.) Agebat hîc Chriſtus Dominus vices Summi principis, ac prælati: ſuos ſingillatim ex nomine vocat. Vt ita erudiamur, quod prælatus, ac gubernator ſuos apprimè, & intimè agnoſcat. *Formatis igitur Dominus Deus animantibus, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Gen.2.n.19. Sed cur Deus animantibus nomina non imponit, ſed hoc committit Adamo? Erat primus homo à Deo conſtitutus totius vniuerſi dominus; & talis omnia minutim, ac ex nomine agnita habebat. (Pſal. 146.) *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Pſal.146.n.4.

---

## Qvæstio XIV.

### *De ordine, quo Apoſtolorum catalogus ſcribitur à ſacris Euangeliſtis.*

83. IN referendis Apoſtolorum nominibus in duo conueniunt ſancti Euangeliſtæ. Petrum ſcribunt primo loco, Iudam proditorem in vltimo. Matthæus, & Lucas in recenſendi ſerie concordant, excepto, quod Lucas Matthæum ſcribit ſeptimo loco, Thomam octauo, (*Notatur varietas in referendis Apoſtolis.*) Matthæus verò è contra, & ſe ipſum refert in octaua claſſe, quod eius humilitati communiter tribuitur; & Thadæum decimo loco, vndecimo Simonem recenſet; Lucas autem è conuerſo. Marcus nominat Iacobum ſecundo loco, Ioannem tertio, Andream quarto, ac deinceps cum Matthæo conuenit, excepto in referendo Matthæum, nam illum ſcribit ſeptimo loco. Vnde ergo naſcatur tanta varietas, inquiramus, & aliquas opiniones. Quam refert Abulenſis citandus, omitto: ſolum probabiliora dico.

84. Primò, D. Paſchaſius lib.6. in Matth. Abulenſis q. 28. & 29. Ribeira in Apocal.21.n.16. & ex parte Cornelius docent, (D. Paſchaſ. Abulenſis. Ribeira. Cornelius) quod Matthæus in referendis Apoſtolis ordinem temporis tenuit, eoſque primò nominauit qui prius vocati ſunt: nam, vt ait Abulenſis citata q.29. licet legatur, quod prius à Chriſto vocati ſunt Andreas Ioan.1. n.39. (Ioan. 1.) quam Petrus, & Philippus priùs quàm alij ibidem n. 43. tamen à Matthæo, quia poſtea diſceſſerunt, (*Ordo temporis vocationis.*) ſecundum eam hîc vocationem referuntur, qua ſemper cum Chriſto permanſerunt. Marcus autem in ſuo catalogo ſeruat ordinem dignitatis, & meritorum. Ita citat. Abulenſis. Sed in hac ſententia ea inſurgit difficultas; quod de ordine vocationis ad diſcipulatum, quamuis in aliquibus conſtet, non tamen in omnibus: nec excellentiam meritorum nos agnoſcimus, ſed ſolus Deus eam iudicat.

85. Secundò, reſpondetur à ſacris Euangeliſtis ſemper Petrum ſcribi primo loco, in aliis verò ordinem variari, vt fiat manifeſtum, excepto Petro inter eos certum non fuiſſe, ſed eos per omnia extitiſſe æquales dignitate, ac munere. (*Apoſtoli, excepto etro, æquales munere, & dignitate.*) Vnde ſic loquitur Caietanus in cap. 10. Matth. (Caietanus.) *Solus Petrus ordine dignitatis inſignitur, & deſcribitur primus, ad inſinuandum valde ſpectare ad Chriſtianam notitiam, ſcire, primatum Petri, nulliuſque momenti eſſe, noſſe ordinem Apoſtolorum inter ſe. Ac ſi apertè dixiſſet. Scitote, Petrum primum, quidquid ſit de aliis. Propter quod nullum ſcripſit ſecundum, aut tertium.*

Tertiò, dicetur, Euangeliſtas non fuiſſe plurimum ſolicitos de obſeruando ordine dignitatis, ætatis, vel vocationis in Apoſtolorum catalogo; ſicut neque Paulus extitit, cùm Iacobum priùs, quàm Petrum commemorat: *Cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas,* ſcilicet Petrus, *& Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe.* Ad Galat. 2.n.9. (Ad Galat. 2. *Apoſtoli ordinem honoris, ac dignitatis ignorabant.*) Prius Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum, quàm Petrum Pontificem maximum protulit, quia ordinem honoris, ac dignitatis minimè curabat, tanquam ab eo mente valde alienus. Vnde de hoc catalogo Apoſtolorum loquens D. Chryſoſtomus homil. 33. in cap.10. Matth. de quibuſdam ait, quod *indifferenter* ponuntur. (D. Chryſoſt.) Et Theophylactus in cap.10. Matth. (Theophyl.) inquit, quod Euangeliſta *ponens filios Zebedæi præponit Iacobum Ioanni, quia ita acciderat.* Hanc etiam ſententiam docet Barradas. (Barradas.) 86.

---

## Qvæstio XV.

### *Quare Apoſtoli ſcribuntur bini, & bini; fratres, & fratres: & in aliquibus cognomen exprimitur, non verò in aliis?*

TRIA in hac quæſtione inquiro. Primò, cur Apoſtoli nominantur bini? Secundò, cur fratres ſimul? Tertiò, cur in aliquibus cognomen & non in aliis declaratur? Ad primum ſi textum Matthæi, & Lucæ conſideres, inuenies, quod Apoſtoli apponuntur bini, & bini: nam duos ſcribunt, inter eos coniunctionem ponunt: Simonem Petrum, & Andream; Iacobum, & Ioannem; Philippum, & Bartholemæum, &c. 87. (*Cur Apoſtoli nominantur bini, & bini?*)

Prima, & communis ſolutio eſt Paſchaſij lib. 6. in Matth. qui ſic ait: *Vt ſub vno iugo fidei, bini charitatis loco adſtringantur.* (D. Paſchaſ.) Secundò, idem Paſchaſius. Bini propterea ponuntur, quia ſic ad prædicandum mittendi erant: *Miſit eos binos ante faciem ſuam*: Luc.10.n.1. (Luc. 10. *Vt charitatē quam verbo predicabant, actione oſtenderent.*) *Vt charitas in eis gemina, Dei videlicet, & proximi, quàm prædicaturi erant, pateſceret.* Vt ita charitatem, quam verbo erant prædicaturi, inceſſu, & actione oſtenderent. Sed de his plura infra cap. 15. explicans citatum Lucæ locum ex D. Paſchaſio, aliiſque Patribus. 88.

Ad ſecundum Matthæus, & Lucas aſſociant fratrem fratri, vt Petrum Andreæ, & Iacobum Ioanni; & Iacobum minorem Iudæ: aliqui etiam addunt Simonem Cananæum, quem Iacobi, & Iudæ fratrem fuiſſe, dicunt. Reſpondet D. Bonauentura. (D. Bonauent.) Ad commendandam concordiam, & fraternitatem mutuam, ſecundum illud Eccleſ. 25. num.1. (Eccleſiaſt. 25) 89.

*Concordia fratrum laudabiiis.* num. 1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ
ſunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia
fratrum; & amor proximorum; & vir, & mulier
bene ſibi conſentientes.* Priùs fratrum concordiam
Prouerb. 18. nominat. Et Prouerb. 18. n. 19. *Frater, qui adiu-
uatur à fratre, quaſi ciuitas firma.*

90. *Cur in aliquibus cognomen, & non in alijs?* Ad tertium. Cur ſacri Euangeliſtæ in referen-
dis Apoſtolis in aliquibus ponunt cognomen;
non verò in aliis? Reſpondetur, quod in iis po-
nunt cognomen, in quibus ob idem nomen, ali-
qua eſſe poterat æquiuocatio. Vnde dicitur Si-
mon Petrus, Simon Zelotes; Iudas Iacobi, &
Iudas Iſcariotes. At in quibus talis non erat æqui-
uocatio, ſimpliciter ponuntur, vt Philippus, Bar-
tholomæus, Thomas, &c.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Petrus dicitur Primus?*

91. *Petrus Primus,* Franc. Luc. OMNES tres Euangeliſtæ Petrum nominant
primo loco. Immò Matthæus ait: *Primus
Simon Petrus.* Et apud textum Marci, aliqui Co-
dices Græci, teſte Franciſco Luca, habent: *Pri-
mum Simonem fecit,* ſcilicet Apoſtolum. Quando
autem Simoni hoc nomen Petrus impoſitum fuit;
& cur datum: ſatis explicaui tom. 1. lib. 3. cap. 6.
quæſt. 9. Hîc tantùm inquirimus, quare Primus
dicatur?

92. D. Epiph. Petrus dicitur Primus Apoſtolorum, non æta-
te, nam Andreas eo ſenior erat, vt ex D. Epipha-
nio hæreſi 51. dixi 2. tom. cap. 8. non etiam voca-
tione, à Chriſto enim prior vocatus fuit Andreas
Ioan. 1. Ioan. 1. num. 41. nec etiam dilectione, Ioannes
namque à Chriſto præ omnibus dilectus, eſt, &
ideò in cœna ſuprà pectus Domini recubuit, eique
innuit Petrus, vt à Magiſtro quærat: Quiſnam
eſſet eum traditurus?

93. Sotus. Bellarm. Suar. *Petrus Apoſtolorum primus, quia caput, & rector.* Albert. Mag. Supereſt ergo, vt rectè explicant Sotus in 4.
diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. & lib. 1. de iuſtitia, quæſt. 1.
art. 3. Bellarminus lib. 4. de Pontifice, cap. 23. Sua-
rius lib. 4. de legibus, cap. 3. à num. 4. Vt Petrus ſit
Apoſtolorum Primus peculiari quadam excellen-
tia, & auctoritate, quia ſcilicet eorum erat caput,
ſuperior, & rector. Vnde, vt benè notat Albertus
Magnus in cap. 10. Matth. in aliis Apoſtolis non
ponitur ordo, non enim hic dicitur ſecundus, ille
tertius; quia omnes erant pares, & Petro ſubiecti:
quoniam Chriſtus Dominus dixit Petro, Ioan. 21.
Ioan. 21. num. 16. *Paſce oues meas:* In verbo autem, Paſce,
intelligitur poteſtas regendi, ac gubernandi. 2.
2. Reg. 5. Reg. 5. num. 2. *Tu paſces populum meum Iſraël, &
eris princeps ſuper eum.* Vbi Petro data fuit pote-
ſtas ſuper alios Apoſtolos, vt notat Suarius cita-
tus n. 1. nam ipſi ſunt oues Chriſti. Et hoc confir-
Cap. *Ita Dominus.* mat ex textu, in cap. *Ita Dominus.* diſt. 19. vbi di-
citur: Petro data eſt poteſtas, vt capiti; cæteris vt
membris. Idem habetur cap. *cùm Beatiſſimus,* &
Bellarm. cap. *loquitur.* Et ad hoc multa adducit Bellarmi-
nus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 18.

94. D. Cypr. D. Auguſt. Confirmatur. Quia, vt docet D. Cyprianus lib.
de vnitate Eccleſiæ, ſeu de ſimplicitate Clerico-
rum, & ſumitur ex D. Auguſtin. tract. 50. & vlti-
mo in Ioan. & lib. 1. de Doctrina Chriſtiana c. 17.
D. Hieron. Leo Papa. & D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, &
Leone Papa ſerm. 3. Aſſumptionis ſuæ. Quia ad
conſtituendam vnam perfectiſſimam Eccleſiam, &
vnum generoſum corpus, requirebatur, vt nec
eſſet ſine capite, nec cum multis capitibus; nam
tunc eſſet monſtruoſum, ac imperfectum, & rectè
gubernari non poſſet.

Hæc autem ſuperexcellentia, ac eminentia Pe- 95. *Quanta ſit excellentia Petri.*
tri, vt notat citat. Bellarminus, ſtat in multis.
Primò, quia Petro data eſt poteſtas, itaut ipſe ha-
beret ſucceſſores. Vnde ait D. Paſchaſius lib. 6. in Bellarm.
Matth. *Ire in meritis primus æſtimatur, per quem,* D. Paſchaſ.
*& in quo ad alios dona tranſmittuntur. Accipiunt
autem reliqui,* ſcilicet ſucceſſores, *in eo omnes cla-
ues regni cælorum, cum ei à Domino ſpecialiùs
committuntur.* Aliis verò Apoſtolis data eſt per
modum cuiuſdam legationis 2. Corinth. 5. n. 20. 2. Cor. 5.
ſcilicet perſonalis, quæ cum perſona finitur: nec
enim cæteri Apoſtoli Apoſtolos creabant, ſed tan-
tum Epiſcopos.

Secundò, vt notat Suarius citatus num. 9. Pe- 96.
trus poterat ſua lege alios Apoſtolos obligare, & Suar.
Petrum nullus alius. Tertiò, quia Petrus poterat
aliis Apoſtolis præcipere, eorum lites dirimere,
prouincias diuidere, &, ſi in fide hæſitarent, cor-
rigere, vt notat Cornelius in cap. 10. Matth. vnde
Petro dicitur: *Tu aliquando conuerſus confirma* Luc. 22.
*fratres tuos.* Luc. 22. num. 32. Quartò, ſi aliquis ex
reliquis Apoſtolis caderet, ac ſuum locum deſe-
reret, ad Petrum ſpectabat, locum prouidere; &
ideo deficiente proditore Iuda, de Matthia ſub-
ſtituendo ipſe agit Actor. 1. num. 15. Multas alias Actor. 1.
excellentias inuenies apud citatos Auctores cir-
ca primatum D. Petri, cuius ordinariæ poteſtati
ſuccedit Romanus Pontifex, vt eſt fidei dogma.
De quo plura Bellarminus de Roman. Pontif. Sua- Bellarm.
rius contra Regem Angliæ, ac alij multi. Suar.

## QVÆSTIO XVII.

### *Explicantur quædam, quæ pertinent ad beatos Andream, Iacobum, & Ioannem.*

ANDREAS nomen Hebraicum eſſe, exi- 97.
ſtimat Abulenſis cap. 10. Matth. quæſt. 32. Abulenſ.
Tamen communis ſententia eſt, quod no-
men Græcum ſit; nam Iudæi, cum fuiſſent ſub-
iecti Alexandro Magno, ac Græcis, multa nomi-
na Græca vſurparunt, vt Iaſon, Eupolemum,
Menelaum, quæ leguntur 2. Machab. 4. Andreas
ex Græco idem valet, ac *virilis, fortis, robuſtus,* vt 2. Machab. 4. *Andreas quid ſignificet.*
docent Pagninus, Caninius, Ianſenius, & alij. Et
diuina ordinatione tale habuit hic Apoſtolus no- Pagnin.
men. Fuit valdè virilis, & fortis in prædicatione Canin.
Euangelica, ac in cruce ſubeunda; ætate ſenior Ianſen.
Petro, vt in eius feſto ait Eccleſia: olim Ioannis
diſcipulus, & ab ipſo ad Chriſtum miſſus, primus
eum noſſe cœpit, vt ait Gaudentius Brixienſis Brixien.
tract. de Dedicati. Baſil. Ad eumque fratrem ſuum
Petrum adduxit. Ioan. 1. n. 40. De quo vide quæ Ioan. 1.
dixi tom. 1. lib. 3. cap. 6. quæſt. 8. Dicitur autem *Cur dicitur frater Petri.*
hîc à Matthæo frater Petri, vt ait Abulenſis cita-
tus, non ad diſtinctionem, quia inter Apoſtolos
nullus alius dicebatur Andreas; ſed propter ho-
norem, illi enim magnus erat, quod Petri frater
eſſet. Vnde ait D. Chryſoſt. homil. 33. in Matth. D. Chryſoſt.
*Non paruam laudem his tribuit, cum alterum à
virtute, alterum à nobilitate morum appellauerit.*
Nam



Nam Andreas ſignificat virtutem fortitudinis;
Petrus verò excellentiam obedientiæ.

98. Matth. 4. Luc. 5. *Iacobus quid ſignificet. Quare Maior dicitur.* *Iacobus Zebedæi,* id eſt filius Matth. 4. 21. Luc.
5. n. 10. Nomen eſt hebraicum, idem valet, ac
*ſupplantator.* Deiecit, ac proſtrauit omnia vitia.
Cognatus erat Domini, Euangelium in Hiſpania
prædicauit. Iſte autem Iacobus dicitur Maior ad
differentiam alterius Iacobi Alphæi, qui minor di-
cebatur: vocatur tamen maior, non propter æta-
tem; nam quis eorum eſſet ſenior ignoratur; ſed
Abulenſ. ex triplici capite, vt ait Abulenſis q. 33. Primò,
ratione vocationis, nam poſt Petrum, & Andream
Matth. 4. eodem die vocati ſunt Iacobus, & Ioannes: Matth.
4. n. 21. Secundò, ratione ſingularis, cum Chri-
ſto familiaritatis, nam vnus fuit ex tribus vocatis
Matth. 17. & 26. à Domino ad magna ſecreta, Matth. 17. n. 1. &
cap. 26. n. 37. Tertiò, quia prior omnibus Apo-
Actor. 12. ſtolis pro Domino Ieroſolymis vitam dedit. Actor.
12. n. 2.

99. *Ioannes idem ac gratioſus.* D. Iſidorus. *Ioannes frater eius.* Nomen eſt hebraicum, &
idem valet, ac gratioſus & miſericors, vel in quo
eſt Domini gratia, vt docet D. Iſidorus lib. 7. Ety-
mol. cap. 9. Hic eſt ille inſignis diſcipulus ſingu-
lariter à Domino dilectus, de quo aliqua dixi tom.
1. lib. 1. in Præfat. cap. 6. Non dicitur Ioannes Ze-
bedæi, ſicut dicitur Iacobus Zebedæi, quia inter
Apoſtolos non erat alter Ioannes, ſicut erat alter
Iacobus.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Iacobus, & Ioannes dicantur Boanerges, id eſt filij tonitrui?*

100. Ianſenius. Caninius. Franc. Luc. Cornelius. Noſtra Vulg. Barradas. ADDIT D. Marcus in ſuo textu: *Impoſuit
eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui.*
Multi, vt Ianſenius, Caninius, Franciſcus Lucas,
Cornelius, & alij legendum putant *Banerges:* ſed
noſtra Vulgata correcta habet *Boanerges:* quod
etiam ex ipſa radice hebraica vult colligere Barra-
das. Et dicuntur iuxta phraſim hebraicam filij to-
Euthymius. nitrui, id eſt tonantes; vt ait Euthymius in 3.
Marc. Ex firmitate, & magnitudine fidei dictos
vult filios tonitrui, id eſt tonantes; ſicut filius
iniquitatis dicitur iniquus, & filius pacis paci-
ficus.

101. Beda. Caietanus. Carthuſ. *Quare ita dicti.* Quare verò ſingulariter inter omnes Apnſtolos
ita ſunt appellati, inquirendum eſt? Beda in cap.
6. Luc. Caietanus, Carthuſianus in cap. 3. Marc.
Quia tonitruum diuinæ maieſtatis, ac Paternæ
vocis: *Hic eſt filius meus dilectus:* in transfigura-
tione Chriſti, videntes eius gloriam, audierunt.
Sed hæc ſententia non mihi multum placet, non
enim dicti ſunt filij tonitrui, ſeu de cælo tonantes,
quia vocem audierunt, ſed quia ipſi cæleſti voce
ſonuerunt.

102. *Vera ſententia. Præ cæteris illuſtri prædicatione inſonuerunt.* Theophyl. Communis ſententia eſt, quod Iacobus, &
Ioannes dicti ſunt filij tonitrui, quia Chriſtus
Dominus præ cæteris Apoſtolis eos efficacia vo-
cis, multitudine miraculorum, ac vitæ ſanctimo-
nia ad illuſtrem prædicationem deputauit. Quod
Iacobus præſtitit in Hiſpania, Ioannes in Aſia.
Vnde ait Theophylactus in Marc. *Filios tonitrui
appellat Dominus Iacobum, & Ioannem, vt præci-
puos prædicatores, & maximè Theologos.* Iacobus
perſonuit verbis in toto orbe, Ioannes verò ver-
D. Nazian. bis, & ſcriptis intonando: *In principio erat Ver-
bum.* vt obſeruarunt D. Gregorius Nazianzenus D. Chryſoſt.
Orat. 1. contra Arian. D. Hieronymus in cap. 3. D. Hieron.
Marc. ibi Euthymius, & alij. Vnde Rupertus præ- Euthymius.
clara loca de Apoſtolis intelligit. *Intonuit de cælo* Rupert.
*Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Pſal. Pſalm. 17.
17. n. 14. *Audiui tanquam vocem tonitrui.* Apoc. Apocal. 6.
6. n. 1. Et D. Baſilius illud: *Vox Domini ſuper* D. Baſilius.
*aquas, Deus maieſtatis intonuit.* Pſalm. 28. num. Pſalm. 28.
3. Et Diuus Hieronymus illud: *Etenim ſagittæ* D. Hierony.
*tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Pſalm 76. Pſalm. 76.
num. 19.

Secundò, D. Ambroſius lib. 7. in Luc. in prin- 103. D. Ambroſ.
cipio, poſtquam ponderat, quod Iacobus, &
Ioannes, etiam mortui, ſunt filij tonitrui, quibus
terrena ſubiacent, ſic ait: *Dices, quomodo poſ-
ſum eſſe filius tonitrui? Potes eſſe, ſi non in terra,
ſed in pectore Domini recumbas. Potes eſſe filius
tonitrui, ſi te terrena non moueant, ſed ipſe potius
ea, quæ terrena ſunt, mentis tuæ virtute concutias:
tremat te terra, non capiat, vereatur poteſtatem* *Iacobus, ac Ioannes filij tonitrui, quia vitia, ac hoſtes terrificāt.*
*animi tui, & concuſſa ſubdatur.* Ac ſi dicat: Ia-
cobus & Ioannes, eorumque imitatores filij toni-
trui ſunt, quos terrena non capiunt, ſed tanta ani-
mi generoſitate, ac virtutis conſtantia, ipſa car-
nalia, ac aduerſarios hoſtes abiiciunt, & concul-
cant, vt omnia illa ab eorum conſpectu, voce, ac
nomine tremant, ac contremiſcant, eorumque
eximiam poteſtatem vereantur, ac ſi Deum de cæ-
lo tonantem audierint. Vnde meritò de ſanctis D. Auguſt.
Apoſtolis explicat D. Auguſtinus illud Pſalmi 103. Pſalm. 103.
n. 7. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui
tui formidabunt.*

Tertiò, aliqui graues Recentiores ita ex- 104.
planant. Filij tonitrui dicuntur Iacobus, & Recentiores. *Prædicatores prius opere niteant, & poſtea verbo ſonent.*
Ioannes; quemadmodum enim tonantibus nu-
bibus, prius fulgura ad oculos, quam toni-
trua ad aures illabuntur; ita prædicantibus Apo-
ſtolis, prius ad oculos exempla, quàm ad au-
res documenta fundebantur. Et in hunc ſenſum
præclarè Rupertus proximè citatus de Apoſtolis
explicat illud Apocalyp. 4. num. 5. *De throno pro-* Apocal. 4.
*cedebant fulgura, & voces, & tonitrua:* prius fül-
gura virtutum ad oculos, & poſtea voces, & to-
nitrua prædicationis ad aures.

Sic etiam Ezechiel agens de admirabili ſtructu- 105.
ra currus, quem vidit, ait: *Animalia ibant, &* Ezechiel.
*reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcan-
tis.* Ezech. 1. n. 14. Et poſtea ſubdit n. 24. *Audie-
bam ſonum alarum, quaſi ſonum alarum multarum:*
Animalia huc, & illuc diſcurrebant; & tamen
prius ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis,
& poſtea alarum ſonus percipiebatur. Animalia
illa deſignabant concionatores, qui dum loca cir-
cumeunt, prius virtutis fulgure reſplendeſcere
debent; & poſtea diſcurſus, ac tractationis
alis in prædicatione ſonare. Vnde ait Tertul- Tertull.
lianus lib. de Patientia cap. 1. *Oportet, de-
monſtrationem, & commendationem alicuius rei
adorſos, ipſos prius in demonſtratione eius rei
deprehendi; & conſtantiam commonendi propria
conuerſationis auctoritate dirigere,
ne dicta factis deficientibus
erubeſcant.*

⁂

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XIX.

### *Explicantur ad cæteros Apoſtolos pertinentia.*

106. D. Cyrill. D. Remig. Emiſſen. Pagnin. Canin. *Quid Philippus ſignificet.*

SEQVITVR in ordine *Philippus*, quod nomen D. Cyrillus, ac Remigius interpretantur: *Os lampadis*, ſiue *lampadarum*: fuit enim os eius, vt ait Emiſſenus, velut lampas, quæ orbem illuminauit. Tamen Pagninus, Caninius, & alij recentiores volunt, quod ſit nomen Græcum, & idem valeat Philippus, ac Equeſtris, & bellicoſus: extitit enim valdè belligerus contra Iudæos, & infideles. Erat Philippus è ciuitate Bethſaida, de quo multa alia dixi tom. 1. lib. 3. cap. 6. expoſit. 6. & quæſt. 11.

107. Abulenſis. Metaphraſt. Surius. D. Hieron. Pagnin. Rupert. Oſorius. *Vera interpretatio.* Syrus. D. Dionyſ. Areop.

*Bartholomæus*, ait Abulenſis quæſt. 35. nomen eſt valdè obſcurum, quia de eo nihil legitur in Scriptura. Quidam volunt, quod Bartholomæus idem ſit, ac filius Ptolomæi, quia ortus fuerat à regibus Ægypti, vt tradit Petrus de Natalibus in ſuo catalogo. At fuit humilis, pauper, & piſcator, vt referunt Metaphraſtes, & Surius in eius vita. D. Hieronymus in nominibus Hebraicis, Pagninus deducunt ex nomine Hebraico, quod idem ſit, ac *filius ſuſpendentis aquas*. Vnde Rupertus in cap. 2. Ioan. & Oſorius in ſerm. de S. Ioanne, tenent, Chriſtum occaſione huius Apoſtoli conuertiſſe aquam in vinum in nuptiis, quaſi ipſe eſſet ſponſus. Quod in ſuo loco refutaui. Verius tamen tenendum, quod Bartholomæus eſt idem, ac filius Tholmai, vt habet Syrus. Ad quæ omnia dedit anſam obſcuritas ipſius nominis. Vt ita forſitan denotetur virtutum huius Apoſtoli magnitudo, quæ omnem noſtrum ſuperat captum. Vnde ait D. Dionyſius Areopagita lib. de Myſtica Theologia cap. 1. Diuinum Bartholomæum magnam eſſe Theologiam, atque Euangelium amplum, & magnum.

108. *Deriuatio nominis.*

*Thomas*, & iſte appellatur *Thomas Didymus*. Thomas nomen eſt Hebraicum, & ſignificat geminare. Didymus nomen Græcum, idem habet ſignificatum, & dicit geminum. Gemini autem dicuntur eodem editi partu. Et nomen huius Apoſtoli habet duplex geminare, quia virtus, ac probitas multiplici fœnore in eo geminata eſt.

109. *Interpretatio nominis.* Marc. 2. Luc. 5. Euſeb.

*Matthæus* nomen Hebraicum id eſt, *Donatus*, ſeu *Donum Dei*. Appellatur etiam *Leui*. Marc. 2. num. 14. & Luc. 5. num. 27. id eſt, *Additus*, ſeu *appoſitus Chriſto*. De quo, ac eius mirabili vocatione multa dixi tom. 2. cap. 27. Ob ſuam inſignem humilitatem ipſe ſolus ſe publicanum appellat, ac poſt ſocium Thomam ſe nominat, cum à Marco, & Luca antè Thomam Matthæus ſcribatur, vt notat Euſebius Cæſarienſis lib. 3. de demonſtratione Euangelica, cap. 7.

110. Euthym. Marc. 2. Ioan. 19.

Iacobus Alphæi, vt habet Arabicus, & Syrus. Alphæus, id eſt Doctor, ſeu Doctus, ob patrem Alphæum, exiſtimat Euthymius in 10. Matth. ac fratrem fuiſſe ipſius Matthæi: nam Matthæus dicitur filius Alphæi Marc. 2. num. 14. Sed communis, & vera ſententia eſt, quod diſtincti fuerunt patres eodem nomine dicti. Alphæus ergo Iacobi pater habuit in matrimonium Mariam Cleopham, quæ Ioan. 19. num. 25. nuncupatur ſoror Mariæ Matris Domini. Ex illa Maria Cleopha genuit Alphæus Iacobum, & Iudam, qui erant maximè conſanguinei Chriſti Domini eodem conſanguinitatis gradu, ac Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, vt notant D. Hieronymus de viris Illuſtribus, & Abulenſis quæſt. 38. Et ita Iudæi de Chriſto dicebant: *Nonne hic eſt filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ.* Marc. 6. num. 3. Scripſit Epiſtolam, quæ ſancti Iacobi intitulatur. Et dicitur Iacobus Minor à D. Marc. 15. num. 40. ætate ſcilicet, vel vocationis tempore, non autem ſanctitate; nam ita illa erat inſignis, vt ab omnibus Iuſtus vocaretur, vt ait citatus Hieronymus.

D. Hieron. Abulenſis. Marc 6. Marc. 15. D. Hieron.

*Thadæus*. Triplici nomine nuncupatur hic Apoſtolus, vt notat Abulenſis quæſt. 39. Dicitur Thadæus, id eſt Mammeus, deriuatur enim à Mamma. Alij verò, vt Franciſcus Lucas, volunt, quod ſicut ex nomine Hebræo Iudas dicit confiteri, & laudare; ita etiam ex eodem idiomate Thadæus laudem, & confeſſionem ſignificat. Secundò dicitur Iudas Iacobi, vt hîc ſcribit D. Lucas, hoc eſt frater Iacobi Minoris. Tertiò dicitur etiam Lebbæus, vt habet hic Græcus, & Syrus. Quod nomen D. Hieronymus de nominibus Hebraicis deriuat à corde. Alij verò, vt Angelus Caninius de nominibus noui Teſtamenti cap. 13. à vocabulo Leonis, iuxta illud Geneſ. 49. num. 9. *Catulus Leonis Iudas*. Quod dici volunt ob generoſitatem huius Apoſtoli. Eius tamen commune, & proprium nomen erat Iudas, vt ipſe ſe nominat in ſua Epiſtola, quam ſcripſit, num. 1. Iudas ſeruus Ieſu Chriſti. 111. Abulenſis. Franc. Luc. Græcus. Syrus. D. Hieron. Canin. Geneſ. 49. Iud. 1.

*Simon* Cananæus. Aliqui, vt refert Abulenſis quæſt. 40. ita eum appellari dicunt, quia erat ex Chananæis. Sed hæc opinio reiicitur communiter: nam omnes Apoſtoli erant Iudæi. Dicitur ergo Cananæus à ciuitate Cana Galilææ, in qua natus eſt. Vnde aliqui cum Nicephoro lib. 8. c. 30. ac Baronio exiſtimant, ipſum eſſe ſponſum in illis nuptiis, Ioan. 2. num. 1. Et quia Cana Hebraicè ſignificat zelum, ideo hîc Apoſtolus vocatus eſt etiam Zelotes, vt ait D. Hieronymus, & quia in Cana natus eſt, & magnum habuit zelum honoris Dei, ideo Zelotes dictus eſt. 112. Abulenſ. *Cananæus id eſt Zelotes.* Niceph. Baron. D. Hieron.

*Iudas Iſcariotes, qui tradidit eum.* Vltimo loco ſcribitur infamis proditor. Et dicitur Iſcariotes, vt aliqui volunt, à ciuitate Carioth in tribu Iuda, de qua fit mentio Ioſue 15. num. 25. Meliùs tamen dicendum eſt cum D. Hieronymo hîc, & in cap. 28. Iſai. verſ. 1. Maldonato, Barrada, & aliis, ita appellari à vico, ac loco Iſcarioth in tribu Ephraim, non longè à Samaria; ita dictus à tribu Iſachar. Iſachar autem *merces* interpretatur, quodam vaticinio, ait D. Hieronymus, hîc in cap. 10. Matth. vt ſignificaretur pretium proditoris. Beda verò, & D. Bonauentura, quod Iſcariotes interpretatur memoria mortis. D. Paſchaſ. lib. 6. in Matth. ait, quod interpretatur memoria mortis, quia mortem Domini, quando, aut quomodo proderet, diu præmeditatam habebat. Aliter etiam dici poteſt. Quia tam vehemens, ingénſque fuit eius auaritia, ac malitia, vt ipſa etiam mortis memoria in proprio nomine infixa cohiberi, ac refrænari nequiuerit. 113. Ioſue 15. D. Hieron. Maldonat. Barradas. D. Hieron. Beda. D. Bonau. D. Paſchaſ.





## QVÆSTIO XX.

### *An quando Iudas in Apoſtolum eſt electus, improbus, vel probus eſſet?*

114. Abulenſis. Pſalm. 40. Rupert. D. Auguſt. Beda.

ABVLENSIS in cap. 10. Matth. q. 43. conſtanter tenet, Iudam iniquum fuiſſe, quando in Apoſtolum electus eſt: & quod Chriſtus, cum ipſum talem agnoſceret, eum tamen inter Apoſtolos computauit, vt adimpleretur Scriptura, quæ dicit: *Qui edebat panes, meos magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Pſal. 40. Hanc ſententiam tenet etiam Rupertus in cap. 6. Ioan. Citantur etiam pro ea D. Auguſtinus, & Beda ad Ioan. locum adducendum, & etiam Auguſtinus in Pſal. 34. Conci. 1.

115. *Vera ſententia.* Tertull. D. Cyrillus. D. Chryſoſt. D. Hierony. Ioan. 6. Ammonius. Leontius. Theophyl. Caietanus. Maldonat. Lyranus. Salmeron. Barradas. Ponte.

Tenendum tamen eſt, quod Iudas, quando à Chriſto Apoſtolus eſt creatus, bonus, & probus erat. Ita docent Tertullianus lib. de Præſcription. aduerſus Hæreſ. cap. 3. & lib. de Anima. cap. 4. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 30. D. Chryſoſtomus homil. 10. de Pœnitentia. D. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. cap. 2. Ad cap. 6. Ioan. ad illa verba verſ. 71. *Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt.* Idem aſſerunt Ammonius, Leontius, Theophylactus, Caietanus, Maldonatus, & hoc loco ad cap. 10. Matth. Lyranus, Salmeron, Barradas, & Ludouicus à Ponte. Nec contrariæ ſententiæ fauent Auguſtinus, & Beda citati, vt legenti patebit.

116. *Ratio ab inconuenienti.*

Probatur primò, non mihi perſuadere poſſum quod in electione Apoſtolorum Chriſtus vellet eligere malum, & peſſimum, cùm multi alij boni adeſſent. Valde enim durum ſonat, hominem iniquum eligi à Chriſto in tam altam dignitatem multis præpoſitis bonis. Et hinc videretur, electiones malas poſſe habere aliquod ſubterfugium, ſiquidem homo actu malus electus eſt à Chriſto. Et vaticinium ſcriptum, citatum ab Abulenſi, multis, & variis modis, diuina prouidentia ordinante, poterat adimpleri.

117. Caiet. Toletus. D. Hieron. *Deus iudicat præſentia, non ex præſciẽtia.*

Secundò, vt colligo cum Caietano, & Toleto ex citatis verbis Chriſti: *Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt.* Non enim ait Dominus, vnus ex vobis diabolus erat, ſed eſt in præſenti, tanquam ſi dicat Dominus: Ego vos duodecim bonos elegi; tamen malitia, ac libertate ſua vnus ex vobis diabolus eſt. Vnde rectè ait D. Hieronymus citatus: *Interrogo Chriſtum, cur Iudam elegerit proditorem: cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat? Vis audire rationem. Deus præſentia iudicat, non futura; neque condemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat: ſed tantæ bonitatis eſt, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis, & pœnitentiæ.*

118. *Iudas diu ante venditionem malus factus.*

Sicut ergo Saül, cùm eſſet bonus, creatus eſt rex; poſtea tamen nequitia ſua in omne malum præcipitatus eſt. Sic etiam Iudas, cùm eſſet bonus, electus eſt Apoſtolus; poſtea verò, & diu ante Domini venditionem improbus effectus: nam illa Saluatoris citata verba: *Vnus ex vobis diabolus eſt*: dicta ſunt ſecundo Prædicationis anno, & ipſe iam diabolus erat.



## QVÆSTIO XXI.

### *Quare Chriſtus Dominus elegit Iudam in Apoſtolum, quem ſciebat improbum futurum?*

AD quæſtionem reſpondet primò, D. Hieronymus citatus quæſt. ſuperiori. *Deus præſentia iudicat, non futura, neque condemnat ex præſcientia, ſed tantæ bonitatis eſt, vt eligat eum, quem interim bonum cernit.* 119. D. Hieron.

Secundò D. Ambroſius lib. 5. in Luc. hîc in præſenti ſic fatur. *Eligitur Iudas, non per imprudentiam, ſed per prouidentiam. Quanta eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat. Quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum, quam affectum maluit. Suſceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, periiſſe beneficium.* Similia habet D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Rabbanus, & alij. 120. D. Ambr. D. Paſchaſ. Rabbanus.

121. *Tanta veritatis Euangelicæ excellentia, quam nec iniquus miniſter infirmat.* *Chriſtus vult reputari potiùs, iudicium ſuum erraſſe, quàm affectum.*

Ex quo quatuor rationes colligo. Primò, quanta ſit excellentia prædicationis Euangelicæ; quantaque nobilitas Legis Gratiæ. Prædicat Iudas, ipſeque res Euangelicas adminiſtrat; & tamen tanta eſt claritas Chriſtianæ veritatis, vt tenebroſa Iudæ malitia ipſam obſcurare non valeat, ſed inde magis fulget, & nitet. *Quanta eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat.* Secundò, perpende Domini charitatem. Elegit Iudam, quem præuidebat iniquum futurum, vt ita non prætermitteret, quod ex ſe erat, vt ille ſaluus fieret. *Periclitari magis apud nos iudicium ſuum, quam affectum maluit.* Id eſt voluit potius ab inſipientibus hominibus iudicari, ſe Iudam malum futurum ignoraſſe, quam ſe eum non dilexiſſe, illiuſque ſalutem procuraſſe.

122. *Deus noſtras infirmitates ſuſcepit.* *Chriſtus dat nobis patientia documentum.*

Tertiò, Deus factus homo noſtras infirmitates ſuſcepit, & hanc etiam non contempſit, ſed elegit, pati, tradi, deſeri ab amico. *Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi*, Quartò, in hoc decreuit Dominus, dare nobis magnum ſuæ patientiæ documentum, vt patienter ſuſtineamus dolorem, ſi à ſocio proditi fuerimus; ſi noſtrum iudicium in amicis eligendis erraſſe, ſi beneficia à nobis elargita, perdita videamus. *Vt tu ſi à ſocio proditus fueris, modeſtè feras, tuum erraſſe iudicium, periiſſe beneficium.*

123. D. Auguſt. *Ex malo noſtro Deus ad bonum occaſionem ſumit.*

Tertiò, D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 49. ſic inquit: *Habuit Chriſtus inter Apoſtolos vnum, quo malo vtens bene, & ſuæ paſſioni diſpoſitum impleret, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet exemplum*: Præuidebat Dominus Iudæ malitiam; & tamen eum elegit in Apoſtolum; nam ex ipſa eius malitia occaſionem aſſumpſit, vt impleret, quæ paſſionis pro hominum ſalute à Deo ordinata erant.

124. D. Thomas. *Dignitas ſtatus non ſanctificat.* *Inter bonos aliquando mali.*

Quartò, D. Thomas in 10. Matth. duas rationes aſſignat, Quare, ait, Iudam poſuit? Reſpondet. Vt daret documentum, quod dignitas ſtatus non ſanctificat hominem. Item eſt alia ratio. Ad notandum, quod vix contigit, quin in magna congregatione ſit aliquis malus, ideo ita ponitur,

vt oſtendatur, quod boni aliquando non ſunt ſine malis. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cantic.2. num.2. Vnde ait D. Auguſtinus: Non eſt melior domus mea, quàm Domini. Hæc D. Thomas. Cant 2. D Auguſt.

125. Palat. Quintò, alias rationes pono cum Palatio. Iudam periturum acciuit? Vt nemo quantumlibet bonus in ſanctorum ſocietate de ſe ſecurus ſit. Sextò, conſidera hominis obduratiſſimum animum; qui tanti Magiſtri, tot Diſcipulorum verbis, operibus, conuerſatione noluerit ad meliora reuocari. Videant Sacerdotes, qui quotidie ex menſa Chriſti edunt; nec tamen ad vitæ melioris ſalutem conuertuntur.

*Bonus nunquam de ſe ſit ſecurus.*

126. Septimò, conſidera, quàm difficilè, qui pecunias habent, regnum Dei poſſidere. Tractauit pecunias Iudas, & de cælo ipſæ eum deturbarunt. Vnde eleganter ait Valerianus Cemelienſis homil. 20. explicans illud 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt auaritia:* ſic loquitur: *Ecce ille Dominus, ac Saluator noſter exitum voluntariæ paſſionis vitio alienæ cupiditatis impleuit.*

*Pecuniæ cauſant perditionem.* 1. ad Tim.6. Valer.

127. Ait Iſaias 28. num.1. *Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim.* Septuaginta transferunt: *Væ coronæ iniuriæ, mercenarijs Ephraim.* Quomodo cohæret, quod pro ebriis Septuaginta legunt mercenarios, ſeu auri cupidos? Per Ephraim interpretantur Iudam, qui tanta mercedis, ac lucri auaritia contra Dominum commotus fuit, tamquam ſi eſſet furioſus, ebrius, à mente, à ratione alienus. D. Hieronymus ibi. *Appellantur mercenarij Ephraim propter Iudam, qui de tribu Ephraim, & de vico eiuſdem tribus Dominum pretio vendidit. Ebrius autem fuit proditor, non vino, ſed auaritia, & furore aſpidum inſanabili.*

Iſai. 28. Septuag. *Cupiditas auri inebriat hominem ad malum.* D. Hieron.

## Qvæstio XXII.

### *Quare in ſuos Apoſtolos eligit Dominus, duos, qui Iudæ nomine nuncuparentur?*

128. DVo ſunt Apoſtoli Iudæ nomine dicti. Iudas Thadæus, ſeu Iacobi; & Iudas Iſcariotes, qui fuit proditor. Sed cur tali nomine vult Dominus duos Apoſtolos? Multæ rationes de hac re excogitari poſſunt, quod ſcilicet Deus omne nomen vult nobilitare; & aliæ ſimiles. Sed eleganter de hac re

*Duplex Iudas inter Apoſtolos dictus.*

129. Ait D. Paſchaſius lib.12. in Matth. *Non vacat myſterio, duos fuiſſe inter Apoſtolos hoc nomine vocatos, vt vnus dicatur Iudas Iacobi, alter verò Scarioth: quia Iudas confeſſio interpretatur. Et ideo duos iſtos fuiſſe inter Apoſtolos, vt vnus eorum teneret formam, verè confitentium, quorum pars fideliter permanet cum Domino; alter verò eorum partem exprimit, qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Idem habet D. Remigius. Iudas confeſſio interpretatur. Et duo ſunt inter Apoſtolos. Vnus firmiter adhæret Domino. Alter verò abiit in laqueum. Quidam enim exiſtunt, qui vera cordis contritione, ac compunctione confitentur peccata ſua. Et hi cum Domino permanent. Qui autem ficto dolore, ac ſimulato ore peccata ſua exprimunt, hi in perditionem, ac damnationem ruunt.

D.Paſchaſ. D.Remig. *Qui verè confitetur, habet vitam; ſecus qui fictè.*

Clamat Ioannes: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Matth 3. num.8. Quod eleganter gloſſat D. Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. *In fructu ergo, non in folijs, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Vnde & Dominus arborem folijs decoram, fructu ſterilem maledixit: quia confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.* Non ſolùm quærit fructum pœnitentiæ, ſed dignum; non enim commendat pœnitentiam, quæ in ſolo foliorum apparatu inuenitur; ſed quæ in vero, ac ſolido contritionis fructu conſiſtit. 130. Matth 3. D. Greg.

*Vera pœnitentia in fructu eſt, non in apparatu.*

# CAP. VI.

## *Sermo in loco campeſtri.*

*Luc.6.n.17.* Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et deſcendit cum eis Ieſchua, ſtetítque in planitie: & cœtus multus diſcipulorum eius, & multitudo turbæ populi ex tota Ithoudæa, & ex Ouriſchlem, & è portu maris Tzour, & Zaidon.

*Græcus.* Multitudo magna.

*Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 13.* Conueniunt à Tyro, & aliis regionibus, multitudo etiam tranſmarina.

### *EXPOSITIO I.*

SERMONEM hunc diſtinctum eſſe ab eo, quem Matthæus ſcribit cap.5. 6. & 7. latè dixi tom.2. cap. 10. q.2. *Deſcendens cum illis*, electis Apoſtolis in cacumine montis, vt ex loco ſignificaretur Apoſtolatus celſitudo, vt ait Caietanus. Deſcendit Dominus cum illis, nempe cum ipſis Apoſtolis. *Stetit in loco campeſtri*, id eſt communi, publico, & patenti, vt explicant Haymon, D.Bonauentura, Hugo, & alij, qui erat planities quædam ad radicem montis ſita, quò magna confluxerat multitudo, quæ Domini præſtolabatur aduentum, obque ſui debilitatem ad montem aſcendere non valebat. *Et turba diſcipulorum eius.* Præter duodecim Apoſtolos ſtetit etiam eo loco magna multitudo eorum, qui Dominum ſequebantur, atque eius doctrinam prom- 1. Caiet. Haymon. D.Bonau. Hugo.



pto animo audiebant, qui diſcipuli dicebantur. Et quia multi erant, ideo eos Euangeliſta turbam appellat.

2. Circa hos diſcipulos tria nota. Primò, quod Euangeliſta eos turbam nuncupat, quia etiam in diſcipulorum, ac electorum congregatione ſua turba, ac aliquale vulgus inuenitur. Secundò, cum D. Bonauentura; Quod inter hos diſcipulos aderant multi Domini propinqui, quos tamen Dominus ad Apoſtolatus altitudinem minimè duxit, dans formam omnibus, quod dignitates, atque officia, non conſanguinitatis iure, ſunt diſtribuenda. Tertiò, Toletus annot. 24. exiſtimat quod tota hæc diſcipulorum turba occurrit Domino in loco campeſtri. At iuxta, quæ dixi ſuperiori cap. Expoſit. 2. & q. 11. quod in monte, quando duodecim nominauit Apoſtolos, multi diſcipuli cum Domino erant, proinde de monte deſcenderunt cum Domino Apoſtoli, & diſcipuli, qui dignitate illa non fuerunt inſigniti. Et ita diſcipulorum turba, de qua loquitur hîc Euangeliſta, conſtabat partim ex iis, qui deſcenderunt de monte, partim ex illis, qui erant in loco campeſtri, ibique Domino occurrerunt.

*Etiam inter electos eſt aliqualis turba.* D.Bonauent. *Dignitas, non iure conſanguinitatis diſtribuenda.* Toletus.

3. *Multitudo copioſa plebis* aderat etiam in illo loco campeſtri multa, & varia gens, variiſque ex locis *Ab omni Iudæa, & Ieruſalem.* Ponitur hîc Iudæa pro omni parte regni Iſraël; & peculiariter facit mentionem de ciuitate ipſa regia Ieruſalem ob ſuam magnam nobilitatem. *Et maritima, & Tyri, & Sydonis*, nempe è parte maritima, quæ non intelligitur de illa, quæ erat iuxta proximum mare, ſeu ſtagnum Galilææ; ſed de ea, quæ erat iuxta mare mediterraneum, vt obſeruant Beda, Hugo, Caietanus, & alij, ad quæ ſitæ adiacebant Tyrus, & Sydon, quæ ciuitates maritimæ gentium erant. Matth. 11. verſ.11. Marc. 7. verſ. 26. Et clarius hoc exprimit Syriacus, dum omiſſa prima illa coniunctione, Et, ait: *è portu Tyri, & Sydonis.* Has duas ciuitates declarat Euangeliſta tanquam magnum miraculum, quod multi è remotis gentium ciuitatibus fama eius commoti, ad Chriſtum venerint.

Beda. Hugo. Caietan. Matth.11. Marc.7. Syriacus.

## Qvæstio I.

### *Quare Dominus deſcendit de monte ad locum campeſtrem?*

4. RATIONEM litteralem huius rei dixi in expoſitione: morales verò inquiro. Reſpondet primò, D. Ambroſius in cap. 6. Luc. *Ad vulnera noſtra deſcendit, vt vſu quodam, & copia ſuæ naturæ, comparticipes nos faciat eſſe regni cæleſtis.* Si enim magni deſcendunt, ac ſeſe aliquantulum contrahunt, humiles, ac infimi multis bonis replentur. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Luc.3.n.5. Vnde ait D. Leo ſerm. 5. de Natiuitate. cap. 3. *In aſſumptione noſtræ naturæ nobis factus eſt gradus, quo ad ipſum per ipſum poſſimus aſcendere.*

D.Ambroſ. *Si magni deſcendunt humiles bonis replentur.* Luc. 3. D. Leo.

5. Secundò, D. Bonauentura. *Deſcendit, & ſtetit in loco campeſtri, plano, & communi, vt omnes poſſent accedere ad audiendam ſapientiam eius* Prouerb. 1. n. 21. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam.* Erat Dominus in monte cum ſuis Apoſtolis; deſcendit tamen vt turbæ eius ſapientiam audiant. Nec enim princeps ſemper ſit cum ſuis eleuatus, ac clauſus in monte; ſed deſcendat, populoque ſe manifeſtet, vt cuncti ad eum accedant, eique ſuos morbos, ac neceſſitates aperiant, ab eoque remedia impetrent. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 31. & tom. 2. cap. 11. num. 127. & cap. 26. num. 26. 27. & 28.

D. Bonauent. Prouerb 1. *Princeps ſe ſuis manifeſtet, vt cuncti ad eum valeant accedere.*

6. Tertiò, E monte in locum campeſtrem ſe confert Dominus, vt ſua benignitate populum in ſui amorem traheret: Si enim Dominus in ſe ſemper ſit clauſus, ſuiſque ſe non communicet, minimè eos in ſui affectum inclinabit, atque ita ipſe ſolus, vel cum paucis ſe inueniet. Diuus Gregorius Nazianzenus Oration. 31. ita ait; *Si in ſpecula ſua manſiſſet, ſi ad hominum infirmitates minimè ſe dimiſiſſet; ſi quod erat, manſiſſet, incomprehenſibilem ſe ipſum cuſtodiens, pauci fortaſſe ſecuti fuiſſent.* Et proſequitur Sanctus Pater. Quia verò Dominus de cælo deſcendit, & ſemetipſum exinaniuit, totus eum ſequitur orbis. *Cùm deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Matth. 8. num. 1. Quartò, Adeò deſides ſunt homines, vt requiratur, quod Deus ad eos deſcendat, vt ipſi in cælum aſcendant, ac ſalutem aſſequantur. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. n. 12. & tom. 2. cap. 5. n. 170. & 171. & 172. Et hoc lib. cap.1.n.29.

*Si princeps fiat inacceſſibilis, ipſe ſolus erit.* Nazianzen. Matth. 8. *Si Deus hominem non quærat, ipſe ſe non mouebit ad illum.*

7. Quintò, Erat Dominus in monte cum ſuis, quos elegerat in Apoſtolos, & tamen ad planitiem, in qua erat, populorum turba venit; nam ſi per multum tempus in monte cum ſuis commoraretur, videretur populus contemni; & ne quis talia præſumeret, deſcendit Dominus, dans cunctis formam, quod princeps ſuos plebeios non paruipendat, ſed in magna æſtimatione reputet; nam dum quis contemnitur, facilè in te rigidè inſurgit; ſecùs verò, ſi vrbanè, ac amicabiliter tractatur. Ait Deus Moyſi: *Quid eſt, quod tenes in manu?* Reſpondit ille: *Virgam.* Ait Dominus iterum: *Proiice in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixit ei Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, & verſa eſt in virgam.* Exod.4. n. 4. Virga contemptibiliter abiecta in terram vertitur in draconem ad deuorandum, dilacerandumque Moyſem. At amicabiliter manu, ac æſtimatione tractata, fit ei in adiutorium, atque leuamen. Patriarcha Palud. Prouerb. 12. *Si abiicitur, terret; ſi autem accipitur per caudam, tunc vertitur in virgam conſolatoriam.* Vide ſupra cap.5.

*Princeps, non in contemptu ſed æſtimatione plebeos habeat.* Exod. 4. Palud. Patriarcha.

8. Sextò, Turba ob ſuam imperfectionem, ac debilitatem in montem aſcendere non valebat; ipſe in planitie ad eam deſcendit; nec enim à nobis plus ipſe exigit, quam quod facilè, ac ſuauiter præſtare poſſumus. Venit ipſe, vt verbo ſuo doceat, atque erudiat omnes: turba non valet alta conſcendere: ad eam ſe confert, ſolumque vult, vt aurem aperiat, atque eius excipiat verba.

*Deus à nobis non vult plus quàm præſtare poſſumus.*

9. Appropinquante diluuio mandauit Deus Noë: *Ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcam.* Geneſ. 6. num.19. Satis difficile, & inſuperabile videtur præceptum impoſitum. Quomodo vnus homo, & multis iam annis plenus poterit tot, ac tam diuerſorum animalium venator exiſtere? tot volucres per cæli tractum volantes, immo quædam in hac regione, quædam in illa, quomodo capiendæ ſunt? tot ferocia animalia, Geneſ.6.



 leones,

leones, vrſi, tigres quomodo ſubiugandi? Videtur ſanè mandatum ſuper humanas vires. Radix

Hebraicè.

hebraica habet: *Bina de omnibus ingredientur ad te:* facilis ſanè erat Dei iuſſio; non enim à Deo mandabatur, vt animalia quæreret, ac caperet; ſed vt ipſa venientia non prohiberet. Difficultas huius negotij, quod animalia acceſſerint ad arcam, Dei potentia operabatur: facilitas autem rei, quod oſtium eſſet apertum, homini mandabatur. D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei. cap. vltimo. *Non animalia capta intromittebat Noe, ſed venientia, & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum eſt, ingredientur tecum, non ſcilicet hominis actu, ſed Dei nutu.* Et Lippomanus in Catena. *Sine fatigatione tua intrabunt.*

*Deus non præcipit, niſi ea, quæ facilè præſtare poſſumus.*

D. Auguſt.

Lippoman.

10. Genel. 22. Mandat Deus Abrahamo *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum.* Gen. 22. n. 2. Quid durius, ac difficilius poterat mandari dilectiſſimo parenti, qui valde mirificè in ſuo pignore delectabatur, quàm quod ipſe filium occideret, atque igne accenſo in holocauſtum offerret? Perpondera tamen, quòd ante conceptionem Iſaac multa, & valdè magna de eius propagine in filio dilatanda promittuntur. Gen. 18. n. 18. Et iterum ei dicitur: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Gen. 21. n. 11. Sed ad quid tot pollicitationes præmittuntur de natis in Iſaac multiplicandis? Et poſtea ei mandatur, vt offerat eum in ſacrificium. Hoc forſitan factum eſt vt dolor augeretur, amoris difficultates creſcerent? Immò potiùs è contra ita ordinatum eſt, vt omnis difficultas eſſet ablata; nam, vt ita verbo, ac ſponſione diuina certus, & ſecurus intelligeret, filium mandari in holocauſtum offerri, non vt periret, ſed vt multiplicato fœnore creſceret, & augeretur. Et ita ait Paulus de eo, Rom. 4. n. 18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Philippus Abbas Bonæ ſpei. lib. de obedientia Clericorum. cap. 34. *Cuius fides commendatur prædicabilis, Deum promittere nihil ſuperfluum, arbitratur, ſed pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt, facere.* Expende: *Pleniſſimè ſciens.*

Geneſ. 18.
Geneſ. 21.

*Omnem Deus in præceptis ſuis difficultatem tollit.*

Rom. 4.

Philipp. Abb.

## Qvæstio II.

### *Quare turba non aſcendit in montem, ſed Chriſtus ad illam deſcendit?*

11. Christvs, Apoſtolos electurus, diſcipulos ſuos ducit in montem; non autem turbam: deſcendit tamen, vt eam erudiat. Ad quod reſpondet primò Cardinalis Hugo. In hoc facto myſticè innuitur infirmitas capacitatis turbarum, quæ ſublimia intelligere non ſufficiunt. Oſtendit ergo in hoc Dominus, quod perfectioribus ſunt altiora dicenda, minoribus leuiora. Vnde dicitur ad Hebr. 5. num. 13. *Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus.* Vnde raró legitur, turbam in monte Dominum ſequi: vel quod Dominus aliquot infirmos in monte ſanauerit Hæc Hugo. Talis eſt enim Domini eximia prouidentia, ac ſapientia, vt maioribus, & minoribus ſe accommodet. Ex his multa vide tom. 1. & 2. in Indice. verb. *Accõmodare.*

Hugo.

Hebræor. 5.

*Aliorum viribus accommodandum.*

12. Secundò, D. Ambroſius lib. 5. in Luc. ſic ait: *Aduerte omnia diligenter, quomodo & cum Apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas. Quomodo turba, niſi in humili, Chriſtum videret? non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia. Denique vbi deſcendit, inuenit infirmos, in excelſis enim infirmi eſſe non poſſunt.* In cacumine montis eliguntur diſcipuli in Apoſtolos. In depreſſo verò loco adeſt turba, ac languentium multitudo. Qui enim in alto ſunt, altos, & generoſos habent ſpiritus, & valdè ad magna apti conſiſtunt. Qui verò in imis adhærent, tenui, ac puſillo animo laborant, ad montem, ac ad magna non aſcendunt. *In excelſis enim infirmi eſſe non poſſunt.*

D. Ambroſ.

*Qui in imis adhærent, non apti ad magna.*

13. Tertiò, Turba, peccatorum onere depreſſa, non poterat ad montem aſcendere, nec ad alta, & ſublimia myſteria ſcandere. Ideò Moyſes, Aaron, Nadab, & Abiu, ac ſeptuaginta ſenes aſcendunt montem, non autem populus. Exod 23. n. 1. Sarcina delictorum ad ima ſuos peccatores trahit. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Exod. 15. n. 5. & 10.

Exod. 23.

*Peccata grauant, ac deprimunt nos.*
Exod. 15.

14. Quartò, Prudenter ſanè in hoc negotio ſe exhibuit turba: nam Chriſtus in montem vocauit ſuos diſcipulos, vt ex eis duodecim eligeret in Apoſtolos, turba autem, cùm non eſſet vocata, magna diſcretione non audet ſe intromittere, nec montem ſcandere; ſed ad illius radicem, Domini aduentum præſtolatur, eligens potius infirmitatum moleſtias, ac dolores pati, quàm in temeritatis notã incurrere, dum non vocata ingrederetur.

*Magna prudentia non ſe intromittere ad locum, ad quem non vocaris.*

15. Compone Abraham, & Moyſem inter ſe. Videt Moyſes celebrem illam viſionem, quod rubus arderet, & non combureretur; & ait: *Vadam, & videbo viſionem illam magnam.* A Domino prohibetur accedere, quin prius calceamenta deponat. *Non appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. n. 5. Ex Dei mandato pergit Abrahamus, vt in quodam monte filium ſuum ſacrificet. *Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus.* Gen. 22. n. 9. Meritò dubitat ibi Origenes *Moyſes, cùm veniſſet ad locum, quem oſtendit ei Deus, non permittitur aſcendere, ſed ante ei dicitur, ſolue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abraham nihil eorum dicitur, & Iſaac, ſed aſcendunt, nec calceamenta deponunt.* Et ratio difficultatis aperta eſt. Nam locus ille, in quo erat Moyſes, ex Domini præſentia hauſerat ſanctitatem; eandem quoque ſortitus erat mons, in quem Abraham ingrediebatur; vnde nomen obtinuit: *Dominus videbit*: ibidem n. 14. Immò ſi ad altiora velimus aſcendere, mons iſte, extitit ille, iuxta D. Hieronymum, in quo Dominus in ara Crucis oblatus eſt. Vnde ergo Moyſes tot inuenit difficultates, vt etiam calceamenta detrahere ei mandetur? Abrahamo verò totus mons eſt patens abſque ſimili præcepto? Moyſes non vocatus volebat accedere: *Vadam, & videbo viſionem hanc grandem*: Abrahamus autem tendebat ex Dei mãdato: *Vade in terrã viſionis, offer filiũ tuum.* Qui non inuitatus vult ſe intromittere, tribulos, ſpinas, ac multa impedimenta inuenit. Qui verò vocatus tendit, omnia ei ſunt facilia, ac aperta, & nihil aliud deſideratur, niſi vt viam arripiat, ac ambulet.

Exod. 3.

Geneſ. 22.

Origenes.

D. Hieron.

*Non inuitatus multa habet ad locum impedimenta; ſecus ſi vocatus fuerit.*

16. Dupliciter Sponſa è domo egreſſa incidit in cuſtodes murorum, & ciuitatis, Primò amicabiliter, ac beneuolè ab eis eſt excepta; vnde ab eis quæſiuit; *Num, quem diligit anima mea, vidiſtis?*

Cantic. 3.

Cantic. 3.



Cant. 3. num. 3. Immò ab ipſis cuſtodibus erudita eſt, vt ſuum ſponſum inueniret, vt obſeruant D. Gregor. Nyſſenus homil. 6. D. Ambroſius ſerm. 7. in Pſalm. 118. & lib. de Iſaac, cap. 5. Theodoretus, Pſellus, & alij. At quando ſecundò incidit in ciuitatis miniſtros, ait: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Cantic. 5. n. 7. Sed vnde tanta diuerſitas exorta eſt? Perpende, quod primò ſponſa vocata eſt à ſponſo, vt egrederetur è domo: ſic enim ei dicitur ſemel, & iterum: *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Cant. 2. num. 10. Quod explicat D. Greg. Nyſſenus homil. 5. Inuitabatur, vt exiret in campum; & ideo ſubditur: *Flores apparuerunt in terra noſtra: vox turturis audita eſt: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Cant. 2. num. 12 At ſecunda vice, quin imperata eſſet, è proprio habitaculo foras prodire, per vicos, & plateas graditur. Quando vocata egreditur, floribus, odoramentis, ac modulantibus vocibus excipitur: ſi verò ipſa ſe intromittit, & ſine iuſſione pergit, vulnerum, ac latronum nocumentis afficitur, ac moleſtatur. Philo Carpathius ad citatum locum Cant. 3. ponderans fœlicitates, quas in primo egreſſu Sancta habuit Anima, ſic ait: *Seruiendum eſt Deo, vocanti obediendum eſt, ac tutum.* Nam qui, vocatus à Deo, ſeruit, & foras exit, omnia habet in tuto: aliter verò, cuncta in periculo inuenit.

D. Nyſſen.
D. Ambr.
Theod.
Pſellus.
Cant. 5.

Cant. 2.

D. Nyſſen.

Cant. 2.

*Qui inuitatus exijt, multis excipitur fœlicitatibus: ſi ſine iuſſione è contra.*

Phil. Carp.

## Qvæstio III.

### *Quare Dominus non deſcendit ſolus de monte, ſed ſimul cum ſuis diſcipulis?*

17. Electis Apoſtolis, ait hîc in præſenti Euangeliſta, quod Chriſtus Dominus cum illis deſcendit. Cur ipſi Apoſtoli non remanent in monte ſedentes, vt ſaltem paululum requieſcant à noctis oratione? Vel, vt ſaltem per aliquod tempus in tantæ dignitatis conſideratione ſint defixi? Deſcendebat Dominus de monte, quia ad illius radicem turba, neceſſitate oppreſſa, Domini aduentum expectabat: deſcendunt etiam & diſcipuli.

*Ratio difficultatis.*

18. Primò, quia boni diſcipuli magiſtri ſui veſtigia ſequuntur. Deſcendebat Chriſtus, vt prædicaret, ac laboraret, hanc enim vim habet illud verbum: *Stetit in loco:* vt infra dicam; deſcendunt & diſcipuli, vt idem munus præſtent. Secundò, non decebat, vt Apoſtoli otio in monte vacarent, & eorum caput, ac magiſter ad concionandum, próque hominum ſalute ſudandum in planitiem ſe conferret. Tertiò, quia promoti in dignitatibus ad turbas per compaſſionem, & humilitatem deſcendere debent. Eccleſiaſt. 32, num. 1. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Quartò, hoc facto mirificè innuitur, quod ipſi diſcipuli à Domino fuerunt electi, non vt in monte tanquam in throno eleuati, ſublimatíque exiſterent; ſed vt deſcenderent hominum cauſam ſuſcipientes, vt pro eorum ſalute, atque remedio multum agentes laborarent.

*Dedecet, magiſtrũ in labore, diſcipulóſque in otio eſſe.*

Eccleſ. 32.

*Dignitas cõfertur non ad otium, ſed ad laborem.*

19. Geneſ. 12. Ait Dominus Abrahamo; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patis tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi: faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* Geneſ. 12. num. 1. Et poſtea ſubditur: *Cúmque veniſſet in eam, pertranſiuit Abraham terram vſque ad locum Sichem.* Magnum ſanè denotat ſacramentum, quod poſt tam longam futurorum bonorum prædictionem, ac poſtquam tot, tantarúmque gentium pater, ac caput Abraham eſt conſtitutus, primus, quem attigit, terræ promiſſionis locus Sichem dicatur. Sichem humerus, ſeu ceruix interpretatur, vt tradunt Philo lib. de migratione Abrahæ. D. Ambr. lib. 1. de Abrahamo, cap. 2. & lib. 2. cap. 3. Vt ita denotaretur, quod ipſe cum nomine magnifico tot populorum pater creabatur, non vt requieſceret, ſed vt laboraret, itaut ei ad tantum onus, pondúſque portandum, humeros præparare ſit opus. Vnde ait citatus D. Ambroſius. *Sichem enim humerus, vel ceruix ſignificatur, quod eſt laboris, vel exercitationis indicium.*



Philo.
D. Ambroſ.

*Dignitas, ac principatus onus, ac pondus.*

D. Ambr.

20. Poſt Adamum creatum ait textus Geneſ. 2. num. 15. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Adamus tunc erat in paradiſo voluptatis omnibus deliciis affluente: Quomodo ergo ei mandatum eſt, vt operaretur, & cuſtodiret illum? Perbellè D. Ambroſius lib. 1. de Paradiſo cap. 3. ſic ait: *Quamuis paradiſus operibus ruralibus non egeret; tamen quia primus homo lex poſteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris, vt nos ad operationem, & cuſtodiam debiti officij, & hæreditariæ ſucceſſionis munus adſtringeret.* Verſabatur Adamus in illo fœliciſſimo innocentiæ ſtatu, omnis laboris, ac moleſtiæ experte. Paradiſus ruralibus operibus non indigebat. Et tamen homini mandatur, vt operaretur, & cuſtodiret illum: nam ipſe conſtitutus fuit à Deo dominus, ac princeps totius vniuerſi; ei dictum eſt: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Geneſ. 1. num. 28. Et adeò intrinſecum eſt principatui, & dominationi opus, & labor, vt etiam in illo iucundiſſimo ſtatu homo factus princeps *legitimi etiam in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris.* Cuius rei rationem anteà præmiſit ipſe Ambroſius: *Quia primus homo lex poſteritatis futurus erat.* Vt in primo Parente diſcerent homines, quantum vigiliæ, ac operationis pondus affixum ſit iis, qui in culmine præſunt.

Geneſ. 2.

D. Ambr.

*Principatui, ac dignitati labor, & vigilia valdè annexa.*

Geneſ. 1.

## Qvæstio IV.

### *Quare Dominus in monte cum Apoſtolis ſedet; ſtat verò cum turba in loco campeſtri.*

21. Doctvrvs Dominus ſuos diſcipulos, cum ipſis aſcendit in montem, ac cum eis ſedit Matth. 5. n. 1. Hîc autem, vt erudiat turbas, deſcendit, ſtatque in loco campeſtri. Immò vt notat Cardinalis Hugo, turba ſtabat, vel ſedebat circa eum, vt ſolet fieri ad ſermones.

Matth. 5.

Hugo.

22. Ad quod reſpondet D. Bonauentura. *Perfectis diſcipulis fecerat ſermonem in montis cacumine. Iſtis verò tanquam imperfectis condeſcendens ſermonem fecit in deſcenſu montis. Vnde dicuntur turba.* Et poſtea ſubdit: *Cum iſtis dicitur Ieſus*

D. Bonau.

*ſtare ; ſed cum alijs perfectis ſedere. In quo oſtendit, quod nos firmiores debemus imbecillitates infirmiorum ſuſtinere.* Cùm perfectis ſedet Dominus, tanquam ibi cum eis, & in eis, requieſcat. Eccleſ.24. *In ciuitate ſanctificata requieui.* Eccleſiaſt.24.n.15. At verò cum imperfectis ſtat, quod ſignificat magnam efficaciam, ac vim in docendo, ac dicendo. Ioan.7. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me.* Ioan.7. num. 37. Vt inde diſcant principes, quod vbi maior neceſſitas apparet, maiórque indigentia vrget, maiorem ibi conatum adhibeant ad ſubueniendum, atque de remedio prouidendum.

*Vbi maior neceſſitas, ibi maior conatus ad remedium adhibendus.*

23. Secundò, ſedere, ſignum amicitiæ, ac beneuolentiæ eſt. Sic tres illi celebres Iob amici, ad ipſum viſitandum, venerunt, ac *ſederunt cum eo.* Iob 2. num. 13. At ſtare, dicit magnam energiam, ac acrimoniam prædicandi, ac commiſſum munus adimplendi. *Stabat Ieſus, & clamabat,* citato loco Ioan. *Clamauit Leo ſuper ſpeculam Domini, Ego ſum, ſtans iugiter per diem.* Iſai.21. num. 8. *Ecce Dominus ſtans ſuper murum litum.* Amos 7.num.7. *Angelus Domini ſtabat.* Zach 3. num.3. & Apocal. 19. num. 17. Sedet Dominus cum diſcipulis, ſtat verò cum turbis: nam ſedere, cum ad amicitiam, ac familiaritatem pertineat, cum paucis, ac electis communicatur. Stare verò, cum obligationem proprij muneris denotet, populis, turbis, ac omnibus æqualiter datur, ac conceditur. Et hac de cauſa ipſe ſtabat in loco campeſtri, tanquam in omnium medio docens, atque illuminans.

Iob 2. Ioan.7. Iſai.21. Amos 7. Zachar.3. Apoc. 19.

*Quæ ſint amicitiæ, paucis communicanda; quæ verò officij omnibus largienda.*

24. Paſſim inuenies in Scriptura, quod ſolus Moyſes cum Domino loquatur. Et cum ipſe appareret in gloria in monte Sinai, totus mons fumabat, & populus ingenti timore repletur. Tamen ait textus: *Moyſes acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. n. 21. Cùm autem Chriſtus Dominus in mundum deſcenderet, de ipſo Paulus ait ad Epheſ.2. num. 17. *Veniens Ieſus euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Maximè componendus vterque locus inter ſe eſt. Cur in Sina ad vnum tantùm Moyſem datur acceſſus, modo verò omnibus patefit aditus? In Sina parabatur Moyſi ingreſſus in nubem tanquam amico: *Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Exod. 33. num. 11. At verò modò ad Deum Patrem patefit aditus per Chriſtum tanquam per vniuerſalem parentem, ſaluatorem, ac redemptorem totius generis humani, quod munus ei iniunctum erat à ſuo Æterno Genitore. Quando ergo ratio amicitiæ, ac familiaritatis intercedit, vnus, & ſolus Moyſes electus admittitur, Deíque præſentia vni ſoli communicatur. At quando ratio proprij muneris interuenit in Chriſto; cunctis reſeratur acceſſus, tam his, qui de longè, quàm his, qui de propinquo veniunt; omnes tantorum bonorum participes fiunt. Vnde dixit D. Remigius ad citatum Pauli locum. *Per Chriſtum accedimus ad Deum Patrem, quia ipſe eſt mediator noſter.*

Exod. 20. Ad Epheſ.2. Exod. 33.

*Ad obſequia amicitiæ pauci, ad communia dona admittantur omnes.*

D.Remig.

25. Cum Saul ex Dei ordinatione eſſet vngendus in regem, veniſſétque ad Samuelem, à Propheta eſt inuitatus, vt cum ipſo comederet. *Aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie.* 1.Reg.9. n.19. Cùm verò iam rex electus eſſet diuulgandus, ac cunctis proponendus, *Conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maſpha.* 1.Reg.10. num.19. Hoc eſt congregauit ſeniores populi, ac principes tribuum, vt colligitur ex cap.8.n.4. Sed cur hi non inuitantur ad conuiuium, ſicut & Saul? Hic allicitur ad menſam in ſignum gratiæ, ac beneuolentiæ, vt facilè ex mente expoſitorum deprehendes. Illi verò ad regem acclamandum congregantur à Samuele, tanquam à ſacerdote, gubernatore, ac iudice populi, vt dixi ex Gloſſa, ſuperiori cap. Quæ amicitiæ, ac beneuolentiæ notam proferunt, vni tantùm, & electo Sauli deferuntur. Quæ verò proprij officij adminiſtrationem innuunt, omnes maiores populi amplectuntur, & nulli denegantur.

1. Reg.9. 1. Reg. 10. Gloſſa.

*Signa beneuolentiæ ſint particularia, muneris verò communia.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Dominus docet turbas, non ex aliqua excelſa montis parte; ſed ſtans in loco campeſtri ſimul cum turbis?*

26. VIDERI poterat, quod iuxta communem prædicantium morem, Dominus eſſet concionaturus ad radicem montis ex aliqua excelſiori ipſius parte. Tamen infinita Chriſti ſapientia ordinauit, vt ipſe turbas doceat ſtans in loco campeſtri, hoc eſt, vt ait Cardinalis Hugo, *in loco communi: ſic prælatus in loco communi debet ſtare, vt poſſit ab omnibus, qui eo indigent, facilè inueniri.* Ego flos campi. Cant.2. num.1. Ad quæſtionem. Reſpondeo, hoc factum fuiſſe in magnum noſtrum documentum.

Hugo. Cant.2.

27. Primò, non è monte docet turbas ſtantes in valle, ſed cum eis ipſe ſtat in planitie: nec enim qui ſunt in excelſo, ac ſublimi monte, benè docent eos, qui ſunt in depreſſo, humilíque loco. Deſcendant ergo ad valles, vt exiſtentes in vallibus erudiant, eíſque prædicent. Vide tom.1. cap.11. n.67. & 73. 74 & 75. Secundò, erat Chriſtus Dominus, vt vniuerſalis magiſter, erudiens; vt ſupremus Dominus, cunctis benefaciens, eorúmque langores ſanans: non adſtat in aliqua parte montis, ſed in loco campeſtri, in turbarum, ac populorum medio, vt omnia bona ſua æqualiter deriuentur in omnes eíſque communicentur.

*Prædicator auditoribus conformetur.*

28. Tertiò, Chriſtus Dominus aſcendit in montem; ad turbas verò deſcendit, eáſque excipit in loco campeſtri. Optimus princeps, qui ſibi adſcribit, ac deputat aſcenſus, aſperitatéſque montium; ſuis verò planities camporum, & vallium remittit, atque reſeruat. Tranſacto mari Galilææ ad oram maris paſcit Ieſus turbas; ad montem verò ſolus ipſe fugit, atque aſcendit. Ioan.6. n 15.

*Chriſtus ſibi reſeruat aſpera.*

Ioan. 6.

29. E contra verò inacceſſibiles difficultatum, ac inconuenientium montes experiuntur in principibus, ac magnatibus huius ſæculi illi, qui in ſuis neceſſitatibus quærunt ipſorum principum auxilium, atque leuamen. At verò omnes hi difficiles montes in valles redduntur planiſſimas, atque patentes, ſi ad commodum, ac vtilitatem ipſorum magnatum conſiderentur. Conſpirauerunt duo Eunuchi, vt regem Aſſuerum interficerent. *Quod Mardochæum non latuit, ſtatimque nuntiauit reginæ Eſther, & illa regi.* Eſther 2 n.22. Meritò quærit ibi Carthuſianus: Quomodo Eſther potuit ſe ad regem conferre; nam lex lata erat, quod ſi quis introiret ad principem non vocatus, interficeretur. Eſther. 4. num. 11. Reſpondet ipſe Carthuſianus, quod hac lege non obſtante, Regina ingreſſa eſt, & totum Aſſuero narrauit, vt illius vitæ conſuleret. Sed ex hoc magna exoritur quæſtio: nam poſtea exiit edictum à Rege, vt omnes Iudæi interficerentur. Quod cùm cognouiſſet Mardochæus, vehementer adurget Eſther, vt ſe, det in Regis præſentiam, loquaturque pro populo ſuo. *Ego quomodo ad regem introire potero, quæ iam triginta diebus non ſum vocata ad eum.* ibidem. Quod vt faciat, magnum indicit ieiunium in toto populo. Sed quomodo antea tam facilè, ac audenter introiuit; modò autem tot ſunt timores, ac obſtacula? Agnouerat prudens fæmina, quod apud principes, ac potentes ſæculi huius, multæ ad oppreſſorum, miſerabilium leuamen inſurgunt difficultatum voragines, ac inſuperabiles altitudines: quæ omnia, dum regum ipſorum negotium interuenit, ſine vllo impedimento redduntur in planum. Et ideo Eſther pro cauſa Regis valde audenter abſque iuſſione ingreditur; pro ſalute verò populi tremebunda nimis.

*Erga reges omnia ad eorum commoda ſunt facilia; ad populorum vtilitates difficilia.*

Eſther 2. Carthuſ. Eſther 4.



30. Deſcendit Iudith in Aſſyriorum caſtra. Ait textus Iudith. 10.n.11. *Factum eſt autem, cum deſcenderet montem, circa ortum diei occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam.* Et ſtatim cum feſtinatione eam in Holofernis tabernaculum ſine vlla mora deducunt. ibidem n. 16. Quod clariùs colligitur ex Septuaginta, qui ſic habent: *Et currum iunxerunt ei, & ancillæ eius, & duxerunt eam ad tabernaculum Holofernis.* Valde veriſſimile eſt, quod dux ille ſuperbiſſimus in alto tunc eſſet, profundoque ſomno, cùm hoc ante Solis ortum contingeret, ipſeque contemneret Hebræorum populum. Quomodo ergo tam confidenter eius tabernaculum ingrediuntur milites? Quomodo dormientem excitare non timent? Et augetur difficultas: nam poſt decollatum Holofernem, quod totus exercitus ignorabat, duces eius videntes, quod Hebræi egrediebantur ad ingerendum bellum contra eos, ad tentorium Holofernis omnes currunt. Et ait textus: *Nullus audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrando aperire.* Iudith 14. n. 10. Valde mirum! Paulò antea in die icrepuſculo ferentes Iudith omnes currunt, & maximi ducis ingrediuntur tentorium; modò verò, cùm Sol iam eſſet exortus, vt notat textus, & imminens periculum eſſet in proximo, nullus audet pulſare, nec introire! Quando voluptati, ac appetitui principis obſequitur, omnia ſunt in plano, impedimentum nullum adeſt, & vndique apertum apparet oſtium. E contrà verò, dum totius exercitus ruina imminet, & cunctorum vita eſt in periculo, omnia ſunt difficultatum montibus circunſepta, & nullus aditus inuenitur.

Iudith. 10. Septuaginta. Iudith 14.

*Ad principis voluptates aperta ſunt omnia, ad ſubditorum vtilitates omnia clauſa.*

31. Si ergo apud principes ſæculi omnia ad ſuas voluptates, atque commoda abſque vllo impedimento ſunt in promptu: ad aliorum verò vtilitates mille montium difficultates inſurgunt. Accedamus ad Chriſtum Dominum, qui ſibi aſperitates, ac aſcenſus collium deputat; nobis verò ea, quæ ſunt plana, ac facilia, concedit, vt ita ad eum abſque vllo impedimento accurramus.

*Ad Chriſtũ veniamus, in quo parui in plano inuenient omnia.*

***

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Euangeliſta facit mentionem de Ieruſalem, Tyro, ac Sydonia, prætermiſſa Galilæa?*

32. TRIA in præſenti inquiro. Primò, cur Euangeliſta hîc Galilæam prætermittit? Secundò, expreſsè facit mentionem de Tyro, & Sydonia? Tertiò, cur Ieruſalem tam peculiariter ſcribit? Ad quæ omnia ſingillatim reſpondendum.

*Tres quæſtiones ponuntur.*

33. Ad primum, cur Euangeliſta inter cæteras prouincias, ac ciuitates non commemorat Galilæam? Reſpondetur primò, Euangeliſtam latè accepiſſe Iudæam pro tota Iudæorum regione, & ita Galilæam ſubintellexiſſe. Secundò, vt notat Barradas, ſermo hic habitus eſt in Galilæa: nam eo finito introiuit Capharnaum Luc.7.n 1. quæ Galilææ ciuitas erat. Et ita tanquam notum ſuppoſuit Euangeliſta, quod multi ex Galilæa conuenerunt. Quæ enim nota, ac manifeſta ſunt, expreſſione non indigent. Tertiò, & moraliter. Omnes Apoſtoli erant Galilæi: *Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt?* Actor.2.n.7. Et tanquam notum ſuppoſuit Euangeliſta, quod gens illa tanto beneficio grata, ad Chriſtum conueniret, ac ipſum ſequeretur.

*Prima quæſt.*

Barradas. Luc. 7. Actor. 2.

*Grati ſimus beneficiis gentis noſtræ.*

34. Ad ſecundum: Cur Euangeliſta peculiariter commemorat maritimas ciuitates Tyrum, & Sydoniam? Reſpondet Beda, quod Tyrus, & Sydon *ciuitates gentium conſultè nominatim ab Euangeliſta ponuntur, vt quanta ſit fama, virtuſque Saluatoris intimetur, quæ exteras etiam ad ſanitatem, doctrinamque capeſſendam ciuitates acceſſerat.* Vt inde maximè arguerentur Iudæi, quod Chriſtum ex eis natum contemnerent, quem exteri ad venerandum quærebant.

*Secunda quæſtio.* Beda.

*Iudæorum confuſio, quòd Chriſtum cõtemnerent, quem extranei quærebãt.*

35. Ad tertium; Quare expreſsè ſcribit Euangeliſta Ieruſalem, quæ ſatis ſufficienter ſub Iudææ prouincia intelligebatur? Reſpondeo primò, propter nobilitatem ipſius ciuitatis. Secundò, Erat Ieruſalem totius regni caput, ac regalis curia, & tanquam valdè mirum, ac miraculoſum proponit Euangeliſta, quod in ea aliqui apti inuenirentur, vt ad Chriſtum venirent, ac ipſum ſequerentur. Ex hoc fundamento enarrans Matthæus 3. n. 5. quomodo omnes conueniebant ad Ioannem, ait: *Exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Quamuis ſub omni Iudæa, vel ſub omni regione circa Iordanem Ieroſolyma intelligeretur; tamen ſingillatim, ac primò eam ponit Euangeliſta, tanquam valde magnum, ac mirabile, quod ex ipſa regni metropoli multi accurrerint ad ipſum diuinum prædicatorem, ad ipſamque pœnitentiæ proclamationem.

*Tertia quæſt.*

Matth.3.

*Valde mirũ, quod in regum curia inueniantur ad virtutem apti.*

36. In Ægyptum ingreditur Iacob, & loquens cum rege Pharaone ait: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum.* Gen. 47. n.9. Erat iam bonus ſenex in regali ciuitate, & adhuc ſe peregrinum dicit? Vnde Paulus de Antiquis Patribus loquens ait? *Confitentes, quod hoſpites, & peregrini ſunt ſuper terram.* Ad Hebræos 11. n. 12. Quod in anteacto ſuæ vitæ tempore, quo Meſopotamiam, variaque loca perluſtrauit, Iacob peregrinus

Geneſ.47. Ad Hebr.11.

regrinus dicatur, bene capit mens noſtra. At in ipſa regni metropoli, in qua iam ſenex quieſcebat, & in qua vixit decem & ſeptem annis Gen. 47. n. 28. quod ipſe ſe peregrinum dicat, atque ab Apoſtolo ita vocetur, difficultate non caret. Meritò tamen ſic dictus, valdè enim peregrinus homo, qui inter delicioſos aulicorum concurſus in via iuſtitiæ, atque virtutis purum, & integrum animum ſeruat; talis enim ibi ita degit, ac ab illo loco peregrinus; in omni enim vitio licentioſus eius conciuis computatur. Rupertus lib. 9. in Gen. cap. 18. poſt citata verba Pauli ſic ait. *Eorum confeſſio nuſquam clarior, aut certior inuenitur, quàm hoc loco, vbi peregrinus iſte in aula regia, non oblitus patriæ cæleſtis vltrò peregrinum ſe confitetur.*

*Regalis curiæ conciuis delicioſus, & non probus.*

Rupertus.

37. Orta fame ſuper terram abiit Iſaac ad Abimelech regem Paleſtinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus, & ait: *Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſcas in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi.* Gen. 26. num. 1. In præſenti maximè eſt inueſtigandum, quomodo Iſaac, qui iam erat in Geraris, iubetur, quod ibi quieſcat, ſeu *habitet*, vt habet Hebraicus; & ita infra dicitur n. 6. *Manſitque in Geraris.* Et ad quid ad hoc ei apparet Deus promittens ſuam protectionem, atque munimen? Erat Gerara vrbs regis Abimelech ſedes, totiuſque regni metropolis, vt notant Abulenſis, Lyranus, Rupertus, & alij: Et adeò periculoſum eſt Iuſto, propter vitiorum impetus, atque conflictus in regali curia degere, atque viuere, quod, vt Iſaac in Geraris commoretur, neceſſum ſit, vt de hoc ei mandatum intimetur diuinum, diuinaque protectio, & aſſiſtentia polliceatur. Et, vt benè obſeruant Caietanus, Ioannes de la Haye, hoc loco prima Dei apparitio facta eſt Iſaac; nam quamuis vſque modo Patriarcha in multis extitiſſet euentibus, nunquam tamen ei tam neceſſaria fuit Dei præſentia, & apparitio, ac modò, quando ei mandatur, quod in regni metropoli viuat, atque quieſcat. Et quamuis ibi habitatet, præcipitur ei, non vt ſit ciuis, ſed peregrinus: *Peregrinare in ea*: vt explicat interlinealis, *quaſi in loco iſto peregrinus eſto.*

Gen. 26.

Abulenſis. Lyranus. Rupertus.

Caietanus. Haye.

*Valde mirabile, vt quis ſit probus in regni metropoli.*

Interlin.

*Luc. 6. n. 18.* Qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à langoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Qui venerant, vt audirent ſermonem eius, & ſanarentur à morbis ſuis. Et ij, qui vexabantur à ſpiritibus immundis, & ſanitati reſtituti ſunt.

*Arias.* Qui venerant audire, & ſanari à langoribus, & vexati curabantur.

*Græcus.* Et curabantur ab infirmitatibus ſuis.

*Caietanus.* Et etiam qui vexabantur à ſpiritibus.

### *EXPOSITIO II.*

QVI venerant, ex tot illis partibus ſuprà numeratis, *vt audirent eum, & ſanarentur.* Quidam conuenerant, vt audirent, tanquam magis ſoliciti de anima, ac cæleſtis doctrinæ pabulo, quam de corpore. Quidam, vt ſanarentur, infirmitates, ac oppreſſiones ad Chriſtum ducunt: *In paucis vexati, in multis benè diſponentur.* Sapient. 3. n. 5. Quidam propter vtrumque. Rabbanus præter hos, alios addidit dicens; quod *quidam venerant ad obſeruationem, vt inuidi; quidam ad refectionem, vt famelici: quidam ad videndum, vt curioſi.* Quamuis aliqui adeſſent inuidia, ac malo animo, tamen exinde diuina clementia non impeditur in pios; non enim æquum eſt, vt probi ob malignos nocumenta reportent. *Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis*, id eſt, qui moleſtabantur à dæmonibus. *Curabantur.* A Græcis, ac Syriacis additur particula. *Et*; tamen in noſtris exemplaribus non habetur. Et hunc ſenſum reddit, vt illud verbum *Curabantur* referatur ad omnes ſupra numeratos; nam in illo loco campeſtri ex omnibus illis partibus laborantes morbo, ac vexati à ſpiritibus aderant, híque omnes curabantur. Et non dicit Euangeliſta curabat eos, ſed curabantur, vt ſic maximè exprimeretur languentium multitudo, ac facilitas curationis ex parte Chriſti, ſiquidem ſine vllo verbo, ſed ſolo Chriſti tactu liberabantur omnes, vt ſtatim Euangeliſta declarat. Cur autem Dæmon dicatur ſpiritus immundus? Vide tom. 2. cap. 21. q. 3. 38.

Sapient. 3. Rabbanus.

*Probi ob improbos nocumentum reportare non debent.*

Græcus. Syrus.

## QVÆSTIO VII.

### *Explicantur tria illa verba: Venerant, vt audirent, & ſanarentur: ac ordo eis appoſitus.*

DE iſtis hominibus conuenientibus ſacer Euangeliſta tria narrat. Quod veniebant, 39.
*vt audirent, & ſanarentur.* Explicat, quod ad Chriſtum accurrerint; & eorum motiuum, *vt audirent, & ſanarentur.* Et primò ait, quod veniebant, quia ad ſalutem capeſſendam requiritur ex parte noſtra magna diſpoſitio, ac præparatio. Et veniebant ex Iudæa, Tyro, ac Sydone, ac ex partibus maritimis. Quia vt quis ad Chriſtum accedat, relinquat ritus, ac errores Iudæorum, & gentium negotia, atque huius maris vitiorum voragines, ab eorumque occaſionibus exeat, vt Chriſtum audiat, & ab eo ſanetur. Vt Deus in monte Sinaï ſuam daret legem, ait Moyſi; *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras lauent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium; die enim tertia deſcendet Dominus.* Exod. 19. n. 10. Erat populus accepturus Dei Legem, ac viam ſalutis, vt multa dona aſſequeretur, vt ex ipſo capite conſtat. Ad quid mandatur huiuſmodi veſtium ablutio? Theodoretus ibi. *Quia per corporales res ad ſpirituales eos adducit; ex his enim facilè intelligere poterant, multò magis mentem, animumque expurgari debere.*

*Ad ſalutem requiritur diſpoſitio ex noſtra parte, vtque mundana relinquamus.*

Exod. 19.

Theodor.

*Vt audirent.* Venientes à ciuitatibus, ac rebus mundanis relictis apti erant, vt Chriſti ſermonem audirent:



audirent: non enim ſimul vna anima capit Dei præcepta, ac mundi leges; nec enim Deus, & mundus ſimul habitare poſſunt. *Audi populus meus, & conteſtabor te: Iſraël, ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Pſalm. 80. num. 9. vbi ait D. Auguſtinus. *Mouet me, quod dixit, in te; non enim dixit, à te; quaſi ſimulachrum forinſecus adhibitum; ſed in te, in corde tuo.* Non enim in vno corde poteſt eſſe Deus verus, & falſus. Vide tom. 1. lib. 2. c. 1. num. 54. & tom. 2. cap. 2. num. 25.

*Deus, & mundus non habitant ſimul.* Pſalm. 80.

D. Auguſt.

41. *Sanarentur.* Valdè liberalis eſt Dei manus, non vnum tantum, ſed multiplex beneficium confert. Theophylactus. *Eos, qui de vrbibus venerant, ſanat, & geminis beneficijs proſequitur, in anima ſcilicet, ac corpore. Audi enim, quid dicat, venerunt, vt audirent eum, quod ad animæ curam pertinet; & ſanarentur à morbis ſuis; hoc de corpore dicit.* Deus non vno beneficio, ſed geminis nos afficit; & non ſolùm corporalia præbet, ſed etiam ſpiritualia tribuit.

Theoph.

*Deus multiplici nos beneficio proſequitur.*

42. Vt Deus mulierem crearet, hominíque daret adiutorium ſimile ſibi: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam; cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adamo, in mulierem.* Geneſ. 2. n. 19. Ad quid datur primo homini ſomnus hic, in quo alta ei, ſublimiáque reſerantur myſteria, vt eſt communis Patrum ſententia. Tertull. lib. 1. contra Marcion. cap. 4. Chryſoſtomi, Procopij, & aliorum ibidem. Vnde ait D. Auguſt. apud Lippomanum. *Ecſtaſis hæc, quam Deus immiſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per ecſtaſim particeps fieret, tanquam angelicæ curæ, & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret nouiſſima.* Neſcit diuina manus, vnum, ſed multiplex beneficium dare; dum mulier, vt in familiæ rebus miniſtraret, homini datur; tam alta etiam ei myſteriorum confertur cognitio, qua in ſpiritualibus proficeret, vt ei in temporalibus mulier non minus in adiutorium eſſet, quàm in ſpiritualibus illa, ex qua vehementer in Dei cognitionem, ac amorem excitatus inflammaretur, ſublimis notitia. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 2. num. 17. & 18.

Geneſ. 2.

Tertull. Chryſoſt. Procop. D. Auguſt.

*Deus dat duplex beneficium, temporale, & ſpirituale.*

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare dicitur, quod tuurbæ veniebant, vt audirent, deinde, vt ſanarentur, cùm Chriſtus Dominus priùs ſanauerit, & poſteà prædicauerit?*

43. EVANGELISTA narrans hanc hiſtoriam, ac populorum intentionem, cum ad Chriſtum conuenirent, primò ponit, quod veniebant, vt audirent; ſecundo verò loco, vt ſanarentur. Et tamen Chriſtus Dominus priùs omnes languidos curauit: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes:* & poſteà eleuatis oculis prædicauit, vt ex ipſo contextu patet. Cur ergo non ſeruatur ordo, vt ſicut priùs venerant audire, priùs erudiantur, & poſtea ſanentur?

*Ratio difficultatis.*

44. Reſpondeo primò, vt dixi in expoſitione, quidam venerant, audirent; quidam, vt ſanarentur; alij verò propter vtrumque. Qui conueniebant, vt audirent, perfectiores erant; nam ſpiritualis pabuli ducebantur affectu. Qui verò ob ſanitatem accurrebant, imperfectiores extiterant, cum corporalis ſalutis deſiderio tenerentur. Horum voluntati primò Dominus ſatisfacit; nam debilioribus, ac imperfectioribus maximè ſubueniendum, ne deficiant, ſed vt corroborati proficiant, & augeſcant. Vide tom. 2. cap. 7. num. 84. & 85. c. 19. num. 35.

*Debilioribus, ac imperfectioribus ſubueniendum.*

Secundò, venerant turbæ, vt audirent, & ſanarentur. Et tamen Chriſtus Dominus antequam prædicaret, admirabilémque ſuam doctrinam diffunderet, multa priùs miracula præſtat, quibus ſe illis beneficum demonſtrat, atque omnipotentem declarat, vt ita tam præclaris operibus omnium ad ſe alliceret, inclinarétque affectum, vt eius admirabilem cuncti promptè caperent, amplecterentúrque doctrinam. Ad quod multum per omnem modum auditorum beneuolus animus intereſt. 45.

*Vt doctrina ab auditoribus beneuolè accipiatur, pia in voluntate præcedat affectio.*

Poſtquam Moyſes de eximendo à captiuitate Ægyptiaca populo, vt introduceretur in terram fluentem lac, & mel, à Deo mandatum accepit; tunc venerunt Moyſes, & Aaron ad vniuerſos ſeniores Iſraël. *Locutúſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſem, & fecit ſigna coram populo, & credidit populus.* Exod. 4. num. 30. Viri eminentes valdè erant Moyſes, & Aaron abſque vlla mendacij ſuſpicione. Cur eorum dictis non acquieſcit populus, ſed non niſi poſtquam in eius præſentia exhibita fuere ſigna, fidem præſtat? Quia illis mirabilibus viſis agnouerunt vniuerſi potentiam Dei in miniſtro ſuo Moyſe; & inde omnium affectus in eum eſt maximè inclinatus, vt eorum mens eius dictis aſſentiretur, ac crederet. D. Proſper, ac Lippomanus. *Moyſes, & Aaron Hebræo populo prædicantes, miſſos ſe à Deo, vt eos ex Ægypto eruerent, firmauerunt; quibus, & ſigna facientibus credidit populus.* Expende vltima verba, *quibus, & ſigna facientibus credidit populus.* 46.

Exod. 4.

*Diſponenda eſt voluntatis affectio, vt mens credat.*

D. Proſper. Lippoman.

Iam, ex Ioannis teſtimonio, Andreas venerat ad Chriſtum, ad quem adduxit fratrem ſuum Simonem. Intuitus autem eum Ieſus dixit: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. num. 42. Magnum ſanè nomen hîc datur Simoni. Dicitur Petrus, quod ſignificat firmiſſimam petram, vt ex Syriaco colligitur. Per quod denotatur, vt ait Beda, eum futurum Eccleſiæ fundamentum, & ordinis Eccleſiaſtici caput, vt inquit Albertus Magnus. Vnde ait Rupertus hîc, quod tali nomine maximè debebat gaudere Simon. Sed cur antequam Chriſtus cum eo loqueretur, vel eum exteriùs ad ſe vocaret, tantum ei dat nomen, in quo tanta præſignabantur mirabilia? Euthymius. *Quæ diuinitatis ſunt, deinceps à vaticinio aperire incipit; ſiquidem hæc alliciunt homines.* Antequam Chriſtus cum Petro haberet aliquod verbum, tam magna, ac excelſa ſuæ diuinitatis ei vaticinatur in nomine, vt Petrum ad ſe alliceret, ſibíque faceret maximè deuotum, atque propenſum; vt tunc poſtea Chriſto loquente, Petrus pio, ac prompto animo eius verba audiret, dictis annueret, ac vocanti obediret, ac acquieſceret. 47.

Ioan. 1.

Beda.

Albert. Mag. Rupert.

Euthym.

*Alliciendus eſt affectus, vt mens audiendo obediat.*

In huius rei confirmationem ait Chryſoſtomus homil. 18. in Ioan. explicans citata Euangeliſtæ verba: *Vocaberis Cephas: Incipit iam reuelare myſteria, eaque paulatim per Prophetas aperire:* hoc 48.

*hoc pacto & cum Nathanael egit, & cum muliere Samaritana non enim minus, quam ſigna, prophetiæ mouent.* Antequam Nathanael fateretur Chriſtum filium Dei Ioan. 1. num. 49. ac Samaritana, ipſum eſſe verum Meſſiam Ioan. 4. num. 24. agnoſceret, eorum voluntatem multa diuino intuitu declarando diſpoſuit, ac affectum mouit, & ad ſe inclinauit. Et tunc mulieri Samaritanæ, pio affectu plenæ, aperuit, ſe eſſe Meſſiam, qui cum illa loquebatur, vt in eum crederet. (Ioan. 1. Ioan. 4.)

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Euangeliſta ſolùm facit mentionem, de his, qui venerunt, vt audirent, & ſanarentur; non verò de illis qui aderant, vt inuidia obſeruarent?*

49\. (Rabban. *Ratio difficultatis.*) VT in expoſitione dixi ex Rabbano, in præſenti conuenerant multi; quidam vt audirent; quidam, vt ſanarentur; alij, vt inuidia obſeruarent, ac calumniarentur. Et tamen Euangeliſta his vltimis prætermiſſis, ſolùm de duobus prioribus mentionem facit; *Vt audirent, & ſanarentur.*

50\. (*Bonus princeps non ſemper inſtet reprehenſione, ſed aliqua diſſimulet.*) Reſpondeo, primò, quod Euangeliſta de his inuidis obſeruatoribus non facit mentionem, fortè quia non erant nimis rigidi, & furioſi; ſed aliqualiter obſeruandi cauſa veniebant, cum alias etiam bonum animum haberent. Et hac de cauſa eos Chriſtus Dominus hìc non reprehendit. Nam bonus princeps aliquando debet ſcire diſſimulare, & non ſemper reprehenſionibus inſtare. Vide tom. 2. cap. 6. n. 6. Secundò, hic dies erat valdè feſtiuus, & ſolemnis; nam in eo fuerunt electi Apoſtoli, & Principes Eccleſiæ; & tantus dies fuit maximè celebrandus, in eóque nemo erat reprehenſione ſuggilandus, ac contriſtandus. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 152. (*Dies feſtiuus non eſt contriſtandus.*)

51\. (D. Bonau.) Tertiò, vt reſpondeam, aduerte ex D. Bonauentura, quod quidam venerant, vt audirent, quantum ad illuſtrationem veritatis in mente, & ſanarentur à langoribus ſuis, ſcilicet quantum ad curationem ſalutis in carne. Et hæc erat recta intentio ſecundum illud Oſe. 6. num. 1. (Oſe. 6.) *Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſaluabit nos, & percutiet, & curabit nos.* Et ſubditur: *Et viuemus in conſpectu eius: ſciemus, & ſequemur, vt cognoſcamus Dominum.* In hoc oſtendebant iſti, quod erant de ouibus Chriſti, quia concurrebant ad veritatem, & ſalutem percipiendam. Hoc ſuppoſito ex D. Bonauentura, Reſpondeo ad quæſtionem. Quod ſacer Euangeliſta, vt benè inſtructus in ſchola Chriſti, ea, quæ probitatis erant, quod *venerant, vt audirent, & ſanarentur*, in quibus erat recta intentio, hoc expreſsè ſcribit. At quæ vitium, & turpitudinem importabant, qualis extabat malignitas in inuidioſis obſeruatoribus, hoc omnino tacet, & prætermittit. Nec enim ſolent ſancti, ob ſuam eximiam charitatem, aliorum peccata diuulgare, niſi quando hoc hiſtoriæ neceſſitas exigit. Vnde requiſiti Apoſtoli à Domino: *Quem dicunt homines, eſſe filium hominis?* non proferentes aſſerunt, quod à quibuſdam exiſtimabatur vorax, Samaritanus, vel dæmoniacus; ſed ea, quæ proba erant, & pro captu populi magna videbantur. Math. 16. num. 14. *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, aut Ieremiam.* (*Iuſti, quæ proba ſunt, dicunt; improba verò tacent.*) (Math. 16.)

52\. (Math. 27.) Mortuo Chriſto Domino, ſcribit Matthæus 27. num. 53. *Quod multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem.* Sed quomodo ſacer Euangeliſta vrbem illam, omni ſacrilegio, vitio, ac turpitudine plenam, ſanctam nuncupat; non verò peccatricem, ac vitioſam, præcipuè in eo euentu, quando narratur mors filij Dei, in quo ſummum ſacrilegium ac abominabile ſuper omnia nefas commiſit? Cur ergo ſanctam dicit? Poſt D. Hieronymum ſic ait Beda. (D. Hieron. Beda.) *Sanctam ciuitatem hanc terrenam Ieroſolymam intelligimus, quæ antea ſancta fuerat appellata propter templum, & ſancta ſanctorum.* Conſiderauit Euangeliſta probitatem loci, non verò illius nequitiam; coniecítque oculos in ea, quæ decorabant; non verò in illa, quæ dehoneſtabant: vnde memoriam peccatorum prætermittit. Ciuitatem ſanctam dicit ob templum, & ſancta ſanctorum. (*Sancti, vt condecorent, denominationẽ à virtute, & non à peccatis ſumũt.*)

53\. (Marc. 9.) Peergebat Dominus cum ſuis diſcipulis in Capharnaum. Ipſi diſcipuli. *In via inter ſe diſputauerunt, quis eorum maior eſſet.* Marc. 9. num. 33. & Luc. 9. num. 44. Vnde apud Matth. 18. num. 1. ad Chriſtum acceſſerunt interrogantes. (Luc. 9. Math. 18.) *Quis putas maior eſt in regno cælorum?* Et in hac altercatione quidam aſſerebant, quod maior loco, honore, ac auctoritate futurus erat Petrus, quia pro ipſo, & Domino viderant idem tributum redditum, vt ait D. Hieronymus. (D. Hieron.) Alij dicebant, Petrum, Ioannem, ac Iacobum futuros eſſe primores; nam hos Dominus in montem Thabor abduxit, vt affirmat Maldonatus. (Maldonat.) Et ſic alij de aliis loquebantur. Cum autem in vltima cœna eſſet Dominus cum ſuis Apoſtolis, eíſque dixiſſet, quod vnus ex illis eſſet eum traditurus. (Ioan. 13.) *Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli hæſitantes, de quo diceret.* Ioan. 13. num. 22. Audito tanto proditoris crimine; omnes ſtupore attoniti ſeſe ad inuicem aſpiciunt, & nullus alium de tanto ſcelere notare audet. Carthuſianus. (Carthuſ.) *Quilibet eorum præter Iudam fuit ſibi conſcius de bono affectu ad Magiſtrum, & quod nil tale proponeret, idem quoque de condiſcipulis æſtimauit.* Sed cur, quando ſermo incidit, quiſnam eſſet maiorem præeminentiam, ac dignitatem aſſecuturus, dicunt, quod erit Petrus, Ioannes, vel Iacobus: at verò, dum de proditore eſt quæſtio, dubitantes hæſitant; & quilibet nullum alium deſignare audet. Vnde Petrus Ioanni innuit, vt interroget, quis eſſet hoc facturus? Gens ſancta, ac electa, quæ etiam quando aliquali ambitionis nota fertur, halitum probitatis exhibet: nam dum altercatur de prælatione, ac primatu in Apoſtolatu, in quo euidens erat, quod illa pro meritis diſtribuebantur, Petrum, vel Iacobum, ſeu Ioannem affirmando proponit. At quando de turpiſſimi criminis auctore agitur, omnes admiratione defixi iudicium ſuſpendunt, & ſe adſpiciendo nullus de quolibet condiſcipulorum id determinatè æſtimat, aut verbis aſſeuerat. Vide tom. 2 c. 3. n. 44. & eod. tom. in Indice verb. *Defectus.* (*Probi loquũtur in bono; in malo tacent.*)

*Lucæ 6. n. 19.* Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

VER



*VERSIONES.*

*Syriacus.* Totáque turba quærebat eum tangere: Virtus enim prodibat ex eo, omnéſque ſanabat.

*Vatablus.* Virtus ab illo exibat.

*Aliqui ex Græc.* Virtus ab illo manabat.

### *EXPOSITIO III.*

54\. MAGNA erat populi multitudo, vt indicat verbum *turba*, & etiam illud *quærebat*, quia præ hominum concurrentium multitudine magno affectu, ac conatu quilibet intendebat *tangere, eum*, ſcilicet aliquid vel minimum eius. Ait D. Bonauentura. (D. Bonau.) Turba quærebat eum tangere *fide, & deuotione.* Vnde multi hodie corpus Chriſti tangunt, & non ſanantur, quia abſque fide, & deuotione, qua decet, accedunt. (*Qui Chriſtũ fide, ac deuotione tangit, ſanatur.*) Notat etiam Caietanus, quod Chriſtus Dominus quandoque curat ſolo imperio, quandoque tactu, vt monſtret & auctoritatem diuinam, & ſanctitatem humanitatis ſuæ, quæ tanta in nos beneficia diffundebat; vtque ita agnoſcamus, omnia Chriſti nobis eſſe ſalutifera. (Caiet.)

55\. (Theoph. Hugo. *Chriſtus fons ſalutis.*) *Quia virtus de illo exibat*, vt ait Theophylactus, *vt à fonte virtutum*, ſeu vt ait Hugo, *vt à fonte riuali ſanitatum.* Hæc autem virtus exibat à Chriſto, non abſque eius voluntatis nutu, ſed ipſo volente, vt cunctos ſuis donis ditaret. Et hæc virtus exibat à Chriſto, vt explicat Theophylactus in cap. 5. Marc. verſ. 30. (Theoph.) ſicut doctrina à magiſtro in diſcipulos exit, cum tamen doctrina ipſa in doctoribus maneat, & ſolùm ſui effectum, nempe cognitionem ſimilem in diſcipulos traducat. *Et ſanabat omnes*, qui fide, ac deuotione tangebant. Hæc autem ſanitas cum Beda intelligenda eſt, tam de corpore, quam de anima: (Beda.) nam non ſolùm à morbis, ſed etiam à peccatis ſanabat, quos aptos inueniebat, nullúmque obicem apponebant. Hic maximè commendanda eſt infirmorum fides, præcipuè primorum, credebant enim, ſolo tactu ſe poſſe ſanari. Potiùs verò commendanda eſt Chriſti potentia, clementia, ac miſericordia in tot languidos, cui nulla erat incurabilis ægritudo.

## QVÆSTIO X.

### *Quare dicitur hìc, turbam tangere Chriſtum Dominum, cùm alibi dicatur, eum comprimere?*

56\. EVANGELISTA ait, quod turba quærebat eum tangere. Et tamen alibi dicitur, turbam eum comprimere. (Marc. 3. & 5. Luc. 8.) Marc. 3. n. 9. & cap. 5. num. 24. 31. Luc. 8. num. 42. 45. Vnde quando mulier illa, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, Chriſti fimbriam tetigit, *Ait Ieſus: Quis me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit.*

57\. (Beda. Hugo.) Rectè ex Beda reſpondet Hugo. *Tangit Chriſtum, qui fideliter credit in eum. Hæretici autem comprimunt eum. Vnde dixiſſe legitur turbæ comprimenti ſe, quis me tetigit:* Mulier, quæ fluxu ſanguinis laborabat, cum magna fide eſſet plena: *fides tua te ſaluam fecit*: venerando tetigit Chriſtum. Et ſic de illa ait Dominus: *Quis me tetigit?* (*Fideles Chriſtum venerãdo tangunt, Hæretici ipſum comprimunt.*) At de turba, quæ circuibat Ieſum, inquiunt Apoſtoli loco Lucæ proximè citato: (Luc. 8.) *Turbæ te comprimunt, & affligunt:* Multitudo illa populi aliena erat à fide, ſine deuotione, ſed curioſitatis, vel obſeruationis cauſa accedebat, ideóque hæreticos, ac infideles adumbrabat, vnde Chriſtum comprimit, & affligit: Hæretici enim Chriſto ſunt valdè moleſti.

58\. Cum Chriſtus Dominus veniſſet, & transfretaſſet in terram Geneſar, ait D. Matthæus 14. n. 36. *Quicumque tetigerunt, ſalui facti ſunt.* (Matth. 14.) Et antea, cum populus eſſet ad radicem montis Sinai, mandauit Dominus Moyſi, vt populo notificaret: *Cauete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius; qui tetigerit montem, morte morietur.* (Exod. 19.) Exod. 19. num. 12. Cur illi, tangendo Chriſtum, viuebant; hi verò ex montis tactu mortem ſibi comparabant? Lippomanus. (Lippoman.) *Significatur, nos in diuinis rebus non debere eſſe curioſos, ne ſacroſancta conſilia temerè attingamus.* Illi, qui Chriſtum tangebant, feruidi extabant in fide, in qua Populus torpeſcebat, qui curioſitate ad conculcandum montem ferebatur. (*Qui torpeſcit in fide, Chriſtum contemnit.*) Et qui cum fide viua ad Chriſtum accedit, Dominum venerando, ac reuerendo tangit. Qui autem ſine illa ad ipſum, veluti contemnendo, ac conculcando approximant, de eis dicitur: *Conculcauerunt partem meam.* Ierem. 12. num. 10. (Ierem. 12.) Vnde illi ſanitate donantur; iſti verò mortis comminatione afficiuntur. Circa præſentem quæſtionem vide alias expoſitiones, & etiam pro ſacra Euchariſtia tom. 2. cap. 29. qaæſt. 10.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare dicitur de Chriſto, quod de eo exibat virtus, & ſanabat omnes?*

59\. AIT Euangeliſta, quod à Chriſto Domino exibat virtus, & ſanabat omnes: non ait, ab illo virtutem eſſe emiſſam, ſed exiſſe. Quam quæſtionem diſputaui citato tom. 2. c. 29. quæſt. 11. Hæc autem verba hìc in præſenti in magnum documentum noſtrum, præcipuè regum, ac prælatorum, expendenda ſunt. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Vis benefica ne ſit abſtruſa, & recondita in quolibet noſtri, ſed exeat à nobis in bonum, ac ſalutem aliorum. (*Virtus benefica, ne ſit abſcondita, ſed foras exeat.*) Habebat Chriſtus Dominus potentiam ad ſanandum, & etiam ad non ſanandum, nam ipſo volente ſanitas conferebatur; tamen *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Diſce, ô homo. A Chriſto habes in prælatione, & dominatione poteſtatem: hæc virtus ne ſit recondita, ſed exeat, non in nocumentum, ſed in aliorum opem, & auxilium.

60\. Inter cætera Chriſti Domini magnalia duplex eius in horto poteſtas hìc mihi modò conſideranda venit. Dum comprehenditur Redemptor, dicit Petro. (Matth. 26.) *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim*

*cim legiones Angelorum?* Matth. 26. num. 53. Ac ſi dicat Petro, quod ſi ipſe ſe vellet defendere, hoſtiúmque effugere manus, à Patre poterat auxilium poſtulare; dediſſétque ei pluſquam duodecim legiones Angelorum, quorum quilibet ad totam illam turbam delendam ſatis eſt. Altera ibi in Chriſto nitet poteſtas ad ſuum ſanguinem pro

Luc. 22.
noſtra redemptione effundendum. *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. num. 44. Ecce hîc apparet duplex in Chriſto potentia, vna vt impetraret auxilium à Patre, ne Iudæis traderetur: altera, vt pro nobis ſuum ſanguinem daret. Et tamen illa prima poteſtas in eo manſit recondita, non enim legiones Angelorum rogauit à Patre. Secunda verò in actum prodiit; nam ſacratiſſimus eius ſanguis pro noſtra ſalute foras exiuit. Sed vnde quæſo hæc diuerſitas? Illa prima potentia erat ad impediendum viuificum pretium ſanguinis eius pro noſtra redemptione: ſecunda verò ad illud abundantiſſimè exhibendum. Ad remedium auertendum potentia recondita manet; ad illud verò præſtandum, largiter, & auguſtè foras prorumpit, & in tanta amplitudine, vt eſſent *guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Et cum ſanguis ille eſſet viuificus, exiuit, non aliquo ferreo adhibito inſtrumento, ſed vi, & naturali impetu ſuo, vt tenet bona pars recentiorum, Maldonatus, Barradas, Franciſcus Lucas, & alij, vt nos viuificaret, ac ab omni inquinamento mundaret. Beda. *Sudauit ſanguinem, vt fidem diſcipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret.*

*Bona potentia eſt pro auxilio, & non pro illius impedimento.*

Maldonat. Barradas. Franc. Luc. Beda.

61. E contra verò homines huius ſæculi ſe habent, vt ſua execranda ſententia nobis declarat ille iniquiſſimus iudex Pilatus, dixit enim Domino Ieſu:

Ioan. 19.
*Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te.* Ioan. 19. num. 10. Duplicem in ſe agnoſcit potentiam, ad crucifigendum, ac dimittendum: tamen benefica dimittendi poteſtas in eo manſit abſtruſa, & inter viſcera clauſa; poteſtas verò crucifigendi ſuum produxit effectum, ac foras exiuit. *Tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur.* Vnde de Pilati poteſtate ait Ambroſius ſerm. 20. in Pſal. 118. *Mala poteſtas, poſſe, quod non liceat.*

*Mala poteſtas ad malefaciendum.*

D. Ambr.

## Qvæstio XII.

### *Quare virtus Domini erat hîc tam largiter ad ſanandum omnes?*

62. D. Bonau.
Ratio litteralis patet ex dictis ex D. Bonauenturà. Quia iſti fide, ac deuotione pleni accedebant: & ideo promeriti erant, vt beneficia à Domino conſequerentur. Secundò, & iam moraliter. In hac die in monte elegit Dominus principes ſuæ Eccleſiæ ſacros Apoſtolos: & tantus dies omni erat munificentia, ac feſtiuitate celebrandus.

*Dies electionis celebrandus donis.*

63. Tertiò, ne aliquis perperam cogitaret, quod Dominus in ſuos ſolùm amicos, atque electos ſua beneficia coarctabat; ideo quando Apoſtolos eligit, in alios, quicumque ad eum accedunt, tam largiter ſua dona diffundit. Quartò, vt ſupremus Dominus in monte creauit Apoſtolos, vt eos mitteret per totum orbem ad prædicandum, ac docendum: deſcendens verò de monte in omnes tanquam rex beneficus ſuam pandit largitatem. Orabat Eſther 14. num. 3. ad Deum dicens: *Domine mi, Rex noſter.* Deprecatur omnipotentem ſibi eſſe Dominum ſuprema dominandi poteſtate; aliis verò regem, beneficiorum largitate: *Rex noſter.* E contra verò aulicorum conditio modò affectat, vt principes aliis imperio, ac iuſſione ſint domini: ſibi verò metipſis ampliſſima magnificentia, ac liberalitate reges.

*Regis beneficia ſint non ſolùm in amicos, ſed in omnes.*

Eſther 14.
*Iuſtus vult, vt Deus ſibi ſit Dominus, alijs verò Rex.*

Quintò, Dominus de monte deſcendit; ergo planum erat, quod ſanitatis donum eſſet exhibiturus: nam ſi ille hoc non intenderet, abſque dubio in altitudine montis remanſiſſet; minus enim indecens erat, quod in monte commoraretur abſque eo, quod languidis medicamen præberet, quàm quod deſcendens miſerias videret, eiſque non ſubueniret, neque remedij leuamen præſtaret. 64.

*Qui miſeriã videt, illi ſubueniat.*

*Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem.* Pſalm. 12. num. 1. Metaphorica de Deo eſt locutio, vt in confeſſo eſt apud omnes. Senſum moralem quæro. Quomodo Propheta, Deum obliuiſci, aſſeuerat; nam maximè repugnat Deo, in cuius præſentia omnia ſunt poſita, obliuiſci? Loquitur Regius Vates de ſe in maxima neceſſitate, ac anxietate conſtituto, cum præſto non agnoſceret, ſibi adeſſe diuinum auxilium: ait D. Thomas, *aliquando, qui diſſimulat iniurias alicuius, hoc ideo facit, quia non recordatur eius.* Deum obliuioſum dicit, nam qui obliuiſcitur, miſerias non videt, nec de illis recordatur. At illas videre, & opem non ferre, multum ſummæ bonitati repugnans, noſtro dicendi modo, apparet. Ne ergo hoc ſecundum de Deo affirmaret, de eo obliuionem prædicat. 65.

Pſalm. 12.

D. Thom.

*Alienum à benignitate videtur, miſeriam videre, illique non ſubuenire.*

*Ecce deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine; & puellæ eius gradiebantur per crepidinem alui. Quæ, cum vidiſſet fiſcellam in papyrone, miſit vnam ex famulis ſuis, & allatam aperiens, cernénſque in ea paruulum vagientem, ait: De infantibus Hebræorum eſt.* Exod. 2. num. 5. Et per ſororem pueri vocata matre, eum tradidit illi ad nutriendum. Ex ſigno circuncíſionis, vt notat Lippomanus, deprehendit, eſſe puerum Hebræum. Optimè erat conſcia mandati paterni, vt docent Abulenſis, Oleaſter, & alij, quod omnes pueri Hebræi coniicerentur in flumen, vt ibi perirent. Quomodo ergo vult, puerum incolumem ſeruare? Deſcendebat illa in fluuium, vbi tales inueniebantur calamitates, ac infantium vagitus audiebantur: ſine dubio opem eſt allatura; nam illa ſi vellet eſſe crudelis, in regali palatio remanſiſſet, in fluuiúmque tot oppreſſionibus plenum non deſcenderet. Ergo cum ad aquas deſcendat, potiùs viſis miſeris dabit opem, quàm patris mandato obedientiam. Oleaſter. *Etiamſi, ait, contra patris edictum facere videretur, maſculum Hebræorum ſeruans; maluit tamen patrem, quàm miſericordiam offendere.* Vnde Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. de Auguſto. *Præſumere non poterat, regios oculos miſeriam aliquam viſuros, cui non ſubuenirent.* Vide ſuprà cap. 1. num. 124. 125. & 126. 66.

Exod. 2.

Lippoman.

Abulenſis. Oleaſter.

*Regij oculi miſeriam videre non poſſunt, quin ſubueniant.*

Oleaſter.

Tacitus.

*Lucæ 6. n. 20.* Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnũ Dei.

*Num. 21.*



*Num. 21.* Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.

*Num. 22.* Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum, tanquam malum propter filium hominis.

*Num. 23.* Gaudete, & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo.

### *Expositio III.*

67. D. Ambr.
Christvs Dominus has virtutes hic maximè commendat, vt eleganter ait D. Ambroſius lib. 2. officior. cap. 4. *Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur eſſe mala, non ſolùm impedimento non eſſe ad beatam vitam, ſed etiam adiumento, euidentiſſimè pronunciatum eſt à Chriſto.* De his beatitudinibus, ac de cæteris, quæ hîc ſcribuntur à D. Luca, ſatis dixi, ac explicaui tom. 2. cap. 10. & 13. 14. 15. 16. ac 17. quæ ibi videnda ſunt. Adhuc hîc vnum peculiariter eſt inquirendum.

## Qvæstio XIII.

### *Quare D. Lucas hîc ſcribit quatuor beatitudines, cum Matthæus octo enarret?*

68. D. Lucas.
Qvatvor beatitudines hîc annumerat D. Lucas, ſcilicet pauperes, eſurientes, lugentes, ac odio, & perſecutione affectos ab hominibus. Et ſecundum ordinem à Matthæo ſeruatum prætermittit alias quatuor, nempe mites, miſericordes, pacificos, ac mundos corde. Et ratio valdè germana huius rei eſt, quia ſermones ſunt diſtincti, vt iam habes dictum tom. 2. cap. 10. quæſt. 1. & 2. Semper tamen inquirendum eſt: Cur Chriſtus cum Apoſtolis explicauit octo beatitudines; cum turbis verò quatuor?

*Ratio difficultatis.*

69. D. Ambroſ.
Valdè celebris eſt in hac reſolutio D. Ambroſij. *Quatuor tantum beatitudines, ait, ſanctus Lucas dominicas poſuit; octo verò ſanctus Matthæus: ſed in illis octo iſtæ quatuor ſunt; & in quatuor iſtis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus eſt cardinales; & ille in iſtis octo myſticum numerum reſerauit.* Quatuor ſunt virtutes cardinales, ſcilicet Iuſtitia, Temperantia, Prudentia, & Fortitudo: ad quas cæteræ reducuntur. Ipſæ enim virtutes, vt ait citatus Ambroſius, *Connexæ ſibi ſunt, concatenatæque, vt qui vnam habeat, cæteras habere videatur.* Pauperes ſpiritu iuſtitia gaudent, non enim aliena appetunt. Eſurientes Temperantiam tenent, potiùs enim eligunt eſurire, & ſitire, quàm ſaturari, & commenſari. Lugentes Prudentia replentur, volunt enim in hoc ſæculo amarè flere, & lugere, vt in cælo rideant, & exultent. Exprobrati, ac eiecti odio, & perſecutione ab hominibus pro Chriſto, fortiſſimi milites ſunt, & ad magnam coronam, & gaudium perueniunt in cælo. Sic de eis ait Ambroſius. *Habes fortitudinem, ſed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, ſed perſecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad paſſionis peruenitur coronam, ſi gratiam hominum negligas, diuinam ſequaris.*

*Virtutes connexæ.*

*Explicantur in textu Lucæ virtutes cardinales.*

D. Ambr.

Secundò, aliter explico mentem Ambroſij: *In illis octo iſtæ quatuor ſunt; & in quatuor iſtis illæ octo.* Et hoc ſecundum declaratur. Octo beatitudines ſcriptæ à Matthæo in iſtis quatuor includuntur. Nam verè pauper, mitis eſt, atque pacificus; nam diuitiæ, ac poſſeſſiones contentionum cauſæ exiſtunt, ac paci, & manſuetudini obſiſtunt. Vide cap. 7. num... Flentes, miſericordes ſunt in alios; nam ex ſuis miſeriis diſcunt, aliis compati. Eſurientes, ac ieiunantes ſua abſtinentia ad cordis munditiem perueniunt. Primum Ambroſij affatum verum eſt: nam in illis octo hæ quatuor continentur, non vt ab illis condiſtinctæ, ſed vt eædem, vt conſideranti patebit. 70.

*Diuitiæ ſeditionis cauſa.*

Tertiò, *In quatuor iſtis illæ octo.* Chriſtus Dominus in monte latè cum ſuis Diſcipulis explicauit octo beatitudines: nunc verò quàm optimus, ac peritus magiſter per abbreuiationem, ac recapitulationem propoſuit à ſe dicta: nam hic cum turbis, tanquam imperfectioribus, pauciora fuerunt dicenda, ac explananda. 71.

*Semel dicta, non ad longum, ſed per abbreuiationem repetantur.*

Quartò, in monte octo beatitudines; hîc verò in loco campeſtri quatuor. In monte ſuis Diſcipulis doctrinam Dominus dabat: *Aperiens os ſuum docebat eos.* Matth. 5. num. 2. Hîc autem Dominus medicaminis diffundebat beneficium: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Qui docet, vt documenta ſua in auditorum cordibus inſinuare valeat, multis ſe poteſt diffundere verbis. At ſi quis medetur, & ſanitatem confert, pauca requirit verba, vt perſuadeat, animóſque auditorum ad ſe inclinet, ac trahat: nam facillimè animos ad ſe alliciunt dona. 72.

Matth. 5.

*Pauca verba ſufficiũt, vbi donorum reperitur exhibitio.*

Cùm Paulus, & Barnabas eſſent Lyſtris, turbæ populorum clamant: *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.* Actor. 14. num. 11. Paulus excellentioribus prærogatiuis eminentior erat Barnaba. Quomodo ergo Paulo tribuitur minor diuinitas, ſcilicet Mercurij; Barnabæ autem maior, ſcilicet Iouis? Paulus multum pollebat facundia, ac eloquentia doctrinæ: Barnabas autem erat valdè liberalis, benignus, ac beneficus, ſicut Iuppiter, qui ab adiuuando talis dicitur, vt notat Cornelius à Lapide: & multo maior auctoritas, ac multo magis animi reconciliantur largitate donorum, quàm copia, ac facundia verborum. 73.

Actor. 14.

*Magis reconciliãtur animi donorum largitate, quàm verborum copia.*

Cornel.

# CAP. VII.

## *Mandantur Apoſtoli ad prædicandum ſine pera, calceamentis, ac virga.*

*Matth.* 10. *n.* 5. Hos duodecim miſit Ieſus: præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.

*Num.* 6. Sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus, Iſraël.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* In viam prophanorum ne proficiſcamini, nec in vrbes Samaritanorum ingrediamini.

*Vatablus.* Nec in ciuitatem Samaritanorum ingrediamini.

*D. Cyprianus Epiſt.* 76. In viam nationum ne ieritis.

*Tertull. lib. de fuga cap.* 6. In viam nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis; ſed ite potiùs ad oues perditas.

### *EXPOSITIO I.*

1. Verſ. 5. DVODECIM Apoſtolis electis, de quibus egi ſuprà cap. 5. mittit eos Dominus ad prædicandum *Præcipiens eis.* Inter multa mandata, quæ dantur obſeruanda in prædicatione, hoc eſt primum, vt obſeruat Caietanus, *In viam gentium*, ſeu *prophanorum*, vt habet Syriacus. (Caiet. Syriacus.) *In viam*, more Hebraico, ſingulare pro plurali, id eſt non eatis ad gentes: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam.* Actor. 10. num. 28. (Actor. 10.) *Et in ciuitates Samaritanorum*, id eſt ciuitatem, vel in nullam ciuitatum. Samaritani orti non erant ex Abrahamo: & partim Iudæorum, partim Gentilium ritum retinuerunt, de quibus multa dixi tom. 2. cap. 5. quæſt. 5. Et ne Apoſtoli ſibi perſuaderent, eos non eſſe comprehenſos Gentium nomine; ideo peculariter de eis facit mentionem. His monemur, ait D. Thomas, vt Hæreticorum colloquia fugiamus, quorum ſermo vt cancer ſerpit, vt inquit D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. ſic Ierem. 2. num. 18. (D. Thom. D. Paſchaſ. Ierem. 2.) *Nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam.* Et aduertendum eſt cum Alberto Magno, quod Dominus ait, ne abieritis in viam gentium; & non ait, in viam Samaritanorum; ſed mutat ſtylum, in ciuitatem. (Albert. Mag.) Ad quod ipſe reſpondet, quod Iudæis multoties tranſeundum erat per Samariam Ioan. 4. num. 2. nam Samaria erat in medio eorum, vt aduertit Enthymius. (Ioan. 4. Euthym.) Myſticè dici poteſt, quod his inſtruimur, vt tam in via, quàm in domo, Hæreticos declinemus. (*Ab Hæreticis tam in via, quàm in domo fugiendum.*)

2. Verſ. 6. *Sed potius ite*; ſeu, vt legit Arias, magis ite, veſtra prædicatione, ac doctrina, *ad oues, quæ perierunt.* (Arias.) Oues nominat, vt ait D. Thomas, vtpotè quos olim Deus paſcebat. (D. Thom.) *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Pſalm. 94. num. 7. (Pſalm. 94.) Quæ perierunt, quia peccatis, & abominationibus erant perditæ. Ex quo conſidera cum Rabbano infinitam Dei clementiam, quod illas oues non deſerit, ſed quærit, ac omnibus modis eis ſolicitatur remedium. (Rabban.)

---

## QVÆSTIO I.

### *An hæc ſit prima Apoſtolorum miſſio? Et quomodo cohæreat cum antecedentibus?*

3. HANC eſſe primam, & valdè ſpecialem Apoſtolorum miſſionem, affirmat meritò Albertus Magnus. (Albert Mag.) Et ideo tam exactè ſcribitur ab Euangeliſta. Nec obſtat id, quod aliqui obiiciunt ex Ioan. 4. num. 38. (Ioan. 4.) *Ego miſi vos, metere, quod non laboraſtis.* Ibi enim ſermo erat cum Diſcipulis; nam adhuc non erant electi Apoſtoli, de quibus nos loquimur, vt in confeſſo eſt apud omnes.

4. Quantum ad ſecundum. Auctores variis in locis hanc Apoſtolorum inſtructionem collocant. Recentiores, Baronius, & alij, eam contexunt poſt Chriſti aduentum in Nazareth; de quo agit D. Matthæus 13. num. 43. (Baron. Matth. 13.) Antiqui verò auctores, vt Tacianus in ſua Harmonia cap. 44. Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus cap. 45. Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 50. hoc loco poſt ſermonem campeſtrem eam connectunt. (Tacian. Zachar. Magiſter. *Oſtenditur hiſtoriæ continuatio.*) Nam in monte Dominus Apoſtolos eligit, cum illiſque deſcendit ad turbas, vt doctrina, ac medicamine omnibus ſubueniret. Et ſtatim electos Apoſtolos inſtruit, quomodo ſe debebant habere in via, atque in perſecutionibus ſuperandis, & dat eis poteſtatem ad miracula perpetranda. Ideoque fortaſsè D. Matthæus in exordio huius capitis Apoſtolorum nomina ponit, referendo hoc ad eorum electionem.

5. Ducor in hanc ſententiam. Primò, quia mihi eſt certum, quod electis Apoſtolis, ſtatim eos Dominus ad prædicandum cum poteſtate faciendi miracula miſit, vt patet Marc. 3. num. 14. (Marc. 3.) Nec obſtat, quod Marc. 6. num. 7. iterum ad prædicandum mittantur. (Marc. 6.) Quia non ſemel, ſed ſæpiſſimè miſſi ſunt. Et ob noſtrum documentum aliqua inueniuntur à cœleſti Magiſtro repetita; vt patet in ſermone Domini in monte Matth. 5. num. 2. & in loco campeſtri Luc. 6. num. 19. (Matth. 5. Luc. 6.) Secundò, eſt mihi coniectura. Quia poſt finitam hanc inſtructionem ait D. Matthæus c. 11. num. 1. (Matth. 11.) *Factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus, præcipiens*





*duodecim Diſcipulis, tranſit inde, vt doceret in ciuitatibus eorum.* Et tamen in hiſtoriis ſubſequentibus, vt de puero Centurionis, filio viduæ Naim, Conuerſione Magdalenæ, hoſpitio Marthæ, nulla fit Apoſtolorum mentio, vt in conuiuio Cana Galilææ Ioan. 2. num. 2. (Ioan. 2.) Ergo ſignum eſt, quod non aderant cum Chriſto, ſed occupati erant in prædicatione Euangelica.

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare Apoſtolis modò præcipitur, ne Gentibus prædicent, cum hoc poſtea eis mandetur?*

6. (*Quæſtiones tractandæ.*) TRIA quæro in præſenti quæſtione. Quomodo hoc præceptum eſſet intelligendum, ne irent, ad Gentes, vel Samaritanos? Secundò. Cur præcipitur, prædicare Iudæis tantum? Tertiò, quanto tempore hoc mandatum durauerit?

7. (*Quæſtio 1. Quomodo præceptum intelligendũ.*) Ad primum. Dominus præcepit, ne abirent in viam Gentium, & in ciuitates Samaritanorum: tamen ſi tales, tempore prædicationis Chriſti, vera fide, ac amore excitati ad ipſos Apoſtolos venirent, recipiendi erant. Vt fit manifeſtum exemplis mulieris Samaritanæ, Chananææ, Leproſi Samaritani, ac Centurionis Gentilis. Secundò, mandabat Dominus, ne abirent in Samariam: tamen ratione itineris poterant per eam arripere viam. Vnde ait Ioan. 4. num. 2. (Ioan. 4.) *Oportebat eum, tranſire per Samariam.* Quod latè explicaui tom. 2. cap. 5. quæſt. 5.

8. (*Quæſtio 2. Chriſtus Iudæis promiſſus.*) Ad ſecundum. Ratio huius præcepti, ne Apoſtoli Gentibus, & Samaritanis, ſed Iudæis prædicarent, Prima eſt. Quia illi cum eſſent filij Abrahami, Iſaaci, & Iacob, atque Dauidis, erant filij promiſſionis, quibus Meſſias Chriſtus Ieſus promiſſus erat. Deuter. 18. num. 15. Iſai. 9. num. 6. Ierem. 33. num. 14. 15. & 16. Ezech. 34. num. 23. & 24. (Deuter. 18. Iſai. 9. Ierem. 33. Ezech. 34.) Secundò, ne Iudæi aliquid arguerent contra Chriſtum, ac eius Apoſtolos, dicentes, vt ait Albertus Magnus, Tu non es verus Meſſias, qui prædicas Gentibus, & Samaritanis: Meſſias nobis Iudæis promiſſus eſt, non Gentibus. (Albert. Mag.)

9. (D. Paſchaſ. *Scandalum fugiendum.*) Tertiò, D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Ne Iudæi, quibus promiſſus erat Chriſtus, ſcandalum ſumerent ex hoc, ſi ad Gentes prius irent.* Et ideò hoc eſt primum Domini præceptum; nam ſcandalum maximè vitandum eſt. Quartò, D. Thomas. (D. Thom.) Quia primò fieri debet, quod iuſtitia exigit, quam quod ex miſericordia prouenit: ſed iuſtitia erat, quod primò Iudæis prædicarent, quia illud ex promiſſione habebant. Rom. 15. n. 8. (Rom. 15.) *Dico, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter veritatem ad confirmandas promiſſiones Patrum.* Ex promiſſione autem acceptata iuſtitiæ ratio conſurgit. (*Prius fiant, quæ ex iuſtitia ſunt, quã quæ ex miſericordia.*) Gentibus autem ex pietate, ac miſericordia prædicatio erat diffundenda. Quintò, ex D. Chryſoſtomo homil. 33. rectè ait Euthymius. (D. Chryſoſt. Euthym.) Ad Iudæorum ciuitates, & vicos primùm mittit Diſcipulos, vt ſint illis in Magiſtros, ac Medicos, oſtendens vim amoris, quem ad illos præ omnibus, habebat; quódque ſuprà modum curam illorum gereret, quoniam iniuriis ab ipſis appetitus, illarum non meminit; ſed omni modo eos corrigere, ac ſanare nititur. (*Deus multis Iudæos proſequebatur fauoribus.*)



10. (*Quæſtio 3.*) Ad tertium, præceptum hoc de non prædicando Gentibus fuit temporaneum; ſolùm enim durauit Chriſti vita, nam poſt eius mortem, ac reſurrectionem ſuis Apoſtolis mandauit, per totum orbem docere omnes Gentes: nam per Chriſtum miſericordia, ac gratia diffuſa eſt in omnes Gentes. Pſalm 97. num. 3. Iſai. 9. num. 2. (Pſalm. 97. Iſai. 9.) *Chriſtus venit, omnes peccatores ſaluos facere.* 1. ad Tim. 1. num. 15. (1 Tim. 1.) Secundò, quia Chriſti morte ſublata eſt diuiſio Iudæorum, & Gentium; & ex vtriſque factum eſt *vnum ouile, & vnus paſtor.* Ioan. 10. num. 16. vt rectè obſeruant D. Chryſoſtomus, D. Hieronymus, D. Paſchaſius, Euthymius, & communiter alij. (Ioan. 10. D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Paſchaſ. Euthym.) Tertiò, quia vt dicitur Actor. 13. num. 46. (Actor. 13.) *Vobis*, ſcilicet, Iudæis, *oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te in lucem Gentium.* Iſai. 49. num. 6. (Iſai. 49.)

*Matth.* 10. *n.* 7. Euntes autem prædicate: quia appropinquauit regnum cælorum.

*Num.* 8. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite: gratis accepiſtis, gratis date.

### *VERSIONES.*

*Græcus.* Profecti prædicate.

*Euthymius.* Dicentes, Inſtat regnum cælorum.

*Tertull. lib. de Reſur c.* 33. Appropinquauit regnum Dei

*Vatablus, n.* 8. Gratuitò accepiſtis, gratuitò date.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 9. *n.* 2. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.

*Marc.* 6. *n.* 7. Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.

### *EXPOSITIO II.*

11. Verſ. 7. PROMVLGATVR ſecundum Chriſti præceptum. *Euntes*, ſeu profecti per totam Iudæam *Prædicate*, ac dicite, quod me audiſtis prædicare. *Quia appropinquauit regnum cælorum.* Quamuis hic non exprimatur, ſubintelligendum eſt: *Pœnitentiam agite.* (*Summa prædicationis Euangelicæ.*) Hæc enim erat ſumma totius Euangelicæ prædicationis. Hoc enim themate Chriſtus incepit ſuam prædicationem Matth. 4. num. 17. (Matth. 4.) *Cœpit Ieſus prædicare, ac*

*dicere: Pœnitentiam agite; appropinquauit regnum cælorum.* Quod extiterat exordium prædicationis Ioannis Matth. 3. num. 2. Et Apoſtoli pœnitentiam prædicabant, vt apertè conſtat Marc.6. num.12. (Matth.3. Marc.6.) Docebant enim medium, & finem: medium peccatoribus ad æternam vitam pœnitentia eſt: finis verò, appropinquauit regnum cælorum, ſcilicet ipſa cæleſtis beatitudo, vt explicant D. Chryſoſtomus, Paſchaſius, Theophylactus, D. Thomas, & alij, (D. Chryſoſt. D. Paſchaſ. Theoph. D. Thom.) quæ per peccatum adami clauſa extiterat, iam in proximo erat, vt Chriſti morte cunctis fieret aperta, & reſerata. Notat hic Albertus Magnus (Albert. Mag.) diſcrimen inter legem veterem, & nouam: nam in lege Moyſis fiebant promiſſiones de temporalibus. Bona terræ comedetis: In lege autem Chriſti cæleſtia, & diuina proponuntur.

12. Verſ. 8. *Infirmos curate.* Tertium Domini præceptum, vt poteſtate eis data hoc cap. 10. num.1. ad facienda miracula, ea vtantur in prædicatione Euangelica, vt tam illis ſignis, ac miraculis viſis hominum animi diſponantur, adducantúrque ad recipiendam fidem Chriſti, vt notant D. Hieronymus, Chryſoſtomus, Paſchaſius, & D. Gregorius homil. 4. in Euangelia; (D. Hieron. D. Chryſoſt. D. Paſchaſ. D. Greg. Theoph.) quàm vt illis ſignis eos armaret, Theophylactus, contra inimicos, ac inuidioſos calumniatores, ad eorum malitiam reprimendam, ac conculcandam. (*Miracula ſunt arma contra inimicos.*) Sic & dedit poteſtatem Moyſi ad edenda miracula, vt populus crederet Exod.4. num.31. (Exod 4.) Et vt Magos aduerſarios confunderet; vnde ipſi compulſi ſunt fateri. *Digitus Dei eſt hic.* Exod. 8. num. 19. (Exod. 8.)

13. *Gratis accepiſtis.* Quartum eſt Domini mandatum. Et quia, vt ait D. Thomas ex Chryſoſtomo, (D. Thom. Chryſoſt.) *Magnum eſt, facere miracula, ſed maius eſt virtuosè viuere.* (*Melius eſt, virtuosè viuere, quàm miracula facere.*) Præuidebat Dominus, illam mirabilia operandi facultatem ad ſuperbiam, iactantiam, atque auaritiam, & quæſtum conducere poſſe: ideo omnia hæc præſentibus amputat verbis: nam hoc documento, vt inquiunt Chryſoſtomus, Theophylactus, (Chryſoſt. Theoph.) facit humiles contra ſuperbiam, ac iactantiam, cum ſciant, hanc poteſtatem non ex ſe habere, ſed ſine vllo merito ſuo à Deo eſſe acceptam. Monet etiam eos eſſe liberales in exercenda hac facultate, vt ait Maldonatus; (Maldonat.) ſolemus enim largiter, & copiosè dare, quæ nobis gratis ſunt data, & à nobis accepta. Seu, & maximè ad litteram: *Gratis accepiſtis, gratis date:* Sic explico cum Hieronymo, Hilario, Paſchaſio. (Hieron. Hilar. Paſchaſ.) Inſtruit eos, vt ſint ſine vllo ſapore auaritiæ, ac ſimoniæ. *Gratis accepiſtis*, ſiue vllo pretio, ſine vllo munuſculo, ac induſtria veſtra; ita & vos gratis date ſine vllo pretio, ſine intuitu alicuius munuſculi, ac induſtriæ. Sic prophetatum erat per Iſaiam 55. num.1. (Iſai.55.) *Omnes ſitientes venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Sic & Eliſæus dedit ſalutem Naaman 4. Reg.5.num 16. (4. Reg.5.) Vt ita Apoſtoli edocti totam ſuam mercedem à à Deo quærerent, & non ab hominibus 1. Corinth.9. num.18. (1. Cor.9.)

*Matth 10.n.9.* Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.

*Num.10.* Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Non comparaueritis aurum, neque argentum, neque æs in marſupiis veſtris.

*Euthymius.* Neque argentum, neque æs ad zonas veſtras.

*Vatablus,n.*10. Neque peram ad iter, neque binas tunicas.

*Franc. Luc. ex Græco.* Neque ſubligacula, neque virgam.

*Euthymius.* Neque baculum.

*Multa exemplar. Græca.* Neque virgas.

ALTER TEXTVS.

*Marc.6.n.8.* Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs. Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

*Lucæ 9.n.3.* Et ait ad illos: nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

*EXPOSITIO III.*

VINTVM eſt Domini præceptum: 14. Verſ. 9. *Nolite poſſidere*, ſiue comparare: vtrumque vox Græca ſignificat; *neque pecuniam*; Græcus legit *æs*. (Græcus.) Tres ſpecies pecuniæ hic numerat Euangeliſta, iuxta tres metallorum ſpecies, ex quibus ſolet cudi moneta. Et nomine æris, vt eſt in Græco, ſiue pecuniæ, vt in noſtra vulgata, eam ſubintelligit, quæ eſt minoris valoris, quàm aurum, & argentum, quæ ſunt pretioſiſſima metalla. *In zonis veſtris.* Quod Euthymius, & Abulenſis ſic explanant. (Euthym. Abulenſ.) Quia olim pecunia ferebatur in marſupiis, quæ ex zonis pendebant. Aptiùs tamen cum recentioribus dices, quod olim in ipſis zonis pecunia aſportabatur. Suetonius in vita Metelli cap.16. ſic ait: (Sueton.) *Zona ſe aureorum plena circundedit.* Et Iuuenalis Satyr.14. (Iuuenal.) *Zonam læua, morſúque tenebat.* Loquitur de eo, qui in naufragio zonam pecuniis plenam manibus, ac dentibus tenebat, vt ſeruaret.

15. Verſ.10. *Non peram in via.* Poſt prohibitam omnem pecuniam, prohibet nunc peram, quæ eſt ſacculus



culus viatorum, in quo itinerantes deferunt ea, quæ inſeruiunt ad comedendum, & bibendum; quæ omnia hîc ſubintelliguntur. *Neque duas tunicas*; (*Germanus ſenſus.*) id eſt duo veſtimentorum genera mutatoria, quorum vnum eſt aliquando in itinere, alterum in ciuitate; vnum tempore caloris, alterum frigoris. Hoc vetat Dominus, & mandat, quod vno veſtimento ſint contenti. *Neque calceamenta.* Prohibentur calcei, qui totum pedem contegunt; nam ſandalia conceduntur, vt habes apud D.Marcum; (D. Marcus.) erant enim ſoleæ quædam, quæ extremam pedis partem contegebant. *Neque virgam.* Vetat virgam, quæ ſit in defenſionem, aut offenſionem alicuius. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* D. Auguſtinus lib.2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 30. (D.Auguſt.) exiſtimat, hæc verba indicare finem, quare Dominus illa omnia interdixerit; vt ita ſignificaret, eos habere poteſtatem neceſſaria poſcendi ab eis, quibus erant prædicaturi. Tamen commodius mihi videtur, hæc eſſe dicta ad cumulatiuè confirmandos Diſcipulorum animos, atque ad cuidam eorum obiectioni occurrendum: dicere enim poterant: Vnde habebimus alimenta? His occurrit Dominus: *Dignus eſt operarius:* Si enim vos operati fueritis, quæ mando; Deus vobis de alimentis prouidebit, ſiue per auditores, & diſcipulos veſtros, à quibus vobis debentur; ſiue alio modo ſuæ diuinæ prouidentiæ conuenienti.

---

QVÆSTIO III.

*An præcepta hîc data Apoſtolis de non poſſidenda, ac aſportanda pecunia, calceis, duabus tunicis, fuerint perpetua: an temporalia?*

16. Druthmar. (*An præceptū ſit ſolùm pro via.*) OMITTO hîc primò ſententiam Druthmari exiſtimantis, mandari in præſenti Apoſtolis, ne auro, ac argento pro ornamentis vtantur: nam hoc loco zona ſumitur pro marſupio. Et expreſsè vetatur in ea, iuxta noſtram vulgatam, pecunia. Secundò, omitto ſententiam Ianſenij, Caietani, (Ianſen. Caiet.) qui tenent, hæc interdici pro ipſo viatico in itinere; non verò pro mora in aliquo loco. Sed commodatiùs dicendum eſt cum Maldonato, Toleto (Maldonat. Tolet.) in Luc. annot. 9. quod prohibitio hîc facta, non ſolùm eſt pro itinere, ſed etiam pro manſione in quolibet loco; ac pro toto tempore huius legationis: nam rationes, ac motiua huius mandati, vt explicabo quæſtione ſequenti, vtrumque æqualiter comprehendunt.

17. Ad quæſtionem propoſitam. Præceptum hîc datum de abnegatione rerum, fuiſſe perpetuum, & non temporale, tenent D. Hieronymus, hic. D. Hilarius, S. Ambroſius lib. 9. in Luc. S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 30. quos citat, & ſequitur Maldonatus. (D.Hieron. D.Hilarius. D. Ambr. D.Auguſt. Maldonat.) E contra verò etiam grauiſſimi Patres docent, mandatum illud fuiſſe temporale, & non perpetuum. Ita D. Chryſoſtomus homil.9. in Epiſtol. ad Philipp. D. Paſchaſius lib.6. in Matth. D. Anſelmus, ſanctus Thomas, Dionyſius Carthuſianus, Hugo, Ianſenius, Caietanus, Beauxamis, Bellarminus de Clericis cap. 26. (D. Chryſoſt. D.Paſchaſ. D Anſelm. D.Thom. Carthuſ. Hugo. Ianſen. Caiet. Beauxàm. Bellarm.) & communiter recentiores. Nec Patres citati à Maldonato multum expreſsè loquuntur; ſed facilè pro hac ſecunda ſententia explicari poſſunt, vt legenti patebit.

18. (*Prima reſolutio.*) Dico primò, præceptum hîc datum, ſecundum ſe conſideratum, fuiſſe temporale, & pro prædicatione Iudææ, in qua Apoſtoli bini mittebantur. Probatur primò, quia Chriſtus Dominus hic loquitur, non de miſſione ad Gentes, ſed ad regnum Iſraël. Sic ait: *In viam Gentium ne abieritis; ſed ite potius ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Et ſtatim ſubdit præſens mandatum. Quando autem poſt ſuam reſurrectionem mittit ad vniuerſum orbem ad prædicandum: *Euntes docete omnes Gentes:* Matth.28. num. 19. & Marc. 16. num. 15. (Matth. 28. Marc.16.) non appoſuit tale mandatum. Ergo illud non eſt intelligendum pro miſſione in vniuerſum orbem, ſed duntaxat in regnum Iſraëliticum.

19. Probatur ſecundò, quia vnum ex mandatis Chriſti Domini hîc, eſt, ne haberent duas tunicas. Et tamen Paulus, obſeruantiſſimus Chriſti mandatorum, in prædicatione ad Gentes habuit duas veſtes: nam 2. ad Timoth.4. num.13. ſic ait: (2. Tim.4.) *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Penula enim erat veſtis quædam, vt explicant ibi D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, Haymon, D. Thomas, D. Anſelmus. (D. Chryſoſt. D. Ambr. Haymon. D. Thomas. D. Anſelm. Caiet. Iuſtin.) Erat veſtis apta pro arcendis imbribus, & in ſuperuentura hyeme Paulus egebat illa, vt dicunt Caietanus, Benedictus Iuſtinianus, & alij recentiores. Siue, vt alij volunt, erat quoddam indumentum ſenatorium. Et tamen Apoſtolus præter illud, quod ſecum afferebat, illud aliud habebat ſeruatum, vt eo vteretur pro neceſſitate, tempore, & loco. Ergo præceptum, hic datum, non eſt interpretandum de miſſione ad gentes. Confirmatur. Quia, vt patet ex Actor. 4. & 5. (Actor.4.) Primi fideles omnes ſuas facultates offerebant Apoſtolis, ex quibus ipſi, & cæteri omnes viuebant. Ergo ad tantæ multitudini prouidendum conueniens erat, ex vno die ſeruare in aliud tempus.

20. (*Aſſignatur quædam differentia in miſſione ad Iudæam, ac ad Gentes.*) Tertiò, & ratione probatur. Quia Iudæi exiſtimabant, ſe teneri, ad ſuos prædicatores alendos. Gentiles verò magnum nefas reputabant, cibum dare iis, qui contra ſuos Deos prædicabant, vt optimè docet D. Thomas hîc, dicens: (D. Thom.) *Ante Paſſionem miſſi ſunt Apoſtoli ad Iudæos. Apud Iudæos autem conſuetudo erat, quod ſuis debebant prouidere magiſtris: ideo Chriſtus nihil ferre præcepit Apoſtolis, cum mitteret eos ad Iudæos. Sed iſta non erat conſuetudo in Gentibus. Ideo, cum miſſi ſunt ad Gentes, data eſt licentia portandi ſumptus: portabant igitur, quando prædicabant alijs, quam Iudæis.*

21. Quartò, eſt multum diſpar ratio in miſſione prædicationis per Iudæam, ac per totum orbem. Quàm rationem colligo ex Chryſoſtomo ſerm.9. (D. Chryſoſt.) in Epiſtol. ad Philipp. & homil. in locum Pauli Rom.16. *Salutate Priſcam:* quæ habetur in multis in tertio tomo. Quando Chriſtus deſtinauit ſuos Apoſtolos per Iudæam, (*Quædam ponuntur differentiæ inter vtramque miſſionem.*) cum nondum eſſent abſolutè perfecti, voluit eos inſtruere, vt omnino diuinæ prouidentiæ ſe committerent, ac fiderent, ſicque ab eis voluit amputare omnem ſolicitudinem temporalem, omnémque occaſionem auaritiæ, vt ita prædicationi incumberent: & idcirco talia præcepta dedit. At verò quando eos mandauit

mandauit per totum Orbem, iam in omni virtute extiterant, per gratiam acceptam Spiritus ſancti, omnino perfecti, ac ſancti Paracliti donis repleti; ideoque huiuſmodi exterioribus prohibitionibus non egebant: tunc enim optimè ſciebant, quomodo pro omni loco, & tempore ſanctiſſimè eſſet viuendum. Deinde Apoſtoli in prædicatione Iudææ, quæ populi erat frequentata valdè, miſſi erant bini, vt patet ex textu; & ideo facilè apud aliquem poterant hoſpitari. At in legatione orbis ituri erant per vaſtiſſima deſerta, & aliquando cum multa Chriſtianorum, Catechumenorúmque frequentia. Et quomodo apud gentes, antequam per miracula agnoſcerentur, alendi erant? Ergo vel aliquo modico viatico, vel frequenter miraculo erat vtendum. Quod diuina prouidentia ordinariè non admittit, quando cauſæ naturales ſuperſunt.

22\. Dices. Quomodo Chriſtus hoc præceptum de non portandis pecuniis Apoſtolis dedit, qui illud non ſeruauit; nam Iudas loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat. Ioan. 12. num. 6. Et Diſcipuli in via acceſſerunt ciuitati, vt cibos emerent. Ioan. 4. num. 8. Reſpondetur, quod in ſuæ prædicationis exordio Chriſtus hoc ſeruauit. Ipſe de ſe ait: *Vulpes foueas habent, volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Matth. 8. num. 20. At verò quando duodecim Apoſtolos, ac Septuaginta duos diſcipulos, & aliquando multos alios ſecum habebat, tunc permiſit, Iudam portare loculos. Quis enim poſſet tantam ſimul, ac continuo excipere, ac ſuſtentare multitudinem, præcipuè cum aliquando eſſet itinerandum? Ne ergo perpetuo miraculo vteretur, eleemoſynæ erant aſſeruandæ. At Apoſtoli ibant bini, & hoſpitio facilè recipi poterant. Ex quo confirmatur ratio proximè facta.

(Ioan. 12. — Ioan. 4. — Matth. 8.)

23\. *Apoſtoli in magna perfectione vixerunt.* Dico ſecundò, perfectionem inſinuatam, & intentam in his mandatis maximè ſemper tenuerunt, ac obſeruarunt Apoſtoli in ſua legatione pro toto orbe: nam ipſi erant ſoli Deo maximè intenti, eiuſque diuinæ prouidentiæ innixi, atque confiſi; cum magno cœleſtium deſiderio, feruidáque ſalutis animarum charitate incedentes ſine vlla quæſtus, lucri, aut auaritiæ vmbra, atque ſapore, præſeferentes omnem temporalium contemptum, abnegationem, dimiſſionémque, ex eleemoſynis fidelium viuentes. Ad Philipp. 4. num. 14. De quo multa Suarius tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 8. num. 8.

(Ad Philip. 4. Suar.)

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dominus dedit ſuis Apoſtolis præcepta de non aſportanda pecunia, pera, ac alijs?*

24\. D. Hieron. PRIMÒ reſpondet D. Hieronymus. Vt omni cura temporali reiecta ſolùm ſe agnoſcerent pendere à diuina prouidentia, cui tantùm eſſent confiſi, & ſub qua nihil deeſſe poterat. Vnde ait Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, ponderans hoc mandatum Domini. *Quis hoc mandaſſet, niſi qui & ceruos alit & flores agri veſtit.* (Tertull.)

25\. Secundò, vt ſolicitudine humana amputata, eorum prædicatio eſſet aliena ab omni quæſtu, lucro, ac auaritia, & ſolùm in obſequium Dei, ac ſalutem animarum intenta. D. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 13. *Non ſæcularia, ſed æterna debet zona noſtra ſeruare.* Tertiò, communis ſententia Hieronymi, D. Thomæ, Carthuſiani. Ita mittuntur, quia prædicabant ſine quæſtu. Sed ad hoc non ſat erat, vt nihil acciperent? Ad quid ſine pera, ſine calceamentis in extrema paupertate delegantur? Rectè D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Omnia ſubtrahit, quæ poſſent eſſe ſcandali.* Non ſolùm voluit, vt ipſa prædicatio in ſe eſſet abſque omni quæſtu, & lucro; ſed etiam vt tanta paupertate cognita in omnium oculis ita fieret euidens exterius, quod illa ab omnibus terrenis libera erat.

(D. Ambr. — D. Hieron. D. Thom. Carthuſ. — D. Paſchaſ. — *Scandalum vitandum.*)

26\. Quartò, D. Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. in initio. *Cum his omnibus omnem ſolicitam curam ab ipſis eorum cordibus eiecerit, omnique ſæculari negotio, & cura liberos, ferreos quaſi, atque adamantinos fecerit.* Ordinat eos Dominus, vt ſint miniſtri in ſuo munere exequendo integerrimi. Et ad hoc temporalia intercludit: nam munera flectunt homines; & qui ea admittit, liqueſcit velut cera ad Solis ardorem; qui verò ea non admittit, ferreus, & adamantinus eſt. Et de his miniſtris poteſt explicari locus Iſaiæ 33. num. 21. *Oculi tui videbunt Ieruſalem tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.*

(D. Chryſoſt. — Iſai. 33.)

27\. Quintò, idem Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. *Ab omni ſæculari cura ſic liberos reddit, vt prædicationi ſolùm vacare poſſint.* Vnde ait Haymon: *Temporalia exue, vt Euangelicum miniſterium adimpleas.* Sextò, vt omnibus temporalibus dimiſſis, hac angelica vita, cunctis eſſent in admirationem. Euthymius. *Nihil enim,* inquit, *ita admirandos reddit, ſicut vita frugalis & quibuſlibet obuijs contenta.* Septimò, D. Anſelmus. *Quia alios ad contemptum,* ait, *ſæcularium debent inuitare, præcepit, vt neque aurum, neque argentum, vel nummos in zonis poſſideant.*

(D. Chryſoſt. — Haymon. *Euangelicus miniſter à temporalibus alienus.* — Euthym. — D. Anſelm. *Qui alios ad contemptum docet, contẽptum ſeruet.*)

28\. Octauò D. Hilarius. *Quid ſibi vult,* ait, *auri, argentive, atque æris in zona inhibita poſſeſſio? Zona eſt miniſterij apparatus, & ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in miniſterio noſtro venale ſit, admonemur, neque hoc Apoſtolatus noſtri opus fiat auri, argenti, æriſque poſſeſſio.* Data erat Apoſtolis ampla poteſtas miracula perpetrandi: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate.* Et ſtatim intercluduntur eis omnia temporalia; vt fieret manifeſtum, quod illa Apoſtolica virtus conferebatur, non ad aurum, aut argentum comparandum, ſed potiùs ad illud renuntiandum; nam dum quis virtutibus cœleſtibus præcingitur, caducarum rerum ſacculos à ſe dimittat, ac abiiciat. Vide tom. 2. cap. 23. num. 26. & 27.

(D. Hilar. — *Miniſterio Euangelico, non ad lucrũ, vtendum.*)

29\. Nonò, acutè quærit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 24. Cur Dominus cum tanta paupertate mittit Diſcipulos ſuos, cum tamen Iſraëlitas ex Ægypto tranſmiſerit in terram promiſſam cum auro, argento, ouibus, ac armentis Exod. 10. n. 9. Pſalm. 104. n. 37. Sic reſpondet ipſe Tertullianus. *Profectionem filiorum Iſraëlis*

(Exod. 10. Pſalm. 104. Tertull.)



*Creator etiam illis ſpoliis aureorum, & argenteorum vaſculorum, & veſtium eduxit ex Ægypto. Chriſtus autem, nec peram Diſcipulis in viam ferre præſcripſerit. Illi enim in ſolitudinem promouebantur; hi autem in ciuitates mittebantur. Conſidera cauſarum offerentiam, & intelliges vnam, & eandem poteſtatem, quæ ſecundum penuriam, & copiam expeditionem ſuorum diſpoſuit, proinde per ciuitates abundaturam circuiens, ſicut & egituram per ſolitudinem ſtruxerat.* Iſraëlitæ proficiſcebantur per deſerta, & ideo conueniens erat, vt veſtes, ac pecora aſportarent, quibus in ſuis neceſſitatibus, ac temporum iniuriis ſibi prouiderent. At Diſcipuli delegebantur in vrbes, vbi victui neceſſaria reperiri poterant; & etiam in quibus, ob noſtram eruditionem, rerum abundantia occaſionem præparat ad auaritiam, iactantiam, ſuperbiam, gulam, ac ambitionem. Illis ergo in ſolitudine conceduntur bona ne tententur. Iſtis verò in vrbe intercluduntur, ne illorum affluentia ſeducantur. Vt ita nos agnoſcamus, in quanto periculo cum diuitiarum luxu per vrbes verſamur. Vide ſupra cap. 6. n. 35. 36. & 37. Vel aliter ſolues quæſtionem. Iſraëlitæ, vt incipientes, illis bonis fuerunt iuuandi, ac fouendi. Diſcipuli autem vt valde perfecti hoc non indigebant, ſed cum omni auſteritate mittuntur.

(*Penuria in deſerto dat tentationem, affluentia in vrbe.*)

## QVÆSTIO V.

### *Quare vetatur Apoſtolis duplex veſtis in prædicatione Euangelica?*

30\. *Quæ tunica prohibetur.* DVAS tunicas prohibet Dominus ſuis Diſcipulis. Quod ſimpliciter Lyranus interpretatur de vnica tunica tantum abſque alio indumento: nam in Iudæa, vtpote regione calida, vna tunica ſufficit. Verius tamen cum D. Auguſtino lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 30. D. Hieronymo, Alberto magno, D. Thoma, Carthuſiano, ac aliis intelligendum eſt mandatum de duplici veſte mutatoria, ita vt vna modò vtatur; alia verò in futurum ſeruetur: hoc enim vetatur hîc à Domino. Vnum autem integrum indumentum ex multis veſtibus diuerſarum rationum coaleſcit. Vnde notat Euthymius in cap. 27. Matth. Chriſtum Dominum tria habuiſſe veſtimenta, ſcilicet ſubuculam, & veſtimentum exterius, & aliud, quale apud nos eſt pallium, ſeu toga. Quod ex eo comprobat Suarius tom. 2. ad 3. pag. diſput. 28. ſectione 3. §. *Dicendum verò.* Quia de Chriſto ait Ioannes 13. num. 4. *Surgit à cœna, & deponit veſtimenta ſua:* non quidem omnia, non enim nudum manere decebat.

(Lyranus. D. Auguſt. D. Hieron. Albert. Mag. D. Thomas. Carthuſian. — Euthymius. *Quotuplex veſtis Chriſti.* Suarius.)

31\. *Chriſtum induamur, vt à malis protegamur.* Prohibet ergo eis Dominus duas tunicas mutatorias, tanquam ſuperfluas; & vt in omnibus magnum ſignum paupertatis, ac mundialium contemptus præ ſe ferrent. Diuus Hilarius moraliter ſic gloſſat. *Sufficit nobis Chriſtus ſemel indutus.* Tanquam ſi dicat, quod hoc vnum quæramus, vt Chriſtus nobis ſit tunica, quo induamur, exornemur, ac protegamur ab omni iniuria, ac nocumento.

(D. Hilarius. *Chriſtus nobis ſit tunica.*)

***

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus ſuis vetat calceamenta, cum ſandalia eis concedat?*

32\. *Quæ calceamenta prohibeantur.* CALCEAMENTA prohibet etiam Dominus ſuis Diſcipulis ſecundum Matthæum. At ſandalia eis conceduntur, ſecundum Marcum, vt patet ex textu. Vnde Victor Antiochenus in 6. Marc. Euthymius in 10. Matth. videntur docere, quod Chriſtus Apoſtolis interclusit primò calceamenta, poſtea indulget ſandalia ſecundum Marcum. Tamen D. Thomas, D. Anſelmus, Caietanus, & alij ita explicant, quod Dominus vetat duos calceos, ſeu duo paria calceorum, ſicut & tunicarum.

(Antiochen. Euthym. — D. Thomas. D. Anſelmus. Caietanus.)

33\. Attamen ſimpliciter dicendum eſt, quod Dominus ſuis Diſcipulis prohibet calceamenta, concedit tamen ſandalia: nam hæc duo ſunt inter ſe diſtincta, vt docent D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtar. cap. 30. Carthuſianus, Hugo, Toletus in cap. 9. Luc. annot. 11. Et Franciſcus Lucas, Barradas, & alij, qui docent, ſandalia eſſe ſoleas quaſdam, quæ inferiorem partem, ſeu plantam pedis contegunt, & in ſuperiori parte corrigiis ligantur. Calcei verò ſunt, qui totum pectem cooperiunt, & iuxta Græcum dicuntur ſubligacula, quia olim ſupernè ligaculis ſtringebantur. Et ſandaliis Apoſtolos vſos fuiſſe, conſtat Actor. 12. n. 8. Ait Angelus Petro. *Calcea te caligas tuas.* Græcus *ſandalia tua.* Hæc autem ſandalia conceſſit Chriſtus ſuis Apoſtolis, vt ait Hugo, quia Iudæa regio ſaxoſa, ac calida eſt; & ſandalia pedem defendunt contra ſaxa, ac calorem arcent. Vnde ſandalia, vt neceſſaria, concedit Dominus; calceos verò, vt ad delicatam vitam conducentes, prohibet.

(D. Auguſt. Carthuſ. Hugo. Toletus. Franc. Lucas. Barradas. — Actor. 12. Græcus. — Hugo.)

34\. Cùm in fœliciſſimo innocentiæ ſtatu eſſent procreati primi Parentes, de eis ſcribitur: *Erat autem vterque nudus, & non erubeſcebant.* Gen. 2. n. 25. Quis potentior, ac illuſtrior inter reges Adamo, qui ſubiectis cunctis animantibus, ornatus omnibus virtutibus, ſolus in toto orbe dominabatur; & tamen cùm eſſet nudus, non erubeſcebat. Cur ad ornatum tantæ dominationis non requirit pretioſas gemmas, ac diuitem ſupellectilem, cuius conficiendæ modum optimè nouerat ipſe per ſuam magnam ſapientiam, qua erat inſignitus? Quare ergo lætus ſine rubore nudus degebat? Erat Adamus in perfectiſſimo innocentiæ ſtatu, natura integra, ipſa nuditate lætus quieſcebat, ſolis neceſſariis contentus, ſuperfluos, ac delicioſos cultus reſpuens. D. Auguſtinus in quæſt. noui teſtament. q. 81. *Tantum abſuit,* ait, *vt nuditas gloriam Adami fœdaret, quod inde maximè ſumeretur argumentum eiuſdem præſtantiæ, quando erat, qui ſolis neceſſariis ad naturæ integræ conſtitutionem ſeſe ſuper omnia efferret corporalia, aduentitioſque alios ornatus repudiaret.* Cur autem calceos prohibet? latè dicam infra capite 18. qu. 12.

(Geneſ. 2. — *Vir perfectus ſolis neceſſariis contentus, ſuperflua dimittit.* D. Auguſt.)

## Qvæstio VII.

### *Quomodo Matthæus dicit negatam virgam, quam Marcus ſcribit permiſſam?*

35. *Quomodo cõueniant Matthæus, & Marcus.* Maxime inquirendum eſt: Quid virga ſignificet? nam apud Matthæum, & Lucam Dominus præcepit Diſcipulis, ne virgam ferant. Apud autem Marcum eam concedit; ſic enim Marcus ſcribit: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via niſi virgam tantùm.* Quæ difficultas in varias ſententias fecit abire Doctores.

36. D. Auguſt. Primò reſpondit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 30. Quod virga duplex habet ſignificatum. Et dicit primò, ſuſtentaculum corporis. Secundò, poteſtatem Apoſtolicam exigendi ad victum neceſſaria, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 9. n. 14. *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Hanc virgam, ait, Dominus conceſſit apud Marcum: primam verò negat apud Matthæum, & Lucam. Eandem ferè ſententiam ſequuntur Diuus Ambroſius in cap. 10. Luc. & hic Beda, & Albertus Magnus, & Druthmarus in cap. 27. Matth. (1. Corinth. 9. D. Ambr. Beda. Albert. Mag. Druthmar.)

37. Antiochen. Euthymius. Secundò, Victor Antiochenus in 6. Marc. & Euthymius 10. Matth. inquiunt, quod Dominus à principio vſum virgæ negauit Apoſtolis, vt Matthæus, & Lucas narrant. Poſtea verò eam permiſit, vt refert Marcus. Vtraque ſententia mihi difficilis. Prima Auguſtini, quia in ea, virga apud Marcum non accipienda eſt pro exteriori in ſua propria ſignificatione, ſed figuratè, ac ſymbolicè; cùm tamen coniungatur cum pera, pane, ac ære, quæ pro re exteriori in ſua propria ſignificatione ſumuntur. Secunda etiam ſententia eſt difficilis, quia omnes Euangeliſtæ loquuntur de vno, & eodem tempore, ac eadem miſſione. (*Vtraque ſententia difficilis.*)

38. *Virga tripliciter ſumitur.* Pro vera huius rei intelligentia ſciendum eſt, quod Virga in Scriptura tripliciter ſumitur. Primò, ſignum eſt poteſtatis, ac dignitatis, vt ſceptrum regum, faſces Conſulum; Virga iudicum. Pſalm. 44. num. 7. *Virga æquitatis, virga regni tui.* Iſai. 14. num. 5. *Contriuit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium.* Vnde, refert Lyranus, Magiſtri apud Hebræos virgam ferebant. Secundò, Virga inſeruiebat ad feriendum, ac percutiendum alios, ſicut præceptores virgis diſcipulos verberabant. Exodi 21. num 20. *Qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virga.* Prouerbior. 23. num. 14. *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Tertiò accipitur pro baculo, ſeu ſuſtentaculo in itinere. Pſal. 22. num. 4. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* (Pſalm. 44. Iſai. 14. Lyranus. Exod. 21. Prouerb. 23. Pſalm. 22.)

39. Carthuſian. Caiet. Ianſenius. Toletus. Dicendum eſt cum Carthuſiano, Caietano, Ianſenio, Toleto in cap. 9. Luc. annot. 7. quod virgam primo, & ſecundo modo ſuis negat Christus Dominus, tertio verò modo eam concedit. Vnde, vt notat Toletus citatus, virga diſtincto nomine hebræo ſcribitur in Matthæo, & Luca, ab eo, quod habetur in Marco. Christus Dominus igitur ſuis vetat virgam honorificam, ac punitiuam, & defenſoriam; non enim eos mittebat, vt honores oſtentarent, neque vt homines punirent, ab eiſque ſe defenderent.

## Qvæstio VIII.

### *Quare Dominus ſuis mandauit, ne virgam aſportent in itinere?*

40. D. Gaudent. Prima huius quæſtionis ſolutio patet ex proximè dictis. Reſpondet ſecundò, D. Gaudentius tract. 15 in Exod. ſupra à me datus hoc lib. cap. 1. n. 18. Qui ponderat, quod Hebræis, vt proficiſcantur ex Ægypto, mandatur celebrare Paſcha *tenentes baculos in manibus veſtris.* Exod. 12 n. 11. At Apoſtolis baculos denegàt Chriſtus Dominus. Iſraëlitæ erant incipientes in via virtutis; Apoſtoli verò in illius culmine: & ideo illi multis fuerunt adiuuandi, quibus iſti non indigebant, vt dixi citato loco. Deinde Hebræi in Ægypto, intellectu, & opere degebant ſub ſeruilibus mundi operibus, à quibus Apoſtoli iam erant expediti. Et qui mundo implicantur, multo timore replentur. Vnde ad ſui munimen eis baculi conceduntur. At Apoſtoli temporalibus dimiſſis, & proſtrato mundi Ægyptio ſola charitate ducebantur, quæ foras mittit timorem; baculis non egebant, ipſa ſola charitate ſecuri, ac tuti erant omni metu ſuperiores. (Exod. 12. *Qui mundo implicantur, timent; minimè verò, qui ab illo ſunt expediti.*)

41. D. Ambr. Tertiò, D. Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 13. ſic ait: *Dominus miſit Diſcipulos ſine auro, ſine argento, ſine pecunia, ſine virga, vt & incitatiua litis, & inſtrumenta eriperet vltionis.* In itinere ſumma pax ſeruanda eſt. Et qui pacem prædicant, iniurias condonare docent, pacem præ ſe ferant, vltionis inſtrumenta dimittant; & ideo aurum, argentum, pecuniam, ac virgam, quæ ſunt diſcordiarum ſemina, ac vltioni deſeruiunt, abiiciant: valdè enim alienum eſt à prædicatore, non ſolùm diſſidium, ſed etiam quæ diſſidium excitare poſſunt, ad vindictamque miniſtrare materiam. Quartò, pondero, quod virga interdicitur in vltimo loco, vt patet ex textu? *Vt inſtrumenta eriperet vltionis*, ait D. Ambroſius; nam aurum, argentum, ac pecunia inimicitiæ, ac odij materiam ſubminiſtrant. Qui ergo illis bonis renuntiant, vltionis inſtrumenta non habeant: tales iam hoſtes neſciunt, ſed ſibi omnes vendicant amicos, ac familiares. Vide ſupra cap. 6. n. 70. (*Qui pacem prædicant, pacem ferant. Diuitiæ diſſenſionis cauſa.*)

42. Luc 2. Quintò, maximè ponderandum eſt diſcrimen inter Chriſtum, ac Auguſtum Cæſarem. Ait Lucas 2. n. 1. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio facta eſt primò à Præſide Syriæ Cyrino.* Ad hanc deſcriptionem faciendam miſit Auguſtus duos validiſſimos duces, ac Præſides, ſcilicet Varum, & inſuper Cyrinum, vt teſtatur Ioſephus cum magno exercitu ſtipatos: At meus Ieſus modò miſit cenſores ſuos ſine pera, auro, argento, ac virga, atque omnino inermes. Et quid ex hoc factum eſt? Non Auguſto, ſed Chriſto totus ſubiicitur orbis, qui non ferro, ſed ſuauitate regnat, ac triumphat. Eleganter D. Ambroſius ad cap. 2. Luc. *Nihil in cenſu Chriſti*, ait, *vereare terribile, nihil immite, nihil triſte. Vis Chriſti audire cenſores? iubentur cenſere, ſed non virgis, nec terrore, ſed gratia plebem quærere, condere gladium, non poſſidere aurum. Talibus cenſoribus acquiſitus eſt orbis.* Plus enim lenitate, quàm aſperitate deuincitur. De his vide cap. 8. q. 2. ad finem, & multis aliis in locis multa. (Ioſephus. *Plus lenitate quàm aſperitate deuincitur.* D. Ambroſ.)



*Matth.* 10. *n.* 11. In quamcumque autem ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate. (*Pro his, quæ ſequuntur, vide infra. cap. 18.*)

Cætera autem, quæ ſequuntur vſque ad verſ. 15. ſcilicet *Tolerabilius erit terræ Sodomorum*: commodiùs explicabo, & dicam, dum de Diſcipulorum miſſione fuerit ſermo, infra cap. 18.

# CAP. VIII.

## *Mittuntur Apoſtoli ſicut oues inter lupos.*

*Matth.* 10. *n* 16. Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporũ. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* En ego mitto vos tanquam oues inter lupos.

*Vatablus.* Ecce ego emitto vos, velut oues.

*D. Athanaſ. lib. de communi eſſentia Patris &c.* Emitto vos, quaſi oues in medios lupos.

*D. Athanaſius lib. 4. contra Arrianos.* Sitis igitur prudentes, vt ſerpentes.

*D. Chryſoſtom. homil. 34. in Matth.* Efficiamini ergo prudentes, vt ſerpentes.

*Orgelitanus in cap. 1. Cant.* Aſtuti ſunt ſerpentes.

### *EXPOSITIO I.*

1. *In officio exequendo celeritas.* Hugo. Iſai. 6. Proseqvitvr Dominus ſuum ſermonem inſtruendo Apoſtolos, quomodo ſe debent habere in prædicatione Euangelica. *Ecce* magnam vim, & energiam habet. Et in hoc notatur celeritas officij, vt vult Hugo. *Ecce ego mitte me.* Iſai. 6. n. 9. *Ego mitto vos. Ego*, qui ſum magiſter veſter, & ſummi charitate vos diligo. Ego, qui Deus omnipotens, cui nemo reſiſtere poteſt, vt ponderat Euſebius Gallicanus homil. in Natali Apoſtolorum; *mitto vos.* Et vt ait S. Thomas, ſicut miſit me Pater inter paſſiones, & ego mitto vos. Ioan. 17. n. 18. Mitto vos, ſicut olim mittebam prophetas, Moyſem, Eliam, Eliſæum, Iſaiam ad Idololatras, & impios reges, vt ita ſui exemplo, ac aliorum ſocietate tolerabilior fieret paſſio. Et dum ait, *Ego*, ad magnam animoſitatem, & tolerantiam in perſecutionibus exhortatur. Sic Abſalon imperans, fratrem occidi, ſuis ait: *Nolite timere, ego enim ſum, qui præcipio vobis.* 2. Reg. 13. n. 28. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 34. *Quæ igitur in omnibus his*, ſcilicet perſecutionibus, *erit conſolatio? ſola mittentis virtus.* Et ait, *mitto vos*, non vicarios, & miniſtros veſtros, ſed quos conſtitui prælatos, ac præſides meæ Eccleſiæ mitto. Multum intereſt, vt res per proprium paſtorem peragatur. (Euſebius. S. Thomas. *Exemplum, & ſocietas aliorum afflictiones reddit ſuauiores.* 2. Reg. 13. D. Chryſoſt. *Præſul per ſe ipſum negotia peragat.*)

2. Albert. Mag. *Certa reſolutio animoſiores reddit.* *In medio luporum*, ſeu inter lupos, vt ſic exprimeret ſummum periculum, quod ipſis imminebat. Et non ait iuxta lupos, ſed in medio luporum, Albertus Magnus, vt vnuſquiſque ſciat, ſe effugere non poſſe, niſi captis lupis, & quod in hoc ſolo ſpes eſt, ſi lupi, natura lupina depoſita, ab ouibus capiantur. Ita Albertus. Vt ita hac reſolutione concepta ad luporum prædam animoſiores redderentur. Deinde ait, in medio luporum, vt ſignificaret, lupos eſſe multos, oues verò paucas, cùm à lupis circundarentur. Et quia in occaſionibus, ac perſecutionibus viſitur prudentia, ac patientia, ſubdit Dominus: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, vt hominum inſidias caueatis, ac fugiatis, *& ſimplices ſicut columbæ*, id eſt ſinceri, & ſimplices, vt nullum habeatis odium, nec animum vlciſcendi iniurias. Quæ omnia latius enucleabo quæſtionibus ſequentibus. (*Prudentia, & patientia in occaſionibus viſitur.*)

## Qvæstio I.

### *Quare in præſenti tam diſtinctè Chriſtus Apoſtolis explicat perſecutiones, quas paſſuri erant?*

3. D. Chryſoſt. Euthymius. Abulenſis. Erant Apoſtoli paulò antea in tantam dignitatem electi: quibus tamen Dominus ſtatim denuntiat mala, quæ pro ipſo ſuſtinenda erant. In cuius ſolutione quatuor rationes aſſignant D. Chryſoſtomus, homil. 34. Euthymius, Abulenſis q. 90. Prima, vt diſcant eius præſcientiam, quia nihil poteſt euenire, quod non præuiderit ipſe, vt ita omnes crederent, Chriſtum omnia ſcire, eſſeque verum Deum. *Nunc dixi vobis antequam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* Ioan. 14. n. 29. (Ioan. 14.)

4. *Pati pro Chriſto, magnum bonũ.* Secunda, Ne exiſtimarent, ex imbecillitate Magiſtri illa accidere, ne fortè dicerent, quod ſi illa mala prænouiſſet, cum ſummè nos diligeret, in illa nos non mitteret. Prædixit ergo ea, vt intelligant, quod præuidens omnes perſecutiones eos mittit, vt ait Abulenſis, *tanquam magna bona inde eis eſſent euentura.* Vide ſuprà cap. 5. n. 62. & 63. Tertia, ne Apoſtoli vehementer ſtupeſcerent; nam illis inopinantibus, ſi mala aduenirent, maximè turbarentur, cùm non eſſent prænuntiata. At verò hac Chriſti prædictione ad magnam tolerantiam armantur: *Minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur.* Quarta, vt hæc audientes tempore crucis Chriſti non turbarentur. (Abulenſis. *Præuiſio reddit mala tolerabiliora.*)

5. Albert. Mag. Quintam rationem ponit Albertus Magnus. *Hac Chriſti admonitione armat eos contra perſecutiones*

*cutiones : & ne deſperarent , ponit quandam mitigationem infra: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Proponit mala , vt explicet præmium. Vehementer ad paſſionum tolerantiam excitamur , ſi certi de præmio reddimur. Sextam ſic efformo. Apoſtoli modò in culmen Apoſtolicum fuerant electi , vt dixi cap. 7. q. 1. ſtatim eis Dominus in præſenti futuras paſſiones denunciat, vt agnoſcant , & ſciant , ad quæ ſunt electi , vtque intelligant , ipſos eſſe ad tantum apicem promotos , non vt delicioſè viuant , ſed vt in laboribus, ac ærumnis degant.

*Præmia labores facilitant*

6. Septima, Chriſtus modò elegit ſuos in Apoſtolos , magnámque eis dedit prædicandi , ac miracula operandi poteſtatem , vt ſuperiori cap. explicaui , & patet ex hoc 10. cap. Matth. n. 7. *Euntes prædicate , dicentes : Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate , mortuos ſuſcitate , leproſos mundate, dæmones eiicite.* Et poſt pauca ait; *Ecce ego mitto vos , ſicut oues inter lupos ; Et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Cur ergo , quando eliguntur , ac tam præclara eis committuntur, ſtatim eis , tanquam in appoſita penſione , dicuntur perſecutiones, ac labores futuri : Cur illa in aliud tempus non reſeruantur ? Satim ærumnas illas eis denuntiat , tanquam infallibilem conſequentiam honorum , ac dignitatum , quas maximè labores concomitantur , ac conſequuntur.

*Dignitates multos ſecum labores afferunt.*

7. 1. Reg. 16. Pagninus. Cùm Dauid , vt in regem vngeretur, ad Samuelem acceſſiſſet , de ipſo ait Scriptura 1. Reg. 16. n. 12. *Erat autem Dauid rufus , & pulcher aſpectu*; ſeu , vt legit Pagninus , *Erat rubeus , & pulcher oculis.* In præſenti electione maximè conſiderandum, quod illud primum in Dauide notatur, quod ipſe rufus , ſeu rubeus erat. Hæc ſanguinem exprimunt , vt in confeſſo eſt apud omnes. Vt ita cunctis fieret manifeſtum , quod prima inauguratio , primáque conditio , quæ regali electioni annexa deſcribitur , paſſio , ac ſanguinis perfuſio exiſtit. Hæc autem facta eſſe in figuram Chriſti Domini gloſſat Rupertus lib. 1. Reg. cap. 26. *Quod rufus erat Dauid* , ait , *imaginem illius prætendebat paſtoris , qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit : nam ipſe rectè rufus dicitur , non alieno ſanguine , ſed proprio. Quemadmodum Zacharias teſtatur. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu , in quo non erat aqua.*

*Sanguinis perfuſio principatui annexa.*

Rupertus.

8. Numer. 23. Cùm Iſraëlitæ iterfacerent per deſertum , rex Balac vehementer rogat Balaam , vt deteſtationibus Populum inſectetur. *Veni* , inquit, *& maledic Iacob , propera , & deteſtare Iſrael.* Num. 23. n. 7. Septuaginta habent : *Veni, maledic Iacob ; & veni , ſupermaledic Iſraël.* Tanquam ſi dicat : In Iacob coniice maledictiones ; in Iſraël verò maledictiones ſuper maledictiones. Cur ergo, cùm vnus, & idem ſit Populus , ipſas tamen execrationes, ac deprecationes cum additamento vult in ipſum, provt Iſraël nomine inſignitur ? Iacob , vt ſatis vulgare eſt , dicit hominem humilem , & paſtorem : Iſrael verò virum fortem , ac illuſtrem , in tantam perfectionem euectum , vt ipſum Deum facie ad faciem viderit Gen. 32. n. 28. Dum Populus humili nomine Iacob exprimitur , ſatis eſt, vt maledictionibus imperatur: at cùm Iſraëlis magno nobilitatur vocabulo , maledictiones ſuper maledictiones multiplicato fœnore coniiciantur : nam ad menſuram augmenti , ac cumulationis honorum , & dignitatum perſecutiones creſcunt, & deteſtationes multiplicantur. Origenes homil. 15. in Numer. *Veni, maledic Iacob, ſupermaledic Iſraël. Per quod oſtenditur, idcircò ſermo repetitus, vt ampliori vi, maiore intentione maledictionem in Iſraël, quàm in Iacob Balac videretur expoſcere, Donec enim quis tantum Iacob eſt , hoc eſt in actibus ſolum, & operibus poſitus, inferioribus maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit , & interiorem hominem ad videndum exercuerit , tunc non ſolùm maledictis ab inimico , ſed & ſupermaledictis , hoc eſt vehementioribus maledictionum iaculis impugnabitur.* Vide ſuprà cap. 6. n. 18. 19. & 20. & tom. 2 cap. 24. n. 10.

Septuaginta.

*Geneſ. 32. Ad honoris augmentum perſecutiones creſcunt.*

Origenes.

## QVÆSTIO II.

### *Quare Apoſtoli oues à Chriſto nuncupantur?*

IN exordio huius quæſtionis dubium excitat D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 24. Quare , ſcilicet , Dominus ſuos Apoſtolos dixit ſicut , ſeu quaſi oues ; tyrannos vero dixit , non quaſi lupos , ſed ad planum lupos. *Ecce ego mitto vos ſicut oues inter lupos.* Sic reſpondet S. Pater. Puto iſta ratione factum. *Quoniam homo Dei, quamuis fuerit bonus , tamen ſemper habet in ſe aliquid mali , ſecundum carnem , quaſi homo. Et ouis quidem dicitur , propter quod bonus : quaſi ouis autem, quia non ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoſcit, nihil in ſe boni poteſt habere, propterea lupus dicitur , non quaſi lupus.* Et quamuis hæc bene moraliter ſint dicta ; præcipuè quia tunc Apoſtoli , nondum Spiritus ſancti gratia accepta , erant imperfecti : tamen illa ita ſunt dicta ad maiorem efficaciam , & expreſſionem ſimilitudinis : mitto vos , ſicut oues inter lupos. Et Dominus , cum ſimpliciter ſit totus bonus, dicitur *ſicut ouis* Iſai. 53. n. 7. vt ipſe Chryſoſtomus ſibi obiicit. 9. D. Chryſoſt.

*Quilibet homo ſuas habet imperfectiones.*

Iſai. 53.

10. Chryſoſt. Euthymius. Rupertus. Abulenſis. Ad quæſtionem. Reſpondeo , primò ; Dici oues Apoſtolos à patientia. Ita Chryſoſtomus citatus , Euthymius , Rupertus , & alii Nam , vt colligo ex Abulenſi q. 93. Ouis , dum occiditur non clamat , non infert malum , nec in corde furorem concipit. Vere patiens, in aduerſis non obmurmurat , quod proprium ouium eſt ; nam, cum occiduntur, non clamant. Iſai. 53. num. 7. Secundò, Ouis malum patitur , ſed non infert , ita vere patiens ſuſtinet damna illata : & hoc maximè pertinet ad prædicatores , vt ait D. Gregorius in Euangelia homil. 17. Qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget. Tertiò, Ouis, cum malè tractatur , non concipit animum rabidum. Et hoc dicitur ad Apoſtolos , qui erant Eccleſiarum paſtores , quia hoc maximè ſpectat ad prælatos, vt iniurias ſubditi non reſeruent in tempus ad vindictam, ſed in omnibus teneant animum ſincerum. D. Gregorius homil. citata. *Multi*, ait, *cum regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt , terrorem poteſtatis exhibent, humilitatis locum in elationem dominationis mutant; & ſi quando extrinſecus blandiuntur , intrinſecus ſæuiunt, de quibus dicitur , Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, conſiderandum eſt, quod ſicut oues inter lupos mittuntur , vt ſenſum ſeruantes innocentiæ , morſum malitiæ non habeamus.* Vide tom. 2. cap. 14. n. 69.

Iſai. 53.

D. Greg.

*Patiens non murmurat, nec infert malum.*

*Prælatus illas iniurias ad tempus non reſeruet.* D. Greg.



11. D. Chryſoſt. Secundò , D. Chryſoſtomus homil. 24. in Imperfecto. In perſona Chriſti ſic fatur : *Non humanæ naturæ beneficium tollo , ſed ouilis patientiæ opus iniungo. Non dedignentur ſerui vocabulum ouis accipere , cum ſciant , Dominum ſuum nomen Agni portaſſe. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* , Ioan. 1. num. 28. Et ab Iſaia dicitur Ouis 53. num. 7. Docentur Chriſti Diſcipuli ipſum imitari in patientia, manſuetudine, atque clementia ; & quantum fieri poteſt, in omnibus ſequi eius exemplum. Et ſi ipſe ob patientiam, ac manſuetudinem Agnus dicitur, quid mirum, quod eius ſerui oues nuncupentur ; nam ouis quid maius videtur, quàm agnus.

Ioan. 1. *Chriſtiani Chriſtum reſpiciant , ac imitentur.*

12. Chryſoſtom. Tertiò , Chryſoſtomus citato loco , *Sicut oues*, ait, *cum cœperint vos lupi vellicare, nolite reſiſtere, aut vociferare, ſcientes, quia niſi vos ſpoliati fueritis, alij non veſtientur.* Ab oue detrahitur lana , & lac , vt alii induantur , ac nutriantur. Deſtinabantur Apoſtoli , vt præſules Eccleſiarum. Eis mandatur , vt ſint ſicut oues. Prælati enim expoſiti ſunt , vt à ſua ſubſtantia, ac indumento defraudentur , vt ſubditi viuant , ac nutriantur. Vide tom. 2. cap. 11. n. 45. 46. & 47.

*Prælati à ſe ipſis detrahant, vt ſubditi alimententur.*

13. Quartò, videtur hîc latere quædam implicatio. Deligebat Dominus ſuos ad prædicandum : & ait eis, quod ſint ſicut oues in medio luporum : oues luporum viſu obmuteſcunt. Si ergo ſe habuerint vt oues , coram lupis doctrinæ verba non dabunt. Mittebat Chriſtus eos ſine auro , argento , pera, ac calceamentis , cum ſumma paupertate , humilitate , ac manſuetudine : & tunc ait , quod ſint ſicut oues inter lupos. Quia in prædicatore Euangelico priùs habitus , quàm vox prædicet ; & tacente lingua prædicatoris vita doceat , & clamet; Huc adduco verba Gregorij ſupra data. *Qui locum prædicationis ſuſcipit , mala inferre non debet , ſed tolerare, vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget , & peccatorum vulnera in aliis , ipſe, afflictionibus vulneratus , ſanet.* Vide tom. 2. cap. 11. n. 69.

*Ante linguã prædicet prædicatoris vita.*

D. Gregor.

14. D. Chryſoſt. Quintò , Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. ſic ait : *Non ſimpliciter aduerſus lupos , ſed in medium luporum ; ſic enim maximè virtus eius patere poteſt , ſi lupi ſuperabuntur ab ouibus , quæ cum in medio luporum ſint , & hinc , atque illinc morſibus luporum lacerarentur , non modo non deficerent, ſed lupus in naturam ouium transmutaretur.* In hoc maximè apparet mittentis virtus. Quia oues inter lupos non ſunt conſumptæ, ſed cuſtoditæ ; & ideò non dixit : Mitto vos ad lupos , ſed in medio luporum , id eſt , vt maneatis inter eos , quia licet oues ſitis , manebitis inter lupos , & non extinguent vos , ſed vos potiùs eos in veſtram naturam mutabitis. Et ideò exprimit : *Ecce ego mitto vos.* Vt eius virtus in conſeruandis ſuis ouibus innoteſcat.

*Chriſti virtus ſuos conſeruat inter lupos.*

15. D. Chryſoſt. Beda. Albert. Mag. Sextò , Mittuntur oues inter lupos , vt ex veſtra vellicatione lupi viuant , & conuertantur in oues , vt docet Chryſoſtomus citatis locis , Beda, Albertus Magnus , & alij. Sed vnde oues habebunt hanc vim , vt lupos in naturam ſuam tranſmutent ? Huc aduoco D. Petrum Chryſologum ſerm. 23. *Grex puſillus* , ait , *ac mitis diu contentus occidi , diu deuorari paſſus eſt , donec gentilis ſæuitia ſanguine ſatiata , vel carnibus , euangelici pabuli ſuauitatem , & diuini fontis fluenta deguſtans totum contagium ſæculi euitaret, & paſtum : atque in hominem rediret ex beſtia, qui ex homine fuerat dilapſus in beſtiam.* Sunt oues , ſed non per ſe ſolùm , ſed ſimul ſaturatæ cæleſti pabulo , ac educatæ diuino edulio corporis Chriſti , cuius halitum, atque odorem emittit Apoſtolicus grex. Et inde tantam vim habet , vt valeat totum mundum reformare , ac lupos conuertere in oues , beſtiaſque tranſmutare in homines. Hæc potes etiam applicare ad vim verborum Euangelici concionatoris.

D. Chryſol.

*Ab halitu ſacræ Euchariſtiæ omnia reformantur. Magna vis Euangelici prædicatoris.*

Septimò, Deſtinauit olim Deus parentem meum Eliam in curiam regis Achab cum ampla poteſtate cælum claudendi , ac ignem eiiciendi in terras 3. Reg. 18. Nunc verò Apoſtolos ſuos delegat in orbem ſicut oues. Mittebat eos, vt totum mundum ſibi lucrarentur , ac acquirerent. Et nil fortius ad trahendos hominum animos , quàm lenitas , ac manſuetudo : plus enim ſubiugatur lenitate ouis , quàm rigore ignis , ac gladij ; Quod optimè docet D. Chryſoſtomus in Pſal. 120. *Quid oue manſuetius ?* ait, *quid verò lupo agreſtius ? Hic tamen ab illa ſuperabitur. Nihil enim manſuetudine potentius , nil lenitate validius , ac firmius.* Et Theophylactus. *Volo vos* , ait, *manſuetos eſſe ſicut oues , & ſic magis vincere.* Vnde Apoſtoli totum traxerunt orbem ; Elias verò obduratum Achab in Idololatria cum ſuis reliquit. 16. 3. Reg. 18.

*Plus deuincitur, ac trahitur lenitate, quàm rigore.*

D. Chryſoſt.

Theophyl.

17. Apocal. 14. Ait, Ioannes Apocal. 14. n. 1. *Vidi : Et ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion , & cum eo centum quadraginta millia.* Et ſubdit n. 4. *Hi ſequuntur Agnum , quocumque ierit.* Non admiror, quod tot fortiſſimi milites Chriſtum ſequantur, ſed id me maximè in admirationem rapit , quod dum eum video decantari vincentem leonem tribus Iuda Apocal. 5. n 5. nullum eum ſequentem lego ; ſed omnes poſt Agnum abeunt. Plus enim ſibi comparauit ſuaui Agni manſuetudine , quàm bellica Leonis fortiudine. D. Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſione. *Sequamur fratres* , ait , *ſequamur Agnum , quocumque ierit , ſequamur patientem.* Non dixit pugnantem , ſeu vincentem , ſed patientem.

Apocal. 5. *Plus comparatur manſuetudine, quàm fortitudine.*

D. Bernard.

18. Iſai. 51. In perſona populi Iſraëlitici clamat Iſaias 51. n. 9. *Conſurge , conſurge , induere fortitudinem brachium Domini : Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum.* Poſtulat Propheta ad Brachium Domini , quod eſt in vocatiuo , vt conſurgat , ac veniat fortitudine ſua , & excuſſa captiuitate Babylonica ædicetur iterum Ieruſalem, vt explicant S. Thomas, Hugo. Seu ſermo eſt populi Chriſtiani ad Chriſtũ Redemptorem, eius aduentum deprecantis ; vt Eccleſia Chriſti extruatur, vt D. Hieronymus , D. Cyrillus , & alij communiter exponunt. Et ad hoc poſtulat fortitudinem, *vt in diebus antiquis , in generationibus ſæculorum*; hoc eſt in creatione mundi , in qua Deus exhibuit multa ſigna amoris , pietatis , ac clementiæ , qua cuncta è nihilo creauit , hominem è limo formauit , multis donis exornauit , ac mira benignitate eius errata ſuſtinuit. Sed cur ad ædificandam Ieruſalem non poſtulat potiùs rigorem illum, quem Deus in diluuio vniuerſali oſtentauit , vel fortitudinem illam, qua Iſraëlem in terram promiſſionis introduxit , deſtructis Ammorrhæorum gentibus ? ſed potiùs illam generationi ſæculorum pietatem exoptat ? Multùm ſanè per omnem modum. Plus præſtat ad comparandum , ac fabricandum ſuauitatis benignitas , quam ſeueritatis rigor. Rupertus lib. 2. in Iſai. cap. 13. *Conſurge*, ait,

S. Thomas. Hugo.

D. Hieron. D. Cyrillus.

*Lenitate multò maiora ædificantur, quàm rigore.*

Rupert.

ait, *& induere fortitudinem, induere pulchram, & fortem charitatem,*

19. Surgens Iacob à ſomno ſuo fudit oleum ſuper lapidem, & erexit eum in titulum. Et ait: *Lapis iſte vocabitur domus Dei.* Gen.28.n.22. Hæc dicuntur à Iacob in ſignum, quod ibi ædificanda eſſet domus Dei, vt expendunt D. Auguſtinus, Carthuſianus, Caietanus, Lippomanus, & alij. Sed ſi ædificium templi Domini deſignatur, cur oleum infunditur, & non potius ferreus malleus adhibetur, vt petra percutiatur? Oleum applicatur, vtpotè cuius infuſio efficacior ad attrahendos, ac expoliendos lapides in ædificium domus Dei, quàm quodlibet aliud ferreum inſtrumentum. Vnde Chriſtus ad ſuam Eccleſiam fundandam, ac fabricandam, non leones, ſed oues inter lupos mittit.

Geneſ. 28. D. Auguſt. Carthuſ. Caietan. Lippoman.

*Plus fabricatur oleo, quàm ferro.*

## Qvæstio III.

### *Quinam ſint lupi hîc ſignificati?*

20. Vera, & germana ſententia mihi videtur D. Hilarij hîc, D. Ambroſij ſerm. 6. in Pſal. 118. exiſtimantium, hîc per lupos deſignari omnes illos qui crudeli, veſanóque furore deſæuituri erant in Apoſtolos. De omnibus illis loquitur ſequenti verſu: *Cauete ab hominibus, &c.* Vnde mihi minus arridet ſententia D. Hieronymi, magis ſtrictè interpretantis per lupos Scribas, & Phariſæos Iudæorum.

D. Hilarius. D. Ambr. *Qui lupi.* D. Hieron.

21. Sed in hac ſententia D. Hieronymi, quæ tanto auctore probabilis ſit, inſurgit dubium: Quomodo Iſraëlitæ dicantur lupi, cùm ipſi dicerentur oues? *Ite potius ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Matth. 10. n. 6. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Matth. 15. n. 24. Reſpondeo, quod eorum malitia, ac feritate factum eſt, vt ex ouibus fierent lupi. Aliter, ac pulchrè reſpondet D. Chryſologus ſerm. 100. *Audi ipſum Dominum dicentem,* inquit, *non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael: ſed oues luporum contagione iam rabidæ, & ipſis beſtiis propria feritate ſæuiores, laniare, & violare ſuum ſemper voluere paſtorem.* Perpende illa verba: *Oues luporum contagione iam rabidæ.* Erant Iſraëlitæ permixti cum gentibus, & in eorum vitiis aſſociati: vnde ex earum contagione, atque conſortio tantum malum hauſerunt, vt ouinam naturam deponentes lupinam induerent. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 4. n. 97. & 102. & tom. 2. cap. 24. n. 36. 37. & 38. & hoc tom. cap. 1. n. 172. & alia multis in locis.

*Iſraëlitæ oues, quomodo lupi.* Matth. 10. Matth. 15. D. Chryſol.

*Valde nociua malorum ſocietas.*

## Qvæstio IV.

### *Quare potius dixit Dominus oues inter lupos, quàm inter leones?*

22. Ratio germana eſt. Quia inter omnia quadrupedia lupus eſt valdè crudelis rapax, vorax, ac infeſtus ouibus: & ideo ad magnam energiam comparationis ouium poſuit potiùs inter lupos, quàm leones. Deinde inter hæc duo animantia, hoc maximè viſitur diſcrimen; nam leo proſternenti ſe coram eo parcet, ac dimittit, in validum, ac reſiſtentem inuehitur, ac deuorat. Lupus verò è contra à robuſto pugnatore fugit, ac terga vertit; ſubmittentem verò ſe illi rabido morſu dilaniat. Merito ergo huius ſæculi homines, non leones, ſed lupi dicuntur, à ſtrenuo enim, atque magno, cuius potentiam timent, ſeſe declinant, & nil diſſidij cum eo committere volunt: at paruum, & humilem omni conatu comprimunt, & in fruſta cædunt.

*Huius ſæculi homines ſunt in humiles feroces, in ſuperbos humiles.*

23. Saul ſuum regnum ſtabiliendi nimio zelo feruidus erat. Et inde factum eſt, vt toto corde multis cum militibus, copioſoque exercitu perſequeretur Dauidem, cum perſcrutans in cunctis millibus Iuda 1. Reg. 23. n. 23. vt eum è medio tolleret. Et ita dixit filio ſuo Ionathæ: *Omnibus diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum.* 1. Reg. 20. n. 31. Ipſi tamen Sauli, cùm eſſet electus in regem, *Filij Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte, ſcilicet* Saul. *Et non tulerunt ei munera. Ille verò diſſimulabat, ſe audire.* 1. Reg. 10. n. 27. Cur ob regni conſeruationem crudeli odio Dauidem inſectabatur; filiis verò Belial repugnantibus tam placidus extabat? Dauid humiliabat, ac ſubmittebat ſe coram Saul, ita vt ei diceret: *Quem perſequeris, Rex Iſrael? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum?* 1. Reg. 24. n. 15. At verò filij Belial erant homines feroces, vt inquiunt Lyranus, & Hugo, viuentes *abſque iugo Legis diuinæ, & diſciplinæ.* Et Carthuſianus inquit, *Quorum indomita erat malitia, qui ſuam ſuperbiam iugo legis diuinæ non refrænabant.* Saul, vt valde proteruus, & malus, miti, ac humili Dauidi ſe rigidus impugnator exhibebat, hominibus verò ferocibus multum placidus, vtque cum eis contentiones deuitaret, eorum ſe audire opprobria diſſimulabat.

1. Reg 23. 1. Reg. 20. 1. Reg. 10. 1. Reg. 24. Lyranus. Hug. Carthuſ.

*Saul in mites rigidus; in feroces placidus.*

24. Poſtquam Iacob obtinuit benedictionem à Patre ſuo Iſaac, crudeli, infeſtoque animo cum oderat Eſau, & dicebat: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Gen. 27. n. 41. Poſtea verò ſuccedentibus rebus, cùm Iacob reuertiſſet è Meſopotamia cum multis liberis, ac famulis, & copioſa armentorum multitudine: *Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum eius, & oſculans fleuit.* Gen. 33. n. 4. Quod totum in ſignum eximij amoris factum eſt, vt ibi notarunt Abulenſis, Carthuſianus, Lippomanus, & alij. Et ideo multa ei amicabilia verba dicens, ſe illi offert itineris ſocium ibi n. 11. Vnde meritò ait nobis Chryſoſtomus. *Conſidera igitur, quantam mutationem declarat Eſau, accurrit enim in occurſum eius.* Sed vnde tanta mutatio orta eſt? Inter alias multas rationes, hanc in rem noſtram dico. De Iacob in domo patris ſui ait Scriptura Gen. 25. n. 27. *Iacob vir ſimplex habitabat in tabernaculis:* id eſt erat Iacob vir ſincerus, mitis, ac quietus, vt interpretantur Procopius, & Rupertus. At verò quando reuerſus eſt è Meſopotamia, erat valde magnus, multis diuitiis plenus, multaque familia ſtipatus. Eſau autem minacia, ac inflata arrogantia verba quæ in mitem, & humilem iactitabat, erga magnum, & potentem in amicabilia, vrbana, ac placida conuertit atque mutauit.

Geneſ. 27. Geneſ. 33. Abulenſis. Carthuſian. Lippoman. Chryſoſt. Geneſ. 25.

*Iactitant homines in humilem verba minacia; placida in potentem.*

***



## Qvæstio V.

### *Quomodo oues in medio luporum ab eorum morſibus ſe cuſtodient?*

25. Reſpondet primò Chryſoſtomus ſerm. de Pentecoſte. *Non habentes,* ait, *humana ſolatia, habentes autem Dominum ſuum. Ego ſum,* inquit, *vobiſcum, vſque ad conſummationem ſæculi. Peragrarunt vniuerſum orbem terrarum oues ſimul cum lupis, & vulneratæ non ſunt oues à lupis, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem ſunt conuerſi.* Qui ſecum comitem Chriſtum habet, in omnibus eſt ſecurus. Oues inter lupos non ſunt conſumptæ, ſed potius lupos ad ſe traxerunt. Aderat cum eis Chriſtus, cuius præſentia, ac virtute omnia ſecura, & tuta fiunt.

D. Chryſoſt.

*Vbi Chriſtus adeſt, ſecuritas eſt in periculo omni.*

26. Secundò, Iſaias Abbas Orat. 16. *Præcepit Dominus eis, vt nihil acciperent in via: cùm enim nihil luporum haberent, non poterant eos lupi deuorare.* In exordio iſtius ſermonis mandauit Dominus ſuis Diſcipulis, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, nihil tuleritis in via.* Matth. 10. n. 9. Qui mundialia contemnunt, & nihil eorum in ſe recipiunt, inter voraciſſimos mundi lupos ſecuri degunt: dilaniatur autem, & deglutitur ab eis, qui toto ſuo ſtudio illa ambit, atque affectat.

Iſaias Abbas. Matth. 10.

*Qui à ſe mundialia reiicit ſecurius degit.*

27. Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 34. *Inexpugnabilem virtutem ſuam oſtendens,* ait, *quamuis aduerſus lupos eſſent ituri; omnem tamen manſuetudinem eos habere iubet. Erubeſcant igitur, qui quaſi lupi aduerſarios ſuos perſequuntur, cùm videant innumeros lupos ab ouibus vinci pauciſſimis. Et certè quovſque ſumus oues, facilè hoſtes vincimus.* Suauitas, & lenitas maximè nos tutos, ac ſecuros reddit in omni caſu, ac euentu. Qui enim hanc induit, valde tranquillus inter rapaces lupos, ac furentes beſtias incedit, eaſque ad ſe trahit, atque deuincit.

D. Chryſoſt.

*Manſuetus inter hoſtes tutus degit.*

28. Quartò, Mittebantur Apoſtoli prædicantes regnum Dei, multa mirabilia operantes cum poteſtate mortuos ſuſcitandi, ac infirmos curandi Matthæi 10. n. 1. & 8. vt ita multis donis omnes illuſtrarent. Et qui omnibus eſt beneficus, & nulli iniurioſus, ac nociuus, inter crudeles hoſtes cura, ac anxietate vacans vadit, pergitque. Vnde ait hîc Theophylactus. Quod Dominus *mittens ſuos, ſicut oues inter lupos, armauerat miraculis,* vt eis veluti ab eorum morſibus ſe cuſtodirent.

Matth. 10. *Ben[illegible] & nec[illegible] [illegible], ſecu[illegible]* Theophyl.

29. Copioſo exercitu Saul Dauidem quærebat. Dormiente rege, deſcendens Dauid cum Abiſai in caſtra, ex regis tentorio *Tulit haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret.* 1. Reg. 26. n. 12. Et poſtea ex aduerſo colle clamat Dauid ad Abner: *Quare non cuſtodiſti dominum tuum regem, ingreſſus vnus de turba,* &c. Quomodo Dauid non timet ſe intromittere in validiſſimum exercitum crudeliſſimi hoſtis? quomodo audet regale tentorium introire? quomodo non veretur, vt vnus è tot militibus clamet, ipſeque deprehendatur? Venerat Dauid in hoſtium phalangas, non vt nocumenta daret, ſed vt multa in regem exhiberet obſequia, nempe vt ex ſuo tentorio ablato quodam ſigno Sauli oſtenderet, quàm iniuſtè ipſum perſequebatur, nam, cùm potuiſſet eum interficere noluit: vtque etiam argueret cuſtodes de ignauia, qua laborarunt ſuper excubias domini ſui regis, vt ita deinceps cauti fierent. Et qui incedit, non vt noceat, ſed vt in multis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus famuletur, inter armatas inimicorum acies tutus ingreditur, atque deambulat. Abulenſis q. 7. *Dauid non habuit animum nocendi Saul, quando deſcendit in caſtra, ſed ſolum accipiendi lanceam eius, vel aliud, in ſignum, quod habuiſſet locum occidendi eum, & noluiſſet, vt ita confunderetur Saul, & deſiſteret à perſequendo eum: non poterat Dauid intentius clementiam ſuam oſtendere.*

1 Reg. 26.

*Qui beneficia præſtat, & non damna, nil formidat.*

Abulenſis.



30. Chriſtus Dominus vt verus homo mortem timuit. Vnde dixit Diſcipulis ſuis: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Matth. 26. n. 38. Et ad Patrem rogans ait: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* n. 39. Et poſtea appropinquante Iuda cum miniſtris ad eum comprehendendum, inquit Ioannes 18. n. 4. *Ieſus autem ſciens omnia, quæ ventura erat ſuper eum, proceſſit, & dixit: Quem quæritis?* Valdè mirum, quod meus Ieſus mortem timet, & mortis miniſtros non formidat, ſed eis obuiam prodiit? Chriſtus Dominus ingrediebatur paſſionem ſuam, ad deſtruendam mortem: *Ero mors tua ô mors.* Oſe. 13. n. 14. ait Albertus Magnus, *Proceſſit Ieſus ad generis humani redemptionem voluntariè offerens ſe.* Timet ergo, moraliter dico, mortem, quæ deſtruebatur; non autem homines, qui ſaluandi, ac redimendi erant pretioſiſſimo lauacro ſanguinis ſui.

Matth. 26. Ioan. 18. Oſe. 13. Albert. Mag.

*Vbi vita datur, & non interitus, timor non eſt.*

## Qvæstio VI.

### *Quare Dominus ſerpentum prudentiam à ſuis requirit?*

31. Prudentia, quæ ratione materiæ, ac finis, virtus quædam moralis eſt, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 58. art. 3. ad 1. propriè non eſt in brutis, ſed ſolum in homine habente vim intellectiuam. Ariſtoteles 6. Ethicor. cap. 6. D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 1. & 4. Et ſequuntur omnes Commentatores. Sed ſolùm latè prudentiam habere dicuntur bruta, in quantum in quibuſdam actionibus hominem imitantur, vt notat Abulenſis q. 95. Sic dicitur Prouerb. 6. n. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & addiſce ſapientiam;* ſcilicet prudentiam. Chriſtus Dominus ergo hoc modo dicit prudentiam in brutis, vt ita hoc exemplo per ſenſibilia erudiat homines indoctos. In præſenti nobis proponit ſerpentis prudentiam, vt eam imitemur.

D. Thomas. Ariſtoteles. D. Thomas.

*In brutis non propriè, ſed latè prudentia.*

Abulenſis. Prouerb. 6.

32. Primò, vt ait D. Hieronymus, *Serpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud in quo vita eſt, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus, id eſt fidem integram, & incorruptam ſeruare, ſtudeamus.* Idem docent D. Auguſtinus in Pſal. 57. & D. Hilarius can. 10. D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. D. Epiphanius hæreſi 58. D. Paſchaſius, & alij. Ita prudentes ſimus, vt ob conſeruandam fidem, charitatem, Dei obſequium, ac denique ipſum Deum in nobis, reliqua omnia noſtra corporea omni periculo exponamus. Vnde ait Rupertus lib. 8. in Matth. quod ob ictum capitis

D. Hieron. D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Hilarius. D. Epiphan. D. Paſchaſ.

*Pro fide conſeruanda temporalia omnia perdenda.*

Rupert.

K ſerpens

ſerpens omni conatu fugit ab hominibus, & ſubdit: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, ſcilicet cauete ab hominibus, vt ſubaudias ne homines percutiant caput.* Chriſtus caput noſtrum, quia in nobis regnat per fidem, iniquorum colloquia declinemus, ne in nobis percutiant caput noſtrum.

33. D.Ambroſ.

Huius prudentiæ quandam rationem occultam aſſignat D. Ambroſius ſerm.20.in Pſal.118. *Fertur,* ait, *coluber, cum vrgetur periculo, caput ſemper abſcondere, & in orbem ſe colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc ſolum tueri, quod læſa ferantur membra cætera, ſaluo capitis vigore reparari.* Si pereant cætera, Chriſtus in nobis ſit cuſtoditus, omnia reparantur. Vel etiam ad prælatos poteſt adaptari præſens documentum. Si prælatus ſit integer, atque illæſus, inferiores viuent; at corrupto capite omnia pereunt.

*Si prælatus ſit integer, omnia viuificātur; ſecus ſi ipſe corrumpitur.*

34. Peluſiota. D. Baſilius. D.Auguſt. D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl.

Secundò, Iſidorus Peluſiota lib.1.Epiſt.26. *Serpens,* inquit, *arte, ac verſutia vetuſtatem exuit, in arcta quadam, & anguſta rima ſeſe comprimens, ac ſenium deponens. Vult igitur, nos quoque per arctam viam, & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo nouum inducere, qui ad eius imaginem renouatur.* Idem docent D. Baſilius Orat. 7. de Serpente. D.Auguſtinus in Pſal.57. D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & alij. Serpens vetuſta, & carioſa pelle grauatus, arctiſſimum ingreſſus foramen, ſenile ſpolium exuit, & nouo ſubinde amictu exultans repuereſcit. Ita & nos antiqua vetuſtate peccatorum grauati, veterem hominem deponamus; & vt nouum hominem induamus, ad Colloſſenſ.3.n.9. ingrediendum eſt nobis per arctiſſimum pœnitentiæ foramen.

*Arcta pœnitentia renouanda eſt vita,*

35. D. Ambroſ.

Aliter hanc ſerpentis renouationem explicat D. Ambroſius ſerm.6.in Pſal.118. de ſanctis Martyribus loquens. *Qui,* ait, *velut boni ſerpentes, depoſitis carnis exuuiis, tentationum hyemalium rigore ſuperato, & Spiritus ſancti renouati gratia, æſtiua mundo luce fulſere.* Serpens obductis membranis hyberno tempore valde grauatus, ad ardorem Solis illud deponit. Ariſtoteles lib.8 hiſtor. Animal. cap.17. & Plinius lib.8.cap.27. Sic viri Apoſtolici ad feruidos diuini Spiritus radios deponentes ea, quæ hauſta ſunt ex mundiali frigore, in nouos viros renouantur, ac recoquuntur.

Ariſtoteles. Plinius. *Diuini Spiritus radiis animus exardeſcit.*

36. Beda.

Tertiò, Beda. *Prudentia ſerpentis eſt,* inquit, *quod vnam aurem petræ opponit, alteram cauda claudit, ne audiat incantantes.* Et D.Auguſtinus in Pſal.57.n.5. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas:* ſic ait S. Doctor. *Allidit ſerpens vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram.* Hanc prudentiam induant Chriſtiani contra dæmonum tentationes, vt aures ſuas occludant cauda, & terra, id eſt meditatione finis, ſcilicet mortis, & terræ, hoc eſt ſepulchri, & puluis, in quem conuertendus eſt homo.

Pſalm.57. D. Auguſt. *Memoria mortis obturemus aures contra dæmonum ſuggeſtiones.*

37. D.Epiphan.

Quartò, D. Epiphanius in libello ad Phyſiologum, cap.16. ait: *Cùm ſerpens ad fontem, vt bibat, pergit, virus non defert, ſed in antro illud dimittit, ſicque purus accedit, ne ex illis aquis bibentes veneno inficiat. Debemus & nos, qui ad perennem, puramque de diuinis eloquiis ſcaturientem aquam in Dei Eccleſia properamus, malitiæ venenum non deferre, ſed omnem malam cogitationem deponere, ne anima noſtra veneno inficiatur.* Qui ad ſacræ Scripturæ, eiuſque ſublimis intelligentiæ aquas potandas concurrunt, omne malitiæ venenum euomant, vt ita anima munda tantam ſacri eloquij munditiem capiat. Aliter etiam poteſt dici. Vt nos eadem ſerpentis prudentia vitemus aliorum de noſtris moribus ſcandalum. Et ſi quod virus in animo, in vita, in ore gerimus, id ſaltem occultemus, ne duplicato ſcelere, dum vitia noſtra propalamus, in perniciem, atque in gehennam nobiſcum deuolutos pariter & alios præcipitemus. Vide tom.2.cap.5.n.185. & cap. 11.n.32.

*Ad ſtudium ſacræ ſcripturæ requiritur animi puritas.*

*Noſtris peccatis ne aliis ſcandala demus.*

38. D. Ambr.

Aliter hanc ſerpentis aſtutiam nobis imitandam proponit D. Ambroſius ſerm. in feria 2. poſt 1. Dominic. *Ita & nos,* ait, *quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum; hoc eſt iracundiam, odium, inuidiam, falſitatem, &c. Et ſic ad altare Domini, corpore, & ſanguine eius ſatiemur.* Et idem etiam docet Epiphanius, quando ad preces, ac myſteria venimus in Eccleſia.

*Vt ad ſacram Euchariſtiā accedamus mundāda eſt conſcientia.* D.Epiphan.

39. D.Hilarius.

Quintò, D. Hilarius ſic ait; *Serpens ille animum primò mollioris ſexus aggreſſus eſt; ſpe deinde illexit, & communionem immortalitatis ſpopondit. Pari ergo opportunitate introſpecta vniuſcuiuſque naturæ, & voluntate, verborum adhibenda eſt prudentia, ſpes futurorum bonorum reuelanda; & quod ille mentitus eſt, nos prædicemus ex vero.* Et Brixianus. *Prudentes ſicut ſerpentes, qui cum circumſpectione, & conſideratione quid fieri poſſit, & quo pacto ad perſuaſionem audientium doctrinam ſuam diſponunt.* Idem docent D. Baſilius in regulis breuioribus. Interrog.245. D. Thomas, & alij. Serpens antiquus, vt ſeduceret, inuaſit fragiliorem ſexum, magna propoſita ſpe, & accommodatiori arbore obiecta, cuius pomum pulchrum viſu. Sic prædicatores, ac prælati, vt auditorum animos attrahant, cuncta diſponant, ſingula explorent, & tunc quæ opportuniora ſunt ad intentum finem eligant, & ordinent. Vide tom. 1. & 2. in Indice. Verb. Accommodare.

Brixianus. D.Baſilius. S. Thomas. *Explorandū eſt tempus, & occaſio, ad operandum.*

40. D.Remigius.

Aliter hanc aſtutiam ſerpentis explanat D. Remigius. *Pulchrè prædicatores prudentiam ſerpentis monet habere; quia primus Homo per ſerpentem deceptus eſt; ac ſi diceret, quia hoſtis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes ſitis ad liberandum, ille laudauit lignum, vos laudate Crucis virtutem.* Antiquus ſerpens ſuam oſtentauit aſtutiam lignum laudando; vos etiam, ô Diſcipuli mei, ait Chriſtus, veſtram ſapientiam declarate, lignum extollendo: ſed ille ligno arboris decepit; vos ligno Crucis meæ viuificate: ille ligno arboris captiuauit, vos ligno Crucis à ſeruitute liberate; nam damna per antiquam arborem in humanum genus illata, per Crucem reſtaurantur, ac recompenſantur. Suis Idolis incenſum offerebat Ieroboam ſuper altare, & cùm veniret Propheta ad eum increpandum, extendit rex manum, vt eum apprehenderet, & *aruit manus eius, quæ extendebat contra eum* 3. Reg.13.n.4. Quod factum ſic expendit D. Chryſoſtomus Orat. de S. Hieron. ſubdens: *Conſidera mihi exemplum, quod occurrit in ligno, quod in paradiſo fuit, & in ligno, quod fuit in Cruce. Quemadmodum enim lignum illud, cùm eſſet viride, mortem peperit; lignum verò Crucis, cùm eſſet aridum, vitam genuit: ſic manus regis, quando viridis erat, impietatem peperit; quando arida facta eſt, tunc obedientiam produxit.* Cùm manus facta eſſet arida, tunc humiliauit ſe rex coram Propheta, vt pro eo deprecaretur. Manus viridis lignum viride paradiſi denotat; manus arida lignum aridū Crucis. Mala enim, quæ lignum, ſeu manus viridis peperit, lignū, ſeu manus arida correxit. Vide tō. 2. cap.3.n.155. & 192. & 193. & cap. 24.n.42. & 47.

*Damna antiqui ſerpentis per Cruce reparantur.* 3.Reg.13. D. Chryſoſt. *Cruce damna reſtaurantur.*

Sextò,



41. Ianſenius. Titelmanus.

Sextò, Ianſenius, & Titelmanus dicunt, ſerpentes nuncupari prudentes, quia agunt, non vi, & robore, ſed aſtutia, ac prudentia. Ita viri Apoſtolici prudentia, & non viribus cuncta diſponant, cùm Eccleſia Dei non ſit cuſtodienda more caſtrorum. Benedicens Iacob Dan, ait: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Gen.46. n.17. Hæc dicta eſſe in ſpiritu de Sanſon, tenent D. Hieronymus de locis hebraicis, Procopius, Gennadius, D. Iſidorus, Lyranus & alij. Sed quomodo vir tam illuſtris comparatur cum valde venenoſo animali, qualis eſt coluber ceraſtes? Quid magis alienum à ſanctitate Samſonis, quàm ſerpentis venenum? Ceraſtes, cùm equitem nequeat attingere, ipſum non inuadit, ſed aſtutia, ac arte equi calcaneum mordet, vt equum, & equitem deiiciat, & ita eum occidat. Sic Sanſon, in quo denotantur viri Apoſtolici, vt habet Gloſſa moralis Iudic. 15. magis induſtria, ac arte, quàm vi, egreſſus è latebris, in quibus latitabat, multos Philiſtæos occidit, indéque ipſos deuaſtauit, vt patet in tiecentis, vulpibus, quarum caudis titiones ardentes alligans ſegetes Philiſthiim ſuccendit; ac concutiens columnas tria millia interfecit. Carthuſianus. *Quemadmodum coluber inſidiatur in via, ac percutit clam euntem; ſic Sanſon in viis obſeruauit Philiſtæos, & interfecit. Et ſicut ceraſtes mordendo vngulas equi, facit equitem cadere; ſic Sanſon concutiendo columnas domus, oppreſſit Philiſtæos.*

*Res potius agenda aſtutia, quàm vi.* Geneſ. 49. D. Hieron. Procopius. Gennadius. D.Iſidorus. Lyranus. Iudic.15. Carthuſ.

42.

Septimò, Serpens, cùm ſe agnoſcat eſſe valde exoſum hominibus, vt ex antris ſuis egrediatur, maximè cuncta explorat, acutiſſimè diſtantia videt; vnde eſt adagium commune: *Serpentis intuitus*: & in orbem ſe colligens caudam habet ante oculos. Suis Apoſtolis, quos antea Dominus totius orbis præſules creauerat, mandat, vt ſint *prudentes ſicut ſerpentes:* Præſul cuncta debet aſpicere, ac conſiderare, quæ præſentia ſunt, quæ à longè diſtant in futuro, & quæ à tergo exiſtunt in præterito.

*Prælatus cogitet de futuro, & præterito.*

43. Geneſ.49.

Benedicens Iacob filium ſuum Iudam ait: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti, vt leo, & quaſi leæna. Quis ſuſcitabit eum.* Gen.49.n.9. vbi cum regibus loquitur, nam ipſi ex Iuda orti ſunt. Et altiori ſpiritu ad Chriſtum Regem regum dirigitur ſermo. Sed cur regalis poteſtas cum his tribus comparatur? Cur non ſolùm cum leone accubante, vel leæna? Catulus leonis ſemper reſpicit, ac ſequitur matrem, quā præſentem habet; leo verò, vt tradit Goropius Becanus in Originibus Antuerpinis lib. 9. dormit oculis apertis conuerſis ad orientem; leæna autem verſo vultu ad Occidentem. Meritò ergo Rex catulo leonis, leoni, ac leænæ confertur: nam vt leonis catulus, videat præſentia: vt leo aſpiciat, quæ in Oriente, nempe quæ in futuro ſunt; & vt leæna conſideret, quæ ſunt in Occidente, ſcilicet in præterito.

Goropius. *Prælatus præterita, præſentia, ac futura proſpiciat.*

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Dominus ſuis mandat, vt teneant columbarum ſimplicitatem?*

44. Abulenſis.

SImplicitas duobus modis ſumi poteſt, vt notat Abulenſis q. 96. Primò, pro inſcientia, & ignorantia. Et hoc malum eſt, nemóque illud alteri perſuadet. Deinde Chriſtus Dominus mandauit uſis Apoſtolis, vt eſſent prudentes. Accipitur ergo hîc ſimplicitas propriè pro eo, quod eſt eſſe ſine dolo: nam ille dicitur ſimplex, qui ambulat ſimplici, & non duplici corde, ita vt non quiddam foris oſtendat, & aliud mente gerat. Et ſic dicitur prudentiſſimus Iacob *vir ſimplex.* Gen. 25.n.27. Et ſapientiſſimus Iob, *ſimplex ac rectus.* Iob. 1. n. 1. & 2. n. 3. Dominus volebat, ſuos eſſe ſimplices ſine dolo, non autem ignorantes.

*Simplicitas quot modis ſumatur.*



Geneſ. 25. Iob.1. & 2.

45. Chryſoſtom. Hilarius. Anſelmus.

Reſpōdeo primò ex communi Patrum ſententia Chryſoſtomi, Hilarij, Anſelmi, & aliorum. Mandat Dominus ſuis, vt ſint ſimplices, ſicut columbæ, quæ nullum habent dolum; & ſicut exteriùs nulli nocumentum inferunt, non ſolum homini, ſed etiam nè minutiſſimo animali, quo alij paſſeres aluntur: ita interius nulli volunt vindictam, nec alicui infligere malum. Nam hæc proueniunt ab ira, quæ ex felle naſcitur, quo columbæ carent; & ita ſunt ſine dolo. Et hanc ſimplicitatem commendat hîc Dominus ſuis Apoſtolis, vt ait Diuus Thomas, ſimplices dixit *contra doloſitatem, quæ aliud gerit in corde, aliud in ore*: iuxta illud Pſalmi: *Loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus.* Et columba hanc ſimplicitatem retinet, non ad tempus, ſed vſque ad ſui interitum, vt obſeruauit D. Chryſoſtomus homil. 24. in Matth. *Vſque in mortē in ſimplicitate perſeuerat.*

*Ea ſimplicitas tenenda, quæ nō aliud in ore, aliud in corde habet.* D. Thomas. D. Chryſoſt.

46. Paſchaſius.

Secundò D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Columba,* ait, *non roſtro nocet, nec vngulis diſcerpit, nec alis, vt lædat, ſicut reliquæ aues, ferit: ſed ſimplicitatem amoris ſine amaritudine intus cuſtodit.* Videbis columbam roſtro, vngulis, putabis armatam ad nocendum; illa tamen arma ſunt, non ad nocumentū, ſed obſequium naturæ. Poteſtas eſt in prædicatore, nō ad deſtructionem, ſed ad ædificationē.

*Poteſtas ſit ad ædificationem, non ad deſtructionē.*

47. D.Paſchaſ.

Tertiò, idem D.Paſchaſius. *Columba ſuos diligentiſſimè nutrit pullos, etiam & alienos paſcit; quibus nimirum exemplis, nos omnibus beneficos eſſe, docet; & nulli nocere debere inſinuat.* Ita ſimplex eſt columba, vt aliena ſit ab omni particulari affectu; & æqualiter ſuos, ac alienos pullos nutriat. Vide tom.2.cap. 10 n.24. & cap. 24.n.12.

*Simplicitas aliena ab omni particulari affectu.*

48. Euthym.

Quartò, Euthymius. *Columbæ,* inquit, *quum eis pulli auferuntur, malorum non meminerunt aduerſus eos, qui abſtulerunt: ſed denuo ad eos accedunt, licet ſæpius auferant.* Brixianus. *Ille ſimplex ſicut columba, qui ne animo quidem, & cogitatione admittit vlciſci, qui ſibi inſidiatur; ſed præſtat beneficia.* Hoc exemplo commendat Dominus ſuis Apoſtolis, de iniuriis ne recordentur, ſed obliuiſcantur, & frequenter veniant ad eos qui eas intulerunt, vt ibi valeant nidificare ſalutem, ac ſpiritualem erigere domum. Vide tom. 2. cap.13.n.76. & cap. 14.n.46.

Brixianus. *De iniuriis illatis non eſt recordandū.*

49.

Quintò, D.Hieronymus in cap.7.Iſai.verſ.11. ſic ait: *Aues cæteræ pullos ſuos, etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant; & cum ad nidum ſuum, accipitrem, colubrum, coruum, ſiue cornicem accedere, viderint; huc, illucque volitant, & immittunt ſe morſu, & vnguibus lacerant, & dolorem parentis querula voce teſtantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Et quamuis D. Hieronymus hanc columbæ naturam in malam partem accipiat, ad illos peccatores exprimendos qui ſpiritualia damna non ſentiunt, tamen hoc columbæ ingenium in bonam partem interpretari poſſumus, ad denotandam Apoſtolicam ſimplicitatem. Nam illi verè in Eccleſiaſtico ordine nu-

*Inordinato conſanguineorum amore ne teneamur.*

K 2 merantur

merantur, qui omnem nimium carnis,& ſanguinis affectum deponentes, pro conſanguineis quærendis, tuendis, ac locupletandis non multum fatigantur, ac moleſtantur, vt inde multis periculis pro eis ſe immiſceant.

50. Iſai.60. D.Gregor. Sextò, D. Gregorius homil. in Euangelia, expendens illa verba Iſaiæ cap.60.n.8. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Sic gloſſat S. Pontifex *Quaſi ergo ad feneſtras ſuas ſunt, qui nihil in hoc mundo concupiſcunt, qui omnia ſimpliciter aſpiciunt, & in hæc, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur. At contra miluus, & non columba, ad feneſtras ſuas eſt, qui ea, quæ oculis conſiderat, rapinæ deſiderio anhelat.* Non comparantur Apoſtoli cum aquila, non cum accipitre, nec cum miluo, ſed cum columba; & eis mandatur, vt eius ſimplicem affectum teneant: nam adeò ſimplex eſt columba, vt nullo rapinæ deſiderio repleatur eorum, quæ videt, ſicut aquila, vt ipſa, & pulli eius comedant, & nutriantur; ſed tantum inuentis granis paſcitur. Hoc columbæ ingenium ebibant Eccleſiaſtici, vt vnguibus, & roſtro non rapiant, vt ipſi, & eorum conſanguinei magnis opibus viuant, & largiter augeantur.

*Eccleſiaſtici pro conſanguineorum amore ne ſint auari rapina.*

51. Tertull. Septimò, Tertullianus lib. contra Valentian. cap. 3. ſic ait: *Abſcondat ſe ſerpens, quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur: noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper, & apertis, & ad lucem; nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodò abſcondi.* Sunt animalia, quæ in valde tortuoſis, & abditis locis latitant: non ſic columba; quamuis nidificat in alto, ſemper tamen in aperto, ac patenti loco. Vnde aliquando columba pro ſimplicis veritatis ſymbolo vſurpatur. Et hanc veritatis ſinceritatem commendat Dominus ſuis, vt ſemper in manifeſto, ac clara luce ambulent; nam veritas nihil magis fugit, quàm abſcondi, & fucatis, ac compoſitis verbis occultari.

*Vir ſimplex, ac verax ſemper in aperto, ac manifeſto ambulat.*

52. Geneſ 8. Octauò, Columba, quæ ex Arca emiſſa eſt, non inueniebat inter cadauera, vbi pedem poneret; vnde ad Arcam reuerſa eſt Gen 8.n.9 Arca Chriſtum ſignificat; ac proinde monentur omnes prædicatores, vt hanc columbæ ſimplicitatem ſequantur, vt in nullo terreno, ac temporali inueniant, vbi requieſcant, niſi in Chriſto Ieſu; ideoque hanc Arcam requirant, ac ad eam regrediantur.

*Chriſtum quæramus, & in ipſo requieſcamus.*

53. Nonò, Columba adeo pura eſt, vt in eius figura Spiritus Sanctus apparuerit, ac deſcenderit. Cadaueribus non inſidet, potiora grana eligit, auis eſt, non ſolitaria, ſed aſſociabilis, ac gregatim volat. Sic vir Apoſtolicus valde purus exiſtit, ac ſuauiſſimo grano Corporis Chriſti paſcitur; in ſocietate, ac amicitia fratrum degit, & viuit. Multa alia vide tomo 1. lib. 3. capite 2. quæſt. 21. præcipuè à num. 74.

*Iuſtus verè ſolo Chriſti corpore paſcitur.*

54. Decimò, ſi credendum eſt perſonis in arte venandi valde peritis, Columba, quando apprehenditur, & capitur, non reſiſtit, nec ſe defendit nec multum fatigatur. At verò, ſi in columbario, ipſa vidente, pulli auferantur, gemula ſe voce, maternóque habet affectu, alis ſuis eos vult defendere, licet ſtatim quieſcat. O verum ingenium Apoſtolici prælati! magis fatigatur ſuorum malo, quàm proprio; & ſuos magis, quam ſe vult cuſtodire, ac defendere. Diuus Cyprianus ſermon. de lapſis, non procul à principio. *Doleo*, ait, *fratres, doleo vobiſcum: nec mihi adleniendos dolores integritas propria, & ſanitas priuata blanditur, quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneratur*, quàm ſcilicet ſui. D Cyprian.

*Prælatus plus dolet de ſuorum malo, quàm de proprio.*

55. Luc. 23. Suarius. Barradas. Pendens meus Ieſus in Cruce, orans ad ſuum æternum Genitorem ait: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt* Luc.23.n.34. Et hoc inter ſeptem Chriſti verba in Cruce prolata primum eſt, vt tenent Suarius tom.2. ad 3.p.diſp.38.ſect.4. §. *Primum eſt illud.* Barradas tom.4. lib. 7.cap.14. Erat Dominus totus acutiſſimis doloribus circundatus, Cruce, clauis, ſpinis: & tamen pro eis leuandis nec verbum facit ad Patrem: ſed totus ſe conuertit in oratione, vt pro hominibus roget, vt eis peccata, ac ſupplicia pro tanto ſcelere remittantur. Cur Rex regum pro ſuis doloribus mitigandis non priùs deprecaris? Acerbiſſimi erant corporis dolores, quibus Ieſus tenebatur; ſed grauiùs eius animus transfigebatur ſuorum malis, peccatis, ac ſuppliciis; & ideò pro his auertendis rogat; non verò pro ſuis cruciatibus, quibus afficiebatur. Arnoldus Carnotenſis tract. de ſeptem verbis. in primo verbo ſic ait: *Nondum expirauerat Chriſtus, ſed foſſis manibus, pedibúſque: ſciſſo vepribus capite viuebat in Cruce, & parricidalium mentium intuens vota, non clauorum acumine, quàm illorum crimine pungebatur. Et pro his ad Patrem conuertitur, & inauditum dicendi genus nouus orator aſſumit.* Expende illa verba: *Non clauorum acumine, quàm illorum crimine pungebatur.* Et in huius rei confirmationem nota, quod Chriſtus prius pro hominibus orat: *Dimitte illis*: & poſtea pro ſe: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Arnoldus.

*Verus princeps magis torquetur ſuorum morte, quàm propriis doloribus.*

56. Datis in optionem tribus ſuppliciis, fame, peſte, bello, peſtem elegit Dauid. Et cum magna ſtrages fieret in populo, iam enim ſeptuaginta virorum millia occiſa erant, ad orationem cucurrit, & pro populo deprecatur: *Ego ſum*, ait, *qui peccaui: ego iniquè egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, mens tua contra me.* 2. Reg.24.n.17. Tunc venit ad eum Propheta Gad, ex cuius mandato erigente altare Dauide, plaga ceſſauit. In multis in hoc facto reſplendet eximia illius charitas: quomodo enim ſe ipſum obtulit ad mortem. Sed maximè hîc eſt expendendum, cur poſtquam lues in tantam multitudinem graſſauerat, orationem interpoſuit? Cur non ſtatim in exordio peſtilentiæ illa ſe muniuit? Dauid, ait D.Chryſoſtomus in Epiſtol. ad Rom. homil. 29. elegit peſtilentiam, quia *ſperabat, alios quidem fore ſecuros, ſe verò ante reliquos omnes è medio tollendum: & ideò in exordio plagæ patienter erat expectans mortem* à Domino infligendam. At cùm videt, aliter eſſe factum, pereunte populo ſe eſſe incolumen; tunc magno feruore concepto in orationem totus prouolutus pro ſalute populi ad Deum deprecatur, magis dolens de ſuorum morte, quàm de proprio periculo, & magis ſolicitus in propulſando ſuorum damno, quàm auertendo à ſeipſo omni malo. D. Chryſoſtomus citato proxime loco. *Precabatur*, ait, *vt in ſe verteretur ira Dei. Et in occiſionis ipſius principio idem vtique feciſſet, niſi ſperaſſet illam via ſua gradientem ad ſe quoque venturam. Cùm verò videret, iſtud non fieri, ſed iſtos iam depaſtos, calamitatem illam non tulit amplius.* Et ſtatim concludit: *Talem oportet*

2. Reg.24. D. Chryſoſt. D. Chryſoſt.

*Rex magis ſolicitus ſit pro auertendis ſuorum, quàm propriis malis.*



*eſſe principem, & ab aliorum magis, quàm ob proprias dolere calamitates.* Vide tom.1. lib.1.cap. 2. n.103.& lib.2.cap. 1.n.56. & tom. 2.cap. 11.n. 45. 46.& 47.& n.129.& 130.& cap.3.n.248.& cap.5.n.264.& cap.22.n.29.& cap.26.n.16.

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus coniungit ſerpentis prudentiam cum ſimplicitate columbæ?*

57. D.Greg. RESPONDET primò D.Gregorius homil.30 in Euangelia. *Notandum eſt*, ait, *quod Diſcipulos ſuos, nec de columba ſine ſerpente, nec de ſerpente ſine columba voluit Dominus admonere, quatenus & columbæ ſimplicitatem aſtutia ſerpentis accenderet, & ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret.* Commendat Dominus ſuis, vt habeant prudentiam, & ſimplicitatem, non diuiſim, ſed coniunctim, ita vt in eis prudentia ſerpentis non degeneret in malitiam; vnde eis apponit columbæ ſimplicitatem. Et ne ſimplicitas deueniat ad ſtultitiæ metas; ideò ei inculcat ſerpentis prudentiam. Vnde ait Iſidorus Peluſiota lib.2.Epiſt.175. *Ac ſi alterutra ab altera ſeiungatur, illa in peruerſitatem incidit, hæc in ſtultitiam deſinit.* Quod cõfirmat citatus Gregor. ex Paulo 1. Cor. 14. n. 20. *Nolite pueri effici ſenſibus.* Ecce prudentia, vt puerorum imprudentiam fugiamus. *Sed malitia paruuli eſtote.* Ecce ſimplicitas, vt paruulorum innocentiam habeamus. Vnde ait Theodoretus ad citatum locum Pauli. *Non paruulorum malitiam, ſed innocentiam teneamini.*

*Chriſtus vult ſuos prudentes, non malitioſos; ſimplices, non ſtultos.*

Peluſiota. 1.Cor. 14. Theodoret.

58. Halitgarius. Secundò, Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis lib. 2. de virtutibus cap. 7. Commendat Dominus prudentiam, & ſimplicitatem *Quia*, ait, *nec ſimplices circumuenire aliquos poſſunt, nec prudentes ſe circumueniri permittunt.* Vult Dominus, ſuos ita eſſe ſimplices, vt alios non decipiant; & ita eſſe prudentes, ne ſe decipi ſinant, vt hoc modo vna virtus altera muniatur, vt proſequitur D. Paſchaſius lib.6.in Matth. *Præmiſit igitur Chriſtus prudentiam, vt poſſit eſſe ſimplicitas: & ſequitur columbæ ſimplicitas, ne ſtulta inueniatur in nobis, prudentiã ad Deum; idcircò alternis ſe foueant proſpectibus.*

*Vna virtus munitur, ac cuſtoditur alia.* D. Paſchaſ.

59. D. Chryſoſt. Tertiò, D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 24. ſic loquitur in perſona Chriſti. *Noto vos ſemper eſſe quaſi columbas, ne propter ſimplicitatem nimiã per ſeductionem laqueum incurratis. Nolo vos ſemper ſicut ſerpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, ſed ſecundum tempus & perſonas mutetis, & mores.* Commendat Dominus prudentiam & ſimplicitatem, vt ita non ſemper vnam, vel alteram teneant, ſed modò hanc, modò illam, prout occaſio loci, ac temporis, & perſonarum exigit: nam aliquando in tali euentu eſt prudentia ſimplicitas, & ſimplicitas imprudentia. Perbellè dixit D. Nazianzenus Orat.1 *Summoperè neceſſe eſt, antiſtitem ſimul & ſimplicem eſſe, & quàm maximè varium, atque mutabilem prout tempus poſtulat.* Vide ſuprà cap.5.n.16.17.18.19.& 20.& tom.1.& 2.in Indice. verb. Accommodare.

*Iuſtus ſit prudens, & ſimplex, prout occaſio poſtulat.* D.Nazian.

60. Caſſian. Quartò, Simon Caſſianus lib.9.cap.20. *Prudentiam*, ait, *ſuadet habere ſerpentum, non anfractus, ſine venenum, non bifurcatam linguam, aut variam pellem, non greſſus pectoris ſuper terram; quæ omnia vitio aſcribuntur: ſed prudentiam ad cauendum lædentia, in capitis cuſtodia expoſitionem corporis. Indicitur & columbina ſimplicitas, vt ſemper ſit animus abſque amaritudine inuariatus in ſe ipſo.* Quod latius enucleat Albertus Magnus. Quomodo Dominus mandat, vt ſui ſint ſicut ſerpentes, & columbæ: nam ſerpens veneno infectus, & valde aſtutus ad decipiendum. Vnde Diabolus in eius figura Euæ ſe exhibuit. Et columba valde apta, vt circumueniatur. Vnde per exprobrationem ait Propheta: *Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.* Oſeæ 7.n.8. Serpens, quamuis veneno repletus ſit, ac linguam bifurcatam ad nocendum habeat, tamen prudentiæ dono ditatus eſt, ad fugienda mala, ad caput cuſtodiendum expoſitione corporis, & ad antiquam pellem per arctum foramen deponendam. Columba etiam quamuis ſit ad hoc, vt decipiatur, facilis; tamen valde nobilitata eſt ſimplicitate abſque ira, & animo vlciſcendi. Mandat ergo Dominus, vt ſimus prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, vt bonum, quod eſt in ſerpente, ſcilicet prudentiam; & bonum, quod eſt in columba nimirùm ſimplicitatem, hoc ſequamur, & imitemur: mala autem à nobis abiiciamus; vt ita teneamus prudentiam ſerpentis, vt ſimplicitate columbæ vitemus illius aſtutiam, átque venenum. Et ſimiliter ne ſimplicitas columbæ noceat, etiam ſerpentis prudentia muniamur. Ex quo magnum accipe documentum: vt ſi videas aliquem hominem, cui inſit & bonitas aliqua, & ſimul defectus aliquis: apprehendas bonum ad imitandum, excludas malum fugiendum. Sicut vtitur pomo ex aliqua parte putrido: ſanum accipis ad guſtum, reliquum in ſterquilinium proiicis, vt alibi dixit Origenes. Vide tom.2.cap.26.n.62.

Albert. Mag.

*Malum, quod eſt in homine reiice vt fugiendum: bonum verò, quod inuenitur accipe ad imitandum.*

Origenes.

61. Quintò, coniungit Chriſtus in ſuis ſerpentem cum columba. Serpens per arctas rimas tranſiens, veterem pellem deponens, & nouam induens perantiquum peccatorem per pœnitentiam renouatum deſignat, vt ex ſanctis Patribus dixi ſuprà q.6. in 2.ſolut. Columba verò typum gerit Spiritus ſancti, vt planum eſt. Quid ergo in hac coniunctione denotatur, niſi quod illi, qui prudentiam ſerpentis tenent, ſe per pœnitentiam in nouam vitam commutantes; hi replentur ſimplicitate, ſinceritate, puritate, ac manſuetudine diuini Spiritus.

*Pœnitens ditatur donis Spiritus ſancti.*

62. Sextò, Suis Apoſtolis, quos Deus mittebat in Orbem, vt illius capita, ac paſtores, ait, eſſe ſicut oues, ſerpentes, & columbas. Quænam combinatio in tam diſtantibus animantibus? Hæc ſanè omni Præſuli neceſſaria: nam ſi in illo inueniatur manſuetudo ouis, lenitas columbæ, etiam quando occaſio exigit, in eo reperiatur morſus, ac venenum ſerpentis, id eſt rigor, ac aſperitas, vt delinquentes pungat, ac puniat, ne malum ſerpat, & cuncta contagione pereant. Vide tom.1. lib.1. cap.5. n.149 & lib.3.cap.5.n.13.& tom.2.cap.11.n.35.

*Pro occaſione ſit in prælato lenitas, & ſeueritas.*

63. Tertullian. Septimò, Tertullianus claudat has rationes lib. in Valentinianum cap. 2. *Ideo ſimplices notamur*, ait, *apud illos, vt hoc tantum, non etiam ſapientes: quaſi ſtatim deficere cogatur à ſimplicitate ſapientia, Domino vtramque iungente; Eſtote prudentes, vt ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Aut ſi nos propterea inſipientes, quia ſimplices. Num ergo & illi propterea non ſimplices, quia ſapientes.* Maximè hîc pungit Tertullianus prædicatores criticos, qui vt ſe oſtentent prudentes, ac ſapientes, extraordinarios loquendi modos ſcrutantur, ſemper à ſimplicitate verborum declinantes, veluti

*Prædicator oſtendit ſapientiam apertè loquens.*

Sapient. 1.

luti exiſtimantes, *quaſi ſtatim deficere cogatur à ſimplicitate ſapientia.* Cùm nihil magis cohæreat cum ſapientia, quam aperta, & manifeſta locutio, copulante Domino prudentiam cum ſimplicitate. Pergit ipſe Tertullianus. Et hoc aſſumptum, tanquam ab inconuenienti comprobat. *Malim*, ait, *in eam partem meliori ſumi vitio, ſi fortè præſtat minus ſapere, quàm peius errare, quàm fallere. Porrò facies Dei expectat in ſimplicitate, vt docet ipſa Sophia; Quærite Dominum in ſimplicitate.* Sapient. 1. n. 1. Ac ſi dicat, dum vulgari ſtylo loquor, volo potius notari minus ſapientis, quàm incognito, & abſtruſo vtens, anſam præbere fallaciæ, & errori, cùm Deus non quæratur, nec inueniatur, niſi in ſimplicitate. Sed veniamus ad intentum noſtri præpoſiti textus.

Ioan. 16.

*Clara & aperta locutio oſtendit ſapientiam.*

64. Chriſtus Dominus ſemper alta, & ſublimia doctrinæ arcana tradidit ſuis Diſcipulis: tamen cùm in ſermone in Cœna eos informat de ſuo ingreſſu in mundum, & regreſſu ad Patrem; tunc *Dicunt ei Diſcipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc ſcimus, quia ſcis omnia* Ioan. 16. n. 30. Cur quando eum audiunt de cæleſti beatitudine valde excelſa diſſerere, de diuinis myſteria præclara annuntiare, multa futura prædicere, quæ ſunt notæ profundiſſimæ cognitionis; non dicunt, *Nunc ſcimus quia ſcis omnia*: ſed modò hæc loquuntur, cùm ſimpliciter, & abſque prouerbio eius percipiunt ſermonem? Optimè ſanè, nullum enim præclaræ ſcientiæ maius ſignum, quàm aperta, & diſtincta locutio.

Euthymius.
D. Thomas.

Euthymius. *Nunc manifeſtè loqueris, & nihil obtectum dicis: intelligimus enim, quæ nunc dixiſti, nunc ſcimus, quod ſcis omnia.* D. Thomas. *In ſuperficie verborum ſatis euidens argumentum eſt certæ, & perfectæ ſcientiæ, quando quis manifeſtat, quæ dicit.* Vnde dicitur Prouerb. 14. n. 6. *Doctrina prudentum facilis eſt.*

Apocal. 19.

D. Ambroſ.
Anſbertus.

65. Vidit Ioannes in ſuo Apocalypſi Chriſtum Dominum triumphantem, & ſubdit: *Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo.* Apocal. 19. n. 14. Exercitus iſti in cælo denotant ſanctos prædicatores, ac Martyres in Eccleſia Catholica, qui in vltimis diebus contra Antichriſtum fidem Ieſu prædicabunt, ac confitebuntur, vt docent ibi D. Ambroſius, ac Anſbertus. Sed cùr iſti prædicatores non apparent veſtiti auro, vel argento, vel lapidibus pretioſis intextis, ſeu armis induti, cùm in prælium prodeant; ſed tantum *byſſino albo, & mundo*, ſeu puriſſimo? Byſſus eſt lini genus tenuiſſimum, ex quo fiunt aliquot indumenta valde ſubtilia, & diaphana, ita vt cuncta ſubterpoſita appareant, & videantur. Vide Plinium lib. 19. cap. 1. & Calepinum in hoc verbo. Rectè ergo exercitus cæleſtes exeunt cooperti, non auro, argento, ac gemmis, ſed byſſino candido, ac mundiſſimo. His adumbratur, quod prædicatores in concionibus non induantur vocibus, quæ obcæcare, ac obtenebrare mentem audientium valeant, ſed illis vtantur, quæ promptè, ac expeditè ab omnibus videantur, penetrentur, ac intelligantur. Optimè Origenes tom. 2. in Ioan. ad illud: *Et verbum erat apud Deum*: ſic ait: *Conſidera verò albos equos eorum, qui ſequuntur ſermonem, indutos albo, & puro byſſo: & conſidera, num, quia byſſus è terra oritur, byſſina indumenta ſignificent proprietates linguarum, quæ ſunt in terra, quibus indutæ ſunt voces, res apertè, & purè ſignificantes.* Nota vltima verba. Vide tom. 2. cap. 7. num. 26. 27. & 28.

Plinius.
Calepinus.

*Vox prædicatoris loquatur apertè, & obſcuritatem non generet.*

Origenes.

*Matth. 10. n. 17.* Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & ſynagogis ſuis flagellabunt vos.

### *VERSIONES.*

*D. Pet. Alex. ſer. de Pœnit.* Attendite vobiſmet ipſis ab hominibus.

*Syriacus.* Tradent vos in domum iudiciorum, *ſcilicet prætoria.* & in ſynagogis.

*Vatablus.* Tradent enim vos in concilia, & in conciliabulis ſuis flagris cædent vos.

*Arias.* Tradent vos in conceſſus.

### ALTER TEXTVS.

*Marci 13. n. 9.* Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis.

*Luc. 21. n. 12.* Sed ante hæc omnia iniicièt vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias.

### *EXPOSITIO II.*

66.

D. Chryſoſt.

SVPRA dixerat Dominus ſuis, vt eſſent prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, vt notat D. Chryſoſtomus homil. 24. in Imperfecto, proprium eſt enim ſerpentis, ſibi ab hominibus cautè proſpicere: Mandat ergo Dominus ſuis Diſcipulis, vt ab hominibus ſibi attendant; ne vos decipiant ſuis perſuaſionibus, ac fallaciis, quibus, ait Chriſtus, à mea fide vos auertere conabuntur, vt explicant Paſchaſius, Beda, Carthuſianus, Hugo, Caietanus. Et ſubdit Chryſoſtomus. *Vult, eos eſſe ſimplices ſicut columbæ, vt non aduerſus proditores ſuos malitiæ memores ſint* Nam, vt homo fugiat omnes fraudulentias, ſat eſt prudentia ſerpentis. At verò, vt vnius traditoris malitiæ non ſit memor, ſimplicitas, ac ſinceritas columbæ, in qua Spiritus Sanctus adumbratur, exigitur. Aliter Albertus Magnus explicat illud verbum *Cauete.* Prudentia ſerpentina ſcilicet ait, cauti eſtote diſſimulando iniurias Prouerb. 12. n. 16. *Qui autem diſſimulat iniurias, callidus eſt.* Quod magnæ prudentiæ indicium exiſtit.

Paſchaſius.
Beda.
Carthuſian.
Hugo.
Caiet.
Chryſoſt.

*Maximè exigitur Spiritus ſancti gratia; ne homo de iniuriis traditoris recordetur.*

Albert. Mag.

*Sæpè diſſimulare, magna prudentia.*

Prouerb. 12.

67.

Alexandrin.

Græcus.

*Tradent vos.* D. Petrus Alexandrinus ſerm. de Pœnitent. ait, ad mei ſimilitudinem, ſicut me ipſum tradiderunt. Illud ſuis commendat, quod ipſe expertus fuerat. *In concilijs*, ſeu vt habet Græcus, *In concilia*,



Syriacus.

Actor. 4.
Actor. 5.
Actor. 6.

*In concilia*, ſeu Syriacus, *In domum iudiciorum*, ad eos examinandos, condemnandos tanquam malefactores, vt factum eſt Petro, & Ioanni Actor. 4. n. 5. & 7. Et omnibus Apoſtolis Actor. 5. num. 27. Et Stephano Actor. 6. num. 12. *In ſynagogis ſuis*; vbi lex legebatur, ac explicabatur, ibi ſolitos fuiſſe Iudæos, delinquentes in legem flagellare, tradunt multi. *Flagellabunt vos*, ſub correctionis ſpecie, ait Zacharias Epiſcopus; ibi enim erat correctionis locus. Et nulla durior caſtigatio, quàm illa, quæ fit zeli, ac correctionis prætextu. Et benè ait D. Chryſoſtomus homil. 24. in imperfecto. *In ſynagogis ſuis, vbi orationes, & laudes; vbi lectiones, & ſacrificia, Apoſtolos ibi pœnis afficiebant, quaſi ſacrificium Deo.* Illa enim Apoſtolorum flagellatio Deo erat oratio, laus, & ſacrificium; nobis verò lectio, & documentum; illis autem horum laborum prædictio ad magnum meritum inſeruiebat, cum per tot annos in illorum acceptatione viuerent, & perdurarent.

Zachar.

*Rigida pœna, quæ ſub zeli prætextu infertur.*

D. Chryſoſt.

*Apoſtolorum flagellatio, Deo ſacrificium, & nobis lectio.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Dominus dixit: Cauete ab hominibus: & non potiùs à lupis?*

68.

*Difficultas quæſtionis.*

SVPRA dixerat Dominus ſuis: *Mitto vos ſicut oues inter lupos*; nunc ait, *Cauete ab hominibus.* Ad conſequentiam ſermonis videbatur dicendum, Cauete à lupis: tamen mutato ſtylo ait, *Cauete ab hominibus.*

69.

D. Chryſoſt.

*Homo malus, peior diabolo.*

Ad quod dubium reſpondet Chryſoſtomus homil. 24. in imperfecto. *Ideo*, ait, *dixit, Attendite vobis ab hominibus, quaſi à quibuſdam peſſimis malis, & ſuper omnia mala malis.* Quod latè comprobat; ac tandem concludit. *Homo malus peior eſt, quam ipſe diabolus. Diabolus enim, ſi videt iuſtum, non eſt auſus ad eum accedere. Homo autem malus, quamuis hominem ſanctum, non ſolùm illum non timet, ſed magis contemnit. Non enim diabolus homini præſtat virtutem, ſed homo diabolo. Arma enim diaboli eſt malus homo. Sicut enim homo ſine armis non poteſt aliquid facere contra hoſtem; ſic & diabolus etiam ſine homine non valet aliquid contra ſanctos.* Quod confirmat Albertus Magnus ex illo Ioan. 13. num. 2. *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotæ.* Sic ait Albertus Magnus, Hoc enim per ſemetipſum diabolus facere non potuit. Et ita notat D. Gaudentius Brixien. præfatione tract. in Exod. Quod diabolus, tanquam validiſſimum ſui telum mulierem ad vltimum reſeruauit. Vnde Iob dixit ad eam: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Iob 2. num. 10. Ante hæc verba habent Septuaginta: *Qui inſpiciens*, ſeu D. Chryſoſtomus homil. 3. in Iob, *proſpiciens eam.* Et ait ipſe Chryſoſtomus. *Non dixit, reſpiciens eam, ſed proſpiciens. Quare? Ignorabat namque ſuam vxorem? num ex ea liberos non genuerat? Quare ergo proſpexit?* Reſpondet: *Proſpicere oſtendit, quod non eam vidit, ſed eum, qui eam proſpexit, diabolum cognoſcebat, qui in ſerpente fuerat locutus, nunc & in muliere loquentem.* Proſpexit, non quod ignoraſſet mulierem, ſed quia id, quod audiebat, alienum erat à muliere; & ibi diabolum in ea loquentem intelligebat. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 187.

*Quod diabolus non audet facere, per hominem facit.*

Ioan. 13.

Albert. Mag

D. Gaud.

Iob 2.
Septuag.
D. Chryſoſt.

*Diabolus per homines bella facit.*

70.

Haymon.

Secundò, Haymon. *Quos Dominus ſuperius appellauit lupos, eos nunc appellat homines: lupos eos vocat propter voracitatem, homines propter ferocitatem.* Licet lupus ſit valdè vorax ad degluttiendum: at homo rabie agitatus, & ira, valdè eſt ſuper omnia animantia ferox. Huc reſpicit Seneca Epiſt. 109. *Occurret*, ait, *nobis loco feræ, & homo feris omnibus pernicioſior.* Egreſſus vnus leo è ſylua occidit Prophetam 3. Reg. 13. num. 24. Egreſſi duo vrſi è ſaltu lacerauerunt quadraginta duos pueros 4. Reg. 2. num. 24. At cum Ioſeph lamentatur occiſus à beſtia, dicitur: *Fera peſſima deuorauit Ioſeph.* Geneſ. 37. num. 33. Cur in aliis eſt tantùm leo, vel vrſus; hìc verò fera peſſima? Denotabantur homines. Immò vult Rupert. lib. 8. in Gen. cap. 25. quod Iacob coniecturauit filium occiſum à fratribus. Vbi autem homo ſignificabatur, non leo, vel vrſus tantùm, ſed fera peſſima introducitur. Chryſoſtomus homil. citata 24. in Imperfecto in Matth. *Si beſtijs comparare volueris hominem, peiorem inuenies eum. Beſtia enim, quamuis ſit crudelis, tamen quia eſt irrationabilis, declinatur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis, cum ſit & rationablis, non facilè euadetur crudelitas eius.*

*Homo ferox crudelior omni bruto animanti.*

Senec.

3. Reg. 13.

4. Reg. 2.

Geneſ. 37.

Rupert.

D. Chryſoſt.

71.

Caiet.

Tertiò, Caietanus. *In medio luporum*, ait Chriſtus, *vos expono dilaniandos. Ab hominibus autem cauete. Vtamini prudentia ad cauendum ab humanis perſuaſionibus. Homines autem appellat eos, qui humanitatis officijs prætextu conſanguinitatis, amicitiæ, patriæ conſulunt, vt non perdamus hanc vitam propter fidem Chriſti.* Et idem antea docuerat D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Conſiderauit Chriſtus Dominus perſecutores ſuorum Diſcipulorum, vt lupos, & vt homines: vt lupos, quia crudeliſſimis tormentis erant in ſuos deſæuituri; vt homines verò, quia blanditiis, ac ſuaui beneuolentia eos inficere, & à vera fide, ac recta viuendi forma auertere, tentaturi. Non ait ergo, cauete à lupis, quia hi tantùm valent excarnificare, ac occidere corpus: ſed ait, *Cauete ab hominibus*, qui ſuis fallaciis, ac ſeductionibus poſſunt animam perdere in gehennam. Vnde dæmon, vt vehementer oppugnet hominem, blanda amicorum verba in ipſum parat. Gregorius Magnus lib. 3. moral. cap. 6. *Callidus aduerſarius*, ait, *cum in bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, qui ab illis valdè diliguntur, exquirit, vt dum vis amoris cor perforat, facilè perſuaſionis eius gladius ad intimæ rectitudinis munitiſſima irrumpat.* Expende illa verba: *Vis amoris cor perforat*: illis enim emollitur animus.

D. Paſchaſ.

*A blãdis iniquorum perſuaſionibus fugiendum.*

D. Gregor. Magnus.

72.

*Inimicus occultus maximè crudelis.*

Quartò, non à lupis, ſed ab hominibus præcipit cauere: nam lupus ſemper ſe exhibet, vt lupus; at homo multoties cum intrinſecus ſit lupus, frequenter exterius ſe habet, vt ouis, fictitiis, ac compoſitis verbis amicabilibus. Et nullus crudelior inimicus, quàm occultus inſidiator. Et ideò nihil magis deteſtandum, ac fugiendum, quàm eorum conſortium.

73.

Geneſ. 31.

Inſalutato Laban fugit Iacob cum ſua familia è domo eius ad patrem ſuum Iſaac. Vnde conquerens Laban dixit Iacob: *Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi? non es paſſus, vt oſcularer filios meos, & filias.* Geneſ. 31. num. 28. Si apud Iacob erat fixum, è Meſopotamia recedere, cur cum ſuis filiis, ac nepotibus non dat Labano vltimum vale, ac pacis oſculum amicitiæ ſignum apud veteres valdè celebre? nec enim Iacob ti-

Geneſ. 32. ſmere poterat Laban, Deo ei mandante, reuertere in locum natiuitatis ſuæ, vt ibi ei benefaceret. Geneſ. 32. num. 9. Cur ergo illius oſculum pacis reſpuit? Agnoſcebat Iacob, quod veluti infeſtus hoſtis ægrè ille ferebat, quod ipſe cum familia ſua diteſceret, ac augeretur: meritò ergo à domo ſua repellit pacis oſculum Laban; non enim paſſus eſt Iacob, videre in domo ſua externas beneuolentiæ, ac amicitiæ oſtentationes, cum intrinſecus hoſtilia corda, ac crudelia odij, ac inimicitiæ venena laterent. Philo. Philo lib. *Quis rerum diuinarum ſit hæres*; in hunc modum ait: *Simulationem implacabiliter odiſſe didicimus. Dilige virtutes, & animo amplectare, & non requiras oſculum fucatum, & ſpecimen amicitiæ.*

74. Marc. 14. Cum Chriſtus eſſet comprehenſus, ac ſtetiſſet in domo ſummi ſacerdotis, ait Marcus 14. n. 65. *Et cœperunt quidam*, ſcilicet ex Iudæis, *conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere.* Ioan. 19. At milites ait Ioannes 19. num. 3. *Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas.* Forſitan alicui videbitur mitior Iudæorum culpa, nam velata facie, quod quandam reuerentiæ ſpeciem denotare videtur, iniurias inferebant in Dominum. Sed contrarium Tolet. optimo iure docet Cardinalis Toletus ad citatum Ioannis locum, in commentario ita ait: *Iudæus, & Gentilis Chriſto illudunt, eumque cædunt; ſed Iudæus velata facie, Gentilis aperta. Grauior multo culpa Iudæorum, quàm Gentium in his, quæ in Chriſtum patrata ſunt ſcelera, extitit; grauiorique illi pœna digni fuerunt.* *Grauiſſima eſt iniuria inimici occulti.* Inquirendum venit: in quo appareat grauior Iudæorum offenſa, qui velata facie Chriſtum percutiunt? Milites, ſeu Gentiles aperto ore Dominum cædunt, vtpote inimici noti, ac manifeſti. At Iudæi tanquam aduerſarij abſcondentes, ac ſubtrahentes ſe, ne agnoſcerentur. Et nulla ſanè grauior, ac moleſtior iniuria, quàm illata ab inimico caliginoſo, D. Cyprian. ac occultato. Vnde meritò monet D. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, quod inter omnia maximè cauendus eſt aduerſarius, cum latenter obrepit, nam tunc crudelior, & ſæuior. Vide tom. 2. cap. 5. num. 22. & 23. & c. 19. num. 31. 32. & 34.

*Matth* 10. *n.* 18. Et ad præſides, & reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et coram præſidibus, ac regibus ſiſtent vos propter me in teſtimonium tum ipſorum, tum gentium.

*Theophylactus.* Et ad duces, & reges ducemini.

*Arias.* Ad præſides, & reges agemini.

*D. Cyprianus Epiſt. 26.* Ante reges, & poteſtates ſtabitis.

*Tertull. aduerſus Gnoſticos cap. 9.* Et ad reges perducemini, mei cauſa, in teſtimonium illis, & nationibus.

*D. Petrus Alexandr. ſerm. de Pœnit.* Ad principes, & reges ducemini propter nomen meum.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 13. *n.* 9. Ante præſides, & reges ſtabitis propter me in teſtimonium illis.

*Lucæ* 12. *n.* 12 Trahentes ad reges, & præſides propter nomen meum.

*Num.* 13. Contingetautem vobis in teſtimonium.

*EXPOSITIO III.*

75. D. Anſelm. D. Thom. Hugo. TEXTVS ſupponit antiquam conſuetudinem, quæ circa reos habebatur, vt obſeruant D. Anſelmus, D. Thomas, Hugo, & alij. Vnde ſic ait textus: *Tradent vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos*, & ad præſides, & reges ducemini. Nam delinquentes primò conueniebant ad concilia, vbi pro ſuo crimine corripiebantur. Et ſi ſe corrigere nolebant, flagellabantur. Et ſi adhuc perſiſtebant in crimine, tradebantur eis, quibus erat poteſtas eos occidendi, ac puniendi. Sic Paulus ductus eſt, vt reus ad Fœlicem, & Feſtum Iudææ præſides Actor. 23. & 24. Sic Iacobus ab Herode rege occiſus eſt. Actor. 12. Sic Petrus, & Paulus coram Nerone, & Agripa adſtant Actor. 25. & 26. Et cum dicit, *Ad reges*, denotat, quod non ſolùm de miſſione ad Iudæos loquebatur, ſed etiam ad gentes, vt aduertunt D. Chryſoſtomus homil. 34. Euthymius, Theophylactus, Abulenſis q. 99. (Actor. 23. & 24. Actor. 12. Actor. 25. & 26. D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Abulenſ.)

76. *Teſtimonium tripliciter explicatur.* *Propter me*, id eſt propter Euangelium, quod me auctore prædicatis. *In teſtimonium* primò, fidei quam annunciatis; illius enim illuſtre teſtimonium eſt veſter ſanguis. Vnde multi inſpectantes conſtantiam Martyrum conuerſi ſunt ad fidem. Secundò, *In teſtimonium* gloriæ veſtræ, vt explicat Haymon. Ita ait Lucas: *Continget vobis in teſtimonium.* (Haymon. Lucas.) Tertiò, *In teſtimonium* damnationis eorum, nam non acceptando Euangelium; ſed illud excludendo cum flagellis, ac morte veſtra effecti ſunt digni gehennæ. Vnde Euthymius, *In teſtimonium*, id eſt, *in redargutionem.* Theophylactus, *In notam, & reprehenſionem eorum*, qui non crediderunt. (Euthym. Theoph.) Ad hunc ſenſum ait D. Gregorius citatus in Catena. (D. Greg.) *Mors ſanctorum bonis eſt in adiutorium, malis in teſtimonium, vt inde peruerſi ſine excuſatione pereant, vnde electi exemplum capiunt, vt viuant.* Et ait Dominus, *In teſtimonium illis, & gentibus*, hoc eſt, *illis*, ſcilicet Iudæis, de quibus ſuprà dixerat, Tradent vos in conciliis, & ſynagogis ſuis; *& gentibus*, de quibus dixit, Ad præſides, & reges ducemini, à quibus occidendi eſtis. D. Thomas ita explicat: In teſtimonium aduerſus Iudæos, & gentes; tam modò, quàm in extremo die iudicij, vt gloſſat Rupertus. (D. Thomas. Rupert.)

QVÆSTIO



QVÆSTIO X.

*Quare Chriſtus Dominus denuntians ſuis Apoſtolis eorum paſſionem, addidit* propter me, *ſeu nomen meum?*

77. NON ſolùm prædixit Dominus ſuis Diſcipulis afflictiones, & paſſiones, quæ ſuſtinendæ erant, ſed inſuper eis declarauit, omnia illa eſſe ab eis ſubeunda *propter me*, ſeu, vt habet Tertull. D. Thom. Tertullianus, *mei cauſa.* Ad quod primò reſpondet D. Thomas. Ducemini ad reges, ſed magnam debetis habere conſolationem, quia propter me, D. Auguſt. *Amor omnia facit ſuauia.* ſcilicet quem diligitis. D. Auguſtinus: *Omnia quaſi inania, & quaſi nulla facit amor.* Vide tom. 2. cap. 3. num. 249. & cap. 11. num. 197.

78. Hugo. *Magna conſolatio pati pro Chriſto.* Secundò, Hugo. *Hæc erat eis magna conſolatio, cum ſcirent, quod propter Deum patiebantur.* Vnde Paulus frequenter coniungit patientiam laborum prædicationis Euangelicæ cum conſolatione. Rom. 15. 2. Cor. 1. *Per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Rom. 15. num. 4. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* 2. Cor. 1. Chryſoſt. num. 5. Chryſoſtomus ibi. *Quid dulcius, inquit, quàm me Chriſti afflictionum fieri participem, atque illius gratia perpeti? quid huic ſolatio par eſſe poteſt?*

79. Chryſoſt. Tertiò, Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. ait: *Non eſt profectò parua hæc conſolatio, vt propter Chriſtum patiaris: quia confidere poterant, ſe vbique ipſum habituros præſentem, qui hæc prouideret.* *Magna firmitas, & cōſolatio, ſi nobis Chriſtus adſit in laboribus.* Magnum ſanè tibi ſit ſolatium, ſi in preſſuris ſpectatorem, & præſentem Chriſtum habeas; nam ipſo comite ſecura, & tuta ſunt omnia. Vnde dicebat Dauid Pſalm. 22. num. 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo, quid faciat mihi homo.* Pſalm. 22. Cantic. 4. Diuinus Sponſus ſuæ Dilectæ ait: *Veni de Libano, Sponſa; veni de Libano.* Cant. 4. n. 8. Sed quomodo mandatur teneræ virgini, vt per montium aſperitates iter arripiat? In Hebræo eſt: *Veni mecum Sponſa de Libano*: quaſi diceret, me comite, & cum ad me venis, nulla eſt viæ difficultas, ſed omnia ſunt ſine labore ſuauia. D. Bernard. D. Bernardus ſerm. 85. in Cantica. *Nec parum confortat*, ait, *quod audit: Veni, & non, vade: per hoc ſe intelligens, non tam mitti, quam duci: & ſecum pariter Sponſum venturum. Quid enim difficile ſibi, illo comite, reputet?*

80. Chryſoſt. Quartò, Chryſoſtomus loco proximè citato in Matth. ſic pergit. *Non eſt profectò parua hæc conſolatio, vt propter Chriſtum patiaris, quia non quaſi pernicioſi, & perditi homines, ſed altioris diſpenſatione myſterij hæc paterentur.* *Magna conſolatio, pati cum innocentia.* Magna ſanè dabatur Apoſtolis conſolatio, quod traderentur ad reges, non propter peccata ſua, ſed *propter me*, ait Chriſtus, vt ita eorum innocentia pateficeret: & nulla porrò maior conſolatio, quàm innocenter pati, & ſine culpa mortem ſubire.

81. Iob 6. Iob inter ſuas preſſuras ait: *Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti.* Iob 6. num. 10. Duplicem ſibi aſſignat conſolationem. Vna, quod Deus eum tot doloribus affligens, miſerationis affectu non parcat, neque deſiſtat ab illis. Altera verò conſolatio ſibi eſt, quod ipſe in illis omnibus non contradicat, nec reſiſtat Dei voluntati, ac præceptis, vt explicant D. Gregorius, Lyranus, ac alij. (D. Greg. Lyran.) *Omnis preſſura, & afflictio ſuauis cū innocentia.* Sed ſi tot ærumnæ, ac labores augeantur, ſibi erit conſolatio? Optimè ſanè, dummodò ipſe dictis, & factis non contradicat, nec contrarius exiſtat ſermonibus Sancti, ſcilicet Dei: nullum eſt enim maius leuamen, quam innocenter pati, & mori ſine crimine legis. Olympio. Olympio. *Hæc erit mihi conſolatio, cum præcepti alicuius violati, nulla me conſcientia arguat.* Et Cardinalis Hugo ad citatum locum Iob. Hugo. *Hæc erit conſolatio*, ait, *quod increpationem Domini non reprobo, ſed de illa gaudeo.*

82. 1. Petr. 4. *Sine crimine pati, gloria, & cōſolatio.* Ait Petrus Epiſt. 1. cap. 4. num. 15. *Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Extollit Apoſtolus in ſua Canonica maximè gloriam paſſionis, ac tribulationum pro nomine Chriſti. Ad quid inter tantas glorias profert, quod nemo illorum patiatur, vt fur, aut latro? Magna ſanè gloria, ac conſolatio erat, quod non crimine, ſed innocentia paterentur. Lyran. Lyranus *Hic tollit*, ait, *erubeſcentiam in factis: illi, qui patiuntur in ſuis criminibus, erubeſcunt.* Ille autem, qui ſine delicto, profecto cum magna gloria occumbunt. In huius rei confirmationem Hugo de S. Victore, dum expendit illud Pauli ad Galat. 6. num. 14. (Ad Galat. 6. Hugo.) *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri*: perbellè loquitur. *Quantum diſtet innocenter patiens ab iniquo.* *Dicunt homines, quando pœnam ſuſtinent, ſi meruiſſemus, non erubeſceremus; nunc autem iniuſtè pati, ignominioſum eſt nobis. Obloquium videtur. Immò ſi pro culpa pateris, erubeſce; ſi ſine culpa gloriare. Latro magis eſſe vis, quam Chriſtus?*

*Matth.* 10. *n.* 19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

*Num.* 20. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

*VERSIONES.*

*Syriacus:* Ne ſoliciti fueritis, quomodo, quidve loquamini.

*Arias.* Ne anxij ſitis.

*Alij ex Græco.* Dabitur vobis in illo tempore.

*Theophylactus, Vatabl. n.* 20. Non enim vos eſtis illi loquentes.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 13. *n.* 11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, quid loquamini: ſed quod vobis datum fuerit in illa hora,

id

id loquimini: non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.

*Lucæ* 12. *n.* 11. Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus, & poteſtates, nolite ſoliciti eſſe, qualiter, aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.

*Num.* 12. Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.

*Luc. etiam* 21. *num.* 14. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari, quemadmodum reſpondeatis.

*Num.* 15. Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.

## *EXPOSITIO IV.*

83. D. Chryſoſt. Theoph. Euthym. DOMINI Diſcipuli, vt notant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, poterant eſſe ſoliciti, quomodo homines paupercali, & ſine litteris valerent ſtare, ac reſpondere forti, & conſtanti animo, coram principibus, ac regibus: ideò his occurrit Dominus promittens illis ſuum auxilium, ac præſentiam; non enim vult eos vecordes, & timidos; ſed fortes, & impauidos. E in præſenti dicuntur tria, vt Albert. Mag notat Albertus Magnus. Primò, prohibetur cogitatio humanæ eruditionis: *Nolite cogitare.* Secundò, promittitur diuinæ ſapientiæ facultas, ac inſtinctus: *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* Tertiò, ſubditur vtriuſque rei cauſa: *Non eſtis vos, qui loquimini.*

84. *Cum autem tradent vos*, vt reos vos produxerint coram regibus, ac magiſtratibus, *nolite cogitare:* Non vitatur hîc quælibet cogitatio, vt Maldonat. Franc. Luc. notarunt Maldonatus, Franciſcus Lucas; ſed illa, quæ eſt immodica, & cum anxietate, ac diffidentia diuinæ prouidentiæ. *Quomodo, aut quid loquamini.* De vtroque ſolent eſſe ſoliciti loquentes apud principes. *Quomodo*, id eſt de modo loquendi or- D. Paſchaſ. natè, vel inornatè, vt explicat D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Aut quid loquamini:* ne ſitis ſoliciti de materia ſermonis, quia Dominus vobis ſuppeditabit verbum. *Dabitur enim vobis*, à Deo Patre ſcilicet, & à me, vt patet, ex Lucæ citato 21. num. 15. *Dabo vobis os*, &c. *In illa hora*, ſeu, vt alij legunt, *eo tempore*, ac momento veſtræ anguſtiæ, in quo etiam interuenit mei Euangelij cauſa. Dabitur vobis in illo tempore, & in illa occaſione. Ait Hugo. Chryſoſt. Hugo: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Et Chryſoſtomus in Imperfecto inquit: *Qui vos in pace ſuſtentat, multo amplius adiuuat in bello.* Nam ſi in pace dat verbum Euangelizantibus; quanto magis in ipſo prælio. *Quid loquamini.* Efficacia, ac ſapientia ſermonis eis promittit victoriam.

*Non enim vos eſtis, qui loquimini*, à vobis 85. metipſis ex veſtra ſapientia, *ſed ſpiritus Patris veſtri.* Ille nempe vos docebit, & ſuggeret omnia, ac efformabit linguas veſtras ad dicendum, ac reſpondendum: non enim negotium humanum *Deus pro ſua cauſa ſtat.* agitis, ſed Dei; & ideo ille pro cauſa ſua ſtabit, *Qui loquitur in vobis*, id eſt per vos. Ait D. Chry- D. Chryſoſt. ſoſtomus homil. 34. in Matth. *Sic ad dignitatem prophetarum, qui ſpiritu loquebantur, eos adducit.* Cum enim Apoſtoli Prophetis ſuccederent, eodem ſpiritu, quo illi, munerantur. Et ipſe Spiritus dabat virtutem, ac ſapientiam Apoſtolis. Actor. 4. num. 13. Actor. 4.

## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo Chriſtus Dominus ſuis mandat, vt non cogitent de reſponſione danda, cum Petrus dicat, quod ſint parati ad dandam rationem de ſpe fidei ſuæ?*

DIVVS Petrus Epiſtol. ſua 1. cap. 3. num. 15. 86. ait ſuis diſcipulis: *Parati ſemper ad ſatiſ-* 1. Petr. 3. *factionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe*, Syriacus habet, *ſpe fidei.* Si de- Syriacus. bent eſſe parati ad ſatisfaciendum interrogationibus de ſpe fidei, quomodo eis iubet Chriſtus, quod nolint cogitare, quid reſpondeant? Soluunt Abulenſ. aliqui difficultatem apud Abulenſem quæſt. 93. Quia Chriſtus loquebatur Apoſtolis; Petrus verò ſcribebat aduenis Ponti, & Galatiæ. Tamen Chriſti verba ad omnes fideles dirigi, pro cauſa fidei coram regibus adſtantes, mihi placet. Et eſt communis ſolutio.

Aliter reſpondet D. Thomas. Primò, quod 87. quando aliquis habet neceſſitatem reſpondendi, D. Thom. & habet tempus deliberandi; non debet expe- *Ad quæ ſunt media naturalia, miracula non requirenda.* ctare diuinum auxilium. Apoſtoli autem, cum erant in tribulatione, non habebant tempus, quare debebant ſe committere filio Dei. Ita ille. Nam ea, quæ poſſunt fieri per media naturalia, non vult Deus, vt in his miracula expectemus.

Secundò ex Chryſoſtomo reſpondet citatus 88. Abulenſis, & Theophylactus, qui ait: *Quum in-* D. Chryſoſt. Theoph. *ter fideles loquendum ſit, dignum eſt, vt præmeditemur; & parati ſimus ad defenſionem: quemadmodum Petrus admonet. Inter turbas autem, & reges inſanientes, iuſtis promittitur robur, ne timea-* *Ad proteruos ſubiugãdos non ſufficit humana ſapientia.* *mus.* Inter rabidos infideles eis promittuntur verba, vt ſciant, ſibi præſto adeſſe diuinum auxilium; & ita confidenter; & intrepidè loquantur. Vel aliter explicabis, quod Petrus eis mandat eſſe paratos inter amicos. At inter crudeles inimicos pollicentur à Chriſto verba; quia ad proteruos, & obſtinatos aduerſarios ſubiugandos nulla humana ſapientia ſufficit, niſi adſit diuina virtus. Paulus 1. Corinth. 2. num. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.*

Tertiò, dico, quod verba Chriſti intelliguntur: 89. *Nolite cogitare:* ſeu, *ne ſoliciti ſitis: nimis*, & im- *Duplex alia explicatio.* modica ſolicitudine, vt dixi in expoſitione. Quartò, Chriſtus ait, quod nolint cogitare, quid loquantur, quando adſtant coram regibus, & principibus, quia tunc eis dabitur in illa hora, quid loquantur. At verò Petrus ait, quod ſint parati ad reddendam ſatisfactionem amicis, vt dicunt Chryſoſt. Theoph. Chryſoſtomus, & Theophylactus, quando ſcilicet alij fideles interrogant, vt inſtruantur. Et etiam ad reddendam rationem inimicis, ſcilicet hæreticis, & infidelibus, vt ad citatum Petri locum Didym. Oecumen. Lorin. Iuſtin. explanant Didymus, Oecumenius, Lorinus, Benedictus Iuſtinianus, & alij. Quod fecerunt omnes ſancti Patres per omnes ætates, locis Scripturæ, ac rationibus argumentando contra hæreticos, ac eorum obiectiones ſoluendo. Quod confir- Ad Coloſ. 4. mat citatus Didymus ex illo ad Coloſſenſ. 4. n. 5. *In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt, redimentes tempus, vt ſciatis, quomodo vos vnicuique oporteat reſpondere.* Vnde meritò citati Auctores maximè laudant ſcholaſticorum ſtudium.



## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus ſuis vetat præmeditari, in præſentia principum quid reſpondeant.*

90. *Germana ratio.* HVIVS rei germanam rationem iam dedi in expoſitione. Vt hac ſponſione facta: *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini:* ſint forti, ac conſtanti animo, dum agnoſcunt, ſibi adeſſe Dei auxilium, atque præſentiam. Alias rationes pono.

91. D. Hilarius. Reſpondet primò D. Hilarius in Catena aurea. *Fides noſtra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intenta, ad reſponſionem ſcientiæ inſtruitur, in exemplo habens Abraham, cui poſtulanti ad hoſtiam Iſaac non defuit aries ad victimam.* Suis *Si in nobis eſt fides, omnia ſunt in promptu.* Pſalm. 54. mandat Dominus, vt de locutione non ſint ſoliciti, vt ita ſola fide ſint defixi in Deum, quia tunc nihil eis deerit, ſed omnia ſuppeditabuntur. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* Pſal. 54. num. 23.

92. D. Hieron. Secundò, D. Hieronymus. *Cum propter Chriſtum ducimur ad iudices*, ait, *voluntatem tantum noſtram pro Chriſto debemus offerre. Cæterum ipſe Chriſtus, qui in nobis habitat, loquetur pro ſe.* Expende illa verba: *Voluntatem tantum noſtram.* *Deus à nobis voluntatem requirit.* Chriſtus à nobis nihil aliud vult, niſi noſtram voluntatem; cætera verò ipſe præſtabit, ac exhibebit.

93. D. Hieron. Tertiò, *Ipſe Chriſtus, qui in nobis habitat, loquetur pro ſe*, ait citatus Hieronymus. Chriſtus, qui in nobis reſidet per gratiam, & per communionem ſacræ Euchariſtiæ, ipſe infundet ſapientiam, & dabit os, & prudentiam. In Prouerbiis Prouerb. 31. cap. 31. num. 1. ait Salomon: *Verba Lamuelis Regis.* Multiplex eſt diſſiſio apud Auctores, quid Caiet. *Lamuel* nomen importet. Caietanus interpreta- Lyran. tur: *Mecum Deus:* Lyranus, & alij: *Cum quo Deus:* Si enim Deus in eo non eſſet, verba tam ſublimia ſapientiæ, ac doctrinæ eructare non valeret. Solon. Solon in Prouerb. *Quia niſi in eo Deus manſiſſet, tot, ac tanta diuina myſteria, nec intelligere, nec ſcribere potuiſſet.*

94. D. Remig. Quartò, D. Remigius ſic ait in perſona Chriſti loquentis: *Vos verba edetis, ſed ego ſum, qui loquor. Hinc Paulus ait, An experientiam quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Deus in ſuis *Deus in ſuis donis vult recognoſci auctorem.* donis vult, recognoſci auctorem: ne ergo cogitaret Diſcipulus, vel aliquis, quod in conſpectu regum, ac iudicum tanta ſapientia, tam diſerta locutio, atque conſtantia proueniebat ab aliqua humana virtute, ait eis: Non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, vt ita totum illud Deo tribuatur, ac referatur negotium. Vnde ait Theophylactus: *Ne ſuſpiceris, naturalem eſſe* Theoph. *in defendendo idoneitatem.*

Mittens Deus Moyſem ad Pharaonem, ait ei: 95. *Aaron frater tuus erit Propheta eius.* Exod. 7. n. 1. Exod. 7. Aaron dicitur Propheta Moyſis, id eſt illius interpres, vt explicant Theodoretus, Diodorus Theod. Diodorus. Caiet. Lippoman. Chaldæus. Caietanus, Lippomanus, & alij. Et ita legit Chaldæus: *Interpres tuus:* Si ergo hæc ita ſe habent: Cur non dicitur Aaron interpres, ſed Propheta? Inter vtrumque hoc interuenit diſcrimen: nam interpres ſenſum acceptum exprimit, verba tamen aliquando ornatè, ac compoſitè pronuntiat: at Propheta ſenſum, verba, ac vltimum apicem, vt ei reuelatur, eructat. Vnde ait D. Auguſt. qu. 17. in D. Auguſt. Exod. *Datus Propheta Moyſi Aaron ad Pharaonem. Hic inſinuatur nobis, ea loqui Prophetas Dei, quæ audiunt ab eo, nihilque aliud eſſe Prophetam Dei, niſi enunciatorem verborum Dei hominibus.* Dicitur ergo Aaron non interpres, ſed Propheta. *Dona Chriſti in ipſum, non in alium ſũt referenda.* Intendebat Deus, vt excuſſio captiuitatis Ægyptiacæ, non alteri, ſed ipſi tantum tribueretur: & ne aliquis cogitaret, quod Aaron multum in hoc negotio profecerit ſua eloquentia ac energia, ideo ipſe dicitur, non interpres, ſed Propheta, quia non ſolùm ſenſum, ſed etiam verba, vt à Deo erant accepta, pronuntiabat, vt ita tam mirabilis operis ſolus Deus recognoſceretur auctor, cuius erat totum negotium.

Cum Iſraëlitæ ex Ægypto eſſent egreſſi, iuxta 96. maris littora viderunt venientes ſuper ſe Ægyptios armatos, quorum timore maximè ſunt perterriti. Tunc ex Dei mandato, *Cum extendiſſet* Exod. 14. *Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſáque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris.* Exod. 14. num. 20. Sed ex hoc magna dubitatio mihi inſurgit: Cur, vt Iſraël liberetur à Pharaone, ac exercitu eius, hoc non fit magna victoria, fieri enim poterat à Deo, vt Populus inſurgeret in Ægyptios, ac de eis glorioſè triumpharet, ſicut poſtea factum eſt cum Amalec, ac aliis nationibus: & ſicut inermis Sanſon mandibula aſini multos Philiſtæos armatos proſtrauit. Ad quid diuiditur mare per *Diuinorum operum gloria ſoli Deo adſcribenda.* miraculum nunquam retroactis ſæculis antea viſum? Decreuit Deus, vt illa glorioſa liberatio à Pharaonis ſeruitute, nulli alteri attribueretur, niſi ipſi ſoli; nam ſi fieret per victoriam, forſitan aliquis fortitudini militum hoc adſcriberet; at per diuiſionem maris nulli alteri eſt referenda, niſi tantùm Deo. Non ergo per concertationem, ac bellum, ſed per maris diuiſionem Iſraëlitæ iugum excutiant, vt ita ſolus Deus recognoſcatur operis auctor, ipſique ſupremo liberatori tota integra maneat gloria. Caietanus. *Abſtulit Dominus* Caiet. *mare: Attribuitur hoc miraculum Domino, vt ſumma Dei operatio etiam in mari contra naturam aquarum manifeſtetur.*

## Qvæstio XIII.

### *Quare tam diſtinctè ait Dominus ſuis, quod non ipſi loquuntur, ſed Spiritus Patris in eis, cum tamen illi loquerentur.*

97. PRæsens affatum communem Hebræorum loquendi modum denotat: frequens hebraiſmus eſt, cum aliquid de vno pluſquam de altero dicitur, de hoc ſimpliciter negatur, de illo verò ſimpliciter affirmatur. Multa adſunt exempla in vtroque teſtamento. In veteri: *Nec contra vos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.*
Exod. 16. Exod.16.num.7. Et tamen etiam erat contra Moyſem, & Aaron. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*
Oſeæ 6. Oſeæ 6.num.6. Et tamen Deus mandabat, ſacrificia ſibi fieri. In nouo teſtamento. *Infirmitas*
Ioan. 11. *hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Ioannis 11. num.4. Et tamen infirmitas etiam proceſſit ad mortem. *Non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, &*
Ad Epheſ.6. *poteſtates.* Epheſ.6.num.11. Et tamen cum carne, & ſanguine colluctamur.

98. Ita etiam in præſenti dicitur: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Tamen ſine dubio Diſcipuli loquebantur; at verò quia ſimpliciter locutio illa eſt à Spiritu ſancto, ideo de eis dicitur: *Non vos eſtis, qui loquimini:* nam, vt ait D. Thomas, actio illa loquendi erat à Spiritu ſancto, & ab Apoſtolis; à Spiritu ſancto autem tanquam à principali agente; vnde ipſi tribuitur. Ad hunc ſenſum ait D. Remigius. *Vos accedetis ad certamen, ſed ego ſum, qui prælior. Vos verba edetis, ſed ego ſum, qui loquor.* Alias rationes demus.

*Actio tribuitur principali agenti.*

D. Thom.

D. Remig.

99. Secundò D. Chryſoſtomus homil.34.in Matth.
D. Chryſoſt. ſic ait: *Habebant in medio ſui populi reges, ac principes duodecim homines in vinculis, flagellis, carceribus, nec potuerunt ora eorum obſtruere, ſed veluti nemo ſolares radios vincere poteſt; ſic nullus linguam eorum potuit compeſcere. Quoniam non homines, ſed Spiritus ſancti virtus loquebatur: qua etiam Paulus Agrippam, & Agrippæ miniſtros, Neronem quoque omnium hominum pernicioſiſſimum facilè ſuperauit.* Ad quid Apoſtolis promittitur virtus Spiritus ſancti, quæ eſt veluti ſolaris radius, quem nemo vincere, ſeu obſcurare poteſt? Deſtinabantur Apoſtoli ad ſubiiciendos humanos reges, ac principes, quorum hoc eſt vitium, vt ea, quæ eis arrident, omnino lucere, ac reſplendeſcere velint; quæ autem ſuo beneplacito contradicunt, prorſus obnubilare, ac obſcurare intendant. Cum ergo in ſua Euangelica prædicatione mundialibus poteſtatibus in multis ſe Apoſtoli opponere deberent, eis Spiritus S. aſſiſtentia datur, quæ eſt veluti ſolarius radius, quem nemo vincere poteſt; nam ſi humana eſſet, à regibus ipſis obfuſcaretur: ne igitur ab illis obtenebretur, ſit diuina, & veluti ſolaris radius, qui quocumque obice obiecto deſuper magis rutilat, atque reſplendet.

*Reges huius ſæculi, quæ illis contrariantur, obſcurare volunt.*

100. Tertiò Rupertus ſic ait: *O quam dulce, ô quàm præclarum eſt, ea, quæ loquimur, aut ſcribimus, talia eſſe, vt ea prudens auditor, ſiue beneuolus lector nequaquam dignetur adſcribere nobis; dicátque, non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Magnam ſanè Chriſtus ſuis Diſcipulis concedit excellentiam, vt eorum verba audiens odorem diuinum percipiat; & agnoſcat, vocem non eſſe degenerem à tanto parente; ſed ipſa ſe probet homo illius filium. Ex quo rectè exclamat D. Gregorius Nyſſenus de oratione Domin. orat. 2. ad illa verba: *Pater noſter, qui es in cælis:* ſic dicens: *Licebat tibi, ſtatim eſſe in cælo, vbi Deum Patrem in mente ſumpſeris.* Ac ſi dicat: Cum Patrem tuum dicas in cælo, fac, vt ſint talia verba tua, atque opera, vt odorem exhalent illius, qui ſuum in cælo patrem habet.

Rupert.

*Valdè glorioſum, vt tua verba oſtendant, te illius, qui in cælo eſt, eſſe filiū.*
D. Nyſſen.

111. Quartò, non dicitur à Chriſto, dabitur vobis conſtantia, ac fortitudo, ac præclara opera; ſed tantum eis promittitur: *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* In hac ſponſione tacitè includuntur omnia illa egregia facta: nam, vt docent Chryſoſtomus, Theophylactus, *ibi promittitur robur.* Sed quomodo ibi illa continentur? Deus, cum pollicetur verba, & illis proportionata opera pollicetur: Deus enim, non vt homines, qui multa effundentes verba in operibus deficiunt, cum dat electis ſuis conſtantiæ verba, dat & illis paria opera, itavt mortem pro eius confeſſione abſque formidine ſubeant. Vide tom.1. lib.1. c.6. num.30. & lib.2. cap.5. num. 46. & tom.2. cap.9. num.1. & cap.5. num.140. & 141.

D. Chryſoſt.
Theoph.
*Deus cum dat verba, dat & opera proportionata.*

102. Quintò, non conſtantia, non fortitudo, non rerum contemptus, ſed tantum, quid loquantur, eis promittitur: nam ipſe externus ſermo inhabitantem interius virtutem manifeſtè indicabat, & exteriora verba latitantes virtutes aperiebant. 1. Corinth.13.num.11.ait Paulus: *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus.* In cuius commentario perbellè notat D. Thomas. *Videtur Apoſtolus ordine præpoſtero hæc tria ponere, nam locutio præexigit iudicium ſapientiæ; iudicium verò præſupponit cogitationes rationis.* Si intellectus cogitat prius, ſapientia poſtea iudicat, & deinde loquitur, cur Apoſtolus inuerſo ordine exorditur à locutione, eamque in prima fronte ſcribit? Meritò ſanè, nam externa locutio totius hominis index eſt, & ipſa cogitationes, iudicia, ac cætera omnia aperit, atque declarat: & ſicut externa facies hominem manifeſtat; ita & oris ſermo vniuerſorum nota, ac ſignum eſt. Quod multis ponderat Chryſoſtomus in Pſalm. 44. dicens: *Cor à peccatis liberum demonſtrat verbum, quod eructat Propheta.*

*Verbum index interioris animi.*
1. Cor.13.
D. Thom.
D. Chryſoſt.

103. Adeò apertus eſt index naturæ, virtutis, ac bonitatis, ſermo, vt quantumcumque pro ſuo beneplacito quis ſe abſcondat, vbi ad locutionem deuenerit, neceſſe ſit, vt ſe ipſum manifeſtet, ac cognoſcatur. Cum Moyſes paſceret gregem ſuum, *Apparuit ei Dominus in flamma ignis.* Exod. 3. num.2. Septuaginta, Chaldæus, ac Hebræus habent: *Apparuit ei Angelus.* Et poſtea ſubditur: *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum.* Si ergo Angelus erat, qui apparuit, quomodo dicitur Dominus, quod, Deum fuiſſe, demonſtrat? Reuera ille, qui apparuit, Deus erat: tamen cum inter condenſos arboris ramos, ac caliginoſum ignem eſſet abſconditus, non Deus, ſed Angelus videbatur: at vbi locutus eſt ipſe, iam amplius non permiſſum eſt, ſe occultari, ſed ſermone oris ipſa bonitas diuina ſe declarat, ac manifeſtat. D. Hilarius 4. de Trinit. *Qui Angelus Dei eſt, ait, cùm videtur, idem, cum auditur, eſt Dominus; ipſe verò, qui auditur, Dominus Deus eſt.* Vide tom.1. lib. 3. cap.4. num. 26. & tom. 2. cap. 13. num. 50. 51. & 52. & cap.22. num.88. & 89.

Exod 3.
Septuag.
Chald.
Hebr.
*Quãuis Deus ſe abſcondat, vbi tamen loquitur, manifeſtus eſt.*
D. Hilar.



## Qvæstio XIV.

### *Quare Chriſtus Dominus non dixit, ſpiritus meus, ſed ſpiritus Patris veſtri dabit vobis, quid loquamini?*

104. NOn promittit hîc Dominus expreſsè ſuum auxilium, & ſuum ſpiritum, ſed ſpiritum Patris ſui. Et quanquam alibi Luc.21.num.14. di-
Luc. 21. cat Chriſtus: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere aduerſarij veſtri:* nam huiuſmodi ad loquendum auxilium, cum ſit quid ad extra, commune eſt toti Trinitati; & ideo promiſſus ſermonis inſtinctus æqualiter à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto prouenit. Tamen cur ſpecialiter hîc aſſeritur à Patre dari, inquirendum eſt. Et ſunt rationes tam ex parte Æterni Parentis, quam Chriſti Domini, & Apoſtolorum.

*Ratio difficultatis.*

105. Primò ex parte Æterni Parentis. Nam ei tribuitur peculiariter lingua diſerta ad tempeſtiuè, ac promptè loquendum Iſai.50. num.4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam.* Seu, vt habent Septuaginta *Dominus, Dominus dat mihi linguam diſciplinæ, vt ſciam, quando oporteat loqui verbum.* Vbi Chriſtus Dominus ad Patrem, à quo accepit linguam diſciplinæ, *vt ſciret, quando debeat loqui, quando reticere:* vt ait D. Hieronymus, quem ſequuntur Leo à Caſtro, Oleaſter, Sanchez, & alij. Cum ergo excellens munus linguæ aptè, ac opportunè loquentis ſpecialiter Patri approprietur; ideo Chriſtus, præſentem ſermonem à Patre eſſe dandum, teſtificatur. Matthæi locum cum citatis Iſaiæ verbis rectè coniungit Tertullianus lib.4. contra Marcion. cap. 21. dicens: *Nec mirum, ſi is cohibuit præcogitationem, ſcilicet loquendi, qui & ipſe à Patre excepit pronuntiandi tempeſtiuè ſubminiſtrationem: Dominus, ait, mihi dat linguam diſciplinæ quando debeam proferre ſermonem.* Nota obiter, quod inter tot Chriſto dona à Patre donata ſingulariter citato Iſaiæ loco ei gratificatur, quod acceperit linguam ad tempeſtiuè loquendum. Secundò, ad noſtrum intentum non dixit Chriſtus, Spiritus Patris mei, ſed Patris veſtri: nam cum ſit Pater veſter, non poteſt vos deſerere anguſtiæ tempore. Tertiò, quia filiis certantibus in negotio Patris, ſpiritus Patris adeſt, & eos non deſerit.

Iſai.50.
Septuag.
D. Hieron.
Leo à Caſtr.
Oleaſter.
Sanch.
Tertull.
*Tempeſtiuè loqui magnũ Dei donum.*
*Pater non deſerit in anguſtia.*

106. Secundò ex parte Chriſti. Apoſtoli ducebantur ante reges, & præſides, vt ait Dominus, *propter me,* ſeu, *propter nomen meum.* Quia Apoſtoli populis, ac magnatibus diuinitatem, poteſtatem, ac excellentias Chriſti prædicabant, ac teſtificabantur, ideo comprehenſi tradebantur ad mortem. In præconio ſuarum laudum proprium ſpiritum ſilet Chriſtus; non enim ait, ſpiritus meus, ſed ſpiritus Patris veſtri. Laus non ab ore proprio, ſed ab alio exeat, vt glorioſiſſimè decantetur. Vide infra in hoc lib. c.2.n.83.84. & 85.& tom.1.lib.1. cap.4.n.5.& tom.2.cap.5.n.10.& n.138.

*Laus non ſit ab ore proprio.*

107. Tertiò ex parte Apoſtolorum. Vt ipſi certi redderentur, quod eorum obſequia Chriſto exhibita, non ſolùm ab ipſo, ſed etiam à Patre remunerationem eſſe habitura. Secundò, quia Apoſtoli dati ſunt Chriſto Domino à Patre: *Tui erant, & mihi eos dediſti.* Ioan.17.n.16. Vt ita fieret manifeſtum, quod ſi Pater eos Chriſto dedit ad prædicandum in toto orbe, atque ad prædicandum cum regibus, ac principibus, eos non deſerit, ſed eis maximè fauet, patrocinatur, ipſóſque defendit. D. Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis ait: *Diuinum patrocinium tunc apertiſſimè apparet, cum nos meliori vitæ tradiderimus, ac pro zelo fidei, & virtutis certamina ſuſcipimus grauiora.* Vnde Deus dixit Moyſi, cum mitteretur ad Pharaonem, vt cum ipſo, ac principibus, & ſapientibus Ægypti ageret: *Ego ero in ore tuo, docebóque quid loquaris.* Exod.4. n. 12. Si Deus eum mittebat ad certamen, ibi ei dans ſapientiæ eloquia affuturus erat. Vide tom.1. lib.1. cap.10. n.36. & tom.2. c.24.n.94. & 95. & vide in hoc tom. in Indice, verb. Periculum. Nam qui te in periculo conſtituit, in eo te non deſerat.

Ioan. 17.
*Deus quos mittit in prælium, tuetur.*
D. Nyſſen.
Exod.4.

*Matth.10 n.21.* Tradet autem frater fratrem in mortem; & pater filium: & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

*Num.22.* Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.21.* Tradet autem frater fratrem proprium ad mortem.

*Euthymius.* Prodet autem frater.

*Tertull. aduerſus Gnoſticos cap.9.* Inſurgent filij in parentes, & mortificabunt eos.

*Syriacus, n.22.* Et eritis exoſi cuilibet homini.

*Arias.* Et eritis inuiſi ab omnibus.

*D. Fulgent. de gratia Chriſti cap.31.* Eritis odio omnibus gentibus.

*D. Athanaſius in Reſcripto Papæ Marc.* Beatus, qui perſeuerauerit in finem.

*D. Cypr. epiſt.6. & 31.* Qui tolerauerit vſque in finem hic ſaluabitur.

*Græcus.* Qui ſuſtinuerit.

Alter textvs.

*Marc.13.n.12.* Tradet autem frater fratrem in mortem; & pater filium: & conſurgent filij in parentes, & morte afficient eos.

*Num.13.* Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſaluus erit.

*Lucæ 21.n.16.* Tradimini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient vos, & eritis odio omnibus propter nomen meum.

## EXPOSITIO V.

108. Verſ.21. PRÆDICIT Dominus ſuis acerbiſſimas perſecutiones euenturas, non vt eos deterreat ab officio prædicandi, ſed vt illæ præuiſæ minus feriant; nam, vt ait hîc D. Hilarius, *multum proficit ad tolerantiæ aſſumptionem, rerum imminentium cognitio.* Has autem preſſuras per maiora conſanguinitatis iura explanat Dominus; ſi enim proximiores ſanguine deficiunt, quales nam futuri erunt extranei? Chryſoſtomus homil. 24. in Imperfecto. *Si amicitia in ipſa natura deficit, quomodo inuenietur extra naturam.* Sequitur textus. *Tradet autem frater fratrem*; Syriacus addit, *proprium.* Acerbiſſimum perſecutionis genus, vt inquiunt Rupertus, Albertus Magnus, dum omne naturæ vinculum rumpitur, & armatur contra nos. Ad hunc modum ait Ieremias 9. num. 4. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit.* Sequitur textus. *Et pater filium; & inſurgent filij in parentes*, à quibus vitam receperunt. Sic Maximinus Imperator Artemiam ſororem ſuam Chriſtianam: Diocletianus Serenam vxorem: Dioſcorus propriam filiam Barbaram interfecerunt. *Et morte afficient eos.* Optimè ait D. Paſchaſius lib.6. in Matth. *Exaggerat Dominus in tempore perſecutionis preſſurarum anguſtias, dum in nullo, niſi in ſolo Deo ſpes relinquatur.* Nam qui in Deo ſolo habet fiduciam, in omnibus ſecurus eſt.

D.Hilar. *Si conſanguinei deficiunt, quomodo adhærebunt extranei.* Chryſoſt. Rupert. Albert.Mag. Ierem.9. D. Paſchaſ. *Spes in ſolo Deo, vt ſimus ſecuri.*

109. Verſ.22. Euthym. Theoph. *Et eritis odio.* Tamen etſi omnibus ſitis benefici, & nemini noceatis, eritis inuiſi, & exoſi *omnibus*, id eſt pluribus; nam, vt notant Euthymius, Theophylactus, frequenter in Scriptura omnes pro multis ponuntur. Vel certè, quia malorum maior pars eſt. Et non dixit Dominus omnibus hominibus, ſed *omnibus* abſolutè, vt grauiſſimum perſecutionis genus exprimeretur, tanquam ſi omnia terrena contra Apoſtolos inſurgerent, atque ſæuirent. *Propter nomen meum:* nam, vt ait D. Paſchaſius citatus, à Chriſto vocantur fideles Chriſtiani; quod ſanè nomen, quia in vobis erit, perſequentur audientes. *Qui autem perſeuerauerit*, ſeu, vt habet Græcus, & Marcus hîc, *Qui ſuſtinuerit vſque finem*, ſcilicet vſque ad vltimum terminum vitæ. Et, vt notant D. Remigius hic, & D. Cæſarius homil. 18. non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque finem, laudatur. Et hîc maximè Apoſtolorum conſtantia, ac virtus admiranda, & extollenda cum Chryſoſtomo homil. 34. nam audientes perſecutiones vſque finem, nullus eorum recedit, ſed omnes firmo animo ſtant. Tamen dum ait: *vſque in finem:* magnum leuamen in laboribus eis ingerit, vt inquit D. Paſchaſius citatus, quod ſcilicet *omnis tribulatio finem habeat.* Quæ magna conſolatio nobis eſt. *Saluus erit.* Vitam nempè aſſequetur æternam. Duplex hîc ponitur conſolatio, dupléxque paſſionum mitigatiuum, vt inquit D. Thomas. Primò, morte affici *propter nomen meum*, vt ait Chriſtus, valdè enim nobis dulce eſſe debet, pro Saluatoris nomine pati. 1. Petr.4. num.14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis.* Secundò alia ratione eos confortat, conſideratione ſcilicet præmij. Vnde ait Albertus Magnus, ex D. Gregorio. *Conſideratio præmij minuit vim flagelli.*

D. Paſchaſ. Græcus. Marcus. D. Remig. Cæſar. D. Chryſoſt. D. Paſchaſ. *Omnis tribulatio huius vitæ finem habet.* D. Thom. *Magna conſolatio pati pro Chriſto.* 1. Petr.4. Albert.Mag.

## QVÆSTIO XV.

### *Quare tam ſæua à parentibus, fratribus, ac cognatis exorta eſt in Apoſtolos perſecutio?*

110. CRVDELISSIMO furore gentes rapiebantur in Apoſtolos; nam eorum noua prædicatione contemnebatur, ac deſtruebatur antiquus cultus ſuorum idolorum. Et ex hac cauſa fabulabantur antiqui Romani, quod multa mala in Vrbem, ac Imperium Romanum Dij mittebant, vt ait Valerius lib. 1. de neglecta Relig. Contra quos edidit D. Auguſtinus libros de ciuitate Dei; oſtendens, quod meliora fuerunt tempora Romanorum poſt Chriſti Religionem, quàm antea. Et quamuis Chriſtus Dominus poſſet ſine vlla repugnantia in totum orbem ſuum introducere Euangelium; tamen decreuit inter tot preſſuras contradicentibus regibus illud plantare, vt ita ſuæ doctrinæ veritas, ſuorúmque conſtantia pateſceret; & ne aliquis diceret, quod ob regum, ac principum fauorem eius fides ſeminata, ac plantata eſt, vt ait Abulenſis quæſtione 105.

*Cur gentes tam crudeliter Apoſtolos perſequebantur.* Valer. D.Auguſt. Abulenſ.

111. In præſenti tamen quæſtione quærimus: Cur tam acerba tribulatio peculiariter in Chriſti Diſcipulos à parentibus, & cognatis commota eſt? Reſpondent primò D. Hieronymus, & Paſchaſ. lib.6. in Matth. *Nec vllus eſt inter eos fidus affectus, quorum diuerſa fides eſt.* Ita eſt homo propenſus ſuæ fidei, ac Religioni, vt in quibus huius eſt diuerſitas, nullius ſit amoris, ac animi vnitas, ſed valdè diuerſimodè contrarietas. Ait Plato in Lyſide, ſeu de amicitia. Ex antiquorum ſententia, *Homines dicto Dei conciliantis fieri amicos, quod Deus ſimilem ducat ad ſimilem, & notum faciat.* Cum Religio ſit anima, qua homo viuit; & homo ſemper ad ſui ſimilem tendat: ergo in quibus eſt diuerſitas in fide, nulla vnitas dari poteſt. Fratres erant Iſaac, & Iſmael; Iacob, & Laban multum conſanguinei erant; verùm cum in eis magna eſſet cultus diſparitas, diſparitas & animorum extitit. Vnde cum doctrina Apoſtolorum eſſet multum repugnans Gentium; inde tantum in eos concitatum eſt odium.

D. Hieron. D.Paſchaſ. *In quibus diuerſa eſt fides, nulla eſt amicitia.* Plato.

112. D. Chryſoſt. Secundò, D. Chryſoſtomus homil.24. in Imperfecto ait: *Mendax eſt omnis ſæcularis amicitia, quæ diuini timoris vinculo non eſt ligata.* Vinculum amoris eſt Dei timor; & vbi hoc vinculum deeſt, nullus poteſt eſſe veræ amicitiæ nexus. Vnde cum in infidelibus, atque hæreticis nullus ſit Dei timor, nulla in eis vera, & firma eſſe poteſt cum Catholicis amicitia. Ad hoc argumentum comprobandum accipe D. Gregorium Nazianzenum orat. 1. in Iulian. dicentem: *Ex me penditis, & alij ex alijs mutuo nexu cohærentes, & omnes ex Deo, ex quo omnia, & in quem omnia. O admirabilm catenam, quam Spiritus ſanctus nectit firmiſſimis vinculis compactam, & coaptatam.* Omnis amicorum nexus à Deo pendet, qui eſt vera charitas, & à quo omnis charitas participatur. Vbi autem non eſt Dei timor, nec eius charitas eſt, qua deficiente, & amoris deficit, ac amicitiæ catena.





*Vbi Dei timor non eſt, nec amicitia eſſe poteſt.* D. Nazian.

113. D. Chryſoſt. Emiſſen. Tertiò, D. Chryſoſtomus proximè citatus, & Euſebius Emiſſenus in homil. de hoc Euangelio ſic reſpondent ad noſtram quæſtionem. *Non eſt fides in ſeruis diaboli. Diabolus nec generat, nec generatur: ſi non generatur; neſcit ſeruare iura propinquitatis, qui nullum habet propinquum.* Diabolus id ſuis communicat, quod in ſe habet: cum ergo ipſe nec generet, nec generetur, nullum propinquitatis ius, aut amorem retinet; & hoc totum in ſua membra transfundit, vt omni illo affectu ſint expoliata. Cum igitur gentes eſſent ſub poteſtate diaboli, omnis oblitæ iuris propinquitatis in Apoſtolos ſæuiebant.

*In ſeruis diaboli nec fides, nec amicitia eſt.*

114. 2. Reg.13. In conuiuio interfecit Abſalon fratrem ſuum Amnon 2. Reg.13. num.29. Deinde totis viribus affectauit vſurpare regnum patris ſui Dauidis, ipſumque occidere 2.Reg.15.num.12. Vnde de ipſo Chryſoſtomus homil. de Abſalon. *Perdidit Abſalon ſceleſtiſſimus mentem, perdidit ſenſum, amiſit conſilium, inſectatus patrem; fugat innocentem, non vt cum patre ſocietatem iniret, ſed vt totum regnum patris ſanguine poſſideret.* Sed vnde tanta nequitia venit in mentem huius principis, vt fratrem, patrem, atque cognatos perimere vellet? Abſalon totus ſub poteſtate diaboli erat: & in hac conſideratione Ioab, vt eum occideret, tres lanceas infixit in corde eius. 2. Reg. 18. num.14. quia diabolus ſuperbia, inuidia, ac auaritia cor eius perfoderat, vt interpretantur Angelomus, Carthuſianus. Cum ergo Abſalon totus eſſet poſſeſſus à Dæmone, nec in patrem, nec in fratrem, neque in cognatos ſeruabat fidelitatem, aut amicitiam retinebat. Vnde ait D. Bonauentura in c.21. Luc. *Diabolus ſine fidelitatis fœdere viuit, ſine fidelitatis nexu ſuos paſcit.*

2. Reg.15. D. Chryſoſt. *Seruus diaboli nec in patrem, nec in fratrem ſeruat amorem.* 2.Reg.18. Angelom. Carthuſ. D. Bonau.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare, cum Apoſtoli omnibus eſſent benefici, tam crudelis in eos mouetur perſecutio, vt omnibus odio eſſent?*

115. D. Thom. DICVNTVR Apoſtoli eſſe odio omnibus, id eſt pluribus, ſeu maiori parti, vt dixi in expoſitione. Et ait D. Thomas: *Hæc dicebat de hominibus, qui inhumanitus viuebant; alij verò, qui Dei erant, eos recipiebant.* Ad pleniorem explicationem, tanti odij cauſæ explicandæ ſunt. Primò ex parte Chriſti præmittentis. Secundò ex parte Apoſtolorum, qui hæc patiebantur. Tertiò ex parte diaboli. Quartò ex parte gentium.

116. Abulenſ. Primò ex parte Chriſti præmittentis. Abulenſis quæſt.107. Hoc factum eſt, vt manifeſtaretur diuina virtus in introductione legis Euangelicæ, quia illud fit per homines, quod hominum fauore euenit: ergo cum profeſſores nominis Chriſti omnibus eſſent odioſi, fides ab ipſis prædicata, non introducebatur hominum fauore.

*Diuina virtus in promulgatione legis Euangelicæ.*

117. Gloſſa. Secundò ex parte Apoſtolorum. Vt eorum mira patientia patefieret; nam, vt ait Gloſſa, *Minorem dolorem ingerunt mala, quæ ab extraneis, maiorem, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amiſſæ charitatis.* In huius rei argumentum expende, quod in præſenti textu Dominus magnis tribulationibus maiores addidit: nam dixit: *Tradent vos, flagellabunt, & morte afficient.* Deinde ait: *Tradet frater fratrem*; magna perſecutio, ſed adhuc maiorem aliam dicit: *Pater filium:* grauiſſima ſanè tribulatio; & alia ſanè connectitur vehementer repugnans iuri naturæ: *Et inſurgent filij in parentes.* Et poſtea in extremo loco dicitur: *Et eritis odio omnibus*, ſeu omnibus eritis exoſi, ac odioſi, itaut omnes ſint veſtri inimici, & nullus amicus. Cur hoc tanquam ſummum malum in poſteriori parte ponitur? Magna tribulatio, quod frater armetur in fratrem; ſed adhuc alia durior datur, quod pater in filium, & filius in patrem. Erit ne alia acerbior? Sanè eſt: *Eritis odio omnibus:* vt omnes ſint tui inimici, & nullum inuenias amicum, nil durius ſanè excogitari poteſt.

*Iniuria illata ab amico, grauior, quã quæ ab extraneo.* *Summum miſeria nullum habere amicum.*

118. Tertiò ex parte diaboli, quia diabolus vehementer concitabat homines in Chriſtianos; videbat enim, per Chriſti doctrinam cultum ſuum in toto orbe deſtrui; & ideo parentes, & conſanguineos in Apoſtolos armabat. D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil 34. *O ineſtimabile diaboli ingenium, quod nec ipſa paternitatis charitas extinguere poteſt: ſupra naturam, & contra naturam perſecutio ardet.* Et tunc maximè ipſe crudelis humani generis aduerſarius tumultuatur, ac omnes vires adhibet, cum videt ſibi è manibus animas eripi. Vide tom.2. cap.20. numer.39. & 40.

*Tunc diabolus crudeliter ſæuit, cũ è manibus eius homines exeunt.* D. Chryſoſt.

119. Abulenſ. Quartò ex parte hominum. Tam generale odium fuit in Chriſtianos, vt ait Abulenſis quæſtione 107. quia ipſi prædicando contradicebant cultui idolorum gentium, ac etiam repugnabant ritui Iudæorum. Prædicabant Apoſtoli: *Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Ad Galat.5.num.2. Cum vnuſquiſque ſuo cultui maximè eſſet affectus, atque propenſus, inde nouæ Religioni multum contrarius exiſtebat. Secundò, ait D. Thomas. Cauſa huius odij aſſignatur Ioan. 15. num. 19. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret; quia verò de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Amatores mundi in illius contemptores, ſcilicet Chriſti Diſcipulos, ſemper crudeles extiterunt aduerſarij.

Ad Galat 5. D. Thom. Ioan. 15. *Mundus ſui contemptores perſequitur.*

120. D. Chryſoſt. Tertiò, D. Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. *Eritis odio omnibus, ait Chriſtus, nec tamen quoniam tanta poteſtas vobis data eſt, idcirco in ſecuritate vitam agetis, ſed omnes communiter homines, qui terrarum orbem habitant, hoſtili odio vos aggredientur.* Nulla eſt ab odio, ac inſidiis exempta poteſtas: immò quanto quis magis in faſtigio eminet,

*Magna poteſtas magnis odijs impetitur.*

eminet, tantò magis aduerſariorum telis impetitur. Vide tom.1. lib.3. cap.3. num.4.

121\. Quartò, ait Chriſtus: Eritis odio omnibus, id eſt omnibus eritis odioſi, & inuiſi; nullus erit amicus veſter. Valdè mirum, quod Apoſtoli, cum eſſent omnibus valdè benefici, multis ſanitatem, ac vitam dantes, omnibus ſint odioſi, & nullus ei exiſtat amicus. Conſtituti erant Apoſtoli à Chriſto principes Eccleſiarum, ac omnium præſules: & quicumque in prælationis faſtigio eminens quot ſubditos habet, tot inimicos vendicat. Ergo cum Apoſtoli eſſent omnium præſules, omnium hoſtile odium in eos iaculabatur.

*Prælatus quot ſubditos habet, tot vendicat inimicos.*

122\. A Chriſto interrogant Apoſtoli: *Quis ſit maior in regno cælorum.* Matth.18. num. 1. Huius interrogationis cauſa extitit, vt ait D. Chryſoſtomus homil. 59. in Matth. quia Dominus dixerat Petro: *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. num. 18. Et quia idem tributum pro Petro, & Domino videbant redditum, vt ait D. Hieronymus: *Ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Et ideo interrogant, quis ſit maior in regno cælorum.* Tanquam ægrè ferentes, vt colligitur ex citato Hieronymo, Chryſoſtomo, Origene, & aliis communiter, quod ipſe Petrus omnibus eſſet præpoſitus. Sed cur hæc prælatio Petri tam moleſta eſt Apoſtolis, vt ex hac cauſa ipſi ad Dominum accedant, & quæſtiones ponant? Ipſi optimè videbant, quod Petrus erat ætate ſenex, prudentia grauis, charitate feruidus, & pro omnibus ſemper loquens. Cur ergo delatus honor Petro cunctis tam durus videtur? Intelligebant, eum conſtitutum eſſe omnium caput, & paſtorem; & ideo Domini Diſcipuli, cum aliàs eſſent probi, & recti; tamen humana paſſione omnes commouebantur in Petrum; ac veluti dolentes in eum conſpirant, ac contra eum vniuntur, & quærunt, an non ſolùm in hac vita, ſed etiam in futura ſit eis præponendus. Euthymius. *Irati, ait, interrogarunt. Siquidem ex his, quæ videbant, ſciebant, quod in terra Petrus ſibi præponeretur. Volebant autem ſcire, vtrum etiam in cælo præhonorandus eſſet, ſed tunc quidem de his dolebant.*

Matth. 18. D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Chryſoſt. Origen. *Contra ſuperiorem facilè ſubditi conſpirant.* Euthym.

123\. Valdè procliue eſt ſubditis, vt in ſuos ſuperiores inſurgant, ac hoſtili odio ipſos perſequantur. Sumpta ſerpentis ſpecie diabolus Euam aggreditur Geneſ.3. num.1. Communis eſt quæſtio, cur in propria forma ſe illi non exhibet, ac ipſam tentat? Ad quid ſerpentis figura ad hoc eligitur? Serpens erat vnus ex animantibus, quæ ſub Adami poteſtate erant, dixit ei Deus: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Gen.1. num. 28. Serpens ergo ad hoc negotium aſſumitur. Sagaciſſimus Dæmon optimè deprehendit, nullum eſſe melius inſtrumentum ad crudeliter feriendum, ac vulnerandum totius orbis temporalem dominatorem, quam ſi vnius illius ſubditi linguam ſibi accommodaret, ac contra ipſum armaret. Eleganter D. Baſilius Seleucus orat. 2. ſic ait: *Adſtat leo blandè ſubſultans, lupus inter oues pacatè agebat, & ſerpens hominis ſubiectus erat arbitrio: ſic enim factum eſt, vt linguam diabolo commodarit.* Expende vltima pulchra verba. Quæ etiam aliter in rem noſtram accommodo. Adeò innatum eſt ſubdito odium in ſuum ſuperiorem, vt etiam ad bruta animantia hoc videatur extendi. Serpens ex irrationabilibus animantibus vnus eſt; tamen cum eſſet *hominis ſubiectus, arbitrio: ſic factum*, ſeu ex hoc factum, vt contra hominem linguam ſuam commodarit diabolo.

Geneſ.3. Geneſ.1. *Subditus contra ſuperiorẽ valdè acutus.* Seleuc.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare perſeueranti vſque in finem Chriſtus per tertiam perſonam ait, ſaluus erit, & non potius per primam, ego eum ſaluabo?*

124\. IN præſenti Euangelio maximè notandum, quod in illo Chriſtus Dominus ſuorum Diſcipulorum perſecutiones propter ſuum nomen ſatis latè explanat, ac exaggerat. *Tradent vos in concilijs; in ſynagogis ſuis flagellabunt vos; ad reges ducemini.* Et iterum: *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium.* Et ſubdit: *Et eritis odio omnibus hominibus.* Et tamen tantis tribulationibus præmium vno ſolo verbo proponit: *Saluus erit.* Cur ergo illa tam diffusè, hoc verò tam ſtrictè dicitur? Tribulationes Diſcipulorum ob Chriſti nomen, erat magnum eorum obſequium erga Dominum exhibitum. At ſalus, & æterna vita, erat donum, & præmium ab ipſo Redemptore in ſuos conferendum. Et Chriſtus, vt magnus, & magnificus Dominus, aliorum obſequia, ſibi præſtita, in multa æſtimatione habet; dona verò ſua veluti in paruo reputat. Et ideo illa multis verbis; hæc verò abbreuiatis dicuntur. Vide tom.2. cap.5. num.212.

*Ratio difficultatis.* *Chriſtus Dominus ſua dona in paruo reputat; noſtra verò obſequia in multo.*

125\. Ad quæſtionem venio. Cur perſeueranti non ait Chriſtus, ego ſaluabo eum, ſed per tertiam perſonam, ſaluus erit? Reſpondeo, primò. Quod Chriſtus ſæpè hîc explicauit ſuis Diſcipulis, has perſecutiones ab illis ſuſtinendas propter ipſum; ait eis, *Ad reges ducemini propter me.* Et iterum, *odio eritis omnibus propter nomen meum.* Dixit ergo, ſaluus erit, & non, ego ſaluabo eum, quia hoc tanquam notum ſuppoſuit; nam cum ob illum mortem ſubirent, illíque obſequia facerent; planum, & euidens erat, quod ampla remuneratio ab ipſo eſſet largienda; & ideo non neceſſe fuit dicere, Ego eum ſaluabo, ſed modeſtiæ cauſa per tertiam perſonam loquitur, ſaluus erit, vt ita de præmio redderentur certi.

*Obſequia Chriſto exhibita, planum eſt, quod ab ipſo remunerantur.*

126\. Secundò, ita loquitur, ob nobilitanda, & extollenda Apoſtolorum merita, per quæ illi æternam ſalutem ſunt aſſecuti: nam ſi diceret, Ego eum ſaluabo, alicui videretur, quod ipſa ſempiterna fœlicitas omnimodè gratis, ac liberaliter conferebatur. At verò dum ait: *Qui perſeuerauerit, ſeu, ſuſtinuerit vſque ad finem, hic ſaluus erit:* veluti denotat, quod per ipſam laborum ſufferentiam cum perſeuerantia ſaluus ſit: nam quamuis æterna vita in ſemine, ac radice ſit gratia, ac donum diuinæ liberalitatis; tamen in ſe formaliter, ac immediatè eſt corona iuſtitiæ. Ad hanc ergo coronam meritorum maximè exprimendam, ait: *Qui ſuſtinuerit vſque in finem, ſaluus erit.* In confirmationem huius rei vide plura tom. 2. cap.10. quæſt.11. per totam.

*Nobilitatur corona, quæ per merita confertur.*

CAP.



# CAP. IX.

## *Propter perſecutionem de vna ciuitate in aliam fugiendum.*

*Matth* 10.*n*.23. Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Arias.* | Cum autem inſequentur vos. |
| *Tertull. lib. de fuga, cap.6.* | Cum cœperint perſequi vos, fugite de ciuitate in ciuitatem. |
| *Chryſ. hom.35. in Matth.* | Non enim obibitis ciuitates Iſraël. |
| *Syriacus.* | Nequaquam abſolueritis ipſas vniuerſas ciuitates domus Iſraël, vſque dum venerit filius hominis. |
| *Vatablus, Euthymius.* | Non perambulabitis omnes ciuitates Iſraëlis. |
| *Rupertus.* | Donec veniat regnum Dei. |

### *EXPOSITIO I.*

1\. SVPRA dixerat Dominus ſuis mala, quæ paſſuri erant, vt vidimus ſuperiori capite: nunc verò, quid debeant in perſecutione facere oſtendit. Et hic in præſenti præoccupat quandam obiectionem. Nam Diſcipuli dicere poterant; nam ſi omnibus erimus odioſi, ſtatim trademur neci; quomodo ergo prædicabimus Euangelium. Ideo ait: *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta:* indiſtinctè intelligitur pro qualicumque ciuitate, ſiue Ieruſalem, ſiue Roma, vt ait D. Paſchaſius lib.6. in Matth. vel alij apud ipſum determinatè pro Ieruſalem interpretantur, quæ occidit prophetas. Notandum, quod non ait, in ciuitate illa, ſed *iſta*; vt ſcirent Apoſtoli, ſe ita laboribus circundatos eſſe futuros, vt eos ſemper haberent in præſenti, ac proximo, non verò in remoto, ac à longè. *Fugite in aliam.* Hoc dicit, vt agnoſcant; fugam aliquando eſſe licitam, vt dicam quæſt. 2. & quia mutatione loci ſæpe ſors, ac rerum mutatur euentus. Et non iuſſit, vt ait D. Chryſoſtomus citata homil. 35. cominus aggredi perſecutores, cum aliquando ſuis rationibus eſſent contentionem habituri cum gentibus, ac earum principibus, & Sacerdotibus, vt in Actis Apoſtolorum legimus de Paulo, Barnaba, ac aliis: ſed ait, *Fugite in aliam*, vt ſciant, hoc eſſe licitum, omniáque diſponenda pro ratione prudentiæ, quæ iuxta rerum euentus, aliquando fugere, aliquando contendere, dictat.

*Præoccupatur obiectio.* D. Paſchaſ. *Apoſtoli laboribus circundati.* D. Chryſoſt. *Pro ratione prudẽtiæ omnia diſponenda.*



2\. *Amen dico vobis*, id eſt hoc affirmo vobis. Diuinus Magiſter cuncta præuidens, vt inquiunt Albertus Magnus, ac D. Thomas, alteri Diſcipulorum obiectioni, hîc occurrit. Nam Dominus mandauit eis: *In viam gentium ne abieritis:* poterant dicere Diſcipuli, ſi fugiendum eſt de vna ciuitate in aliam, non habebimus, quò fugiamus, cum ciuitates Iſraël terminauerimus. Ideo ſubdit: *Non conſummabitis*, ſeu, ad verbum Græcum, *non abſoluetis*; ſeu, non ambulabitis omnes ciuitates Iſraël fugiendo de vna in aliam, *Donec veniat filius hominis*, in ſecundo ſuo aduentu ad iudicium. Neque vos, neque ſucceſſores veſtri percurretis vniuerſas Iudæorum ciuitates, eos ad fidem conuertendo, donec approximet illud vltimum tempus, in quo filius hominis veniet ad iudicandum, quia tunc conuertendi ſunt Iudæi. De quo latius quæſt.7.

Albert. Mag. D. Thom. Græcus.

## QVÆSTIO I.

### *An doctrina, hîc data à Chriſto de fuga, ſit interpretanda de prima, vel ſecunda miſſione.*

3\. VARIÆ fuerunt Apoſtolorum miſſiones: duæ tamen ſunt valdè præcipuæ, & principales. Primò hîc quando miſſi ſunt per totam Iudæam, vt patet ex hoc cap.10. Matth.n.5. Secundo poſt Chriſti glorioſam reſurrectionem, non ſolum in Iudæam, ſed etiam in totum Orbem Matth.28.n.18. Quæſtio agitur inter Auctores: De qua miſſione doctrina, hîc data, ſit explicanda?

*Miſſiones Apoſtolorũ.* Matth. 28.

4\. De ſola prima miſſione per Iudæam hîc agi, tenent graues Auctores, Tertullianus lib. de fuga ſæculi, D. Chryſoſtomus hîc homil.35. & hîc D. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Abulenſis q. 109. Et fundantur in eo. Quia expreſsè dicitur in littera: *Non conſummabitis ciuitates Iſraël:* ergo de miſſione ad has ciuitates erat ſermo.

Tertull. D. Chryſoſt. D. Hieron. Euthym. Theoph. Abulenſ.

5\. Secunda ſententia, & mihi probabilior docet, doctrinam hîc datam, omnem Apoſtolorum miſſionem amplecti. Ita tenent Origines homil. 9. in lib. Iudic. D. Athanaſius in Apolog. ad Orthodoxos; & in Epiſtol. ad Marcum Romanum Pontificem. D. Gregorius Nazianzenus Orat.1. aduersùs Iulian. D. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi. cap... D. Paſchaſius lib.6. in Matth. Rupertus, & alij. Nam fere tota doctrina hic data in hoc cap. 10. Matth. vniuerſaliter de omni miſſione Apoſtolorum interpretatur, vt dixi ſuperiori capite expoſitione 3. expendens illa verba: *Ducemini ad reges, & præſides.*

*Secunda, & verior ſententia.* Origen. D. Athanaſ. D. Nazian. D. Ambr. D. Paſchaſ. Rupert.

6\. Et quod hæc non ſint coactanda ad illam primam miſſionem per Iudæam, videtur patere; ſiquidem tunc non fuit fugiendum de vna ciuitate in aliam; nam omnia tunc illis ex voto contigerunt, ita vt ipſi lætitia, ac gaudio perfuſi redierint Marc.6. n.3. & Luc.7. n.17. Nec ratio in contrarium obſtat. Quia illud dicitur ad denotandam obdurationem Iſraëlis vſque ad diem iudicij de quo quæſt.7.

Marc. 6. Luc. 7. *Soluitur aduerſariorum fundamentũ.*

L 3 QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

### *An fuga in perſecutione ſit laudabilis: & an de ea hîc detur præceptum?*

7. *Tertull. D. Hieron.*

TERTVLLIANVS lib. de fuga in perſecutione, omnem fugam damnat. In quo ipſe damnandus eſt. Vnde meritò D. Hieronymus in Catalog. ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Tertullianum ait, hunc eius librum eſſe vnum ex iis, qui ab eo iam hæretico, & Montaniſta ſcripti ſunt contra Eccleſiam.

8. *Catholica veritas. Fuga in perſecutione laudabilis. Suar. Cap. Sciſciteris. D. Athanaſ. D. Cyp. D. Auguſt. D. Nazian. D. Chryſoſt. D. Ambr. D. Thom. Matth. 2. Luc. 4. Ioan. 7. Chryſolog.*

Fuga in perſecutione aliquando licita, & laudabilis. Concluſio eſt de fide, vt tenet Suarius tom. de fide tract. 1. diſput. 14. ſect. 3. num. 9. Eam docent Nicolaus Papa, in cap. *Sciſciteris*, 7. q. 1. D. Athanaſius in Apolog. de fuga. D. Cyprianus lib. de lapſis. D. Auguſtinus latè Epiſtol. 180. ad Honoratum, & tract. 46. in Ioan. D. Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Cæſarij, D. Chryſoſtomus homil. 35. D. Ambroſius toto lib. de fuga, D. Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 5. Probatur, quia Chriſtus Dominus infans fugit in Ægyptum. Matth. 2. num. 14. Et etiam cum Nazaræi eum præcipitare vellent Luc. 4. num. 30. Et iterum Ioannes 7. num. 30. Quia nondum venerat hora eius. Ex quo ait Petrus Chryſologus ſermone 150. *Bellicoſus miles, quod in bello fugit, artis eſt, non timoris; Deus quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pauoris.* Ergo fugere, aliquando, non eſt per ſe malum: Et manifeſtè conſtat ex hoc Chriſti dicto: *Fugite in aliam*: nec ſemper fuga fit ex timore, vt aliqui dixerunt, ſed aliquando ex magnis, & altis motiuis.

9. *Exod. 2. Ad Hebr. 11. 2. Reg. 5. 3. Reg. 21. Actor. 9. 2. Cor. 11. Actor. 20. D. Athanaſ. Antigon.*

Confirmatur exemplo aliquorum illuſtriſſimorum virorum, qui aliquando fugam arripientes; tamen quando negotium poſtulauit, ſeſe morti obtulerunt. Moyſes fugit à Pharaone Exod. 2. num. 15. tamen exigente cauſa adfuit: non eſt veritus regis animoſitatem. Hebræor. 11. num. 27. Dauid à mortis periculis multoties ſeſe eripuit; ſed cum occaſio expoſtulauit, ad belli pericula ante omnes proceſſit. 2. Reg. 5. num. 20. Elias à conſpectu Achab ſe ſe ſubtraxit, ſed de cælo monitus ſine vllo timore eidem regi ſe obiecit. 3. Reg. 21. num. 19. D. Paulus aliquando per murum effugit Actor. 9. num. 25. & 2. Corinth. 11. num. 33. & tamen à Deo admonitus in carceres, ac vincula ſe iniecit. Actor. 20. num. 22. His, & aliis latè comprobat D. Athanaſius citatus, quod fuga aliquando non ſit ex timore, ſed ex aliis cauſis; & ita multum laudabilis. Vnde Antigonus Rex ab hoſtibus ſeſe declinans ait: *Non fugio hoſtem, ſed vtilitatem bellandi à tergo ſequor.*

10. *Quæſtio 2. An aliquando fuga ſit ſub præcepto? D. Auguſt. Cap. Sciſciteris. D. Greg. D. Chryſol.*

Quæro ſecundò: Quomodo fuga obliget? Reſpondeo, quod fuga aliquando cadit ſub præcepto, verbi gratia quando perſona eſt publica, & eius vita maximè inſeruit vtilitati Eccleſiæ, ac bono communi fidelium, vt docet D. Auguſtinus citatus. Vel etiam hæc obligatio præcepti oriri poteſt ex parte perſonæ, ne ſe exponat periculo negandi fidem, vt colligitur ex cap. *Sciſciteris*, 7. quæſt. 1. & docet D. Gregorius lib. 18. moral. cap. 5. D. Petrus Chryſologus ſerm. 50. *In perſecutione*, ait, *melius eſt fugere, quàm negare. Petrus qui fugere noluit, abnegauit; Ioannes, ne abnegaret, aufugit.* Aliquando verò fuga eſt permiſſa, verbi gratia quando ſacerdos particulariter quæritur, & ſunt alij, qui eius munera poſſunt adimplere, vt docet citatus D. Auguſtinus, & D. Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 5. At verò ſi eius præſentia ſit neceſſaria ſaluti ſpirituali aliorum: tunc prælatus ex iuſtitia, & particularis perſona ex charitate tenentur aſſiſtere, & non deſerere alios in tanto periculo; hoc enim non eſt paſtoris, ſed mercenarij, qui vidit lupum venientem, & dimittit ouem, ac fugit. Ioan. 10. num. 11. & 12. De his omnibus latè Theologi citato loco D. Thomæ, ac Summiſtæ verbo, *Fuga*. Suarius allegatus, & alij.

*D. Auguſt. D. Thom. Ioan. 10.*

11. *D. Athanaſ. D. Nazian. Maldonat. Hugo. Cornel. à Lapide. Hîc datur à Chriſto, non præceptum, ſed fugæ licentia. D. Auguſt. Caiet. Salmeron. Suarius.*

Ad noſtrum intentum principale: An hic à Chriſto detur præceptum de fuga? Videntur affirmare D. Athanaſius citatus, & D. Gregorius Nazianzenus orat. 1. aduerſus Iulianum. Præceptum vocant fortè ſecundum communem loquendi modum, vt ait Maldonatus. Præceptum etiam dicunt Hugo, Cornelius à Lapide, & alij. E contra verò, quod non ſit præceptum, ſed quædam declaratio, quod fuga licita eſt, quando expedit, docent Auguſtinus citata Epiſtola 180. ad Honoratum, & Caietanus dicens: *Fugite in aliam ciuitatem, licentia eſt, non præceptum; appoſuit hoc, ne illicitum exiſtimaretur fuga.* Salmeron tom. 4. in Euang. part. 2. tract. 16. Suarius tom. de fide tract. 1. diſp. 14. ſect. 3. num. 11. Nam non fugere, non eſt per ſe malum, & poteſt habere honeſtam cauſam, verbi gratia iudicari expediens ad exemplum proximorum, & ad maiorem gloriam Dei. Deinde exorta perſecutione in vna ciuitate, ſtatim ab ea eſſet fugiendum, quod non ita factum eſſe in actis ſanctorum legimus.

## QVÆSTIO III.

### *A qua virtute ſit imperata fuga, quæ hîc Apoſtolis dicitur.*

12. *D. Athanaſ. Geneſ. 28. Exod. 3.*

PRIMÒ D. Athanaſius citata Apolog. laudabilem fugam fortitudini adſcribit. Nam narrans, quomodo poſtquam Iacob fugit à fratre ſuo Eſau, vidit Deum innixum ſcalæ Geneſ. 28. num. 12. Et Moyſes, vt fugit à Pharaone, Deum habuit alloquentem Exod. 3. num. 4. Sic ait Athanaſius. *Eorum fuga cum diuinæ diſpoſitioni congrueret, ex ea re chari Deo ſunt redditi, & pulcherrimum fortitudinis teſtimonium obtinuerunt.* Et rationem ſubdit S. Pater: nam qui ſe morti tradit, à multis miſeriis ſe ſubtrahit; quibus, immò & maioribus ſe exponit à morte fugiens. Et hanc Apoſtolorum fugam ad fortitudinem refert ipſe Athanaſius, vt ita pro Chriſto maioribus laboribus ſe committerent, ac exponerent.

13. *Fuga à prudentia. Gallican.*

Secundò, communiter alij fugæ imperium prudentiæ attribuunt; nam vt ait Euſebius Gallican. homil. in natiuitate Innocentum, *Nec ſemper eſt fugiendum, nec ſemper eſt reſiſtendum; ſed pro temporis, & negotij qualitate hoc & illud fieri oportet: nam ſancti aliquando fugiebant, aliquando hoſtibus ſponte occurrebant.* Atqui circunſtantias metiri, & appendere, prudentiæ eſt actus: ergo laudabilis fuga à prudẽtia dictatur. Et quod fuga hîc Apoſtolis commendata ita ſit accipienda, videtur ex textu deduci:



*Matth. 10.*

deduci: nam prius in hoc cap. 10. Matth. n. 16. præcepit Chriſtus ſuis Apoſtolis: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, & poſtea eorum labores, ac preſſuras deſcribit, vt vidimus ſuperiori cap. Et deinde ſubdit: *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Veluti indicans, fugam eſſe actum prudentiæ, quæ in ſerpente adumbratur, cuius aſtutiam eis antea commendauerat.

14. *D. Hieron. Prudentia aliquando fugã dictat. Geneſ. 27. Geneſ. 28. D. Ambroſ.*

Et quod imperium fugæ ad prudentiam ſpectet, docet D. Hieronymus in cap. 26. Ierem. n. 21. loquente de Vria Propheta, qui fugit à rege Ioachim. *Quod fugit, non infidelitatis, ſed prudentiæ indicium eſt, ne fruſtra nos offeramus periculo.* Ita Hieronymus. Et confirmatur perſuadens Rebecca fugam filio ſuo Iacob, ait ei: *Conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Hiram.* Gen. 27. n. 43. At ſanctus pater Iſaac fugam mandans ipſi Iacob, ait: *Vade ad domum Bathuel.* Gen. 28. n. 2. Cur, non Laban dicit, vt eius coniux Rebecca, ſed Bathuelem nuncupat? Bathuel *ſapientia* interpretatur; vt ita denotaretur, quod fuga illa tendebat in domum ſapientiæ, à qua dirigebatur. Sic eam enucleat D. Ambroſius lib. de fuga. cap. 4. Et addit: *Non erubeſcamus igitur fugere.*

15. *Fuga à charitate, & religione. D. Athanaſ. D. Nazian. D. Auguſt. D. Greg.*

Tertiò, fuga non ſolùm tribuitur prudentiæ, vt rectiſſimè dictum eſt, ſed etiam charitati, ac religioni. Et ita dicitur Apoſtolis: *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*: quod non eis mandatur, quia illi timidi exiſterent, ſtatim enim ſubditur: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*: ſed ob ipſorum charitatem, ac religionis zelum: tunc namque eorum vita erat valde neceſſaria Eccleſiæ bono, ac vtilitati ſpirituali fidelium, vt ita eos poſſent confortare, & adiuuare, præcipuè in exordio naſcentis Eccleſiæ, quando fides adhuc erat tenera, & non multum propagata, ac radicata. Ita citatus Athanaſius in Apolog. de ſua fuga. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. aduerſus Iulian. D. Auguſtinus tract. 46. in Ioan. & Epiſtola 180. ad Honoratum. D. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 23. & 24. Et 2. Dialogorum cap. 3.

16. *Ad Philip. 1. 2. Cor. 11. Actor. 9. Prælatus plus deferat fidelium vtilitati, quàm ſuæ voluntati. Hincmar.*

Vehementer Paulus mortem cupiebat, ita vt ipſe diceret: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Ad Philipp. 1. n. 23. Et tamen cùm ciuitas maximè cuſtodiretur à præpoſito, ait ipſe: *Vt me comprehenderet, per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* 2. Corinth. 11. n. 33. & Actor. 9. n. 24. In his videtur latere manifeſta contradictio: nam, ſi ipſe vehementer mortis deſiderio tenebatur, quomodo oblata occaſione mortem fugit, ac ſe per murum dimitti conſentit? Gentium Doctor ſui obitum affectabat; at Eccleſiæ, & fidelium vtilitas eius vita indigebat: & magna charitas Pauli elegit potius ſpirituali aliorum bono, quàm cupiditati, ac voluntati propriæ ſatisfacere. Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus Epiſtol. 5. ex Auguſtino ad Honorium, ſic ait: *Effugit Paulus manus eius. Deſerta eſt, quæ ibi erat Eccleſia, neceſſario miniſterio; & non ab aliis fratribus ibidem conſtitutis: quod oportebat, impletum eſt. Eis quippe volentibus hoc Apoſtolus fecerat, vt ſe ipſum ſeruaret Eccleſiæ, quem propriè perſecutor ille quærebat.*

17. *1. Machab. 2. Lyranus. Propter aliorum charitatem aliquando fugiendũ. Hugo.*

Cùm magnus ille Mathathias vidiſſet, templum prophanari, ac Dei legem violari, ac publicè contemni, Gentium ritum in Ieruſalem transferri compellentibus miniſtris regis Antiochi, Iudæum quemquam patenter Idolis ſacrificare, ſuccenſus Legis zelo Iudæum quendam ſacrificantem interfecit, *Et exclamauit voce magna in ciuitate dicens, Omnis, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me. Et fugit ipſe, & filij eius in montes, & reliquerunt quæ habebant in ciuitate.* Machab. 1. cap. 2. n. 27. Compone modò hæc: magnam animoſitatem oſtendit Mathathias, dum contemnendo regis edictum pro lege clamat, ac Iudæum interficit; tamen ſtatim fugit, quod quædam imbecillitatis nota videtur. Fugit, non ob timorem, nam in hoc adeo extitit generoſus, vt omnia ſua temporalia contemneret, eligens, vt ait, Lyranus, per deſerta viuere in herbis: fugit ergo ob charitatem, & religionis zelum, vt ſeruos Dei è ciuitate ad ſe reduceret, ac diſperſos per montana ſuo exemplo corroboraret, ſuiſque documentis adiuuaret, ac confortaret, vt nullus in Dei obſequio deficeret, ſed vt omnes eſſent firmo, ac conſtanti animo. Et ita ſubditur ſtatim: *Tunc deſcenderunt multi quærentes iudicium.* Cardinalis Hugo. *Fugit ipſe in montes, ibique orabat, docebat, turbas paſcebat, vt ad altiora, & perfectiora prouocaret.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare cùm dicantur beati, qui perſecutionem patiuntur, Dominus mandat, ſuos à perſecutione fugere?*

18. *Hugo. Feruidus Dei ſeruus plus conſulit aliis quàm ſibi. D. Paſchaſ.*

RESPONDEO primò ad quæſtionem cum Patribus citatis ſuperiori q. in tertia ratione, ac cum Paſchaſio, Hugone, ac aliis. Quod Dominus ſuis mandat fugere, quia in ipſo Eccleſiæ exordio Chriſti fides non erat multùm propagata; & quamuis Apoſtoli vehementer martyrij palmam optarent; tamen nondum ipſis erat tempus moriendi: diu pugnandum erat, vt Chriſti præconia longè, latéque diuulgarentur in ſalutem animarum; & ideo pro earum vtilitate in aliud tempus mors Apoſtolis differebatur. D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *In hac militia Chriſti*, ait, *ſic quærenda eſt palma martyrij, vt non refugiat quis pro ſalute aliorum tolerare diſpendia ſui, diúque ferre agones proprij laboris.* Vide ſuperiori cap. 8. n. 53. 54. & 55. & tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 103. & 104. & tom. 2. cap. 11. n. 129. & 130. & n. 147. & cap. 26 num. 17.

19. *D. Ambroſ. Theophyl. Euthymius. Accommodandum aliorum imbecillitati.*

Secundò D. Ambroſius lib. 1. de Officiis. cap. 37. ſic ait: *In omnibus quæ agimus, non ſolùm quid honeſtum, ſed etiam quid poſſibile ſit, quæramus, ne fortè aggrediamur aliquid, quod non poſſumus exequi. Vnde nos tempore perſecutionis de ciuitate in ciuitatem cedere; immò, vt ipſius verbo vtar, fugere, vult Dominus; ne temerè aliquis, dum martyrij deſiderat gloriam, offerat ſe periculis, quæ fortaſſe caro infirmior tolerare nequeat.* Magnis, & paruis ſe accommodat diuinus Magiſter in ſua doctrina; nam ſuperiùs valdè dura dixerat Dominus, vt notant Theophylactus, ac Euthymius, quod erunt *ſicut oues inter lupos, odio omnibus*; & quod tradet frater fratrem in mortem; quæ ad ſummè perfectos ſpectabant: nunc verò ad infirmiores condeſcendit, & vult, vt de vna ciuitate fugiant in aliam, ne fortè, dum martyrij palmam ambiunt, deficiant; & in præcipitium ruant. Vnde

*Euthym.* in hac conſideratione notat Euthymius, quod non dixit Dominus, vt longè fugiant, ſed de vna ciuitate in aliam. Vide tom. 1 lib. 1. cap. 1. n. 79. & tom. 2. cap. 3. n. 74. & cap. 5. n. 225. & cap. 26. n. 83. & 84. & cap. 28. n. 28.

20. D. Chryſoſt. *Non ſemper laboribus inſtandum, ſed aliquando reſpirandum.*
Tertiò, D. Chryſoſtomus homil. 35. *Ad leuiora rurſus orationem deducit, vt milites videlicet illi reſpirare poſſent, atque aliqua tranquillitate prænuntiatam durationem rerum mitigare.* Multa rigoroſa ſuperius erant dicta: fugam concedit Dominus, vt aliquam requiem denuntiet: nec ſemper laboribus eſt inſtandum, ne fortè animus opprimatur, atque deficiat: ſed aliquod eſt dandum leuamen. D. Auguſt. Quartò, D. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap 36. *Neque tamen*, ait, *Saluator non poterat tueri Diſcipulos ſuos, quibus fugere præcepit, & huius rei prior exemplum præbuit; ſed inſtruebat hominis infirmitatem, ne Deum tentare auderet, quando habet, quid faciat, vt, quid cauere oportet, euadat.* Dominus dicit ſuis, vt fugiant, ipſeque prior fugit: & quamuis facilè ſua poteſtate Diſcipulos à morte liberare poſſet; tamen cùm eorum vita eſſet Eccleſiæ neceſſaria, non miraculosè vult illud præſtare, cum adſit medium fugæ naturale, per quod illud promptè obtineri poteſt. Vide cap. 1. n. 110. & cap. 8. n. 86. & tom. 2. cap. 7. n. 38. 39. & 40.
*Si res per naturalia fieri poteſt, ad miraculum non recurrẽdum.*

21. D. Hieron.
Quintò, D. Hieronymus ait: *Cùm perſecuti fuerint nos in vna ciuitate, hoc eſt in vno Scripturarum libro, vel teſtimonio: nos fugiamus ad alias ciuitates, id eſt ad alia volumina.* Scriptura eſt ciuitas, aut turris firma Cantic. 4. n. 4. vt explicat D. Gregorius homil. 11. in Ezechiel. qua nos ab inimicis, ac hæreticis defendimus. Si ergo Hæretici nos perſequuntur vno Scripturæ loco, quem ipſi ſiniſtrè interpretantur, confugiamus ad aliud Scripturæ teſtimonium; nam vnus locus ſacræ Paginæ frequenter per alium explanatur. Sextò, Zacharias Epiſcopus. *Fugite in aliam*, inquit, *non tantummodo perſecutiones, ſed potius declinando, vt tribulationis occaſio, ſit Euangelij ſeminarium.* Ineffabilis Dei bonitas noſtra mala tranſmutat in bona. Vrgente perſecutione in hac ciuitate, non mandat Dominus fugere in deſertum, ſed in aliam ciuitatem, vt perſecutio huius ciuitatis, qua expelluntur Apoſtoli, ſit occaſio, vt aliæ ciuitati lux euangelica illuceſcat, ac ad viam ſalutis dirigatur. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 44.
*Cantic. 4. D Gregor. Scriptura tuemur contra Hæreticos. Zachar. Deus ex malis bona educit.*

22. Rupertus.
Septimò Rupertus, *Prædicator, vel auditor Euangelij ſit prudens, vt ſerpens; ſimplex, vt columba; non ſic in te præſumas, de ſpiritu fortitudinis, vt obliuiſcaris huiuſce conſilij. Vnde enim ſcis, vtrùm verè habeas ſpiritum fortitudinis: ne ergo nimis citò temetipſum præcipites in camino tentationis, ſed timens, ne fortè martyrio dignus ſis, cùm te perſecuti fuerint in vna ciuitate, fuge in aliam, quia non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Cùm homo de ſpiritu ſuo non ſit benè conſcius, ſed in eo iudicando multoties ſe ipſum decipiat; vult Chriſtus, vt homo non multum de ſe præſumat, ne ſe in tentationes iniiciat: & ideò ait, vt vrgente perſecutione fugiamus de vna ciuitate in aliam, quia fortè palma martyrij non ſumus digni, cùm hoc non ſit currentis, ſed Dei miſerentis. Et ita pericula fugiamus, totum diuinæ prouidentiæ committentes. Octauò, Abulenſis q. 108. Hoc Dominus dicit, vt oſtendat, quàm pretioſa ſit vita hominis in conſpectu eius, cùm pro illa conſeruanda, doceat eos, fugere mortem, & pericula. Pſal. 59. n. 6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.*
*Homo de ſe non præſumat multum. Pericula fugienda. Abulenſis. Hominis vita multùm æſtimanda. Pſalm. 59.*

23. Hugo.
Nonò, Hugo. Fugite in aliam. *Quia*, ait, *perſonalis eorum fuga, futura aliorum erat perſecutio.* Quæ verba ſic explico. Tyranni perſequendo vos, grauiter delinquunt, eorum ergo peccatum perſecutionis in vos, etiam perſecutione puniatur: & nulla maior eſſe poteſt illarum ciuitatum perſecutio, quàm ſi eas fugiatis, & vobis ſint deſtitutæ; nullum enim maius alicui loco poteſt inferri malum, quàm quod à Iuſtis maneat derelictus, atque deſertus. Senſus autem iſte eſt valdè moralis, & non litteralis. Decimò, Petrus Damianus lib. 4. Epiſtol. 9. ad Epiſcopos, & D. Remigius. Hoc dicit Dominus, vt demus locum aliorum iræ, vt inquit Apoſtolus Rom. 12. n. 19. Et Philoſophus. *Dum furor in curſu eſt; erranti cede furori.* Ad hoc vide multa in Indice, Verbo Ira.
*Magna perſecutio, quod locus à Iuſtis deſertus ſit. Damianus. D. Remig. Rom. 12. Philoſophus.*

24. Clem. Alex.
Vndecimò, Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. cap. 5. *Non ſuadet fugere*, ait, *tanquam malum ſit, pati perſecutionem: nec vt mortem extimeſcentes iubet, nos eam fuga declinare. Vult autem, nos nulli eſſe authores, nec alicuius mali cauſæ adiutores, nec nobis ipſis, nec ei, qui perſequitur, nec ei, qui interimit.* In perſecutionis tolerantia glorioſam ſibi comparat Iuſtus coronam: & tamen à perſecutione mandat Dominus fugere: vt ita ſui Diſcipuli tanta in omnes charitate exardeſcant, vt etiam propriis veluti diſpendiis, vt ita dicam, omnem amputent aliis, tyranno ſcilicet, atque miniſtris, delinquendi occaſionem; & ideò fugiant de vna ciuitate in aliam.
*Maximè fugiendum, ne aliis peccati occaſiones præbeamus.*

25. Geneſ. 31.
Iacob in Meſopotamia maximè locupletato apparuit Deus dicens: *Reuertere in terram patrum tuorum, eróque tecum.* Gen. 31. n. 3. In cuius executione, inſcio ſocero ſuo Laban, ipſe cum ſuis vxoribus, filiis, omníque ſubſtantia, recedens à terra illa pergit ad patrem ſuum Iſaac: *Noluit itaque Iacob confiteri ſocero ſuo, quod fugeret.* ibidem n. 21. Sed cur ita furtim, & abſconditè recedit? forſitan timebat Laban? Datum Dei verbum eum ab omni formidine reddebat immunem. Cur ergo ita viam arripit? vt Laban poſſet conqueri, vt poſtea factum legimus, quod ignorante ipſo fugeret, & non paſſus eſſet, vt filios, & filias ſuas oſcularetur? Cur ergo Dei mandatum non dicit ſocero, & ita recedit? Sine dubio hæc omnia bene perpenderat Iacob; tamen eo inſcio abire decernit, ne illi daret aliquam anſam inobedientiæ, atque peccati. Agnouerat ſanctus Patriarcha, quod cùm Laban eſſet valdè ambitioſus, ne amitteret prouentus, quos præſente Iacob comparabat, potius eligeret, Dei mandato non obedire, ac ei reſiſtere, quàm illum à ſe dimittere, vt in patriam ſuam abiret. Vnde Iacob potius voluit ſe exponere alicui inurbanitatis notæ, atque vt de furto argui poſſet, dum inſalutato ſocero diſceſſit, quàm ei aliquam præparare prolabendi in ruinam occaſionem. Chryſoſtomus homil. 57. in Geneſim, ait: *Conſidera, obſecro, fortitudinem animæ Iuſti, & quomodo repulſo omni mentis agone, ac metu, mandato dominico obtemperauit. Quoniam enim vidit malè ſanam mentem Laban; non vltrà, ſicut prius, interrogare eum voluit; ſed, quod imperatum erat à Domino, implebat.* Expende verba. Plenus fortitudine erat Iacob, ſed quia *vidit malè ſanam mentem Laban, non eum interrogare voluit.*
*Etiam propria aliqua nota, amputãda eſt aliis peccandi occaſio. Chryſoſtom.*

26.
Cùm Ioſeph ad ſuum vltimum diem approximaſſet,



ait fratribus ſuis: *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos; aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Gen. 50. n. 24. Si rectè conſideres, inuenies quod fuit vltimum eius verbum, vt ita eſſet maximè commendatum, ac fixum in illorum mente. Sed cur tam vehementer affectat, ne oſſa eius permaneant in illo loco, in quo eius præclara facta proclamabant, & magnam omnium conciliabant venerationem? Timuit Ioſeph, ne Ægyptij, in Idolotatriam valdè propenſi, recolentes beneficia, quæ ab ipſo acceperant, eum tanquam Deum venerarentur: ne ergo ibi aliqua peccandi anſa adeſſet, rigido mandato curauit, vt de illo loco oſſa eius transferrentur. D. Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſ. *Ioſeph*, ait, *hoc non temerè faciebat; agebat enim, ne Ægyptij, memores beneficiorum eius, cum pro more ſuo facilè ex hominibus Deos appellent, corpus Iuſti haberent in impietatis occaſionem.*
*Geneſ. 50. Iuſtus maximè ſolicitus, ne detur aliis occaſio ruinæ. D. Chryſoſt.*

## Qvæstio V.

### *Quare Chriſtus dixit, cùm vos perſecuti fuerint in ciuitate, & non potiùs in via, vel in agro?*

27. In viis, ac in agro multæ inſidiæ inſunt, multæ contentiones, ac perſecutiones fiunt. Sic dixit Iacob: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Gen. 49. n. 17. Sic & ait mulier Thecuitis ad Dauidem: *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati ſunt aduerſum ſe in agro.* 2. Reg. 14. n. 6. Cur ergo Chriſtus Dominus ſolùm facit mentionem de perſecutione in ciuitate? Sine dubio, ad ſignificandam duriſſimam, & acerbiſſimam inſectationem, ac vexationem; nam cùm in ciuitatibus maximè graſſentur turpitudines, atque omnium vitiorum, luxuriæ, auaritiæ, ambitionis, ac odij ſedes dominetur, ibi concitatur contra iuſtitiam, ac probitatem grauiſſimum iniquitatis bellum. Vnde rectè ait D. Hilarius lib. contra Auxentium. *Malè vos parietum amor cepit; malè Eccleſiam Dei in tectis, ædificiiſque veneramini; malè ſub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum eſt, in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſyluæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores.*
*Geneſ. 49. 2. Reg. 14. Peccata maximè dominantur in ciuitatibus. D. Hilarius.*

28. Matth. 22.
Celebre in filij nuptiis Rex parauit conuiuium quod inuitati contemnentes, cùm venire noluiſſent, ait Rex ſeruis ſuis: *Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Matth. 22. n. 9. Valde mirum hoc ſapientis Regis conſilium: nam in ciuitate ordinatum erat epulum; cur non è ciuitate, eiuſque foro, atque plateis quærit conuiuas? ad quid per exitus viarum extra ciuitatem inuitatos perquirit, vt compertum habes ex Chryſoſtomo, Paſchaſio, Theophylacto, & aliis. Vnde ait Origenes tom. 20. relatus in catena. *Egredientes ſerui, ſiue de Iudæa, ſiue de Ieruſalem, Apoſtoli Chriſti venientes ad vias diuerſorum morum, congregauerunt, quos inuenerunt*: Et Caietanus. *Deſcribuntur vocati non in ciuitate aliqua.* Et meritò ſanè ita factum eſt; nam in illo conuiuio ſolum ſedem erant habituri, qui nuptiali charitatis, ac puritatis veſte ingrederentur veſtiti, in ciuitatibus autem probati iuſtitia, valdè difficilè inueniuntur: vt ergo conuiuantium locus adimpleretur, neceſſe fuit extra ciuitatem per exitus viarum epulatores vocare, atque perquirere.
*Chryſoſt. Paſchaſ. Theophyl. Origenes. Caietanus. Non in ciuitate, ſed extra quærendi ſunt iuſtitia probati.*

29. Peſti crudeliter deſæuiente, totamque premente Ieroſolymam ciuitatem, Dauid largiter in oratione perfuſus vehementer à Domino ſuper populum ſuum miſericordiam deprecabatur. Venit ad eum propheta Gad, & ait ei: *Aſcende, & conſtitue altare Domino in area Areuna Iebuſæi.* 2. Reg. 24. n. 18. Cur non in vrbe, quæro, ſed extra illam in area mandatur fieri ſacrificium? Infeſtus, ac peſtilentia corruptus aër totam ciuitatem vrebat, ita vt magna ſtrages millium mortuorum fieret: cur ergo non in ciuitate fit holocauſtum, vt ex ipſo omnia ſint purificata, ac ſalubria reddantur? Holocauſtum illud in loco puro, ac ſancto fieri debebat: in ciuitate autem omnia erant peccatis immunda, ac vitiis plena: vt ergo hoſtia illa in loco perageretur ſuæ ſanctitati decente, exigebatur, vt fieret in area extra vrbem, in hac enim omnia inquinata erant. Abulenſis agens de illius areæ ſanctitate ſic ait q. 43. *Erat area illa Deo acceptabilis.* Quaſi extra illam ciuitas non eſſet. Vide ſupra cap. 6. n. 35. 36. & 37.
*2 Reg. 24. In ciuitate immunditias, puritas extra quærenda. Abulenſis.*

## Qvæstio VI.

### *Quare Chriſtus ait ſuis, quod propter perſecutionem fugiant de vna ciuitate in aliam, & non potiùs ad deſertum, vel ad montes?*

30. Vrgente tyrannorum inſectatione frequenter ad montes, ac ſolitudines ſeſe Iuſti receperunt, vt fecerunt Parens meus Elias 3. Reg. 19. n. 3. Et filij prophetarum 3. Reg. 18. n. 4. Et Mathathias, ac filij eius Macab. 1. cap. 2. n. 28. Et de Antichriſti temporibus ait Chriſtus: *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Matth. 24. n. 16. Cur ergo etiam Apoſtolis ſuis non mandat, vt vrgente perſecutione in vna ciuitate fugiant ad montes, vel ad deſerta, ac ſpeluncas, ſed ad aliam ciuitatem?
*3 Reg. 19. 3. Reg. 18. 1. Machab. 2. Matth. 24.*

31. Matth. 10.
Reſpondeo primò, Quod Dominus ſuos Apoſtolos mittebat ad prædicandum Euangelium, vt patet ex initio huius capitis 10. Matth. n. 7. *Euntes prædicate dicentes, Quia appropinquauit regnum cælorum.* Ait ergo eis hîc: *Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: & non in ſolitudines, quia ex vna perſecutione exorta, ac ex vno aduerſo caſu non frangatur animus, vt prædicator ad ſpeluncas ſe recipiat, atque deſiſtat ab officio prædicandi; ſed tendat in aliam ciuitatem, vt ſuum ibi munus exequatur, multúmque laborans in Domini vinea magnum fructum faciat. Sic ſæuiente magna perſecutione in Eccleſia diſperſi Diſcipuli *pertranſibant euangelizantes verbum Dei.* Actor. 8. n. 4. Magnanimus vir in aduerſis non hebetatur, ſed fortis inſtat, & perſeuerat. D. Ambroſius lib. 1. de Iacob, & vita beata, cap. 8. ait, *Perfecti eſt viri, non ſuccumbere iis, quæ pleriſque terribilia, & formidoloſa videntur, ſed quaſi fortem militem grauiſſimorum caſuum ſuſtinere incurſus, & quaſi prouidum gubernatorem nauem in tempeſtate regere, atque occurrendo inſurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium ſulcando vndas, quàm declinando. Non iſte in perſecutione pauidus*
*Ex vno caſu aduerſo non eſt ab officio deſiſtendum. Actor. 8. D. Ambr.*

*pauidus, ſed quaſi athleta fortis, qui repercutiat verberantem.*

32. Secundò, ſacri Apoſtoli creati erant à Chriſto Principes orbis terrarum, ac Eccleſiarum præſules: ſi ergo perſecuti fuerint, ait eis, vt fugiant in aliam ciuitatem, non verò in deſerta, quia nemo creatur paſtor, vt ſolitariè viuat, & ab abdita, atque abſcondita ſe recipiat; ſed vt in frequentia populorum adſit, inter ſuos reſidens, vt quilibet ad eum facilè habeat aditum, & ita ibi paſtorale ſuum adimpleat munus. Vide ſupra cap. 6. n. 5. & 6.

*Prælatus ſe ſe non nimis abdat.*

33. Tertiò, Apoſtoli ob ſuam magnam erga vniuerſas genres charitatem, vehementer omnium ſalutem affectabant, vt Euangelium recipientes ſalutem aſſequerentur omnes, ac proinde maximè moleſtabantur obſtinatione, ac obduratione vnius ciuitatis, cùm in ſua perfidia permanſiſſet. Dicitur ergo eis, vt fugiant, non in deſertum, ſed in aliam ciuitatem, vt dolor, quem ex cuiuſdam loci incredulitate hauſerant, alterius obedientia, ac prompta Euangelij acceptatione mitigaretur, vt triſtitia illa gaudij perfuſione ex alterius conuerſione recompenſaretur.

*Charitas ſi dolet de vnius peccato, de alterius conuerſione lætatur.*

34. Genеſ. 24. Mortua Sara Abrahamus filiium ſuum Iſaac deſponſauit cum elegantiſſima Rebecca. *Qui introduxit eam in tabernaculum matris ſuæ Saræ, & accepit eam vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Gen. 24. n. 67. Omnia in figuris contingebant illis. Quid ergo in hoc facto nobis voluit ſignificare Spiritus ſanctus? Exprimebatur ibi, quod Chriſtus Dominus in tantum dilexit ſuam nouam Sponſam Eccleſiam Gentium, vt dolorem, quem ex caſu perfidæ ſynagogæ acceperat, noua ſua dilectiſſima Sponſa temperaret, ita vt omnis triſtitia ex antiquæ ſynagogæ interitu in obliuionem abiret. Satis appoſitè Rupertus lib. 6. in Gen. cap. 45. *Quid enim*, ait, *magni erat, ſecundùm corticem litteræ, quod iuuenis in tantum diligeret adoleſcentulam coniugem, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat temperaret? Ergo medulla ſenſus ſpiritualis carere non debet, quia reuera Chriſtus Dominus ſecundum humanum affectum doluit ſuper matre ſua ſynagoga; quippe qui & ciuitatem videns fleuit ſuper eam: ſed adeptus nouam Reginam rectè dolorem temperauit, & delectabiliter conſolatus eſt.*

*Chriſtus de Eccleſia Gẽtium maximè lætatur, vt triſtitia de ſynagoga perdita obliuiſcatur.*

Rupert.

35. Ioan. 1. Coram miſſis legatis Iudæorum ad Ioannem ſciſcitantibus: *Tu es, qui venturus es?* Ioan. 1. n. 20. præclarum teſtimonium de Ieſu Chriſto vero Meſſia perhibuit Ioannes. Legati tamen in ſua perfidia obdurati diſceſſerunt. Notat verò Euangeliſta, quomodo poſt duos dies ſtans Ioannes, & videns Ieſum ambulantem dixit *Ecce Agnus Dei Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* ibidem n. 37. Ex quibus vnus erat Andreas. Et poſtea etiam narratur, quomodo Petrus, Philippus, ac Nathanael ad Chriſtum venerint, qui omnes diſcipuli Baptiſtæ extiterant, vt dixi tom. 1. lib. 3. cap. 6. Vnde D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 6. Albertus magnus. *Vides quàm citò è doctrina Baptiſtæ fructus ſecutus eſt, nempe conuerſio diſcipulorum per ipſum.* Sed cur Deus, qui cuncta regit mirabili prouidentia, res ita ordinauit, vt non ſcribatur conuerſio diſcipulorum Ioannis, niſi poſt datam Iudæorum legationem, ac eorum duritiem manifeſtatam? Voluit Deus in hoc euentu ſuum Baptiſtam mirificè recreare, vt dolorem, quem ex obſtinatione legatorum conceperat, ſuorum conuerſionis gaudio deliniret, atque placaret, vtque ita delectabiliter conſolatus eſſet, vt ſupra citatis Ruperti verbis vtar.

D. Cyrillus. Albert. Mag.

*Dolor ex Iudæorum incredulitate mitigatur in Baptiſta ſuorum conuerſione.*

## Qvæstio VII.

### *Quid denotat Chriſtus, quando ſuis ait:* Non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis?

36. PRimò, præſentia verba D. Chryſoſtomus homil. 35. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus de prima miſſione in Iudæam interpretantur, ac ſi dicat Dominus: Vrgente perſecutione fugite de vna ciuitate in aliam; non enim conſummabitis perambulando omnes ciuitates Iudææ; tum antequam ego veniam ad vos, vobis opem ferens, iuxta illud Lucæ 10. n. 1. *Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus*: tum antequam veniam ad vos, vóſque rurſum ad me aſſumam. Obſtat tamen huic explicationi, quod Chriſtus hîc non agit ſolùm de miſſione in Iudæam, ſed in omnem orbem, vt dixi q. 1.

D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. Albert. Mag.

Luc. 10.

37. Secundò, Beda, Gloſſa Interlinealis, & D. Anſelmus, ac D. Thomas, Lyranus, Abulenſis, q. 112. Carthuſianus, Caietanus, Hugo, & alij hæc referunt ad Domini reſurrectionem; ac ſi dicat: Non perambulabitis omnes ciuitates Iſrael, donec ego reſuſcitatus ad vos veniam, & tunc mittam vos ad Gentes.

Beda. Interlin. Anſelmus. D. Thomas. Lyranus. Abulenſis. Carthuſian. Caiet. Hugo.

38. Tertia explicatio communiter allegatur ſine Auctore à Recentioribus; ac ſi Chriſtus dicat: Non peragrabitis ciuitates Iſraël, donec ego veniam, tanquam veſter vltor, & vindex per Titum, & Veſpaſianum ad ſumendas pœnas de ipſis ciuitatibus, eaſque deſtruendas.

*Altera explicatio.*

39. Quarta, & valde germana explicatio traditur à D. Hilario hîc, D. Paſchaſio lib. 6. in Matth. Euſebio Gallicano homil de hoc Euangelio in feſto plurimorum Martyrum; & communiter à Recentioribus, qui hoc referunt ad aduentum Filij Dei in extremo iudicio. Ac ſi Dominus dicat: non conſummabitis percurrendo, ac non perficietis in fide Euangelij, ac religione Chriſtiana omnes ciuitates Iſraël, ſeu populum Iſraëliticum, donec appropinquet extremum tempus, in quo ad iudicandum adueniat filius hominis, vt dixi in Expoſitione.

D. Hilarius. D Paſchaſ. Euſebius.

40. Probatur primò hæc interpretatio ex ipſa littera. Quia Dominus dixerat: *Cùm perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: ac ſi dicat: latè do vobis fugiendi campum; nam cùm Iudæi ſint obſtinati, ac proterui, non eſt tantùm in eorum ciuitatibus perſiſtendum, ſed ipſis vos perſequentibus fugite in aliam ciuitatem, nempe Gentium, quia ipſi Iudæi non ſunt conſummandi, ac perficiendi in fide niſi approximante vltimo aduentu Filij Dei ad iudicandum. Secundò, Quia quando Chriſtus loquitur de aduentu filij hominis, ſemper illum refert ad aduentum extremi iudicij. Tertiò, Quia, vt ait D. Paſchaſius, voluit Dominus hîc notare incredulitatem Iudæorum, vſque ad vltimum finem, & Gentium conuerſionem

*Comprobatur triplici ratione.*

D. Paſchaſ.



conuerſionem ad fidem, iuxta illud Pauli Rom. 11. n. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret.*

Rom. 11.

41. Rupertus verò myſticè hanc rem explicat. Ac ſi dicat Chriſtus Dominus: Multæ ſunt vobis ciuitates ad fugiendum, quia neque vos, neque ſucceſſores veſtri perambulabitis vniuerſas ciuitates ſpiritualis Iſraëlis, ſcilicet Chriſtianorum, donec in extremo iudicio adueniat filius hominis. Ita ait Rupertus. *Tot erunt ciuitates por Orbem terrarum, ſiue Eccleſiæ nomine meo dedicatæ, qui ſum verus Iſraël, vt nemo poſſit quiuis conſumere illas, donec regnum Dei veniat: nemo enim tandiu viuet, vt fugiendo pertranſire poſſit omnes, quæ in me credituræ ſunt Eccleſiæ.*

Rupertus.

Rupertus. *Deus multas ſuis parat defenſiones, atque tutelas*

42. Magna, & mira eſt Dei benignitas erga ſuos tuendos, ac defendendos; nam ſi in vna ciuitate perſecuti fuerint, ait eis, vt fugiant in alias, quia innumeras ſuas Eccleſias habet conſtitutas per orbem, quas vniuerſas non poterit quis percurrere, vt ibi quilibet requieſcat, ac ſecurè viuat. Dei mandato interueniente propter infeſtum Laban animum è Meſopotamia fugit Iacob Gen. 31. n. 3. Qui læto animo exceptus eſt à patre ſuo Iſaac Gen. 35. n. 27. & valdè benignè ab Eſau fratre ſuo Gen. 33. n. 7. Imò & ciues Sichimitæ totam ciuitatem ſuam ei obtulerunt Gen. 34. n. 9. vt fieret vnus populus, & vna ciuitas. Inſuper *ipſi Iacob fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet, dixit: Caſtra Dei ſunt hæc.* Gen. 32. n. 2. Imò ex radice hebraica multi legunt: *Duo Caſtra*: quod ſignificat magnam multitudinem Angelorum in ordine militiæ ad patrocinandum, ac defendendum Iacob. Sed ad hoc non ſat erat vnus Angelus? Ad quid tot millia? nonne vnus Angelus in exercitu Sennacherib percuſſit centum octoginta quinque millia 4. Reg. 19. n. 35. Ad quid tot Angeli ad Iacob? Adeò Deus eſt ſuperabundans in ſuorum tutela, vt ad hoc non vnum deſtinauerit Angelum, ſed multos Angelorum exercitus. Hugo. *Poſt receſſum*, ait, *à Laban, id eſt mundo, obuiam ei occurrunt Angeli, non vnus, ſed plures quaſi parati iuuare, & conſolari.*

Geneſ. 31. Geneſ. 35. Geneſ. 33. Geneſ. 34. Geneſ. 32.

4. Reg. 19.

Hugo.

*Matth. 10. n. 24.* Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum; nec ſeruus ſuper dominum ſuum.

*Num. 25.* Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius; & ſeruo, ſicut dominus eius. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius.

### *VERSIONES.*

*Syriacus. n. 24.* Non eſt diſcipulus præſtantior magiſtro ſuo.

*Euthymius. n. 25.* Sufficit diſcipulo, vt fiat ſicut magiſter ſuus.

*Vatablus.* Sufficit diſcipulo, vt ſit ſimilis præceptori ipſius.

*Syriacus.* Si ſemel dominum domus vocauerunt Beelzebub quantò magis filios domus ipſius.

### Alter Textvs.

*Luc. 6. n. 40.* Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.

### *EXPOSITIO II.*

43. VArias rationes apponit Dominus, quibus per labores denuntiatos conſolatur ſuos, eoſque ad patientiam exhortatur. Et prima eſt hæc præſens ſui exemplo triplici comparatione appoſito, vt ait Albertus Magnus. Et ſenſus eſt: Ego magiſter veſter ſum, & Dominus, ac Paterfamilias; & tamen me multis opprobriis, ac perſecutionibus affecerunt, quas patienter ſuſtinui, & ſuſtinebo; Vos etiam, qui eſtis diſcipuli, ſerui, ac domeſtici; cùm non ſitis me præſtantiores, debebitis patienter ſufferre. Et hæc eſt legitima intelligentia à ſanctis Patribus, ac Doctoribus communiter tradita. Eſt tamen hîc communis dubitatio: Quomodo ſtet veritas huius comparationis: nam aliquando inuenitur diſcipulus immò, & ſeruus præſtantior domino ſuo. Aliqui cum Chryſoſtomo homil. 35. dicunt, quod Chriſtus non loquitur hîc abſolutè in omni caſu, ſed de his, quæ plerumque, & ordinariè fiunt. Alij, vt ipſe Chryſoſtomus, Euthymius, Abulenſis q. 113. explanant de diſcipulo, vt diſcipulo; de ſeruo, vt ſeruo: in hoc ſenſu compoſito inferioritatis relationem important. Alij volunt interpretari, hoc eſſe dictum à Chriſto Domino de ſuis diſcipulis, quibus omnibus ipſe maior erat, cùm eſſet Deus, & homo. Forſitan illud erat commune adagium, & per illud denotat Chriſtus; quod nec diſcipulus nec ſeruus ſe præſumant excellentiores ſuo magiſtro, ac domino; neque illa reſpuant, ad quæ ipſi ſuperiores ſe ſubmittunt, ſed per eandem viam cum eis incedant.

Verſ. 24. Albert. Mag. *Totius ſentẽtiæ genuinus ſenſus.*

Chryſoſtom.

Euthym. Abulenſis.

*Commune prouerbium.*

44. *Nec eſt diſcipulus.* Triplicem comparationem ponit hîc Chriſtus, vt ait D. Thomas, quia magiſtro ratione ſapientiæ debetur honor; domino ratione poteſtatis reuerentia, ſeu ſubiectio, vt ait Euthymius; Patrifamilias autem amor: & hæc omnia violata ſunt, vt eſſet exacta perſecutio in Chriſtum. Et nota, quod Chriſtus poſuit illa tria iura, quæ maximè reuerentiam, ac honorem conciliant; tamen primo loco dixit diſcipulum ad magiſtrum, tanquam quid inter cætera potiſſimum, & valdè magnum.

D. Thomas. Euthym. *Diſcipulus magnam habeat reuerẽtiam erga magiſtrum.*

45. *Si patremfamilias.* In omnibus meus Ieſus præbet miram humilitatem: nam in hac triplici comparatione, non ait, vt notat Caietanus, Ego ſum Magiſter, dominus, & paterfamilias; ſed ſemper per tertiam perſonam loquitur modeſtiæ cauſa. *Non eſt diſcipulus: Si patremfamilias*: Et ita dicitur, quia in familia duodecim Apoſtolorum pater erat, vel quia pater eſt totius Eccleſiæ. *Beelzebub vocauerunt.* Græci, vt Euthymius, Theophylactus, Vatablus, & alij communiter habent Beelzebub, quod à multis interpretatur *Iuppiter ſtercorius*, quia diabolus per peccatum eſt turpiſſimus; & ad valdè immunda, & turpia ſeducit homines.

Verſ. 25. Caietan. *Chriſti humilitas.*

Euthymius. Theophyl. Vatablus. *Beelzebub quid ſignificet.*

Tamen

Hebraicus. Chaldaicus. Syriacus. Arabicus. D.Hieron. D Paſchaſius D.Anſelmus. 4 Reg. 1.

Tamen ſimpliciter legendum eſt cum noſtra Vulgata, ac codice Hebraico, Chaldaico, Syriaco, Arabico, S. Hieronymo, Paſchaſio, Anſelmo, Beelzebub, quod idolum erat Accaron, ſic dictum 4.Reg. 1.n.2. quod ex Græco propriè ſignificat Deum muſcarum, vel propter earum multitudinem, quæ erant in eius templo ob victimarum copiam: vel quia inuocabatur contra muſcas. Vnde apud Iudæos, horroris, ac abominationis cauſa, principalis diabolus Beelzebub vocabatur.

46. In magnam ergo contumeliam puritatis fontem Ieſum Beelzebub dicebant. Et cùm non inueniatur locus, in quo Dominus ita fuerit vocatus, dicunt Euthymius, & Abulenſis, vocatum eſſe Beelzebub, quia vocabant eum illius familiarem, ac amicum. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Matth.12.n.24. Apud homines enim frequenter quilibet ex amico iudicatur; & qui familiaris maligni, ac dæmonis cenſetur, talis apud nos reputatur. Tamen ſimpliciter dicendum eſt, quod creſcente Iudæorum ira, ac maleuolentia Chriſtum Beelzebub dixerunt, vt apertè conſtat ex hoc loco: *Quantò magis domeſticos eius*: Si enim, ait Caietanus, me patremfamilias dehoneſtarunt, imponendo, quod ſim vir diabolicus, vtens Beelzebub principe dæmoniorum, quantò magis infamabunt vos. Notat D. Chryſoſtomus citata homil. 35. Quod in referendo hoc prouerbium magis expreſsè poſuit Chriſtus eius applicationem inter patremfamilias, & domeſticos, quàm inter dominum, & ſeruum, vt declararet, quanto amore, quantóque humanitatis affectu ſuos proſequebatur.

Euthym. Abulenſis. Matth.12.

*Quilibet ex ſuo amico iudicatur.*

D. Chryſoſt.

*Chriſtus ſuos miro amore proſequitur.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus tantas perſecutiones voluit in ſuis permittere?*

47. Primo iure Chriſtus Dominus ſub hoc triplici exemplo Magiſtri, domini, ac patrisfamilias ſe proponit imitandum à ſuis diſcipulis: ipſe enim fuit verus magiſter, vt ait Hugo, prius faciens, poſtea docens. Actor.1.n.1. Verus dominus ſuos à morte liberans, & ab omni malo cuſtodiens. Fuitque verus paterfamilias mira beneficentia, ac prouidentia cuncta gubernans. Et cum hæc omnia magnoperè deberent conciliare hominum amorem, ac reuerentiam in Chriſtum; tamen ob eorum malitiam contra factum eſt: quorum tamen perſecutiones, ac contemptus ipſe patienter ſuſtinuit. Hoc ergo tanto ſui exemplo Diſcipulos exhortatur ad eum magna tolerantia ſimilia ſuſtinenda. D. Hilarius. *Multum proficit*, ait, *ad tolerantiæ aſſumptionem rerum imminentium cognitio, maximè ſi patientiæ voluntas præſumatur exemplo.* Cur ergo tot perſecutiones permiſſæ ſunt, ex Patribus quæramus.

Hugo. Actor. 1.

*Exemplum vehemens.*

D. Hilarius.

48. D.Auguſt. Primò, D. Auguſtinus in titulum Pſal.51.conſiderans tot tribulationes illatas à Saule in Dauidem aſcendentem in regnum, ait, ibi ſignificari Chriſtum Dominum per multas preſſuras in regnum cælorum intrantem, vt ita nos vtroque exemplo inſtructi ante pugnam, ad coronam non adſpiremus. *Cùm Dauidem*, ait, *Deus prælegiſſet ad regnum, noluit, ipſum ante regnum tenere, quàm à perſecutionibus liberaret. Vt etiam in hoc ipſo figuraret nos; id eſt corpus eius, cuius corporis caput Chriſtus. Porrò enim ſi ipſum caput noſtrum ſine primo peracto labore in terra, in cælo regnare noluit: neque leuare ſurſum corpus, quod deorſum accepit, niſi per tribulationis viam: quid audent membra ſperare, capite ſuo magis eſſe fœlicia? Si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius. Non ergo ſperemus meliorem viam: quà proceſſit, eamus: qua duxit, ſequamur.* Quæ ſatis eleganter ſunt dicta. Et præpondera illa verba: *Quid audent membra ſperare, capite ſuo magis eſſe fœlicia.* Cuius rei optimam rationem præmiſit: nam membra debent ſe conformare cum capite: ergo, cùm caput per labores intrauerit, & per eoſdem membra debent aſcendere.

*Non debent membra ſperare, capite ſuo magis eſſe fœlicia, vt velint cælum ſine labore.*

49. Beda. Secundò, Beda, *Si magiſter*, ait, *non ſuas vult vindicare iniurias, qui Deus eſt; ſed ipſos magis vult inſecutores patiendo reddere mitiores: eandem, neceſſe eſt, diſcipuli, qui puri homines ſunt, regulam ſequantur.* In perſecutionibus ſe præbet Dominus Diſcipulis in exemplum. Si ipſe, cùm verus filius Dei eſſet, ſuos inſectatores ad ſe traxit, non puniendo, ſed in multa patientia ſuſtinendo: ita & nos noſtros aduerſarios, non illato ſupplicio, ſed larga ſufferentia, ac manſuetudine vincamus, eoſque ad meliorem viam reuocemus, vt ita apertè intelligatur, quantum valeat patientia in manſuetudine.

*Patientia, ac manſuetudine vincuntur proterui.*

50. D.Paſchaſ. Tertiò, D. Paſchaſius lib.6.in Matth. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*, ait, *Ac ſi diceret: Si ego magiſter veſter patior, & ſuſtineo propter vos gratis; quanto magis vos diſcipuli, & ſerui pati pro meo amore, non dedignari debetis.* Nam ſi ipſe ſupremus Dominus ſe voluit ſubmittere, vt pro ſeruis pateretur; quantò magis ſerui debent æquo animo pro tanto Domino ſufferre; vt & ipſi ſerui ſalutem aſſequantur.

*Hominum amor multùm valet erga Deum.*

51. Tertullian. Quartò, Tertullianus lib. aduersùs Gnoſticos cap. 8. *Cùm magiſter*, ait, *& Dominus ipſe perpeſſus ſit perſecutionem, & traditionem, & occiſionem, multò magis ſerui, & diſcipuli eadem expendere debebunt, ne quaſi ſuperiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipſum ſufficere eis ad gloriam debebat, æquari paſſionibus Domini, & Magiſtri.* Idem ſimiliter habet in præſenti D. Hilarius dicens: *Gloriæ loco amplectentes, ſi Domino noſtro vel paſſionum conditionibus adæquemur.* In quibus verbis duo conſidera: Paſſionem Domini imitari, gloriæ loco amplectamur; tunc enim verè nos oſtendimus eius filios, ac diſcipulos, ſi viam paſſionum eius ſequamur. Quod optima ratione colliges ex D. Thoma hîc: Omne perfectè generans generat ſibi ſimile; ſic & perfectè genitus ſuo genitori aſſimilatur: vt ergo nos exhibeamus diſcipulos perfectè, ac filios ſpirituales Chriſti, debemus nos ei aſſimilari in laboribus, ac tribulationibus.

D.Hilarius.

*Noſtra perfectio, Chriſto in paſſionibus aſſimilari.*

D.Thomas.

52. Preme iterum eadem verba: *Gloriæ loco amplectentes*: nulla enim ſanè poteſt eſſe maior gloria, & dignitas, quàm pro Chriſto pati, ac mori. Quod elegantiſſimè ad illa verba Epheſ. 4. *Vinctus in Domino.*: ponderat Chryſoſtomus homil. 8. dicens: *Magna dignitas, regno quouis, & conſulatu longè maior. Nihil ita ſplendidum, vt vinctum eſſe pro Chriſto. Vinctum eſſe propter Chriſtum, illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe.* Et poſt pauca ſubdit. *Non*

*Magna gloria pro Chriſto pati.* D. Chryſoſt.



*enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, vt catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Tum videlicet ipſis regiis illuſtrior erat carcer; ipſo etiam cælo, quid dico, regiis; Vinctum enim habebat Chriſti.* Quod inſtitutum latè proſequens confirmat ex verbis Chriſti cum Apoſtolis loquentis: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint.* Matt.5.n.11. Sic ſubdit Chryſoſtomus: *Beati eſtis, inquit, Quid? quod mortuos excitaturi eſtis? non; ſed quid? quod cæcos curabitis? nequaquam. Quando ergo? quando probris vos affecerint, & inſectati fuerint, ac dixerint quoduis malum contra vos: tunc enim magis veſtra gloria rutilat, ac reſplendet.*

Matth. 5. Chryſoſtom.

*Matth* 10.*n*.26. Ne ergo timueritis eos: Nihil enim eſt opertum quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur.

*Num*.27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta.

### *VERSIONES.*

*Radix Græ.n*.26. Nihil eſt tectum, quod nõ ſit retegendum: nihil coopertum, quod non ſit diſcooperiendum.

*D. Anſelmus.* Nihil mali modo eſt coopertum, quod non reueletur: & nihil boni occultũ, quod non ſciatur.

*D.Chryſ.ho*.35. Quod non reuelabitur.

*Syriacus. n*.27. Id, quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aures veſtras audiſtis.

*Arabicus.* Quod audiſtis auribus veſtris.

*Arias.* Prædicate ſuper domos.

### Alter Textvs.

*Marc*.4.*n*.22. Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur: nec factũ eſt occultum, ſed vt palam veniat.

*Lucæ* 12.*n*.2. Nihil eſt opertum, quod non reueletur: nec abſconditum, quod non ſciatur.

*Num*.3. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

### *EXPOSITIO III.*

Dvo ſunt mala, de quibus homines maximè dolent, nempe de his, quæ lædunt honorem, ac vitam. Et quia Dominus de vtroque incommodo in hac exhortatione egerat: *Et morte afficient vos*: hoc cap.10. Matth. n.21. *Si patremfamilias Beelzebub vocarunt: quantò magis domeſticos eius*: vtriuſque rei timorem Dominus excludit. De primo in hac ſententia; de ſecundo in ſequenti. Et quamuis antecedenter egerit de vita, hîc tamen primo de honore tractat: tum quia honor eſt in magna æſtimatione apud homines; tum quia immediatè antea egerat de conuitiis in eos illatis: *Si patremfamilias*, &c. ait Dominus. 53. Verſ. 26.

*Pluris æſtimandus honor, quàm vita.*

*Ne ergo timueritis eos*, nempe eorum opprobria in vos iactata, quod vos magos, & amicos Beelzebub dicant: *Nihil eſt enim opertum*, quod ad bonos referunt Gloſſa Interlinealis, D.Anſelmus, D.Paſchaſius, Hugo, *Et occultum, quod non ſciatur*, de malis interpretantur iidem Authores. Et eſt ſenſus: Quamuis veſtri calumniatores ſuis blaſphemiis, ac opprobriis velint veſtram innocentiã, ac probitatem occultare, ac ſuam peruerſam malitiam tegere, non timeatis; nihil opertum, quod non reueletur; nam veſtra probitas, ac eorum malignitas in lucem prodibunt, ac toti orbi reuelabuntur; quod de futuro ſæculo interpretantur, in vniuerſali nempe die Iudicij, D.Hilarius, D.Hieronymus, Albertus Magnus, D.Anſelmus, Lyranus, Caietanus. Quia tunc illuminabuntur abſcondita tenebrarum. 1.Corinth.4. n.5. Alij de reuelatione in hac vita progreſſu temporis intelligunt. Ita Chryſoſtomus homil.35.& in Imperfecto homil. 25.D.Remigius, Euthymius, Theophylactus. Vnde ait citatus Chryſoſtomus: *Tempus enim obumbrata omnia detegit.* Vtraque interpretatio ſimul eſt coniungenda. Reuelabuntur Apoſtolorum virtus, & aduerſariorum nequitia, tam in die Iudicij, quàm in hoc tempore præſenti.

54. Interlin. D.Anſelmus. D Paſchaſ. Hugo.

*Genuinus ſenſus.*

D. Hilarius. D.Hieron. Albert.Mag. D Anſelm. Lyranus. Caietanus. 1. Cor. 4. D. Chryſoſt. D.Remigius. Euthymius. Theophyl.

Aliqui Recentiores, vt Barradas, Franciſcus Lucas, Cornelius ita etiam interpretantur: Non timeatis Diſcipuli mei prædicare meum Euangelium; quia licèt vobis videatur opertum, ac occultatum inter paucos, tamen ſenſim reuelabitur, ac manifeſtabitur veritas eius in toto mundo. 55.

*Alter ſenſus.* Barradas. Franciſcus Lucas. Cornelius.

*Quod dico vobis.* Iuxta vtramque expoſitionem proximè datam hortabatur ſuos Diſcipulos, vt ſtrenuè, ac audacter prædicarent Euangelium. *Quod dico vobis in tenebris.* D.Chryſoſtomus homil.35. D.Hieronymus, ac Paſchaſius hîc, tripliciter interpretantur. Primò, Quod dico in ſecretò vobis ſolis meis Diſcipulis; vt fuit ſermo habitus in Cœna. Secundò, Quod dico vobis in tenebris, id eſt, in figuris, myſteriis, ac parabolis. Tertiò, Quæ dico vobis in hoc paruulo loco Iudææ, in quo, vt ait Paſchaſius, Iudæi proterui in tenebris ambulantes non percipiunt lucem meæ doctrinæ. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan.1.n.5. Clarius D.Remigius, S. Thomas. Quod dico in tenebris, id eſt inter Iudæos. *Eratis aliquando tenebræ.* Ad Epheſ.5.n. 8. Ex quo explicari poſſunt verba illa Chriſti Ioan. 18. n.20. *Ego palam locutus ſum, in occulto nihil*; ſeu vt clarius dicam, Nihil locutus ſum in occulto, quod eſſet contrarium his, quæ dixi palam; de quo latius ad citatum Ioannis locum. *Dicite in lumine,* 56. Verſ 27.

D. Chryſoſt. D.Hieron. D.Paſchaſius

Ioan. 1. D.Remig. D. Thomas. Ad Epheſ. 5.

Ioan.18. *Præoccupatur obiectio.*

*mine*,palam,& manifeſtè annunciate. *Et quod in aure audiſtis*, ſeu, vt habet Arabicus,auribus veſtris audiſtis à me dictum. *Prædicate ſuper tecta*, ſeu ſuper domos. Loquitur more Palæſtinæ,vt inquiunt Theophylactus, Euthymius, Rabanus, in qua ſuper tecta fiebat deambulatorium, in quo conuerſabantur,& tanquam ex alto ſuggeſtu prædicabant. Et ita ſumitur in præſenti pro apertiſſimè diuulgare. D.Thomas myſticè. Prædicat ſuper tecta,qui carnem ſibi ſubiiciens, aliis prædicat.

Theophyl. Euthym. Rabanus. D. Thomas.

*Matth.*10.*n.*28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus,animã autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam,& corpus perdere in gehennam.

*Num.*29. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt;& vnus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro.

### *VERSIONES.*

*S. Iuſtin. Mart. Apologia* 2. *S.Proſper in Pſal.* 118. Nolite,eos, qui vos interimunt,metuere, nec poſtea habebunt, quid faciant: timete autem eũ, qui poſtquam occiderit, poteſt, & animam, & corpus in gehennam demittere.

*D Cypr. Ep.*56. Magis autem timete eum.

*Arabicus.* In ignem gehennæ.

*Palat. ex Græc.* Repudiare in gehennam.

*Vatabl. Theoph. num.* 29. Nonne duo paſſerculi minuto aſſe veneunt.

*Euthymius.* Paruulo aſſe veneunt.

*D. Athan. q.*70. *ad Antioch.* Cadet in terram ſine Patre meo cæleſti.

*Tertull. lib. aduerſ. Gnoſt. c.*9. Sine cuius voluntate nec paſſerum alter cadet in terram.

### ALTER TEXTVS.

*Luca* 12.*n.*4. Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidũt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant.

*Num.*5. Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatẽ mittere in gehennam.

*Num.*6. Nonne quinque paſſeres veneunt diſpondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo.

### *EXPOSITIO IV.*

POST excluſum timorem infamiæ in ſuperiori ſententia, nunc in præſenti remouet timorem occiſionis. Lucas ſcribit: *Dico vobis amicis meis*: quia inter Chriſtum, & Diſcipulos dabatur mutua dilectio; & dum tam vtilia dicebat, vt vitam darent pro Deo, ſe verè eorum amicum declarabat: *Nolite timere eos*,ſeu, ne timeatis: docet eos,vt inquiunt Chryſoſtomus homil.35. Theophylactus, Euthymius, mortem contemnere, ne illius metu, aut fidem negent,aut ab officio prædicandi ceſſent. *Qui occidunt corpus*, id eſt interficiunt. Subtiliter notat Paſchaſius,quod Chriſtus ſuis hîc dat conſolationem,quia perſecutiones, ac tormenta non ſint in longum dilatanda, ſed ipſa occiſione finem habitura. Et hoc indicat Lectio S.Iuſtini ex Luca; *Nec poſtea habent, quid faciant*. Textus: *Animam autem non poſſunt occidere*; vtpote præſtantiſſimam hominis partem, qua ſoli Deo viuit. Et quia contemnere mortem, alicui valde terribile videbitur, adiungit optimam rationem: *ſed potius timete eum*: non enim tantum imperio mandabat, ſed cuncta mirabili ſapientia diſponebat.

57. Verſ. 28. Lucas. *Veritatem, ac vtilia dicere,amici eſt.* Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. D Paſchaſ. *Laborum finis magnum leuamen.* S. Iuſtinus.

*Sed potiùs timete eum*,ſeu,vt habent Cyprianus, Arias,*ſed magis timete eum*. Ex quo manifeſtè patet,quod Chriſtus non prohibet,vt homo hominẽ timeat,cùm hoc aliquando ſit actus prudentiæ; & Iuſti ſæpè timuerunt. Ioſeph audiens,quod Archelaus regnaret pro patre ſuo,timuit illuc ire. Matth. 2.n.22. Vetat ergo comparatiuè, ne timeamus homines plus,aut æquè,ac Deum. *Qui timet hominẽ, citò corruet, qui ſperat in Domino ſubleuabitur*. Prouerb.29.n.25. *Qui poteſt animam,& corpus*,id eſt totum hominem. Et hîc,vt ait D. Iſidorus Peluſiota lib.3.Epiſ.295. demonſtrat immortalitatem animæ,corporum reſurrectionem, & ſupplicium ob iniquè facta inferendum. Ex quo nota, quod Chriſtus in hac inſtructione Apoſtolorum ſuos primò exhortatur ad ſufferendas perſecutiones ob ſui amorem,vt explicaui ſuperiori cap. Expoſ.vltima ad illa verba: *Eritis odio omnibus propter nomen meum*. Nunc verò hoc ſuadet timore pœnæ, quia quos non mouet amor, impellit timor. *Perdere in gehennam*: Non ait, occidere, tum quia anima,cùm ſit ſpiritualis, ac per creationem, non eſt capax occiſionis,poteſt tamẽ à Deo annihilari: tum etiam ad valde rigidam pœnam denotandam. *Perdere*, id eſt,totum hominem viuum, ſecundùm animam, & corpus in æternum mittere in gehennam, hoc eſt in Infernum. *Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur*. Iſai 66.n.24. De nomine autẽ gehennæ vide to.2.c.12.q.10.n.59.

58. *Deus ſuper omnia timendus.* Matth. 2. Prouerb. 29. D Iſidorus Peluſiota. *Quos non mouet amor, impellit timor.* Iſai.66.

*Nonne duo paſſeres*: Confortat Dominus ſuos ad tolerandas paſſiones ex ſingulari cura diuinæ prouidentiæ. Et ad hoc adducit in exemplum,non patriarchas, nec aliqua magna animalia, ſed valde parua,tanquam de minori argumentans ad maius. Quia ſi Deus de his paruis habet prouidentiam, quantò magis de vobis hominibus, Apoſtolis, ac amicis meis. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt*, ſeu *aſſario*. Si enim duo paſſerculi, qui ob ſuam vilitatem, vt notant Chryſoſtomus homil. 35. Albertus Magnus, S. Thomas, venduntur aſſario,id eſt dimidia parte aſſis. Lucas verò habet: *Quinque paſſeres*. Ex quo colligitur, ſermonem Lucæ alium eſſe diſtinctum; nam ob ſuam magnam

59. Verſ. 29. D. Chryſoſt. Albert. Mag. S. Thomas. *Sermo Matthæi,& Lucæ diſtinctus.*



magnam difficultatem, quam hæc doctrina de perſecutione continebat, ſæpe fuit inculcata à Chriſto. Et Lucas ait: *diſpondio*, id eſt duobus minutis aſſibus, ſeu duobus aſſariis. Et ita apud Lucam minuitur pretium. Ad quod reſpondet Euthymius, quod, cùm ſermones fuerint diuerſi, pro differentia temporis ita vendebantur. Tamen augmentum pretij parum eſt, & dum quis plura emit, minoris emit. *Et vnus ex illis non cadet in terram*, vulneratus, vel ſagitta confoſſus, *ſine Patre veſtro*, ſcilicet ſine eius voluntate, ac nutu interueniente. Magna emphaſi ait: *Patre veſtro*: quia Pater veſter eſt, & non illarum auium: ergo multò maiorem curam de filiis ſuis, quàm de illis paſſerculis habebit.

Euthym.

60. D.Hilarius. D. Ambroſ. *Peccator ob parua contemnit cæleſtia.*

Myſticè D. Hilarius, & etiam ex parte D.Ambroſius ad citatum cap. 12. Luc. Per duos paſſeres corpus,& animam interpretantur, quæ, veluti paſſeres deſerentes terram, ſeu terrena, aptiſſima ſunt, vt ſpiritualibus pennis vitæ contemplationis, ac meditationis ſursùm efferantur, ac per cælum volitent. Sed peccator tantam facultatem aſſe, id eſt exigua quadam voluptate Satanæ vendit,vt totus in infernum præcipitetur.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Chriſtus Dominus tam exactè vult excludere à ſuis Diſcipulis timorem tyrannorum?*

61. D. Chryſoſt.

RESPONDEO primò cum Chryſoſtomo homil.25. in Imperfecto. *Ne fortè propter timorem mortis non liberè dicatis,quod audiſtis; nec fiducialiter prædicetis in omnibus, quod in aure audiſtis. Non ſolùm enim proditor eſt veritatis, qui mendacium loquitur, ſed etiam ille, qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet.* Timidus nil fiducialiter agit, ſed omnia inuenuſtè, ac incompoſitè ponit in actu. Vt ergo ſincero affectu fidem fateantur, Euangelium prædicent, ac veritatem annuncient, omnem ab eis excludit timorem. Et pondera illa verba: Proditor,*qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet.*

*Timidus nil fiducialiter agit,*

62. *Paulatim ad maiora eundum.*

Secundò, Chriſtus Dominus ſuos ſenſim ad maiora, ac perfectiora perduxit: nam primò dixit, quod exorta perſecutione fugiant de vna ciuitate in aliam: nunc verò quid ſublimius ſuadet, vt mortem contemnant, quod quid maius eſt,vt rectè ait Chryſoſtomus homil.25.in Matth. *Multò meliùs eſt, mortem omnino deſpicere, quàm eam fugere.* Non ſtatim diuinus Magiſter in initio ponit omnia difficiliora, ſed paulatim diſponendo ad ea ſuos promouet, vt omni re, ac periculo faciat excellentiores. Vnde ait citatus Chryſoſtomus: *Vides ne, vt omnibus eos effecerit ſuperiores? Non ſolùm curis, neque conuitiis, neque periculis, & inſidiis, ſed ipſa etiam morte, quæ omnium maximè videtur, terrorem incutere.* Obiter pondera celſitudinem fortitudinis, quæ omni re omnes ſuperiores facit.

D. Chryſoſt. *Fortitudo facit ſuperiores omni re.*

63. D. Thomas.

Tertiò D. Thomas ait, quod ita Dominus eis commendat, vt timorem tyrannorum deponant, *vt propter aliquid non deſiſtant ab executione officij.* Conſtituti erant Apoſtoli à Chriſto Domino magiſtri,paſtores, ac iudices; ab eis remouet Dominus omnem timorem: nam illo correptus nil iuſtitiæ operatur, ſed omnia iniquè,ac peruersè agit, & diſponit; & omnia iura violat, ac rumpit.

*Timor eſt deponendus, vt officium rectè exequatur.*

Quartò, Maximè expendendus eſt textus Lucæ, vbi videbis, quod Chriſtus Dominus multa verborum multiplicatione ab eis humanum timorem excludit, ac diuinum commendat. *Ne terreamini ab eis*, ait, & iterum: *Oſtendam vobis, quem timeatis.* Et rursùs hoc exprimit: *Timete eum.* Et tandem repetita voce ait: *Dico vobis, hunc timete.* Ad quid tot voces geminantur, & maxima amicitiæ commendatione, hoc enim denotat illud primum Lucæ verbum: *Dico vobis amicis meis*? niſi vt videatur, quanta ſit in diuinis mandatis cohærentia, & quod dum præcipit, obſeruandi viam inſinuat. Mandat Dominus Diſcipulis, vt tyrannos non timeant: *Ne terreamini ab eis*: & ſimul eis præcipit: *Dico vobis hunc*, ſcilicet Deum, *timete*: Nam diuinus timor omnem mundanum foras mittit: & qui verè Deum timet, nullam humanam maieſtatem, ac potentiam veretur, & timet. Poſt D. Auguſtinum lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. ſic loquitur D. Bernardus ſerm. 13. in Pſalm. 90. *Timete autem eum, qui poteſtatem habet corpus, & animam mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete, ne illos timeatis. Repleat vos ſpiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in vobis.*

64. *Timor Dei aliarum rerum timores expellit.* D.Auguſt. D.Bernard.

Filij Iſraël ob Chananæos timentes ingreſſum terræ promiſſæ morte puniuntur à Domino per deſerta, ne ad terram fluentem lac, & mel ingrediantur. Et ait Dominus: *Seruum autem meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc.* Num.14. n.24. Sed quæro: cur ex tanta multitudine Caleb tantum fauorem, ac beneficium eſt aſſecutus, vt ad locum optatum deueniat: Chaldæus habet: *Fuit cum eo alius ſpiritus, & perfectè ſecutus eſt timorem meum, introducam in terram.* Ibi veluti redditur ratio tanti doni. Sed cur hoc potius tribuitur timori, quàm fidei, ac ſpei, quibus Caleb firmiter adhæſit diuinis promiſſis de ingreſſu in terram? Cur ergo tantum timori totum adſcribitur? Caleb cùm dicitur plenus ſpiritu timoris, omni fide, ſpe, ac virtute conſpicuus intelligitur; & omnes principes ſæculi, ac gentes contempſit. Et ideò valdè dignus eſt inuentus, qui omni ſingulari beneficio afficeretur: tantum enim Dei timor, qui omnem alium excludit, promeretur. Huc aduoco D. Zenonem ſerm. de Timore. *Timor ſine fine ſtudet timere,ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.*

65. Numer.14. Chaldæus. *Qui Deum timet,non timet alios.* D. Zeno.

Quintò, Ad eadem verba D. Bernardi. *Repleat vos ſpiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in vobis.* Tam repetitis verbis Chriſtus commendat, vt tyrannos non timeamus, ſed Deum, quia ſicut de noſtro integro amore, ita & de noſtro integro timore ſolicitus eſt: in hoc enim ſtat tota hominis perfectio, ac excellentia, vt ſolum Deum timeat. Et ad hoc inſinuandum, iuxta Lucam,ait: *Dico vobis amicis meis*: quaſi hic ſit apex noſtræ erga Deum amicitiæ, vt totum noſtrum timorem ei illibatum conſecremus.

66. D. Bernard. *Tota noſtra perfectio in eo ſtat, vt Deum timeamus.*

67. Geneſ. 17.
Cùm Deus vellet, Abrahamum magnis promiſſionibus cumulare, ac perfici virtute, ſanctitate, ac iuſtitia, *Apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus Omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.* Gen. 17. n. 1. Sed ad quid ei ad hoc explicatur, quod ipſe ſit Dominus Omnipotens, cùm paſſim legamus in Scriptura promiſſiones aliis Patribus factas, & tamen hoc eis non eſt dictum? Ad quid ergo Abrahamo proponitur: *Ego Dominus Omnipotens?*
*Qui Deum timet, perfectus eſt.*
Mandabatur ei: *Eſto perfectus*: Aperitur ergo ei omnipotentia mandantis, vt manifeſtè deprehendat, quod cuncta à diuino nutu pendent, eſſeque habent, vt ita inſtrueretur, nullum alium timere, nec vereri, niſi ſolum Deum. In quo timore tota conſiſtit noſtra perfectio, quæ ei commendabatur, cùm ſine totius Legis obſeruatione conſummatus Dei timor non
D. Gregor.
inueniatur. Vnde ait D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 7. *Ille veraciter vim diuini timoris intelligit, qui ſe à cunctis prauis operibus cuſtodit.*

68. Pſalm. 110. Prouerb. 1. Eccleſiaſt. 1.
Tota clamat Scriptura: *Initium Sapientiæ timor Domini*: Pſal. 110. num. 10. Prouerb. 1. num. 7. Eccleſiaſti. 1. num. 16. Tamen Iſaias prædicens Spiritus Sancti dona in Chriſto, timorem tanquam coronidem in vltimo conſtituit loco: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus conſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.*
Iſai. 11.
Iſai. 11. num. 1. Ecce Dauid timorem Domini dicit initium, quem Iſaias virtutum apicem appellat. Si ergo ipſe eſt initium, quomodo finis? Tanta eſt timoris excellentia, vt primas, & vltimas ambiat metas: & in hoc videtur ipſius Dei vices imitari, qui dicitur *Alpha, & Omega,*
Apocal. 1. *Tota ſpiritualis vitæ perfectio ſtat in timore Dei.*
Apocal. 1. num. 8. In ipſo enim ſpirituali ædificio timor fundamenta iacit, & initium dat: at verò ſi ſtructura in perfectione creſcit, vniuerſæ fabricæ culmen imponit, & ipſe totum ædificium ſpirituale in conſummata ſanctitate
Rupert.
perficit. Rupertus lib. 1. in Geneſ. cap. 22. ſic fatur. *Pſalmiſta, Initium, inquit, ſapientiæ timor Domini. Quare ergo, inquis alius Propheta timorem in vltimo conſtituit, dicendo: Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Videlicet quia ille, in quem hæc dicuntur, cùm non tantum homo, ſed Deus ſit, licet ſecundùm humanitatem ſapientia, ætate, & gratia profecerit; attamen ſecundùm id, quod eſt, & erat Deus, nullum profectum habuit. Verùm creaturá, non ſolùm humana, ſed & angelica proficit, & profectus eius initium eſt, habere timorem Domini, quia initium ſapientiæ timor Domini.*

69. Rupert. *Solus Deus timendus.* Rupertus.
Confirmet Rupertus totum ſuum diſcurſum: Quia quod latinè dicitur Deus, Græcè idem eſt, ac timor; quia proprietas eſt Dei, quod ſolus ipſe ſit timendus, timore perfectiſſimo, & conſummato; ita vt illius comparatione nulla creatura ſit timenda. Rupertus. *Ab iſto*, ait, *cognitionis eius initio, ſcilicet timoris, Græcè dicitur Theos, quod nomen, parcè detortum, latinè dicitur Deus; eo quod iure timeatur.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare Chriſtus Dominus propoſito Dei timore, humanum à ſuis Diſcipulis excludit timorem?*

SOLVTIO quæſtionis facilè patet, tum ex ipſa ratione timoris, nam diuinus timor humanum expellit, vt dixi ſuperiori quæſtione, tum ex ratione inſinuata à Chriſto Domino, quia licèt homines poſſint occidere corpus, non tamen animam; at Deus vtrumque valet perdere in gehennam: ergo ob Dei timorem humanus eſt poſtponendus. Alias rationes aſſigno. 70. *Germana ratio ad quæſtionem.*

71. D. Thomas.
Primò, D. Thomas ait: *Oſtendit Dominus, quod ſui non debeant diſcedere à confeſſione veritatis: tum propter exemplum; tum propter beneficium.* Quod ſcilicet non timeant tyrannos, ſed perſiſtant in confeſſione fidei propter beneficium, nam multis erant nobilitati à Chriſto; & animus pignoratus donis acceptis in aduerſitate non deficiat, ſed conſtanter perſeueret. *Beneficio obligatus non deſiſtat in aduerſitate.* *Tum*, ait Angelicus Doctor, *propter exemplum.* Quod dupliciter intelligo: Propter exemplum fortitudinis, quod prælati tenentur ſuis inferioribus dare. Tum etiam propter exemplum, quod ipſi Apoſtoli acceperant à Chriſto Domino. Valdè difficile videbatur perſuaderi, vt homines non timerent tyrannos tam duris, ac exquiſitis tormentis corpus occidentes: ſanè non expeditè inſinuaretur exhortatio, ſi eſſet verbis tantum; at planè faciliter inſinuatur, dum à Chriſto Domino non ſolùm fit oris loquela, ſed etiam vitæ exemplo: nam *ipſe fecit, & docuit.* *Non proficit ad documenta loquela oris ſine vitæ exemplo.* Et ſi mandat, iniquos iudices non timere, prius ipſe non timuit, ſed diuina audacia ſemper veritatem proclamans prædicauit. D. Chryſol.
Ex quo eleganter D. Petrus Chryſologus ſerm. 101. ponderans præſentia verba Lucæ carpit Philoſophos, ac Rhetoricos, qui multa de contemptu mundi, ac probitate morum dixerunt, cùm tamen vita contradicerent. ſic ait: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus: audiant, qui de bono mortis Veterum vetuſta volumina detriuerunt; nihil tamen inde capere virtutis, aut conſolationis aliquid inuenire valuerunt. Quia etſi totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos; ſiccarunt lachrymas, ſuſpiria ſuſtulerunt, negarunt gemitus, incluſerunt dolores.* Et poſt pauca concludit Chryſologus digna ſui ſententia. *Sed hæc talia cùm dixerint, dicunt totum de ſententia, non de vita.* Tanta verborum venuſtate nil ſuadent Philoſophi, Quia *dicunt totum de ſententia, & non de vita.* Non proficit elegantia oris, ſi hominis vita non opitulatur.

Secundò, Chriſtus ſuis mandat, vt non timeant corporis interfectores: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: & ad hoc eis alium ſtatim opponit mortis timorem; *Sed potius timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere.* Si mandat, vt non timeant occiſores, cur alium eis timendum obiicit occiſorem? D. Chryſoſtomus præclarè homil. 35. *Terrore mortis morte ſuperiores facit.* Nullum enim aptius eſt medium ad contemnendam mortem, quàm mortis timore totam tuam componere vitam. Vide tom. 2. cap. 16. n. 21. 22. 23. 24. & n. 33. 34. & 35. 72. D. Chryſoſt. *Timor mortis multum præualet ad contemnendam mortem.*





73. D. Chryſoſt.
Tertiò, Idem Chryſoſtomus citatus: *Vides, ait, quod non promittit ipſis huius vitæ perpetuitatem; mori autem promittit, vt maiora, ſuperioráque conferat, quam ſi nunquam morti traderentur.* Vt
*Mors requies*
tyrannorum perſecutiones, tormentáque ſæua non paueſcant, non largam eis vitam, ſed mortem, tanquam ſingulare donum, ac præmium pollicetur; per mortem enim præparatur homini requies, & ad magna, ac alta dona, quæ non aſcenderunt in
D. Ambroſ.
cor noſtrum, deuenitur. Vnde ait D. Ambroſius lib. 7. in cap. 12. Lucæ: *Mortem non eſſe terribilem, quā locupletiore fœnore ſit immortalitas redēptura.*

74. Imperfectus.
Quartò, Imperfectus homil. 25. paulò poſt medium; conſiderans illa verba: *Nolite, timere eos, qui occidunt corpus*: latè diſcurrit, quærens, cur nobis Deus indidit terrorem mortis corporalis, ac
*Ex timore temporalium malorum deducendus eſt timor ad ſpiritualia.*
malorum præſentium. Sic ait: *Conſidera, vt quid nobis in natura creauit timere mala carnalia: non vt mala carnalia timeamus, ſed vt per timorem malorum carnalium intelligamus magis timenda eſſe ſpiritualia mala: vtpotè ſcis quia malum eſt timere dolorem carnis; per hoc intellige quia peius eſt, dolorem animæ pati: ſcis, quia malum eſt, confundi coram hominibus; per hoc intellige, quia peius eſt, confundi coram Angelis. Quantum enim Angeli meliores ſunt hominibus, tantum confuſio illa peior, quàm iſta: nam dolor, & pudor corporalis cum corpore finitur; dolor, & pudor animæ ſemper cum anima irruit ad pœnam.* In hanc rem etiam elegan-
D. Bernard.
ter diſſerit D. Bernardus ſerm. 16. in Cantica.

75. *Homines ſæculi plus dolent de malo temporali, quàm ſpirituali.* Geneſ. 3. Rupertus.
Tamen proh dolor! Homines huius ſæculi contemnunt bona ſpiritualia, ac ſolum de corporalibus nocumentis dolent, ac affliguntur. Poſt peccatum Adamus à Deo vocatus ait: *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſe, & abſcondi me.* Gen. 3. n. 23. Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 14. *Non dixit*, ait, *vocem tuam audiui, & timui, eo quod præceptum præuaricatus eſſem; ſed, timui, eo quod nudus eſſem. Perverſus timor, qui non facti ſui gerit pœnitudinem, ſed ſolum pœnæ ſuæ fatetur habere confuſionem. Perſeuerat hæc vſque hodie in filiis Adæ.* Suum parentem imitatatus eſt Cain; nam poſtquam ob fratricidium multatus eſt, ait ad
Geneſ. 4.
Deum: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ.* Gen. 4. n. 14. Priuari terra, ſuper omnia maximè dolet. Idem
Rupertus.
Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 7. *Hoc timet*, ait, *ne agricolari ſibi non liceat, ne terram, quam ſolam amat, vel præſentem vitam pro admiſſo facinore perdat*

76.
Quintò, Chriſtus Dominus à ſuis Diſcipulis timorem tyrannorum timore Dei obiecto excludit, vt ita timor maioris timorem minoris expel-
Chryſoſtom. *Timor timore expellitur.* D. Bernard
lat. Sic fatur Chryſoſtomus in præſenti citata homil. 35. Timore timorem eiicit, nam ſicut vnius rei amor altero vehementiori exploditur; ita & vnius timor altero. D. Bernardus ſerm. 13. in Pſal. 90. *Sic nimirum ſolet amorem amor expugnare, ſolet timor timore depelli.*

77. Exod. 4.
Cùm Moyſes tenderet in Ægyptum, vt ſuam legationem Pharaoni exponeret, ac vt populus à captiuitate Ægyptiaca eximeretur, *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exodi 4. n. 24. Sed cur, Domine, occiſionem moliris venienti ad exequendum tuum mandatum? Cur adeò terribilem te exhibes viro properanti in Ægyptum ad implendum munus à te commiſſum? Ibat Moyſes ad ſuam legationem, quamuis aliàs valdè magnanimus, regis Pharaonis minas maximè formidabat; vnde ab officio multis ſe excuſare voluit dicens: *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Exod. 3. n. 11. Et iterùm: *Obſecro, Domine, mitte, quem miſſurus es.* Exod. 4. n. 13. Alto igitur conſilio ei apparet Angelus ſtricto gladio paratus ad interficiendum, vt ex timore Dei concepto timorem hominis excludat. Exod. 3. Exod. 4. *Timor timore excluditur.*
Diodorus apud Lyppoman. *Id totum, ait, factum eſt, vt Moyſes, qui Pharaonis timore correptus erat adeo, vt mittenti ſe Deo diceret, Obſecro Domine, mitte alium, quem miſſurus es, tanquam ab Angelo interficiendus, mortis ſuæ diſcrimen, quod euaſerat, ſecum ferret; & timor vehemens, quem illi Angelus incuſſerat, Pharaonis timorem, vt clauus clauum truderet.* Idem docet Theodoretus q. 14. in Exod. Sic & Rahab concepto timore Iſraëlis: *Irruit in nos timor veſtri*: Ioſuë 2. n. 9. vt ipſa dixit, ſuperauit timorem ſuorum naturalium, ſuique proprij regis, vt exploratores ſuſciperet, abſconderet, eiſque viam ad fugam miniſtraret. Diodorus. Theodoret. Ioſuë 2.



## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo Chriſtus Dominus hîc dicat, quod nec vnus ex paſſerculis cadit in terram ſine nutu Patris, cùm Paulus dicat:* Nunquid de bobus cura eſt Deo. 1. *Corinth.* 9. 1. Cor. 9.

ALICVI videbitur in hoc difficultas: nam ſi Deus non curat de bobus; multo minus curabit de paſſerculis. Reſpondetur cum D. Chryſoſtomo, Theodoreto, Ambroſio, ac D. Hieronymo, S. Thoma ad citatum Pauli locum, ac cum Beda, Anſelmo, Caietano hîc. Aliud eſſe loqui de diuina prouidentia; aliud verò de motiuo, ac ratione primaria Legis datæ. 78. D. Chryſoſt. Theodoret. D. Ambroſ. D. Hieron. D. Thomas. Beda. Anſelmus. Caietan.

79. Geneſ. 8.
Deus omnium rerum habet curam, & prouidentiam, & etiam minimis animantibus proſpicit. Gen. 8. n. 1. *Recordatus Dominus Noë, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca.* Pſal. 146. n. 9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Iob. 39. n. 3. *Qui præparat coruo eſcam ſuam.* Matth. 6. n. 28. *Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit.* Pſalm. 146. Iob. 39. Matth. 6. Apoſtolus autem citato loco oſtendit, legem illam ſcriptam, neque ſolùm, neque primariò conditam, ac promulgatam fuiſſe propter boues, ſed propter homines, vt eos ad humanitatem, ac beneficentiam informaret. Et idcircò ſtatim ſubdit Apoſtolus: *An propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt.*

*Matth.* 10. *n.* 30. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

*Num.* 31. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliore eſtis vos.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.* 30. Quin etiam pilli capitis veſtri.

*S.Proſper.in Pſ.* 146. Capilli capitum numerati ſunt.

*Vatablus n.* 31. Ne igitur metuatis : vos pluris eſtis, quàm multi paſſerculi.

*D.Chryſoſtomus homil.* 35. Nullus ergo timor animos veſtros perturbet, cum multis paſſeribus vos ſitis præſtantiores.

*Arias, Theophyl.* Multis paſſeribus præſtatis vos.

*Syriac.in Luc.* .Multitudine paſſerum præſtantiores eſtis.

## Alter Textvs.

*Lucæ* 12.*n.*7. Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt : nolite ergo timere : multis paſſeribus pluris eſtis vos.

## *Expositio V.*

80. D. Thomas. Recte notat D. Thomas, quod ſuprà dixerat Dominus loquens de paſſerculis. *Vnus ex illis non cadet ſuper terram*, ſeu, non morietur ſine voluntate Patris veſtri : hîc verò non ſubinfert ; nec etiam vos cadetis ; ſed ait *Veſtri capilli capitis* : nam licèt diuina prouidentia omnia ambiat, ad oſtendendam tamen ſingularem curam, non ſolùm circa ſuorum vitam, vt de paſſeribus eſt dictum, ſed etiam circa eorum valde minuta, & hoc mirabili modo, vt ſtatim dicam, ait *Veſtri capilli capitis*, vt notarunt Chryſoſtomus homil.35. Euthymius, Theophylactus. Et hanc emphaſim maximè declarat illa particula in Græco : *Quin etiam* ? quæ ad antecedentia refertur. *Veſtri autem capilli capitis* ? Syriacus habet Pilli, nam capillus, id eſt capitis pillus ; pilli autem ſunt in aliis membris. Et non dixit Capilli capitum veſtrorum, ſed *capilli capitis veſtri* in ſingulari, ad ſignificandam Iuſtorum vnionem in ſuo capite Christo Ieſu, vt q.ſequenti dicam ex D. Remigio. *Numerati ſunt* : quia Deus intimè omnia veſtra nouit, ac exactè ſub numero cuſtodit, tanquam amantiſſimus Pater, vt nihil veſtri pereat ; & ita ipſi agnoſcant, quanta ſub cuſtodia Dei Patris tenebantur, qui eos ad prædicandum deſtinabat.

Chryſoſt. Euthymius. Theophyl.

*Iuſti habent magnam vnionem.* D.Remigius.

81. *Concluſio argumenti.* *Nolite ergo timere.* Claudit Dominus argumentum ex antecedentibus inferendo concluſionem: nam ſi paſſer non cadit, ſeu non moritur ſine voluntate Patris ; & veſtri capilli, qui multi, & parui valoris, exiſtunt numerati apud eundem Patrem : *Nolite ergo timere*, Ecce illatio ex ſuperioribus, nec paueatis, ſed in omni caſu aduerſo, firmo, & excelſo animo conſiſtite. Et dat rationem: *Multis paſſeribus meliores eſtis vos* : quod explicat Abulenſis : *Magis valetis* : Et expreſſit Lucas : *Multis paſſeribus pluris eſtis vos.* Quod rectè colligitur ex illa ſingulari prouidentia aſſignata, qua capilli capitis veſtri numerati ſunt, ne quid veſtrum pereat, ſed omnia ſub numero ſunt cuſtodita : nam erga paſſeres habet generalem prouidentiam, qua vt vniuerſalis prouiſor omnibus ſuppetat neceſſaria : at erga vos, vtpotè ſingulariter ſui amicos, ac dilectos, valde peculiarem habet prouidentiam ; nam miro vos amore proſequitur, vobíſque prouidet, non ſolùm naturalia, ſed etiam media ſupernaturalia, vt perducat in æternam ſalutem, ac in omni caſu, vt veſter potentiſſimus protector vobis aſſiſtit : non ergo timeatis homines.

Abulenſis. D. Lucas.

*Genuinus ſenſus.*

## Qvæstio XII.

### *Quare ſuis Apoſtolis ait Chriſtus. Capilli capitis veſtri numerati ſunt?*

82. Caiet. Non eſt hyperbolica hæc locutio, ſed veriſſima, vt ait Caietanus, cùm in veritate capillorum numerus notus ſit Deo : nam, vt ait Euſebius Gallicanus homil. in Natali plurimorum Martyr. *Non eſt autem ei difficile, capillos numerare, cui difficile non fuit creare.* Quid autem Chriſtus Dominus hîc ſignificet, tam in ſenſu litterali, quàm myſtico, inquirimus.

Gallicanus.

83. D. Hieron. D. Cyrillus. D. Chryſoſt. D.Proſper. Euthymius. Theophyl. Albert. Mag. S. Thomas. Primò D.Hieronymus hîc ſic loquitur : *Quod autem ait, Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, immenſam Dei erga homines oſtendit prouidentiam, & ineffabilem ſignat affectum, quod nihil noſtrum lateat Deum, etiam parua, & otioſè dicta.* Idem docent D. Cyrillus lib. 4. de Adoratione. D. Chryſoſtomus homil. 35. D. Proſper in Pſal.146. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas. Chriſtus D. hîc ad litteram loquitur de capillis exterioribus. Et denotat hîc modus loquendi ſingularem Dei prouidentiam, ac affectum, quo Deus ſuos miro modo proſequitur, vt dixi in expoſitione. In hoc ſenſu præſentem locum explicat D. Auguſtinus ſerm.6. de verbis Domini dicens : *Videte, quia nec minima veſtra contemnit Deus.* Habet in numero capillos veſtros, qui in numero habet noſtra minima obſequia ſibi exhibita.

D.Auguſt. *Deus minima ſibi exhibita remunerat obſequia.*

84. D.Hieron. Euſebius. S. Iulianus. Rupert. *Reſurrectio exprimitur.* Secundò, Idem D. Hieronymus, & Euſebius citati, & S. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus lib. 3. Prognoſticon. cap. 31. & Rupertus aiunt, quod totam hominis ſubſtantiam reſurgere, & nihil de ea perire, ſignificat. Si enim omnes capilli numerati ſunt, omnes reſurgent. Hoc tamen vt rectè occurrit D. Hieronymus citatus, non intelligitur de capillis, ſicut nec de vnguibus reſecatis, nam hæc valdè ſuperflua ſunt ; ſed de illis, quæ ſunt ad maiorem corporis decorem, ac ornamentum, ad quod capilli maximè inſtituti ſunt, vt docent Theologi in 4.diſt. 44. vbi D. Thomas, Richardus, D. Bonauentura, Sotus, & alij, quos citat, ac ſequitur Ægidius Luſitanus tom.3. de Beatitud lib.2.q.6.art.2.n.2.& 3. Tertiò, vt iam dixi in expoſitione ex D. Remigio. *Myſticè Chriſtus caput eſt, Apoſtoli capilli, qui pulchrè numerati dicuntur, quia nomina Sanctorum ſcripta ſunt in cælis.* Ac proinde cùm capilli ſint capitis ornamenta, inter ſuorum Iuſtorum comitatus, pulcher, ac exornatus videtur Chriſtus apparere. *Coma capitis eius, ſicut purpura regis.* Cantic. 7. n 5. Suis enim Martyribus, quaſi comis, Chriſtus, qui caput eſt Eccleſiæ, veluti regia quadam purpura ornatur, ac magnificè apparet.

D. Thomas, Richard. D. Bonau. Sotus. Ægid. Luſit. D.Remig.

*Chriſtus ſuis Electis ornatur.*

Cantic.7.

Quartò,



85. Origen. Quartò, Origenes homil.1. in Numer. ſic interpretatur. *Saluator non ſolùm diſcipulos ſuos electos ſub numero ſtatuit veluti capillos capitis eorum dicit eſſe numeratos, in quo vtique non illos capillos dicebat eſſe numeratos, qui vel ferro attonderi, & proijci ſolent ; vel temporis ætate defluere, ac perire : ſed illi capitis capilli apud Deum numerati ſunt, qui in Nazaræis erant, quibus inerat Spiritus ſanctus ad proſternendos alienigenas. Virtutes ergo animi, & multitudinem ſenſuum, qui de principali mentis, tanquam de capite Apoſtolorum, producebantur, capillos capitis appellauit.* Idem docent D. Cyrillus lib. 8. in Leuit. & Hiſychius in Leuit. lib. 6. D. Damaſcenus in hiſtoria Barlaam, & Ioſaphat. cap. 9. Capilli capitis ſignificant omnes cogitationes, ac operum intentiones, etiam paruæ, & minutiſſimæ, quas Deus diſtinctiſſimè cognoſcit, dirigit, ac perficit, ac omnes habet numeratas in ſuis electis, vt præmio donentur. Et ad hunc ſenſum explicatur illud Luc.21. num.18. *Capillus de capite veſtro non peribit.*

D. Cyrill. Hiſych. D. Damaſc. *Omnes noſtræ cogitationes ſunt Deo manifeſtæ.*

Luc. 21.

86. 2. Reg.14. Quintò, compone hunc locum cum Abſalone, de quo ait Scriptura 2. Reg.14. num.26. *Ponderabat capillos capitis ſui.* Capilli Abſalonis ponderantur, quia grauabat eum cæſaries. Apoſtolorum autem capilli non ponderantur, ſed numerantur, quia erant radicati in vero capite noſtro Chriſto Ieſu, in quo nihil eſt graue. Capilli Abſalonis, res grauis peccatoris, & ideo ponderoſa, quia ad ima deſcendebat : at Apoſtolorum capilli, tanquam eorum virtutes, valde veloces, agiles, ac leues ad in ſublimia volandum, & ideò numerantur, quia pro quantitate numeri debent in altum ferri, ac præmio inſigniri, ac nobilitari. Huc ſpectat D. Paulinus Epiſt.4. ad Seuerum, vbi multa, & ſatis appoſitè dicit ad hoc tempus de capillatura Abſalonis. Appellat eam peccatorum molem, *& talium crines crimina ſunt*, inquit. Ad rem noſtram tamen, & citatur in marginucula hic Matthæi locus, ſic ait S. Pater : *Peccatis ſuis anima premitur. Quod probat Propheta, qui dicit: Superpoſuerũt iniquitates meas ſuper caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Pſalm.37. num.5. *Vides, quam graues habet peccator comas? At cui coma Chriſtus eſt, leuis vt volucer exultat dicens : Poſuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuit me.* Pſalm.17. num.33.

*Peccatores ponderoſi ad ima ; iuſti veloces ad alta.*

*Capillatura moles peccatorum.* D. Paulin.

87. D. Hilar. Sextò, D. Hilarius in præſenti ſic ait : *In numerum aliquid colligi, diligentiæ, & ſolicitudinis cura eſt. Neque enim dignum negotium eſt, peritura numerare. Vt igitur nihil ex nobis periturum eſſe cognoſceremus, ipſo capillorum noſtrorum ſupputatorum numero monſtratur, ſaluis nobis ex ſolido futuris, cum quod innumerabile in nobis ſit, conſeruandi affectu, & poteſtate numeratur.* Vt Chriſtus Dominus à ſuis omnem ruinæ timorem remoueret, eorum capillos numeratos dicit : nemo enim numerat, quæ in perditionem dat, ſed tantùm ea, quæ ſub cuſtodia, vt ſalua ſint, ſeruantur. Idem docet D. Chryſoſtomus homil. 25. in Imperfecto. Quod multis confirmat.

*Ea numerantur, quæ cuſtodienda ſunt.*

D. Chryſoſt.

88. Pſalm. 138. De ſanctis Apoſtolis, vt eſt communis explicatio, ait Regius Vates Pſalm.138. num.17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum, dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Valdè magna de ſacrorum Apoſtolorum dignitate hîc prædicit Propheta, nempe quod ipſi ſint electi Dei amici, quæ eſt ſuprema dignitas, multo honore, ac magno principatu ſublimati, & hoc cum firmitate, ac permanentia. Ita explicat D. Peluſiota lib.1. Epiſt. 99. illam dictionem : *Nimis confortatus eſt principatus eorum :* id eſt firmus, ac ſtabilis eſt. Sed ad quid inter hæc ait Pſalmographus : *dinumerabo eos* ? Ad vehementer explicandam eorum principatus firmitatem : nam ſi ipſi ponuntur à Deo in numero, omnia eorum ſunt tuta, & nihil eorum aut minuetur, aut in perditionem ibit ; ſed potius omnes in Eccleſia vberes fructus producent. Ita explicat Incognitus ſequentia verba : *Super arenam multiplicabuntur :* quia innumerabiles fideles per eos ſunt generati. D. Chryſoſtomus proximè citatus. *Nunquid ideo numerat aliquid Deus, vt numerum eius cognoſcat, qui ab initio omnia in pondere, numero, & menſura creauit ; ſed ideo numerauit, ne aliquid pereat ex ipſis. Sicut dicit Propheta : Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum, dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur : non minuuntur, qui numerati ſunt, ſed multiplicabuntur.*

Peluſiot.

Incognit. *Quos Deus dinumerat, firmiter cuſtodit.* D. Chryſoſt.

89. 1. Petr.3. De Noë in diebus diluuij ſcribit D. Petrus Epiſt. 1. cap.3. num.20. *Noë cum fabricaretur arca, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam.* Sed cur Scriptura exprimit numerum eorum, qui ſalutem obtinuerunt, & non etiam illorum, qui in aquis ſuffocati ſunt ? cum hoc maximè poſſet inſeruire ad incutiendum terrorem peccatoribus, & Deus numerum omnium optimè penetret, ac comprehendat ? Cur ergo eorum ſolùm, qui ſaluantur, ſcribitur catalogus ? Deus ſpecialiter ea dicitur habere numerata, quæ cuſtodit, liberat, atque in tuto reponit. Huc aduoco id, quod dicit Chryſoſtomus citata homilia. *Vide, quanta ſit dignitas numeratorum, quoniam electi, & coëlicti numerantur.* Vide ſuprà cap.5. quæſt.7. n.55.

*Deus eos dicitur numerare, quos ſaluat.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio XIII.

### *Quid ſignificet Dominus, dum ſuis ait:* Multis paſſeribus præſtantiores eſtis vos?

90. *Germana explanatio.* Rationem litteralem iam dixi in expoſitione: Significat enim Dominus non ſolùm generalem prouidentiam, quam erga paſſeres habet ; ſed etiam ſingularem dilectionem, & amorem, quo ſuis dilectis proſpicit, atque in omnibus de eis curat. Secundò, in ſenſu myſtico D. Hilarius per multos paſſeres interpretatur fidelium multitudinem ; nam iniqui diuiſi ſunt inter ſe, quibus præeſt fidelium electio : *Quia illis caſus in terram eſt, iſtis verò volatus in cælum*

D.Hilarius.

91. Tertull. Tertiò, Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis, cap.14. ita gloſſat. *Multis paſſeribus antiſtare nos Dominus pronuntiauit, ſi non & phœnicibus, nihil magnum : homines ſemel interibunt, auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris.* Ait Chriſtus, quod multis paſſeribus ſumus præſtantiores. Etiam in illa paſſerum multitudine Phœnix includitur, qua homines ſunt meliores ; nam licet illa ex ſuis cineribus reuiuiſcat ; tamen homines multò excellentiori modò ſuſcitabuntur. Quartò, aliter ex-

M 4 plano

*Iuſti virtus decantatur à ſingularitate, ac raritate.*

plano Tertulliani verba: *Si non & Phœnicibus, nihil magnum.* Si enim Phœnice non eſſemus præſtantiores, nihil magnum: in actibus enim heroicis non ſolùm debemus excedere vulgarem hominum turbam, ſed etiam eos, qui rari ſunt, vt eſt vna ſola Phœnix; de ſingularitate enim maximè creſcit, & augeſcit excellentia rei.

92. Pſalm. 91. Tertull.

*Iuſtus, vt palma, florebit.* Pſalm. 91. num. 13. Quæ verba citato loco ſic legit Tertullianus. *Florebit, velut Phœnix, id eſt de morte, de funere.* Cum enim virtus iuſti rara, & ſingularis eſt, velut Phœnix; tunc maximè floret, nitet, atque radiat. Vnde Hieronymus Epiſtol. ad Pamach. ipſum maximè extollit de honoris ſingularitate. *Antequam Chriſto*, ait, *tota mente ſeruiret, notus erat in ſenatu, ſed multi alij habebant inſulas proconſulares. Totus orbis huiuſcemodi honoribus plenus erat. Primus erat, ſed inter primos. Quamuis clarus honor, vileſcit in turba. Latent in multitudine laureæ. At nunc omnes Chriſti Eccleſiæ Pamachium loquuntur.*

D. Hieron.

*Honor vileſcit in turba, radiat in ſingularitate.*

93. Eccleſ. 44.

Abrahamum laudibus celebrans Eccleſiaſticus cap. 44. num. 20. ait. *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi.* Non canit de illo, quod fuerit diligentiſſimus totius legis obſeruator; quod in omni mandato ſteterit, & nullum prætererit; ſed ait; quod *non eſt inuentus ſimilis illi*: tanquam quod innuat, quod ab ipſa ſingularitate iuſti probitas maximè nobilitetur, ac illuſtriſſima appareat. Carthuſianus: *Nemo tempore ſuo, quo Deo in ſanctitate ſeruiuit, fuit ei æqualis in præclaritate virtutum, ac meritorum, ſicut illud à multis exponitur: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* Iob 1. num. 8.

*Magna laus virtutis ſingularitas.* Carthuſ.

*Matth. 10. n. 32.* Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.

*Num. 33.* Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.

## *VERSIONES.*

*Tertullianus in Scorpiac. c. 9. & 10. Arias.* Qui in me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego in eo coram Patre meo.

*D. Cyprian. de laude Martyrij.* Qui me confeſſus fuerit in terris coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo, & coram Angelis eius.

*Syriacus.* Et ego quoque confitebor eum coram.

*D. Athan. orat. contr. Sabelli Gregales.* Confitebor, & agnoſcam eum coram Patre meo.

*Maldonat. ex Hebræo.* Quiſquis in me gloriabitur coram hominibus, gloriabor & ego in eo coram Patre meo.

*Syriac. n. 33.* Qui verò abnegauerit me, abnegabo quoque eum.

*Tertull. lib. de Idololat. c. 13.* Qui autem confuſus ſuper me fuerit penes homines, & ego confundar ſuper illum penes Patrem meum, qui eſt in cælis.

*D. Cyprianus Epiſt. 31.* Negabo coram Patre meo, & Angelis eius.

## ALTER TEXTVS.

*Lucæ 12. n. 8.* Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.

*Num. 9.* Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

## *EXPOSITIO VI.*

ANIMAVIT Dominus ſuprà ſuos Diſcipulos, vt notat Caietanus, contra tyrannos excluſione timoris infamiæ, ac mortis, vt vidimus expoſit. 3. & 4. Nunc verò eoſdem contra tyrannorum tormenta exhortatur proponendo, vt ait D. Thomas, vtilitatem ex confeſſione, & damnum ex negatione: nam, vt rectè ait Chryſoſtomus homil. 25. in Imperfecto, *Nunc Dominus pœnam proponit, & præmium, vt modò timore pœnæ, modò deſiderio præmij virtus animæ adiuuetur.* Ecce Dominus præmium exponit: *Omnis ergo, qui confitebitur me.* In quo duo pulchrè notanda ſunt. Primò, quod Dominus à præmio incipit, vt ait citatus Chryſoſtomus: *Prius Dominus dicit præmium, poſtea pœnam, quia miſericors Deus paratior eſt ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum indignos.* Secundò notandum eſt, quod in hac prima ſententia de confeſſione eſt ſignum vniuerſale: *Omnis, qui confitebitur me*: at in ſecunda de abnegatione ſignum eſt particulare tam apud Matthæum, quam apud Lucam: *Qui autem negauerit me*: Et quamquam Toletus in cap. 12. Luc. annot. 16. vniuerſalem notam: *Omnis*: ad vtramque ſententiam velit extendere: rectè tamen D. Ambroſius lib. de Pœnitentia, cap. 2. agnoſcit diſcrimen, cur in vna parte ſit illud vniuerſale *Omnis*, non verò in altera: ſic inquit. *Vbi confitetur, pro omnibus confitetur, omnes amplectitur; vbi negat, non omnes negat. Gratiam promittit omnibus; non omnibus minatur iniuriam: quod eſt miſerationis exaggerat,*

94. Caiet.

D. Thom.

D. Chryſoſt.

*Timore, & præmio anima mouetur.*

*Deus magis pronus eſt ad præmiandos bonos, quàm ad malos caſtigandos.*

Tolet.

D. Ambr.



*Diuina bonitas miſericordiam extendit in omnes; vltionē verò coarctat.*

*exaggerat, quod vltionis extenuat.* Diuina bonitas miſericordiæ actione magnam facit diffuſionem; in vltionis autem flagello reſtrictionem; nam illud vehementer affectat extendere, hoc verò coarctare.

95. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Arias.

*Omnis ergo, qui confitebitur me.* Chryſoſtomus homil. 35. Euthymius, Theophylactus, Arias, & alij legunt. *Qui confitebitur in me, confitebor in illo. In me*, id eſt per meam gratiam, per meam virtutem, ait Chryſoſtomus, *vt tibi oſtenderet non propria virtute, ſed gratia ſuperiore adiutum confiteri eum qui confitetur.* Omnia enim noſtra bona à Deo ſunt. *Confitebor in illo*; quia Chriſtus Dominus non agnoſcit, nec confitetur eſſe ſuum amicum, niſi eum, in quo ipſe exiſtit per gratiam. Si verò quæras, ait ipſe Chryſoſtomus, de negante non dixit, qui negauerit in me? Ratio eſt in promptu; quia cum confeſſio ſit quid valdè bonum, eſt à Deo; negatio autem malum, à nobis eſt. Quamuis hæc ingenioſè ſint dicta; tamen illa particula *In* eſt frequens Hebraiſmus, quo vtuntur Hebræi in ſimilibus verbis. Rectè noſter Interpres omiſit illam particulam *In*, & Latinè dixit. *Confitebitur me*, ſcilicet publicè verum eſſe Deum, Meſſiam, ac Redemptorem, corde, ore, & etiam opere, vt ait Rabbanus, *Confitebor eum*, id eſt agnoſcam eum, vt meum fidelem amicum, ac diſcipulum. Ad hunc ſenſum D. Cyrillus, S. Thomas explicant *Confitebor*, id eſt approbabo eum inter meos electos. D. Chryſoſtomus, Albertus Magnus, *Confitebor eum* prædicando, ac laudando eius virtutes, *Coram Patre meo*, ſcilicet agnoſcam, & approbabo eum coram Patre meo. *Qui in cælis*: per hoc denotat, quod cum ipſo Patre in cælo recipiatur ille confeſſor. *Coram Angelis eius*, habet D. Cyprianus, & expreſſit Lucas. Per hoc innuit, quod hæc erunt in extremo iudicio, vt eſt communis intelligentia, quando cum Angelis venerit iudicare.

*Bona noſtra ſunt à Deo, mala verò à nobis.*

Rabban.

D. Cyrill. S. Thom. D. Chryſoſt. Albert. Mag.

D. Cypr. D. Lucas.

96. *Qui negauerit me* ſuum eſſe Saluatorem, ac Redemptorem, *negabo eum*, id eſt non agnoſcam, non approbabo eum, vt meum amicum, ac fidelem. Sic in vltimo iudicio dicet Reprobis: *Nunquam noui vos, diſcedite à me*: Matth. 25. num. 12. nam non noui vos, id eſt reprobo vos, vt ait D. Auguſtinus ſerm. 23. de verbis Domini. *Coram Patre meo, qui eſt in cælis*, vt à cælorum regno excludamini. Cyprianus habet, & eſt in textu Lucæ, *Et Angelis eius*: hæc enim reprobatio coram Angelis in damnatorum confirmationem cedit.

Matth. 25.

D. Auguſt.

D. Cypr.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſti præconium aſſignatur in præmium eius confeſſoribus ſingulari numero, ac breui ſtylo.*

97. SENTENTIAM hîc à Chriſto Domino dictam, non ſolùm dirigi ad Apoſtolos, ſed etiam ad omnes fideles, meritò docet D. Chryſoſtomus homil. 35. Et ſine vlla dubitatione, coram tyrannis, ac perſecutoribus iuridicè interrogati tenemur profiteri Chriſti fidem ſimul corde, & ore: non enim ſufficit corde tantùm, vel ore tantùm, ſed vtroque modo ſimul exigitur confeſſio iuxta Paulum Rom. 10. num. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et idem dicendum eſt de confeſſione vitæ, ſeu operum. Vnde D. Hilarius, Paſchaſius, Rabbanus hanc Chriſti ſententiam intelligunt de confeſſione cordis, oris, & operis.

D. Chryſoſt.

Rom. 10.

D. Hilar. D. Paſchaſ. Rabban.

98. Quærit Chryſoſtomus citatus: *Si quis priuatus, ac à gratia derelictus, etiam in ſecreto, neget fidem, criminosè agit, & grauiter delinquit. Cur ergo etiam è contra non ſufficiet ſolùm fides in animo, & in ſecreto; ſed vlteriùs oris confeſſio flagitatur?* Reſpondet citatus Pater. *Liberam certè petit confeſſionem, ad maioremque charitatem nos adducit, & ſublimes, atque inuictos eſſe deſiderat.* Præpoſita tamen obiectio communi axiomate ſoluitur. Confeſſio, vt bonum, non niſi ex integra cauſa: negatio verò, vt malum, ex quocumque defectu.

D. Chryſoſt.

*Bonum non niſi ex integra cauſa: malum ex quocumque defectu.*

99. Ad noſtram quæſtionem. *Confitebor eum*, reſpondet primò D. Paſchaſius lib. 6 in Matth. *Ac ſi diceret*, ait, *quales mihi teſtes eritis coram hominibus, vt vita, moribus, confeſſione me prædicetis in terris; tali vos apud Patrem, cuius filij eſtis, teſtimonio commendabo.* Idem antea docuit D. Hilarius. Ac ſi dicat, confeſſionem veſtram confeſſione mea præmiabo, & quales mihi eritis, talis & ego vobis. Pro quo vide tom. 1. lib. 2. c. 4. n. 138. & tom. 2. cap. 18. num. 33. Tamen ſemper diuina bonitas in præmiando multum ſuperat noſtra obſequia. Pro quo rectè notat Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 24. *Vide, quantum maius eſt præmium Dei, quàm iuſtitia noſtra. Si tu confeſſus fueris Chriſtum coram hominibus, confiteris, nihil tamen potes præſtare Deo. Si autem ille te confeſſus fuerit coram Deo, confitetur, quia poteſt facere te immortalem.* Et ſimiliter ait, ſi tu neges Chriſtum, non illi potes nocere: ſi autem ille te negauerit, poteſt te perdere in igne æterno.

D. Paſchaſ.

D. Hilar.

*Qualis homo Deo, talis Deus homini.*

*Præmium à Deo datum noſtram ſuperat iuſtitiam.*

D. Chryſoſt.

100. Secundò, Euthymius ait, quod Chriſtus Dominus dixit de eo, qui de illo dederit teſtimonium, confitebor illum, hæc inquit, *A gratitudine ipſius motus.* Quamuis noſtra obſequia ſint Deo debita, & nos ad fidei confeſſionem obligati teneamur, quando iuridicè ſumus interrogati, de quo latè Suarius tom. de fide, diſp. 14. ſect. 1. num. 6. & 7. tamen Chriſtus ſua diuina bonitate motus, erga nos ſe vult gratum exhibere, & ipſa obſequia noſtra, quamuis aliàs debita, ſuis donis præmiat, ac gratificatur. Quod apertè eius beneficentiam indicat, cum ex noſtris obligationibus iura ſibi faciat largiendi dona.

Euthym.

*Chriſtus ex ſua bonitate obſequia noſtra gratificat.*

101. Tertiò, Euſebius citatus in Catena D. Thom. ad cap. 12. Luc. ſic ait: *Quid autem erit glorioſius, quàm ipſum vnigenitum Dei Verbum atteſtari pro nobis in diuino iudicio, ac ipſo effectu remunerationem teſtimonij ponere in animam eius, cui teſtimonium perhibetur.* Valdè glorioſum eſt homini, quod ſuæ probitatis, ac virtutis in vniuerſali iudicio teſtimonium habeat à Chriſto. Magnorum operum illuſtre præmium eſt ab eminenti perſona præconium, ac approbationem obtinere. Vnde citatus Chryſoſtomus in Imperfecto expendens illa verba: *Confitebor eum*: ſic ait. *Quis eſt tam lapideus, qui non deſideret, iuſtitia ſuæ teſtem habere Chriſtum?* Et inde magis hæc teſtificatio nobis cedit in gloriam, cùm ſit publica, ac in vniuerſali iudicio coram Patre, & Angelis eius. Abulenſis q. 131. *Valdè ſpecioſa eſt laus, coram multis approbari ac laudari.*

Euſeb.

*Illuſtre teſtimonium ab eminenti viro magnum præmium.*

Chryſoſt.

*Laus publica valdè ſpecioſa.* Abulenſ.

Quartò,

102. Quartò, conſidera ſupereminentem Dei bonitatem: nam in hac exhortatione deſcripta à Matthæo hoc cap. 10. Dominus loquitur in plurali: *Tradent vos in concilÿs*; & iterum: *Perſequentur vos in vna ciuitate, fugite in aliam.* Rurſus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* At verò, cum ad præmium deuenitur, ſingulari numero vtitur: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo.* Cur ergo in recenſendis meritis: *Tradent vos:* multitudinis ſignum ponit; in præmio autem ſingulare exprimit? *Confitebor eum.* Deus in ſuis fidelibus multos, ac plures benemeritos agnoſcit; & tanta liberalitate, magnificentia, ac cura vnicuique ſuam remunerationem largitur, ac ſi vnus ſingularis eſſet donis coronandus. Tanta eſt enim bonorum Dei affluentia erga ſuos electos, vt ex conſortio tantæ multitudinis vniuſcuiuſque præmium nec minuatur, nec extenuetur, ſed ita omnes repleantur, ac ſi quilibet totum acciperet. E contra verò terreni reges in ſuo populo paucos benemeritos agnoſcunt; & in remunerando ita parcè, ac ſtrictè procedunt, ac ſi cum multis eſſent bona ſua diuidenda, ac partienda.

Matth. 10.

*Deus multos videt benemeritos, & ita ſingulariter quemlibet coronat, vt ex aliorũ conſortio non minuatur præmium.*

103. Quintò, Chriſtus Dominus in hac exhortatione, quam refert Matthæus in hoc cap. 10. latè explicat noſtra obſequia, ac perſecutiones à ſuis ob ipſum paſſas: *Tradent enim vos in concilÿs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos; ad præſides, & reges ducemini propter me:* num. 17. iterum, *tradet frater fratrem in mortem, & eritis odio omnibus hominibus:* rurſus: *Si Patremfamilias Beelzebub vocarunt, quanto magis domeſticos eius.* Et tamen dum ſuum præmium nobis largiendum exponit, vnum tantum verbum profert. *Confitebor eum:* Cur in noſtris preſſuris recenſendis tot multiplicat dictiones, in ſua autem remuneratione declaranda tam abbreuiato vtitur ſtylo? Adeò magnificus eſt Dominus, vt plus videantur ante oculos eius obuerſari, ac in ore haberi obſequia noſtra exhibita, quàm præmia ſua nobis largienda. Vnde hæc ſtrictè, ac ſuccinctè dixit vno verbo *Confitebor*, illa verò latè, ac ſpatioſè per multas periodos refert.

Matth. 10.

*Deus magis recordatur de noſtris exhibitis obſequÿs, quam de ſuis donis largitis.*

104. Genef. 31. Apparuit Deus Iacob dicens: *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi.* Geneſ. 31. num. 13. Fatur Dominus Iacob, quod ipſe ſit Deus, qui ei apparuit in Bethel, quo in loco ipſe erexit lapidem in titulum, effudit oleum deſuper, ac votum Deo vouit. Sed quæro, ſicut Dominus hæc repetit Iacob, cur etiam ei non commemorat multas promiſſiones, ac larga beneficia, quæ ibi ei præſtit; nam in illa ſcala altiſſima ei myſteria reuelata ſunt. Cur ergo hæc omnia prætermittit, & ſolùm lapidis erecti, ac voti emiſſi recordatur? Deus, vt valdè magnificus, obſequia ſibi præſtita latè refert, & in medium adducit; ſua verò ampla dona tacet, ac, veluti de illis oblitus, nihil eorum commemorat. Vide tom. 2. cap. 5. n. 212.

*Deus commemorat noſtra obſequia, & ſua dona quodammodo prætermittit.*

## Qvæstio XV.

### *Quare abnegatio à Chriſto in pœnam imponitur eum abnegantibus?*

105. Deficientibvs in fide, & Saluatorem abnegantibus ipſe Dominus pœnam aſſignat: *Negabo eum coram Patre meo.* Notat Chryſoſtomus citata homil. 35. quod Chriſtus in hac exhortatione ſemel propoſuit ſuis electis præmium: *Confitebor eum coram Patre meo.* At ſupplicium bis poſuit, ſemel ſuprà: *Magis timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam.* Et iterum hîc: *Negabo eum:* Ad quod ipſe reſpondet: *Cur nam, inquies, alterum ſemel, alterum bis poſuit? nouit, pœnarum timore magis, quàm bonorum ſpe homines caſtigari.* Vehementiùs mouentur homines timore malorum, quam bonorum amore; & ideo hoc ſubiicit Chriſtus, vt qui non mouentur tam ampla promiſſione, moueantur tam acerba comminatione.

D. Chryſoſt.

*Vehementiùs mouẽtur homines timore malorum quàm amore bonorum.*

106. Ad quæſtionem reſpondeo, primò, quod iuſtiſſima eſt caſtigatio. Nam, vt dixi ſuperiori q. ex D. Hilario, ac Paſchaſio, qualis homo ſe habet ad Deum, talis & Deus homini: qui autem negarunt Chriſtum, merito ab ipſo abnegabuntur: *Negabo eum*, vt ait Euthymius, eſſe meum amicum, ac fidelem. Et illud: *Negabo:* vt iam dixi in expoſitione ex D. Auguſtino, & docent hîc D. Thomas, Albertus Magnus, idem valet, ac reprobabo eum. Et in hoc iuxta textum Lucæ expende infinitam Chriſti pietatem, ait enim: *Qui me confeſſus fuerit, & filius hominis confitebitur illum. Qui autem negauerit me, negabitur coram Angelis Dei.* In beneficio largiendo ſe auctorem declarat; non ſic verò in ſupplicio inferendo, tanquam quod de eo maximè doleat.

D. Hilar.
D. Paſchaſ.

D. Auguſt.
D. Thom.
Albert. Mag.

*Chriſtus in beneficÿs ſe declarat auctorem, non verò in ſupplicÿs.*

107. Secundò, Tertullianus in Scorpiaco aduersùs Gnoſticos cap. 9. ſic ait: *Plus eſt autem, quod & confuſioni confuſionem comminatur: Qui me confuſus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Sciebat enim à confuſione vel maximè formari negationem, menti: ſtatum in fronte conſiſtere; priorem eſſe pudoris, quam corporis plagam.* Nota vltima verba, *priorem eſſe pudoris, quam corporis plagam.* Et vt benè percipias Carthaginenſis mentem, aduerte cum Pamelio, quod apud eum idem valet hîc confundi, ac erubeſcere. Chriſtus Dominus hoc loco pœnam comminatur in ipſum negantes coram tyrannis, ac mundi principibus. Sed quodnam ſupplicium in eos indicitur? Tartareus ne ignis, vel dæmonum flagellum; an omne tormentorum genus? Vnum tantùm dicit: *Negabo eum coram Patre meo, qui eſt in cælis, & coram Angelis eius:* ex quo erit magna confuſio, & erubeſcentia in homines. Apud cordatos enim multo durior, & acerbior pœna eſt, honoris, ac famæ confuſio, quàm quælibet vitæ, ac corporis iactura: & ideo cæteris prætermiſſis eorum dedecus, ac ignominia tanquam duriſſimum malum eis obiicitur.

Tertull.

Pamel.

*Grauior eſt pœna infamiæ, quàm corporis.*

108. Ioſeph *accuſauit apud Patrem fratres ſuos crimine peſſimo.* Geneſ. 37. num. 2. Ex quo mihi inſurgit magna dubitatio: nam hæc accuſatio cum eſſet facta à tam probo viro Ioſeph, ſine dubio vera erat; & nullam caſtigationem, nullúmque verbum aſperum illatum à Iacob video in ipſos. Quomodo ſanctus ſenex tantum crimen diſſimulat; nam qui diſſimulat, videtur fouere. Deinde ſanctiſſimi parentes pro crimine ſolent filios punire; ſic & Noë dura execratione flagellauit Cham Geneſ. 9. num. 24. Sic & Abraham eiecit Iſmaelem Geneſ. 21. num. 9. Immò & ipſe Iacob ob depopulatam Sichem maledictione multauit Simeonem, & Leui Geneſ. 49. num. 7. & ob aliud crimen Ruben ibidem num. 3. Cur ergo ob turpiſſimum

Geneſ. 37.

Geneſ 9.
Geneſ 21.

Geneſ. 49.



piſſimum nefas filios non punit, ſed tacet? Nobiles illi adoleſcentes notitia, ac delatione ſui turpiſſimi criminis ad tantum parentem, ea confuſione, eoque rubore fuerunt affecti, vt eius comparatione omne aliud ſupplicium leuius eſſet, atque ſuauius: & ideo prudenter ſanctus ſenex iudicauit, grauiſſimum eorum delictum tanta oris confuſione, ac ignominia ſatis, abundéque eſſe punitum, vt ex hoc ipſi fierent cauti ad ſimilia euitanda. D. Gregorius Nyſſenus homil. 3. in Eccleſ. *Videntur eſſe arma valida, & potentia ad fugienda peccata, pudor, qui eſt inſitus nobis, huiuſmodi animi affectio ſit nobis auerſio à deterioribus; pudor enim magis, quàm timor ſæpè erudit ad praua fugienda; ſed & pudor, ſequens debiti reprehenſionem, per ſe ſufficit ad caſtigandum eum, qui peccat, ne rurſus in ſimilia incidat.* Expende illa verba: *Pudor magis, quàm timor.*

*Pœna confuſionis, ac infamiæ, grauiſſimũ ſupplicium.*

D. Nyſſen.

*Pudor efficaciter mouet.*

109. Iſai. 1. Contra Iudæorum ingratitudinem clamat Iſaias conuocans cælum, ac terram dicens: *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei: filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Iſai. 1. n. 2. Sed pro tanta malitia quod nam ſupplicium comminatur in eos Deus, ſulphur, ignis, ac inimicorum gladius? ſtatim Propheta eorum caſtigationem denuntians ait: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël autem me non cognouit.* Et hac comparatione tantum crimen plectitur. Et meritò ſanè. Magnum erat eorum opprobrium, quod tardiſſimis animantibus eſſent inſipientiores. Multò enim grauior, & durior conſiſtit pœna, quæ ex confuſione ignominiæ, ac dedecoris in tali comparatione eis reſultabat, quàm illa, quæ ex quacumque acerbitate ignis, ſulphuris, ac gladij prouenire poſſet. Zeno Veronenſis ſerm. 5. de Iſaia ſic ait: *Filios appellat, vt exaggeret crimen: exaltatos, vt ingratos oſtendat: bouem illis, aſinúmque præponit, vt grauius poſſint, ſi reſipiſcant, comparatione torqueri, quàm pœna.*

*Durior eſt caſtigatio in honore, quàm in vita.*

D. Zeno.

## Qvæstio XVI.

### *Quare, cum Chriſtus Dominus ſit à Deo Patre conſtitutus omnium iudex, ipſe ſe exhibet hîc, vt teſtem.*

110. Ioan. 5. Christvs D. à Deo Patre conſtitutus iudex vniuerſorum Ioan. 5. n. 22. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Quomodo ergo hîc ſe videtur exhibere teſtem in ipſo iudicio: *Confitebor eum coram Patre meo?* Reſpondetur; quod Chriſtus Dominus omnium iudex ait: *Confitebor eum coram Patre meo:* Vt oſtendat, quod in ipſo extremo iudicio non eſt laturus ſententiam, niſi iuxta ſui æterni Patris voluntatem, ac beneplacitum, vt rectè explicant Abulenſis quæſt. 131. & Maldonatus hîc. In hoc ſenſu ait Chriſtus filiis Zebedæi: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo,* Matth. 30. num. 23.

*Omnia diſponuntur iuxta Patris beneplacitum.*

Matth. 20.

111. Diuina ſapientia Chriſtus Dominus hoc loco, dum agit de confitendo, vel negando, ſcilicet approbando, vel reprobando homines, cuncta dicit diſponenda iuxta ſui Parentis beneplacitum: nam ipſe hîc tractabat de obſequiis confitentium, ac de iniuriis ipſum negantium; ne ergo alicui fatuo videretur, quod Chriſtus Dominus, quaſi in re propria, mouebatur aliquo peculiari affectu in ipſum agnoſcentibus præmiandis, vel inficiatoribus excludendis, ideo totum negotium ad propoſitum voluntatis paternæ reducit, ex cuius nutu cuncta pendent. Vt ita omnibus iudicibus daret exemplum, quod in proferenda ſententia, non aliquo tangantur affectu, ſed in omnibus Dei tantùm ordinationem teneant, & ſequantur.

*Affectus amoris, vel odÿ ſit alienus à iudice.*

112. Cognato Iethro ſui regiminis rationem in populo exponit Moyſes dicens, quod in dubiis, negotiis, ac altercationibus, *Venit*, ait, *ad me populus quærens ſententiam Dei.* Exod. 18. n. 18. Valdè mirum, quod non ait, venit ad me populus quærens meam determinationem, ac reſolutionem, ſed ſententiam Dei, ait; in illo enim populo multæ erant controuerſiæ, & forſitan quamplurimæ cum Moyſis cognatis; ſed ita ipſe denudatus ab omni affectu, Dei leges, ac ordinationes ſequebatur, vt in ipſo potiùs videretur quæri Dei ſententia, quam alicuius peculiaris hominis iudicium. Lippomanus. *Oportet enim*, ait, *iudices eſſe pios viros, & fideles, Deum metuentes, qui iuxta Dei mentem iudicent; quilibet enim in ſua, ac ſuorum cauſa cæcus eſt.* Vide ſuprà cap. 2. num. 73. 74. & 75.

Exod. 18.

*Iudex iudicet ſine affectu iuxta Dei ordinationes.*

Lippoman.

# CAP. X.

## *Mittitur Gladius in terram.*

*Matth. 10. n. 34.* Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.

### *VERSIONES.*

*Arias.* Ne arbitremini, quod veni iacere pacem in terram: non veni iacere pacem.

*Euthymius.* Ne puteris, quod venerim pacem miſſurus in terram.

*Tertullianus in Scorp. c. 10.* Ne putaueritis, veniſſe me, vt pacem mittam in terram; non veni, ſed vt machæram certè in terram.

### Alter textvs.

*Lucæ 12. n. 51.* Putatis, quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, ſed ſeparationem.

EXPO

## EXPOSITIO I.

1. Gloſſa. D. Thom. *Cōnexio cum antecedentibus.*

DVPLICITER poteſt conſiderari connexio inter hæc, & antecedentia. Primò cum Gloſſa, D.Thoma, & aliis. Quia Chriſtus in ſuperioribus præmonuit Diſcipulos, quod non deſiſterent à prædicatione veritatis, nec propter opprobria,nec propter timorem mortis; nunc autem monet, quod non deſiſtant, etiam propter affectum, & amorem carnalem: nam multoties inter intimè conſanguineos ſeparatio interuenire debet; & ita eos præmuniuit, ne cum ſeparatio euenerit, ob rerum difficultatem, vt ait Euthymius, reclament. (Euthym. Caiet.) Secundò, aliter Caietanus explicat hanc connexionem. Suprà mandauerat Dominus ſuis diſcipulis, vt ferrent pacem; ne ergo intelligerent omnem pacem;explanat modò,quod non venit omnem pacem mittere in terram.

2. *Genuinus ſenſus.* *Nolite arbitrari*, ſeu,vt eſt in Græco, ne arbitremini, *quod pacem venerim mittere in terram:* Ne quis meorum cogitet, quod ego venerim in mundum adducens terræ pacem, & vt omnes homines eſſent concordes; nam quamuis multi obtemperaturi ſint Euangelio, multi tamen etiam ei reſiſtent, ac repugnabunt, cum quibus contentiones, ac diſſidia vobis erunt: *Sed gladium*, D. Lucas poſuit *ſeparationem*, (D. Lucas.) ſcilicet diuiſionem,ac diſcordiam in fide, religione, ac moribus, nam in his omnibus mei fideles erunt diſtincti, ac diſcordes ab infidelibus, ac iniquis. Diſcordia autem ab iniquitate valde ſancta, & expediens eſt. Gladius hîc idem valet, ac bellum, vt ait Caietanus; tamen dixit gladium, ſeu iuxta Tertullianum (Tertull.) machæram, id eſt enſem latum, ſeu cultrum potiùs, quam bellum, vt notat Chryſoſtomus (Chryſoſt.) homil. 36. vt maiori vi, ac efficacia eſſet prolata oratio: gladio, ſeu cultro membra ſeparantur.

## QVÆSTIO I.

### *Quare auctor pacis dicat, ſe non veniſſe in terram, ad mittendam pacem?*

3. CONTRA præſentem textum in promptu eſt obiectio: Quia tota Scriptura clamat, Chriſtum pacem allaturum in terras. Pſalm.71. num.7. (Pſalm. 71.) *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Iſai.9. num.7. (Iſai. 9.) *Vocabitur princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit numerus.* Et in natiuitate eius Angeli cantabant. Luc.2.num.14. (Luc. 2.) *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et ipſe Dominus ſuis diſcipulis in quamcumque domum intrantibus præcepit, vt dicerent Luc. 10. num.5. (Luc. 10.) *Pax huic domui.* Et diſceſſurus ad Patrem ſuis dixit: (Ioan. 14.) *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ioan.14. num.27. Et aliis multis in locis. Quomodo ergo nunc ait, ſe non veniſſe ad mittendam pacem?

4. *Chriſtus tripliciter pacem attulit.* Soluitur quæſtio, ſi aduertamus, multipliciter pacem ſumi poſſe per reſpectum ad varia ſubiecta. Chriſtus venit in mundum ad faciendam pacem inter Deum, & homines,delendo noſtra peccata, reconciliandóque nos Deo, cuius pacis ipſe dicitur princeps; & hanc annuntiauerunt Angeli in eius natiuitate,vt ſuo loco dixi. Vnde ad Epheſ. (Ad Epheſ. 2.) 2. num. 5. ipſe dicitur *pax noſtra.* Secundò venit Chriſtus Dominus ad faciendam pacem inter homines, diffundendo charitatem in eorum cordibus, qua probi, ac boni fideles ſe mutuo diligant; quæ etiam charitas ad proprios inimicos, ac aduerſarios ſe extendit, ac eos amat, ac quantum fas eſt, adiuuat, ac pro eis orat ad Deum. Tertiò, Chriſti aduentu inducta eſt pax intra ipſum hominem, (*Per Chriſtū caro ſpiritui ſubijcitur.*) dum per Chriſti gratiam appetitus ſubiiciuntur ſpiritui, vt docet Monachus Iobius lib.9. (Iobius.) de Incarn. cap.42.in Bibliotheca Photij,poſtquam conſiderat hæc verba: *Non veni pacem mittere:* ſic ſubdit ipſe: *Piorum cum Deo affinitas ad odium, inuidiam, & metum impios concitauit. Venit igitur Saluator, pacem mittere, quæ cum animo ea conſentire, quæ corporis ſunt, facit; quodque deterius eſt, melioris arbitrio ſubijcit. Quam quidem nobis præbuit, cum rebelli noſtræ naturæ pacificam Deitatem copulauit.* Chriſti aduentu per ſua ſalutifera dona caro ſubiecta eſt ſpiritui: quæ pax à ſolo Deo prouenire potuit. Paulus ad Philipp.4. num.7. (Ad Philip. 4.) *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.*

5. *Pacem cum iniquis Chriſtus abſtulit.* Alia pax eſt cum iniquis, & peruerſis; hanc Chriſtus Dominus abſtulit; nam eius ſacratiſſimo aduentu, luce euangelica exorta in mundo, multi, à Chriſto illuminati, eius fidem ſuſceperunt; alij verò in ſua obcæcatione, ac errore permanentes,odio, perſecutione, ac nimia tyrannide inſurrexerunt in Chriſti fideles; & ita inter eos, qui aliàs, vt conſanguinei, ac patricij, erant amicitia coniuncti, facta eſt diſſenſio, ac contentio, quæ eſt ſancta, & pia diſſenſio, vt ait D. Hieronymus (D. Hieron.) in præſenti. *Propterea bellum miſſum eſt bonum, vt rumperetur pax mala.*

6. *Rumpenda eſt pax cum iniquis.* Hæc autem diſſenſio fuit valde expediens, vt fieret ſeparatio fidelium ab infidelibus, ne pars ſana, & ſancta corrumperetur à putrida, & infecta. Ad hanc autem ſeparationem, ac ſciſſionem indicandam dicit, ſe mittere gladium in terram. Sic in præſenti latè diſcurrit D. Chryſoſtomus (D. Chryſoſt.) homil. 36. *Præcipua, ſingulariſque pax tunc præſtatur, quando quod tabo, vel ſanie corruptum eſt, abſcinditur, atque proijcitur: nam & Medicus hoc modo reliquum corpus conſeruat facilè, ſi quod reduci ad ſanitatem non poteſt, exciderit, atque abiecerit.* Quod ipſe probat exemplo turris filiorum Adam, (Geneſ. 11.) *quando pernicioſa illa pax per ſalutarem vocis diſſonantiam diſſoluta eſt, tranquillam, atque laudabilem pacem reddidit.* Geneſ.11. num. 7. Sicque Paulus aduersùs ſe conſpiratores diuidebat, ac diſſipabat Actor. 23.n.17. Et quod aliquando concordia ſit mala, probat S. Pater. (Actor. 23.) *Tempore ipſius Naboth concordia illa quouis bello fuit atrocior: nec enim ſemper concordia laudanda, cum etiam latrones magna inter ſe concordia conſpirare ſciamus.*

7. Peluſiot. D. Iſidorus Peluſiota lib.3. Epiſtol.246. ſic ait: *Pax ſi adnexam habet iuſtitiam, diuina quadam res eſt; ſi autem altera ſine altera ſit, virtutis pulchritudinem labefactat.* Pacem ergo,quæ eſt cum iuſtitia Chriſtus adduxit; (*Pax iuſtitiæ cōtraria tollitur à Chriſto.*) eam verò, quæ exiſtit ſine illa,abſtulit. Quod confirmo ex locis in principio quæſtionis adductis. Nam Iſaias 9.n.7. (Iſai. 9.) *Pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia.* Vbi expreſsè ait, quod eius principatus pacis erit in iudicio, & iuſtitia. Et bellè explicat D. Thomas. (D.Thom.) *Vt confirmet ad reſiſtendum;*



*ſtendum; & corroboret etiam ad impugnandum per iudicium.* Ecce in hac pace denuntiatur impugnatio iniquitatis, & dominatio iuſtitiæ. Ierem.23. num.5. (Ierem. 23.) *Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* In natiuitatis nocte Angeli decantant, non abſolutè pacem, ſed pacem bonæ voluntatis, vt rectè notauit D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. (D. Paſchaſ.) quia pacem prædicabant, quæ erat in bona, & ſancta voluntate: & hanc celebrant,non diſtributi in choros, ſed conformati in exercitus militiæ cœleſtis, vt pacificum eius bellum, & bellatricem eius pacem contra mundi vitia denuntiarent. Suis Diſcipulis domum ingredientibus mandauit dare pacem; (Luc. 10.) & ſtatim addidit: *Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem ad vos reuertetur.* Luc.10.num.6. Et ſi Chriſtus Dominus ait ſuis diſcipulis Ioan.14. num.27. (Ioan. 14. Peluſiot.) *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis:* ſtatim addidit; vt notat citatus Peluſiota, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis:* ait enim ipſe S. Pater. *Pax enim vera eſt, quæ iuſtitia, & pietate cohonoratur.*

8. *Vera pax ſociatur iuſtitiæ.* Vera enim pax eſt illa, quæ confœderatur iuſtitia,& iniquitatem debellat. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth.5. num.9. (Matth. 5. *Vera pax iniquitatem debellat.*) Quales nam ſunt hi pacifici, qui filij Dei nuncupantur? Illi nimirum, qui diuinum ſuum parentem imitantur, vt confœderationem habeant cum bono, ac iuſtitia, & perpulſationem, ac excluſionem cum malo. D. Gregorius Nyſſenus orat.7. (D. Nyſſen.) de Beatitud. *Quinam ſunt hi pacifici? Imitatores humanitatis diuinæ, qui id, quod proprium diuinæ efficientiæ eſt, in ſua vita oſtendunt. Tollit, & ad nihilum redigit Deus, quidquid extra naturam boni, & à bono alienum eſt.*

9. Piiſſimus rex ille Ioſias in omni mandato Dei ſtetit, ac templum, cultúmque diuinum, magna ex parte collapſum, multa cura inſtaurauit. Vnde in nomine Dei à Propheta habuit reſponſum: (4. Reg. 22.) *Pro eo, quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace.* 4.Reg.22.num.19. Sed quomodo ſtat diuina promiſſio? nam, cum ipſe Ioſias nollet inire amicitiam cum Pharaone rege Ægypti, vt ei daret tranſitum per ſuum regnum in Syriam,ab ipſo interfectus eſt. (4. Reg. 23.) *In diebus eius aſcendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Aſſyriorum ad flumen Euphraten, & abijt Ioſias rex in occurſum eius, & occiſus eſt in Mageddo* 4. Reg.23. num.29. Quomodo ei promiſſum eſt, quod iret in pace ad ſepulchrum, qui in bello hoſtili gladio occubuit? Carthuſianus (Carthuſ. *Pax ſancta bellum gerat cum iniquitate.*) ſic difficultatem ſoluit: *In pace pectoris obijt*; ſcilicet in tranquillitate conſcientiæ, ac animæ. Vera enim pax ſecum aſſociat iuſtitiam, & bellum indicit iniquitati. In pace moritur Ioſias, qui iuſtitiam tenens, ne amicitiam, ac coniunctionem contrahat cum iniquo rege, occubuit, ac cecidit.

10. Sanctiſſimus Iſaac duos habet filios Eſau, & Iacob: Iacob probus, vir ſimplex, & lenis, tamen ſemper ab vtero matris ſuæ habuit magnum diſſidium cum Eſau, cum eſſet eius vterinus frater. Iob verò habuit decem filios; omnes tamen in magno amicitiæ fœdere viuebant, vt ſimul comederent, & biberent. (Iob 1.) *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die*



*ſuo.* Iob 1. num. 4. Sed cur inter hos fratres tanta erat vnitas, & concordia; inter illos verò tanta diſſenſio, vt ſemper Eſau machinaretur mortem in fratrem ſuum vterinum? (*Iuſti inter ſe habent pacē, cum iniquis diſſidium.*) Filij Iob omnes probi, & ideo indiuiſo amoris vinculo connectebantur: at verò rectitudo Iacob diſſociata erat à malitia Eſau, vnde veluti indicto bello viuebant, vt notauit Origenes lib. 1. in Iob. (Origen.) Poſtquam laudat ſanctitatem filiorum Iob, ſic ait *Eſau cum vnum ſufferre non poſſet germanum fratrem Iacob, interficere eum quæſiuit. Septem verò filij, & tres filiæ Iob, tanquam vna anima indiuiſè conuixerunt in vnanimitate, vt malignus dæmon facilius omnes pariter indiuiſos interficere, quàm diuidere, atque diſſociare benignam, atque vnanimem eorum vnitatem poſſet.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc teſtatur, ſuum aduentum eſſe ad mittendum gladium, cùm alibi dicat ignem? Et agitur, quid ſit iſte gladius.*

11. Euthym. *Amor terrenus diuino poſtponendus.* AB hoc ſecundo incipio. Quid gladius hîc ſignificet, dubitatur. Euthymius Dei dilectionem interpretatur, cum omnis amor terrenus diuino ſit poſtponendus. Ita ipſe ait: *Gladium vocat dilectionem erga ſe, vtpotè fideles ab infidelibus diuidentem; cuius inexpugnabili virtute, ipſi quoque genere amiciſſimi, citius à mutua coniunctione ſunt diuiſi.* Secundò verò D. Chryſoſtomus in Imperfecto hom. 26. D. Hilarius, D. Paſchaſius, Albertus Magnus, Theophylactus, D. Thomas gladium verbum Dei eſſe dicunt. Tertiò, Tertullianus in Scorpiaco cap.8. & 9. D. Auguſtinus lib. 1. Retractation. cap. 19. Ioannes Climacus grad. 3. de peregrin. Abulenſis quæſtione 135. ſequuntur communiter recentiores, qui per gladium ſeparationem autumant. (D. Chryſoſt. D. Hilar. D. Paſchaſ. Albert. Mag. Theoph. D. Thom. Tertull. D. Auguſt. Climac. Abulenſ.)

12. *Concordātur ſententiæ.* In his ſententiis nulla eſt diſſenſio in re, vt exiſtimo: nam quidam loquuntur de cauſa diuiſionis, ac ſeparationis; alij formaliter de ipſa ſeparatione: prima enim, & ſecunda ſententia, quæ gladium interpretantur amorem Dei, ſeu verbum Dei, loquuntur de cauſa, quoniam Dei dilectio, ac fidei prædicatio ſunt in cauſa, vt inter intimè coniunctos fiat diſiunctio: Ita ait Chryſoſtomus citatus. (Chryſoſt.) *Omnes ſimul, quaſi ſub vna domo, incluſi tenebantur, ideo miſit Dominus ſeparationis gladium inter illos, id eſt verbum veritatis, de quo ait Apoſtolus: Viuum eſt verbum Dei, & efficax ſuper omnem gladium acutiſſimum. Iſte eſt ergo gladius bis acutus; ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens; ex altera autem parte malos ab executione; vt nec bonos ignorantia perdat, nec malos excuſet.*

13. *Tertia, & probabilior.* Tertia ſententia loquitur de ipſa ſeparatione formaliter, quæ ex eo mihi eſt probabilior, quia D. Lucas expreſsè poſuit ſeparationem. Et patet ex ſequentibus: *Veni ſeparare hominem aduersùs patrem ſuum*, &c. Hæc autem ſeparatio fidelium (*Hominum malitia.*) ab infidelibus, etiam conſanguineis, & cognatis aduentu Chriſti pullulauit; non quod Chriſtus

eam intenderit, nec eo fine venerit, vt talia fierent; ſed quod ex eius ſalutifero, ac pacifico aduentu hominum malitia occaſionem arripuerit eam intromittendi, ac ſeminandi, vt docent D. Chryſoſtomus homil. 36. Abulenſis citata quæſtione 135.

D. Chryſoſt. Abulenſ.

13. Hîc in præſenti ait Chriſtus, quod ipſe venerit, vt mitteret gladium; alio verò loco ait, quod venit, vt mitteret ignem: *Ignem veni mittere in terram*: Luc. 12. num. 49. Quod notauit Origenes homil. 5. in Ezechiel. Quod factum eſſe exiſtimo, vt ita Chriſtus Dominus nobis explicaret duos effectus ſui ſacratiſſimi aduentus, Euangegelij, ac fidei: nam ſub diuerſa conſideratione ignis, & gladius dicitur. Ignis, quia conſumit peccata, illuminat mentes, & inflammat voluntates. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis*. Pſalm. 118. num. 105. *Eloquium Domini inflammauit eum*. Pſalm. 104. num. 19. Gladius etiam appellatur, quia diſſeſcat, ac diuidit omnem concupiſcentiam carnis, ac humanum affectum ſpiritui reſiſtentem. *Lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt de fortiſſimis Iſraël, vnuſquiſque enſis ſuper femur ſuum*. Cantic. 7. num. 3. Hos enim effectus Chriſti doctrina in nobis operatur, ac fides. Quos his figuris explicat Chriſtus Dominus, vt iam notauit D. Paulinus Epiſtol 3. ad Auguſtinum. *Vides eum*, ait, *vnam vim doctrina ſua diuerſo ignis, & gladij nomine deſignaſſe*.

Luc. 12. Origen. *Effectus Euangelij conſumere peccata, & amputare carnis amorem.* Pſalm. 118. Pſalm. 104. Cant. 7. D. Paulin.

14. Inter candelabra aurea multa maieſtate apparet Chriſtus Dominus dilecto ſuo Ioanni. Et inter cætera, quæ ibi in pompoſo Domini apparatu notantur, ſcribitur: *Oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & ex ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua*. Apocal. 1. num. 15. Sed dum manſuetiſſimus Ieſus dilecto ſuo Ioanni ſe exhibet, ad quid tam armatus igne, & ferro venit? Deſcendit Dominus, vt ſuam doctrinam dirigeret, ac diffunderet in Epiſcopos Aſiæ; vtque eis effectus eius aperiret, flamma, & gladio ſtipatur. Ignis, vt abſumat peccata, & mentem incendat; gladius verò, vt ex omni parte carnis affectus amputet. Gloſſa in vtroque loco. *Oculi, tanquam flamma ignis, ſunt dona Spiritus ſancti, quæ illuminant, & faciunt ardere. Gladius verò eſt prædicatio, quæ opera carnalia, ac concupiſcentias ſecat*. Et pro maiori intelligentia aduerte, quod hîc in Chriſto tripliciter notatur ignis: flamma ignis, caminus ardens, Sol lucens. Caminus ad abſtergenda peccata, Sol ad mentem illuminandam, flamma ad ſuccendendam voluntatem. Gladius autem dicitur bis acutus ad reſecanda in nobis interius, & exterius carnis opera, ac illius effectus. Anſbertus in Apocalypſim. *Hoc gladio iugulantur hi, qui ob amorem patriæ cœleſtis parentes, ac carnales propinquos deſerunt, Domino atteſtante, non veni pacem mittere, ſed gladium*.

Apoc. 1. *Exardeſcat anima in Dei amore, & carnalia amputet.* Gloſſa. Anſbertus.

15. Poſt lapſum primi hominis, ipſe eiicitur à loco amœniſſimo. *Et collocauit Deus ante paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*. Geneſ. 3. num. 24. Ad quid ad cuſtodiendum aditum ligni vitæ apponitur Cherubin cum flammeo gladio, nam ad homini ingreſſum prohibendum ſuperabundans erat ipſe Cherubin, cum ille fortior, ac potentior ſit quolibet homine. Ad quid ergo deputatur Angelus, & non cum quolibet gladio, ſed cum gladio flammeo? Ita cœleſtis ille ſpiritus viam ligni vitæ cuſtodiebat, vt eam etiam demonſtraret ſuo flammeo gladio. Vt ſi quis vellet ad lignum vitæ accedere, per flammam, & gladium ei tranſeundum erat. Per ignem, vt extingueret peccata, & exarderet in Dei charitate: per gladium verò, vt omnem carnis amorem reſcinderet. Rabbanus. *Vt feriendas in nobis illecebras concupiſcentiæ corporalis inſinuet gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ſi ad lignum vitæ, qui eſt Dominus Chriſtus, penetrare concupiſcimus*.

Geneſ. 3. *Qui vult ad Deum accedere, tranſeat per flammam amoris, ac gladium reſecationis carnalium.* Rabban.

## Qvæstio III.

### *Quare Chriſtus Dominus dicat, ſe potiùs mittere in terram gladium, quàm bellum?*

16. Hoc dubium excitat D. Chryſoſt. homil. 36. in Matth. *Non dixit bellum*, ait, *ſed, quod atrocius eſt, gladium*. Bene poterat eſſe bellum abſque eo quod ad gladios deuentum eſſet, vt in Angelis intelligimus. Ait Dominus gladium, quod eſt quid atrocius, quia ſuos vocabat, non ad quælibet bella, ſed ad ea, in quibus gladij, ac occiſiones interuenturæ erant: exhortabatur enim eos ad implenda diuina mandata, ob quæ gladio interficienda, ac reſecanda erant voluptatum blandimenta, ac carnalia deſideria. In hoc ſenſu loquitur D. Paſchaſius lib. 6. in Matth, *Quo gladio*, ait, *dum ſibi ſponſam Dominus ducit, venit debellare, ſibique proſternere omnes aduerſarios ſuos*.

D. Chryſoſt. *In Chriſti diſcipulis reſecanda eſt carnalium voluptas.* D. Paſchaſ.

17. Secundò, D. Hilarius notat, quod gladius omnium telorum acutiſſimum telum, inſtrumentum eſt poteſtatis, & iuſtitiæ, non verò ſæuitiæ. Poterat quis cogitare, in hac ſeparatione filij à patre, & filiæ à matre magnam iniuſtitiam committi, cum magnum ius, natura dictante, eis debitum ſit à ſuis natis. Meritò tamen huiuſmodi cenſor in multam cenſuram incurret, nulláque in hoc negotio eſt iniuria, ſed magna iuſtitia. Multum amorem cum præſtantiſſima reuerentia parentibus eſſe debitum agnoſco; tamen multo plus Deo deferendum eſt. Vnde ſi parentum obedientia Dei obſequio repugnat, iuſtum, & ſanctum eſt, parentes omittere, & Deo adhærere. In hoc ſenſu explicanda ſunt verba Chriſti Luc. 14. num. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, ſuum, & matrem; adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Vide quæ dixi tom. 2. cap. 23. quæſtione 8. & 9.

D. Hilar. *Parentibus obediendum, dũmodo Dei obſequio non repugnent.* Luc. 14.

18. Tertiò, D. Paulinus Epiſt. 3. ad Auguſt. *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Quomodo Mariæ illata per gladium paſſio, vel tribulatio præſtaret*. Componit S. Pater hunc noſtrum textum: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*: cum Simeonis verbis B. Virgini allocutis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: Luc. 2. num. 25. Quæ ſic explanat D. Bernardus ſerm. in cap. 12. Apocalypſis, dicens. *An non tibi pluſquam gladius fuit ille ſermo, reuera pertranſiens animam, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur*. Diuinus Magiſter cum eſſet indicaturus ſuis diſcipulis gladium, quo à propriis parentibus diuiderentur; alta ſapientia diſponit ipſe, vt prius ſuæ dilectiſſimæ matri prænuntietur acutiſſimus gladius, qui aliquantiſper ſecundum præſentiam corporalem videatur diuidens Ieſum ab ea, dum prætermiſſo nomine matris, & pro ſe ipſo dilectiſſimo filio, ei ſubrogatur Ioannes, vt tanto ſuo exemplo nos inſtrueret Chriſtus, quod ſi ipſe ea, quæ præcipiebat, ac exigebat à ſuis, prius in ſe adimplebat; quantò magis nos debemus obſeruare ea, quæ ſubditis in mandatis tradimus. Vide tom. 2. cap. 4. num. 33.

D. Paulin. Luc. 2. D. Bernard.



*Prælatus, quæ mandat, prius in ſe adimpleat.*

20. Quartò, Andreas Cæſarienſis ſuo cap. 14. componit præſentia verba: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*: cum his, quæ viſa ſunt in Apocalypſi cap. 6. num. 3. nam aperto ſecundo ſigillo, *Exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, & datus eſt ei gladius magnus*. Ita ait citatus Andreas. *Huc namque pertinet illud Chriſti, non veni pacem mittere, ſed gladium, per quem martyrum hoſtiæ mactatæ, & in cœleſti ara oblatæ ſunt*. Equus rufus ob rubeum colorem perſecutores ſanctæ Eccleſiæ, ſanguinem ſacrorum martyrum effundentes deſignat, quibus diuina permiſſione interueniente datum eſt, vt tollerent pacem temporalem de terra, & datus eſt etiam gladius, quo ſanctos martyres interficerent. De hac permiſſione loquitur Chriſtus Dominus in præſenti, vt explicaui ſuperiori quæſt. num. 13. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, quo nimirum martyrum victimæ immolarentur in odorem ſuauitatis, vtpotè Deo gratiſſima hoſtia, ideo ad hoc ſignanter ait, miſſum, ſeu permiſſum eſſe gladium.

Cæſar. Apoc. 6. *Chriſtus in ſuis martyribus maximè delectatur.*

21. Audiens Petrus ſuam crucifixionem, de Ioannis morte, ac martyrio quærit; ac interrogat: *Domine, hic autem quid?* vt interpretantur ibi Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij. Petro reſpondet Chriſtus; *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* Ioan. 21. num. 22. Quæ verba ita ſingulariter gloſſat Petrus Damianus, vt ita ſint intelligenda, quod Chriſtus è cælo deſcendens Ioannis animam in æternam beatitudinem deferat. Sic ait Damianus ſerm. 2. de Ioanne Euangeliſta. *Notandum, quàm piè, quàm paterne Saluator ſic, inquit, volo manere eum, donec veniam, ait, non mittam aliquam ſupernam virtutem non angelicam poteſtatem, ipſe per me ipſum veniam, ipſe egredientem eius animam in gloriæ meæ claritate ſuſcipiam*. Hoc ſuppoſito dubitatio exoritur: Cur ipſemet Chriſtus deſcendat ad tranſuehendam Ioannis animam, cum hoc Lazaro Angeli præſtiterint. *Vt portaretur ab Angelis ſuis in ſinum Abrahæ*. Luc. 16. num. 22. Cur ergo Lazaro ſufficiunt Angeli; ad Ioannem verò ipſe Chriſtus aduenit? Lazarus, quamuis ſanctitate, paupertate, patientia valdè illuſtris, tamen martyrij lauream non obtinuit, qua Ioannes coronatus eſt; nam quamuis in feruentis olei dolio non occubuerit, ipſe martyrio non defuit; ac proinde meritò inter triumphantes martyres computatur. Lazaro de hoc mundo egredienti ſufficienter angelici ſpiritus adſiſtant, vt in Abrahæ ſinum aſportetur. At Ioannes, qui in ſummo eminet faſtigio, vtpotè martyrij palma inſignitus, non ab aliquo præexcellenti miniſtro, ſed ab ipſiuſmet Chriſti vlnis ad thalamum Patris deferendus eſt: hic enim honos peculiariter ſanctis martyribus tribuitur. In hoc ſenſu D. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 7. & Epiſtol. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem; ac Petrus Damianus ſerm. de S. Stephano, docent, quod dum magnus Leuita lapidaretur, ſtabat Ieſus, vt Stephanum exciperet, & Patri hoſtiam boni martyris offerret, ac tanto luctatori brauium certaminis redderet.

Chryſoſt. Theoph. Ioan. 21. Damian. Luc. 16. *Chriſtus martyres ſuos ita condecorat, vt ad eos ſuſcipiendos, è cælo deſcendat.* D. Ambr. Damian.

22. Quid mirum, quod ad condecorandos ſanctos martyres Chriſtus dicatur aduenire, cum in ipſis inueniatur eius reclinatorium, & aſcenſus. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum*. Cant. 3. n. 9. Vbi multa latent myſteria in ſanctorum laudem. De lignis Libani ob ſuam puritatem; columnas argenteas ob ſuam firmitatem, & animi candorem. Tamen duo notare volo pro ſanctis martyribus. Primò. *Reclinatorium aureum*; per quod ſanctos martyres intelligit Philo Carpatius. Ante quorum teſtimonium Chriſtus dicebat: *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*. Luc. 9. num. 58. *Comparantur enim auro propter fidei probationem: tanquam aurum in fornace probauit eos*. Sapient. 3. num. 6. Per aſcenſum autem purpureum etiam martyres interpretatur Iuſtus Orgelitanus. *Aſcenſus purpureus*, ait, *Martyrum eximiam perfectionem in effuſione ſanguinis docet*. Quomodo hi glorioſi athletæ dicuntur reclinatorium, & aſcenſus? nam reclinatorium ad ſedendum inſeruit; aſcenſus verò ſedem negat, & ad id inſeruit, vt ad ſuperiora tendas. Quomodo ergo reclinatorium, & aſcenſus? Tam ſuauiter Chriſtus Dominus in ſuis glorioſis triumphatoribus iucundatur, ac delectatur, vt in eis modò tanquam in pretioſiſſimo reclinatorio videatur eniti, ac requieſcere; modò tanquam in glorioſo aſcenſu vehementer extolli, ac ſublimari: nam Deus mirificè glorificatur in ſuis ſanctis martyribus. D. Hieronymus Epiſtol. 150. ad Hedibiam quæſt. 11. *Triumphus Dei*, ait, *eſt paſſio martyrum; & pro Chriſti nomine cruoris effuſio; & inter tormenta lætitia*.

Cantic. 3. Phil. Carp. Luc. 9. Sapient. 3. Orgelit. *Chriſtus in martyribus requieſcit, & exaltatur.* D. Hieron.

*Matth.* 10. *n.* 35. Veni enim ſeparare hominem aduersùs patrem ſuum, & filiam aduersùs matrẽ ſuam, & nurum aduersùs ſocrum ſuam.

*Num.* 36. Et inimici hominis domeſtici eius.

### *Versiones.*

*Syriacus, n.* 35. Veni enim, vt faciam diſſidere virum aduersùs patrem ſuum.

*Arias.* Veni enim diuidere.

*Theophylactus.* Et filiam aduersùs matrem ſuam, & ſponſam aduersùs ſocrum ſuam.

*Syriacus, n.* 36. Et inimicos habebit vir filios domus ipſius.

*Vatablus.* Et inimici hominis erunt hi, qui ſunt domeſtici ipſius.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 12.n.52.* Erant enim ex hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres diuidentur.

*Num.53.* Pater in filium, & filius in patrem ſuum: mater in filiam, & filia in matrem: Socrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.

### EXPOSITIO II.

23. Albert. Mag. VENI *ſeparare:* non ſeparationem localem dicit Dominus, vt inquit Albertus Magnus, ſed diſiunctionem ſecundum affectum: & hanc ſeparationem denuntiat, tam in natura, quam in amicitia coniunctos, vt patet ex littera, & notat D. Chryſoſtomus homil. 36. Hi enim omnes, ait Euſebius Gallicanus homil. in natali plurimorum Martyrum, erant concordes in malo; hanc concordiam non approbat Ieſus, ſed venit eam diuidere, vt explicaui in ſuperioribus: *Separare hominem.* Idiotiſmus Hebraicus indefinitus pro quolibet, ſcilicet fideli aduerſus patrem infidelem, vel è contra: nam, vt ait D. Anſelmus, in quibus diuerſitas eſt fidei, non eſt animorum vnitas, vt iam dixi cap.8.n.110.& 111. Lucas verò ait: *Erunt enim ex hoc*, ſcilicet Religionis cauſa, *quinque in domo vna diuiſi*, hoc eſt habitatores; ſibimet ſeparati, ac contradicentes, *tres in duos, & duo in tres*, ſcilicet aliquando erunt duo pro Chriſto, contra tres; aliquando verò pro Chriſto tres contra duos. Cur autem quinque potiùs dixit, quàm ſex? In ſenſu ſpirituali explicant Ambroſius, & Euthymius, fortè quia hic eſt primus numerus, qui in plures partes inæqualiter diuiditur ad magis oſtendendam contentionem: Pater in filium ſcilicet pater incredulus in filium credentem; vel è contra. Et ita cætera ſunt exponenda.

(D. Chryſoſt. Euſeb. D. Anſelm. D. Lucas. D. Ambroſ. Euthym.)

24. D.Paſchaſ. *Inimici homini domeſtici eius.* Primò, D. Paſchaſius lib.6. in Matth. ita explicat. *Inimici hominis*, ſcilicet Chriſti, qui eſt filius hominis, *domeſtici eius*, Iudæi ſcilicet dum apoſtatauerunt à fide, qui prius erant amici, & domeſtici. Aliam etiam expoſitionem refert, quam ipſe ſubtilem appellat. *Inimici hominis* prius, *domeſtici eius*, ſubauditur erunt: nam Gentiles, qui antea erant *inimici*, prædicatione euangelica facti ſunt Chriſti amici, & domeſtici. Tamen ſenſum genuinum tradũt, etiam ipſe Paſchaſius, D. Chryſoſt. homil.2. contra Iud. D.Paulinus Epiſt.3. ad Auguſt. Albertus Magnus, S. Thomas, & alij. Inſurgent filij in parentes, & domeſtici alieni à fide, in eadem domo habitantes, fient crudeles inimici illius, qui meam fidem amplexatus fuerit, atque ita omnia naturæ iura pro mea Religione pro nihilo ducentur. Moraliter Piamon Abbas collatione 18. cap.16. per domeſticos intelligit noſtros ſenſus, qui maximè nobis ſunt intimi, & crudeliter aduerſantur nobiſmetipſis.

(D. Paſchaſ. D. Chryſoſt. D. Paulin. Albert Mag. S. Thom. Piamon.)

25. Michææ 7. In hac ſententia alludit Chriſtus Dominus ad prophetiam Michææ 7.num.6. *Filius contumeliam facit patri, & filia conſurget aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum, & inimici hominis domeſtici eius.* Michæas teſte D. Hieronymo, ad litteram loquitur de calamitate inducta per Chaldæos in obſidione Ieruſalem. Chriſtus autem eam accommodauit ad rem præſentem, vt ſignificaret diſcordiam, ac pugnam infidelium contra fideles: nec enim neceſſe eſt, vt in Allegoria, vel parabola omnia omnino adaptentur. D. Hieron.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare hîc Chriſtus dicit: Veni ſeparare filium, filiam, nurum; non verò è contra, veni ſeparare patrem, matrem, ſocrum?*

26. Palat. *Efficacia Euangelij.* AD quæſtionem reſpondeo, ex triplici motiuo hoc factum eſſe. Primò, vt oſtendatur ius filiorum. Secundò, efficacia Euangelij. Tertiò, docilitas iuuenum, & obſtinatio ſenum. Primò, vt ait Palatius, vt intelligamus, quod in Euangelico negotio, ac re ſalutis, nec filius, nec filia à parentibus dependent, ſed filius, maximè pertingens iam decimum quartum annum, etiam repugnantem parentem ipſum poteſt relinquere, vt Euangelicæ perfectioni mancipetur. Secundò, vt efficacia Euangelij innoteſcat; non enim multum mirabile erat, ſi pater contra filium inſurgeret, vtpotè maior contra minorem; at quod filius, & etiam filia contra parentes inſurgant, eorúmque domos contemnant, ab eiſque ſeparentur, hoc non niſi ſummæ efficaciæ eſt.

27. D. Paſchaſ. Tertiò, D. Paſchaſius lib.6. in Matth. *Mirabilis artifex grandæuam ætatẽ deſerens*, ait, *& ſemper in hoc, loco parentum, iuniores aſſumens: nimirum quia ſerior ætas lõgioribus, & diuturnis malis aſſueta, vel implicita erroribus, vix, aut nunquam abſoluitur. Iunior verò ætas facilius reuocatur ad fidem, & quæ rationabilia docentur, efficacius capere probatur, & credere quàm citius.* Ait Chriſtus veni ſeparare filium à patre, & filiam à matre, veluti ipſum filium fidelem à paterna Idolorum falſa religione ſeparans, & ad ſe aſſumens, nam, cum iuuenes ſint minus ſæculo aſſuefacti, faciliores inueniuntur ad doctrinam ſanctam capeſcendam, quàm ſenes, qui iam duri effecti, & veluti callo obducti, intima ſui cordis ſæpè Deo claudunt. Hæc autem, vt notat ipſe Paſchaſius, non ideo dicuntur, vt multi ex parentibus non crediderint prius, quàm filij, ſed quod frequentius eſt à natura, benignus magiſter intromittit.

*Senes in malitia obdurati difficiliter reſipiſcunt; faciliter verò iuuenes.*

28. Pſalm.148. *Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini.* Pſalm.148.num.12. Vulgaris eſt ſententia, quod ſenibus primus, ac honoratior locus ſit deferendus. Quomodo ergo Dauid, non ſenes, ſed iuuenes apponit in exordio carminis: & quod magis mirum eſt, de adoleſcentibus bis facit mentionem, de ſenibus autem ſemel? nam iuuenes prius, & in duplo erant adducendi, ac trahendi ad fidem, quàm ſenes, de quibus ait Seneca lib.3. Epiſtol.25. *Grandior ætas dura, & intractabilis non poteſt reformari: tenera finguntur.* Seneca.

*Senes difficiliter trahũtur, aliter iuuenes.*





29. Iob 29. De ſuo regno conueniente ad eum poſitum in ſolio ad iudicandum ait Iob 29. num.8. *Videbant me iuuenes, & abſcondebantur; ſenes aſſurgentes ſtabant.* Cum ſanctus Patriarcha conueniebat ad ſuum tribunal ad iudicandum, iuuenes ſeſe occultabant, Philippus Abbas ſic interpretatur, *quod abſcondebantur, reuerentiam pietatis, & ſancti timoris indicat:* & tamen ſenes ſtant, & nullus recedit; quod licet communiter eorum probitati referatur, tamen iuxta citatum Philippum, Iuuenes ob reuerentiam pietatis, & timoris ſe ſubtrahunt; & tamen ſenes ſtant, quia licet multi eſſent boni, fortè aliqui extabant valdè improbi, & ita ſeneſcentes, ac obſtinati in malo, vt iudicium, ac reprehenſionem Iobi contemnerent, ac negligerent; & ita erant medicinæ expertes, vt de præſentia medici nihil curarent.

(Philippus.) *Senes obdurati in malo, medicinæ sũt expertes.*

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare de viro, & vxore non ſit mentio, cùm hic ponantur pater, & filius; mater, & filia?*

30. Euthym. Rupert. FACILE ad quæſtionem reſpondent Euthymius, & Rupertus in præſenti, quod per hos chariſſimos omnem cognationem intelligit. Imò & dum ait, nurum aduerſus ſocrum, ſeu ſponſam, vt legit Theophylactus, ibi virum, & vxorem denotat, & ſupponit. Theoph.

31. Rupert. In ſenſu autem morali ipſe Rupertus lib.5. de opere Spiritus ſancti lib.1. conſil. cap.21. ſic ait. *Notandum, quod cum cæteras affinitates dixerit, filium aduerſus patrem, & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum, non dixit virum aduerſus vxorem, ſiue vxorem aduerſus virum, ne videlicet euangelica puritas occaſionem adulterij dare videretur.* Cum inter patrem, & filium; matrem, & filiam diſſenſionis, ac ſeparationis mentionem fecerit; hoc tamen maximè prætermittit inter virum, & vxorem; vult enim Chriſtus Dominus eos eſſe maximè vnitos, & concordes; & ideo in illis nullam diſſidij ſuſpicionem dixit, ſed omnem contentionis occaſionem remouet.

*Inter coniuges ſit maxima vnitas, & nulla diſſidij ſuſpicio.*

32. Maximè vniti ſint coniuges inter ſe, itaut non tanquam diuerſi, ſed vnum quid reputentur. E Sodomis educunt Angeli Lot vnà cum vxore ſua; & dicunt ei: *Noli reſpicere poſt tergum.* Geneſ.19. num. 17. Quod mandatum ſine vlla dubitatione etiam vxorem comprehendebat. Si ergo ad multos ſe extendebat, cur non dicunt in plurali, nolite reſpicere, ſed tantum in ſingulari loquuntur, ac ſi cum vna tantum perſona ſermo eſſet: *Noli reſpicere?* Cœleſtes illi ſpiritus, diuina ſapientia illuſtrati, cum agnoſcerent Lot cum ſua vxore coniugatum, ita eos vnitos ſuppoſuere, vt non duos, ſed vnum quid reputarent: & ideo quamuis mandatum plures reſpiceret, ita tamen profertur, ac ſi cum vno ſolo ageretur. Procopius. *Quemadmodum in creationis principio ſolus Adam exiſtimabatur accepiſſe legem, ſiue præceptum, quod tamen comprehendebat & vxorem; ſic cum ad Lothum diceretur, ſaluti tuæ conſulito, ne reſpexeris; non ſolùm Lot dictum eſt, ſed & vxori.*

(Geneſ 19.) *Coniuges ſint vniti tanquã vnum quid.* (Procop.)

33. Eleganter Tertull. lib. de Monogamia, cap.1. ait: *Vnum matrimonium nouimus, ſicut vnum Deum.* Nam ſicut in vno Deo cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius naturæ diuinæ: ita quodammodo, ac ſecundum aliqualem loquendi modum, in matrimonio cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius carnis: *Erunt duo in carne vna.* Geneſ.2. num.24. Rupert. lib.2. in Gen. cap. 38. *Coniugij copulam*, ait, *omnium carnalium neceſſitudinum maximam, atque fortiſſimam fore promittit, adeo vt ſimul copulati, iam non ſint duo, ſed caro vna.* Ad hanc autem vnitatem inſinuandam, mulierem Deus, non è terra, ſed ex Adami coſta formauit. Geneſ.2. num.21. Vt ſicut in eis eſt vna natura, ita ſit, & vna voluntas. Præclarè D. Baſil. Seleuc. orat.2. *Neque verò ex terra*, inquit, *ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt coaptet; & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ.*

(Tertull. Geneſ.2. Rupert.) *Cõiuges cum in natura ſint vnum, & vnum in voluntate ſint.* (D Baſil. Seleuc.)



*Matth.10.n.37.* Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus; & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.

*Num.38.* Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

### VERSIONES.

*Vatablus, n.37.* Qui amauerit patrem, aut matrem ſupra me.

*Theophylactus.* Qui amat patrem, aut matrem vltra me.

*Tertull. lib. de Baptiſ. c.12.* Qui patrem, aut matrem mihi prætulerit, non eſt me dignus.

*D. Athanaſius in exhort. ad Monachos.* Quicumque plus me fecit domum, aut vxorem, aut filios, non eſt me dignus.

*Syriacus, n.38.* Et quicumque non baiulat crucem ſuam.

*D. Chryſoſtom. homil. 26. in Imperfect.* Qui non tulerit crucem ſuam.

*Vatablus.* Et ſubſequitur me, non eſt me dignus.

*Franciſc. Luc.* Subſequitur retrò me.

### EXPOSITIO III.

34. DIXERAT Dominus: *Veni ſeparare patrem aduersùs filium:* & in lege mandauerat, parentes diligere, ac honorare Exod. 20. n. 12. Ne ergo ſibi videretur contrarius, vt rectè ait D.Paſchaſius lib.6. in Matth. temperat, & explicat Dominus ſuum modum dicendi, quod non prohibeat abſolutè, patrem, aut matrem, aut cæteras affinitates diligere, ſed ſolùm vetat amare, ait Chriſtus, plus me, ſeu ſuprà me: ſemper enim

(Exod. 20. D.Paſchaſ.)

Dei amor omni temporali præferendus eſt; hæc eſt enim charitatis directio, & primum mandatum in lege, diligere Deum ex toto corde, nec enim ſolùm diligendus eſt Deus, ſed ſuper omnia diligendus eſt, vt ait Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 26. *Non eſt me dignus*; non eſt dignus meo diſcipulatu, conſortio, regno, ac promiſſis meis. Et nota, quod ipſe ſolus ſe ponit in præmium; nam ſuprà omnia eſt, Deo adhærere, in quo ſunt omnia. *Gloria magna ſequi Deum.* Eccleſiaſt. 23. num. 38. Per has autem affinitates, patrem, & matrem; filium, & filiam, intelligit omnes cognationes, ac humanos affectus.

Chryſoſt. — Ecclef. 23.

35. *Et qui non accipit crucem ſuam.* Hæc doctrina ad omnes fideles dirigitur, vt notat S. Leo ſerm. 9. de Quadrageſima. Et ait: *Qui non accipit*, ſeu, qui non tulerit; nam apud Hebræos idem erat, crucem accipere, ac tollere qui enim crucifigebantur, crucem accipiebant, & portabant. Crucem poſuit pro omni tormentorum genere, vt aduertit Euſebius Gallicanus ſerm. in natali plurimorum Martyrum; nam cruciari dicitur, qui quolibet modo affligitur. Et ideo crux hoc loco dupliciter explicatur. Primò cum Chryſoſtomo homil. 36. & in Imperfecto homil. 26. Theophylacto, D. Thoma, & aliis. Accipere crucem, idem eſt, ac eſſe paratum pro Chriſto pati, & ferre omnia opprobria, flagella, tormenta, ac mortem. Et hæc voluntas, ait citatus Chryſoſtomus homil. 36. qua homo ad hæc paratus eſt, magnum obtinet meritum apud Dominum. Secundò, D. Hilarius, Euthymius, Beda, Gloſſa Interlinealis, D. Gregorius homil. 32. in Euangelia per crucem carnis mortificationem, ac macerationem cum proximi compaſſione interpretantur. Sicut Apoſtolus dicebat: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ad Galat. 6. num. 14. Et iterum. *Qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Secunda ſententia eſt moralis; prima verò maximè litteralis. Alludit hîc Chriſtus Dominus ad baiulationem ſuæ crucis.

S. Leo. — *Quid ſit, accipere crucē.* — Euſeb. — D. Chryſoſt. — Theoph. — D. Thom. — *Voluntas noſtra pro magno merito.* — D. Chryſoſt. — D. Hilar. — Euthym. — Beda. — Interlin. — D. Greg. — Ad Galat. 6.

36. *Et ſequitur me*, ſeu, *ſubſequitur me.* Duplicem conſolationem hîc Dominus ſuis aſſignat; ac ſimul docet modum, quo crux ferenda eſt; dum ait: *accipit crucem ſuam:* magnum leuamen nobis traditur; non enim mandatur, vt feramus crucem alienam, ſed propriam. Secundò, cum ait: *Sequitur me:* quid facilius poteſt onus reddere? Valdè enim iuſtu[illegible]quum eſt, vt poſt Chriſtum crucem pro nobis baiulantem, crucémque noſtram eius amore ferentes, in patriam tendamus. *Et ſequitur me.* In hoc etiam modum ferendi crucem præſcribit, vt ad Chriſti exemplum feratur crux æquo, libenti, ac patienti animo propter gloriam Dei, tanquam finem vltimum. Apoſtolus Paulus ad Hebr. 12. num. 2. *Aſpicientes in auctorem fidei.* Et 1. Petri 2. num. 21. *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis.*

*Portatio propria crucis, leuamen.* — *Crux ferenda ad Chriſti imitationem.* — Ad Hebr. 12. — 1. Petr. 2.

---

## Qvæstio VI.

### *Quare iubet Chriſtus Dominus parentes, vel filios omittere, vel perdere propter Deum?*

37. Rationem litteralem iam dedi in expoſitione, quia diuinus amor omnibus præferendus eſt, & propter ipſum deſerendi ſunt parentes, ac filij. Vnde rectè ait D. Hieronymus. *Hîc ordo in omni affectu neceſſarius eſt: Ama, poſt Deum, patrem, ama matrem, ama filios Si autem neceſſitas venerit, vt amor parentum, ac filiorum, Dei amori comparetur, vt non poſſit vtrumque ſeruari: Odium in ſuos, pietas in Deum eſt.*

*Ratio genuina.* — D. Hieron.

38. Sed dices: Si iubemur, vt ſimus beneuoli, & pij in noſtros aduerſarios, itaut ipſos diligamus, quomodo ſtat, vt ſimus rigidi, & duri in amantiſſimos filios, & parentes? Illa eſt enim vera pietas, quæ interueniente Dei cauſa, parentes, & filios dat in perditionem, vt integrum ſuum affectum in Deum teneat. Eleganter D. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. de Adoratione. *Dei cultu violato*, ait, *miſericordia commoueri, minimè tutum eſt; ſed imprimis periculoſum importuno tempore ad mutuæ beneuolentiæ ignauiam emolliri: idque illud eſt, opinor, quod ait Chriſtus, qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Valeat omnino eo tempore pietatis lex; recedat naturalis amoris vis, & ea omnia, quæcumque ad hominum delectationem ſpectant, &, vt ita dicamus, pia duritie colatur Deus.* Expende illa verba: *pia duritie:* Eſſe aſperum, & durum in parentes, ac filios, Dei cauſa; ſancta, & pia durities eſt; nam tali occaſione, miſericordia commoueri, non tutum, ſed multum periculoſum, ac magna ignauia eſt.

D. Cyrill. — *Parentes ob Deum omittere, pia durities.*

39. Pro vitulo adorato viginti tria millia occiderunt Leuitæ, quibus ait Moyſes: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* Exod. 32. n. 29. Vbi duo notanda ſunt. Primò, quod, cum Leuitæ multos occiderent, inde tamen maximè laudantur, quod filios, & fratres interfecerint. Secundò, non quolibet modò eos laudat, ſed ait: *Conſecraſtis manus veſtras Deo:* adeò ſanctum, & pium opus eſt, parentes, [illegible] filios pro Deo perdere, vt ſit quædam hominis conſecratio, ac dedicatio Deo, vt inde omne bonum aſſequatur. Caietanus. *Senſus eſt*, ait, *quia vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo erit per actionem conſecratus, hoc eſt dedicatus Deo: vltra hoc erit actus iſte meritorius ad dandam ſuper vos hodie benedictionem, hoc eſt, vt Deus hodie vos benedicat.* Subiicio etiam Oleaſtri verba, quæ habent multam emphaſim. *Conſecraſtis*, ait, *ac ſi dicat Moyſes: Ita hodie miniſtraſtis, occidendo manibus fratres, ac coniunctos, ac ſi eſſetis ſacerdotes, quorum manus Dei miniſterijs conſecrantur.* Meritò enim in propinquorum deiectione conſecrantur manus Deo, quia ibi abiectis omnibus terrenis, integro affectu accedit homo ad Deum.

Exod. 32. — *Perdere parentes, & filios propter Deum, quædam conſecratio eſt.* — Caiet. — Oleaſter.

40. De Chriſto Domino vaticinatur Iſaias 11. n. 4. *Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Sed quænam erit hæc virga? quiſnam ſpiritus labiorum, quo terra, ac iniquus proſternendus eſt? D. Hieronym. ibi. *Percuſſit quoque omnia terrena opera virga, ſiue, vt Septuaginta tranſtulerunt, verbo oris ſui loquens in Euangelio: nolite putare, quia venerim mittere pacem ſuper terram: non enim veni mittere pacem, ſed gladium. Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, de quo in nono Pſalmo legimus: Increpaſti gentes, & perijt impius.* Et ſimiliter idem Hieronymus in cap. 49. num. 2. Illa verba: *Poſuit os meum, quaſi gladium acutum:* ita explicat, quòd gladius eſt verbum euangelicum: *Non veni pacem mittere, ſed gladium; veni enim diuidere hominem contra patrem ſuum, & filium contra matrem ſuam.* Veniens Chriſtus in mundum, vt omnes terreni affectus ſubiicerentur, ac vt crudelis inimicus dæmon periret, ad tantam rem perpetrandam quamnam poteſtatem in virga deſignatam, quodnam verbum oris ſui immiſit in mundum? an, vt vocaret homines ad carnis mortificationem, ſeu macerationem, vel ad antra deſerti? Magna Hieronymi ſententia: Non veni mittere pacem, ſed gladium, veni diuidere hominem aduersùs patrem, nam enſis acutiſſimus ad ſpirituales hoſtes occidendos eſt abiectio amoris, ac affectus cognatorum; ſi enim hi pro Deo contemnuntur, ſtatim omnes dæmonum machinationes conculcantur, ac ſuperantur.

Iſai. 11. — D. Hieron. — Iſai. 49. — D. Hieron.

euange



*Si conſanguinei contemnuntur ob Deum, omnes dæmonū inſidiæ ſuperantur.*

*Matth. 10. n. 39.* Qui inuenit animam ſuā, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuā propter me, inueniet eam.

### *Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Qui inuenerit animam ſuam. |
| *Vatablus.* | Qui inuenerit animam ſuam, perditurus eſt eam; & qui perdiderit animam ſuam mea cauſa. |
| *Cornel à Lapide ex Hebræo.* | Qui acquiſiuit, ſeu nactus eſt animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, acquiſiuit, ſeu nactus eſt eam. |

### Alter Textvs.

*Lucæ 17. n. 33.* Quicumque acquiſierit, animam ſaluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam.

## *Expositio IV.*

41. Exhortatvr hîc Chriſtus Dominus ad crucis acceptionem, ac ad mortem, & aduerſitates contemnendas. *Qui inuenit animam ſuam.* In Græco præteriti eſt temporis; in Syriaco verò futuri. Quid autem hîc anima ſignificet, duplex eſt ſententia. Prima, & communis D. Remigij, D. Paſchaſij, Euthymij, Theophylacti, Abulenſis, & aliorum, qui dicunt, hîc animam accipi pro vita, vt eſt frequens in Scriptura: *Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri.* Matth. 2. n. 20. Et ratio huius rei eſt, quam docet Ariſtoteles lib. 2. de anima. cap. 2. Quia anima eſt principium viuendi, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus. Franciſcus Lucas animam vult ſignificare per Synedochem ipſum hominem. Sic multoties ponitur in Scriptura Matth. 22. n. 39. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, Syriacus habet, *Sicut animam tuam.* Matth. 16. n. 24. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, Syriacus transfert. *abneget animam ſuam.* Et fundatur hæc ſententia. Quia anima hîc in primo, & ſecundo loco non poteſt accipi eodem modo, vt notauit Maldonatus. Hæ ſententiæ parum differunt inter ſe, & vtraque probabilis; prima verò communior, & inde veriſimilior.

*Quid ſignificet anima.* — D. Remig. — D. Paſchaſ. — Euthym. — Theophyl. — Abulenſis. — Matth. 2. — Ariſtoteles. — Franc. Lucas. — Matth. 22. — Ariſtoteles. — Matth. 16. — Syriacus. — Maldonat.

42. *Qui inuenit animam ſuam.* Ad omnem amphibologiam vitandam ſic explicabis. Qui abnegat meum nomen, meámque fidem, vt ſecundum ſuam opinionem, vitam hanc temporalem inueniat, ac conſeruet, hic ipſam vitam perdit, ſcilicet vitam æternam, quæ eſt vera vita, & demergitur in gehennalia ſupplicia. *Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam:* nempe ille, qui ob confeſſionem fidei hanc corporalem vitam perdiderit, ſeu morti commiſerit, hic inueniet vitam, gloriam, ac æternam animæ beatitudinem. Vnde ait D. Hilarius. *Sic ergo proficit lucrum animæ in mortem, & damnum in ſalutem. Detrimento enim breuis vitæ fœnus immortalitatis acquiritur.* Nota hîc cum Caietano, quod Chriſtus propoſito ſupplicio, & præmio nos exhortatur; ſupplicio, Qui inuenit, ſeu conſeruat, perdet in æternū; præmio autem, Qui perdiderit in hoc ſæculo, inuenit in æternam vitam, ita enim ſupplicia ſuppliciis, & deſiderium vitæ altiori vita ſuperauit. Tertullianus in Scorpiaco. cap. 5. *Voluit*, inquit, *Deus mortem morte diſſoluere, tormentis tormenta diſcutere, vitam auferendo conferre, carnem lædendo iuuare, animam eripiendo ſeruare.*

*Genuinus ſenſus.* — D. Hilarius. — Caiet. — *Supplicia ſuppliciis ſuperat Dominus.* — Tertull.

43. Aliqui ex radice hebraica pro *Qui inuenit* legunt, Qui acquirit, ſeu qui nactus eſt animam ſuam, id eſt, qui in tormentis abnegat Chriſtum, vt vitam acquirat, hic perdit: Qui autem ob Chriſtum eam in præſenti perdit, ſeu vitam amittit, ipſe inuenit, ſeu acquirit æternam vitam. Ex quo ait D. Chryſoſtomus homil. 36. in Matth. *Cur tuam deſpicere animam non vis? An quia ipſam amas? Ideo ergo quia ipſam diligis deſpice, vt ſummopere ipſi proſis, ac tum quæ ſunt verè amantis demonſtraueris.*

Radix hebr. — *Tunc maximè animam diligis, ſi pro Chriſto morti tradas.* — D. Chryſoſt.

*Matth. 10. n. 40.* Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.

*Num. 41.* Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.

### *Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Arias.* | Suſcipiens vos me ſu[illegible]pit. |
| *D. Athan. lib. 3. contra Arr.* | Qui vos excipit, me excipit. |

*Saluian. lib.8. de gubernat.* Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.

*Græcus n.41.* Qui prophetam recipit, tanquam prophetam.

## ALTER TEXTVS.

*Ioan. 13.n.20.* Amen, Amen dico vobis, qui accipit, ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit.

## *EXPOSITIO V.*

44. Verſ. 40.

SVPRA in hoc cap. 10. Matth. n. 14. egit Dominus de pœna, ac ſupplicio eorum, qui ſuos legatos, ac prædicatores non recipiebant: *Et quicumque non receperit vos, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum*, &c. Nunc verò agit de præmio, de quo q. ſequenti. *Qui recipit vos*, Apoſtolos, prædicatores, ac legatos meos. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, Scripſit Paulus 2. Corinth. 5. n. 20. [2. Cor. 5.] *Me recipit*, cùm meos legatos excipiat, ac proinde beneuolentiam, illis impenſam, mihi exhibitam reputo. Matth. 25. n. 40. [Matth. 25.] *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis, mihi feciſtis*. Sic ait Paulus ad Galat. 4 n. 14. [Ad Galat. 4.] *Non me reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis, ſicut Chriſtum Ieſum.* Vt Apoſtolos hilari, ac prompto animo excipiant, eis promittit Chriſtus præmium conferendum ab eo, & a Patre ſuo. Vnde addidit: *Et qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.*

45. Verſ. 41.

*Qui recipit prophetam in nomine prophetæ.* Prophetæ enim vocabantur, non ſolùm illi, qui futura prænuntiabant, ſed etiam illi, vt tradit D. Chryſoſtomus homil. 26. in Imperfecto, [D. Chryſoſt. Matth. 7.] qui prædicabant, ac docebant populum, vt patet Matth. 7. n. 15. & 22. *In nomine prophetæ*, ſeu, vt habet Græcus, tanquam prophetam, ſeu meum prædicatorem. Et dum ait, in nomine prophetæ, excludit alias cauſas amicitiæ, vel conſanguinitatis, ſeu diuitiarum; & ſolùm excipitur, quia Chriſti Apoſtolus, ac prædicator eſt, vt explicant Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas. [Chryſoſt. Theophyl. Beda. Albert. Mag. D. Thomas. D. Hieron. D. Paſchaſ.] Aliam etiam & ſubtilem expoſitionem apponunt D. Hieronymus, & D. Paſchaſius ad noſtram conſolationem, fieri enim poteſt, vt quis, aliàs malus, veniat in nomine prophetæ, ait Paſchaſius. *Inſinuat Dominus, non perſonas ſuſcipiendas eſſe ſed nomina officiorum, & mercedem non perdere ſuſcipientes, licèt indignus fuerit, qui ſuſceptus eſt.* [*Miſericordia licet indigno exhibita ob Chriſtum, ab ipſo remuneratur.*] Sequitur textus: *Mercedem prophetæ accipiet*: talem nempe habebit mercedem, qualem & ipſe Propheta, proportione ſeruata, in æterna ſalute. *Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti*, prout iuſtus eſt, vt de propheta eſt explicatum, *mercedem iuſti recipiet*, quæ eſt æterna beatitudo; per hoc autem, ait Euthymius, [Euthymius.] oſtendit Chriſtus, ſuos Apoſtolos futuros eſſe prophetas, ſeu prædicatores; & iuſtos.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Dominus hîc proponit tantum præmium receptoribus ſuorum diſcipulorum?*

46. D. Chryſoſt.

SIMVL cum hac quæſtione explico connexionem præſentis loci cum ſuperioribus. Reſpondeo primò iuxta Chryſoſtomum homil. 26. in Imperfecto. Quod ſcilicet Chriſtus Dominus ſuum ſermonem ad Apoſtolos dirigebat; & cùm in hoc cap. 10. Matth. n. 10. eis mandaſſet, vt nihil aſportarent in via, nec peram, nec cibos, nec calciamenta: & etiam eis dixiſſet, vt inſtante perſecutione de vna ciuitate fugerent in aliam n. 23. ideò vt optimus parens eis prouidet de neceſſariis; & ideo, vt ait Euthymius, [Euthym. *Dominus prouidet ſuis neceſſaria.*] omnium fidelium domos eis aperit, vt læto, & hilari animo eos excipiant, dum magno propoſito præmio omnes ad hanc hoſpitalitatem inuitat. Ita etiam docent D. Hieronymus hîc, Abulenſis q. 141. Caietanus, & alij. [D. Hieron. Abulenſis. Caietan. Maldonat.] Maldonatus aliam apponit rationem, quod Chriſtus hæc dixit, vt ſuis ſignificaret, quantam eorum curam eſſet habiturus, cum illius perſonam agerent.

47. Saluianus.

In hoc ſenſu Saluianus lib. 8. de Gubernatione explicat hunc locum. *Si à quocumque*, ait, *filius verberetur alienus, in ſupplicio filij pietas paterna torquetur: ita & cùm ſeruus Dei à quocumque læditur, maieſtas diuina violatur, dicente, id ipſum ad Apoſtolos ſuos Domino*: Qui vos recipit, me recipit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Benigniſſimus ſcilicet Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem, & contumeliam facit, ne quis, cùm læderet Dei ſeruum, hominem tantùm à ſe lædi, arbitraretur: cùm abſque dubio iniuriis ſeruorum dominicorum, Dei admiſceretur iniuria.* [*Chriſtus cum ſuis ſeruis communem habet & honorem, & cōtumeliam.* Zachar. 2.] Quod confirmat ex illo Zachariæ 2. n.... *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Multum diſtat Dei benignitas à temporalibus dominis: nam iſti quidquid honoris eſt, ſibi volunt arripere, at ea, quæ contumeliam important, ſeruis appropriare omni conatu affectant: at Chriſtus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis facit honorem, & contumeliam. Vnde monet hîc Chryſoſtomus, [D. Chryſoſt.] quod cautè cum Domini ſeruis agamus; nam illatus eis honos, vel iniuria, in ipſum Dominum tranſit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

48.

Si ergo ita Apoſtoli ſuſtinent Dei perſonam, vt eis ſint omnia communia cum ipſo Deo; magnam profectò de eis curam habebit, vt ait Maldonatus, præcipuè cùm ipſi Apoſtoli ob ſuam charitatem toti eſſent occupati in Dei negocio, ac ſalute animarum. Dicebat Paulus 1. Corinth. 13. n. 5. [1. Cor. 13.] de charitate diſſerens: *Non quærit quæ ſua ſunt.* Quomodo Gentium Doctor hæc teſtatur, nam perfecta charitas incipit à ſe ipſa. Deinde ſi charitas non quærit, quæ ſua ſunt: quis quæret? quis de propriis ad ipſam pertinentibus tractabit, ac prouidebit? Eximia charitas Pauli tota erat incumbens in prædicationem euangelicam: & qui in negotio Dei occupatur, non indiget quærere, quæ ſua ſunt: nam Deus affluenter illi ſuppetat neceſſaria, vt omnibus abundet. [*Qui in Dei negotio occupantur, eis Deus ipſe prouidet.*] In hac conſideratione eleganter loquitur D. Bernardus ſerm. 18. in Cantica. [D. Bernard.] *Non quærit quæ ſua ſunt, profectò quia non deſunt: Quiſnam quærat, quod habet? Charitas, quæ ſua ſunt, & propria ſaluti neceſſaria, nunquam non habet. Nec modò habet, ſed etiam abundat. Vult abundare ſibi, vt poſſit & omnibus.*



## QVÆSTIO VIII.

### *Explicatur triplex merces, quam Chriſtus proponit recipientibus ſuos diſcipulos.*

49.

TRIPLEX hîc proponitur præmium. Primò ipſe Chriſtus; ſecundò merces prophetæ; tertiò merces iuſti: tanta enim promittuntur hoſpitalitatem exhibentibus Chriſti Diſcipulis. Ex quo monebat Paulus ad Hebræ. 13. n. 2. [Ad Hebr. 13.] *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* Ex quo ait Albertus Magnus cap. 10. in Matth. ad finem. [Albert. Mag.] Quod hoſpitalitate Abraham cognitionem meruit Trinitatis, & futuram promiſſionem benedicendi in ipſo ſemen. Gen. 18. n. 19. [Geneſ. 18.] Sc & Lot liberationem à Sodomis. Gen. 19. n. 12. [Geneſ. 19.] Vide tom. 2. cap. 7. n 68. & 69.

50.

Primò merces ipſemet Chriſtus. Ille enim ait: *Qui vos recipit, me recipit*: quia in illis, vt ait D. Hilarius, [D. Hilarius.] tanquam in ſuis membris inhabitat Chriſtus, & ſe vna cum Patre dat in præmium. *Et qui me recipit, recipit eum, qui miſit me*: [*Præmium ſupernaturale quærendum.*] Vt ita cognoſcant, quod pro hoſpitalitate magna remuneratio ſupernaturalis eis ſit reſeruata. Reuertenti Abrahamo de victoria ait Deus: *Abraham, noli timere, ego merces tua magna nimis.* Gen. 15. n. 1. [Geneſ. 15. Lyranus.] Lyranus. *Abraham ex victoria tam ſolenni, quam Deus dederat ei, timuit, ne in hoc accepiſſet totam mercedem iuſtitiæ ſuæ à Domino, & ideo Deus aſſecurauit eum de contrario.* Secundò, Magnus honor, ac gloria iſtis ſuſcipientibus in primo loco defertur, [*Magnus honor præclarum præmiū.*] vt Chriſtum, ac eius Patrem ſecum in propria domo habeant. Chryſoſtomus homil. 36. [Chryſoſtom.] *Primum quidem maximum honorem præbet, cùm dicit, Qui vos recipit, me recipit; Et qui me recipit, recipit eum, qui miſit me. Cui quidem rei quid vnquam æquale poterit inueniri? aut quid conferri omnino huic poterit? Patrem ac Filium vnà ſuſceptos eſſe.* Tertiò, Hugo. [Hugo.] Vide, quantum nobis dat in ſacra Euchariſtia; nam qui ipſum recipit in altari, recipit Patrem, & Spiritum Sanctum.

51. *Secunda merces.*

Secundum præmium: *Merces prophetæ*: quod variis modis explicatur. Primò, Aliqui: *Mercedem prophetæ recipiet*: id eſt mercedem à propheta accipiet, verbi gratia à propheta, ſeu prædicatore recipiet ſanctam doctrinam, fidem, gratiam, ac etiam deprecationes ad Deum. Secundò, Euthymius. [Euthymius.] *Æqualibus cum his, ſcilicet prophetis, honoribus dignus habebitur.* Qui enim tanta charitate, ac feruore ob fidei zelum recipit prædicatorem, videtur ex charitatis menſura, quod æquali præmio ſit remunerandus. Tertiò, Aliqui, vt Albertus Magnus, [Albert. Mag. *Opus charitatis in prophetam facit prophetas.*] dicunt, mercedem prophetæ, id eſt, donum prophetiæ recipiet. Quod comprobant ex Abdia, quia meruit eſſe prophetam, ex eo quod prophetas ſub Achab in ſpeluncis abditos aluerit. 3. Reg. 18. n. 4. [3. Reg. 18. Lyranus.] vt ibi docet Lyranus. Quod videtur deſumpſiſſe ex D. Hieronymo in Abdiam. [D. Hieron.] *Hic*, ait S. Doctor, *quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, de duce exercitus fit dux Eccleſiæ. Tunc in Samaria paruum gregem pauerat, nunc in toto orbe Chriſti paſcit Eccleſias.* [*Eleemoſyna dona magna confert.*] An autem rectè Abdias de quo fit mentio citato lib. 3. Reg. ſit ille, qui eſt quartus inter prophetas minores, magna eſt controuerſia, quæ ad alium ſpectat locum.

52. *Vera ſententia.*

Quarta vera, & communis interpretatio eſt, vt dixi in expoſitione. Mercedem prophetæ accipiet, id eſt efficietur particeps laboris, præmij, ac meriti prophetæ, ipſum prophetam in officio ſuo fouendo, ac ſuſtentando. Hæc autem merces recipientis, vt notauit Caietanus, [Caietanus. *Confertur merces proportionabiliter.*] erit ſimilis mercedi prophetæ, quamuis non tanta. Maius eſt enim meritum, maiorque merces prophetæ, quàm recipientis ipſum; ſed ſicut particeps fit operis fouendo prophetam, ita particeps erit mercedis, Chryſoſtomus homil. 36. [D. Chryſoſt.] *Mercedem*, ait, *accipiet illam, quam, decens eſt, vt is accipiat, qui prophetam recipit.* Et eleganter ait D. Gregorius homil 20. in Euangel. [D Gregor. *Ex bona ſocietate multum participatur.*] *Quia etſi vlmus fructum non habet, vuam tamen cum fructibus portans, hæc ſua efficit, quæ bene ſuſtentat aliena.* Explicatur totum hoc exemplo iuris communis. Latronum enim fautores, ac receptores ſimili cum eis pœna, licet non æquali afficiuntur. Et ita dixi in expoſitione, recipiet mercedem prophetæ proportionabiliter.

53. Ad Philip. 1.

In hoc ſenſu aliqui explicant locum Pauli ad Philipp. cap. 1. n. 4. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis deprecationem faciens ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti.* Interpretantur enim, communicationem eſſe ſubſidium in cibo, potu, ac reliquis neceſſariis Euangelium miniſtrantibus. Ex quo rectè colligit D. Chryſoſtomus homil. 1. ad Philipp. [*Qui non poteſt opera auſtera exhibere, præſtanti ſubueniat, vt illius merito perfruatur.*] Quod illi, qui Martyri in carcere, & in eremo commoranti, ac hominibus fidem prædicantibus ſuccurrunt, ac ſubminiſtrant neceſſaria, illius laureæ, prædicationis, vel alterius boni operis participes fiunt. Vnde nos exhortatur quod ſi illa præclara opera edere non poſſumus, ſaltem præſtantibus auxiliemur, vt tantis meritis efficiamur participes. Sic ait Chryſoſtomus. [D. Chryſoſt.] *Non potes ieiunium ferre? non ſolitudinem? non humi cubare? non integras noctes vigilare? Licet tibi harum omnium mercedem recipere, ſi alia quadam ratione rem tuam geſſeris, nempe ſi eum, qui iſtos labores capit, cures, recrees, foueaſque aſſiduè.* Et de ſanctis Martyribus ſubdit. *A certamine redeuntem cura, obuiis manibus ſuſcipe, ſudorem abſterge, recrea, ſolare, laſſam animam foue, ac refice. Profectò ſi tanta cum alacritate ſanctis ſeruiamus, participes mercedum, quæ illos manent, erimus.*

54. *Tertia merces.*

Tertium præmium: *Iuſti merces*: quod eodem modo, quo merces prophetæ, explicatur. Ait tamen hîc Euſebius Gallicanus in natali plurimorum Martyrum. [Euſebius.] *Meritò iuſtitiæ mercedem accipiet, qui in tantum iuſtitiam diligit, vt omnibus hominibus ex affectu ſeruiat, in quibus iuſtitiam eſſe cognoſcit.* Iuſtitia hîc ſumitur pro probitate, ac ſanctitate. Deus, cùm ſit valdè æquiſſimus, ſemper in diſtributione ſuorum donorum proportionem cum meritis ſeruat. Et qui maximus fuit iuſtitiæ, ſeu probitatis amator, tali corona remuneratur.

*Matth. 10. n. 42.* Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis

iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et quicumque propinauerit vni ex his paruulis calicem frigidæ tantùm in nomine diſcipuli.

*Vatablus.* Et quicumque ad bibendum dederit vni ex puſillis his potum aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis non perditurus eſt mercedem ſuam.

*D. Cypria. lib.* 3. *ad Quirinũ.* Non peribit merces eius.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 9. n.* 40. Quiſquis enim potum dederit vobis, calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

### *EXPOSITIO VI.*

55. CONCLVDIT Dominus ſuum ſermonem, quod nec minimum quidem beneficium in ſuos exhibitum abſque remuneratione, & mercede erit. Et primò diſſeruit de Apoſtolis: *Qui vos recipit, me recipit*: Secundò de Prophetis, ſeu prædicatoribus: Tertiò de Iuſtis, ac piis viris iuſtitiam obſeruantibus. Nunc verò agit de quocumque fideli, ſeu Chriſtiano: *Quicumque dederit vni ex minimis iſtis, per minimos* poſtremos fideles intelligit. D. Chryſoſtomus homil. 26. in Imperfecto. *Minimi autem ſunt in Eccleſia, qui modicæ iuſtitiæ, aut modicæ fidei ſunt.* Et notat Chryſoſtomus, quod non dixit, qui dederit vni ex magnis iſtis, ſcilicet præſtantibus in virtute, & dignitate; nam, vt ait D. Thomas, Quaſi Dominus dicat, *Non curo, vtrum magni vel parui ſint.* Quia eleemoſyna omnibus, magnis, & paruis præſtanda eſt. *Calicem aquæ frigidæ tantùm*; quod, vt ait Hilarius, minima ſeruitia denotat. Et non dixit, vt aduertit Chryſoſtomus citatus, Qui recipit, ſicut de Apoſtolis, Prophetis, ac Iuſtis eſt locutus; ſed *Qui dederit calicem aquæ frigidæ*, quod valde paruum denotat donum, & apud homines in exigua æſtimatione habetur; tamen apud Deum ſua merces eſt illi conſtituta. Matthæus ſcribit *calicem aquæ*; Marcus verò poſuit: *potum dederit*: ad magis exiguum donum exprimendum. Aquæ frigidæ, ne ſi diceretur calida, ex ſumptu lignorum, ac labore aliquis ſe excuſaret; de quo quæſtione ſequenti.

D. Chryſoſt.
D. Thomas.
*Eleemoſyna omnibus largienda.*
D. Hilarius.
D. Matth.
D. Marcus.

56. *In nomine Diſcipuli*, eo quod ſit diſcipulus meus, mihique adhæreat, ac in me credat, vtpotè meus fidelis, Chriſto enim viuente, qui ipſum ſequebantur, diſcipuli dicebantur. *Vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus.* Matth. 23. n. 10. Et olim poſt Chriſti aſcenſionem in cælum Chriſtiani Diſcipuli vocabantur. Actor. 11. n. 26. *Amen dico vobis.* In veritate dico. Et hac forma loquendi hîc vtitur, videbatur enim incredibile, quod pro tantilla re merces eſſet deputata à Deo. *Non perdet mercedem ſuam*: tàm magnificus, & liberalis eſt Dominus, vt non patiatur, quod noſtra minima abſque remuneratione tranſeant, ſed pro illis multa dona retribuit, quæ cùm ab ipſo veniant, ſemper magna, & multa ſunt.

Matth. 23.
*Chriſtiani olim diſcipuli dicebantur.*
Actor. 11.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare promittitur merces danti potum aquæ frigidæ?*

57. RESPONDEO primò cum Gloſſa. *Deum magis ad pium affectum dantis reſpicere, quàm ad quantitatem rei exhibitæ*, quamuis enim vas aquæ frigidæ nullius valoris ſit apud homines, tamen pro eo multam mercedem dat Deus, ſi confertur nomine diſcipuli Chriſti, quia opus ipſum eſt valde acceptabile, potius ex intentione dantis, quàm ex quantitate. Vidua illa paupercula ſolum duo æra minuta intulit, & tamen à Chriſto laudatur, quod plus omnibus obtulerit. Luc. 21. n. 3. Secundò Chryſoſtomus homil. 26. in Imperfecto. *Verè iuſtus iudex, qui enim & pro verbo otioſo conſtituit pœnam.* Matth. 12. n. 36. *iuſtum erat, vt pro aqua frigida daret mercedem.*

Gloſſa.
*Opus eſt acceptabile potius ex intẽtione dantis, quàm ex quantitate.*
Luc. 21.
D. Chryſoſt.
Matth. 12.

58. Tertiò, D. Hieronymus hîc. *Excuſationem leuiſſimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ, toto animo porrigamus, frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occaſio quæreretur.* Idem etiam docet D. Chryſoſtomus, D. Paſchaſius, Albertus Magnus, S. Thomas, & alij, Nullus eſt enim, qui ſe valeat excuſare ad dandam eleemoſynam, vt cum ea multùm negocietur. Ideo non dixit aquam calidam, ſed frigidam; nam calida indiget aliquo labore, tempore, & expenſis lignorum, ignis, & vaſis ad calefaciendum: at aquam frigidam, vt à fonte manat, quilibet dare poteſt. Accipe iterum de hac re D. Cæſarium homil. 2. *Sed quis erit, qui ſe poſſit excuſare, cum pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Sed quare frigidam dixit? ne fortè poſſit aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut certè dicere, ſe vaſculum, vbi aquam calefaceret, non habere.*

D. Hieron.
D. Chryſoſt.
D. Paſchaſius
Albert. Mag.
D. Thomas,
*Nullus poteſt ſe excuſare.*
D. Cæſar.

59. Quartò, D. Hilarius: *Præuidens Chriſtus plures futuros Apoſtolos nomine glorioſos, omni verò vitæ ſuæ opere improbabiles, obſequium, quod ipſis ſub religionis opinione delatum eſt, mercede non fraudat, non inania in eos, etiam leuia, ſub frigidæ aquæ nomine deſignata, officia eſſe decernit.* Diuinus Magiſter optimè agnoſcebat, quod homines abſque intuitu præmij nihil agunt, nec operantur. Cùm ergò ſuos deſtinaret Apoſtolos, vt prædicatione euangelica totum peregrinarentur per orbem; & vt homines alliceret ad ſuos recipiendum

D. Hilarius.
*Homines nihil paruum, ſiue magnum faciunt, niſi intuitu præmij.*



piendum; eis proponit præmium, declarans, quod nec minimum obſequium illis exhibitum erit inane abſque remuneratione, vt ita ad hoſpitalitatem in prædicatores omnes inuitaret.

60. Quintò, Hæc ait ad oſtendendam ſummam Dei magnificentiam in nos, quod ne guttula quidem ex his, quæ in Dei obſequio damus, deperditur, ſed omnia ad coronam, ac remunerationem reſeruantur. D. Paſchaſ. lib. 6. in Matth. *Sicut ſunt ſumma recompenſa, quæ fiunt pro Domino in ſummis; ita etiam minima in minimis, ita vt in nullo euacuetur merces boni operis.*

*Paruum etiã obſequium Deo factum habet ſuam mercedem.*
D. Paſchaſ.

61. Ex mandatis Iſaac parentis ſui proficiſcitur Iacob in Meſopotamiam, vt inde vxorem acciperet ex filiabus Laban Gen. 28. n. 1. Cùm ergo illuc perueniſſet Iacob. *Ecce veniebat Rachel. Quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ouéſque Laban auunculi ſui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege oſculatus eſt eam.* Gen. 29. n. 10. A Laban benignè exceptus duas eius filias Liam, & Rachelem habuit in vxores. Abrahami iuſſu venit eius ſeruus magno comitatu etiam in Meſopotamiam, multa pretioſa ornamenta ſecum deferens, inaures aureas, & armillas; vt inde aſportaret ſponſam filio domini ſui. Et vnam inuenit Rebeccam; quam tulit in domum eius. Sed quæro, cur Iacob omnibus denudatus, qui ſolum paululum aquæ è communi puteo miniſtrauit, vxorem ſibi comparauit; ſicut & ſeruus Abrahami tam præexcellentibus monilibus; immò hic vnam ſponſam, ille verò duas inuenit? Voluit Deus in hoc facto iam oſtendere euangelicam doctrinam, paululum aquæ, ex publico fonte pietate, ac charitate effuſæ, non perdere mercedem ſuam, ſed magnam gratiam ſuper aurum, & argentum, & gemmas aſſequi, & obtinere. Hanc rem meditatur D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo. cap. 5. *Dominus Ieſus*, ait, *in Euangelio eum, quicumque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cæleſtium aſſerit præmiorum non exortem futurum, Denique Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, & vxorem acquiſiuit.*

Geneſ. 28.
Geneſ. 25.
*Paruum obſequium erga Deum ſuam etiam remunerationem habet.*
D. Ambr.

62. Chriſtus in vltima die iudicij ſuis Electis dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum vobis paratum: eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.* Matth. 25. n. 34. E contra verò Reprobos ad inferos mandabit, quia illa non impleuerunt. *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi bibere; in carcere eram, & non viſitaſtis me.* ibidem n. 42. Meritò tamen dubitabis cum Paſchaſio, Euthymio, ac aliis, cur Dominus hæc tantùm opera commemorat; cur alia maiora prætermittit? Cur non ait, Quia me confeſſi eſtis, vel negaſtis coram tyrannis? Vel Quia multas opes effudiſtis, vel ſubtraxiſtis? Nunquid alia opera erunt abſque inquiſitione, vel examine, ſupplicio, vel præmio? Cur ergo illa tantum Prædeſtinatis, & Reprobis obiicit? Vt ita fieret euidens, quod nec minima præſtanti deerit præmium; nec illa neganti ſupplicium. D. Chryſoſtomus in Catena aurea. *Intuere*, ait, *Eſurientem non cibarunt; ſed neque, quod leuius eſt, infirmum viſitarunt. Et vide qualiter leuia iniungit; non enim dixit: In carcere eram, & non eripuiſtis me; infirmus eram, & non curaſtis me, ſed non viſitaſtis; non veniſtis ad me. Eſuriendo etiam non pretioſam petit menſam, ſed neceſſarium cibum: omnia ergo ſufficientia ſunt ad pœnam.* Expende. *Leuia iniungit, ſufficientia ſunt ad pœnam.*

Matth. 25.
D. Paſchaſ.
Euthym.
*Minima abſque præmio, & ſupplicio pro ſui ratione non tranſeunt.*
D. Chryſoſt.

## CAP. XI.

### *Curatur Puer Centurionis.*

*Matth. 8. n.* 5. Cùm introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum

*Num.* 6. Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

### *VERSIONES.*

*D. Hilar. n.* 5. Acceſſit ad eum quidam tribunus rogans eum.

*Chryſ. hom.* 27. Aduenit Centurio deprecans eum.

*Syriacus.* Acceſſit ad eum Centurio quidam, & rogauit eum dicens.

*Arias.* Appellans eum dicens.

*Syriacus. n.* 6. Inquiens, Domine mi, puer meus.

*Pagnin. Vatabl. Arabicus.* Famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter diſcruciatur.

*Græcus.* Proiectus domi grauiter afflictus.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n.* 1. Cùm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum.

*Num.* 2. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretioſus.

*Num.* 3. Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eũ, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius.

*Num.* 4. At illi, cùm veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes.

*Num.* 5. Diligit gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.

*Num.* 6. Ieſus autem ibat cum illis, &

& cùm non longè eſſet domo, miſit ad eum Centurio dicens: Domine, noli vexari, non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres.

Num. 7. Propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.

## EXPOSITIO I.

1. Verſ. 5. FINITO ſuperiori ſermone introiuit Dominus Capharnaum, vt Centurio eligeret viam, ac haberet eam in promptu veniendi ad Chriſtum, ipſe enim ob ſuam pietatem prius nos quærit, vt nos ipſum quæramus. Cùm ergo audiſſet Centurio famam miraculorum Chriſti, nam *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, vt
Luc. 6. ait Lucas 6. n. 19. Cùm introiſſet Dominus Capharnaum, *acceſſit ad eum Centurio*, non ſolùm corpore, ſed etiam mente; & acceſſit, vt prudens, ſapiens, amicus, ac gratus. Vt prudens, nactus tantam occaſionem in Domini aduentu, de ſalute pueri cogitat. Vt ſapiens, acceſſit ad Chriſtum vt ei ſuam neceſſitatem aperiret, à quo remedium impetrare poterat. Vt amicus, tempore morbi, ac neceſſitatis non obliuiſcitur. Vt gratus, recordatur de obſequiis à puero acceptis.

*Bonus amicus tempore neceſſitatis non obliuiſcitur.*

2. D. Hilarius. *Centurio*, A D. verò Hilario Tribunus nuncupatur. Centurio apud Romanos dux militiæ dicebatur, qui centum militibus præerat. Et diuina diſpoſitione iſte dicitur Centurio, vt ait Chry-
D. Chryſol. ſologus ſerm. 15. *Verè Centurio, qui ſtipendia terrena centenarium Cæli mutauit in fructum; & ſeruitutem militiæ ſæcularis in diuinam ſuſtulit dignitatem.* Vir bonus iſte ad Chriſtum appropinquans tanta fide, ac humilitate, temporale talentum ſui muneris multiplicauit in centenarium fructum cæleſtem, vt Chriſti fieret miles, diſcipulus, & teſtis. Euangeliſta eius proprium nomen non dicit, de quo q. ſequenti; ſed Centurionem appellat, quod nomen proprium eſt officij, quia potius ipſa ratio muneris, quàm propriæ perſonæ ei erat magis affixa in mente, de quo multa dixi variis in locis. Vide Verbum. Officium. A Syriaco, & Hilario ſcribitur *Quidam Centurio*, ſeu tribunus, quia valde vnus, & vnicus eſt princeps, qui dimiſſis terrenis accedit ad Chriſtum. Lucas verò ait, quòd miſit amicos, & ſeniores, de quo q. 2. 3. & 4.

*Ratio proprij officij maximè in mente fixa.*

*Princeps, qui ad Deum accedit, vnicus.*

3. Verſ. 6. Syriacus. Beda. Haymon. Hugo. *Dicens Domine*, ſeu, vt habet Syriacus ſuo more per ſingularem affectum, *Domine mi*, quod dicit ob reuerentiam, ac venerationem in eum, vt inquiunt Beda, Haymon, Hugo, & alij; & etiam vt ipſo nomine Domini eum pignoraret, ac excitaret, vt ſubueniret ad miſerendum. *Puer meus*, id eſt ſeruus, vt conſtat ex Luca, *Centurionis cuiuſdam ſeruus*: more enim Hebræorum ſeruus dicitur puer, quia puerorum eſt ſeruire ſenioribus.
Lucas. Lucas ait, quod iſte puer erat *ei pretioſus*, id eſt in magna æſtimatione habitus, de quo infra *Iacet in domo paralyticus*; ita enim dicuntur, qui membrorum patiuntur diſſolutionem, languentibus, &

*Pueri ſeruiant ſenioribus.*

*Paralyticus quid ſit.*

debilitatis corporis partibus motu, ſenſúque interceptis, proiectus eſt domi in lectulo, tanquam cadauer: *Male torquetur*, vehementer ſcilicet vexatur, ac grauibus doloribus cruciatur. Chryſo-
Chryſoſt. ſtomus homil. 22. in Imperfecto, quem ſequitur
D. Thomas. D. Thomas, quod etſi iſte ſeruus non malè torqueretur, tamen dominus præ amore æſtimabat, illum male torqueri, *Nam*, vt ait Chryſoſtomus citatus, *vnuſquiſque, quem diligit, etſi modicè fuerit tædiatus, grauius eum putat habere, quàm habet.* Notant etiam Origenes homil. 5. in diuerſos
Origen. Beda. & Beda, quod Centurio tres cauſas proponit hîc ad commouendum ad miſerationem. Primam *Iacet*, Secundam *Paralyticus*, Tertiam *Malè torquetur.* Hæc cum magno ſui dolore protulit, vt ad commiſerationem ſui Dominum inclinaret, vt
Rabban. ait Rabbanus. Alia etiam hîc mihi notanda veniunt: Primò, quòd Centurio breuiter, & pauca loquitur, & ſolùm ſuam miſeriam exponit; modum tamen remedij non aſſignat, ſed hoc diuinæ ſapientiæ relinquit, vt obſeruat Chryſoſto-
D. Chryſoſt. mus in Imperfecto. *Nam ſicut medico corporali neceſſarium eſt, tantummodo paſſionem exponere; quid autem, aut quomodo faciat, ipſe cognoſcit.* Textum Lucæ ſequentibus quæſtionibus explanabo.

*Vis amoris in dilecto æſtimat dolores grauiores.*

*Prudens neceſſitatem exponit, remedium verò Deo committit.*

## QVÆSTIO I.

### *De connexione huius hiſtoriæ cum ſuperioribus. Et quiſnam eſſet Centurio ex natione, patria, & nomine?*

4. POSTQVAM Chriſtus Dominus in monte elegit Apoſtolos; & deſcendens cum illis habuit ſermonem in loco campeſtri, de quo egi cap. 5. & 6. quo ſermone finito; vt volunt Tacianus, Zacharias Epiſcopus, Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vt dixi cap. 7. q. 1. ſtatim Apoſtolos deſtinauit, ac eſt exhortatus ad prædicationem euangelicam, vt ſcribit D. Matthæus cap. 10. & ſatis eſt à nobis explicatum cap. 7. 8. 9. & 10. Hac
Matth. 11. exhortatione completa ſubdit Matthæus cap. 11. n. 1. quod *Ieſus tranſiuit per ciuitates eorum prædicans.* In hoc ergo per ciuitates diſcurſu ponunt citati Auctores hunc ingreſſum in ciuitatem Capharnaum cum hac hiſtoria Centurionis Nec obſtat, quod D. Matthæus poſt finitum ſermonem
Hugo. de monte, ac curatum leproſum eam narrat. Quia
D. Auguſt. Euangeliſta, vt ait Cardinalis Hugo, ſecutus eſt hîc ordinem myſterij, non verò temporis. Et D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 20. ait, quod non exprimitur in littera, cùm Dominus ſermones ſuos terminauit, tam in monte, quàm in loco campeſtri, quantum poſt temporis interuallum intrauerit Capharnaum.

*Connexio textus cum ſuperioribus.*

5. De Centurione quæro primò, An ſit vnus, & idem apud Matthæum, & Lucam? Aliqui, vt refert Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. dixerunt, eſſe diuerſos Centuriones. Hoc tamen meritò ab omnibus reiicitur, cùm ſit contra communem conſenſum Patrum, vt videbimus q. ſequenti. Alij dixerunt, vt etiam referunt citatus Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Leontius, hunc Centurionem eſſe eundem, ac Regulum, de

*Centurio vnus, & idē apud Matthæum, & Lucam.*

D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. D. Leont.



Ioan. 4. quo fit mentio Ioan. 4. Hoc tamen aſſertum meritò ab eis exploditur; nam ex circunſtantiis patet, diuerſas eſſe hiſtorias.

6. Secundò quæro: An iſte Centurio eſſet Iudæus; vel Gentilis? D. Hilarius exiſtimat, eſſe Iudæum. Communis tamen eſt ſententia, quod fuerit Gentilis. Ita docent D. Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. D. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini. & in hoc cap. 8. Matth. D. Hieronymus, D. Paſchaſius, Beda, & ad cap. 7. Luc. D. Ambroſius, D. Bonauentura, Abulenſis q. 26. & alij. Probatur multis ex ipſo textu. Nam ſeniores ab eo miſſi dixerunt: *Diligit gentem noſtram*, ſcilicet Iudæorum, qui modus loquendi denotat, ipſum eſſe alterius nationis, ſcilicet Gentium. De eo ait Chriſtus: *Non inueni tantam fidem in Iſraël*: quod explicatius habet Lucas: *Neque in Iſrael tantam fidem inueni*, quantam ſcilicet in hoc Ethnico. Et iterum ait Chriſtus: *Multi*, id eſt Gentiles, vt iſte Centurio, *venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, filij autem regni*, hoc eſt Iudæi, *eiicientur foras.*

*Centurio Gentilis.*

D. Hilarius. D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Hieron. D. Paſchaſius Beda. D. Ambroſ. D. Bonauent. Abulenſis.

7. D. Chryſol. Tertiò, de patria, & nomine eius quæro? D. Chryſologus ſerm. 102. Theophylactus, D. Bonauentura in cap. 7. Luc. dicunt, Romanum eſſe. At verò Lucius Dexter anno Chriſti 34. ſic de eo ſcribit; Caius Cornelius Centurio Capernauienſis, Hiſpanus, dominus ſerui, quem Chriſtus ſanauit; pater etiam Caij Oppij Centurionis, qui Chriſto pendente in Cruce cuſtos aſtitit, ac videns ſigna in Domini morte confeſſus eſt Chriſtum filium Dei. Vterque Chriſtum in Iudæa, ac
Heleca. Hiſpania prædicauit. De eo ſic ſcribit Heleca in additionibus ad Dextrum. *Nec minus celebratur memoria S. Caij Cornelij Centurionis (qui fuit ille Centurio, cuius famulum ad Capharnaum Chriſtus ſanauit) poſtea ſociatus Apoſtolis neci S. Stephani interfuit, Petrum, & Paulum ad Hiſpanias venientes comitatus eſt; tandem prædicans Scepſinienſibus prope Idam mortuus eſt. Prædicat in Hiſpania longè hic alius à Cornelio Centurione*
Actor. 10. *cohortis Italicæ. Actor. 10. n. 1. Hoc Cornelio multo iunior ille ſenior. Peruenit autem vſque ad Andream, cui etiam charus fuit, vt docet Dexter,*
Biuarius. *ad annum Chriſti 66.* Hanc quæſtionem inter Doctores componit Franciſcus Biuarius in Commentario ad Dextrum. inquit, Quod Centurio originem traxit ex Hiſpania; natus verò eſt Italiæ. Vel pro tuenda ſententia Lucij Dextri dic ad Chryſologum, quod nuncupatur Romanus, quia ſub imperio Romano militabat, ac Romanorum officium gerebat.

Theophyl. D. Bonauen. Lucius Dexter.

*An Centurio eſſet Romanus, vel Hiſpanus.*

*Solutio ad Chryſologum.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare Matthæus ſcribat, quod Centurio acceſſerit, cùm Lucas dicat, quod miſerit per ſeniores, & amicos?*

8. IN hoc miraculo narrando videntur non conuenire Matthæus, & Lucas; nam Matthæus ſcribit, quod ipſe Centurio acceſſerit. At Lucas ait, quod per amicos, & ſeniores deprecatus eſt. In Sanctis tamen Euangeliis omnia ſunt conſona, & nulla eſt diſſonantia. Difficultas duobus modis ſoluitur.

*Ratio dubitandi.*

9. Primò, cum D. Auguſtino lib. 2. de conſenſu



Euangeliſtarum cap. 20. Beda, Caietano, & aliis. Quod Centurio acceſſit, non per ſe ipſum, ſed per amicos, & legatos. Secundò, cum Chryſoſtomo hom. 27. Euthymio, Theophylacto, quod prius miſit amicos, & poſtea ipſe venerit. Ac proinde ex Luca, & Matthæo componenda eſt hæc hiſtoria. Primò Centurio, cùm eſſet Gentilis, miſit ſeniores Iudæorum, quia, vt ait Euſebius Gallicanus, ſe reputabat indignum, vt Chriſti colloquio, ac conſpectu frueretur, ideo miſit ſeniores Iudæorum, vt ait D. Bonauentura, vt ætate, ac ſapientia reuerendos, vt pro ipſo ad Dominum loquerentur. Poſtea cùm non longè eſſet à domo, deſtinauit amicos, vt refert Lucas. Tandem ingraueſcente morbo, vel quia amoris vis impatiens eſt, vel præ humilitate, cùm videret Dominum appropinquantem, exiuit foras, ac ei occurrit, & iterum petitionem ſuam repetit: *Puer meus iacet in domo paralyticus*: vt refert Matthæus: Et ita,
Chryſoſtom. vt ait Chryſoſtomus citatus, *Matthæus, & Lucas repugnantia non dicunt, ſed eorum potius quiſque, quæcunque ab altero prætermiſſa ſunt, diligenter ſupplent.*

D. Auguſt. Beda. Caietanus. D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl.

*Explicatur conſonantia inter Matthæum, & Lucam.*

Euſebius. D. Bonau.

Moraliter rem etiam explicemus. Et primò. 10.
Pulchrè D. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate. D. Auguſt.
cap. 3. Poſtquam maximè Centurionis humilitatem laudat, ſic ait: *Vnde nec Matthæus ob aliud eũ dixit acceſſiſſe ad Dominum, cum apertiſſimè Lucas inſinuet, quod non ad eum ipſe venerit, ſed amicos ſuos miſerit, niſi quia fideliſſima humilitate magis ipſe acceſſit, quàm illi, quos miſit.* Quamuis Centurio eſſet loco diſtans à Chriſto, cùm tamen ob ſuam profundam humilitatem ad ipſum non audet conuenire; ita tamen humilitate intimius, ac proximius acceſſit ad eum, quàm illi, qui corpore appropinquauerunt: nihil enim magis ad eum approximat, ac ei præſens eſt, quàm id, quod ſub humilitate fit, ac præſtatur.

*Humilitate maximè acceditur ad Deum, & ei fit præſens.*

Secundò, Idem D. Auguſtinus lib. 33. contra 11.
Fauſtum. cap. 8. *Centurio ille*, ait, *ad Chriſtum ma-* D. Auguſt.
*gis acceſſerat, cuius fidem ita laudauit, quàm illi ipſi, per quos verba ſua miſit. Accedens ad Ieſum, non carne, ſed corde; non corporis præſentia, ſed fidei potentia.* Lucas ait, quod miſit rogare per ſeniores, qui venerunt ad Ieſum: at Matthæus de Centurione aſſeuerat, quod acceſſerit: nunquid diſcrepant Euangeliſtæ? Abſit hoc. Immò ſubtiliter pondera, quod de ſenioribus ſcribit Lucas, quod venerint; non tamen quod acceſſerint. Nam Centurio, manens in domo, fide, & animo ad Chriſtum conuolauit, quo multùm ſeniores diſtabant: & ad Chriſtũ magis acceditur fide, & animo, quàm corpore, & carne. Vnde ex loco remoto proximius virtute ſpiritus accedit Centurio ad Chriſtum, quàm ſeniores corpore præſentes, cum animo eſſent diſtantes.

*Ad Chriſtum proximius acceditur animo, & fide, quàm corpore,*

Tertiò, D. Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. 12.
ſic ait: *Duo hîc nobis Lucas oſtendit: quanta ſit* D. Chryſoſt.
*Iudaica adulatio, & quod calamitate oppreſſi homines, modò hoc, modò illud conſilium anteponunt. Quare veriſimile mihi videtur, cùm voluiſſet ad Ieſum proficiſci Centurio, detentum à Iudæis fuiſſe, qui ei aſſentarentur, atque dicerent: Nos ibimus, & adducemus ipſum? Quod ita eſſe perſpicies, ſi plenam aſſentationibus orationem eorum conſiderabis. Diligit enim, aiunt: gentem noſtram.* In quibus verbis duo conſideranda docet S. Pater, Primò, quod Centurio miſit ad Chriſtum: & poſtea mutato conſilio venit. Ad quod ait Chryſoſtomus, *quod calamitate oppreſſi homines, modò hoc,*

*Animus mœrore affectus fluctuat in conſiliis.*

*dò hoc, modò illud conſilium anteponunt.* Secundò, & ad rem noſtram. Centurio primò miſit ſeniores Iudæorum ad Chriſtum; poſtea verò ipſe acceſſit. Sed cur Diuus Lucas ita eius acceſſum prætermittit, vt nullum faciat de eo verbum? Voluit enim, ait Chryſoſtomus, Diuus Lucas aperire, quantum malum ſit adulationibus aſſentiri. Nam Centurio diſpoſuit ire ad Chriſtum; tamen ſeniores Iudæorum, vt Centurioni gratiam inirent, ei dixerunt: Noli exire è domo tua, neque hoc itinere grauari; nos famuli tui ibimus, & eum adducemus ad te. Et quandiu Centurio huiuſmodi blandis verbis acquieſcit, tandiu à Chriſti congreſſu, colloquio, ac aſpectu detinetur, ac impeditur.

*Adulatio ſeparat hominem à Deo.*

13. *Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret: Non eſt Deus in conſpectu eius.* Pſalm. 9. verſ. 25. aliàs 4. Peccatorem in barathro omnium malorum demerſum ſcribit Regius Vates, & ait: *Exacerbauit Dominum peccator*, ſeu, vt legit Auguſtinus: *irritauit*, ſeu vt habet Pſalterium Ambroſianum, *Exprobrauit*, quod idem valet, ac blaſphemauit; *ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Explicat Theodoretus, eſſe verba exacerbantis, ac exprobrantis Deum, quibus dicat per inſaniam, & rabiem, quod Deus velut Iudex non quærat ea, quæ ipſe facit. Et tandem in tantam dementiam deuenit, vt non ſit *Deus in conſpectu eius, ſed inquinatæ ſint viæ illius in omni tempore*, ad vniuerſum malum. Sed vnde homo ita ſe elongauit à Deo? Vnde in tot, tantíſque peccatis eſt irretitus? Ipſemet Regius Vates nobis cauſam proponit, ac aperit: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, Exacerbauit Dominum peccator.* Quoniam ipſe impius in ſuis turpitudinibus falſis blanditiis, ac multis adulationibus extollitur, ac laudatur, Exacerbauit Dominum peccator, ipſum Deum blaſphemauit, eius diuinum iudicium contempſit, ac non eſſe Deum, aſſeruit. Beatus Brunonius in Commentario ſic ait: *Adulantium linguæ alligant animas peccatis, malus enim, dum ab alio peccatore laudatur, extollitur deſiderio laudis, nec de correctione cogitat, cui laudator blandiens inuenitur; ſequitur argumentum eius iniquitatis, vt ille benedicatur, qui malè potius agere cognoſcitur, deceptus adulantium falſitate.* Expende illa verba. *Sequitur argumentum eius iniquitatis*, &c.

Pſalm. 9.
D. Auguſt.
D. Ambroſ.
Theodoret.

*Per adulationem incidit homo in barathrum peccatorum.*

Brunonius.

14. Iniquus ille Herodes rex, de quo fit mentio in Actibus Apoſtolorum, occidit gladio Iacobum Apoſtolum; afflixit multos Diſcipulos de Chriſti Eccleſia. Tamen cum quadam die, regali purpura indutus, concionaretur ad populum: *Populus autem clamabat: Dei voces, & non hominis.* Actor. 12. num. 22. Quod idem eſt, vt ait Caietanus, Vox Herodis, vox Dei eſt, & non hominis. Vide, quid immediatè ſubiungat textus: *Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini.* Multa ſacrilegia, ac homicidia perpetratur perfidus tyrannus; Apoſtolos, ac ſacros antiſtites interficit, magnam perſecutionem commouet in Eccleſiam Dei; Petrum Apoſtolorum principem detrudit in carcerem: & tamen diuina ira ſubſiſtit. At vbi adulantis populi voces excepit, *Dei voces, & non hominis*; tantis enim blanditiis populus eius concionatoria verba extollebat; ſtatim ira Dei in eum deſæuit, & Angelus eum percutit? Illis enim auditis adulationibus ſupra ſe ſe extulit, & multò maiora peccata commiſit. Vnde iam diuina ira ſeſe non cohibens, in eum ſe tota diffundit, & vermibus ſcaturientibus miſerrima morte perimitur. D. Chryſoſtomus ibi: *Statim vltio inuaſit illum quamuis non propter Petrum, ſed propter ipſius magniloquentiam, quia accepit vocem, qua dignum ſe putauit adulatione.*

Actor. 12.
Caietan.

*Adulatio prouocat diuinam iram in hominem.*

D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Centurio primò per ſeniores, & amicos miſit petere à Chriſto ſanitatem Pueri?*

15. SVPERIORI quæſtione ad explicandum Matthæum, & Lucam dixi ex D. Chryſoſtomo, Quod Centurio primò miſit, & poſtea ipſe venit. Cur ergo primò miſerit, inquiro? Et ſit ſolutio in limine quæſtionis, quæ mihi videtur litteralis, & colligitur ex verbis ipſius Centurionis apud Lucam. *Non ſum dignus, vt ſub tectum meum intres, propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Audiens ergo Centurio, Chriſtum introiſſe Capharnaum, cùm ipſe eſſet Gentilis, ſe reputauit indignum, vt ad Chriſtum accederet, apudque eum funderet preces; & ideo deſtinauit ſeniores Iudæorum tanquam digniores ſe, vt venientes ad Chriſtum, ipſum rogarent, ab eóque beneficium impetrarent. Ita D. Bonauentura. Quod confirmat ex illo, quod filij Iſraël tempore dationis legis dixerunt ad Moyſen: *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur.*

*Ob humilitatem Centurio ſe dignum non putabat; qui coram Chriſto appareret.*

D. Bonauent.

16. Secundò, Reſpondet D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 22. *Lucas*, ait, *per ſacerdotes ponit Chriſtum à Centurione rogatum myſterium demonſtrauit, quoniam omnis petitio populi per ſacerdotes debet tranſmitti ad Chriſtum.* Per ſeniores intelligit Sacerdotes, qui aſſiſtunt inter Deum, & populum, vt ita pro vniuerſo ad Dominum fundant preces. Tertiò, D. Ambroſius in cap. 7. Luc. *Lucas*, inquit, *etiam in occurſum amicos dicit eſſe à Centurione tranſmiſſos, ne præſentia ſua grauare Domini verecundiam videretur, & officium officio prouocaſſe. Hæc moraliter.* Præſentia eminentis viri rogantis, aliquando valde grauis eſt ei, à quo deprecatur, itavt officium reuerentiæ impenſæ prouocet beneficij officium, vt potiùs concedatur ob verecundiam non negandi, quàm ob beneplacitum concedendi. Hæc humano more bene callens Centurio adhæc tepidus in fide, ne ipſe eſſet Domino grauis, ac ne reuerentiæ officio officium ſanitatis prouocare videretur, à Domini præſentia ſe abſtinet, ita enim omnibus eius diuinum beneplacitum prætulerat. Et hæc moraliter, vt ait Ambroſius.

D. Chryſoſt.
*Per ſacerdotes Deus deprecandus.*

D. Ambroſ.

*Perſona eminens rogans valde grauis ei, à quo petitur.*

17. Quartò D. Petrus Chryſologus ſerm. 102. Vbi ponderat, quod Centurio miſit ſeniores ad Chriſtum cum quibus ipſe Dominus veniebat ad Centurionem: ſic ait: *Videtis, quia Chriſtus ducebat magis Iudæos, quàm adduceretur à Iudæis, vt audirent, eſſe penes Centurionem Diuinitatis reuerentiam,*

D. Chryſol.



*rentiam, penes Gentilem legis cultum, penes militem ſtipendium gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, in frigore pagano chriſtianum calorem.* Diuino afflatu Centurio ſeniores ad Chriſtum deſtinauit, vt Dominus comitatus cum eis veniret; non vt ipſi teſtes fierent miraculi, ſed vt Gentilis ac extranei hominis fidem, ac virtutem agnoſcerent, & in frigore pagano ſine Scripturarum lumine chriſtianum calorem; vt tanto exemplo ipſi Iudæi, qui domeſtici erant, in lege, & prophetis enutriti ad Chriſti agnitionem excitarentur, ac mouerentur.

*Infideles ſæpè nos exhortantur ad pia opera.*

18. Quintò, idem Chryſologus citato loco. *Gentilis*, ait, *Iudæos ad Chriſtum mittit, & in lege poſitis, qui ſine lege erat, legis demonſtrat auctorem.* Hoc ordinatum eſt à Deo in magnam Iudæorum confuſionem, vt ab homine Gentili ipſi mitterentur ad Chriſtum. Sextò, Gallicanus. Dominic. 3. poſt Epiphaniam, & Hugo inquiunt. Centurio Iudæis quaſi familiaribus Chriſti committit verbum, vt fieri ſolet ante potentes, qui frequenter per familiares interpellantur.

D. Chryſol.
*Gentilis demonſtrat Iudæis Chriſtũ.*
Euſebius.
Hugo.
*Per familiares deprecantur potentes.*

19. Septimò, & moraliter. Ethnicus iſte, vir valdè nobilis, ac multum illuſtris; in hoc tamen exordio, quando ſeniores delegauit ad Chriſtum, adhuc in fide rudis erat, vt ex Alberto Magno, ac aliis referam quæſt. 5. nec bene diuinitatem Chriſti agnoſcebat; & cùm talis eſſet perſona, verecundabatur, per ſemetipſum ſanitatem pueri petere: tunc ſeniores delegauit, vt pro ea ad Dominum deprecarentur. At creſcente calore fidei in eius pectore, alacris ipſe occurrit Deo, & homini Chriſto Ieſu, ac pro ſalute pueri multum rogat.

*Vir illuſtris verecundatur, cùm ab hominibus petit.*

20. Principum, ac Magnatum eſt, omnia bona ſibi neceſſaria à Deo deprecari: at aliquid ab homine petere, valdè graue, & moleſtum eis eſt. Magna, & ſublimia documenta dat ſenior Tobias filio ſuo cap. 4. Quod poſt mortem ſuam ipſum ſepeliat, matrem honoret, totam legem Dei adimpleat, & nullum eius mandatum tranſgrediatur, multa bona pauperibus diſtribuat, & nihil alienum apud ſe retineat, & tandem in mandatis dat ei, quod decem talenta argenti, eis debita à Gabelo perquireret, ac reciperet. Quibus auditis reſpondet iunior Tobias parenti: *Omnia quæcumque præcepiſti mihi, faciam pater, quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro.* cap. 5. n. 2. Valde omni conſideratione dignum, quod ad tot, tamque difficilia mandata bonus filius colla ſubmittit, ac ſpondet, ſe omnia illa adimpleturum; & ſolùm cum deuenitur ad id, vt talenta eis debita exigat, ait, *Quomodo pecuniam hanc requiram, ignoro.* Appoſitè Hugo ait: *Nota indole boni pueri.* Nobiliſſimus, ac ingenuus adoleſcens ad omnia patris documenta obeunda promptus, & expeditus ſe exhibet; tamen vt pecunias perquirat, quamuis aliàs debitas, cùm hoc eſſet petere, ita præter eius nobiliſſimam indolem erat, vt hoc fateatur ſe neſcire, ac ignorare. Adeò ægrè ferunt Magni petere, vt potiùs eligant, ſua contemnere quàm preces ad hominem facere.

Tobiæ 4.
Tobiæ 5.
Hugo.

*Vir ingenuus ita eſt alienus ab hoc vt petat, quod ignoret modum.*

21. Cùm Saul inſectaretur Dauidem, diuertit aliquando in quandam ſpeluncam, in qua Dauid cum ſuis militibus latitabat, qui maximè eum adhortati ſunt, vt ſuum perſecutorem interficeret, dixerunt enim ei: *Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* 1. Reg. 24. num. 5. Dauid confregit viros ſuos, & Saulem à ſpelunca exire permiſit. Sed quæro, cur Dauid in cauernoſo loco ſaltem non alloquitur cum Rege, ac ei dicit: Ecce hodie te vides in manibus meis, quibus, acquieſcens conſilio meorum, te poſſem occidere; & tamen ab huiuſmodi morte ego abſtineo, & illæſum abire concedo? Cur hæc verba, vel ſimilia non fatur Dauid? vt ita apertè Saul agnoſceret benignitatem Dauidis in ſe? Sciebat ipſe, quod adeo eſt acre, & acerbum regi, petere, vt beneficium vitæ conceſſum in parua æſtimatione haberetur, ſi cum tanta regis verecundia in fundendis precibus comparandum eſſet. Abulenſis quæſt. 18. Cur Dauid non ſit locutus Saul in ſpelunca, ſic ait: *Ne nimis erubeſceret, & timeret Saul; nam ſi videret ſe poſitum in manibus hoſtium ſuorum, procideret coram eis, & pro vita oraret, ac efficeretur vilis in conſpectu ipſorum, quod non decebat regem. Ideò Dauid noluit eum ſolùm à morte eripere, ſed etiam ab opprobrio, deiectione; & verecundia: conſeruando illi honorem cum perſona.* Vide iterùm infrà cap. 30.

1. Reg. 24.

*Adeo ægrè fert petere Vir illuſtris, vt ab hoc abſtineat vitã contemnens.*

Abulenſis.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare ſeniores rogantes pro Centurione de ipſo teſtantur, quod ſynagogam ædificauerit eis?*

22. SENIORES miſſi à Centurione, apud Chriſtum pro eo, vt ait D. Lucas, *rogabant ſollicitè*; magno affectu, & conatu munus ſibi commiſſum, & acceptum interpellandi pro infirmo diligenter exequebantur; dicebant enim: *Diligit gentem*; vt ſic ſe iuſtam cauſam portendere denotarent; valdè enim æquum eſt, benefactori benefacere, & pro tuo benefactore multum Deo deprecari. Et dicunt: Ipſe, cùm ſit Gentilis, diligit gentem noſtram, ſcilicet Iudæorum. Ita loquuntur, vt Chriſtum inducerent ad diligendum Centurionem, ac ad deſideratam pueri ſalutem concedendam. Valde enim efficaciter quilibet excitatur ad diligendum dilectorem ſuum, D. Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap. 4. ſic ait: *Nimis eſt rudis animus, qui dilectionem, quam nolit impendere, nolit rependere.* Cur ergo his addunt ſeniores: *Nobis ædificauit ſynagogam*: inquirimus.

D. Lucas.

*Pro benefactore rogandum.*

*Quilibet diligat ſuum dilectorem.*
D. Auguſt.

23. Reſpondeo primò cum Diuo Bonauentura, & genuinè ad litteram, Vt ſeniores inducerent Chriſtum ad miraculum perpetrandum, teſtati ſunt de Centurione: *Diligit gentem noſtram*: ad hoc autem comprobandum addiderunt: *Ipſe ſynagogam ædificauit nobis*: Magnum enim beneficium magni amoris ſignum eſt; nam, vt ait Diuus Gregorius de Charitate, relatus à Diuo Bonauentura. *Amor operatur magna, ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Ex quo colligitur, quod noſter amor in proximos operibus charitatis, ac eleemoſynarum exhibendus eſt, iuxta illud Ioan. 1. cap. 3. num. 18.

D. Bonauent.
*Amor oſtenditur operibus.*

D. Greg.

1. Ioan. 3.

n. 18. *Filioli, non diligamus verbo, & lingua, ſed opere, & veritate.* Qui enim diligit ſine opere, non diligit in veritate.

24. D.Chryſol. Secundò, D. Petrus Chryſologus ſerm. 102. *Audiſtis*, ait, *quia ſemper diruta eſt ſynagoga, & iacet iugiter in cæmentis, nec cæleſtem ſurgit in fabricam, niſi eam in Eccleſiæ culmen Chriſtianus fabricator inſtruxerit*, Cur Iudæi ſuam ſynagogam dirutam non ædificant, ſed extraneus miles eam in fabricam erigit? Apud Iudæos omnia ſunt deuaſtata, & in extremam ruinam collapſa. Solus ergo Chriſtianus miles inſtaurat, ac in magnam ſtructuram componit, & eleuat, vt omnia Chriſto Ieſu inſeruiant, ac famulentur. Tertiò, Aliud etiam colligo ex præcitatis Chryſologi verbis. In Iudæis tanquam in Diaboli membris omnia ſunt ſolo æquata, nihil enim aliud ipſe nouit, quam cuncta demoliri, ac euertere. At in hoc milite iam ibi apparebat ingenium Chriſtianum, quo Domus Dei ſpiritualis in cordibus noſtris ædificatur, ad quam Chriſtus Dominus adueniebat, ac aduentabat.

*Synagoga ſemper diruta, Eccleſia ædificata.*

*Ingenium Dæmonis deſtruere, Chriſtiani ædificare.*

25. D. Paulinus. Quartò, D. Paulinus Epiſtol. 12. ad Seuerum, ſic ait: *Euangelicus ille Centurio exemplum nobis eſt, qui ad promerendam filij ſanitatem, & ipſum Dominum Ieſum fidei ſuæ prædicatorem habendum, eo potiſſimum mereri voluit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Iudæis erat, illi de ſynagogæ ædificatæ teſtimonio ſuffragata eſt.* Iſte Centurio, vt bene affectus in Iudæos, valde veriſimile, quod multa dona dederit ad templi exornatum, ad ſacrificia peragenda, & ad alia negotia eis magnum adiuuamen præſtiterit: & tamen omnia illa prætereuntur, & ſolùm de eo prædicant: *Synagogam ipſe ædificauit nobis*: quoniam per hæc maximè apud Deum commendabatur, ac diuinam inſe beneficentiam promerebat. Ex quo rectè argumentatur D. Ambroſius ſerm. vltimo de Dedicatione Eccleſiæ; Quantum ſibi Deum deuincant, qui Chriſtiana templa diuinæ maieſtati conſtruunt, ac ædificant, ſic ait: *Si commendatur Domino, qui ædificauit ſynagogam, quantò eſt commendatior, qui ædificauit Eccleſiam? Et ſi is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præſtitit, quantò maiorem meretur gratiam, qui religionis domicilium præparauit.* Verba autem illa Ambroſij, vt ait Toletus annot. 8. ita ſunt intelligenda. Qui ædificauit ſynagogam, quæ poſt promulgationem Euangelij facta eſt impietatis receptaculum.

*Eccleſias ædificare, obſequiũ multũ Deo gratum.*

D.Ambroſ.

Toletus.

26. 3 Reg. 8. Ad rem noſtram. De Dauide volente ædificare templum ait Dominus ad eum: *Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans.* 3. Reg. cap. 8. n. 18. Et ob hanc cogitationem multæ largitates diuinæ miſericordiæ ei promittuntur. 2. Reg. 7. num. 16. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Quare Dauid ita laudatur ab ore Dei: *bene feciſti, hoc ipſum mente tractans*: Quare tot dona diuina ei in fœdus ſempiternum pollicentur? Cur ita à Deo extollitur? Ipſemet Deus nobis aperit cauſam. *Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo.* Vt rectè notauit Petrus Cluniacenſis Epiſtol. contra Petrobuſian. Hæretic. Si enim tantum laudatur, ac promeruit, qui tantùm optauit, ac cogitauit extruere templum: qualiſnam erit laus, qualénam meritum illorum, qui larga manu, ac magnifica ope templa Domini conſtituunt, ac erigunt? Sine dubio ſuper omnem principatum, ac regiam dignitatem ſublimantur, ac extolluntur.

2. Reg. 7.

Cluniacenſ. *Quantum ſit meritum ædificantis tẽplum.*

27. Cùm Iacob reuerteretur à Meſopotamia ad patrem ſuum Iſaac, maximè Eſau fratrem timens, illum cum filiis, ac vxoribus adorauit. Et ſignanter ait ſacer textus: *Extremi Ioſeph, & Rachel adorauerunt.* Geneſ. 33. num. 7. Nondum enim Beniamin erat natus. Poſtea verò vrgente fame, cùm Ioſeph dominaretur in terra Ægypti, deſcenderunt fratres eius in illam, vt compararent ſibi frumenta, *Cùmque adoraſſent eum*, ſcilicet Ioſeph, *fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos duriùs loquebatur.* Geneſ. 42. num. 6. Cùm omnes fratres adorarent Ioſeph, minimè tamen hanc adorationem ei præſtitit Beniamin, nam ipſe retinebatur domi cum patre ſuo in terra Chanaan. Magna conſideratione dignum, quod omnes Iacob filij, tam Iudas, in quo erat regalis poteſtas, quàm Leui, in quo reſplendebat ſacerdotalis dignitas, cæterique fratres tantis donis præfulgentes coram homine verbi gratia Eſau, vel Ioſeph genu flectunt; & tamen Beniamin, vna, & altera vice ab adorationis munere exceptuatur. Eleganter rationem excogitauit Græcus Auctor in Catena apud Lippomanum ad citata verba Geneſ. 42. *Notandum verò*, ait, *quod Beniamin, neque Eſau, neque Ioſeph, quemadmodum reliqui adorant,*, *ideo quod in partem tribus Beniamin ceſſit templum.* Adorent reges, ſacerdotes, cæteríque principes; non verò Beniamin, in cuius parte, ac ſorte cecidit ædificatio templi; ita enim eius ſtructura ſublimatus eſt, vt reges, ſacerdotes, cæteróſque dynaſtas præcellat, ac quadam magna excellentia ſuperet.

Geneſ. 33.

Geneſ. 42.

Græc. Auctor

*Templa ædificare, magna dignitas ſuper cæteras.*

## Qværstio V.

### *Quare iuxta Lucam Centurio per ſeniores rogat Chriſtum, vt veniat; cùm tamen venientem deprecetur, vt non veniat?*

28. *Ratio difficultatis.* Hæc difficultas apud D. Lucam non eſt modica: Nam Euangeliſta inquit, quod, cum Centurio *audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores, rogans eum, vt veniret, & ſanaret ſeruum eius.* Et poſtea cùm Centurio audiſſet, Chriſtum in eius habitaculum venire, recuſauit per ſuos amicos dicens: *Domine, noli vexari, non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres, propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Quomodo ergo primò rogat, vt veniat in domum, ſi poſtea deprecatur, vt in illam non deſcendat? Et rationem apponit, quia ipſe ſemper ſe iudicauit indignum, vt ad ipſum Chriſtus Dominus veniret, ipſéque coram Chriſto appareret.

29. Albert. Mag. Reſpondet Albertus Magnus, Centurionem priùs rogaſſe, vt Chriſtus veniret, quia nondum in fide profecerat, & eius fides in exordio fuerat valde imperfecta, quippe quæ ad ſanandum Domini præſentiam requirebat: poſt diſceſſum autem

*Centurionis fides in exordio imperfecta.*

Iudæorum



Iudæorum à Deo illuminatus maximè creuit in fide; & tunc per amicos rogat, vt non veniret, ſed vt abſens curaret. Et hanc ſententiam non improbat Cornelius à Lapide. Sed contra hanc ſententiam vrget, quia ipſe Centurio dixit, Non ſum me dignum arbitratus, vt venirem ad te: ſi ergo à principio, quando delegauit ſeniores ad Chriſtum, ſe indignum iudicauit, qui ad Chriſtum veniret; ergo multò magis ad quem Chriſtus tenderet: ac proinde non minor illa, quàm iſta fuit fides.

Cornel. à Lapide.

30. *Vera ſolutio. Iudæi miſſi, de ſuo multa addiderunt.* Dicendum eſt igitur cum communi ſententia Recentiorum. Quod Centurio primò miſit ſeniores Iudæorum ad Chriſtum, vt ab ipſo Pueri ſanitatem peterent; illi verò de ſuo addiderunt, *Vt veniret, & ſanaret ſeruum eius*; ſicut & alia multa depoſuerunt; verbi gratia dum dicunt, *Diligit gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Et fortè hoc ex eo fuit, quia ipſi Iudæi putabant, non poſſe aliter à Chriſto conferri ſanitatem, niſi ipſo præſente. Et quia Iudæi ipſi miſſi fuerant à Centurione, & eius cauſam agebant; quidquid illi petierunt, Centurioni tribuitur, quamuis talia verba non protulerit, ſed ſolum ſalutem Pueri eis commendauerit.

31. Perantiquum malum, vt ſemper miniſtri de ſuo multo plura dicant, & faciant, quàm eis in mandatis ordinatur. Veniunt Angeli Sodomam, vt exequantur diuinum mandatum de euertendis ciuitatibus igne, & ſulphure. Et vrgent Lot dicentes: *Feſtina, & ſaluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*, Gen. 19. n. 21. Optimè notat D. Ephrem in Lot. *Creator ſupercæleſtibus virtutibus iuſſit, vt tantiſper intentas contineant minas, donec ex medio ipſorum iuſtus ſaluetur.* Angeli valdè benigni ſunt in homines, non poterant inferre malum vrbibus, donec iuſtus egrederetur, cur ergo ita inſtant, vt feſtinando exeat? Cur ipſum non ſinunt plus morari ac lentè progredi, vt inde maiores induciæ homini concedantur? Deus non iuſſit, Iuſtum feſtinare; immò indulgentiam conceſſit, donec ipſe exiret. Cur ergo ita pro diſceſſu vrgent, & eum non permittunt tantiſper detineri? Angeli hominibus multum beneuoli, ſed cùm miniſtri extitiſſent, aliquid de ſuo in executione mandati interponunt, vt ita ſe maximè ſolertes, ac diligentes exhibeant. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 60. & tom. 2. cap. 1. num. 121. & 122. & cap. 7. num. 72. & 73.

Geneſ. 19.

D. Ephræm.

*Miniſtri plus dicunt, & faciunt, quàm eis eſt mandatum.*

## Qværstio VI.

### *Quare Centurio tam ſollicitè aduenit deprecans pro puero? Et explicatur, quomodo erat illi pretioſus.*

32. Abulenſis. Aliqvi dixerunt, vt refert Abulenſis quæſt. 29. quod Centurio mouebatur ex conſideratione magni damni, quod patiebatur, ſi Puer moreretur. Sed tantus vir, ac maximè à Chriſto laudatus, non ex lucro, ſed ex altiori motiuo inducebatur.

33. D. Chryſoſt. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 22. in Imperfecto. *Centurio iſte*, ait, *inter ſeruum, & Dominum nullam differentiam æſtimabat ſciens quoniam, etſi dignitas in hoc ſæculo diuerſa eſt inter eos, vna eſt tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quàm opus captiuitatis contemnebat in ſeruo.* Bonus iſte Centurio maximè affligebatur ægritudine Pueri, qui ita acerbè torquebatur; nam quamuis ipſe eſſet dominus, & ille alius ſeruus; tamen ſe cognoſcebat eiuſdem naturæ cum illo. Ac proinde nec ob dominationem obliuiſcebatur de ſua conditione, nec ob ſeruitutem alium contemnebat, ſed imaginem Dei venerabatur in ſeruo.

*Recordentur domini, ſeruos eſſe eiuſdem naturæ cum eis.*

34. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. D. Bonauent. Secundò, Hæc Centurionis ſollicitudo communiter à D. Chryſoſtomo citato, D. Ambroſio, D. Bonauentura eximiæ charitati eiuſdem tribuitur, non enim poterat videre in familia ſua, in domo ſua, ac in ſubditis ſibi commiſſis aliquem grauiter affligi, quin omnibus modis ei procuraret remedium; vnde tanta fide meruit à Deo illuminari. Quod pulchrè dixit D. Baſilius Orat. 19. *O miraculum*, inquit, *modò non opinabile. Puer, membra diſſolutus, iacens, domino ducatum præbet ad Dominum; ſerui ſanationem Centurio requirens Dominum reperit, dumque ipſe ſerui ſanationem venatur, fit ipſe domino præda.* Dum Centurio in operibus charitatis ſe exercet, atque in his, quæ ex proprio officio ſibi incumbebant, vt de ſalute ſui militis pertractaret, meruit à Deo tanta fide illuminari, vt de eo à Domino prædicetur. *Non inueni tantam fidem in Iſraël.*

*Multum promeretur, qui in operibus charitatis, vel ſui officij ſe exercet.*

35. Tertiò, Ex parte ſerui hæc ſollicitudo mouebatur, quia ipſe apud Centurionem dominum ſuum multũ promerebat, cùm eſſet valdè probus. Quod rectè probat Chryſoſtomus cit. hom. 22. in Imperfecto. *Secundum dilectionem Domini*, ait, *menſuratè fidem ſerui, nec enim poſſibile erat, vt ſine pretio bonorum morum tantam ſibi dilectionem domini comparaſſet.* Frequenter ſerui ſequuntur affectum domini. Tradunt Hebræi apud D. Hieronymum in lib. 1. Paralip. cap 9 ſeruum Saul, cum quo ipſe iuſſus eſt quærere aſinas patris ſui, fuiſſe Doeg Idumæum, qui tunc bonus erat; & ideò de cæteris pueris patris ſui electus à Saul. 1. Reg. cap. 9. num. 3. Et tamen hunc Doeg fuiſſe valdè iniquum, docent Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus 1. Reg. 21. num. 7. & 22. num. 9. Et hoc patet ex littera. Nam iſte nuntiauit Sauli, panem datum ab Abimelech Dauidi; ex quo multorum ſacerdotum mors ſecuta eſt. Quando Saul quæſiuit aſinas, ac electus eſt ad regnum, candidus, & ſimplex erat, vt puer vnius anni: at verò poſtea malus, ac iniquus factus eſt, Sic & ſeruus in bono, ac malo adhæret domino ſuo, ac cum illo creſcit, & decreſcit in bonitate.

D. Chryſoſt.

*Qualis dominus in bonitate, aut malitia, ita & ſeruus.* D. Hieron.

Lyranus. Abulenſis. Carthuſ.

36. Quartò, & ſpecialiter explicantur virtutes iſtius ſerui, quæ tantam domini ſollicitudinem promouebant. Nam de eo ait D. Lucas: *Erat illi pretioſus*, id eſt in magna æſtimatione habitus, vt iam dixi. Simon Caſſianus lib. 5. cap. 12. ſic explicat: *Erat pretioſus, ſcilicet gratioſè ſeruiens, & intellectu vigebat*: iuxta illud Prouerb 14. n. 35. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* Et in originalibus habetur: *Beneuolentia regis ad miniſtrum intelligentem* Albertus Magnus ſic explanat: Pretioſus, id eſt fidelis in omni re. Prouerb. 17. n. 2. *Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis.* Et Eccleſiaſt. 33. n. 31. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* Quod ibi explicat Carthuſianus, Cor-

*Seruus gratioſè ſeruiẽs, pretioſus domino ſuo.* Caſſian.

Prouerb. 14.

Albert. Mag. Prouerb 17. Eccleſiaſt. 33

Carthuſ.

*Multùm debet Dominus procurare, ac agere pro ſeruo fideli.*

*dialiter dilige eum, ſicut te ipſum, quærendo eius ſanitatem.* Expende illa verba: *Quaſi anima tua:* nam ſicut homo viuit anima ſua; ita viuit ſeruo fideli; ac proinde, dum de ſalute ſerui agit, de propria tractat.

37. Cùm Abraham ſe vidiſſet in ætate prouecta abſque prole, & ſibi perſuaſiſſet, quod ſine liberis eſſet diſceſſurus, loquens ad Dominum ait: *Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.* Gen. 15. n. 4. Quæ verba Eucherius interpretatur. *Quaſi diceret, quia de me ipſo mihi ſemen non dediſti, in iſto comple, quod ſemini meo promiſiſti.* Hanc ſententiam ſequuntur Lyranus, Abulenſis, Lippomanus, & alij. Deprecaretur, quòd cùm ipſe non haberet liberos, hæres eius eſſet ſeruus ſuus Eleazarus, vniuerſæ ſuæ familiæ diſpenſator, ac gubernator. Sed modo inſurgit quæſtio, & non vulgaris: Abraham habebat multos conſanguineos, nempe Lot filium fratris ſui Aran; & etiam filios Nachor fratris ſui Cur ergo non obſecrat, vt ſua hæreditas tantarum rerum ad ſuos fratres tranſeat; ſed ad ſeruum familiæ ſuæ? Ille Eleazarus multum erat fidelis Abrahamo, vt patet Gen. 24. n. 1. Et ibi notant Chryſoſtomus, Procopius, Carthuſianus, & omnes communiter. Prudentiſſimè vir magnus Abrahamus, cum ſe iam filiorum expertem exiſtimaret, ad quos ex naturali iure eius ſpectabat hæreditas, ſuorum bonorum proſſeſſionem optat, & diſponit potius vni fideli ſeruo deuenturam, quàm omnibus aliis ſuis fratribus, ac cognatis; vt ſicut ſeruus in amore, ac fidelitate erga ipſum Abrahamum, ita & in muneribus, ac donis cæteros præcelleret, ac anteponeretur. Multum ſanè per omnem modum fidelis ſeruus eſt pretioſus, & æſtimandus.

Geneſ. 15.
Eucherius.
Lyranus.
Abulenſis.
Lippoman.
Geneſ. 24.
Chryſoſtom.
Procopius.
Carthuſian.

*Fidelis ſeruus omnibus fratribus, ac cognatis anteponitur.*

38. Apparens Deus Moyſi in Rubo, mandat ei, vt fœlicia nuntia de libertate populi Iſraëlitici ad eius ſeniores deferat: à quo Moyſes quærit eius nomen, vt ſciſcitantibus filiis Iſraël appoſitè reſpondeat. Cui ait Deus: *Ego ſum, qui ſum*: Et ſtatim ſubiungit: *Hæc dices filiis Iſraël, Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos; hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Exod. 3. n. 15. Et iterum ſtatim: *Congrega ſeniores Iſrael, Deus patrum veſtrorum.* Vbi duo nomina de ſe ipſo Deus teſtificatur, vnum: *Ego ſum, qui ſum*: quod propriam Dei naturam concernit, vt docent D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 15. D. Ambroſius de fide contra Arrian. cap. 4. D. Hilarius de Trinit. D. Hieronymus cap. 3. in Epiſtol Ad Epheſi. & alij. Alterum nomen eſt per reſpectum ad ſuos ſeruos Abraham, Iſaac, & Iacob. Et tamen legatio iniuncta ſub hoc ſecundo titulo mandatur proferri; *Deus patrum veſtrorum.* Cur non potiùs ſub priori nomine, cùm multò ſublimius, & excellentius ſit? Huiuſmodi autem legatio deſtinabatur, vt cunctus Iſrael Deum agnoſceret, eiuſque ſupremam maieſtatem revereretur: apud homines autem huius ſæculi, cum ingenio ſint debiles valde, aliquando quis potiùs agnoſcitur, & veneratur ob præclaros, & optimos ſeruos, quibus præeſt, quàm ob excellentiam, ac celſitudinem naturæ, qua cunctis eminet. Vnde vt cunctus Iſrael Deum ſuum agnoſceret, ac ſummum ei honorem exhiberet, illis proponitur, vt Deus patrum ſuorum. Et ait: *hoc memoriale meum in æternum.* Carthuſianus. *Hoc complexum: Deus patrum veſtrorum: vniuerſos fideles inducet ad recordationem, & memoriam mei vſque in finem.* Per hoc enim nomen cunctis erit in recordationem, ac venerationem.

Exod 3.
D August.
D. Ambroſ.
D. Hilarius.
D. Hieron.

*Aliquando potiùs quis honoratur ob ſuos ſeruos optimos, quàm ob ſuã celſitudinem.*

Carthuſian.

## Qvæstio VII.

### *Quare, cùm Centurio veniſſet deprecans pro ſuo puero, non acceſſit adorans vt Archiſynagogus, & alij?*

39. *Ratio difficultatis.* Matth. 9. 14. & 20.

VENIT Centurio ad Chriſtum pro ſalute pueri ſui rogans; & tamen non dicitur, quod acceſſerit adorans, vt de Archiſynagogo ſcribitur Matth. 9. n. 18. ac de aliis multis narratur Matth. 14 n. 33. & 20. n. 20. Marc. 5. n. 6. Cur ergo noſter Centurio non venit etiam adorans, cùm magnas preces deferret, & pro puero ſibi valde dilecto?

40. *Fidei confeſſione veneratur Deus.* Beda. Haymon. Hugo.

Reſpondeo ad quæſtionem, primò. Quod dum Centurio accedens dixit Chriſto: *Domine, puer meus*: in illo verbo: *Domine*: Chriſto debitam reuerentiam, ac venerationem exhibuit, vt dixi in expoſitione ex Beda, Haymone, Hugone, & aliis. Illo enim verbo protulit fidei confeſſionem, qua Chriſtum Deum, ac Dominum agnoſcit.

41. *Vera fides nõ quærit externas adorationes, quas debilis venatur, ſed ſolum internum quærit affectum.*

Secundò, & moraliter ad quæſtionem reſpondeo. De Centurione non ſcribitur externa adoratio exhibita Chriſto, vt de Archiſynagogo, ac aliis. Centurio valde magnus erat in fide, ita vt à Chriſto audire meruerit: *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* At Archiſynagogus debilis erat in fide; vnde deprecabatur, vt Dominus deſcenderet, & ſanaret filiam eius, quia ſibi perſuadebat, quod Dominus abſens non poterat ei vitam conferre: & ideò inſtanter obſecrabat: *Deſcende, antequam moriatur*: vt latè explicaui cap. 29. tom. 2. Fides magna in Centurione actibus interioribus firmæ credulitatis, charitatis, humilitatis, ac obedientiæ contenta eſt, & de exterioribus adorationibus non multum curat, neque agit. At vbi fides eſt valde tenuis, ac remiſſa, hæc exteriora ſibi quærit, vt illis interiorem defectum ſuppleat, regat, & abſcondat.

42. Nyſſenus. Laur. Iuſtin.

Valde ſollicitus erat Moyſes de libertate ſui populi, ac pro ea multum Deum deprecabatur, vt tradunt D. Gregorius Nyſſenus lib. de Vita Moyſis, & D. Laurentius Iuſtinianus lib. de Vita ſolitaria cap. 18. Apparuit ei Deus in Rubo, illique manifeſtauit, quomodo ipſe deſcenderit, vt Iſrael à Pharaonis tyrannide eximeret. Ipſumque in hoc negotio caput, ac principem conſtituit. Multa fide credidit Moyſes diuinis promiſſis. Tamen ſi rectè conſideres cap. 3. & 4. Exodi, vbi hæc hiſtoria narratur, non leges, quod pro tanto beneficio Moyſes ſe proſternens in terra, ac Deum adorans gratias protulerit. Ex Dei mandato pergit Moyſes ad filios Iſrael, eiſque exponit diuinam benignitatem in eos *Credidit populus, & audierunt, quod viſitaſſet Dominus filios Iſraël, & proni adorauerunt.* Chaldaica. *Incuruati ſunt, & adorauerunt.* Alij ex Hebræo. *Et proſternentes adorauerunt.* Moyſes pro tam inſigni miſericordia audita coram ipſo Deo non ſe proſternit in terram

Exod. 3.
Exod. 4.
Chald.
Hebr.



terram in recognitionem diuinæ pietatis; & hoc præſtant filij Iſraël audito mandato? Moyſes magnus fide; de eo ait Paulus ad Hebræos 11. n. 24. *Fide Moyſes grandis factus.* Filij Iſraël valdè paruuli laborantes in fide, vt notat Procopius ad citatum locum. *In fide non permanſerunt, ſed turpiter obmurmurarunt.* Grandis fides Moyſis totum interiorem affectum apprehenderat, de exterioribus autem obliuiſcebatur. At torpeſcentes Iſraëlitæ corporis genuflexionibus cordis infirmitatem veluti diſſimulabant, ac contegebant.

Hebr. 11.
Procop.

*Grandis fides ſolùm de interioribus agit; friuola verò de apparentibus oſtentationibus.*

43. Geneſ. 18. Septuag.

Abrahamo. *Apparuit Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi.* Geneſ. 18. num. 1. Septuaginta legunt: *Apparuit ei Deus ad quercum Mambre.* Cucurrit Abrahamus obuiam, ipſúmque inuitauit ad ſuum tabernaculum, quod iuxta D. Auguſtinum citandum, erat ſuffugium quoddam, ſeu tugurium ſub arbore, quod magis admirationem ingerit. Abrahamus cognouit, eſſe ipſum Deum, vt docet ipſe Auguſtinus quæſt. 34. in Geneſ. Ex quo pullulat magna difficultas: Quomodo ſanctus Patriarcha diuinam maieſtatem, quam cæli cælorum capere non poſſunt, audet inuitare ad tam humilem locum, & etiam vni homini anguſtum? Agnoſcebat optimè Abrahamus diuinum ingenium, quod potiùs delectatur fide pectoris noſtri, quam amplis, ac ſumptuoſis oſtentationibus regalis, ac magnifici palatij; & cum Abrahamus ſe vidiſſet tanta fide ditatum, non timet Deum in pauperem locum adducere. D. Auguſtinus ſerm. 66. de tempore. *Locum arboris incolebat Abraham, ſub qua conſtructum erat qualecumque ſuffugium, anguſtum quidem homini, ſed ſufficiens maieſtati, dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuiſſet diuina maieſtas pranſura.* Vilem illum locum homini anguſtum, magna fides Abrahæ regalem aulam Deo dignam reddebat, omni auro, & gemmis exornatam.

Auguſt.

*Vera cordis fides magnũ palatiũ Deo præparat.*

D. Auguſt.

44. Vides, quantum Deus vult animum noſtrum. Vnde qui ſumptuoſos apparatus Deo exhibent, & illi cor negant, de noſtro Centurione audiant D. Auguſtinum ſerm. 6. de verbis Domini dicentem: *Non erat magna fœlicitas, ſi Dominus Ieſus intraret in parietes eius, & non eſſet in pectore eius. Magiſter quippe humilitatis & verbo, & exemplo, diſcubuit & in domo cuiuſdam Pharisæi nomine Simonis; & cum in domo eius recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinaret.*

D August.

*Parum eſt, Deum habere in domo, ſi non ſit in corde.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare Centurio infirmum peculiariter dicit ſuum:* Puer meus?

45. *Ratio dubitandi.*

SI rectè Centurij petitio examinetur, primo intuitu videbitur, quandam repugnantiam inuoluere. Acceſſit, & ait: *Domine, puer meus iacet.* Chriſtum omnium Dominum vocat: ergo etiam decumbentis ſerui Dominus erat; ac proinde in præſentia tantæ maieſtatis debebat dicere: Domine, puer tuus, & non, puer meus. Quod dubium eleganter excitat Chryſologus ſerm. 15. *Quomodo, ait, hic Centurio, qui ſic agnoſcit Dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri, quaſi neſciens, ſerui peculium ad Dominum pertinere.*

Chryſolog.

46. D. Chryſol.

*Magna Dei benignitas in ſuos.*

Primò, ipſe Chryſologus citato loco pulcherrimè reſpondet. *Meum dico, quia iacet; ſi tuus eſſet, Domine, non iaceret.* Et poſt pauca ſubdit. *Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit?* Prudenter Centurio puerum illum, non Domini eſſe dicit, ſed ſuum: agnoſcebat, diuinam benignitatem præuenire omnia ſuorum mala, vnde cum videret puerum illum iacentem, & grauiter morbo laborantem; & à Chriſto Domino minimè requiri: *Hunc tuum dicerem, quem iacentem benignitas tua non requirit?* Prudenter ſibi perſuaſit, facilius aliquem eſſe excluſum ab ouili ſeruorum Domini, quam quod Dominus ſuam ouem laborantem, ac oppreſſam non requirat, curet, & ſanet. *Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit?* Si enim hic puer tuus eſſet, mihi non foret neceſſarium loqui, ac rogare pro eo; *tua benignitas ipſum requireret*: ergo cum hoc non præſtet, tuum non dico: O magnum documentum, quanta ſit cura Domini in ſeruos.

*Quanta ſit cura Domini, ac Paſtoris in ſuos.*

47. D. Chryſol.

Secundò, idem Chryſologus. *Meum dico, quia iacet, ſi tuus eſſet, Domine non iaceret. Probat hoc Propheta, cum dicit:* Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini. Pſalm. 93 num. 2. *Qui ſtatis, non iacetis,* ait, *ſtant ſerui tui, hominum ſerui iacent.* Prudenter Centurio iacentem ſeruum, non Domini, ſed ſuum dicit: nam ſerui Domini, qui ſub Deo militant, eique ſeruiunt, conſtanter ſtant, in eis enim eſt perfecta ſalus, & integra valetudo, vt probat citatus locus Prophetæ; nam ſtare, fortitudinis, ac roboris ſitus eſt. Vnde puella illa delicata Suſanna, cum accuſaretur à falſis ſenibus, ante tribunal non deficiens animo cecidit, ſed multa conſtantia ſtabat, vt ponderat S. Zeno ſerm. de Daniele. *Stabat,* inquit, *Suſanna cum iudicio proditorum falſorum teſtium oppreſſa mendacijs, conſcientia tamen bonis contenta ſecretis, non tam rea ſuſceptura ſententiam, quam dicata Deo pro caſtitate fortiter moritura.* Quamuis videretur oppreſſa mendaciis, tamen dedicata Deo fortiter moritura ſtabat. Vnde rectè Chryſologus: *Serui tui ſtant*: & pergit: *hominum ſerui iacent*: ac veluti diceret, iacent ſerui hominum, quia *vana ſalus hominum.* Pſalm. 59. num. 13. Sic in piſcina illa, in qua mundus deſignabatur, *Iacebat multitudo languentium.* Ioan. 5. num.... Qui enim hominibus ſeruiunt, multiplici labore, morbo, ac dolore laborant, vt optimè aduertit D. Nazianzen. orat. 1. in Iulianum ante medium. *Non ſemel tantum ingemiſcit, ait, & parturit corruptioni ſeruiens, hoc eſt ij, qui in terra naſcuntur, & intereunt homines.*

Pſalm. 93.

*Serui Domini ſtant incolumes, ſerui mundi iacent.*

D. Zeno.
D. Chryſol.
Pſalm. 59.
Ioan. 5.
D. Nazian.

48. D. Chryſol.

Tertiò, idem Chryſologus citato loco. *Domine, tuos ſeruos non decet malis ſubiacere: iniuria eſt tua, tuorum pœna ſeruorum; tuos ſeruos poſſidere non debet vis malorum. Tu autem Domine, cui virtutes ſeruiunt, curationes parent, obtemperant ſanitates, quomodo computabis ſeruum tuum, quem ſeruum tantorum conſpicis eſſe morborum.* Duo valdè notanda docet S. Pater. Primò, circunſpectè Centurio loquens cum Domino, non ait, puer tuus, id eſt ſeruus tuus, vt dixi in expoſitione; ſed ſeruus meus: optimè enim agnoſcebat Chriſti benignitatem in ſuos, itaut eorum dolores, afflictiones, ac iniurias tanquam ſuas proprias reputaret. *Iniuria tua, tuorum pœna ſeruorum.* Secundò, cum Centurio fateretur in Chriſto

*Bonus princeps, ac prælatus non ſinit, ſuos vexari, cum eis valeat ſubuenire.*

 ſto

ſto ſupremam poteſtatem, cui omnes ægritudines obtemperant, faciliter ſibi perſuaſit, eum non reputari à Chriſto inter ſuos ſeruos, qui ita vi morbi torquebatur. Valdè alienum eſt à Domino, vt ſuum ſeruum permittat vexari, cum ipſum valeat cuſtodire, ac liberare. *Domine, cui virtutes ſeruiunt, curationes parent, quomodo computabis ſeruum tuum, quem ſeruum conſpicis tantorum eſſe morborum.*

49. D. Baſil. Seleuc. Quartò, D. Baſilius Seleucus orat. 19. *Seruum*, ait, *non ſpreuit præ ægritudine corpore diſtabeſcentem, non ſerui contempſit afflictionem herili faſtu turgens; verum obibat inueſtigans periculi remedium.* Diſcant temporales domini. In eorum documentum diuino afflatu ait Centurio: *Puer meus iacet in domo paralyticus:* nam quamuis puer immedicabili morbo laboraret, ipſum non contempſit Centurio, ſed in propria ſua domo retinebat, ſuúmque eſſe agnoſcebat, illúmque curabat, fouebat, ac de illius ſalute multum ſolicitè agebat. Valdè enim impium eſt, vt quos ſanos, vt tuos ſeruos agnouiſti, ac habuiſti; ægrotos verò, vt alienos, excludas, ac ignores.

*Amor in laboribus non deſerit.*

50. D. Baſil. Sel. Quintò, idem Seleucus citato loco ſic pergit: *Non præ voluptate, quam ex numeroſo ſatellitio capiebat, pueri immobilis oblitus eſt: verum obibat inueſtigans periculo remedium; nec à cura deſtitit, dum ipſe in curationis fontem incideret.* Iſte illuſtris vir centum militibus præerat, & cum tantis armatis eſſet ſtipatus, cura vnius paruuli periclitantis ab eius mente non cecidit; ſed ita ſolicitè de eo agit, ac ſi vnum illum tantùm haberet. Diſcant ex hoc principes, quod quamuis in republica omnia ſint proſpera, tamen cura vnius minimi oppreſſi, ac laborantis non debet in eis ſopiri, ac extingui; & ita deueniet in fontem curationis, vt ipſe, & ſuus famulus viuant.

*Principes, quãuis multos habeant, pro ſalute vnius ſint ſoliciti.*

51. Hugo. Sextò, Hugo. *Ecce compaſſio, quod morbus eſt meus.* Puerum ægrotantem ſuum dicit, vt per ſuam compaſſionem denotaret, quod illa ægritudo ſua erat. *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* 2. Corinth. 11. num. 29. Septimò, præ modeſtia Centurio paralyticum, non Domini, ſed ſuum diuulgat, innuens, puerum illa pati ex eo, quod ſuus erat, ac ſi ipſe eſſet in cauſa tanti mali. Octauò, puerum ſuum appellat, ac ſi diceret; Quamuis eſſet puer, & in ſuæ ætatis iucunditate florens, tamen cum eſſet meus, ac huius ſæculi res, cecidit, & infirmus eſt: quia omnia, quæ in hoc ſæculo obtinentur, quamuis valdè periucunda videantur, velut ex impetu ſuo cadunt, ruunt, ac in terra iacent.

*Prælatus ſubditi morbum ſuum reputet.* 2. Cor. 11.

*Omnia huius ſæculi per ſe ruunt, & cadunt.*

52. Iob 24. Septuag. De potentibus, ac diuitibus loquens Iob cap. 24. num. 24. inquit. *Sicut ſummitates ſpicarum conterentur.* Septuaginta legunt, *Sicut de ſtipula ſpica decidens ſponte ſua.* Optimo iure ſæculi diuites comparantur cum ſpica, quæ granis ditata extollitur, ſed ipſa ſuo pondere deprimitur. Ita cum præſtantiſſimis expoſitoribus Pineda, & aliis explicabis illam particulam *ſponte ſua*, hoc eſt ſuapte natura; per quod deſignatur, omnem humanam fœlicitatem per ſe ipſam contabeſcere, ſicut ſpicam, quæ etiamſi non decutiatur bacillo, neque vento agitetur, ſua imbecillitate, & ariditate diſſipatur, ac ruit. D. Gregorius lib. 17. moral. cap. 6. *Quid ergo*, ait, *prauos huius mundi diuites dixerim, niſi ariſtas quaſdam generis humani, qui dum contra ſe ſuperbiunt, aduerſus ſe quidem diuiſi ſunt; ſed tamen concorditer grana deorſum premunt.* Quamuis potentes ſæculi in multis ſint diuiſi; in hoc tamen ſunt concordes, quod omnes per ſe ipſos grana ſua deorſum premunt, & abiiciunt.

Pineda. *Huius ſæculi diuites natura ſua cadũt.*

D. Greg.

Lamentatur Ieremias deuaſtationem Ieruſalem, 53.
& ait; *Cecidit corona capitis noſtri.* Threnor. 5. Threnor. 5.
num. 16. Sed cur non explicatur, à quo iſte caſus coronæ factus? Cur non dicitur, inimici abſtulerunt coronam noſtram, ſed tantum profertur, *Cecidit corona?* Alto ſanè Dei conſilio ita loquitur Propheta: nam cum eſſet corona noſtra, ac corona huius vitæ, nulla admota manu, nullóque impellente ipſa per ſemet cadit, ſuóque pondere ruit. Brixianus. *Iſraëlitæ preſſi ſunt, vt deficientibus viribus corruerent.* Cum vires deficiunt, tes ſuamet natura concidit. Brixian.

Cum parens meus Elias fugeret à facie Ieza- 54.
bel, ac per deſertum ambularet, ait Scriptura: *Cúmque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur; proiecitque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* 3. Reg. 19. num. 5. Illud verbum: *proiecit ſe:* multo examine ponderandum eſt, non enim dicitur, diſcubuit, vel requieuit, vel reclinauit caput, *ſed proiecit ſe*, quod verbum, ſi rigorem grammaticum conſulas, deiectionem, & caſum cum impulſu exprimit: hoc ergo verbo denotatur, quod cum Propheta longo eſſet itinere fatigatus, multóque mœrore confectus, ex quo vehemens ſomnus gignitur, vt notant Abulenſis, Lyranus, Caietanus, Gaſpar Sanchez, & alij. Cùm ergo ipſe Propheta ſomno grauatus ſederet ſub arbore, deiecit ſe, ſeu cecidit in terram. Sed quomodo Elias, moraliter loquor, valdè magnus nomine, nam Elias, id eſt Dominus Deus; magnus poteſtate, nam clauſit, & aperuit cælum; magnus auctoritate, Prophetas occidit; magnus virtute, & animo, deiecit reges, & fregit eorum potentiam Eccleſ. 48. num, 6. Cur in tanto Propheta permittitur huiuſmodi proiectio? Carthuſianus, *Quiſque penſet, quod tantus Propheta humanum quid paſſus eſt.* Alta Dei prouidentia hoc factum eſt, vt quiſque penſet, & cogitet, quod quamuis Elias tam magnus, ac potens eſſet, tamen cum in hac vita degeret, in hoc ſæculo viueret, *quid humanum paſſus eſt*, vt ſuo veluti pondere quandam deiectionem, ac proiectionem haberet. Nihil enim tam magnum, ac excellens eſt in orbe, quod ſuam etiam deiectionem, ac caſum non patiatur, atque ſuſtineat.

3. Reg. 19. Abulenſ. Lyran. Caiet. Sanch. Carthuſ.

*Nihil magnũ in hoc ſæculo, quod ſuam deiectionem non habeat.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Centurio non ſolùm exponit puerum ſuum infirmum, ſed etiam locum, in quo iacebat, nempe in domo?*

CENTVRIO non ſolùm propoſuit ſuum 55.
puerum paralyticum, & iacentem, ſed etiam ſignanter declarauit locum, in quo erat proiectus, nempe in domo. Ad quod ſic primò Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. *Excuſando ſe, vt quidam aiunt, cauſam adiecit, qua de re puerum non adduxerit, quippe cum non fuerit facile, paralyticum, qui doloribus non paruis vexaretur; & vltimos iam ſpiritus traheret, longius deportare.* Valdè circun- Chryſoſt.



circunſpectè Centurio exprimit, quod puer iacebat domi, vt multas cauſas innueret, ob quas infirmus ad Chriſtum non aſportabatur: nam erat frequens conſuetudo, vt notat Abulenſis quæſt. 29. quod infirmi ſanandi ad Chriſtum adducerentur. Cùm autem Centurio ab hac conſuetudine recederet, & ſuum non afferret ægrotum; huius rei declarauit valdè efficacem rationem: nam vt à probato, & laudabili more quis deuiet, multum per omnem modum requiritur. Excuſat ſe ergo Centurio, quod puerum non adduxerit, quia grauiter infirmabatur paralyſi, ac malè torquebatur, cum multis doloribus eſſet affectus, ac proinde iaceret in domo, à qua non niſi multis adauctis doloribus poterat extrahi: de quo ſtatim.

Abulenſ. *Vt quis à ſolito more deuiet, multum requiritur.*

56. D. Chryſol. Secundò, eleganter D. Chryſologus ſerm. 15. ſic ait: *Iacet in domo. Hinc eſt, quod offerre eum, & offerre tibi, pœnæ non ſinit magnitudo, ne familiaris infirmitas publicè, & dolori ſit, & pudori.* Ait Centurio, quod puer eſt in domo, nam ſi extra illam publicè educeretur, eſſet ei magnus dolor, & pudor: dolor ex motu aſportantium; & pudor, quia tam debilitatus in omnium oculis apparebat. Et remedium non eſt gratum, ſed valdè graue, quod dolore, ac pudore comparatur. Contra ſuos amicos iraſcitur Iob, qui in tanta malorum congerie eum ad viſitandum, eíque aliquod remedium prouidendum venerunt: *Subuertere nitimini amicum veſtrum.* Iob 6. num. 27. Cur non benignè excipit homines, qui in tantis laboribus de eo recordantur? Illi amici teſtificabantur, Iobum eſſe peccatorem: *Quis vnquam innocens periit?* Iob 5. num. 7. Meritò ergo in eos iraſcitur, ac eorum leuamen habet inuiſum, cum eum verecundia afficerent, ac graui dolore pungerent, vt ipſe in communi omnium opinione peccator, ac iniquus reputaretur.

*Remedium non eſt dandum cum dolore, ac pudore.*

Iob 6. Iob 5.

57. Euſeb. Gall. Tertiò, & moraliter, Euſebius Gallic. Dom. 3. poſt Epiphaniam, inquit, quod puer iſte paralyticus iacens in domo, eſt anima, ſeu ſpiritus noſter iacens infirmus vitiorum morbo in corpore, ac in carnis habitaculo. Vt ſanetur, mittamus ad Ieſum ſeniores, ſacerdotes ſcilicet, qui pro eo rogare debent. Quartò, Hugo. In domo dicit *contra illos, qui ſtatim famulos ægros eiiciunt, & ad hoſpitale mittunt.* Vt ita ſua charitate cunctos ad ſubueniendum prouocaret.

Hugo. *Famuli infirmi ſunt curandi.*

58. D. Paſchaſ. Quintò, D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *In domo, inquam, de qua dictum legimus ad animam: Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: in hac quippe domo paralytica eſt anima.* In ſua petitione exprimit Centurio, quod puer iacet in domo, vt denotet cauſam infirmitatis, quia ideo erat paralyticus, & malè torquebatur, quia erat in domo; dum enim quis agit inter ſuos parentes, paralyſi laborat, ipſáque animi virtus infirmata eſt. Relinquat homo hunc affectum, vt virili fortitudine fruatur, ac multæ virtutis documenta præſtet.

*Homo inter ſuos infirmatur.*

59. Geneſ. 25. Cellen. De Iacob ait Scriptura, quod erat vir ſimplex & habitabat in tabernaculis Geneſ. 25. num. 27. Et, vt notat Abbas Cellen. lib. de panibus, cap. 5. aſſuetus erat colloquio matris. Poſtea verò cum profectus eſſet è domo paterna, & ad Solis occaſum requieſceret in quodam loco, *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi: Terram, in qua dormis, dabo tibi, & ſemini tuo.* Geneſ. 28. num. 12. Valdè notandum, quod Iacob in tabernaculis patris ſui iam expleuerat annum quinquageſimum, iuxta probabilem ſententiam, & per tot annos nulla cœleſti viſione recreatur; at vbi egreditur à propria familia, in ipſa, eadémque nocte multis donis cumulatur: Videt Dominum, cælum apertum, Angelos aſcendentes, & deſcendentes; multíſque promiſſionibus ditatur: Optimo ſanè iure, non enim virtutes animi magnopere prodeunt, neque is ad maiora fit capax, quandiu intra paternam domum continetur; ſed quando ab ea exiens progreditur in campos, deſerta, ac itinera. Procopius in Geneſ. in eodem cap. ad illa verba: *tulit de lapidibus:* ſic ait. *Qui auelluntur à parentum dulciſſima conſuetudine, & coguntur in aliam proficiſci regionem, opportunè obuerſantur Angeli inſeruientes humano generi, ſicque Deus ſemper ſuis præſto eſſe ſolet.*

Geneſ. 28. *Vt quis generoſitatis ſigna exhibeat, à propria domo exeat.* Procop.

Natiuitatem Sanſon denuntiat Angelus matri 60.
ſuæ dicens inter cætera: *Erit puer Nazaræus Dei* Iudic. 13.
*ab infantia ſua ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ.* Iudic. 13. num. 7. Iſta autem conſecratio Nazaræatus in eo intelligitur facta, ait Lyranus, per donum fortitudinis, quæ fuit quædam gratia gratis data ei. Similiter Carthuſianus inquit ad finem citati capitis, quod à ſua circunciſione fuit in eo gratia gratum faciens, virtutes quoque, ac dona eis annexa. Tamen de eo poſtea ait Scriptura: *Puer creuit, cœpítque ſpiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa, & Eſthaol.* ibid. num. 25. Quæ verba communiter interpretantur Abulenſis, & recentiores, quod ſpiritus Domini, ſpiritus fortitudinis cœperit ſe in eo manifeſtare in caſtris Dan. Ex quo oritur non modica difficultas: nam puer iſte ditatus fuit Spiritu ſancto, ſpiritu fortitudinis à ſua pueritia, à natiuitate ſua, ab infantia ſua: Cur ergo tantùm donum non manifeſtatur in eo niſi poſtquam ipſe eſt in caſtris Dan? Generoſitatis, ac animoſitatis monumenta non aperiuntur in homine, quandiu intra proprium locum, ac habitationem clauditur, ſed quando ab illis progrediens ad extranea, ac aliena ſe confert. Caietanus. *In caſtris Dan, locus, in quo Diuinus ſpiritus cœpit commouere Sanſonem, deſcribitur, non ciuitas, ſed caſtra Dan, quia inter tentoria hæc affectus apparuit.*

Lyran. Carthuſ. Abulenſis. *Egrediatur quis à terra ſua, vt illuſtria virtutis monumenta.* Caiet.

*Matth. 8. n. 7.* Ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ego iturus ſum, & ſanabo eum. |
| *Vatablus.* | Ego cum venero, medebor illi. |
| *Pagninus.* | Ego profectus curabo eum. |

### *EXPOSITIO II.*

TRIA hîc notanda veniunt, vt aduertit 61.
Albertus Magnus. Primò, benigna Do- Albert. Mag.
mini allocutio, quam Centurio meruit audire. Secundò, promiſſio perſonalis viſitationis. Tertiò, ſponſio curationis ſerui. De primo: *Ait illi*

Caſſian. *illi Ieſus* : nam , vt ait Simon Caſſianus lib. 5. cap. 12. ſemper Chriſtus iuſtis interceſſionibus adeſt, vt iuſta vota perficiat. Secundò, *Ego veniam:* ſumma Chriſti Domini benignitas plus , quàm petierat Centurio , tribuit , vt notauit Chryſoſtomus homil. 27. *Vbique voluntati tantummodo ſupplicantium obtemperat , hic etiam proſilit , & non curaturum ſe ſolum , ſed domum quoque Centurionis profecturum pollicetur.* Et non dixit Chriſtus, mittam aliquem ex meis diſcipulis , vt Centurio de ſuis ſeruis dixerat : *Dico huic vade , & vadit :* ſed ait, *Ego veniam.* Vt inde ſit documentum prælatis , quod non per alios, ſed per ſe ipſos viſitent, & corrigant. Et ait Chriſtus , *Ego veniam* , cum optimè ſciret , quod non eſſet iturus , hæc tamen dicit , vt ex Chryſoſtomo ait Euthymius , voluit Dominus magnam fidem , ac humilitatem Centurionis exercere , ac detegere his , qui ſequebantur , cum ab eo audirent , *Domine , non ſum dignus* , &c. Interlinealis ait : *Ego veniam virtute, virtus Chriſti præſens fuit , quæ ſanauit eum.* Aliter explicat Carthuſianus : Ego veniam , ſi permiſeris , ac volueris.

*Chriſti benignitas dat pluſquam ab eo petitur.* D. Chryſoſt. *Prælatus per ſe ipſum ſuos viſitet.* Interlin. Carthuſ.

62. Tertiò , *Et curabo eum.* Ecce ſponſio beneficij ſanitatis. Et ſolus Chriſtus poteſt dicere , curabo eum , cum ipſe ſolus ſit verus Medicus. *Sanabo contritiones eorum , diligam eos ſpontaneè , quia auerſus eſt furor meus ab eis.* Oſee 14. num. 5. Et quamuis idem hîc ſit ſanare , ac curare ; tamen ex vi nominis maius dicit ſanare , quàm curare. Et Chriſtus Dominus ob ſuam modeſtiam id profert, quod minus apud nos ſanare videtur. Quare autem Dominus pergit in domum Centurionis, cum noluerit deſcendere in domum Reguli petentis Ioan 4. num. 50. Quæſtio erat hîc diſputanda, eam tractaui tomo ſecundo , capite ſexto , quæſtione decima.

Oſee 14.

## Qvæstio X.

### *Quare Centurio tam benignè exceptus eſt à Chriſto Domino?*

63. *Ratio dubitandi.* Valde magna , ac admirabilis extitit Domini benignitas in Centurionem, vt omnes Patres notarunt : nam non ſolùm eius deſideratæ poſtulationi annuit ; ſed vltra miro affectu , ac honore Centurionem proſequendo , ei pollicetur , ſe in eius domum venturum : *Ego veniam , & curabo eum.*

64. Gloſſa. Carthuſ. Grammat. Reſpondetur primò cum Gloſſa , Chriſtiano Grammatico , Carthuſiano , & aliis , tanto fauore fuiſſe exceptum Centurionem à Chriſto pro eius fide , charitate , humilitate , ac prudentia : fide, qua credidit in Chriſto latentem diuinitatem; charitate , qua tam inſtanter pro ſeruo deprecabatur , vnde præ amoris teneritudine ipſum puerum vocat ; humilitate , qua ſe ipſum indignum exiſtimauit , ad eum venire ; prudentia , qua, vbique poſſe Deum verbo operari , quæ vellet , profitetur.

65. Origen. Secundò, Origenes homil. 5. in diuerſos. *Multi*, ait , *illo tempore pro diuerſis rogabant infirmantibus , nullus tamen pro ſeruo , niſi iſte ſolus , & hoc ei ad augmentum beatitudinis , & coronam gloriæ erat.* Charitas in humiles , & abiectos gratiſſima Deo ; vnde cum iſte tantam exhibuerit in ſeruum ægrotantem , inde maximè apud Deum promeruit , eique placuit ; de quo latiùs quæſt. ſequenti.

*Cura ſeruorum grata Deo.*

66. D. Chryſoſt. Tertiò , iſte fuit tam benignè exceptus , pluſquam cæteri Iudæi , ac etiam Chananæa , de qua quæſt. ſequenti ; quia , vt ait Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 22. *Centurio primus fructus ex Gentibus , ad cuius fidei comparationem omnium Iudæorum fides infidelitas eſt inuenta.* Chryſoſtomus ſano modo eſt intelligendus : nam Magi prius puerum natum adorauerunt, ac proinde antiquiores in fide fuerunt. Dictus eſt ergo Centurio primus fructus Gentium à prædicatione Chriſti. Et cum primi in aliqua virtute valdè ſint illuſtres , ac in magna æſtimatione habiti ; ideo, cum iſte eſſet primus fructus prædicationis Chriſti ex Gentibus , ſingulari fauore fuit proſequendus. Miro decore , pulchritudine, nobilitate, ac dignitate inter cæteras creaturas Deus ſublimauit naturam angelicam , cum enim eſſet primum opus diuini opificis mundum fabricantis , valdè expediens erat , vt inter cætera primatum teneret. Quod eleganter ponderauit Petrus Damianus ſerm. 52. *Parumper*, ait , *in arcanum huius intelligentiæ , & dignitatem huius conſidera creaturæ. Ipſa eſt principium viarum Dei , ait Scriptura, quantum priuilegium , quod illa cogitatio Altiſſimi in hoc primum opus prorupit. Decebat profectò, vt ſingulari gloria præfulgeret , quod de manibus dominantis primitiua creatione proceſſit. Tu ſignaculum ſimilitudinis , plenus ſapientia , & perfectus decore in delicijs Paradiſi fuiſti : dicit Propheta.* Ezechiel. 28. num. 13.

*Primi in virtute , ac fide venerandi.* Damian. Ezech. 28.

67. Quartò , Centurio multa promptitudine , ac charitate acceſſit ad Chriſtum , cauſam ſerui ſui agens, ac pro illius ſalute deprecans ; multa etiam charitate, ac promptitudine à Domino excipitur, eius petitionem exaudit , eumque multis donis ſpiritualibus fidei , humilitatis, ac prudentiæ , & & aliorum Chriſtus locupletat : qua enim menſura princeps , ac ſuperior ſe habet erga ſuos ſubditos ; eandem erga illum ſupremus omnium gubernator ſeruat. Vnde grauiter dixit D. Ambroſ. Epiſt. 23. *Nemo fraudet ſeruum iure ſuo , quia & nos ſerui ſumus Dei noſtri.*

*Vt homo ſe habet in ſuos ſubditos Deus ſe habet ad illum.* D. Ambr.

68. Conſtituit Deus Eliam caput , & gubernatorem totius Iſraël ; in hoc enim ſenſu explicantur illa verba : *Currus Iſraël, & auriga eius.* 4. Reg. 2. num. 12. itaut cæli claues ei tradiderit , vt in propria homilia diſcurrit Chryſoſtomus. Areſcente terra ob imbrium penuriam , ex Dei mandato abſconditur Elias in Torrente Carith , ibíque de torrente bibebat , & corui ei deferebant mane , & veſpere panes. *Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat ſuper terram.* 3. Reg. 17. num. 7. Dignum ſanè quæſitu , cur potiùs torrens , quàm coruus deficit in ſuo miniſterio ? Torrens naturali vi aquarum fluxu manabat ; coruus verò præter ſuam inclinationem panes deferebat. Cur ergo à ſuprema Dei ſapientia ita ordinatur ? Profundiſſimo ſanè conſilio in omnium gubernantium documentum. Elias Iſraëli clauſit cælum ; viduæ verò Sarepthanæ frumenti abundantiam largitur: *Hydria farinæ non deficiet.* Magna ergo proportione illi claudenti cælum deficiunt aquæ , non verò panes , quorum vbertatem aperiebat , vt in hoc nullam penuriam ſentiret , qui ſtatim viduæ magnam copiam erat exhibiturus.

4. Reg. 2. D. Chryſoſt. 3. Reg. 17. *In quibus gubernator ſuis deficit, penuriam patitur.*

69. Magna gloriâ celebrandus eſt princeps Ionathas,



thas, qui cum agnouiſſet , armatas eſſe acies Philiſthinorum , quæ caſtrametatæ erant in loco inacceſſibili , ipſe cum ſuo armigero manibus , & pedibus reptans ad locum aſcendit , totúmque exercitum aggreditur , plagáque magna eum percutit ; & adeo mirabile extitit hoc negotium , vt dicat Scriptura : *Accidit quaſi miraculum à Deo.* 1. Reg. 14. num. 15. Quia , vt refert Ioſephus relatus à Lyrano , cecidit tunc quædam nebula , ob quam Philiſthiim non cognouerũt Ionatham. Sed cur Deus in hoc euentu tanto fauore proſecutus eſt hunc principem , eumque armis ſuis tantùm ſublimauit , vt ipſe ſolus cum ſuo armigero totum incircunciſorum exercitum non timuerit, ſed plagam magnam in eis dederit. Non multo poſt poſt tempore. *Expoliauit ſe Ionathas tunica , qua erat indutus , & dedit eam Dauid : & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium , & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.* 1. Reg. 18. num. 4. Quod factum fuit, ait Abulenſis quæſt. 10. in magnum honorem Dauid. Et Carthuſianus. *Ad inſinuandum, quod Dauid dignus eſſet amictu , ac ornatu regio.* Meritò ergo princeps , qui ſuis propriis armis ita nouit ſuum clientem tunc Dauidem illuſtrare , ac condecorare , ab ipſomet Deo , veluti anticipata ſolutione ipſiſmet armis extollitur , ac glorioſus fit , itaut valdè rariſſimè ſimile reperias , vt vnus homo cum ſuo ſocio inter inimicorum phalangas ſe immiſcuerit, in eiſque incolumis magnam ſtragem ſit operatus.

1. Reg. 14. Ioſeph. Lyran. 1. Reg. 18. Abulenſ. Carthuſ. *In quibus princeps ſuos honorat , honoratur ipſe à Deo.*

## Qvæstio XI.

### *Quare Chriſtus Dominus indilatè annuit petitioni Centurionis , cum tamen valdè durè , ac conſtanter reſponderit Chananææ?*

70. *Ratio dubitandi.* Valde diuerſimodè ſe Chriſtus Dominus hic habuit erga Centurionem , ac Syrophæniſſam illam : nam Centurio, vt acceſſit deprecans pro ſeruo , non ſolùm optata impetrat, ſed etiam ampliora vltra petita , vt dixi ſuperiori quæſt. *Ego veniam , & curabo eum.* At mulier illa Chananæa à finibus Tyri , & Sidonis exiens pro filia Dominum rogat : *Non reſpondit ei vllum verbum.* Deinde eam à ſe repellit : *Non ſum miſſus , niſi ad oues , quæ perierunt Domus Iſraël.* Matth. 15. num. 26. Et cum illa multiplicaret preces , durè eam à ſe reiicit : *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum , & mittere canibus.* Cum illa autem magna fide reſpondet : *Etiam catelli edunt de micis , quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Tunc ei annuit Chriſtus. Cur ergo cum noſtro Centurione tanta indulgentia , cum illa muliere verò tanta ſeueritas ?

Matth. 15.

71. D. Chryſoſt. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. *Hic enim non vocatus , vltro ſe domum pollicetur profecturum , vt tu eximiam Centurionis fidem , & præcipuè humilitatem perdiſcas : at verò in Phœniſſa negauit ſe facturum , quod petebat , & illam conſtanter iterum, atque iterum petentem, perplexam, & dubiam fecit.* Agnoſce celſitudinem diuinæ ſapientiæ : nam aliquando veluti contrariis mediis , prout rerum circunſtantia petit , eundem aſſequitur finem. Centurionem benignè recipit, ſtatim eius petitioni annuit , & præ benignitate vltra petita in eius domum tendit , vt ita Centurio exerceret , ac declararet ſuam magnam fidem. *Domine , non ſum dignus , ſed tantùm dic verbo.* Chananææ verò non reſpondit , eamque à ſe repellit , vt illa in feruentem fidei actum prodiret: *Domine, etiam catelli* , &c. ac proinde benignitate , & rigore, vtrique fidei , ac meriti occaſionem parat. Quod comprobat citatus Chryſoſtomus: *Sic ad Abraham quoque fecit dicens : Non celabo puerum meum Abraham.* Geneſ. 18. num. 17. Vnde ipſe multis precibus pro illis rogat , *vt nos ſummam eius charitatem percipiamus. Sic denique , qui ad Lot miſſi erant , ingredi ad ipſum nolebant.* Geneſ. 19. num. 2. *Vt inaudita ipſius hoſpitalitas non lateret.* Lot Angelos rogat , vt declinent in domum ſuam ; & quamuis repulſam pateretur, eos compulit. Vt ita affabilitate cum Abrahamo, aſperitate cum Lot vtriuſque charitas exerceretur , & patefieret.

*Deus veluti cõtrarijs modis ſuos tentat , ac comprobat in eadem virtute.* Geneſ. 18. Geneſ. 19.

72. D. Baſil. Seleuc. Secundò, D. Baſilius Seleucus orat. 19. de Centurione. *Chananææ ſupplicanti* , ait, *moras iniecit , quo illa dilationis impatiens acclamaret :* Domine, catelli edunt de micis , quæ cadunt de menſa. *Centurio verò Chriſti promptitudinem diceret :* Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: *Eſt cum celſitudine , eſt cum latitudine, vt vſus poſtulat , vtitur. Sic vniuerſi Dominator tectam , in anima fidem nudare volens , quandoque dona contrahit , quandoque ad ægri currit auxilium.* Centurioni prompta exhibetur feſtinatio : mulieri verò multæ interponuntur moræ. Recogita ex hoc, quanto ingenio in gubernandi arte opus eſt, quámque difficile ſit , aliorum bono ſpirituali, ac ſaluti attendere : *Eſt cum celſitudine , eſt cum latitudine , vt vſus poſtulat :* nec enim in omni caſu idem remedium , ſed aliquando valdè diuerſum, prout *vſus rerum poſtulat* , requiritur ; nec ſemper petitiones indilatè ſunt exaudiendæ , nec ſemper rigoroſè reiiciendæ ; ſed mira ingenij ſagacitate cuncta perpendenda , qualis enim benignitas , ac miſericordia extitit in Centurionem accelerata conceſſio , ac erga Chananæam dura procraſtinatio.

*Princeps concedat , vel differat, prout occaſio exigit.*

73. D. Baſil. Sel. Tertiò iterum pondero illa citata Seleuci verba. *Idcirco Chananææ ſupplicanti moras iniecit, quia illa dilationis impatiens acclamaret : Domine & catelli edunt de micis , quæ cadunt de menſa dominorum. Centurio verò dixerat : Domine non ſum dignus.* Centurio ſine dilatione exauditur; mulieri multæ iniiciuntur moræ cum rigoroſa repulſa. Vterque rogat ex animi afflictione , ac compaſſione : vterque Gentilis. Vnde ergo tanta celeritas in Centurionem , tanta verò moroſitas in mulierem ? Centurio multa humilitatis ſigna exhibuerat ; ideo enim miſit ſeniores deprecantes pro puero , quia vt ipſe dixit : *Propter quod , & me ipſum non ſum dignum arbitratus , vt venirem ad te.* Luc. 7. num. 7. At Chananæa , quamuis feruidè oraret, adhuc orationi humilitatis verba non annexerat ; at vt ad illa deſcendit, ac abiectiſſimo cani ſe comparat , non vltra differtur , hæc enim humilitas in muliere expectabatur , qua exhibita diuina gratia eam amplectitur , & ſanitatem filiæ deſideratam impetrat : nam quamuis mulier haberet charitatem in filiam, adhuc non oſtendebatur humilitas , vt oratio ad ſublimia volaret. D. Laurentius Iuſtinianus in tract. de caſto connubio

Luc. 7. *Oratio , vt exaudiatur, ex humilitate proficiſcatur.* D. Laur. Iuſt.

*Orationis alæ humilitas, & charitas.*

nubio cap. 22. *Humilitas, & charitas ſpirituales orationis ſunt alæ, quorum remigio vſque ad interiora ingreditur; his alis oratio deſtituta, erigere mentem orantis, minimè poterit, neque ſciet in ſublime ſubleuare.*

74. D. Baſil. Sel. Quartò, idem D. Baſilius Seleuc. citata orat. 19. *Herus pro famulo rogans exorator fuit, mater pro filia rogitans tulit repulſam.* Matrem in filiæ ærumnis commoueri, ac affligi, omníque affectu eius ſalutem ambire, res homini ingenita: atqui quod homo officio illuſtris cum numeroſa militum copia, ſuum faſtum deponat, ac pro ſalute vnius pueri æſtuet, hoc omnino valdè rarum, ac admirabile; & ideo valdè ſingulariter placuit, vnde vehementiſſimè attraxit diuinam benignitatem, vt illius votis obſecundaret. Et quid magis Deo gratum, quam charitas in ſeruos, cum qui conditione ſunt inferiores, charitate iudicentur pares.

*Oratio pro ſeruo valdè grata Deo.*

75. Multa ponderatione ſanè dignum eſt, quod illuſtriſſimæ mulieres in Scriptura ſteriles dicantur; tamen cum ancillas ſuas tradiderunt viris ſuis, vt ex illis filios ſuſciperent, tunc ex ſe genuerunt. Sic annoſa iam Sara marcido vtero Agar ancillam dedit Abrahamo, vt ex illa haberet prolem. *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.* Geneſ. 16. num. 2. Et poſtea ipſa Sara genuit præſtantiſſimum filium Iſaac Gen. 21. num. 2. Sic & Rachel, cum ſe vidiſſet infœcundam, ac dediſſet famulam ſuam Balam Iacob marito ſuo, vt ex illa ſuſciperet ſobolem Geneſ. 30. num. 3. poſtea ipſa peperit illuſtriſſimum Ioſeph, ibidem num. 22. Cur hæ nobiliſſimæ fœminæ optatum fructum non aſſequuntur, niſi poſtquam ſuas ancillas propriis viris accommodarunt? Diſce ex hoc, quam præpotens ſit indulgentia in tuos minimos. Tam efficax fuit erga Deum ſingularis charitas in ancillas, vt poſt illam impetrauerint id, quod ante ſuis magnis virtutibus, quibus erant inſignitæ, & dotatæ non erant aſſecutæ. Ad hanc conſiderationem reſpexit Smaragdus Abbas in Diademate Monach. dicens: *Cum Rachel tradidiſſet viro ſuo famulam Balam, vidit Dominus humilitatem eius, & exaudit eam, dans ei filium Ioſeph in augmentum, & gloriam familiæ patris ſui.* Expende: *Cum Rachel tradidiſſet*, &c.

Geneſ. 16. Geneſ. 30.

*Charitas in ſeruos multū promeretur.*

*Matth. 8. n. 9.* Et reſpondens Centurio ait, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.

*VERSIONES.*

*D. Baſil. Seleu. orat. 19.* Non Domine, non ſum dignus.

*Vatablus.* Domine non ſum idoneus, vt tectum meum ſubeas: ſed tantùm dic verbum, & ſanabitur famulus meus.

*Multi ex Græc.* Non ſum ſufficiens.

*Syriacus.* Vt ingrediaris ſub tugurium meum: ſed tantùm dic verbum.

*EXPOSITIO III.*

76. D. Paſchaſ. *Admirabilis Centurionis prudentia.*

MAGNAM huius hominis prudentiam, ac perſpicacitatem admiratur D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Fateor*, ait, *ab ineunte ætate quoſcumque legere potui Philoſophos, ſicut nec Chriſtus tantam fidem in Iſraël, ita nec ego tantam in eis ſapientiam inuenire potui. Et quod illi ex omni fabrica mundi nequierunt intelligere, hoc iſte in vno paruo corpuſculo totum comprehendit.* Altiſſima fidei cognitione ait Centurio, *Domine*, Chriſti diuinitatem, ac maieſtatem ſuper vniuerſa fatetur, qua cunctis valet imperare, vt ex dicendis mox patebit. *Non ſum dignus:* ſeu, iuxta D. Baſilium Seleucum citatum, *Non, Domine, non ſum dignus.* per magnum affectum ſemel, & iterum ſe fatetur indignum. Seniores pro eo rogantes apud Lucam 7. num. 4. vt Dominus veniret, ac ſanaret puerum eius, dicebant: *Dignus eſt, vt hoc illi præſtes.* Ipſe verò ſe aperta voce indignum publicat. O quàm diuerſimodè humilis in propriis, ac alienis oculis appretiatur! in propriis valdè inſufficiens, in aliis verò multum benemeritus iudicatur. Vnde de eo ait D. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini. *Dicendo ſe indignum præſtitit dignum, non vt in eius parietes, ſed vt in eius cor Chriſtus intraret.* Sequentia præclara Auguſtini verba retuli ſuprà quæſt. 7. Et notandum, quod iſte militiæ dux non ait, Domus mea, vel ſeruus meus non eſt dignus, ſed tantùm inquit, *Ego non ſum dignus.* De aliorum indignitate non agit, ſed ſolùm de ſua meminit. O quam neceſſarium hoc ingenium huius ſæculi hominibus, vt ſolam ſuam imbecillitatem videant, & non ad aliorum reſpiciant.

Luc. 7. *Humilis cum apud alios ſit magnus, ſe paruum reputat.* D. Auguſt. *Iuſtus ſolum ad ſuam indignitatem attendit.*

77. *Vt intres.* Bene ſciebat Centurio, quod Chriſtus ingrediebatur publicanorum, ac Phariſæorum domos; tamen ſuam dicit indignam: nam iuſtus, non alienos, ſed proprios defectus conſiderat, & reſpicit; alios in multa, ſe verò in pauca æſtimat; ſicut & ipſe, cùm multo eſſet præſtantior ſenioribus Iudæorum, eos miſit ad Chriſtum; ſe indignum ad illum veniendi, ac accedendi atteſtatur: Luc. 7. num. 6. *Sub tectum meum.* In domum meam. Rectè tamen Albertus Magnus notat, quod non dicit domum, vel palatium; nam vtpote princeps iſtud habebat; ſed ait tectum, quod eſt quid minus, & ſolùm defendens ab incommodis aëris. Ita enim præ humilitate omnia ſua ad ſuſcipiendum Chriſtum ei parua videbantur, vt non domum; ſed *tectum* diceret. Et neruoſius Syriacus habet *ſub tugurium meum.* Aduertit Cardinalis Hugo: Non dixit ſub tecta mea, ſed *ſub tectum*, vt notetur ſingularitas, & ſimplicitas. Vel ita erat intentus in Chriſtum, vt omnia terrena vileſcerent in oculis eius; & latiſſimæ aulæ ei paruum tectum viderentur. *Sed tantùm dic verbo.* Hebraica locutio, id eſt iube ſermone, non enim opus eſt, vt præſens tangas ſeruum meum, ſed abſens iube dumtaxat, & ſanabitur. Credidit Centurio Chriſtum Deum, qui vbique quaſi præſens operatur, & imperat. Vnde ait Origenes hom. 5. in Diuerſos. *Verbum tuum aſpectus tuus, opuſque conſummatum.* Et cum ille bene agnoſceret Chriſti diuinitatem, non fatur, inquit Chryſoſtomus homil. 27. Roga, deprecare, ſed ſolùm impera. *Et ſanabitur puer meus:* Non dixit, curabitur, vt Chriſtus locutus fuerat, *Ego vadam, & curabo eum:* ſed ait, *ſanabitur*, quod ex vi nominis magis importat, quam curare, ob magnitudinem, & reuerentiam beneficiorum Dei; nam gratificando debemus recognoſcere eius magnitudinem.

*Iuſtus non alienos, ſed proprios defectus conſiderat.* Luc. 7. Albert. Mag. *Ad ſuſcipiendum Chriſtū omnia videtur parua.* Syriacus. Hugo. Origen. Chryſoſt. *Fidelis recognoſcit diuinorum beneficiorum magnitudinem.*





## QVÆSTIO XII.

### *Quare Centurio ſe indignum appellauerit, vt Chriſtus in eius ædes intraret?*

78. DIXERVNT aliqui in hac quæſtione, quod ideo Centurio ſe indignum dicit, quia eius domus erat obſcura, & non ſplendida, ſed paupertatis. Verùm Chriſtus in pauperrima habitacula ſe rapiebat. Et aliàs Centurio erat vir nobilis, & diues. Secundò, Lyranus, Carthuſianus, & alij dicunt, ſic locutum quia adhuc idola domi habebat. Sed hoc meritò communiter ab omnibus iudicatur indignum tanto viro, qui valdè magnam fidem de Chriſto iam conceperat. Tertiò, Abulenſis q. 32. & alij multi aſſerunt, quod, cum Centurio eſſet Gentilis; & Ethnicus; Chriſtus verò Iudæus, & cultor Dei, ob id non videbatur dignum, vt in eius domum veniret. Hæc ratio multis placet; tamen contra illam videtur. Primò, quia, cum Centurio agnoſceret Chriſtum Deum, agnoſcebat in eo non eſſe acceptationem perſonarum. Et Chriſtus apud Samaritanos biduum manſit Ioan. 4. n. 42. Secundò, ſi Iudæi ad Ethnicos accedere non audebant; tamen Ethnicos ad ipſos venientes in proprias domos recipere non recuſabant. Tertiò, & efficaciter. Si Centurio quolibet ex illis motiuis diceret, *Non ſum dignus*, non reputarentur eius verba in magnam fidem, & meritum, vt factum eſt à Chriſto Domino.

Lyran. Carthuſ. Abulenſis. *Impugnatur iſte dicendi modus.* Ioan. 4.

79. *Centurio loquitur ex fide, ac humilitate.* Prima, & germana ſolutio. Centurio hæc dixit ex magna fide, ac humilitate. Per fidem cognouit ſupremam Chriſti maieſtatem, cui ſumma eſt debita reuerentia. Cognouit etiam per humilitatem propriam abiectionem. Et inde ſe reputauit indignum, vt Chriſtus Dominus ad eius domum veniret. Ita docent D. Chryſoſt. homil. 27. D. Hieron. D. Paſchaſius in præſenti, D. Auguſt. ſerm. 6. de verbis Domini, vbi ait, quod eodem ſpiritu dixit Centurio: *Domine, non ſum dignus:* ac Petrus: *Exi à me, quia homo peccator ſum.* Luc. 5. num. 8. Vnde eleganter ait D. Chryſolog. ſerm. 15. *Sic eum Petrus exire à ſe rogat, quomodo Centurio eum ad ſe ſupplicat non venire. Agit vterque, ne indignitas hoſpitij in hoſpitis maneat iniuriam.* Diuino ſpiritu motus Centurio potiùs voluit, ac attendit in aduentu tanti hoſpitis ad reuerentiam, ac venerationem Chriſto debitam, quam ad ſuum proprium commodum, ac honorem. In hoc ſenſu ait Chryſoſt. citata homil. 27. *Non enim ſalutem ſolum filij reſpiciebat, ſed ne quid ipſe minus decenter diceret, aut faceret, animaduertebat.*

D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Paſchaſ. D. Auguſt. Luc. 5. D. Chryſol. *Potiùs attēdendum ad Dei honorem, quàm ad noſtrum commodum.* D. Chryſoſt.

80. D. Ambr. Secundò D. Ambroſius ſerm. 89. *Magna enim, ait, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret, Chriſtum cælorum eſſe regem, dum verebatur, ne hoſpitij ſui eum anguſtia non acciperent.* Planum, & euidens erat Centurioni, quod Dominus peccatorum, ac publicanorum ædes ingrediebatur, ac cum eis manducabat Matth. 9. num. 10. Et quomodo Centurio ſe iudicat indignum, quod Dominus eius limen terat? Cur Centurio ita de ſe ſentit, non verò peccatores illi? Quia iſti minimè Chriſti maieſtatem agnoſcebant, ac conſiderabant, quam Centurio fidei oculo multum perſpiciebat, ac meditabatur. Et fortè quot accurrent ad menſam ſacræ Euchariſtiæ, qui illam ſupremam celſitudinem, ac puritatem non recogitant!

Matth. 9. *Multi, cùm non conſiderent Chriſti maieſtatem, illum recipere audent.*

81. Origen. Tertiò, Origenes homil. 5. in diuerſos. *Domine*, ait, *non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: alienigena ſum, Gentilis miles gladio accinctus, ſanguinem fundens, ad prælium exiens: & ob hoc non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Centurio diuina fide illuſtratus agnoſcebat Chriſtum Dominum principem, & auctorem pacis; videbat domum ſuam plenam bellicis armis; nam ibi pendebant ſcuta, gladij, lanceæ, ac militaria ſigna: deinde ipſe ſe videbat militem multum fundentem ſanguinem: non audet ergo auctorem pacis inter martis inſtrumenta ſuſcipere; & vnitatis amatorem inter diſſidij fomenta, quæ maximè ei diſplicent, ac inuiſa ſunt.

*Chriſto pacis amatori diſplicent diſſidij ſigna.*

82. D. Chryſol. Quartò, D. Petrus Chryſologus ſerm. 15. *Ipſum eſſe Dominum*, ait, *ſingulari pauore ſignauit, deducere dum veretur ad animæ ſuæ domum, ad ſecretum cordis ſui, in quo familia cogitationum incondita, & confuſa verſatur.* Pauet Centurio, Deum in hoſpitium animæ ſuæ recipere, in qua multæ, & confuſæ erant familiæ cogitationes. Pauor autem iſte non eſt deſpicientis, ſed reuerentis; quædam enim magna veneratio, ac fidei confeſſio eſt, Dei acceſſum reuereri. Quintò, idem Chryſologus loco citato. *Natus eſt in carne Chriſtus, ſed natus eſt de Spiritu ſancto: accepit hoſpitium carnis, ſed in aula Virginis. Bene ergo Centurio tectum ſuum indignum iudicat.* Animaduertit Centurio Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto ſub virginali tecto Mariæ, in quo admirabilem puritatem, ſanctitatem, ac virginitatem Deus inuenit, vt inde omne aliud tectum, ac humana habitatio indigna videatur ad eius hoſpitium; & ideo Centurio ſe ſufficientem ad ipſum ſuſcipiendum iudicat. Aliam maiorem ponderationem in laudem Virginis dicam infrà cap. 22. quæſt....

*Pauor maieſtatis magna eſt reuerētia.* Chryſolog. *Deus in Virgine tantam puritatem inuenit, vt reſpectu illius omnia humana videātur immunda.*

83. D. Paſchaſ. Sextò D. Paſchaſius citato loco. *Diuinitatem Chriſti præſentem ferre non valet.* Magnus militiæ præfectus optimè nouerat, quod Dei præſentia omnia bona confluunt; tamen eius maieſtatem pertimeſcit: conſiderabat enim, ſe multis peccatis fuiſſe implicatum; & à facie Dei columnas cæli contremiſcere, qui in Angelis reperit prauitatem Iob 26. num. 11. ideo ſe iudicat indignum, ac incapacem ad eum ſuſcipiendum, tantam maieſtatem præſentem ferre non valens.

*Quilibet, Deum ſuſcipere, timet.* Iob 26.

84. Septimò, Centurio ait: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Puer iſte eſt anima vitiis ægrotans, vt ex Euſebio dixi quæſt. 9. & in cap. 7. Luc. ait Theophylactus. *Seruus ægrotans pars animæ rationis expers.* Diuina viſitatione ſe fatetur Centurio indignum; nam myſticè agnouit puerum ſuum, ſcilicet animam multis vitiis rationi repugnantibus, illaqueari; ideò non patitur, vt Dominus ad ſuum ægrotantem ſpiritum

Luc. 7. Theoph.

*Vt Christus recipiatur in anima, mundanda est per confessionem.* Theoph.

ritum veniat, quin priùs dicat verbo per ſuos miniſtros; *Ego te abſoluo:* quo anima efficiatur ſana, & munda ad Domini ingreſſum in pectore ſuo. Alias myſticas conſiderationes in hoc ſenſu habet Theophylactus proximè citato loco.

*Quantò perſona eſt nobilior, tantò maior in exhibenda reuerentia, ac vrbanitate.*

85. Octauò, Christus Dominus paſſim apud peccatores,& publicanos hoſpitabatur; immò & turbæ in eum irruebant,ipſum comprimebant Luc.5. num. 1. Et tamen noſter Centurio, aliàs cupidiſſimus familiaritatis Ieſu, ipſum ad ſe venientem non audet in domum ſuam recipere. Immò iuxta D. Lucam 7. num.7. non ſe iudicat dignum accedendi ad eum; *Me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Iſte militiæ præfectus genere, ac ſanguine valdè clarus erat, vnde ipſum honorificando, non patiebatur, eum in lares ſuos introire: quanto enim quiſquis nobilitate, tanto vrbanitate, ac reuerentia cæteris eminet. D. Auguſtinus ſerm. 64. de diuerſis. *Ex Gentilibus erat ille Centurio*, ait, *qui cum Dominum toto pectore ſuſcepiſſet, ſe tamen dixit indignum, vt in domum eius intraret. Sic interius præſentem corde retinebat, cuius à ſuo tecto præſentiam honorificè reuocabat.* Nota hæc vltima verba.

D. Auguſt.

86. Cùm Agar affligeretur à Sara, fugam init, ac venit in deſertum, eamque Angelus Domini ibi inuenit; à quo cum eſſet quæſita, quid ageret; reſpondet ipſa: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Geneſ. 16. num. 8. Valdè mirum, vt notat Chryſoſtomus homil. 38. *Non dixit, afflixit me Sara; non dixit, grauia mihi fecit, non poſſum ferre moleſtiam eius, & ideo fugam inij: nihil aſperum locuta eſt.* Immò in magnam reuerentiam, ac cultum, vt notant Procopius, Lyranus, Saram dominam ſuam appellat. Sed cur non conqueritur de illa, ac ab ipſa Sara criminatur, vt ita Agar à crimine fugæ ſe purgaret; ſicut & Nabal Carmelus fecit, negans Dauidi, ac eius ſociis expoſtulata ciborum ſubſidia, à quibus multa bona ipſe acceperat, eos tamen multis obiectis criminibus, ac iniuriis inſectatur: *Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos.* 1. Regum 25. num. 10. Vt ita ſuæ auaritiæ daret ſubterfugium, ac portenderet excuſationem. Cur ergo ſimili modo Agar, vt à ſe omne ſcelus repellat, multa opprobria non coniicit in Saram? Agar regio ſanguine nata, filia regis Ægypti, vt ex Rabbinis tradit Lyranus in principio citati cap. 16. At Nabal homo ruſticus, durus, peſſimus, ac vilis, vt de eo teſtatur Abulenſis. Mulier illuſtris, etiam multis duris moleſtiis plena, vrbanitatis, ac reuerentiæ non obliuiſcitur, ſed eam fixam alta mente tenet; quæ omnino cadit, ac præterit à memoria hominis ruſtici, ac vilis, etiam multis aſtantibus beneficiorum monumentis.

Geneſ. 16. D. Chryſoſt. Procop. Lyran. 1. Reg. 25. Lyran. Abulenſ. *Solùm perſona nobilis, & non ruſtica ſcit dare reuerentiam.*

*Perſona, quò illuſtrior, eò vrbanior.* Geneſ. 13.

87. Quò enim perſona eſt illuſtrior ſanguine, illuſtriorem ſe exhibet in cultu, ac veneratione erga omnes: Ait Abrahamus Lot: *Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Geneſ. 13. num. 9. Dat Abrahamus nepoti ſuo Lot optionem liberam eligendi ex omni terra locum ad habitandum. Quod, vt obſeruat Abulenſis, *debuit Abrahamus ex vrbanitate tradere poteſtatem eligendi Lot.* In quæſtionem voco, cur Abrahamus habet hanc vrbanitatem cum ſuo nepote ſibi inferiore; & Lot ei cum ſimili non reſpondet, vt ipſe tanquam ſenior prius eligat? Sed tacet omnino, & optione data vtitur? Erat Abrahamus prouectior ætate, eminentior gradu, conditione,ac qualitate: & quantò illuſtrior erat conditione,tantò & vrbanitate extitit. Vide tom. 1. lib.2. cap.4. quæſt.31.

Abulenſ.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Centurio poſtulat, vt tantùm Dominus dicat verbo, cum ſine verbo nihil dicatur?*

88. *Ratio difficultatis.*

DIFFICVLTAS huius rei in eo conſiſtit. Quia ſine verbo nihil dicitur; ad quid ergo iſte militiæ dux ait: *Dic verbo?* Aliqui in præſenti confugiunt ad illam figuram, quæ Pleonaſmos nuncupatur, verbi gratia cum à Poëta decantatur: *Sic ore locuta eſt.* Æneidos 5. Communiter tamen recentiores, vt ſecutus ſum in expoſitione, aſſerunt eſſe phraſim Hebræam: *Dic verbo:* pro eo, quod eſt, impera iube. Aliqua ſanctorum Patrum dicta conſideremus.

Æneid. 5.

89. D. Chryſol. Pſalm. 106.

Primò, D. Chryſologus ſerm. 15. ſic ait: *Sine verbo quid dicitur? Sed iſte poſtulat verbum non de loquendi vſu, ſed de virtute faciendi, verbum, de quo dictum eſt: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Dic verbo tantùm, quia iſte credidit in verbo omnes virtutes, Verbum tuum, Domine, ſanitas eſt; Verbum tuum vita eſt.* Tantùm Dei ſermonem poſtulat Centurio; optimè enim ſciebat, quod ipſe non erat vox pertranſiens, vt contingit apud homines; ſed efficax virtus operandi, in quo ſunt omnes virtutes; & nihil amplius volebat, quàm quod hoc verbum ei committeretur, cuius imperio omnia ſubiugata ſubſiſtunt. *Verbum tuum ſanitas eſt, verbum tuum vita eſt, vbi acceſſerit, fugit dolor.* Verbum tuum eſt, *in quo Petrus laxat retia, piſciúmque multitudinem capit.* Qui enim verbum Domini habet, plenum rete obtinet, omnia ad ſe deuicta trahit.

*In Deo omnia bona habes.*

90. D. Baſil. Sel.

Secundò, D. Baſilius Seleucus orat. 19. *Verbis tantùm loquere, & morbus mox abigetur: norit te morbus duntaxat ita volentem, & quod in morbo eſt, ſanabitur. Quid pedes meos remoraris? ſatis mihi, ſi lingua procedat.* Petit Centurio Dei verbum, vt abſque vlla dilatione puer ſuus ſalutem aſſequatur; non enim patitur, vt in hoc negotio fiat mora greſſibus pedum, cum ſuper omnia velociſſimè volitet Dei verbum operans ſanitatem. *Verbis tantùm loquere, & morbus mox abigetur.* Pſalm. 147. n. 15. *Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius.* Explicat Lorinus ſuper velocitatem currit ſermo eius.

*Dei verbum velociſſimè operatur ſanitatem.* Pſalm. 147. Lorin.

91. Seleuc. *Qui habet diuinam promiſſionem, omnia habet.* D. Paſchaſ.

Tertiò, idem D. Baſilius Seleucus citato loco ſic in perſona Centurionis loquitur. *Dic verbo: Pollicentem videam, & optata conſequar.* Magna eſt certitudo de aſſecutione rerum, vbi diuina promiſſio auditur. Quartò D. Paſchaſius lib. 5. ſic ait: *Efficacia enim verbi pertingit ad omnia, & ideo noli vexare corpus: neque enim te paſſionibus, & labore carnis fatigari exopto, quas te pro nobis ſuſcepiſſe*



*ſcepiſſe non ignoro, ſed maieſtate operari, videlicet & verbi potentia.* Prudens homo cupit optatam ſanitatem puero ſuo, quin Dominus moleſtias, ac vexationes viæ patiatur in acceſſu ad domũ ſuam agnouerat enim paſſiones, quas Dominus pro nobis in corpore humano aſſumpſerat; vnde has aliqualiter augere recuſat; & ideo obſecrat, vt Chriſtus maieſtate verbi ſui dicat,& puer ſuus ſanetur.

*Ita ſe gerat homo, vt moleſtias, quas Christus pro nobis tulit, non multiplicet.*

92. Quintò dicam, quod ſentio. *Dic verbo*, ſeu iuxta Græcum, *Dic verbum.* Tam firmiter Centurio credidit Chriſti potentiam, quod ait: *Dic verbo*, ſeu dic *vnum verbum:* ac ſi dixiſſet: Vnum tuum verbum ſufficit, non enim multa ſunt neceſſaria. Sed ex hoc inſurgit dubium: Quomodo Centurio tantam virtutem agnoſcit in quolibet Chriſti verbo; cum tamen vendentes, ac ementes, dum de templo eiiciuntur, de eius potentia fluctuantes dicant: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Ioan. 2. num. 18. Ratio germana. Quia Centurio erat illuſtratus diuina fide, in qua illi vendentes erant obcœcati. Moraliter verò. Apud Centurionem virtus erat ad ſanandum, ac curandum; in templo verò apud vendentes ad ſupplicium, & caſtigationem inferendam: & virtus prodiens in aliorum remedium, ac ſubſidium, facillimè ab omnibus agnoſcitur, & percipitur: ſecus verò, cum ad pœnam deuenitur.

Ioan. 2. *Poteſtas ad benefaciendum valdè innoteſcit.*

93. D. Paſchaſ. Salmeron. *Myſticè verbum hic denotat æternũ verbum.*

Sextò myſticè. D. Paſchaſius citato loco. Vult, vt hîc per Verbum ſignificetur illud æternum Verbum, in quo ſunt eminenter omnia, quod cuncta condidit, portátque omnia verbo virtutis ſuæ. Hanc interpretationem ſequitur in præſenti Salmeron tom. 6. tract. 22. Sic & illud Pſalm. 106. num. 20. *Miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos:* quod de ſecunda perſona Trinitatis miſſa à Patre in remedium generis humani interpretantur ex Græcis D. Baſilius, D. Chryſoſtomus, Euthymius, Nicephorus, ex Latinis Brunonius, Haymon, Hugo, Pampolianus, Caietanus, Valentia, Bellarminus, & alij.

Pſalm. 106. D. Baſil. D. Chryſoſt. Euthym. Niceph. Brunon. Haymon. Hugo. Pampol. Caiet. Valent. Bellarm.

94. D. Paſchaſ.

Vnde in hoc ſenſu ait D. Paſchaſius: *Acceſſerat ad eum*, ſcilicet Centurionem, *Verbum, per quod Deus Pater cuncta creauerat: quia profectò cooperatur Patris Filius; & ſicut per eum Pater omnia dicit, vel facit; ita ipſe cum eo omnia operatur, vel iubet. Quod hic rectè intelligens, Dic, inquit, verbo, ex tua ſcilicet conſubſtantialitate quia Verbum, & ſapientia es Dei Patris: ſapientia autem ſanitas eſt orbis terrarum.* Alta fide confitetur Centurio conſubſtantialitatem Filij cum Patre: & poſtulat, quod dicat verbo, nempe illo, quod eſt ex conſubſtantialitate Patris, quod ſimul eſt Verbum,& ſapientia, quia cuncta per Dei ſapientiam ſanantur, & reformantur, omnia enim operatur iuxta altitudinem ſapientiæ, ac conſilij ſui. Deinde ait: Dic verbo: nempe illo, per quod Deus Pater cuncta creauerat; & ſicut omnia per ipſum condita ſunt, omnia per ipſum inſtaurantur, ac renouantur; vt ſicut ab illo acceperunt eſſe, ita & ab eo redintegrationem,& ſalutem obtineãt.

*A quo res producitur, conſeruanda eſt.*

95. In primo rerum molimine creauit Deus reptile animæ viuentis, atque volatile ex aquis; arbores verò ex terra: *Germinet terra lignum promiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Geneſ. 1. n. 11. Sicut & ex eadem terra hominem formauit. Sed cur homo aſſociatur in ſuo principio cum arboribus? Cur potius, non cum auibus, cum quibus magnam proportionem videbatur habere, vt ita intelligeret, quod ſicut illæ in altum volitant, ita & ipſe debebat in ſublime cogitatione ferri? Alto conſilio ipſe homo fit ex terra, ſicut & ex illa arbores producuntur, inter quas viuificum lignum crucis germinatur. Vt ſicut homo ex ipſa terra habuit ſuæ formationis materiam; ita & ex ipſa in ſacratiſſimo crucis ligno haberet ſuæ reſtaurationis, ac ſalutis inſtrumentum D. Anaſtaſius Sinaita lib. 3. Hexameron ad finem. *Germinet lignum crucis, nobis fertile, faciens fructum, vt Chriſtum crucifixum colligamus.* Vide tom. 1. lib. 1. cap. 1. n. 51. & lib. 2. cap. 3. num. 12. & num. 35. & tom. 2. c. 6. num. 14. & cap. 11. num. 71.

Geneſ. 1. *Qui dat eſſe, & conſeruationem dare debet.* Sinaita. D. Anaſtaſ.



## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Deus diſpoſuerit, vt Centurio tam admirabilem fidei actum eliceret, in quo nos docuit verba proferenda, cum ad ſacram Euchariſtiam accedimus?*

96. IN hoc præſenti actu illuſtriſſima extitit Centurionis fides, itaut Christus Dominus de eo diceret: *Non inueni tantam fidem in Iſraël:* de quo ſtatim; & ideo vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo inoleuit, vt Centurionis verba à fidelibus dicantur, cum ad ſacram Euchariſtiam ſumendam accedunt, vt iam de ſuo tempore notauit Origenes homil. 5. in Diuerſos; & poſt ipſum Abulenſis quæſt. 32. & alij communiter. Vnde ait D. Petrus Chryſologus ſerm. 102. quod Centurio in his verbis figurauit populum Chriſtianum: *Qui præſentiam Chriſti corporalem ſe iudicat non mereri.* Quamuis in præſenti, cur tam ſublimem fidei actum, Deus decreuerit, potius elici ab homine Gentili, ac peccatore, quàm ab aliquo inſigni viro populi Dei?

Origen. Abulenſ. D. Chryſol. *Centurio præfigurauit fidem populi Chriſtiani.*

97. D. Auguſt.

Reſpondet primò D. Auguſt. ſerm. 74. de tempore. *Tecto, ait, non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, quanto capacior, tanto plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur.* Totum S. Pater tribuit humilitati,& quo in hac virtute ipſe profundior erat, altior in omni virtute à Deo erigitur. Expende elegantia vltima verba. *Colles aquam repellunt, valles implentur.*

*Quo animus humilior, eo maiora dona ſpiritualia recipit.*

98. D. Baſil. Sel.

Secundò, acutè, & ingenioſè D. Baſil. Seleucus orat. 19. ſic fatur: *Vnicus Gentilis ſuprà totam Iudæorum multitudinem fidem extulit. Eſt Gentilis diſcipulus, nam Moyſem legem ponentem non audiſti: incredulos, vt credas, ſequere.* Altiſſimæ ſunt diuinæ ſapientiæ adinuentiones, vt homines ad ſe alliciat. Miſit Deus in Iſraël Moyſem, ac alios ſanctiſſimos Prophetas, vt illi populo ſuam fidem, ac legem prædicarent; quos ille non audiuit, ſed contempſit. Et cum gens illa eſſet valdè vitiorum cupida, ac in gentilem ritum propenſa; nunc altiſſimo conſilio ordinat, vt illuſtriſſimus fidei actus eliciatur ab homine Ethnico, ac peccatore, vt Iſraël, ſibi perſuadens ſequi, ac imitari hominem idololatram, deueniat in altiſſimam Dei cognitionem, fidem, ac religionem, cæteráſque virtutes, illáſque latitantes ſub vmbra, ac ſpecie hominis gentilis amplectatur, & teneat, quas olim clara,& agnita ſanctitatis forma in prophetis à ſe reſpuebat, & abiiciebat. Tam miris modis Deus agit, vt nos peccata deponentes, viam iuſtitiæ, ac ſalutis in omnibus aſſequamur.

*Sæpè virtutes occultantur, vt homines exiſtimãtes, ſe currere ad vitia, virtutes inueniant.*

99. Matth. 2. Vocat Deus ad ſe Magos per ſtellam : *Vidimus ſtellam in eius Oriente.* Matth. 2. num. 2. Cum tamen Deus maximè deteſtaretur, quod homines adorarent omnem militiam cæli. Deuteron. 17. num. 3. Cur ergo per ſtellam adducuntur? Conſilium diuinæ ſapientiæ eſt, quod homines videntes, Magos duci per ſtellam, ac ſibi perſuadentes cultu ſuæ idololatriæ ferri, ipſos ſequantur; & ita veram ſtellam Chriſtum Dominum inueniant, cuius radiis interius in fide, ac religione illuminentur. D. Chryſoſtomus homil. 6. in Matth. alibi à me datus, ſic ait: *Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi Dæmones ante coluerant, aliquantulum illa in melius flectens, vt eos à ſua conſuetudine reduceret, & ad Philoſophiam perduceret altiorem.*

Deuter. 17. *Per ea, quibus homines decipiebantur, trahuntur ad Deū.*

D. Chryſoſt.

100. Multus eſt citatus Chryſoſtomus in comprobanda hac veritate. Nam Paulus prædicans Athenis, in medium eis profert teſtimonia Poëtarum: *Sicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.* Actor. 17. numer. 28. Valdè mirabile, quod Gentium Doctor adducens infallibilia Prophetarum, ac legis teſtimonia, etiam commemoret poëtarum figmenta: quandoque enim ex mendacij conſortio aliqualiter veritas deuenuſtatur. Quomodo ergo Poëtarum dicta allegat Paulus? Valdè ingenioſa erat Apoſtoli charitas. Vt homines ineſcaret ad fidem, proponit Poëtas, quorum carminibus homines delectabantur, vt ita accurrerent, ſibi perſuadentes audire poëtas, quorum figmentis, ac mendaciis decipiebantur; vt ita inuenirent Catholicam veritatem, qua illuminarentur, ac illuſtrarentur. Sic in hac re reſpondet Chryſoſtomus. *Quia vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, & Deus, & miſſi ab ipſo ad totius orbis ſalutem homines, de ipſo cuiuſque more gentis materias ſibi aſſumunt dicendi.* Alias comprobationes ibi vide.

Actor. 17.

*Valdè ingenioſa charitas, vt homines lucrifaciat.*

D. Chryſoſt.

*Matth. 8. n. 9.* Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic: Vade: & vadit; & alij: Veni; & venit; & ſeruo meo: fac hoc: & facit.

### *VERSIONES.*

*Quidam apud Chryſoſtom. homil. 27.* Si enim ego, qui homo ſum: ſub poteſtate habens ſub me milites.

*Pagninus, Vatablus.* Etenim ego ſum homo ſubditus poteſtati alterius habens ſub me milites.

*Syriacus.* Et habeo ſub manu mea milites, & dico huic: ito, itque: & alteri: Veni, venitque: & ſeruo meo hoc age, & agit.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n. 8.* Idem ſcribit, ac D. Matthæus.

### *EXPOSITIO IV.*

101. *Germanus ſenſus.* Comprobat Centurio ſuam ſententiam, quo ſolo verbo Chriſtus poterit conferre ſanitatem puero. Et argumentatur à minori, vt dicunt Logici. *Si ego*, ait, *homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, alterius* ſcilicet Cæſaris, vel regis, ſeu Tribuni, *habens ſub me milites*, nempe centum, & paruam poteſtatem retinens in eos; tamen ſolo vno verbo meo, vel iuſſu impero, vt vnus veniat, & alter vadat, & vt ſeruus meus faciat hoc, vel illud: Quanto magis tu ô Chriſte, qui es Deus omnipotens, vniuerſorum Dominus, cuius nutui omnia parent, verbo tuo poteris efficere quidquid volueris; & quamquam abſens ſis, ſi verbo iuſſeris, morbus abibit; cum omnia tibi ſint ſubiecta. Sic interpretatur D. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini. *Si ego*, ait, *homo ſub poteſtate, iubendi habeo poteſtatem: quid tu non poſſis, cui omnes ſeruiunt poteſtates?* Et D. Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. D. Chryſologus ſermon. 15. D. Paſchaſius, Anſelmus, & alij.

D. Auguſt.

D. Chryſoſt. Chryſolog. D. Paſchaſ. D. Anſelm.

102. In præſenti explicatione tria ſunt notanda. Primò, quid Centurio loquens cum Chriſto intelligat per milites, & ſeruos: nam quamuis ipſe loqueretur de milite, & ſeruo materiali, tamen applicando ad Chriſtum Dominum aliud ſubintelligebat. Origenes homil. 5. in Diuerſos, D. Hieronymus, D. Paſchaſius, Beda, Haymon per milites Angelos interpretantur, qui tanquam milites verbo Domini obedientes, ad nos eius iuſſa deportant. Accommodatius tamen cum Chryſoſtomo citata homil. 27. Euthymio, Theophylacto, Abulenſi quæſt. 33. per milites, & ſeruos vniuerſas res creatas, vitam, & mortem; ſanitatem, & infirmitatem intelligunt; ac ſi Centurio loquatur: Dic verbo, mors, ac morbus abibunt; ſanitas, & vita venient. Nam Chriſtus Dominus in operibus, miraculoſis edendis non vtebatur miniſterio Angelorum, ſed tactu, vel imperio. *Imperauit febri, & dimiſit eam.* Luc. 4. num. 39. *Imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas.* Matth. 9. num. 26.

Origen. D. Hieron. D. Paſchaſ. Beda. Haymon. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Abulenſ.

Luc. 4. Matth. 9.

103. Secundò quæres: Cur Centurio tam multiplici vſus eſt exemplo? Reſpondetur. Quod, cum ipſe eſſet dux, adducit milites, ac ſeruos in exemplum tanquam quid ſibi familiare; & quia morbi, vt ait Theophylactus, ſunt veluti milites, ac tortores Dei. Et ſerui, ait Euthymius, maiorem habent ſubiectionem, quam milites. Vnde tot exemplis vtitur ad explicandam magis Chriſti Domini potentiam, ac dominationem in omnia. Et aduertendum eſt, quod Centurio hic non fecit ſententiam integram; nam poſuit vim rationis; non tamen compleuit, dicendo: Si meo imperio commiſſa mihi obediunt; quanto magis tibi vniuerſa, cum Deus ſis: quia hanc conſequentiam, vt claram ſuppoſuit, vt notat Simon Caſſianus lib. 5. cap. 12. Deinde quando quis argumentatur cum viro ſapienti, ſolùm ponit maiorem, & minorem, conſequentiam verò prætermittit.

Theoph. Euthym.

*Cur Centurio non compleuit ſententiam.*

Caſſian.





## QVÆSTIO XV.

### *Quare Centurio ſe cum ſuo regimine proponit in exemplum.*

104. Imperfect. Avctor operis Imperfecti homil. 22. hanc ſententiam ita interpretatur, vt particula illa *Et*, idem valeat, ac *Etiam*, itaut reddat hunc ſenſum. Ego etiam ſub poteſtate alterius verbo mando militi, & ſeruo meo; ſic tu, qui, vt homo, ſubditus es Patri, verbo, & imperio poteris agere, quæ volueris. Tamen ſimpliciter verior, & melior eſt interpretatio, quam in expoſitione cum Auguſtino, ac Chryſoſtomo ſecutus ſum. Vt ſit ſenſus. Si ego homo ſub alterius poteſtate, iuſſu, & verbo mando ſeruo meo, quanto magis tu, cum Deus verus, ac omnipotens ſis. Et ideo ſignanter ipſe de ſe dicit: *Ego homo ſum*: ſubintelligens, & tu Deus. Vnde ait Chryſoſtomus citata homil. 27. in Matth. *Ipſa enim excellentia conatur ei perſuadere: non enim exemplum tanquam ſimile hoc dicit, ſed multo excellentius.* Deinde illæ particulæ; *nam &* in Codice Græco idem valent, ac Latinè *Etenim*. In noſtra autem vulgata particula, *Et*, non inducit ſimilitudinem in eo, quod ſub alterius eſt poteſtate; ſed in hoc, quod verbo, ac imperio poterit facere, quæ voluerit, vt recte notauit Toletus annot. 17. in cap. 7. Luc. Hæc pro ſenſu litterali.

Chryſoſt.

Græcus.

Tolet.

105. D. Baſil. Sel. Pro morali ſenſu primò, D. Baſilius Seleucus orat. 15. ſic ait: *Admiremur ante omnia fidem, prudentiam, religionem: fides vno verbo curationem menſa eſt: Religio, loquendi libertate repudiata, reuerentiam euulgat: prudentia ex iis, quæ circa ſe, quæ circa Dominum colligebat.* Fides vno verbo enituit: *Dic verbo*: Religio reſplenduit, nam cum libertate loquendi: *Domine non ſum dignus*: ſeruauit reuerentiam. Prudentia verò radiauit, quia ex his, quæ ipſe cum ſuis ſubditis agebat, intulit, qualiter Deus, erga ipſum, ſe exhibiturus erat: & ideo prudenter ſuum in ſubditos procedendi modum adduxit in medium, vt ſimilem ſperaret. Vide infrà num. 108. 109. & 110.

*Vt quis ſe gerit in ſubditos, idem à Deo ſperet.*

110. D Baſil. Seleuc. Secundò idem S. Baſilius Seleucus citato loco. In perſona Centurionis ſic fatur: *Mitte, vt ego militem, mitte ipſe contra morbum imperium, rebus paruis minores quoque imitare, tuis oſtende pro nobis, noſtra Deus qua hominibus gratificetur, homines imitetur.* Ait Centurio: *Dic verbo*, ſeu, mitte tuum imperium contra morbum, vt ego militem mitto: tanquam ſi ipſe non ſolùm pueri ſanitatem intenderet, ſed etiam quod Chriſtus Dominus cœleſtis medicus eius placito ſe accommodaret, eiúſque modum ſequeretur, ab eóque præſcriptas procedendi regulas caperet. *Deus quo hominibus gratificetur, homines imitetur.* Vt Deus ſe gratum hominibus præbeat, eiſque complaceat, eorum voto, ac voluntati ſeſe inclinando accommodet, eiſque condeſcendat, *homineſque imitetur.* Hæc moraliſſimè ſunt dicta.

*Aliquando homine affectat, vt Deus eorum placito ſe accommodet.*

107. Tertiò, ad eadem Seleuci verba. *Rebus paruis minores quoque imitare; Deus, quo hominibus gratificetur, homines imitetur.* Centurio ſine dubio Chriſtum credidit Deum. Sed vnde coniecit, quod Deus non aliter eſſet operaturus, ac infimus homo, ac ipſe operabatur? Statuit enim apud ſe, non eſſe indecens Deo, quod ad hominis imitationem ſe inclinet, vt homini benefaciat, ac gratificetur. Agnouerat enim tam propenſam eſſe Dei bonitatem in noſtram ſalutem, vt pro ea nil reſpueret, nec ei ingloriosum videretur.

*Maieſtati nihil ingloriosum pro ſuorum ſalute.*

108. Quartò, ad eadem verba. *Deus, quo hominibus gratificetur, homines imitetur.* Ad quid Centurio ad pueri ſanitatem hæc intendit? Ad quid petit: *Mitte, vt ego militem*: quod Chriſtus ita morbum abire imperet, ſicut ipſe militibus mandat. Ad quid vult: *Rebus paruis minores quoque imitare?* Fatetur Chriſtum verum Deum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei Patris: ad quid vnus homo ei ſe præbet in exemplum, ad cuius imitationem ipſa Dei ſapientia ſe inclinet: *Deus, quo hominibus gratificetur, homines imitetur?* Spiritu ſancto afflante affectauit Centurio, vt in hoc opere feruida Chriſti charitas maximè innoteſceret, quantum pro noſtra ſalute ſeſe ad infima ſubmittebat, ac deiiciebat; nam cum ipſe eſſet omnium idea, ac exemplar, tamen figuram diſcipuli, ac hominum imitationem pro eorum ſalute non reſpuebat, vt homines lucrifaceret. Et cum ſapiens pro aliis habitum diſcipuli induit, nil ſanè pro eis abiecit.

*Magna Chriſti charitas, quod cum ipſe eſſet Dei Patris ſapiētia, aliqualiter hominē imitari non dedignatur.*

108. Tertull. Ingenioſè conſiderat Tertullianus lib. aduerſùs Praxeam. cap. 16. quod Deus ab Adamo vſque ad Patriarchas quandam veluti neſcientis figuram adumbrauit, *Interrogans Adam, quaſi neſciens, Adam vbi es?* Geneſ. 3. num. 9. *Tentans Abraham quaſi ignorans, quid ſit in homine.* Geneſ. 12. num. 1. Ad quid infinita Dei ſapientia huiuſmodi repræſentationem quodammodo gerit in nobis? Eleganter ipſe Tertullianus citato loco. *Ediſcebat autem, vt nobis fidem ſterneret, vt facilius crederemus, filium Dei deſcendiſſe in ſæculum, ſi & retro tale quid geſtum cognoſceremus.* Decreuit Dei infinita ſapientia ab exordio mundi hominibus perſuadere ſuam immenſam charitatem in eos, pro quibus in mira humilitate, ac paupertate erat carnem aſſumpturus: ad hoc ergo in Scriptura cum aliquali ediſcentis figura ſe introducit. *Vt facilius crederemus, filium Dei deſcendiſſe in ſæculum, ſi & retro tale quid geſtum cognoſceremus.* Tam repugnans, & ardua eſt ediſcentis ſpecies perſpicacitati, quod qui, cum eſſet ſummè ſapiens, pro hominum ſalute ad illam ſe demittebat, vt nullam ſanè pro eis abiectionem, ac vilitatem dimitteret.

Geneſ. 3. Geneſ. 12. Tertull.

*Olim ediſcētis formā induit Deus, vt Incarnationē perſuaderet.*

109. Geneſ. 16. Cùm Agar fugeret è domo Abraham, inuenit eam Angelus Domini in ſolitudine, *Dixitque ad eam: Agar, ancilla Sarai, vnde venis, aut quo vadis?* Geneſ. 16. num. 18. Vtrumque horum cognouerat Angelus, vt eſt apertum, vt notat Carthuſianus. Ad quid ergo interrogat? Et augetur difficultas. Quia, vt docent Moyſes Barcepha 1. p. de Paradiſo cap. 27. Iobus Monachus lib. 3. de Incarnat. cap. 19. apud Biblioth. Photij, Caietanus, & alij, hæc fuit prima apparitio, primáque locutio Angelorum cum hominibus, quantum conſtat ex Scriptura. Ad quid ergo in hac prima apparitione veluti ediſcens Angelus ſe prodit? Lippomanus. *Angelus familiariter ipſam Agar appellat proprio nomine; & vnde veniat, & quo pergat, non ignorando, quærit.* Angelus in hoc primo congreſſu cum natura humana voluit ſe illi maximè benignum, ac familiarem declarare;

Carthuſ. Barceph. Iob. Monac. Caiet. Lippoman.

*Valdè durū ſapienti ediſcere.*

& ad hoc ediſcentis, ac ſcire quærentis habitu venit; vt ita cunctis fieret notum, quod ſpiritus ſcientia, ac ſapientia plenus, qui ad ediſcentis, ac interrogantis modum pro hominum ſalute ſeſe ſubmittebat, nil ſanè etiam humile, & abiectum pro eorum commodo contemneret, ac præteriret.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare quando Centurio commemorat ſuum imperium in milites ſibi ſubiectos, ſe prius dicit hominem ſub poteſtate alterius?*

111. *Ratio litteralis.* MENS Centurionis in hac ſententia ea fuit, vt aſſereret, quod quemadmodum ipſe verbo, ac iuſſu imperabat militibus ſuæ cohortis, vt vnus abiret, alter verò veniret: ita, immò, & potiori iure Chriſtus, cum Deus eſſet, poterat ſuo verbo mandare, vt morbus à puero diſcederet, & ſanitas eum teneret. Ad quod prius præmiſit, ſe eſſe hominem ſub alterius poteſtate: *Nam & ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus*, vt habet Græcus *ſub poteſtate alterius*. Immò videtur aliqualis repugnantia in dictis, quia ſi ipſe alterius ſubiicitur regimini, quomodo imperia in milites exercet? Rationem litteralem dedi in expoſitione, moralem proſequor.

*Græcus. Difficultas quæſtionis.*

112. D. Bernard. Primò, D. Bernardus Epiſt. 42. ſic ſcribit. *Dicturus quippe, habens ſub me milites, præmiſit, homo ſub poteſtate. Iam quidquid ſubinferat, ſuſpectam non habemus iactantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet: nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis inſigne præceſſit.* Prudenter Centurio ſuam poteſtatem in medium adducturus, prius humilitatis ſignum præmiſit, homo ſum, puluis ſum, ſub poteſtate alterius, vt ita nullam alicuius gloriolæ, ac iactantiæ auram timeret. Ex quo pondera. Quod Dauid reſpiciens ad ſuos ſubditos, eoſque recenſens, labitur. Centurio autem ad ſuos milites attendens, eorúmque obedientiam commemorans, tam huius in veniendo, quàm illius in eundo, nulla vanitate concutitur. Dauid oculos coniiciebat in ſuam poteſtatem, quod eſſet rex 2. Reg. 24. num. 2. Centurio verò in ſuam humilitatem, quod eſſet homo ſub alterius dominio. Et ex poteſtate perpenſa prouenit lapſus; ex abiectione verò, ac humilitate conſiderata reſultat erectio, magnaque meritorum accretio.

*Humilitas cuſtodia magna in dignitatibus.*

2. Reg. 24. *Qui ſuam poteſtatem conſiderat, cadit; qui ſuam humilitatē exurgit.*

113. D. Bernard. Secundò, idem D. Bernardus citato loco ſic pergit: *Dicit prius honorem præpoſitis, vt iam à ſubditis iuſtè reciperet.* Centurio de ſe ait, quod ſit homo ſub poteſtate conſtitutus, veluti innuens rationem, ob quam tam promptè, ac expeditè à ſuis militibus obediebatur, quia ſuos ſuperiores noſcebat, ac fateri non erubeſcebat, ſed eos magno honore reuerebatur: Vnde & ipſe à ſuis militibus honorari dignus eſt habitus. Tertiò, Centurio dicturus, *habeo ſub me milites*, rectè præmiſit, *homo ſum ſub poteſtate*, ſcilicet ipſius muneris, ac officij, quia ita in eo adminiſtrando ſe gerebat, vt non propriæ voluntati, ſed ſuo muneri ſeruiret, ſub cuius poteſtate ſe detentum agnoſcebat. Bellè Antigonus rex filio ſuo iuueni dixit: *An ignoras, ô fili, regnum noſtrum non eſſe aliud, niſi ſplendidam ſeruitutem.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 191. & hoc lib. cap. 29. quæſt. 15.

*Qui ſuos ſuperiores honorat, à ſuis ſubditis honoratur.*

*Homo ſubditus officij.*

114. Quartò, meritò, antequam Centurio aperiret, ac teſtaretur: *Dico huic, vade, & vadit; & alij veni, & venit*: ait de ſe, *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*: Ita enim præoccupat quandam obiectionem, ac interrogationem, quæ fieri poterat: Quomodo viri caſtrenſes, ingenio rigidi, ac feroces, & valdè difficiles, vt iugo colla ſubmittant; ita ad nutum ſui ducis mouentur? Ait ergo Centurio: Ego *homo ſub poteſtate conſtitutus*, mei regis, ac imperatoris illis obediendo, eorum enim mandata ſine mora exequor; & ſtatim vbi me vocant, adſum. Quod mea turba militaris cernens, conſimili obedientia ſtimulata, mea iuſſa expeditè adimplet, cum videant ſui ducis exemplum; & quod caput ſub eiſdem laborat, quæ membra tolerat. Quintò, bene ait, *homo ſub poteſtate conſtitutus*. O quàm humanus, ac lenis eſt in ſuos, qui ſe meminit alteri ſubiacere: Vnde non mirum quod ad eius nutum milites ſuo ingenio feroces ſe inclinent, & veniant; vt ipſe ſuis ſubditis iuberet, ſe alterius ſubditum recognoſcens.

*Exemplum ſuperioris multum efficax.*

*Qui ſe meminit ſub poteſtate, valdè humanus.*

115. Sextò, antequam Centurio dicat, quod ſub ſe habet milites, prius de ſe profert, quod ſit ſub poteſtate conſtitutus: Quia ille ſolus imperare nouit, qui obedire didicit. Vnde non immeritò imperantis ſcholam obedientiam appellem. Huic ſententiæ ſubſcribit antiquorum monachorum conſuetudo, vt teſtatur Caſſiodor. lib. 2. de inſtitutis Monach. cap. 3. *Nullus congregationi fratrum præfecturus eligitur, priuſquam idem, quod obtemperaturis oporteat imperare, obediendo didicerit. & quod iunioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus.*

*Solus ille ſcit imperare, qui nouit obedire.*

Caſſiod. *Obedientia imperandi ſchola.*

116. Ad Epheſ. 6. Scribens Paulus ad Epheſios cap. 6. num. 5. ait: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* Et ſubdit: *Et vos domini eadem facite illis.* Seruis mandat Apoſtolus, vt obediant; eandémque obedientiam dominis commendat. Sed ad quid obedientia neceſſaria eſt dominis; ſi enim ipſi obedientiam debent præſtare, iam domini non videntur conſiſtere, & à conditione ſeruorum nihil differre? D. Thomas. *Et vos domini eadem facite identitate rationis.* Eſt enim obedientia neceſſaria ſeruis, vt obediant dominis ſuis: & etiam ipſis dominis eſt neceſſaria, vt ſciant, quod ſuis imperant: nam ſicut ſeruus domino ſuo obedit; ita & dominus vtilitati, ac commodo, & imbecillitati ſeruorum obediat, ac ſeruiat. D. Chryſoſtomus ibi. *Et vos domini eadem facite illis. Eadem quæ? Cum beneuolentia ſeruite; ſeruit enim & Dominus*: Vel acutiùs cum Ambroſio explicabis locum, qui ita legit: *Et vos domini ita facite ad illos.* Vt eam obedientiam à ſuis ſeruis requirant, quam ipſi exhibent Deo, ac aliis excellentioribus ſe. *Vt*, ait Ambroſius, *talia exigant ſeruitia, qualia à ſe exigi non ferant ægrè.*

D. Thom. *Qui imperat, ſit obediens.*

D. Chryſoſt.

D. Ambr.

117. Pſalm. 2. Loquens Dauid cum regibus, ac iudicibus terræ ait: *Apprehendite diſciplinam.* Pſalm. 2. n. 12. Ex Hebræo, Pagninus, Vatablus, Caietanus, Ianſenius transferunt, *Oſculamini filium.* Et Fœlix, Eugubinus, Salmeiron poſt D. Hieronymum legunt: *Adorate filium.* Et in vtraque lectione idem eſt ſenſus: nam apud Palæſtinos oſculare manus ſymbolum erat ſubiectionis, & obedientiæ, vt ex multis comprobat Lorinus ibi, & docet D. Hieronymus in cap. 31. Iob, & in cap. 13. Oſeæ. Dum ergo Dauid exhortatur reges, vt ſuper ſuos ſubditos intelligant, & erudiantur, qui iudicant terram, ait eis, *apprehendite diſciplinam*, quod idem valet, ac ſubiacete, & date obedientiam filio Dei. In ipſa enim obedientia, ac ſubiectione præſtita diſciplinam apprehendebant, vt regerent, ac iudicarent. Vide infra cap. 12. q. 6. n. 41.

Pagnin. Vatablus. Caiet. Ianſen. Fœlix. Eugub. Salmeron. Lorin. D. Hieron.



## QVÆSTIO XVII.

### *Quare Centurionis miles ad eius vocem volat; & Sponſa ter vocatur in Canticis: & de hac non exprimitur, quod venerit, ſicut de Centurionis milite?*

118. DVPLEX occurrit quæſtio inter cæleſtem Sponſam, & Centurionis militem, & vtraque in Quæſtionis titulo inſinuata eſt. Prima. Sponſa Cantic. 4. n. 8. ter vocatur: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum.* Et tamen in præſenti de ſuis militibus gloriatur Centurio: *Dico huic; veni, & venit*: ſemel vocat, & ſtatim adeſt, & venit; & tamen Sponſa omnibus virtutibus exornata, vt de Libano deſcenderet, non bis, ſed ter vocatur: nunquid ipſa diligentior, ac perfectior erat Centurionis miles? Abſit. Perpende vtriuſque rei rationem. Miles veniebat, vt obediret, ac mandata ſibi impoſita exequeretur. Illa verò vocabatur, vt ad montium altitudines aſcenderet, coronam acciperet, ac inter leones, & pardos gubernacula teneret: vnde difficultates regiminis agnoſcens, inter fremitus furentium animalium tantiſper moratur, antequam illa cacumina aſcendat. Gillibertus Abbas ſerm. 29. in Cantic. *Quid mirum, ait, ſi moretur venire, cùm & moleſtum ſit, de Libano diſcedere; & metuendum ſit, ad montes illos accedere? Et forſitan Sponſæ mora feſtinationem noſtram ſuggillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum prouidi, vires noſtras minus penſantes, feſtinamus ingredi in labores prælationis, in ſolitudinum moleſtias, & materiam lapſus; nec expectantes vel ſemel vocari, vltro nobis honorem ſumimus, vocationem vel præuenientes, vel arte procurantes.*

Cantic. 4.

*Ad obediendum euolet homo; ad imperandum ſit difficilis.*

Gillibertus.

119. Quæſtio ſecunda: Cur Sponſa, cùm in Canticis, variis in locis vocetur à ſuo Sponſo cap. 2. n. 10. *formoſa mea veni*: & n. 13. *Specioſa mea veni.* Et cap. 4. n. 8. *Veni de Libano Sponſa mea*: & tamen de ea non exprimitur in littera, quod venerit, ſicut de militibus Centurionis hîc habetur: *Dico huic, vade, & vadit: & alij veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit.* Alia eſt ratio dilectæ Sponſæ, ac filij; alia verò ratio ſerui, ac mercenarij. Nam Sponſa, ac filius ob ſuam nimiam charitatem in Deum, legem habent ſcriptam in corde, & viſceribus. At ſerui deambulant ſub lege, tanquam ſub iugo, & non mouentur, niſi impellente lege. Vnde valde opportunè de Sponſa præteritur *venit*, & de ſeruis declaratur: nam cum illa haberet legem intus in anima inſculptam, quadam propenſione, ac inclinatione ad Dei nutum ferebatur; & ita euidens erat, quod ipſo vocante adeſſet. Vnde valde congruè de ea *venit* reticetur. At ſeruus deambulans ſub lege, cùm non trahatur, niſi vrgente imperio, ac cogente timore legis, poterat vereri, ac ſuſpicari, an præceptum ſibi impoſitum adimpleret; & ideò hoc, non vno verbo, ſed multiplici fuit explicandum. *Vadit, venit, facit.*

Cantic. 2. Cantic. 4.

*Vir perfectus valde facilis ad Dei legē; minus perfectus difficilis.*

De viro iuſto, ac perfecto dicitur: *In lege Domini voluntas eius*. Pſal. 1. n. 2. At verò de minus perfectis, eſſe ſub lege: *Iis, qui ſub lege ſunt*: ad Galat. 3. n. 23. & ſæpe aliis in locis. Cuius rei rationem optimè reddit D. Auguſtinus in citat. Pſal. 1. *Iuſto*, ait, *non eſt poſita lex, vt inquit Apoſtolus* 1. ad Timoth. 1. n. 4. *Sed aliud eſt, eſſe in lege, aliud ſub lege, Qui eſt in lege, ſecundum legem agit; qui eſt ſub lege, ſecundum legem Dei agitur. Ille verò liber eſt; iſte ſeruus.* Iuſtus eſt in lege, *Voluntas eius in lege Domini*, quam in anima habet defixam, qua veluti quodam voluntario nutu, ac delectabili motu agit tanquam filius magna propenſione deſeruiens patri. Et ſic ait Auguſtinus: *Ille ergo liber eſt*: at minus perfectus *eſt ſub lege, ſecundum legem Dei agitur*, ab ipſo legis imperio, pœna, ac timore ſtimulatur, & ducitur, & veluti apprehenſa manu trahitur, tanquam ſeruus coactus à domino ſuo. Ergo cùm vir conſummatus in ſanctitate ſit ſuomet ingenio tam mobilis, ac propenſus ad Dei nutum, planum erat, quod ſi vocabatur, adueniret. At vir non tam proficiens in iuſtitia, cùm ſit multùm difficilis, ac renitentiam patiatur ad Dei imperium, ad omnem dubitationem excludendam, neceſſarium fuit, explicare, quod vocatus affuerit. 120.

Pſalm. 1. Ad Galat. 3.

D. Auguſt. 1. Timoth. 1.

*Quid ſit eſſe in lege, & ſub lege.*

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Centurio non eidem ſuo militi, cui dixit; Vade, dixit veni; ſed vni ait vade, & alteri veni?*

NOSTER militiæ præfectus ſic loquitur: *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alij Veni, & venit, ſeruo meo fac hoc, & facit.* In quæſtionem ergo voco: Cur eidem viro caſtrenſi non ait Vade, & Veni? Centurio hac comparatione, vt patet ex dictis, voluit demonſtrare ſuam poteſtatem in ſibi ſubditos, ac eorum obedientiam ad eius mandatum. Atqui multò magis declarabatur hominis imperium, ac ſuorum obedientia in eum, ſi contraria mandata ab eo prolata, ab vno, & eodem exequerentur. Cur ergo non eidem ait Vade, & Veni; ſed vni Veni, alteri Vade? 121.

*Ratio difficultatis.*

Reſpondet primò D. Gregorius Nyſſenus hom. 10. in Cantic. *ineſt etiam in Centurionis voce quædam Philoſophia, quod videlicet ſemel à ſe remiſſum reducat nunquam, ſed alterum in dimiſſi locum ſubſtituat. Nam cùm ei dixiſſet, Vade, vadit: dicit ſe alium accerſere, non eum, quem mandauit.* In illo Centurione omnium Chriſtianorum Philoſophia exprimebatur, quæ talis eſt, vt ſemel dimiſſa pro Deo non repetant; nec ad ea, quæ pro Deo abiecerunt, iterùm redeant. Vnde hic militiæ præfectus militem, quem aliquando miſerat, non iterùm vocat, ſed alium. 122.

Nyſſenus.

*Semel dimiſſa pro Deo non ſunt repetenda.*

Secundò D. Nyſſenus eodem loco. *Ieſus miratus, vocem Centurionis prætulit fidei Iſraëlis. Non enim videtur conferre Centurionem cum populo Iſraelitico,* 123.

D. Nyſſenus.

*raelitico, ſed cum ipſo Iſraele, qui in lucta cum aduerſario cum Dei auxilio vix euaſit, ne caderet, nec abiit penitus illæſus ab aduerſario, læſus enim fuit in fœmore. Hic autem Centurio mandat id, quod eſt alienum, adſciſcit autem, & ad ſuam admittit familiaritatem id, quod eſt ſibi gratum.* Exiſtimat S. Pater, quod Centurio extollitur à Chriſto, non ſupra populum Iſraeliticum, ſed ſupra ipſum Iſraëlem; ſiquidem ille multò prudentior iſto. Nam Iacob admiſit ad congreſſum, ad luctamen virum, à quo percuſſus, ac vulneratus eſt in fœmore. At multò aliter noſter Centurio viros ſibi noxios, ac infeſtos mandat à ſe recedere, & vadere; viros autem ſibi proficuos, & gratos ad ſe allicit, ac dicit, vt veniant.

*Prudentia admittit ſibi ſalutifera, deuitat noxia.*

124. Nyſſenus. Tertiò, idem Nyſſenus citato loco. *Expulſus quidem fuit miles vitij ſocius, eius autem loco ingreſſus fuit miles virtutis.* Cùm enim proiicitur peccatum, ac illius ſocius occaſio, ſtatim illabitur, & venit ad nos virtus, qua anima condecoratur: Non enim repletur cor virtute, niſi prius vitiis euacuetur. Sic enim ait ipſe Nyſſenus. *Nulla eſt enim ſocietas luci cum tenebris: ſed neceſſe eſt omnino, vt ſi tenebræ receſſerint, ſit lux, quæ pro eis cernitur; & ſi vitium fuerit emendatum, pro eo virtus introducatur.*

*Si peccatum reiicitur ſtatim aduolat virtus.*

125. Haymon. Quartò, Haymon ait: *Poſſunt autem per ſubiectos Centurionis intelligi cogitationes bonæ, vel malæ: malis autem dicamus, vt recedant, & recedent; & bona vocemus, & venient.* Quintò, Chryſologus ſerm. 102. intelligit Iudæorum repulſam, Gentium vocationem, & Chriſtiani populi obedientiam. Sic ait, Dico huic, *hoc eſt Iudæo*, qui non credidit, Vade, & vadit: & alij, *hoc eſt Gentili*, quia credidit, Veni, & venit: & ſeruo meo, *hoc eſt Chriſtiano*, fac hoc, & facit. Sextò Theodorus Studita Catech. 26. Hæc Centurionis verba accommodat imperio, quod peccatum habet in hominem. *Ad eundem modum*, ait, *ac multò potentius iubet ſub ſe ſubiecto peccatum, loquere fœda, & loquitur: nefaria deſigna, & deſignat.*

*Recedant cogitationes malæ, vt veniant bonæ.*
D. Chryſol.
Studita.
*Peccatum in peccatore ha bet imperiu.*

126. Septimò, Hîc in Centurione reſplendet mirabilis gubernandi ars. Non vni, & eidem mandat vadere, venire, & facere, ſed diuerſis. Dico huic, ait, Vade; alij veni; ſeruo fac hoc: Non enim totum laboris pondus in vnum eſt conferendum, ſed per multos, & diuerſos diſtribuendum; ita vt Rector dicat vni vade, alij veni, alij fac hoc. Vrgente fame abſconditur Elias in Carith; & ibi Corui deferebant ei panem, *& carnes mane & veſperi.* 3. Reg. cap. 17. n. 6. D. Ambroſius lib. 2. Officior. cap. 4. Eucherius, & alij tenent, quod manè panes, & caro ad veſperam deferebatur. Caietanus verò exiſtimat, quod vnus coruus adducebat panem, alter verò carnem. Ex quibus ſententiis colligo, quod vnus coruus manè veniebat, & alter ad veſperam: Sed cur non ſemper vnus, & idem, & ſimul vtrumque alimentum deferebat, cùm hoc totum diuina virtute ageretur? Oſtendebatur hîc ſingularis Dei prouidentia, vt ait Carthuſianus, qua cunctos Principes admonere voluit, vt toto diei onere, totáque ponderis ſarcina non vnus miniſter grauetur, ſed diſpartiatur labor; vnus incumbat manè, & alter veſperi; vnus partem deferat, alius alteram partem aſportet.

*Totum laboris pondus nõ vni imponẽdum, ſed diuidendum.*
3. Reg. 17.
D. Ambroſ.
Eucherius.
Caiet.
Carthuſian.

*Matth. 8. n. 10.* Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Amen dico vobis, ne in Iſraël quidem inueni talem fidem. |
| *D. Chryſ. in Imperf. hom. 22.* | In nullo tantam fidem inueni in Iſraël. |
| *Tertullianus.* | Ne in Iſraël quidem tantum fidei reperi. |
| *Arabicus.* | Nec in vno ex Iſraël tantam fidem. |
| *Græcus.* | Ne in ipſo quidem Iſraël. |

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n. 9.* Quo audito Ieſus miratus eſt: & conuerſus ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Iſraël tantam fidem inueni.

### *EXPOSITIO V.*

127. AVDIENS *autem Ieſus* tam inſignem hominis fidem, humilitatem, ac religionem, *miratus eſt.* Admiratio, cùm proueniat ex re incognita, ac inopinata propriè in Chriſto Domino non dabatur; nam ipſe, qua homo, per ſcientiam beatam, ac per ſe infuſam omnia intimè aſpiciebat, ac penetrabat. De quo eleganter diſſerit D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 8. Vbi ait, quod illa Centurionis fides ab ipſomet Chriſto data eſt, à quo ſolo vera fides dari poteſt. Dicitur ergo, quod admiratus eſt, quia ſecundum ſcientiam experimentalem excitauit quendam exteriorem actum, ac affectum admirationis, vt alios de homine admirari doceret; ac vt eius tantam fidem honoraret. Ex quo perpende ſummam Chriſti charitatem: nam cùm ipſe eſſet omnia ſciens, ac cognoſcens, ſeſe tamen demittit ad aliqualem admirantis exteriorem geſtum (ex quo rudes, & imperiti aſtantes ob ordinarium admirationis modum inter homines quid alienum à ſua ſuprema ſcientia poterant ſuſpicari) vt ita Centurionis fidem nobilitaret, ac extolleret. Origenes homil. 5. in Diuerſos. *Aurum*, ait, *diuitiæ, regna, principatus in conſpectu eius ſunt tanquam vmbra, vel flos decidens. Nil ergo horum in conſpectu Dei mirabile eſt, quaſi magnum, vel pretioſum, ſed tantum fides; hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem ſibi æſtimat.* Expende verba illa: *hanc miratur honorificans.* Deinde quantum fides æſtimetur à Chriſto ſuper omnes gazas.

*In Chriſto non extitit propriè admiratio.*
D. Auguſt.
*Summa Dei charitas ſe demittit, vt hominẽ ſubleuet, ac honoret.*
Origenes.

128. *Sequentibus ſe dixit:* Albertus Magnus per hos ſequentes ſacros diſcipulos intelligit; diſcipuli enim erant, qui Chriſtum ſequebantur. Et apud hos

Albert. Mag.



hos tantùm Centurionem laudat, ait Magnus Doctor, ne Iudæos perturbaret, dum hominem Gentilem fidei eorum præferebat. Tamen ex D. Luca expreſsè conſtat, quod hæc locutus fuerit Chriſtus ad turbas. *Conuerſus ſequentibus ſe turbis dixit.* Hanc glorioſam de Centurione teſtificationem non dirigit Chriſtus ad ſeniores, ac eius amicos, qui pro illo rogantes venerant; ſed ad turbas: tuas enim laudes non percipiunt maleuoli ſenes, nec inuidioſi amici, ſed ſimplex, & candidus turbæ animus. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Græcus, *Nec in ipſo Iſrael*, Chryſoſtomus, *in nullo tantam fidem inueni*, qui ſcilicet tantum fide profecerit ex prædicatione, ac miraculis meis; de quo in ſequentibus. Et notanter non ait, In populo, vel in Hebræis, vel Iudæis; ſed *in Iſrael*, vt illius gentis nequitiam aggrauaret. Iſraël idem eſt, ac videns Deum: valde enim ignominioſum erat, quod nomini non ſatisfaceret; & cùm haberet nomen videntis Deum, in eius præſentia cæcutiret, vt eum non agnoſceret. Huc reſpicit D. Baſilius Seleucus Orat. 19. *In Iſrael; nomen*, ait, *quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum eſt, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellationi, cuius virtute cares, contumeliam irrogas? Quid geſtas cognomen, quod perſonæ probro ſit? factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.*

D. Lucas.
*Non inuidioſi amici, ſed ſimplex turba tuas percipit laudes.*
Græcus.
Chryſoſt.
*Magna ignominia, dignitatis nomini non reſpondere.*
D. Baſilius Seleucus.

---

## QVÆSTIO XIX.

### *Qua ratione Centurionis fides prælata ſit fidei cæterorum Iſraëlitarum?*

129. DIFFICVLTAS huius quæſtionis eſt manifeſta: Quia in Iſraël fuit maior fides, quàm Centurionis, vt in Patriarchis, ac B. Virgine, in Ioanne Baptiſta, & Apoſtolis. Quo ergo ſenſu intelligenda eſt hæc Chriſti propoſitio?

*Ratio difficultatis.*

130. D. Gregorius Nyſſenus homil. 10. in Cantic. videtur præferre fidem Centurionis fidei Iacob. D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 22. fidei Apoſtolorum, quam in initio ſuæ vocationis habuerunt. Origenes homil. 5. in Diuerſos, cum quo ſentit D. Thomas, fidem Centurionis anteponit fidei Magdalenæ, & Marthæ. D. Hilarius hoc loco interpretatur, hæc fuiſſe dicta Centurioni, quia figuraliter exprimebat fidem Gentium, quæ multò maior extitit, quàm Iudæorum, quorum magna pars incredula permanſit. Sed Chriſtus Dominus loquebatur de fide illius hominis particularis, cuius verba audierat, de quo & miratus eſt, vnde ſequentibus ſe dixit: *Non inueni tantam fidem in Iſrael.*

D. Nyſſenus.
D. Chryſoſt.
Origenes.
D. Thomas.
D. Hilarius.

131. Quadruplex eſſe poteſt huius rei interpretatio. Primò cum D. Hieronymo. Quod Chriſtus hîc loquitur de præſentibus, non verò de omnibus retrò, verbi gratia Patriarchis, Prophetis, & idem eſt de B. Virgine, ac Ioanne Baptiſta. Sermo eſt enim de fide, quam inuenit à tempore ſuæ prædicationis, quando fidem cœpit ſerere per doctrinam, & ſigna. Nam fides harum perſonarum, quas modò dixi, iam præceſſerat, & multò ante prædicationem ab ipſo fuerat inuenta. Quoad Apoſtolos verò Chryſoſtomus citata homil. 22. in Imperfecto. D. Ambroſius in cap. 7. Luc. D. Auguſtinus ſerm. 6. de Verbis Domini; D. Thomas hoc loco, & Toletus annot. 22. in cap. 7. Luc. Centurionis fidem anteponunt fidei Apoſtolorum ac Diſcipulorum. Quod intelligendum eſt de eorum prima conuerſione, quando vocati ſunt; nam quando hæc agebantur, multò illuſtrior, ac maior erat fides Apoſtolorum. Probat Chryſoſtomus ſuum dictum ex parte motiuorum, ac argumentorum ad credendum: nam credidit Andreas ex Ioannis teſtimonio: *Ecce Agnus Dei*: Petrus euangelizante Andrea. Credidit Philippus legendo Scripturas. At in Centurione nullum tale præambulum præceſſerat, vt ait D. Thomas.

*Prima interpretatio.*
D. Hieron.
D. Chryſoſt.
D. Hieron.
D. Auguſt.
D. Thomas.
Toletus.
Chryſoſtom.

132. Secunda expoſitio. Centurionis fides maior erat Iſraëlis fide, proportione quadam; nam Centurio extiterat Gentilis, militarem artem colens, & indoctus ſine vlla Legis Moyſis pædagogia, ſine audito Chriſti ſermone, vel viſis ſignis, credebat, abſentem ſanare poſſe. Vnde parua fides in homine Ethnico maior apparuit, quàm magna in homine Iſraëlita. Itaque maior erat fides Centurionis, quàm fides Iſraëlitarum, quadam proportione, quia erat fides hominis Ethnici. Sic ait Chryſoſtomus citatus in Imperfecto. *Si non ſumus auſi, fideliorem Centurionem putare, quàm Apoſtolos, ita teſtimonium Chriſti intelligendum eſt. Quod vnumquodque bonum hominis, ſecundum qualitatem perſonæ illius laudatur. Puta, Si ruſticus aliquod verbum ſapienter loquatur, Philoſophus multò amplius ſapienter; in modico ſermone ſapientiæ ruſticus plus laudatur, quàm in magno Philoſophus.* Idem confirmat exemplo pueri, in quo parua ſcientia maior videtur, quàm magna in ſene. Ita de Centurione dicitur: *Non inueni tantam fidem in Iſrael:* proportione ad ſtatum illius.

*Secunda expoſitio.*
*Fides Centurionis maior, quadam proportione.*
D. Chryſoſt.

133. Tertia expoſitio eſt Abulenſis q. 35. Vbi ait, quod hæc Chriſti ſententia non intelligitur de perſonis inſignibus: quando enim profertur aliquod edictum generale, ſolum ad perſonas communes extenditur, quæ habent communem modum; non verò ad perſonas valde inſignes, quæ excellunt communes. Vnde hæc propoſitio nec intelligitur de B. Virgine, nec Ioanne Baptiſta, nec Apoſtolis: nam cùm hæ perſonæ eſſent illuſtriſſimæ in fide, ſub illa generalitate: *Non inueni tantam fidem in Iſrael*: non comprehenduntur. Poſt fabricatum vitulum dixit Deus Moyſi: *Peccauit populus tuus.* Exod. 32. n. 7. Et tamen Ioſue, Caleb, ac filij Leui ſecundum ſui magnam partem, cùm eſſent de populo, ſub illa communi propoſitione, tanquam perſonæ valde inſignes, non continentur.

*Tertia expoſitio.*
Abulenſis.
*Illuſtriſſimæ perſonæ non includuntur in illa generalitate.*
Exod. 32.

134. Quarta expoſitio, quæ mihi multum videtur plauſibilis, eſt ipſius Abulenſis citato loco, qui ita hanc ſententiam interpretatur, vt non ſimpliciter cum Centurione Dominus omnes Iſraëlitas comparauerit, ſed tantum illos, qui ſanitatem ab eo expoſtularunt, vt ſit ſenſus: Nullus in Iſraël tanta fide à me ſanitatem petiit: nam alij tactum; alij meam præſentiam exoptarunt ad miraculum edendum; at hic me abſentem verbo ſanitatem conferre poſſe, credit. Et huic expoſitioni fauet illud verbum *inueni*; ac ſi dicat Chriſtus: Nullus ſanitatem poſtulans tanta fide mihi occurrit. Et hæc interpretatio Apoſtolis ſuam debitam præeminentiam, ac principatum ſeruat, ac veneratur. Et ideò mihi multùm probabilis.

Abulenſis.
*Quarta expoſitio.*

135. Obiicies cum Euthymio, maiorem fuiſſe Leproſi, quàm Centurionis: Nam Centurio petiit verbum;

*Obiectio.*
Euthymius.
Matth. 8.

verbum ; at Leproſus ſolam voluntatem : *Si vis,*
*potes me mundare* : Matth.8.n. 2. Indicium autem
maioris fidei eſt, ſolam voluntatem ad ſanitatem
petere , quàm ſolum verbum.

136. *Solutio ad obiectionem.* Reſpondetur , multò maiorem fuiſſe fidem
Centurionis , quàm Leproſi, vt expreſsè compro-
bat Chriſti teſtimonium : *Non inueni tantam fi-*
*dem in Iſraël* : Nam Centurio non ſic petit ver-
bum Chriſti ad ſanandum , quaſi non poſſet ſola
voluntate illam conferre ; ſed ita fatur , vt ſupre-
mum Chriſti imperium in omnibus teſtetur , ad
cuius nudum verbum , ac nutum omnia obediunt;
& ideo ipſe ſe adducit in exemplum : *Habeo ſub*
*me milites , & dico huic vade , & vadit* , &c. At
Leproſus, cùm ait : *Si vis , potes me mundare* ,
agnoſcit , in Chriſti voluntate eſſe poſitum , ei
præſtare ſanitatem , ſiue id fieret verbo , ſiue ta-
ctu, ſiue alio modo ; nam quando Chriſtus ei di-
xit verbo , *Volo, mundare* , non minus credidit
Leproſus , quàm antea. Deinde Leproſus erat na-
tione Iudæus , vt dixi tom.2. cap. 20. & non con-
ſtat , quod crediderit , Chriſtum abſentem poſſe
ſanare , cùm ipſe præſens adeſſet pro ſe rogans.
At Centurio hoc maximè credidit de ſuo puero
D. Chryſoſt. retento domi. Et cùm ipſe eſſet Gentilis ſine fide
ac religione educatus , quod tantum de Chriſto
crediderit , in hoc ſuperior, ac illuſtrior eſt, vt ait
D. Chryſoſtomus.

---

## QVÆSTIO XX.

### *Quare inter tam excellentes Centurionis virtutes ſola fides tam inſigniter laudatur?*

137. *Ratio dubitandi.* ILLVSTRISSIMÆ fuerunt Centurionis vir-
tutes ſapientia , prudentia , charitas , reli-
gio , ac reliquæ virtutes : & inter omnes magno
encomio eius fides à Chriſto laudatur , ac ſubli-
matur , vt de ea teſtificetur : *Non inueni tantam*
138. *fidem in Iſrael* . Et de hac re vide à me dicta infra
D. Chryſoſt. q. 24. Deinde:
Ad quæſtionem reſpondet primò Chryſoſto-
mus homil.27. in Matthæum. *Ex his profectò in-*
*telligitur* , ait , *id maximè fidem ferventiſſimam*
Deus vult, *regnum cælorum , cæteráque bona nobis præbere , ſi*
vt de eo ma- *magna de ipſo , Deoque vero digna imaginari veli-*
gna conci- *mus.* Inter tam eximias Centurionis virtutes eius
piamus. fides maximè conſpicua eſt in Chriſti oculis , ab
ipſóque valdè laudatur. Fide valde perexcelſa de
Deo attingimus , ac penetramus , multùm enim
139. ipſe Deus æſtimat , vt in eo magna ſpectemus,
D.Auguſt. magnáque de ipſo concipiamus , ac intelligamus.
Secundò , D. Auguſtinus ſerm.74. de tempore,
*In populo* , ait, *ad quem venit Ieſus , non inuenit*
*tantam fidem ; tantam quid eſt ? tam magnam.*
*Quæ in hu-* *Vnde tam magna ? de minimo , id eſt de humili-*
*militate fun-* *tate grandem.* Valdè laudata eſt fides Centurionis,
*dantur , in* vt non fuerit in Iſraël ſimilis inuenta. Sed vnde
*altum creſ-* tam magna , & excelſa ? In hoc duce maximè hu-
*cunt.* militas enituit , qua ſe reputauit indignum ad
Chriſtum recipiendum , ad ipſúmque , iuxta D.
Lucam , accedendum. Et virtus , quæ in humili-
tate radicatur , maximè in ſublime ſe extollit , in
altúmque creſcit : quò enim quis apud Deum ſe
dimittit , eò altius erigitur , ac ſublimatur.

Tertiò, veniat iterum D. Baſilius Seleucus Orat. 140.
19. ſupra datus q. 14. magna ponderatione, & ibi D. Baſilius
videndus. Sic ait : *Vnicus Gentilis ſuper totam Iu-* Seleucus.
*dæorum multitudinem fide ſe extulit. Eſto Gentilis,*
*diſcipulus : nam Moyſen legem ponentem non au-*
*diſti , incredulos , vt credas , ſequere.* Vt Iſraël *Teſtimonium*
crederet , miſit Deus ad eum Moyſen, ac Prophe- *ab inimico*
tas multa mirabilia operantes ; quorum teſtimo- *valde efficax*
niis Iſraël reſtitit , ac ea non recepit ; nunc mira- *ad credendũ.*
bili fide ei proponitur Gentilis homo; *Incredulos,*
*vt credas , ſequere* : nam Iudæi increduli perſtite-
rant prædictionibus Prophetarum , ac Patriarcha-
rum teſtimoniis , qui erant tanquam fideles Dei
amici , enutriti in Lege , ac eruditi in Scriptura;
quia ergo his non crediderant ; nunc eis deſtina-
tur Ethnicus homo, profeſſione Legis aduerſarius,
ac Dei inimicus, vt extranei teſtimonio veritatem
atteſtantis promptè acquieſcant, & ex ipſo inimici
ore fideliter proferatur teſtimonium , vt à cunctis
Iudæis fidelius credatur ; & vt qui Moyſi, ac Pro-
phetis Dei amicis credendo non conſenſerant, in-
credulos , vt credant ſequantur.
Quartò, Gloſſa Interlinealis ait ; *Magna fides,* 141.
*qua , Dei dicere , credidit , eſſe facere.* Præclari- Gloſſa Inter-
tas Centurionis fidei in eo reſplenduit, quod cre- linealis.
didit , Dei verbum , quatenus verbum eſt , & ſi
verbum Dei ſit , retinere efficaciam , ac vim præ-
ſtandi opus , quod dicit , & ſignificat. Nam cùm
Centurio eſſet aſſuetus humanis colloquiis , ac *Humana*
verbis , quæ valde effectu ſunt vacua, ac factis ca- *verba effectu*
rentia ; multùm mirabile extitit , quod ipſe credi- *ſunt vacua.*
derit , Chriſti verbum habere vim grauiſſimum
morbum expellendi , ac miraculoſum ſanitatis ef-
fectum efficiendi. Vnde meritò tanta Centurio-
nis fides à Chriſto laudibus ſublimatur. *Qua Dei*
*dicere , credidit eſſe facere.*
Quintò, admirabiles virtutes fulgebant in Cen- 142.
turione , ſapientia , prudentia , charitas , humili- *Per fidem*
tas , religio , ac reliquæ virtutes ; & ex omnibus *aperitur fons*
Chriſtus maximè dilaudat fidem : nam inter om- *omnium bo-*
nes fides ianuam aperit , ac motiuum præparat, vt *norum in nos.*
Deus homini benefaciat, eique multa dona con-
ferat; omne enim bonum per fidem homini com-
municatur. Vnde eleganter D. Cyprianus in expo- D. Cyprian.
ſitione ſymboli ait , quod in primo verbo eius:
*Credo in Deum* : nobis aperitur fons , & affluen-
tia omnium donorum. *Fons , & origo* , ait , *om-*
*nium bonorum ponitur , cùm dicitur : Credo in*
*Deum.*
Ait Deus Abrahamo : *Statuam pactum meum* 143.
*inter me , & te, & inter ſemen tuum poſt te in ge-* Geneſ. 17.
*nerationibus ſuis fædere ſempiterno , vt ſim Deus*
*tuus , & ſeminis tui poſt te.* Gen. 17. n. 7. Cum
Abrahamo , ac ſemini eius imponitur duriſſimum
circumciſionis iugum , promittitur ei in pactum
fœdere ſempiterno, quod Dominus erit Deus il-
lius , ac eius ſobolis. Quænam eſt hæc promiſſio?
Nonne Dominus eſt omnium Deus ? Cur potiùs
eis non pollicetur cæleſte regnum , ac principatus
ſuper vniuerſum terrenum ambitum? Quid eſt *fæ-*
*dere ſempiterno , vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui?*
Spondetur ibi Abrahamo , ac eius filiis Dei co-
gnitio , & fides. Ac ſi dicat Deus : Quamuis om- *In fide omnia*
nium Dominus ſim, tamen ſpecialiter hoc fœ- *bona commu-*
dere poſthac ero Deus tuus , ac tuorùm poſtero- *nicantur.*
rum per fidem , & cultum , quibus ab ipſis reco-
gnoſcar, ac honorabor. In ipſa autem ſui fide, tan-
quam in capite omnia cæleſtia , ac terrena dona
pollicebantur. D. Chryſoſtomus homil. 39. in D. Chryſoſt.
Geneſi



Geneſi. *Et quæ virtus teſtamenti*, ait, *vt ſim Deus*
*tuus , & ſeminis tui poſt te? Hoc enim erit tibi, &*
*ſemini tuo ſumma , & caput bonorum.*
144. Vnde conqueritur Chriſtus Dominus de Iſraël,
Matth.17. & ait : : *O generatio incredula , & peruerſa, quo-*
*vſque ero vobiſcum ? quovſque patiar vos?* Matth.
17. n. 16. Sed quid eſt , quod Chriſtus Dominus
qui maximè laborum , paſſionis , ac mortis erat
*Per incredu-* auidus , iam ſe oſtendit pertæſum ; *Quouſque pa-*
*litatẽ clau-* *tiar vos* ? Non in ſufferendis ærumnis pro homi-
*ditur oſtium* nibus ; ſed in ſuſtinendis eorum incredulitatibus,
*diuina bene-* quibus ſuæ gratiæ obicem ponebant , quibuſque
*ficentiæ.* claudebatur oſtium ſuæ miſericordiæ , ne largiter
Euthym. in eos diffunderetur. Euthymius. *Indignatur Do-*
*minus , & mortem quærit , eo quod eſſent ipſi infi-*
*delitate immedicabiles.* Cùm enim tanta ægritudi-
ne laborarent omnino inepti erant ad ſalutem ſpi-
ritualem aſſequendam.

*Matth.8.n.11.* Dico autem vobis, quòd
multi ab Oriente , &
Occidente venient, &
recumbent cum Abra-
ham , Iſaac , & Iacob
in regno cælorum.
*Num.12.* Filij autem regni eiicien-
tur in tenebras exte-
riores ; ibi erit fletus, &
ſtridor dentium.

### *VERSIONES.*

*Arias.n.11.* Ab Orientibus , & Occi-
dentibus venient.
*D.Iuſtin.Mart.* Venient ab ortu , occaſú-
*Dialogo cum* que Solis.
*Tryphone.*
*Syriacus.* Seſſurique cum Abraham
Iſaac , & Iacob.
*Euthymius.* Venient, & accumbent in
ſinibus Abraham.
*Syriacus,n.12.* Filij autem regni extru-
dentur in tenebras.
*Fauſtinus Preſ-* Vbi erit fletus oculorum,
*biter contra* & ſtridor dentium.
*Arrium c. 2.*

### *EXPOSITIO VI.*

145. OCCASIONE ſumpta ab illuſtriſ-
Verſ. 11. ſima Centurionis fide, qui ex Gen-
tibus erat , quarum primitias ipſe
gerebat , prædicit Dominus voca-
tionem Gentium , & reprobationẽ
Iſai.43. Iudæorum , quas Prophetæ multis in locis vati-
Ierem,31. cinarunt. Iſaias 43. n. 5. & 6. & 10. Ierem. 31. n.
8. *Multi ab Oriente , & Occidente venient.* Ex
Gentibus multi conuerſi ſunt ad fidem : *ab Orien-*
*te & Occidente.* Venient ex quatuor Orbis
plagis ; poſuit tamen Orientem , & Occi-
dentem tanquam præcipuas. *Recumbent* , ſeu
ex Græco *diſcumbent* , ſumpta metaphora à con-
uiuio, per quod fœlicitas , & gaudium æternæ
beatitudinis frequenter ſignificatur in Scriptura.

Pſ.16.n.15.Luc.14.n.15.& c.22. n.20. & 30. Apoc. Pſalm.16.
19. n.9. Ex quo nota , quod quoties in Scriptura Luc.14.&22.
proponitur conuerſio Gentium ad fidem , quod Apocal.19.
ſemper cum gaudio , & lætitia exprimitur. *Lau-* Iſai.54.
*da ſterilis, quæ non paris ; decanta laudem , & hin-* *Conuerſio*
*ni , quæ non pariebas : quoniam multi filij deſertæ* *Gentiũ ſem-*
*magis, quàm eius , quæ habet virum.* Iſai. 54. n. 1. *per cum gau-*
*Cum Abraham , Iſaac, & Iacob* , quibus facta eſt *dio ponitur.*
promiſſio regni cælorum ſub typo terræ promiſ- Ad Hebr.11.
ſionis Ad Hebræos 11. n.9. & 10. Et rectè poſt
Chryſoſtomum notat Theophylactus , *Non di-* D. Chryſoſt.
*xit* , ait, *Quod multi Gentiles , accubituri eſſent, ne* Theophyl.
*Iudæos exaſperaret, ſed adumbrando rem dixit :*
*Multi ab Oriente, & Occidente.* Non dixit Chri-
ſtus , quod multi Gentiles, vel quod ex omni Or- *Veritas ape-*
bis parte venient , & recumbent , ne Iudæi ſcan- *rienda , au-*
dalizarentur , cùm ſe viderent expreſsè excluſos; *ditorum ſcã-*
ſed ait ab Oriente , & Occidente , quod erat re- *dalum vi-*
condita locutio : nam diuinus Magiſter veritatem *tandum.*
adumbrando aperit , & auditorum offenſionem
deuitat.
*Filij autem regni* , Iudæi ſubintelliguntur , vt 146.
communiter tenent omnes ; deſtinati enim erant Verſ. 12.
ad regnum ; nam cùm nati eſſent ex illis Patri- *Legitimus*
bus Abrahamo , Iſaac , & Iacob , quibus , & eo- *ſenſus.*
rum ſemini promiſſum eſt regnum temporale Iu-
dææ, & ibi ſpirituale æternæ beatitudinis, ad quod
veluti quodam hæreditario iure Iſraëlitæ , ſicut
primò fuerant vocati, ita & primò deſtinati erant,
ſi paternæ fidei imitatores extitiſſent. Sic He-
bræorum phraſi filij vitæ, vel mortis , ſeu gehen-
næ dicuntur , qui ad mortem , vel vitam deputati
ſunt à Deo. *Eiicientur*, ſeu *extrudentur*, vt habet Syriacus.
Syriacus , *à regno* ; non quia à beatitudine aliquis
eiiciatur , ſed quia cadunt à promiſſionibus ſuis
parentibus factis. *In tenebras exteriores* , hoc eſt
in infernorum obſcuriſſima penetralia , quæ per-
petuò corpora circunſtant , & obſident ; & ideò D. Hieron.
dicuntur exteriores , vel, vt explicat D. Hierony-
mus, quæ ſunt extra regnum : nam ſicut in regno
omnia in luce clareſcunt , ita extra illud cuncta
tenebris opprimuntur.
*Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* His effectibus 147.
pœnarum inferni acerbitas exprimitur : nam fle- *Inferni acer-*
tus ſummum dolorem, ſtidor ſummum horrorem *bitas.*
indicat ; ſeu , vt ait D. Anſelmus, fletus mentis D Anſelm.
anguſtias , ſtridor verò corporis dolores , ac tor-
menta manifeſtat. Alij verò dicunt , quod fletus
eſt ab ardore ignis , ſtridor verò à frigore. *Ad ni-*
*mium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Iob. 24. Iob.24.
num. 19.

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare dixit Chriſtus , quod venient ab Oriente , & Occidente , & non potiùs à Meridie , vel Septentrione ?*

RESPONDEO primò cum D. Auguſtino 148.
ſerm. 6. de Verbis Domini , vt notaui in D. Auguſt.
expoſitione. *Ab Oriente , & Occidente,*
*dixit, iſtis duabus partibus totus Orbis deſignatur.*
Et ita frequenter fit in Scriptura , Pſal. 112. n.3. Pſalm.112.
*A Solis ortu vſque ad occaſum , laudabile nomen*
*Domini.* Malach. 1. n.11. *Ab ortu Solis vſque ad* Malach.1.
*occaſum*

*occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Et Chriſtus Dominus accommodat ſe loquendi modo Scripturæ, tum in eius honorem, cùm ſit illius auctor; tum, vt ex modo, ac conformitate loquendi ſe declararet filium ſui Patris, qui in Prophetis locutus eſt.

149. Haymon. D. Thomas. *Qui ad Chriſtum conuertuntur, ſiue in iuuentute, ſiue in ſenectute recumbent in cælo.*

Secundò, & moraliter Haymon. *Ab Oriente,* ait, *quis venit, cùm ab infantia Deo ſeruire incipit. Ab Occidente, dum in ipſa decrepita ætate ad Deum conuertitur.* Idem etiam docet D. Thomas, qui aliam quoque moralitatem addit. Ab oriente, tempore proſperitatis; ab Occidente, tempore aduerſitatis. Per quod ſignificatur, quod illi, qui toto corde ad Chriſtum veniunt, ſiue in iuuentute, ſiue in ſenectute, vel in fœlicitate, ſeu deiectione, recumbent, & lætabuntur in regno cælorum.

150. D. Paſchaſius

Tertiò D. Paſchaſius lib. 5. *Prima, & vltima ideo ponuntur, quatenus dies ille ſemper in memoria figatur, quando fulgur exiet ab Oriente, & parebit vſque ad Occidentem, quoniam tunc erit aduentus filij hominis.* Pro ſigno diei Iudicij dedit Chriſtus, quod fulgur exiet ab oriente vſque ad occidentem. Matth. 24. n. 27. Hi, qui ad cæleſtem menſam, ac beatitudinem vocantur, non dicuntur conuocari ab Aquilone, vel Meridie, ſed ab Oriente, & Occidente, in quibus poſitum eſt prognoſticum Diei Iudicij: qui enim memoria huius vltimi diei degunt, ac cum illius meditatione viuunt, in cæleſte regnum fœliciter lætantes ingrediuntur.

Matth. 24. *Qui ſub memoria Iudicij viuunt, ſaluantur.*

151. D. Paſchaſ.

Quartò, Idem D. Paſchaſius citato loco. *Quod autem,* ait, *ab Oriente, & Occidente dicit, non quaſi ab his duabus plagis ſolum venturi creduntur, verum etiam à Meridie, & ab Aquilone: ſed hoc eſt, quod dicit, ab Oriente, quia prima pars mundi eſt, quaſi ab initio ſæculi; & ab occaſu, quaſi finis vitæ, omnes hinc, inde ad vnum mediatorem Deum, & hominem venient.* Electi potius ab Oriente, & Occidente, quàm à Meridie, & Septentrione colliguntur; nam in Oriente initium vitæ denotatur, ſicut & illius finis in Occidente, & qui in his punctis mente verſantur, vt de ſuo humili principio, ac ſimili fine recogitent; hi ad ſupernam cœnam, ac magnificum recubitum cum ſanctis Patribus admittuntur.

*Qui ſuum principium, ac finem recogitant, recumbent in cælo.*

152. Cùm Mulier duabus alis aquilæ magnæ ſibi datis volaret in deſertum in locum ipſi à Deo præparatum, armatur Draco contra ipſam: *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen.* Apocal. 12. n. 15. Valde mirùm, quod, quando mulier virtutum alis tendit in deſertum, vt ibi cæleſti conuiuio paſcatur, ac nutriatur, toto vitiorum flumine Draco parat in ipſam bellum, terra adiuuit mulierem. Quodnam eſt hoc terræ adiutorium? Ipſius terræ cognitionem exiſtimo; maximè enim terræ conſideratione, ex qua homo eſt formatus, & in quam eſt reuertendus, armatur anima, vt Dæmonum tentamenta deuincat, vt in locum à Deo ſibi deſtinatum volet, ac ibi diuino conuiuio epuletur. Andreas Cæſareæ Archiepiſcopus cap. ſuo 35. in Apocalypſim ſic ait. *Adiuuit terra mulierem Sanctorum ſubmiſſione, qui verè, rectéque dicere ſolent: Ego ſum terra, & cinis; omnes ſuperbi Diaboli laqueos eneruans.*

Apocal. 12.

*Cognitio principij, ac finis cauſat ſalutem.*

Andreas.

153. Cùm parens meus Elias fugeret à facie Iezabel, fatigatus itinere vnius diei obdormiuit ſub vmbra iuniperi, cui aſtitit Angelus, qui tetigit eum dicens: Surge, comede. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis, & vas aquæ, dixitque illi, Surge, comede.* 3. Reg. 19. n. 6. Et fortitudine cibi illius ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb, vbi diuina viſione recreatur. Sed quomodo ad tam longum iter, ad tam ſublimem viſionem corroboratur Propheta vno tam paruo pane? Panis ille ſubcineritius pulueris particulas ſecum deferebat; & memoriam pulueris, ex quo homo compoſitus eſt, & in quem reſoluendus, in mente Prophetæ excitabat: & nullum aptius eſt medium ad ſæculi difficultates ſuperandas, ac ad ſupernam Dei viſionis fœlicitatem penetrandam, quàm cogitatione mortis, ac vtriuſque metæ animum ſtabiliri, ac muniri. Sic panem illum interpretatur Stephanus Anglicus apud Tilmanum in allegoriis: *Hic eſt,* ait, *panis ſubcineritius, qui datus eſt Eliæ, noſtræ ſcilicet abiectionis memoria.*

3. Reg. 19.

*Noſtri pulueris cognitio nos ad Dei viſionem munit.*

Tilmanus.

## Qvæstio XXII.

### *Quare Electi dicantur, quod recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, quàm potiùs cum alijs?*

Hi tres celebrantur inter cæteros Patriarchas, ac Prophetas, quia erant capita populi Iudaici, ac ſpecialiter ad hos facta eſt promiſſio de terra Chanaam à poſteris poſſidenda in typum regni cæleſtis, quod tam eiſdem, quàm eorum aſſeclis promiſſum eſt. Alias rationes morales demus. 154.

*Ratio litteralis.*

Reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 27. *Duplex enim,* ait, *& illis euenit pœna, & his lætitia, & gaudium. Iudæis quidem, non ſolùm quod exciderunt, ſed etiam quod ſuis, & propriis exciderunt, dolendum: Gentibus verò, tum quia bonorum compotes facti ſunt, tum quia quæ non ſperauerunt, conſecuti, certè gaudendum.* Dum dicitur, quod venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham; filij autem regni eiicientur foras; vehemens pœna indicitur Iudæis, cùm à promiſſione, ac ſucceſſione, & veluti hæreditate ſuorum parentum ſe vident excluſos: & in eorum locum Gentes, quas contemnebant, introductas. Et inde Gentibus maximè gaudendum cùm ſe videant ad tantam fœlicitatem euocatas, quam minimè ſperabant: bona enim, quæ præter ſpem veniunt, ſingulari hilaritate animum perfundunt. 155. D. Chryſo.

*Magna pœna dum quis videt alium in ſuum locum introductum.*

*Bona præter ſpem valde iucunda.*

Secundò Euthymius. *Abraham poſuit, ne his contrarius eſſe videretur, qui in veteri teſtamento virtutem ſectati ſunt. Nam qui Abraham ita honorabat, vt etiam ſinum illius requiem æternam nominaret, omni huiuſmodi ſuſpicione carere debebat.* Abrahamum refert, tum vt ipſum Abrahamum honoraret, tum etiam antiquos Iuſtos, qui dicebantur aſportari in ſinum illius Patriarchæ; tum ne videretur, maiorem gloriam concedere his, qui denuò ad ipſum veniebant, quàm illis, qui antiquitus, ac primitus ipſi ſeruierant: Cùm primi in tuo obſequio maximè ſint honorandi. Vide ſupra in hoc cap. n. 67. 156. Euthymius.

*Primi in obſequio maximè venerandi.*

Tertiò,



157. D. Anſelmus.

Tertiò, D. Anſelmus. *Multi,* inquit, *venient ab Oriente, & Occidente. Tam latam terram occupauerat oleaſter, amara ſylua, & ſterilis. Sed qui veniunt, iam præciſi ſunt de ſylua; vnde inſerendi ſunt, ne areſcant. Et recumbent cum Abraham.* Non dicitur, quod venient ab Oriente, & Occidente, & intrabunt in regnum cælorum, ſed quod recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, quia, vt Electi regni cæleſtis fructus percipiant, neceſſe eſt, vt ab agreſti ſylua errorum Gentilitatis exeant, & inſerantur veræ fidei Abrahæ, ac virtutibus Iſaac, & Iacob, vt ita relicta Gentium ſterilitate, in eorum vberem pinguedinem germinent, & prodeant.

*Tunc quis ad regnum fit habilis, cùm in virtutibus fructū facit.*

158. D. Paſchaſius

Quartò, D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Hi tres, Patres,* ait, *in medium adducuntur: nam in Abraham fides, qua placuit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, in Iſaac verò ſpes, quaſi ſacramentum fidei, & gratia, generatur, porro per Iacob, charitas deſignatur, quæ per varia certamina, donec Iſrael Deum poſſit Deorum in Sion videre, laborioſè ſatis tranſeat.* Nam, vt in hac conſideratione addit Simon Caſſianus lib. 5. c. 12. in his tribus Patribus omnis ſtatus virorum fidelium reperitur, cum quibus eorum imitatores recumbent in regno cælorum, qui non carnis, ſed filij ſunt virtutis.

*Triplex virtus repræſentatur in tribus Patriarchis.*

Caſſian.

159. D. Thomas.

Quintò, D. Thomas. *Cùm Abraham recumbent, qui eſt pater credentium, in cuius ſemine benedicentur omnes gentes.* Cùm Abrahamus pater credentium dictus ſit, aſſeritur, quod Electi in regno cælorum recumbent cum ipſo; tanquam cum optimate fidei; quod valde glorioſum, ac illuſtre eſt ei, quod nomen eius per tam latas, ac amplas generationes multo ſplendore diffundatur, ac clareſcat, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in cæleſti regno.

*Magna Patris gloria, quod nomen eius per varias generationes clareſcat.*

160. Pſalm. 46.

Sextò, Chriſtus ait hîc: *Venient, & recumbent cum Abraham*: At Regius Vates inquit: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Pſal. 46. n. 10. ſeu, *Conuenerunt cum Deo Abraham*, vt alij legunt. Cur abſolutè de Electis, ſeu popularibus dicitur, quod requieſcent cum Abraham; at verò de principibus populorum per quos reges, & dominos temporales interpretantur D. Auguſtinus, Caſſiodorus, Ruffinus, Remigius, Beda, Caietanus, aſſeritur, quod congregati ſunt, non cum Abraham, ſed cum Deo Abraham? Coniice ex hoc, quantum promereantur apud Deum, qui iuſtè, ac ſanctè ſe habent in populi ſibi commiſſi adminiſtratione, quique pro Deo regiminis labores æquo, ac magno animo ſuſtinent, cum pro eorum decore proferatur, quod congregati ſunt cum Deo Abraham.

D. Auguſt. Caſſiodorus. Ruffinus. D. Remig. Beda. Caietanus.

*Maximè promerentur apud Deum, qui prælationis officium rectè adminiſtrant.*

161. Pſalm. 46. D. Hieron. Carthuſ. Dydimus. Brunonius.

Septimò, ad eundem Pſalmographi locum: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Per principes autem hoc loco D. Hieronymus, Carthuſianus, Dydimus, Brunonius, Herbipolenſis Epiſcopus, Apoſtolos, viróſque Apoſtolicos fidem Chriſti ſeminantes intelligunt, contra quos magna ſuperbia, ac crudelitate ſæuiebant infideles. Sed cur electi in Patria dicuntur requieſcere cum Abraham; Apoſtoli autem prædicantes conuenire cum Deo Abraham? Illi requieſcunt gaudentes in poſſeſſione æterna fælicitatis: iſti verò merito, ac fidei operi laborantes incumbunt. Deus autem maximè delectatur, magíſque ei placent, merito, ac labore operantes, quàm qui periucunda lætantes de poſſeſſione exultant.

*Deo magis placet meritum, quàm rei poſſeſſio.*

162. Mandat Deus Abrahamo: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & offeres eū in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Gen. 22. n. 2. Qui mandatum Dei exequens, arrepto gladio filium mactare intendit. Tunc clamat Angelus de cælo; *Ne extendas manum ſuper puerum.* ibidem n. 12. Sed cur primò dicitur filius vnigenitus, ac dilectus, modò tantùm puer, quod etiam notauit Chryſoſtomus homil. de Iob, & Abraham. *Quare non dixit filium, ſed puerum?* Cùm puer apud Hebræos idem valeat, ac ſeruus, vt in initio huius capitis notaui. Quando ad ſacrificium pergebat, magno & inſigni vocabulo filium nominauit: cùm autem viuus ipſi Abrahamo in poſſeſſionem conceditur, puer dicitur: quantum enim apud homines diſtat ratio pueri, ac ſerui à præeminētia dilectiſſimi, ac vnigeniti filij; tantum & apud Deum meritum præcellit poſſeſſionis conditionē.

Geneſ. 22.

Chryſoſtom.

*Maximè præcellit ratio meriti poſſeſſionem.*

## Qvæstio XXIII.

### *Quare poſtquā alij veniunt ab Oriente, & Occidente, filij regni dicuntur eiici foras?*

Notanda eſt hîc maximè ordinis connexio: nam prius dicitur à Chriſto, quod multi venient ab oriente, & occidente; & poſtea ſubiicitur: *filij autem regni eiicientur foras.* Quærimus in præſenti: cur non prius commemoratur, quod hi expellantur à regno, antequam alij euenirent. 163.

*Ratio difficultatis.*

Ad hanc quæſtionem reſpondeo ex doctrina Chryſoſtomi homil. 70. in Matth. *Ad ea, quæ dicta ſunt,* inquit, *Scorta etiam, Iudæis renuentibus, crediderunt. Quare non ſolùm à ſceleſtiſſimo ſuo, verumetiam ab aliorum clariſſimo facinore condemnantur.* Præclara fides, deuotio, ac religio in Deum extraneorum, venientium ab Oriente, & Occidente, malitiam, ac obſtinationem domeſticorum maximè oſtendit, & arguit: nam quamuis horum præuaricatio aliquantulum, ac tantiſper videretur tolerabilis; tamen poſtquam tot extranei fideliter, ac promptè ſeruientes prodiérunt, inde etiam priorum nequitia, ac impietas grauiùs in reprobationem, ac damnationem diiudicata eſt. 164. D. Chryſoſt.

*Ex præclara extraneorum fide, arguitur infidelitas domeſticorū.*

Non omittam hîc illud, quod docet idem Chryſoſtomus, nam etſi omne vitiorum malum in Iſraël graſſaretur, ob quod iuſtiſſimè reprobatus eſt: tamen quod à regno eiectus ſit, peculiariter illius inuidiæ adſcribit S. Pater homil. 41. in Matth. Et quia Gentes non ita illa laborabant, ideò in eius locum ſunt introductæ. His profectò de cauſis, ait, *fornicatores, ac publicani ad cælos conſcendere potuerunt; inuidia autem morbo laborantes, quum intus eſſent, à regno cælorum exciderunt: filij autem regni, inquit, eiicientur foras: præterea omni prauitate illi ex animis expulſa, ea, quæ nunquam ſperarunt, facilè nacti ſunt. Phariſæi autem ea, quæ retinebant, bona penitus amiſerunt: neque id iniuria, nam inuidia, peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immaniſſimum conuertit.* Et hoc multis exemplis probat S. Pater. Ex quo perpende quantum malum ſit inuidia; nam Iudæi in lege Dei enutriti, ac Abrahæ filij, ſi propter ſcelera à regno excluduntur, quomodo Gentes, quæ idololatriæ erroribus tenebantur, adſcriptæ, & adſcitæ ſunt? Iudæi multa inuidia tabeſcebant, 165. D. Chryſoſt.

*Inuidia laborans, indignus regno, ſine illa valde aptus.*

bant, qua non ita erant infectæ Gentes ; & ideò ſanabiles factæ ſunt,ac ad regnum admiſſæ,à quo propter tam peſtiferum malum filij eiecti ſunt.

166. Poſtquam in ſuum peccatum prolapſus eſt Adamus, antequam ad ſupplicium procedatur, ipſum aduocat Dominus, eius excuſationem audit ; *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. Geneſ.3.n.12. Et poſtea à Deo ſupplicio multatus eſt ; ac tandem ſui peccati veniam obtinuit. Non ſic verò factum eſt cum Caino; nam nulla ſui criminis excuſatione expectata, ſtatim maledictione in æternam damnationem plectitur : *Maledictus eris ſuper terram.* Geneſ. 4. *Inuidia reddit hominem ita obduratum, vt fiat indignus venia.* Gen.4.n.11. Sed vnde tanta diuerſitas eſt habita inter patrem, & filium? Peccauit Adamus inobedientiæ crimine ; peccauit Cainus inuidiæ malo. Graue inobedientiæ peccatum antequam puniatur, auditur reus, & peracta longa pœnitentia veniam impetrat. At turpe, & obduratum inuidiæ ſcelus,nec excuſationem admittit, nec ob nimiam duritiem, ac impœnitentiam cordis indulgentiam obtinet. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus homil. 36. in Ioan. *Idcirco*, ait, *omnis venia inuido deſperanda eſt : nam ſcortator voluptatis ſtimulos in excuſationem affert ; fur paupertatem ; homicida furorem ; friuolas quidem,neque admittendas ; qualeſcumque tamen excuſationes : tu verò inuide, quam affers, quæſo ? nullam profectò, niſi animi prauitatem, atque malitiam.*

## QVÆSTIO XXIV.

### *Quid ſint tenebræ exteriores ? & quomodo ibi fletus,& ſtridor dentium ?*

167. D.Remigius. PRIMÒ quæro : Quid ſignificent tenebræ exteriores ? D. Remigius in Catena Diui Thomæ docet,ſignificari hîc captiuitatem, ac diſperſionem Iudæorum in varias nationes : *filij regni eiicientur in tenebras exteriores* : hoc eſt in nationes exteras Ethnicorum. Ibi enim in ipſis regionibus, ad quas extrahentur,in aliquibus propter Solis ardorem, vt in India,& Æthiopia, erit fletus : in aliis verò propter frigoris rigiditatem, vt in Hyrcania,ac Scythia, ſtridor dentium. Sed *Præſens locus de Inferno eſt explicandus.* abſque dubio de Inferno eſt ſermo. Hîc loquitur Chriſtus Dominus de altero ſæculo ; nam immediatè antea dixit,quod multi Gentiles venient, & recumbent cum Abraham in regno cælorum ; nemo autem in hoc ſæculo recumbit cum Abrahamo ; ergo de æterna beatitudine intelligendus eſt locus,à qua Iudæi eiiciuntur in tenebras exteriores,quæ ſunt in altero ſæculo, nempe infernales; & ibi eſt fletus, & ſtridor dentium, vt etiam dixit Luc. 13. Chriſtus Dominus Luc.13. n. 27. *Diſcedite à me operarij iniquitatis:ibi erit fletus,& ſtridor dentium.*

168. Druthmar. Beda. Caietan. Druthmarus, Beda, Caietanus inquiunt, quod tenebræ interiores ſunt illæ, quæ mentem obſcurant ; exteriores verò, quæ extra animum ſunt, & corpus obſident,ac æternam damnationem indicant. Tamen hæc ſententia non exactè explicat, cur Infernus tenebræ exteriores appelletur.

169. D.Hieron. D.Ambroſ. D.Auguſt. D.Thomas. Commodius explicabis cum D. Hieronymo in Commentario, D. Ambroſio lib.7.in Luc. D.Auguſtino Epiſtola ad Honoratum 120. cap. 22. D. Thoma,ac aliis. Quod Inferni penetralia tenebræ exteriores appellantur,hoc eſt, extra regnum per contrapoſitionem : nam in regno cælorum omnia ſunt in luce; extra regnum verò omnia in tenebris, tanquam quod tenebræ exteriores opponantur luci domeſticæ. *Germanus ſenſus.* Eſt enim hic ſermo poſt diem Iudicij, vt communiter tenent omnes, & notauit Abulenſis q. 36. cum eadem ſententia referatur hîc, quæ prolata eſt à Chriſto de die Iudicij: Abulenſis. *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis:Cùm videritis Abraham,& Iſaac,& Iacob, & omnes prophetas in regno Dei,vos autem foras expelli. Et venient ab Oriente,& Occidente,& recumbent in regno Dei.* Lucæ 13. Luc.13.n.28.Poſt diem autem Iudicij duo erunt loca pro hominibus, cælum in magna luce pro Beatis ; Tartarus in tenebris horribilibus pro Damnatis.Qui autem ad Tartara relegabuntur,dicuntur eiici foras,vt patet ex loco citato Lucæ, & ibidem n. 25. *Cùm intrauerit Paterfamilias, & clauſerit oſtium,incipietis foras ſtare.* Ioan. 6. Ioan.6.n. 37. *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.*

170. *Cur tenebræ exteriores ?* Maldonat. Cur autem Infernus explicetur per tenebras exteriores, vt hîc,& Matth.22.n.13.& 25.n. 30. reſtat explicare. Reſpondeo cum Maldonato, quod dicuntur tenebræ exteriores,id eſt extra conuiuiũ regni : nam Chriſtus Dominus explicat variis in locis,& hîc regnum cælorum ſub figura conuiuij, vt patet ex illo verbo : *Recumbent cum Abraham.* Antiquitus autem mos erat,vt potius conuiuia ad cœnam, quàm ad prandium celebrarentur, quia tunc depoſitis rerum curis periucundius delectabantur ; ac in maius tempus trahi poterant conuiuia. Et hanc conſuetudinem comprobat Cornelius à Lapide ex multis nationum moribus. Cornelius. Et ita in Scriptura fit frequens mentio de cœna, rarò verò de prandio, niſi Tobiæ 2.n.1.& 3.Reg.13.n. 7. Tobiæ 2. 3.Reg.13. Hæ autem cœnæ fiebant magno luminum, ac candelarum apparatu. Et ita in conuiuio erat lux; extra verò tenebræ. Qui ergo à conuiuio expellebantur, in exteriores dicebantur tenebras eiici.

171. Ianſenius. Franc.Lucas. 1. Cor.13. Ianſenius, Franciſcus Lucas etiam aliter explicant, vt ſit hîc poſitus comparatiuus ſuperlatiui loco;ſic enim aliquando vſurpatur,vt habes exemplum 1.Cor.13.n.13. *Maior autẽ horum eſt charitas.* Et ita in tenebras exteriores, id eſt in tenebras extimas, id eſt profundiſſimas, quæ à regni luce longiſſimè diſtant,quales in hac vita nullæ ſunt.

## QVÆSTIO XXV.

### *Vtrum in Inferno ſit fletus, & ſtridor dentium ?*

172. HÆc eſſe prolata à Chriſto Domino ad explicandam acerbitatem pœnarum Inferni, iam dixi in expoſitione. Et de præſenti certum eſt quod in animabus damnatis non ſit fletus,nec ſtridor dentium, quia hæc ſunt actiones corporales, quæ non dantur in animabus ſeparatis. Poſt diem Iudicij autem,de quo agitur in præſenti, corporibus aſſumptis eſt quæſtio ? ad quam breuiter.

173. *An in Damnatis ſint lachrymæ.* Maldonat. Carthuſian. Quoad lachrymas, corpore aſſumpto poſt diem Iudicij an ſint in damnatis? affirmat Maldonatus. Negant Carthuſianus, & communiter Recentiores : tum quia ille ardentiſſimus ignis Inferni lachrymas omnes, ſi quæ extarent, illico extingueret, & exſiccaret ; tum etiam quia illa corpora abſque nutrimento, mutatione, ac excretione fæcium, & lachrymarum in illo æterno





igne à Deo conſeruabuntur integra ; aliàs totum corpus ipſum, immò & infinita corpora in lachrymas reſoluerentur.

174. *An ſit ſtridor dentium ?* Quoad ſtridorem dentium communis eſt ſententia affirmatiua : nam talis ſtridor oritur ex immanitate, ac horrore pœnarum, ex intolerabilitate dolorum ; ac etiam ex quadam animi rabie, qua quis ſtridet dentibus, ac eos inter ſe collidit. Quæ omnia erunt in illis miſeris Damnatis. Rabbanus ait, quod iſte ſtridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod ſero vnumquemque pœniteat ; ſerò ſibi iraſcatur, quod tanta improbitate delinquit.

175. Galfridus. Non omittam hîc notare ; quod eleganter dixit Galfridus in cap. 22. Matth. apud Tilmanum in allegoriis. *Ibi ergo erit fletus ex dolore, ſtridor dentium ex rancore. Alioquin, ſi æquanimiter ferre, ſi humiliter flere, ſi dicere poſſent : Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus : audeo dicere, ignis ille inextinguibilis, tamen extingueretur.* *Valde potens eſt pœnitentia ad obtinendam veniam peccatorum.* Miſeri illi flent,& dolent, inutiliter quidem cùm ibi iam veræ pœnitentiæ,veræque confeſſionis tempus non inueniatur ; nam ſi hæc ibi adeſſent, ipſas gehennales flammas extinguerent. Tertull. Vnde eleganter ait Tertullianus lib. de Pœnitentia. cap.9. *In peccatorem ipſa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur, ſed expugnet.* D.Ambroſ. Et D. Ambroſius lib.2. de Pœnitentia. *Tanta eſt*, ait, *Pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur ſuam Deus ſententiam.* Et in Luc. 20. ait : *Nouit Deus mutare ſententiam,ſi tu noueris emendare delictum.*

176. Ierem. 18. Ait Deus per Ieremiam 18. n. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam ; agam, & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Si populus ille egerit veram pœnitentiam, veréque doleat de ſuis peccatis, ab illiſque vlterius ſe cohibeat;etiam Deus miſericordia commotus ſe habebit ad modum pœnitentis, vt non inferat malum, quod comminatus eſt, vt explicant Diuus Thomas, D. Thomas, Hugo. Hugo, & alij. Sed quomodo auertetur ſupplicium ? Nonne pro illo inferendo vrget diuina iuſtitia ob cumulum peccatorum ? Nonne vrget maieſtas diuini verbi, cuius veritas eſt infallibilis ? Quomodo ergo delebitur pœna ? *Deus pœnitentiam magnis priuilegiis coronat.* Adeo præpotens eſt pœnitentia, vt ad eius præſentiam dicat Deus de ſe : *Agam, & ego pœnitentiam* : & eam tantis priuilegiis, ac indulgentiis proſequitur, quod caueat Deus, ne, vt iuſtitiæ, ac comminationibus ſuis faueat, deuenuſtet pœnitentiam, cuius tanta eſt efficacia, vt ipſummet Deum cohibeat, ac iram eius auertat. Theodoret. Theodoretus ibi. *Ne deſperetis*, inquit, *de ſalute. Etenim ſi decreuero condemnare gentem, & comminatus fuero ſupplicium extremum,videro autem pœnitentiam eorum, non inferam ſupplicium, ſed miſericordiam deſidero.*

*Matth.8.n.13.* Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Abi, ſicut credidiſti, fiat tibi : & ſanitati reſtitutus eſt puer eius in illa ipſa hora. |
| *Arabicus.* | Secundùm fidem tuam fiat tibi. |
| *Vatablus.* | Et ſanatus eſt famulus eius. |
| *D.Paſch.lib.5. in Matth.* | Sanatus eſt puer ex illa hora. |
| *Franc.Lucas ex Chaldaico.* | Sanatus eſt in illo ipſo momento. |

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7.n.10.* Et reuerſi, qui miſſi fuerant domum, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.

## *EXPOSITIO VII.*

OCCASIONE ſumpta ex Centurione, poſtquam Dominus de præmio fidei gentium egerat, petitioni Centurionis annuit. Et ait illi: 177.
*Vade*, ſcilicet iucundo, & bono animo in domum tuam, eſt phraſis hebræa concedentis, quod petitur ; *ſicut credidiſti*, ſeu, vt habet Arabicus, *ſecundùm fidem tuam.* Arabicus. Credidiſti,me abſente poſſe ſanari ſeruum tuum ſolo verbo meo, *fiat*, hoc eſt ſolo verbo meo abſens curetur. Rabbanus. Rabban. *Quaſi dicat, ſecundum menſuram fidei fiat tibi & iſta gratia.* Magna fides magna impetrat apud Deum. Ex quo duo patent. Primò, quod Chriſtus non ſit ingreſſus Centurionis domum, ſed loco, in quo Centurio Chriſto occurrit, puer ab ipſo ſanatur. Secundò,Chriſtus ait Centurioni : *fiat tibi:* tibi, ſcilicet propter fidem tuam ; nam propter illius fidem puer eius ſanatus eſt. *Iuſtorum merita aliis multum impetrant.* Iuſtorum meritum multum impetrat aliis apud Deum, vt docent D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 5. D. Cyrillus. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. D. Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. D. Ambroſius lib. 5. in Lucam. Et ait : *fiat tibi* : quia vtilitas, ac ſalus ſerui, & ſubditi, propria Domini, ac prælati reputatur. *Et ſanatus eſt puer*, ſeruus eius, *In illa hora*, hoc eſt in ipſo momento, ac articulo temporis, quo Chriſtus Centurionis petitioni annuit. Sic Daniel 4. Daniel 4. num. 30. dicitur : *Eadem hora ſermo completus eſt* : Chaldaicè habetur, Eodem temporis momento.

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare Chriſtus Dominus non tendit in domum Centurionis, ſed ſecundùm fidem illius, abſens ſanat puerum ?*

RESPONDEO ad quæſtionem. Hoc factum eſſe ex triplici motiuo. Primò,vt demonſtraretur efficacia fidei. Secundò, vt 178.

declararetur eximia Chriſti potentia. Tertiò, vt inſigniter Centurio condecoraretur.

179. *Abulenſis.* Primò, & principalis cauſa, vt vult Abulenſis quæſt. 39. extitit ad oſtendendum, quod illud, per quod homines præcipuè promerentur, miracula fieri in eorum fauorem, eſt fides. *Iacobi. 1.* Iacobi 1. num. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et cuidam petenti ſanitatem pro filio ait Chriſtus *Marc.9.* Marc.9. num. 22. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et Magdalenæ *Luc.7.* Luc. 7. num. 50. *Fides tua te ſaluam fecit.* *D.Bernard.* Vnde ait D. Bernardus ſerm. 3. de Annuntiatione. *Sola ſpes apud te*, Domine, *miſerationis obtinet locum; nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis.* *Fides promeretur miracula fieri.* Vt ergo oſtenderetur, quod fides Centurionis hoc miraculum fieri promeruerat, ideò ſicut credidit, quod Dominus abſens ſolo verbo poterat ſanare, ita ei conceditur. Secundò, hoc factum eſt, vt manifeſtaretur eximia Chriſti potentia, quæ in abſens, & diſtans operari, & edere miracula poterat.

180. *Deus ſeruos ſuos condecorat.* *D.Hieron.* Tertiò, ad condecorandum Centurionem; cuius fides tanta fuit, vt audire meruerit: *Fiat tibi ſecundum fidem tuam.* Quam vocem adeo expauit D. Hieronymus, vt dicat lib. aduersùs Luciferianos. *Hanc vocem audire nolo, ſi enim ſecundùm fidem meam fiat mihi, peribo.* Quam vocem dum Centurio audit, non perit, ſed optatam pueri ſanitatem aſſequitur.

181. Secundò, in hac conſideratione, valdè mirum videbitur alicui, quod Chriſtus Dominus non tendat in domum Centurionis, vt promiſerat: *Ego vadam, & curabo eum*: nam ſi ille ob humilitatem nolebat, Dominum baptizare, & tamen Chriſtus fecit, vt ab eo baptizaretur. Cur ergo tam facilè annuit Centurionis petitioni, ne in eius domum pergat? *Nulla maior hominis nobilitas, quàm de illius fide, ac humilitate teſtimonium.* Vt Centurio maximè extolleretur, ac nobilitaretur; abundantiſſimum fuit, quod eius fides maximè eſſet teſtificata in omnium oculis, vt de eo diceret Chriſtus Dominus: *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Et vt ſecundùm fidem illius puer fieret ſanus. Nulla maior hominis nobilitas, ac honor, quam vera teſtificatio de illius fide, ac humilitate. *D. Chryſoſt.* D. Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. *Dicet fortaſſe quiſpiam*, ait, *Cuius & rei gratia pariter eum Chriſtus non honorauit? Reſpondebimus Chriſtum viciſſim ipſum habuiſſe honoratum. Primum, quia benignam, & humilem mentem illius declarauit: quod inde maximè apparuit, quod domum ipſius non adiit, & filium curauit.* Inde eum maximè Chriſtus honorauit, quod eius mentem in fide declarauit, in domum eius non vadit, & puerum ſanauit, vt ipſe credebat, fieri poſſe à Chriſto diſtante, & abſente.

182. *D. Baſilius* Tertiò, D. Baſilius Seleucus Orat. 19. *O Domini humanitatem*, ait; *facti cooperatorem capit ſupplicantem. In te ipſo, inquit, fers medicinæ pharmacum: fidem tuam morbus veretur.* In tantum honoratur Centurionis fides à Chriſto, vt velit, quod ipſius miraculi ſit cooperator; ita vt ad eius menſuram committatur poteſtas. Ex quo conſidera, quantum diſtet Centurio à ſua antiqua conditione: nam antea infidelitate detentus, ſuis ſtipendiis, ac commodis ſeruiens ab infirmitate dominabatur: At verò fide illuminatus, renunciatis omnibus veniens ad Chriſtum, eius obſequio mancipatur, & eo ipſo ſub eius poteſtate ſubiecta traditur ægritudo. Eliæ iuxta Carith miniſtrabant corui 3. Reg. 17. num. 6. *Corui deferebant ei panem, & carnes.* *3.Reg.17.* At ſub Iunipero vnus adſtat ei Angelus miniſter. 3. Reg. 19. num. 5. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, ſurge, & comede.* *3.Reg.19.* Cur modò Angelus, cum primò eſſent corui adminiſtri? *Cum homo terrena dimittit, valdè ſublimatur.* Antea Elias ſuis commodis attendebat, carne, & pane veſcebatur, ac de torrente bibebat: at verò ſub arbore omnia mundi à ſe abiecerat: *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur*: & tunc in tantum eſt ſublimatus, vt non iam corui, ſed Angeli miniſteria exhibeant.

# CAP. XII.

## *Filius Viduæ ſuſcitatur.*

*Lucæ 7. n. 11.* Et factum eſt: deinceps ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa.

*Num. 12.* Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, n. 11.* Et factum eſt poſtero die, vt proficiſceretur in ciuitatem, nomine Naim.

*Euthy. Theoph.* Et ibant cum eo diſcipuli eius multi.

*Syriac. n. 12.* Vidit comitantes mortuũ, qui vnicus fuerat matri ſuæ, ipſaque mater erat vidua: & turba multorum filiorum ciuitatis (ciuium) erat cum eo.

*Vatabl. Arrias.* Filius vnigenitus matris ſuæ.

### *EXPOSITIO I.*

POST curatum puerum Centurionis hanc connectit hiſtoriam D. Lucas. *Factum eſt deinceps*, ſeu, vt habet Syriacus, *poſtero die*, &, vt ait D. Cyrillus in Catena, *Mira Dominus miris annectit, & ſupra quidem acceſitus occurrit, hic verò non vocatus accedit.* 1. *Syriacus.* *D. Cyrillus.* Omnia Chriſtus ordinat in noſtrum bonum, ſe rerum circunſtantiis accommodans. *Deus omnia diſponit in noſtrum commodum.* Centurioni acceſitus occurrit, vt eius fides patefieret, dicendo: *Domine non ſum dignus*: hîc non vocatus adeſt, vt hos illuminet in fide. *D. Nyſſenus.* Vel, vt ait D. Gregorius Nyſſenus lib. de Creatione cap. 26. *Saluator ab inferioribus inchoans opus miraculi, fidem noſtram aſſuefacit ad maiora.* *A minoribus paulatim incipiendum.* Maius eſt enim, mortuum ſuſcitare, quàm paralyticum infirmum ſanare. Docens diuinus Magiſter, quod à tenerioribus incipiendum, antequam ad maiora progrediatur. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 14. & cap. 5. n. 154. & lib. 2. cap. 4. n. 51. & lib. 3. cap. 1. n. 52. & tom. 2. cap. 1. n. 123. & cap. 8. n. 24. & cap. 23. n. 19. 20. & 21.

2. *Caſſianus.* *Accommodandum non potentia ſed ſtatui.* *Ibat Ieſus.* Rectè ait Simon Caſſianus lib. 5. c. 13. *Quo ibat vbique conſiſtens, omnia continens, omnia replens?* Quamuis enim vt Deus, in omni loco adſit; ſecundum formam ſerui, vt hominem ſe oſtenderet, ibat, adaptans ſe, ac condeſcendens, non tam ſuæ potentiæ, quàm præſenti ſtatui, ac conditioni. *D. Bonauent.* *Matth. 9.* Et *ibat Ieſus*, vt ait D. Bonauentura, ad docendum, iuxta illud Matth. 9. n. 35. *Circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella prædicans Euangelium regni, & curans omnem langorem.* *Chriſti benignitas omnibus ſe communicat.* Vt ita ſingularis Chriſti benignitas non in vno loco coarctaretur, ſed in omnes diffunderetur. *In ciuitatem, quæ vocatur Naim*, quæ duobus milliaribus diſtabat à monte Thabor. De quo quæſtione ſequenti. *Et ibant cum eo diſcipuli eius.* Græcè habetur, multi, *& turba copioſa*, multa enim Chriſtum ſequebatur, nec familiæ amore, nec itineris labore reuocata. Et dicitur, quod ibant Apoſtoli, & poſtea turba; ſi enim præſules præcedunt, ſtatim eorum exemplum ſequitur reliquum vulgus. *Caſſianus.* *Perfecti ad virtutem attendunt, imperfecti ad ſuum commodum.* Et diſcipuli, vt ait Simon Caſſianus, ſequebantur virtutis ſtudio; turba verò, partim vt audiret eum, partim autem, vt ſanaretur: nam perfecti ducuntur virtutis ſtudio; imperfecti verò maiori ex parte de commodo corporis ſunt ſolliciti.

3. *Chriſtus ad miſeros accedit.* *Cùm autem appropinquaret porta ciuitatis.* Antequam Dominus in illam eſſet ingreſſus, ex ipſa ciuitate, ac porta aſportabatur defunctus. Et nota, quod ſi homines fugiunt afflictos, ac miſeros, tamen Chriſtus Ieſus appropinquat illis, vt huic mortuo, ac matri eius viduæ. *Ecce defunctus efferebatur*, in manifeſtum teſtimonium hominis demortui, qui iam ad ſepulturam aſportabatur. Aduerbium illud *Ecce* ſecundum cauſas humanas, ac hominum iudicium, quid fortuito, ac caſu factum indicat; ſecundùm verò Dei prouidentiam, quid altè diſpoſitum, & ordinatum.

4. Defunctus efferebatur ad ſepulturam, frequens Iudæorum mos erat, mortuos ſuos extra vrbem humare, vt patet ex Chriſti ſepulchro extra Ieruſalem prope montem Caluariæ; & ex aliis locis Scripturæ conſtat. Dixi *frequens mos* propter reges, nam Dauid ſepulchrum ſuum fabricauit in *3 Reg. 2.* Sion 3. Reg. 2. n. 11. Volunt enim reges, etiam in communi morte, ſe à populo ſecernere. *Chriſtiani ſepeliuntur in templo, vt fideles mortis memoria, & ipſi emortui Sanctorum precibus adiuuentur.* Antiqui autem Romani in campo Martio ſuos mortuos ſepeliebant. At verò nunc Chriſtiani in templis Deo conſecratis, vt memoria mortis fideles efficacius ſtimulentur in contemptum mundi, ac in deſiderium ſupernorum. Deinde vt ingredientes in templum pro defunctis orationes, ac preces adfundant. Cap. *Cum grauia*, 13. q. 2. Tandem vt ipſi demortui ſacrificio Miſſæ, ac meritis





Sanctorum, qui in Eccleſia coluntur, adiuuentur.

5. *Filius vnicus*, Græcè habetur, *vnigenitus*, quod plus eſt, quàm vnicus; ſolum enim hunc genuerat, & nullos alios vnquam habuerat: & non eſt maior dolor, quàm de morte vnigeniti, vt *Ierem. 6.* *Zachar. 12.* ex Scriptura colligitur. Ierem. 6. num. 26. Zachar. 12. num. 10. *Et hæc vidua erat.* Vidua, *Euſebius.* *Græcus.* vt explicat Euſebius Gallicanus feria 5. poſt 4. Domin. Quadrageſimæ, id eſt à viro diuiſa. Tamen ex radice Græca, vidua idem eſt ac deſolata. Labores ſemper catenatim veniunt; dolori de marito amiſſo coniungitur luctus de filio defuncto. *Salmeron.* Et forſitan huic mulieri eripitur maritus, & filius, vt ait Salmeron tom. 6. tract. 24. quia in his duobus amandis occupata, diuinæ legis, ac ipſius Dei non recordabatur; & in illis totam ſuam ſpem collocabat. Et ita tangitur homo diuina manu, vt à terrenis egreſſus ad ſuperna euolet. *Et turba multa ciuitatis cum illa.* Erat enim matrona valde nobilis, *Haymon.* *D.Ambroſ.* ac diues, vt notat Haymon. Et de ea ait Diuus Ambroſius: *Cui grauitatis meritum exequiarum turba conciliat.* Perſona benemerita, ac grauis multitudinem populi ad ſe trahit, ac allicit. *Turba multa.* Hoc diuina ordinatione diſpoſitum eſt, vt ait Beda. *Beda.* *Vt viſo tanto miraculo, multi teſtes, multique fierent Dei laudatores.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Quænam eſſet ciuitas Naim; & quare Deus tantum miraculum in illa fieri ordinauerit?*

6. *Qualiſnam eſſet ciuitas Naim.* NAIM erat Galilææ ciuitas, non valde magna, prope Capharnaum, conſiſtens ad radices montis Hermon in latere aquilonari, quam torrens Ciſon alluit; diſtans à monte *D. Hieron.* *Beda.* *Brochardus.* Thabor duobus milliaribus, vt teſtatur Diuus Hieronymus in Epitaphio ad Euſtachium. & lib. de locis Hebraicis, & Beda, Brochardus 1. par. cap. 6. §. 11. ait, quod dicta ciuitas diſtabat à Nazareth duabus leucis; & à monte *D.Hieron.* Thabor plus vna leuca. Et Diuus Hieronymus citatus teſtatur, quod vſque ad ſuum tempus prædicta ciuitas perdurabat.

7. *Quare miraculum fit in Naim.* Ad ſecundam partem quæſtionis venio. Naim vt docent Haymon, Hugo, & alij, interpretatur motus, vel motio; ſignificat enim mundum motum ad pœnitentiam aduentu, ac præſentia Chriſti *Haymon.* *Hugo.* *Pſalm. 59.* Pſalm. 59. num. 4. *Commouiſti terram, & conturbaſti eam.* Nam mundus antea, veluti hic adoleſcens, mortuus iacebat: at in aduentu Chriſti, eius voce per pœnitentiam excitatur ad vitam.

8. *Barradas.* *Cornel. à Lapide.* Tamen accommodatius dices cum Barradas, Cornelio à Lapide. Quod Naim hebraicè idem eſt, quod pulchra, decora, iucunda, delectabilis. Vnde Noemi ſocrus Ruth defunctis filiis, ac marito, flens dicebat: *Ne me vocetis Noemi, id eſt pulchram: ſed vocate me mara, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* *Ruth 1.* *Magnus dolor, oculis videre bona, quæ amittuntur.* Ruth 1. n. 20. Tantus ergo matris luctus contigit in hac ciuitate tam iucunda, & amœna, vt acutior eſſet dolor, quàm ſi accidiſſet in aliquo alio loco agreſti, ac ruſticano

cano; maximè enim animus cruciatur conſideratione, ac viſione alicuius boni, quod perdit, ac amittit.

9. Geneſ. 19.

Cum diuina vltio deſæuiret, vt ingenti incendio deuaſtaret Sodomam, notat ſacer textus Gen. 19.n.20. *Sol egreſſus eſt ſuper terram; pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem.* Sed ad quid notatur, quod tam ingens plaga exorto Sole facta eſt? Erat enim Sodoma valde florida, ac periucunda, *ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientium in Segor.* Gen. 13.n.10. Clara die, ac rutilante iam Sole, igne comburuntur ciuitates, vt acerbior eſſet ciuium pœna, dum quis propriis oculis videret tam pulchrum, ac delectabilem locum, à quo diſcedebat ac quem relinquebat. Huc aduoco Aulenſem. *Fuit pœna iſta*, ait, *facta in die, vt infœliciſſimi illi, quo torquerentur, viderent.*

Geneſ. 13. *Acerbus dolor, oculis videre, eperdere propria bona.* Abulenſis.

10. *Mundiales res in ſuo flore decidunt, ac cadunt.*

Secundò, In ciuitate tam amœna, ac periucunda huius adoleſcentis mors accidit, qui etiam in flore ſuæ ætatis cecidit, quando fertilitate loci frui incipiebat; in manifeſtum argumentum, quod huius ſæculi delectationes, ac periucunditates vix capiuntur, ac deguſtantur, quando iam deperditæ amittuntur. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 43. *Proſperitas*, ſcilicet huius ſæculi, *quam ocyſſime in diuerſum mutatur, ac tranſilit, vt auris, ac litteris aquæ inſcriptis fidere liceat citius, quàm humanæ fœlicitati.* Et Seneca Epiſtol. 91. *Longam moram*, inquit, *dedit malis properantibus, qui diem dixit, hora, momentumque temporis euertendis imperiis ſufficere.*

D. Nazian.

Seneca.

11. Threnor. 2.

Lamentatatur Ieremias deuaſtationem Ieruſalem Thenor. 2. n. 7. dicens: *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolenni.* Septuaginta habent, *ſicut in die feſtiuitatis.* Toti erant Iſraëlitæ mœrore confecti, deplorantes miſeram ſortem ſuæ ciuitatis, cùm viderent eam captam ab hoſtibus, qui iam muros occupauerant. Sed quomodo ait Propheta, quod *dederunt vocem in templo Domini, ſicut in die feſtiuitatis?* Vox feſtiua, applauſus ridentium, ac canentium eſt. Voces autem iſtæ erant gemitus, ac vlulatus lugentium. Quo pacto ergo vox iſta erat, vt in die ſolenni, in die feſtiuitatis? Nil magis eſt conſequens celebritati, quàm fletus, ac mœror, itavt pro menſura feſtiuitatis veniat & luctus; & inde acerbior, quod tanto gaudio ſuccedat. Vnde Propheta, vt vehementiam anguſtiæ, ac lachrymarum explicaret pro ratione feſtiuitatis, tanquam illius annexo denotat, ac declarat. Rupertus lib. 1. in Ierem. cap. 42. ſic ait: *Porrò magnitudinem doloris, ac miſeriarum tumultum quam vehementer expreſſit dicendo: Vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolenni: ac ſi diceret, nunquam altius in gaudio ſolennitatis cecinerant, quam nunc in anguſtia, & dolore clamarunt.*

*Iucunditatibus huius ſæculi ſuccedunt fletus.*

Rupertus.

12.

Quam citò omnis huius mundi gloria, quamuis benè inaugurata appareat, cadit, & decidit. Cùm Iacob in vltimam metam properaret, & audiſſet, quod dilectus Ioſeph cum duobus filiis ſuis Ephraim, & Manaſſes aduentaret, vt ipſum inuiſeret, ac ab illo benedictionem acciperet; cum magnis lætitiæ demonſtrationibus, vt notat Rupertus lib. 9. in Gen. cap. 21. ſe præparauit ad eos excipiendos. Et cùm ad benedictionem accederet, ait: *Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*, Gen. 48.n.5. Sed qualiſnam eſt hæc benedictio tanti parentis in chariſſimos nepotes, nam paucis interiectis Ruben, & Simeon maledictione plectuntur Gen. 49 n. 4. *Ruben effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Et n. 6. *Simeon, & Leui vaſa bellantia iniquitatis, maledictus furor eorum.* Si ergo iſti duo fratres maledicendi ſunt, quomodo à ſancto Patriarcha, præuidente futura, pro benedictione datur, quod ſicut Ruben, & Simeon reputentur? Vt nobis inſinuaret, quod omnis benedictio in mundialibus parum à maledictione diſcrepat; & quod omnis temporaria gloria ita marceſcit, vt omnis benedictionis pinguedo in quandam veluti maledictionis ariditatem deueniat: Cùm nulla ſit huius ſæculi fælicitas (humano modo loquor) quæ alicuius infœlicitatis non ſit præſagium. Huc aduoco magnum Gillebertum Abbatem ſerm. 15. in Cantica, dum expendit illa verba Cantic. 3. n. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum.* Sic ait: *Deſertum verè, & aridum, & ſterile reputat ſæculum omne hoc, per quod aſcendit. Et qua ratione nobis factus deſerti huius odor ſicut agri pleni, & quaſi ei benedixerit Dominus? Quantos trahit ad ſe deſerti huius odor, & tenet ne poſſint euelli, odor iſte mortis ad mortem? Inanitas eſt, quam putatis vbertatem.*

Rupertus. Gen. 48.

Gen. 49.

*Qualibet humana fœlicitas ſecum habet annexam infœlicitatem.*

Gillibertus

## Qvæstio II.

### *Quare hîc Domini occurſus ſit defuncto ad portas ciuitatis, itavt circumſtantibus videretur veluti fortuito factus?*

13. *Illuſtria facta publicum quærunt.*

AD portas ciuitatis ſe dat Dominus obuiam huic defuncto, vt in loco celebri ac inſigni, in quo populi iudicium, ac forenſes conuentus agebantur. Illuſtria enim Chriſti Domini facta, non angulos quærunt, nec obſcura loca, ſed publica & manifeſta.

14. Euſebius Gallicanus. Beda. Haymon. Hericus. D. Antonius Vlyſipp.

Secundò, & moraliter Euſebius Gallicanus feria 5. poſt 4. Domin. Quadrageſ. Beda, Haymon, Hericus, D. Antonius Vlyſipponenſis Dominica 16. poſt Trinit. inquiunt, quod Vidua hæc ſignificat Eccleſiam, quæ licet collecta ſit ex multis, tamen vna eſt; & quemlibet peccatorem deflet, quaſi vnicum filium. Portæ autem, per quas peccator effertur, poſſunt interpretari quinque noſtri ſenſus; per illos enim ingrediuntur, & egrediuntur actiones, per quas peccator ad ſepulchrum mortis defertur. Ierem. 9.n. 21. *Aſcendit mors per feneſtras.* Eccleſiaſt. 28. n. 28. *Sepi aures tuas ſpinis: & linguam nequam noli audire; & ori tuo facito oſtia, & ſeras.*

Ierem. 9. Eccleſiaſt. 28

15. Boſtrenſis.

Hic autem Domini occurſus ad portas ciuitatis, vt ait Titus Boſtrenſis, *Factum eſt hoc, non caſu ſed ſummo iudicio, ſummáque ſapientia*: tamen hominibus ſecundum eorum iudicia videbatur caſu, & fortuito factus. Et voluit Chriſtus, vt tantus eius occurſus, ordinatus altiſſima ſua prouidentia, in aſtantium oculis videretur fortuitus; tum in maiorem demonſtrationem ſuæ miſericordiæ; tum in maiorem beneficij æſtimationem, cum præter omnium ſpem eueniſſet.

*Beneficia præter ſpem maiora videntur.*





16.

Ex quo dicam, quod Chriſtus Dominus profunda ſapientia hunc adoleſcentem defunctum quæſiuit, ac ſe ei obuiam dedit. At verò ab hominibus veluti caſu, ſecundum eorum intelligentiam, illic ad portam ciuitatis adducebatur. Vnde licet conſiderare, quantum Deus, & mundus diſcrepent in ſuis donis conferendis: nam mundus caſu, ac fortuito exhibet ſua dona, ſuáque remedia; at verò Deus, quanuis aliquando in externa apparentia eodem modo ſe videatur habere, tamen ſine dubio ſua dona ex altiſſima ordinatione, ac ineffabili prouidentia ſua dimanant.

*Deus alta prouidentia benefacit; mundus verò caſu.*

17.

Poſtquam Iſraël corruit in bello in montibus Gelboë, venit miles Amalecites ad Dauidem; nuntiat, populum cecidiſſe in prælio, mortuúmque eſſe Saulem, Ionatham, ac filios eius; & ſubdit: *Et tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.* Tanto nuntio percuſſus Dauid quærit ab adoleſcente euentum rei; & vnde tantam, ac talem cognitionem habuerit? Ait adoleſcens, qui nuntiabat ei: *Caſu veni in montem Gelboë.* 2. Regum 1. num. 5. Ne amplius loquaris, homo: cum enim regale ſceptrum, ac coronam afferas, apertum, & manifeſtum eſt, quod caſu veneris, caſúque contigerit: nec enim aliter mundus ſcit, ſua dona largire, niſi fortuito, & caſu. Tamen Deus alto conſilio habebat illam dignitatem ipſi Dauidi paratam. *Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, & de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum.* Pſalm. 77. num. 70. Elegit, dum vnus præ alio aſſumitur, actum conſilij denotat, vt docent D. Auguſtinus, S. Thomas in Epiſtol. ad Epheſios cap. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium ſuæ voluntatis.*

2. Reg. 1. *Mundus fortuito dat dignitates.*

Pſalm. 77.

D. Auguſt. S. Thom. Ad Epheſ 1.

18.

Duos homines valdè charitate, ac beneficentia conſpicuos inuenies in Euangelio. Vnus eſt Samaritanus, qui, cum iter faceret, inuenit hominem à latronibus vulneratum, *Et videns eum, miſericordia motus, & appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum.* Luc. 10. num. 34. ac mira pietate curam illius agit. Alter verò eſt bonus Paſtor, *Qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Ioan. 10. num. 11. Et tamen Chriſtus Dominus non ſe comparat Samaritano, ſed bono paſtori; non enim dixit de ſe; Ego ſum Samaritanus, ſed *Bonus paſtor.* Quænam huius rei differentia? Samaritanus, cum illic iter ageret, caſu inuenit hominem: at bonus paſtor profunda cura, & ſolicitudine quærit ouem, vt ibi notat Theophylactus: *Bonus paſtor, qualis Dominus, cognoſcit ſuas oues, quia curam illarum agit.* Et Deus, non caſu, ſed altiſſima recogitatione, ac prouidentia exhibet ſuam pietatem, ac opem.

Luc. 10.

Ioan. 10.

Theoph. *Deus non caſu, ſed longa ſapientia benefacit.*

## Qvæstio III.

### *Quare in hoc defuncto publicus peccator tam exactè repræſentatur, ac exprimitur?*

19. D. Chryſoſt.

DEFVNCTVS iſte erat adoleſcens, de quibus ait D. Chryſoſtomus Epiſt. ad Olympiam. *In adoleſcentibus maius eſt naturæ incendium, maior concupiſcentiæ tempeſtas, infirmiora conſilia; ratio, quæ vitia gubernet, infirmior.* Deinde erat mortuus, & iam ad portas ciuitatis deductus: & ideo, vt docent doctores Euſebius, Beda, Haymon, Hericus, D. Antonius Vlyſſipponenſis, adoleſcens iſte publicum, ac manifeſtum peccatorem exprimebat. Vnde ait ipſe Euſebius Feria 6. poſt 4. Domin. Quadrageſ. quod puella illa Archiſynagogi, quam Chriſtus ſuſcitauit domi Matth. 9. num. 25. peccatorem occultum, & abſconditum denotabat. At verò hic defunctus, cum iam eſſet extra domum, ac ciuitatem, & proximus, vt in terram inferretur, publicum, & notorium peccatorem deſignabat, qui in proximo eſt, vt in æternum ſepeliatur.

Euſeb. Beda. Haymon. Heric. D. Ant. Vlyſſ.

Matth. 9. *Peccator publicus proximus, vt ſepeliatur in inferno.*

20. *Filius viduæ omne vitiū, ac peccatum repræſentat.*

Reſpondeo etiam aliter. Quod adoleſcens iſte filius erat mulieris viduæ: & nil aptiùs poteſt exprimere, ac repræſentare publicum criminatorem, in omnium vitiorum voragine demerſum, quàm filius vnius viduæ. Cùm Elias hoſpitaretur apud viduam Sarephtanam, mortuus eſt eius filius, qui ætatis erat valdè teneræ, cum in ſinu matris ſuæ teneretur, vt notant Abulenſis, Caietanus, & alij. *Tulit eum de ſinu matris ſuæ, & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat.* 3. Reg. 17. n. 19. Communis eſt etiam ſententia, quod in iſto puero exprimebatur genus humanum, omni peccato, ac vitio oppreſſum. Sed non videtur congruum, quod puerulus quidam tot hominum ſcelera adumbraret. Optimè, ſanè, nam, cum eſſet filius viduæ, quamuis in tenera ætate, valdè aptus inueniebatur, vt omnium nequitiam, ac prauitatem exprimeret, ac denotaret. Rupertus lib. 5. de Trinit. Et operibus cuius cap. 8. ait. *Hic filius viduæ peccatorem ſignificabat.* Enim verò cum eſſet viduæ filius, quemlibet peccatorem ſignificare poterat.

Abulenſ. Caiet. 3. Reg 17.

Rupert.

21. 3. Reg. 7.

Cum Salomon ſuis magnis operibus incumberet, ait ſacer textus. *Rex quoque Salomon tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ de Tribu Nephtali, patre Tyro, artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære.* 3. Regum 7. num. 13. Multa præclara de Hiram nobis dicit Scriptura, vt patet ex citatis verbis. Sed ad quid inter hæc narratur, quod erat filius mulieris viduæ? variæ ſunt Authorum rationes. Ea mihi eſt in præſenti aptiſſima, quod hoc dicatur, tanquam quid valdè notatu dignum, ac valdè mirabile, quod, cum Hiram eſſet filius viduæ, tam præexcellenti indole, ac tantis animi dotibus, ſapientia, intelligentia, ac doctrina, niteret, ac reſplendeſceret.

*Valdè mirabile, quod viduæ filius bonis moribus reſplendeat.*

## Qvæstio IV.

### *A quibus adoleſcens iſte ad ſepulturam efferebatur.*

22.

SACER Euangeliſta non explicat, à quibus iſte adoleſcens aſportabatur in ſepulchrum. Sine dubio ab aliis adoleſcentibus ſociis, & amicis. Moraliter D. Ambroſius in præſenti ait. *Qui mortuus in loculo materialibus quatuor ad ſepulchrum ferebatur elementis.* Valdè miſera eſt hominum natura. Quatuor elementa, ex quibus homo conſtat, quæ ſunt viuendi cauſæ, etiam interitus parant occaſionem. Quod bene dixit Seneca Epiſt. 118. *Hæc nempe ſunt elementa, quibus hic mundus adminiſtratur, aqua, terra, ſpiritus, omnia*

D. Ambr.

*Quæ ſunt viuendi cauſa, etiam interitus parant occaſionem.*

*nia iſta, tam cauſæ viuendi ſunt, quàm viæ mortis.* Vnde optimè ipſemet Seneca Epiſt. 11. ad Marciam ait: *Nunquid vt homo concidat, res magni momenti eſt? Odor illi, ſapórque, & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt.* Valdè fragilis eſt noſtra vita, vt eadem ſit viuendi, ac moriendi materia; & media, per quæ vita ſuſtentatur, per ipſamet cadit homo, ac in ſepulturam ruit.

23. Beda.

Secundò Beda. *Qui verò ad ſepeliendum portant, vel immunda deſideria, quæ hominem rapiunt in interitum; vel lenocinia blandientium ſunt venenata ſociorum, quæ peccata nimirum, dum fauoribus tollunt, accumulant, peccantéſque contemptu, quaſi aggere terræ, obruunt.* Defunctus iſte habebat ſui corporis portitores adoleſcentes, quos obtinuit in ſuis delectationibus ſocios. Immò à ſuiſmet vitiis aſportabatur in ſepulturam. Peccatores enim à ſuis ſceleribus mortis vinculis ligantur, ac in ſepulchrum delati proiiciuntur. Ad quod reſpiciens D. Hieronymus Epiſt. 13. ait. *Quanti hodie diu viuendo portant funera ſua.* Et D. Chryſologus ſerm. 19. inquit. *Fit in corporis ſepulchro viuo funus animæ iam ſepultæ.* Peccator, dum viuit, ſuis iniquitatibus componit, ac conſtruit ſuum funus, ac ſepulchrum.

*Suiſmet vitijs, ac peccatis fertur homo ad ſepulturam.*

D. Hieron. D. Chryſol.

24. In celebri die nuptiarum filij ſui maximè iraſcitur Rex aduerſus hominem, qui ſordido, ac incompoſito veſtitu recumbebat menſæ; & ait ſeruis ſuis: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum tenebras exteriores.* Matth. 22. n. 13. Maximè conſideratione dignum eſt; quomodo in domo, tanta feſtiuitate præparata, inuenti ſunt funes, ac vincula, quibus homo prenderetur? Quomodo etiam in promptu fuerunt carnifices, à quibus ſine vlla mora homo deduceretur in caueam tormentorum? Aderat planè ipſe iniquus multis criminibus onuſtus; & vbi tot erant ſcelera, ſtatim in ipſo homine apparuerunt vincula, quibus ligaretur; ac aſportitores, à quibus in tenebras exteriores demergeretur: quot enim in homine erant peccata, tot & in ipſo erant mortis laquei, totque ſui corporis delatores in inferni ſepulchrum. D. Augunus in enarratione in Pſalm. 130. *Meminiſtis*, ait, *dictum de quodam peccatore in Euangelio: Ligate illi manus, & pedes, & proijcite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium: non ergo eſſet vnde illi ligarentur manus, & pedes, niſi ipſe ſibi reſtem feciſſet. Vnde alio in loco ſcriptum eſt: Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Expende illa verba: *Niſi ipſe ſibi reſtem feciſſet.*

Matth. 22.

*Peccator in ſe ipſo habet vincula, & tortores, quibus torqueatur.*

D. Auguſt.

25. Rom. 1.

Poſtquam Paulus enarrat inſipientiam, ac errores Gentium ait: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Rom. 1. num. 24. Quia Deo noluerunt obedire, ideo permiſſum eſt, vt poſt ſuas voluptates abirent. Sed mundani nil aliud appetunt, quàm ſuis cupiditatibus indulgere, ac vti. Quale nam extitit hoc ſupplicium? Valde graue ſine dubio à nullo enim tortore tam acerbè, ac crudeliter homo ducitur ad pœnam, mortem, ac omne tormentum, quàm à ſe ipſo, ſuiſque peccatis. D. Remigius. *Tradi permiſit à ſe ipſis, vel ire ſecundum deſideria cordis eorum, turpitudinibus libidinum, vt grauius punirentur.* Expende hæc vltima verba: *Tradi à ſe ipſis.* Et Theodoretus ad eundem locum. *Quæ nullus vnquam hoſtis in eos perpetrauit, ea libentiſſimè, & promptiſſimè amplectuntur; & quod nullus vnquam iudex in eos ſupplicium ſtatuerit, ij illud in ſe ipſos attrahunt.*

*Propria libido crudelis carnifex hominis.*

D. Remig. Theod.

## Qvæstio V.

### *Quare hæc mater vidua comitabatur filium ſuum extra domum ad ſepulturam?*

26. Non videtur congruum, & conueniens, quod hæc mulier filium ſuum extra domum, ac ciuitatem comitaretur vſque ad ſepulturam. Reſpondeo primò, quod talis erat celebris antiquitatis mos, vt filij, patres, ac matres, cæteríque conſanguinei defunctos ſuos vſque ad ſepulturam deducerent vſquequo terræ mandarentur. Sicque Ioſeph cum fratribus ſuis demortuum parentem Iacob vſque ad ſepulchrum in terra Chanaan comitatur Geneſ. 50. num. 8. De hac autem ſolennitate exequiarum latè Kirchmannus lib. 3. de funeribus cap. 3. & 9.

*Olim matres comitabãtur filios ad ſepulturam.*

Geneſ. 50. Kirchman.

27. D. Nyſſen.

Secundò, mater hunc natum vehementiſſimè diligebat, quod multis comprobat D. Gregorius Nyſſenus lib. de creatione cap. 26. ſic ait: *Non erat ſpes vlla alia, qua mater poſſet filios recreare, tantæque leuamen orbitatis aſſumere. Vidua quippe erat, nec habebat alterum, quem pro defuncto conſpiceret: nam partus ei extiterat ſingularis. Quantum verò hoc malum ſit, facilè omnes intelligunt, qui naturæ iura cognoſcunt.* Et poſt pauca ait: *Iámque nuptiale tempus aduenerat, ſtirps videbatur generis, ramuſculus ſucceſſionis, baculus ſenectutis, & ætatis incrementum. Erat & altera lamentationis occaſio. Qui enim iuuenem detulit, florem ſimul, qui marcuerat, indicauit.* Ergo cum filius ob tantas rationes diligeretur à matre vehementiſſimè, non poterat ipſa illum etiam demortuum deſerere, neque à ſe abdicare: nequit enim amans ſeſe ſeparare à dilecto ſuo, etiam defuncto, quod in matribus præcipuè veriſſimum eſt. Sic & Reſpha concubina Saul non diſcedebat à cadaueribus filiorum ſuorum, qui in patibulo ſuſpenſi fuerant à Dauide 2. Reg. 21. n. 10. Quod eius eximiæ dilectioni in filios tribuunt ibi Abulenſis, Lyranus, Carthuſianus, & alij. Vnde mulier ex duabus illis, quæ ſimul habitabant, & venerunt ad Salomonem; quæ cum vidiſſet filium ſuum demortuum, à ſe abdicauit, *& poſuit in ſinu alterius.* 3. Reg. 3. num. 20. & in illius necem conſenſerat; valdè ſuſpecta eſt talis mulier apud expoſitores, & de illa dicunt, adumbrare hæreſim, ac infidelitatem, quæ matris viſcera non habet.

*Mater præ amoris vi ſeſe à filio mortuo ſeparare non poteſt.*

2. Reg. 21. Abulenſ. Lyran. Caiet.

3. Reg. 3.

28. Tertiò, quamuis alias videretur inconueniens, quod mulier tanto mœrore affecta per publicas vias incederet filium comitata, tamen paternalis amor pro filiis omnes difficultates ſuperat, omnia impedimenta rumpit, vt eis adhæreat, ab eiſque non ſeparetur. Maximè expediens conſilium præbuit Sara viro ſuo Abrahamo, vt è propria domo expelleret filium ſuum Iſmaelem, ne idololatriæ morbo inficeret Iſaac, in quo vocabatur ſemen. *Eijce ancillam, & filium eius. Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.* Geneſ. 21. n. 10. Meritò tamen dubitabis cum Auguſtino, quod cum Abrahamus eſſet tanto plenus ſpiritu ſapientiæ, ac prophetiæ, ſine dubio hoc debuit prius

*Amor paternus omnes difficultates ſuperat, ne à filijs ſeparetur.*

Geneſ. 21.



cognoſcere, & intelligere, quàm Sara: Cur ergo neceſſe fuit, ab illa de hac re admoneri? Cur durè negotium hoc accepit? Quamuis Abrahamus eſſet propheta, ac valdè ſapiens, optimè intelligens, ac cognoſcens cuncta domus ſuæ; tamen pater extiterat, & res erat de expulſione, ac ſeparatione vnius filij à ſe, ac à domo ſua; quod negotium adeò difficillimum eſt patri, cum illius viſcera amoris aculeo tranſuerberentur erga filium, vt exigeretur, quod ab inferiori, ac ab vna muliere ad hoc excitaretur, & admoneretur. D. Auguſtinus lib. 1. quæſtionum ſuper Geneſim, quæſt. 51. *Eijce ancillam, & filium eius. Quare contriſtratus ſit Abrahamus, cum iſta fuerit prophetia, quam vtique magis debuit noſſe ipſe, quam Sara? Sed intelligendum eſt, illum, quem de hoc poſtea Dominus inſtruit, paterno affectu pro filio fuiſſe commotum.*

D. Auguſt.

29. Geneſ. 11.

*Tulit Thare Abraham filium ſuum, & eduxit eum de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan.* Geneſ. 11. num. 31. Sententia eſt. D. Chryſoſtomi, quam alij amplectuntur, quod Thare extiterat idololatra, cultu, ac vitiis Chaldæorum viuens. Tamen cum Abraham ſemper in lege Domini deambulaſſet, ac maximè fidelis fuiſſet, mandatum accepit à Deo, vt à terra illa diſcederet. Quod cum cognouiſſet Thare, filium Abraham tulit, & profectus eſt in terram Chanaan. Sed quomodo Thare recedit à Chaldæis, ac à patria ſua. Immò, quod magis mirabile, à Diis ſuis, quos ibi colebat. Elegit potius Thare relinquere Deos, quos adorabat, quam ſe mutuo abdicare à chariſſimo filio, quem intimè diligebat. D. Chryſoſtomus homil. 31. *Animaduertere licet, quod cum Patriarcha Deo acceptus eſſet, viſus ei Deus imperauit, vt inde migraret. Quod vt agnouit Thare pater eius, licet infidelis eſſet, attamen ob amorem in filium, ſocius illi peregrinationis eſſe voluit.*

*A ſua etiam religione ſeparantur patres, ne filios deſerant.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio VI.

### *Quare dicitur, quod turba ciuitatis erat cum hac muliere vidua?*

30. Ait Euangeliſta, quod hæc mater filium defunctum ſequebatur; & addit: *Et turba multa ciuitatis cum illa.* Non ait, turba ciuitatis cum illo, ſcilicet defuncto; ſed cum illa, nempè matre, quæ cum viuens eſſet, aliquid commodi ab illa ſperare poterant; præcipuè cum eſſet diues, & nobilis, vt iam notaui. Et aliunde erat vidua ſine viro, & ſine filiis; hic enim vnicus erat illi natus. Et ideo tota hæc multitudo in eius gratiam congregata incedebat.

*Homines frequenter ſua obſequia, non mortuis præſtant, ſed viuis, à quibus mercedem expectant.*

31. Non enim ſolent homines ſua obſequia mortuis deferre, hoc enim valdè rariſſimum eſt; ſed tantum viuis, à quibus ſuas retributiones quærunt. Duo filij Saul crucifixi ſunt à Gabaonitis. Quod cum cognouiſſet eorum mater Reſpha, ait Scriptura: *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium ſubſtrauit ſibi ſuper petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit, aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. num. 10. Exiſtimant Lyranus, Carthuſianus, Caietanus, & alij, quod non ſolùm Reſpha manſit apud cadauera defunctorum, vt ea ab animalium morſibus cuſtodiret; ſed quod, cum illa eſſet valdè nobilis, ac diues, vtpotè concubina Saul, multos ſecum habebat comites. Et ita ait Caietanus. *Ne ſis ita rudis, vt intelligas, mulierem nobilem ſolam manſiſſe ibi, cuſtodiámque hanc exercuiſſe; ſed famulas, & famulos ſecum habuiſſe.* Verùm ex hac ſententia inſurgit dubitatio: Cur ſacra Scriptura in hoc comitatu ſolùm facit mentionem de Reſpha, non verò de aliis, qui ſimul cum ipſa adſtabant? Hi enim aderant, vt tantæ matris gratiam inirent, à qua multum mercedis ſibi ſperabant; illa verò ob amorem tantùm in mortuos. Meritò ergo non circunſtantes memorantur à ſacra Scriptura, qui viuis obſequia deferebant, ſed illa ſolùm, tanquam quid mirabile, quod debitum charitatis monumentum mortuis perſoluebat.

2. Reg. 21.

Lyran. Carthuſ. Caiet.

*Valdè memorabile, quod mortuis deferatur obſequium.*

32. Multa dona largitus eſt Dauid Miphiboſeth propter Ionatham patrem ſuum; reſtituit ei agros ſuorum maiorum; deinde ei conceſſit, vt ſupra menſam ſuam comederet panem, quaſi vnus de filiis regis: & tunc ſimul adiungit Scriptura defectum pedum illius: *Miphiboſeph habitabat in Ieruſalem; quia de menſa regis iugiter veſcebatur; & erat claudus vtroque pede.* 2. Reg. 9. num. 13. Sed ad quid inter tanta beneficia in ipſum collata narratur, quod ipſe erat debilis pedibus, cum hoc iam ſuprà eſſet ſcriptum 2. Reg. 4. num. 4. Sine dubio, vt præcelſus animus Dauidis agnoſcatur, Miphiboſetph inutilem prædicat Scriptura, vt tota gratia in patrem demortuum referatur. Huc aduoco D. Chryſoſtomum homil. 3. de Saule, & Dauide. *David*, ait, *mortuo Saule, non modo non occidit illius poſteros, ſed tunc plura præſtitit, quàm erat pollicitus, ſcilicet Ionathæ, ſiquidem filium eius, quum eſſet claudus, ac debilis cruribus, in ſuam ipſius domum induxit, ſuæque menſæ fecit participem.*

2. Reg. 9.

*Valdè illuſtre ob mortuum exhibere obſequia.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio VII.

### *Quare ex tota illa ciuitate hæc turba fuit digna, quæ tantum miraculum videret?*

33. Mvltitvdine populi plena erat ciuitas; & tamen ex tota illa ſolùm hæc turba digna eſt habita, quæ tantum opus, ac miraculum videret. Alij ignauiæ, ac ſæcularibus rebus incumbentes, magno mœrore replentur, quod tanto miraculo non aſſiſtant. Hæc autem turba operibus miſericordiæ, ac pietatis in ſepeliendo mortuo occupata, fœliciter lætatur, cum tam mirabile factum in gloriam Dei propriis oculis inſpiceret.

*Multum promerentur, qui pietatis opera mortuis prabent.*

34. Matth. 28.

Ait Matthæus 28. num. 1. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus autem Domini deſcendit de cælo.* A quo fœliciſſima nuntia de Chriſti reſurrectione accipiunt. Immò in via ipſummet Dominum habuerunt obuiam. *Et ecce Ieſus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Et tunc ait illis Ieſus: *Ite, nuntiate fratribus meis*, ibidem num. 10. Sed cur hæ fœminæ tantis donis cumulantur præ omnibus Apoſtolis Petro,

*Obſequia mortuis data, ſine mora, mercedem recipiunt.*

Petro, Ioanne, ac cæteris, vt omnium primæ glorioſum Chriſti de morte trophæum ab Angelo audiant, ipſum Dominum rediuiuum intueantur, & ad eius pedes ſe procumbant, ab ipſóque reſurrectionis ſuæ prædicatores, ac diuulgatores conſtituantur? Vnde tam inſigne meritum? vt tanto præmio, & tam indilatè remunerarentur? Illud facilè eſt ante oculos, quod Apoſtolis in ciuitate manentibus hæ ſanctæ mulieres totæ intentæ erant, vt miro pietatis affectu Chriſti ſepultum cadauer vngerent: Vnde ſicut illæ ſine vlla dilatione Chriſto ſepulto honorem deferunt; ſic & ſine vlla dilatione magno dono, ac præmio ſublimantur.

D. Alcuin. D. Alcuinus in carmen ad ſororem ſic canit:

*Vnctura accedunt Domini pia membra ſepulta,*
*Pro queis reſpondens confeſtim gratia facta eſt,*
*Angelicos cernant humana vt lumina vultus,*
*Atque reſurgentis primæ dent nuntia Chriſti.*

Expende illud verbum: *Pro queis reſpondens confeſtim.* Magnum, & ingens eſt opus charitatis in defunctos coram Deo, vt ſtatim pro eo magnum conferatur præmium.

35. Ruth 3. Multas benedictiones congerens Booz in Ruth ait: *Benedicta es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Ruth 3. num. 10. Sed quænam eſt prima miſericordia, quæ verò ſecunda, qua priorem ſuperauit? Prima miſericordia extitit illa, qua contempta patria ſua Moabitarum, voluit cum ſocru ſua Noëmi peregrinari, & in aliam regionem tranſmigrare. Secunda miſericordia in eo enituit, quod elegit habere filios nomine Mahalon mariti ſui demortui, vt illius memoria non periret in cognationibus Iſraël.

*Miſericordia in mortuum ſuperat omnè aliam miſericordiam.* Genel. 12.

Verùm hæc ſecunda multo excellentior apparuit, quam prima, qua mulier ob ſocrum reliquit patriam ſuam. Nonne ob ſimile factum multum promeruit Abrahamus Geneſ. 12. num. 1. Quomodo in hac muliere alia maior pietas relucet? Prima miſericordia conferebatur Noëmi viuæ; ſecunda Mahalon demortuo: miſericordia autem exhibita defuncto ſuperat quamque aliam viuis præſtitam.

Abulenſis. Abulenſis 24. *Cum quis benefacit homini præſenti, a quo poteſt recipere viciſſitudinem, non eſt admirandum: cum autem benefacit mortuo, à quo non poteſt recipere retributionem, eſt magis admirandum. Et quia miſericordia prima præſtita eſt Mahalon viuenti, & etiam Noëmi viuenti; miſericordia autem iſta præſtabatur Mahalon mortuo, ſcilicet vt non deleretur nomen eius, ideo erat maior.*

| | |
|---|---|
| *Lucæ 7. n. 13.* | Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit: noli flere. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Quam cum vidiſſet Ieſus. |
| *Radix Hebraic.* | Propterea miſericordia motus. |
| *Vatablus.* | Intimè miſertus eius dixit illi |
| *Arias.* | Viſceribus motus eſt ſuper eam. |
| *Græcus apud Salm. tom. 6. tract. 24.* | Ex intimis viſceribus miſertus eſt illi. |

*EXPOSITIO II.*

36. *Domini eſt benefacere.* QVAM ſcilicet viduam lachrymantem, ac afflictam; & ponitur, vt commiſerationis cauſa, *cum vidiſſet Dominus.* Et valdè appoſitè ab Euangeliſta nuncupatur Dominus, cum beneficentiam, & miſericordiam largitur. Et cum vidiſſet, miſeretur. Ex intuitu oculorum ad commiſerationem mouetur pius animus. Vnde monet Iob 4. n. 5. *Ab inope ne auertas oculos tuos.* Multi enim cum tuas miſerias non videant, ad compaſſionem non mouentur. (Iob 4.)

37. Vatablus. Græcus. *Miſericordia motus*, ſeu, vt habet Vatablus, *intimè miſertus*, ſeu Græcus, *Ex intimis viſceribus.* In miſericordia duo reperiuntur; voluntas ſubueniendi; & dolor, ac compaſſio, qua de aliena calamitate afficimur. Chriſtus Dominus non ſolum voluit, mulieri ſubuenire, ſed etiam ſpontè hanc ſecundam affectionem in ſe ſuſcepit, ac excitauit, vt tanquam miſericors pater de huiuſmodi malis compateretur. Et notant Haymon, & Hericus, quod, cum in Chriſto Domino ſint duæ naturæ, humana, & diuina, ſecundum humanam habuit affectum compaſſionis; at ſecundum diuinam præſtitit vitæ remedium, vt totus ſe diffunderet in noſtram ſalutem. (Haymon. Heric.) *Et ait illi: Noli flere.* Cum iam in proximo eſſet lætitiæ cauſa. Et non dixit Chriſtus, *noli flere*, vt dicebant homines concomitantes, ſolum verbis, doloris cauſam non auferentes; at Chriſtus anguſtiæ rationem amouet, filium viuum reſtituendo. Et præclarè ait illi, *noli flere*, officium conſolatoris adimplendo, ad quod ipſe miſſus erat; *Vt conſolarer omnes lugentes:* Iſai. 61. num. 2. Quod Chriſtus præſtitit corde *miſertus ſuper illam*; ore, *noli flere*; opere, *adoleſcens tibi dico, ſurge.*

*Chriſtus munus ſibi commiſſũ adimplet.* Iſai. 61.

# QVÆSTIO VIII.

## *Quare Dominus non rogatus à vidua, nec à turba tantam miſericordiam præſtitit?*

38. NVLLVS rogat, & tamen Dominus miraculum, operatur, & vitam adoleſcenti tribuit. Ad quod quadruplex occurrit ratio. Prima ex Chriſti benignitate. Secunda ex ratione adoleſcentis. Tertia ex lachrymis viduæ. Quarta ex eminentia beneficij. Prima ratio. Quia Chriſtus Dominus ex ſua præcordiali voluntate, ac miſericordia commotus ſuper lachrymas illius viduæ, non reſpexit merita mulieris, ſed illius dolorem, ac afflictionem, vt illi ſubueniret.

*Benignitas, non merita, ſed neceſſitatem reſpicit.*

39. D. Baſil. Sel. Secundò ex parte adoleſcentis. D. Baſilius Seleucus orat. 10. *Viduæ lachrymæ vnigenitum Ieſum traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam.* Quid apparet in iſto adoleſcente, quod ita attraxit Ieſum, vt illi vitam donaret? Erat Chriſtus vnigenitus Mariæ; erat hic adoleſcens vnigenitus matris ſuæ; & cum quandam ſimilitudinem Chriſti referret, inde habuit, in vitam poſſe euocari: quidquid enim ſimilitudinis Ieſu eſt in nobis, vitam exhalat, & tribuit.

*Ex Chriſti ſimilitudine multum bonum participamus.*



40. *Lachrymæ, ac preces viduæ efficaces ad obtinendum.* Iudith 9. Tertiò ratio deſumitur ex matre, quæ erat vidua; & vbi lacrymæ viduæ interueniunt, nulli alij rogatores exiguntur, cùm nil efficacius ſit ad impetrandum, quàm illius lacrymæ, ac deprecationes. Vnde Iudith orans dicebat ad Deum: *Subueni, quæſo te, Domine Deus meus, mihi viduæ.* Iudith 9. num. 3. Non allegat pro ſe, quod ſit in arcto poſita, nimis afflicta, vt ſua miſerabili conditione aperiret cælum, & Deum ad pietatem commoueret, ſed ait, *mihi viduæ*, tanquam quid fortiſſimum ad inclinandum ad pietatem, & commiſerationem.

D. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus homil. 69. in Ioan. *Non parua vis lachrymarum viduæ eſt*, ait, *ſed ipſum cælum poſſunt aperire.*

41. 2. Reg. 14. Quando Ioab miſit mulierem Thecuitem ad regem Dauid, vt pro Abſalon deprecaretur, ait ei: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri.* 2. Reg. 14. num. 2. Quæ veniens ad regem dixit ei. *Heu mulier vidua ego ſum*, ibidem num. 5. Non quærit Ioab aulicos, ac amicos regis, vt ipſum ſuper Abſalon demulceant; ſed tantùm obiicit mulierem viduam lachrymantem, viduali veſte indutam; firmiſſimè apud ſe ſtatuens, nil vehementius, ac certius cor regis in miſericordiam, ac benignitatem flectere poſſe, quàm vnius viduæ lachrymas ante oculos poſitas. Abulenſis quæſt. 10. *Vocat ſe viduam*, ait, *vt ſignet, ſe eſſe perſonam miſerabilem; & moueatur facilius rex ad miſerendum, & expediendam cauſam.* Obiter expende vltima verba, quod viduarum cauſæ non moroſè, ſed citò tractandæ ſunt.

*Viduæ fletus efficaces ad inclinandum regem.* Abulenſ.

42. Threnor. 1. *Facta eſt quaſi vidua domina gentium. Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non eſt, qui conſoletur eam.* Thren. 1. num. 1. Vult Propheta explanare extremam miſeriam Ieruſalem, vt docent Lyranus, S. Thomas, D. Bonauentura, & alij; & ipſam introducit ſub habitu viduæ plorantem; quia nullus acerbior eſt fletus, quam viduæ. Et ait, non eſt, qui conſoletur eam, quod tanquam valdè mirabile, & rarum, exprimit, quod ſcilicet vidua ſe in lachrymas diſſoluens non habeat conſolatorem; neque alicuius animus tanto fletu ad ſubleuandum moueatur. Et, vt rectè ait S. Paſchaſius lib. 1. lamentati. *Notandum, quod quaſi vidua, & non verè vidua dicitur.* Tanquam ſi Propheta innueret, quod ſi in re eſſet verè vidua lugens, conſolatore non careret, ſed optata animo impetraret.

Lyran. D. Thom. D. Bonau. *Viduæ lacrymæ omnem animum mouent.* D. Paſchaſ.

43. Quartò ob ipſum miraculum. Non rogatus Chriſtus illud concedit, vt beneficium eſſet maximè gratum, multáque æſtimatione receptum. Rex Salomon dedit reginæ Sabba multa, & præclara dona; quædam, quæ ipſa expoſtulauerat ab eo; alia verò ſponte ſuprà ea, quæ ipſa petiuerat. *Rex autem Salomon dedit reginæ Sabba, omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo; exceptis his, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.* 3. Reg. 10. num. 13. Expende vltima verba, *Exceptis his, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.* Omnia, quæ Salomon Reginæ largitus eſt, regalia dona extiterunt. Quare ergo ſolùm ea, quæ ipſe ei conceſſit ſuprà poſtulata, hoc nomine gaudent? Alia erant, quæ ipſa petiuerat; & quæ precibus emuntur, ita acriter, ac carius comparantur, vt tanquam regalia munera non appretientur; ſed ea ſolùm in hac æſtimatione habeantur, quæ vltra rogata ſponte exhibentur. In hac conſideratione ait Abulenſis quæſt. 3. *Præter illa, quæ petiuit Regina, Salomon dedit ei alia, quæ non petiuerat; & hæc ex munere regio, id eſt ex largitate regali.*

3. Reg. 10. *Munera, quæ vltro dantur abſque precibus valdè gratiſſima.* Abulenſ.

# QVÆSTIO IX.

## *Quare Dominus dicitur miſericordia motus?*

44. D. Chryſol. HÆC ſcribit Euangeliſta ad explicandam Chriſti Domini pietatem, ac benignitatem, vt dixi in expoſitione. Secundò D. Chryſolog. ſermon. 103. *Si ad vnius*, ait, *viduæ lachrymas temporales, ſic motus eſt Chriſtus, vt occurreret in via, vt ex oculis ſtillantia dolorum fluenta reſtingueret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, reſuſcitaret corpus, vitam reduceret: quid modo faciet, quando inardeſcit viribus ſuis ad Eccleſiæ ſuæ lachrymas diuturnas, ad ſponſæ ſuæ ſanguineos ſudores? nam per ſupplicantem Eccleſiam lachrymas fundit iuges, per martyres ſacrum ſanguinem ſudat, donec vnicum ſuum, hoc eſt, populum Chriſtianum, de mortali feretro Chriſtus perpetuæ vitæ reddat.* Si enim Chriſtus ita motus eſt ad fletus vnius viduæ, quanto magis commouebitur ad preces dilectæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ; *nam per ſupplicantem Eccleſiam lachrymas fundit.*

*Deus valdè propenſus in preces ſuæ Eccleſiæ.*

45. D. Ambr. Tertiò, D. Ambroſius lib. 5. *Hic locus*, ait, *ad vtramque redundat gratiam, & vt citò flecti diuinam miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus, eius præcipuè, quæ vnici filij vel labore, vel morte frangatur.* Expende illud *cito flecti.* Non enim decebat, vt tanti principis, ac Domini animus ad intuitum tantæ mulieris afflictionis, eſſet rigidus, & obduratus, ſed vt humanitatis, ac compaſſionis ſigna præberet; & vt ait Ambroſius, *Hic locus ad vtramque redundat gratiam*, vt Dominus ſcilicet donaret puerum viuum; & vt citò daret, ac faceret donum: tam pergratum eſt, citò concedere,

*Valdè gratũ, cito dare.*

46. *In donis plus æſtimatur animus, quã donum.* Quartò, vt nobis maximè commendaretur excellentia, ac magnitudo beneficij, quod ex intimis miſericordiæ viſceribus proceſſit, quæ ſuprà mulierem inclinata ſunt: & in donis plus, quàm datum, internus affectus, ac animus æſtimandus eſt, ac in maiori pretio reputandus. D. Auguſtin. lib. 1. confeſſ. cap. 11. *In beneficio*, ait, *conferendo plus animus, quam ſenſus operatur; magis præponderat beneuolentia, quam poſſibilitas reddendi muneris.* Iacob intimè diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, & fecit ei tunicam valdè elegantem, & pulchram, quæ polymita dicebatur. Et ſtatim ſubdit textus. *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis amaretur, oderant eum.* Geneſ. 37. num. 4. Duo notantur, quæ Iacob dicitur habuiſſe erga Ioſeph; intimum amorem, *diligebat eum*; & pretioſam donatam veſtem: tamen fratres non oderant eum præcipuè ob donum ornamenti datum, ſed potius quod à patre plus cunctis amaretur, quod notat D. Cyrillus apud Lippomanum. *Fratres ſuos nulla prorſus iniuria affecerat, ſed patris erga eum charitas iniquæ inuidiæ ignem excitauit.* Veluti in maiori æſtimatione appendentes internum animi affectum patris, quam quodcunque aliud ingens, & excellens munus elargitum.

D. Auguſt. Geneſ. 37. D. Cyrill. Lippoman. *Maximè æſtimandus animi affectus.*

47. Ab ipſo Iacob non diſcedo. Pergit in Moſopotamiam,

tarniam, dormiens in itinere multis fauoribus à Deo cumulatur: Videt cælum apertum Dominum innixum ſcalæ, Angelos aſcendentes, & deſcendentes; ampliſſimas promiſſiones accipit de poſſeſſione terræ illius, de multiplicatione, ac dilatatione ſeminis ſui ad Orientem, & Occidentem. Euigilans à ſomno. *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* Geneſ.28. num.18. Quod ipſe poneret lapidem in monumentum, frequens erat antiquorum conſuetudo. Sic & Ioſue duodecim lapides in Iordanis alueo, Ioſue 4. n.9. poſuit in memoriale perenne. Cur ergo Iacob præter lapidem poſitum effundit oleum deſuper? Oleum paſſim in Scriptura ſignificat pietatem, & miſericordiam, ac beneuolentiam. Quamuis enim beneficia Dei in Iacob valdè perexcelſa extitiſſent; itaut in eorum ſignum poſuerit lapidem; tamen ingens amor, quo conceſſa ſunt, ac miſericordiæ viſcera in ipſum manifeſtata, in tanta æſtimatione, ac pretio illi fuerunt, vt inſigniter in ipſius amoris, ac miſericordiæ recognitionem, ac gratitudinem funderet oleum deſuper. Noſter Thomas Beauxamis homil. in Domin.4. Quadrageſ. *Libauit, ac oleum infudit in ſignum miſericordiæ, ac pietatis Dei erga ſe ipſum.*

Geneſ. 28. — Ioſue 4. — *Dei pietas, ac benignitas inſigniter gratificanda.* — Beauxam.

## Qvæstio X.

### *Quare Chriſtus Dominus mandat mulieri:* Noli flere: *ante conceſſum beneficium?*

48. *Pium eſt, moderate flere pro mortuis.*

IN limine huius quæſtionis notandum eſt hic. Quod non ſimpliciter prohibuit Dominus matris lachrymas, quaſi malum eſſet, filij ſui mortem deflere, cum huiuſmodi fletus magna ex parte ſit naturalis, & à ratione non alienus, ſi moderatus conſiſtat. Scriptum eſt enim Eccleſ.22. num.10. *Suprà mortuum plora, defecit enim lux eius.* Et infrà cap.38.num.16. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare,* Et ita cecinit Ouidius lib.1.de remed amor.

Eccleſ.22. Eccleſ.38. Ouid.

*Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati, flere vetat.*

Quod etiam comprobatur exemplis ſanctorum Patrum. Nam Abraham fleuit mortem Saræ Geneſ.23.num.3. Iacob filium ſuum Ioſeph. Gen.37. num.35. Dauid Saulem. 2. Reg.1. num.11, Iob 1. num. 20. filios ſuos. Quod intelligendum eſt de fletu moderato, & rationabili, vt docet D. Ambroſius lib.1. de Abraham cap.9. *Docemur,* ait, *vt non diutius inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis eſt officium deferamus.* Quas ergo ob cauſas mandat Dominus huic viduæ, ſe à lachrymis temperare, inquirendum eſt?

Geneſ.23. Geneſ. 37. 2. Reg. 1. Iob 1. D. Ambr.

49. Caſſian. *Flendum pro peccatis.*

Reſpondet primò Simon Caſſianus lib.5. c.13. *Nil plangendum ab hominibus, quàm peccatum. Solum enim peccatum iuſtam habet materiam deplorandi. Vult Deus, fletum fieri pro ſpiritualibus malis, non autem pro corporalibus damnis.* De quo multa dixi variis in locis, & etiam infrà dicam. Secundò, vt expulſo mœrore, perfuſo animo lætitia, inueniatur anima capax ad ſuſcipiendum diuinum beneficium. *In ſtillicidijs eius lætabitur germinans.* Pſalm.64. num.11. Si enim cœleſtibus ſtillicidiis, ac affluentiis diuinæ gratiæ lætatur anima, germinat, ac producit nouos fructus. Cum triſtitia enim omnia marceſcunt; cum lætitia verò cuncta fiunt florida, ac nouos fœtus parturiunt. Gillibertus Abbas ſerm.34. in Cantic. *Quis dabit hortulo meo hanc aquam? Quis dabit, vt tota hortuli mei facies irrigua ſit lætitiæ, & lucis riuulis, nihil in eo aut ſterile ſit, aut quadam deuotione triſte? vicina ſterilitati videtur operatio triſtis, & ſpiritualis gaudij carens irrigatione.*

*Ad ſuſcipienda diuina beneficia ſit animus lætitia perfuſus.* Pſalm.64. — Gillibert.

50. D. Bonau. Iob 29.

Tertiò, D.Bonauentura. *Dixit, noli flere, benigno ſermone eam conſolando,* iuxta illud Iob 29. num.13. *Cor viduæ conſolatus ſum.* Videns Dominus mulierem tam afflictam conſolatur verbis, iuxta Ierem.31. num 16. *Quieſcat vox tua à ploratu.* Et etiam operibus dat leuamen, vt dicam ſtatim. Quartò, Chriſtus huic matri ait, noli flere. At nec Elias Sarephtanæ 3. Reg. 17. num.19. nec Eliſæus Sunamitidi 4. Reg.4. num. 32. filios ſuos demortuos plorantibus dixerunt, *Noli flere;* ſed eorum pueris in tabernaculis introductis, multa oratione, ac inſtantia diuinum auxilium deprecati ſunt. Chriſtus cum eſſet verus Deus vitam adoleſcenti ſua poteſtate abſque mora erat daturus, ipſúmque matri redditurus. At ſancti Prophetæ, quamuis habuerint multam fiduciam, forſitan non erant omnimodè certi de miraculo edendo, vt de Eliſæo colliges ex Abulenſi citat. cap.4. quæſt. 48. & 49. & ex Gaſpar Sanch. ibid. ad verſ. 33. Cum de hoc opere eos habuiſſe aliquam reuelationem à Deo non conſtet; & pueros interpoſita diſtantia temporis in vitam reuocarunt. Rectè ergo non illis matribus veteres Prophetæ, ſed ſolùm huic mulieri, *noli flere,* dicit Chriſtus, qui vt ſupremus Dominus certus erat in ſua poteſtate, qua ſtatim, & ſine mora beneficium erat collaturus. Ille enim reuera te conſolatur, ac temperat à lachrymis, qui ſimul cum verbis remedium præbet, & ſine dilatione exhibet.

Ierem. 31. — 3 Reg.17. 4. Reg.4. — Abulenſ. Sanch. — *Ille te verè conſolatur, qui ſimul cũ verbis dat conſolationẽ.*

51. Beda. *Ex remedio proportionato ſanitas.*

Quintò, Beda. *Deſiſte, inquit, quaſi mortuum flere, quem mox viuum reſurgere videbis.* Vetat Chriſtus mulieri lachrymas, quia iam in proximo, ac promptu erat pueri ſuſcitatio. Magna ſanè erat gaudendi ratio, cum iam in præſenti tam efficax, ac proportionatum remedium adeſſet, itaut iam mulier redderetur certa de filio rediuiuo, vt ſtatim demonſtrauit euentus.

52.

Ex triplici capite res in perditionem abeunt: Vel quia non datur remedium; vel quia eſt inefficax; vel quia incongruè adhibetur. Vidit Pharao in ſomnio ſuo ſeptem boues valdè tenues, & macilentas, quæ deuorauerunt ſeptem alias boues nimis pulchras, ac obeſis carnibus: & tamen ait textus: *Nullum ſaturitatis dedere veſtigium, ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant.* Geneſ.41. n.21. Multum notatu dignum, quod tam ditiori, ac vberi paſtu fœdæ illæ boues non pinguiores apparuerunt, ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant. Quod notat Lippomanus. *Deformes, ac tenues boues pulchras deuorauerunt, adeo vt omnes in viſcera earum intrauerint, non tamen in eis ſignum aliquod apparuit ſaturitatis, ſed eadem macie laborabant, & ita perditum erat, quidquid ediſſent.* Quamuis vber, & fertilis cibus ſit valdè efficax ad pinguedinem, & craſſitudinem corporis; tamen illæ boues erant valdè extenuatæ, vt iam macies eſſet eis in naturam conuerſa; & debilitata nutritiua vis, vt nullus cibus eis proficeret ad augmentum, ſed omnia præ debilitate virium inueniebantur intempeſtiua, ac inopportuna.

Geneſ. 41. — Lippoman. — *Remedium improportionatum non proficit.*

Prudentes



53. Prudentes Virgines oleum habebant in lampadibus, non autem Fatuæ. Vnde euenit, vt facta voce ſponſi, aduentum denuntiante, ad nuptias intrauerunt prudentes cum ſuis lampadibus; Fatuæ autem ierunt emere: quæ oleum aſportantes, vt vult Abulenſis citandus, pulſant oſtium; & tamen eis dicitur: *Clauſa eſt ianua. Neſcio vos.* Matth. 25. num.22. Si prudentes ob oleum, quod ſuis lampadibus aſportabant, oſtium inuenerunt apertum; cur Fatuis, oleum etiam deferentibus, non aperitur? Aderat eis oleum intempeſtiuo, ac improportionato tempore; & quamuis aliàs eſſet motiuum ad ingreſſum, tamen eis iam non profecit propter occaſionis incongruitatem. Abulenſis quæſt. 71. *Illæ quinque Virgines fatuæ empto oleo redierunt, vt intrarent ad nuptias, poſtquam ſponſus venerat; & non aperuit eis ſponſus, quaſi non cognoſceret eas, quia non erat tempus agnoſcendi, aut aperiendi.*

Matth. 25. — *Tranſacto tempore iam inefficax eſt medium.* — Abulenſ.

*Lucæ 7.n.14.* Et acceſſit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, ſteterunt) & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et profectus tetigit loculum. Ij autem, qui baiulabant, ſubſtetere.

*Arias.* Portantes ſteterunt.

*Franc. Lucas.* Cum acceſſiſſet, tetigit.

### *EXPOSITIO III.*

54. *Nullus ſe poteſt excuſare ab opere miſericordiæ.*

HABVIT Dominus pium in mulierem compaſſionis affectum. Deinde eam conſolatus eſt verbis: *Noli flere.* Nunc & operibus. Chriſtus autem hæc tria exhibuit in præſenti, vt ... imitatione eius nullus ſe excuſet; quia ſi potes, ſubueni opere; ſi verò non potes, animo compaſſiuo, & verbo. *Acceſſit.* In acceſſu eius omne bonum transfunditur. *Et tetigit loculum:* hoc eſt, tetigit feretrum, vt portantes ſtarent. Et dicitur loculus diminutiuè, cuilibet enim mortuo paruulus locus ſufficit. *Hi autem, qui portabant, ſteterunt;* ſubſteterunt; nec vltra progreſſi ſunt, ſed Chriſti tactui obtemperarunt; audierunt vocem eius conſolatoriam viduæ: *Noli flere.* Nam cum Chriſti fama eſſet valdè celebris multis miraculis per totam Galilæam, aliquod magnum miraculum ab eo ſperarunt; & quia ſpes in Domino nunquam fallitur, ſtatim vox Chriſti perſonat.

*Mortuo paruus locus ſufficit.*

55. Ioan. 5.

*Adoleſcens.* Alloquitur mortuum, quia Deus eſt, cuius vocem mortui audiunt. *Amen dico vobis, venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei.* Ioan.5. num. 25. *Tibi dico, ſurge.* Non orat Deum Patrem, vt in ſimili euentu fecerunt parentes mei Elias, & Eliſæus, ſed iubet ſua poteſtate, qua æqualis eſt Patri. Ideo non dixit ſolùm, *ſurge,* ſed ait, *tibi dico,* hoc eſt præcipio, & mando: vt manifeſtè ſuum imperium ſuper mortuos oſtendat. Petrus autem puellæ mortuæ dixit: *Tabaitha ſurge.* Actor.9. num. 40. ſed non protulit, tibi dico, quia non ſua, ſed Chriſti auctoritate loquebatur, vt notauit D. Cyrillus lib.1. de fide, ad Reginas.

Actor. 9. — D. Cyrill.



## Qvæstio II.

### *Quare hic adoleſcens à Chriſto ſuſcitatur, non in domo, nec in ſepulchro, ſed in loculo, quo ferebatur?*

RESOLVTIO huius quæſtionis patet ex his, quæ dixi quæſt. 2. vbi appoſui rationes, ob quas Dominus decreuit, vt hic occurſus fieret ei ad portas ciuitatis; & vt ſic oſtenderetur magnitudo ſuæ miſericordiæ, vt tractaui quæſt. 9. Ex his concluditur, quod defunctus debebat eſſe in loculo, ſeu pheretro, quo ad ſepulturam deferebatur: tamen cur nec in domo, nec in ſepulchro, adhuc eſt inquirendum? 56.

*Magnitudo diuinæ miſericordiæ.*

Non in domo, antequam ad ſepulchrum deferretur, quia publici peccatoris forma hic exprimebatur, vt dixi quæſt.3. Non verò ex hoc loco, ſeu ex porta ciuitatis, in qua Dominus occurrit, mandat, defunctum iterum aſportari in domum, vel ad aliquem locum remotum, vt ibi clam eum ſuſcitet, vt factum eſt cum filia Archiſynagogi, quam non niſi in ſecreta domo, ac remotis arbitris Dominus reuocauit ad vitam Luc.8. num.51. Ad quod præclarè reſpondet D. Ambroſius lib.6. in Luc. cap.8. ad finem. *Puto,* ait, *quod in eo quoque pietas Domini declaratur: quia vidua mater vnici non patiebatur moras; & ideo ne amplius afficeretur, maturitas additur.* Dilecti pignoris vehementi deſiderio tenebatur mater, vt ne paruam quidem moram beneficio conferendo pateretur; & ideo Chriſtus Dominus pro magnitudine ſuæ benignitatis, ac excellentia miraculi ipſum maturauit; ne ſi tantiſper illud differret, vt filio vitam concederet, auferret matri. Vide ſuprà cap.1. num.122. 57.

Luc. 8. D. Ambr. — *Non patitur moras dilectio.* — *Beneficium citò datum maius videtur.*

Secundò, inquirit quæſtio præſens: Cur non in ſepulchro ipſum ſuſcitat? Ad quod eleganter reſpondet Chryſologus ſerm.63. *Suſcitauit,* inquit, *& vnicum matris: ſed ſic, vt retineret pheretrum, vt anticiparet ſepulchrum, vt corruptionem ſuſpenderet, & præueniret fœtorem, vt ante mortuo vitam redderet, quàm tota mortuus iura mortis intraret.* In ſepulchro mors habet ſuam ſedem, ſuúmque totum ius; vnde à Tertulliano in Apologetico aduerſ. gentes cap.37. ſepultura appellatur *Aſylum mortis.* Vt Chriſtus daret omnibus principibus, ac magnatibus formam, vt vnicuique, quamuis minimo, & vili ſeruetur ius ſuum, adoleſcentulum hunc è manibus mortis eripit, antequam intra ſepulchri clauſtra, intra regnum, ac iura mortis, vt vulgò dicam, *Entre los fueros de la muerte,* ingrediatur. Non enim ſua ſuprema poteſtate vti decreuit, vt alicuius ius rumpatur, cum fieri poteſt, vt illæſum, & integrum retineatur. Quod etiam comprobat S. Pater ex eo, quia Dominus filiam Archiſynagogi ſuſcitauit in domo, & non in ſepulchro, *Sic,* ait, *mortuæ vitam reddidit, vt ius maneret inferni.* In Lazaro autem, ait S. Pater, quid ſingulare geſtum eſt, quia in ipſo *forma reſurrectionis plena reſplendet.* 58.

D. Chryſol. — Tertull. — *Vnicuique, quamuis minimo ius ſuũ ſeruandum.*

 Præcipit

59. Deuter.25. 1. Cor.9. Pſalm. 8. Præcepit Deus ſuo populo: *Non ligabis os bouis terentis in area fruges ſuas.* Deuter.25. num.4. Miratur Paulus 1. Corinth.9. num.9. quod Deus de huius animalis labore mentionem faciat in lege: nam quamuis Deus, *omnia ſubiecerit ſub pedibus hominis, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.* Pſalm. 8. num. 8. Ea tamen conditione eius poteſtati omnia ſubmittit, vt decreuerit, non infringi ius debitum fatigationi, ac labori bouis, ſed integrum, ac illæſum ſeruari. Caſſiod. Caſſiodorus lib. 2. variar. 28. *Expectant etiam equi præmia ſua; & tanta iuſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardius detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum.*

60. 1. Reg.1. Venit dies, & immolauit Elcana, dedit Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & filiabus ſui ſacrificij partes, *Anna autem dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat.* 1. Reg.1. n. 4. Maximè dubitatur ab Auctoribus, cur prius dederit ſuam portionem Phenennæ, quàm Annæ, cum Anna fuerit prior, & principalior vxor, vt conſtat ex eodem cap... num.2. Deinde Annam diligebat. Cur ergo prius dat Phenennæ, & plures partes, quàm Annæ? Quia licet, vt docent Lyran. Abulenſ. Carthuſ. Caiet. Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, Caietanus, Anna apud eum eſſet in tanta prærogatiua, ac tam intimo amore erga illam teneretur; tamen ius debitum Phenennæ ob fœcunditatis donum, ac numeroſam prolem noluit violare, ſed prius, & plures partes ei diſtribuit, vt ipſa cum filiis ſuis epularetur. Mendoça. Verba R. P. Franciſci Mendoça ad citatum verſ. 4. in expoſit. num. 10. appono. *Licet Phenenna multis partibus eſſet inferior: iure tamen filiorum, quos ſola habebat, fuiſſe Annæ præferendam.*

---

## Qvæstio XII.

### *Quare Chriſtus Dominus tetigit loculum, ſeu pheretrum?*

61. D. Chryſol. Recte in hac re dubitat D. Chryſologus. *Cur quæritur virtus tangendi, cui inerat ius iubendi?* Ad quæſtionem reſpondet D. Bonau. primò D. Bonauentura: Quæ eſt communis ſolutio. *Vt portantes humiliter ſiſtere faciat tangendo, non imperando. Vnde ſubditur: Hi autem, qui portabant, ſteterunt.* Tangit, vt ferentes loculum amplius greſſum non continuarent, ſed ſiſterent. Et addit S. Pater, vt eos *humiliter ſubſiſtere faciat*, qui ſtatim morti cum poteſtate magna erat imperaturus. Is eſt meus Ieſus, qui cum poteſtate magna ſcit coniungere humilitatis ſigna; & poteſtate, ac humilitate vtitur, prout ratio temporis, ac occaſionis exigit.

*Chriſtus poteſtatem cum humilitate coniungit.*

62. D. Bonau. Secundò, idem D. Bonauentura. *Tetigit, vt omnibus oſtenderet ſuam benignitatem, quia non deſpicit mortuos, cum ſecundum legem, tangens mortuum immundus eſſet.* Tolet. Rectè notat Toletus annotat. 30. quod tactus iſte non erat ex iis, qui tangentem reddebant immundum: hic enim erat, quando mortuus ipſe tangebatur; non autem, qui loculum tangit, defunctum dicitur tangere; quamuis, ſi Chriſtus, vtpote ſupremus Dominus, tetigiſſet, non propterea legis immunditiem contraxiſſet, vt ſuperiori tomo oſtendi. Intelligendus eſt ergo D. Bonauentura, quod tanta extitit Domini benignitas, vt licet, ſecundum aliquorum iudicium, tangendo exiſtimaretur immundus, vel putaretur, quod cum loculo tangeret mortuum; tamen huiuſmodi tactum non refugerit, vt demortui vitæ conſuleret, pluris apprecians, ac æſtimans noſtrum bonum, ac remedium, quàm propriam reputationem in hominum opinione.

*Ex huiuſmodi contactu non contrahebatur immundities.*

*Chriſtus pluris æſtimat noſtrum remediū, quam ſuam reputationem.*

63. Boſtrenſ. Tertiò, Titus Boſtrenſis. *Ob id autem*, ait, *loculum tetigit, ſeu feretrum, quia voluit, vt hinc diſceremus, corpus Chriſti Dei noſtri corpus vitæ eſſe, eiuſdémque carnem vnigeniti filij Dei, verbique cunctipotentis carnem.* Ad ſuſcitandum hunc adoleſcentem, non ſolùm vtitur imperio, ſed etiam tactu, quamuis aliàs videretur, quod lex ſtatueret immunditiem ex contactu cadaueris, vt ita omnibus oſtenderet, carnem ſuam, vtpote vnitam Verbo, eſſe viuificam, virtutémque habere mortuos ſuſcitandi, mortem, ac corruptionem interimendi. Idem iam notaui ex D. Cyrillo tom.2. Epiſt.29. quæſt.15.

*Caro Chriſti viuifica, virtutémque viuificandi habet.*

64. D. Ambr. Quartò, D. Ambroſius lib.5. in Luc. in præſenti. *Spem reſurgendi*, ait, *habebat mortuus, quia ferebatur in ligno. Quod etſi nobis ante non proderat, tamen poſtquam Ieſus id tetigit, proficere cœpit ad vitam, vt eſſet indicio, ſalutem populo per Crucis patibulum refundendam.* Sufficiebat Chriſti imperium; ad quid tetigit? Vt cunctis ſalutiferæ Crucis virtutem indicaret. Aſportabatur defunctus in ligno, quod licet ante Chriſti tactum non daret vitam, ſed potius mortem; tamen poſtquam Dominus in ſua paſſione illud tetigit, iam cunctis ita eſt viuificum, vt non niſi virtute Crucis ſalus, & vita conferatur. Vnde, vt adoleſcens iſte reuiuiſcat, Crucis figura adhibetur.

*Salus, & vita, non confertur, niſi Crucis virtute.*

65. Quintò, tetigit feretrum, vt hoc ſigno portantes à greſſu ceſſarent, & ita cunctis circunſpicientibus, ac attendentibus fieret miraculum, vt ita illius auctor ipſe pro gloria Dei ab omnibus agnoſceretur. Sextò, hoc tactu oſtendit, ſe non horrere mortem, & ſepulchrum, quo hominibus vitam compararet. Septimò, exhibuit Dominus hoc ſignum, cum ferentes gradum ſiſtunt; & defunctus tunc euocatur ad vitam. Sed cur, non, quando progrediuntur? Quia vt quis mortuus in peccato ad veram vitæ gratiam reſurgat, neceſſe eſt, vt à gradu ceſſet, ab improba ſocietate, ac comitatu iniquorum, qui ipſum demergebant in mortem, ac in infernum.

*Deus vult recognoſci auctor in ſuis operibus.*

*Vt quis ſurgat ad vitā, à mala conuerſatione recedat.*

66. Matth. 18. Ait Chriſtus Dominus. *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi, ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus habentem mitti in ignem æternum.* Matth. 18. num.8. Sed quinam eſt iſte pes, vel manus, qui tantam minatur ruinam? Eſt ne pes, vel manus materialis? minimè: ſed eſt amicus, & ſocius, qui ſuis greſſibus, ac comitatu te pertrahit in gehennam. Si ergo vis ad vitam ingredi, ita ſiſte gradum, vt ipſum pedem, ſeu amicum abſcindas, & proiicias à tuo affectu. D. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus homil. 60. in Matth. *Non enim hæc*, ait, *de membris dicta ſunt, ſed de amicis, ac neceſſarijs, quos quaſi membra nobis coniunctos ducimus: Nil enim ita pernicioſum, ac peſtiferum eſt, vt conſuetudo prauorum hominum, & conuerſatio.* Idem docent ibi Theophylactus, ac Euthymius. Et rectè ipſe Chryſoſtomus homil.17. notat, quod verbum illud: *Proijce abs te:* non quemlibet receſſum, ſed valdè vehementem diſiunctionem ab iniquo ſocio ſignificat.

*Mala ſocietas abijcienda.*





67. Geneſ. 19. Cum iam in proximo Sodoma eſſet ſubuertenda, *Cogebant Lot Angeli dicentes, Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Geneſ. 19. n.19. Vatablus. Vatablus legit vltima verba: *Ne fortè puniaris punitione ciuitatis.* Si Lot non exiret, comprehenderetur in pœna ciuitatis: non ne ipſe ſanctus, Geneſ. 18. & innnocens erat, & vt dixit Abraham: *Abſit à te Domine, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiátque iuſtus, ſicut impius: non eſt hoc tuum.* Geneſ.18.num.25. Deinde ipſe Lot poterat ſeruari etiam mediis ab ignibus, vt pueris Daniel.3. Hebræorum in camino fornacis contigit. Daniel.3. num. 24. Si Lot manſiſſet in ciuitate, in combuſtione eius omnes illius amici, ac generi ſui, qui erant accepturi filias, ad eum confugerent, à quibus circunſeptus teneretur: & adeò in comitatu difficilè eſt, diſcernere iuſtum ab iniquo, vt ad hoc veluti nulla perſpicacia intellectus videatur ſufficiens; ita enim inter impios periclitatur innocentia, vt quandiu inter illos eſt, ab illorum ſupplicio tuta non appareat. Vt ergo tuta ſit, & incolumis in vitam ſeruetur, neceſſe eſt, vt ab eorum conſortio exeat, & recedat: nam, vt ait D. Cypr. D. Cyprianus lib. de ſingularitate Clericorum. *Mala ſocietas corruptionem ſeminat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fouet, confuſionem mercatur, criminationes exaggerat, & per infinita dedecora ſimplices mortes inuehit in perditionem.* Vide ſuprà cap.1. num. 172. & cap.8. num. 21. Vide tom. 1. lib.2. cap. 4. num. 97. & 102. & lib. 3. cap.2.n.4. & tom.2.cap.24.n.36.37.& 38.& cap.7.n.85.

*Iuſtus in comitatu iniqui vix poteſt diſcerni.*

*Iuſtus in ſocietate iniqui periclitatur.*

---

## Qvæstio XIII.

### *Quare Chriſtus Dominus, ſuſcitaturus hunc defunctum, clara voce ait:* Adoleſcens, tibi dico?

68. Rationem germanam huius rei iam dedi in expoſitione. Chriſtus enim Dominus verbis, ac operibus, ſe verum eſſe Deum, declarat; nam, vt Deus, alloquitur mortuum, tanquam viuum, cuius ſolius vocem mortui audire poſſunt. Rom.4. Qui, vt ait Apoſtolus Rom.4. num.17. *Vocat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* Vocando enim facit, vt ſint; & ideo, vt ſuum imperium manifeſtaret, appoſuit: *tibi dico:* vt iam eſt notatum. Se autem Deum declarat, mortuum ſuſcitando, & ita in ipſo verba correſpondent operibus, ac omnia ſunt conſona.

*Chriſtus verbis, & operibus ſe Deum oſtendit.*

69. D. Baſil. Sel. Ioan. 11. Secundò, D. Baſilius Seleucus orat. 10. *Cur addidit illud, tibi? ſimplicius enim dictum fuit: Heus mortue, ſurge: ſed Saluatoris vox alios fuiſſet etiam virtute ſua mortuos excitatura. Ideo adiecit illud, tibi, vt ad eum tantummodo mortuum gratiæ ſuæ vim explicaret. Id & circa Lazarum fecit. Non dixit, Heus tu mortue ades dum, ſed nominatim mortuum compellat, Lazare, veni foras.* Ioan.11. num. 44. Ad vnum ſpecialiter dirigit Dominus ſuam iuſſionem, *tibi dico*; tanta eſt enim efficacia diuini halitus, ac cæleſtis vocis, vt dum infernos tangeret, niſi ad vnum determinaretur, omnes mortuos vocaret ad vitam, omneſque in ſepulchro demerſos excitaret in perfectam ſalutem. Vnde in ſuſcitatione Lazari non dixit, ſurge mortue, ſed ſpecialiter, *Lazare, veni foras.* Sic, & vt Archiſynagogi filia reuiuiſcat, tenens manum defunctæ ait? *Puella, tibi dico, Surge.* Marc.5.n. 41. & Luc.8. n.54. Marc.5. Luc. 8. Et hi ſunt tres mortui, quos Chriſtus ſuſcitauit, & eos ſemper determinatè vocauit.

*Quanta ſit efficacia diuinæ vocis.*



Tertiò, D. Ambroſius lib.5. in Luc. *Verbo Dei etiam mortua reſurgunt cadauera: vox redit, redditur filius matri, reuocatur à tumulo, eripitur à ſepulchro.* Tam efficax eſt vox Dei vocantis, vt etiam è tumulo mortuos trahat. 70. D. Ambr. Quartò, Hugo. Hugo. *Vt oſtendatur, quod per gratiam ſit adoleſcens.* Nam ait Chriſtus, Adoleſcens ſurge, non verò ſurge mortue, vel ſurge fili huius mulieris, nec eum ſuo nomine vocat; quia, etſi in illo exprimeretur publicus, & veteranus peccator, tamen hic vocatur adoleſcens, quoniam peccator, dum per Dei vocationem à ſuo ſe lapſu erigit, per Dei gratiam reformatus in ſenſibus, ac cogitationibus ſuis innouatur. Rom.12. Pſalm.102. Rom. 12. n. 2. *Reformamini in nouitate ſenſus veſtri.* Pſal. 102. n. 5. *Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.*

*Per gratiam peccator renouatur in ſenſibus.*

71. Caſſian. Quintò, Non vocat eum ſuo nomine, vt feciſſe legitur in Lazaro, vt modò dixi; ſed ait, *Adoleſcens.* Rectè Simon Caſſianus lib. 5.cap.13. *Non nomine proprio*, ait, *ſed ætate eum nominans ab inferis reuocat: innuens, quod ætas eſt aliquando in culpa; feruet in iuuenibus ſanguis, & animoſitas, cùm deprauatur, ad omnia, eſt eis, ad iram, ad cædes, ad mortes, ad prædam, ad lubricitatem.* Quod iam notaui ſupra n. 19.

*Ætas aliquando culpæ cauſa.*

72. Sextò, Adoleſcentem, in quo peccatoris figura exprimebatur, nominatim voce alta vocat; ſunt enim multi peccatores adeo abſoprti, & ſopiti in delictis ſuis, vt, niſi ſpecialiter excitentur, alios vocare præſumant: & ideò, vt ipſi veniant, & à peccatis deſiſtant, exigitur, vt ſingillatim ad eos dirigatur ſermo, ac ſpeciali voce compellantur. 2. Par.26. Vnde Azarias ſummus Sacerdos nominatim increpauit regem Oziam, ſacerdotale munus vſurpantem. *Non eſt*, ait, *tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino.* 2. Paralip. 26. n. 18.

*Peccatores ita ſopiti, vt, non niſi nominatim vocati, veniāt.*

73. Cùm Iſraël ſe vidiſſet coinquinatum, quia vnus ex populo tulit de anathemate Domini, ſeu de ſpoliis Iericho contra Dei mandatum; altera die mane ſurgens Ioſuë ex Domini mandato, vt notant Abulenſis, Lyranus, & alij, per ſortes Abulenſ. Lyran. applicuit omnes tribus Iſraël; & comprehenſa eſt tribus Iuda; quæ per omnes familias ſuas oblata, inuenta eſt familia Zare. Ioſue 7. Illam quoque per domos offerens reperit Zabdi. *Cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda.* Ioſuë 7. num. 18. Tecum loquor, miſerrimè Achan: Vides, quod Deus, cuius intuitum nihil fugit, tui criminis adeſt inueſtigator. Vides, quod iam tribus tua, familia tua eſt inuenta, & quod iam ſors per tuos maiores deſcendit: & quod infallibiliter te ipſum comprehendet: cur diſſimulatè te non abſcondis? Cur non fugis à tanto ſupplicio imminente? Vel, cur non fateris tuum peccatum, vt poſtea feciſti? ſed quietus aſſiſtis tanto ſcrutinio, in quo capiendus es?

*Peccator, ſi non nominatur, delictum non agnoſcit.*

Stabat Achan ita obſirmatus, ac obduratus in ſuo peccato, vt inter tot diuina ſigna, valdè efficaciſſima ad cor hominis commouendum, ipſe minimè ſit excitatus, ſed adhuc planè ſuum peccatum non agnouerit, vt fateretur, ac vt tantam pœnam timeret, donec per ſortes ipſe perſonaliter deſignatus eſt; tunc ad vocem Ioſue ſuum delictum confeſſione profert: *Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic feci.* ibidem num.20.
Tertull. D. Cypr. D. Ambr. Sed tardè iam hæc loquitur, vt notant Tertullianus lib. de pœnitentia, D.Cyprianus lib. de Lap. D. Ambroſius in Pſalm.37.

74 Duæ parabolæ proponuntur Dauidi, quarum vnam facillimè percipit. Venit mulier Thecuitis ad Dauidem, vt deprecaretur pro Abſalon; & proponit quandam figuram; quod ipſi erant duo filij,
2. Reg.14. *qui rixati ſunt in agro, & percuſſit alter alterum, & interfecit eum.* 2. Reg. 14. num.6. & conſurgens vniuerſa cognatio mea quærit filium meum, vt interficiat eum, & deleat meum hæredem. Quæ omnia benè, ac faciliter ſine multa expoſitione calluit Dauid, immò & ipſum auctorem parabolæ: *Nunquid manus Ioab tecum eſt?* ibidem n. 18. Poſtquam Dauid obdormiuit in ſui adulterij peccato, ex viſione Dei venit ad ipſum Nathan Propheta; & proponit ei parabolam viri diuitis, qui tulit ouem pauperis; quam non intelligens Dauid, apud ſe ſtatuit, ſermonem eſſe
2. Reg. 12. de alio, aitque: *Filius mortis eſt vir, qui hoc fecit.* Tunc ait ei Popheta: *Tu es ille vir.* 2.Reg.12. num. 7. qui & totum Regis crimen, tam quoad adulterium, quàm quoad mortem Vriæ, ei valdè
*Difficiliter homo ſuum peccatum intelligit, niſi excitetur.* minutim exponit. Cur in colloquio mulieris, totum vſque ad inuentorem ſermonis tam promptè penetrat Dauid, qui cum Propheta tam tardus ſe habet, vt larga, & profunda expoſitione egeat? Dauid, vtpotè maximè ſapiens, totum mulieris negotium pro reconcilianda gratia erga Abſalon facilè cognouit: at coram Propheta, cum eſſet ſopitus, ac abſorptus in ſuo peccato, de quo in ſermone tractabatur, ideo illud minimè calluit, nec intellexit, quouſque ei diſertè dicitur:
D. Ambr. *Tu es vir ille.* Huc aduoco D. Ambroſium in poſteriori Apologia de Dauide cap.11. *Sciebat Nathan, quod Dauid neſciebat: adeò caligat animus obumbratus quadam nube vitiorum. Deinde hinc eſt Nathan, qui in ſuperioribus Dauid acceptum Domino prophetauit, vt doleret, redargutum eſſe peccatum.*

*Lucæ 7. n. 15.* Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et reſedit defunctus ille.

*EXPOSITIO IV.*

75 ET in textu vim habet pro illico, ac ſtatim, ad imperium Chriſti *reſedit*, hoc eſt erexit ſe, vt ſederet in feretro, in quo portabatur, quod ſine dubio erat omnibus conſpicuum, vt ita reſurrectio mortui fieret omnibus manifeſta. Et non dixit Euangeliſta, reſurrexit, ſed ait, *reſedit, & cœpit loqui*, vt ſimul iiſdem verbis ſcriberet, ac probaret veram hominis reſurrectionem, de quo ſtatim. *Cœpit loqui*, reſuſcitatus, ac ſanus effectus vitæ functiones cœpit exercere. Reſuſcitatus es, ô homo, ex morte infidelitatis, vel peccati ad veram vitam fidei, ac gratiæ, vt ſis Chriſti diſcipulus, præbe ſigna hominis fidelis, ac Chriſtiani; præbe ſigna iuſtificationis, ac Chriſti diſcipuli. *Qui reſurrexit ad vitã, præbeat vitæ ſigna.* *Ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus.* Iacob.2. num. 18. Iacob.2. Quid autem iſte homo locutus fuerit, Euangeliſta non ſcribit. *Quid locutus ſit homo iſte.* Communiter Doctores cum D. Bonauentura meditantur, quod in Chriſti laudes prorupit, & ita dixit: *Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Pſalm. 65. Pſalmus 65. num. 16. Vel: *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Pſalm. 117. num.18. Pſalm. 117. *Et dedit illum matri ſuæ.* Data dextra ſua eum in pedes erexit Chriſtus, & è feretro deſcendentem duxit ad matrem, reddiditque illi rediuiuum filium, quo mater perfectam conſolationem eſt aſſecuta. Ipſa verò perſolutis gratiis Ieſu pro tanto beneficio, vnà cum filio lætanter abiit in domum ſuam. Cur verò Euangeliſta decantatas laudes à filio, vel matre in gloriam Chriſti, non ſcribat, dicam commodiùs infrà.

# QVÆSTIO XIV.

## *Quare cum Chriſtus dixerit:* Adoleſcens ſurge; *Euangeliſta non ſcribit de eo, quod ſurrexerit, ſed quod reſedit, & cœpit loqui?*

AD vocem Chriſti, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*; ſtatim ipſe reſurrexit, & poſtea *reſedit, & cœpit loqui*; tamen Euangeliſta, quod fuit prius, nempe reuixit, ſupponit, ac prætermittit; & ſolùm enarrat, quod reſedit, ac locutus fuit. Ad quod 76. *Ratio difficultatis.*

Primò reſpondet Titus Boſtrenſis. *Ne cui ſecundum externam tantùm faciem, & non verè reſuſcitatus videretur; ſiquidem ſedere, & loqui veræ ſuſcitationis ſunt argumenta: corpus enim exanime, neque ſedere, neque loqui poteſt.* 77. Boſtrenſ. Idem habent Theophylactus, D. Bonauentura, Carthuſianus, & alij. Theoph. D. Bonau. Carthuſ. Talis enim ſcribendi ſtylus multo efficacior extitit, ita ponens reſurrectionem, vt ſimul eam manifeſtis indiciis probaret, ac oſtenderet. Sic & Chriſtus reuocans Lazarum in vitam, vt notat Chryſoſtomus homil. 63. in Ioannes, nondixit, Lazare reſurge, ſed, *Veni foras*, vt greſſus hominis illius viuificationem teſtaretur. D. Chryſoſt. Eximia Chriſti beneficentia, non verbis, ſed potius operibus, ac donis declaratur, & manifeſtatur. *Chriſti beneficẽtia in nos non verbis, ſed operibus declaratur.*

Secundò, Simon Caſſianus lib.5. cap.13. *Reſedit ad ſedem rationis, & ad iudicium eius internè reuerſus eſt. Et cum Dominus dixerit: Surge, non ſurrexit totus in corpore, ſed reſedit: ad illam reſurrectionem rationis introrſus refertur, vbi primò prolapſus; vbi primò eſt reſurrectio celebranda, vbi primò eſt malè agentis quies.* 78. Caſſian. Ingenioſè premit verbum, non enim dixit Euangeliſta, ſedit, ſed *reſedit*, quod ſignificat iterum ſedere; quia ad ſedem ſuæ rationis, ac iudicij reuerſus eſt, vt ibi adhibeatur medicina, vbi morbus incepit. Lapſus, ac mors iſtius adoleſcentis habuit ſuum initium ex eius deprauato iudicio, ac ratione; quoniam præcipitando ſe in omnibus vitiis, ac peccatis eam amiſit. *Ad radicem mali efficaciter remediũ eſt adhibendum.* Vt ergo vitam deperditam recuperet, iterum ad ſedem rationis euocetur, vt euacuata veneni origine ſalus, & vita tota diffundatur, ac perfecta valetudine gaudeat; ad radicem enim mali primò, & efficaciter remedium eſt adhibendum.

79. Haymon. Tertiò, Haymon. *Seſſio humilitatem ſignat. Reſidet peccator, cum incipit pœnitentiam agere, cum humilitate deflet, quidquit deliquit, aut cogitando, aut loquendo.*
Pſalm. 138. Sedere frequenter in Scriptura humilitatem denotat. Pſalm.138.num.2. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meã.*
Ierem.13. Ierem.13. num.18. *Dic regi, & dominatrici: humiliamini, ſedete.*
Ierem. 15. cap.15. num. 17. *Solus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me.*
Oſeæ 14. Oſeæ 14. num.8. *Conuertentur ſedentes in vmbra eius.*
*Humilitas primus ad pœnitentiæ gradus.* Cum iſte homo ex morte peccati reſurgit ad vitam, primò ſedet; quia primus gradus pœnitentiæ, ac iuſtitiæ humilitas eſt.

80. D. Bonau. Quartò, D. Bonauentura conſiderat has tres actiones. Reſedit, loquitur, redditur matri. *Reſedit*, ait, *per contritionem, quæ eleuat caput à terra.*
Pſalm. 126. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Pſalm.126. num.2. *Cœpit loqui per confeſſionem. Redditus eſt matri Eccleſiæ per ſatisfactionem, quia ſatisfacere eſt, debitum reddere, non tantum Deo Patri, ſed etiam matri Eccleſiæ.* *In peccatore contritio, cõfeſſio, ſatisfactio.*
Hugo. Quintò, Hugo. *Non ſtatim ſurrexit: vt noteiur difficultas ſurgendi à peccatis.* Non illico ſurgit totus in corpore, ſed primò reſidet, vt innuatur, quàm difficiliter homo ex ſtatu peccati ſe erigit ad ſtatum iuſtitiæ. *Difficiliter homo ex peccato ſurgit ad gratiam.*

81. Sextò, non dicitur ſimpliciter, quod ſurrexerit totus erectus in corpore, ſicut Chriſtus ei præceperat: *Adoleſcens ſurge:* ſed prius reſedit, vt cognoſcatur diuinæ operationis ordinatiſſimus modus. Inter autem iacere, & ſurgere, ſeu ſtare, medium eſt ſitum reſidere. Vnde adoleſcens iacens, primò fit reſidens; deinde Chriſti porrecta manu ſurgit; & ita paulatim ex iacente mortis ſtatu ſurgit homo in vitam, ſalutiferáſque illius actiones. *Gradatim homo ſurgat ex peccato ad gratiam.* Cum Chriſtus Dominus accedit ad ſuſcitandum Lazarum, non ſtatim ipſum liberum, & abſolutum trahit è monumento; ſed prius, cum optimè omnia ſciret, quærit: *Vbi poſuiſtis eum?*
Ioan. 11. Ioan. 11. num. 34. Et poſtea ait: *Tollite lapidem.* Deinde ipſum vocat: *Lazare veni foras.* Tandem præcipit. *Soluite eum, & ſinite abire.* Ad quid tot præmittit Chriſtus cum primò ipſum ſtatim expeditum poſſet euocare è ſepulchro? Significabatur in Lazaro, vt ait
D. Cyrill. D. Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap.23. peccator obduratus in ſua malitia, ac iniqua conſuetudine; & ideo Dominus, vt eum ad perfectum gratiæ ſtatum adducat, non omnia ſubito operatur, vt poterat, ſed pedetentim procedit, eum gradatim de ſua miſera conditione eleuando.

82. Genеſ.17. Mandat Deus Abrahamo, ac filiis ſuis. *Circuncidetur ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis carnem præputij veſtri.* Geneſ. 17. num. 10. Cur Deus pro filiis Abrahæ tantum partem legis mandat, circuncidere ſcilicet particulam præputij? Cur eis non datur ſtatim tota lex, vt poſtea factum eſt cum Moyſe in Sinai, in deſerto? Perfectio, non in parte, ſed in toto integro compoſito conſiſtit. Vide magnum diuinæ ſapientiæ oraculum. Erant illi homines valdè rudes, & imperfecti; ideo non ſtatim omnia eis amplectenda proponuntur, ſed paulatim per quaſdam virtutum partes ad maiorem perfectionem ducuntur. *Paulatim ad perfectionem accedendum.* Regulariter enim ita accedit: Ad altum cacumen non peruenit, qui omnia ſimul intendit, ſed qui paulatim, ac veluti per partes ſcandit. Pulchrè D. Ambr. lib.1. Abrahæ cap. 4. ſic ait: D. Ambroſ. *Pars mandata eſt ſecundum legem populo Iudæorum, illi infirmo, illi, qui Deum ſuum non cognouit. Vt ſi puerulum litteris imbuas, à ſingulis litterarum elementis inchoandum eſt tibi, vt à ſingulis apicibus ad ſyllabas, à ſyllabis eum per ordinem ad nomina, orationémque deducas. Nec poteſt mare quiſquam nauigare intrepidus, niſi qui ante in fluminibus nauigauerit.*

In fabrica huius machinæ ait Deus: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* 83. Geneſ. 1. Geneſ. 1. num. 11. Poſtea verò ait Deus. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. Creauítque Deus cete grandia.* ibid. num.20. Tandem productis brutis, ait Deus. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* num. 26. Cur cum homo ſit perfectiſſimus inter cætera, non creatur primo loco, ſed vltimo; nam ſi eius creatio cæterorum productionem præcederet, propriis oculis videret potentiam ſui Creatoris operatricem, quo maximè in eius recognitionem ſtimularetur? Cur ergo ad vltimum locum reſeruatur? Vide, ô homo, quomodo ab exordio rerum te diuina ſapientia inſtruit, & docet, vt in tuis operibus ſemper ad altiora ſenſim procedas. *Diuinus artifex te docet, vt à minoribus incipias, vt ad excelſiora deuenias.* Triplex eſt gradus vitæ, primus, & infimus, ſolum vegetatiuus; ſecundus, & altior ſenſitiuus, vt in brutis; tertius, & multo perfectior intellectiuus, vt in homine. Diuina manus, non ſtatim ad excelſiora accedit, ſed prius inferiora producuntur, nempe vegetatiua; deinde nobiliora; tandem illuſtriora, nempe rationalia; & in vnoquoque gradu à minoribus inchoatur; nam herba, cum ſit vilior, præcedit arbores; reptile, cum ſit valdè abiectum, prius habet locum, quàm volatile, & cete grandia; & ad vltimum rationalis ſplendor irradiat. Procopius. Procop. *Inſignis aliqua doctrina per iſta nobis affertur. In tribus differentijs vitalis, & animalis potentia exquiritur. Vna eſt vegetatiua. Huius verò partes ſunt ſolæ plantæ, & arbores. Senſitiua præter prædictam, & ſenſum aſſumit, quæ quidem ineſt brutis. Cæterùm rationalis potentia perfecta, & abſoluta eſt. Hanc homo adeptus eſt: nec abs re nouiſſimè creatus eſt: quaſi ſignificet, ſe vna quadam via inſiſtentem ad perfectionem contendere.* Vide ſuprà cap.1. num. 19. & num. 185. 186. & 187. & tom.1. lib.2. cap.4. num. 50. & tom.2. cap.23. num.19. 20. & 21.

# QVÆSTIO XV.

## *Quare ſuſcitatum adoleſcentem Dominus dedit matri?*

NON ſolum verbis: *Noli flere:* Dominus mulierem conſolatur, ſed operibus etiam valdè 84.

valdè deſideratis, nempe ſuſcitato filio. Quem Dominus non rediuiuum illi dedit. Primò, quia ob eius lachrymas Chriſtus miſeratione motus eſt, vt filio vitam largiretur. Et ſignanter rediuiuus adoleſcens datur matri, vt ei inſeruiat, ac obſequia præſtet, non ſolùm naturæ debito, vt antea, ſed etiam nunc modo nouo titulo, cum ob ipſum tantùm beneficium, ac miſericordiam eſſet aſſecutus.

*Beneficio adſtrictus inſeruiat.*

85. Secundò reſpondet Ericus in homiliario. *Filij ſolatio deſtituta erat mater. Verùm hinc iam beata erat, quod Chriſti pietate mox eum receptura erat, quem ſortis humanæ inclementia amiſerat.* Meritò hæc mulier fœlix, & beata prædicatur, quum ei aufertur filius, quem natura dederat, vt iam, non à natura, ſed à ſpeciali Dei manu eum haberet. Conſidera, quantum ſit diſcrimen inter vnum, & alterum donum: nam filius, quem natura dederat, in flore ætatis effertur, quando ipſa mater eo magis indigebat, vtpotè iam progrediens in ætate. E manu verò Dei conceditur, quando ipſi mulieri erat valdè vtilis, & proficuus, vt cum filio leniret dolorem, in eoque ſuæ viduitatis haberet ſolatium, ſenectutis baculum, & totius prolis germen, ac ſpem. Tertiò, erat & alia mulieris fœlicitas, filium, quem natura dederat, amittentis, è manu tamen Chriſti mox recepturæ, quod in tanto filij dono ſoli Deo ſe agnoſceret debitorem.

Ericus.

*Bona mundi, quando magis neceſſaria deficiunt; dona verò Dei ſemper proficua.*

*Soli Deo te agnoſce debitorem.*

86. Quartò, Haymon. *Redditur matri peccator, cum per miniſterium ſacerdotum, pœnitentia peracta, paci, ac vnitati Eccleſiæ ſociatur.* Exprimitur hic, quod dum homo è morte peccati, præmiſſa pœnitentia, ſurgit ad vitam per manus ſacerdotum, vnitur paci, ac vnitati Eccleſiæ, vt eius fructibus gaudeat, quibus per peccatum erat priuatus.

Haymon. *Homo ſurgẽs à peccato gaudeat Eccleſiæ fructibus.*

87. Quintò, dedit eum matri, vel iam è faucibus mortis ereptum; vel quia ob beneficium vitæ datum, adoleſcens ille iam Chriſti potius, quàm matris erat. Vel quia ita voluit declarare, quod nolebat, apud ſe, veluti magno dominio, retinere hominem, in quem contulerat donum aliquod, atque fauorem. Vt ſolent homines huius ſæculi, qui ſemper intendunt dominari in eos, quos muneribus, ac honoribus affecerunt. Vt Balthazar magno faſtigio Danielem ſublimaret cap. 5. n. 29. *Iubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circundata eſt torques aurea collo eius.* Si Rex tantopere decreuerat, exaltare Prophetam, cur cum purpura non datur eius annulus, quod erat maximum regale ſignum, Daniel. 6. n. 17. Gen. 41. n. 42. Eſther 3. n. 12. Sed ei confertur torques aurea? Vt ſimul cum ipſo honore Prophetam ſibi adſtringeret, ac religaret, vt pro eo Deum exoraret ad veniam illi promerendam, vt docent D. Hieronymus, Theodoretus, Carthuſianus, Lyranus, & alij. Tales ſunt homines, qui ſuis donis te volunt ſemper maximè aſtrictum, ac religatum tenere.

Daniel. 5.

Daniel. 6. Geneſ. 41. Eſther. 3. D. Hieron. Theod. Carthuſ. Lyran.

*Homines iure beneficij alios religare volunt.*

88. At aliter ſe habet ſuperminens pietas Chriſti Domini. Suſcitat ipſe Lazarum, qui è ſepulchro exierat retinens manus, & pedes ligatas. Tunc ait Chriſtus ſuis Apoſtolis: *Soluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. num. 44. Sed ad quid mandatur, quod permittant, eum è loco illo recedere? Ad quid ſpecialiter hoc declaratur? Erat Lazarus valdè nobilis, & tanto Domini beneficio maximè aſtrictum ſe agnoſcebat potius, quàm antea in ſepulchro inſtitis, & facibus. Vt ergo à loco, in quo Chriſtus erat, diſcederet, neceſſe fuit, vt hoc ei diceretur, ac verbis exprimeretur. Et nè etiam quis cogitaret, quod Dominus iure, ac titulo tanti beneficij volebat, eum apud ſe ſemper retinere, ideo mandat, vt eum ſoluant, ac ſinant, pergere, quocumque elegerit. Fauet D. Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap. 23. *Iuſſit Dominus, quod ſinerent, eum abire: non enim ducit eum, neque iubet, ſecum ambulare ad ſui demonſtrationem: exemplum nobis relinquens, quod ex bonis operibus non debemus, noſtram gloriam quærere, aut oſtentationem.*

Ioan. 11. *Accipiẽs beneficium religatus eſt. Ob beneficiũ non eſt retinendus homo, ſed dimittendus.*

D. Cyrill.

89. Quamuis enim Deus, neminem velit coactum, ac inuitum; tamen qui inſignitus eſt beneficiis, ſpontaneè, ac liberè ſua obſequia deferat. Tranſacto diluuio exiens Noë ab Arca, iuxta D. Ambroſ. citandum, *Ædificauit Noë altare Deo.* Gen. 8. n. 20. Non offertur ſacrificium Domino, ſed Deo: nam Dominus denotat dominationem; Deus verò benignitatem, ac affabilitatem. Dicitur ergo ſacrificium illud libatum, non Domino, ſed Deo, vt vnuſquiſque agnoſcat, quod holocauſtum illud, non coactè, vt Domino, deferebatur, ſed liberè, & ſpontaneè, vt piiſſimo Deo, & Creatori. D. Ambr. lib. de Noë, & Arca, cap. 22. *Non dixit*, ait, *Domino, ſed Deo: ſecundum nominis interpretationem non coacta videtur hæc actio eſſe gratiarum, quaſi Domino; ſed virtus iuſti morigera, & grata quaſi Deo.*

Geneſ. 8.

*Gratiarum actio ſit ſpontanea.*

D. Ambr.

## Qvæstio XVI.

### *Quare ſuſcitatio huius Adoleſcentis demonſtratur locutione, puellæ manducatione, Lazari verò deambulatione?*

90. Tres mortuos Dominus ſuſcitauit: filiam Archiſynagogi, Lazarum, & hunc adoleſcentem. Et quælibet ſuſcitatio ſuo ſigno demonſtrata eſt, vera eſſe, & non phantaſtica. Suſcitatio puellæ probatur manducatione: *Iuſſit illi dare manducare.* Marc. 5. n. 43. Luc. 8. n. 55. Lazari deambulatione; mandauit, eum ſoluere, & vt *ſinerent abire.* Ioan. 11. num. 44. Huius verò adoleſcentis locutione. *Cœpit loqui.*

*Ratio difficultatis.*

Marc. 5. Luc. 8. Ioan. 11.

91. Reſpondet D. Bonauentura. *Quod manducatio reſpicit actum vegetabilis; ambulatio actum ſenſibilis, locutio actum rationabilis. Vt hac triplici probatione Chriſtus oſtendatur Dominus animæ ſecundum omnem ſui potentiam, & virtutem.* Triplex gradus eſt animæ, quibus omnibus vtitur Chriſtus, vt in cunctis illi oſtendatur ſubiecta, eique in vniuerſis obtemperet, atque obediat. Vt clamabat Samuel ad populum: *Seruite Domino in toto corde veſtro.* 1. Reg. 12. num. 20. Vt nihil homo ſibi retineat, quod Creatori ſuo non deferat.

D. Bonau.

*Anima ſecundum totã ſuam virtutem ſit Deo obediens.*

1. Reg. 12.

92. Secundò, triplex animæ gradus, vegetatiuus, ſenſitiuus, & rationalis, aſſumitur à Domino in probationem miraculi. Magnus cedebat honor vnicuique gradui, quod in tanto opere Deo inſeruiret. Is enim eſt Deus, qui omnes ſuos ſubiectos ſcit extollere, nec enim omnes honores in vno accumulat, ſed per ſingulos diuidit. Quamuis gradus rationalis ſit cæteris nobilior, non inde in eo coarctantur omnia dona, ſed etiam deriuantur in alios. Immò gradus vegetatiuus, cum ſit ignobilior, ne in diffidentiam abiret, primus aſſumitur

*Deus paruos, & magnos honorat.*

*Ignobilior honorandus, ne abeat in diffidentiam.*



aſſumitur in probationem miraculi, nam ſuſcitatio Puellæ fuit prima. Ita enim Deus omnes, paruos, & magnos ſublimat, atque extollit.

93. Benedicens Iacob filios ſuos ait: *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael.* Geneſ. 49. n. 16. Dan promittitur iudicatura in populo, quod multi de Sanſone intelligunt dictum. Sed Dan, cùm eſſet filius ex ancilla Balam, ita ei defertur iudicij honor, ſicut aliis primis tribubus filiorum, qui ex vtroque parente erant nati. Is eſt Deus, qui honores, ac principatus non in aliquibus determinat, ſed omnes amplectitur nobiles, & ignobiles; filios liberæ, ac ancillæ. Quamuis enim Dan eſſet filius ancillæ, non erit inter ſuos ignobilis, ſed in eius tribu erunt iudices, ſicut in aliis. Abulenſis. *Sicut in aliis tribubus fuerunt iudices in Iſrael, ita fuit iudex tribus Dan, ne minor aliis videretur.*

Gen. 49.

*Deus omnes nobilitat.*

Abulenſis.

94. Nato Iſaac, ait Sara: *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium.* Gen. 21. n. 7. Cur ſic admiratione rapitur, quod illa, quæ peperit filium, illum vberibus lactaret? Mirandum ſanè erat, quod valde annoſa conciperet, & pareret filium; at poſt conceptum, & natum, quid mirabile, ſi lactaret? Caietanus. *Effecit Deus*, ait, *vt ipſa Sara abundaret tantum lacte, vt lactaret, non ſolum filium, ſed filios, hoc eſt multos infantes.* Et ita eſt in Hebræo, vt *lactaret filios*. Erat illa abundantia in vberibus diuino dono data; vnde non ſolum proprio filio, ſed etiam vicinorum filiis lac præbebat. Affluentia illa diuina, non ſolùm in vno, & nobiliſſimo filio ſiſtebat, ſed etiam in alios conditione minores, ac inferiores deſcendebat. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 1. n. 148. & lib. 3. cap. 3. n. 172. & tom. 2. c. 3. n. 203. & cap. 8. n. 34.

Geneſ. 21.

Caiet.

*Diuina dona ad omnes ſe extendunt.*

## Qvæstio XVII.

### *Quare poſt ſuſcitatum hunc adoleſcentem Chriſtus non habuit aliqua verba, vt fecit in aliis euentibus?*

95. Sanitati reſtituit Dominus hominem paralyticum per triginta, & octo annos diſcumbentem; & poſtea vehementer eum admonet de vitæ integritate. *Ecce ſanus factus es*, ait, *iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ioan. 5. num. 14. Et poſtea largum ſermonem exhortatorium habuit ad populum. Similiter & poſt datum viſum Cæco à natiuitate, eum maximè ad fidem diſpoſuit. *Tu credis in filium Dei?* Ioan. 9. n. 15. Et deinde copioſè concionatur ad populum. At euocato hoc Adoleſcente ad vitam (& idem eſt de Puella Archiſynagogi Marc. 5. n. 43. Luc. 8. n. 55. ac de Lazaro. Ioan. 11. n. 44.) cur Dominus ſuſcitatis mortuis, mutat ſtylum, nec aliqua hortamenta dediſſe, legimus? Ipſa experientia mortis in Adoleſcente, mortiſque cognitio in circunſtantibus ita vehementer clamabat, ac commouebat animos ad morum reformationem, ac compoſitionem, vt nulla alia ſuaſionis verba viderentur neceſſaria? plus enim profecit Adoleſcens vna breui hora ſub aculeo mortis detentus, quàm paralyticus acutiſſimis morbi doloribus per triginta & octo annos cruciatus ac vexatus.

*Ratio difficultatis.*

Ioan. 5.

Ioan. 9.

Marc. 5. Luc. 8. Ioan. 11.

*Nil efficacius prædicat quam mortis conſideratio.*

96. Dùm egreſſurus eſſet Iſraël de Ægypto, ait Deus Moyſi. *Dabo gratiam populo huic coram Ægyptiis, & cum egrediemini, non exibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpite ſua vaſa argentea, & aurea, ac veſtes, ponetiſque eas ſuper filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.* Exod. 3. n. 22. Maximè diſquirunt Auctores: Quænam fuerit illa gratia, quæ data eſt Hebræis, qua Ægyptij omnes opes ſuas aureas eis accommodarunt? forſitan fuerunt verba amoris, ac beneuolentiæ? Minimè, nam Ægyptij duro & acerbo animo erant in Hebræos, cùm ob illos tot plagis vexarentur. Forſitan fuit hæc gratia, quia Deus, vel aliquis nomine Dei minatus eſt Ægyptiis, vt omnia ſua ſine contradictione darent Hebræis? minimè: Quænam extitit hæc gratia? Eleganter Lyranus notat, quod Iſraëlitæ ſpoliauerunt Ægyptum nocte illa, qua Angelus eorum primogenitos interfecit. *Quia*, ait *Ægyptij erant intenti ad ſepeliendos mortuos ſuos, quia nulla erat domus Ægypti, in qua non iaceret mortuus.* Diſpoſuit Deus, vt in eo euentu ab Ægyptiis pretioſas gazas peterent Hebræi, quæ tunc ad conſpectum mortis filiorum ita viluerunt, vt abſque aliqua admonitione, ac exhortatione eas inimicis ſuis inuiſis tradiderint; tam efficaciter viſus mortis inſtruit, ac erudit.

Exod. 3.

Lyranus.

*Mortis intuitus vehementer contemptum rerum ad attrahit.*

97. Mortua Sara, ait Scriptura de Abraham. Gen. 23. n. 3. *Cúmque ſurrexiſſet ab officio funeris.* Quæ verba ſic transfert, & commentatur iuxta Chaldæum D. Auguſtinus lib. 1. locutionis in Geneſim. *Surrexit Abraham à mortuo ſuo, non dixit à mortua ſua. Et iterùm de eadem: Et ſepeliam, inquit, mortuum meum: quod non in neutro, quaſi corpus mortuum, ſed in maſculino genere dictum Græca Scriptura demonſtrat.* Petit Abraham ius ad ſepeliendum mortuum ſuum in genere maſculino. Et quinam erat iſte mortuus? Ipſemet Abrahamus, vt ſatis veriſimile videtur. Sed maximè notatu dignum, quod ipſe Patriarcha, qui inter tam præclara vitæ ſanctimoniæ documenta, inter tantos virtutum mirabiles actus, interque tantas viſiones degebat, nunquam ſe veluti mortuum reputat, niſi modo ad conſpectum funeris Saræ. Adeo efficaciter ad huius mortis intuitum omnia huius temporalis vitæ ab animo Iuſti ceciderunt, vt iam ſe, adhuc viuum, tam mortuum, quàm Saram defunctam reputaret.

Geneſ. 23. Chaldæus. D. Auguſt.

*Mortis intuitus parit, vt nos mortuos reputemus.*

*Luca* 7. *n.* 16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum dicentes, quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

*Num.* 17. Et exiit hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo, & in omnem circa Iordanem.

### *Versiones.*

*Vatablus, n.* 16. Propheta magnus exortus eſt inter nos.

*Syriacus.* Et inuaſit omnes timor: & glorificabant Deum, ac dicebant: ſanè propheta maximus ſurrexit inter nos; & inuiſit Deus populum ſuum.

*Num. 16.* Et exiit de eo ſermo iſte in vniuerſam Iudæam, & in vniuerſam regionem circumiacentem.

*Theophylactus.* Et exiit hic rumor in vniuerſam Iudæam de eo.

## *EXPOSITIO V.*

98. SCRIBIT Euangeliſta verba laudis, quæ in honorem Chriſti viſo tanto miraculo vniuerſus populus dedit. *Propheta magnus*, ſeu vt habet Syriacus, *Maximus, ſurrexit inter nos*. Et tamen non ſcribit ea, quæ Adoleſcens ſuſcitatus dixit, vt iam notaui, quia, cùm eſſent ab homine tanto beneficio aſtricto, viderentur alicui ſuſpicione plena, à qua magis erant liberæ à populo proclamatæ laudes. *Accepit autem omnes timor* reuerentialis ſcilicet. Viſis enim magnis operibus ad reuerentiam, ac recognitionem maieſtatis diuinæ excitamur. *Omnes*. In tanta multitudine nullus auſus contradicere; & cuncti laudauerunt Deum, quod non vidimus in aliis miraculis factum, vt Luc. 11. n. 15. Ioan. 9. n. 16. Non aderant hîc forſitan Phariſæi; & tantum proficit ſocietas bonorum deiuncta à malorum conuentu.

*Laudes ab obligato prætermittuntur.*

Lucæ 11. Ioan. 9. *Abeſſe à cõuentu iniquorum multum prodeſt.*

99. *Magnificabant Deum*, Græcè, *Glorificabant* opera Dei magna, ac ea alta voce prædicabant. Quibus autem verbis Deum magnificabant, explicat Euangeliſta: *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis*, Syriacus, *maximus*. Et quamquam multi Recentiores, vt Barradas, & alij intelligant de aliquo magno propheta, tamen accommodatius cum Heſychio homil. 1. de laudibus Virgin. Salmerone, Maldonato, Caietano, de Meſſia interpretandus eſt locus, itavt Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam, confeſſi eſſent: iuxta Deuteron. 18. n. 15. Agnoſcebant enim, illud eſſe tempus aduentus Meſſiæ. *Quia Deus viſitauit plebem ſuam*? nam cum longo tempore Deus non mitteret prophetas, videbatur populi ſui oblitus aliquantulum. Nunc verò, Chriſto apparente, manifeſtum erat, quod populum ſuum reſpiceret, ac illius, benefaciendo, eſſet recordatus. Et nota quod Chriſtus vni adoleſcenti dedit vitam; & tamen omnes clamant, quod Deus in Chriſto viſitauerit, ac beneficio affecerit plebem ſuam: agnoſcebant enim, Dei dona, non in vno anguſtari, ſed in omnes redundare.

Græcus. Syriacus. Barradas. Heſychius. Salmeron. Maldonat. Caietan. Deuteron. 18

*Dei beneficia in omnes redundant.*

100. Beda hîc, quem ſequitur Maldonatus, hanc viſitationem interpretatur de diuini Verbi Incarnatione, in redemptionem generis humani facta, iuxta illud Zachariæ. *Viſitauit nos oriens ex alto*, Luc. 1. n. 68. Sed multò veriſimilius mihi eſt, vulgariter populum non agnouiſſe Chriſti diuinitatem, etiamſi credidiſſent, ipſum eſſe Meſſiam; quia quamuis in litteris diuinis dicatur Meſſias futurus Deus; tamen, vt ipſe Maldonatus fatetur, hoc non erat ita vulgariter notum, vt multi non ignorarent. Vnde viſitatio explicanda eſt de inſigni beneficio in Chriſti aduentu à Deo conceſſo, vt explicat Toletus annotat. 32.

Beda. Maldonat. Luc. 1. Toletus.

101. *Exiit hic ſermo*, ſcilicet fama, & rumor tanti operis, ac miraculi; Non voluit Chriſtus, illud eſſe occultum, quod coram tot teſtibus edidit. *In omnem Iudæam*, ſcilicet promiſſionis terram; *& in omnem circa regionem*, ab oriente Arabiam, à Meridie Idumæam; ab occaſu Tyrum, & Sidonem; ab Aquilone Damaſcum, & Syriam.

# CAP. XIII.

## *Ioannes in vinculis, ac eius laudes.*

*Matth. 11. n. 2.* Ioannes autem, cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Iouehanon autem in domo vinctorum, cùm audiſſet opera Meſchichio, miſit per diſcipulos ſuos.

*Arias Pagninus.* Cùm audiſſet in carcere.

*Vatablus.* Cùm audiſſet in carcere facta Chriſti, miſſis duobus diſcipulis ſuis.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n. 18.* Et nuntiauerant Ioanni diſcipuli eius de omnibus his.

*Num. 19.* Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum dicens:

## *EXPOSITIO I.*

1. QVAMVIS D. Matthæus non indicet ordinem cum præcedentibus; tamen apertè conſtat ex D. Luca: *Nuntiauerunt Ioanni diſcipuli de omnibus iis*, ſcilicet de illis, quæ ſupra dicta ſunt, verbi gratia de Puero Centurionis, ſanato, ac de filio Viduæ ſuſcitato. Et ideo communiter hodie à Recentioribus hæc hiſtoria hîc connectitur.

2. *Ioannes autem, cùm audiſſet*, nempe, vt patet ex D. Luca, ex diſcipulis ſuis. Ioannes enim multos diſcipulos habebat. Matth. 9. n. 14. & Ioan. 3. n. 25. Hi autem diſcipuli magiſtro ſuo Ioanni operâ Chriſti retulerunt, vt notant Chryſoſtomus, Abulenſis, Carthuſianus, ex quodam inuidiæ liuore; deſiderabant enim, quod ſolus Ioannes

Lucas. D Matth. Ioannes. Chryſoſt. Abulenſis. Carthuſian.

nes



nes magnus reputaretur; & quia Chriſtus in omnium opinione creſcebat, inuidebant ei propter ſuum Magiſtrum. Sed diuinus Baptiſta ex hoc eorum defectu aſſumit occaſionem ad illorum ſanitatem, ac ſalutem. Et notandum, quod non dicitur, Ioannem hæc cognouiſſe ſuo ſpiritu prophetico, vt in multis mihi eſt planum; ſed audiſſe à ſuis diſcipulis; quia tanquam magnus Magiſter, data opportunitate arripit anſam, vt eos ad Chriſtum fontem totius bonitatis dirigat.

*Iuſtus ex malo ſumit occaſionem ad bonum.*

3. *In vinculis*, ſeu, vt habent Arias, Pagninus, Theophylactus, *In carcere*, ſeu, vt legit Syriacus, *In domo vinctorum*. Hic autem carcer erat in caſtello nuncupatô Machærus de ditione Herodis, vt teſtatur Ioſephus lib. 18. Antiquit. cap. 10. Ipſe enim Ioannes miſſus erat in carcere ab Herode propter Herodialem. *Opera Chriſti*, magna, ac eximia eius miracula. *In carcere*, in quo non pertractantur niſi facinora, & crimina, Chriſti opera referuntur: àderat ibi Ioannes; & vnius iuſti præſentia, ac conuerſatione cuncta redduntur ſalutifera, ac proficua. *Mittens duos de diſcipulis ſuis*. Cùm enim Ioannes iam proximus eſſet morti, vt docent D. Hilarius, Chryſoſtomus, D. Thomas, & alij, tanquam optimus pater, ne diſcipulos ſuos in cauſa ſalutis relinqueret in aliqua dubitatione, eos ad Chriſtum mittit, vt ab ipſo inſtruantur, ac illuminentur, credantque, ipſum Chriſtum Ieſum eſſe verum Meſſiam, ac Ioanne multò maiorem.

Arias. Pagninus. Theophyl. Syriacus. Ioſephus.

*Ex vnius iuſti conuerſatione quãta bona.*

D. Hilarius. D. Chryſoſt. D. Thomas.

---

## QVÆSTIO I.

### *Quare diuinus Baptiſta hîc deſcribitur in vinculis?*

4. PRÆSENTEM quæſtionem latè tractaui tom. 2. cap. 3. q. 2. 3. & 4. Vbi cauſas eius incarcerationis explicaui: nunc verò hîc aliud quæro; cur ſcilicet tam accuratè deſcribitur in vinculis? Et ratio litteralis eſt manifeſta, quia ipſe non venit ad Chriſtum, ſed miſit. Quanto autem ſplendore virtutis ibi fuerit, accipe Chryſoſtomum in Imperfecto homil. 27. *Ioannes*, ait, *ſpecie homo, gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo, niſi viſio ſola: corpore tenebatur in carcere, anima autem in cælo; & quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille ſuſcipiebat pro beneficio; & ira illius, quaſi Dei miſericordia fruebatur.* Ita enim alienus erat ab omni carnis affectu, vt veluti Angelus viueret.

D. Chryſoſt.

*Ioannes alienus ab omni carnis affectu.*

5. Reſpondeo ad quæſtionem. Primò, Deſcribitur Ioannes in carcere, ac vinculis in argumentum ſuæ eximiæ auctoritatis, ac ſanctitatis: nam pro eo tempore regnabat Herodes, & iniuſtitia dominabatur; & tunc in humili loco, ac vinculis aſtrictum teneri, nil illuſtrius, ac nobilius. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: *Cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Matth. 19. n. 28. Rectè aduertit Chryſoſtomus homil. 65. *Non enim ſedebitis ſolummodo dixit.* Non enim ſimpliciter, & abſolutè dixit, ſedebitis & vos; ſed deſignat tempus, cùm ſederit filius hominis. Cùm enim iuſtitia ſuum thronum, ac ſedem conſtituerit; tunc & vos veſtras cathedras aſſecuti eritis, quia tunc magnus eſt honos, ſimul regnante iuſtitia regnare. Et ita explicat Euthymius, *Conregnabitis mihi.*

*Magnus honor, eſſe in carcere, cùm regnat iniuſtitia.*

Matth. 19. D. Chryſoſt.

*Valde illuſtre regnare, regnante iuſtitia.*

Euthym.

6. Secundò, Introducitur hîc Ioannes in carcere inter vincula in vili loco detentus, in quo veluti propriæ opinionis apud vulgus oblitus, diſcipulos mittit ad Chriſtum, vt eius vera luce, ac intelligentia illuminentur: Vt inde agnoſcas, quàm falſum, ac à vero alienum ſit iniquorum dogma, qui præexcelſam eminentiam volunt inueſtigare, non à virtute, ac præclaris factis, quibus quis nitet, ac reſplendet; ſed à loco, quem tenet, & poſſidet: cùm in hoc multus lateat error; in illis verò aperta ſit veritas. Ioannes in abiecto clauditur ergaſtulo; & tamen eius eximia charitas, ac virtus illum toti indicant Orbi, quàm præexcelſo faſtigio in omnibus emineat vniuerſo.

*Celſitudo nõ ex dignitate loci, ſed ex operibus auſpicanda, eſt.*

7. Mira magnitudine, ac pulchritudine Sol exoritur, ac perueloci, ac agili curſu circumagit per Orbem, ſuam lucem diffundens, qui, vt ſponſus aſpectus ſui gratia omnia condecorat, vt inquiunt Conimbricenſes lib. 2. de cælo cap. 5. q. 2. art. 2. Qui eſt veluti mundi oculus, iucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia; cuius excellentias conſiderans regius Vates ait de eo: *Exultauit, vt gigas, ad currendam viam; à ſummo cælo egreſſus eius.* Pſal. 18. n. 7. Ac ſi dicat: Si à me quæratis, à quo loco egreditur tanta velocitate, ac pulchritudine? dicam, à ſummo cælo. Ex quo grauis dubitatio exoritur. Nam ſi Philoſophos conſulas, inuenies, quod cæleſtes orbes ita numerantur: Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iuppiter, Saturnus; & tandem Empyreum ſupremum eſt cælum. Quomodo ergo Sol, qui in quarto conſtituitur, à ſuprema ſphæra exire proclamatur? Relictis aliis expoſitionibus grauiſſimorum Patrum, Richardum modò ſequor in 2. diſt. 15. q. 5. qui ita ait: *Egreditur à ſummo cælo, non loco, & vaſtitate; ſed virtute, ac efficacitate.* Multi cæleſtes orbes Sole ſuperiorem habent ſphæram; tamen eorum celſitudo, ac magnitudo, non à loco, ſed à benigna influentia auſpicatur, qua Sol alios multum præcellit, cuius ratione de eo decantatur, quod à ſummo cælo ſit egreſſus eius.

Conimbric. Pſalm. 18.

Richardus. *Vera magnitudo, non à loco ſed à beneficentia deprehenditur.*

8. Agens Moyſes de Orbis creatione, ait: *Fecit Deus duo luminaria magna*, ſcilicet Solem, & Lunam. Gen. 1. n. 16. Ex quo oritur grauiſſima quæſtio: Quonam pacto dicantur luminaria maiora, cùm præter Mercurium, qui in ſecundo cælo reſidet, nulla alia ſtella ſit in cælo, quæ magnitudine Lunam non ſuperet. Quomodo ergo ipſa dicitur vna è duobus luminaribus magnis? Luna maior eſt cæteris, non mole corporis, ſed efficientia, ac virtute; nam præter Solem ipſa terram magis illuminat, magiſque in hæc terrena corpora influit, & magnitudo, ac celſitudo cæleſtium corporum, nec à vaſtitate molis, nec à loco, ſed à virtute, ac efficientia deprehenditur; vnde cum Luna cæteris ſtellis præter Solem in hoc præſtet, inde tantam dignitatem eſt aſſecuta, vt eis maior ſcribatur. D. Baſilius homil. 6. in Hexameron. *Non enim Sol, & Luna, ait, quia maiorem, quàm ſtellæ minores obtinent molem, ideo luminaria magna dicuntur; ſed quia tanti ſunt ambitus, vt is, qui ab ipſis diffunditur ſplendor, cælum colluſtret, & aërem, ad vniuerſam terram ſimul, maréque ſeſe extendat, cunctáque compleat.*

Gen. 1.

*Magnitudo non à vaſtitate molis corporea, ſed ab efficientia conſideranda*

D. Baſilius

9. Multa ignorantia dixit Lucifer: *In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum;* Iſai. 14.

*ſedebo*

ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detreberis.* Iſai.14.n. 13. O quanta ſtultitia, inſania, ac inſipientia repleta ſunt hæc verba ! Intendis, te Deo aſſimilari, & nihil aliud cogitas, niſi de ſublimitate ſedis, cùm tamen ſuprema Dei excellentia, non tam à celſitudine loci deprehendatur, quàm potiùs ab admirabilibus eius operibus, ac eximia beneficentia, qua mundum creauit, fouet, ac conſeruat, vt notauit Tertullianus in Apologia aduersùs Gentes. *De nihilo*, ait, *expreſſit in ornamentum ſuæ maieſtatis.* Quomodo hæc Lucifer non percepiſti ? Sed ita obcæcatus eras, vt tam facilia non intelligeres, ideo *ad infernum detraheris in profundum laci.*

*Magna ignorantia, ex loco, non ex operibus magnitudinem inueſtigare.*

Tertull.

## Qvæstio II.

### *Quare Ioannes dicitur, quod in vinculis audierit opera Chriſti?*

10. D.Paſchaſ. RATIONEM litteralem iam dedi ſuperiori quæſtione, quia tunc erat in carcere, & ibi facta Chriſti referebantur. Ad ſenſum moralem optimè D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Quia Chriſtus*, ait, *cùm audiſſet, quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam, ad quem iam de carcere mittens diſcipulos ſuos, ait illi, Tu es, qui venturus es.* Chriſtus, vt ſcribunt D. Matth. 4. n.12. & Marc. 1. n. 14. cùm audiſſet, quod Ioannes poſitus eſſet in carcere, tanquam valde offenſus, quod ſuus Baptiſta tam inhumanè, ac dirè tractaretur, ſeceſſit in Galilæam. Ioannes verò nunc per omnia Chriſto obſequens, cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittit ad eum diſcipulos ſuos tanquam gratiſſimum munus, ac veluti in gratiarum actionem pro ipſis vinculis, quæ pro Chriſto patiebatur. Vnde ait Cardinalis Hugo. *Audit Ieſum in vinculis, quia intelligit, ipſa diſciplina vincula eſſe Chriſti opera.*

*Ioannes per omnia Chriſto obſequitur.*

Hugo.

11. Chryſoſt. Vnde ait Chryſoſtom.homil.27.in Imperfecto, quod Ioannes ſtabat inter vincula magno animo, magnáque lætitia circunfuſus, *quia*, ait, *verum gaudium eſt Sanctorum, exire de mundo.* Deinde ipſe agnoſcebat, quod ibi in carcere detinebatur, quod Chriſtum prædicauerat, quia quod rectum eſt, geſſerat; ac illud, quod erat iuſtum, & ſanctum, & in munere, ac obligatione ſibi impoſitum, adimpleuerat. Tenebatur Petrus in carcere inter cuſtodes, & ecce aſtans Angelus Domini. *Percuſſoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter.* Actor. 12. num.7. Sed quare Angelus tantam celeritatem, ac feſtinationem commendat Petro? nunquid ipſe timebat, quod cuſtodes expergefacti Petrum impedirent? minimè. Cur ergo tanta recommendatione ait: *Surge velociter?* Eleganter Chryſoſtomus ibi homil. 26. in Acta. *Surge velociter*, ait, *non turbati eſt, & trepidantis, ſed vrgentis, ne moram trahat.* Non timebantur cuſtodes, ſed timebatur, ne Petrus vellet ſurgere, & exire; nam ipſe erat inter vincula in carcere propter iuſtitiam, ac rectitudinem, quam prædicauerat, & inde tam eleganter, ac pulchrè iacebat, quod aliqualiter, noſtro dicendi modo loquor, vereri poterat, an ipſe reluctaret, ab illo loco ſe expedire, ac exire.

*Pro iuſtitia, ac Chriſto pati, valde dulce.*

Actor. 12.

Chryſoſt.

12. Nolunt tres ſancti Pueri, ſtatuam Nabuchodonoſoris adorare, & inde in camino ignis ardentis coniiciuntur: *Hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace.* Daniel 3. n.51. Miro conſenſu, ac harmonia vocis componunt, & canunt carmina. Sed cur tam feſtiuè, ac modula voce decantantur? Pulchrè ibi Theodoretus. *Oſtendentes*, ait, *quanto non adoraſſe præſtantius, & ita hymnum exordiuntur.* Ita ſunt læti, ac hilares, quia ſtatuam non adorauerunt, quia quod pro Dei religione debuerant facere, præſtiterunt; nulla enim poteſt eſſe maior ratio gaudendi, quàm id, quod rectum, obire, Dæmonis ſtatuam contemnere, ac in Dei ſeruitio perſiſtere.

Daniel 3.

Theodoret. *Valde iucundum, quod homo præſtat id, quod eſt iuſtum.*

## Qvæstio III.

### *Quare dicitur, quod Ioannes in vinculis audierit opera Chriſti, non verò turpia facta Herodis?*

13. IOANNES in vinculis commemoratur audiſſe opera Chriſti, hoc enim pertinet ad narrationem hiſtoriæ de miſſione ſuorum diſcipulorum, quam Euangeliſta ſcribit. Senſum moralem quæro: Cur ſolùm dicitur, audiſſe opera Chriſti, non verò delicta, ac adulteria Herodis, cùm frequenter in carcere ſuperiorum, ac gubernatorum crimina pertractentur, ac referantur: tamen Ioannes nil de Herode dicitur audiſſe. Hoc eius eximiæ ſanctitati eſt adſcribendum: Magnæ enim prudentiæ eſt, illis aurem præbere, quibus & remedium præſtare potes. Ioannes antequam mitteretur in carcerem, crimina Herodis audiebat; nam docendo, & prædicando ipſum arguebat, vt in meliorem vitam reformaretur: iam modò vinculis alligatus illa delicta audire non vult, cùm & illis remedium adhibere impediatur. Qui enim delictis mederi non valet, & illa audire fugiat.

*Delicta ea ſolùm tractanda, quibus remediũ poteſt dari.*

14. Luc. 15. Reuertitur Prodigus ille filius ad Patrem. *Cùm autem longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum: dixitque ad ſeruos, citò proferte ſtolam primam.* Luc. 15. n.20. Cùm à longè eum agnouiſſet Pater feſtinanter occurrit, ipſumque amplexatur, ſuíſque brachiis filij nuditatem cooperuit, ac abſcondit; & dum in amplexu retinetur, mandat ſeruis, *Citò proferte ſtolam primam*; tanta enim diligentia, ac cautela adhibetur, ne ſerui filij nuditatem intueantur; ſed Pater vidit illam, quid mirum, quod & ſerui videant? Pater in theſauro ſuo multas ad donandum retinebat veſtes, quarum ſerui expertes erant: Pater, qui habet veſtes, & filij nuditati ſubuenire valet, videat illam; at ſerui, qui huiuſmodi non habent veſtes ad expellendam filij nuditatem, illam nec intueantur, nec videant. D. Chryſologus ſerm.3. *A Seruis*, ait, *ante veſtiri voluit filium, quàm videri: vt ſoli patri nota eſſet nuditas: quia pater ſolus videre filij, non poterat nuditatem.*

*Solus ille nuditatem videat, qui remedium exhibere valet.*

D. Chryſol.

15. Poſtquam Ioſeph venditus eſt à fratribus, atque falſo crimine, ab adultera impoſito, miſſus in carcerem, in quo per multos annos ibi aſtrictus retinetur; tandem explicato ſomnio magiſtro pincernarum, ait ei: *Memento mei, cùm bene tibi fuerit, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere, quia furto ablatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* Gen.40. n.14. Multum ſanè mirabile, quod Ioſeph poſtquam venditus eſt, per quatuordecim annos verſatur in Ægypto, ac ferè ſeptem clauſus in carcere habetur; & tamen nulli cauſam ſuam exponit, niſi valde ſummatim Pharaonis Præpoſito. Abulenſis. *Quia Pharao audiens hoc à Magiſtro pincernarum flecteretur magis ad pietatem, & cauſam eius liberè audire vellet.* Si Ioſeph cum aliis incarceratis ſuum negotium pertractaſſet, querimonias contexere alicui videretur: at cum hoc regio miniſtro, & Pharaoni tam familiari agere, remedium erat quærere, & miſericordiam inuenire. Vide tom.2. cap. 1. q.15.num. 55.

Geneſ.40.



Abulenſis.

*Solum potenti dare remedium calamitas manifeſtanda.*

## Qvæstio IV.

### *Quare Ioannes mittit ſuos diſcipulos ad Chriſtum, & non potius eos erudit?*

16. COMMVNIS ratio huius rei, vt ex D. Chryſoſtomo, Hieronymo, ac aliis Patribus dicam q.9. Ea eſt: Quia, cùm Ioannes eſſet in carcere, & mortem ſuam in proximo præuideret, mittit diſcipulos ad Chriſtum; nam ipſi eius doctrina indigebant, vt depoſito omni erga Ioannem affectu ipſum Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum, ac Meſſiam promiſſum in lege agnoſcerent. Nunc alias rationes quæro ex quadruplici motiuo. Primò ob ſtatum Ioannis. Secundò ob ipſum Ioannem. Tertiò ob Chriſtum. Quartò ob diſcipulos.

*Quotuplex huius miſſionis motiuum.*

17. D.Ambroſ. Primò ob ipſum ſtatum. Erat Ioannes in vinculis. D. Ambroſius ſerm. 1.in feſto S. Ioannis. *Mirari non debemus*, ait, *quod ab Herode miſſus in carcerem, clauſus Chriſtum ſuis diſcipulis intimaret; cùm etiam clauſus in vtero eundem Dominum geſtibus prædicaret.* Magna ſanè Ioannis conſtantia, ac alacritas, vt Chriſtum quærat, ſuumque præcurſoris munus adimpleat. Qui enim in vtero matris pro Chriſto omnia naturæ impedimenta conculcauit, quomodo iam in perfecta ætate ferreis vinculis cohiberi poterat? Multùm enim valet, quod virtus à primis annis in magnis progreſſibus ſe exerceat, ac incipiat. Secundò, Ioannes *venit, vt teſtimonium perhiberet*: tamen ſuos non docet, ſed mittit ad Chriſtum. Nam Ioannes ab Herode detinebatur in carcere; & aliquando voces, ac ſana documenta illius, qui à gratia principis excidit, non exaudiuntur; nec eſt, qui illis fide acquieſcat. Iob.19. n. 7. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo exaudiet: vociferabo, & non eſt qui iudicet.* Nam cùm ille eſſet in ſterquilinio multis malis vexatus, nullus inueniebatur, qui ei aures accommodaret.

*Multum valet, quod à primis annis virtutem ſectetis.*

*Nemo audit laboribus vexatum.*

Iob.19.

18. Secundò, Mittit Ioannes ad oſtendendam ſuam eximiam charitatem in diſcipulos. Bene ſciebat ipſe diuinus Baptiſta, quod ex hac ſua miſſione pullulaturæ erant variæ hominum ſententiæ, etiam in dedecus ſui ipſius, non enim defuere Auctores, qui valde indoctè aſſeruerunt, hanc legationem fuiſſe inſtitutam à Ioanne, quia de perſona Chriſti dubitauerit, vt referam q. 9. & tamen Ioannes cum hac interrogatione eos deſtinat ad Chriſtum: Voluit enim potius ſuum honorem, quàm ſuorum diſcipulorum ſalutem in diſcrimen dare. Accedit Chriſtus ad ſuſcitandum Lazarum, & quærit: *Vbi poſuiſtis eum?* Ioan.11. n. 34. Hîc in præſenti ſic ait D. Hieronymus. *Saluator interrogat, vbi poſitus ſit Lazarus, vt qui locum ſepulchri indicabant, ſaltem ſic pararentur ad fidem, & viderent mortuum reſurgentem.* Cùm ipſe optimè omnia noſceret, quærit locum; ex quo quis inſanè poterat aliquam ignorantiam in eo ſuſpicari, tamen quærit, vt ſic magis illi præparentur ad fidem, cùm viderent ſuſcitatum, quem antea in ſepulchro agnouerant. Proprium eſt enim Saluatoris, magis ſuorum ſaluti, quàm propriæ auctoritati conſulere. Vide quæſtione ſequenti. Secundò D. Baſilius Seleucus citandus ſic ait in perſona Ioannis: *Non enim diſcipuli mei, ſed condiſcipuli eſtis conſtituti.* Tanta erat Ioannis charitas in ſuos, & ita eos mittit ad Chriſtum, vt ab ipſo omnium doctore doceantur, ac inſtruantur.

*Ioannes plus attendebat ſaluti ſuorũ, quàm proprio honori.*

Ioan.11. D. Hieron.

D Baſil. Seleucus.

*Volebat ſuos ſublimare.*

19. D.Bal.Seleu. Tertiò, ob ipſum Chriſtum. D. Baſilius Seleucus orat 34. *Veretur Ioannes*, ait, *ne cùm ipſum in cælis vitam agere diſcipuli accipiant, pertinaci quodam honoris ſtudio, & veteris magiſtri deſiderio, deſerto Chriſto cognominent aliquam Ioanni turbam, eamque Chriſtiano gregi inimicam ducerent.* Ioannes bonus Magiſter, ſed Chriſtus omnium primus, ac principalis erat Doctor. Baptiſta ergo ſuos diſcipulos ad Chriſtum deſtinat, vt ipſum recognoſcant tanquam ſupremum, ac vniuerſalem omnium præceptorem, ne *deſiderio veteris magiſtri*, ſcilicet ipſius Ioannis, in aliquem errorem prolabantur; valde enim periculoſa eſt multiplicitas magiſtrorum, & ideo vnum tantum vult Ioannes, vt ſui recognoſcant. Sic pergit citatus Baſilius. *Omiſſo famulo Dominum recognoſcite non enim diſcipuli mei, ſed condiſcipuli eſtis conſtituti.* Secundò, aliter explicare potes illa verba: *Veteris magiſtri deſiderio*: nam magiſtri amor ſæpe fallit, ac trahit in errores diſcipulos. Tertiò, D. Bonauentura. Mittuntur diſcipuli, vt Chriſtus D. editis miraculoſis operibus apud ipſos multò illuſtrior fieret, quàm quocumque dato teſtimonio, ac proclamatis verbis. Quartò, Vt viſa Chriſti beneficentia, quod mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, plenitudinem eius diuinitatis agnoſcant, cuius præclarus index eſt beneficentia in pauperes, & humiles.

*Valde periculoſa magiſtrorum pluralitas.*

*Magiſtri amor ad multa impellit.*

D. Bonauent. *Plus nobilitatur homo operibus, quàm verbis.*

20. D. Chryſoſt. Quartò ob ipſoſmet diſcipulos, eos mittit ad Chriſtum: nam, vt rectè ait D.Chryſoſtomus homil. 37. in Matth. *Si Ioannes apertè ſuis diſcipulis conſuluiſſet, vt Chriſto tanquam meliori adhærerent, nullo pacto ei crediſſent: vt qui ab ipſo diſtrahi nollent: ſed præcipua Ioannis modeſtia id dictum putantes, magis ipſum colerent.* Rectè Ioannes ſuos diſcipulos ad Chriſtum deſtinat; nam ſi ipſe eis diceret, quod non erat Meſſias promiſſus in lege, ſed quod talis erat Chriſtus Ieſus, cùm diſcipuli Ioannem valde humilem ſpiritu agnoſcerent, hoc dictum eius humilitati adſcriberent. Sunt enim multi adeo fixi, & immobiles in ſua prima opinione, quam ſemel conceperunt, vt ab ea nullo modo flecti, aut amoueri valeant.

*Sepè homines ita ſunt affixi ſuæ opinioni, vt ab ea non poſſint auelli.*

21. 3.Reg.18. Cùm ex iuſſione Achab Abdias quæreret Eliam; cúmque eſſet in via, Elias occurrit ei, & ait: *Dic domino tuo: adeſt Elias.* 3. Reg.18. n.7. Cui cum magna reuerentia, ac humilitate reſpondet Abdias, vt ait Abulenſis ibi q. 14. *Quia erat Propheta*

Abulenſis.

*pheta Domini, cuius verba complebantur, timebat, quod eueniret ei malùm, quod pronuntiaret Elias.* Multis inſtat Abdias, & de veritate prophetica non ſibi vult perſuadere ſubdens: *Tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo, adeſt Elias: cúmque receſſero à te, ſpiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro; & ingreſſus nuntiabo Achab, & non inueniens te interficiet me.* ibidem n. 12. Sed cur Abdias propter hanc ſuam cogitationem, ac præſumptionem non acquieſcit dictis Eliæ, cùm agnoſceret, quod eius verba complebantur; & ideo tam reuerenter eſt allocutus: & aliunde Elias ſæpe tendebat in varia loca, quocumque eum ferebat voluntas. 3.Reg.19.n.3. Et cùm ipſe videret quod Elias occurrit ei, reſpondens ad eius optata, illius ſpiritum propheticum in hoc negocio poterat coniecturare. Cur ergo ſermonibus Eliæ promptè non obedit, ſed recuſat? Semel concepit Abdias hanc opinionem de Elia, quod à ſpiritu Domini aſportabatur in varia loca; & plus detulit, ac credidit opinioni ſuæ ſemel conceptæ, quàm verbo, ac infallibili veritati propheticæ.

3.Reg.18.

3.Reg.19. *Aliquando homines plus credant ſuæ opinioni, quàm verbo ex ore prophetico.*

22. Iudic.16.

Crines à Dalila raduntur Sanſoni, qui ſtatim apprehenditur, ac catenis ferreis ligatur à Philiſthæis. *Poſt aliquod verò tempus iam capilli eius renaſci cœperant, & principes Philiſtinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo.* Iudic. 16. n. 22. Et tunc in magnam ſolemnitatem illius diei eductus de carcere Sanſon ludebat ante eos inter duas columnas ſuper quas tota imminebat domus. Qui ait puero regenti ſe, dimitte me, vt tangam columnas, ſuper quas tota innititur domus. Quod puer libenter præſtitit. Sed ſanè magna ponderatione eſt dignum, quod Philiſthiim euidenter agnoſcebant, quod præclatus ille vir totas ſuas vires habebat in capillis; cùm hos vident iam creſcere, cur eius robur, ac fortitudinem non pertimeſcunt? Vnde ait Abulenſis ibi q.41. *Dicitur de capillis renaſcentibus, ad ſignificandum, quod iam Sanſon habebat fortitudinem, eo quod capilli renaſcebantur* Cur ergo cautè, ac multa circumſpectione non ſe habent cum Sanſone? Cur eum permittunt accedere ad columnas domus? Cur non timent id, quod poſtea euenit? Philiſtiim ſuo conceptu apprehenderunt, ac iudicarunt Sanſonem eſſe imbellem, ac viribus deſtitutum; & ita firmiter huic ſuo iudicio adhæſerunt, vt nulla euidentia ab illo diuelli potuerint, vt illum magnis viribus ditatum recognoſcerent. Vide tom.1.lib.1.cap. 10.n.24. & 25.

Abulenſis.

*Nulla euidentia homo vult diſcedere à ſua opinione.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Ioannes duos tantùm mittit è ſuis diſcipulis?*

23.

IN limine huius quæſtionis duo maximè admiratione digna video: vnum in diſcipulis Ioannis, nam quamuis eius magiſter eſſet in carcere, iuſſione vnius regis potentiſſimi, adhuc ipſum magiſtrum non deſerunt, ſed ei adhærent, ac obediunt. Alterum valde mirandum in Ioanne, qui cùm eſſet in vinculis, non rogat ſuos diſcipulos, ſed cum imperio mittit: quamuis innocentia multa oppreſſione vndique ſit circundata; tamen ſemper cum magna animi generoſitate firma, ac ſecura ſtat. Perbellè dixit D. Auguſt. *Præclarior innocentia Iobi in ſterquilinio, quàm Adami in paradiſo.* Ad noſtram quæſtionem

*Innocentia in aduerſis valde magnanima.*

D.Auguſt.

24. D. Bonau. Abulenſis.

Reſpondent primò D. Bonauentura, Abulenſis quæſt. 8. Quod Ioannes meritò mittit duos, quia hos deſtinabat, vt veritati redderent teſtimonium, ac vt cæteri eis crederent: Lex autem ad integrum teſtimonium non ſuſcipiebat dictum vnius: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Deuteron. 19. num.15. Ideo duos tantum delegat, quia illis vti voluit, quæ ſufficiebant ad teſtimonium, itaut decreuerit euitare ea, quæ ad poteſtatis oſtentationem inſeruire poterant.

Deuteron.19 *Vtendum neceſſariis, & oſtentatio vitanda.*

25. D. Chryſoſt.

Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 37. *Non omnes*, ait, *ſed duos quos forſan faciliores ad credendum cæteris putabat, & qui ſimpliciter abſque ſuſpicione interrogare poſſent, ac rebus ipſis diſcere, quantum intereſt inter Ioannem, & Ieſum, mittere ſtuduit.* Duo pondera in his verbis: *faciliores ad credendum:* nempe qui erant propenſiores, & magis inclinati ad credendum: nam, vt dicunt Theologi, in voluntate ad fidem præcedit habitus piæ affectionis. Secundò, *Qui ſimpliciter abſque ſuſpicione.* Cum Ioannis diſcipuli eſſent æmuli Christo, illos Ioannes ad Dominum delegat, qui nulla paſſione, vel affectu tangebantur; & qui ſimpliciter abſque fuco rem dicerent, ac narrarent: ſemper enim veritas valdè ſuſpecta fuit in ore eorum, qui paſſione aliqua commouentur.

*Ad credendum pia affectio in voluntate. Miniſter ſit ſine paſſione ad veritatem dicendã.*

26. Euthymius.

Tertiò, Euthymius. *Delectis duobus, qui prudentiores eſſent*, hos mittit ad Chriſtum; ad res enim magni ponderis prudentes viri ſunt quærendi; negotium enim in manu inſcientis periclitatur, & ruit. Quartò, Albertus Magnus. Quod mittit duos ex diſcipulis, *fortè magis æmulantibus, vt illis certificatis, etiam alij certificarentur.* Vehementer aliorum animos mouet, dum fortiter æmulans, ac contradicens à ſua opinione decidit, ac veritatem fatetur. Quintò, D. Ambroſius in 7. Luc. myſticè ſic interpretatur. *Iſti diſcipuli ſunt duo populi, quorum vnus ex Iudæis credidit; alter ex Gentibus, qui ideo credidit, quia audiuit.* Significabant duos populos, ex quibus credentes conuenerunt ad Chriſtum.

Albert.Mag. *Præclarum veritatis teſtimonium à magno inimico.*

D.Ambroſ.

27. Abulenſis.

Sextò, duos mittit, quia, vt ait Abulenſis citata quæſt. 8. vnicus vadens mentiri poterat, quia facilè erat; duos autem, non ita facilè mentiri. Sint ergo duo delegati, vt quilibet ſit cuſtos alterius. Nam, vt rectè dixit Caſſiodorus lib.6. var.9. Aliquando *plus veremur hominum oculos, quàm Dei præſentiam.* Septimò, multos habebat Ioannes diſcipulos; & tamen ad negotium ſummi ponderis, cum plures deſtinare poſſet, duos tantum mittit. Erat ipſe in carcere, in loco vili, ac humili; & prudenter decreuit, ſe potius accommodare præſenti ſtatui, in quo reperiebatur, quàm poteſtati, ac imperio, quod obtinebat. Vide ſuprà cap.12. num.2. & tom.1. lib.2.cap.2.n.7. & cap.5. num.59. & cap.4. num.52. & 96.

Caſſiodorus. *Accommodandum eſt ſtatui potius quàm potentiæ.*

28.

Octauò, multos Ioannes habebat diſcipulos; duos tantum ad Chriſtum deſtinat. Excellentiæ eſt, multis ſubditis, ac inferioribus imminere: magnæ verò prudentiæ, paucis vti ad altiſſima negotia obeunda. De Angelorum multitudine ait Daniel. 7. num. 10. *Millia millium miniſtrabant, ei. & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Et tamen quantum nobis conſtat ex ſacris litteris, ſolùm tres habemus ſub proprio nomine, verbi gratia Gabrielem, Michaëlem, Raphaelem, quibus grauiſſima negotia ſint commiſſa. Si tam ampla eſt

*Nec omnia negotia omnibus ſunt committenda*

Daniel 7.

*Maieſtatis eſt, multos ſubditos habere; prudentiæ paucis vti.*



pla eſt multitudo Angelorum, quomodo in tam paucis delegatio ad profundiſſimas cauſas coarctatur? Vt nos inſtruat Dei prouidentia, quod multis dominari, ſupremæ eſt maieſtatis; ſed non minoris ſapientiæ, paucos ad magnas res accerſere, documentum.

29.

Cùm totum regnum Iſraël maximè premeretur triennali fame ob pluuiæ inopiam, decreuit Achab vt ipſe, & Abdias totam illius terram luſtrarent, an fortè reperirent aliquot aquarum fontes, ne omniũ animalia perirent. *Diuiſeruntque ſibi regiones, vt circuirent eas: Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram ſeorſum.* 3.Reg.18 n.6. Cur cùm Achab eſſet rex, & multos haberet miniſtros, ac ſubditos, non per omnes vias, ac tramites mittit aliquos viros deſignatos ad inquirendam aquam; ſed ipſe, & Abdias totum regnum ad diſcurrendum ſuſcipiunt? Agnoſcebat Rex, quod Abdias erat vir iuſtus, ac ſanctus, valdè prudens, ac fidelis, & ideo, vt ait Lyranus, *Rex, & Abdias ierunt ad hoc negotium, vt melius poſſet fieri.* Quamuis Achab eſſet peſſimus, hanc tamen habuit ſagacitatem, quod præſens negotium, in quo totius regni bonum periclitabatur, non multis committit, ſed ſibi ſoli, & vni Abdiæ viro iuſto, & probatiſſimo.

3.Reg.18.

*Magna negotia paucis committenda*

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Ioannes non alios, ſed ex diſcipulis ſuis mittit?*

30. Chryſoſtom. *Ratio dubitandi.*

HANC quæſtionem excitat Chryſoſtomus homil.37.in Matth. *Diſcipulos interrogatum miſit, cum alios mittere potuiſſet.* Propter magnam Ioannis ſanctitatem, non ſolùm diſcipuli eius, ſed etiam multi è populo ad eum conueniebant. Cur nullos alios, ſed ſolùm diſcipulos ſuos mittit?

31. *Quis habeat curam de ſuis ſubditis.*

Reſpondeo primò, Quod, cùm Ioannes eſſet magiſter, peculiariter ei incumbebat, ſuorum diſcipulorum ſaluti attendere; ideo hos mittit, vt à Chriſto erudiantur. Valde enim eorum bono debes proſpicere, qui ſingulariter tuæ curæ commiſſi ſunt. Secundò, Ad interrogationem tanti ponderis, non quicumque, ſed viri, apprimè experientia noti, fuerunt delegandi. Tertiò, Ex hac tam præclara interrogatione magnus honos delatus eſt his delegatis; tum ex ſublimitate rei; tum quia gerebant perſonam totius mundi, ac duorum populorum, vt ſuperiori q. dixi ex D.Ambroſio; & Ioannes ſuos diſcipulos voluit maximè ſublimare, ac extollere,

*Quilibet ſuos honoret.*

32.

Aſtanti in conuiuio rege Balthaſar apparuerunt digiti manus hominis ſcribentis; & cùm in pariete exaraſſent litteras valde ignotas, conterritus Rex *exclamauit fortiter, vt introducerent Magos, Chaldæos, & aruſpices.* Daniel. 5. n. 7. Valde notum erat Balthazari, ac cæteris magnatibus, ex his, quæ cum patre ſuo Nabuchodonoſore acciderant, quod Daniel multa ſcientia, ac ſapientia pollebat ad interpretandas, ac explanandas viſiones: cur non ſtatim, ac primò aduocatur; ſed poſtquam Chaldæi noluerunt Scripturam extricare, tunc introducitur? Litteras enucleanti magnum honoris præmium ſpondebatur, *Quicumque legerit Scripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* ibidem. Quæ omnia regalia ſigna extabant. Vocat ergo Rex primò ſuos Babylonicos; tantum enim honoris ſplendorem deſiderabat potius conferre ſuis conciuibus, quàm homini extraneo, & alienigenæ. D. Hieronymus. *Inolitum, ait, ſuæ gentis ſequitur errorem, vt non Dei prophetam, ſed Magos, & Chaldæos, & aruſpices vocet.* Vide tom.2.cap.8.num.30. & 31. & cap.22.num. 39.

Daniel. 5.

*Princeps potius velit ſuos conciues honorare, quàm alienigenas.*

D.Hieron.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare diſcipuli Chriſti in horto fugiunt, quando ipſe comprehenditur à Iudæis: diſcipuli autem Ioannis ad eum veniunt in carcere?*

33. Albert. Mag.

RATIONEM colligo ex Alberto Magno, qui ait, quod *diſcipuli Ioannis permittebantur ad eum accedere, propter quod Herodes timebat eum.* Cùm Iudæi iniiciunt manus in Saluatorem, eius diſcipuli fugiunt, agnoſcebant enim, quod Iudæi inſano & turpi odio diuinum Magiſtrum perſequebantur; & inde ipſi, vt eius diſcipuli, ſibi aliquod malum timebant. Vnde ſuis comprehenſoribus dixit Chriſtus: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire,* Ioan.18. n. 8. Et ideo Petrus in Paſſione negat, quod ſit ex diſcipulis eius, ibid. n. 25. Et cùm hoc Chriſti diſcipuli ſcirent, fugiunt; erant enim valde inuiſi principibus Sacerdotum. At Ioannis aſſeclæ nil timebant, erant enim cunctis in magna æſtimatione agnoſcentes, quod omnes ſuum Magiſtrum maximè venerabantur, tanquam virum ſanctitate eximium, ac magnum prophetam. Sic ait Matthæus 14. n. 5. Quod Herodes volens occidere Ioannem, *timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant.* Valde enim gratioſus erat Ioannes populo, & in multa apud eum æſtimatione habitus; vnde qui ad eum accedebant, nil habebant, quod timerent; ſed potius eius diſcipuli, ac deuoti multum honoris, ac auctoritatis, comparabant, quod viro ſanctitate tam eximio adhærerẽt.

Ioan.18.

Matth.14. *Diſcipuli Ioannis, ac eius deuoti in multa æſtimatione apud populum.*

Ioannes in carcere valde gratus fuit omnibus. Primò, Chriſto Domino, qui adeo præclaras de eo laudes prædicauit, vt hîc habentur. *Quid exiſtis in deſerto videre*, &c. de quibus in hoc cap. dicemus. Immò expende, quod ſæpe Chriſtus Dominus per ſuos prophetas conqueſtus eſt de his, quæ in ſua paſſione ab ingrato populo ſuſtinuit. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Pſal.68.n.22. *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Pſalm. 71. num. 14. *Cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes; mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Ierem. 11. num. 19. Tamen tam frequenter non reperio, quod Dominus conqueratur, ſe vinculis eſſe à Iudæis in horto comprehenſum: nam quando Dominus eis dixit Matth. 26. num. 55. *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos eram in templo, & non me tenuiſtis.* Nam, vt ibi notat Origenes, Chriſtus potius conqueritur, quod ad eum tanquam ad latronem exierint, quam quod ad capiendum proceſſerint. Cur ergo Dominus de ſua comprehenſione ſicut de aliis tormentis, ac opprobriis non conqueritur? Ioannes detentus

34.

Pſalm.68. Pſalm 72. Ierem. 11.

Matth. 26.

Origenes.

*Vincula valde dulcia facta ſunt [illegible]*

fuit in vinculis, & inde, vt moraliter dicam, ipſa vincula valde dulcia, & grata facta ſunt Chriſto, ita vt ob ſuum Baptiſtam peculiarem in eis inter cætera ſuauitatem deguſtaſſet. Et ita vincula, quæ tam iucunde Ioannes ob Chriſtum ſuſtinuerat, ipſi Saluatori quadam amica charitatis viciſſitudine fierent maximè grata. Huc aduoco Guerricum Abbatem. ſerm. 4. de ſancto Ioanne Baptiſta,

Cantic. 4. Guerricus.

ſic explicantem illud Cantic. 4. num. 16. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: Ioannes Ieſu, & Ieſus Ioanni. Ioannes Ieſum prædicat, & Ioannem Ieſus commendat. Par pari redditur; & tam amica, quam iuſta viciſſitudine charitas inuicem prouocatur, & remuneratur.* Valdè intimè Ieſus Ioannem diligit, ac à Ioanne diligitur & amoris quadam viciſſitudine, ac trutina, vtriuſque affectus, quantum fas eſt, compenſatur.

35. Quadam etiam alta Dei præordinatione Ioannes in carcere gratus fuit omnibus hominibus. Poſtquam Ioannes habitus fuit in vtero matris ſuæ. *Concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque.* Luc. 1. num. 24.

Luc. 1.

Sed cur Ioannes in vtero materno ita abſconditur, & occultatur? Nunquid annoſa pudore afficiebatur ex pignore fructus, vt ſuo loco ex grauibus Patribus dixi: tamen modò in laudem Ioannis vrget in contrarium, quod in prouectiori ætate Sara fit prægnans; & tamen non ſic tumeſcentem vterum abdebat latibulis. Cur ergo Eliazbeth tanto ſtudio latere affectauit? Aduerte, quod non abſolutè obſcuritate inuoluit vterum, ſed tantum *menſibus quinque*, quoad vſque nempe Virgo Maria Ieſum in vtero geſtans ad ipſam accederet; cuius ſanctiſſimi Pueri præſentia Ioannes ſanctificaretur, ac exultaret; & tunc primum cœpit ſe manifeſtare, ac declarare Mundo. Quod totum diuina prouidentia factum eſt, vt Ioannes ſub peccato latitaret: nec aliter appareat, ac indicetur Orbi, niſi iam quando totus gratus, plauſibilis, ac magnus in omnium oculis ſe prodat. Origenes homil. 6. in Lucam. *Ideo dicit menſibus quinque, id eſt donec Maria conciperet, & fœtus eius exultans cum gaudio prophetaret.*

*Ioannes non manifeſtatur niſi magnus, & excelſus.*

Origen.

*Matth.* 11. *n.* 3. Ait illi: Tu es, qui venturus es; an alium expectamus.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Chryſoſt. ho.* 37. | Interrogabat eum, dicens. |
| *D. Iuſtin. Mart. quæſt.* 38. | Tu ne is es, qui venturus es? |
| *Syriacus.* | Tu ne is es, qui venturus erat, an alios expectamus? |
| *Arias.* | Tu es veniens. |
| *Græcus.* | Tu es ille veniens. |

ALTER TEXTVS.

| | |
|---|---|
| *Luca* 7. *n.* 19. | Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. |
| *Num.* 20. | Cùm autem veniſſent ad eum viri, dixerunt Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. |

*EXPOSITIO II.*

ASTANTE Chriſto Domino cum magna populi multitudine, ad eum conueniunt diſcipuli Ioannis, vt patet ex ſequenti verſu; & ita coram omnibus ei loquuntur: 36.

*Quod ad omnes ſpectat, coram omnibus agatur.*

ſemper enim veritas publicum quærit, & angulos fugit. Deinde cùm hoc negotium ad omnes pertineret, publicè, & coram omnibus, Deo ſic ordinante, agitur. *At illi*, ſcilicet Ioannes Chriſto per ſuos diſcipulos, nam quamuis Ioannes corpore eſſet in carcere, tamen verbum Dei, ſeu eius vox, non eſt alligata. 2. Timoth. 2. *Tu es, qui venturus es*, Græcus habet, *Tu es ille veniens*, nempe ille Propheta magnus, Redemptor totius generis, humani ac Meſſias deſideratus, & expectatus ab omnibus Patribus. In quo denotat Ioannes, quod illud erat tempus aſſignatum in Scripturis de aduentu Meſſiæ Gen. 49. n. 10. Daniel. 9. n. 24. Ioannes hæc interrogat, non pro ſe, quia ipſe optimè agnoſcebat, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, ſed pro populo, ac pro ſuis diſcipulis, vt omni dubio excluſo Chriſtus hac occaſione maximè omnibus innoteſceret.

2. Timoth. 2. Græcus.

Geneſ. 49. Daniel 9.

# QVÆSTIO VIII.

## *Quare Ioannes nomine ſuo quærit à Chriſto an ipſe ſit Meſſias venturus?*

MITTIT Ioannes ſuos diſcipulos, vt à Chriſto nomine ſuo quærant, an ipſe eſſet Meſſias venturus. Hoc apertè conſtat ex textu Lucæ citato. *Cùm autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te dicens*, &c. Et hoc etiam conſtat ex Matthæo, nam ſic ſcribit: *Ioannes mittens diſcipulos ſuos ait illi: Tu es, qui venturus es.* Valde ſanè eſt mirabile, quod Ioannes hanc interrogationem, quæ dubitationem videbatur innuere, nomine ſuo ponat, cùm ipſe intimè agnoſceret, Chriſtum verum eſſe Meſſiam promiſſum in lege, ac verum Deum, cur ergo mittens diſcipulos hanc interrogationem mandat proponere ſuo nomine, & non proprio ipſorum diſcipulorum.

37. *Ratio dubitandi.*

Reſpondeo primò, Quod Ioannes ob ſuam magnam prudentiã nomine ſuo quærit à Ieſu, an ipſe ſit Chriſtus, quia fortè diſcipuli non auderent, ex ſe hanc interrogationem à Chriſto facere. Optimi enim medici eſt, ſe quoque ægrotare fingere, ac rigidam, & amaram potionem ſumere, vt ægrotum curare valeat. Sic ait Paulus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. n. 29.

38. *Bonus medicus ſe ſimulat ægrotum.*

2. Cor. 11.

Secundò, Conſidera magnam Ioannis charitatem, de qua iam dixi q. 4. in hoc negotio. Præclarè de eo ait D. Baſilius Seleucus Orat. 34. *Non tam miramur Ioannem exultantem, quàm nunc interrogantem.* Ac ſi dicat, non ita nos rapit in admirationem, quod Ioannes infans cum perfecto rationis vſu in vtero matris exultauerit, ſicut quod cum præclara Chriſti agnitione ipſum modò interroget cum verbis dubitationis vmbram importantibus; cùm nihil ſit difficilius, quàm vir ſapiens

39. D. Baſil. Seleucus.

*Valde difficile, quod ſapiens inſcientis habitum induat.*



ſapiens ad inſcientis habitum, ac formam ſeſe dimittens, Vide ſupra cap. 11. n. 108. 109. & 110. Hoc autem Ioannes non reſpuit, vt ſuorum ſaluti conſuleret.

40. Tertiò, Magnum nobis dat Ioannes documentum. Quæro: ſi neceſſe eſt, vt hæc interrogatio fiat; cur non mittit diſcipulos ex ſe, ac proprio ipſorum nomine Chriſto propoſituros: *Tu es, qui venturus?* Cur ſuo nomine, diſponit Baptiſta, hoc eſſe quærendum? Magna inerat differentia inter diſcipulos, & Magiſtrum: nam diſcipuli multa ignorantia laborabant; multa æmulatione, ac paſſione erant commoti, vt eorum magiſter, tanquam verus Meſſias baberetur. Ioan. 3. n. 26. Si ergo in eorum manu relinqueretur, vt ſciſcitarentur, ac veritatem perquirerent, nunquam hoc præſtarent, ne à ſuo errore deſiſterent, ſed vt ſic in eo facilius perſeuerarent. Vnde ait D. Hieronymus in Apologia contra Rufinum. *Vis ſcire*, inquit, *quare multi ineruditè ſapientes remaneant? quia nolunt diſcere, quod ignorant.* At Baptiſta ſapientia erat plenus, pro veritate propugnans, & ab omni proprio affectu alienus, non recuſat, ſed potius ordinat, vt ſuo nomine quæratur, vt ſic veritas clarius omnibus innoteſcat, ac pateſiat.

Ioan. 3.

D. Hieron. *Non ignorans ſed ſolùm ſapiens interrogat.*

41. Repræſentato Chriſto Domino ſanctis Angelis multa circa eum inter ſe interrogant. *Attollite portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Pſ. 23. n. 7. Et iterùm. *Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus?* Iſai. 63. n. 1. vt ibi explicant ad citatum Pſalm. D. Baſilius. Arnobius, D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 58. D. Iuſtinus in Dialogo contra Tryphonem. D. Hieronymus, D. Thomas ad citatum Iſaiæ locum. Et tamen Lucifer cum ſuis ſequacibus, habita Chriſti Domini notitia, ſtatim eum contempſit, ac ei eſt aduerſatus, & dixit? *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Iſai. 14. num. 13. Et nil circa eum quæſiiſſe legimus. Cur tot tam ſollicitè circa Chriſtum Dominum ſciſcitantur ſancti Angeli; nil verò Lucifer cum ſuis ſociis? Beati illi ſpiritus pleni erant ſcientia, in iuſtitia, ac veritate ſtantes; & quò magis erant ſapientia ditati, eò magis affectuoſius quærunt, vt altius omnes circunſtantias, ac perfectiones in Chriſto percipiant, & intelligant, vt docet D. Thomas ad citatum locum Iſaiæ. At Lucifer cum ſuis ſociis, cùm eſſet malitia obcæcatus, nil inueſtigare intentat, vt licentioſius inueniat errandi viam, & in omne malum præcipitetur. Solùm ergo interrogant diuini illi ſpiritus, qui amore veritatis flagrabant. D. Dyoniſius Areopagita cap. 7. de cæleſti Hierarchia ſic ait: *Primæ illæ virtutes angelicæ, quæ cæteras tanto celſitudinis honore tranſcendunt, diuinarum intelligentias rerum, quaſi non ſummæ, ſed mediæ ſint, adeo reuerenter addiſcere cupiunt, interrogantes, quare rubra ſint veſtimenta tua: vt oſtendant quidem ſe diſcendi auidas, & diuini operis ſcientiam cupere.*

Pſalm. 23. Iſai. 63. D. Baſilius. Arnobius. D. Cyrillus. D. Iuſtinus. D. Hieron. D. Thomas.

Iſai. 14.

D. Thomas. *Sancti Angeli quærunt, non verò mali.*

D. Dyoniſ.

42. Latum, & amplum ſermonem multis myſteriis, ac parabolis plenum habuit Dominus ad turbas; quod Paterfamilias exiit ſeminare ſemina ſua: ex quibus quædam ceciderunt ſecùs viam; alia in petroſa; alia inter ſpinas; alia verò in bonam terram. Quæ cùm audiſſent diſcipuli, interrogabant eum, quæ eſſet hæc parabola Luc. 8. n. 9. Quibus ipſe Dominus reſpondit: *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni cælorum: illis autem non eſt datum.* Matth. 13. n. 11. Chriſtus Dominus venit, vt omnium vniuerſalis doctor, ac Magiſter: Quomodo ergo diuina arcana ſolùm Apoſtolis explanat; non verò aliis, dicens diſcipulis: *Vobis datum eſt, noſſe myſterium*, &c. Optimè Theophylactus ad citatum locum Matth. ſic ait. *Ille accipit, qui quærit. Diſcipuli ſoli, qui interrogauerunt, acceperunt. Adhibenti ſtudium, datum eſt, ſcientiæ abundatiorem fieri, quia adhibet ſtudium, & mentem dignam: ab eo autem, qui non habet ſtudium, nec mentem dignam, vt par eſt, etiam tollitur, quod habere videtur.* Apoſtolis ſolum conceſſum eſt, penetrare diuina myſteria, quia illi ſoli interrogauerunt; qui enim inquirit, veritatem aſſequitur, quam nunquam capit, qui interrogare refugit. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 133. & lib. 2. cap. 10. num. 51.

Luc. 8. Matth. 13.

Theophyl.

*Solum, qui interrogat, agnoſcit.*



# QVÆSTIO IX.

## *Quare Baptiſta quærit à Chriſto, quaſi ſub dubio,* Tu es, qui venturus es, *cùm ipſe optimè hoc agnoſceret de Chriſto?*

DIFFICVLTAS huius rei eſt in promptu, cùm Ioannes quaſi dubitans quærat à Chriſto, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, cùm ipſe optimè noſceret Chriſtum verum eſſe Meſſiam venturum; ipſe enim Ioannes de ſe teſtatur: *Ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Ioan. 1. n. 33. Et in baptiſmo vidit ſpiritum deſcendentem ſuper Chriſtum, & audiuit vocem Patris dicentis: *Hic eſt filius meus dilectus.* Matth. 3. n. 16. & citato loco Ioan. 1. n. 30. viſo Chriſto, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Cùm hæc ergo ita ſint, quomodo mandat cum hac interrogatione diſcipulos ſuos ad Chriſtum? Quæſtio eſt diſſidenda tam quoad litteram, quam quo ad ſenſum moralem.

43. *Quæſtionis difficultas.*

Ioan. 1.

Matth. 3. Ioan. 1.

Reſpondet primò, & valde ſiniſtrè Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 10. & 4. contra Marcion. cap. 18. Quod Ioannes pro eo tempore, quo exercuit ſuum officium præcurſoris, quo Chriſtum digito indicauit, ditatus fuit dono prophetiæ; at officio ceſſante, lumen propheticum in eo extinctum fuit; & tunc dubitauit ſicut cæteri Iudæi. At hæc ſententia eſt omnino indigna viro catholico, & repugnat Euangelio. Nam recedentibus Ioannis diſcipulis, Chriſtus D. ipſum laudat de conſtantia, & teſtatur, non eſſe arundinem vento agitatam, & non ſolùm prophetam, ſed pluſquam prophetam appellat.

44. Tertullian.

*Reiicitur eius ſententia.*

Secundò, Iuſtinus Martyr in quæſtionibus Gentium, Reſponſione 38. exiſtimat, Ioannem agnouiſſe, Chriſtum eſſe Meſſiam; dubitaſſe tamen, an quæ denuntiabantur miracula, à Chriſto facta eſſe; an vero ab alio propheta, id enim, cùm ipſe eſſet in carcere, per ſe ipſum aſſequi non poterat, ideo diſcipulos mittit. Hæc tamen reſponſio non videtur apta, quia Ioannes in vinculis dicitur audiſſe opera Chriſti. Et clarius patet ex Luc. 7. n. 18. nam poſt narratum miraculum

45. Iuſtinus.

*Impugnatur ſententia.*

Luc. 7.

de Puero Centurionis, ac filio Viduæ, ſuſcitato, Euangeliſta: *Et nuntiauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his*, ſcilicet de miraculis ſupra dictis; & tunc eos mittit ad Chriſtum.

46. D. Chryſoſt. Christianus Grammat. D Gregor. D.Nazian. Abulenſis. *Ioannes cognoſcebat, Chriſtum per mortem redempturum genus humanum.* Pſalm. 21. Iſai. 53.

Tertiò, Quidam, vt refert D. Chryſoſtomus homil. 37. dixerunt, Ioannem agnouiſſe, Chriſtum eſſe Meſſiam; ignoraſſe tamen, an per mortem ſuam humanum genus eſſet liberaturum; idque interrogaſſe. In hac ſententia eſt Chriſtianus Grammaticus, eique fauet D. Gregorius homil. 6. in Euangelia. Hæc tamen ſententia eſt accommodata, eamque bene impugnant D. Gregorius Nazianzenus homil. ad ſancta lumina; Abulenſis q. 9 Nam Ioannes in hac interrogatione nihil quæſiuit de morte Chriſti; ſed [illegible] ipſe eſſet venturus, vel alius expectandus? [illegible]de Ioannes erat propheta, & pluſquam propheta: ergo cùm cognoſceret, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, cognoſcebat etiam, per mortem ſuam eſſe redempturum genus humanum, cùm hoc eſſet valde notum in Scripturis. Pſal. 21. & Iſai. 53. Vnde ille ipſe dixit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

47. Origenes. D.Cyprian. Nazianzen. D.Hieron. D. Greg. D. Iulianus. D Emiſſen. D.Paſchaſius

Quartò, Origenes tom. 1. in Ioan. D. Cyprianus in Expoſitione ſymboli, ad articulum: *Deſcendit ad inferos.* D. Gregorius Nazianzenus. Orat. ad ſancta lumina, & Orat. in laudem Baſilij. D. Hieronymus Matth. 11. & Epiſt. 151. ad Algaſiam. D. Gregorius homil. 6. in Euangelia. & homil. 1. in Ezechiel. D. Iulianus lib. 3. contra Iudæos. Euſebius Emiſſenus homil. huius Euangelij. D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. docent, quod Ioannes agnoſcebat, Chriſtum verum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, & in terris in redemptionem generis humani veniſſe: dubitauit tamen, an per ſeipſum Chriſtus eſſet deſcenſurus ad aperienda inferni clauſtra. Et rationem, ob quam Ioannes interrogat, aſſignant: Quia ipſe in proximo erat occidendus ab Herode, & ad loca Patrum deuenturus. Hoc autẽ Ioannes quæſiuit, non vt in ſinu Abrahæ Chriſtum prædicaret, ac animas illic commorantes ad fidem Chriſti diſponeret, ſicut fecerat in terris, vt aliqui, quos tacito nomine refert Abulenſis, dixerunt. Quia præſens vita tempus eſt meriti; poſt obitum autem non eſt, niſi iudicium, præmium, & pœna. Interrogat ergo Ioannes, vt tantum gaudium de proximo Chriſti aduentu ad libertatem Patribus pronuntiaret.

Abulenſis.

48. *Ioannes cognoſcebat, Chriſtum deſcenſurum ad inferos.*

Hæc ſententia, quamuis ob tot grauiſſimos Patres ſit veneranda, eam impugnat Chryſoſtomus; in eaque mens non acquieſcit ex duplici capite. Primò, Quia Chriſtus Dominus reſpondens ad hanc interrogationem Ioannis nihil dixit circa deſcenſum ſuum ad inferos, ſed operibus verum eſſe Meſſiam miſſum in terris ſe demonſtrauit. Secundò, Quia Chriſti deſcenſus ad inferos eſt expreſſus in Scriptura. Pſal. 15. n. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Oſeæ 13. n. 14. *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Zachar. 9. n. 11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Ergo cùm Ioannes eſſet, non ſolùm propheta, ſed etiam pluſquam propheta, omnia hæc ex Scripturis optimè agnoſcebat. Aliquid tamen morale in hac ſententia dicamus: nam, vt ait D. Gregorius citata homil. 6. in Euangelia. *Ioannes requirit, non quia ipſum eſſe mundi Redemptorem dubitat; ſed quærit, vt ſciat, ſi is, qui per ſe in mundum venerat, per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat.*

Pſalm. 15. Oſe. 13. Zachar. 9. D.Greg.

Hanc facit interrogationem, vt ex ipſiuſmet ore audiatur, quod ipſe per ſe ipſum eſſet venturus in vltimos ſinus, ac abditiſſimos ſui regni receſſus, in magnum omnium principum, ac prælatorum documentum. Hoc enim adeo eſt regiæ dignitati aduinculatum, vt, ſi præſtetur, abſque alio ſigno, regem indicet, ac manifeſtet, quamuis ipſe de ſe regalem eminentiam non teſtetur.

*Valde annexum eſt regi, ſuos viſitare, & propter ipſos ad ima deſcendere.*

49. *Vera ſententia.* D. Chryſoſt. D. Hilarius. D. Cyrillus Euthym. Theophyl. D. Thomas. Haymon. D.Hieron.

Quintò, Vera, & germana ſententia Chryſoſtomi homil. 37. & in Imperfecto homil. 27. D. Hilarij can. 11. D. Cyrilli lib. 2. Theſauri cap. 4. Euthymij, Theophylacti, D. Thomæ, Haymonis, & etiam D. Hieronymi hoc loco; & eſt communis inter Recentiores. Qui omnes docent, hanc interrogationem, non ab aliqua Ioannis dubitatione, ſed à ſuorum diſcipulorum cæcitate ortum habuiſſe: nam ipſi amore, ac æmulatione ſui Magiſtri obtenebrati, imprudenter contendebant, Chriſtum non eſſe Meſſiam, ne ſuo magiſtro maiorem dicerent Sed Ioannes tanquam prouidus pater, vt ait Chryſoſtomus citatis locis, cùm in proximo agnoſceret ſuum tranſitum, antequam ex hac vita diſcederet, ſuos diſcipulos vult adunare Chriſto; eique illos commendat: nam viuens, & moriens ſemper de ſuorum ſalute extiterat ſollicitus. Mittit ergo eos ad Chriſtum, vt illius doctrina, ac operibus illuminati, eum verum eſſe Meſſiam fateantur. Et in hac ſententia eſt etiam Rupertus docens, quod Ioannes ſuos diſcipulos mittit ad Chriſtum, vt ipſe Dominus eis palam dicat, quod ipſe eſt Chriſtus verus promiſſus in lege.

*Ioannes non pro ſe dubitauit, ſed vt diſcipulos illuminaret.*

Rupertus.

50. D.Ambroſ.

Sextò, D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. cap. 7. ait, quod in Ioanne nulla fuit dubij ſuſpicio; & ideo ad ſenſum ſpiritualem, ac myſticum confugiendum eſſe docet. Et per Ioannem aſſerit Legem eſſe intelligendam, quæ in pectore perfidorum, velut in carcere, incluſa tenebatur. Hæc autem Lex Chriſtum agnouit, ipſum enim in multis præfigurauit; tamen tyrannicis huius mundi poteſtatibus illum omnino apertè non indicauit, vt ibi myſteria incluſa penetrarentur. Hoc autem factum eſt adueniente Euangelij reuelatione, Legis enim de Chriſto teſtimonium perficitur Euangelio. Ioannes ergo vicem Legis gerens mittit duos diſcipulos, qui duos adumbrant populos Iudæorum, & Gentium, vt à Chriſto, per quem Euangelium demonſtratur, inſtruantur, ac illuminentur.

*Ioannes Legis figuram gerebat.*

51. Origenes.

Septimò, Origenes ad illa verba Ioan. 1. *Tu quis es?* ſic fatur: *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Ioannem itaque quærunt cum tanta veneratione (nempe Iudæi ab Ieroſolymis, vt cognati exiſtentes Baptiſtæ, de ſtirpe ſacerdotali exiſtentis.) Erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis. Sed quod erga Ioannem Iudæi, hoc Ioannes erga Chriſtum proſequitur, per proprios diſcipulos interrogans: Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?* Ioannes in nullo de Chriſto dubitauit; voluit tamen ipſum Dominum valde magnopere reuereri, ac extollere. Decreuit, illud erga Chriſtum exhibere obſequium, quod eius cognati ſacerdotes, vt eum valde magnificarent, præſtitere. Magnates nempe Iudæorum mittunt legatos ad Ioannem interrogantes: *Tu quis es?* electioni ſui iudicij, ac arbitrij permittentes ſupremam Meſſiæ dignitatem, vt eius ſuffragium hac in re eſſet eis regula certa. Hoc, quod Iudæi conſanguinitatis ſtudio, & vehementer

*Id Ioannes ſincero affectu præſtat Chriſto, quod conſanguinitatis ſtudium ei detulerat.*



hementer adulando, Ioanni repræſentant, hoc ipſe ſincero, ac integro affectu offert Chriſto per ſuos diſcipulos dicens: *Tu es, qui venturus es?* &c. Ac ſi dicat: Tu tantæ dignitatis eſto arbiter, tuumque in hoc negotio verbum, ſit omnibus apertæ veritatis comprobatio, ac demonſtratio; & ita quod mihi cognati ſanguinis ſuffragio præſtiterunt, tibi defero iuſto, & vero affectu.

52. D.Ambroſ.

Octauò, Sicut optimus medicus, qui, vt ægrotum curet, ſe ſimulat ægrotare, vt iam dixi ſuperiori quæſtione: Sic Ioannes, non dubitans, ſed ſuorum dubitationem in ſe transferens, & ignorantiam in ſe recipiens, eos ad Chriſtum delegat. Vnde ait D. Ambroſius proximè citatus, Ioannes *non fide, ſed pietate dubitauit.* Sciebat enim, quod valde difficile eſt viro magno, & nobili, à ſua opinione, ac reſolutione concepta diſcedere. Et quia aliqui eius diſcipuli ob amorem in ipſum multis contendebant, Chriſtum non eſſe Meſſiam. Ioan. 3. n. 26. ideo Baptiſta ſagacitate quadam ſancta ſuos ad Chriſtum mittit cum hac interrogatione propoſita ſub dubio, vt Chriſti reſponſione accepta, ipſe tunc externe habitum gerens deponentis dubium, ſuos efficacius ad ſalutem reducat, eiſque ſuo exemplo viam planam, ac facilem reddat, vt ſuam ſententiam omittant, atque deponant, & Chriſtum verum Meſſiam agnoſcant, ac recipiant. Ad hoc ergo ſuos diſcipulos inducendos, illam dubitatione ſpeciem in interrogatione proponit.

Ioan. 3. *Valde difficile, quod homo à ſua ſententia diſcedat.*

53. Ioan. 13.

Cùm Dominus ſuis diſcipulis illud ſacrum ablutionis miniſterium perageret, dixit ei Petrus? *Non lauabis mihi pedes.* Et iterum. *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioan. 13. n. 8. Audita Domini comminatione, ſtatim ad ablutionem offert, non tantum pedes, ſed etiam manus, & caput: in quo maximè laudatur à ſanctis Patribus, vt ſuo loco dicam, ita vt de eo pronuntiet D. Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 4. quod *Petri animus feruentior eſſe videtur*, ſcilicet in charitate, non ſolùm ſuper alios Apoſtolos, ſed etiam hac in re ſuper cæteras eius actiones. Sed quid relucet in hac Petri actione, quæ tam magnificè extollitur ſuper cæteras, cùm aliàs ipſi recuſanti magna pœna eſſet impoſita? Ille Apoſtolorum princeps apud ſe firmiter ſtatuerat, nunquam eſſe à Domino abluendum: *Non lauabis mihi pedes in æternum*: & tamen vt Chriſto obediat, reſolutionem ſuam deponit, & à ſententia ſua deſiſtit: nullus ergo actus nobilior, nullúſque maiori laude ſublimandus, cùm ob obedientiam adimplendam ſuum iudicium, ſuamque opinionem omittat, ac contemnat.

D. Cyrillus

*Magna charitas, quod ob Chriſtum Petrus ſuam reſolutionem deponat.*

54. *Sæpe aliquã ignorantiam ſimulare, prudentia eſt.* Eccleſiaſt. 1.

Nonò, Ioannes exterius exhibuit ſpeciem dubitationis; nam aliquando in externa apparentia quendam ignorantiæ, ac inſcientiæ habitum ſimulare, magna prudentia eſt. Ait Salomon. *Dedi cor meum, vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroréſque, & ſtultitiam.* Eccleſiaſt. 1. n. 17. Quod Salomon, vt rex ſapientiſſimus, totus eſſet deditus ad comparandam prudentiam, ac doctrinam, optimè mente percipitur: ſed ad quid etiam errores, & ſtultitiam? Hæc etiam ſcire, magna prudentia eſt, vt vel eorum malitiam fugias; vel vt etiam aliquando pro tuorum vtilitate ignorantiam ſimules. Huc reſpicit Salonius. *Sicut bonum eſt*, ait, *ſcire prudentiam, & doctrinam; ita verè bonum eſt, errores ſcire, & ſtultitiam, quoniam prima ſapientia eſt carere ſtultitia.*

Salonius.

55. Lucæ 24.

In ipſo Reſurrectionis die duobus diſcipulis itinerantibus in Caſtellum Emmaus, ſe eis adiunxit Dominus ſocius, & quæſiuit de ſermonibus, quos ad inuicem conferebant. Cui illi dixerunt: *Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ?* Luc. 24. n. 18. Optimè Dominus nouerat ſermones, quos pertractabant, & ea, quæ geſta erant in Ieruſalem: & tamen ignorantiam ſimulans quærit: *Quæ?* Euthymius. *Ignorantiam fingit, vt etiam ex ore illorum audiat, quæ à corde eorum cognoſcebat, & ita obiurget; ac increpet illos.* Magna eſt enim prudentia, inſcientiam aliquando exte[illegible]præſentare ad efficacius aliquid concludend[illegible] Ioannes exterius dubium ſe exhibet, [illegible]il dubitaret, vt vehementius ſuos redargu[illegible] quod eius dictis non acquieſcerent, cùm ipſe eis prædicabat, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, vt ita illum omnes recognoſcant, ac venerentur.

Euthymius.

*Prudens, vt efficacius redarguat, aliquando ſe ignorare diſſimulet.*



---

## QVÆSTIO X.

### *Quare Ioannes à Chriſto interrogat:* Tu es, qui venturus es? *& non potius: Tu es, qui veniſti?*

56. D. Hieron. *Ratio difficultatis.*

HANC dubitationem mouet D. Hieronymus in præſenti, cuius verba ſtatim referam. Interrogatio hæc non ſibi conſtare videtur. Cum Chriſto actualiter exiſtente loquuntur; qua ergo ratione quærunt, an re ipſa ſit, qui venturus, ſi cum illo vt præſenti loquuntur, non eſt venturus, ſed iam venit; & ſi ille adhuc non venit, cum ipſo non loquuntur: Quomodo ergo ei hanc proponunt interrogationem, præſens quæſtio inquirit?

57. Caiet. *Germana ratio litteralis.* Ioan. 6.

Reſpondeo primò cum Caietano ad litteram. Illa dictio *Venturus* in radice græca eſt anceps ad tempus præſens, & futurum, & in vtroque ſenſu ſignificat Meſſiam, & habet legitimum ſenſum. Si legatur in præſenti, ita eſt conſtruendus textus: Tu es ille veniens, tam expectatus à Iudæis, ac prædictus à prophetis? Si verò legatur in futuro, vt habet noſtra Vulgata, refert hunc ſenſum: Tu es ille venturus ſecundum teſtimonia prophetarum, ac expectationem Iudæorum? Sic & Ioan. 6. n. 14. Poſtquam Chriſtus Dominus ſaturauit quinque millia hominum, dixerunt: *Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Illud autem *venturus* non negat, iam veniſſe, nam eum præſentem denotat pronomen *hic*; ſed dicitur venturus ſecundùm Prophetas, quem ipſi prædixerunt venturũ, cùm iam veniſſet, & eſſet præſẽs.

58. D.Hieron.

Secundò, D. Hieronymus hìc: *Non ait, tu es qui veniſti; ſed tu es, qui venturus es: & eſt ſenſus: Manda mihi, quia ad inferna deſcenſurus ſum, vtrùm te etiam in infernis debeam nuntiare, an alium ad hæc ſacramenta miſſurus es.* Loquitur S. Doctor in ea ſententia, quam ſuperiori quæſtione, quarto loco retuli, quod cùm Ioannes in proximo eſſet, vt ad ſinum Patrum tenderet, quærit hìc à Chriſto, an in penetralibus inferni ipſum vt venturum debeat nuntiare; an alius ad hoc miniſterium ſit mittendus? Nam cùm Patres ibi detenti viderent aduenientem Ioannem, iam de vicino Chriſti aduentu ſecuri erant, cùm locus, ad

Gloſſa.

quem Chriſtus pergat, optimè ex Ioannis præſentia colligatur. Gloſſa hîc. *Conſiderandum autem eſt*, ait, *quod non ideo Hieronymus, & Gregorius dixerunt, quod Ioannes aduentum Chriſti in infernum prænuntiaturus eſſet, quia eius prædicatione aliqui non credentes conuerterentur ad fidem ſed vt iſtis in expectatione Chriſti manentibus ex vicino aduentu conſolationem afferret.* Valde plauſibile in laudem Ioannis illud verbum: *Ex vicino aduentu.* Adeo coniuncti, ac vniti inter ſe ſunt Chriſtus, & Ioannes, vt cùm Ioannes ad inferna deſcendat, ſtatim certa ſpes detur de vicino Chriſti aduentu, qua ibi detenti maximè recreentur. Vide infrà q. 24. & tom. [illegible] n. 4.

*Inter Chriſtum, & Ioãnem intima coniunctio ac vnio.*

59. Caſſianus.

Tertiò, Simon Caſſia[illegible] cap. 3. Quærit Ioannes, Tu es, [illegible] es ad mortem, & paſſionem tuam, vt per eam ſaluum facias genus humanum? Quam ſententiam ſic explico in ſenſu myſtico. Optimè diuinus Baptiſta agnoſcebat, Dominum verum eſſe Meſſiam, ac Redemptorem, à perſona Verbi illius ſacratiſſimæ humanitati vnita; ſiquidem ipſum in Vtero Matris ſalutauit; ac ad ripas Iordanis digito, Agnum Dei eſſe, demonſtrauit: tamen quærit, an ipſe eſſet Chriſtus venturus, non in ſe ipſo, ſed in manifeſtatione quo ad homines; an ſcilicet ipſe, vt Chriſtus, ſit declarandus hominibus per opera, ac redemptionem in ſanguine ſuo perpetrandam: Maieſtas enim, & celſitudo dignitatis potius operibus, ac donis, quàm ingenita, ac præilluſtri nobilitate aperitur, & publicatur inter homines. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 1. n. 60. & cap. 5. num. 104. & lib. 2. cap. 1. n. 86. & cap. 4. n. 83.

*Non celſitudo generis, ſed beneficentia operum declarat maieſtatem.*

60. Quartò, Ioannes cum Chriſto exiſtenti, ac præſenti loquitur; & tamen quærit, an ipſe ſit venturus? Eum, cum quo facie ad faciem habet ſermonem, venturum dicit in exaggerationem æſtimationis, vt Chriſtus in maiori æſtimatione haberetur; & quamuis ipſe præſens exiſteret, vt abſens tamen ob maiorem venerationem conſiderandus eſſet: frequenter enim abſentia in maiori pretio habentur, quàm præſentia. Cùm Abrahamus procederet ad ſacrificandum filium ſuum Iſaac, Angelus de cælo clamauit, ne puerum iugularet; ob tantam miſericordiam, qua Dominus reſpexit Abrahamum, impoſitum eſt nomen loco: Dominus videbit. *Vſque hodie dictum, in monte Dominus videbit.* Gen. 22. num. 14. Sed cur ad maiorem expreſſionem beneficij non dicitur, Dominus videt, ſed *videbit* in futuro? nam modus indicatiuus importat præſentiam; at verò futurum *videbit* denotat abſentiam: vt religioſa mens, ac ſumma veneratio exhiberetur erga Deum ipſum cum propitiatione auxilij ſui, non tanquam præſentem, ſed veluti tanquam abſentem quodam pio affectu conſiderabant, vt ita in ſummo cultu omnibus eſſet. Fauet D. Chryſoſtomus ibi. *Vide Iuſti religioſam mentem, quomodo vndequaque ex his, quæ acciderant, locis appellationes imponit.*

*Plus facimus abſentia, quàm præſentia.*

Geneſ. 22.

D. Chryſoſt.

61. Poſtquam cæcus à natiuitate reſtitutus fuit viſui, cum de auctore beneficij percontaretur à Phariſæis, multa, & magna protulit in laudem Chriſti. Cui Phariſæi irato vultu dixerunt: *Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus, vnde ſit.* Ioan. 9. n. 29. Sed quid Phariſæi dicunt? nunquid pro Moyſe ſunt maiores atteſtationes, quàm pro Chriſto, vt dicant: *Scimus, quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem neſcimus, vnde ſit?* Quare non vobis veniunt in mentem oracula Prophetarum, quæ omnia clamant, Chriſtum è ſinu Patris deſcendiſſe? Et quod ipſe in Bethleem naſceretur: *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. Quomodo non ſubeunt in mentem ea, quæ nato Domino Paſtores diuulgarunt. Luc. 2. n. 18. ac Reges dixerunt: *Vbi eſt, qui natus eſt, Rex Iudæorum?* Matth. 2. n. 3. Et etiam ea, quæ Simeon in templo proclamauit: Luc. 2. n. 29. Et tandem omnia opera eius de ipſo perhibent teſtimonium Ioan. 5. num. 36. quod ipſe ſit Filius Dei. Quomodo ergo de Moyſe, qui ſeruus eſt, dicunt, ſcimus, quod ei locutus eſt Deus; hunc autem, qui tam manifeſtis demonſtrationibus deprehenditur Filius Dei, aſſerunt, neſcimus, vnde ſit? Moyſes, quamuis inferior Chriſto, qui eſt ſupremus omnium Dominus; tamen Moyſes erat abſens, Chriſtus verò præſens; & inde ille abſens maiorem æſtimationem, ac opinionem ſibi reconciliauit apud vulgarem populum, quàm ſuprema Chriſti maieſtas. Abſentia enim multum proficit ad augmentum reputationis, ac honoris, quod aliquando præſentia deperditur. Heſychius Presbyter Ieroſolymitanus homil. de S. Maria, ſic ait: *Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem vnde ſit neſcimus. O manifeſtam imprudentiam, ô ægritudinem linguæ latronum detectam! ô cæcam ſermonum contrarietatem: Nam cùm Herodes percontaretur, vbi Chriſtus naſceretur; cum fiducia dicunt, In Bethleem Iudæ. Nunc autem velata facie clamant: Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem vnde ſit neſcimus.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 1. n. 66. & c. 4. n. 11.

Ioan. 9.

Luc. 2. Matth. 2. Luc. 2. Ioan. 5.

*Multa reuerentia comparatur abſentia, quæ præſentia deperditur.*

Heſychius.

## Qvæstio XI.

### *Quare Ioannes non quærit à Chriſto, Tu quis es? ſed potius*, Tu es qui venturus es?

62. Non multum temporis elapſum erat, poſtquam principes ſynagogæ, vt ſcirent, an Ioannes eſſet Meſſias, miſerunt ad eum Sacerdotes, & Leuitas interrogantes: *Tu quis es?* Ioan. 1. n. 10. Cur ergo quando ipſe Ioannes eandẽ quæſtionem ſciſcitatur à Chriſto, an ipſe eſſet omnium Redemptor maximè deſideratus, cur, inquam, non eadem methodo, ac diſpoſitione verborum, *Tu quis es?* vtitur; ſed alia valde diuerſa: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ioannes puritate, ac ſanctitate valde inſignis adeo alienus erat ab iniquorum moribus, vt etiam in modo loquendi, ac proponendi nullam habuerit conuenientiam, aut combinationem cum impiis Phariſæis; vnde alium tenorem ſermonis eligit, cum quo quærit à Chriſto, an ipſe eſſet omniũ ſalus deſideratiſſima.

Ioan. 1.

*Iuſti loquendi methodum ab iniquis diuerſam habent.*

63. Aduenit cæleſtis Paranymphus ad Beatam Virginem dicens: *Aue gratia plena.* Verbum illud *Aue* idem eſt, ac Salue, ſeu ſalutem dicere, vt ex radice græca colligunt Salmeron, & Caietanus, ac ibi notat Cardinalis Hugo. Et hoc verbum *Aue* erat nomen vſque ad illud tempus inauditum, & inuſitatum, vt ex Origene, D. Ambroſio, ac Beda notaui lib. 1. cap. 5. q. 22. n. 49. Sed ad quid Angelus aſſumit verbum nouum, ac extraordinarium, & omittit, quod erat apud populum valde commune, Salue, cùm in vtroque eadem ſignificatio reperiatur, vt ex citatis Auctoribus retuli? Illa loquendi methodo Salue vſi fuerunt aliquot impij, & ſacrilegi homines, vt quando Ioab in dolo dixit Amaſiæ. *Salue mi frater.* 2. Reg. 20. num. 9. Et Angelicum os non capit verbum iam coinquinatum, ſed aliud nouum abſque labe introduxit; vt etiam in verborum terminis, ac loquendi forma cæleſtis Paranymphus à prophanis hominibus ſeſe deiungat, ac diſcernat. Albertus Magnus ſerm. de S. Maria. *Aue verbum purum, & ſanctum ab Angelico ore profertur, non verò Salue, quo inſidiatur Ioab.*

Salmeron. Caietan. Hugo.

Origenes. D. Ambroſ. Beda.



2. Reg. 20.

*Sancti in modo loquendi ab impijs diuerſi.*

Albert. Mag.

64. Iacob cum familia ſua venit in Ægyptum, quæ cum eſſet introducta ad Pharaonem, dicunt ei: *Ad peregrinandum in terra tua venimus.* Quo audito Rex ait Ioſeph: *In optimo loco fac eos habitare.* Geneſ. 47. num. 6. ſeu vt legit Chaldæus: *In meliori loco colloca patrem tuum, & fratres.* Sed quid, cum ipſi dicant, quod ad peregrinandum veniunt, Rex inuertit ſermonem, & de manſione, ac habitatione pertractat? Familia Iacob gens pia, in cultu Dei educata, Pharao verò idololatra, & in ſpurcitia Ægyptiorum enutritus. O quàm diuerſum eſt ſanctitatis ingenium à malitia prophana, vt in lingua, & ore habeant diſcrimen, itaut de eadem re pertractantes nequeant ad idem colloquium concurrere, ſed valdè in verbis diſcrepent, vt vnus dicat peregrinare, alter verò habitare. Hamerus. *Videas inter homines*, ait, *tales plerumque haberi ſermones, quale eſt ipſorum vitæ, & morum inſtitutum. Sic Iſraëlitæ paſtoritiam vitam, qua à puero aſſueti erant, ſimpliciter apud Pharaonem fatentur: ad peregrinandum in terra tua venimus.* At Rex idolololatra, non peregrinare, ſed habitare in hoc ſæculo dicit. Vide ſuprà cap. 8. num. 101. & 102. & tom. 2. c. 13. num. 50. 51. & 52.

Geneſ. 47. Chaldæus.

*Diuerſa ſunt verba in ore iuſti, ac impiorum.*

Hamerus.

## Qvæstio XII.

### *Quare Ioannes ſe habet tam diuerſimodè cum legatis Iudæorum, ac cum ſuis diſcipulis, quando eos hîc mittit ad Chriſtum?*

65. Omni ponderatione dignum eſt, quod quando legati Iudæorum veniunt ad Ioannem, vt interrogent eum, an ipſe ſit verus Meſſias? Baptiſta magna diligentia adhibita eos monet de veritate, vt Chriſtum verum mundi Redemptorem recognoſcant: *Confeſſus eſt, & non negauit.* Et iterum de Chriſto ait: *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt. Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Ioan. 1. num. 27. At verò quando ſuoſmet diſcipulos in ipſa veritate vult inſtruere, tantùm hic legimus, quod ex eis duos ad Chriſtum mittit. Quænam huius tanti diſcriminis ratio? Iudæi ob crudele odium, quo Chriſtum perſequebantur, maximè intendebant, quod Ioannes eſſet Meſſias: at Baptiſtæ diſcipuli ob amorem in magiſtrum, hanc dignitatem ei affectabant; ſemper enim odium maiorem vim, ac efficaciam obtinuit, quàm amor. Iudæis, qui odio feruebant in Chriſtum, vt eius ſuprema dignitas perſuaderetur, multa per omnem modum fuerunt adhibenda: ſecus actum eſt à Ioanne cum ſuis diſcipulis, qui amore commouebantur in ipſum; vnde non tot fuerunt requiſita, ſed ſat extitit, quod ex eis duo ad Chriſtum delegarentur, qui ſtatim eum verum Meſſiam recognouerunt; quod nunquam Iudæi tantis miraculis viſis præſtiterunt; ſemper enim odium maiori vi ſuperauit amorem.

*Ratio dubitandi.*

Ioan. 1.

*Plus poteſt odium, quàm amor.*

66. Deprehenſus Daniel in oratione Dei contra Regis decretum, inſtant Satrapæ, ac Babylonici Principes, vt ipſe mittatur in lacum leonum. Darius verò Rex omni conatu intendit, vt Propheta ob eximium amorem in ipſum à morte eripiatur. Sed cum Principes vehementer vrgerent, quod Regis decretum non licebat præuaricari; Rex tandem deuictus eorum voluntati cedit. *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.* Daniel. 6. num. 16. Valdè mirum, quod Regis deſiderium manet euacuatum, & aulicorum voluntas adimpletur! Cur ipſe Darius non diſpenſat in ſua lege, cùm iuxta omnium gentium mores legiſlator hoc habeat dominium? Chaldæi odio negotiabantur aduersùs Danielem; Rex verò affectu, ac amore. Illi, quamuis inferiores, potentiores fuerunt odio ad condemnandum Prophetam, quàm ſupremus dominus, ac imperator amore, ac amicitia ad ſalutem dandam. D. Hieronymus. *Conſentientibus aduerſarijs mortem amici non audet negare.* Quamuis Rex eſſet Danielis amicus, & pro eo appoſuiſſet cor ſuum; tamen plus præualuit aduerſariorum acerbitas: odium enim amorem ſuperat, & deuincit.

Daniel. 6.

D. Hieron.

*Odium ſuperat amorem.*

67. Feſtinanter venit miles Amalechites ad Dauidem aſportans nuntium de exercitu Iſraëlis deuicto, ac debellato, dicens: *Saul, & Ionathas filius eius interierunt.* 2. Reg. 1. num. 4. Et ſine dubio ille ſibi pro nuntio multa dona promittebat. Sed quomodo hæc veniunt in mentem eius; nam, vt ait Abulenſis quæſt. 4. *Scita morte Ionathæ manifeſtum erat, Dauidem debere dolere*, ob intimam amicitiam, quæ inter eos intercedebat, dedit enim ei veſtimenta ſua vſque ad gladium, arcum, & balteum 1. Reg. 18. num. 4. Et liberauit eum bis à morte 1. Reg. 19. num. 4. & cap. 20. num. 40. Quo ergo motiuo iſte homo cum tanto gaudio cucurrit, ac nuntiata morte Ionathæ pro nuntio mercedem expectat? Aduenit non ſolùm dicens mortem Ionathæ, ſed & Saul, à quo Dauid magnas perſecutiones ſuſtinuerat: & ſibi perſuaſit, quod quamuis Dauid intimè diligeret Ionatham, plus tamen apud eum præualeret odium in Saul, quàm amor erga Ionatham: vnde nil dubitans, ſed multa fiducia quaſi certus de fœlici euentu accedit, & factum narrat.

2. Reg. 1.

Abulenſ.

1. Reg. 18. 1. Reg. 19. & 20.

*Odium iudicatur efficacius, quàm amor.*

## Qvæstio XIII.

### *Quare Ioannes non petit à Chriſto, vt à vinculis liberetur, cum incarceratio ſit valdè duriſſima?*

68. Adeſt Ioannes in vinculis, carceris ſqualore detentus; & mittens diſcipulos ad Chriſtum, non pro ſe rogat, ſed pro ſuorum ſalute, vt Chriſtum verum Meſſiam, ac mundi lumen recognoſcant. In tantis preſſuris immemor

*Ratio dubitandi.*

*Acerbitas carceris duriſſima.*

immemor eſt Ioannes ſui, memórque Chriſti honoris, ac ſuorum diſcipulorum vitæ, & ſalutis; hæc enim ante omnia præ oculis habebat, itaut ſuæ propriæ commoditatis eſſet oblitus, vt nihil de ſe ageret, cum nihil durius ſit, quàm carceris rigiditas: Vnde alligatis carcere nihil eſt periucundius, quàm quod à vinculis abſoluantur, ac ſuæ libertati donētur, quæ eſt homini valdè gratiſſima.

69. Ioſeph ob impudicitiam dominæ ſuæ, quæ ei falsò crimen impoſuerat, miſſus eſt in carcerem; qui cum per aliquot annos ibi eſſet detentus, miniſtro Pharaonis ait: *Tantùm memento mei, cum benè tibi fuerit, vt facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere.* Geneſ.40. num.14. Solùm petit, à vinculis liberari. Cur potiùs pro ſuo honore non ſtat? cùm eo apud homines nil ſit pretioſius. Cur ergo non petit, vt cauſa ſua diſcutiatur, vt ita eius innocentia Sole præclarior appareat, & eius conſcientia ab omni crimine aliena agnoſcatur? Quod ponderat Chryſoſtomus homil.63. in Gen. *Hic Sole clarior exiſtens, & potens omnia cum veritate dicere, & illius inſaniam manifeſtam facere, & ſemetipſum clariorem demonſtrare, nihil illorum in medium affert.* Cur ergo ſolùm de carceris egreſſu agit? Erat Ioſeph clauſus in domo vinctorum; & homini alligato adeò periucunda, & grata libertas, ac à lacu extractio, vt eam præferat honori, vitæ, ac cæteris huius ſæculi bonis; & ideo prætermiſſis omnibus pro ſua libertate precatur. Sic fatur idem Chryſoſtomus. *Attende, obſecro, hic, quomodo nihil dicat contra ſceleſtam illam adulteram, neque arguat dominum, neque narret fratrum in ſe inhumanitatem, ſed tectis omnibus dicit: Recordare mei, & fac educi me ex carcere hoc.*

Geneſ.40. — Chryſoſt. — *Homini incarcerato nil magis gratū, quàm libertas.* — Chryſoſt.

70. Ait Zacharias Propheta cap 9.num.11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Vbi ſermo eſt, vt docent D. Auguſtinus, D. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Lyranus, & alij, de Chriſto Domino, qui ſanctos Patres in inferni limbo detentos eduxit, ac liberauit. Maximè tamen eſt expendendum; quod multa præclariſſima dona à mundi Saluatore illis ſanctis Patribus fuerunt collata; nam ipſe eos ſuo pretioſiſſimo ſanguine redemit, gratiæ dona contulit, ac tandem æterna fœlicitate, ac gloria eos munerauit. Quomodo ergo in tanto beneficiorum cumulò ſolùm eductionem à lacu tam expreſſis verbis Propheta celebrat? Cur non potiùs commemorat condecorationem gratiæ, & gloriæ, quarum comparatione omnia alia minora ſunt? Erant illi Patres in ſinu detenti veluti vinctorum perſonam agentes: incarceratis autem nil magis plauſibile, ac in maiori æſtimatione habitum, quam abſolutio à vinculis; ideo inter præclariſſima dona tam inſigniter Propheta celebrat, ac decantat eductionem à lacu.

Zachar.9. — D. Auguſt. D. Hieron. Theod. Remig. Lyran. — *Vincti periucunda extractio à carcere.*

*Matth.11.n.4.* Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.

*Num. 5.* Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.4.* Renuntiate ipſi Ioanni, quæ auditis, & videtis.

*Num. 5.* Mortui reſurgunt, & pauperibus euangelizatur.

*Chryſ.hom.37.* Cæci reſpiciunt, claudi rectè ambulant.

*Arias.* Claudi circum ambulant.

*Euthym. Vatablus.* Mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuntium.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7.n.21.* In ipſa autem hora multos curauit à langoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.

*Num.22.* Et reſpondens dixit illis: Euntes renūtiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.

*EXPOSITIO III.*

71. Verſ. 4.

IN præſentia diſcipulorum Ioannis edidit Chriſtus Dominus aliquot miracula, vt narrat D. Lucas, quorum poſt operationem ait illis Ieſus: *Euntes.* Adeò Saluatoris præſentia, ac aſpectu fuerunt diſcipuli Ioannis delectati, vt à Domino diſcederent, neceſſe fuit, quod hoc illis mandaretur. *Renuntiate Ioanni*, eius enim nomine legatio propoſita eſt; nam ait Caietanus, vt referendo miracula conuincantur à Ioanne ex ipſis miraculis, & non dubitent, ipſum eſſe verum Meſſiam. Et inquit eis, vt renuntient Ioanni, quia quamuis aliàs iſti delegati nimio affectu eſſent propenſi in ſuum magiſtrum; tamen propriæ conſcientiæ teſtes, vt ait D. Paſchaſius lib.6. in Matth. veritatem non erant occultaturi. *Quæ audiſtis, & vidiſtis:* ad interrogationem factam reſpondet Chriſtus, non teſtimonio verborum, ſed factorum. Et ait, *Quæ audiſtis*, à perſonis nempè fide dignis, ac amicis veſtris, vt ait Albertus Magnus, qui fuerunt diſcipuli Ioannis, vt Andreas, Petrus, & alij. Et hoc verbum *audiſtis*, vt communiter volunt recentiores Toletus, & alij, refertur ad filium viduæ ſuſcitatum, quod Ioannis diſcipuli audierunt, & non viderunt. *Vidiſtis* verò ad miracula dirigitur, quæ Dominus in eorum præſentia præſtitit. Et quamuis viſus ſit auditu nobilior; tamen viſus poſtponitur auditui; nam miracula, quæ ex auditu referebantur, prius ſunt facta; & antiquiora prius recenſentur, ac ponuntur.

*Præſentia Chriſti maximè delectat.* — Caiet. — *Plus poteſt ſæpè propria conſcientia, quàm affectus.* — D. Paſchaſ. — Albert. Mag. — Tolet.

72. *Cæci vident.* Miraculis, ac ſignis, prædictis à Prophetis de Meſſia, ſe eum verum eſſe, demonſtrat



ſtrat Chriſtus. *Cæci vident, leproſi mundantur, ſurdi audiunt*, quod prænuntiatum erat ab Iſai.36. num. 4. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Cæci ponuntur à Chriſto in primo loco, vt notat Abulenſis quæſt. 15. propter Iſaiam, qui inter miracula Meſſiæ eos in exordio ſcribit. Et additur: *Et mortui reſurgent*; quod etiam dixit Iſaias 26. num.19. *Viuent mortui tui, & interfecti tui reſurgent.* Et licet aliqui apud Abulenſem quæſt.13. exiſtiment, quod Chriſtus Dominus hæc omnia miracula in præſentia diſcipulorum Ioannis ediderit; tamen, vt ipſe putat, multo veriſimilius eſt, quod hoc, quod dicitur de mortuis ſuſcitatis; ex aliorum relatu acceperint. Quia Lucas enarrans mirabilia facta in hoc euentu, nullam de mortuis facit mentionem. Perpende Chriſti modeſtiam: non ait, cæcis reddo viſum, ſurdos facio audire: ſed per tertiam perſonam loquitur, oſtendens opera, & quodammodo celans auctorem, vt te in omnibus doceat, iactantiam vitare.

Iſai.36. — Abulenſ. — Iſai.26. — Abulenſ. — D. Lucas. — *Chriſti modeſtia: ſe in mirabilibus occultabat.*

73. *Pauperes euangelizantur.* Hoc etiam prædixit Iſaias 61.num.1. *Ad annuntiandum manſuetis miſit me.* Ex Hebræo habetur, *ad euangelizandum pauperibus.* D. Hieronymus hic intelligit pauperes ſpiritu; vel opibus pauperes, quos mundus inopes vocat. Et hoc ſecundum mihi eſt probabilius, quia Chriſtus Dominus æqualiter diuitibus, ac pauperibus annuntiabat regnum cælorum. Et certè de illis loquitur, qui in externis hominum oculis pauperes videbantur. *Euangelizantur*, quod paſſiuè intelligitur, id eſt pauperibus annuntiatur regnum cælorum, vt latiùs explicabo quæſt.16.

Iſai.61. — D. Hieron.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſtus Dominus ad Ioannis quæſtionem non reſpondet verbis, ſed operibus?*

74. RESPONDETVR primò, cum D. Hilario, D. Chryſoſtomo homil.37. in Matth. Alberto Magno, D.Thoma, & aliis communiter, & maximè ad litteram. Quod Dominus hoc fecit, correſponderet intentioni Ioannis, qui ſuos diſcipulos ad Chriſtum delegauit; vt ab eo certificarentur, quod ipſe erat verus Meſſias. *Teſtimonium autem à rebus*, vt ait Chryſoſtomus, *credibilius eſt teſtimonio, quod eſt à verbis.* Nam, vt rectè ait S. Pater, ſi Chriſtus diceret, Ego ſum Meſſias, per hoc obſiſterent ei, vt fecerunt Ioan.8. num.13. *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Dat ergo eis Dominus opera in ſignum, ſicut ipſi petierant, quando Chriſtus dixit, vt crederent in eum Ioan.6. n.30. *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi.* Satisfacit Dominus quæſtioni diſcipulorum Ioannis per ſigna, vt ipſi petierant. Sic ait D. Baſilius Seleucus orat.34. *Re, non oratione, dat reſponſa.*

D. Hilar. D. Chryſoſt. Albert. Mag. D. Thoma. — Ioan. 8. — Ioan. 6. — D. Baſil. Sel.

75. Hæc autem miracula apertè demonſtrabant Chriſtum verum Meſſiam. Primò ob eorum multitudinem, vt ait D. Cyrillus lib.2. Theſaur.cap.4. *Chriſtus miraculorum magnitudine, ſimul & multitudine oſtendit ſe Meſſiam eſſe.* Nam, vt rectè ait D. Ambroſius in cap.7. Luc. *Hæc virtus*, ſcilicet ſanandi, *ante Euangelium, vel rara, vel nulla.* Et ſic diſcurrit S. Pater. Tobias recepit oculos vnius Angeli miniſterio. Tob. 11. num. 15. Elias vnum mortuum ſuſcitauit oſcitando, & aliquo temporis interuallo. 3. Reg.17. num.22. Eliſæus vnum leproſum ſanauit, & alterum mortuum reuocauit ad vitam multa diligentia adhibita 4. Reg.4. num. 36. Moyſes verò licet multa miracula in decem plagis Ægypti ediderit, tamen non ſanauit, nec reſuſcitauit, nec dæmonia eiecit, ſed potius moleſtauit, ac interfecit Ægyptios: Chriſtus verò per omne morborum genus faciliter, ac ſine vlla difficultate *tranſit benefaciendo, ac ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Actor. 10. n. 38. Secundò, vt notat Chryſoſtomus citatus, Chriſtus operabatur miracula virtute propria, & imperando: & ita dixit filio viduæ, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Luc. 7. num. 14. Prophetæ verò deprecando, ac rogando, vt ait Ambroſius citatus. Tertiò, facta miracula, quæ Prophetæ prædixerunt de Chriſto, eum verum eſſe Meſſiam, demonſtrabant, vt rectè ait hic Theophylus, & alij. Ad ſenſus morales venio.

*Miracula Chriſtum Meſſiam demonſtrabant.* — D. Cyrill. D. Ambr. — Tob. 11. — 3. Reg.17. — 4. Reg.4. — Actor 10. — Chryſoſt. — Luc. 7. — Ambroſ. — Theoph.

76. Secundò, interrogantibus diſcipulis Ioannis, an eſſet filius Dei; Chriſtus ſuam diuinitatem beneficiis teſtatus eſt: beneficentia enim magnus Deitatis index. Hanc Chriſti beneficentiam perpende. Quærebant hi duo diſcipuli verba eius, quibus diceret; Ego ſum Meſſias: ipſe verò multa dona larga liberalitate diffudit. Tertiò, miracula, à Chriſto exhibita, dubitandi occaſionem dederunt: nam, vt ait Lucas citatus: *Nuntiauerunt diſcipuli Ioannis de omnibus his*, ſcilicet miraculis: & ideo ſuos diſcipulos ad Chriſtum mittit Ioannes. Miraculis ergo oſtenſis dubium vult tollere Chriſtus, vt ita ipſamet dubitandi ratione dubium excludat, eique ſatisfaciat; ſuáque diuina ſapientia ordinat, vt illud, quod erat morbi cauſa, fieret medicinæ inſtrumentum.

*Beneficentia Deitatis index.* — D. Lucas. — *Dubitandi ratione dubium excluditur.*

77. Quartò, ipſa opera ſuas habent linguas, & voces. Duo cæci à Domino ſanati ipſum ſequuntur. Matth.20. num.34. Et tamen, quod vterque iret beneficium, ac miraculum diuulgando, non narrat Euangeliſta. Vnde perbellè ait D. Baſilius Seleucus. *Sequebantur, qui ſalutem dederat, dum præcones oculos ferunt corporis.* Miracula clamant, & dant vocem.

Matth. 20. — D. Baſil. Sel. — *Opera ſuas habēt voces.*

78. Quintò, non verbis, ſed miraculis quæſtionem propoſitam ſoluit Dominus, ac ſe verum Meſſiam eſſe declarat. Voluit enim ſe potiùs manifeſtum facere ſui muneris adimpletione, ac illius oneris ſatisfactione, quàm magnis titulis, ac ampliſſimis nominibus ſibi accommodatis: maieſtas enim potiùs patefit, ac innoteſcit ſolutione operis iniuncti officij, quàm acquiſitione magnorum vocabulorum, ac nomine Romani Imperatoris. Magnificum diuinitatis titulum Romani Imperatores vſurparunt, itaut Diui dicerentur: à quo nomine primus abſtinuit Theodoricus, Italiam aſſecutus. De quo perbellè fatur D. Ennodius in Panegyrico ad eundem Regem. *Maiores noſtri*, inquit, *Diuos vocauerunt, quibus ſceptra collata ſunt: ſingulare eſt, actibus implere ſanctiſſimum, & veneranda nomina non habere. Rex meus iure dicatur alienus, vt diuus vitam agat ex fructu conſcientiæ, nec requirat pompoſæ vocabula nuda iactantiæ,*

*Dignitas manifeſtāda potiùs operibus, quàm titulis.* — D. Ennod.

*iactantiæ, in cuius moribus veritati militant blandimenta maiorum.*

79. Matth. 27. Ioan. 19. Matth. 26.

Cum penderet in cruce meus Saluator, ei affigitur titulus. *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Matth. 27. num. 37. Sed cur non potiùs Ieſus filius Dei? ſi eum Iudæi accuſauerunt, quod ſe regem faciebat Ioan. 19. num. 12. etiam ei obiecerunt, quod ſe filium Dei dicebat Matth. 26. n. 65. quod ſine dubio grauius videri poterat crimen. Cur ergo non ponitur in titulo filius Dei? Præcipuè quia hoc maximè videbatur conuenire myſterio: nam apud veteres, dum Pontifex in ſancta ingrediebatur ad offerendum ſacrificium, in capite nomen Dei ſcriptum in lamina aurea geſtabat. Cur ergo quando Chriſtus crucem aſcendit ad ſacratiſſimum ſui corporis holocauſtum, ſaltem ſuper caput nomen Dei ſcriptum non habet? Eſſe filium Dei naturalem, in Chriſto erat ſuprema eius dignitas, ex qua totus infinitus valor in opere redemptionis dimanabat. At verò, eſſe regem temporalem Iudæorum, quid valdè minimum. Vnde permittit, vt hoc titulo diuulgetur: at illud ſupremum, eſſe filium Dei, diſponit, vt, nec nomine, nec titulo publicetur, ſed magnis operibus, ac mirabilibus ſignis declaretur, quibus viſis ipſimet inimici clament: *Verè hic homo filius Dei erat.* Huc aduoco Origenem homil. 35. in Matth. *Pontifex*, inquit, *in fronte nomen Dei auro ſculptum geſtabat; Chriſtus nomen regis ſuper caput in ligno poſitum habet: habet enim Patrem ſuum, vt coronam; ſolus Pater ſui capax effectus.*

*Suprema dignitas declaranda operibus illi proportionatis.*

80. Ioan. 21.

Reſuſcitatus Dominus Petrum creat ſuum Vicarium, ac in tantæ dignitatis poſſeſſione conſtituit dicens: *Paſce oues meas.* Ioan. 21. num. 17. Sed cur tam breuibus vocibus ei confertur tanta dignitas? Cur non potiùs amplis nominibus, quæ illius amplam poteſtatem exprimerent, ſicut conſueuere Romani, vt habes apud Lactantium, ac Iuſtinianum, quando ſuos Imperatores deſignabant? Cur ei non dicitur, quod eligitur in ſummum Pontificem, ac caput totius Eccleſiæ, vt ſit omnium princeps, ac cæleſtium donorum diſpenſator, vices Dei gerens in terris? Cur tantùm ei dicitur duobus verbis. *Paſce oues meas:* quæ dicunt onera iniuncti muneris, vt rectè notauit Alcuinus. *Paſce autem oues, eſt credentes in Chriſto, ne à fide deficiant, confortare; terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduerſarijs obſiſtere, errantes ſubditos corrigere.* Vt ita denotaretur, quod Petrus ad tantum apicem euehebatur, non vt illius ampliſſimam poteſtatem magnis titulis, ac nominibus manifeſtaret, ſed potiùs tanti oneris debita operatione, ac actione.

Alcuin.

*Opera, non nomina manifeſtent dignitatem.*

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Chriſtus Dominus Samaritanæ, ac cæco à natiuitate dixit expreſsè, ſe eſſe Meſſiam, non verò hic diſcipulis Ioannis?*

81. *Ratio difficultatis.* Ioan. 4.

HABENS Chriſtus Dominus ſermonem cum Samaritana, ei apertis verbis dixit, ſe eſſe Meſſiam deſideratum: *Ego ſum, qui loquor tecum.* Ioan. 4. num. 26. Similiter cæco à natiuitate dixit: *Qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Ioan 9. num. 37. Cur ergo etiam hic diſcipulis Ioannis manifeſto ſermone, & aperto ore ſimiliter eandem veritatem non dicit? Similem quæſtionem tractaui tom 2. cap. 5. quæſt. 34.

Ioan. 9.

82. Reſpondeo ad difficultatem propoſitam: Diſparem eſſe rationem inter Samaritanam, cæcum à natiuitate, ac diſcipulos Ioannis in hoc euentu. Nam Samaritana, & cæcus magno iam affectu ferebantur in Chriſtum, in eumque erant maximè propenſi, & inclinati: at diſcipuli Ioannis, quando primò acceſſerunt ad Dominum interrogantes: *Tu es, qui venturus es?* nimio zelo ſui magiſtri aduerſo animo erant commoti in Redemptorem, ne ipſe Meſſias exiſtimaretur. Chriſtus Dominus ergo apertis verbis Samaritanæ, ac cæco, non verò diſcipulis Ioannis aperit, ſe eſſe cunctis Gentibus deſideratum; nam illi, vtpotè vehementer inclinati, crediderunt in ipſum; ſecus verò diſcipuli Ioannis, qui contraria mente erant imbuti: immò ex ipſis verbis arriperent anſam eum calumniandi, dicentes: *Tu de te ipſo perhibes teſtimonium; teſtimonium tuum non eſt verum:* vt dixi ſuperiori quæſt. Nam eadem ſententia, eadémque res, quæ amico præbet occaſionem, vt te honoret, ac veneretur; inimico inſeruit, vt multis calumniis, ac iniuriis te ipſum appetat, magníſque in te opprobriis inuehatur.

*Quæ aliquãdo tui amico iudicantur magna; inimico videntur ignominioſa.*

83. Cum Chriſtus Dominus penderet in Cruce, & iam in vltima vitæ meta conſtitutus, vt ſacratiſſimam animam exhalaret, bis eum clamaſſe, nobis narrat D. Matthæus 27. num. 46. *Clamauit Ieſus voce magna, dicens Eli, Eli lammaſabathani? hoc eſt Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Sed quid inde factum eſt? Dixerunt circunſtantes Iudæi: *Ecce Eliam vocat iſte:* cum tamen illa verba valdè diuerſum habeant ſignificatum. Immò vt teſtantur graues Patres, & Auctores, nullam combinationem in Hebræo cum nomine Eliæ. Ait idem Euangeliſta num. 50. *Ieſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Sed quid ex hoc ſecutum eſt? *Videns Centurio, quia ſic clamans expiraſſet, dixit: Verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. num. 39. Clamat Ieſus, calumniantur Iudæi; Centurio verò eius diuinitatem recognoſcit. Vnde tantum diſcrimen? Theophylactus. *Centurio credit, Iudæi increduli manent: tantum malum eſt malignitas.* Centurio viſis tot mirabilibus circa Crucem, beneuolo animo erat in Chriſtum. Iudæi autem vehementi odio, & ira repleti in ipſum. Ille, cum eſſet maximè propenſus in Dominum, ex ipſa ingenti voce latentem diuinitatem agnouit; & quod ille, qui ſic expirabat, non ex aliqua debilitate, ſed ex voluntate animam exhalabat. At Iudæi, cum crudeles aduerſarij exiſterent, ex ipſo Domini clamore anſam arripiunt ad multa mendacia machinanda dicentes, quod Eliam vocabat, vt ita venenum ſuæ inuidiæ opprobriis, ac detractionibus vndique diffundant. Vide tom. 1. lib. 3. c. 3. q. 1. n. 6. & 7. & lib. 2. cap. 6. n. 60.

Matth. 27. Marc. 15. Theoph.

*Quæ beneuolus iudicat magna, inimico apparẽt iniurioſa.*

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare in Catalogo miraculorum ſpecialiter dicitur, quod pauperes euangelizantur?*

84. PER pauperes hoc loco intelliguntur homines diuitiis temporalibus deſtituti, vt dixi in



expoſitione. Per hos autem pauperes ſacros Apoſtolos, & Domini diſcipulos interpretantur Abulenſis quæſt. 16. Toletus in cap. 4. Luc. annotat. 32. & alij communiter. Hi enim primi efficaciter Euangelium receperunt, ac Domino adhæſerunt.

*Quinam ſint iſti pauperes.* Abulenſ. Tolet.

85. Cum autem dicitur *Euangelizantur*, dupliciter intelligi poteſt: vel actiuè, vt conſtruunt textum Euthymius, Theophylactus, Abulenſis citati. Hoc eſt Apoſtoli pauperes euangelizant, ſeu prædicant Euangelium. Vel accipi poteſt paſſiuè, vt docent Lyranus, Hugo, Caietanus. Hoc eſt, pauperibus euangelizatur, ſeu annuntiatur regnum cælorum. Et ſic habet Syriacus, *Pauperibus euangelizatur.* Et ideo hic ſecundus modus mihi eſt probabilior. In vtroque tamen ſenſu diſſidenda eſt quæſtio: Cur inter cætera miracula hoc referatur?

*Dupliciter accipitur Euangelizare.* Euthym. Theoph. Abulenſis. Lyran. Hugo. Caiet. Syriac.

86. Reſpondeo ad quæſtionem, ſi paſſiuè ſumatur. *Euangelizatur.* Meritò hoc inter miracula ponitur. Valdè enim mirandum erat, pauperibus promitti, ac annuntiari regnum cælorum. Quid enim mirabilius, ac magis extraordinarium, quàm homines pauperes, ac ignobiles procreari reges, & principes? Et hac de cauſa, quamuis Chriſtus Dominus æqualiter omnibus annutiaret regnum cælorum, ſpecialiter pauperes expreſſit. Tum etiam, vt ſe declararet eſſe Meſſiam vaticinatum ab Iſai. 61. num. 1. *Ad annuntiandum pauperibus.* Aliter etiam explicat D. Anſelmus. *Pauperes euangelizantur, id eſt Euangelio conuertuntur, non enim amant cæleſtia, niſi qui contemnunt terreſtria.*

*Valdè mirũ, pauperes ſublimare.* Iſai. 61. D. Anſelm.

87. Secundò ex D. Hieronymo ſic reſpondet Beda. *Ite, dicite Ioanni, cæci vident, claudi ambulant, &c. quod his non minus eſt, pauperes euangelizantes. Hæc magiſtri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem, quoniam omnis inter nobiles, & ignobiles apud eum, qui ſaluare poteſt, æqualis eſt.* Veritas, ac æqualis iuſtitia diuini magiſtri in hoc viſitur, quod ſine diſcrimine pauperibus, ac diuitibus regnum cælorum annuntiatur. Et meritò hoc inter cætera mirabilia recenſetur: nam tam æqualis iuſtitia, ac veritas in vno principe, ac prælato in hominum oculis veluti tam magnum miraculum videtur, ac mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, &c. *His non minus eſt pauperes euangelizantes.*

D. Hieron. Beda.

*Miraculum, quod in prælato ſit æqualis iuſtitia ad pauperes, & diuites.*

88. Si verò actiuè ſumatur. *Euangelizantur*, hoc eſt pauperes prædicant, tunc ad quæſtionem reſpondet primò Abulenſis citata quæſt. 16. Quod hoc ponitur tanquam miraculum inter cætera miracula; erat enim admirandum quod viri ſine litteris prædicarent dicentes magnalia; & non ſolum quod prædicarent, ſed etiam quod haberent conſtantiam aperiendi, & loquendi aliquid coram hominibus. Vnde dicitur Actor. 4. num. 13. *Videntes autem Petri conſtantiam, & Ioannis, comperto, quod eſſent homines ſine litteris, & idiotæ, admirabantur.*

Abulenſis. Actor. 4.

89. Secundò, meritò hoc inter miracula recenſetur, quod pauperes euangelizentur, hoc eſt veritatem annuntient, & prædicent: Valdè enim mirandum erat, quod homines pauperes, & inopes haberent animum, & fiduciam ad veritatem proclamandam, ac dicendam, etiam contradicentibus magnatibus. Vnde huiuſmodi veritas omni laude, ac honore proſequenda eſt.

*Valdè mirãdum, quod pauperes ad veritatẽ dicendam fiduciam habeãt.*

90. Matth. 16.

Confitetur Petrus Chriſtum filium Dei: ab ipſo ore Domini audit: *Beatus es Simon Barjona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. num. 17. Sed cur Petrus tanto afficitur præmio, cum alij eandem confeſſionem protulerint, vt Nathanael Ioan. 1. n. 47. & Martha Ioan. 11. num. 27. & tamen ſimili dono non munerantur, vt beati nuncupentur? Cur ergo Petrus pro vna ipſamet veritate ſibi reuelata tanto præmio nobilitatur? Ipſe Dominus in verbis, Petro dictis, innuit rationem: *Beatus es Simon Barjona:* hoc eſt, vt notat Abulenſis, filius Iona, id eſt Ioannis, hominis pauperis, & piſcatoris, & quod homo conditione, ac natura pauper, aperto ore tantam veritatem, etiam ſibi reuelatam, proclamaret; magnæ ſanè æſtimationi adſcribitur, ingenti, ac inſolito præmio extollitur, ac ſublimatur.

Ioan. 1. Ioan. 11. Abulenſis.

*Multi æſtimandũ, quod pauper veritatem proclamet.*

91. Cum veritas prolata ab inope tantæ ſit æſtimationis, magnam per omnem modum retinet vim, ac auctoritatem. Sepultus Diues in inferno, videns Lazarum in ſinu Abrahæ tam ſplendenti gloria fulgentem, ad Abrahamum loquitur: *Rogo te Pater, vt mittas eum,* ſcilicet Lazarũ, *in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne ipſi veniant in hunc locum pœnarum.* Luc. 16. num. 28. Si tanto amore fertur in fratres Diues, cur potius non petit, vt ipſemet Abrahamus ad fratres ſuos accedat, eiſque veritatem aperiat? Cur ad hoc deſiderat Lazarum? cum ſanè multo efficacior eſſet prædicatio Abrahami ob ſuam magnam auctoritatem ad populum? Forſitan ſtatuit apud ſe Diues, quod maior fides adhibenda eſſet veritati vnius mendici Lazari, quàm charitatiui Abrahæ, cum fuiſſet valdè potens, & diues. Titus Boſtrenſis ſatis congruè quærit, *Cur Lazarum præ cæteris expetit*, vt veniat ſcilicet ad fratres ſuos, ſic pergit: *illi ipſi, qui ſummæ illius inediæ, & paupertatis teſtes fuerant.* Quaſi qui illius extremam paupertatem agnouerant, inde efficaciter erant commouendi, vt eius dictis acquieſcerent.

Luc. 16.

*Veritas prolata à paupere valdè efficax.*

Boſtrenſ.

92. De primis credentibus in Eccleſia Dei dicitur: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Actor. 4. num. 32. & ſtatim ſubiicitur num. 33. *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Ad quid ante prædicationem Apoſtolorum deſcribitur eorum vita communis in ſumma paupertate? Sed quænam connexio inter paupertatem, & prædicationem Euangelicam, vt ſimul apponantur? Multum ſanè, præclarè dicet aliquis quaſi ex ipſa paupertate maximè fierent apti ad intrepidè prædicandam veritatem. Audi Petrum Damianum, opuſculo 24. pro Monachis ſic præſuli loquentem: *Quid ſibi vult huius ſacræ ſcriptor hiſtoriæ, dum de continentia loquitur Apoſtolica, & communi vita, repentè tanquam mutato ſtylo proſilit dicens: Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis? Cur vni materiæ aliam interpolat, qui cœptam perſequi, & continuare debuerat, niſi vt patenter oſtendat, quia illi dumtaxat idonei ſunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis poſſident lucrum; & dum aliquid ſingulare non habent, communiter omnia poſſident.* Quæ ſatis pulchrè ſunt dicta: tamen ad ſtabiliendam noſtram theſim ex citato loco hoc deduco argumentum. Ad narrationem prædicationis

Actor. 4.

*Pauperes apti ad prædicandum.* Damian.

*Pauper magnam habet auctoritatem in teſtificãdo.*

tionis euangelicæ præmittitur Apoſtolica inopia, quaſi ex ipſa Apoſtolorum paupertate maximè efficax fieret eorum teſtimonium in omnium animis, cum homines diuitiis, ac bonis temporalibus deſtituti tanta fiducia, ac conſtantia, contradicentibus magnatibus, veritatem teſtarentur, ac proclamarent.

---

## Qvæstio XVII.

### *Quare in hac narratione miraculorum pauperes euangelizantes ponuntur in vltimo loco, cum ſit quid maius cæteris?*

93. *Ratio difficultatis.*
PAVPERES euangelizantes, hoc eſt pauperibus promittitur regnum cælorum, vt eſt probabilius, & dixi ſuperiori quæſt. in vltimo ſcribuntur loco, cum promiſſio cæleſtis beatitudinis ſit quid maius cæteris donis temporalibus oculorum, pedum, &c. nam temporalia bona breuiter tranſeunt; regnum autem cælorum in æternum eſt permanens, & ad bonum animæ pertinens; illa verò omnia, vt viſus cæcis, pedes claudis, ad ſalutem corporis pertinent. Cum ergo euangelizatio pauperum ad tantum apicem ſe extollat, quomodo ad vltimum locum reuocatur?

94. *Apud huius ſæculi homines multum valent temporalia.*
Reſpondeo primò, quod fortè in præſenti ea, quæ ſunt maiora, ac ſublimiora in vltimo referuntur loco. Leproſi mundantur, mortui reſurgunt, quod eſt quid maius: & poſtea, pauperes euangelizantur. Secundò, recenſentur prius miracula, quæ pertinent ad corpus; poſtea verò quæ ſpectant ad animam: cum enim diſcipuli Ioannis adhuc valdè rudes eſſent, maximè temporalia apud eos ante oculos obuerſabantur.

95. *Plus appretiantur parua in præſens dona, quàm magna de futuro.*
Tertiò, conſidera differentiam inter vtrumque. Quod cæcis reſtitueretur viſus, leproſis ſanitas, demortuis vita, dona quædam erant, quæ in præſenti conferebantur: at verò promiſſio regni cælorum futurum reſpiciebat, & ſine dubio, multo maiori vi, ac efficacia aſtringit, ac commouet animum paruum beneficium inpræſentiarum conceſſum, quàm largiſſima dona in futurum promiſſa.

96.
Scripſit Rex Demetrius Ionathæ, ac genti Iudæorum epiſtolas, in quibus multa dona ad communem vtilitatem totius regni, ac ciuitatis pollicebantur: Quod omnia tributa, ac etiam pretia ſalis eſſent remittenda, & templum in ſua antiqua
1. Mach. 10. veneratione habendum, addens, *Et ad ædificanda, & reſtauranda opera ſanctorum ſumptus dabuntur de ratione regis, & ad extruendos muros Ieruſalem.* 1. Machab. 10. num. 44. Et tamen Ionathas his dictis minimè acquieuit, ſed omnia illa contempſit. In eodemmet cap. 10. refertur, quomodo Alexander quædam aurea dona ad Ionatham tranſmiſit: *Miſit ei purpuram, & coronam auream*, num. 20. Qui ſtatim eum auſcultat, & omnia, quæ Alexander diſpoſuerat, adimplet. Plus
*Non tam promiſſiones, quàm actualis donatio animum commouet.*
præualent apud Ionatham parua dona auri, & argenti, quàm quod totum ſuum regnum à tributis eſſet immune, & templum, ac ſacerdotium ad ſuam antiquam perfectionem redactum? Quæ Demetrius ſcripſerat, omnia promiſſiones extabant, in tempore venturo adimplendæ: Alexander verò dona cum effectu contulit: & maioribus viribus gauiſa ſunt parua præſentia dona, quàm magnæ futuræ pollicitationes.

97. Luc. 22.
Cum Dominus ageret de ſua ſacratiſſima paſſione, ei dixit Petrus, *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire.* Luc. 22. num. 31. Chriſtus Dominus tam promptæ voluntati nil detulit; immò eius animum ſtatim repreſſit: *Non cantabit gallus, donec ter abneges, noſſe me.* Poſt ſuam reſurrectionem verò quæſiuit à Petro, an
Ioan. 21. eum diligeret? Qui reſpondens ait: *Tu ſcis, quia amo te.* Ioan. 21. num. 17. Quod ita pergratum fuit Domino, vt ſtatim eum ſuæ Eccleſiæ ſummum Pontificem creauerit, ac conſtituerit. Sed quæro: Ex quo fundamento illa prima voluntas ſubeundi carceres, ac mortem pro Domino, non multum æſtimatur, non magno præmio afficitur; ſicut
D. Auguſt. hæc amoris proteſtatio? Optimè D. Auguſtinus ſerm. 24. de ſanctis. *Tu ſcis, quia amo te. Veraciter Petrus*, ait, *hoc reſpondebat, hoc enim reſpondebat, quod in corde ſuo videbat. Quando autem dixerat, animam meam pro te ponam, de futuris voluit præſumere.* Amor plurimi appretiatur; non ſic verò
*Multò magis æſtimatur præſens voluntas, quàm multæ futuræ proteſtationes.*
illa proteſtatio mortem ſuſtinendi. Amor in præſenti ferebatur in Chriſtum: *Tu ſcis, quia amo te.* Voluntas autem patiendi, in venturum tempus ordinabatur: *Tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire.* Præſens autem animi affectus maiori æſtimatione appenditur, quàm ingentes futuræ ſponſiones.

*Matth.* 11. *n.* 6. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Fœlix ille, qui non impegerit in me.

*Vatablus.* Beatus, qui non fuerit offenſus in me.

*Euthymius.* Quicumque offendiculum non accepit in me.

*Theophylactus.* Quiſquis non fuerit offenſus per me.

### Alter textvs.

*Lucæ* 7. *n.* 23. Et beatus eſt, quicumque non fuerit ſcandalizatus per me.

### *EXPOSITIO IV.*

98. Vatablus. *Senſus ſententiæ.*
SENSVS huius ſententiæ eſt, vt rectè ait Vatablus in ſcholiis. Beatus, ac fœlix ille, qui mea pauperi, ac humili abiectione, & conuerſatione offenſus non fuerit, ſeu ſcandalum non acceperit. Tria hic notanda ſunt. Pri-
Chryſoſt. mò cum Chryſoſtomo homil. 37. *Internuntios percuſſit, quia ſcandalizabantur in ipſo, dubitationem eorum non diuulgans, & ſolum eorum conſcientiæ derelinquens, redargutionem eorum latenter induxit.* Diſcipulos Ioannis, qui viſis tot mi-
D. Hieron. Beda. D. Paſchaſ. raculis non credebant, reprehendit Dominus, non publicè, ſed tacitè, vt etiam notant Hieronymus, Beda, Paſchaſius; ac veluti in communi loquendo, tam



*Reprehenſio aliquãdo tacitè, & in cõmuni danda.*
tam ne palam diſcipulos Ioannis confunderet, quàm ne circunſtantes ſcandalizarentur, quod illi in tanta re virtuti, ac tam apertis ſignis cæcutirent. Secundò, vt docent idem Chryſoſtomus,
Abulenſ. Abulenſis quæſt. 16. Chriſtum in hoc oſtendiſſe ſuam diuinitatem, qui ſcandalum in eorum cor-
Caiet. dibus abditum agnoſcebat. Tertiò, ait Caietanus, quod Chriſtus hæc dixit, vt ex hoc Ioannes haberet occaſionem præmuniendi ſuos diſcipulos, ne viſa Chriſti paſſione, & morte ſcandalizarentur, ſicut fecerunt multi infideles. Tamen hæc ſententia videtur dicta abſolutè ad omnes fideles. Sic
D. Hilar. D. Hilarius. *Quia futura erat Crux plurimis ſcandalum, beatos eos profeſſus eſt Chriſtus, quorum fidei nil tentamenti deferret Crux, mors, ſepultura.*

99. Druthmar.
Expende loquendi modum. *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus.* Druthmarus. *Ponit præſens tempus pro futuro beatus erit, quoniam in conſpectu Dei omnia futura præſentia ſunt.* In noſtro
*Deus dat premium de præſenti, cum obſequium ſit in futuro.*
textu. *Beatus* præſentiam connotat; *fuerit ſcandalizatus* ad venturum tempus refertur: tanta eſt enim Dei magnificentia in nos, vt iam de præſenti conferat præmium, cum adhuc in futuro appareat obſequium.

*Matth.* 11. *n.* 7. Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

### *VERSIONES.*

*Vatabl. Theophylactus.* Num arundinem, quæ agitatur à vento?

*Græcus.* Num arundinem vndantem, ſeu fluctuantem?

*D. Hil. can.* 11. Arundinem vento moueri?

*D. Chryſoſtom. in Imperfect. homil.* 27. Calamum vento moueri?

### Alter Textvs.

*Lucæ* 7. *n.* 24. Et cum diſceſſiſſent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

### *EXPOSITIO V.*

100.
ILLIS *autem abeuntibus.* Cum diſceſſiſſent Ioannis diſcipuli, Chriſtus Dominus ipſum laudat, ne coram illis Ioanni adulari videretur, vt notat Chryſoſtomus
Chryſoſt. D. Thom. in imperfecto homil. 27. & rectè ait D. Thomas, quod Dominus *docet nos hic magnam curialitatem.* Quia laudare aliquem in ſui præſentia, vel



*Inurbanum, in præſentia laudare.*
ſuorum amicorum conſpectu valdè inurbanum eſt. *Cœpit Ieſus dicere.* Illud verbum *cœpit* frequenter ſignificat in Scriptura, aliquid magno
Geneſ. 11. 1. Reg. 3. conatu, ac ſtudio inchoare. *Cœperúntque hoc facere.* Geneſ. 11. num. 6. *Incipiam, & complebo.* 1. Reg. 3. num. 12. *ad turbas*, ne ex hac interrogatione putarent, Ioannem eſſe mutatum à ſua antiqua ſententia, qua Chriſtum verum eſſe Meſſiam prædicabat. Diuinus Magiſter omnibus ſatisfacit; diſcipulis Ioannis in interrogatione propoſita; nunc verò turbis, ne quid ſiniſtrum de Ioanne
Chryſoſt. ſuſpicentur. Et notandum cum Chryſoſtomo homil. 38. in Matth. quod Dominus hic temperatè agit cum turbis, & non acriter, ſicut quando lo-
Matth. 9. quebatur cum Phariſæis: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.* Matthæi 9. num. 4. Nam Pha-
*Peccata ex ignorantia habent excuſationem.*
riſæi delinquebant ex malitia; turba verò ex ignotiantia; quæ autem ex ignorantia ſunt, magnum habent excuſationis argumentum. *De Ioan-*
Caiet. *ne.* Hactenus, ait Caietanus, quia non oportuit, tacuit Chriſtus laudes Ioannis; nunc verò poſtulante occaſione valdè magnificè inchoat.

101. *A quatuor Ioannes laudatur.*
*Quid exiſtis.* A quatuor virtutibus Ioannem commendat Chriſtus. A conſtantia animi: *Num arundinem vento agitatam?* Ab aſperitate vitæ: *Mollibus veſtitum?* A veritate doctrinæ: *pluſquam Prophetam:* A puritate vitæ: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Et ait Chriſtus: *Quid exiſtis in deſertum videre?* Num ait, qualem Ioannem exiſtimatis? vt alludat ad illud, quod ſu-
Matth. 3. Luc. 3. prà ſcriptum eſt Matth. 3. num. 5. *Exibat ad illum omnis Ieroſolyma.* Luc. 3. num. 7. Vt ita ex eorum factis eos conuincat de magna ſanctitate Ioannis. *Arundinem vento agitatam?* ſeu vt
Græcus. habet Græcus, *vndantem, ſeu fluctuantem.* Arundo leui aura in diuerſas partes inclinatur. Ac ſi dicat Saluator: Exiſtis ſpectatum hominem arundinis inſtar leuem, ac mutabilem? minimè.
*Conſtantia maximè attrahit animos.*
Expende ordinem textus. Vt dicat Dominus, quod omnes exibant ad eum videndum, ante cætera illius magnalia conſtantiam prædicat; quaſi quod, quamuis Ioannes omnibus virtutibus eſſet ditatus; ſi tamen ita firmus non eſſet,
Chryſoſt. omnium animos ad ſe non inclinaſſet. Chryſoſtomus homil. 38. *Nec ita facilè omnes in vniuerſa Iudæa effuſi in Ioannem fuiſſetis, niſi magnum quendam, & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putaretis, neque enim ad arundinem videndam exiſtis.*

---

## Qvæstio XVIII.

### *Quare Chriſtus hic tantis encomijs extollit Baptiſtam?*

102. D. Hieron. D. Paſchaſ.
RESPONDET primò D. Hieronymus, D. Paſchaſius, & alij. Quia, cum præſente turba, nomine Ioannis Chriſtus interrogaretur, an ipſe eſſet venturus? ne quis forſitan cogitaret, Ioannem à ſuo teſtimonio, perhibito de Chriſto, mutatum eſſe; ideo tam magnis, ac amplis encomiis ipſum commendat Chriſtus,
*Non patitur Chriſtus, vt de baptiſta leuis etiam defectus concipiatur.*
& ab omni ſiniſtra opinione tantis tuetur: non enim paſſus eſt Ieſus, vt de ſuo magno Baptiſta aliquis defectus, vel eius vmbra in mentem, cuiuſquam veniret: ideo de conſtantia, puritate, ac

aſperitate vitæ, ac ſcientia, vt iam dixi in expoſitione, ipſum laudat.

103. D. Hilar. Albert. Mag. Secundò D. Hilarius, Albertus Magnus. Quia Chriſtus immediatè antea præmiſerat: *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me:* ne aliquis putaret ad Ioannem referri, tanquam aliquid ſcandalizatus eſſet in Chriſto; hoc autem excluſit Dominus, Ioannem mirificè extollens. Ioannes Chriſtum magnificè in Iordane, ac alibi commendauit; & tunc Dominus mutus fuit ad eius laudes; at cum illum falſo iudicio turba dehoneſtare videbatur, tunc valdè largiter à Chriſto euehitur, vt apparentes etiam, ac falſas iniurias veris laudibus retundat; quanto enim magis innocentia contumeliis appetitur, tantò amplius in eius panegyrica diffunditur.

*Quò magis innocentia iniurijs afficitur, eo magis eius laudes diuulgantur.*

104. Euthym. Tertiò, Euthymius. Ex interrogatione propoſita ſuſpicabatur turba, an Ioannes à ſua ſententia eſſet mutatus, *Quo cognito, Chriſtus huiuſmodi medetur ſuſpicioni, docens ſimul, quod cordium eſſet cognitor.* Dum Chriſtus ſuos mirificè extollit, ſigna ſuæ diuinitatis præbet, qualia ſunt cordium penetratio. Quartò Simon Caſſianus lib. 3. cap. 3. ſic ait. Laus præconis redundat in iudicem; & fama præcurſoris cedit in regem; & iudicis, atque regis gloria, optima exaltatio eſt miniſtri; & honor prænuntij totus in imperantem redundat.

Caſſian. *Probitas miniſtri, laus imperantis.*

105. Abulenſ. Quintò, Abulenſis quæſt. 18. Maximè euehitur Ioannes à Chriſto quia hoc proficiebat in laudem ipſius Chriſti. De ipſo præcurſor perhibuerat teſtimonium: & quanto maior eſſet Ioannis auctoritas, tanto firmius exiſteret teſtimonium, quod perhibebat de Chriſto: & ideo valdè intererat, quod Ioannes eſſet magnæ opinionis apud plebem. Quod confirmat, *nam Virgo Mater Chriſti erat excellentior Ioanne; & tamen de ea pauca dicta ſunt apud Euangeliſtas, de Ioanne autem multa. Et hoc, quia laus Ioannis fuit magis neceſſaria ad confirmationem geſtorum Chriſti, quàm laus Virginis, cum per Ioannem conſtiterit de Chriſto, & non per Virginem.*

*Quare Euãgeliſtæ latius ſcribunt laudes Ioannis, quàm Virginis.*

106. Sextò, Ioannes vir valdè eminens in ſanctitate, & cum Chriſtus Dominus eius virtutes laudaret, maximè reliquos excitabat ad ipſum imitandum, illiúſque virtutes ſectandas. Septimò, hoc ſuo exemplo nos informat Dominus, quod quando alicuius fama, ac honor periclitatur, audenter debemus pro illo verba facere, illius virtutes narrare, ac multis detrectatores compeſcere: & hoc multo fortius in abſentia amici, ac benemeriti erga nos. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 71. & 77. & cap. 4. n. 13. tom. 2. cap. 27. n. 39. 40. & 41.

*Quando alicuius fama periclitatur, tunc maximè veritas publicanda.*

107. Octauò, magnum documentum habemus in hoc, quod quælibet dimiſſio, ac veluti iactura pro Deo, ſit magnum lucrum, ac augmentum. Ioannes mittens ſuos diſcipulos cum hac interrogatione, non dubitauit ſuum honorem variis hominum opinionibus exponere pro Chriſto, vt ita ille ab omnibus verus Meſſias crederetur. At per hoc Ioannis auctoritas non eſt imminuta, ſe maximè excreuit, cum tot, ac tam præclaris laudibus à Chriſto ſit ſublimatus, ac exaltatus. Præclarè ait D. Baſilius Seleucus orat. 28. *Modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis.*

*Dimiſſio, ſeu veluti iactura pro Deo magnum lucrum.*

D. Baſil. Sel.

108. Matth. 15. Pro ſanitate filiæ ſuæ vehementer Chananæa Dominum exorat; quæ repulſa audit à Domino: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. 15. num. 26. Cui abiectiſſimæ appellationi illa non contradicit, ſed potius conſentiens ait: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Quo audito, ad illam inquit Dominus: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis.* Sed quænam hæc tam ſubitanea mutatio? Antea Dominus eam veluti canem, ac quid abiectiſſimum à ſe reiiciebat; nunc verò aperto ore eam mulierem dicit, ac veluti in externa apparentia admirans eius magnam fidem prædicat, quod de aliis ita dictum non facilè inuenies. Deinde totum, quod optabat, ſine dilatione ei conceditur. Quid relucet in hac muliere ad tanta obtinenda? Mulier hæc audiens abiectiſſimam appellationem à verbo Domini, eam in ſe admiſit, ac ſe inter canes numerat; & tantum abfuit, quod ex hac appellatione deuenuſtaretur, vt inde potius materiam præparauerit, vt magnis laudibus nobilitata extolleretur. D. Auguſtinus ſerm. 74. de tempore. *Videte, quemadmodum humilitas commendata eſt. Canem illam Dominus dixerat. Non dixit, non ſum, ſed dixit, ſum. Et Dominus continuo, quia ſe agnouit canem: Tu te agnouiſti canem, ego iam te agnoſco hominem: O mulier, magna eſt fides tua.*

*Abiectio pro Deo ſublimatio.*

D. Auguſt.

109. Ioan. 3. Agens Chriſtus Dominus cum Nicodemo de regeneratione ſpirituali ait ei: *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Ioan. 3. num. 10. Sed quomodo, cum eum Chriſtus Dominus magiſtrum dicat, ignorantem appellat, cum nihil ſit magis probroſum magiſtro, quàm ignorantia? Et quomodo ignorantem dicit, cui altiſſima myſteria mox aperire parabat? nam ſtatim ei reuelauit regenerationem ex Spiritu ſancto, deſcenſum filij hominis in terram, exaltationem in Cruce & redemptionem totius generis humani, diuitias diuini amoris. Decreuit Dominus maximè euehere Nicodemum ſplendore ſcientiæ tantorum myſteriorum; prius tamen ei ignorantis notam impingit, vt ipſa humiliatione, ac abiectione proportionaretur, vt ex Spiritu ſancto regeneretur, ac præilluſtri gloria cognitionis arcanorum diuinorum ſublimetur. D. Auguſtinus tract. 12. in Ioannem. *O fratres,* ait, *quid putamus Dominum huic magiſtro Iudæorum inſultare voluiſſe? Nouerat Dominus, quid agebat; volebat, illum naſci ex ſpiritu: Nemo ex ſpiritu naſcitur, niſi humilis fuerit.*

*Vt homo exaltetur, neceſſe eſt, vt humilietur.*

D. Auguſt.

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare, vt Dominus explicet Ioannis conſtantiam, negat, eſſe arundinem vento agitatam?*

110. AGGREDITVR Chriſtus Dominus Ioannis laudes; ac primò eius conſtantiam, ac immutabilitatem extollit, quod non ſit inſtar arundinis, quæ à vento in varias partes inclinatur, ac flectitur; ne ex hac præſenti interrogatione: *Tu es, qui venturus es:* exiſtimetur Ioannes mutatus à ſua antiqua ſententia, qua Chriſtum Agnum Dei prædicauit, vt docent D. Hieronym. Epiſt. ad Algaſiam q. 1. Auctor Imperfect. hom. 27. D. Gregor. hom. 6 in Euangelia. In Ioannis Panegyrico primò ante omnes virtutes eius conſtantiam

D. Hieron. Imperfect. D. Greg.

*Mutabilitatis nota virũ ingenuum valdè deuenuſtat.*



tiam in altum euehit Dominus, ac in eo mutabilitatis notam cauit: non enim is eſt Ioannes, qui Chriſtum, à ſe ſemel laudatum poſtea vituperet; ac eum, quem à ſe ſemel cognitum eſt atteſtatus, poſtea vt ignotum, ac incognitum dicat, hoc enim valdè alienum eſt à viro ingenuo, ac Dei aſſecla.

111. Quæſtio præſens inquirit: Cur ad excludendam leuitatis notam à Ioanne, potius arundo, quàm aliquid aliud adducitur in exemplum? De hac re accipe eleganter D. Ambroſ. lib. 5. in cap. 7. Luc. ad præſentia verba ſic dicentem. *Negat Dominus, in deſertum, id eſt in mundum prodeundum, vt mente carnis inflatos, vacuóſque virtutis internæ viros, & fragili gloriæ ſæcularis ſublimitate iactantes pro exemplari quodam putemus imitandos, quos procellis huius mundi obnoxios vita mobilis inquietat, iure arundini comparandos, in quibus ſolidæ iuſtitiæ nullus eſt fructus, qui forenſibus criniti phaleris, nodis obſiti, vacuo oris ſtrepitu ſonori, foris ſpecioſa ſectantur. Arundines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati. Et ſi leuis aſpirauerit proſperioris aura ſucceſſus, vago motu proximos verberamus, inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluuios amant, & nos labentia, & mundi caduca, quæ delectant.* Sic ille, & ſatis pulchrè. In quibus multa ſunt expendenda.

D. Ambr.

112. Qui ſine ſoliditate virtutis à vento, ac procella huius mundi in varias partes agitantur, merito arundini comparantur. Primò arundo ſuis vndantibus foliis à vento huius mundi in contrarias partes circumagit, ac flectitur; ſic adulantium impetus pro ſuo commodo nunc laudant, nunc vituperant. Secundò, arundo nullum fert fructum; & nullum iuſtitiæ adulatores dant. Tertiò, arundo, ſicut hypocrita, quamuis foris aliquid ſpecioſum exhibeat, intus tamen vacua eſt. Quartò, arundo, quamuis foris tota elegans videatur, intus tamen nodis obſita eſt, hominis doloſitatem denotans. Quintò, arundo nulla valida radice fundatur, quod eius infirmitatem indicat, ac imbecillitatem ingenij hominis adulantis. Sextò, arundo quolibet vento ſine ſui vtilitate, & aliorum offenſione facilè mouetur, itaut proximos ramos, herbas, ac plantas ſuo motu verberet; ſic & ſæculares homines qualibet proſperitatis aura alios dilacerant, ac peſſundare intendunt. Septimò, arundo, cum ſit valdè fragilis, multum inops eſt ad ſuffragandum; & ad nocendum facilis; vnde ſi in ea innitatur homo, confringetur, & manus eius perforabitur. Iſai. 36. num. 3. tales enim ſunt adulantes amici. Octauò, arundo iuxta fluuialia creſcit, & paſcitur Iob 40. num. 16. ſic & mundiales huius ſæculi voluptatibus, ac illius labentibus diuitiis paſcuntur, ac oblectantur. Hæc, & multa alia ex mente S. Patris conſiderari poſſunt.

*Arundo inconſtantiam, adulantiúmque nequitiã ſignificat.*

Iſai. 36.

Iob 40.

113. Cum ergo arundo ſit tam volubilis, intus vacua, nodis plena, aquis fluuialibus nutrita, denotat omne vitium, ac inconſtantiam, quæ ex ipſiſmet malis pullulat, ac naſcitur. Ad explicandam igitur Ioannis adamantinam firmitatem, quæ in omni ſanctitate, ac iuſtitia erat radicata, dicitur non eſſe arundinem, quæ facilè agitatur à vento, cum omni medulla careat. Virtus, ac probitas, totius conſtantiæ, ac firmitatis eſt fundamentum.

*Conſtantia in omni iuſtitia fundatur.*

114. Hebr. 6. Deum eſſe immobilem, prædicat Apoſtolus ad Hebræos 6. num. 17. *Volens,* ait, *Deus oſtendere immobilitatem conſilij ſui.* Circa quæ verba D. Ambroſius in Pſalm. 61. ad illa: *Ore ſuo benedicebant:* ingenioſè quærit, vnde originatur, quod Deus ſit tam firmus, ac conſtans in ſuis conſiliis, homo verò tam varius, ac conſtans? Sic ait S. Doctor: *Rectè immobilis voluntas Dei, qui nullius peccati mouetur illecebris. Homines verò mobiles lubrici, ad delinquendum, faciles ad errandum.* Indagando S. Pater rationem, hanc apud ſe ſtatuit, quod cum Deus ſit ipſamet ſanctitas, ac iuſtitia, immutabilis eſt; homo verò, cum ſit valdè pronus ad omne malum, valdè inconſtans, ac varius eſt. Ac ſi dicat, quod ipſa ſanctitas in Deo eſt radix immutabilitatis diuinæ: iniquitas verò in homine origo tantæ varietatis, ac contrarietatis.

D. Ambr.

*Nequitia infirmitatem, ſanctitas cõſtantiam parit.*

115. In huius rei argumentum multa valdè præclarè ſubdit S. Pater citato loco. Vnum tantum ſubiicio. Pendente Domino in Cruce, ait Matthæus 27. num. 39. quod *prætereuntes blaſphemabant eum.* Et tamen Regius Vates Pſalm. 133. n. 1. ait: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Prætereuntes contumelias dicunt in Dominum; ſtantes verò ipſum laudant. Qui tranſibant, cum in vno loco non eſſent fixi, ſed inconſtantes, peccatis abundabant, & in blaſphemias erumpebant. At verò, qui ſtant, cum eſſent firmitate, ac ſtabilitate præditi, in miras Dei laudes prorumpunt. D. Ambroſius citatus. *Pulchrè ait Euangeliſta, quod tranſeuntes mouebant capita ſua; tranſeuntes, non ſtantes: ſtantes enim, non tranſeuntes ſunt pedes benedicentium.* Inconſtans omni vitio abundat; perſeuerans omni ſanctitate repletur.

Matth. 27. Pſalm. 133.

*Cum inconſtantia reperitur nequitia, cum firmitate ſanctitas.*

D. Ambr.

## QVÆSTIO XX.

### *Quare in proclamandis Ioannis laudibus à deſerto ſermonem inchoat Dominus.*

116. ERAT Ioannes in carcere nitens multa patientia, ac modeſtia, mira doctrina docens diſcipulos ſuos: & tamen non ex hoc, ſed à deſerto Dominus initium facit in eius encomiis declarandis. Reſpondet primò Gloſſa apud D. Thomam. *Ioannes enim tunc non erat in deſerto, ſed in carcere; præteritum refert, quia frequenter exierat populus in deſertum videre Ioannem, cum adhuc eſſet in deſerto.* Voluit Chriſtus Dominus, tanquam argumentando ad hominem, eos ex eorum met ſententia conuincere; & ideo proponit Ioannem in deſerto, & non in carcere: ſiquidem in deſertum omnes commoti fama eius ſanctitatis exibant ad eum videndum; non autem ſic frequenter in carcere ad ipſum conueniebant. Cuius rei iam ſuprà dedi rationes morales; ſiquidem in deſerto erat Ioannes in loco diſtanti à ciuitate, & tunc gratus extiterat Herodi, ſiquidem libenter eum audiebat, & eo audito multa faciebat Marc. 6. num. 20. quod refertur ad tempus antequam Ioannes mitteretur in carcerem, vt ſuo loco dixi ex Euthymio lib. 4. cap. 4. quæſtione 12.

Gloſſa.

*Populus confluebat ad Ioannem in deſerto, non verò in carcere.*

Marc. 6.

117. Secundò, Ioannes in deſerto Chriſti Domini excellen

excellentias, ac magnalia vniuerſo populo prædicauit. Vox clamantis in deſerto, *Ecce Agnus Dei.* Ioan.1.n.20. Meritò ergo Dominus à deſerto præparat motiua ad Ioannis laudes diuulgandas. Valdè enim æquum eſt, vt in loco, in quo merita proclamant, ibi gloriæ, & honoris corona reſplendeat. Tertiò, erat Ioannes in carcere; & tamen non ab hoc loco, ſed à deſerto eius laudes initiantur. Adeò totus ſpecioſus, & pulcher erat Ioannes in vinculis, vt à ſemetipſo laudaretur, ac cunctis valdè condecoratus appareret.

Ioan. 1. *In loco, vbi ſunt merita, ibi, & præmium reluceat. Catena maximè condecorabant Ioannem.*

118. Quartò, Ioannes in deſerto in tot magnis, ac tam præclaris virtutibus educatus eſt Luc.1.n.80. Meritò ergo Ioannis laudes à deſerto decantantur: ab educatione enim hominis mores, ac virtutes pullulant, & naſcuntur. Apparet Angelus Domini Sanſonis Matri, & ei prædicit magnum filium naſciturum, *Erit enim Nazaræus Dei*, ait, *ab infantia ſua, & ex vtero matris*. Iudic.13. n.5. Mulier verò referens omnia prænuntiata marito ſuo, ait: *Hoc reſpondit mihi*, ſcilicet Angelus Dei, *Ecce concipies, & paries filium, erit enim puer Nazaræus ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ vſque in diem mortis ſuæ.* ibid. num.7. Circa quæ verba merito addubitat D.Auguſt. q.52. *Quod ait eadem mulier dictum ſibi eſſe ab Angelo, quoniam Nazaræus Dei erit puer à ventre vſque ad diem mortis; non legitur ab Angelo dictum.* Quomodo mulier ſancta, & pia aſſeruit, quod non audiuit; nam ei ſolùm dictum eſt, quod filius erit Nazaræus ab vtero matris: vnde ipſa addidit, *ab vtero matris vſque ad diem mortis ſuæ?* Optimè ſanè; nam cum mulier accepiſſet, quod filius eius futurus erat à ſua infantia Deo conſecratus, in ſanctitate, ac iuſtitia degens; inde merito intulit, quod talem viuendi modum per omne vitæ ſuæ tempus obtineret, ac ſeruaret.

Luc. 1. *Bona educatio bonam indicat ſubſequentem vitam.* Iudic. 13. D. Auguſt.

119. Exordium vniuſcuiuſque rei, magnum prænoſticum totius euentus ſubſequentis. Si enim bonum principium tenes, inde cætera fœliciter auſpicantur. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei; luminare minus, vt præeſſet nocti; & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti.* Geneſ.1.n. 4. Quæ verba ſic transfert D. Athanaſius orat. 3. contra Arium. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius ad exordia diei, luminare minus ad exordia noctis.* Magna conſideratione, ac ponderatione dignum, quod Sol dicatur tantum creatus ad exordia diei. Et quando dies ſine Sole perſiſtere poteſt? Cur ergo ſolum narratur productus ad exordium diei? Benè quidem cum dicitur, quod Sol in initio diei elucet, inde tanquam notum manet, quod ipſe per ſubſequens ſpatium diei non deficiet, ſed lucem ſuam diffundet, cum tam fœlix auſpicium iugem perſeuerantiam denotet.

Geneſ. 1. D. Athanaſ. *Ex præclaro principio totus præclarus exitus deprehenditur.*

*Matth.*11.*n.*8. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.

*Num.* 9. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam.

*VERSIONES.*

*Vatablus*, *n.*8. Age quid exiſtis vt videretis?

*Syriacus.* Sin minus quid viſuri exiſtis? virum veſtimentis mollibus indutum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in aulis regum degunt.

*Tertull. lib. de Idolol. c.*18. Ecce qui teneris veſtiuntur, in domibus regum.

*Syriacus*, *n.*9. Sin minus quid viſui exiſtis? Prophetam? Certè dico vobis, & Propheta præſtantiorem.

*Vatablus*, *Pagninus.* Etiam excellẽtiorem Propheta.

*Arias.* Et abundantius Propheta.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 7.*n.*25. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce, qui in veſte pretioſa ſunt, & deliciis, in domibus regum ſunt.

*Num.* 26. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? vtique dico vobis, & pluſquam Propheta.

*EXPOSITIO VI.*

120. D. Chryſoſt. Abulenſis. *Connexio verborum.*

DIVVS Chryſoſtomus homil. 38. & Abulenſis quæſt. 21. hanc faciunt connexionem in ſermone Domini: ſunt enim homines natura, & ingenio ſuo conſtantes; tamen deliciis effœminantur, ac fiunt inſtabiles. Superiori ſentẽtia docuit Chriſtus, quod Ioannes ingenio, ac natura ſua habebat quandam adamantinam firmitatem, cum non eſſet inſtar arundinis vento agitatæ, nunc verò demonſtrat, habere eandem firmitatem, ex vitæ inſtitutione, cum non ſit deliciis deditus. Vel aliter dic, quod in prima ſententia demonſtrat Dominus conſtantiam Ioannis in verbis, ne ex hac præſenti interrogatione exiſtimetur mutatus. In hac verò ſecunda, eius puritatem vitæ, ne ex vinculis aliquid mali contra Ioannem in ſuſpicionem veniat.

121. *Quid exiſtis videre?* Ipſoſmet murmuratores, ac calumniatores in teſtes vocat, vt validius ſit argumentum. *Hominem mollibus veſtitum?* hoc eſt delicioſis veſtimentis indutum, vt ex hoc facilè videri poſſet mollis, ac mutabilis. Huic interrogationi Domini ſubintelligitur reſponſio: Minimè talem exiſtis videre. Et ſtatim ſubiungit rationem, *Ecce, qui mollibus veſtiuntur*, non habitant, vt Ioannes in antris deſerti, vbi omnia ſunt rigida, & auſtera, ſed *In domibus regum*, vbi cuncta mollitie, ac illecebris affluunt. Non ait, reges ſunt, vt regum auctoritatem conſeruet, & eos cum

*Germanus ſenſus.*

modeſtia



modeſtia reprehendat. De veſtitu Ioannis agit. *Et quare*, ait D. D. Thomas, *non fecit mentionem de cibo?* Sic reſpondet. *Quia poterat eſſe dubium; veſtiebatur autem de pilis camelorum.* De Ioannis cibo poterat aliquis ex circunſtantibus dubitare, quia ipſum comedere non viderat; at eius veſtimentum in omnium oculis apparebat: & cum Chriſtus ageret cum aduerſariis, argumentum deducit ab his, quæ erant euidentia, & à nullo negari poterant.

D. Thom. *Cum aduerſariis ab euidentibus ſumendum argumentum.*

122. *Sed quid exiſtis videre?* Ex eorum factis, ac opinione iterum confirmat Chriſtus, Ioannem eſſe valdè magnum, cum tam frequenter ad eum exierint in deſertum. *Prophetam?* ita enim communiter Ioannes exiſtimabatur à populo. *Omnes enim habebant Ioannem ſicut Prophetam.* Matth.12.n.26. Chriſtus Dominus autem non ſolùm eum appellat Prophetam, *ſed etiam pluſquam Prophetam*; & valdè aſſeueranter, vt habet Syriacus, *certè dico vobis.* Hoc teſtimonio Chriſtus maximè extollit humilitatem Ioannis, qui de ſe negauit eſſe Prophetam. Ioan.1.num.21. Et maximè facit ad rem præſentem, ad declarandam ſtabilitatem Ioannis, quod non ſit homo ignarus, cum ſit diuina luce illuſtratus: nam ſi in his, quæ erant ex munere prophetico, prophetæ à vero deuiare nequibant, quomodo deuiabit Ioannes, qui non ſolùm Propheta, ſed etiam pluſquam Propheta eſt. Dicitur autem Ioannes Propheta, quia Chriſtum venturum prædixit; *& pluſquam Prophetam* ſeu vt habet Syriacus, *præſtantiorem*, ſeu Vatablus. *Excellentiorem Propheta*, quia Chriſtum, quem venturum prædixit, mox præſentem indicauit.

Matth. 12. Ioan. 1. *Verus ſenſus.* Syriacus. Vatablus.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus ait, quod qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt?*

123. HANC ſententiam protulit Dominus ad oſtendendam Ioannis conſtantiam ex auſteritate indumenti; nam mollis veſtis ſæpè hebetat, ac frangit animum, vt ait D. Ambr. lib.5. in cap.7. Luc. *Pleroſque mollioris cura veſtis effœminat.* Delicata veſtis non ſolùm debilitat corpus, ſed etiam emollit animam. Pro quo ſubiicio præclara Chryſoſtomi verba apud D.Thom.ad c.7. Luc. *Hominem mollibus veſtitum*: ſic commentatur. *Mollis veſtis diſſoluit rigidam animam, etſi rigidum corpus aſſumat, & aſperum, facilè per huiuſmodi mollitiem delicatum reddit, & fragile. Facto verò corpore molliore, neceſſe eſt, & animam participare læſionem.* Eſto rigidum ſit corpus, & anima rigida, tamen veſtium teneritudo eneruat corpus, & læſio deriuatur in animam. Vnde pugnacem Achillem cum veſte ferè animum mutaſſe, dixit Tertull.lib.de Pallio, cap.4. *Habitum transferre ita demum cultus probrum eſt, ſi non conſuetudo, ſed natura mutatur.*

D. Ambr. D. Chryſoſt. *Mollicies veſtium debilitat corpus, & animam.* Tertull.

124. Proprius ad noſtram quæſtionem reſpondit Haymon in præſenti. *Qui pro terreno regno militant, mollia veſtimenta requirunt. Ioannes ergo, quoniam pro cœleſti regno militat, habitaculum carceris diligit, mollia veſtimenta ſpernit, à delectationibus ſæculi iſtius alienus exiſtit.* Ex tenera, vel rigida veſte deprehenditur, qui mundo, aut virtuti militet; nam qui mundo ſeruit, molliciem veſtium amplectitur: quam virtutis alumnus reiicit. Ergo cum Ioannes ſub tam aſpera veſte degat, non mundo, ſed Deo viuit, cuius & rei veſtes ſunt omnes ſancti, qui per viam iuſtitiæ inceſſerunt.

Haymon. *Veſtis indicat eos, qui Deo, vel mundo militant.*

125. Secundò, maximè eſt expendendum, quod explicat Dominus, vbi molles habitant, in domibus nempè regum; cum de arundine vento agitata nobis expreſsè non indicet, vbi ſit. Sed ſine dubio hoc expreſſit, ac ſubiecit, in domibus nempè regum, vbi enim eſt mollis, delicioſus, ac regius cultus, ibi nobilitas, ac arundinis inconſtantia ineſt: veluti data manu incedunt luxus veſtium, ac animi inconſtantia. D. Cyrillus Alexandrinus lib.2. Theſaur. cap.4. *Qui mollibus ornantur*, ait, *in domibus regum ſunt; qui ſicut mollibus veſtiuntur, & animo leuiore ſunt.*

*Inconſtantia concomitatur regales delicias.* D. Cyrill.

126. Tertiò, quomodo aſſeritur, quod qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, cum fieri poſſit, vt apud aliquos Eccleſiaſticos, & eos, qui vita ſanctiore degunt, ſimiles reperiantur? Eſto apud tales ſint, dicam tamen: Habitus non facit monachum, ſed vita: delicatè viuunt, delicioſè veſtiuntur, non in Eccleſiaſtica familia, non in reformationis clauſtro, ſed in domibus regum verſantur. Qui enim verè ſtrictiori, ac puriori vitæ incumbunt, non mundialem faſtum, ſed in veſtitu, ac conuerſatione ſanctum odorem exhalant.

*Qui delicata induitur veſte, non eſt in domo Dei, ſed in mundo.*

127. Loquens Chriſtus Dominus de dilecta anima, ait: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Cant.3. num.6. In quibus verbis aſſeritur, quod interior animus ſponſæ plenus ſit omnium virtutum odoramentis. Tamen de eius veſtimentis loquens ait: *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Cantic.4.n.11. Si dilectam ſponſam omnia aromata replent, quomodo eius veſtimentum ſolùm odorem thuris refert, *ſicut odor thuris?* Verum eſt, quod dilecta anima omnia pigmentaria in ſe continet, tamen eius veſtimenta ſpecialiter diffundunt odorem thuris, quod templo, ac cultui diuino eſt conſecratum. D. Gregorius Nyſſenus homil.9. *Talis eſt odor veſtimentorum tuorum, vt ſit ſimilis thuri, quod Dei honori eſt dedicatum.* Qui enim templo, Dei obſequio, ac religioni ſe deuincunt, ea in vſu habeant indumenta, quæ non alium ſpirent odorem, niſi tantum thuris, ſcilicet Eccleſiæ, ac Religionis.

Cantic.3. Cant. 4. D. Nyſſen. *Eccleſiaſticus, ac religioſus in ſua veſte ſuum indicet ſtatũ.*

128. Ex quo D. Laurentius Iuſtinian. lib de Triumphali Chriſti agone, cap. 15. pungit aliquos Eccleſiaſticos, qui luxu veſtium deliciantur, ſic ait. *In veſte toties illuditur Chriſtus, quoniam qui præſunt in Eccleſia, pretioſarum veſtium apparatu nitent, & tranſitorijs proſperitatibus delectantur. Nempe, Domino teſte, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Vbi, oro, mutato habitu illuſus eſt Chriſtus? Nonne in domo regis Herodis, & Pilati præſidis? Iam attende palatia præſulum, ponunt ſigna ſua, ſigna, ſericis apparatibus ornantur, pretioſis indumentis induuntur, famulorum vallantur multitudine, & quod ſine mœrore dici non poteſt, domus, quæ egenorum eſſe receptacula debent, Imperatorum palatia indicantur.* In domo regum dirempta veſte à regibus ſpernitur Chriſtus. Deſignabatur ibi, quod tali indumento contemnendus erat Dominus. Proh dolor! ſunt fortè aliquot Eccleſiaſtici, qui peregrina veſte, prophaniſſimiſque oſtentationibus illudunt Saluatorem, cum alienum indumentum aſportant; & ſpreto paupere, ea, quæ in egenorum

D.Iuſtin.

ſumptus debebant erogari, in pompoſos apparatus conſumunt; & inter iniurias ſuæ paſſionis hoc opprobrium ſibi inferendum iam in figura patitur Dominus.

---

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare Ioannes dicitur à Chriſto, non ſolùm propheta, ſed etiam pluſquam propheta?*

129. Chryſoſt. Imperfect.

RESPONDEO Primò cum Chryſoſtomo homil. 38. dicente. *Cur igitur maior prophetis Ioannes? quoniam propinquior erat Chriſto venturo.* Mittam, inquit, Angelum meum ante faciem tuam, *qui autem ante faciem eſt, is proximus eſt. Nam quemadmodum maiore dignitate ij ſunt, qui proximè regibus deambulantibus ordinantur; ſic & Ioannes in ipſo aduentu maiori gratia fulſit.* Idem habet in Imperfecto homil. 27. Præcucurrit enim immediatè ante Chriſtum. Secundò, quia Chriſtum, quem venturum prædixit, mox præſentem indicauit. Tertiò, quia Chriſti Domini magnalia, ac excellentias perfectius, ac clarius, quàm aliquis prophetarum agnouit. Quartò, quia non ſolùm fuit propheta, ſed etiam Apoſtolus. Venit enim, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Quintò, fuit ipſe Ioannes Angelus, id eſt nuntius, ac legatus Chriſti, ac præcurſor ad præparandam viam: *Qui præparabit viam ante te.*

*Ioannes valdè proximus Chriſto.*

130. Sextò, quia ſuper cæteros prophetas particularibus fauoribus, ac priuilegiis inſignitus eſt Ioannes à Chriſto Domino, itaut ipſum baptizaret, vt commentatur in præſenti D. Hieronymus, quod in tantam gloriam, & honorem cedit Ioanni, vt magno verborum pondere dicat Petrus Damianus ſerm. de S. Ioanne Baptiſta. *A creatione cæli, & terræ vſque ad hunc locum nunquam Trinitas hominibus manifeſtè apparuit, ſed rerum, & verborum inuolucris inuoluta fuit tanta claritatis æternitas.* Et poſtquam latè pertractat, quam abſconditum fuiſſet Triadis myſterium, ſic ſubdit. *Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie demonſtratur, adeſt Ioannes totius medius Trinitatis, glorioſùmque Baptiſtam ſanctificant indiuiſæ ſubſtantiæ perſonata vocabula, & nomen Trinitatis prioribus ſæculis obuolutum abſque totius velaminis obumbratione relucet.* Et licet hæc verba alibi à me ſint data, nunc verò ſic duplici conſideratione diteſcunt. Primò, quomodo Ioannes in altiſſimum Triadis myſterium medius ingreditur? Optimè ſanè medius. In ſacratiſſima Trinitate Verbum medium tenet; cum autem vox Verbi ipſi Verbo ſit coniuncta, ſocietatem cum illo in ſitu, & loco exoptat.

D. Hieron. Damian.

*Ioannes medius Trinitatis tanquã vox ſociata Verbo.*

131. Secundò in iiſdem verbis. Qua conſideratione Triados myſterium dicitur Ioanni primò reuelatum, cum hoc conceſſum fuiſſe B. Virgini in ſua Annuntiatione, proprio loco cum communi ſententia dixerim? Ioannis priuilegia Mariæ non derogant præeminentiis: nam Triadis reuelatio Virgini facta, in Ioanne videtur continuata, qui veluti quidam ſpiritualis eſt Virginis filius. Vt eleganter ait D. Chryſoſtomus apud Bernardinum de Buſtis part. 7. ſerm. 4. *Ioannes Baptiſta*, ait, *fuit Virginis filius per ſpiritualem Baptiſmi regenerationem.* Nam, vt dixit mater eius Eliſabeth ad Virginem Mariam: *Ecce enim ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Luc. 1. num. 44. Per vocem enim Mariæ gratia ad cor Ioannis penetrat, vt ait Guarricus Abbas ſermon. 1. de Baptiſta, qui ex ſuperfluenti abundantia gratiæ Virginis ebibens totus impinguatur. Vide, ad quantum apicem Præcurſor euectus eſt in Baptiſmate. *Adeſt totius medius Trinitatis*, tanquam vox ſociata Verbo. Et in cognitione Abditiſſimi myſterij ſociatur Virgini tanquam ab ipſa ſpiritualiter regeneratus.

*Ioannes ſpiritualis filius Virginis.* Bernard. Luc. 1. Guarric.

*Ioannes in cognitione Trinitatis ſociatur Virgini.*

*Matth. 11. n. 10.* Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Qui parabit viam coram te.

*Theophylactus.* Qui præparaturus eſt viã tuam ante te.

*Septuag. ad c. 3. Malach. 1.* Et reſpiciet viam ante faciem meam.

*Pagninus ibi.* Verret viam ante faciem tuam.

*Vatablus ibi.* Ecce ego mitto ligatum meum, qui complanabit viam ante me.

*Hebræus.* Et verret, ſeu emundabit viam tuam à fronte tua, ſeu coram te.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n. 27.* Cõcordat cum Matthæo.

### *EXPOSITIO VII.*

PARTICVLA illa. *Enim* in textu. *Hic eſt enim* denotat rationem, ob quam Ioannes pluſquam propheta ſit appellatus; & ad hoc inducit Dominus teſtimonium Malach. 3. num. 1. ab omnibus enim S. Ioannes eſt honoratus. *Ecce ego mitto* verba ſunt Æterni Parentis ad Filium ſuum, qui carnem aſſumpturus erat, *Angelum meum*, ſeu, vt habet Vatablus, *legatum*, & idem eſt, ac miniſtrum ſeu nuntium: tales etiam Angeli dicuntur, de quo quæſt. ſequenti. Pulchrè ponderat Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 27. *Ioannes*, ait, *illum*, ſcilicet Chriſtum, *Agnum oſtendit; ille autem iſtum Angelum prædicauit. Iſte minus laudauit in Chriſto, quàm erat: nam non ſolùm peccata mundi abſtulit, ſed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem iſtum, ſupra quàm videbatur, erexit: vt qui homo erat, Angelus diceretur.* Semper Ieſus maiora tribuit, quàm noſtra ſint ei oblata obſequia; nec enim in laudibus par pari, ſed magna nimis refert. Et non ſolùm Ioannem appellat Angelum, vt alij dicuntur, Gabriel nuncupatur *Angelus miſſus à Deo.* Luc. 1. n. 26. *Et Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Matth. 4. n. 11. ſed addidit, *Angelum meum.* Nunquid ſunt aliquot Angeli, qui non ſint Dei? minime. Ob tamen ſingularem affectum, ac beneuolentiam, in ſuum Baptiſtam, ſic eum nominat. *Ante faciem tuam*, id eſt proximè ante te.

132. Malach. 3. Vatablus. Chryſoſt.

*Semper Ieſus maiora tribuit, quàm ſint noſtra obſequia, & laudes.*

Luc. 1. Matth. 4. *Singularis affectus Domini in Ioannem.*

133. *Præparabit viam*, ſeu *emundabit ante te*, ſeu *coram te.* Hoc eſt diſponet populos ad pœnitentiam peccatorum; diſponetque, vt cum te mundo manifeſtaueris, te verum Meſſiam agnoſcant, tibi credant, teque vt verè promiſſum in Lege recipiant.



---

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare Ioannes Baptiſta, cùm eſſet homo, Angelus nuncupatur?*

134. D. Cyrillus

FVERVNT aliqui impij aſſertores, vt refert D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 7. qui dixerunt, Ioannem natura, non hominem fuiſſe, ſed Angelum; in ſpecie tamen naturæ humanæ prædicantem apparuiſſe. Hos iam Ioannes Euangeliſta in exordio ſui Euangelij refutauit: de Baptiſta ait: *Fuit homo miſſus à Deo.* 1. n. 6. Et illa impia aſſertio valde inuidioſa eſt naturæ humanæ, & Ioannis gloriam derogat. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 27. *Puto, ait, quod glorioſior eſt Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus eſt vocatus, quàm ſi nomine Angelus, & natura fuiſſet. Angelus enim hoc ipſo, quod Angelus, non eſt virtutis præmium, ſed naturæ proprietas. Iſte autem mirabilis eſt, qui in humana natura angelicam ſanctitatem tranſgreſſus eſt; & obtinuit, quod non habebat natura, per gratiam.*

Ioan. 1. Chryſoſt. *Magna Ioannis laus, quod cum ſit natura homo, virtute Angelus dicatur.*

135. Reſpondeo primò, Quod Angelus idem eſt, ac miniſter, nuntius, & legatus. Et notat Franciſcus Lucas, quod voces, ſiue in Hebræo, ſiue in Græco communes ſunt tam ad cæleſtes ſpiritus, quàm homines mortales, vt videre eſt apud Aggæum in Hebræo cap. 1. n. 13. Ioannes autem fuit Dei miniſter, nuntius, & legatus. Ergo bene Angelus eſt dictus. Ita communiter Patres D. Cyrillus citatus, D. Hieronymus, Chryſoſtomus, Paſchaſius, Theophylactus, Euthymius. Vnde ait D. Gregorius Magnus homil. 6. in Euangelia. *Rectè qui nuntiare ſupremum iudicem mittitur, Angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione.* Alias ergo rationes in ſenſu morali, quas veluti angelicas Ioannes explet in operatione, in eius laudem videamus.

Franc. Lucas. *Ratio litteralis.* Aggæi 1. D. Cyrillus D. Hieron. D. Chryſoſt. D. Paſchaſius Theophyl. Euthym. D. Greg. Magnus.

136. Secundò, Idem Euthymius. Ioannem Deus Angelum ſuum nominauit, quaſi angelicam degentem vitam, eo quod ſupra terrena eleuabatur, ac cæleſtia ſapiebat. Tertiò, Homo vi generationis exiit in mundum. At Angelus abſque operatione naturæ Dei dono creationis producitur. Ioannes, quamuis verè, & propriè ſit à Zacharia, & Elizabeth generatus; tamen natura frigeſcente in ipſis maioribus, ſolius Dei dono, & non connaturali naturæ fluxu efformatur. Accipe præclara Chryſologi verba ſerm. 89. ſic de Baptiſta loquentis. *Aboleſcit totum, quidquid eſt humani ordinis, & negotij coniugalis, vt diuino munere, non partu, ex hominibus Angelus naſceretur.* In breui periodo magna apparet contrarietas: Quomodo non eſt partu datus, ſi ex hominibus eſt natus, *Vt diuino munere, non partu, ex hominibus Angelus naſceretur?* Duo relucent in Ioanne; humana natura, & angelica præeminentia. Qua homo, ex parentibus gignitur. Qua verò Angelus, virtute, & munere, ex veteranis, ac ſterilibus maioribus Dei beneficio viuificatis, producitur, vt veluti Angelus abſque naturali partu, ſolo Dei munere erumpat in lucem.

Euthymius. *Ioannes Angelus in vita.* D. Chryſol.

*Ioannes veluti Angelus non ex naturali partu, ſed ex Dei munere datur.*

137. Quartò, Angeli non habuerunt infantiam, ſed cum perfecta natura, iudicio, ratione, & vſu liberi arbitrij à Deo creati ſunt. Ioannes ſexto menſe à Chriſto viſitatus eſt, ac ab ipſo ſanctificatus Chriſtum agnouit, ſaltauit, ac vſum rationis obtinuit. Vnde de eo ſic ſcribit Ambroſius in cap. 1. Luc. *Tempus infantiæ*, ſcilicet Ioannis, *ſiletur, eo quod præſentia Domini matris in vtero roboratur, infantiæ impedimenta neſciuit. Et ideo in Euangelio nihil ſuper eo legimus, niſi ortum eius, & oraculum, exultationem in vtero, vocem in deſerto.* Tanquam de Angelo ſolùm ſcribitur de eo egreſſus in lucem, & rationis actus, exultationis, vocis clamantis, ac prædicantis, vt liqueat, quod infantiæ impedimenta neſciuit.

*Ioannes veluti Angelus quaſi neſciuit infantiæ impedimenta.* D. Ambroſ.

138. Quintò, idem D. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio. cap. 3. teſtatur, Ioannem Baptiſtam propter ieiunium in ſacris Litteris Angelum appellari; nam, vt ipſe ait, *Ieiunium eſt vita Angelorum.* Et D. Baſilius homil. de ieiunio ait, totam Ioannis vitam fuiſſe quoddam continuum ieiunium. Sextò Albertus Magnus. Ioannes fuit valde eminens puritate, ac virginitate perpetua, inſtar Angeli in cœlibatu vitam ducens. Virginitas autem tam propria eſt Angelis, vt dicat D. Cyprianus tract. de habitu Virginum. *Cum caſtæ perſeueratis, ac Virgines, Angelis Dei eſtis æquales.* Hanc autem virginitatem Ioannes quaſi cum natura hauſit à Deo, qui, eum gigni ordinauit ex parentibus veteranis, ac effœtis, & ex corporibus iam à concupiſcentia defæcatis, vt ita per miraculum efformaretur purus quaſi Angelus.

D. Ambroſ. *Ioannes ob ieiunium dictus Angelus.* D. Baſilius Albert. Mag.

D. Cyprian. *Ioannes nuncupatur Angelus ob virginitatem, quam veluti cum natura hauſit à Deo.*

139. Septimò, Idem Albertus Magnus. Angeli ſuperiores docent inferiores. Inferiores verò illuminant, & perficiunt homines. Sic Ioannes docuit, & illuminauit, ſicut Angeli faciunt. *Venit, vt omnes crederent per illum.* Ioan. 1. n. 7. *Erat lucerna lucens, & ardens.* Ioan. 5. n. 35. ſic de eo ait Chryſologus ſerm. 127. *Ioannes fidei diſciplina, maior homine, par Angelis, Legis ſumma, Euangelij ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, Præcurſor Iudicis, Chriſti metator, Domini teſtis, totius medius Trinitatis.*

Albert. Mag. *Ioannes tanquam Angelus illuminat homines.* Ioan. 1. Ioan. 5. D. Chryſol.

140. Octauò, D. Thomas. Angeli vident faciem Dei. Matth. 18. n. 10. Ioannes autem Verbum Incarnatum vidit, ei aſtitit, cum eoque valde familiariter conuerſatus eſt. Ex quo Angelicus Doctor reddit rationem, Quare Chriſtus Dominus poſtquam Ioannem pluſquam prophetam appellauerit, Angelum dicit, veluti ſuum aſſertum explicans. *Quia differentia eſt*, ait, *inter Angelum, & Prophetam, quia Angeli manifeſtè vident faciem Dei, Prophetæ verò non vident. Vnde ſicut Angeli ſemper vident faciem Patris; ſic Ioannes ſpecialiter Chriſtum vidit, ideóque ſpecialiter de eo dicit meum*: Angelum meum.

Matth. 18. D. Thomas. *Ioannes inſtar Angeli Chriſtum ſpecialiter vidit.*

141. Nonò, Ioannes gratiam acceptam nunquam perdidit, quia nunquam peccauit, ſaltem grauiter;

*Ioannes tanquam Angelus gratiam acceptam nõ perdidit, ſed in ea profecit* Suarius. Damianus. Chryſoſt. Gerſon. D. Chryſol.

ter; immo etiam nec venialiter perfecta deliberatione, vt docet Suarius tom. 2. ad 3. p. diſp. 24. ſect. 4. §. Tertiò, tanquam probabile; & in charitate, ac gratia ſemper ſtetit, inſtar Angeli confirmatus in gratia, viuens auſtera, rigida, & ſecura pœnitentia, itavt Petrus Damianus ſerm. de eo, vitam eius appellet continuum martyrium. Et D. Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. eam vocet angelicam. In qua tantum profecit, vt dicat Gerſon tract. 4. in Magnificat. *Videtur Ioannes Baptiſta primus poſt Mariam poſitus in ordine Seraphinorum.*

142. Decimò, Chryſologus ſerm. 89. *Cùm Chriſtus Deus*, ait, *naſcitur in carne, Ioannes Angelus eſt generatus in terris: vt ita officia terrena officiis ſe cæleſtibus miſcerent, ſicut humanis ſe diuina miſcebant, & in terra Deo Angelus, & Domino ordo cæleſtis obſequij non deeſſet.* Quæ verba quadam conſideratione iam dedi lib. 1. cap. 8. q. 8. Nunc verò noua ponderatione veniunt examinanda. Si Ioannes non naſceretur, angelicum obſequium Deo deeſſet in terris? Nam nato Domino cæleſtis

Luc. 2. Matth. 4. Lucæ 22. Ioan. 20. *Sine Ioanne omnis famulatus angelicus Deo Incarnato integer, & perfectus non eſſet.*

militia volitat per cælum. Luc. 2. n. 9. Angeli miniſtrant in deſerto. Matth 4. n. 13. In horto Angelus apparet. Luc. 22. n. 43. Et ad ſepulchrum ſacri Angeli aſtant. Ioan. 20. n. 12. Quomodo ergo ſine Ioanne, ait Chryſologus, quod non daretur in terris famulatus angelicus? Tam magnum, & amplum obſequium Ioannes tanquam Angelus Deo præſtitit in terris, vt quamuis omnes cæleſtes ſpiritus in orbem deſcenderent, ſi Ioannes non adeſſet, Deo non perſolueretur integer, ac perfectus famulatus angelicus, vt decebat. Cuius rei quandam rationem ſubdit S. Pater. *Vt officia terrena officiis ſe cæleſtibus miſcerent, ſicut humanis ſe diuina miſcebant.* Deus cùm ſit puriſſimus ſpiritus, Angeli ſub forma ſpiritus ei miniſtrant in cælo. Naſcitur Deus factus homo, ſic aliquo modo abſque perfecta, & integra ſimilitudine in natura, homo Angelus deſtinatur in terris ad obſequia, vt Deo Incarnato decenter inſeruire valeat.

143. D. Chryſol.

Vndecimò, Chryſologus ſerm. 87. de Conceptione Ioannis ſic fatur. *Apparuit ei*, ſcilicet Zachariæ, *cùm iam defecerat totus homo, vt ante Ioannes naſceretur ex ſterili, quàm Chriſtus naſceretur ex Virgine. Dictum eſt de Ioanne, Ecce ego mitto Angelum meum. Fœlix, quæ ſterilitatis damna virginea fœcunditate mutauit.* In his verbis preme ad quid ante conceptionem Verbi generatur Ioannes tanquam Angelus, ſeu nuntius ex veteranis parentibus, in quibus virtus defecerat. Sed quid in hoc Ioannes tanquam Angelus denuntiabat? Venit Gabriel ad Virginem, & verbis aſtruit poſſibilitatem diuini operis: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Luc. 1. n. 37. Naſcitur

Luc. 1. *Ioannes annuntiat opere, quod Angeli dicunt verbis.*

& Ioannes ex effœtis iam parentibus, vt ipſiſmet partus ſui operibus factibilitatem myſterij in vulua virginea ſine ope viri declararet: poſſibilitatem enim, quam in hac parte dicit Gabriel verbis, priùs Ioannes tanquam Angelus operibus indicat.

D. Maximus

D. Maximus homil. 1 in Natiuitate Ioannis. *Quam decuit*, ait, *vt de matre ſterili naſceretur, qui fœcunditatem Virginis reuelabat, quatenus mirabilem partum, mirabiliter natus oſtenderet.*

144. D. Ambroſ.

Duodecimò, cum D. Ambroſio claudo totam hanc rem, qui ſerm. 65. ſic ait: *Videte ſancti Ioannis Baptiſtæ meritum: Os, quod Angelus alligauerat, Ioannes abſoluit; quod Gabriel obſtrinxerat, paruulus reſerauit. Quanquam & ipſe ſit Angelus, ſicut ſcriptum eſt de eo: Ecce ego mitto Angelum meum.* Zacharias Gabrieli non credens de natiuitate Pueri, ab ipſo ſilentij pœna multatur Luc. 1. n. 20. Quam Puer naſcens abſtulit. Sed quomodo ſilentium, impoſitum ab Angelo, vnus Puer rumpit? Ne mireris, inquit Ambroſius, *Quamquam & ipſe ſit Angelus.* Cùm ipſe ſit Angelus, illata ab Angelo adimet. Immò quid nobilius in Ioanne video: nam Gabriel impoſuit pœnam; Ioannes abſtulit; & multò illuſtrius, pœnam ſoluere, quàm infligere.

Luc. 1. *Ioannes, quæ Angelus intulit, mirabiliter ſoluit.*

Decimotertiò, De Ioanne explicat Chriſtus Dominus locum Malachiæ. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Sed quomodo? omnes Prophetæ, qui præceſſerunt, miſſi ſunt ante Chriſtum, vt eius aduentum prædicarent, cur ergo ſolus Ioannes ſub nomine Angeli venit intelligendus? Cur de ſolo Ioanne explicatur textur: *Ecce ego mitto Angelum meum?* Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 27. in Matth. *Quomodo*, ait, *de ſolo Ioanne, quaſi gratiæ ſingularis eſt indicium: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam? Omnes quidem Prophetæ ante faciem Chriſti tranſmiſſi ſunt; ſolus autem Ioannes ſic miſſus eſt ante faciem Chriſti, vt penè cum ipſo Chriſto veniret.* Ex omnibus Prophetis Ioannes propior Chriſto fuit, & tantum eius ſacratiſſima præſentia ſublimatus, ac euectus, vt ex omnibus ſolus ille Angelus haberetur. Tantum enim ex præſentia Chriſti ſublimatur homo, vt iam non carneus homo, ſed Angelus appareat. 145.

*Ex præſentia Chriſti tantum decoratur Ioannes, vt Angelus dicatur.* Chryſoſtom.

Cùm lapidatur Stephanus de ipſis iniquis iudicibus dicitur: *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* Actor. 6. n. 15. Sed vnde carneus homo tantum habuit, vt Angelus videretur? Ipſe enim dixit: *Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Actor. 7. n. 55. Erat ille ſub Ieſu præſentia tanquam ſub Solis radiis; & inde tantum ſplendorem hauſit, vt iam, non vt homo appareret, ſed vt Angelus reſplenderet in facie. D. Auguſtinus ſerm. 6. de S. Stephano. *Stephanus*, ait, *reuelata facie ſpeculabatur in cælum gloriam filij Dei, ideo videbant vultum eius Iudæi, tanquam vultum Angeli Dei.* 146.

Actor. 6. Actor. 7. *Sub Dei præſentia homo carneus apparet Angelus.* D. Auguſt.

---

## Qvæstio XXIV.

### *Quare Chriſtus Dominus potiùs in hac occaſione, quàm in alia Ioannem Angelum appellat?*

Respondeo ad quæſtionem. A Ioannis diſcipulis quæſitus fuit Dominus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quo audito, Dominus, non ore, ſed manu, non verbis, ſed miraculis dat reſponſum; & ſtatim ſe totus in elogia Ioannis diffundit, & de Ioanne explicat locum Malachiæ: *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te.* Sic Domine, propoſitæ quæſtioni ſatisfacis? Sic explicas, quod tu es ipſe, qui venturus eſt? Nullo ſanè ſubtiliori modo præſens quæſtio enodari poterat: nam Malachias poſt citata verba immediatè addit: *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum tuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Ecce aperta reſponſio ad interrogationem factam. Quod Ioannes, Angelus denuntiatus à Malachia, iam adſit, vt ex præexiſtentia illius, aperta, & euidens ſit conſequentia ad præſentiam Verbi Incarnati: nam nullo interiecto nomine ait Propheta: *Et ſtatim veniet.* Tanta eſt enim coniunctio inter Chriſtum, & Ioannem, vt ex acceſſu huius aperta, & clara ſit illatio ad aduentum illius. Præclarè Rupertus ad hunc locum Matth. 11. lib. 9. de gloria, & honore filij hominis. Poſtquam adducit citatum Prophetæ locum, ſic ſubdit. *Concludant omnes turbæ Chriſtianorum: Igitur iam non eſt expectandus alius: certiſſimè enim iam venit, qui expectabatur venturus Dominator, quem vos quærebatis: ſtatim quippe illum venire oportuit, vbi miſſus eſt iſte Angelus ad hoc deſtinatus, vt pararet viam ante faciem eius.* 147.

Malach. 3. *Inter Chriſtum & Ioãnem mira coniunctio, vt ex vnius præſentia alterius colligatur.* Rupert.



148. *Inter Chriſtum, & Ioannem etiã in nomine, mira coniunctio.*

Nota, quod, cùm Ioannes dicitur Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum*: etiam Deus homo nomine Angeli nuncupari gaudet: *Et Angelus teſtamenti, quem vos vultis*: Vt etiam nec in nomine inter Chriſtum, & Ioannem eſſet aliqua deiunctio: tam intimè inter ſe connectuntur.

149. Luc. 1.

Nato Præcurſore ſoluitur Zachariæ lingua, quæ ſtatim in gratulationes, ac laudes Incarnationis Diuini Verbi erumpit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, ac fecit redemptionem plebis ſuæ.* Luc. 1. n. 68. id eſt, quia Deus carnem aſſumpſit, qua nos viſitauit, vt plebem ſuam redimeret. Sed cur Zacharias ſtatim pro tam ingenti beneficio in filio ſibi dato non perſoluit gratias? cur relinquit præſens donum, & totus reſonat in cantica pro Deo Incarnato? Extabat Zacharias plenus Spiritu ſancto; & tanto lumine illuſtratus, manifeſtè, & apertè agnouit, quod, cùm Ioannes ex vtero matris eſſet egreſſus in mundum, iam Deus homo factus in eo reſplendens aderat, ac redemptionis opus iam exorſum erat. Ibi D. Bonauentura ad illa verba, *Et Zacharias pater eius*: ſic ait: *Poſtquam deſcripta eſt Ioannis origo, ſubiungitur hic gratiarum actio pro redemptionis beneficio iam inchoato in ortu Præcurſoris, & conſummando in ortu Saluatoris.* Vnde cum pro Deo Incarnato, ac redemptionis opere gratias agit, ibi etiam pro initio tanti myſterij, ac pro tanto filio ſibi dato gratulatur, ita enim coniunguntur Chriſtus, & Ioannes, vt dum vnius præſentia celebratur, alterius natiuitas decantetur. Vide ſupra in hoc cap. q. 10. n. 58.

D. Bonauen. *Cùm gratificatur Incarnationis opus, Ioannis natiuitas celebratur.*

*Matth. 11. n. 11.* Amen dico vobis, Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.

### *VERSIONES.*

*Radix Hebraic.* Non extitit inter natos.

*Didym. Alex. in Epiſt. 2. Petr.* Nullus inter natos mulierum maior Ioanne.

*Tertull. lib. de Bapt. cap. 12.* Nemo maior inter natos fœminarum Ioanne Baptizatore.

*D. Cyprianus.* Inter Prophetas non ſurrexit maior Ioanne.

*Arias, Euthym.* Non excitatus eſt in natis mulierum maior.

*Vatablus.* Non exortus fuit inter eos, qui naſcuntur ex mulieribus, maior.

*Syriacus.* Minimus autem in regno cælorum.

### Alter textvs.

*Lucæ 7. n. 28.* Dico enim vobis, Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt: qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo.

### *EXPOSITIO VIII.*

Lavdavit Dominus ſupra Ioannem ex teſtimonio Scripturæ, nunc propriam ſententiam profert: nam, vt ait Abulenſis q. 31. Chriſtus Dominus inceperat laudare Ioannem, & quia non decebat, Chriſtum immorari per ſingula in laudibus Ioannis; ideo ſub vno verbo eas colligit: *Non ſurrexit maior*, &c. 150.

Abulenſis.

*Amen dico vobis.* Cum affirmatione Chriſtus hoc dicit, vt notat Theophylactus; *Non ſurrexit inter natos mulierum*; Hebraiſmus eſt, vt ait Franciſcus Lucas. Ac ſi dicatur, Inter filios hominum, ſeu inter homines non extitit, ſeu non exortus eſt *Maior Ioanne Baptiſta*, tam prophetandi munere, quàm prærogatiuis, ac donis gratiæ, & ſanctitatis, quibus à Deo condecoratus eſt. Et dixit, inter natos mulierum, non autem virorum, vt notat D. Ambroſius ſerm. 65. Et rationem ſubdit. *Hoc autem dixit, quia numeroſior proles mulierum, quàm virorum: eſt enim mulieris filius, qui viri filius non eſt. Denique Sancta Maria genuit filium qui patrem hominem non haberet. Ergo in laudem Ioannis fœcundioris ſexus generatio ponitur, vt nullius ab eo natiuitas ſeparetur.* Vberior ſexus ponitur, vt vniuerſaliora ſint verba, quæ in laudem Ioannis publicantur. Preme verba S. Patris: Ioannes dicitur maior inter natos mulierum, *vt nullius ab eo natiuitas ſeparetur.* Ergo, cùm Chriſtus ſit filius mulieris, & nullius natiuitas ſeparetur à natiuitate Ioannis; Ioannes erit maior ipſo? Abſit, abſit hoc. Vide, quod ait S. Pater: *Denique Sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet*, ſed Deum, ſcilicet Chriſtus ita eſt filius mulieris, vt non ſit filius viri, ſed Dei: nam ſi eſſet filius mulieris, & viri, cum eo maximè contenderet Baptiſta. At cùm Chriſtus ſit filius mulieris, & Dei, vtpotè verus Deus, multò maior Ioanne eſt, nam, vt ait D. Auguſtinus ſerm. 4. de Baptiſta *Quiſquis Ioanne plus eſt, non homo tantum, ſed Deus eſt.* 151.

Theophyl. Franc. Lucas. D. Ambroſ. *Quiſquis Ioanne plus eſt non tantum homo, ſed Deus eſt.* D. Auguſt.

*Surrexit.* Pondera hoc verbum: non dixit: non eſt, ſed non ſurrexit, quod propriè ſignificat excitationem eorum, qui ex morte, vel infimo ſtatu eriguntur ad vitam, vel ſublimem conditionem. Et in hoc ſit alluſio, vt aliquibus placet, ad Ioannis 152.

*…tio ex …ma conditione, quàm qualibet illuſtris natiuitas.*

Ioannis ſanctificationem. Verbum autem *Eſt*, ſi poneretur, innueret natiuitatem in ſanctitate, & gratia. Dixit ergo, non ſurrexit, quia apud Deum multò præclarior eſt erectio ex infima ſorte ad ſublimiorem, quam quælibet illuſtris natiuitas. *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* De hoc vide quæſtionem 27.

## QVÆSTIO XXV.

### *Quibus Sanctis in hac propoſitione:* Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: *ſit ipſe prælatus?*

*An Baptiſta dicatur maior ratione primæ ſanctificationis, vel vitæ.*

153. FVERVNT aliqui in hac quæſtione, quia hanc ſententiam retulerunt ad primam Ioannis ſanctificationem: ac ſi diceretur; nullus ex prophetis emundatus à peccato originali, cum abundantiori gratia, ac excellentioribus priuilegiis, ac donis Spiritus Sancti ſurrexit maior Baptiſta; tamen fieri potuit, vt in vitæ progreſſu alij fuerint maiorem ſanctitatem aſſecuti.

*Suarius. Radix hebr.*

154. Hic tamen dicendi modus facilè reiicitur, vt notat Suarius tom.2.ad 3. p. diſp. 24 ſect.3.§.*Tertiò addi poteſt*.Primò, quia in radice Hebraica *ſurrexit* idem eſt, ac extitit; & in textu Lucæ ponitur verbum ſubſtantiuum *Eſt: Ioanne Baptiſta nemo eſt*. Secundò, frequenter verbum *Surgo* in Scriptura in hac abſoluta ſignificatione ſumitur: *Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc.7.n.16. id eſt miſſus eſt à Deo ad nos, verſatur inter nos. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes*. Deuteron.34.n.10. Tertiò, quia ex magna ſanctificatione Ioannis facta à Verbo Incarnato, commorante Maria Virgine apud Elizabeth per tres menſes, vnà cum perfectiſſima, ac ſanctiſſima vita Ioannis, de quo aliqua dixi q. 23. bene colligitur, quod non ſolùm in prima ſanctificatione, ſed etiam in progreſſu vitæ, quoad ſanctitatem eos ſuperaſſet. Quartò, Quia Chriſtus Dominus hîc laudat Ioannem. *Non ſurrexit maior*: in ordine ad teſtimonium, quod de ipſo dedit: *Ecce Agnus Dei*: Ergo non ſolùm pro ſua prima ſanctificatione, ſed etiam pro progreſſu vitæ aſſerit, quod non ſurrexit maior.

*Luc.7. Deuter.34. Ioannes maior ob proceſſum vitæ.*

*Ioannes non dicitur maior ob prærogatiuas. D. Thomas.*

155. In hac re triplex eſt ſententia. Prima tenet, Ioannem dici maiorem ob ſuum munus Præcurſoris, ob ſuaſque prærogatiuas; Chriſtum nempe baptizauit, ac eum digito oſtendit. Sed vt rectè ait hîc D. Thomas, huiuſmodi prærogatiuæ in ſanctitate fundantur. Deinde quia Chriſtus Dominus inpræſentiarum loquitur præcipuè de vitæ ſanctitate, quæ re vera ſola ſimpliciter facit maiorem apud Deum.

*D. Hilarius. D.Auguſt. Hugo. Caietanus. Toletus.*

156. Secunda ſententia docet, Ioannem à Chriſto dici maiorem, non abſolutè, ſed prophetandi munere, itavt nullus propheta ſit illo maior. Ita D. Hilarius can. 11. D. Auguſtinus in lib, Quæſtionum Veteris, & Noui teſtamenti.q. 26. Eam ſequuntur Cardinales Hugo, & Caietanus hic, & Toletus in cap. 7. Luc. annot. 48. Et hunc eſſe genuinum ſenſum, comprobant ex textu Lucæ. *Dico vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* Ergo quamuis Matthæus abſolutè ſcripſerit ſententiam, de propheta intelligenda eſt, vt exprimit D. Lucas. Si verò eis obiicias, quod Deuteron. 34. n.10. dicitur de Moyſe. *Non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes? quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis, & portentis, quæ miſit per eum; vt faceret in terra Ægypti Pharaoni.* Facilè reſpondetur, quod non fuit propheta ſimilis Moyſi in illo familiari colloquio Dei, ac in illa potentia, qua tot plagis percuſſit Ægyptum. Tamen Ioannes in multis aliis illo fuit excellentior. In vtero ſanctificatus eſt, cum Chriſto eſt conuerſatus ipſumque baptizauit.

*Lucas. Ioannes prælatus Prophetis. Deuter.34.*

*D.Hilarius. D. Auguſt. D.Hieron. D.Anſelmus.*

157. Et addunt citati Patres D. Hilarius, D. Auguſtinus allegata q.26. D.Hieronymus, D. Anſelmus hîc, quod ex præcitatis verbis colligitur, nullum ex antiquis prophetis; & ſanctis fuiſſe maiorem Ioanne; non tamen colligitur, non fuiſſe aliquem ei parem. Quia, vt ait D. Auguſtinus, Chriſtus non dixit, omnibus eſt maior Ioannes, ſed nemo illo eſt maior, hoc eſt æqualem habet. Tamen Patres adducendi in tertia ſententia tenent, Ioannem eſſe maiorem. Idem docent Suarius citata ſect. 3. §. Secundo. Eſto. Toletus in cap. 7. Luc. annot.47. Nam licet ex præcitatis verbis Chriſti nudè ſumptis non colligatur, eſſe maiorem antiquis illis iuſtis; hoc tamen benè infertur ex toto contextu verborum Chriſti: nam ſupra Chriſtus Dominus Ioannem appellauit prophetam, & pluſquam prophetam: ergo in his verbis aliquid vltra additur. Secundò, Quia ex tali loquendi modo. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior*: ex communi hominum phraſi aliquem eſſe ſanctiorem, ac doctiorem aliis deprehenditur. Et hoc maximè facit ad energiam verborum Chriſti. Ac ſi dicatur: Ioannes inter natos mulierum extitit maior; qui autem minor eſt in regno cælorum, ſcilicet Eccleſia, vel Beatitudine, maior eſt illo.

*Suarius. Toletus. Ex contextu verborum Chriſti colligitur, Ioannẽ eſſe maiorem.*

*D.Ambroſ. D Auguſt. D. Chryſoſt. D. Cyrillus. Peluſiota. D Maximus Algerus. Euthymius.*

158. Tertia ſententia, quæ mihi eſt probabilior, tenet, Ioannem hîc vocari à Chriſto excellentiorem, ac maiorem in ſanctitate illis antiquis Patribus. Sic ſentire videtur D. Ambroſius ſerm 94. *Præcellit cunctis Ioannes, eminet vniuerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas. Et quiſquis ex muliere eſt, inferior eſt Ioanne.* Auguſtinus ſerm 4. de Baptiſta. *Quiſquis Ioanne plus eſt, non tantum homo, ſed & Deus eſt.* D. Chryſoſtomus homil.38. in Matth. D. Cyrillus lib. 2. Theſaur. cap.4. Iſidorus Peluſiota lib. 1. cap. 18. D. Maximus homil. 3. de Baptiſta. Algerus lib. 2. de Sacrament. cap.7. Euthymius, & alij. Probatur Non enim Ioannes dicitur maior in munere prophetandi, quia Chriſtus in tam breui periodo non repetit ſententiam à ſe proximè dictam, qua eum pluſquam prophetam iam appellauerat: ergo aliquid ſupra addit; & eum maiorem dicit in eo ſenſu, quo Angelus eius ortum denuntians parenti Zachariæ, Magnum vocauit, ſcilicet in ſanctitate; dicens: *Hic erit magnus coram Domino: vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur, adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Ergo etiam in eodem ſenſu de ſanctitate loquitur Chriſtus.

*Ioannes præponitur cunctis ſanctis antiquis.*

*Luc. 7.*

159. Confirmatur, & explicatur textus Lucæ, qui ait: *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* Maximi, ac primi Sancti Legis Veteris prophetiæ dono reſplenduerunt, ac prophetæ dicti ſunt, vt Abrahamus, Moyſes, Dauid,



Dauid, Elias, Eliſæus, Iſaias, Ieremias; ex quo deriuatum eſt, vt in illo populo antiquo viri excellentiores in ſanctitate prophetæ appellarentur, vt ſæpè dixi. *Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc. 7. n. 16. Ergo in hac comparatione Ioannes dicitur maior propheta per reſpectum ad Patres veteres, non ſolùm in prophetandi ratione, ſed etiam in ſanctitate.

*Luc.7.*

*Ab illa propoſitione excipiuntur Chriſtus, ac B. Virgo.*

160. Hæc autem, quæ diximus, intelligenda ſunt de hominibus Veteris teſtamenti, præcedentis ſcilicet ſæculi vſque ad Chriſtum Dominum, vt indicat verbum præteritum *ſurrexit*, ſeu *extitit*: Non ergo comparatur Ioannes hîc cum Chriſto; nam ſtatim in ſequenti ſententia excipitur Chriſtus, & dicitur maior Ioanne. *Qui autem minor eſt in regno cælorum*. ſcilicet Chriſtus, qui minor videbatur ætate, & tempore, *Maior eſt illo*. Cum Chriſto ab hac propoſitione excipitur etiam B. Virgo: nam, vt dicunt Theologi, & aduertit Suarius citata ſect. 3. §. *Nihilominus*. Vna dictio excluſiua, excludit ſecum concomitantia; vnde cum filio excipitur eius mater, quæ ei eſt maximè coniunctiſſima, & ideo ab omnibus Patribus B. Virgo omnibus Sanctis anteponitur in gratia, & ſanctitate. Deinde ait Abulenſis q. 33. Ioannes hîc comparatur viris, & non mulieribus. Excipiuntur etiam Apoſtoli, ac viri Sancti, qui Chriſtum ſunt ſecuti; nam ob dignitatem apoſtolicam Ioanne non fuerunt minores, ſed maiores. Et de eis intelligitur in ſatis graui ſententia ſequens proloquium: *Qui minor eſt in regno cælorum*, ſcilicet Eccleſia Chriſti, *maior eſt illo*, ſcilicet Ioanne: Maior, inquam, ratione ſtatus Eccleſiæ, ac ex natura Euangelij, quamuis aliàs ſine iniuria in gratia, ac ſanctitate cum eo conferri poſſint. Vt dicam quæſtione 27.

*Suarius. Abulenſis.*

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare in tanto Ioannis elogio nullus contradicit, cùm Iudæi non potuerint diſſimulare in Chriſto, quod ſe maiorem Abrahamo diceret?*

161. CVM Chriſtus Dominus diſputans cum Iudæis, ſe Abrahamo præferret, valde furibundi dixerunt ei: *Nunquid tu maior es patre noſtro Abrahamo*. Ioan.8.n.53. Et ita ex hoc ira ſunt accenſi, vt ad lapides concurrerent ad eos in illum coniiciendos. At cùm Chriſtus hic dicit Ioannem, non ſolùm Abrahamo, ſed etiam cæteris omnibus antiquis eſſe maiorem, nullus contradicit, ſed omnes libenter aſſentiunt. Tam gratus erat omnibus Ioannes, támque plauſibilia eius encomia cunctis, vt quod Chriſto denegabant, Ioanni incunctanter concederent.

*Ioan.8. Ioannis encomia cunctis valde plauſibilia.*

162. Mittunt Iudæi ad Ioannem legatos, vt interrogarent eum; *Tu quis es?* vt ſi ipſe de ſe teſtimonium perhiberet, eum tanquam verum Meſſiam recognoſcerent. Et tamen Chriſtum arguebant, quod de ſe ipſo ferret teſtimonium. *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum*. Ioan.8.n.13. Chriſto obiiciunt, quod pro ſe aſſertionem faciebat; & inde perperam inferunt, non eſſe veram: & tamen dictis Ioannis abſque vlla falſitatis ſuſpicione in grauiſſimo negotio ſtare intendunt? Tam acceptus erat Ioannes omnibus, vt etiam in cauſa propria eius teſtimonio cuncti acquieſcerent, & nullus repugnare auderet. D. Thomas in cap. 1. Ioan. ad citata verba. *Miſerunt Iudæi*. ſic ait D. Thomas. *Ex hoc quod miſerunt, vt Ioannes de ſe teſtimonium perhiberet, quaſi tantam fidem habentes dictis eius, vt crederent Ioanni, de ſe ipſo etiam teſtimonium perhibenti; quod Chriſto non faciebant; immò dicebant ei: Tu teſtimonium perhibes de te ipſo.*

*Ioan.1. Ioan.8. Tam gratus erat Ioannes, vt eius dictis cuncti vellent acquieſcere. D. Thomas.*

## QVÆSTIO XXVII.

### *Quomodo dicitur, quod minor in regno cælorum maior eſt Ioanne?*

*Albert.Mag. D. Thomas. Abulenſis.*

163. TRIPLEX eſt in hac re ſententia ſatis probabilis, vt docet Albertus Magnus, D. Thomas hîc, Abulenſis q. 36. Cornelius à Lapide, & alij communiter. Vnus enim locus Scripturæ multos poteſt habere ſenſus litterales.

*Chryſoſtom. D.Auguſt. Tertullian. D. Hilarius Euthymius. Theophyl. Rupert. Caietan.*

164. Prima, & valde propria expoſitio eſt Chryſoſtomi homil. 38. in Matth. D. Auguſtinus lib. 2. contra Aduerſarium Legis cap. 5. & tract. 13. in Ioan Tertulliani lib. 4. contra Marcionem cap. 18. D.Hilarij, Euthymij, Theophylacti, Ruperti, Caietani, & aliorum, qui de Chriſto D. hoc intelligunt, Quod ſcilicet, vt inquiunt Chryſoſtomus, Auguſtinus, Qui minor ætate, ac prædicandi ordine, & etiam opinione Iudæorum videbatur, ac etiam nobilitate minor Chriſtus cenſebatur, nam ipſum filium fabri dicebant; Ioannem verò, vt natum à Sacerdote, ac propheta venerabantur. *In regno cælorum maior eſt illo.* Nempe in Eccleſia Dei, ac coram Sanctis, ac Angelis eius maior eſt Ioanne, diuinitate, maieſtate, poteſtate, æternitate, gratia, & gloria. Hæc autem dicit Chriſtus, ne ex ſuperiori Dei elogio quis erraret exiſtimando, quod Dominus ſibi præponebat eum, ideo diuinus Magiſter veritatem aperit, ac ſe maiorem Ioanne declarat, & hoc valde modeſtè per tertiam perſonam, & magno inuolucro verborum alludendo ad teſtimonium, quod Ioannes de ipſo dederat. *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Ioan.1.n. 27.

*Chriſtus maior Ioanne. Ioan.1.*

*D. Auguſt. D. Hieron. D.Paſchaſius Anſelmus. Beda. D.Ambroſ.*

165. Secunda expoſitio, quam tradunt D. Auguſtinus citatus, S. Hieronymus, D. Paſchaſius, D. Anſelmus, Beda, & in cap.7. Luc. D. Ambroſius, & alij. Qui hîc intelligunt per regnum cælorũ, cæleſtem Patriam, itavt ſit ſenſus: Quilibet minimus Beatus in cælo minor, tam ob gloriam ſuam, quàm ob poſſeſſionem, ac ſecuritatem ſui ſtatus, maior eſt illo, ſcilicet excellentior, perfectior, ac glorioſior Ioanne, adhuc in hac vita mortali, & in prælio degenti, itaque quilibet minimus Angelus in cælo vt explicant D. Hieronymus, D. Ambroſius, ac Paſchaſius, maior eſt Ioanne, ac quolibet ſancto in corpore corruptibili viuente, corpus enim aggrauat animam, vt ait D. Auguſtinus citato lib.2. contra Aduerſarium Legis cap. 5. Vnde minus propriè, Hugo, de ſanctis exiſtentibus in ſinu Abrahæ interpretatur propter ſecuritatem. Nam, vt rectè argumentatur Abulenſis citata q. 36. Sinus Abrahæ non dicitur regnum cælorum; quando enim Chriſtus prædicabat. *Appropinquauit* regnum

*Minimus Beatus maior Ioanne ob ſecuritatis ſtatum. D. Auguſt. Hugo. Abulenſis.*

*regnum cælorum*: non erat ſermo de Sinu Abrahæ, ſiquidem non appropinquabat; ſemper homines poterant ire ad illum; de Beatitudine eſt ſermo, ac de ſanctis Angelis tunc in illa exiſtentibus. Hæc autem dicebat Chriſtus, vt homines maximè excitarentur ad comparandum beatitudinem, & ſalutem, per legem Euangelicam, quam ipſe prædicabat, & ideo ſubdit. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

166. D. Cyrillus. Peluſiota. Maldonat. Toletus. *Quilibet Chriſtianus ob excellentiam Legis gratiæ maior Ioanne.*

Tertia expoſitio, quam docent D. Cyrillus lib. 2. Theſauri. cap. 4. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 64. Maldonatus hîc, Toletus in cap. 7. Luc. annot. 50. Et ſic explicat, quod quilibet minimus Chriſtianus in regno cælorum, nempe in Eccleſia Chriſti, ac Lege Euangelica, maior eſt illo, ſcilicet nobilior, ac excellentior eſt Ioanne. Hoc autem dicitur, non ratione gratiæ ſanctificantis, ſed ratione conditionis, ac ſtatus Eccleſiæ Chriſti, quod prouenit ex natura Euangelij, ac Legis gratiæ, quæ in prædicatione Chriſti, & Ioannis dicitur regnum cælorum. *Appropinquauit regnum cælorum.* Nam Lex gratiæ eſt quædam inchoatio, & via beatitudinis, ac cæleſtis Patriæ. In illa enim ſunt homines in ſtatu filiorum Dei: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ioan. 1. n. 12. In Lege autem Veteri erant homines in ſpiritu ſeruitutis Rom. 8. n. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Maior autem eſt minimus filius, quolibet ſeruo etiam maximo.

Ioan. 1. Rom. 8.

167. Toletus. *Præoccupatur obiectio.*

Et quamuis Ioannes Baptiſta, vt rectè ait Toletus citatus, eſſet à Chriſto baptizatus, & conſequenter in eo renatus ac adſcriptus in ſtatu filiorum Dei; hoc tamen extitit ante Chriſti paſſionem, & mortem, à qua Lex Euangelica habuit ſuum ſtatum integrum, & perfectum. Vnde Baptiſmus ante mortem Domini collatus non habebat omnes ſuos effectus; non enim apparebat ſtatim regnum cælorum. Et ideo Ioannes mortuus abiit in Limbum cum cæteris Iuſtis. Vnde D. Gregorius Nazianzenus Orat. in Sancta lumina. Vocat Ioannem interiectum inter teſtamentum Nouum, & Vetus; ſeu medium inter Legem antiquam, & Euangelium.

Nazianzen.

168. Cæſarius.

Non omittam hîc notare, quod S. Cæſarius dialogo 3. explicat, quod minor hîc eſt ſanctus Ioannes Euangeliſta, & Apoſtolus, qui maior eſt Ioanne Baptiſta, quia ſupra pectus Chriſti recubuit. Sic inquit: *Quis minor quidem in regno cælorum, maior autem Ioanne? omnino eum, qui à Domino tonitrui filius cognominatus eſt, Ioannem Theologum, Ille enim cum multo timore viſus tangere Verbi verticem, carnem geſtantis, non audebat: hic autem plus omnibus libertatis habens in diuina cœna in ſinu Domini recumbens, paulò poſt ſuper ipſum ſanctum vniti cum Deo hominis pectus ſeſe reclinat. Non Ioſephus, qui nominabatur, & tamen pater eius non erat; non Ioannes Baptiſta, non Angelus, vel Archangelus, nec alius quiſpiam Incarnati Dei, & Verbi auſus fuit tangere illud formidabile pectus, ſuper quo hic Ioannes velut Pater ſuper filium diffuſus recubuit.* Inde Cæſarius Euangeliſtam maiorem eſſe Baptiſta, colligit ob intimæ familiaritatis, ac amicitiæ indicia cum Chriſto. Nam Baptiſta non audet tangere ſanctum Dei Verticem: at Euangeliſta valde confidenter ſuper pectus Domini tanquam ſuper puluinar requieſcit, velut filius inter amantiſſimi Patris brachia.

*Ob familiaritatis ſigna Ioannes Euangeliſta dicitur, maior Baptiſta.*

*Matth. 11. n. 12.* A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

### *VERSIONES.*

*Theophylactus.* A diebus Ioannis vſque ad diem hunc.

*Syriacus.* Regnum cælorum cum violentia accipitur.

*Vatabl. in ſchol.* Regnum cælorum vi inuaditur, ſeu occupatur.

*Græcus.* Regno cælorum vis infertur, & violenti diripiunt.

*D. Ambroſ. ſer. 5. in 3. Dom. Adu. & lib. 5. in Luc. in fin.* Regnum cælorum vi cogitur.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 16. n. 16.* Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, & ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.

### *EXPOSITIO IX.*

169.

A *Diebus Ioannis Baptiſtæ*, à tempore nempe, quo ipſe incepit prædicare. Non negat Chriſtus, quod homines antea egiſſent pœnitentiam, ac in cælum intenderent: ſed affirmat, vt ait Barradas, ante Ioannem tanto feruore, ac conatu non inferri vim regno cælorum; cùm antea apertè illud non agnouiſſent homines; Ioannes enim primus prædicauit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum.* Et additur, *Vſque nunc*, ſeu, vt habet Theophylactus, *vſque ad hunc diem.* Non ſignificat Dominus, illam vim in regnum cælorum deinceps non eſſe futuram, ſed ſolùm denotat, cœpiſſe prædicante Ioanne, & non deſiiſſe ceſſante Ioanne, ſed perdurare, ait Chriſtus, vt explicat D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Caietanus, *Vſque nunc*, id eſt, vſque ad hoc meum tempus, quod eſt vltimum, & perſeuerabit vſque ad finem mundi.

Barradas. Theophyl. D. Paſchaſ. Caietanus.

170. *Germanus ſenſus.*

*Regnum cælorum vim patitur.* Ioannes prædicabat pœnitentiam; & eam multi adimplentes vim intulerunt regno cælorum; ſeu per pœnitentiam illud oppugnarunt, ac promeriti ſunt. *Et violenti rapiunt illud.* Iſti autem oppugnatores regni cælorum, dum proprios affectus, ac appetitus domant, atque refrænant, vt inquiunt Theophylactus, & Euthymius, ſibi quandam vim, ac veluti violentiam inferunt contra carnis cupiditates, & per hanc vim, ſeu veluti quandam violentiam ſibimet ipſis illatam, eam

Theophyl. Euthymius.





etiam inferunt regno cælorum, vt illud inuadant, rapiant, ac obtineant. Et fit hîc alluſio ad expugnationem Terræ promiſſionis, quæ non niſi viribus, & armis obtinenda fuit, & quæ quædam extitit regni cæleſtis adumbratio. In illo verbo *Rapiunt* latet quædam figura deſumpta ab arce, ac caſtris, quæ irrumpentibus militibus expugnantur, ac deripiuntur.

*Figura regni cæleſtis.*

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Quare abſolutè dies Baptiſtæ dicuntur tempus prædicationis eius, ac de connexione horum verborum cum antecedentibus?*

171. *Connexio textus cum ſuperioribus.*

AB hoc vltimo incipio. Præſentis textus cum ſuperioribus connexio dupliciter poteſt conſiderari, iuxta duplicem intelligentiam illorum verborum. *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Primò, Aſſeuerat Dominus ſupra, minimum Angelum maiorem eſſe in regno cælorum Ioanne Baptiſta in terris degente: nunc oſtendit, quod ob tantam excellentiam regni cælorum, ipſum vim patiatur; ſeu ei vis inferatur ab hominibus; vt illud obtinere valeant. Secundò, Antecedenter dixerat Dominus, ſe Ioanne eſſe maiorem, vtpote verus Meſſias, in cuius aduentu regnum cælorum prædicatur; & ideo vim patitur ab hominibus.

172. *Laudatur Ioannes ex officio ſuo perfectè adimpleto.*

In hoc autem tripliciter Dominus Ioannem laudat. Primò, quod adeo perfectè adimpleuerit munus præcurſoris præmonendo Iudæos. *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum,* vt propter eius prædicationem ita homines auidè accurrant ad regnum cælorum, vt ei vim inferant. Secundò, Euthymius ait, Laudat Ioannem Chriſtus, quaſi hominum ſalutem auſpicatus, excitans auditores, vt vim inferant ſibi ipſis, ſcilicet per pœnitentiam. Nam Ioannes, dum primus prædicat regnum cælorum, hominum ſalutem eſt auſpicatus, exhortans eos, vt cælo inferant vim. Tertiò, Abulenſis q. 37. Laudat Ioannem Chriſtus, quòd fuerit primus, qui cœpit prædicare regnum cælorum, vt ſuo loco notaui.

Euthymius. *Ioannes hominum ſalutem auſpicatus.* Abulenſis.

173. *Quando quis alius profiteatur, vitam auſpicatur.*

Secunda pars quæſtionis inquirit. Cur abſolutè dies Baptiſtæ tempus eius prædicationis dicantur; *A diebus Ioannis Baptiſtæ*, hoc eſt à tempore, quo ipſe cœpit prædicare, vt dixi in expoſitione. Et difficultas ex eo pullulat, quia ipſe antea per triginta annos vixerat. Ratio tamen eſt manifeſta, quia illi dicuntur ſimpliciter dies eius, quando non tantùm ſibi, ſed etiam aliis ſua prædicatione extitit proficuus. Abulenſis in præſenti. *Ex tunc*, ait, *computantur dies eius, quia prius erat, quaſi non eſſet, cùm nihil ageret, quod ad alios homines pertineret.*

Abulenſis.

174.

Sed breui compendio narrat Petrus Chriſti vitam, & totum eius tempus ante Baptiſmum, quod triginta anni extiterant, ſilentio inuoluit. *In omni tempore*, ait, *quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus incipiens à Baptiſmate Ioannis.* Actor. 1. n. 21. Multa ſacra myſteria peracta ſunt ante Baptiſmum; tamen omnia Apoſtolus prætererit, & ſolùm à Baptiſmate tempus commemorat, in quo docet, ac homines ſaluat; ac ſi tunc incepiſſe videretur. Lyranus. *Non legitur Ieſus docuiſſe publicè, & miracula feciſſe, niſi poſtquam baptizatus fuit à Ioanne.* Hoc ergo tale tempus in medium affert Apoſtolus.

Actor. 1. Lyranus.

## QVÆSTIO XXIX.

### *A quibus, & quomodo regno cælorum vis inferatur?*

175. D Baſil. Cæſarius. Serenus D. Greg. D. Cyrillus. Abulenſis. D. Hieron. D. Paſchaſ. Theophyl. Euthym. Beda. D. Anſelmus.

PRIMA explanatio de pœnitentia, ac virtute ſententiam Domini intelligit. Ita D. Baſilius Orat. de Abdicatione rerum. Cæſarius vir conſularis. Dialogo 3. Serenus Abbas Collat. 7. cap. 6. D. Gregorius homil. 6. in Euangelia. D. Cyrillus lib. 2. Theſaur. cap. 4. Abulenſis q. 38. D. Hieronymus. D. Paſchaſius, Theophylactus, Euthymius, Beda, D. Anſelmus hîc. Qui omnes docent, quod homines per pœnitentiam, paupertatem, ac virtutis exercitium mortificantes ſuos appetitus, ac eos in ſeruitutem redigentes, vim inferunt cælo, ac per quandam veluti violentiam, ſibimet illatam, cælum inuadunt, ac rapiunt, vt latius in expoſitione dixi: Nam homines, vtpotè filij iræ, excluſi erant à cælo; tamen per pœnitentiam ipſum oppugnant, ac obtinent. D. Cyrillus citatus, hanc vim, etiam interpretatur, inferri per Baptiſmum.

*De pœnitentibus explicatio.*

176. D. Hilarius. D. Ambroſ. D. Paſchaſius D. Anſelmus. Lyranus. Hugo. Matth. 15.

Secundò, De gentibus interpretantur D. Hilarius hîc, D. Ambroſius lib. 5. in Lucam ad finem; & ſerm. 15. in natali Domini; & etiam D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. & D. Anſelmus, Lyranus, Hugo hîc: nam Iudæis, vtpotè filiis Abrahæ, promiſſum erat regnum cælorum; & ad eos primò Chriſtus Dominus miſſus eſt. Matth. 15. tamen ipſis non recipientibus Chriſtum, peccatores, publicani, ac gentiles regnum cælorum, Iudæis promiſſum, ſpiritu humilitatis, ac pœnitentiæ rapiunt; ac quaſi vi quadam virtutis alienum regnum inuadunt, ſicut ait Hugo. Si regnum aliquod daretur extraneis, & filiis regis auferretur, videretur violentia. Cùm ergo Scribæ, & Phariſei reputarentur filij regni; Gentiles autem, & publicani extranei; vim videtur pati regnum cælorum, cùm hi admittuntur, & illi excluduntur. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham; filij autem regni eijcientur foras.* Matth. 8. n. 11. Nam hoc regnum, vt explicat Maldonatus, non obtinetur genere, & hæreditate, ſed virtute, ac perſeuerantia.

*Regnum cælorum obtinetur non hæreditate, ſed perſeuerantia.* Matth. 8.

177. D. Ambroſ. D. Thomas, D. Chryſoſt. Franc. Lucas Cornel. à Lapide.

Tertiò, De feruore, ac impetu in regnum cælorum explicant D. Ambroſius lib. 5. in Luc. ad finem. & lib. 8. in principio. D. Thomas hîc, & fauet D. Chryſoſtomus homil. 38. in Matth. *Magno ſtudio properantes.* ex Recentioribus Franciſcus Lucas, Cornelius à Lapide. Tam vehementer erant homines commoti Ioannis prædicatione; tantáque multitudine, impetu, ac feruore concurrebant ad regnum cælorum obtinendum; & ita vnus ante alium currere ſatagebat, vt propter velocitatem, ac feſtinum concurſum, vt ait D. Thomas, cælum vim pateretur, ac veluti ad illud rapiendum properarent homines. Vt quando verbi gratia res aliqua noua ex India, vel Braſili venditur, ita auidè ab omnibus emitur, vt rapi dicatur. Alias rationes morales ſubiicio.

*De feruore, ac conatu currentium.* D. Thomas.

178. Guarricus. *Quantum apud Deum diligentia valet.*

Quartò, Guarricus ſermon. de Baptiſta. *Planè,* ait, *vim facit, qui intonante tuba præcepti neſcit parcere ſibi.* Qui ad primam Dei vocem promptè accurrit, ita Deum ſibi obſtringit, vt ei vim inferat: tantum enim in Dei obſequio proficit diligentia. Quintò, Saluianus lib. 3. de Gubernati de ſacris militibus, ac martyribus ait: *Qui ad cæleſtis Regiæ ianuam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de aquuleis, cataſtiſque fecerunt.* Cum magno bello aliqua ciuitas oppugnatur, fortes milites per ſcalas, ad muros admotas, ſtrenuè aſcendunt. Sic & Chriſti aſſeclæ per ſua tormenta, & pœnas, ieiunia, ac mortificationes, velut per ſcalas, ſurſum feruntur, ac oppugnantes cœlum tenent.

Saluianus.

*Martyres per tormenta, vt per ſcalas, in cœlum aſcendunt.*

179. D. Ambroſ.

Sextò, Ambroſius ſerm. 15. *Vim facimus Domino,* ait, *non compellendo, ſed flendo, non prouocando iniuriis, ſed lachrymis exorando. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur. Beata, inquam, violentia, quæ vim patientis bonitatem dicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto.* Orando, ac flendo magnam vim Chriſto inferimus; & quo maior fuerit hæc vis, eò cumulatius cœleſtia dona in nos diffunduntur: nihil enim magis delectatur Chriſtus, quàm huiuſmodi pio conatu, vt ipſum abeuntem, ac in nos veluti rigidum, perſeueranti oratione nobis auſcultare quaſi cogamus; ac quodammodo repugnanti iugibus virtutum operibus vim inferamus. *Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, ab ipſo religioſior habebitur.* Quod optimè poteſt confirmari ex Iacob luctante cum Angelo, qui ei dixit: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora.* Reſpondit: *Non dimittam, niſi benedixeris mihi.*

*Chriſtus gaudet, vt inſtantia magna veluti vi ipſum compellamus.*

180. Guarricus.

Septimò, Guarricus Abbas ſermon. 2. de Baptiſta. Sic ait: *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur: tanta fœlicitate mutatus eſt temporum ſtatus, vt regnum Dei, quod antea nulla innocentium obtinebat iuſtitia, nunc pœnitentium inuadat, & poſſideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, niſi violentia in regnum cœlorum.* Vis ſcire, quomodo cælum à diebus Ioannis vim patiatur? Perpende. Ante Ioannem ea erat innata conditio cæli, quod nullus, qui aliquando deliquiſſet, in cœlo permaneret. Sic Lucifer, ac Angeli eius ſtatim vt peccauerunt, à cœlo expulſi in barathrum ruerunt; tunc enim cœlum ſolum innocentes ciues capiebat. At vbi apparuit diuina vox Ioannis clamans: *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum:* iam peccatores per pœnitentiam mundatos cœpit cœlo copulare; & non ſolum hominibus poſt contritionem promittit aſcenſum in cœlum, quod in ſuprema ſphæra eſt, ſed ipſummet cælum ad eos deſcenſurum: *Appropinquauit regnum cælorum.* Ecce vis, & violentia cælo illata; nam quod ſolum ab innocentibus tenebatur, iam à pœnitentibus rapitur; & cælum in ſupremo loco reſidens ad ipſos dolentes inclinatur. *Tanta fœlicitate mutatus eſt temporum ſtatus.* Sub Ioanne Baptiſta per vocem, ac prædicationem clamante.

*Ioanne prædicante temporum ſtatus magna fœlicitate mutatur.*

*Sub Ioanne iam cœlum à peccatoribus tenetur.*

181. D. Chryſoſt. *Qui in delicijs viuunt, vim faciunt cœlo, quod iam tenent, qui in mortificatione degunt.*

Octauò D. Chryſoſtomus homil. de Dauide. tom. 2. Vbi per violentos latrones, vt ita dicam, qui per multam vim multo cum labore impugnant cælum, ac tandem expugnant, intelligit eos, qui in ſæculo inter delicias, opes, ac affluentiam bonorum, & honorum viuunt, ſi tandem cælum ſcandunt, violenter illud rapiunt, & veluti inuitum, ac quodammodo reluctanti ſimile. Quod tamen ſpontè religioſis pateſcet, qui cum Chriſto crucifixi ſunt; quíve tollunt crucem ſuam ſequentes Dominum; nam in ipſa cruce habent clauem, qua ipſum paradiſum ſibi aperiant, vt ingrediantur. Ita fatur citatus Chryſoſtomus. *Crux clauis paradiſi eſt, crux Chriſti aperuit Paradiſum. Nonne nobis dixit, quod regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiant illud. Qui in cruce eſt, non vim facit, nihil medium eſt, & Crux, & ſtatim paradiſus, ſed magnitudo pœnarum, facit magnitudinem præmiorum.*

182. Exod 33.

Poſtulanti Moyſi faciem Domini ait Deus: *Ego oſtendam tibi omne bonum, videbis poſteriora mea,* Exod. 33. num. 23. Quænam ſint hæc poſteriora, in quibus omnia bona ſunt conſtituta? Crux poſteriora Domini tenet, vt ponderat D. Bernardus ſerm. 61. in Cantica, in qua omnium rerum abundantia collocata eſt. D. Damaſcenus lib. 4. de fid. cap. 12. *Crux,* ait, *ſalus animæ, & corporis, bonorum omnium datrix.* Qui enim per crucem omnia bona obtinet, etiam certiſſimè in ea ipſum Dominum omnium auctorem inuenit, ac iam tenet. Drogo lib. de Paſſione. *Circuire poſſum,* ait, *Domine, cælum, & terram, & aridam, & mare, & nunquam te inueniam; niſi tantum in cruce, ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie.*

D. Bernard.

Damaſcen.

*In Chriſti Cruce omnia bona ſunt cõſtituta.*

Drogo.

---

## QVÆSTIO XXX.

### *Quare qui vetat raptum, in negotio regni cæleſtis rapinas, ac violentias meminit?*

183. D. Paulinus.

PRIMO. Præclara ſunt verba. D. Paulini Epiſtol. de Gazophylacio. *O abundantia bonitatis Dei,* ait, *ne trepides, ne cuncteris, ne parcas; Eſto violentus Deo, rape regna cælorum. Qui vetat aliena contingi, ſua gaudet inuadi. Et qui damnat auaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam.* Tam largus eſt Deus in ſuis bonis homini concedendis, & vt ipſa ab homine obtineantur, ac aſſequantur, vt qui vetat, aliena lædi, ſua tamen gaudeat, pia fidei rapina, ac violentia teneri, dummodo eorum poſſeſſor homo fiat.

*Tam liberalis eſt Dominus, quod velit, vt ſua à nobis rapiantur.*

184. D. Hilarius.

Secundò, D. Hilarius in Pſal. 51. *In rapiendo,* inquit, *regno cælorum, raptore Dominus delectatus ait: A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud.* Rapinæ, ac violentiæ propriæ ſunt terrenorum; & hæ inter mundanos huius ſæculi verſantur: quomodo ergo illas diuinus Magiſter in negotio regni cæleſtis ponit, ac meminit? Perpende verbum: *Raptore Dominus delectatus:* Magnum enim oblectamentum eſt Deo, vt illa, quæ aliquando homines pro mundanis faciunt, ſi pro cæleſtibus exhibeant: vt illa vis ille conatus, illáque induſtria, quæ pro terrenis adhibetur, ſi pro diuinis tranſmutetur. Quæ ergo pro perituris præſtas, quomodo pro æternis negas?

*Valde iucundum eſt, vt ea, quæ homines pro mundanis faciunt, ſi pro Deo ſuſtineant.*

185. Chryſoſt.

Tertiò, D. Chryſoſtomus homil. 53. in Ioan. ad finem. Præſentem Domini ſententiam; *Et violenti rapiunt illud:* de pauperibus ſpiritu interpretatur, qui quandam violentiam inferunt appetitui naturali



turali, quem homo retinet ad acquirenda, ac accumulanda terrena bona. Vnde ſic fatur Chryſoſtomus. *Diſperge, quæ habes in manibus. Quouſque præſentia ſeruas: illa rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus, quoad id tenuerit, nunquid aurum rapere poterit, niſi id prius proiiciat, & expeditus fiat? Rapientem bene expeditum eſſe oportet.* Vt quis vnam pretioſam margaritam, vel annulum magni pretij arripere valeat, neceſſe eſt, vt manus habeat expeditas; nam ſi eas habeat plenas, verbi gratia, argento, minimè prædam faciet. Ergo ſi regnum cælorum arripiendum eſt; hoc ſolum præſtabunt pauperes ſpiritu, cum manus abiectis terrenis bonis vacuas habeant, ideoque nullum eis inſit impedimentum, ob quod cælum non apprehendant; quo maximè illaqueantur diuites, qui ſuorum bonorum retentione delectantur.

*Pauperes ſpiritu rapiunt cælum.*

186. D. Hilarius.

Quartò D. Hilarius in præſenti. *Violenti rapiunt illud,* ſcilicet regnum cælorum, *Quia gloria Iſraelis Patribus debita, à Prophetis nuntiata, à Chriſto oblata, fide Gentium occupatur, & rapitur.* Quomodo cæleſtis Beatitudo, quæ nulla temeritate, neque humana audacia inuadi poteſt, raptu tenebitur? Immò Beatitudinis ratio amittetur, ſi furtum intendatur: non enim aliena beatitudine beatur homo, ſed potius ex alienis bonis furto ablatis cruciatur. Quomodo ergo regnum cælorum violenter rapiendum eſſe, à Chriſto Domino aſſeritur. *Gloria Iſraelis fide Gentium occupatur, & rapitur?* Vt gratior ſit Beatitudo rapienda dicitur à Beatis ad fælicitatis vſuram; dulcius enim ſapit, quod furto inuaditur, & ſpeciem rapinæ ſortitur. Vt ergo auguſtior æterna Dei fruitio videatur, quamuis aliàs meritis obtineatur, ſurripienda dicitur à Iudæis, ac veluti furto præoccupanda à Gentibus, ne magnum voluptatis lenocinium hoc à cælis abeſſe videatur. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt: & panis abſconditus ſuauior.* Prouerb. 9. n. 17. ſeu, vt habent Septuaginta. *Panes occultos libenter attingite, & aquam furti dulcem.* Vbi notat Salazar, quod aquam, & panem poſuit, res valde communes, & quæ ſæpe vſu vileſcunt apud homines; tamen ſi clam, ac furtiuè accipiantur, dulciſſimis dulciora, ac gratiora ſunt, quaſi à furto ſaporem hauriant, & à rapina dulcedinem guſtui comparent.

*De pio furto bona iucundiora, ac dulciora fiũt.*

Prouerb. 9. Septuaginta. Salazar.

187. Exod. 3.

Egreſſuris filiis Iſraël de Ægypto mandauit Deus. *Poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua vaſa argentea, & aurea, ac veſtes, ponetiſque eas ſuper filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.* Exod. 3. n. 22. Quæ vltima verba legit D. Auguſtinus q. 6. in Exod. *Et prædamini eos.* Vatablus, *Et auferetis Ægyptum.* Quæ verba quandam rapinæ rationem innuunt, cum tamen illa Ægyptiorum bona in mercem eſſent, & ſtipendium Iſraëlitarum laborum, vt docent citatus Auguſtinus, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Rupertus, Caietanus, Hugo, Oleaſter, Abulenſis, Lippomanus. Vnde ait Philippus Abbas lib. de obedientia cap. 37. *Quid mirum, ſi damnum,* ait, *quod merebantur Egyptij, ſuſtinuere; & commodum, quo fortè digni erant filij Iſrael, obtinuere expleri voluit diſtributor ille iuſtiſſimus præmiorum, vtriſque reddens diuerſa ſtipendia meritorum. Quid autem refert, vtrum apertè, vel occultè, bello, vel furto id agi voluerit diuina æquitas?* Perpende verba. *Commodum, quo digni erant filij Iſrael obtinuere.* & poſtea *furto id agi voluit diuina bonitas.* Decreuit Deus, vt Hebræi mercedem laborum ſuorum reciperent; & ideo eis mandat, vt gazas Ægyptias poſtulent, quendam innuens rapinæ modum, *Deprædamini,* ſeu, *auferetis.* Vt Hebræis, quibus Deus miras parabat dulcedines, miraſque ſuauitates, ne hac oblectatione in præmiis obtinendis defraudarentur, tale rapinæ obumbrata ſpecie lenocinium non deeſſet: humano enim appetitui plus adulationis affert furti ſpolium, quàm iuſta debiti reſtitutio.

D. Auguſt. Vatablus. D. Auguſt. Tertullian. Rupertus. Caiet. Hugo. Oleaſter. Lippoman. Philippus.

*Rapinæ lenocinium valde periucundum.*



*Matth. 11. n. 13.* Omnes enim prophetæ, & Lex vſque ad Ioannem prophetauerunt.

*Num. 14.* Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.

### *VERSIONES.*

*Tertull. lib. aduerſ. Iud. c. 13.* Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem fuerunt.

*Syriacus. n. 14.* Si vultis, recipite, quia is eſt Elias,

*Vatablus.* Ipſe eſt Elias ille, qui venturus erat.

*S. Iuſtin. Mart. in dialogo cum Tryphone.* Si vultis approbare, ipſe eſt Elias.

*Tertull. lib. de anima c. 35.* Si vultis audire, Hic eſt Elias.

### *EXPOSITIO X.*

188. Verſ. 13. Chryſoſt. D. Hieron. D. Paſchaſ. Euthymius. Beda. Albert. Mag. D. Thomas.

*OMNES prophetæ, & Lex,* totum teſtamentum vetus denotat, vt iam ſæpe dixi, *vſque ad Ioannem,* nempe vſque ad illius prædicationem *Prophetauerunt,* quod verbum in ſua propria ſignificatione cum Chryſoſtomo, Hieronymo, Paſchaſio, Euthymio, Beda, Alberto Magno, S. Thoma explicabis, functi ſunt officio ſuo, prædicendo, pronuntiando, ac promittendo ſub ænigmatibus, & figuris regnum Chriſti, vt futurum, ac diſtans: Omnia enim illa prophetarum oracula Chriſtum reſpiciebant. Hæc, inquam, fuerunt vſque ad Ioannis prædicationem; nam vbi ipſe intonuit in Orbe, patenter, ac clarè digito ſuo Chriſtum præſentem oſtendit. Et ita hîc tacitè reddit Dominus rationem ſuperioris ſententiæ: *A diebus Ioannis regnum cælorum patitur vim:* Nam antea Lex, & prophetæ valde obſcurè pronuntiabant Chriſtum, & regnum cælorum, quæ omnia, vt iam præſentia, Ioannes clara voce annuntiat; & ideo nunc tanto conatu currunt homines ad capiendum regnum; & ex hoc multa vis ei eſt illata, quod ſatis apertè ſcribit Lucas 16. n. 16. *Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur: & omnis in illud vim facit.*

Lucæ 16.

189.

Duo obſeruanda ſunt. Primò, Quod tempus, de quo hîc agitur, tempus erat deſignatum aduentus Meſſiæ: nam Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt, & non vltra, quia Ioannis tempore Meſſias prophetatus aduenit, nam res prophetata ſucceſſit prophetiæ, & ideo à Ioanne tempus eſt Meſſiæ prophetati, qui nobis aperuit

*Res prophetata ſucceſſit prophetiæ.*

regnum cælorum. Secundò, His verbis non ſignificat Dominus, vt quidam nouatores perperam dixerunt, quod Ioannis tempore Lex omnino deſierit; ait enim Chriſtus: *Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt*: non enim ait, vſque
Barradas. ad Ioannem durauerunt, vt notauit Barradas, longè enim aliud eſt, prophetare, quàm durare, vt ex ſe liquet, & ex dictis patet: à Ioannis enim tempore Lex vetus cœpit infirmari, ac ægrotare; & paulò poſt mortem Chriſti mortua eſt, vt do-
Maldonat. Suarius. cent Maldonatus hîc, & Suarius lib. 9. de Legib. cap.12. n.11.

190. *Et ſi vultis recipere*, hoc eſt, ſi vultis Ioannem
Syrus. Chryſoſtom. recipere, eique credere, vti debetis, Syrus vertit in imperatiuo, *Si vultis recipite*. Præclarè Chryſoſtomus homil. 38. hæc expendens ait? *Rectè autem appoſuit, ſi vultis recipere: oſtendens, neminem violenter cogi; non enim cogo inquit. Hoc*
*Deus neminem cogit, ſed ab omnibus vult gratam mentem.* *autem dicebat, vt gratam ab omnibus petere mentem videretur.* Non enim cogit Deus auditores, ſed ſuæ libertati relinquit, vt gratam mentem offerant. Eleganter ait hîc Theophylactus. *Si vul-*
Theophyl. *Inuidia, & odium obtenebrat mentem.* *tis accipere, hoc eſt, ſi ſana mente iudicatis, & non inuidia, ipſe eſt Elias.* Veluti ſi dicat, Inuidia, & odio obtenebrati maleuoli eſtis in Ioannem; nam ſi ſana mente fuiſſetis, illius virtutes agnoſcentes, & erga eum vos gratos exhiberetis: tantùm enim affectio animi mutat mentem, & iudicium.

191. *Ipſe eſt Elias*. Pergit Dominus oſtendens, illud eſſe tempus Meſſiæ: & quia Iudæi expectabant
Malach.4. Eliam venturum ante aduentum Meſſiæ iuxta Malachiam cap. 4. n. 5. Et ait, quod Ioannes ſit Elias in ſpiritu, & virtute; nam quemadmodum ante ſecundum horribilem Chriſti aduentum aduenier
*Ioannes in auctoritate, & ſpiritu Elias,* Luc.1. Elias in perſona: ita ante primum humilem eius aduentum præceſſit Ioannes auctoritate, ac efficacitate ſpiritus Eliæ, vt Domini præcurſor, præparans vias eius, ac conuertens corda filiorum ad patres eorum, vt interpretatus eſt Gabriel. Luc. 1. num. 17.

192. Non prætermittam hîc quandam rationem ſa-
D.Hieron. tis aptam ad documenta, quam dat D. Hieronymus Epiſtol. ad Fabiolam: dicens. *Eandem habuit Ioannes Spiritus ſancti gratiam, Zona cinctus, vt Elias: viuens in eremo, vt Elias: perſecutionem patiens ab Herodiade, vt Elias ſuſtinuit à Iezabel.*
*Qui alicuius mores induit, illius perſonam gerit.* Meritò Ioannes, Elias dicitur, qui cum omnibus virtutibus Eliæ degebat: quantum enim quis alicuius mores induit, tantum illius perſonam gerit; à qua maximè abeſſe, ac diſtare videtur, qui in illius actionibus diſſimilis inuenitur.

# CAP. XIV.

## *Exprobantur Ciuitates.*

*Matth.11.n.15.* Qui habet aures audiendi audiat.

*Num. 16.* Cui autem aſſimilabo generationem iſtam.

*Num. 17.* Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & nõ ſaltaſtis; lamentauimus, & non planxiſtis.

### *VERSIONES.*

*Arabicus, n.15.* Qui habet aures audiẽtes.

*Num.16.* Cui aſſimilabo nationem hanc?

*Pagninus n.17.* Similis puerilis.

*D.Paſchaſ.lib.6. in Matth.* Sedentibus in loco venalium.

*Syriacus.* Qui ſedent in platea, & clamant ad ſocios ſuos.

*Chryſoſt.ho.38.* Qui acclamantes ſodalibus ſuis dicunt, tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentati ſumus, & non planxiſtis.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ7. n. 31.* Ait autem Dominus: Cui ego ſimiles dicam homines generationis huius, & cui ſimiles ſunt?

*Num. 32.* Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus, & dicentibus, cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non ploraſtis.

### *EXPOSITIO I.*

CONCLVDIT Dominus ſuperiori ſententia appoſita in fine ſuperioris capitis, Phariſæos, ac Legis docto- 1.
res, nec Ioanni, nec ſibi crediſſe, ideo contra eos pronuntiat ſequentes ſententias. *Qui habet aures audiendi audiat.* Verſ. 15. *Excitatur animus auditorum.*
Hac phraſi ſolet Chriſtus vehementer excitare auditorum animos ad audiendum, & obſeruandum quæ dicuntur.

*Cui autem aſſimilabo*; Interrogatione vtitur, vt 2.
arguat eorum malitiam, quæ tanta eſt, vt vix Verſ. 16.
reperiatur, cui aſſimilari, ac comparari poſſit. *Generationem iſtam.* Sub hac dictione non comprehendit omnes homines illius ætatis, ſed pro- *Legitimus ſenſus.*
priè de Scribis, Phariſæis, ac eorum aſſeclis eſt ſermo, qui conſilium Dei, ac prædicationem Ioannis ſpreuerunt. *Similis eſt pueris*, ſeu puerulis. Euthymius. Puerulis Iudæos comparauit, Euthym.
propter inſipientiam, *ſedentibus in foro* occitan- *Iudæi inſipientes.*
tibus in foro, quod eſt locus venalium, vbi propter ſui amplitudinem pueri ludendi cauſa conueniunt.

*Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis.* Vt ſuam ſum- 3.
mam benignitatem Dominus erga Iſraelitas Verſ. 17.
oſtendat, confert pueris moroſis in foro, qui *Contumacia*
adeo guſtu ſunt hebetati, vt nihil eis placeat, *Iudæorum*
itavt nec cantu, nec planctu moueantur, ſed *arguitur.*
ſemper in ſua contumacia perſiſtentes in nullo acquieſcunt.



acquieſcunt. Quod latius explicabo quæſtione ſequenti.

### QVÆSTIO I.

#### *Quid per hanc parabolam cantus hilaris, vel lugubris ſignificet Dominus?*

4. THEOPHYLACTVS in cap. 7. Luc. D. Cyril-
Theophyl. D. Cyrillus. Lyranus. *Refertur opinio de ludo antiquo.* lus hîc in catena D. Thomæ, & Lyranus hoc loco, teſtantur, fuiſſe apud Iudæos ludi genus, vt in duas partes pueri multi diuiderentur, qui huius ſæculi repentinam mutationem deridentes; hi læta canebant, veluti inſtar Democriti, illam ridentes: alij verò triſtia canebant inſtar Heracliti rerum inconſtantiam deflentes: vtroſque autem veluti in comœdia audiebant ſpectatores, & tamen neque ad ſaltum, neque ad planctum adducebantur. Sed quidquid ſit de hac conſuetudine, de qua non conſtat ex
Maldonat. aliquo auctore Hebræo illius temporis, vt notat Maldonatus.

5. Secundò, D. Athanaſius homil. in Pſal. 29.ad
D.Athanaſ. D.Hilarius. D.Ambroſ. illa verba. *Conuertiſti planctum meum.* D. Hilarius can. 11. in Matth. Diuus Ambroſius lib. 6. in Luc. ad præſentia verba, hanc ſimilitudinem transferunt ad antiquos Iudæos, qui nec minis,
*Opinio de arguendis Iudæis antiquis* nec promiſſionibus Prophetarum; nec proſperitate gaudentes, nec pœnis afflicti ad emendationem, ac ad Legem Domini adducti ſunt: Hoc quidem verum eſt; tamen Chriſtus Dominus in hac ſimilitudine intendit arguere contumaciam, quam habuerunt Iudæi erga Ioannis prædicationem, ac ſuam, vt patet ex ſubſequentibus verbis textus.

6. Tertiò ergo dicendum eſt cum D. Auguſtino
D. Auguſt. D. Hieron. D.Paſchaſius D. Thomas. lib.2. qu. Euangelicarum. cap.11. D.Hieronymo, Paſchaſio, ac D. Thoma hîc. Quod ſenſus huius parabolæ deſumptus eſt ex aliquo prouerbio antiquo, vel ex aliquo puerorum ludo, qui vel erat in vſu, vel ſaltèm fieri poterat, nam ſæpè ad aliquid explicandum nouas ſimilitudines introducimus; præcipuè apud Hebræos, qui valde frequenter parabolis vtebantur.

Pueri ergo in foro ludentes ſuis coæqualibus
7. clamare ſolebant, *Cecinimus vobis*, tibiis cantauimus, & noſtra cantilena non eſtis ad ſaltum
*Germana expoſitio.* promoti, *lamentauimus vobis*, & non eſtis ad fletum excitati. Veluti ſi dicatur. Simili modo Baptiſta ſua rigida, & auſtera vita non manducans, neque bibens, prædicans pœnitentiam veluti lamentatus eſt populi peccata: & tamen Phariſæi, ac eius aſſeclæ ad fletum, ac pœnitentiam non ſunt adducti. Chriſtus ſuaui, ac communi vita manducans, & bibens, veluti ceciniſſe videtur: & tamen tam placido cantu, cæleſtis doctrinæ, ac miraculorum Phariſæi non ſunt ad imitationem allecti, ſed Chriſtum, & Ioannem impiè calumniati ſunt, de Ioanne dicentes: *Dæmonium habet.* De Chriſto Domino dixerunt: *Ecce homo vorax, & potator*: vt patet ex ſequenti textu.

8. His igitur denotat Dominus, quod nihil ad eorum ſalutem ſpectauerit, quod ab ipſo non fuerit
Iſai.5. diligentiſſimè adhibitum, iuxta illud Iſaiæ 5.n.4. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei.* Vnde poſt adductum citatum Iſaiæ

locum ait D. Chryſoſtomus homil. 38. in perſona D. Chryſoſt.
Chriſti loquens. *Ego, & Ioannes ad vos venimus, idque fecimus, quod venatores ſolent facere, qui* *Miris modis Deus quærit homines.*
*quando fugaciſſima, captuque difficillima inſectantur animalia, non vna via, ſed diuerſis, & non diuerſis ſolùm, ſed per contraria plerumque aggrediuntur, vt ſi alterum effugerint, in alterum incidãt.*

Multa quoad ſenſus morales in præſenti docet 9.
D. Ambroſius citato lib. 6. in Lucam & ſerm. 80. D.Ambroſ.
vbi ſic loquitur. *Annuntiamus vobis regni cæleſtis gaudium, & minime corda veſtra motu quodam alacritatis exultant*: Et qualis requiratur hæc exultatio, ſtatim explanat. *Saltationem, ait, à nobis requirit Dominus, non vtique ſinuoſi volubilitatem corporis, ſed extollentis ſe fidei ſanctitatem. Sicut* *Quomodo cordibus noſtris motu alacritatis in Deo ſit exultandum.*
*enim qui corporaliter ſaltat, nunc in aëre ſuſpenditur, nunc ad altiora iactatur, nunc alternis ſaltibus loca diuerſa colluſtrat; ita & qui ſpiritualiter ſaltat, interueniente fide, modò in aëris ſublimitatem erigitur, modò ad ſyderum altiora tollitur, modò diuerſis cogitationum ſaltibus paradiſum calumque colluſtrat.*

*Matth.11.n.18.* Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet.

*Num. 19.* Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus, & iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.

### *VERSIONES.*

*Arabic. n.18.* Cum illo ſunt dæmonia.

*Syriacus, n.19.* Ecce homo edax, & bibax vini, amicuſque publicanorum, ac flagitioſorum, & iuſtificata eſt ſapientia à ſeruis ſuis.

*Vatablus.* En hominem comedonem, & vini potorem.

*Tertull. lib.de Monog cap.8.* Ille vorator, & potator homo, prandiorum, & cœnarum cum publicanis, & peccatoribus frequentator.

*D Hier. hîc, & D. Ambroſ. in cap.7. Luc.* Et iuſtificata eſt ſapientia ab operibus ſuis.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 7. n.33.* Venit enim Ioannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum: & dicitis, dæmonium habet.

*Num.34.* Venit filius hominis manducans, & bibens: & di-

citis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.

*Num.* 35. Et iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.

## *EXPOSITIO II.*

9. *Applicatio ſuperioris parabolæ.* D.Auguſt. Euthym.

APPLICAT Dominus ſuperiorem parabolam. Ioannes ſeuerè, ac auſterè viuens, per pueros lamentantes; Chriſtus verò placidè, ac ſuauiter conuerſans, per canentes denotatur. Et quamuis, vt aduertit D. Auguſtinus lib.2. quæſti. Euang. cap.11. Chriſtus Dominus præpoſtero ordine vſus ſit; nam in prouerbio poſuit primò pueros canentes; in applicatione verò ſe ipſum ſecundo loco ibi denotatum: & quamuis D. Auguſtinus huius rei non reddat rationem; Ea eſt: Quia in referendo prouerbio retinuit Chriſtus ordinem puerorum; in applicatione autem ſeruauit ordinem temporis, Ioannes enim prior venit. Vel poſuit Canentes in primo loco, quia his maximè trahuntur, ac delectantur homines; in applicatione verò ſe ipſum in ſecundo loco ob ſuam modeſtiam.

*Cur præpoſtero ordine vſus.*

10. Verſ. 18. Lucas. D.Matth.

*Venit enim Ioannes neque manducans*, ſeu vt clarius habet Lucas, *neque manducans panem, neque bibens vinum.* D.Matthæus verò abſolutè poſuit; nam D. Ioannes adeo parco, ac alieno à vulgari vſu cibo vtebatur, vt abſque cibo, & potu viuens videretur. *Et dicunt.* Ex hoc loco apertè conſtat, aliquot ex Iudæis fuiſſe Ioannem calumniatos. *Dæmonium habet,* hoc eſt, poſſeſſus eſt à Dæmone, cuius poteſtate, ac virtute tam auſterum viuendi modum ſuſtinere valet. Et hæc eſt communis interpretatio ſanctorum Patrum. Aliqui Recentiores ita etiam explicant: *Dæmonium habet*, hoc eſt lunaticus eſt, & non bona mente conſtitutus, veluti à Dæmone actus, qui tam ſeuerè, ac rigidè corpus ſuum affligit.

*Duplex interpretatio.*

11. Verſ 19. *Cur Chriſtus non in auſteritate vitæ venerit.* Euthym.

*Venit filius hominis manducans, & bibens*, id eſt venit valde blandus, communi hominum more viuens, vulgari cibo, potu, ac veſtitu vtens. Quare autem Ioannes tam auſteram viuendi normam habuit; Chriſtus verò tam placidam? Reſpondet Euthymius, Quia oportebat pœnitentiæ prædicatorem, triſtem quandam grauitatem præ ſe ferre; & remiſſionis peccatorum largitorem, humanum, ac benignum eſſe. Secundò ex communi Patrum ſententia docet D. Thomas 3. p. q. 40. art. 2. Vt Chriſtus Dominus illo ſuaui viuendi modo, ac placida conuerſatione multos peccatores ad ſe alliceret. Tertiò, vt ait D. Auguſtinus lib.3. de Doctrina Chriſtiana cap.12. Vt manifeſtaretur, quod *non vſus rerum*, ſcilicet cibi, & potus, *ſed libido ventris in culpa ſit.* De quo cum aliis rationibus vide Abulenſem q. 43. *Et dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Ioannem ob auſteram vitam calumniantur; Chriſtum verò ob communem viuendi modum, vt notat Chryſoſtomus homil. 38. in Matth. Siue enim manduces, ſiue non manduces; ſiue bibas, ſiue non bibas; maledicentium linguas non effugies, ſed te detrahent. *Iuſtificata eſt ſapientia*, &c. De hoc quæſtione ſequenti.

D. Thomas, D.Auguſt. Abulenſ. Chryſoſt. *Nullo medio homo effugiet detrahentiū linguas.*

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo dicitur ſapientia iuſtificata à filiis ſuis?*

12. D. Hilarius. D.Thomas.

VARIÆ ſunt huius rei expoſitiones. Primò D. Hilarius can. 11. in Matth. & fauet D. Thomas hîc. Per ſapientiam intelligunt Chriſtum Dominum, qui eſt ſapientia Patris. Per filios autem, credentes, à quibus iuſtificata dicitur ſapientia Dei, quia profitentur, iuſtum eſſe opus Dei in Chriſto, quod reiectis incredulis credẽtes receperit

13. D.Hieron. D.Paſchaſ.

Secundò. D. Hieronymus hîc. D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Per ſapientiam vel interpretantur Chriſtum Dominum, vel Dei ordinationem, qua ſacra myſteria reuelata ſunt paruulis, & abſcondita prudentibus, ac ſapientibus. Per filios verò, Apoſtolos exponunt, à quibus iuſtificata dicitur Sapientia Dei, ſcilicet ab eis comprobatus eſt Chriſtus in eo, quod diſpoſuerit, vt ſacra myſteria eſſent abſcondita magnis, & reuelata paruulis. Et ita concludit D. Hieronymus. Ex quibuſdam codicibus Græcis, in quibus habetur: *Iuſtificata eſt ſapientia ab operibus ſuis: Sapientia quippe non quærit oris teſtimonium, ſed operum.*

*Sapientia quærit operum teſtimonium.* D.Hieron.

14. Lyranus. Caiet. Abulenſis. Ianſenius.

Tertiò Lyranus, Caietanus, in qua ſententia ſunt etiam Abulenſis, & Ianſenius. Per ſapientiam dicunt ſignificari ſuauem Dei ordinationem in omnibus. Per filios verò docent denotari pueros ludentes in foro, Iudæorum filios, de quibus deſumpta eſt parabola, qui rectè increparunt coæquales ſuos, quia nec ipſis canentibus, nec lamentantibus voluerunt ſaltare, aut lugere: & ita coarguuntur Iudæi, qui nec Chriſtum veluti canentem, hoc eſt dulciter conuerſantem; nec Ioannem lamentantem, hoc eſt, auſterè viuentem, ſuſceperunt. Ianſenius etiam ita explicat; *Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*, nempe à Chriſto, & Ioanne ſapientiæ filiis; & iuſtificata eſt ab omni impiorum condemnatione, & reprehenſione, cùm nihil prætermitteretur, quod vtile eſſet ſaluti eorum.

Iaaſenius.

15. *Difficultates quæ pullulāt in ſuperioribus ſententiis.*

In vnaquaque ex his ſententiis aliquid difficultatis apparet. Et in prima. Quamquam enim Chriſtus Dominus, vt Filius Dei, dicatur Sapientia Dei; tamen aliud eſt, loqui de ſapientia perſonata, quæ, eſt ipſemet Filius Dei, vt docent Theologi; aliud verò loqui de ſapientia, quæ eſt Dei attributum commune toti Trinitati, de qua hic eſt ſermo; nam eius opus fuit, ordinare vias, ac diſponere modos humanæ ſalutis. In ſecunda ſententia parit difficultatem, quod quamuis Chriſtus Dominus infra agat de illa ordinatione, qua Deus myſteria abſcondit prudentibus, & reuelauit paruulis; tamen quod hîc in præſenti de illa tractetur, non eſt vnde colligatur. In tertia ſententia ingerit ſcrupulum, quod ſub nomine filiorum veniant Chriſtus, & Ioannes intelligendi: nam apud Lucam habetur: *ab omnibus filiis ſuis.* Vnde Ianſenius ait, quod ſub illo nomine non ſolùm denotantur Chriſtus, & Ioannes, ſed etiam prophetæ, & populi doctores. Sed adhuc vrget maior difficultas; quia cùm Chriſtus Dominus ſit Filius Dei naturalis, non venit ſub communi appellatione filij cum Ioanne, ac Prophetis, qui ſunt filij adoptiui.

16. Toletus. Maldonat Barradas.

Duplex eſt adhuc ſententia in hac materia. Prima, & probabilis, eſt Toleti in cap.7. Luc. & Maldonati, ac Barradas hîc. Qui per ſapientiam interpretantur



interpretantur Dei ordinationem, ac diſpoſitionem in negotio ſalutis noſtræ: per filios autem, Iudæos, qui dicebantur filij legis, ſapientiæ, ac Regni, iuxta illud Matth.8. num.12. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Supremam ſapientiam aliqui Iudæorum credendo, alij verò non credendo iuſtificauerunt: nam illi, credendo, æternam remunerationem adepti ſunt; hi, verò, non credendo, ſua culpa ſe ipſos condemnauerunt; & vtique facto ſapientiam iuſtificauerunt: Credentium enim ſaluatio, & non credentium condemnatio, ſapientiæ eſt iuſtificatio.

Matth. 8. *De Iudæis interpretatur.*

17. D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. D.Hilar. Franc. Luc. Cornel.

Secunda ſententia, & mihi probabilior eſt D. Chryſoſtomi, Euthymij, Theophylacti, & ei etiam fauent Hilarius, D. Hieronymus, & eam docent Franciſcus Lucas, ac Cornelius. Ita totam rem explicat, notando, quod iuſtificare duo dicit, ſcilicet iuſtum facere, & iuſtum manifeſtare. *Iuſtificata eſt*, ergo id eſt perfectiſſimè iuſta, & ab omni calumnia ſuperior ſeſe declarauit, ac manifeſtauit Dei ſapientia in gubernatione mundi, quæ in Chriſto, & Ioanne eluxit, quod nihil ad ſalutem hominum conducens prætermiſſum fuerit: nam vt homines haberent exemplum pœnitentiæ, mandauit Ioannem; & ne aliqui tanto rigore deterrerentur, dedit Chriſtum communi viuendi modo, in omni puritate, & ſanctitate, *à filijs ſuis*, ſeu vt habet Syriacus, à ſeruis ſuis: filij autem ſapientiæ, iuxta phraſim hebraicam, vocantur ſapientes, veræ ſapientiæ, ac virtuti deditì, qui Chriſto, & Ioanni credentes, agnouerunt, ac laudauerunt, & glorificauerunt ſummam Dei ſapientiam, quam ſuperbi Scribæ, & Phariſæi contempſerunt.

*De cultoribus iuſtitiæ, ac virtutis explanatio.*

18. D. Lucas 7.

Hunc eſſe genuinum ſenſum, colligitur ex D. Luca 7. num. 29. Nam poſtquam Dominus concluſit Ioannis laudes, ſubdit Euangeliſta: *Et omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſæi autem, & Legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos.* Et ſtatim apponit parabolam de pueris canentibus, & lamentantibus, qua arguit Dominus Iudæos incredulos. Et tunc profert præſentem ſententiam: *Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis*; nempe ab his, qui, vt verè ſapientes, baptizati erant baptiſmo pœnitentiæ Ioannis: *Iuſtificauerunt Deum:* id eſt, iuſtum, ac rectum confeſſi, ac profeſſi ſunt Deum, qui Ioannem talem prædicatorem eis dedit; quod conſilium Dei Phariſæi contempſerunt in ſemetipſos, hoc eſt contra ſe ipſos, id eſt in ſuam damnationem, vt ibi explicant Beda, D. Bonauentura, ac alij.

*Confirmatur ſuperior ſententia ex D. Luca.* Beda. D. Bonau.

*Matth.* 11. *n.* 20. Tunc cœpit exprobare ciuitates, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam.

*Num.* 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.

### *VERSIONES.*

*Græcus, n.* 10. In quibus facta ſunt plurima miracula.

*Euthymius, Vatablus.* In quibus editæ fuerant plurimæ vitutes eius, quod non reſipuiſſent.

*Arias.* In Tyro, & Sidone factæ ſunt efficacitates.

*Euthym. n.* 21. In cilicio, & cinere reſipuiſſent.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 10. *n.* 13. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi ciuitati.

*Num.* 14. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.

## *EXPOSITIO III.*

19. *Connexio textus.*

HÆc, quæ hic appoſita ſunt de exprobratione ciuitatum, connexa ſunt cum antecedentibus. Hoc optimè colligitur ex textú: *Tunc cœpit exprobrare*; hoc enim indicat illud aduerbium *Tunc*, id eſt eo tempore, quo Dominus prædicabat, ac ſuperiora dixit, ciuitates cœpit exprobare, vt denotant Chryſoſtomus homil. 38. in Matth. ac Theophylactus, & docet Abulenſis hic quæſt. 44. Nec obſtat, quod hæc narrentur à D. Luca poſt miſſionem Diſcipulorum ad prædicandum. Ad hoc enim rectè reſpondet D. Auguſtinus lib.2. de conſenſu Euangeliſtar. cap.32. D.Thomas. Hanc exprobationem à Chriſto bis factam eſſe. Primò hoc loco apud Matthæum poſt Ioannis legationem; vt habet hic D. Matthæus. Secundò poſtquam Diſcipulos ad docendum deſtinauit, vt refert D. Lucas.

D. Chryſoſt. Theoph. Abulenſis. D. Auguſt. D. Thom.

20. D. Hieron.

*Tunc cœpit.* Proſequitur Dominus arguens obduratam, & inuincibilem malitiam Iſraëlis. *Exprobrare*, quod verbum, D. Hieronymus exiſtimat, idem valere, ac deplorare. Sed reuera *exprobare* aliud ſignificat, ſcilicet extremam malignitatem in eorum confuſionem publicare, ac deteſtari. Et hoc factum eſt à Chriſto cum intimo dolore. *In quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius*, hoc eſt miracula, vt clarius habet Radix Græca, quibus Chriſtus ſuam admirabilem doctrinam confirmabat. *Quia non egiſſent pœnitentiam*, ſeu, vt alij habent, *reſipuiſſent.* Cum homines eſſent in peccato, Chriſtus ſua ſacra doctrina tantis miraculis ſtabilita eos ad pœnitentiam inuitabat, ad quam ſunt minimè conuerſi. Hoc dolet Chriſtus, hoc eis exprobrat; & non quod eius nec virtutes laudaſſent, nec diuinitatem adoraſſent; ſed quia pœnitentiam non egiſſent: maiori enim dolore Chriſtus afficitur de noſtro damno, quàm de contumelia, ac iniuria ei illata.

Græcus. *Chriſtus plus dolet de noſtro damno, quàm de ſua contumelia.*

21. *Væ tibi.* Affectus eſt deplorantis, ac lacrymantis extremam miſeriam. *Corozaim, Bethſaida.* Hæ duæ ciuitates Galilææ valdè celeberrimæ propè lacum Geneſareth, ac vrbem Capharnaum conſtitutæ. Corozaim ab ea duabus tantum milliaribus diſtabat; at verò à Capharnaum per tres horas iter fiebat in Bethſaidam. Et ex hac ciuitate orti erant tres Apoſtoli, Petrus, Andreas, & Philippus. Bethſaida, ex Hebræo, ſignificat venari; ex Syriaco, piſcari: nam, vt ait Franciſcus Lucas, venatio in mari eſt piſcatio. In his tribus ciuitatibus frequentiſſimè Chriſtus Dominus cum ſuis Diſcipulis Euangelium prædicauit, ac multa miracula edidit. Et quamuis de Corozain, & Bethſaida id peculiariter non habeamus ſcriptum; tamen, vt rectè docent D. Hieronymus, ac D. Paſchaſius, id intelligitur factum, cum D. Matth. 9. num. 35. dicitur: *Circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & curans omnem langorem, & omnem infirmitatem.*

*Quid ſignificet Bethſaida.* — Franc. Luc. — D. Hieron. D. Paſchaſ. Matth. 9.

22. *Quia ſi in Tyro, & Sidone.* Tyrus vrbs erat munitiſſima Phœniciæ, in ripa maris ſita. Sidon verò altera erat ciuitas proxima Tyro. Has duas ciuitates adducit Dominus in confuſionem, ac exprobationem illarum duarum vrbium Iudæorum. Primò, quia erant Gentium ciuitates. Secundò valdè vicinæ. Matth. 16. n. 21. Tertiò, quia multis peccatis abundabant. Iſai. 23. n. 1. Ezech. 26. n. 2. & 27. num. 3. Amos 1. num. 9. *Factæ eſſent virtutes*; nempè miracula cum cœleſti Chriſti doctrina. *Olim*, id eſt iam diu pœnituiſſent, nec tam obſtinatæ ſunt, ac vos, neque tandiu tot miraculis, ac exhortationibus reſiſterent, ſed illis libenter aſſentirent. *In cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, hoc eſt, valdè rigidam, & auſteram amplecterentur pœnitentiam; talis enim habitus, *in cilicio, & cinere*, hanc denotabat. Iſai. 58. num. 5. Ierem. 6. num. 16. Lucas habet, *ſedentes pœniterent*, quod denotat magnam perſeuerantiam in ipſa pœnitentia. Hæc autem dixit Chriſtus, vt certiſſimè præſcius omnium illorum futurorum, vt docet D. Auguſtinus lib. 2. de dono perſeuerantiæ, cap. 9. & 10.

*Cur Dominus has ciuitates adducit.* — Matth. 16. Iſai. 23. Ezech. 26. & 27. Amos 1. — Iſai. 58. Ierem. 6. Lucas. *Pœnitentia cum perſeuerantia.* D. Auguſt.

## Qvæstio III.

### *Quare Dominus inter cæteras ciuitates, Corozaim, Bethſaida, ac etiam Capharnaum exprobrauit?*

23. Communiter Auctores apud Lucam dicunt, has ciuitates fuiſſe exprobratas, quia Apoſtolos miſſos à Chriſto non recepiſſent. Et quamuis in textu Lucæ hæc ratio optima ſit; tamen negari non poteſt, quod ſaltem Chriſtus cum ſuis Apoſtolis has vrbes eſſet ingreſſus, ibique per aliquod tempus commoratus; hoc enim apertè colligitur ex textu: *Quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis.* Et de Capharnaum habetur expreſsè Marc. 1. num. 21. & Matth. 8. num. 5. Luc. 4. num. 31. Et quia ex D. Auguſtino, has ciuitates bis exprobratas fuiſſe, diximus, ſemel apud Lucam, ſemel apud Matthæum; ideo in textu Matthæi aliqua peculiaris ratio eſt inueſtiganda.

*Ratio difficultatis.* — Marc. 1. Matth. 8. Luc. 4.

24. Primaria, & præcipua ratio huius rei eſt obduratio, & impœnitentia harum ciuitatum, vt docet D. Hieronymus hic, & Abulenſis quæſt. 45. Quia inter cætera loca, quæ Chriſtus ſua prædicatione luſtrauit, hæ ciuitates vehementer reſtiterunt diuinæ vocationi, ac cæleſti doctrinæ diuini magiſtri, vt pœnitentiam peragerent. Hanc rationem apertè colligo ex textu: Quia ex eo Chriſtus exprobrat has ciuitates, *quia pœnitentiam non egiſſent*, quam in cilicio, & cinere Tyrus, & Sidon præſtitiſſent.

D. Hieron. Abulenſ.

25. Secundò, & moraliter Rabbanus. *Corozaim interpretatur myſterium meum; & Bethſaida, quæ domus fructuum, vel domus venatorum dicitur, ciuitates ſunt Galilææ, ſitæ in littore maris Galilææ. Plangit ergo Dominus ciuitates, quæ quondam myſterium Dei tenuerunt, & virtutum iam fructum gignere debuerunt.* Valdè lamentabile erat, quod ciuitates, quæ olim Dei myſteria, ac virtutum fructus tenuerunt, ita ab hac altitudine ceciderint, vt Deum ignorarent, & virtutes neſcirent, ac in omnem vitiorum malitiam ſeſe deprauauerint. Et hac de cauſa tot inter ciuitates hæ præcipuè, ac nominatim exprobrantur.

Rabban. — *Valdè lamentabile, quod à virtute quis tranſeat in peccatorũ malitiam.*

26. Tertiò ex D. Chryſoſtomo homil. 38. ſic ait Theophylactus. *Vt intelligas eos, qui non crediderunt, non à natura, ſed voluntate malos eſſe, meminit Bethſaidæ, ex qua Andreas, & Petrus, & Philippus, & filij Zebedæi fuerant, atque ita non naturæ, ſed voluntatis malitia fuit: nam ſi natura, fuiſſent & illi mali.* Ex Bethſaida, cui proximæ erant Corozaim, & Capharnaum, quinque illi Apoſtoli orti ſunt. Et valdè obdurata malitia fuit, quod inſpecto tanto exemplo illorum Apoſtolorum, qui ad primam vocem Chriſtum ſecuti ſunt, conciues prædictarum vrbium non mouerentur, vt Chriſto crederent, eique adhærerent, ſed quod immobiles permanſiſſent, hoc deteſtabilis improbitas extitit.

D. Chryſoſt. Theoph. — *Appoſito magno exemplo ad virtutes non moueri, valdè damnabile.*

27. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Pſalm. 119. num. 4. Si verò quæras: Quænam ſint hæ ſagittæ potentis cum huiuſcemodi carbonibus? Rectè explicat D. Auguſtinus ibi. *Sagittæ autem ſunt, cum agimus verbis; carbones autem vaſtatores exempla ſanctorum. Homo accepta ſagitta in corde accedentibus carbonibus deſolatorijs, deſolatur in illo cogitatio terrena. Erant enim in illo multa, quæ malè fronduerant; multæ carnales cogitationes, ſæculares multi amores: ipſi vtuntur carbonibus vaſtatorijs, vt fiat purus locus deſolatus, in cuius loci puritate faciat Deus ædificium ſuum.* Sagittæ ſunt verba; carbones deſolatorij, ac deuaſtatorij omnium malorum, exempla: illis enim in anima deſtruuntur omnes ſæculares, ac carnales cogitationes, ominiáque vitiorum irritamenta; & ſpirituale Dei ædificium in corde noſtro fabricatur. Meritò ergo habitatores illarum ciuitatum exprobrantur, qui ſagittis ſacri eloquij, ac carbonibus deſolatoriis exemplorum tot Apoſtolorum non ſunt accenſi, vt nequitiam deponerent, ac viam ſalutis amplecterentur. De his vide multa tom. 1. & 2. verb. Exemplum.

Pſalm. 119. — D. Auguſt. — *Exempla ſãctorum valdè efficacia ad extinguẽda vitia.*

*Matth. 11. n. 22.* Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis.

VER



### *VERSIONES.*

*Euthymius.* Attamen dico vobis.
*Syriacus.* Verum ego dico vobis, Tzour, & Tzaidon tranquilliores futuras in die iudicij, quàm vos.
*Vatablus, Pagninus.* Cum Tyro, & Sidone tolerabilius agetur.
*Arabicus.* Remiſſio erit maior in die iudicij, quàm vobis.

### Alter Textvs.

*Lucæ 10. n. 14.* Veruntamen Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis.

### *EXPOSITIO IV.*

28. Veruntamen *dico vobis.* Euthymius habet *Attamen*, quod alij vertunt *ideo*, ſeu *propter*, vt ſit ex ſuperioribus dictis propoſitio illatiua. *Tyro, & Sidoni remiſſius erit.* Tolerabilius enim, ac mitius cum illis agetur, quam vobiſcum, ô habitatores Corozaim, & Bethſaidæ. Qui enim plura recipit, maiores rationes reddet. Et qui maiora Dei dona contemnit, maiores ſubibit pœnas. Vos enim, ô ciues illi, vtpotè in lege Moyſis, ac doctrina Prophetarum enutriti, maiorem accepiſtis cognitionem Dei, ac virtutis, quàm Tyrij, & Sidonij Gentiles, & infideles. Deinde me prædicantem, ac ſæpè vos ad pœnitentiam, ac iuſtitiam vocantem audiſtis; & in meæ doctrinæ confirmationem multa miracula facientem inſpexiſtis: quorum nihil audierunt, nec viderunt Tyrij. Et ideo vobiſcum, qui tanta ad virtutem, ac ſanctitatem exhortamenta habuiſtis, durius erit agendum, quàm cum illis.

Euthym. — *Qui maiora contemnit dona, maiora ſubit ſupplicia.*

29. Obſerua, quod ait Dominus *in die iudicij*, remiſſius agendum eſſe cum Tyriis, & Sidoniis; tamen ipſi Tyrij, & Sidonij, vt apertè ſupponitur in littera, puniendi ſunt, quia pœnitentiam non egerunt: nam Tyriis, & Sidoniis, ac omnibus Deus dat auxilia neceſſaria ad pœnitentiam, & ſalutem; & non ſolum auxilia externa, vtpotè doctrinæ, ac miraculorum, ſed etiam interna; nam ſine his externa non ſatis ſunt ad homines conuertendos. Ciuibus autem Corozaim, Bethſaida, & Capharnaum ſuperabundantiora, ac maiora dedit dona, quibus non ſunt conuerſi, quæ ſi darentur Tyriis, & Sidoniis, pœnitentiam egiſſent; & tamen illa eis non dedit: nam Deus aliquando nonnullis magna præbet auxilia, quos præſcit non conuertendos; quæ tamen ſi darentur aliis, qui non conuertuntur, conuerterentur, vt notat Toletus, Barradas, & alij in præſenti: Omnia tamen iuſtè, & rectè facit iuxta altitudinem ſuæ ſapientiæ. *Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum* Pſalm. 118. num. 137. Nam Deus omnibus dat ſufficientia, & neceſſaria media; ſuperabundantiora verò gratuita ſunt dona, & non debita, & ea dat, quibus vult, & quomodo vult. Cum ergo omnes habeant neceſſaria, ac ſufficientia ad ſalutem, quicumque perit, ſua culpa, ac malitia perit.

*Deus omnibus dat auxilia ſufficientia ad ſalutem.* — Tolet. Barradas. Pſalm. 118.

*Matth. 11. n. 23.* Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cælum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hodiernum diem.
*Num. 24.* Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, n. 23.* Tuque Capharnaum, quæ vſque ad cælos es euecta, vſque ad inferos deprimeris: quoniam ſi Sodomis editæ fuiſſent virtutes illæ, quæ in te editæ ſunt, ſtetiſſent vſque ad hodiernum diem.
*Græcus apud D. Hieron.* Quæ vſque in cælum exaltata es.
*Arias.* Vſque in cælum altipoſita: ſi in Sodomis factæ fuiſſent efficacitates.
*Arabicus.* Vſque in cælum eleuata.
*Syriacus, n. 24.* Terram Sedom tranquilliorem futuram vſque ad hodiernum diem.
*Vatablus, Pagninus.* Cum terra Sodomorum tolerabilius agetur.
*Arabicus.* Inueniet remiſſionem maiorem.

### Alter Textvs.

*Lucæ 10. n. 15.* Et tu Capharnaum, vſque ad cælum exaltata, vſque ad infernum demergeris.

### *EXPOSITIO V.*

Apostrophe eſt ad Capharnaum, quæ erat ciuitas valdè celeberrima Galilææ, ſita propè lacum Geneſareth, ad partem maris occidentalis. *Nunquid vſque in cælum exaltaberis?* Syriacus, & Græcus habent ſine interrogatione *Exaltata eſt*; & idem eſt ſenſus; ac ſi diceretur: O Capharnaum, quæ mea præſentia, doctrina, ac miraculis maximè exaltata es apud Deum, & homines; nunquid ita ſemper exaltaberis? minimè, *ſed vſque in infernum deſcendes*, 30.

Græcus. Syriacus.

pondere

pondere nempè iniquitatis tuæ. Abulenſis q. 50. ait, quod duplex pœna hîc infligitur, vna temporalis, & altera æterna; temporalis, quod à ſuo honore cadet Capharnaum, ac ignominia afficietur; & ideo dicitur, *ad infernum deſcendes* hoc eſt ad nihilum deuenies, de quo ſtatim: æterna autem pœna etiam ei imponitur, cum dicitur verſu ſequenti, *Remiſſius erit in die iudicij cum terra Sodomorum.* Rectè tamen præſentem ſententiam de vtroque ſcilicet ignominia, ac flamma, explicabis. *Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes,* nempè in illa abominabili ciuitate, vitiis, ac peccatis deturpata.

*Ignominia affici, quodammodo in infernum eſt demergi.*

31. *Forte manſiſſent.* Aduerbium illud *fortè* non eſt dubitantis, in Græco enim eſt particula expletiua, ac confirmantis; & idem valet, ac *vtique* ſeu *certè*. Vnde etiam eam omittunt Græcus, Syriacus, Vatablus, Pagninus; at Franciſcus Lucas ex Græco, ait, vertendum eſſe per modum quendam potentialem, *manſiſſe potuiſſent vſque in hunc diem.* D. Hieronymus in cap. 26. Ieremiæ, D. Remigius, ac S Thomas hic, & Abulenſis quæſt. 52. docent, quod particula *fortè* ponitur, vt de noſtra libertate admoneamur; & quod præſcientia Dei non imponit ei neceſſitatem. *Vſque in hodiernum diem,* nam, vt rectè ait D. Paſchaſius, peccata ſine pœnitentia vitam corrumpunt, ac temporalia bona deſtruunt.

*Particula fortè exponitur.* Græcus. Syriacus. Vatablus. Pagnin. Franc. Luc. D. Hieron. D. Remig. D. Thom. Abulenſis. D. Paſchaſ.

32. *Veruntamen dico vobis, quod terræ Sodomorum,* id eſt Sodomitis, *remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi,* ſeu, vt vertunt Vatablus, Pagninus, *cum terra Sodomorum tolerabilius agetur:* hoc eſt Sodomitæ minores ſubibunt pœnas, quàm Capharnaitæ; nam hi Chriſti miracula viderunt, ac cœleſtem eius doctrinam audierunt, quibus Sodomitæ caruerunt. Sententia à Domino prolata contra Capharnaum, etiam in hoc ſæculo cernitur impleta; nam ita illud oppidum deuaſtatum, ac imminutum eſt, vt vix ſeptem habeat piſcatorum caſas, vt teſtatur Adrichomius in deſcriptione Terræ Sanctæ.

Vatablus. Pagnin. *Deuaſtatio Capharnaũ.* Adrich.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dominus ſpecialiter per ſe locutus eſt de Capharnaum, ac eam vſque ad cælum exaltatam dicit?*

33. LOCVTVS fuit Dominus ſuprà: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida:* ſpecialiter autem nunc ad Capharnaum vertit ſermonem propter eius magnam ingratitudinem, ac grauitatem peccatorum; nam in ea multa miracula Dominus edidit. Seruum Centurionis ſanauit Matth. 8. num. 5. Paralyticum curauit Matth. 9. num. 6. Et mulierem fluentem ſanguine, ibidem num 20. Filiam Archiſynagogi ſuſcitauit, ibidem num. 28. Habentem ſpiritum immundum ſanauit Marc. 1. num. 28. Et adeò frequenter Dominus in ea habitauit, vt ciuitas eius diceretur Matth. 9. num. 1. Vnde & ciues Nazareth dixerunt Chriſto: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac, & hic in patria tua.* Luc. 4. num. 23. Ergo ciuitas, quæ tot, tantíſque Domini beneficiis obſtinata extitit, multo grauior fuit eius culpa, quàm Corozaim, & Bethſaidæ, per quas Dominus ſolùm aliquando tranſiuit: & quia hæ ciuitates fuerunt æquales in culpa, ideo ſimul ponuntur; quia autem Capharnaum inæqualis, ideo ſola ponitur, quod latè proſequitur Abulenſis quæſt. 50.

*Cur Capharnaum ſpeciatim exprobatur.* Matth. 8. Matth. 9. Marc. 1. Matth. 9. Luc. 4. Abulenſis.

34. Ex quo benè ſequitur, quod culpa Capharnaum extitit multò grauior, quàm illarum duarum ciuitatum: nam Corozaim, & Bethſaida comparantur Tyro, & Sidoni; Capharnaum autem Sodomis, quorum peccatum, ac pœna, vt grauiſſima, ac valdè deteſtanda allegatur in Scriptura Iſai. 1. num. 9. & ſæpè multis in locis.

*Pœna Capharnaum grauior.* Iſai. 1.

35. Secunda pars quæſtionis inquirit: Cur vſque ad cælum exaltata dicatur Capharnaum? Reſpondet primò Theophylactus. *Quoniam Capharnaum interpretari quis poteſt agrum conſolationis. Vide, quod ſi quis mereatur fieri ager Spiritus Paracliti, & deinde ſublime ſapiat, & exaltetur vſque ad cælum, ita corruet per ſuperbiam. Horreſcas igitur, ô homo.* Idem docent D. Hieronymus, Beda, & alij. Dum ſuperba Capharnaum, multis bonis ditata, ſeſe ſuper nubes vſque ad cælum eleuabat, in iuſtam ſuæ dementiæ retributionem, non minus, quàm in infernum demergi dicitur. Et rectè notat D. Thomas, quod in pœnam ei infligitur cadere; nam deiectio propria ſuperbi pœna eſt.

Theoph. D. Hieron. Beda. *Caſus, ac deiectio propria ſuperbi pœna eſt.* D. Thom.

36. Secundò D. Hieronymus in præſenti. *Ideo quia exaltata es vſque ad cælum meo hoſpitio, & meis ſignis, atque virtutibus, tantum habens priuilegium, maioribus plecteris ſupplicijs.* Tanquam ſi dicat. Tu Capharnaum propter diuina beneficia in te collata, vſque ad cælum exaltanda præſumebas, ſed falleris, nam propter tuam ingratitudinem, vſque ad infernos detraheris Ex pluribus enim beneficiis diuinis grauiora peccata propter ingratitudinem conſequuntur. Vnde pulchrè ait D. Bernardus ſerm. contra ingratitudinem. *De clementia eſſe videtur, ingratis negare, quod poſtulant, ne contingat nobis, vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitiſſe. Ergo miſericordiæ res eſt, in hac parte ſubtrahere miſericordiam; quemadmodum iræ, & indignationis, miſericordiam exhibere.*

D. Hieron. *Ingratus vſque ad infernos detrahitur.* D. Bernard. *Ingratis negare beneficia, miſericordia.*

37. Tertiò, iterum premo illa verba D. Hieronymi, *Exaltata vſque ad cælum meo hoſpitio.* Tantum ex præſentia, ac hoſpitio Chriſti terra eleuata videtur, vt vſque ad cæli altitudinem ferri dicatur. Dormiens Iacob. *Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. num. 12. Maximè ſoliciti ſunt Patres in indagandis myſteriis, quæ in hac ſcala denotantur. Rupertus, Diodorus, Vatablus, ac alij dicunt, repræſentari hic Incarnationem diuini Verbi, ſcilicet generationem Chriſti, ex Iacob naſcituri, ac deſcenſuri per varios gradus, id eſt generationes, ac genitores, quorum vltimus eſt Ioſeph cum B. Virgine Maria. Et hæc ſcala è cælo tangit terram, quia Verbum eſt incarnatum in terra; eamque ita ſuæ incarnationis tactu, ac præſentia benedixit, vt ipſum cælum attingere videatur. Rupertus lib. 7. in Geneſ. cap. 25. *Per humanitatem Chriſti*, ait, *aperta eſt porta cæli, & cæleſtia iuncta ſunt terrenis.*

D. Hieron. Geneſ. 28. Rupert. Diodor. Vatablus. *Ex Chriſti hoſpitio terra iũgitur cælo.* Rupert.

CAP.



# CAP. XV.

## *Conuertitur Magdalena.*

*Lucæ 7. n. 36.* Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Venit autem vnus ex Phariſæis efflagitans ab eo, vt ſecum manducaret.

*Euthymius.* Inuitabat autem illum quidam è Phariſæis, vt ederet cum ipſo.

*Theoph. Vatabl.* Vt caperet cibum cum ipſo, & ingreſſus domum Phariſæi accubuit.

### *EXPOSITIO I.*

1. POSTQVAM D. Lucas narrat partem eorum, quæ ſuperiori capite relata ſunt, hanc fœliciſſimam hiſtoriam de hac decantatiſſima muliere ſcribit. An verò hoc loco, & tempore acciderit? Omnino eſt incertum, cum nullus inueniatur locus, ex quo hoc deprehendatur. Et ideo cum D. Luca communiter Auctores Ianſenius, Beauxamis eam hic annectunt.

*Connexio textus.* Ianſen. Beauxam.

2. *Rogabat autem illum.* Verbum autem hoc, vt neruoſius habet Syriacus, *efflagitans*, ſignificat, non qualeſcumque preces, ſed obnixè, ac perſeueranter rogare, nec enim communiter in hoc facilem ſe exhibebat Ieſus, ne alicui videri poſſet, ipſum conuiuia ambire: aliquando tamen illis aderat ob magnum alicuius ſpirituale bonum. Et ingenioſè quidam notarunt, quod Euangeliſta ait, *Rogabat eum, & diſcubuit,* non verò rogauit, & diſcumbebat: nam *Rogabat* eſt præteritum imperfectum, *diſcubuit* verò præteritum perfectum; noſtra enim obſequia ſemper imperfecta conſiſtunt; ſua verò dona omnibus circunſtantiis ſunt plena. Et quamuis noſtræ rogationes non adhuc ſint vltimatè prolatæ, atque finitæ; tamen tam promptus eſt Deus in ſuis donis largiendis, vt iam eius diuina bonitas multa adſit beneficia diffundens. *Rogabat autem illum*, ex quadam beneuolentia, ac humanitate, quamuis, nondum perfectè crediderit. Simon Caſſianus lib. 9. cap. 29. ait, quod rogabat inductus Phariſæus à Magdalena, vt haberet occaſionem accedendi ad Chriſtum: ſed hoc ad mores, & non ad litteram, eſt dictum.

*Noſtra obſequia imperfecta, Dei dona conſummata.* Caſſian.

3. *Quidam de Phariſæis*, hic Simon vocabatur, vt patet ex verſ. 40. vbi etiam commodius inquiram, an iſte ſit ille idem Simon Leproſus, in cuius domo Chriſtus propè paſſionem vngitur? Matthæi 26. verſ. 6. *Vt manducaret cum illo.* Inuitabat Dominum ad prandium. Perpende Chriſti clementiam; nam ipſe à nobis inuitatus non recuſat, ſed adeſt noſtris conuiuiis: nos autem ad cæleſtem, & auguſtiſſimam cœnam ab ipſo inſtanter euocati, nec aſſentimur, nec accedimus Luc. 14. num. 18. *Ingreſſus domum Phariſæi.* Iſte quando Dominum inuitat, ac in habitaculo ſuo tenet, Phariſæus eſt, hoc eſt verſipellis, & malitioſus, vt notat Boſtrenſis, & Theophylactus, & patet infrà verſ. 40. quamuis, vt vult Salmeron, non eſſet ex multum maleuolis, ac malignis, tamen tanto Domini dono, ac præſentia, eius tota malitia non euacuatur, nec emolleſcit. *Diſcubuit,* hoc eſt accubuit vſitato, ac frequenti hominum modo: magna enim prudentia eſt, à communi aliorum more, quantum fas eſt, non diſcedere. *Diſcubuit.* Qui ita ſe componit, diu expectare vult; nec enim moras noſtras, ac tarditatem faſtidit, qui ad expectandum ita ſe præparat.

Matth. 26. *Nos à Deo inuitati reluctamus, ac reſiſtimus.* Luc. 14. Boſtrenſ. Theoph. Salmeron. *A communi more non eſt diſcedendum. Chriſtus nos expectat.*

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus Dominus ingreditur domum Phariſæi, ac ibi diſcubuit?*

4. ADSTAT Ieſus in conuiuio, non vt cibum corporis acciperet, ſed vt animæ cibum daret, magis manducaturus peccatricis animam, & eius bibiturus lacrymas, quàm vt ederet, vel biberet; magíſque cibaturus homines verbo Dei, quàm ipſe corporali alimento cibandus. Pulchrè D. Chryſologus ſerm. 93. *Phariſæi domum*, ait, *Chriſtus intrauit, non accepturus iudaicos cibos, ſed diuinam miſericordiam largiturus: neque accubuit pocula ſaporata melle, floribus odorata ſumpturus, ſed pœnitentis lacrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus eſurit; ſitit lacrymas peccatorum.*

D. Chryſol.

5. Secundò Euthymius. *Non deuitauit hunc, ne daret occaſionem dicendi, quod cum publicanis, & peccatoribus vnà cibum caperet: Phariſæos autem faſtidiret.* Phariſæi, cum ſe multum de obſeruantia Religionis iactarent, maximè publicanos, & peccatores damnabant: ne ergo Chriſto Domino aliqua partialitatis nota imponeretur, venit etiam ad Phariſæos.

Euthym. *In principe partialitatis nota fugiẽda*

6. Tertiò Theophylactus. *Videtur hic Phariſæus non rectam habuiſſe ſententiam, ſed doloſus fuiſſe & hypocriſi plenus; dicit igitur, hic ſi eſſet Propheta, & ita non credidit, qui hæc loquebatur. Dominus autem, quamuis ſciret, docens per hoc omnino, quod nos ſimplices exhibeamus erga eos, qui doloſè nobiſcum agunt.* Benè agnoſcebat Dominus, quod Phariſæus non ſanæ mentis eſſet; & tamen ad eum diuertit: magna enim prudentia eſt, aliquando diſſimulare; & qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare, ac alios ad ſe deuincere.

Theoph. *Magna prudentia, aliquando diſſimulare.*

7. Quartò Carthuſianus. *Chriſtus*, ait, *totius humilitatis magiſter, nec cum publicanis, propter eorum manifeſta peccata; nec cum Phariſæis propter eorum latentia vitia, præſertim ſuperbiam; nec cum diuitibus; nec cum pauperibus edere ſpreuit; in omnibus amans naturam, vt fœlicitatis capacem, atque ad imaginem Dei factam.* Nullum Chriſtus ſpernebat, ſed ad omnes condeſcendebat; non enim eorum peccata, ſed naturam ad imaginem Dei

Carthuſ. *In proximis conſideremus naturam, & non defectus.*

Dei creatam conſiderabat. Si & tu hæc ad imitandum tibi proponas, facilè cunctos in magna veneratione, ac amore habebis, omnibúſque valdè affabilis eris. Vide ſuprà cap.6. n.50. & cap.8. num.65.

8. Quintò, optimè præuidebat Dominus, quod Phariſæi obmurmuraturi erant in conuiuio; ſed Dominus nec de his detractationibus, nec de inimicorum inſidiis, nec de propria perſecutione curauit; ſed ante omnia hoc vnum intendebat, vt munus Redemptoris, ſibi à Patre commiſſum, perfectiſſimè adimpleret; ac vt homines ad viam ſaluis adduceret.

*Chriſtus maximè intendebat officiũ ſibi commiſſum.*

9. Sextò, Phariſæi domum intrat Chriſtus, vt hoc facto eorum malignitatem, ac peruerſam contumeliam arguat, & damnet: nam ipſi paulo ante Chriſto detrahentes dixerunt hoc cap.7. Luc. num.34. *Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.* Si enim, ô Phariſæi talem Chriſtum diiudicatis ex conuerſatione, quam cum illis habet; ecce neceſſe eſt, vt vnus ex vobis Phariſæus deuorator, ac moderamina excedens, publicanus, & peccator ex ipſa conuerſatione reputetur: talis eſt enim nequitia, vt ſibimet conſonare neſciat, ſed ſuiſmet dictis, & factis ſibimet contradicat, atque repugnet.

Luc. 7.

*Iniqui contra ſe dicunt, & loquũtur.*

10. Magna ſuperbia turgebat Lucifer, & dicebat: *Suprà aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis.* Iſai. 14. n.13. Quietudinem ſedis affectat, thronum fingere intentat; & tamen latera, ſeu cornua Aquilonis ſibi proponit. Quod in vento ponitur, in perpetuo fluxu, ac volubilitate verſatur: Quomodo ergo Lucifer, qui in tanto ſapientiæ decore creatus eſt, cathedram in monte ambiens, Aquilonis refluxus quærit? nequitia ſuis dictis minimè conſonat: ita malitia cæcutiebat Lucifer, vt contra ſuos proprios conatus appeteret, ac diceret; & quietudinem, ac permanentiam ſedis quærens, volubilitatem ventorum deſideraret, vt ibi pœnas ſibi debitas inueniret. D. Bernardus de gradibus humil. 1. *Quid facis, Lucifer?* ait, *E cælo pulſus in terra remanere non potes: terra enim locus ſolidus eſt, vbi ſedet Eccleſia fundata ſuper firmam petram. Elige tibi in aëre locum, non ad ſedendum, ſed ad volandum, vt qui tentaſti concutere ſtatum æternitatis, pœnas ſentias propriæ fluctuationis.*

Iſai. 14.

*Iniquitas ſibi non conſonat, ſed ſibimet contraria eſt.*

D. Bernard.

11. Ad comparanda alimenta deſcendunt in Ægyptum decem filij Iacob; quos arguens eorum frater Ioſeph. *Ait ad eos, exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* Geneſ.42. num.9. Illi verò, vt ab impoſita calumnia ſe eximant, inquiunt: *Non eſt ita, Domine; ſed ſerui tui venerunt, vt emerent cibos; omnes filij vnius viri ſumus.* Hæc vltima verba maximè ſunt ponderanda: *Omnes vnius viri filij ſumus.* Omnes vos eſſe fratres dicitis: ad aſportandum triticum in vnam domum, ſat erat, vt duo, vel quatuor fratres venirent; ad quid decem? In hoc, quod profertis, videtur conuinci, vos obſeruatores, ac ſpeculatores terræ eſſe, ſiquidem non aliis extraneis hoc negotium credere, ac communicare voluiſtis, ſed intra vos metipſos omnes fratres illud ſub ſilentio promere, ac inuoluere intentatis, vt ſecurius infirmiora terræ conſiderare valeatis. Quid ergo dicitis? Iſti fratres iniquorum conſortium præfigurabant. Iniquitas minimè ſibi ſtat, ſed ſibimet ipſi repugnat. Et iſti, in quo ſe excuſare pertendebant, ibi ſe accuſant, & arguunt, vt contra ſibi propoſitum intentum loquantur, & dicant. Lippomanus ad ea verba: Hoc eſt, *quod locutus ſum, exploratores eſtis:* ſic fatur: *Ac ſi dicat,* ait, *ex quo tot fratres eſtis, magis audaces ad explorandum, vtpote mutuo confidentes ſubſidio, exiſtitis.* Vide tom. 2. cap. 4. num.16. & 17.

Geneſ.42.

*Iniqui, in quo ſe excuſant, accuſant, & arguunt.*

Lippoman.

*Lucæ 7. n.37.* Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et mulier peccatrix erat in illa ciuitate, quæ cum noſſet, in domo Phariſæi eum accubuiſſe, accepit alabaſtrum vnguenti.

*Theophylactus.* Ecce mulier, quæ fuerat in ciuitate.

*Arias.* Cognoſcens, quod accubuit.

### *EXPOSITIO II.*

12. Ecce. Particula hæc attentionem excitat, & rem nouam, ac mirabilem dicit, nempè, vt ait D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in feria 5. poſt Dom. Paſſionis, mulierem mirabiliter peccatricem, mirabiliorem verò in conuerſione. Et ita hic ponuntur, vt notat S. Pater, tranſgreſſiones, & ſatisfactiones multiplices. Tranſgreſſiones. Et primò à diuturnitate peccatorum: *Quæ erat:* hic loquendi modus denotat, quod diu in peccato permanſerat, vt ait S. Antonius, *in ciuitate*, hic deſcribuntur eius peccata à famoſitate, eo quod eius peccata erant publica, ac manifeſta; & quia in ipſa ciuitate multos ad peccandum traxerat, vt notat Hugo; *peccatrix*, quia in multis vitiis fuerat, vt ex D. Auguſtino, D. Gregorio, & aliis infrà dicam.

D.Ant. Vlyſ.

*Quantum fuerit mulieris peccatum.*

Hugo. D. Auguſt. D. Greg.

13. Quænam eſſet hæc ciuitas, quæritur? Caietanus exiſtimat, fuiſſe Ieruſalem. Alij verò dicunt, fuiſſe Bethaniam, quæ erat Ieruſalem vicina. Vterque hic locus erat in Iudæa. Probabilior autem eſt ſententia, quod hæc ciuitas erat in Galilæa, in qua Dominus tunc verſabatur. Et Magdalena cum aliis mulieribus ſecuta fuerat Ieſum à Galilæa Matth. 27. num. 55. Vnde ſatis veriſimiliter Simon Caſſianus lib.9. cap.29. Toletus, Salmeron, Beauxamis, & alij putant, fuiſſe ciuitatem Naim, in qua Dominus filium viduæ ſuſcitauit, cuius fama commota eſt Magdalena, beneficentia enim, ac benignitas multos ſibi reconciliat, ac ad ſe adducit.

*Quænam eſſet hæc ciuitas?* Caiet.

Matth.27. Caſſian. Tolet. Salmeron. Beauxam.

14. *Vt cognouit.* Ecce quàplures ſatisfactiones, ac illuſtriſſimæ virtutes mulieris. Cognouit fide, Chriſtum verum Deum, vtpotè gratiæ, ac remiſſionis peccatorum largitorem: ſpe, confidens ab ipſo à peccatis mundari; vera intelligentia cognoſcens,

*Quantæ mulieris virtutes.*



ſua peccatorum vulnera, quæ tanto medico indigebant. D. Auguſtinus homil. 23. inter quinquaginta. *Nouerat,* ait, *quanto morbo laboraret, & illum ad ſanandum eſſe idoneum, ad quem venerat, ſciebat.* Prudentia, tam opportunam occaſionem adeundi ad Ieſum captans, ad ipſum accedit. Diligentia, vt cognouit, non interpoſuit moras, non reſeruauit pœnitentiam ad finem vitæ, ſed in ipſo iuuentutis flore venit; non fundauit pœnitentiam ſuam in impoſſibilitate peccandi, ſed in voluntate obſequendi Deo, vt de ipſa meditatur D. Cæſarius Arelatenſis homil.7. *Nec ipſa,* ait, *ſe reſeruauit, vt in fine vitæ pœnitentiam ageret, ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, vt illam de adulterijs ſuis, non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed voluntas.* Venit etiam fortitudine, humilitate, ac multa patientia, vt infrà dicam; ac magna charitate inflammata *dilexit multum*; vnde non vacua venit. Et quæ antea ſolum mundana reſpiciebat, iam præ oculis lacrymantibus puritatis fontem cognoſcit, & videt. Huc aduoco D. Bernardum ſerm. de conuerſione ad Clericos. *Purgatur,* ait, *lacrymis oculus ante caligans, & acuitur viſus, vt intendere poſſit in ſereniſſimi luminis claritatem.*

D.Auguſt.

D. Cæſar. *pœnitentia non ſeruanda in finem vitæ.*

D. Bernard. *Lacrymæ acuunt viſũ.*

15. *Attulit alabaſtrum vnguenti.* Vas erat ex pretioſo lapide alabaſtro confectum; in tali enim lapide, ac vaſe aromata, vt notant Beda, & D. Bonauentura, incorrupta ſeruabantur. Vnguentum hoc fuiſſe pretioſum, dicam quæſt. 8. Et illud ex more conuiuij attulit Magdalena: antiqua enim erat, conſuetudo, conuiuantes vngi, de quo infrà, *Caput meum non vnxiſti.* Franciſcus Lucas ait, quod fortaſſe illud adduxit hoc prætextu, vt facilius permiſſa eſſet à domeſticis, intrare in locum conuiuij, quaſi quod afferret ea, quibus conuiuæ poſſent exhilarari. Sæpè aſtutia quadam ſancta viri pij diſſimulant, ſe facere temporalia, vt ſecurius exhibeant ſpiritualia.

Beda. D. Bonau.

Franc. Luc. *Viri pij diſſimulant temporalia, vt exhibeant ſpiritualia.*

## QVÆSTIO II.

### *Quænam fuerit Magdalena, & an vna?*

16. Hanc quæſtionem latè tractant omnes ferè recentiores, & ideo eam breuiter attingam. Primò Origenes tract. 35. in Matth. & in cap.26. eiuſdem Theophylactus, Eutymius exiſtimant, tres fuiſſe Magdalenas: primam peccatricem, de qua hic agitur; ſecundam, quæ ſex diebus ante Paſſionem ſuprà caput Chriſti alabaſtrum nardi effudit Ioan. 12. num. 3. tertiam, quæ biduo ante Paſſionem Chriſtum vnxit Matth.26. num.7.

Origen. Theoph. Euthym. *Triplicem fuiſſe Magdalenam.* Ioan. 12. Matth.26.

17. Secundò D. Chryſoſtomus hom.81. in Matth. Titus Boſtrenſis in cap.7. Luc. D. Hieronymus in cap. 26. Math. tenent, duas mulieres Dominum vnxiſſe; vnam peccatricem, de qua hic agitur; alteram ſororem Lazari, quæ Dominum vnxit Matth.26. & Ioan.12.

D. Chryſoſt. Boſtrenſ. D.Hieron. *Duplicem Magdalenã.*

18. Tertia communis, ac mihi vera ſententia eſt, vnam, & eandem fuiſſe mulierem, ſcilicet Mariam Magdalenam ſororem Lazari, & Marthæ, quæ Chriſtum Dominum bis vnxit, vt narrant D. Lucas, Matth. & Ioannes. Ita docent D. Cyprianus tract. de duplici martyrio, D. Auguſt. lib.2.

*Vna Magdalena.*

D. Cypr. D. Auguſt.



de conſenſu Euangeliſtar. cap.79. Auctor Imperfecti homil. 15. in Matth. D. Gregorius Magnus homil. 25. & 33. in Euangelia, & lib.6. Epiſtolar. Epiſt.6. Rupertus in cap. 12. Ioan. Beda hic; & communiter omnes recentiores Ianſenius, Maldonatus, Beauxamis, Franciſcus Lucas, Barradas, Cornelius, Toletus, & alij.

Imperfect. D. Greg. Rupert. Beda. Ianſen. Maldonat. Beauxam. Franc.Luc. Barradas. Cornel. Tolet.

19. Probatur efficaci ratione. Quia hic eſt communis ſenſus fidelium, ac totius Eccleſiæ, quæ in Eccleſiaſtico officio ſentit, hanc peccatricem fœminam fuiſſe Mariam Magdalenam ſororem Lazari: Ergo, quæ de hac peccatrice, ac ſorore Lazari ſcribuntur, omnia vni Magdalenæ ſunt tribuenda.

*Probatur ex officio Eccleſiaſtico.*

20. Probatur ſecundò, ex cap.11. Ioan. num.2. de ea dicentis: *Maria, autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis, cuius frater Lazarus infirmabatur.* In quibus verbis, vt rectè argumentatur D. Auguſtinus citatus, Euangeliſta voluit peculiariter Mariam ſororem Lazari ſignificare, ac denotare per ſingulare factum, quod pedes Domini vnxerit, ac capillis terſerit. Ergo vna tantum extitit Maria ſoror Lazari, quæ tale miniſterium erga Dominum præſtitit; & rectè per ipſam vnctionem ſpecificatur. Deinde quia antiqua inſcriptio in eius ſepultura à S. Maximiano vno ex Septuaginta Domini diſcipulis exarata, omnia dicta vni Magdalenæ adſcribit.

Ioan. 11.

D.Auguſt.

*Antiqua inſcriptio ſepulturæ.*

21. Dixi, quod bis Dominum vnxit, quia ſatis probabilis eſt ſententia, quod vnctio, cuius meminit Matthæus 26. num. 6. eadem eſt cum illa, quam narrat Ioannes 12. num. 1. Vtraque contigit in Bethania in domo Simonis Leproſi; vtraque facta eſt per effuſionem alabaſtri: ergo vnctio eſt eadem iuxta probabilem ſententiam; ſed rem, ſuo loco tractandam, non diffinio. Et Magdalena vna, & non triplex, vt ait Origenes.

Matth. 26. Ioan. 12. *Magdalena bis Chriſtum vnxit.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Euangeliſta nomen huius ſacratiſſimæ fœminæ non exprimit, ſed tantum eam mulierem appellat?*

22. Reſpondent primò graues recentiores, quod Euangeliſta ob honorem Magdalenæ eius proprium nomen non exprimit, cum eam peccatricem diceret. Sic & D. Lucas narrans conuerſionem Matthæi, cum eum ſedentem in telonio ſcriberet, nomen Matthæi ſubtricuit, & Leui appellauit Luc.5. num.27. Secundò D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in feria 5. poſt Dom. Paſſionis. *Non ponitur hic nomen, quia peccatores, quandiu ſunt in peccato, de libro Domini ſunt deleti.* Sic de Diuite Epulone Luc.16. n.19. eius nomen ſupprimitur. Peccator reſidens in ſuo delicto, nomine caret, ac veluti ignoratur à Deo, vt docet D. Gregorius lib.1. in Iob cap. 13. Poſt perpetratum crimen vocat Deus Adamum; non tamen nomine ſuo; non enim dixit, ſi attentè legas textum, vbi es Adam, ſed tantum, *vbi es?* Geneſ. 3. num.9. Ac ſi ille, qui omnibus nomina impoſuerat, per peccatum nomine careret.

Luc. 5. D. Antonius Vlyſipp.

*Peccatores ſine nomine.* Luc. 16.

D. Gregor.

Geneſ. 3.

X Tertiò,

*Mariæ nomẽ ſolum ponitur vbi eſt puritas, & nõ iniquitas.*

Matth. 26. & 28. Ioan. 11. & 12. Ioan. 20.

*Nomen Mariæ illuminat.*

D. Chryſol.

23. Tertiò, Nomen ſacratiſſimæ fœminæ Maria Magdalena erat; cum autem Euangeliſta ad narrationem hiſtoriæ ſcriberet, quod ipſa peccatrix erat, Spiritu ſancto dictante, illud nomen ſubticuit, decebat enim, vt purum, ac præclarum Mariæ nomen de muliere tantis delictis coinquinata minimè diceretur, ac ſcriberetur. Et quamuis eſſet iam charitatis cuſpide vulnerata, tamen neceſſe fuit, vt per pœnitentiam prius, ac lacrymas mundaretur, vt poſtea magno Mariæ nomine condecoraretur. Matth.26. & 28. numer.1. Ioannes 11. num.2. & 12. num. 1. In fœliciſſima Reſurrectionis die, hortulani ſpecie, apparet Dominus Magdalenæ, & ait ei: *Mulier, quid ploras?* Ioan.20. num.15. Quæ cum in multos lacrymarum imbres ſe diffunderet, iterum placida voce ei alloquitur: *Maria.* Cuius tanti nominis ſplendore illuminata ipſa ſtatim magiſtrum agnouit. Sed cur prius mulierem dicit, & poſtea Mariam appellat? Sub mulieris voce antiqua fœmineæ fragilitatis piacula increpauit; poſtea verò ſuaui vocabulo, cum Mariam vocat, eius puritatem, ac ſanctimoniam mirificè exornat, ac extollit. Huc reſpicit Chryſologus ſermon. 77. dicens: *Venit mulier, ſed redit Maria; venit, quæ intulit mortem; redit, quæ genuit vitam.* Cum venit, vt mulier, antiquam corruptelam innuit; cum verò redit Maria, iam impinguata eſt viuido fonte gratiæ pleno, qui nobis genuit vitam.

*Solum de virtute, non verò de nomine, ac titulo curare debemus.*

24. Quartò, tam notiſſima peccatrix erat Magdalena, & in tantum eius impudica fama cunctorum aures implebat, vt mulieris peccatricis nomine vniuerſis ipſa eſſet nota, Magdalenáque intelligeretur. Quintò Euangeliſta non minutim exprimit eius nomen, patriam, ac nobilitatem, ſed tantum virtutem, ac actus heroicos pœnitentiæ: *Lacrymis cœpit rigare pedes, & capillis tergebat,* &c. vt nos doceat, quod de his debemus curare; non verò de illis mundanis; & quod ipſa tam admirabili pœnitentia, ac conuerſione magis illuſtris, ac nota facta eſt cunctis, quàm ſi ſuo proprio nomine, ac titulo inſcriberetur. Vide cap. 23.

Beda. Luc. 8.

25. Sextò Beda. *Maria Magdalena*, ait, *ipſa eſt, cuius tacito nomine proxima lectio pœnitentem nominat: nam pulchrè Euangeliſta, vbi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifeſtat; vbi verò peccatricem deſcribit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tantæ famæ priſci erroris nota fuſcaret, de qua dæmonia ſeptem exiſſe referuntur.* Euangeliſta quando eam hic peccatricem deſcribit, à præclaro Magdalenæ nomine abſtinet; quod tamen profert, cum eam ſequentem Chriſtum narrat. cap. 8. num. 2. vt nos doceat. Primò, quod nomen, amiſſum per peccata, per pœnitentiam recuperatur; & cum defectus alicuius narrantur, perſona occultetur, quæ maximè in virtutum factis propalanda eſt. Sic cum Matthæum ad telonium ſcribit Luc.5. n.27. eius proprium nomen ſubtacet; quod tamen diſertè in illuſtri, ac magnifica Apoſtolorum electione valdè ſingulariter declarat, ac diuulgat. Luc. 6. num. 15. Vide ſuprà cap. 6. num. 51. 52. & 53.

*Per pœnitentiam recuperatur nomen deperditum per peccatũ. Aliorum nomina occultanda in peccatis, aperiẽda in virtutibus.*

Luc. 6.

26. Septimò, Euangeliſta Chriſtum Dominum eſt imitatus, qui hanc ſacratiſſimam fœminam, non proprio nomine, ſed mulieris vocabulo eam infrà appellat, agens cum Phariſæo: *Vides hanc mulierem,* &c. Sed adhuc ratio huius rei eſt inquirenda. Hæc præclara fœmina Maria Magdalena appellabatur; Maria, id eſt domina; Magdalena idem valet, ac magnifica; mulier verò fragilitatem denotat. Proprium vocabulum Maria Magdalena, ob nominum celſitudinem, fœminæ peccata arguebat, quæ maximè mulieris vox, ob ſuam imbecillitatem, ſubleuabat. Non ergo Mariam Magdalenam, ſed mulierem dicit: ſemper enim diuinus inſtinctus, ac afflatus noſtræ eſt memor humanæ miſeriæ; & ea reſpicit, non quæ onerant, ſed quæ exonerant noſtram miſeriam; cuius magnum ſubleuamen eſt, debilis ipſa humanæ naturæ origo.

*Diuinum ingenium, non ad ea, quæ accuſant, ſed excuſant reſpicit*

*Debilitas humanæ naturæ in lapſu conſiderãda.*

Matth. 20.

27. Acceſſit ad Ieſum Mater filiorum Zebedæi petens: *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei.* Matth.20. num.21. Sed cur mulier, pro filiis deprecans, natos ſuos appellat? Cur potius non ait, dic, vt ſedeant hi tui fratres; vel hi tui diſcipuli, quos ad te vocaſti, Matth. 4. n. 21. vt te ſequerentur, vel hos tuos, quos diligis; nam Ioannes dicebatur. *Diſcipulus, quem diligebat Ieſus.* Sic & Lazari ſorores ad Dominum ſcripſerunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Ioan. 11. num.3. Cur ergo tot omiſſis ſolum filios ſuos dicit? Quod iſti eſſent Domini fratres, diſcipuli, ſequaces, ac ab ipſo dilecti, eorum ambitionem arguebat, ſiquidem coram tam admirabili exemplo mundialium contemptus, adhuc ad temporalia anhelabant. At verò, quod filij huius mulieris memorentur, ipſa fœminea fragilitas ſubleuabat, vt aptè notauit D. Paſchaſius lib.9. in Matth. *Ipſe ſexus*, ait, *quia procliuis eſt, ſuum excuſat errorem.* Cœleſti ergo halitu, cum diſcipuli ambitione vulnerati introducuntur, non Apoſtoli, non dilecti, quod crimen arguebat; ſed filij mulieris, quod minuebat, proponuntur: In familia enim Chriſti ſolum ea, quæ excuſant, non verò, quæ accuſant, commemorantur.

Matth. 4.

Ioan. 11.

D. Paſchaſ.

*In Dei domo ſolum ea, quæ excuſant, non quæ accuſãt commemorantur.*

Geneſ. 9.

28. Cum Cham vidiſſet parentem ſuum Noë incompoſito geſtu dormientem, illuſit ei; & ait Scriptura: *Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor.* Gen.9. num. 24. Vbi notandum obiter, quod proditoris nomen præterit; non enim dixit, quæ fecerat filius ſuus Cham, ſed *filius ſuus minor.* Verùm quomodo Cham dicitur filius minor, quem natura fecerat ſecundum, & ſeniorem Iaphet, vt conſtat ex ordine, quo recenſentur in Scriptura. Sic Geneſ. 9. num. 18. *Erant ergo filij Noë, qui egreſſi ſunt de Arca, Sem, Cham, & Iaphet.* Et idem habetur cap.10. n. 1. Et notarunt etiam Chryſoſtomus, Rupertus, Lippomanus, & alij. Qua ergo ratione, qui natus erat ſecundus, ac primogenituræ vicinus, dicitur filius minor. De quo argumento ait D. Ambroſius lib. de Noë, & arca cap.31. *Quæro, qua ratione medium inter filios Cham, nunc minorem, ſeu iuniorem appellet? nunquid ante Scriptura in ordine generationis errauit? Non vtique. Quid ergo, contraria ſcripta ſunt? minimè.* Quomodo ergo minorem dicit? Quod autem Cham eſſet ſecundus natu, ac vnus ex maioribus filiis, malitiam criminis augebat, quæ, vt minor reputatus, vehementer alleuiabatur: & benignus pater, cum ad promulgandam maledictionem, ac pœnam infligendam proceſſit, habuit ante oculos, non ſeniorem, ac maturiorem ætatem, qua crimen aggrauabatur, ſed hominem inſtar pueri mente captum,

Geneſ. 9. & 10.

Chryſoſt. Rupert. Lippoman.

D. Ambr.

*Cœleſte ingeniũ ad ea, quæ minuunt culpas, attendit, non verò ad ea, quæ aggrauant.*



qui infantiæ metas non excedebat, cuius rudis mens omnem culpam magnopere extenuabat. Sic pergit citatus Ambroſius. *Quomodo igitur ſoluitur; niſi iuniorem, non ætate, non tempore, accipiamus, ſed rudem ſenſu, & in quadam intellectus infantia conſtitutum, qui prouectioris doctrinam ætatis non hauſerit, nec percepit ſimile conſilium.*

D. Ambr.

---

## Qvæstio IV.

### *Quare Saulo poſt ſuam conuerſionem mutatur nomen non verò Mariæ Magdalenæ?*

29. Doctori Gentium in ſua conuerſione tranſmutatum eſt nomen, vt qui antea vocabatur Saulus, diceretur Paulus, quod eius humilitati attribuunt D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & littera cap.7. D. Bernardus ſermon. de conuerſione Pauli, Metaphraſtes in Encomio Petri, & Pauli; ob tantam ſuam humilitatem ſic nominatus eſt à communi aduerbio Paululum quaſi dictus eſſet paruulus, ſeu paruus, ſeu minimus. At verò hæc ſacratiſſima fœmina ſuum antiquum nomen retinet, vt à tanto nomine quandam ſanctitatem hauriret, ac participaret, vt docet D. Vincentius Ferreyra in proprio ſermone.

D. Auguſt. D. Bernard. Metaphr.

*Ex nomine Mariæ ſanctitas participatur.*

S. Vinc. Fer.

30. Secundò, vocabatur hæc ſacra fœmina, diuina ordinatione Maria Magdalena. Maria ſacratiſſimum nomen proprium Virginis Matris Dei; Magdalena autem; id eſt magnificata, ſeu exaltata; quæ etiam ſunt appellatiua ſanctiſſimæ Dei Matris. Tali ergo nomine inſignitur hæc Dei dilectrix, vt illo nobilitaretur, ac condecoraretur. Videns Chriſtus Dominus Petrum ait ei: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioannes 1. num.42. Petra autem proprium eſt nomen Chriſti, teſte Apoſtolo 1. Corinth.10. num.4. *Petra autem erat Chriſtus.* Sed valdè mirandum, quod rudi adhuc diſcipulo tantum detur nomen. Admirationem tamen excludit D. Ambroſius ſermone 47. dicens: *Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus: rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis.* Beata Virgo Maria ſuper omnes creaturas Chriſtum dilexit, cuius veſtigia imitata eſt hæc ſancta mulier, vt etiam ipſum multum diligeret. *Rectè ergo conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur, & operis.*

*Magdalena nomine Mariæ nobilitatur.*

Ioan. 1.

1. Cor. 10.

*Magna nobilitas ex nomine participatur.*

D. Ambr.

31. Tertiò, Doctori Gentium in ſua conuerſione tranſmutatur nomen: nam, vt docent D. Ambroſius ſermon.35. edition. Rom. D. Chryſoſtomus ſermon.5. & homil. de conuerſione Pauli. Oecumen. in cap.13. Actorum Apoſtolorum, quod frequens fuit antiqua conſuetudo, quod denuo conuerſis nomen nouum imponeretur, vt ita noui homines, nouum habentes viuendi modum, denotarentur. Quæ conſuetudo ſeruata eſt in magno Apoſtolo ob ſuam magnam humilitatem, vt iam dixi. At in conuerſione huius mulieris nil innouatur in nomine, ſed ſuum antiquum retinet, vt hinc aliquid in eius laudem philoſophari liceat: nam tam admirabilis fuit eius pœnitentia; tanto rerum contemptu, tam larga lacrymarum copia, tam admirabili modo, pedes capillis abſtergendo, tantis charitatis ſignis effuſionis olei atteſtatæ, tantis virtutis circunſepta, vt ad nouam mulierem, nouámque viuendi rationem, ac ad magnam Dei dilectricem indicandam, hæc ſatis, abundantiſſiméque ſufficerent, itaut nil aliud deſiderari videretur.

D. Ambroſ. D. Chryoſt. Oecumen.



*In conuerſione Pauli mutatur ei nomen, non verò Magdalenæ ob inſignẽ eius pœnitentiam.*

32. Cum Dei voce illuminatur Saulus, ait Dominus Ananiæ, vt ad ipſum vadat. *Ecce enim orat*, nempe ipſe Saulus. Et dicitur, quod Saulus oraret, vt Ananias cognoſceret eius conuerſionem, eumque iam eſſe non perſecutorem, ſed diſcipulum fidelem, vt illum adire non dubitaret, vt notarunt Chryſoſtomus, Gloſſa Interlinealis, Hugo, Lyranus, Carthuſianus, Cornelius, & alij. Ananias autem imperata exequi recuſans ait: *Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem.* Actor. 9. num. 13. Iterum ei Dominus inſtat, vt mandata adimpleat. *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte.* In quo maximè notandum, quod cum Ananias ſe excuſaret, ac taliter ſentiret de Saulo, non reprehenſus eſt à Domino, vt notauit Lorinus ad citatum num. 13. Et tamen cum Phariſæus ſiniſtrum iudicium haberet hic de Magdalena, grauiter obiurgatur à Chriſto, vt notant communiter omnes Patres, & infrà dicam. *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.* Sed cur, cum Ananias, ſtante Dei mandato, ac voce oratione Sauli: *Ecce enim orat:* cum ipſe ſe excuſet, & adhuc feruentem perſecutorem ſuſpicetur, ac vereatur, non eſt reprehenſus, ſicut hic Phariſæus, cum perperam de Magdalena opinaretur? Ananias aliquantulum de Saulo hæſitans, ac aliquid mali in ipſo timens ob communes rumores aliquale habebat excuſationis argumentum: at Phariſæus viſa tanta mulieris pœnitentia, tanto lacrymarum imbre effuſo, tantis contritionis editis ſignis, adhuc tamen ipſam ſiniſtrè reputans, nullo modo fuit diſſimulatione habendus, ſed omni reprehenſione, ac verborum rigore increpandus. Theophylactus. *Idcirco*, ait, *reprehendit eum Dominus, vtpotè condemnantem eam, quæ tanta fecit.*

D. Chryſoſt. Gloſſa. Interlin. Hugo. Lyran. Carthuſ. Cornel. Actor. 9.

Lorin.

*Multo grauius reprehẽditur quædã mala ſuſpicio de Magdalena, quàm de Saulo.*

Theoph.

---

## Qvæstio V.

### *Quare abſolutè hæc mulier dicitur peccatrix; & quomodo talis eſſet?*

33. Ab hac ſecunda quæſtionis parte exordiamur. Quidam recentiores eo ſenſu hanc peccatricem vocari exiſtimant, in quo homines nulla virtute conſpicui peccatores appellantur. Alij verò pecatricem nominari dicunt, non quia eſſet impudica, ſed nimis licentioſa. At Auctores hi, dum quadam pietate ſibi perſuadent, honori Magdalenæ conſulere, multum derogant ſupereminenti gratiæ, ac virtuti Chriſti: Laus enim medici ex magna infirmitate depulſa decantatur.

*Referuntur variæ ſententiæ.*

34. Deinde illi Auctores parum conſonant veritati Euangelicæ; nam niſi hæc mulier multis eſſet

peccatis detenta, Euangeliſta eam abſolutè peccatricem non diceret. Et ita inquiunt Euangeliſtæ de illa. *Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia.* Marc.16. num.9. Luc.8. n.2. Quod autem eſſet impudica, deprehenditur ex Phariſæi obmurmuratione; nam ſi illa non eſſet proſtitutæ vitæ, non obiiceret ille tactum mulieris Chriſto. Impudica erat mulier, non vulgaribus hominibus expoſita, ſed cum nobilibus agens, multos habens amaſios; & ideo eam meretricem vocant. D. Chryſoſtomus homil.62. ad Popul. Antioch. & homil. 15. in acta Apoſtol. D. Auguſtinus ſerm.58. de tempore. D. Hieronymus in cap.26. Matth. D. Iſidorus Peluſiota lib.1. Epiſtol. 142. D. Gregorius homil.33. in Euangel. Hoc loco in commentario D. Ambroſius, Beda, D. Bonauentura, quibus conſonat Hymnus Eccleſiæ.

Marc.16. Luc. 8. *Magdalena luxuriæ dedita.* D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Hieron. Peluſiot. D. Greg. D. Ambr. Beda. D. Bonau. Hymnus.

*Quæ tot commiſit crimina,*
*Ab ipſa fauce tartari*
*Redit ad vitæ limina.*
*Poſt fluxa carnis ſcandala*
*Fit ex lebete phiala,*
*Ex vaſe contumeliæ*
*In vas tranſlata gloriæ.*

35. Dicitur hæc mulier abſolutè peccatrix, quæ eſt ſecunda quæſtionis pars, primò, Quia, cum ex radice Græca, peccatrix, omnia peccata videatur amplecti, ita erat peccatis dedita, vt vulgariter ſub nomine peccatricis Magdalena intelligeretur. Secundò, mulier omnem bonam famam amiſerat, & ita vitiis erat dedita, vt nullam nequitiam reſpueret: nam quandiu quis honori ſuo conſulit, à multis ſe abſtinet; ſi verò de honore parum curet, minimè dubitabit omni turpidine ſeſe ingurgitare. Tertiò, quamuis in ciuitate illa eſſent alij peccatores, tamen cum hæc mulier eſſet valdè eminens nobilitate, ac ſanguine, inde eius peccata magis notabantur, ac grauiora apparebant, itaut ob eorum multitudinem, ac ſcandalum exinde ſecutum ipſa peccatrix diceretur.

*Cum mulier bonam famã amitteret, omni turpitudini erat dedita.*

36. Quartò D. Chryſologus ſermon.93. *Exaggerat Euangeliſta*, ait, *mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris.* Sub hoc verbo peccatricis explicatur multitudo peccatorum huius mulieris, vt in eis amputandis oſtendatur magnitudo, ac vis diuinæ gratiæ, & miſericordiæ. Præclarè dixit Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis cap. 9. agens de natura humana. *Auſim dicere, ſi hæc*, ſcilicet naturam humanam eſſe infirmam, imbecillem, inhoneſtam, peccatricem, de quibus tractabat, *carni non accidiſſent; benignitas, gratia, miſericordia, & omnis Dei vis benefica vacuiſſet.* Magno ingenij acumine audet dicere, quod niſi homo eſſet tam infirmus, imbecillis, ac tot peccatis implicatus, in tantum Dei miſericordia, benignitas, ac beneficentia non ſeſe manifeſtarent: nam obiectum miſericordiæ eſt miſeria, quæ cum in Deo nulla ſit; noſtram miſeriam curare, opus eſt miſericordiæ: ergo quanto magis excreſcit noſtra miſeria, ac delictorum enormitas, tanto magis in eis dimittendis nitet, & reſplendet Dei pietas, ac benignitas, *Omnis vis Dei benefica vacuiſſet.*

D. Chryſol. *In multitudine peccatorum dimittenda agnoſcitur diuina bonitas.* Tertull.

37. Quintò, Seruius in Catena Græca. *Appoſitè dixit*, ait, *ecce mulier peccatrix, vtpotè non vni, ſed omnibus peccatis, adeóque fornicationi obnoxia.* Mulier impudicitiæ erat dedita, cur eam non meretricem, vel laſciuientem appellat, ſed peccatricem, quod nomen genericum eſt ad omnia peccata? Quæ enim luxuria infecta erat, in omnium peccatorum voragine verſari reputabatur; vnde nomen, quod omnia peccata denotaret, appoſuit. Ait Iſaias 5. num.18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Septuaginta habent *in funiculo longo.* Quod explicans D. Baſilius ait: *Qui ſibi accerſit flagitium proſtitutæ pudicitiæ, hic eſt, qui attrahit peccatum, quaſi funiculo longo.* Laſciuia enim eſt veluti rete ſecum omnia vitiorum inquinamenta adducens.

Seruius. *Luxuria ſecum catenata habet omnia peccata.* Iſai. 5. Septuag. D. Baſil.

38. Narraturus hiſtoriator Canonicus vniuerſale diluuium, illius cauſam in exordio apponit. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Geneſ. 6. num. 2. Cur tantum huiuſmodi homines luxuria notantur, cum aliis multis peccatis eſſent infecti, vt furto, homicidio, & ſimilibus, vt notant Lyranus, Lyppomanus, & alij. Cur ſolum libidinoſa cupido exprimitur? Lippomanus. *Deſcripturus*, ait, *Moyſes vniuerſale diluuium, illius potiſſimam cauſam præmittit, luxuriæ videlicet peccatum.* Vtpotè in eo omnia alia vitia contenta, ac conglutinata; tale enim eſt luxuriæ imperium, vt omnia per eam abominatione repleantur. Vide tom.2. cap.5. numer. 257. & 258.

Genes. 6. Lyran. Lippoman. *Luxuria ſecum omnia mala adducit.*

39. Sextò, Euangeliſta abſolutè hanc mulierem peccatricem proponit, vt nobis innoteſcat Dei benignitas, quæ ipſam à tantis peccatis mundauit, vt iam dixi. Eius verò delicta ſpecificatiuè, ac minutim non exprimit, ne tali longa criminum ſerie mulierem aliquantum deuenuſtare videretur, in hoc ſanctam eius pœnitentiam venerans, qua Chriſto adhæſit, eiuſque in amicitiam ſociata eſt.

*Deus pœnitentiam honorat.*

40. Miſit Deus Ionam, vt prædicaret in Niniue ciuitate pœnitentiam; dicens ei: *Surge, vade in Niniuem ciuitatem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me.* Ioan.1. num.2. Sed cur malitia inhabitantium non declaratur, vt frequenter fit in Scriptura, ſic Deo inducturo diluuium dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum.* Geneſ.6. num. 2. Sic de ſuperbia eorum, qui turrim ædificabant, dicitur, *Non deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Geneſ. 11. num. 6. Sic de filiis Heli ſcribitur, *Retrahebant homines à ſacrificio Domini.* 1.Reg.2. num.17. Sic & de multis aliis. Cur ergo Niniuitarum iniquitas non exprimitur? Præclarè ait Rupertus in c.3. Ionæ. *Eorum*, ſcilicet Niniuitarum, *ſaccos viderat Deus, priuſquam mitteret illuc Prophetam.* In tanta æſtimatione pœnitentia à Deo reputatur, vt non ſolùm iam exercitam, ſed etiam eam, quam præuidet à nobis faciendam, valdè honorificè proſequatur. Illorum hominum malitia genericè proponitur, vt manifeſtè Dei miſericordia appareat; peccata tamen minutim non proferuntur. Prædicatione Prophetæ reſipiſcentes futuri erant homines; & quos amicos Deus præſciuerat, noluit longa delictorum enarratione multum deturpare, ac dehoneſtare.

Ioan. 1. Geneſ. 6. Geneſ. 11. 1. Reg. 2. Rupert. *Deus ob pœnitentiam etiam præuiſam honore afficit.*

Qvæstio



## Qvæstio VI.

### *Quare hæc mulier lacrymoſa, & non inuitata inter conuiuantes in domum Phariſæi audet introire, ac ad Chriſtum adire?*

41. Vocatvs eſt Chriſtus Dominus ad conuiuium à Phariſæo; & inter cibos, qui pro relaxandis animis præparantur, audet mulier non vocata introire, & luctuoſo habitu, plena lacrymis omnes conuiuantium, ac miniſtrantium cateruas pertranſit, & ad Chriſtum accedit.

42. Reſpondeo primò, quod mulier amoris cuſpide vulnerata, vt Chriſto Domino exhiberet obſequium ablutione pedum, ac vnctione olei; & vt ab ipſo remiſſionem peccatorum impetraret, omnes difficultates rumpit, & ad Dominum conuenit. Vnde meritò, vt notat Chryſoſtomus homil.81. in Matth. hæc mulier maximè eſt extollenda ſuper cæteras, quæ pro dono temporali acceſſerunt, vt Chananæa pro eiectione dæmonis à filia Matth. 15. Et ea, quæ fluxu ſanguinis laborabat pro corporea ſanitate Matth.9. num.20. At hæc fuit prima, quæ pro Domini obſequio, ac ſalute ſua Dominum quærit. Sic ait S.Pater. *Cum cæteræ omnes curationis corporeæ gratia adeſſent, ſola hæc ad honorem ei conferendum, & animæ incolumitatem acquirendam accerſit: nulla enim corporis ægritudine laborabat, vnde merito de animo, ac affectione ipſius erga Ieſum quiſpiam admirabitur.*

*Vis amoris omnes difficultates rũpit.* *Magdalena fuit prima, quæ pro Domini obſequio, ac ſalute animæ Dominum quærit.* D. Chryſoſt.

43. Secundò D. Paulinus Epiſtol. 4. in perſona Magdalenæ loquens, ſic ait: *Quoniam ſpiritus, vbi vult, ſpirat, & audio vocem eius, & neſcio vnde veniat, igitur vbicumque auram captabo, vndecumque vel tenuem halitum legam, vel indigni, vel in domum Phariſæi audiam Dominum veniſſe, contendam præripere hoſpitij gratiam, præripere, ſi poſſem, regnum cælorum.* Quamuis enim mulier, vt intempeſtiua notari poſſe videretur, non tamen inde retardatur: ita enim diligens ſit quilibet in negotio ſuæ ſalutis, vt nullam occaſionem adeundi Chriſtum prætermittat, ſed quacumque data, ſiue in domo iniqui, ſiue Phariſæi ipſam arripiat; cœleſtis enim via ex rapto obtinenda. *Violenti rapiunt illud.* Matth.11. n.12. Ex quo eleganter ait Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 4. *Rape occaſionem inopinatæ fœlicitatis.* Importuna mulier videbatur, non vocata, conuiuio, ſed opportuna ſaluti ſuæ: Virtus enim caret tempore, cum omne tempus proportionatum ſit virtuti. Opportunè, importunè occaſio virtutis arripienda eſt.

D. Paulin. *Occaſio ſalutis non omittenda.* Matth. 11. Tertull. *Occaſio ſalutis opportunè, importunè arripienda.*

44. Tertiò D. Auguſtinus in Pſalm. 56. *Irruperat mulier in habitaculum alienum, ſed non acceſſerat ad Deum alienum.* Vt Magdalena ſeſe procumbat ad pedes Ieſu, vt negotium ſuæ ſalutis perageret, non expectat templum, non publicum locum, vel domum ſuam, ſeu fratris, ſed audenter in domum Simonis inter conuiuantes ingreditur: nouerat enim prudens fœmina, quod non ad dominum alienum, ſed ad Dominum ſuum accedebat. Vnde prudenter mulier ſibi perſuaſit, quod ſemper, in omni loco, & tempore omnis aditus ſibi eſſet patens, ac manifeſtus, & minimè interclusus. Vide ſuprà cap. 6. numero 5. & 6.

D. Auguſt. *Ad proprium dominũ aditus ſemper ſit patens.*



45. Quartò D. Chryſoſtomus homil. de Peccatrice, & Phariſæo, quæ habetur tom.6. in editione noua. *Quid moras nectam?* ſic loquitur in perſona Magdalenæ, *& attendam? accipiam vnguentum, & ibo ad ipſum; faciámque Phariſæi domum illuminatricem, ac lacrymarum fluentis lauacrum, atque piſcinam mihi parabo.* Non timet mulier attingere domum Phariſæi, vbi alij obmurmurabant, & multa ad peccandum inſeruiebant; ſolum Ieſum Magdalena reſpiciebat: & qui ſpiritu Dei aguntur, temporalibus negotiis, ac terrena tenebrarum habitatione, vbi alij torpeſcunt, ſibi parant clariſſimos virtutum ſoles, ac lauarum, & piſcinam ad emundationem, ac regenerationem.

D. Chryſoſt. *Qui ſpiritu virtutis agũtur ex peccãdi occaſionibus eliciunt virtutis motiua.*

46. Quintò, D. Gregorius homil. 33. *Quia hæc mulier*, ait, *turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit: nam, quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quod verecundaretur foris.* Squalido veſtitu, magno lacrymarum imbre ingreditur mulier; & minimè ex conuiuantium præſentia rubore ſuffunditur; nam magnoperè ex propriis delictis verecundabatur, quorum dolore acutiſſimè erat tacta; & ita externam verecundiam vincit, interna, qua ſe ipſam vehementer intus confundens, externam deſpiciendo, veluti clauum clauo truſit.

D. Greg. *Qui de proprijs peccatis erubeſcit, de his, quæ ſunt foris, minimè curat.*

47. Sextò, Gofridus ſermone 9. *Mulier vt cognouit*, ait, *Saluatorem eſſe cum Phariſæo, humilem videlicet cum ſuperbo, elegit magis de pietate Saluatoris confidere, quàm auſteritatem Phariſæi formidare: formidabat ſexus fragilis Phariſæum hominem ſine miſericordia, & nimis aſperum; ſed fons bonitatis, & pietatis origo mulierem peccatricem non deſpexit.* Superbia Phariſæi formidabilis videbatur mulieri; ſed plus ipſam attraxit benignitas Saluatoris, quàm Simonis ſupercilium deterruit; nec mulierem ſua fefellit ſententia; nam humilis Chriſtus mulierem humilem clementiſſimè ſuſcepit.

Gofrid. *Qui in Chriſto confidit, nil humanũ timet.*

48. Septimò, D. Aſterius ſermon. de Pœnitentia apud Biblioth. Photij. *Attende*, ait, *mulierem peccatricem, cui non conuiuarum numerus pudorem incuſſit, quæ tempus confitendi, licet importunum, in conuiuio non relinquit; ſed ingenti commota dolore, ne vno quidem temporis momento medicum peccatorum dimiſit.* Quomodo mulier, quæ multis peccatis laborabat, non erubeſcit, coram puriſſimo Ieſu adſtare? Quomodo non timet, quod etiam impertinens iudicetur? Elegit magis importuna, ac aliquantulum audax videri, quàm in receſſibus perire; cum non in fuga, ſed in acceſſu ad Deum ſtet noſtra ſalus.

D. Aſter. *In acceſſu ad Deum ſtat noſtra ſalus, & ideo fugiendus receſſus.*

49. Octauò, D. Chryſologus ſerm. 93. ſic ait: *Inclinem ad miſerandum ſupremam didicit maieſtatem: & ideo credidit, quod eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæi venerat tam promptus ad menſam.* Præclaro argumento ſancta fœmina vſa eſt. Viderat, quod Dominus impietatem, ac arrogantiam Phariſæi non contemneret; inde perbellè intulit, quod nec lacrymas ſuas aſpernaretur: qui enim tam clementer adſtabat ad ſceleſtiſſimi

D. Chryſol. *Qui recipit peccatores, nõ contẽnet pœnitentes.*

ſtiſſimi hominis menſam, quomodo ipſa clementia deficeret mulieri pœnitenti, ac lacrymanti? Nonò, ingredi cum fletu in domum Phariſæi decreuit præ nimio conſequendæ remiſſionis peccatorum deſiderio: nam irrideri, ac illudi, & deſpici non veretur; quin potius optat, vt quouis modo ita in ſe vlciſceretur peccatum: magni enim eſt meriti, aliorum irriſiones patienter ſuſtinere.

*Pariter ſuſtinere irriſiones, magna pœnitentia.*

50\. Decimò, in omni actione maximè obſeruanda eſt temporis, ac loci occaſio. Quomodo hæc mulier ingreditur ad conuiuium? Sapienter ſanè. Agnouit enim, quod coram oculis Domini maximè ſe præſentabant ingentia Phariſæi peccata, ſuperbia, arrogantia, ac temeritas in iudicando; inde ſapienter ſibi confiſa eſt Magdalena, quod cum primò maiora peccata Phariſæi eſſent obiecta, ſua minora veniam obtinerent.

*Præſentatis maioribus delictis facilè minora veniam habent.*

51\. Magna ſanè prudentia eſt, vt ille, qui ſe aliquo delicto infectum agnoſcit, præcaueat, ne inter criminoſos primus ante iudicem ſiſtat, ſed alij præmittantur, vt ipſe facilius benignitatem, ac miſericordiam inueniat. Dormiens Nabuchodonoſor vidit per ſomnium: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum.* Daniel.4. num.7. In ramis autem arboris conuerſabantur volucres cæli; & ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ. Et ſtatim ſubditur: *Ecce vigil ſanctus de cælo clamauit fortiter: Succidite arborem, & fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres in ramis eius*, idem num. 11. Cur ſanctus vigil, nempè Angelus Dei, ſolum mandat infligere pœnam arbori, non verò auibus, nec beſtiis terræ: nam ſi arbor illa denotabat Nabuchodonoſorem, volucres conuerſantes ſignificabant adulatores, beſtiæ autem terræ homines ferino, & barbaro more viuentes? Cur ergo ſolum in arborem profertur ſententia? Theodoretus. *Proceritatem arboris videt vſque ad cælum perueniſſe.* Cum enim arbor ob ſuam ingentem molem, ac grauitatem malorum ſe primo aſpectui dediſſet, in tantum diſcrimen, ac ſupplicium venit; à quo pro tunc euaſerunt volucres in ramis, & beſtiæ ſubter eam latitantes, vt fugiendi eis daretur locus, ac ſpatium.

*Magna prudentia, vt criminoſus primus ante iudicem non ſiſtat.*
Daniel. 4.
Theod.

52\. Vndecimò, audet mulier, introire, accedere ad Christum, ipſúmque manibus contrectare, quem Angeli ſummopere venerantes, non audent attingere? Plena erat lacrymis, quarum tanta eſt fiducia, vt dicat Cellenſis ſtatim citandus: *O lacryma humilis, tua eſt potentia: tuum eſt regnum: tribunal iudicis non vereris: quamque ſententiam rumpis etiam ab ore iudicis: audes, vbi timet Angelus.*

*Lacryma valdè audax, vt ad Christum accedatur.*
Cellenſ.

53\. Cum exulaſſet Abſalon ob magnam offenſam commiſſam in parentem Dauidem, interfecit enim filium eius primogenitum, ac maximè dilectum Amnon. Ioab autem cum eſſet amicus Abſalon, vt Dauidem placaret, miſit mulierem Thecuitem ad eum, propoſita quadam parabola; qua audita, Rex mulieris dictis acquieuit, ac Abſalon ab exilio reuocauit. Sed cur Ioab hoc negotium per ſe ipſum non peragit; nam ipſe erat vir prudentiſſimus, ac ſagaciſſimus ingenio, princeps militiæ, valdè intimus, ac familiaris Dauid, & ſocius in omnibus eius laboribus. Cur ergo ipſe non loquitur per ſe ipſum pro Abſalon, etiam aſſumpta aliqua parabola, quam facilè pro ſuo ingenio inuenire poterat? Quare ad hoc elegit mulierem ignotam, ac incognitam? Perpende, quomodo Ioab ſecundum ſui ingenij acumen deſtinauit mulierem ad Regem; dixit enim ei: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ingredieris ad regem, & loqueris ad eum.* 2.Reg.14. Sapienter apud ſe ſtatuit Ioab, quod plus apud regem præualerent, & maiori fiducia concepta interpellantes ingrederentur lacrymæ vnius mulieris etiam ignotæ, quam vehemens quælibet exoratio, ac interceſſio intimi familiaris, ac amici. Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 12. *O lacryma, ait, non eſt, qui te perturbet ab ingreſſu ſecretorũ, ab interpellatione pro culpis reorum; non eſt, qui te accedere vetet. Sola ſi intraueris, nunquam tamen ſola redibis. Reatuum indulgentiam refers, exules reuocas, innocentes coronas.*

2.Reg.14.
*Lacrymæ potentiores ad impetrandũ, quàm intima familiaritas.*
Cellenſ.

54\. Ad ianuam ſuæ dilectæ ſponſæ pulſat Christus Dominus. *Aperi mihi, ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant.5. num.2. Per rorem, & guttas, cœleſtes gratias, & fauores interpretantur. Ipſa verò reſpondens ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Præ humilitate autem ſe excuſare piam animam, docent D. Auguſtin. tract.17. in Ioan. & Caſſiodorus, Beda, Anſelmus, Philo, & alij. Et tamen paucis interiectis eademmet ſancta anima ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo*, ibidem num. 5. Sed quæ modò timida non audebat, iam tam confidenter aperit, & ſecum vult habere dilectum? Perpende textum. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillauerunt myrrham*; hoc eſt pœnitentiam, mortificationem; & lacrymas, communiter per myrrham denotatas: & quæ antea ad cœleſtes fauores timebat, modo dum ſe videt circumamicta mortificatione, ac lacrymis, confidenter audet aperire, vt ſecum habeat Christum, & ad illum valeat appropinquare, ac accedere. D. Gregorius Nyſſenus homil.12. in Cantic. per digitos actiones intelligens ſic ait: *At cum digiti omnes huiuſmodi myrrha*, ſcilicet mortificatione, ſeu lacrymis, *repleti ſunt, tum verò & ſurgit anima, & aditum ſponſo patefacit.*

Cant. 5.
D. Auguſt.
Caſſiod.
Beda.
D. Anſelm.
Philo.
*Lacrymans multam fiduciam habet, vt cum Deo ſit.*
D. Nyſſen.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Magdalena Christum Dominum non inuitat in propriam domum?*

55\. QVÆRIMVS in præſenti: Cur hæc ſancta fœmina Christum Dominum non ducit in domum ſuam, ſicut fecerunt Matthæus, & Zachæus publicani Matth.9. num.9. Luc. 19. num. 6. Vnde impij Phariſæi Christum calumniantes dixerunt: *Peccatores reſpicit, & manducat cum illis.*

*Ratio difficultatis.*
Matth. 9.
Luc. 19.

56\. Reſpondeo primò, quod Magdalena benè ita agnouerat, quod Christus reſpiciebat peccatores, ac cum illis manducabat; tamen cum ipſa ſe maximè peccatricem agnoſceret, ſe omnino indignam iudicauit, vt Christus ſub tectum ſuum intraret, vtque ipſa tanti beneficij particeps fieret. Secundò, valdè prudenter ſe habet mulier: ſciebat enim ipſa optimè, domum ſuam eſſe peccatorum officinam; vt ergo ſalutem aſſequatur, & ad Ieſum veram medicinam accedat, exiit à tali domo,

*Magdalena ob humilitatem Christũ non inuitat.*
*Ab occaſione peccati exeundum.*



à tali occaſione; ſicut & Petrus à palatio Pontificis, vt amarè fleret ſuum peccatum. Vide ſupra cap. 6. n.39. & tom. 2. cap. 5. n. 95. & cap. 23. num. 54.

57\. Tertiò, non in propriam domum Christum vocat Magdalena, ſed in aliena ipſum quærit lachrymis plena, cum mortificationis habitu, & geſtu incedens, ac ſic inter conuiuantes ingrediens, videbat enim ipſa valde publicitus eſſe notum, eam eſſe peccatricem, & delicta ſua multum manifeſta; optimè etiam elegit, vt cuncti patenter cognoſcerent, ac viderent talium criminum pœnitentiam, & eam peccata ſua deflentem: publica enim peccata publicam exigunt pœnitentiam, ac ſatisfactionem.

*Peccata publica publicam exigunt ſatisfactionẽ.*

58\. Deuaſtata Sichem, cùm perueniſſet Iacob ad radices montis Bethel, *Conuocata omni domo ſua, ait, Abiicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Gen. 35. n. 2. Erant in familia Iacob multi infecti idololatria, ac aliis peccatis, vt notant Rupertus lib. 8. cap. 12. & alij citandi, quæ commiſerunt in depopulatione Sichem. Vt ergo Iacob offerat Deo ſacrificium in vertice montis, cunctis ſuis mandat, vt mundentur; & addit, *Et mutate veſtimenta veſtra*, hoc eſt, vt explicant Carthuſianus, Abulenſis, Pereyra, Cornelius à Lapide, *pro veſtibus induite ſaccum, ſiue cilicium in ſignum pœnitentiæ, ac reſipiſcentiæ.* Ad veram pœnitentiam ſat erat cordis contritio; ad quid tam ſollicitus eſt Patriarcha, vt mortificationis indumentis veſtiti appareant? Conſiderauit Iacob, quod filij, ac famuli ſui patenter multa commiſerant peccata, Sichimitas occiderunt, vrbem depopularunt, ac deuaſtauerunt, & alia perpetrarunt: optimè ergo eis mandat, vt pœnitentiæ habitu induantur, vt publica delicta publica ſatisfactione recompenſentur; & qui fuerant teſtes criminis, fierent etiam reſipiſcentiæ teſtes. Lyranus. *Vt per mutationem veſtis exterioris intelligatur mutatio vitæ interioris ad ſtatum vitæ melioris.*

Geneſ. 35.
Rupert.
Carthuſ.
Abulenſis.
Pereyra.
Cornel.
*Qui publicè deliquit, publicam agat pœnitentiã.*
Lyran.

59\. Valde iuſtum, & æquum eſt, vt notoria delicta manifeſta caſtigatione perſoluantur. Audenter rex Ozias templum Domini ingreſſus adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis, quem acriter aſtantibus ſacerdotibus increpauit Pontifex Azarias, vt à ſua temeraria præſumptione deſiſteret, cuius monita contemnens rex, percuſſus eſt à Deo, *Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus.* 2. Paralip. 26. n. 19. Iuſtiſſimè caſtigatur rex; ſed cur potius in fronte, quàm in manu, quæ incenſum offerebat? Frons in homine valde notiſſima eſt; & ſicut rex in aperto, ac patenti templo coram ſacerdotibus deliquerat, ita & iuſtiſſimè in manifeſtiſſima hominis parte pœna afficitur, ne minus publica eſſet caſtigatio, quàm fuerat criminis commiſſio. D. Chryſoſtomus homil. 4. de verbis Iſaiæ. *Vbicumque eſt impudentia, illic eſt vltio. Effloruit lepra, non in alio loco, quàm in fronte, vt facies præ ſe ferret vindictam, vt tanquam in columna literæ eſſent impreſſæ. Extat lex viua, & frons vocem dedit tuba clariorem.*

2\. Paral. 26.
*Vt delictum fuit publicũ, ita & ſit ſatisfactio.*
D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare vnguentum, hîc exhibitum à Magdalena, non dicitur pretioſum, ſicut aliis in locis de eo exprimitur?*

60\. HOc vnguentum pretioſum fuiſſe, optimè deprehenditur ex vaſis pretio, ac etiam ex qualitate, ac opulentia mulieri, quæ quamuis impudica, tamen non erat plebea; ac proinde optimis vnguentis vti conſueuerat, quibus corpus ſuum leue, & odoratum redderet. Cur ergo hîc non dicitur pretioſum, ſicut exprimitur de eo, quod ipſa attulit in Bethania in cœna. *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu.* Ioan.12. n. 3 Et cùm Christus eſſet in domo Simonis Leprosi, ſiue ſit eadem vnctio cùm proximè memorata, ſiue diuerſa, quod ſuo loco erit diſputandum. *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Matth.26 n.7.

*Ratio difficultatis.*
Ioan.12.
Matth.26.

61\. Reſpondet primò ad quæſtionem Origenes homil. 35. in Matth. *Conſidera, ait, quàm cautè apud hos, qui peccatricem non retulerunt, vnguentum eius pretioſum laudatur. Apud Lucam autem, qui expoſuit peccatricem, vnguentum ſimpliciter nominatur, nec pretioſum, nec nardi piſtici. Adhuc enim habere non poterat vnguenta huiuſmodi.* Propè Paſſionem vnguenta adducta à muliere ſemper pretioſa dicuntur; non ſic verò in hoc primo euentu, de quo hîc agitur, deſcribitur enim in præſenti in ciuitate peccatrix; & quæ adhuc introducitur ſub diabolicæ malitiæ caſtris militans; nondum ſolida, ac pretioſa habebat. *Adhuc enim habere non poterat vnguenta huiuſmodi.* Omnia, quæ peccatoris dominio ſubiacent, vilia, & non magni ponderis ſunt.

Origen.
*Omnia, quæ ſunt ſub dominio peccatoris, vilia, & abiecta.*

62\. Secundò, Euthymius ad citatum cap. 12. Ioan. quandam innuit rationem. *Sorores verò, ait, cœnam ei parauerunt, tanquam Magiſtro, & benefactori ſummo, ac pluſquam humano.* Ioannes quantitatem, ac æſtimationem vnguenti explicat, quod vtrumque ſilentio premit Lucas in præſenti; nam hîc Magdalena vnguentum afferebat, ſuorum peccatorum remiſſionem intendens; vnde tot lachrymis plena venit, & non multùm ſollicita fuit de vnguenti pretio. At apud Ioannem cœna illa à ſororibus fiebat, & vas effundebatur à Magdalena in obſequium Christi ſummi benefactoris pro vita conceſſa Lazaro, ac pro tantis acceptis beneficiis; & quæ ſummo largitori in gratificationem perſoluuntur, non niſi pretioſiſſima, ac ſummæ æſtimationis offerenda. Multò enim magis talia requiruntur in gratiis referendis, quàm dum de proprio negotio tractatur.

Euthymius.
*Quæ dantur benefactori in gratiarum actionem, ſint optima.*

63\. Tertiò, Hæc vnguenta erant ex illis, vt docent D. Gregorius homil. 33. Rupertus, & alij, quæ Magdalena domi retinuerat, vt pro mundialibus deliciis ſe vngeret, vt vehementius amatores ad illecebras alliceret: & inde pigmentaria illa quandam offuſcationem, ac dedecorem hauſerunt, vt in pretio, ac æſtimatione multùm minuerentur: vnde pretioſa in præſenti non fuerunt dicenda.

D. Greg.
Rupert.
*Res dum mundo dedicatur, offuſcatur.*



Quartò,

64. Quartò, Apud Matthæum, & Ioannem venit Magdalena, & vnguentum effudit ſuper caput, & pedes Ieſu, quod opus adeo ſublime extitit, vt diceret Chriſtus Dominus: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth.26. n. 13. Et tunc dicuntur vnguenta pretioſa; quo nomine non in præſenti nobilitantur: introiuit namque Magdalena longo lachrymarum imbre circumfuſa, ac magna contritione compuncta; & in tanto pretio, ac æſtimatione ſunt lachrymæ ante Deũ, vt in illarum præſentia, nil aliud pretioſum, ac perexcellens dicatur.

*Matth. 26.*

*Lachrymæ apud Deum tanta in æſtimatione ſunt vt ante illas nil dicatur pretioſum.*

65. Mandauit Deus populo ſuo. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Exod.22.n.29. Ex Hebræo Pagninus, ac Montanus legunt: *Plenitudinem tuam, ac lachrymam tuam*: iuxta quam lectionem pro primitijs ponuntur lachrymæ. Sed cur? Magna enim, & præclara offeruntur Deo; nam aliquando ipſemet homo, ac eius libertas, immò & filij eius, ac magna dona Deo conſecrantur. Cur ergo inter hæc lachrymæ dicuntur primitiæ? Optimè ſanè, nam ſicut primitiæ inter omnes fructus ſunt valde pretioſiſſimæ, ac in maiori æſtimatione appenduntur, itavt illarum comparatione reliqui fructus minus reputentur: ſic lachrymæ tanti valoris apud Deum exiſtunt, vt primitiæ dicantur; cæteræ verò oblationes coram eis ſecundum habent locum, & minus habentur. Guarricus Abbas ſerm.2 Pentecoſtes. *Luctus*, ait ſcilicet lachrymarum, *pius, atque religioſus in doctrina ſpiritus, & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus.*

*Exod. 22. Pagninus. Montanus.*

*Lachrymæ inter cætera dona in maiori æſtimatione.*

*Guarricus.*

66. Ait Pſalmographus 19. n. 3. *Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Origenes ex Græco ſic legit: *Et holocauſtum tuum nitidum, & ſpecioſum faciat*, Ex Hebræo verti poteſt: *Et holocauſtum tuum pretioſum faciat.* Offeruntur Deo in holocauſtum vita, & ſanguis hominis, ac etiam ingentia dona; ſed hæc erunt pinguia, ac ſpecioſa ex ipſa qualitate donorum, vel ex promptitudine animi, qua largiuntur; hæc ſat erant: tamen D. Gregorius interpretatur, quod fiant ſacrificia pretioſa, & nitida ex lachrymis offerentium, nam ſine illis ſacrificium eſt ſiccum, & non tanti valoris. Sic ait Magnus Pontifex homil. 20. in Ezechiel. *Sunt quidam, qui etiam ſæculum relinquentes, totum quidem, quod habent, offerunt; ſed tamen in bonis, quæ agunt, minimè compunguntur: & bonum, quod agunt, holocauſtum eſt; ſed quia flere non ſciunt, ſeque ex amore ad lachrymas non accendunt, perfectum eorum holocauſtum non eſt. Holocauſtum quippe ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt. Holocauſtum verò pingue eſt, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* Sacrificium ex natura ſua valdè magnum opus eſt; tamen lachrymæ ita ſunt gratæ, ac pretioſæ in oculis diuinæ Maieſtatis, vt ſine illis ſacrificium vndique perfectum non ſit. Vt ergo omnibus modis abſoluatur, lachrymis irroretur, ipſæ enim dant vltimam conſummationem, ac ſummum valorem, quibus ſacrificia abſque lachrymis carent. Vnde rectè à Petro Damiano ſerm.29. lachryma appellatur *pietatis adeps*: nam ſicut ab adipe malitiæ promanat tota iniquitas; *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum* Pſal.72. n. 7. Ita à lachryma omnis conſummata probitas ſtillatur.

*Pſalm. 19. Origenes.*

*D.Greg.*

*Sacrificium ob lachrymas dicitur pretioſum.*

*Damianus. Lachryma pietatis adeps. Pſalm.72.*

*Lucæ 7. n. 38.* Et ſtans retrò ſecus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

*VERSIONES.*

*Euthymius, Vatablus.* Stans ad pedes eius à tergo, flens lachrymis cœpit rigare.

*Syriacus.* Cœpitque lachrymis ſuis rigare pedes eius, piliſque capitis ſui abſtergebat eos, & deoſculacatur pedes eius, & vngebat aromate.

*Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 18.* Vt pedes Domini oſculis figeret, lachrymis inundaret, crinibus detergeret, vnguento perduceret.

## *EXPOSITIO III.*

67. INGREDITVR hæc fœlix peccatrix ad locum conuiuij, accedit ad Chriſtum timore, & ſpe; quod præclarè de ipſa meditatur Goffridus Abbas ſerm. 9. *Hæc pecca-* [illegible] *ectio dat ei ſpem, & memoria ſuorum peccatorum incutit timorem, dubitauit penè quid faceret: quoniam ad Chriſtum accedere propius recordatio criminum, & timor eam retardabant; & ab illo abſtinere diutius, ſpes, & dilectio prohibebant. Timore tandem bonæ ſpei concorditer ſociato, ambo duces peccatricis mulieris fiunt, beati tales duces, qui ſemper ad Chriſtum ducunt. Spem, atque timorem dilectiſſimi ita alterum alteri neceſſarium eſſe cognoſcimus, quod vnum ſine altero nunquam prodeſſe credamus. Timor vtique ſine ſpe eſt deſperatio. Et ſpes ſine timore ſtulta præſumptio.* Acceſſit timore *ſtetit retrò*; acceſſit ſpe; collocauit ſe *ad pedes eius.* Vbi quinque officia præſtitit Magdalena, vt notat Cardinalis Hugo. Primò, ſtetit retrò ſecus pedes. Secundò, lachrymis cœpit rigare. Tertiò, capillis tergebat. Quartò, oſculabatur. Quintò, vnguento vngebat. Quæ omnia tam hîc, quàm in quæſtionibus ſunt explananda.

*Goffridus.*

*Timore, ac ſpe accedendum ad Deũ.*

*Hugo.*

68. *Stans retrò*, Antiqui ſuper thoros, ſeu lectulos menſales caput cubito fulciendo ad menſam accumbebant, & tali ordine, vt caput verſus menſam, pedes verò verſùs exteriorem partem diſponerentur, itavt commodiùs fieret locus aliis diſcumbentibus, ac etiam miniſtris ferentibus fercula, vt menſam obirent. *Stans* autem hoc loco non ſumitur, prout opponitur iacere, aut ſedere, ſed idem eſt, quod exiſtens, ac præſens, vt frequenter accipitur in Scriptura. *Quis ſtabit in loco ſancto eius?* Pſalm. 23. n. 3. *Retrò*, ſeu, vt eſt in Græco, *à tergo*, putabat enim ſe indignam, quod in conſpectum eius veniret. *Secus pedes* eius Græcus *ad pedes eius* ſuppilantis in morem. Et quamuis ſe indignam putaret, accedit tamen, ac pedes manibus contractat; neſcit enim amor modum, ſeque cohibere neſcit, ac omnia vincit.

*Pſalm. 23. Græcus.*



*Amor omnia vincit.*

69. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* His vera pœnitentia, & compunctio demonſtratur, vt ait Euſebius Gallicanus in propria homilia. Et valdè prudenter ſuam pœnitentiam à lachrymis exorditur mulier; nouerat enim, eas eſſe valdè efficaces ad flectendum Deum. *Cœpit flere.* Lachrymarum exordium legimus, non verò finem: Iuſti enim peccata ſua, etiam remiſſa, perpetuò plangunt. Vel fortè dicitur, *lachrymis cœpit*, vt denotetur, quod incipiendo flere, totum negotium reconciliationis obtinuit: nam, vt ait D. Ambroſius in præſenti lib.6. in Lucam. *Bonæ lachrymæ, in quibus eſt redemptio peccatorum.* Et S. Euchirius lib. 2. Reg. *Gutta lachrymarum cadit in terram, & venia delictorum deſcendit de cælo.* Illud autem verbum *rigare* magnam copiam lachrymarum indicat. Vnde pro rigare inundare poſuit Tertullianus: mens enim mulieris fuit præ nimio amore pedes Chriſti ex itinere puluerulentos abluere. D. Antonius Vlyſſipponenſis homil. in feria 5. poſt Dom. Paſſionis, & Franciſcus Lucas hîc docent, quod Chriſtus incedebat nudis pedibus: tamen mihi eſt probabilius, vt patet ex his, quæ dixi cap. 7. quod Chriſtus vtebatur ſandaliis, quæ infernè habebant ſoleas quaſdam, in ſuperiori verò parte, in qua pedes erant nudi, corrigiis ligabantur.

*Euſebius Gallicanus. Lachrymæ multùm efficaces ad flectendum Deum.*

*D.Ambroſ. Eucherius.*

*Vna lachryma reconciliationem impetrat. Tertullian.*

*D. Antonius Vlyſſ. Franciſcus Lucas.*

70. *Capillis capitis ſui tergebat.* Vt hoc facto declararet, quanti Chriſtum faciebat, ad cuius pedes capillis capitis ſui, ac ipſum ſuum caput ſubmittebat. *Oſculabatur pedes eius.* Magnum humilitatis, ac ſingularis amoris erga Chriſtum indicium, vt ait D. Ambroſius, quo etiam denotabat ſe velle reconciliationem cum eo, quem delinquendo offenderat: oſculum enim pacis ſymbolum eſt: vt ita ſuam reſipiſcentiam, ac conuerſionem in Chriſtum notam faceret; & non vni pedi, ſed pedibus Chriſti hoc miniſterium exhibebat. Quod moraliter explanat Petrus Damianus ſerm. de Magdalena. *Pedes Domini*, ait, *ſunt miſericordia, & iudicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda.* Tandem dicitur: *Vnguento vngebat*: Olim chari conuiuæ aromate recreabantur.

*D.Ambroſ.*

*Non vnum ſed duos pedes lauabat. Damianus.*

71. De his omnibus moraliter præclarè ait D.Gregorius Magnus homil. 33. *Quod ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Ne magis membra hominis ſeruiant peccato, quàm Deo; ſed illa membra, quæ fuerunt in delictis, caſtigatione quadam mortificentur; & omnia inſtrumenta peccati in obſequium Dei conuertantur. Ille enim verè eſt pœnitens, qui de ſe, totiſque ſuis actionibus Deo facit holocauſtum.

*D Gregor. Magnus.*

*Omnia peccati inſtrumenta conuertantur in Dei obſequiũ*

## QVÆSTIO IX.

### *Quomodo mulier proceræ ſtaturæ ſtans potuerit irrigare, capillis tergere, ac oſculari pedes Chriſti diſcumbentis?*

MAGDALENAM fuiſſe proceræ ſtaturæ, conſtans eſt omnium ſententia, & patet ex eius grandi capite, quod in Eccleſia S. Maximini viſitur apud Maſſilienſes, vt ex Sylueſtri refert Surius in eius vita; & etiam ex præ grandi pede, qui Romæ in Eccleſia S. Celſi aſſeruatur, & oſtenditur. Quomodo ergo dicitur, quod ſtans rigauerit, ac terſerit capillis, ac deoſculata fuerit pedes Chriſti diſcumbentis? Toletus ait, quod torus ille, in quo Chriſtus accubabat, adeo altus erat, vt illa miniſteria potuerit mulier exhibere. Sed communiter videtur aliis, quod totus ille ad menſam non fuit adeo erectus. Cardinalis Caietanus ait, *Quod non dicitur, rigauit, ſed cœpit rigare, quia ſtans in tantum prorupit fletum, vt antequam ſe inclinaret, inciperet rigare lachrymis pedes eius.* Itaque vult Cardinalis, quod verbum *ſtans*, referatur ad primum mulieris acceſſum, antequam ſe inclinaret ad cætera miniſteria exhibenda. Et in hac ſententia multùm perpendenda eſt, quanta fuerit lachrymarum copia. 72.

*Sylueſter. Surius. Magdalena grandi corpore.*

*Toletus.*

*Caiet.*

73. Aptior tamen eſt textui interpretatio, quàm in expoſitione ſecutus ſum, quod ſtare idem valet, ac eſſe præſens, ſeu exiſtens: nam mulier inclinata, ac genuflexa omnia illa officia præſtitit; & hîc habitus magis pœnitenti conformis eſt. Tamen quoad ſenſus morales inquirendum eſt, Cur Euangeliſta vſus eſt hoc verbo, quod in ſua communiori ſignificatione dicit, eſſe firmo, & recto corpore?

*Stare idem eſt, ac eſſe præſens.*

74. Reſpondet primò D.Chryſol.ſer.93. *Bene ſtans*, ait, *quia iam cadere non poteſt, qui ad pedes Chriſti meruit peruenire.* Quamuis enim mulier corpore eſſet inclinata, tamen dicitur, quod animo ſtabat: nam quæ ad pedes Chriſti acceſſit, iam cadere nequit, ſed in omni virtute, ac ſanctitate ſtat. Vide, quantum ex Domini præſentia, ac tactu participatur bonum.

*D. Chryſol. Qui ad Chriſtum accedit, ſtat, & iam cadere nequit.*

75. Secundò, Inclinata aderat mulier, vt illa officia perſolueret, & tamen dicitur, quod ſtabat, quod principaliter ſignificat exiſtere erecto, ac ſubleuato corpore, quia, dum quis ſe inclinat, ac deiicit propter Chriſtum ad eius pedes, ibi ſe erigit, & ſubleuat, itavt propria celſitudinis menſura ſit ipſa humilitas. *Erigit Dominus omnes eliſos.* Pſal. 144. n. 14. D. Hieronymus legit, *Omnes iacentes*, ex Hebræo, *Omnes incuruatos.* In eo enim, quod quis ſe deiicit, ac incuruat propter Deum, ibi ſua erectio, ac ſublimatio inuenitur. Ad hunc ſenſum loquitur Diuus Paulinus Epiſtol. 1. ad Seuerum: dicens de eo. *Beatus, qui refugiſti de conſilio impiorum, vt humilitate præcelſa pedibus Crucifixi accubares.* Vt inde magnis cæleſtibus donis ſuper omnem humanam ſapientiam, ac gloriam ſublimareris.

*Dum quis ſe deiicit propter Chriſtum, ibi ſubleuatur. Pſalm.144. D.Hieron. Hebræus.*

*D.Paulinus.*

76. Valdè mirum eſt, quod in ſacratiſſimo Reſurrectionis die, mulieres citius quàm Apoſtoli fœliciſſima nuntia accipiunt ab Angelis, ipſum Ieſum deuicta morte vident rediuiuum. Cur tanto gaudio

gaudio priùs potius non recreantur Apoſtoli, qui conſtituti erant principes, ac capita totius Eccleſiæ? Immo potius Thomas poſt octo dies, depoſita incredulitate, tanto bono fruitur. Perpende vtriuſque ingenium. Mulieres viſo Domino, *Acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28. n. 10. At Thomas exoptauit, vt digiti ſui mitterentur in manus, ac latus Chriſti. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loca clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ioan. 20. n. 25. Mulieres ergo cùm haberent affectum, vt ſeſe ad pedes Chriſti deiicerent, vt ait Theophylactus, *Præ multa reuerentia non audentes aliam partem corporis contingere, quam extremas illas,* in tantum excreuerunt, ac in ſublime euolauerunt, vt citius Apoſtolis, ac magnatibus Eccleſiæ alta myſteria penetrarent, ac intuerentur. Seuerus ſerm. de Reſurrect. *Illæ quidem*, ait, *tenent pedes Chriſti, & merentur excurſum, ac fide aſtringunt ſui veſtigia Saluatoris, vt totius deitatis perueniant ad honorem.*

[Matth. 28. — Ioan. 20. — Theophyl. — *Qui ſe humiliat, altiſſimè volat.* — Seuerus]

77. Cùm Rebecca haberet in vtero ſuo Iacob, & Eſau, dictum eſt ei à diuino oraculo. *Maior ſeruiet minori.* Gen. 25. n. 23. Quod manifeſtè adimpletum eſt; nam ex Iacob minori totus populus Iſraëliticus progenitus eſt, ac Chriſtus Dominus ab eius ſanguine natus: tamen cùm tempus pariendi adeſſet, *Qui prior egreſſus eſt, ruſus erat, & totus in morem pellis hiſpidus. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* ibidem num. 25. Quæ vltima verba explicans Cardinalis Hugo ait: *Illud, quod ſub planta eſt, conculcatur.* Si Iacob futurus eſt maior, ac habiturus dominium ſuper fratrem ſuum, ad quid ad pedes eius, ac veluti ſub illius conculcatione naſcitur? Cur non potius è contra Eſau Iacob pedes tenet? Nullo ſanè maiori indicio maioratus Iacob probari poterat; quaſi ipſa humilis egreſſio ad plantam fratris, eſſet manifeſtum præſagium, quod ſuper caput illius euehendus erat; quantò enim quis magis deiicitur, tantò altius extollitur; humilitatis ſtipendium alta eſt ſublimatio, vt ex pedibus Eſau ſuper caput illius efferatur. Diodorus apud Lippomanum. *Iacob*, ait, *Eſau fratris ſui calcaneum tenens, ex vtero matris egreſſus eſt, quo facto oſtendit Deus, Iacob in certamine pietatis, Eſau fratre ſuo præſtantiorem fore.*

[Geneſ. 25. — Hugo. — *Stipendium humilitatis alta ſublimatio.* — Diodorus.]

---

## QVÆSTIO X.

### *Quare mulier ſtat retrò, cum Phariſæi in conuiuio, & Iudas in horto ante conſpectum Domini ſe exhibuerint?*

78. RESPONDEO primò, Magdalena, cum ſua delicta optimè agnoſceret, ſe habebat indignam, vt veniret in conſpectum Chriſti: vnde ne inuerecunda iudicaretur, ac impudentis audaciæ, ſtat retrò. D. Chryſologus ſerm. 93. *Venit mulier*, ait, *& venit retrò, quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam nouit ſe vultus fiduciam perdidiſſe.* Ingenti ardori mulieris, quo ad Dominum acceſſit, coniunctus fuit aliquis pudor, non enim fiducia debet nos reddere audaces, ac inuerecundos: Superbi autem Phariſæi cùm vitia ſua non agnoſcerent, multùm de ſe præſumebant, ac proinde ingenti audacia ſimul coram Domino in menſa accubabant.

[D. Chryſol. — *Fiducia non faciat inuerecundos.*]

79. Secundò, Euſebius apud Damaſcenum lib. 2. Parallelorum. *O mulieris ſapientiam*, ait, *O diſcipuli inſcientiam: meretrix pedes Ieſu exoſculata perditam animam recuperauit: Iudas autem eundem oſculatus de vitæ libro expunctus eſt. O fraudulentum oſculum gehennæ cruciatum concilians.* Iudas præ impudentia ſupremam Domini partem nempe frontem oſculatur; mulier verò præ pudore extremam, ſcilicet pedes: quid non auderet vnius criminoſi hominis impudentia, cuius temeritas ſibi comparauit gehennam; mulieris autem modeſtia ſalutem inuenit.

[Euſebius. — *Impudentia criminoſi nominus nil recuſat.*]

80. Tertiò, D. Chryſologus citato ſerm. 93. *Videtis*, ait, *quia ad Phariſæi menſam venit Chriſtus, non vt carnalibus repleatur eſcis, ſed vt in carne negotium cœleſte monſtraret; neque vt probaret poſita humanitus ante ſe, ſed poſt ſe geſta diuinitus approbaret.* Cùm multi Phariſæi aſtarent in menſa coram Domino, ipſa retrò ſe ponit. O magna mulieris ſagacitas: agnouit Domini ingenium, quod vehementius capitur abſconditis operibus per humilitatem, quàm illis, quæ palam ante oculos manifeſtantur. Vnde ipſa tergum elegit, vt Domino placeret. Quartò, D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in feria 5. poſt Domin. Paſſionis. *Retrò*, ait, *quia eius veſtigia imitari proponebat.* Cùm Magdalena in ſe reuerſa bene agnoſceret, quam malè ipſa ambulauerat, à tergo ſe Domini conſtituit, vt iam non ſuum inſtinctum, ſed Domini ductum, ac veſtigia ſequatur.

[D. Chryſol. — *Deus efficaciſſimè capitur abſconditis operibus per humilitatem.* — D. Antonius Vlyſipp. — *Chriſti veſtigia ſequenda*]

81. Quintò, D. Gregorius Magnus in expoſitione ad lib. 1. Reg. cap. 12. ad illa verba Samuelis. *Nolite recedere a tergo Domini*: ſic ait: *De Iuſti laude promittitur: Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Luc. 1. n. 76. *Hinc Elias ait. Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.* 3. Reg. 17. n. 1. *Hinc Pſalmiſta dicit: Exultent Iuſti in conſpectu Dei.* Pſal. 67. n. 4. *In conſpectu quidem Domini, vel ante Dominum ſtare, eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ de amore Conditoris præſumere. Peccatores autem, cùm mala committunt, à facie Domini fugiunt: ſed cùm redire pœnitendo deliberant, quaſi poſt tergum Domini ſunt, quia & diſcedere longius nolunt, & tamen præſumere de Deo quaſi amici non poſſunt. Hinc eſt, quod Peccatrix mulier retrò ſtetiſſe dicitur.* Luc. 7. n. 34. *Retro etiam ſtetit, quæ fimbrias eius tetigit.* Matth. 9. num. 20. *Retrò quidem ſtat pro verecundia peccati; ſed tangit per virtutem ſpei. Quia ergo pro commiſſis iniquitatibus ſemper erubeſcere debemus, & in quibus confundimur deuitare: Samuel peccatoribus imperat, vt à tergo Domini non recedant.* Vbi S. Pater apertè docet; quod, eſſe in conſpectu Dei proprium eſt iuſtorum: Sicut & à tergo incedere, iniquorum conueniens locus. Sapienter mulier, cùm eſſet peccatrix, ſtetit retrò, nulla enim maior prudentia, quàm quod vnuſquiſque decentem ac proportionatum ſibi eligat locum; nam altius euolare, imprudentiæ eſt, & ruinam, ac præcipitium affectare.

[D. Greg. — Luc. 1. — 3. Reg. 17. — Pſalm. 67. — Luc. 7. Matth. 9. — *Vnuſquiſque ſibi conuenientem eligat locum.*]

82. Sextò, Ipſa ſuorum peccatorum conſcia retrò ſe collocat verita offenſi Chriſti iratam faciem. Valde enim formidabilis eſt læſi domini vultus. Sic Agar, cum à domo Abrahæ recederet interrogata ab Angelo ei reſpondit: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Gen. 16. n. 8. Non fatetur, ſe à ſupplicio fugere, vt eſt ſeruorum proprium, ſed à facie dominæ ſuæ; adeo hæc illi terribilis erat. Chryſoſtomus. *Non dixit*, ait, *male me afflixit; non dixit, gratia mihi fecit, non poſſum ferre moleſtiam eius, ideo fugam inij.* Sed tantum ait, à facie dominæ meæ.

[*Facies domini irata timenda.* — Geneſ. 16. — Chryſoſt.]



83. Septimò, Retrò acceſſit mulier, vt lachrymis rigaret pedes, capillis tergeret, ac aromate vngeret: quamuis enim obſequium aliàs magnum eſſet, ita tamen illuſtriſſima fœmina illud paruum ac humile diiudicabat, vt tale miniſterium apud ſe ſtatueret, omnino indignum eſſe, quod ante oculos Domini appareret. Vnde retrò ſtat officia illa perſoluens; præexcelſus animus, conſummata iuſtitia inſignitus, quamuis multa largiatur, pauca tamen reputat.

[*Nobilis animus magna, obſequia, quæ præſtat, in paruum reputat.*]

84. Veniunt tres Angeli ad Abraham, quos ipſe ad hoſpitium inuitat, & aquam ad eorum pedes abluendos offert, quod miniſterium ab ipſo Abrahamo erat exhibendum, vt colligitur ex textu, & eſt communis ſententia. Dixit eis Patriarcha: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros.* Gen. 18. n. 3. Veniunt duo Angeli in Sodomam, quos Loth vocat ad conuiuium, & etiam vt eorum pedes aqua recreentur, dicens: *Obſecro Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi, & lauate pedes veſtros.* Gen. 19. n. 2. Vbi maximè eſt expendendum, quod Abraham agens cum tribus, cum ablutionem pedum offert, in ſingulari loquitur: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* At Loth referens ſermonem ad duos, in plurali profert verba: *Obſecro, Domini, declinate in domum.* Sed quænam tanti arcani ratio? Abrahamus, vt iam euectus ad ſummum ſanctitatis apicem, illud magnum ablutionis pedum obſequium quod multis parabat. ita paruum, ac minimum appendebat, ac ſi vni tantùm perſolueret. At Loth, vt non tam perfectus, quod multis præparabat, multa eſſe obſequia, eſt atteſtatus.

[Geneſ. 18. — Geneſ. 19. — *Animus liberalis magna dona in paucum reputat.*]

85. Ad oſtium dilectæ ſuæ Sponſæ Eccleſiæ pulſans ſtat Chriſtus: *Aperi mihi, ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cantic. 5. n. 2. Per rorem, ac guttas noctium cæleſtes gratias interpretantur D. Gregorius Nyſſenus homil. 11. in Cantic. Catena trium Patrum. D. Ambroſius lib. 3. de Virgin. Sed quomodo cæleſtes gratiæ, quæ in tanta abundantia communicantur Eccleſiæ, vt dicat Dauid: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Pſal. 45. n. 4. guttæ appellantur, quæ, vt explicat Catena trium Patrum, ſunt ſtillationes quædam minutiſſimæ? Quomodo ergo hæc conueniunt? Pſalmographus flumina dicit, & Chriſtus eorum largitor, guttas, ſeu minutiſſimas ſtillationes appellat, qui eas in Eccleſiam ſuam mittit, & exinde multitudines cæleſtium aquarum in cunctos redundant. Aponius ad citatum locum Canticor. Sic ſcribit: *Quia inquit, rore ſapientiæ, & ſcientiæ plenum eſt caput meum, aperi ergo mihi, piè, caſtéque viuendo, vt ad ingreſſum meum deſcendat in te ros, per cuius roris venam fontes, & flumina de tuo corde procedunt.*

[Cantic. 5. — Nyſſenus. Catena. D. Ambroſ. — Pſalm 45. — *Chriſtus ingentia dona ſua guttas appellat.* — Aponius.]

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Magdalena nec loquitur vt Rahab; nec clamat vt Chananæa, ſed ſtans nec verbum profert?*

86. RESPONDET primò D. Chryſoſtomus homil. in Peccatricem, & Phariſæum. *Chananæa*, ait, *fortiter clamabat: Miſerere mei, fili Dauid, At peccatrix hæc non clamorem edebat, ſed conſiderans, quod ipſe omnia, vt Deus, noſſet, ſilens ore, corde cum cordis inſpectore loquebatur? plorans deoſculabatur pedes, atque Dominum ad ſui compaſſionem, indulgentiamque induxit.* Pro ſanitate filiæ ſuæ multùm clamabat Chananæa: *Miſerere mei Domine fili Dauid* Matth. 15. n. 22. Et tamen Dominus in annuendo mulieri cunctatur, eamque ſemel, ac iterum à ſe repellit: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum. & mittere canibus.* At Magdalena tacens, ſeſe procumbens ad Chriſti pedes, ſtatim in ipſo inuenit defenſionem, ac ſuorum criminum exoptatam remiſſionem. Cur ad Chananæam tot moræ interponuntur; non ſic verò erga Magdalenam? Illa ore loquebatur; hæc verò corde; & efficacius ad Deum cordis inſpectorem loquitur cor, quam os; efficaciúſque ipſum mouet cordis affectus, quàm oris ſermo.

[D. Chryſoſt. — Matth. 15. — *Efficacius Deum mouet cordis affectus, quàm oris ſermo.*]

87. Secundò, Rahab meretrix, cùm exploratores recipit, multa cum eis verba habet, & finiens ſermonem ait: *Iurate mihi per Dominum, vt quemadmodum miſericordiam ego feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei*, &c. Ioſuë 2. n. 12. Aliter ſe habet hæc noſtra peccatrix, vt nec verbum dicat: Rahab, vt de temporalibus ſollicita, multos proferebat ſermones, quos Magdalena eximia charitate in Chriſtum vulnerata prætermittit. Perfectus enim amor neſcit verba, ſed tantùm opera intendit. Vnde hæc os aperiebat, non ad loquendum, ſed vt pedes Chriſti deoſcularetur; oculos, vt lachrymis rigaret; capillos extendebat, vt extergeret; & manus porrigebat, vt pedes acciperet, ac vnguento perungeret.

[Ioſuë 2. — *Perfectus amor verba neſcit, & opera intendit.*]

88. Tertiò, D. Ambroſius de Pœnitentia cap. 17. de Magdalena loquens, ait: *Crimina ſua non verbis viſa eſt expoſuiſſe, ſed lachrymis, cuius cùm orando tacuerit lingua, pœnitentiæ officio confeſſa eſt conſcientia.* Et D. Laurentius Nouarienſis homil. 1. de Pœnitentia. *O mulier peccatrix*, inquit, *multa adinuentio tua. Quis tibi demonſtrauit talem inuenire, aut proponere artem, vt congeſta in te crimina momentaneis lachrymis vinceres.* Admiranda eſt mulieris prudentia, delicta ſua confitetur, non verbis, ſed lachrymis, & remiſſionem; negociatur, ac quærit, non oratione ſed fletu ſciebat enim, quod nulla efficacior, nulláque potentior oratio, quàm lachrymæ.

[D. Ambroſ. — D. Lau. Nou. — *Melius negociatur lachrymis, quàm verbis.*]

89. Poſtquàm Iſaac benedixit Iacob, venit Eſau filius eius primogenitus, & inſtanter petit à Patre etiam benedictionem. Iſaac autem ſe excuſans ait Eſau, ſe ei non poſſe impertiri benedictionem, eo quòd fratrem ſuum Iacob dominum illius conſtituerit, eumque frumento, & vino ſtabiliuerit; *Et tibi poſt hac*, inquit Iſaac, *quid vltra faciam?* Quaſi diceret, nihil amplius habeo, in

quo

quo te benedicam. Quod audiens Eſau, *Cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Gen. 27. num. 39. Quomodo ergo Iſaac ſententiam mutat, & id, quod antea filij deprecationi renuerat; modò annuit? Et qui prius in ſe non agnoſcebat poteſtatem aliquid largiendi, iam in ſe videt facultatem concedendi? O mira lachrymarum vis! quod orationi denegatur, lachrymæ impetrant, & tantam parenti vehementiam inferunt *Cumque eiulatu fleret*, vt veluti eius potentiam amplificent, ad negatum concedendum, qua ſe quodammodo carere fatebatur. Oleaſter. *Maxima eſt vis lachrymarum*, ait, *& importunæ precationes, vt nouam benedictionem prodire ex dura voluntate faciant.*

Gen. 27. — *Quod orationi negatur, lachrymæ impetrant.* — Oleaſter.

90. Poſtquam Petrus in magnum negationis præcipitium cecidit, *Egreſſus foras fleuit amarè.* Matth. 26. n. 75. Marc. 14. n. 72. Tamen, vt rectè notauit D. Ambroſius ſerm. 43. *Inuenio, quod fleuerit, non inuenio, quid dixerit.* Sed cùm etiam cum fletibus non commiſcet orationem, ſicut ille magnus Patriarcha Iacob, de quo ait Oſeas cap. 12. n. 4. *Fleuit, & rogauit eum*, ſcilicet Angelum. Cur Petrus ſuorum maiorum non ſequitur veſtigia? Cur ſicut Iacob orationem cum lachrymis non coniunxit? Apoſtolus cùm eſſet enutritus in doctrina, ac ſchola Chriſti, nouerat maiorem perfectionem, & ſciebat, tantam in lachrymis eſſe efficaciam, vt ipſæ per ſe ſolæ largiſſimè ad impetrandum abundarent, & vbi lachrymarum ſingultus adeſſent, orationis voces non exoptarentur. S. Eligius Nouionenſis homil. 16. *Beatum Petrum*, ait, *legimus, culpam fleuiſſe, quid tamen pœnitens in fletu dixerit, non inuenimus. Cur hoc? niſi quia vtiliores ſunt preces lachrymarum, quàm imploratio ſermonum. Qui ſermo in precando falli poteſt; ſermo enim interdum non totum hominis profert negotium; lachrymæ totum ſemper loquentis produnt affectum.*

Matth. 26. Marc. 14. D. Ambroſ. — Oſe. 12. — *Vbi lachrymæ adſunt, orationes nõ exoptantur.* — D. Eligius.

## Qvæstio XII.

### *Quare Magdalena non lauat ſuos pedes tot ſceleribus coinquinatos, ſed pedes Chriſti, quos deoſculatur?*

91. Accvrrit Magdalena ad conuiuium, & Chriſti pedes lauat, qui omni puritate nitidiores erant. Cur potius hoc balneum ſuis pedibus non parat, qui tantis criminibus, ac luxuriæ ſordibus coinquinati erant? Reſpondeo primò, quod Magdalena eximia charitate Chriſti accenſa, ſui oblita, tota in Chriſtum ferebatur. Vnde quadam ſancta ſagacitate hoc excogitauit obſequium, quod Chriſti pedibus humili exhiberet affectu, vt ita ei approximare, ac adhærere valeat.

*Magdalena hoc obſequiũ excogitauit vt ad Chriſtum accedat.*

92. Secundò, D. Laurentius Nouar. homil. de Pœnitentia. *O mulier*, ait, *quis tibi monſtrauit talem artem, vt congeſta in te crimina momentaneis lachrymis vinceres, & crinibus raderes?* Perpendo vltima verba. *Crimina in te congeſta lachrymis vinceres, & crinibus raderes.* Magdalena non ſuos, ſed Chriſti pedes lauat? Optimè intellexit, quod obſequium, Chriſto delatum, totum in ſemetipſam redundabat; & quod nullo modo ſibi melius poterat parare lauacrum, quàm illud exhibendo Chriſto: id enim, quod Deo deferimus, totum in noſtram cedit vtilitatem. Sic ait D. Paulinus Epiſt. 4. ad Seuerum. *Ad pedes Chriſti cucurrit, ſeque in illis abluit, & cibauit.* Huc reuoco id, quod in præſenti eleganter dixit D. Ambroſius lib. 6. in Lucam. *Fortaſſe ideo non lauit pedes ſuos Chriſtus, vt eos lachrymis nos lauemus. Bonæ lachrymæ, quæ non ſolùm noſtrum poſſunt lauare delictum, ſed etiam Verbi cæleſtis rigare veſtigium.* Vide ſupra cap. 10. n. 60. 61. & 62. & 1. & 2. tom. in Indice Verb. Obſequium.

D. Laurent. — *Quod obſequium Deo impendimus, in nos redundat.* — D. Paulinus. — D. Ambr.

93. Tertiò, ad eadem verba D. Laurentij: *Vt congeſta in te crimina momentaneis lachrymis vinceres, & crinibus raderes.* R. P. Didacus de Celada ſuo magno ingenio ſic philoſophatur in cap. 4. Iudith. verſ. 9. §. 16. n. 66. & 67. Magdalena ſuæ luxuriæ ſqualoribus, quodammodo dici poſſe videtur, quod maculauerat puriſſimos Chriſti pedes (Chriſtus enim omnium noſtrum iniquitates portauit, ac tanquam fideiuſſor propria ipſius fecit noſtra delicta); hæc Magdalena conſiderans, magna æquitate decreuit, propriis lachrymis abluere maculas, quas fecerat; atque lauare id, quod veluti ipſa infecerat; ſuiſque crinibus abſtergere ſordes, quas ipſa luxuriando, quodammodo impoſuerat Chriſti puriſſimis pedibus. Quod autem Chriſtus Dominus à ſuamet natura mundiſſimus, dicatur aliqualiter noſtræ pœnitentiæ lachrymis mundari, quatenus noſtra delicta in ſe ſuſcepit; docet D. Nazianzenus Orat. de Chriſti Natiuitate, dicens: *Aliquanto quidem poſtea Ieſum purgatione mea in Iordane purgari videbis.* Ecce iuxta Nazianzenum Ieſum purgatione mea, id eſt lachrymis meæ pœnitentiæ, quaſi purgari videbis.

D. Laurent. Celada. — *Qui maculas impoſuit, eas abluat.* — Nazianzen.

94. Quartò, D. Paulinus Epiſt. 4. *Quæ*, inquit, ſcilicet Magdalena, *ipſum, viuificumque panem manibus, & ore præſumpſit, ſanguinem quoque calicis, antequam fieret calix ſanguinis, oſculis fulgentibus prælibauit.* Fœlix mulier iam toto conatu ferebatur in Chriſtum, lachrymis rigabat pedes, ore deoſculabatur, ac manibus contrectabat, & ingenti affectu pedes illos ſacratiſſimos haurire volebat, ac in corde ſuo intra ſe reponere. Sed quid agis, illuſtriſſima peccatrix? nondum cæleſtis panis conditus eſt; nondum fons diuini conuiuij ſcaturiuit: Quomodo ergo iam panem vitæ vis comedere, ac ſacratiſſimum ſanguinem bibere? Magdalena feruenti deſiderio, ac affectu antequam Calix ſanguinis Dominici inſtitueretur, iam ipſum ſpiritualiter prælibauit; nam præ vi eius amoris conceſſit ei Chriſtus, vt eius pedes oſculando aliquam labiis ſuis deguſtaret cæleſtis conuiuij ſuauitatem, vt hac ſpirituali refectione maximè aptaretur, vt inſtituto Sacramento, illius particeps fieret.

D. Paulinus. — *Magdalena quodam affectu in Deum, ante inſtitutionem Sacramenti prælibauit corpus Chriſti.*

95. Ad ſuum dilectum ait Sponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Cantic. 1. n. 1. Quæ verba optimè Magdalenæ conuenire, docet D. Ambroſius lib. de Iſaac, & anima. cap. 3. Verba ſingillatim ſunt expendenda. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ſeu, vt legunt ipſe Ambroſius, Hieronymus, & alia multa exemplaria, *oſculis oris ſui.* Petit ſacra dilectrix, iuxta communem Patrum ſententiam, intimam vnionem, ac coniunctionem cum ſuo dilecto, ſicut vnum labium cum altero copulatur; etiam affectat ha-

Cantic. 1. — D. Ambroſ. D. Hieron. — *De Magdalena explanatur.*



litum Dei oris, nempe diuinum Spiritum, vt ait D. Ambroſius citatus. *Petit Sponſi oſculum, per quod ſibi transfunditur ſpiritus oſculantis, ſicut enim qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere:* Et ſtatim ſubiungit anima ſancta. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Per hæc autem vbera fertiliſſimas irrigationes Sacramenti Altaris Corporis, & Sanguinis Domini interpretatur Catena trium Patrum apud Theodoretum. *Quod ſi vbera*, ait, *myſticè vis etiam intelligere, per vbera illa admiranda, cogita ineffabiles illos Altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur.* Et idem docet D. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. c. 2.

D. Ambroſ. — Catena triũ Patrum. D. Ambroſ.

96. In quibus ſic prænotatis maximè ponderandum, quod pia anima prius exorat impinguari diuino Spiritu, ac cæleſti vnione cum Deo, & poſtea magno deſiderio aſcendit ad perguſtandum corpus, & ſanguinem Domini. Adeo quid magnum, & perexcelſum eſt participatio cæleſtis Conuiuij, tantaque ad illius præparationem exoptantur, vt antequam homo ad illud accedat; priùs ſpirituali quadam refectione ipſius Dei; ipſiúſque diuini Spiritus communiendus, & aptandus ſit, vt ita condignè ad hanc menſam deueniat. Cúmque Magdalena: *Oſculetur me oſculis oris ſui*: feruenti affectu iam ſpiritualiter Deum in ſe reciperet, ac ſuis oſculis præguſtaret ſuauitatem illius viuificæ carnis Chriſti, ibi iam *ſanguinem Calicis*, vt ait D. Paulinus, *antequam fieret Calix ſanguinis, oſculis fulgentibus prælibauit.*

*Spiritu ſancto communiendus eſt homo, vt Sacramentum Altaris accipiat.* — D. Paulinus.

## Qvæstio XIII.

### *Quare Magdalena lauat Chriſti pedes, non aqua, ſed lachrymis ſuis?*

97. Intravit Magdalena in Conuiuio lachrymis perfuſa, ſtetit ſecus pedes Chriſti, & appoſitis ſuis manibus eos ſuis lachrymis deſcendentibus abluebat admirata Domini manſuetudinem; quod ſuſtineret ab ipſa contrectari, vt dicat Simon Caſſianus lib. 9. cap. 29. *Et quò manſuetius patiebatur Ieſus illas lachrymas defluentes, & eius admotas manus, eò fluebant vlterius.* Quarum tanta eſt vis, & excellentia, vt dicat Chryſologus ſerm. 93. *En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cælum dat ſemper: Ecce nunc rigat terra cælum: immò ſuper cælos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lachrymarum, vt iuxta* Pſalmiſtam 148. n. 4. cantetur: *Et aquæ, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini.* Cæli nuncupari poteſt puritas Sanctorum, verbi gratia Abel, Iſaac, Ieremiæ, qui nunquam grauiter peccauerunt. At ſuper hos cælos eleuantur pœnitentium lachrymæ Magdalenæ, ac Petri, eoſque excedunt.

*Magdalena magis, ac magis lachrymabatur.* — Caſſianus. — D. Chryſol. — Pſalm. 148. *Pœnitentiũ lachrymæ extolluntur ſuper innocentiam.*

98. Reſpondet primò Drogo Hoſtienſis ſerm. 1. de Paſſione. *Ad lauanda ſui Domini veſtigia, non alias, quàm oculorum ſuorum vndas attulit, capillis ſuis pro linteis vſa eſt; tum verò vbi affectus vehementior incanduit, & vberauit, carbo lachrymarum imbre reſperſus fortius exarſit.* Accidit Magdalenæ, quod carbonibus accenſis in conflatorio. Carbo ſuccenſus in camino, ſi aqua reſpergitur, magis inardeſcit, viuidiorique flamma nitet. Sic Magdalena erat veluti fax, tota Dei amore ignita, dum tamen lachrymis irroratur, fortius inardeſcit, maiores flammas concipit. De Chriſto Domino ſuorum diſcipulorum pedes abluente explicat Origenes Pſalm. 21. n. 15. *Effuſus ſum vt aqua, & factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.* In illo enim miniſterio Chriſtus Dominus circundatus erat aquis, quas in manibus verſabat; & tamen illis charitatis ignis in nos minimè eſt extinctus, ſed potius magis, ac magis incanduit, in vehementioremque flammam erupit. Ad cuius imitationem ignitus Magdalenæ amor, veluti carbo imbre lachrymarum largo reſperſus viuacius magis incaluit, maioreſque ſplendores emiſit, vt ipſa aqua ab oculis ſtillata tanquam calida pedes Domini rigaret, atque lauaret.

Drogo. *Magdalena lachrymis magis accendebatur in amorem Dei.* — Origenes. Pſalm. 21.



99. Secundò, D. Paulinus Epiſt. 4. increpans Phariſæum, quod pedes Chriſti non lauerit, maximè laudans Magdalenam, quod tale miniſterium exhibuerit, ſic ait: *At certè tu potius hoc miniſterium in domo tua recepto hoſpiti debuiſſes, ſi vel exemplo Patrum fas hoſpitale ſeruaſſes: ſed ſufficit ad ſuperbiam iactare Patrem Abraham: & ideo te illa præuenit, quæ affectu fideli ſe potius Patris tui filiam comprobauit, à quo te degenerem, & iam iſta inhumanitas arguit; qua dedignatus es lauare pedes Domini, cum Abraham Angelorum, & ipſe Dominus lauerit Diſcipulorum.* Quilibet ſe probat filium ſui patris, non buccinando inanes voces, ſed eius virtutes imitando. Vnde ab Abrahamo ſe degenerem monſtrauit Phariſæus Chriſtum hoſpitio recipiens, cum eius pedes aqua non lauerit; cuius & filiam ſe exhibuit Magdalena tale perſoluens miniſterium. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. n. 74. & tom. 2. cap. 11. n. 155.

D. Paulinus. — *Operibus patris ſui filiũ ſe quilibet probat.*

100. Tertiò, Ad citata Drogonis verba. *Ad lauanda ſui Domini veſtigia, non alias, quàm oculorum ſuorum vndas attulit.* Magdalena præ vi amoris hoc balneum Domino præparauit; vnde non ex alio fonte, quam ex propriis oculis aquam haurire vult. Perfectus amor totum præſtare, omnemque ex ſe determinat ſuppeditare materiam, ac nullam alteri partem patitur impertiri. Vnde & Magdalena non linteo, ſed capillis pedes Domini tergit. In vltima nocte Chriſtus Ieſus *ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe; deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Ioan 13. n. 4. Cur aliquis ex Apoſtolis aquam non infundit, & alius pedes abſtergit? vel cur ſaltem omnes tres diuinæ perſonæ ad hoc opus non deſcendunt, ſicut & ad hominis creationem: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. n. 16. Omnia ambit Chriſtus; miniſterium peragebat vi amoris incenſus. Theophylactus. *Linteo præcingitur ipſe omnia faciens, lauans, & extergens, mittit item aquam, hoc & ipſe faciens, & non aliis committens.*

Drogo. — *Amor perfectus totum dilecti negotium per ſeipſum vult adimplere.* — Ioan. 13. — Gen. 1. — Theophyl.

101. Quartò, Magdalena non aquam attulit ex flumine, qua lauaret, ſed ipſa aquam ex oculis ſuis ſubminiſtrat, vt quibus laſciuè, ac vanè fuerat abuſa, eos mordaci lachrymarum copia, & multa ſuffuſione, deformitatéque caſtigaret, ac puniret. Dauid Pſal. 118. n. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Obſeruandum, pœnitentiæ de peccatis inter omnia

*Per quæ quis peccat, per eadem Deo ſatisfaciat.* — Pſalm. 118.

omnia membra oculos maximè conſecratos, qui enim in peccando duces, & ad peccandum illices fuerunt, pœnitentiæ etiam duces, & indices ſint, quibus animus ſuam intrinſecam contritionem, ac pœnam, tanquam per feneſtras aperiat, ac totus in obſequium Dei liquefactus ſeſe diffundat, vt per quos tantam peccandi materiam luxurioſo aſpectu hauſerat, per eoſdem etiam detur præcipuum doloris, ac deteſtationis teſtimonium. Genebrardus. *Quia peccaui oculis, & oculorum concupiſcentia, per oculos ſatisfe i copioſè lachrymando.* Et rectè cuſtodia Legis, quæ eſt penes animum, tribuitur oculis propter cognationem, ac connexionem, quæ eſt inter eos, & animum, vt notarunt D. Ambroſius, D. Auguſtinus, & alij.

Genebrard.

D Ambroſ. D. Auguſt.

101. Leuit. 22.

Extat Lex Leuitic. 22. n. 14. *Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit ſacerdoti in ſanctuarium.* Interueniente ignorantia in comeſtione alicuius de his, quæ Deo erant conſecrata, ſtatim lege aſtringebatur homo, reddere quatuor partes cibi, quas comedit, & vltra quintam partem addere, itavt quinque partes eſſent ſoluendæ, vt rectè explicant Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, & alij. Sed cur quinque partes ſunt præſtandæ? Ignorantia illa cibi omnes quinque ſenſus tenuit: nam ſi aliquis ſenſus agnoſceret, & non deciperetur, verè, ac propriè ignorantia non eſſet. In danda ergo ſatisfactione quinque reddentur partes, quinque enim fuerunt ſenſus in epulo ſumendo ignorantia occupati, itavt pro quolibet ſenſu vna pars reddatur. Ad hoc tendit D. Paſchaſius lib. de Sacramento Corporis Chriſti. cap. 2. *Quinta igitur pars, ait, illius tam rectè à nobis ſuperadditur ei, quod per ignorantiam accipiebatur, ſi quinque ſenſus corporis intus ad intelligibilia conuertantur; itavt Diuinus Spiritus non ſolum guſtum interius ad myſtica producat, verum & viſum, atque auditum, necnon odoratum, & tactum, ita tenus quodammodo illuſtret, vt nihil in eis, niſi diuina ſentiantur, nihilque niſi cæleſtia.*

Lyranus. Abulenſis. Carthuſian.

*Senſus, qui peccarunt, ſatisfaciant.*

D. Paſchaſ.

## Qvæstio XIV.

### *Quare Magdalena non linteo, ſed capillis tergit Domini pedes?*

103. *Ratio dubitandi.*

SATIS eſſe videbatur, dicere, quod tergebat pedes capillis; additur tamen: capitis ſui: vt oratio ſuam habeat emphaſim; & ita magis eximius amor Magdalenæ in Chriſtum explicetur. In præſenti tamen quærimus, cùm ſit extra dubium, quod hæc mulier habuerit linteum, cur illo in hoc miniſterio non eſt vſa?

104. Chryſoſtom.

Reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 6. in Matth. *Illa in Euangelio meretrix, ait, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum largiſſimo lachrymarum fonte purgata. Quia etiam perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari, vt ita dixerim, cœpit, deſiderio exagitata Chriſti. Siquidem continuò, & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberius diluens lachrymis, ac propriis extergens capillis, pretioſo rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat: ea verò, quæ in ſecreto mentis agitabat, multò his erant ignitiora, multóque maiora, quæ tantummodo Deus ipſe cernebat.* Plura docet S. Pater in magnum Magdalenæ elogium. Primò, quod tanta pœnitentia Virgines honeſtate ſuperauerit. Secundò, quod quamuis hæc illuſtriſſima fœmina admirandæ ſuæ pœnitentiæ ediderit exterius quamplura ſigna; tamen multò ignitiora, & maiora erant, quæ interius fiebant, itavt Deus, tum quia in corde latebant; tum ob ſui magnitudinem, ſolus comprehendebat. Tam ſublimis extabat interna pœnitentia, vt nullis externis ſignis exprimi valeret. Tertiò, & ad rem noſtram. *Bacchari, vt ita dixerim, cœpit, deſiderio exagitata Chriſti.* Tanto Chriſti amore fuit accenſa, vt præ vi amoris extra ſe raperetur, ac quodammodo bacchari, ac inſanire videretur. Vnde quamuis illi lintea non deeſſent, quibus ad abſtergendum vteretur, tamen vt oſtenderet, quanti Chriſtum faciebat, vis amoris ordinauit, vt pro linteo capillos adhiberet.

*Magdalena Virgines ſuperauit.*

*Pœnitentiã Magdalenæ ſolus Deus comprehendebat.*

*Magdalena vi amoris extra ſe rapiebatur.*

105. Euthymius.

Secundò, Euthymius. *Vide, ait, quod ab his, vnde prius ipſa venabatur perditionem, ab eiſdem nunc venata eſt ſalutem: lachrymis enim amatoriis, & capillis curioſius concinnatis, ac vnguento laſciuos iuuenes dementabat: quæ verò primum fuerant inſtrumenta peccati, ea nunc fecit inſtrumenta virtutis.* Et præclarè D. Chryſologus ſerm. 93. *In Peccatricis caput purgandis crinibus, ait, refluebat vnda, vt ſuo fonte mulier in nouum baptiſma ſuorum dilueret illuuiem peccatorum, vt iuxta Pſalmiſtam 67. n. 22. Verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſeruitute.* O magna mulieris generoſitas, quæ luxuriæ fomitem in obſequium virtutis effigurauit; & quæ præbuerant materiam peccandi, vertit in inſtrumenta virtutis. Tertiò, Idem D. Chryſoſtomus homil. 81. in Matth. *Capillis, ait, abſtergebat pedes eius, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico, ſuum pedibus Chriſti ſubiiciebat.* Eximius amor Magdalenæ hoc abſtergendi genus inuenit, vt caput ſuum pedibus Chriſti pro ſuppedaneo, vt loquitur D. Cyprianus ſtatim citandus, præberet conculcandum. Quartò, Capilli cogitationes denotant, quas anima conuerſa ad pedes Chriſti debet religare, vt nihil intendat, ac cogitet, niſi Chriſtum.

D. Chryſoſt.

*Generoſa virtus fomitem peccandi vertit in materiam pietatis.*

D. Chryſoſt.

*Caput ſuum præbebat calcandum.*

*Cogitationes ad pedes Chriſti religabat.*

106. D. Chryſol.

Quintò, Idem Chryſologus citato loco. *Dominicos pedes, ait, lauat lachrymis, crinibus tergit; vacat ab excuſatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit: quia in totum ſibi natura ſufficit ad obſequium Creatoris.* Aquam, & linteum habebat Magdalena, tamen pedes lauat lachrymis, tergit capillis, vt oſtendatur, quod ab opere charitatis nullus ſe valet excuſare; ſi enim aquam non habes, lachrymis laua, ſi non linteum, exterge capillis; ſemper enim natura in totum miniſtrat ad obſequium ſui Creatoris.

*Ab opere charitatis nullus excuſetur.*

107.

Sextò, valdè diuerſimodè ſe habuerunt capilli Magdalenæ, & Abſalon: nam illa quot crines, tot vincula charitatis habuit, quæ ei largam delictorum indulgentiam præſtiterunt; at Abſalon quot crines, tot funes habuit, quibus ad quercum ſuſpenſus miſerrimam mortem inuenit. Magdalena ſuos crines ad pedes Ieſu deiecit; Abſalon verò illis vſque ad cælum efferebatur. Magdalena ſuis crinibus multos ad voluptatum delicias alliciebat; Abſalon autem crines ſuos auaritiæ ſtipendia faciebat. *Ponderabat capillos capitis ſui ducentis*

*Auaritiæ materia nos ducit in interitum.* 2. Reg. 14.



*ſiclis pondere publico.* 2. Reg. 14. n. 26. Et auaritiæ materia neſcit in aliud ducere, niſi in cruciatum, & interitum. Huic cogitationi fauet Drogo Hoſtienſis lib. de Sacramento Paſſionis Chriſti. *Abſalon, inquit, crines ſuos ponderabat pondere publico ducentis ſiclis, vnde in eodem crine ſuſpenſus ad arborem interiit.*

Drogo.

108. D. Ambr.

Septimò, D. Ambroſius in præſenti. *Expende capillos, ſterne ante eum omnes tui corporis dignitates.* Mulieris enim gloria, & decus eſt capillus, vt ait Paulus 1. Corinth. 11. n. 15. *Mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi.* Hæc ſacra Dei magna dilectrix ſuos crines, id eſt ſuos honores, ac dignitates ad pedes Chriſti dimittit, ob cuius amorem omnia contemnit, pro ſummo ſuo honore reputans, eſſe cum Chriſto, eique adhærere. Octauò, Beda per capillos res omnes ſuperfluas interpretatur, quæ Chriſti pedibus, id eſt pauperibus, ſeruire debent.

1. Cor. 11. *Pro Chriſto dignitates contemnendæ.*

Beda. *Superflua pauperibus danda.*

109. Sedulius.

Nonò; Sedulius lib. 4. Paſch. cap. 5. *Prouoluta, ait, veſtigiis, nec fletu proluere, nec crinibus detergere, nec pretioſo quieſcebat vnguento pedes oſculans irrigare.* Perpende verbum: *nec quieſcebat.* Accepto duello pro ſalute animæ ſuæ contra inimicum, omnibus ſuis actionibus oris, oculorum, manuum, ac capillorum, & etiam pedum, quibus ſtabat, ac etiam bonis ſuis, nempe vnguento, inſtabat, ac vrgebat mulier inimicum, ipſumque ſuperabat, vt ſic magis, ac magis in omni virtute creſceret, ac proficeret. Vide 1. & 2. tom. verbum Virtus.

*In negotio virtutis non quieſcendum*

110. *Glorioſa victoria inimicum ſuperare armis, quibus ipſe vicerat.*

Decimò, Satanas vſus fuerat, tanquam inſtrumentis, oculis, labiis, capillis Magdalenæ ad ipſam, eiuſque amatores capiendos. Magdalena verè eiſdemmet oculis, labiis, ac capillis, tanquam ignito telo adhibito, hoſtem vulnerat, ac transfigit. Magna ſanè virtutis excellentia, vt iiſdem armis ſuperetur inimicus, quibus & ipſe vicerat. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 26. & tom. 2. cap. 3. num. 184. Vndecimò, Materiali vnguento pretioſo vnxit Mulier Chriſti pedes, quos dum capillis extergit, ipſum vnguentum, iam à carne Chriſti ſanctificatum, iterum mulier ſibi aſſumit ac repetit: quæ enim in obſequium Dei impendimus, multò præſtantius in noſtram gratiam, ac vtilitatem ipſamet reciprocantur. Huc tendit D. Ephræm ſerm. in Peccat. *Pro vnguento ſuo*, inquit, *vnguentum vitæ recepit, pro corruptibili incorruptibile, & permanens.* Vide ſupra in hoc cap. q. 12. num. 92.

*Quæ in obſequium Dei damus, adaucta recipimus.*

D. Ephræm.

111. D Cyprian.

Duodecimò, D. Cyprianus tract. de Ablutione pedum. *Vſa eſt, ait, capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptiſmo, cor contritum erumpit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit: caput verò pro ſuppedaneo ſtrauit, crinibus circunfuſis pedes ſacros inuoluit, & terſit: nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi deuouit.* Magdalena oculis, labiis, manibus, pedibus, ac crinibus ſe totam conſecrauit, terrenam domum reliquit, & ad Chriſtum venit, ad cuius pedes ſuos capillos, hoc eſt ſuos honores dimittit, vt iam ſupra dixi: *nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe ſibi deuouit.* Solum Ieſum quærens, ſolóque Ieſu contenta.

*Maria ſolum Ieſum quærebat, ipſoque ſolo contenta.*

112. Luc. 15.

Filius ille Prodigus, cùm eſſet in regione longinqua, in ſe reuerſus de repetenda domo Patris cogitat dicens: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me, ſicut*



*vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. num. 18. Cùm tamen ad Patrem venit, ac in eius præſentia loquitur, vt bene notauit Caietanus, priorem partem orationis dicit: *Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus:* poſteriora tamen verba: *fac me ſicut vnum de mercenariis tuis:* omnino prætermittit. Cur totam ſuam orationem, quam per longum iter benè memoriæ mandatam habebat, integram non profert? Cur ſolum prioribus verbis contentus eſt. *Pater peccaui in cælum, & coram te?* Cur etiam de ratione, ac ſtipendio mercenarij, non agit? Ad præſentiam Patris ita excreuit amor in filio, vt contemptis omnibus, nihil aliud quæſierit, ac intenderit, niſi gratiam Patris, quo ſolo contentus erat, ad cuius intuitum vileſcebant cætera omnia, itavt ei è memoria exciderint. Rectè D. Chryſologus ſerm. 4. de Prodigo, ait: *Illi ſufficit Pater.* Vnde tantùm eius beneuolentiam conciliare intendit, cætera verò prætermittit.

Caietanus.

*Prodigus ſolum patrem quærebat, cætera ei vileſcebant.*

D. Chryſol.

113. Luc. 10.

*Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* Luc. 10. n. 38. Cur dominium illius habitationis ſolùm tribuitur Marthæ, non verò Magdalenæ? Nam cùm ambæ eſſent ſorores, fortè domus illa eis contigit in hæreditatem: vel ſaltem tanto erant amore connexæ, vt id, quod ſub vnius erat dominio, rectè ſub alterius poteſtate eſſe diceretur: vel denique cùm iam ſanctiſſimè viuerent, omnia erant illis communia. Cur ergo domus illa ſolùm ad Martham refertur; Maria ſcribitur ſecus pedes Domini? Præclarè D. Auguſtinus dandus cap. ſequenti. *Terrena domus adſcribitur Marthæ, Maria ſolo Magiſtro contenta eſt.* Ita Magdalena afficiebatur ad Ieſum, extra quem nihil obtinere volebat, vt nec penes nomen terrenam domum habere dicatur: *Solo Magiſtro contenta eſt.*

D Auguſt. *Magdalena ſolo Ieſu cõtenta.*

## Qvæstio XV.

### *Quare Magdalena in præſenti vnxerit pedes Chriſti, non verò caput?*

114.

QVAMVIS Chriſtus Dominus huiuſmodi delicias reſpueret, tamen à Muliere vngi eſt paſſus, vt ait Euthymius. *Vt etiam fides Mulieris, feruorque pœnitentiæ apparerent; & vt meritò pro his rebus, quod quærebat, acciperet.* Ante magnum Mulieri conceſſum donum: *Remittuntur ei peccata multa*: voluit Chriſtus, vt magnum eius meritum in omnium oculis eſſet notum tam magnifico obſequio.

Euthymius. *Magnum meritum præcedat magnum præmium.*

115.

In præſenti graues Recentiores, vt probabile, exiſtimant, quod Magdalena non ſolùm vnxerit pedes Ieſu, ſed etiam caput; Lucas verò ſolùm capitis fecit mentionem, ſicut & Ioan. 12. n. 3. ſolùm ſcribit, quod Maria ſoror Lazari idem officium præſtiterit circa pedes Ieſu, cùm etiam ſuper caput vnguentum diffuderit, vt conſtat ex Matth. 26. n. 7. & Marc. 14. n. 8.

*Sententia affirmans, quod Magdalena vnxerit pedes, & caput.*

Tamen multò probabilius eſt, quod Magdalena in præſenti ſolùm pedes Chriſti vnxerit; propè verò Paſſionem pedes, & caput. Quod autem hîc ſolùm pedes vnxerit, probatur ex ipſo contextu. Nam Euangeliſta ter facit mentionem de pedibus. *Stans ſecus pedes eius; lachrymis cœpit rigare pedes eius; & oſculabatur pedes eius:* &

*In præſenti Magdalena ſolùm pedes vnxit.*

nunquam facit mentionem de capite. Et confirmatur. Quia Chriſtus recenſens mulieris obſequia, nullam facit de capite mentionem; dixit enim ad Simonem. *Oleo caput meum non vnxiſti; hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Si autem caput ſimul vnxiſſet, Dominus diceret: Tu non vnxiſti caput; hæc autem non ſolùm caput, verùm & pedes vnxit.

117\. In quæſtione quærimus: cur hîc ſolùm pedes, & non caput oleo imbuerit, ſicut propè Paſſionem? Prima, & communis ſolutio hoc eius humilitati adſcribit. Vnde ait Euthymius. *Stetit ad extremas corporis partes tañquam extrema.* Et ideo rectè notat Origenes lib. duarum homil. in Cantic. homil. 1. Quod Magdalena ſuis obſtricta delictis vix pedes Domini attingebat: ſed ab eiſdem miſericorditer abſoluta, non ſolùm pedes, verùm etiam caput familiariter tractabat. Quantò enim quis per munditiem maiorem familiaritatem habet cum Deo, tantò magis audet propiùs ad ipſum accedere. Sic cùm mandatum eſſet, quod Moyſes, & ſeptuaginta ſeniores aſcenderent ad Dominum, ſtatim additur. *Adorabitis procul, ſolusque Moyſes aſcendet, & illi non appropinquabunt.* Exod. 24. n. 1. & 2.

Euthym. Origenes. *Quanto quis magis familiaris tanto magis accedit ad Deū.* Exod. 24.

118\. D. Hieron. Secundò, D. Hieronymus in cap. 26. D. Matth. *Non poterat*, ait, *ſtatim capite Domini meretrix digna fieri.* A pedibus inchoat Mulier ſua obſequia perſoluere; non enim ſtatim ad ſumma capita euolandum, ſed gradatim eundum eſt. Circa quod vide multa 1. & 2. tom. Verb. Paulatim in Indice. Tertiò, D. Auguſtinus lib. quinquaginta homil. 23. *Acceſſit*, ait, *non ad caput Domini, ſed ad pedes; & quæ diu malè ambulauerat, veſtigia recta quærebat.* Agnouit Mulier ægritudinem ſuam in ſuis greſſibus tam iniquè perpetratis; acceſſit ad Domini plantas, vt ab illis directionem in itineribus ſuis hauriret.

*Paulatim eundum.* D. Auguſt.

119\. Damianus. Quartò, Petrus Damianus lib. 2. Epiſtol. 2. ſic ait. *Beata illa peccatrix prius pedes Domini vnguento vnxit; poſtmodum alabaſtrum vnguenti pretioſi ſuper caput recumbentis effudit. Caput Chriſti Deus, pedes Chriſti ſerui Dei. Sicut enim illa, dum humanitati Chriſti obſequium rependit, ad Diuinitatis attingere meruit intellectum: ſic Doctor Eccleſiæ, dum Chriſti membra cuſtodit, contemplandæ Diuinatis gratiam percipit.* Prima Mulieris cura extitit, non circa caput, ſed circa pedes Ieſu. Caput Chriſti Diuinitatem deſignat; pedes verò ſeruos, ac ſubditos denotant. Bene ergo huius Mulieris negotium circa pedes verſatur? per hoc enim oſtenditur, quod prima optimi prælati cura, ac intentio tota impendatur in ſubditis fouendis, lauandis, extergendis, ac etiam vnguento eleemoſynarum vngendis; & poſtea ad altiora myſteria contemplanda det operam, & erigat animum.

*Bonus prælatus primò intendit in bonum ſubditorum; poſtea ad contemplationē conſurgit.*

120\. D. Ambroſ. Quintò, D. Ambroſius Epiſtol. 89. *Aquam ergo*, ait, *mittit in pedes Chr ſti, quaſi etiam vltimis quibuſcumque peccata dimittit, & dum plebeios liberat, Chriſti etiam lauat veſtigia.* Totum Mulieris negotium eſt in lauandis pedibus Chriſti. In Muliere Eccleſia, ac fœlix anima aſſiſtens cum Chriſto deſignabatur, quæ neminem, vilem, ac abiectum deſpicit, ſed omnes fouet, & recreat; & in hoc exhibendo Chriſti veſtigia lauat.

*Nullus quantumuis vilis deſpiciendus.*

121\. D. Auguſt. Sextò, D. Auguſtinus in Pſal. 51. ad illa verba: *Sicut nouacula acuta*: ſic diſſerit S. Pater. *Quia ergo de ipſis capillis boni aliquid fieri poteſt, ſignificauit & illa mulier peccatrix, quæ cùm fleuiſſet ſuper pedes Domini, capillis ſuis terſit, quos lachrymis rigauit, ſignificans, quia cùm miſertus fueris alicuius, debes & ſubuenire ſi potes: cùm enim miſereris, tanquam lachrymas fundis; cùm ſubuenis, capillis tergis: & ſi hoc cuique, quantò magis pedibus Domini? Qui ſunt pedes Domini? Euangeliſtæ ſancti, de quibus dictum eſt: Specioſi pedes eorum, qui annunciant pacem, annunciant bona.* Pedes Domini ſunt prædicatores, pauperes, ac Monachi, & abiecti. Tunc ergo verè quis circa hos habet verum miſerationis, ac pietatis affectum, quando lachrymis lauat, nempe dum internam voluntatem per opera eleemoſynarum oſtendit in effectu; capillis tergit, cùm operit; vnguento vngit, cum ea, quæ conſolationis ſunt exhibet. *Cùm miſertus fueris alicuius, debes ſubuenire, ſi potes.*

*Affectus miſericordiæ in pauperes, & religioſos in opus prodeat.*

122\. Euthymius. Chryſoſtom. Septimò, Antiquitus mos erat, vngere caput eorum in conuiuio, qui inuitati erant: Magdalena autem vngebat pedes Chriſti, vt ait Euthymius ex D. Chryſoſtomo homil. 81. *Vt pluſquam humano modo hunc honoraret, qui pluſquam homo erat.* Octauò, vt ita vnguenta, quæ prius ſuis delictis inſeruierant, ad Domini pedes quaſi conculcanda diffunderet.

*Inſtrumenta peccati ad Domini pedes proiicit.*

123\. Nonò, Non caput, ſed pedes Domini obliniuit Magdalena, ne ſuo facto taxare videretur Phariſæum, qui caput Chriſti pro vſitato more vngere prætermiſiſſet. Dilecta Anima, vt ſuum eximium amorem in Chriſtum declararet, ait, quod bis ipſum quæſiuerit inter cuſtodes, & vigiles ciuitatis, à quibus percuſſa, & vulnerata eſt. Cantic. 3. n. 3. & 5. n 6. Iterum etiam de ſe affirmat: *In lectulo meo per noctes quæſiuit, quem diligit anima mea.* Cantic. 3. n. 1. Sed quid magnum in hoc dicis dilecta anima? Amor in difficilibus, ac periculoſis manifeſtatur? Quod ipſa dilectum ſuum inter cuſtodes, ac milites inueſtigauerit, valde rarum; ſed quid mirabile, quod in lectulo exquirat, cùm de ipſo dicatur: *Lectulus noſter floridus*? D. Bernardus ſerm. 75. *Infirma exiſtens in lectulo, & iacens quæſiuit illum per noctes.* Sic enim dilecta anima inter vrgentia pericula, atque armorum ſtrepitus ſuum dilectum exquirit, vt minimè taxare videatur infirmitatem eorum, qui omiſſis difficultatibus inter lectuli ſuauitates ipſum exoptant, & quærunt.

*Virtutis opus ita faciendū, vt aliorum facta non taxentur.* Cant. 3. & 5. D. Bernard.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Magdalena non petit micas, vt Chananæa, ſed totum panem vitæ amplexatur, quam Dominus hic ſuſtinet, & non repellit, vt in Reſurrectione?*

DVo in quæſtionem voco. Et primò: cur Dominus hîc patitur Magdalenam, eius pedes tangentem, ac lachrymis lauantem, cùm tamen eam in Reſurrectione à ſacrorum pedum tactu prohibeat: *Noli me tangere.* Ioan. 20. num. 17. 124. Ioan. 20.

125\. D. Ambroſ. Ad quod rectè reſpondet D. Ambroſius ibi. *Non igitur tangi Dominus*, ait, *faſtidit à fœmina, cuius & Maria pedes vnxit vnguento; nec tactum dedignatur, ſed profectum docet. Qui vult Chriſtum tangere, ſua membra mortificet, & reſurrecturo ſimilis induat viſcera miſericordiæ, & non ambigat renuntiare terrenis.* Præmiſit Dominus, vt Magdalena modò conuerſa eius pedes manibus contrectet: at poſt reſurrectionem, eam ibi manere, ac huiuſmodi tactum vetat docens, quod ſemper anima ad altiora progrediatur; & quod non ſolùm in pedibus immoretur, ſed etiam ad manus, ac ad cætera membra omnia progrediatur, vt per omnium virtutum præſtantiam, ac omnimodam membrorum mortificationem Chriſto reſurrecturo quantum fieri poteſt aſſimiletur. *Profectum docet. Qui vult Chriſtum tangere, ſua membra mortificet, & reſurrecturo ſimilis*, &c.

*Perfectus Chriſti aſſecla, in omnibus vult illi aſſimilari.*



126\. Secunda pars quæſtionis inquirit: Cur Chananæa micas petit à Chriſto: *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Matth. 15. n. 27. At Magdalena Domini conuiuium nacta, non micas petit, ſed toti pani vitæ adhærere conatur, ipſumque manibus, ac brachiis tenet, & amplexatur.

Matth. 15.

127\. D. Chryſoſt. Ad quod rectè reſpondet D. Chryſoſtomus ſerm. in Peccatricem, ac Phariſæum; & ſic ait: *Cernens*, ſcilicet Magdalena, *in menſa Dominum, non quæſiuit, ſicut Chananæa, micas, ſed ipſum panem vitæ amplexata eſt. Chananæa enim pro filia à Dæmone vexata interpellabat, & dum ſe ipſam canis nomine interpellari audiret, micas de menſa cadentes petiit. Hæc verò non filiam à dæmonio vexatam habebat, ſed totum corpus laſciuiæ dæmoniacæ deditum.* Agnoſce diſcrimen inter has fæminas. Chananæa petebat Dei auxilium, in micis de menſa Domini deſignatum, ad expellendum Dæmonem à filia. Magdalena verò intendebat ſpiritum luxuriæ ablegare à ſe, ac ſtabilem in ſe gigni caſtitatem. Optimè ergo Chananæa agnouit, quod ad totum infernum expugnandum, vna Dei mica, qualecumque eius auxilium ſufficiebat. At Magdalena ad refrænandos ſpiritus luxuriæ caſtitatemque firmandam totus, & integer Deus veluti neceſſarius videbatur; tantúmque requiritur ad laſciuientes ſpiritus deuincendos.

*Ad luxuriā refrænandam multa requiruntur.*

128\. Vel, Non micam quærit Magdalena, ſcilicet qualecumque auxilium, ſed cæleſtem panem amplexatur, nempe Chriſtum Dominum in menſa recumbentem, ſacram Euchariſtiam deſignantem, vt infra dicam; intellexit enim, nihil eſſe aptius ad laſciuiæ ſtimulos conculcandos, quam halitum huius cæleſtis menſæ. *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Cantic. 7. n. 2. Aceruus tritici Chriſtus in Euchariſtia eſt. Lilia verò virginitatis flores denotant. Anima ergo, quæ Chriſto impinguatur, ac reficitur, ſtatim in actiones, ac cogitationes caſtitatis, ac virginitatis pullulat. Iuſtus Orgelitanus ibi. *Vt etiam ad virginitatis obſeruantiam piis perſuaſionibus multos adducat.*

*Ad laſciuiā refrenandam valde aptiſſima Euchariſtia.* Cantic. 7. Orgelitanus

129\. Gen. 39. *Accidit quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret. Et illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Geneſ. 39. num. 11. Valde mirum, quod Ioſeph in flore iuuentutis ſuæ, tam opulentæ domus miniſterium tenens, tam conſtanter laſciuiæ tentamenta ſuperauerit, ac conculcauerit, in quibus alij viri famoſi, vt Dauid, prolapſi ſunt. Vnde ergo tanta animi fortitudo, ac generoſitas in Ioſeph? Perpende, quod fœlicitates eius primo ei reſeratæ, ac patefactæ ſunt in tritico. *Putabam, nos ligare manipulos in agro; & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare; veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum.* Geneſ. 37. num. 7. Manipulus conſurgens, & adoratus Chriſtus Dominus cæleſtis panis, vt interpretantur Rupertus, D. Iſidorus, ibi D. Auguſtinus ſerm. 81. de tempore. Et cùm eius augmenta initium habuerint à frumento, Euchariſtici panis typo, inde tam generoſos caſtitatis ſpiritus hauſit, vt omnia luxuriæ blandimenta facillimè contempſerit, ac deuicerit. Albertus Magnus in cap. 15. Matth. *Manipulus meus Chriſtus panis pinguis, germinans virgines.*

*Ab Euchariſtia ſpiritus caſtitatis cōmunicatur.* Geneſ. 37. Rupert. D. Iſidorus. D. Auguſt. Albert. Mag.



*Lucæ 7. n. 39.* Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.

### *VERSIONES.*

*Euthymius.* Intuitus autem Phariſæus qui vocauerat eum.

*Arias.* Phariſæus autem, vocans eum, ait in ſeipſo.

*Abbas Theonus collat. 22. c. 10.* Hic homo, ſi eſſet Propheta.

*Syriacus.* Iſte, ſi eſſet Propheta, noſſet, quænam ſit, & qualis rumor peccatricis huius mulieris, quæ tetigit ipſum.

### *EXPOSITIO IV.*

ELEGANTER Diuus Gregorius homil. 33. in Euangelia. *Ecce Phariſæus veraciter apud ſe ſuperbus, & fallaciter iuſtus, ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de ſubuentione.* Phariſæus ægrum, medicinam quærentem, & medicum, illam exhibentem, carpit: In malignis oculis nil purum, & ſanctum eſt à detractione liberum. *Phariſæus, qui vocauerat eum.* Hoc autem dicitur ad diſtinctionem aliorum Phariſæorum, qui aderant; *ait intra ſe*, hoc eſt in corde ſuo: *Hic, ſi eſſet propheta.* Chriſti nomen non exprimit, ſed ſubtacet, dicens *Hic*, ſicut & nos non nominamus eos, quos odio proſequimur. Sic & Iudæi clamantes contra Chriſtum dicunt: *Hunc & inuenimus ſubuertentem gentem noſtram.* Luc. 23. num. 2. Et iterum. *Non hunc, ſed Barrabam.* Ioan. 18. num. 40. Nomen Latronis pronuntiant, Chriſti verò præ odio prætermittunt. Et præter Phariſæum nullus, nec etiam Iudas, vt in alia vnctione. Ioann. 12. num. 4. Matth. 26. num. 8. quia in præſenti, ait Euthymius hoc loco, Iudas adhuc auaritiæ morbo non erat captus, nam ipſe in principio ſuæ vocationis

130\. D. Greg. *Malignus animus omnia vertit in malum.* *Odium prætermittit nomen.* Lucæ 23. Ioan. 18. Ioan. 12. Matth. 26. *Cur Iudas non murmurat.*



bonus

bonus erat, vt dixi ſupra cap. 5. quæſt. 20. Deinde quia Apoſtoli non aderant, ipſi enim miſſi erant in prædicationem.

131. *Hic ſi eſſet propheta.* Multum Phariſæus in hoc iudicio errauit, vt ſequens quæſtio explicabit. *Quæ, & qualis eſt mulier.* Videbitur alicui, quod particula *quæ* ſufficiebat, & quod *qualis* ſuperfluit; magna tamen energia ponitur ab Euangeliſta: nam *quæ* perſonam mulieris denotat; *qualis* eius qualitatem, ſcilicet laſciuiam, ac licentioſum viuendi modum; quaſi quod ipſa vitia alteram iam in muliere feciſſent naturam; & ideo Euangeliſta, non ſolùm eius qualitatem; ſed etiam ſubſtantiam exprimit. *Quia peccatrix eſt*, ſcilicet publica, & notoria in tota ciuitate. Syriacus, *Qualis rumor*, publica, & notoria fama. Murmorat Phariſæus, non quod Chriſtus à muliere ſe tangi permittat, ſed à tali muliere, nempe peccatrice; nam quod principes, & dynaſtæ habeant ſibi intimos familiares, & amicos, in quos ſuos fauores diffundant, res communis eſt, & vſitata: id verò mirandum, ac maximè taxandum, quod indignos, ac immeritos admittant, qualem Phariſæus nunc falsò mulierem iudicat.

*Vitia faciunt quodammodo alteram naturam.*

Syriacus.

*Valde mirandum, quod principes habeant ſuos aulicos immeritos.*

## QVÆSTIO XVII.

### *Quot, & quantos errores Phariſæus commiſerit in ſuo iniquo iudicio?*

132. IVDICII audacia maximè refrænanda: nam qui malè de proximo iudicat, multipliciter, vt hic Phariſæus, in multos errores prolabitur. Primò, circa perſonam Chriſti; ſecundò circa Legis intelligentiam; tertiò circa munus prophetiæ; quartò, circa ſe ipſum; quintò, circa mulierem.

*Status quæſtionis.*

133. Primò, errauit circa perſonam Chriſti, præſumens ſcilicet, eum neſcire, mulierem eſſe peccatricem, dum ab ipſa ſe tangi permittit; cùm ob alias cauſas hoc accidere poſſet, vt notauit Euthymius, nempe vt fides, ac feruor pœnitentiæ mulieris apparerent, quod cùm Phariſæus non intelligeret, ſiniſtrè iudicat; ſunt enim multi, qui ea, quæ non capiunt, minimè euenire poſſe exiſtimant. Secundò Phariſæus ex ſua mala, ac ſuperba indole metiebatur Chriſtum; quod enim ipſe ageret, repellendo mulierem, hoc vtique iudicauit Chriſtum debere facere. Ad quod tendit D. Auguſtinus lib. Quinquaginta homil. 23. *Ad illius ergo Phariſæi pedes, ſi talis mulier acceſſiſſet, dicturus erat, quod Iſaias de talibus dixit.* cap. 52. *Recede à me, noli me tangere, quia mundus ſum.*

Euthymius. *Homines, quæ non capiunt, ſibi perſuadēt non euentura.*

*Phariſæus ex ſe metiebatur alios.*

D. Auguſt.

134. Tertiò, D. Chryſologus ſerm. 95. *Phariſæe, erras; neſcire magis potuit, ſi fuiſſet propheta: quia prophetia non eſt humani arbitrij, muneris eſt diuini.* Valdè iniquè argumentatur Phariſæus: ſi eſſet propheta, ſciret: immò quia eſt propheta, neſcire magis potuit, quia vbi diuinitatis halitus interuenit, manifeſta proximi peccata non videntur. Vt ita inſtruamur, quàm operienda ſint aliorum delicta. Quartò Euthymius ait. *Offendiculum paſſus hæc dicebat Phariſæus, ignorans, quod cùm Deus eſſet propter peccatores homo factus erat.* Ignorauit Phariſæus præcipuum Chriſti munus, quod erat, peccatores ad pœnitentiam, ac ad gratiam Dei reducere; & ideo offendiculum eſt paſſus, quod ſæpè ſibi homines arripiunt, dum in aliorum factis cauſas ignorant.

D. Chryſol.

*Vbi Diuinitas manifeſta proximi peccata non videntur.*

Euthym.

*Phariſæus ex ſibi ignotis offendiculum aſſumit.*

Quintò, D. Laurentius Nouar. homil. de Pœnitentia. *Indignum iudicas, ô Phariſæe, ait, me ſuſcipere mulierem fornicariam lachrymarum fontibus inundantem; ſed facis hoc quaſi incredulus, dum non vis, me eſſe, aut credere Deum.* Arguebat Phariſæus Chriſtum Dominum ob clementiam impenſam in mulierem, ſed hoc planè hæreticali animo faciebat, quo Chriſtum eſſe Deum non credebat: nam qui eius benignitatem negat, etiam diuinitatem inficiatur; eſt enim proprium Diuinitatis elogium, peccatoribus parcere, indulgentiamque præbere. 135.

D. Lau. Nou.

*Qui benignitatem Dei negat, eius diuinitatem inficiatur.*

Sextò, Errauit Phariſæus circa Legis intelligentiam. Phariſæorum error erat, quod homo iuſtus, & ſanctus, tangens publicum peccatorem, verbi gratia fornicarium, adulterum, quod eiuſmodi tactu polluebatur, deducto argumento, quod lex Leuit. 14. & 15. declarat immundum, qui tetigerit leproſum, ſeminifluum, aut mulierem menſtruatam. Vnde à minori argumentabantur, multò magis immundum reddi, qui ab infami peccatore tangeretur. Sed hoc nullo modo Lex prohibuit; nam contactu corporali hominis immundi iuxta Legem, vt bene notat Franciſcus Lucas, non inquinabatur anima, ſed ſola caro, quæ mundanda erat more præſcripto in Leuitico, vt impedimentum auferretur conuerſandi cum hominibus, tractandi ſacra. Immò ipſi Phariſæi, qui maximè de ſanctitate gloriabantur, notorios peccatores tangebant; aliter enim mulierem adulteram ad Chriſtum adducere non poſſent. Ioan. 8. n. 2. Multoties homines autumant, ſibi ea eſſe licita, quæ in aliis accuſant. 136.

Leuit. 14. *Phariſæus nō intelligebat Legem.*

Franc. Lucas.

*Ea, quæ homines in alios culpant ſibi eſſe licita perſuadent.* Ioan. 8.

Septimò, Errauit Phariſæus circa munus prophetiæ; temerè enim iudicauit, Chriſtum non eſſe prophetam, quia neſciret, mulierem eſſe peccatricem, quia prophetæ ſolùm ſciunt ea, quæ Deus eis dignatur reuelare, vt rectè ait D. Chryſologus ſerm. 94. *Propheta ſcit, non quantum vult, ſed quantum dederit ille, qui tribuit prophetiam.* Quod multis exemplis patet: nam magnus Parens Eliſæus propheta non cognouit, mortuum eſſe filium mulieris Sunamitidis, donec ab ipſa intellexit: *Dominus*, inquit, *celauit à me, & non indicauit mihi.* 4. Reg. 4. n. 27. Sed ſæpe tanta eſt iniquitas hominum, vt Dei dona, non prout ipſe concedit, ſed iuxta beneplacitum humanum velint extendere, & ampliare. 137.

*Phariſæus prophetiæ munus non intellexit.*

D. Chryſol.

4. Reg. 4.

Octauò, Errauit Phariſæus circa ſeipſum. Euſebius Gallicanus, homil. in feria 5. poſt Dom. Paſſionis. *Neſcis, Phariſæe ſtulte, neſcis: nuper te mundauit à lepra, quem modo non credis eſſe prophetam.* Conuerſatio cum leproſo expreſsè erat prohibita lege, quamuis hoc non haberet locum in Chriſto Domino, vt dixi tom. 2. At cum muliere peccatrice ſermocinatio nullo modo Legi erat repugnans, immò illi valde conformis ad eam reducendam. Et tamen quando Chriſtus cum ipſo Simone loquitur, vt ei ſanitatem conferat, non murmurat Phariſæus, ſed maximè quando ad ſe admittit mulierem. Sunt multi, quibus valde plauſibile, ſibi dona conferri, etiam interueniente aliqua Legis prohibitione; valde tamen ægrè ferunt, quod etiam iuxta Legis ſanctionem huiuſmodi dona in alios diffundantur. 138.

Euſebius.

*Homines volunt, ſibi dona, etiam repugnante lege, conferri, aliis verò nec ſecundum Legem.*

Nonò, ſuomet iudicio ſe reum conſtituit Phariſæus: nam ſi talem iudicauit mulierem, cur eam 139.

*Peccator cōtra ſe arguit.*



in domum ſuam introire permiſit? Cur tandiu ibi commorari paſſus eſt? Cur Chriſtum non, admonet, ne ſe ab ea tangi ſinat? Qui Chriſtum ac mulierem ita ſugillabat, hæc dicere, ac facere debuit.

140. Decimò, videt Phariſæus mulierem de ſuis delictis vehementer contritam, quæ lacrymis rigat pedes Chriſti, capillis tergit, ore deoſculatur, vnguento vngit; & cum tam manifeſta pœnitentiæ ſigna reſplenderent, mulierem, non pœnitentem, non in melius mutatam, ſed adhuc peccatricem iudicat. Quamuis præclara emendationis, ac reformationis teſtimonia præbeas; ſi tamen elapſo tempore aliquo ſcelere laboraſti, nunquam illius memoriam homines digerunt, ſed ſemper ad illud fixa mente attendunt, & pro his, quæ præceſſerunt, te iudicant, atque deſignant. At coram Deo, vbi vera peccati pœnitentia apparet, ita peccatum diſparet, vt nunquam illius memoria, vt tibi noceat, reuiuiſcat.

*Homo deſignandus, non ex eo, quod fuit, ſed ex eo, quod eſt.*

141. Magno mentis exceſſu rapitur Petrus, & vidit è cælo aperto dimitti vas quoddam velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli; & vox ad eum facta eſt: *Surge Petre, occide, & manduca.* Actor. 10. num. 13. cui Petrus ait. *Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum:* Iterum vox de cælo auditur: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*, ſeu vt legit D. Cyrillus lib. 9. contra Iulian. *Impurum, & prophanum ne dixeris.* Et notat D. Lucas. *Hoc factum eſt per ter*; id eſt, vt explicat ibi Cornelius, ter vidit Petrus *vas è cælo* deſcendi; ter audit, *occide, & manduca*; ter reſpondet, *nunquam manducaui omne commune, & immundum*; ter iterum audit, *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Ex quo grauis inſurgit difficultas. Semel, & iterum dicitur Petro; quod iam eſca illa ſit purificata à Deo; quomodo ipſe audet cælo contradicere, ac immundum appellare, quod cælum iam purum eſſe teſtificatur: *Nunquam manducaui omne commune, & immundum?* Animalia illa denotabant peccatores iam per pœnitentiam cōuerſos; Petrus hominum perſonam gerebat; & cum illi cogniti vt peccatores fuiſſent, quamuis cælum multipliciter clamaret, ac de eorum purificatione, & dealbatione præberet teſtimonia; tamen non pro eo, quod in præſentiarum apparebat, ſed pro illo, quod olim extiterant, nempè impuri, & immundi, adhuc vt tales ab hominibus iudicantur, & cenſentur. Beda. *Gentiles, quos Petrus adhuc immundos putabat, interna ſui conditoris præuiſio iam inter mundos computabat.* Et ad clauſuram hiſtoriæ addit Euangeliſta. *Statim vas receptum eſt in cælum.* ibid. num. 16. Quaſi quod illa purificata animalia non haberent locum in terra, ſed ſolum in cælo.

Actor. 10.

D. Cyrill.

D. Lucas. Cornel.

*Homo iudicatur, non pro præſenti ſtatu, ſed pro præterito.*

Beda.

142. Vt Bethſabee inducat Dauidem ad conſtituendum Salomonem regem, ait ei: *Eritque, cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* 3. Reg. 1. num. 21. Aliqui apud Abulenſem ibi q. 33. legunt: *Erimus peccatores, id eſt, tu eris peccator.* Ac ſi diceret Bethſabee: non tibi perſuadeas, ô Rex, crimen à nobis commiſſum deletum eſſe ab hominum memoria; nam quamuis modo illud in ſilentio videatur poſitum, dum regia dignitas nobis auctoritatem conciliat, tamen cum hæc ceſſauerit, & alius regnum obtinuerit, *Erimus peccatores*, tu vt peccator reputaberis. Sed Dauid peccatum nonne erat remiſſum valdè admirabili pœnitentia, magnopere in tota Scriptura decantata? ac diuino teſtimonio in Propheta clamante: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* 2. Regum 12. num. 15. Quomodo ergo dicitur, quod ipſe, vt peccator, erit reputandus? Dauid ob adulterium commiſſum ſemel, vt delicti reus eſt habitus ab hominibus, quod ita fixum, ac inſculptum eſt in eorum memoria, vt etiam illuſtri pœnitentia interueniente, ac voce Prophetæ eius mundationem atteſtante, aliter ipſe iudicandus, ac cenſendus non eſſet, niſi vt peccator, vt olim ille extiterat.

3. Reg. 1.

Abulenſ.

2. Reg. 12. *Homo ab alijs hominibus cenſetur peccator, pro eo, quod olim extitit.*

Attamen Deus valdè longè diſtat ab hominum conditione. Dixit Dauid ad Salomonem filium ſuum: *Voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella feciſti; non poteris ædificare templum nomini meo.* 1. Paralip. 22. num. 7. Magna concertatio eſt inter Doctores, & Rabbinos, quiſnam ſanguis fuerit iſte, ob cuius effuſionem constructio templi eſt intercluſa Dauid? Quidam Rabbini, vt referunt Lyranus hic, & Abulenſis quæſt. 7. dicunt, ob internecionem Vriæ, hac enim de cauſa Semei maledicebat regi Dauid dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum.* 1. Reg. 16. num. 7. Tamen hæc ſententia de morte Vriæ, vt rectè ait Abulenſis citatus, expreſsè excluditur in textu, additur enim. *Quia multa bella feciſti.* Sicut & 1. Paralip. cap. 28. num. 3. *Eo quod ſis vir bellator.* Sed cur tanta præuentione adhibita vtitur Spiritus ſanctus, vt nobis fiat manifeſtum, quod hæc prohibitio non ponitur Dauidi ob ſanguinem Vriæ? Vt inde deprehendas, quantum diſtat Dei natura ab hominum conditione. Peccatum Vriæ erat iam pœnitentia deletum. Etſi peccati remiſſi recordentur homines, vt Semei, ad illud obiiciendum, ac ad aliorum deturpationem; illius tamen maximè obliuiſcitur Deus, ne exinde aliquis deuenuſtetur, aliquodve nocumentum patiatur. Carthuſianus. *Non propter ſanguinem Vriæ, cum iam pœnituiſſet Dauid.* 143.

1. Par. 22.

Lyran Abulenſis.

1. Reg. 16.

1. Par. 28.

*Deus iudicat, non pro præterito peccato, ſed pro præſenti iuſtitia.*

Carthuſ.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Phariſæus tantum errat, vt ex mulieris contactu iudicet, Chriſtum non eſſe prophetam?*

GERMANA huius rei ratio, animi durities, ſuperbia, ac malignitas Phariſæi, quia, viſa tanta mulieris contritione, ac pœnitentia, adhuc malè ſuſpicatur de ea; & inſpectis tot lacrymis adduci non potuit, vt pro ſuis delictis ſaltem vnam lacrymam diffunderet. Cum ex recogitatione huius hiſtoriæ dicat D. Gregorius Magnus homil. 33. *Cogitanti mihi de Maria Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel ſaxeum pectus illæ huius peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant?* Ecce Phariſæus lapideo pectore non emollitur, forſitan quia ipſe, ex ſua ſuperbia, nulla pœnitentia indigere, putabat. Ad ſenſus morales. 144.

D. Gregor. Magnus.

*Magdalenæ lacrymæ not mouent ad pœnitētiam.*

D. Ambroſ. 145. Secundò, D. Ambroſius Epiſt. 89. *Ergo quia Simon Phariſæus, qui aquam non habebat, non habebat pœnitentiæ lacrymas; nam ſi habuiſſet, lauaſſet oculos ſuos, vt Chriſtum videret, quem adhuc, cum ſimul accumberet, non videbat; nam ſi vidiſſet, non vtique de eius poteſtate dubitaſſet.* Coram Ieſu adſtant peccatrix, & Phariſæus: Peccatrix Ieſum agnoſcit, & ab eius infinita potentia ſuæ infirmitatis expectat remedium: at Phariſæus legis Doctor minimè Chriſtum noſcit, immò de illo dubitat, an ſit propheta; ſolutionem dubij videtur Chriſtus nobis inſinuare, cum infrà ait. *Aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Mulier deferebat pœnitentiæ lacrymas in oculis, quibus maximè viſus acuitur ad introſpiciendam latentem diuinitatem in Chriſto; cum autem huiuſmodi Phariſæus non haberet, inde hebetatur, ac cæcutit, vt præſentem Ieſum nec videat, nec agnoſcat. Vis oculatiſſimus eſſe circa diuinitatem? repleatur lacrymis oculus, quibus ipſe purificatur, atque abluitur.

*Lacrymæ acuunt oculos, vt videăt diuinitatem.*

146. Tertiò, compone modo Samaritanam, & Phariſæum inter ſe. Phariſæus dubitat, an Chriſtus ſit propheta: *Hic ſi eſſet propheta:* Samaritana verò apud ſe firmiter ſtatuit: *Video, quia propheta es tu.* Ioan. 4. num. 19. Quomodo quædam ſimplex mulier apprehendit, quod ſapientiſſimus legis doctor ignorat? Phariſæus cogitauit, quod cum Magdalena eſſet peccatrix, Chriſtus eius crimina diſſimulabat abſque eo, quod eam de illis argueret, vt ipſa emendaretur. At Samaritana vidit, quod Chriſtus eius ſcelera obiiciebat, eamque de illis reprehendebat. Et ſicut alienum eſt à Spiritu Dei, crimina celare, ne eorum turpitudo appareat, vt homo reſipiſcat; ita proprium diuinitatis eſt, peccata declarare, vt eorum grauitas, ac malitia agnoſcatur, vt ita in odio, ac execratione habeantur. Phariſæus autem fefellit ſe, quia Chriſtus non increpabat Magdalenam, cum iam ipſa per pœnitentiam mereretur audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Ioan. 4.

*Alienum à Deo turpitudinem peccati diſſimulare, proprium verò aperire, vt fugiatur.*

147. Quartò, videbat Phariſæus lacrymas mulieris, inſignem eius pœnitentiam, ac contritionem; & tamen eam adhuc peccatricem iudicat: *Sciret, quæ, & qualis eſt mulier:* agnoſcebat Phariſæus publicam famam, ac rumores impudicitiæ mulieris, ſic habet Syriacus, *Noſſet, quænam, & qualis ſit rumor huius peccatricis.* Et ſæpè publici rumores plus præualent, quam oculata viſio, & aliquando ea, quæ ſunt euidenter nota, in dubium reuocant.

*Publici rumores ſæpè præualent, quam euidĕter nota.*

148. Mandauit Aſſuerus, vt vna die trucidarentur omnes Iſraëlitæ; & rationem tam impij decreti in edicto proponens ait: *Indicauit mihi*, ſcilicet Aman, *in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui regum iuſſa contemneret.* Eſther 13. n. 4. ſeu, vt explicat Carthuſianus, *populum rebellem.* Sed quomodo in hanc ſententiam adductus eſt Aſſuerus, qui fidelitatem, ac obedientiam illius gentis eſt expertus in Mardochæo, qui inſidias in caput Regis machinatas detexit Eſther 2. num. 22. Verum eſt, quod maximè nota erat Regi animi integritas, ac fidelitas populi; ſed rumores, etiam falsò diſperſi, tantam efficaciam obtinuerunt, vt contra id, quod euidenter experientia notum agnoſcebatur, præualuerint, & populi conſtantiam, in tantis proſpectam, ſuſpectam reddiderint.

Eſther. 13. Carthuſ. Eſther 2.

*Fama ſuſpectam reddit rem experiĕtia cognitam.*

149. Stans Petrus in atrio Pontificis interrogatur à miniſtris: *Nunquid tu ex diſcipulis es hominis iſtius?* Ioan. 18. num. 25. Et alius dicit ei: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* ibidem n. 26. Et notat Barradas tom. 4. lib. 6. quod dubitans quærit; quod Petrus erat vnus ex diſcipulis Chriſti, res notoria, & euidens; & quod ipſe vnus fuerat ex aſſiſtentibus cum Chriſto in horto, omnes viderant. Quomodo ergo dubitans quærit miniſter? Ipſe intuebatur Petrum in atrio Pontificis tanquam Chriſtum concomitantem; & aliunde audierat diuulgatam famam, quod in horto Chriſto relicto, diſcipuli eius fugam inierunt: *Diſcipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt.* Marc. 14. n. 50. Et ita explicat Albertus Magnus: *Nunquid tu es ex diſcipulis*, ſcilicet *profugus.* In negotio ergo manifeſto dubitat miniſter; nam ille diſperſus rumor, ſcilicet quod omnes fugerunt, ſufficiens extitit, vt rem notoriam, ac euidentem in dubium, ac quæſtionem reuocaret; ac de illo, de quo miniſter aliàs erat certus, tanquam dubius quærit: *Nunquid tu ex diſcipulis es hominis iſtius?*

Ioan. 18. Barradas. Marc. 14. Albert. Mag.

*Rumores rem notoriam in dubium reuocant.*

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare Phariſæus ad cognoſcendam publicam peccatricem donum prophetiæ requirit in Chriſto.*

150. OBMVRMVRAT Phariſæus: *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Prophetiæ donum exoptatur ad rem valdè remotam à ſenſibus penetrandam; atqui licentioſa mulieris vita omnibus erat nota, & nemini incognita; ineptè ergo videtur, Phariſæum ad rem tam claram capeſcendam deſiderare prophetiam in Chriſto.

*Ratio difficultatis.*

151. Reſpondeo primò, quod Phariſæus in ſuo diſcurſu grauiter aberrauit, vt dixi quæſt. 17. Secundò, & iam moraliter. Conſiderauit Phariſæus, quod Chriſtus mulierem meretricem recipiebat ad pœnitentiam, ac ad reformationem vitæ, vt ex incontinenti caſtam ſperaret; tunc ait: *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier*, id eſt, hic, ſi eſſet propheta, ex anteacta luxurioſa qualitate, ac vita mulieris prophetaret, ac agnoſceret illius vlteriorem laſciuiam: ita enim libidinis flamma incenditur appetitus, vt in animo licentioſè ſcortante vna laſciuia ſit ſæpè quodammodo prophetia, ac index alterius ſubſequentis. Præclarè ait D. Bernardus lib. de ordine vitæ. *Tranſacta libido nunquam ſatiatur, & extincta reaccenditur.*

*Sæpè vna luxuria quodămodo propheta alterius.*

D. Bernard.

152. Tertiò, ad quid Phariſæus requirit prophetiam in Chriſto, qui in medio populi verſabatur, ad propalatam mulierem impudicam agnoſcendam? Phariſæus tam ſuprema, ac admirabili puritate agnouit Chriſtum inſignitum, vt apud ſe firmiter ſtatuerit, quod in negotio puritatis, ac circa petulantiam mulieris nullus cum eo auderet habere ſermonem, niſi hoc ipſe tanquam propheta præcalleret, ac penetraret. Et ita iniquè diſcurſauit Phariſæus: Ille mulierem non agnoſcit; propheta non eſt. Ex quo inferes, quod ex his, quæ tibi dicuntur, potes perpendere æſtimationem, in qua apud alios habearis. Ait Samaritana Chriſto Domino.

*Ex his, quæ tibi dicuntur recogita æſtimationem, quam de te faciunt.*



Ioan. 4. Domino. *Video, quia propheta es tu.* Ioan. n. 19. Sed vnde mulier tantum donum agnouit in Chriſto? Ex eo, quod immediatè ei dixerat, vt patet ex textu: *Quinque viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Sed hoc res erat omnibus aperta; ad quid ad illius notitiam prophetia neceſſaria? Recognouit mulier tantam puritatem in Chriſto, vt intelligeret, quod nullus cum eo de tali re loqui fiduciam habere poterat: ac proinde apud ſe reſolutum eſt: Ille hoc cognoſcit; non aliter hoc ei eſt communicatum, niſi à prophetiæ dono.

*De re impura in præſentia Chriſti nemo loqui audebat.*

153. Quartò, nulli erat ignotum, quod mulier illa erat peccatrix; & tamen ad eius notitiam deſiderat Phariſæus donum prophetiæ in Chriſto. Intrauerat mulier in veſtitu pœnitentiæ, lacrymis profuſa, capillis extenſis in mundialium contemptum. Ex apparentia externa, ac indumento maximè animus deprehenditur; vnde ad publicam peccatricem ſub habitu pœnitentiæ agnoſcendam Phariſæus prophetiæ donum exoptat.

*Prophetia requiritur, vt ſub habitu pœnitentiæ peccator agnoſcatur.*

154. Cum Iudith eſſet introducta in tabernaculum Holofernis, ait ei Vagao: *Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius.* Iudith 12. num. 12. In quibus verbis iſte Holofernis cubicularius malè cenſuit de caſtiſſima Iudith; alliciebat enim eam ad veneris flagitium, vt rectè notarunt Lyranus, Carthuſianus, & alij. Sed quomodo iſte mulierem tam ſanctam, caſtam, ac pœnitentem in tam malam reputat opinionem, cum facies eius ſtatim caſtitatis odorem exhalaret, vt de animo ſimplici, ac recto docet Hildebertus Epiſt. 42. Et quantam auctoritatem præſeferret Iudith, docet D. Ambroſius lib. 3. de officiis, cap. 13. Etſi ipſa Iudith maximè compoſita, ac ornata apparebat, dicitur de ea: *Cui Dominus contulit ſplendorem.* c. 10. n. 4. De venuſtate, ac pulchritudine ſpecialiter à Deo data, ac communicata, malè arbitratur Vagao. Narratur de Iudith: *Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ.* ibid. num. 3. Cum ergo ſplendidis indumentis ſuæ adoleſcentiæ mirificè ipſa ſe exornaſſet, inde occaſio pullulauit, vt in ſiniſtram partem, ac opinionem, à ſua puritate alienam, ipſa cenſeri, ac exiſtimari potuerit. Et in confirmationem maiorem huius aduerte, quod poſtquam omnis veſtium apparatus Iudith deſcribitur, additur in textu citato cap. 10. num. 4. *Omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex virtute pendebat.* Ita enim ſuſpectum eſt nimium corporis ornamentum, quod Spiritus ſanctus, vt virtus Iudith cunctis clareſceret, & nemini eſſet in dubium, explicat, compoſitionem, non ex libidine, ſed ex virtute pendere.

Iudith 12. Lyran. Carthuſ. Hildebert. D. Ambr. Iudith 10.

*Ex ornatu veſtium animus deprehenditur.*

Iudith 10.

*Nimius veſtium cultus valdè ſuſpectus.*

155. Cum, mortuo primo marito, vidiſſet Thamar, quod ſuus ſocer Iudas non dabat ei in matrimonium filium ſecundum Sela, vt ex nomine prioris mariti demortui naſcerentur filij; & agnouiſſet, quod Iudas ibat ad tondendas oues. *Depoſitis viduitatis veſtibus aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu ſedit in biuio; quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem.* Gen. 38. n. 13. Sed quomodo Thamar de ſe præbuit talem ſpeciem, cum recta intentione duceretur, vt nomine prioris mariti, iuxta legem filij procrearentur, quod iuſtum, & æquum erat; & tamen Iudas in ſcorti æſtimationem eam pependit. *Depoſitis viduitatis veſtibus aſſumpſit theriſtrum:* quamuis valdè præclara ſit caſtitatis honeſtas, vbi tamen nimius fœmineus cultus viget, variis opinionibus iam perſona committitur, vt quot ſunt ornamenta, tot ad diuerſas ſententias præbeantur anſæ. Tertullianus lib. de cultu fœminar. cap. 12. *Thamar illa, quia ſe expinxerat, & ornauerat, idcirco Iudæ ſuſpicioni viſa eſt, quæſtui ſedere adeo, quia ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, & fecit, vt quæſtuariam, & voluit, & compellauit, & pactus eſt.* Et Abulenſis ibi. *Quilibet ex ſuo habitu iudicatur, donec probetur contrarium.*

Geneſ. 38.

*Ex habitu quilibet iudicatur.*

Tertull. Abulenſis.

156. Rem claudam carmine Poëtæ Auſonij de duabus Fratelis loquentis.

Auſon.

*Delia, nos miramur, & eſt mirabile, quod tam*
*Diſſimiles eſtis, tuque, ſororque tua*
*Hæc habitu caſto, cum non ſit, caſta videtur*
*Tu, præter cultum, nil meretricis habes.*

## QVÆSTIO XX.

### *Quare Magdalena non fecit ſimilem Phariſæi diſcurſum: Hic, ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quis, & qualis eſt iſte Phariſæus?*

157. AD limen huius quæſtionis ponam id, quod perbellè dixit Chryſolog. ſerm. 94. *Mulieris malæ tactus vrit malè conſcium, parem polluit, ſuſpectum notat, hominem malæ voluntatis infamat. Cæterum peccatrix ſit bona, ſit ſancta, ſit innocens, cum tetigerit veniæ largitorem.* Phariſæus ſuauiſſimo tactu corporis Chriſti non fruitur, ſed murmurat, & obmurmurando grauiter delinquit, & peccat. At mulier tacet, & oſculando dulcedinem carnis Chriſti deguſtat, ac deinde iuſtificatur. O miſera hominum conditio, quanti ſunt bonorum expertes, & murmurando delinquunt. Alij verò abſque peccato huiuſmodi bonis gaudent, & ſalutem aſſequuntur.

D. Chryſol.

*Multi murmurant expertes bonorum, & alij poſſident, & ſaluantur.*

158. In quæſtionem tamen vocamus: Cur Magdalena non ſe aſſimilauit Phariſæo in diſcurſu fabricando; & ſicut ille, ipſa etiam non dixit. Hic, ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quis, & qualis eſt iſte Phariſæus, qui eum vocauit, quia peccator, ſuperbus, ac arrogans eſt. Sed Magdalena nihil eorum dixit, nec cogitauit.

159. Reſpondeo ad quæſtionem. Magdalena conuertit oculos ad propria crimina; Phariſæus verò ad aliena: *Qualis eſt mulier, quia peccatrix eſt.* Qui oculos coniicit ad propria peccata in lacrymarum imbres prorumpit; qui verò ad aliena, facilè in murmurationes, ac detractiones prolabitur, ac exit. Vnde hos monet D. Gregorius Magnus homil. 33. in Euangelia. *Neceſſe eſt autem,* ait, *vt peccatores, quoſque conſpicimus, noſmetipſos prius in eorum calamitate defleamus, quia fortaſſe in ſimilibus, aut lapſi ſumus, aut labi poſſumus.* Ad noſtrum principale argumentum regrediamur.

*Qui propria peccata cogitat, deflet, qui aliena, murmurat.*

160. Cum Dauid fugeret à facie Abſalon, ait textus, quod Dauid aſcendebat cliuum oliuarum flens, nudis pedibus, & operto cap. 2. Reg. 15. num. 30. Tunc Semei è vertice montis ſic clamabat contra Dauidem. *Egredere, egredere vir ſanguinum, vir Belial.* 2. Reg. 16. num. 7. hoc eſt *innoxij ſanguinis effuſor*, vt explicant Caietanus, Lyranus,

2. Reg. 16. Caiet.

Lyran. Abulenſis.

Lyranus, Abulenſis, & alij. Quibus auditis ita mitis incedebat Dauid, vt prohiberet Abiſai, ac ſeruos eius, ne quid mali agerent contra Semei, dicens: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* ibidem num. 10. Valdè mirum, quod Semei tot maledicta coniiciat in regem, & hic tam patiens iter ſuum conficiat. Cur Semei Dauid tolerantia non miteſcit? Et cur Dauid tanta illius maledictione non excandeſcit? Semei oculos dirigebat ad Dauidis delicta: *Innoxij ſanguinis effuſor:* nempe in Vriæ morte. At ipſe rex oculos conuertebat in propria delicta, propter quæ ſe tali maledictione dignum iudicabat. Et qui aliena peccata conſiderat, valdè ſuperbè detractorias, ac iniurioſas voces, tanquam ſagittas emittit. Qui verò propria recogitat, flens tacet, ac patienter ſuffert, ſuſtinentia ipſa cupiens, in ſe peccati labem expiari. D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 17. *Quibus profectò verbis*, ait, *indicat, quia pro perpetrato Bethſabee ſcelere, exurgentem contra ſe filium fugiens, reduxit ad animam malum, quod perpetrauit; & æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba, non tam conuitia, quam adiutoria credidit, quibus ſe purgari, ſibique miſereri poſſe iudicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, cum in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.*

*Semei conuitia in Dauidem conyciebat: ipſe verò recogitando tacebat, & flebat.*

D. Gregor.

*Lucæ* 7. *n.* 40. Et reſpondens Ieſus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter dic.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Habeo quiddam, quod tibi dicam. Ait ei, dic Rabbi.

*EXPOSITIO V.*

161. DOMINVS pro ſua ſapientia, ac pietate tuenda, ne vnum quidem verbum facit; pro Magdalenæ verò ſanctitate commendanda longam orationem exorditur: non enim eſt paſſus, vt Phariſæus contra illam quamlibet cogitationem efformaret. *Reſpondens Ieſus.* Rectè ait D. Bonauentura, quod reſpondiſſe dicitur Phariſæo, cum tamen non dicatur, aliquid quæſiuiſſe à Chriſto; vt oſtendatur, quod ipſe audiebat eius cogitationem: vnde ad refellendum eius iudicium reſpondit Dominus; & ita non ſolum verbis, ſed etiam ipſo facto, non tantum prophetam, vt notat Euthymius, ſed etiam pluſquam prophetam, ac prophetarum Dominum ſe oſtendit, cum intima cordis arcana ſciret, ac penetraret, quod proprium ſolius eſt Dei. Iſai. 41. num 23. Damnat ergo Phariſæum temerarij iudicij, declarans, non ex ignorantia, ſed ex diuino conſilio admiſſum à ſe mulieris tactum.

D. Bonau.

*Chriſtus ſe facto pluſquã prophetam oſtendit.* Euthym.

Iſai. 41.

162. Gloſſa. *Nominis pronuntiatio familiaritatis nota.*

*Simon.* Eum proprio nomine appellat, vt ipſe attentius audiat, vt ait Gloſſa; & etiam in quoddam familiaritatis, ac amoris ſignum. Phariſæus ex quadam maleuolentia Chriſti nomen prætermiſit; *Hic, ſi eſſet propheta:* vt notaui ſuperiori expoſitione: Chriſtus verò ex quadam beneuolentia, ac amore eius nomen habet in ore, illoque ipſum compellat; nomen enim ſcire, amoris nota, vt dixi tom. 2. cap. 5. num. 254. & cap. 6. num. 2.

An Simon iſte ſit ille leproſus, de quo fit mentio Matth. 26. num. 6. Quamplures negant, D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 79. Beda, Theophylactus. Quia habitatio Simonis leproſi extitit in Bethania Ieroſolymis vicina; huius autem in Galilæa. D. Cyprianus verò ſerm. de Ablutione pedum; D. Nyſſenus hom. 1. in Cant. & multi recentiores exiſtimant, vnum eundem eſſe. Quod colligunt, non ſolum ex eodem Simonis nomine, ſed etiam ex eadem familiaritate cum Ieſu, ac Magdalena, & ex ipſa inuitatione ad conuiuium. Videtur autem hic Simon à Chriſto conuerſus, & ipſo migrante ex Galilæa in Iudæam Matth. 19. num. 1. pariter, & ipſe migraſſe, & habitationem ſibi elegiſſe in Bethania apud ſibi notam Magdalenam. 163.

*An iſte ſit Simon leproſus?* D. Auguſt. Beda. Theoph. D. Cypr. D Nyſſen.

Matth. 19.

*Magiſter, dic.* Simon Caſſianus ait, quod quamuis ſubiectionis verba haberet in ore, tamen ſuperbiæ venenum latebat in corde. Cum autem magiſtrum dicit, ſe diſcere velle oſtendit; & inde emendationis habuit remedium, quod à Chriſto accepit, vt ſubiiciam ex D. Chryſolog. q. 22. 164.

Caſſian. *Qui diſcere vult, emendationis eſt capax.*

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare Magdalena multas impugnationes ſuſtinet tacens, & ſemper ab eis magnis ſuis laudibus à Chriſto defenditur?*

TER inuenies in Euangelio Magdalenam totam in obſequio diuino impenſam impugnatam; ter magnis ſuis laudibus publicatis à Chriſto defenſam; primò hic inuehitur à Phariſæo; *Sciret, quæ, & qualis eſt mulier, quia peccatrix eſt.* Ipſa verò tacet, & Chriſtus pro ea valdè mirabilem habet panegyricam orationem, in magno eius elogio concludens: *Dilexit multum.* Secundò dum domi ad Chriſti pedes de ipſa conqueritur ſoror: *Dic illi, vt me adiuuet.* Dominus ſuſceptam præclaro encomio defendit: *Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. num. 42. Tertiò cum apud Bethaniam fracto alabaſtro vnxit caput Ieſu. Cuius factum diſcipuli carpunt. Ipſa verò nil reſpondit, ſed pro ea Chriſtus habet verba, ita mulierem extollens, vt dicat: *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. num. 13. Quod notauit D. Bernardus ſerm. 3. de Aſſumptione. *Vide*, ait, *prærogatiuam Mariæ, quem in omni cauſa habeat aduocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, conqueritur ſoror, & etiam diſcipuli murmurant; vbique Maria tacet. & pro ea loquitur Chriſtus.* Cauſam tantæ prærogatiuæ Magdalenæ præſens quæſtio inquirit. 165.

*Magdalena tripliciter impugnata, ſed à Chriſto propugnatur, & laudatur.*

Luc. 10.

Matth. 26.

D. Bernard.

Reſpondeo primò. Quod Magdalena propter Chriſtum impugnatorum omnium verba contempſit, ideo ipſa in omni cauſa Chriſtum inexpugnabilem propugnatorem inuenit; de cuius protectione ſecura ipſa nil loquebatur. *Domine, vim patior, reſponde pro me: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Iſai. 38. num. 14. Secundò, Magdalena ob Chriſtum ſuum honorem, ac famam parui fecit; nam in præſenti ſe expoſuit, vt de audacia, ac præſumptione notaretur; apud ſuam domum de minima cura; apud verò Bethaniam de prodigalitate: & qui propter Chriſtum ita periculo ſeſe committit, præclara honoris, ac famæ augmenta, ac incrementa ſuſcipit, tam magnis laudibus à Chriſto publicatis. 167.

*Qui pro Chriſto periculo ſe committit, ab ipſo defenditur.* Iſai. 38.



*Qui ob Chriſtum exponit ſuum honorẽ, noua augmẽta accipit.*

167. Tertiò, vt ex his coniiciamus, quod murmurationes in nos coniectæ pro pio opere, ab obſequio diuino nobis non nocent, ſed potius proficiunt; plus enim emolumenti accepit Magdalena hic ex murmuratione Phariſæi, ac diſcipulorum apud Bethaniam, quàm ſi illi non murmuraſſent; nam ex tali calumnia interueniente præparata eſt occaſio, vt Magdalena multo amore feruens à Chriſto ſuo defenſore vbique magnis laudibus ſublimaretur. Maximè decantatum in tota Scriptura inuenimus Moyſem, nunquam tamen tantis præconiis magnificatum à Deo, niſi quando Aaron, & Maria de ipſo murmurarunt. Tunc Dominus apparuit eis dicens: *Audite ſermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquar ei*, &c. Num. 12. num. 6. Ecce magna Moyſis elogia: ſed cur potius publicantur in hoc euentu, quàm in alio? Quando ſcilicet murmurantes Aaron, & Maria replerentur lepra? Origenes homil. 7. in Num. *Audiſtis*, ait, *quid ſibi iudicij obtrectatores, & maleloqui, & quid damnationis adquirant: audite & nunc & quantum beneficijs conferant ijs, quibus obtrectant. Nunquam inuenimus tantas laudes Deum dixiſſe de Moyſe famulo ſuo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum eſt.*

*Calumniatores nobis non nocent, ſed proficiunt.*

Num. 12.

Origen. *Murmuratores ſibi nocẽt, nobis dant emolumenta.*

168. Quartò, vbique Chriſtus Dominus non ſolùm Magdalenam defendit, ſed mirificè laudat; vt maximè nobis innoteſcat, quàm grata, ac periucunda erant ipſi Domino eius opera, lacrymæ, ac actiones, quæ tantis prærogatiuis condecorabantur, vt notat citatus Bernardus.

*Chriſtus maximè honorat Magdalenã.*

169. Poſtquam mortuus eſt Lazarus, venit Chriſtus in Bethaniam, & antequam ingrederetur domum, Martha lacrymans, vt notat Chryſologus ſerm. 65. exiit obuiam ei, cum ipſo loquitur; & tamen nullum adhuc miraculi ſignum Dominus præbet. Aduenit poſtea Maria cum multis Iudæis comitata. *Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem*, &c. Ioan. 11. num. 33. lacrymatur, & ad edendum miraculum procedit. Vbi benè notat Barradas tom. 3. lib. 6. cap. 2. Quod *Marthæ verbis reſpondit Dominus, Mariæ reſpondet, non verbis, ſed lacrymis.* Immò dicam, & operibus miraculi. Nam quamquam plorãtibus Iudæis dicatur, quod Chriſtus infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum, ac quod lacrymatus eſſet; hoc extitit quodam commiſerationis affectu; nam ibi erant multi Iudæi maleuoli, vt notant D. Chryſoſt. homil. 62. & D. Baſilius Seleucus orat. 41. Magdalena enim, vt notat Maldonatus, primò plorare cœpit, ac principalius Dominum ad miraculum commouit, vt peculiariter dicatur de ea, *Vt vidit eam plorantem.* Sed cur non dicitur, vt vidit eas plorantes, ſcilicet Mattham, & Mariam? Verùm cum Magdalena luget, nil vltra expectatur, ſed ad miraculum deuenitur. Magdalenæ lacrymæ quendam ſaporem ſemper habuerunt à ſua prima contritione, vt ita ipſæ, eiuſque actiones eſſent valdè beneplacitæ Chriſto, ac proinde ab illo ſuper modum honorantur, vt illis viſis tantum miraculum edatur, quo nullum maius ſit à Chriſto Domino perpetratum. Albertus Magnus. Vt vidit eam plorantem. *Maria eum diligebat, ideò diligebatur ab eo.* Et poſtea ſubdit. *Iam inclinatus ad voluntatem ſuſcitandi.*

D. Chryſol.

Ioan. 11.

Barradas.

*Chriſtus Mariæ reſpondet lacrymis.*

D. Chryſoſt. D. Baſil. Sel.

*Lacrymæ Magdalenæ honorantur à Chriſto Domino.*

Albert. Mag.

---

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare Chriſtus Dominus ſe habet hic cum tanta modeſtia cum Simone calumniante, cum valdè rigoroſè ſe geſſerit cum Phariſæis alibi murmurantibus?*

PRÆCLARE ait Chryſologus ſerm. 94. Quod *mulier habebat vulnus, & ſciebat illud, & ideo taliter tanti vulneris medicum perquirebat. Phariſæus perfidiæ morbo ſaucius, ſuperbiæ flamma febriens, per phreneſim ſe neſciebat inſanum. Hinc eſt, quod Chriſtus illuc primum curam vertit, vbi ignota ſæuiebat infirmitas, vt cœleſtis medicus vno medicamine duos curaret ægrotos.* Adſtabant coram Chriſto Magdalena, & Phariſæus; Magdalena magno æſtuabat amore; Phariſæus nimia ſuperbia ſæuiebat; & tamen Chriſtus primò loquitur ad Phariſæum, deinde ad mulierem, poſtea *conuerſus ad mulierem*, &c. In Magdalena erat infirmitas, quam ipſa optimè agnoſcebat, & ideo tantum medicum perquirebat. In Phariſæo erat infirmitas, quam ille penitus ignorabat. Et nulla periculoſior, quàm illa, quæ ignota eſt. Vnde Chriſtus illi primùm ſubuenit. Hinc eſt, quod *Chriſtus illuc primum curam vertit*, &c. 170.

D. Chryſol.

*Illa grauiſſima infirmitas, quæ ab ægrotante ignoratur.*

Quæſtio præſens inquirit, cum Simon in corde ſuo murmuraſſet: *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier*, &c. Cur Dominus tam benignè ſe habet cum eo, veluti beneuolentiam captans, per parabolam, & ænigmaticè cum eo loquitur: *Simon, habeo tibi aliquid dicere*, &c. At verò cum alibi Matth. 9. num. 2. Paralytico dixiſſet Dominus: *Remittuntur tibi peccata tua:* aſtantes dixerunt intra ſe: *Hic blaſphemat:* & ſubdit Euangeliſta: *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.* Cur ergo tam rigoroſè ſe habet cum iſtis calumniantibus, in ſuo corde murmurantibus, *vt quid cogitatis mala:* Cum Simone verò ſe exhibet cum tanta modeſtia, immò & amore, in cuius ſignum eum proprio nomine compellat, vt iam dixi? 171.

*Quæſtionis difficultas.*

Matth. 9.

Reſpondeo primò. Quod medicina, ſeu reprehenſio adhibenda eſt iuxta exigentiam ſubiecti. Simon, quamuis Phariſæus, non erat ex multum malignis, vt notaui expoſit. 1. num. 3. At verò illi, de quibus Matth. 9. erant valdè peruerſi, & iniqui, nam Dominum blaſphemum reputarunt, & ideo non omnes eadem metiuntur menſura, ſed pro grauitate culpæ minuitur, aut augetur reprehenſionis ſeueritas: vbi enim minor eſt culpa, cum lenitate confertur; vbi autem grauior apparebat, maiori cum rigore exhibetur correctio. 172.

*Reprehenſio ſit grauis, vel lenis pro qualitate criminis.*

Secundò,

173. *Ianſen.* Secundò, Ianſenius in ſua concordia cap. 48. *Reprehenſurus*, ait, *Dominus Phariſæum, qui ipſum inuitauerat, non mox in illum inuehitur, ſed hoſpiti ſuo ciuiliter deſerens, prius dicendi facultatem poſtulans, paradigma deinde proponit. Qua in re exemplum ciuilitatis, etiam viris eccleſiaſticis non negligendæ, relinquit.* Inuitatus fuerat Dominus à Phariſæo, in cuius domo, ac menſa aderat, vnde *hoſpiti ſuo deferens*, valdè ciuiliter fuit iſte tractandus, omnibus eccleſiaſticis Dominus præbens exemplum, ne in reprehenſione danda modum vrbanitatis excedant.

*Hoſpitibus ciuiliter eſt deferendum.*

174. Tertiò, valdè ſeuerè, ac rigidè ſe habet Dominus cum illis ſcribis, leniter tamen, ac ſuauiter cum Simone. Cum hoc, & non cum illis erat Chriſtus ad menſam, corpus ſuum repræſentans in Euchariſtico conuiuio; & quamuis Simonis crimen magnam ſeueritatem efflagitaret, tamen ad intuitum huius ſacratiſſimæ menſæ omnes ferociſſimæ diuinæ iræ ſopiuntur, & in clementiam, ac pietatem omnia reſoluuntur. In illos autem Scribas, in quibus panis non apparebat, ſeueritas diuinæ obiurgationis vibratur; cum Simone verò ad menſam placida, ac ſuauis eſt reprehenſio.

*Ad præſentiã ſacræ Euchariſtiæ omnes diuinæ iræ extinguuntur.*

175. *Iſai. 19.* *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius; & erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti, clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, & liberabit eos.* Iſai. 19. num. 19. De aliis autem regionibus dicitur: *Clamabunt ad me, & non exaudiam eos* Ierem. 11. num. 11. Vnde Ægyptus tantam fœlicitatem nacta eſt, vt cum clamaret ad Dominum à facie tribulantis, exaudita ſit, eique ad defenſionem mittatur Saluator, quod aliis regnis denegatum videmus: *Clamabunt, & non exaudiam?* Altare, de quo loquitur Propheta, exiſtimant Gloſſa Interlinealis, D. Thomas, Hugo, Hector Pintus, eſſe altare, in quo offertur Corpus Chriſti. Ex quo etiam non incongruè interpretari poteſt illud altare, in quo primum in Ægypto ſacrificium Agni, in typum huius viuifici ſacramenti peractum eſt, vt docet D. Leo ſerm. 3. de Epiphania. *In Ægypto*, ait, *primum occiſione Agni ſalutiferum Paſcha Domini fuerat peractum.* D. Anaſtaſius Sinaita lib. 8. Exam. *Ægyptus*, ait, *prima vidit Agni ſanguinem ad veſperam in domibus ſignatum ad ſalutem, & oſtendit Agni Chriſti ſanguinem ad veſperam effuſum.* Cum ergo Ægyptus eſſet fulcita, ac armata figura Sacramenti Altaris, inter alias nationes hoc habuit, vt hoſtiles iras, ac flammas extingueret, & deuitaret; ac vt tali propugnatore omnia ei in bonum, ac ſalutem commutarentur.

*Ierem. 11. — Interlin. D. Thom. Hugo. Hect. Pint. — D. Leo. — D. Anaſtaſ.*

*Vbi apparet ſacra Euchariſtia, omnis ira deuitatur.*

176. Tres Angeli recipiuntur ab Abrahamo in hoſpitium, quibus ad comedendum appoſuit panes, ac vitulum tenerrimum; hi filium ei è Sara, rem maximè exoptatiſſimam ſequenti anno proximo ſpondent. Poſtea verò egredientes è domo dirigunt viam ſuam in Sodomam. Tunc ait Dominus Abrahamo: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Geneſ. 18. num. 20. Cur poſtquam à domo procul abeunt tunc de ſubuerſione Sodomorum pertractatur? Cur non quandiu in ipſa domo commorantur? ſicut de prole habenda factum, cum hoc negotium de Sodomis pertineret ad Loth conſobrinum eius. In domo aderat menſa cum pane, & vitulo in typum Corporis Chriſti, vt ex D. Ambroſio, ac aliis Patribus iam ſuprà dictum eſt. Ad præſentiam autem tanti Sacramenti omnis ira diuina ſopitur, ac præteritur, & ſolùm dona, ac benedictiones commemorantur. Fauet Gloſſa Interlinealis. *Cum ergo ſurrexiſſent viri, inde direxerunt oculos contra Sodomam. Quia cum Abraham tractauerant de futura miſericordia, iam contra Sodomam iudicium intentatur.*

*Geneſ. 18.*

*Ad præſentiam Euchariſtiæ ira diuina prætermittitur, & dona largiuntur.*

*D. Ambr. — Gloſſa. Interlin.*

*Lucæ 7. n. 41.* Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

*Num. 42.* Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit?

*Num. 43.* Reſpondens Simon dixit: Æſtimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti.

## *VERSIONES.*

*Syriacus. n. 41.* Subdit ei Ioſchua: Duo debitores erant vni domino.

*Euthym. Theophylactus.* Cuidam creditori.

*Syriacus, n. 42.* Quumque eſſent non ſoluendo vtriuſque remiſit debitum. Vter igitur eorum magis eum diliget?

*Arias.* Ambobus gratis donauit, ſeu condonauit.

*Arabicus.* Quis ergo horum duorum debitorum plus amator eſt illius?

*D. Aug. lib. 50. homil. 23.* Quis eorum plus dilexit?

*Alij ex Græco.* Quis eorum plus diliget?

## *EXPOSITIO VI.*

177. *Verſ. 41. D. Auguſt.* VT rectè ait D. Auguſtinus lib. 50. homil. 23. *Propoſuit Dominus ſimilitudinem de duobus, qui debebant vni fœneratori. Etiam ipſum ſanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet.* Et ad ipſum facilè ſanandum hoc paradigmate vſus eſt Dominus; quia plerumque in rebus propriis cæci, atque ignari ſumus, in alienis oculati, & ſapientes. Hinc fit, quod Simonem tanquam in aliena figura Dominus inſtruit. *Cuidam fœneratori*, id eſt creditori, ſeu mutuatori. *Vnus debebat denarios quingentos*, &c. Denarius

*In alienis rebus oculatiſſimi ſunt homines, cum in proprijs cæcutiant.*

*Quid ſit denarius.*



eſt Iulius, ſiue regalis Hiſpanicus. Ex quo conſtat, quod quinquaginta denarij faciunt quinque aureos Hiſpanicos; quingenti verò denarij quinquaginta aureos.

178. *Verſ. 42. Arias.* *Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque*, ſcilicet fœnerator condonauit debitum; ſeu, vt ex Græco habet Arias, *Gratis donauit ambobus.* Sequitur textus. *Quis ergo*, ſeu, vt habet Syriacus, *Vter igitur eorum*, ſcilicet ex illis duobus, *Eum*, ſcilicet fœneratorem, *plus diligit*, Græcus habet in futuro, *diliget*, Radix Græca ad præſens, & futurum eſt anceps; tamen lectio noſtræ vulgatæ in præſenti accommodatior eſt.

*Syriac. — Græcus.*

179. *Verſ. 43.* *Æſtimo, quia is, cui plus donauit.* Sua propria ſententia conuincitur Phariſæus. Et hoc reſponſum à Simone extorquet Chriſtus, vt abſque vllo ſubterfugio ipſum capiat; non enim quis facilè recedit ab eo, quod iam antea proprio iudicio iudicauit. *Is, cui plus donauit.* Ex debitoribus ille plus diligit ſuum creditorem, cui ipſe creditor plus condonauit, quingentos ſcilicet denarios; ita enim æquum eſt, & ipſa natura dictat. *At ille dixit ei; rectè iudicaſti.* Laudat Chriſtus iudicium Simonis, vt eo facilius ipſe admittat ſequentem Domini reprehenſionem, ac correctionem.

*Ex propria ſententia cõuincitur Phariſæus.*

---

## QVÆSTIO XXIII.

### *Totius præſentis paraydgmatis explicatur ſenſus.*

180. *D. Ambr.* RECTE ait D. Ambroſius hoc loco: *Non materialem fœneratori huic*, ſcilicet Deo, *debemus pecuniam, ſed meritorum examina, æra virtutum.* Vnde ſubdit S. Pater, quod ipſe Dominus orare nos docuit: *Dimitte nobis debita noſtra:* Matth. 6. num. 12. per peccatum enim grauem Deo irrogamus iniuriam, pro qua ei ſatisfacere tenemur.

*Matth. 6.*

181. Per duos debitores, proportione ſeruata, Magdalenam, & Simonem denotat Chriſtus, vt docent recentiores. Et Phariſæo mulierem anteponit. Magdalena debebat quingentos denarios, quæ ſe valdè magnam peccatricem æſtimabat, multóque plura ob ſua peccata debere iudicabat, quam Simon deberet, & ita amoris monumenta proferebat. Hoſpes verò Simon debebat quinquaginta; nam cum ipſe iuſtum ſe putaret, parum æſtimabat Deo debere, ac proinde parua, vel nulla contritione ſe iudicabat; & ideo minora dilectionis ſigna oſtenderat, vt ex D. Auguſtino dicam infrà num. 207.

*Magdalena, & Simon debitores.*

182. *Non habentibus illis vnde redderent.* Cum enim omnes ſimus Deo debitores, & nullus, ſiue parum, ſiue multum debeat, per ſe ſolum poſſit ſoluere; ideo omnes egemus gratia Dei, quia ipſe cooperantibus nobis condonat omne debitum. Ex his ergo duobus debitoribus ille plus diligit creditorem, cui plus eſt remiſſum.

*Per Dei gratiam remittitur debitũ.*

183. *Euthym. Lyran. Caiet. Maldonat. Cornel.* Quod ita explicabis ad litteram cum Euthymio, Caietano, Maldonatò, Lyrano Cornelio à Lapide, & aliis. Ille, qui plura debebat, plus promeruit de gratia creditoris ad maiorem remiſſionem aſſequendam ab ipſo; nam maior dilectio, multis obſequiis, officiis, ac beneuolentiæ ſignis declarata prouocat viciſſim maiorem dilectionem creditoris erga talem debitorem ad maius debitum condonandum, quàm erat debitum illius, qui minus debebat, cum minus diligeret. Huic ſententiæ fauet D. Auguſtinus citatus, legens de præterito: *plus dilexit:* & Chriſtus hic expreſsè de Magdalena: *Quoniam dilexit multum:* vt ſtatim expendam.

*Germana explanatio. — D. Auguſt.*

184. Et iterum argumento inuerſo ex amore ſubſequente. Illa maior gratia creditoris inducit in maiori debitore quendam affectum ex gratitudine ad magis redamandum ſuum creditorem, ſiquidem ab illo maiorem remiſſionem obtinuit, quàm ille, qui minus debebat: ſicut enim amor debitoris promerendo prouocat amorem, & remiſſionem creditoris; ita etiam vice verſa amor creditoris in remittendo prouocat amorem debitoris in obſequendo.

*Ex argumento inuerſo.*

185. Sic ait Chriſtus: O Simon, prudenter iudicare compelleris, quod quamuis Magdalena maiori debito eſſet onuſta, quàm tu; tamen multo plus me dilexit, quàm tu; multo maiora vidiſti in ea ſigna amoris, obſequij, ac officij erga me, quàm tu exhibuiſti. *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem rigauit pedes meos*, &c. Et illa maior huius mulieris dilectio prouocat maiorem meam dilectionem ad plura, & maiora peccata ei dimittenda; & iterum hæc mea gratia, veluti ait Chriſtus, in indulgendo inflammat affectum huius mulieris, vt vlterius magis, ac magis diligat, obſequatur, ac conſtanter perſeueret.

*Applicatio totius paradygmatis.*

186. Quod autem iſte ſit genuinus ſenſus, conſtat ex verſ. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vbi Chriſtus Dominus explicat viam, & modum, per quæ Magdalena tantam indulgentiam eſt aſſecuta. *Quoniam dilexit multum.* Vbi illud *dilexit* antecedenter ſe habuit, tanquam motiuum ad ipſam remiſſionem. Vnde mihi non placet ſententia D. Gregorij lib. 6. Epiſtol. 12. Toleti annotat. 73. Salmeron tom. 4. part. 2. tractatione 8. arbitrantium, quod debitor, cui plus à creditore dimittitur, debet, & ſolet gratus eſſe creditori, eumque magis diligere; ac proinde, quod dilectio ſit tanquam conſequens ad remiſſionem. At hic ſenſus non bene quadrat in præſenti cum illis verbis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vox enim *quoniam* denotat, dilectionem fuiſſe motiuum remiſſionis peccatorum, & non effectum.

*Comprobat ſenſus appoſitus. — D. Gregor. Tolet. Salmeron.*

187. Dices Chriſtus Dominus in hac parabola locutus eſt, iuxta communem hominum morem, qui talis eſt, vt maior gratia creditoris in remittendo excitet maiorem affectum debitoris in diligendo; ac proinde de amore ſubſequente remiſſionem, & non antecedente locutus eſt Chriſtus.

*Obiectio.*

188. Reſpondetur, quod vterque modus fuit æquè Chriſto in mente; & quod etiam valdè frequenter apud homines amor debitoris, multis obſequiis declaratus, allicit voluntatem creditoris ad remiſſionem debiti. Et in confirmationem huius diſcurſus, antequam Chriſtus pronuntiaſſet: *Remittuntur ei peccata multa*, præmiſit amorem mulieris, multis officiis manifeſtatum, rigauit pedes, capillis terſit, deoſcu-

*Soluitur obiectio.*

latur, vnguento vnxit, & tunc ſubdit, *Quoniam dilexit multum, remittuntur ei peccata multa.* Et hic modus remittendi valdè familiaris eſt Deo, frequénſque de illo extat promiſſio in Scriptura. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Zachar. 1. num. 3. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis.* Iſai.45. num.22. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, &c. Vita viuet, & non morietur, & omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor amplius.* Ezechiel.18. num.21. Zachar. 1. Iſai. 45. Ezech. 18.

*Lucæ 7. n. 44.* Et conuerſus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit.

*VERSIONES.*

*Arias.* Aquam ad pedes meos non dediſti.

*Syriacus.* Hæc autem lacrymis ſuis pedes meos lauit, & capillis ſuis abſtergit eos.

*Theophylactus.* Capillis capitis ſui extergit.

*EXPOSITIO VII.*

189. *Deus conuertitur ad mulierẽ conuerſam ad eum.* CONVERSVS *ad mulierem.* Stabat Magdalena à tergo Domini, nec enim ob confuſionem peccatorum coram ipſo audebat apparere. Et conuertitur Ieſus ad mulierem conuerſam ad eum, vt ait Simon Caſſianus lib. 9. cap. 31. Ante pœnitentiam auerſus eſt peccator à Deo. Cum autem pœnitentiam agit, Deus conuertitur ad illum. *Vides hanc mulierem*, id eſt conſidera, quæ mihi fiunt ab hac muliere, quam tu peccatricem iudicas, & videbis, quod longè ſuperant ea, quæ à te, qui iuſtus arbitraris, mihi exhibentur. Caſſian.

190. D. Bonau. Et benè notat D. Bonauentura, quod Dominus ait Phariſæo: *Vides hanc mulierem?* Corporaliter ipſe videbat fletum peccatricis, ſed non attendebat affectum. Seu, vt aliter dicam, videbat Phariſæus mulierem maligno oculo, & ideo non vt conuerſam, ſed vt peccatricem videbat: Monetur nunc à Chriſto, vt eam intueatur ſincera mente, ac corde; recogitétque ipſam, vt eſt in præſenti, non peccatricem, ſed inſignem pœnitentem, ac dilectricem. Carthuſianus. *Attende fœminam iſtam valdè notabilem, cuius geſta ſunt conſideratione digniſſima.* Prouocatur Phariſæus à Chriſto, vt videat præcelſitudinem Magdalenæ, licet eam ante oculos haberet. Tanta eſt enim ſublimitas eius, vt niſi ipſe Simon diuino afflatu à Chriſto duceretur, tanta mulieris magnalia percipere non valeret. Carthuſ. *Ad magnalia Magdalenæ intelligenda neceſſarius eſt diuinus afflatus.*

*Intraui in domum tuam*, vt ait Hugo, ſed non in mentem tuam. *Intraui in domum tuam.* Hæc mulier in aliena domo me quæſiuit, vt magna, ac debita præſtaret obſequia, in quibus tu in propria domo defuiſti. *Aquam pedibus meis non dediſti:* Non enim lauaſti, vel lauari iuſſiſti pedes meos aqua, quamuis foris aduenerim (ſemper enim Chriſtus ex vno loco in alium tendebat) vt hoſpitibus, ac peregrinis, foris aduenientibus fieri mos erat. Geneſ.18. num.4. & 19. num. 2. & Iud.19. 21. & 1. Timoth.5. num. 10. *Aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Arguit Dominus, vt ait D. Bonauentura, incuriam, paruumque Phariſæi amorem, vt eximiam Magdalenæ dilectionem illi præferat; nam quæ erant valdè facilia, vt aqua ad abluendum, linteum ad abſtergendum, ipſe non dedit; Magdalena verò valdè difficilia, lachrymas, & capillos ad huiuſmodi miniſterium præſtitit, vt nouauit Boſtrenſis. *Aqua facili negotio parari poteſt, ſed tanta lachrymarum profuſio paratu minimè facilis eſt.* 191. Hugo. *Antiqua cõſuetudo lauandi pedes.* Geneſ. 18. & 19. Iudic. 19. 1. Tim. 5. D. Bonau. *Qui non dat facilia, quomodo difficilia dabit.* Boſtrenſ.

QVÆSTIO XXIV.

*Quare Chriſtus Dominus laudat Magdalenam in præſentia, cum Baptiſtam non laudauerit, niſi abeuntibus diſcipulis?*

VARIIS in locis Chriſtus Dominus laudat Magdalenam præſentem, & audientem, vt eſt in hoc loco. *Vides hanc mulierem, &c. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis terſit.* Et tandem concludit: *Dilexit multum.* Idem videre eſt apud Matth.26. num.10. Luc.10. num.42. At Ioannem Baptiſtam nunquam inuenimus à Chriſto laudibus commendatum in facie eius; immò nec præſentibus diſcipulis, ſed *illis abeuntibus cœpit dicere de Ioanne Bapiſta.* Matth.11. num.7. vt ex Chryſoſtomo, & aliis Patribus iam aduerti ſuprà cap. 14. Huius rei diſcrimen indagamus. 192. *Ratio difficultatis.* Matth. 26. Luc. 10. Matth. 11.

193. Mendoça. Ad quæſtionem reſpondet primò R. P. Franciſcus de Mendoça tom. 2. in libros Reg. cap. 3. verſ. 9. num. 16. diuerſam dari rationem: nam Ioannes ex ſuis laudibus, vel in præſentia datis, vel per internuntios acceptis facilius poſſet ad quandam iactantiam tentari, quàm Magdalena; hæc enim, licet à ſuis peccatis iam expurgata, ita tamen eorum conſideratione, ac contritione in immò humilitatis defixa erat, vt ab illo nullis laudationis flatibus dimoueretur. At verò Ioannes eximiæ innocentiæ, ac ſanctitatis alis præclarè dotatus, facilius quandam laudationis auram colligeret, qua in iactantiam poſſet impelli. Alta ergo ſapientia diuinus magiſter pœnitentem in præſentia laudat; innocentem verò in abſentia; quia pœnitens in ſuis laudibus non multum periculi, innocens verò maximum inueniret. *Humilitas difficilior in innocente, quàm in pœnitente.*

194. *Aliquando Deus magis afficitur ad peccatores conuerſos, quàm ad innocentes.* Secundò, laudat Magdalenam in præſentia, non verò Ioannem; vt oſtendat, quanti æſtimet pœnitentes, quámque beneuolo ergo illos afficiatur



affectu, vt in eorum laudibus publicandis non immoretur, ſed ſtatim illas aperiat, vt in hoc, aliquo modo, & aliqua ex parte, contritos innocentibus antèponere videretur. Tertiò, non laudat in præſentia Ioannem, ſed Magdalenam, quæ denuo erat conuerſa, vt nos inſtruat, quod incipientes valdè beneuolè corroborandi, ac animandi ſunt, ne diffidant, ſed vt maiores vires concipiant, vt ita magis, ac magis in negotio virtutis creſcant, atque proficiant. *Incipientes beneuolè fouendi.*

195. *Magdalena ita rapiebatur in Chriſtum, vt ad nihil aliud attenderet.* Quartò, laudat Chriſtus Magdalenam in præſentia; adeò enim ipſa in obſequio diuino impendendo erat intenta, omnibúſque ſuis affectibus ita rapiebatur in Deum, vt ſuis laudibus auſcultandis minimè vacaret, ac proinde nullum eſſet periculum, ne de illis inaniter gloriaretur. Tanta vi, tantóque conatu amoris tota erat in Chriſtum defixa, vt præter Chriſtum ad nihil aliud attenderet. Cum hoſpitaretur Chriſtus apud ſanctas duas ſorores, conqueritur Martha, quod Maria ipſam ſolam reliquiſſet miniſtrare. Dominus pro Magdalena reſpondit: *Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. numer. 1. Sed cur Maria pro ſe non loquitur ad ſororem? Fortè tanto conatu tota ipſa Maria erat affecta in Chriſtum, vt non aduerteret ad ea, quæ à ſorore dicebantur. Vel, ſi aduertebat, potius eligebat, querelam ſororis ſuſtinere, quàm tantiſper de tanta Domini contemplatione ceſſare. D. Auguſtinus ſermon. 26. de verbis Domini. *Maria nec in reſpondendo voluit laborare. Si enim pararet reſpondendi ſermonem, remitteret audiendi intentionem. Reſpondit ergo Dominus.* Luc. 10. D. Auguſt.

196. Mortuo Lazaro venit Ieſus in Bethaniam; & tunc erat Magdalena in domo ſua multis concomitata Iudæorum principibus, qui venerant, vt ipſam conſolarentur. Tunc Martha *vocauit Mariam ſororem ſuam, ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. Illa, vt audiuit, ſurgit citò, & venit ad eum.* Ioan. 11. num. 29. Maximè miratur Chryſoſtomus homil.62. in Ioannem, quod cum Maria eſſet tanta nobilitate Iudæorum ſociata, tamen audiens aduentum Chriſti ſtatim à loco ſurrexerit, &, vt ait S. Pater, *neque cur ſurgeret dixit.* Cur cum tantis principibus, vrbanitatis gratia, vnum ſaltem verbum non habet? Cur tam citò diſcedit, nam ſanctitas inurbana non eſt? Audita Chriſti præſentia tam vehementi impulſu ad ipſum rapitur Magdalena, vt omnium rerum, hominum, ciuilitatis, ac vrbanitatis iam ſit oblita. D. Baſilius Seleucus orat.41. *Curis omnibus humanis ad Magiſtri præſentiam excuſſis, tota in hoc fuit, vt Magiſtro eſſet honori.* Ioan. 11. Chryſoſt. *Magdalena ob Chriſtum oblita omniũ.* D. Baſil. Sel.

197. In auguſtiſſimo Reſurrectionis die euntes mulieres ad monumentum ex Angelorum teſtimonio accipiunt, Chriſtum iam deuicta morte ſurrexiſſe. Matth. 28. num.5. Luc. 24. num.4. Quæ cum gaudio currunt ad Apoſtolos ferentes illa nuntia. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Ioan. 20. n.11. Sed cur huius ſanctiſſimæ fœminæ deſiderium non expletur viſione, ac colloquio Angelorum, qui in tanta pulchritudine eminent? D. Laurentius Iuſtinianus lib. de Agone cap. 4. *Nequaquam ipſorum viſione*, ait, *ſe temperauit à fletu, quoniam non Angelos, ſed Angelorum Dominum cupiebat.* Tam vehementer mulier Chriſtum inhiabat, tamque feruenti in ipſum ferebatur amore, vt quamuis adſint Angeli, adſint Archangeli, totiuſque cæli chorus, pro nihilo reputet, in nullo leuamen habeat, dum Chriſtus non adeſt, in quem omnia eius vota tendunt, & diriguntur affectus. Matth 28. Luc. 24. Ioan. 20. D. Laur. Iuſt. *Magdalena in Chriſto, & non in alio leuamen habebat.*

QVÆSTIO XXV.

*Quare Magdalena in tot, ac tantis præfertur Phariſæo, qui Chriſtum inuitauerat ad menſam?*

198. D. Paulin. RATIO litteralis patet ex dictis in expoſitione. Alias ſubiiciamus ex ſanctis Patribus, & ad mores. Primò, D. Paulinus Epiſtol.4. *Quo te, miſer Iudæe*, ait, *iactabis? In domo tua te peccatrix noſtra præuenit, ingreſſa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt ſuperbires; illa ieiunabat, vt ſeruiret. Et quam de vrceis tuis effundendam negaueras aquam, illa de ſuis oculis miniſtrabat. Tu pedes Chriſti non linteo; illa crine deterſit. Quos tu indignè nec manibus contingere voluiſti; illa oſculis mulcere non deſtitit; & ideo te illa præuenit, quæ affectu fideli ſe potius patris tui filiam comprobauit.* Meritò mulier anteponitur Phariſæo: nam hic ex quadam arrogantia, ac iactantia, *vt ſuperbires*, Dominum inuitauit ad menſam; at mulier ex amore accedit, & præſtat obſequia. Qui ergo ex ſuperbia ducitur, in multis deficit; qui autem ex amore, omnia perfectè adimplet; etſi non non habet aquam, ex oculis; ſi non linteum, ex capillis materiam ſubminiſtrat. Deinde probat S. Pater, quomodo ipſa in hoc negotio ſe veram filiam Abrahæ oſtendit, à quo degenerem ſe exhibuit Phariſæus, vt iam dixi ſuprà num. 99. *In ſuperbo deficiunt omnia, in amãte abundant.*

199. D. Paulin. Secundò, idem D. Paulinus citato loco. *Meritò*, ait, *prælata eſt Phariſæo, paſcenti licet Chriſtum, quæ, Iudæo exultante, ieiuna non cibi, ſed ſalutis auida ſeruiebat.* Ecce Phariſæus religione magnus, nobilitate princeps, ſapientia illuſtris, diuitiis præclarus; & cum tantus eſſet, vna mulier peccatrix, & non bonæ notæ, illi anteponitur, & præfertur in magnam ſanè eius confuſionem, cum vna fœmina Deo dare nouerit obſequia debita, quæ Phariſæus neſciuit. *Tu aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem rigauit pedes meos.* Hoc ſæpè in quantam verecundiam multis contingit, vt is, qui potior, ac præſtantior eſſe debebat in diuino obſequio perſoluendo, ſit minor, ac inferior, & ab vna anicula ſuperetur, ac deuincatur. *Vir magnus in ſui confuſionem à fœmina ſuperatur.*

200. D. Nyſſen. Tertiò D. Gregorius Nyſſenus homil. 1. in Cantica. *Qui omnibus*, ait, *ſcatere facit vitam, neminem vult eorum, qui ſalui fiunt, eſſe expertem huius oſculi: eſt enim oſculum purgamentum cuiuſuis ſordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobraſſe Simoni leproſo, cum diceret: Oſculum mihi non dediſti. Reuera fuiſſet emundatus ab ægritudine, ſi ore attraxiſſet puritatem.* Valdè mirum, quod ſibi Dominus velit oſculum hominis leproſi, vlceribus pleni, fœtore

*Deus delectatur innocentibus, ac peccatoribus conuersis.*

horribilis, obſcœnitate, immunditia vndique ſcatentis. Domine, ſi deſideras exoſculari, aduoca ad te ſanctiſſimam Genitricem, puriſſimóſque Angelorum choros, candidatóſque ſanctos Apoſtolos, ſed hominem lepra fœtentem vis habere in oſculum? Ita enim Dominus ad ſui acceſſum, ac halitum permittit iuſtos, & ſanctos, vt illum peccatoribus ad pœnitentiam non deneget, ſed cum innocentibus olim nocentes, cum puris pœnitentes, cum Angelis homines admittit. Vnde vehementer cupit exoſculaui à leproſo, pœnitentis typum gerente, vt eum ab inquinamentis mundet, ab vlceribus ſanet, & immaculatum, ac purum reddat.

201. Apoc. 14. *Vidi*, ait Ioannes, *Et ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis.* Apocal. 14. num. 14. Cur Dominus, qui ſedere dicitur ſuper Cherubim Pſalm. 79. num. 2. modò apparet ſedens ſuper nubem candidam? Et cur non potius ſuper nubem albam, ſiquidem ait D. Iſidorus de differentiis lib. 1. different. 7. *Inter album, & candidum hoc intereſt, quod album naturale eſt, candidum verò cura fit.* Ex quo fit, quod lilium, album dicendum ſit, cum ex natura ſua talem ſortiatur colorem: linteum verò candidum, cum cura, ac labore ad ipſum candorem deueniat. Deus ergo, qui ſedebat ſuper Cherubim, non viſitur ſedere ſuper nubem albam, ſed candidam, quia non ſolum Dominus ſedet cum puriſſimis ſpiritibus, qui ſunt in ſtolis albis, ſed etiam cum iis, qui labore pœnitentiæ, ac exercitatione lacrymarum puritate candidati inueniuntur.

*Pſalm. 79. — D. Iſidor. — Deus cõgaudet innocentibus, ac pœnitentibus.*

202. Pſalm. 137. Ait Regius Vates. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Pſalm. 137. num. 2. Dauid olim ambulauerat in multis peccatis, in adulterio, in homicidio; quomodo ergo in cœtu puriſſimorum Angelorum vult pſallere? quomodo cum ipſis immaculatis ſpiritibus canere? Agnoſcebat enim, quod Deus ita delectatur pſalmodia ſanctorum Angelorum, vt etiam maximè congaudeat cantu cordis contriti, & humiliati. D. Hieronymus ad citatum Pſalm. *Vide*, ait, *prouectionem pœnitentis: quia poſt confeſſionem, & pœnitentiam cum Angelis meretur pſallere.*

*Deus benignè recipit innocentes, ac pœnitentes. — D. Hieron.*

*Lucæ* 7. *n.* 45. Oſculum mihi non dediſti; hæc autem, ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos.

*Num.* 46. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.

*V E R S I O N E S.*

*Vatabl. ac Regia Biblia.* Hæc autem, ex quo intraui.

*Syriacus n.* 45. Tu non oſculatus es me: hæc autem ecce, ex quo ingreſſa eſt, non deſiit pedes meos deoſculari.

*Num.* 46. Tu oleo caput meum non vnxiſti: hæc autem oleo aromatico vnxit pedes meos.

*E X P O S I T I O  V I I I.*

203. Verſ. 45. MAXIME ponderandus eſt gratus animus Chriſti in nos; non enim ſolùm obſequia ſibi exhibita laudat, ſed ſingulas; operis circunſtantias encomiis multis proſequitur. Collatione facta ad negligentiam Phariſæi, contraria enim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: *Oſculum mihi non dediſti.* Solebant hoſpites, vt ait Titus Boſtrenſis, ſuos conuiuas, ac amicos foris aduenientes oſculo excipere in argumentum amoris, ac beneuolentiæ: Sed tuam hanc, ô Simon, ait Chriſtus, ruſticitatem, ac incuriam ſuppleuit, & ſuperauit vrbanitas, ac feruens Magdalenæ amor, quæ, non faciem, ſed pedes meos deoſculata eſt, non vno oſculo, ſed multiplicibus, ac continuis ab ingreſſu in domum hucuſque.

*Contraria iuxta ſe magis eluceſcũt. — Boſtrenſ.*

204. *Ex quo intrauit*, Vatablus, & Biblia Regia legunt *intraui*; ſed noſtra vulgata, & alia multa exemplaria in tertia perſona legunt, refertur enim ad Magdalenam. Preme illud verbum; *Ex quo intrauit:* nam Chriſtus Dominus non erat in limine, nec ſtatim ad ianuam, menſæ enim ponebantur in receſſu, ac in intima parte domus. Deinde Magdalena vbi primum ingreſſa eſt, non ſtatim perrexit ad Chriſtum, ſed prius inueſtigauit locum, in quo erat, acceſſit, & inclinauit ſe; quomodo ergo dicitur: *Ex quo intrauit?* O immenſa Chriſti pietas! Ex quo mulier ingreſſa eſt, vehementer concupiuit deoſculari pedes Chriſti; & Chriſtus pium mulieris deſiderium, opus reputat; ac de ſancto deſiderio, tanquam de operis exhibitione fatur. *Ex quo intrauit*, magno deſiderio flagrauit, & ipſum deſiderium, vt factum reputatur.

*Vatablus. Bibl. Reg. — Chriſtus bonum deſiderium, vt factũ reputat.*

205. Verſ. 46. *Oleo caput meum non vnxiſti.* Erga charos conuiuas aliud amoris argumentum exhibebatur, vt caput oleo vngeretur. *Paraſti in conſpectu meo menſam*, &c. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Pſalm. 22. num. 5. *Vt exhilaret faciem in oleo.* Pſalm. 103. num. 15. Hoc autem oleum erat ex oliua mixtum liquore diuerſorum florum, ac herbarum. Sic ait D. Ambroſius ad illa verba: Attulit alabaſtrum vnguenti: *Multorum enim florum in vnum collecta gratia ſpargit odorum varias ſuauitates.* Quot autem virtutum flores, ac ſuauitates Magdalena in hoc opere effundit, colligi poteſt ex dictis. Senſus autem hic eſt: Tu, ô Simon, ne vili vnguento vnxiſti caput meum; at verò Magdalena pretioſo aromate vnxit pedes meos.

*Pſalm. 22. Pſalm. 103. — D. Ambr. — In Magdalena multi virtutum flores.*

*Lucæ* 7. *n.* 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

*VER*



*V E R S I O N E S.*

*Arias.* Cuius gratia dico tibi: Remittuntur peccata eius multa.

*Syriacus.* Propterea dico tibi, remiſſa eſſe ei ſcelera eius multa, propterea quod multum dilexerit. Is autem cui paulùm remittitur, paululum diligit.

*D. Ambroſ. lib. de Tob. c. 22. D. Greg. lib. 6. Epiſtol. 22.* Remiſſa ſunt ei peccata.

*E X P O S I T I O  I X.*

206. CONCLVDIT Dominus totum ſuperius argumentum allatum. *Propter quod*, ſcilicet quia amor huius mulieris tot obſequiis, lacrymarum effuſionis, ablutionis pedum, &c. manifeſtatus eſt, *Dico tibi*; ita profatur, vt Simon magis attendat, & audiat: difficiliter enim aliorum laudes percipimus. *Remittuntur ei peccata multa.* Aliqui Codices, ſicut & Syrus, & Arabicus habent in præterito: *Remiſſa ſunt*: de quo iterum quæſt. ſequenti; *multa* dicit peccata, vt ex dicto *dilexit multum*, ac ex affectu vehementia amoris mulieris cognoſcatur, quæ tantam remiſſionem promeruit. *Quoniam dilexit multum.* Illa dictio *quoniam* denotat motiuum remiſſionis fuiſſe ipſam dilectionem, quæ antecedenter ſe habuit ad illam, vt ſuprà explicaui quæſt. 23. Et vt benè notat Idiota lib. 1. de Amore diuino. *Licet enim*, ait, *Magdalena abundanter fleuerit, pedes lacrymis lauerit, capillis terſerit, pedes oſculata fuerit, & vnxerit; tamen iſtis non attribuitur remiſſio, ſed ſoli dilectioni, quia ſine dilectione parum valuiſſent.*

*Syrus. Arabicus. Motiuum dilectionis. — Motiuum remiſſionis. — Idiota. Sine dilectione opera parum valent.*

207. Græcus. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Græcus verò habet *paululum*, ſeu *parum remittitur, paululum*, ſeu *parum diligit.* Hæc pars pertinet ad Simonem, tanquam vnum ex duobus debitoribus. Cui, vtpote non pœnitenti de peccatis, nec Deum diligenti; immò temerè de Chriſto, ac muliere iudicanti, nihil remiſſum eſt. Et cum ita abſolutè dicere potuiſſet *nihil*; tamen dicit parum, vel minus, modeſtiæ, ac ciuilitatis cauſa propter ſuum hoſpitem; tum etiam quia ipſe Phariſæus ſibi perſuadebat, modicum eſſe, quod Deo deberet; cogitabat enim ipſe, vix ſe eſſe tranſgreſſum mandata Dei, ac proinde opus ſe non habere Chriſto ad percipiendam peccatorum remiſſionem. Sic interpretatur D. Auguſtinus lib. 50. homil. 23. *Dictum eſt hoc*, ait, *propter Phariſæum, qui nulla, vel pauca ſe putabat habere peccata.* Et poſtea. *O Phariſæe, ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti ſuſpicaris: non quia parum dimittitur, ſed quia parum putas, quod dimittitur.* Dixit ergo Dominus parum, vel minus, quia Phariſæus ſibi perſuadebat, parum, ſeu minus debere, vt ita iuxta Phariſæi exiſtimationem ipſum deuincat, cognoſcátque quantum mulier ipſum in amore ſuperauerit; nam ipſa multum diligens Deum, obtinuit remiſſionem ad multa, ac ad omnia peccata (vnum enim mortale peccatum ſine aliis non remittitur.) Tibi verò, ô Simon, parum, vel nihil ex vera charitate Deum diligenti, parum, vel nihil remiſſum eſt. Vide igitur, quam temerè iudicaſti mulierem, peccatricem, quæ ob maiorem dilectionem, & remiſſionem ampliorem, te dignior, iuſtior, ac ſanctior exiſtit.

*Applicatio parabolæ. — D. Auguſt. — Ex propria exiſtimatione conuincitur Phariſæus.*



208. Addit hic Toletus in commentario, quod dicitur Simoni minus dimiſſum, non quod aliqua peccata ei fuerint condonata, cum enim de eis tunc non habuerit pœnitentiam, nec remiſſionem accepit; ſed quod gratia Chriſti ab aliquo peccato committendo fuerit præſeruatus: nam qui Chriſtum inuitauerat ad menſam, non eum odio perſequebatur, vt cæteri Phariſæi. Vnde poſtea ipſe conuerſus eſt ad Chriſtum, vt iam dixi.

*Tolet. Alia expoſitio.*

---

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quo tempore peccata fuerint remiſſa Magdalenæ?*

209. MALDONATVS, & Franciſcus Lucas exiſtimant, remiſſa eſſe peccata mulieri, quando Chriſtus infrà verſ. 48. dixit mulieri: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ac proinde ita explicant præſentia verba: *Remittuntur ei peccata multa:* ideſt iam iam ſtatim remittenda. Secundò, alij cenſent, quod quando Chriſtus hæc præſentia verba dixit: *Remittuntur ei peccata multa:* tunc illi ſunt condonata. Tertiò, Barradas exiſtimat, quod ante hæc verba, quando Magdalena habuit veram contritionem, tunc ſunt ei remiſſa quoad culpam; modo verò quoad pœnam habuit indulgentiam.

*Maldonat. Franc. Luc. — Barradas.*

210. Multò probabilius mihi eſt, quod tunc facta eſt mulieri plena peccatorum remiſſio, quando fide, dilectione, contritione, ac pœnitentia ſuorum peccatorum mulier commota eſt, ac ſe totam Chriſto conſecrauit. Ex vi enim huius amoris, ac doloris in tam miros externos effectus prorupit ſcilicet lotionis, terſionis, oſculationis, & vnctionis pedum Chriſti. Ita docent D. Cyprianus lib. de ablutione pedum. D. Gregor. Magnus homil. 33. in Euangelia, & alij Patres. Toletus annot. 76. Cornelius, & alij hoc loco.

*Vera ſententia. — D. Cypr. D. Gregor. Magnus. Tolet. Cornel.*

211. Græcus. Probatur ex textu Græco, in quo habetur in præterito: *Remiſſa ſunt ei peccata multa:* ergo iam condonata erant illi peccata. Noſter autem Interpres poſuit in præſenti eodem ſenſu, quo Sacerdos in ſacramento Pœnitentiæ, quando pœnitentem iam iuſtificatum, vel per contritionem, vel per aliam confeſſionem antecedentem, iterum de eodem peccato abſoluit, & profert verba. *Ego te abſoluo:* hoc eſt, tibi confero, & communico ſanctitatem, ac gratiam ex ſe remiſſiuam omnis culpæ, vt docent D. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 3. ad 3. Henriquez lib. 4. cap. 12. Vaſquez de pœnitentia quæſt. 84. art. 3. dubio 2. num. 12. Suarius tom. 4. ad 3. part. diſputatione 19. ſect. 2. num. 15.

*Quo ſenſu verba ſunt in præſenti. — D. Thom. Henriq. Vaſquez. Suar.*

212. Deinde idem peccatum ſæpius condonari poſſe



per

per nouos actus pœnitentis, contritionis, ac humilitatis, certum eſt. Et cum Magdalena in multis actibus dilectionis, ac doloris perſeueraret, & creſceret, ideo ter à Chriſto audit, ſibi peccata remitti. Primò hic: *Remittuntur ei peccata multa.* Secundò verſ.48. dixit ad illam: *Remittuntur tibi peccata tua.* Tertiò verſ.50. *Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.*

*Magdalena ter à Chriſto audiuit, ſibi remitti peccata.*

213. *Stabilitur reſolutio.* Probatur deinde noſtra reſolutio. Vt conſtat ex teſtimonio Chriſti, Magdalena *multum dilexit:* ergo voluntate illa, qua Deum ſuper omnia diligebat, omnia peccata ſummè deteſtabatur, de illiſque dolebat, vt Deum placaret, ſibique eum reconciliaret: igitur tali dilectione, ac deteſtatione omnium ſuorum peccatorum Magdalena obtinuit eorum remiſſionem, ac condonationem iuxta illud Zachariæ 1. num. 3. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis.* Et Ezechielis 18. num. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, &c. Vita viuet, & non morietur, & omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ergo antequam Chriſtus ei diceret: *Remittuntur tibi peccata tua;* iam vi contritionis perfectæ & charitate formatæ condonata erant peccata.

Zachar. 1. Ezech. 18.

214. Ex quo infero, quod cum Magdalena eſt conſtituta à Deo pœnitentiæ exemplar, ipſo eam illuminante per efficaciſſimam, ac validiſſimam gratiam, ex qua concepit valdè vehementem ſuorum delictorum dolorem, ex ſummo Dei amore ſuper omnia prouenientem: Inde ante prolationem horum verborum. *Remittuntur ei peccata multa,* iam ipſa obtinuerat à Deo pleniſſimam indulgentiam omnium peccatorum tam quo ad culpam, quàm quo ad pœnam pro eis debitam, vt docet Toletus.

*Magdalena habuit remiſſionē quo ad culpam, & pœnam.*

Tolet.

215. *Cur Chriſtus dixit mulieri, remiſſa eſſe peccata.* Chriſtus Dominus autem dixit mulieri. *Remittuntur peccata tua,* vt eam de remiſſione redderet certam, ad quod iam impetraſſet, quod petebat. Secundò, vt indicaret Phariſæo, quàm malè de muliere iudicauerat. Tertiò, vt ſe verum Deum, ac peccatorum remiſſorem demonſtraret.

## Qvæstio XXVII.

### *Quare à Chriſto Domino nec exprimitur, à quo remittuntur peccata: nec quem, vel quid Magdalena diligeret?*

216. *Prima quæſtio: Cur Chriſtus non explicat à quo ſint remiſſa.* DVo inquiro in hac quæſtione. Et primò: Quare Chriſtus Dominus non exprimit, à quo ſunt remiſſa peccata huius mulieris? nam dupliciter de hac remiſſione hic agit Chriſtus. Primò hic cum Phariſæo: *Remittuntur ei pecca multa.* Secundò, loquens cum muliere verſ. 48. *Remittuntur tibi peccata tua.* Et tamen in vtroque loco non explicat Chriſtus, à quo ſint remiſſa; non enim dixit, Remitto ei, vel tibi peccata tua; cum tamen valdè minutim mulieris officia erga ſe exhibita declarauerit: *Lachrymis rigauit pedes meos, capillis ſuis terſit; non ceſſauit oſculari pedes meos; vnguento vnxit pedes meos.*

217. *Chriſtus largus in recenſendis noſtris obſequijs, parcus in referendis ſuis donis.* Reſpondeo, quod Chriſtus Dominus largus eſt in recenſendis noſtris obſequiis, vt illa remuneret; valdè tamen parcus in referendis ſuis donis in nos collatis, tum modeſtiæ cauſa; tum etiam quia ob ſuum eximium amorem in homines ſua magna dona in nos diffuſa in parum reputat, & ea minimè verbis repetit. Vide ſuprà cap.9.n.102. & 103. & num. 1. ac 2. tom. verbo Beneficium in Indice.

218. *Secunda quæſtio.* D. Greg. Secundò quæro: Quare, cum ipſe Dominus fuiſſet dilectus, non tamen explicat, quid, aut quem Magdalena dilexerit; ſicut nec à quo remiſſa ſunt peccata, vt modo dixi? D. Gregorius homil. 33. in Euangelia ait: *Maria Magdalena, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis.* Perpende verba *amando veritatem.* Quando Magdalena ſe totam applicauit ad veritatem inquirendam, ac in ea cœpit ambulare, ſtatim à ſe laſciuiæ malum propulſauit, ac Dei amatrix extitit. Deinde

*Veritatem ſequi, valdè vtile ad propulſanda vitia.*

219. *Verus amor, non verbis, ſed operibus declaratur.* Reſpondeo ad quæſtionem. Quamuis Chriſtus Dominus eſſet dilectus à Magdalena, hoc non exprimit hic verbis. Ipſe enim maximè recenſuit obſequia, ſibi à muliere præſtita, *rigauit pedes meos, capillis ſuis terſit, non ceſſauit oſculari pedes meos, vnguento vnxit.* Non ergo ſermonibus, ſed tot exhibitis officiis, ſe eſſe à muliere dilectum, oſtendit. Verus enim amor, non verbis, ſed operibus declaratur, ac exprimitur, & comprobatur.

220. Venit filius ille Prodigus ad Patrem, omni affectu, ac conatu gratiam genitoris exoptans, ac perquirens; & multis lacrymis, ac contritionis ſignis proclamat: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Luc.15. num.21. Et tamen tantis non commouetur Pater, vt vnum beneuolentiæ verbum erga filium proferat. Quomodo, piiſſimus Pater, nec vnum amoris habet verbum erga filium de eius gratia tam ſolicitum? Quomodo ipſum non conſolatur, vt ab eius ore audiat, iam in ſuam reconciliationem eſſe receptum? Cum veniret filius, *Videns eum Pater, miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum; dixit ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum,* &c. ibidem num.22. Cur Pater, qui tam auarus eſt ſermone, largus eſt operibus? Magnus, & ingens genitoris amor, non blandimentis verborum, ſed ampliſſimis beneficiis profertur, ac exprimitur; idcirco à ſermone abſtinet, qui tam ingentia dona largitur, atque diffundit. Vide ſuprà cap. 11. num. 23. & in hoc cap. ſuprà num.87.

Luc. 17.

*Ingens amor, non ſermone, ſed donis manifeſtatur.*

## Qvæstio XXVIII.

### *Quare variæ virtutes in alijs commendantur; in Magdalena verò charitas, & dilectio?*

221. *Multi commendantur à Chriſto.* PEr contextum Euangelicum præclariſſimos Heroas inuenies à Chriſto commendatos, Nathanaelem de ſimplicitate: *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Ioan.1. n. 47. Centurionem de fide: *Non inueni tantam*

Ioan. 1. Matth. 8.



*fidem in Iſrael.* Matth. 8. n. 10. Similiter de fide laudat Chananæam: *O mulier magna eſt fides tua.* Matth. 15. n.28. In Ioanne Baptiſta conſtantiam laudat: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam,* &c. Matth. 11.n.7. In Petro verò diuinorum myſteriorum cognitionem. *Beatus es, Simon Bar Iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.* Matth.16.n.17. Et tandem omnes Apoſtolos de perſeuerantia: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Luc.22. n.28. At Magdalenam de charitate, & dilectione Chriſtus celebrat; ac commendat.

Matth. 15. Matth. 11. Matth. 16. Lucæ 22.

222. *Charitas virtus omnium perfectiſſima.* Pro exacta explanatione huius rei nota, quod Charitas eſt virtus ex omnibus, quæ homini in hac vita infunduntur, perfectiſſima. Hoc apertè ex multis locis Scripturæ conſtat. De præcepto Charitatis loquens Chriſtus ait: *Hoc eſt primum & maximum mandatum.* Matth.22. n.37. Et Paulus 1. Corinth. 13.n. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.* Et ad Colloſſenſ. 3. n. 14. *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Ex Patribus docent D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. cap.18. & ſerm.1. in Pſal.113. D. Leo Papa ſerm. de S.Laurentio. D.Ambroſius Epiſtol.74. D.Hieronymus in cap. 5. ad Galat.

Matth. 22. 1. Cor. 13. Colloſſ. 3. D. Auguſt. D. Leo. D. Ambr. D. Hieron.

223. *In quanto ſanctitatis apice emineat Magdalena.* Chriſtus Dominus Magdalenam de ſuprema omnium virtutum laudat, vt inde facilè deprehendatur, in quanto perfectionis, ac ſanctitatis apice emineat, quæ de tanta excellentia, ac ſublimitate ex Chriſti Domini teſtimonio commendatur: *Dilexit multùm.* De omnibus Gentibus ait Iſaias 40.n.17. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo; & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Et tamen Magdalenæ amor in conſpectu Dei multus eſt.

Iſai. 40.

224. In Eccleſia Chriſti, repræſentata in domo Marthæ, variæ ſunt functiones, variaque miniſteria: tamen de hac noſtra illuſtriſſima fœmina dictum eſt à Chriſto: *Maria optimam partem ſibi elegit.* Luc.10.n. 42. Sed quomodo Deus, qui *in Angelis ſuis reperit prauitatem.* Iob.4.n.18. In Maria non ſolùm inuenit bonam partem, verùm etiam optimam? In tantum apicem hæc mulier euecta eſt, vt quidquid in ea perlucet, ſit vndique perfectum, omni iuſtitia, ac ſanctitate valde inſignitum, ac conſpicuum. Doctiſſimus Idiota lib. 1. de Amore Dei. *Maria charitate vulnerata, non quamlibet partem, ſed optimam elegit.*

Luc. 10. Iob. 4. Idiota.

*Lucæ 7. n.48.* Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.

*Num.49.* Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?

*VERSIONES.*

*Syriacus.n.48.* Et dixit mulieri illi: Remittuntur tibi ſcelera tua.

*Num.49.* Cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere apud ſe.

*Euthymius.* Dicere intra ſeſe.

*Arias.* Dicere in ſeipſis.

### *EXPOSITIO X.*

225. Verſ. 48. ANte prolationem horum verborum iam remiſſa eſſe mulieri peccata ob illuſtriſſimam eius contritionem, quæ ad tot pœnitentiæ ſigna ipſam induxit, iam ſupra dixi quæſt. 26. Nunc verò iam remiſſa publicantur, ac manifeſtantur, vt mulier tota diffuſa in lachrymas conſolaretur, vtque ipſa certiſſima fieret de remiſſione, quam ſummopere optabat. *Dixit ad illam.* Nam quamuis hoc fuiſſet iam dictum Simoni, nunc ad mulierem dirigit ſermonem, quia tam vehementer rapiebatur in Chriſti contemplationem, vt ad nulla attenderet verba, niſi hoc ei à Chriſto mandaretur: *Remittuntur tibi peccata tua:* hoc eſt remiſſa declarantur; Et quia Mulier ob ſuos multiplices contritionis actus multiplicem à Deo condonationem promerebatur, de quo citata quæſt. Toletus verò aliter ait, quod ponitur verbum præſentis pro præterito, quia parum temporis interceſſerat, quando ei remiſſa ſunt peccata, vt quaſi præſens eſſet reputandum.

*Mulier conſolatur.*

*Magdalena ita in Chriſtum rapta, vt ei mandetur, ad verborum attentionem, quod attendat.*

Toletus.

226. Verſ 49. *Et cœperunt.* Conuiuæ illi, viſa tanta Chriſti miſericordia, non prorumpunt in gratiarum actiones, ſed in detractiones, ac murmurationes. *Qui ſimul accumbebant,* alij nempe conuiuæ, nam Simon à Chriſto redargutus, veluti obſtupefactus, ac turbatus hæſit, non habens quid diceret. Aderant etiam multi alij miniſtri, & aſſiſtentes; tamen qui detrahunt, ſunt, qui ſimul accumbebant, quibus Chriſtus tantam miſericordiam donauerat, vt eos ſecum ad menſam permiſerit. *Dicere intra ſe.* Illud *intra ſe* Græcè ambiguum eſt; tum quod accumbentes loquebantur ad inuicem, vnus cum alio; tum quod vnuſquiſque dicebat in corde ſuo; qui eſt veriſimilior ſenſus: nam præſente Chriſto, Phariſæi loqui non audebant.

*Adſtricti beneficio ſæpe ingrati.*

Græcus.

227. *Quis eſt hic,* tanta eminens auctoritate, ac poteſtate, *qui etiam,* illud *etiam* ad mulierem, ac ad miracula referendum eſt. Ac ſi dicatur: Quis eſt hic, qui non ſolùm mulierem peccatricem ad ſe admittit, & non ſolùm miracula facit, ſed etiam *peccata dimittit?* Chriſtus, qui Simonem, quem ad ſe vocare diſpoſuerat, de ſua obmurmuratione reprehenderat, hos tamen non increpat; qui enim tanta Simonis admonitione non ſunt emendati, valde obſtinati erant: tum etiam, vt hi Phariſæi in ſua admiratione, ac dubietate relicti intenderent animum ad ſcrutandam eius doctrinam, vitam, ac miracula, & inde agnoſcerent, eum verum eſſe Meſſiam Filium Dei.

*Qui aliorum reprehenſione non emendantur, valde obſtinati.*

*Lucæ 7. n. 50.* Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit; vade in pace.

*VERSIONES.*

*Arias.* Fides tua te ſeruauit: vade in pacem.

*Vatablus.* Vade cum pace.

## EXPOSITIO XI.

228. DIXIT *ad mulierem*; eius veſtigiis adhuc inhærentem, & expectantem audire, quid facere iuberetur. *Fides tua te ſaluam fecit.* Illa ſcilicet, qua mulier credidit, ipſum habere poteſtatem remittendi peccata. Et ait: *Saluam fecit:* in cauſa fuit, vt à me peccatorum remiſſionem, ac ſalutem animæ obtineres. Et de fide facit mentionem, tum quia ipſa eſt initium, ac exordium ſalutis; tum etiam, vt in fide mulierem confirmaret, ac alios, vt ait Theophylactus, ad ſimilem fidem induceret. Deinde vt tantam mulieris fidem opponeret incredulitati præſentium conuiuarum, notans eos, quod tanto mulieris exemplo increduli perſiſtant. Et ponderandum, quod Dominus ſupra remiſſionem peccatorum tribuerat dilectioni: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: nunc verò in præſenti eam adſcribit fidei; verùm hîc non nuda fides ſolùm eſt intelligenda, ſed fides cum charitate, ac contritionis actibus operans.

*Fides initiũ ſalutis.* — Theophyl. — *Non nuda fides hic intelligenda.*

229. *Vade in pace.* Modus eſt dimittendi cum benedictione, ac fœlicitate, id eſt, Vade ſecura, læta, ac tranquillo animo, nec de remiſſione tuorum peccatorum amplius ſis ſollicita: quia, quod deſiderabas, ac petebas, iam obtinuiſti. Marc. 5. n. 34. Nec enim amplius præterita peccata tibi nocebunt, quominus oblata à Deo pace fruaris, iuxta illud Apoſtoli Rom. 5. n. 1. *Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.*

Marc. 5. — *Iuſtus pacem habet cum Deo.* — Rom. 5.

230. Notandum, quod poſt finitum obſequium lauandi, ac vngendi pedes Chriſti; poſt impetratam peccatorum remiſſionem; *Remittuntur peccata tua:* adhuc mulier ita Chriſto adhærebat, vt neceſſe fuerit, eam mandare, vt abiret; tantam enim à corporis Chriſti halitu percipiebat dulcedinem, vt niſi iuſſa, non diſcederet. Caietanus. *Sentiebat*, ait, *intus mulier fructum magnum ex præſentia Ieſu: & propterea percepta venia peccatorum, & commendata eius fide, non recedebat, niſi Ieſus ſuaui præcepto receſſum imperaſſet.*

*Ex Chriſti præſentia: mira dulcedo hauritur.* — Caiet.

## QVÆSTIO XXIX.

### *Quare, cùm fides ſit magnum, ac ſpeciale Dei donum, mulieri dicitur:* Fides tua.

231. DIVINA fides eſt valde perilluſtre Dei donum ſupernaturale, qua depulſis errorum, ac ignorantiæ tenebris mens illuſtratur in Dei cognitione, ac in via ſalutis; eius habitus infuſus eſt à Deo, vt de fide certum docet Suarius tom. de fide diſp. 7. ſect. 1. n. 2. Eius verò actus à ſpeciali adiutorio, ac inſpiratione Spiritus ſancti prouenit, vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3.

*Fides magnũ Dei donum.* — Suarius. — Tridentin.

232. Quærimus ergo in præſenti, cum fides ſit tam peculiare Dei donum, quomodo dicitur mulieri: *Fides tua?* Ratio litteralis eſt manifeſta: Quia, quamuis actus fidei ſit ab auxilio Dei, ac etiam ab habitu infuſo proueniat, à libero etiam hominis conſenſu procedit, nam præuia voluntate liberè conſentiente intellectus aſſentitur fidei propoſitionibus. Vnde per bona merita ſua homo promeretur ſalutem æternam, vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32.

*In actu fidei homo dat ſuum conſenſum.* — Tridentinũ.

233. Moraliter aliam ſolutionem colligo ex D. Paulino Epiſt. 4. *Quidquid Chriſto impendimus*, ait, *nobis potius conferimus. Denique illa perfundendo Chriſtum, ſe abluit; pedes illius detergendo, ſua peccata mundauit. Illum diligens, ſe dilexit. Et ideo meruit audire; Fides tua te ſaluam fecit.* Cùm Magdalena, concepta feruenti fide in Chriſtum, tota eius obſequiis eſſet applicata, lauando Domini pedes, detergendo, oſculando, ac vngendo; inde promeruit, vt non ſolùm quidquid Deo dabat, ſuum faceret, nempe vt ſeipſam lauaret, ac detergeret à maculis, & ſe oleo gratiæ perfunderet, ſed etiam fidei doctrinæ conſentiendo, ipſam fidem, ſupernaturale donum, ſuam faceret. Valde enim ſpecialiſſimè ſibi homo comparat omne illud, quo vtitur, ac quod exhibet obſequendo Deo.

D. Paulinus. — *Quæ Deo damus, valde ſpecialiter nobis comparamus.*

234. A Magdalena non diſcedam. Cùm Ieſus eſſet in Bethania, pretioſiſſimo vnguento vnxit ipſa pedes eius. Obmurmurat Iudas. Cuius maleuolentiam compeſcens Ieſus ait: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Ioan. 12. n. 7. Quodnam verbum dicis Domine? *Seruet illud.* Quomodo ſeruabit, ſi in Chriſti pedes profunditur, ita vt tota domus odore repleatur? Meritò ideo ſeruabit, quia profundit; nil enim melius comparatur, ac veluti in theſauro recluditur, quàm id, quod in obſequio Chriſti impenditur. Salmeron tom. 4. p. 3. tract. 30. *Quia ſic effuſa*, ait, *non pereunt, ſed ſeruantur.*

Ioan. 12. — *Quod Deo præbes, tibi ſeruas.* — Salmeron.

235. Cùm Dauid, occiſo Philiſthæo, extitiſſet illius triumphator, ait textus, quod arma poſuit in tabernaculo ſuo. 1. Reg. 17. n. 54. Et tamen, illa in Dei tabernaculo collocaſſe, apertè conſtat ex reſponſo ſacerdotis Abimelech: *Eſt hic gladius Goliath inuolutus pallio poſt Ephod.* 1. Reg. 21. n. 9. Vt ibi explicant Carthuſianus, Lyranus, Hugo, Gaſpar Sanchez, & alij. Sed iam inſurgit difficultas: Si arma Goliath conſecrauit Dauid Dei tabernaculo, quomodo ea pependit in tabernaculo ſuo? Varias ſolutiones dant Abulenſis, & Caietanus: Non incongruè ad rem noſtram dicendum eſt, quod Dauid gladium Goliath conſtituit in tabernaculo Domini, & inde in tabernaculo ſuo dicitur repoſitum; quod enim Dei templo, ac eius obſequio deferimus, id maximè ſeruatum in propria domo retinemus. Vide ſupra in hoc cap. n. 92. & 100.

1. Reg. 17. — 1. Reg. 21. — Carthuſian. Lyranus. Hugo. Sanchez. Abulenſis. Caietanus. — *Quod Deo exhibes, in domo tua reponis.*

## QVÆSTIO XXX.

### *Quare Magdalena mandatur abire in pace abſque vlla impoſita pœna, cùm aliter factum ſit cum Adamo?*

236. INDVLSIT Chriſtus Dominus Magdalenæ omnium ſuorum ſcelerum veniam abſque vlla impoſita pœna, vt aduertit Hugo Victorinus in ſuis annotationibus in Pſalmos cap. 64. Aliter verò ſe habuit Deus cum Adamo. Vocauitque Dominus Adam, & dixit ei: *Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Et poſtea ſubiungit

Hugo. — Gen. 3. — *Ratio difficultatis.*



Deus. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea*, &c. Gen. 3. n. 17. Cur ergo in Adamo, etiam pœnitente, tot ſunt conglomeratæ pœnæ, in Magdalena verò tanta benignitas? Et ratio eſt in promptu, petita ex eius inſigni contritione. Quod corroborari poteſt Boni Latronis exemplo, qui abſque vlla pœna, pro culpis impoſita, ſtatim volauit in cælum, vt diſſerit D. Chryſoſtomus homil. de Cruce, & Latrone.

D. Chryſoſt.

237. Secundò, quandam rationem in ſenſu morali colligo ex Ruperto lib. 1. de Sapientia, cap. 15. *Nempe cùm diceret Deus: Vbi es? Vocabat hominem ad cor ſuum, vt ſaltem vocanti reſponderet: Et hoc quidem bonum erat, vt ſaltem vocanti reſponderet: Melius autem, vt prius ipſe loqueretur; Deus autem reſponderet, quantas haberet iniquitates. Illud non fecit Adamus, non locutus eſt, ſed Deum quaſi Dormire permiſit; nec Deo fecit negotium reſpondendi: vnde & ingrato ſilentio quaſi poſt meridiem ſomno excitatus ſurrexit Deus, & indignans, quod non fuiſſet vocatus, prior ipſe hominem vocauit.* Moraliſſimè dicam, Adamus Dei voce, deambulantis ad auram poſt meridiem, vocatus, ac veluti compulſus comparuit in iudicio diuino. *Indignans Deus, quod non fuiſſet vocatus, prior ipſe hominem*, ſcilicet Adamum, *vocauit.* At mulier, cùm cognouiſſet, quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, ſponte tota lachrymis profuſa, ſe ante Dominum præſentauit. Vt ex hoc morali documento diſcas; quod reus, qui ſponte ad iudicium conuenit, antéque iudicem ſiſtit, magna indulgentia ſuſcipiendus eſt, paríque fauore multum de rigore pœnæ ei remittendum. Dixi, moraliſſimè, quia agimus hîc de vocatione externa voce; nam Magdalena internè etiam per Dei gratiam vocata eſt, vt de fide certum ſupponitur.

Rupert. — *Reus, qui ſponte ſua conuenit in iudicio multam miſericordiam promeretur.*

238. Secundò, vel tertiò, Adamus in peccato ſuo quæſiuit excuſationes: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. n. 12. At Magdalena tota erat inſiſtens in confeſſione ſuorum peccatorum, corde, oculis, capillis, manibus, oſculis, ac toto geſtu, vt quidquid erat in hac ſancta fœmina, ſuarum iniquitatum confeſſionem clamaret, multúmque ab Adamo, excuſationes quærente, diſtaret.

Geneſ. 3. — *Peccata manifeſtè confitenda ſine excuſatione.*

239. Ait Iob. 31. n. 33. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam:* Vbi nos habemus *quaſi homo peccatum meum*, in Hebræo eſt, *quaſi Adamus.* In quibus verbis, vt docet Pineda ex Philippo Abbate, commendat Iob innocentiam, ac ſanctitatem ſuam; & ſe valde eſſe alienum ab omni hypocriſi, ac malo demonſtrabat. Sed quodnam medium adducit ad ſuam iuſtitiam oſtendendam? Quod nunquam, vt Adamus, ac etiam vt homines ſolent transfuſa natura à ſuo primo parente; in peccato ſuo excuſationes prætenderit, ſed patenter, ſi quod fuit, illud eſt confeſſus. Præclarè de hac re loquitur D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 13. Accipe nunc D. Thomam. *Si abſcondi*, ait, *ſicut homines ſolent facere, peccatum meum, illud ſcilicet indebitè negando, vel excuſando, vel etiam aſtutiis aliquibus palliando.*

Iob. 31. — Hebr. Pineda. Philippus Abbas. — *In confitendis peccatis non quæras excuſationes.* — D. Greg. D. Thomas.

240. Qui in peccato ſuo non excuſationem prætendunt, ſed claram, ac perlucidam confeſſionem, tanto munere donantur, vt iam prope ad Dei ſedem accedant. Videt Ioannes in multa maieſtate Diuinitatis thronum, & ait: *In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Apocal. 4. n. 6. Sed cur ante ſedem Dei eſt mare vitreum ſimile cryſtallo, cùm in templo Salomonis fuiſſet mare æreum. 3. Reg. 7. n. 23. Mare vitreum illud Confeſſionis Sacramentum denotare, graues explicant Patres, vt videre eſt apud Carthuſianum. Sed cur Confeſſio magis aſſimilatur mari vitreo ſimili cryſtallo, quàm æreo? Occulta manent, quæ ære clauduntur; quæ in vitro cryſtallyno ſunt, vndique apparent perſpicua. Ea autem confeſſio ad acceſſum diuini throni nos transfert, quæ abſque vllo fuco, & ſimulatione, patens, ac candida eſt. Viegas. *Poteſt explicari*, ait, *vt pœnitentia mare ſit vitreum propter Confeſſionis perſpicuitatem.*

Apocal. 4. — 3. Reg. 7. — *Confeſſio ſit abſque fuco perſpicua, & patens.* — Viegas.

241. Ait Regius Vates. *Deus vitam meam annuntiaui tibi.* Pſal. 55. n. 9. Agellius vertit: *Lucernam meam annuntiaui tibi.* Dauidis vita aliquibus criminibus extitit fœdata: quid ergo habet peccatoris vita cum lucerna? Quid magis lucidum, quàm faces? quid magis tenebroſum, quàm peccatoris inceſſus? Peccator, dum vitam ſuam Deo annuntiat, atque confitetur, ita clarè, ac patenter omnia producit, ac ſi veluti lucerna lucens tenebras propulſans proferatur. Et tunc ſequitur: *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Greueus apud eundem Lorinum. *Vitam*, ait, *annuntiaui tibi, planam, & apertam confeſſionem abiecto noxio pudore.*

Pſalm. 55. Agellius. — *Confeſſio ſit plana, & aperta.* — Greueus.

## QVÆSTIO XXXI.

### *Quare Magdalena nullum verbum facit de magnalibus Ieſu, cum Samaritana multum de ipſis prædicet?*

242. ACCEPTA optatiſſima indulgentia peccatorum, tacens abiit Magdalena, & nec verbum de Chriſti magnalibus legitur feciſſe. Aliter verò Samaritana cucurrit ad ciuitatem & Chriſti excellentias prædicat, ac cunctis annuntiat: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci: nunquid ipſe eſt Chriſtus.* Ioan. 4. n. 29. Cur ergo Magdalena ita tacet, cum Samaritana tantis prædicet?

*Ratio difficultatis.* — Ioan. 4.

243. Quandam rationem colligo primò ex D. Cyrillo Alexandrino lib. 2. in Ioan. cap. 99. *Charitatis*, ait, *quæ virtutum optima eſt, viribus mulier accenſa, bonum, quod ei contigit, cæteris quoque curſu præbere ſtudebat: nec mirum, occultius enim Chriſtus ſecum loquebatur dicens: Gratis accepiſtis, gratis date.* Perpende verba: *Occultius enim Chriſtus ſecum loquebatur.* Magdalena patenter, ac in publico coram Phariſæorum cœtu Chriſti gratiam ac miſericordiam ſuſcepit: & quæ manifeſta, ac aperta erant, non indiguerunt, voce Magdalenæ diuulgari, cum ipſa in omnium oculis eſſent nota. At quæ cum Samaritana acciderunt, occultius operata ſunt à Chriſto; & inde conueniens erat, vt manifeſto affectu declararentur, quæ occulto myſterio peracta fuerant: nequeunt enim diuina dona diu in occulto manere, quin perſpicua, ac nota omnibus fiant.

D. Cyrillus. — *Diuina dona nequeunt diu in occulto manere.*

244. Secundò, Samaritana, vt iam conuerſa in Chriſtum, ac in eius ſchola militans, prædicat, & annuntiat Chriſti magnalia. At Magdalena ſuperno

*Magdalena charitate vulnerata.* ſuperno quodam charitatis affectu vulnerata, veluti in quadam extaſi rapiebatur, vt dimiſſis omnibus nihil aliud intenderet, niſi mirificè Chriſtum contemplari, ardentiſſiméque diligere: nam Richardus. vt ait Richardus de S. Victore de Gradibus charitatis *Dei amor ab omnibus feriatur, vt inceſſanter Deum diligat, ipſumque, quem diligit, contempletur.*

245. Cantic. 5. Ait Sponſa: *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, chariſſimi.* Cantic. 5. num. 1. Illud in hac re maximè ponderandum, quod amicos inuitat ad menſam, vt comedant, & bibant: *Comedite, amici:* chariſſimos, ac ſibi dilectiſſimos ad ebrietatem vocat: *Inebriamini, chariſſimi.* Sed quodnam eſt hoc diſcrimen inter amicos, ac chariſſimos? Amici comedunt, & bibunt de diuinis donis, dum replentur cæleſti gratia, ac etiam doctrina ſacræ Scripturæ, vt explicant D. Gregorius D Greg. D. Anſelmus. Papa, & D. Anſelmus apud Giſlherium expoſit. 4. vt eam annuntient, ac prædicent. At chariſſimi inebriantur, dum veluti extaſi quadam, tanquam altiſſimo ſopore demerſi, ita ſenſuum præſidio deſtituuntur, externas curas dimittentes, vt ſoli Deo inuigilent, vt ipſum contemplentur, ipſumque ſummè diligant. *Chariſſimi Deo, dimiſſis omnibus, ſolum ad eius dilectionem intendunt.* Richardus de S. Victore in Beniamin lib. 4. cap. 16. Richardus. *Chari comedunt*, ait, *ſed chariſſimi inebriantur, quia ſecundum menſuram dilectionis diſpenſatur, & modus manifeſtationis. Ebrietas autem mentis alienationem efficit, & ſupernæ quidem reuelationis infuſio eos duntaxat, qui chariſſimi ſunt, in mentis exceſſum abducit.*

# CAP. XVI.

## *Ieſus hoſpitatur apud Martham.*

*Lucæ* 10. *n.* 38. Factum eſt autem, dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum. Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Vt introiret in vicum quendam, & mulier Mortho nomine excepit eum domui ſuæ.

*Theoph. Vatabl.* Vt ipſe intraret in quoddam oppidulum.

### *EXPOSITIO I.*

1. *Connexio cũ ſuperioribus.* Lucas 8. POST Magdalenæ conuerſionem quid ſequatur in hiſtoria Euangelica, valde incertum: tamen cum Lucas cap. 8 n. 2. dicat, quod Ieſus ambulat per ciuitates docens, ideo in hoc itinere exceptum fuiſſe à Martha, valde probabile eſt: vnde poſt conuerſionem Magdalenæ hanc hiſtoriam de hoſpitio hîc connectunt Tacianus. Tacianus in ſua Harmonia Euangelica cap. 63. Zacharias Epiſcopus cap. 63. Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 65. Redulphus cap. 61. Amonius autem in primo prædicationis anno eam conſtituit. Zachar. Hiſt. Eccleſ. Redulphus. Ammonius.

2. *Factum eſt autem, dum irent.* Narrat Euangeliſta, quid acciderit in hoc itinere. Ieſus cum diſcipulis ſuis pergebat per vicos, & caſtella annuntiantes, & prædicantes regnum Dei. *Ipſe intrauit*, vt ipſe intraret; non dubium, quin etiam Diſcipuli cum Domino eſſent ingreſſi. non enim Chriſtus Dominus ſe recipiebat ad hoſpitia in domos, & ſuos fame oppreſſos in itinere relinquebat. *Chriſtus non ſe recipit ad hoſpitia, & ſuos in itinere relinquit.* Tamen de Ieſu Euangeliſta particulariter facit mentionem, quia ipſe erat Dominus viæ, & quia eius præſentiæ expreſſio valde neceſſaria ad hiſtoriæ contextum. *In quoddam Caſtellum.* Hoc eſt pagum, ſeu vicum. Cuius nomen, vt notat Origenes, tacet hîc Lucas, Ioannes verò exprimit cap. 11. n. 1. eſſe Bethaniam, in qua erat Caſtellum Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari; & diſtabat ab Ieruſalem dimidiata leuca. Origenes. Ioan. 11.

3. *Mulier quædam Martha nomine.* Aliqui Auctores, vt Simon Caſſianus lib. 9. cap. 33. D. Ambroſius, & alij apud Carthuſianum, & Salmeron tom. 4. par. 3. tract. 16 opinantur, Martham eſſe eam mulierem, quam Dominus à ſanguinis profluuiis liberauit Matth. 9. n. 22. Sed hanc ſententiam iam reieci tom. 2. cap. 29. q. 7. n. 46. Caſſianus. D. Ambroſ. Carthuſian. Salmeron. Matth. 9. *Excepit illum.* multo cum honore, & reuerentia *in domum ſuam*, vt ibi Dominus hoſpitaretur. Syriacus habet: *Excepit eum domui ſuæ.* Syriacus. Pondera illud Datiuum emolumenti: *Domui ſuæ*: Fœlix mulier, quæ Chriſtum excepit hoſpitio; & inde multum hoſpitalitatis virtute commendanda; & eo maximè quod Chriſtum principibus Iudæorum exoſum excepit, ipſos Magnates populi contemnens, vt Chriſto obſequeretur. *Ex Domini obſequio multum emolumentum.*

### QVÆSTIO I.

#### *Quare Chriſtus ingreditur potius in hoc caſtellum, in hanc domum, quàm in aliam?*

4. *Ratio litteralis.* PRIMA ratio, & litteralis huius ingreſſus ea eſt, vt Dominus ibi hoſpitaretur fortè; inſtabat enim conſueta apud homines refectionis hora; & aliunde hæ ſorores erant pij, ac ſancti nominis, ad quas frequenter Dominus diuertebat. Siquidem ipſe dixerat: *In quamcumque ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit.* Matth. 10. n. 11. Matth. 10. Non ſolùm verbo, ſed ſuo exemplo docens nos Dominus, quod ad bonorum, ac piorum virorum domos nos recipiamus, & eo maximè, quando neceſſitas vrget. *Ad domos piorum virorum recipiendum.*

5. D. Auguſt. Secundò, D. Auguſtinus ait ſerm. 26. de verbis Domini. *Suſcepit famula Dominum, ægra Saluatorem, &c. Voluit enim Dominus formam ſerui accipere; & accepta forma ſerui, in illa paſci à ſeruis, dignatione, non conditione. Nam & ipſa dignatio fuit, ſe præbere paſcendum. Habebat carnem, in qua eſuriret quidem, & ſitiret; ſed neſcitis, quia in eremo Angeli miniſtrabant: ergo quod paſci voluit, paſcenti præſtitit.* Cur omnium Dominus ad hoſpitium geminæ ſororis, quaſi eſuriens diuertit? ſed hoc non fuit indigentia, ſed præclarum ſuæ liberalitatis ingenium, quam duabus ſororibus obligatam eſſe voluit, vt in illas multa ſuæ largitatis dona diffunderet. *Dei liberalitas præparat occaſiones, vt in nos ſua dona diffundat.* Quod in eremo Angelorum miniſterio refici Chriſtus voluit, hoc fuit ſignum potentiæ eius qui adeo illuſtres habet miniſtros. Quod autem hic à Martha hoſpitio excipi elegerit, hoc pro ſua eſt liberalitate factum, vt plura, & maiora præberet, quàm ipſe reciperet. Obſequium enim Deo exhibitum, magna eſt cauſa bonorum. *Quod paſci voluit, paſcenti præſtitit.*



6. *Viuamus in hoc ſæculo, vt peregrini.* Tertiò, Chriſtus totius orbis terrarum Dominus, in eo tamen, non vt Dominus, ſed vt peregrinus, ac hoſpes diuerſabatur; & ſic in alienis ædibus excipi elegit. At nos è contrà, cùm in hoc ſæculo ſimus peregrini, non vt hoſpites, ſed vt domini; hic vitam ducere volumus. Quartò Dominus præ cæteris in harum ſanctarum fœminarum domum ſe recepit: illis enim multum beneficus extiterat; nam iuxta aliquos, Martham à profluuio ſanguinis, vt retuli in expoſitione; & Mariam à ſeptem dæmonibus liberauit Marc. 16. n. 9. *Dat Deus nobis occaſionem gratitudinis, ad noua beneficia promerenda.* Marc. 16. Præparauit ergo eis occaſionem, vt gratæ ſe exhiberent, vt inde multò maiora dona promererentur.

7. Quintò, Ob corporalem neceſſitatem diuertit Dominus in hanc ſanctarum mulierum domum. Sed cur non potius in aliam tendit alicuius hominis præpotentis, ac diuitis? Hæ ſanctæ duæ ſorores erant Domino valdè deuotæ, ac familiares: apud has ergo diuerſatur Chriſtus, vt hoc morali exemplo te informet, quod tempore tuæ neceſſitatis preſſuræ, ac famis, ſolos tuos veros amicos inuenies, & habebis. *In tempore neceſſitatis, ac famis ſolum tuos amicos habebis.*

8. Poſtquam Dauid cognouit in vrbe Gabaa à principe Ionatha, quod valde contrarius ei erat crudeli odio Saulis animus; fugit, & *venit Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem.* 1. Reg. 21. n. 1. 1. Reg. 21. à quo petiuit panem, & gladium, vt patet ibi ex littera. Sed Dauid ad hæc expoſcenda tendit in Nobe ad Sacerdotem; præcipuè vt docet Abulenſis citato loco q. 1. quod hæc contigerunt immediatè poſt diſceſſum à Ionatha; & vt ait ipſe Abulenſis, Abulenſ. *aliqua loca media erant inter vrbem Gabaa, de qua recedebat Dauid, & inter vrbem Nobe, ad quam nunc iuit.* Quomodo ergo tantus dux inermis, ac fame laborans, per tot oppida pergit? Cur non ab aliquo viro nobili, vel diuite, ſeu conſanguineo huiuſmodi res exquirit? Cur hoc petit à ſacerdote tantum? Erat Achimelech valde intimus, familiaris Dauid, magnas enim cum eo iniuit amicitias, quando arma Goliath obtulit tabernaculo, vt dicunt Rabbini. Et optimè calluit Dauid, quod in tempore ſuæ neceſſitatis, ac preſſuræ, ſolùm inueniret ſuum fidelem, ac veteranum amicum, qui ei præberet panem ad expellendam famem; & arma ad ſe muniendum, contra aduerſarios, ac contrarios ſuos. Abulenſis. Abulenſis q. 3. *Dauid voluit magis declinare ad Abimelech, quàm ad aliquem alium, quia cognoſcebat eum, & aliàs erat amicus illius; ideo credidit, quod ille magis poſſet, & vellet, eius neceſſitati prouidere.* Sic ille homo decantatus in Euangelio, cum eius intimus media nocte veniret de villa, à familiari ſuo poſtulat dicens, *Amice, accommoda mihi tres panes.* Luc. 11. num. 5. Luc. 11. Non à vicino, nec ab opulento aliquo, ſeu conſanguineo, ſed tantum ab amico petit; ab hoc enim famis, ac neceſſitatis ſperabat ſubſidium.

9. Ab hac hiſtoria non recedamus. Cùm ſacerdos Achimelech videret Dauidem, tantum principem ac regis generum ſine comitatu, dixit ei: *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* 1. Reg. 21. n. 1. 1. Reg. 21. Abulenſ. Rectè notat Abulenſis q. 3. *quod non ſolùm littera dixit: Quare tu ſolus? ſed etiam dixit; Nullus eſt tecum: quod ſignificat omnimodam ſolitudinem,* Et ita ex Hebræo legit Caietanus, *Vir non eſt mecum.* Et tamen apertè conſtat ex textu, quod Dauid ſecum milites habebat: *Si mundi ſunt pueri.* Et Matth. 12. n. 3. Matth. 12. Et quod cum aliquibus pueris ſe præſentauerit coram Sacerdote, docent Lyranus, Carthuſianus, Hugo, Caietanus, & alij. Lyranus. Carthuſian. Hugo. Caietanus. Quomodo ergo dicitur; quod ipſe Dauid erat ſolus omnimoda ſolitudine, qui tot ſecum habebat? Ad Dauidem multi conuenerant, *qui erant oppreſſi ære alieno.* 1. Reg. 22. n. 2. 1. Reg. 22. Quamuis hi ergo multi eſſent, cùm tamen ducerentur, non amore, & amicitia, ſed propria commoditate, rectè dicitur Dauid ſolus, & nullus ſecum, cum in preſſuræ, ac neceſſitatis tempore ab eis omnibus eſſet deſerendus, ac relinquendus, & ipſe Dauid ſolus inueniendus. *Qui non amore, ſed commoditate ſociantur, in neceſſitate deſerunt.* Hugo. Cardinalis Hugo. *Tu ſolus Ioſephus dicit, nec amicum, nec famulum ſecum habens.*

### QVÆSTIO II.

#### *Quare potius Martha, quàm Maria dicitur, quòd exceperit Chriſtum in domum ſuam?*

10. *Ratio difficultatis.* EVTHYMIVS exiſtimat, quod hoc caſtellum erat vtriuſque ſororis. Ioannes enim 11. n. 1. Ioan. 11. appellat hoc caſtellum Mariæ, & Marthæ ſororis eius. Cur ergo de ſola Martha dicitur, quod Dominum exceperit in domum ſuam? Reſpondent Toletus cum aliquibus Recentioribus, Toletus. *Prima ratio.* quod Martha, aut quia natu maior, dicitur recepiſſe in domum ſuam, non autem Maria, aut quia domus ad ſolius Marthæ partem pertinebat.

11. Euſebius Gallicanus. Secundò, Euſebius Gallicanus homil. in Aſſumptione Mariæ. *Ex his duabus*, ait, *Eccleſia tota conſiſtit. Altera enim actiuam, altera contemplatiuam vitam deſignat. Et actiuam quidem Martha, Maria verò contemplatiuam. Vnde, non Maria, ſed Martha Chriſtum in domum ſuum ſuſcepiſſe dicitur. Maria enim non habet domum, quia vita contemplatiua omnem huius ſæculi ſpernit habere poſſeſſionem. Sufficit ei ad pedes Domini ſedere.* In Maria deſignabatur vita contemplatiua, quæ omnia Mundi bona, ac terrenam habitationem contemnit, ac relinquit, vt fecerunt Prophetæ, ac Apoſtoli Mundum fugientes, Domino adhærentes, vacanteſque in Dei contemplatione, ac meditatione; in quo omnes theſauros ſuos repoſitos habebant. *Contemplatiui omnia relinquunt, ſolo Deo contenti.*

12. D. Bernard. Tertiò, D. Bernardus ſerm. 3. de Aſſumptione. *Quid eſt fratres*, ait, *quod de duabus ſororibus altera tantum Dominum legitur excepiſſe, & ea ipſa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria.* Et ſubdit rationem. *Martha igitur in domum ſuam excepit Saluatorem in terris: Maria potius cogitat, quomodo ſuſcipiatur ab eo in domo, non manu facta, æterna in cælis.* In his duabus ſororibus hoſpitium, ac illius præmium oſtendebatur.

tur. In Martha erat hoſpitij obſequium; in Maria verò illius merces iam coronata apparebat. Nam in Martha erat labor, ſollicitudo, ac fatigatio hoſpitij; at in Maria, quæ *optimam partem elegit., quæ non auferetur ab ea*, quam iam nullus labor expugnat, quædam adumbrata præmij præmonſtrabatur poſſeſſio; ſecura enim, & quieta ſedebat ad pedes Domini, cuius præſentiæ fruitione mirificè delectabatur. Cùm ergo in Martha laborando, ſatagendo, ac miniſtrando totum ineſſet hoſpitij pondus, ipſa, tanta gloria decantata, in Euangelio celebretur, quod Ieſum exceperit in domum ſuam.

*Qui pondus laboris ſuſtinet, illius honore condecoretur.*

13. Quartò; Martha virgo erat pia, ac religioſa fœmina, vt eam appellat D. Auguſtinus ſerm. 27. de Verbis Domini. At Magdalena, quamuis iam ſuorum peccatorum obtinuerit remiſſionem. *Remittuntur ei peccata multa* Luc. 7. n. 48. tamen hæc illa recogitans; & aliunde conſiderans eximiam Chriſti puritatem, non audet ipſum in propriam domum recipere. Vnde, non ipſa, quæ peccatrix fuerat, ſed Martha, quæ virgo erat, eum dicatur excepiſſe. In hanc cogitationem me adducit D. Vincentius Ferreyra ſerm. 1. de Aſſumptione. vbi ait, quod hoc caſtellum, in quod Chriſtus intrat, ſignificat B. Virginem Mariam, cui aſſimilantur hi, qui Chriſtum per Sacramentum altaris recipiunt. *Huic*, ait, *aſſimilantur, qui hodie communicant, quia ſicut ipſe venit in vterum virginalem, ita propriè venit in hoſtiam conſecratam*. Et ſubdit S. Vincentius. *Dicatur hic pro informatione populi.* Si ergo Magdalena tot lachrymis, tanta contritione, tantáque indulgentia à Chriſto obtenta, non audet ipſum recipere in propria domo; quomodo præſumimus, hunc ſacratiſſimum panem ſine magna contritione, ac peccatorum deteſtatione comedere?

D. Auguſt. Luc. 7. *Ad Chriſtũ excipiendum magna puritas neceſſaria* D. Vinc. Fer.

14. Quintò, domus vtriuſque ſororis erat; tamen adeo ſanctè, ac vniformiter viuebant, vt id, quod ſub vnius poteſtate dicebatur, de altera etiam affirmaretur. Ait Deus ad Aaron: *Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Exod. 7. n. 9. Et iterum dicitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum*: ibidem n. 12. Et tamen, vt patet ex cap. 4. Exodi, virga erat Moyſis. Quomodo ergo dicitur virga Aaron? Tanta vnione, ac charitate hi duo ſanctiſſimi fratres viuebant, vt id, quod vnius erat, alterius etiam reputaretur. S. Auguſtinus quæſt. 20. in Exod. *Erat vtrique virga illa communis, vt cuiuſlibet eorum diceretur, verum diceretur; ac ſi eandem vterque poteſtatem haberet, & exerceret, vt in eâdem vterque charitate perſeueraret.*

*Vnitas inter fratres omnia facit communia.* Exod. 7. Exod. 4. D. Auguſt.

15. Sextò, Confer hoc caſtellum inter ſe, quando Lazarus in eo infirmatur, ac modo in illud ingreditur Chriſtus. Nam, cùm Lazarus ægrotaret, dicitur: *Erat quidam languens à Bethania de Caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis eius.* Ioan. 11. n. 1. Cur quando Lazarus opprimitur morbo, caſtellum primò dicitur Mariæ, & inde Marthæ; at quando Chriſtus in illud intrat, ſolùm Marthæ nuncupatur: *Et mulier Martha nomine excepit illum in domum ſuam*? Hæc ita narrantur reſpectiuè ad Marthæ humilitatis ingenium: nam quando domus laborabat dolore, infirmitate, ac morte, ſuam Maria eam agnoſcebat; quando verò domus erat valde ſublimata Chriſti Domini præſentia, ac ingreſſu, non ſuam, ſed alienam iudicabat. Ita enim humilis extabat Maria, vt miſerias, ac labores ſibi adſcriberet; magnitudines verò, ac excellentias aliis referret; omni enim oppreſſione ſe dignam ſentiebat; honore autem, ac fauore indignam. De hac Iuſtorum humilitate ait Petrus Bleſenſis ſerm. 30. *Vt ſcilicet ſemper conſideret homo, quid ſibi abeſt, & quid aliis adeſt.* Bleſenſis.

Ioan. 11. *Iuſtus omnes preſſuras ſibi adſcribit, fauores verò alteri.*

16. Dixit Sara marito ſuo: *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex ea ſuſcipiam filios.* Gen. 16. n. 2. Quæ verba explanans Chryſoſtomus homil. 38. ſic fatur in perſona Saræ. *Quoniam igitur concluſit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, vt ex eâ prolem procrees. Scio, quod ego ſum cauſa, quare non habeas pueros, propterea nolo te priuare eo ſolatio.* Cùm tamen, vt valdè veriſimile opinatur Chryſoſtomus, filiorum defectum in his ſanctis coniugibus, non ſolùm ex Sara, ſed etiam ex ipſomet Abrahamo ob eius longæuam ætatem proueniret, Sara huiuſmodi ſterilitatem ad ſe refert: *Concluſit me Dominus, ne parerem*: Sara vtpote iuſta, & ſancta, infœcunditatem ſibi adſcribit. Hæc eſt enim Iuſtorum conditio. vt omnium bonorum defectus, ac rerum penurias ſibi attribuant, eorumque cauſas exiſtere, ſibi perſuadeant.

Geneſ. 16. D. Chryſoſt. *Iuſtus bonorum defectus ſibi attribuit*

17. At contra in fauoribus ſe minimè illis dignos Iuſti iudicant; vnde ſemper illos alteri referunt. Ait Anima ſancta: *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Cantic. 5. n. 8. Sponſa diuina charitate vehementer inflammata requirit à filiabus Ieruſalem, ſeu à ſanctis Angelis, vt ſuum eximium amorẽ dilecto ſuo perferant, & exponant. Sed ad quid huiuſmodi officium ab eis exquirit, cùm ipſa optimè nouerit, quod eius Dilectus, vtpotè verus Deus, omnium corda, omniumque actus, ac dilectiones intueatur, atque perſpiciat; omnia enim ſunt nuda, & aperta oculis eius; & ipſe multò altius omnia penetrat, quàm ei inſinuari valeat. Ad quid ergo prudens Sponſa tales annuntiatores quærit? O præclarum humilitatis ingenium! Bene hæc omnia ſciebat Sponſa; tamen ſub iuramenti obteſtatione requirit: *Vt annuntietis ei, quia amore langueo*: Quaſi ſibi perſuaderet, quod vt eius amor eſſet Sponſo gratus, ac periucundus, aliorum fauorem quærebat; & quod ei acceptus, ac periucundus erat; non tam ob ipſam, quàm etiam ob gratiam, ac fauorem exponentium, dicentium, ac annuntiantium. Præclarè Gillibertus Abbas ſerm. 46. in Cantic. in principio. *Anxia vota, ait, ſuis eſſe contenta neſciunt meritis ideo precis mendicant ſuffragia. Perfecta humilitas de meritis ſemper alienis præſumit. Adiuro vos, inquit, filiæ Ieruſalem*, &c.

Cantic. 5. *Iuſtus omnes ſibi fauores, non ad ſe, ſed ad alterum refert.* Gillibertus.

18. Cùm feſtinanter Iacob adduceret hædos ad patrem ſuum, Iſaac, ait ad filium: *Quomodo tam citò inuenire potuiſti, fili mi? Qui reſpondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi.* Gen. 27. n. 20. Hebræus, Septuaginta, Arias legunt: *Occurrere fecit Dominus Deus tuus ad faciem meam.* Cur non dixit: Dominus Deus meus, ſed Dominus Deus tuus? Vt ita explicaret, rem tam exoptatam, non ſuis, ſed patris meritis ei contigiſſe, quibus & tantam gratiam referebat. Oleaſter. *Hoc bonum Iuſti habent, vt nihil ſibi, aut meritis ſuis, ſed ſuperiorum tribuant. Quemadmodum ſeruus Abrahæ ſuperius fecit, qui omnem bonum ſucceſſum ſuum in Deũ, & merita domini ſui iactare curabat.*

Geneſ. 27. *Iacob rem exoptatam Patri adſcribit.* Oleaſter.





## QVÆSTIO III.

### *Quare in hoc textu Euangelico Martha nuncupatur mulier, non verò Maria?*

19. IN præſenti ſacer Euangeliſta mulierem Martham appellat: *Mulier quadam Martha nomine*: Mariam verò non ſic dicit: *Maria ſedens ſecus pedes Domini*: iterum: *Maria optimam partem elegit.* Et ratio germana eſt: Quia iam ſupra Euangeliſta latè egerat de Maria cap. 7. num. 37. & cap. 8. num. 2. At de Martha hic primò facit mentionem; & ideo ad maiorem eius expreſſionem multas illius circunſtantias deſcribit, quod erat mulier, habebat domum, ſororem, &c.

*Ratio litteralis.*

20. Ad ſenſum moralem venio. Præſupponendum, quod Martha præfigurabat perſonam, ac corpus ſacratiſſimæ Dei genitricis Mariæ, quæ Deum in hoſpitio ſui vteri excepit. Sic ait Diuus Bernardus ſerm. 3. de Aſſumptione. *Quod ſi hanc luteam cogites domum, facile erit noſſe, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat, quàm Maria. Quod enim ait Apoſtolus: Glorificate Deum in corpore veſtro.* At Maria, *quæ optimam partem elegit*, adumbrabat illuſtriſſimas ſanctiſſimæ Dei genitricis virtutes, vt docent Diuus Ildephonſus ſermone 6. de Aſſumptione, & Guarricus Abbas ſermone 4. de eadem feſtiuitate. S. Vincentius Ferreyra ſermone 1. & S. Thomas de Villa Noua ſerm...

Bernard. D. Ildeph. Guarric. S. Vinc. Ferr. S. Thom. de Villa Noua.

21. Moraliter reſpondeo ad quæſtionem. Rectè in præſenti Martha dicitur mulier, non vero Maria: nam, cum Martha repræſentaret corpus Dei genitricis, quæ Deum vtero ſuo excepit, dicatur mulier, vt ita omnibus ſit apertum, quod hæc ſuprema Regina in ſua perſona; ac corpore quid humanum, & non diuinum, extitit, ſicque præſcinderetur error aliquorum Hæreticorum, qui perfidè autumarunt, B. Virginem eſſe perſonam diuinam. At Maria, quæ præexcelſas Dei genitricis virtutes figurabat, non ſcribatur mulier, vt cunctis ſit notum, quod hæc Angelorum Regina in ſuis virtutibus, ac dotibus quid cæleſte ſuper totam naturam hamanam extitit. Vnde de ea ait D. Damaſcenus ſerm. 2. de S. Maria: *Ideo Virgo intemerata, quæ non eſt verſata in terrenis perturbationibus animi, ſed fuit in cæleſtibus educata, cogitationibus non abijt in terram, ſed animatum verè cælum appellata, in cæleſtibus collocatur tabernaculis.*

*Virgo ita ſancta, vt in ſuis virtutibus quid cæleſte dicatur.* D. Damaſc.

22. Videt Ioannes in ſuo Apocalypſi multas, & varias viſiones, in quibus ſub variis figuris virtutes, ac excellentiæ Sanctorum denotantur. Apoſtoli dicuntur duodecim lapides pretioſi in fundamento ciuitatis poſiti. Apocal. 20. num. 19. Ioannes Baptiſta nuncupatur vox prima loquens tanquam tuba. Apocal. 4. num. 1. vt ex Petro Damiano explicaui tom. 1. lib. 1. cap. 8. quæſt. 2. Elias, & Enoch dicuntur duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ aſtantes. Apocal. 11. num. 4. Martyres videntur amicti ſtolis albis, ac cum palmis in manibus. Apocal. 7. num. 9. Et de vxore Agni, nempe Eccleſia, auditur. *Datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido*, Apocal. 19. num. 8. Cum tamen inter has viſiones Virgo Dei genitrix oſtentatur, dicitur: *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, Apocal. 12. num. 1. Sed dic mihi, Aquila magna, & ſublimis, cur ad explicandas aliorum ſanctorum excellentias terrenæ res introducuntur, lapis pretioſus, vox tubæ, oliuæ, & candelabra, ſtolæ albæ, & palmæ, ac tandem byſſus ſplendidus, & candidus? at magnum, & valde celebre Virginis ſignum ex rebus tantum cæleſtibus componitur? Cur non ex alia materia apparet oculatiſſimo Theologo? Virtutes aliorum iuſtorum, vtpote homines terreni, terrenis rebus inſinuari poſſunt. At in Marianis elogiis ſigno magno denotandis, non à terra, ſed è cælo ſumendus eſt tropus, & non à quolibet cæleſti corpore, ſed à primoribus, nempe Sole, Luna, & ſtellis. Nam in aliis ſanctis, quamuis valde perilluſtres extarent, tamen aliquando humanæ fragilitatis, ac corruptionis in eis aliquid interceſſit. At in B. Virgine totum fuit ſupremum cælum, firmum, incorruptum, & vndique mirifice lucidum. D. Bernardus ſerm. in ſignum magnum, ſic fatur: *Defectus omnis ſub ea*, ſcilicet Virgine Maria, *& quidquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, vt merito ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur.*

Apoc. 20. Apoc. 4. Apoc. 11. Apoc. 7. Apoc. 19. Apoc. 12. *Virgo tam cæleſtis, vt ſigno magno ſolum cæleſtibus ſignis denotetur.* D. Bernard.

23. Notandum quod dicitur, *Mulier apparuit in cælo*: tam cæleſtis, ac ſublimis eſt ſancta Dei genitrix, quod nullus alius locus eſſet ei decens, vt appareret in ſigno magno, niſi in cælo; & huiuſmodi ſignum magnum ex cæleſti materia tantum componitur.

*Maria apparet in cælo.*

24. Apocalypſeos 21. num. 2. ait Ioannes: *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Quod ſacratiſſimæ Virgini adſcripſerunt D. Bernardus, Rupertus & alij. Ciuitas noua, nuncupatur. De ea ait Ieremias 31. num. 22. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Sed quomodo dicitur B. Virgo ciuitas noua deſcendens de cælo, cum ipſa ſit orta in terra de radice Iacob? Perpende verba. Dicitur; *vt ſponſam ornatam viro ſuo*: quamuis ſanctiſſima Dei genetrix corporaliter producta fuerit in terra; tamen tantis ſupernaturalibus donis gratiæ, fidei, ſpei, ac charitatis, humilitatis, puritatis, ac aliarum virtutum, tanquam ſponſa, ornata extitit viro ſuo, nempe Spiritui ſancto, vt non è terra, ſed è cælo deſcendens merito dicatur. De ea ſic fatur Richardus à S. Laurentio: *Non eſt talis mulier ſuper terram, quia non eſt terrena vita, ſed cæleſtis.* Huc transfero verba D. Auguſtini lib. 20. de ciuitate Dei cap. 17.

Apoc. 21. D. Bernard. Rupert. Ierem. 31. *Virgo ob donorũ gratiæ multitudinẽ, è cælo deſcẽdere dicitur.* Richard. D. Auguſt.

*De cælo deſcendere iſta ciuitas dicitur quoniam cæleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit.*

* * *

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Euangeliſta non explicat ſalutationes, gaudia, ac verba quibus Chriſtus exceptus eſt ab his ſororibus?*

25\. *Ratio difficultatis.* Geneſ. 24. Exod. 18. Tobiæ 7.

VALDE ſolenne olim apud antiquos, vt eſt etiam hodie in vſu, viros glorioſos multa cum ſalutatione, gaudio, ac vrbanitatis ſignis excipere. Sic in domum ſuam Laban recepit Eleazarum fideliſſimum Abrahæ ſeruum. Geneſ. 24. num. 31. Moyſes Iethro ſocerum ſuum. Exod. 18. num. 7. Et Raguel iuniorem Tobiam cap. 7. n. 1. Sic etiam valde veriſſimile eſt, quod hæ duæ ſanctæ ſorores magna reuerentia, ac ſalutatione Chriſtum exceperunt. Cur ergo hæc ab Euangeliſta non ſcribuntur?

26\. Caſſianus. *Vbi eſt amor, non ſunt neceſſaria verba.*

Reſpondeo primò, Quod Euangeliſta ſalutationes, ac venerationes, vt notas, ſuppoſuit. Secundò, vt ait Simon Caſſianus lib. 9. cap. 33. Quod hæ ſanctæ duæ ſorores *exceperunt Chriſtum amplius mente, quàm corpore; animo, quàm hoſpitio; affectibus plus, quàm rebus.* Martha, & Maria ſummè Chriſtum diligebant: & vbi eximius eſt amor, nec verba, nec vrbanitatis oſtentationes exoptantur; ſed ipſe ſolus amor præ omnibus ſat eſt.

27\. *Virginis gloria verbis explicari non poteſt.* D. Ildeph. D. Bernard.

Tertiò, Ingreſſus Chriſti Domini in hoc caſtellum ſanctiſſimam Virginem Mariam introeuntem in gloriam adumbrabat. Quanta autem fuerit hodie exultatio, ac feſtiuitas ſanctis Angelis; quot venerationes, ſalutationes, ac cantica præſtiterint Matri Domini; potius mente conſideranda, quàm verbis explicanda. D. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *O quanta exultatio ſanctarum animarum de viſione tantæ claritatis! quantus famulatus beatorum ſpirituum! quantus numerus Angelorum hodie genitrici Verbi Dei gratulabundus occurrit! ad quanta, vel qualia gaudia fœliciter introiuit!* Quæ *profectò* nec oculus vidit, nec auris audiuit, *ſunt enim inuiſibilia, atque ineffabilia.* Idem docet D. Bernardus, cuius verba ad calcem quæſtionis dabo.

28\. Cant. 6. Aponius. Lucas Abbas. Rupert. Hugo. D. Bernard.

Tanta enim gloria irradiat hodie ſanctiſſima Virgo, vt potius Angeli eam intendant affectibus venerari, quàm perſpicaci mente illam abyſſum gratiæ, illud perfectionum pelagus intueri, ac conſiderare. Vnde admirantes clamant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Cantic. 6. n. 9. Quod de B. Virgine explicant Apponius, Lucas Abbas, Rupertus, Hugo de S. Victore, D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Glorioſa Virgo*, ait, *lampas ardentiſſima, ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent: Quæ eſt iſta, quæ progreditur?*

29\. Symmachus. *Sexta editio.* *Beati pauent inueſtigare Virginis mirabilia.*

Expende locum pro eo, quod Vulgata habet: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*: Symmachus habet: *Terribilis pauorem incutiens, ſecundum acies.* Sexta editio: *Terrificans inter magnificatas.* Sed quid eſt, quod hodie B. Virgo in tanta gloria maieſtatis apparuit ſanctis Angelis pauorem incutiens, ac terrificans inter magnificatas, id eſt inter cæteras puras creaturas magnas, & ſublimes? Intuentes beati illi ſpiritus ſanctiſſimam Dei genitricem, agnouerunt in illa tantam amplitudinem, ac celſitudinem virtutum, donorum, ac perfectionum, vt illam ſummè venerantes timeant, & paueant tanta mirabilia conſiderare.

30\. D. Thomas. Pſalm. 18. Iob. 26. Iſai. 11. Suarius. *Quomodo donum timoris ſit in Beatis.* D. Greg. D. Dionyſ.

Certum eſt apud omnes Theologos cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 19. art. 9. & in 3. diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 3. Quod in Beatis datur Timoris donum. Pſalm. 18. num. 10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* Iob. 26. num. 11. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Et de Chriſto Domino ait Iſaias 11. num 3. *Replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Sed quomodo hoc donum detur in Beatis, qui in illo fœliciſſimo ſtatu ſunt valde ſecuri abſque metu, & anxietate alicuius mali, magna eſt controuerſia apud Theologos, & varij ſunt modi explicandi. M. Suarius tom. 1. ad 3. p. diſp. 20. ſect. 2. §. *Quocirca.* ita rem enucleat. Conſiderans Beatus, ait, (& idem eſt de Chriſto Domino) celſitudinem, ac infinitatem diuinæ maieſtatis, ſe illi in omnibus inferiorem recognoſcens, non audet ad tam immenſum pelagus perfectionum accedere, ſed omnino fugit inueſtigare, ac comprehendere mirabilia eius, vt docent D. Gregorius lib. 17. moral. cap. 15. aliàs 17. & D. Dionyſius cap. 13. de cæleſti Hierarchia.

31\. D. Ildeph. Rom. 2. *Virginis gloria incomprehenſibilis.* *Gloria correſpondet meritis, & donis.* D. Bernard.

Ita ſuprema Regina cælorum hodie pauorem incutiens, ac terrificans inter omnes magnificatas apparuit beatiſſimis ſpiritibus, dum in ea contemplantes tantam magnitudinem donorum, ac meritorum, non audent, ſed formidant inueſtigare mirabilia eius. Nam, vt ait D. Ildephonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Impertit præmia iuſtus iudex Chriſtus Dominus, ſecundum Apoſtolum*, Vnicuique iuxta opera ſua Rom. 2. *Huic tamen ſacratiſſimæ Virgini Genitrici ſuæ, ſicut incomprehenſibile eſt, quod geſſit, & ineffabile donum, quod percepit; ita ineſtimabile, ac incomprehenſibile præmium, & gloria, non dico, inter cæteras ſacras Virgines, verùm etiam inter omnes ſanctos, quam promeruit.* Gloria proportionatur meritis, ac donis acceptis à Deo; & ſicut ſuper omnem intellectum creatum eſt illud ineffabile donum: *Verbum caro factum eſt*: quod Spiritus ſanctus edidit in vtero Virginis, ad quod & ipſa dignum habitaculum effici promeruit, ita gloria, & corona illi correſpondens, hodie à Chriſto Virgini data. Sic diſſerit D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Quis etiamſi linguis hominum, Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum, ſuperueniente Spiritu, obumbrante virtute Altiſſimi, Caro factum ſit Verbum Dei? Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie Mundi Regina proceſſerit.*

*Lucæ 10. n. 39.* Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam, ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum eius.

#### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Erat autem ei ſoror nomine Maria, quæ veniens conſedit ad pedes Domini noſtri, & audiebat ſermones eius.

*Vatabl. Theophylactus.* Quæ etiam aſſidens ad pedes Ieſu.

*Arias.* Vocata Maria ſedens ſecus pedes Ieſu.



#### *EXPOSITIO II.*

32\. D. Auguſt. *Vox Etiam explicatur.* *Germana explanatio.* Maldonat.

HVIC *erat ſoror nomine Maria.* vt ait Auguſtinus ſerm. 26. de verbis Domini. Ambæ, *non ſolùm carne, ſed & religione germanæ, ambæ Domino cohæſerunt, ambæ Domino in carne præſenti concorditer ſeruierunt.* Et ponit Euangeliſta diſcrimen inter has ſorores: nam dum Martha humanitatem Chriſti paſcere prepararet. *Satagebat circa frequens miniſterium.* Maria à Chriſti diuinitate paſcebatur. *Quæ etiam.* Vox illa *etiam* multum negotium facit expoſitoribus. Primò quidam exponunt, quod nempe illo temporis articulo, quo Martha erat laborans in apparanda Chriſto menſa, Maria erat ſedens, &c. Alij Doctores dicunt, quod cùm multi è caſtello conuenirent ad Chriſtum videndum, Maria cum aliis fœminis, & Diſcipulis ſedebat, audiens verba Chriſti. Sed cum in Euangelio de aliis non fiat mentio, niſi tantum de his ſororibus, ideo particula *Etiam* ad Martham referenda eſt. Nam, vt ratio poſtulat, ingredientem Chriſtum Martha, & Maria eum exceperunt, ac ad eius pedes illius verba audierunt, ac proinde Maria ſedebat, quemadmodum Martha conſederat. Maldonatus refert particulam *Etiam* ad Chriſtum; ac proinde Maria etiam ſedebat, ſicut Chriſtus; hoc excepto, quod erat ad pedes, vt diſcipula.

33\. D. Bernard. *Inter meritū & præmium magna coniunctio.*

Moraliter etiam exponi poteſt illa particula. Nam Martha, iuxta D. Bernardum ſerm. 3. de Aſſumpt. ſignificat meritum, quod eſt in vita actiua: Maria verò adumbrabat præmium, quod in fruitione Dei datur in Patria. Meritò ergo ponitur illa particula *Etiam*: nam inter meritum, ac mercedem magna eſt aduinculatio, ac coniunctio. Et dicitur *Sedebat*, quod denotat quandam animi quietitudinem, ac tranquillitatem vacantis ab omni alia re, quod maximè neceſſarium eſt ad contemplationem. *Audiebat verbum eius.* Hoc ſuo exemplo docet Chriſtus Dominus viros Apoſtolicos, ac religioſos, quomodo ſe in hoſpitiis habere debeant, ſcilicet. *Vt non reſupini quieſcant*, ait Chryſoſtomus in Catena, *ſed potius repleant ſuſcipientes ſacris, & diuinis doctrinis.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Maria ad ſedendum, non alium locum eligit, niſi Domini pedes?*

34\. RESPONDEO primò, Quod Maria ſedebat ad pedes Domini in ſignum ſuæ humilitatis, ac docilitatis, vt audiret, & caperet verbum Dei. Et videtur in hoc ſumpta metaphora à magiſtro, qui in cathedra, vt in loco altiori, ſedet; ad cuius pedes auditores videntur aſſidere. Sic Paulus ait de ſe Actor. 22. n. 3. *Secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Et qui ita humiles, valdè capaces ad percipiendam cæleſtem doctrinam. Deuteron. 33. n. 3. *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Et ſic de Magdalena ait D. Auguſtinus ſerm. 27. de verbis Domini. *Quanto autem humilius ſedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis.*

Actor. 22. *Humiles apti ad percipiendum.* Deuter. 33. D. Auguſt.

35\. Cantic. 3. Matth. 28. *Humilitas valdè fortis ad Deum tenendum.* D. Cyrillus.

*Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Cantic. 3. n. 4. Quæ verba Eccleſia in lectionibus accommodat Magdalenæ in eius feſto. Sed vnde vna mulier tam fortis, & robuſta ad Deum tenendum, vt credat, nunquam à ſe fore dimittendum? De Magdalena, ac aliis ſanctis mulieribus ait D. Matthæus 28. n. 9. *Ecce Ieſus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius.* Cùm in his ſanctis fœminis tale extitiſſet humilitatis ingenium, vt non ad dextram, non ad caput, ſed ad pedes Domini conuolauerint; inde validæ, ac ſtabiles inuentæ ſunt, vt firmiter Deum teneant, & apud ſe ſtatuant, nunquam ab ipſis eſſe dimittendum. D. Cyrillus Catech. 14. *Tenuerunt illum, vt impleretur*: Tenui eum, nec dimittam. *Infirmum quidem muliebre corpus, virilis autem prudentia.*

36\. *Ex tuo amore deprehenditur meus amor.* Ioan. 21. D. Cyrill.

Secundò, Ad Domini pedes ſedet Magdalena; vehementiſſimè enim Dominum diligebat; à quo etiam valdè redamabatur; vnde à Chriſti pedibus diuelli nequibat. Sed vnde inferebat Magdalena, quod eam Chriſtus tantopere diligebat? Ex multis ſignis amoris erga eam à Domino exhibitis. Deinde cum ipſa ardentiſſimo Chriſti æſtuaret amore, inde bene inferebat, quod ab ipſo multum erat dilecta. Quærit Chriſtus Dominus à Petro. *Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te.* Ioan. 21. num. 16. Cur non aliam comprobationem adducit, niſi ipſiuſmet Domini teſtimonium, vt ait D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 64. *Petrus amoris ſui, non alium, ſed Chriſtum ipſum in teſtem citat.* Ratio huius rei litteralis eſt. Quia Chriſtus Dominus ſcientia diuina, ac ſupernaturali omnium corda penetrabat, ac intuebatur. Moraliſſimè dici poteſt. *Tu ſcis, quia amo te*: id eſt, Tu, cum me tam eximiè diligas, ſcis, quia ego amo te: nam vnus amor alterius index eſt; & ex vna dilectione optimè altera deprehenditur.

37\. Caſſian. *Prudentia inſiſtere in via, quam vtilem tibi cognoſcis.*

Tertiò, Simon Caſſianus lib. 9. cap. 33. ſic ait. *Dominicos pedes illico recognouit, ad quos admota multorum peccatorum remiſſionem acceperat. Ex quo in amore facta feruentior, ſemper illos animo, & ſitu ſui corporis repetebat.* Magdalena ſtans in domo Phariſæi ad pedes Domini, vt vidimus ſuperiori capite, ſuorum delictorum obtinuit remiſſionem: bene modò dominicis pedibus inhæret; & tanquam grata eis, à quibus tantum acceperat beneficium; & quia magna prudentia eſt, in ea inſiſtere via, ab eaque non diſcedere, quæ tibi aliquando ſalutaris, ac proficua extitit. Optimè ergo Magdalena non alium locum eligit, niſi Domini pedes, vt in quibus ſalutem animæ eſt aſſecuta, ibi etiam augmenta gratiæ inueniat multò maiora.

38. Cùm Ioſeph in Ægypto durè locutus eſſet ad fratres ſuos, tanquam ad exploratores; & Simeonem in vinculis obtinuiſſet: ſub obteſtatione eis præcepit, quod, niſi Beniamin fratrem minimum in Ægyptum ſecum adducerent, faciem ſuam minimè eſſent viſuri. Et cùm aliunde fames perurgeret, vt ad comparanda alimenta in Ægyptum deſcenderent: Pater tamen ob eximium in Benjamin amorem nollet ipſum à ſe dimittere: tandem penuria alimentorum compulſus ait Iacob filiis ſuis: *Sic, ſi neceſſe eſt, facite, quod vultis: ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera.* Gen. 43. n. 11. Sed cur ad tantum principem tam parua munera ex prouentibus terræ mandat Iacob deferre? Rectè Oleaſter. *Nouerat ipſe*, ait, *quambenè negotium cum fratre ceſſerit ob munera præmiſſa; docuit filios, ſic modò rem ſuam apud Ægypti principem expedire.* Recordatus eſt Iacob, quod cùm frater ſuus Eſau ſibi eſſet iratus, muneribus eum placauerit. Geneſ. 32. num. 20. Eadem ergo methodo mandat filiis, vt ad principem terræ iratum reconciliandum munera deferant. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. n. 78. & tom. 2. cap. 29. n. 26. 27. & 28.

Geneſ. 43. *Per viam tibi vtilem ingede.* Oleaſter.

Geneſ. 32.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare, quando Magdalena ſedet ſecus pedes Saluatoris, tunc ab Euangeliſta non nuncupatur Chriſtus, vel Ieſus, ſed Dominus?*

39. *Idem ſenſus.* AIT Euangeliſta: *Maria ſedens ſecus pedes Domini*: & idem eſt, ac ſecus pedes Chriſti, ſeu Ieſu, vt habent alij Codices, & retuli in verſionibus. Ad ſenſum moralem veniamus. Secundò, Quando intrat in caſtellum, Ieſus nuncupatur; cùm verò ad illius pedes Magdalena olim peccatrix, & iam conuerſa, ac contrita ſedet, dicitur Dominus: *ſecus pedes Domini*: In nullo enim alio dominationis, ac poteſtatis Maieſtas magis oſtenditur, quàm in condonandis ac dimittendis aliorum criminibus, ac delictis. Tertiò, Chriſtus intrauit, vt à mulieribus exciperet hoſpitalitatem: Magdalena verò ad eius pedes ſedebat, vt ab illo multa hauriret cæleſtia dona: & ſplendidum, ac glorioſum Domini nomen, non tam bene aptatur, vbi dona excipiuntur, quàm potiùs vbi largiuntur diffuſa.

*Nomen Domini ibi bene ponitur, vbi dona dantur.*

40. Quartò. In laudem Virginis Mariæ aliquid dicamus. Maria ſedens ſecus pedes Domini, erat cum magna quiete in fruitione, ac contemplatione ſupremæ Chriſti diuinitatis. Adumbrabatur ibi altera Maria, nempe ſanctiſſima Dei Genitrix in die ſuæ glorioſæ Aſſumptionis æternam Diuinitatis fruitionem in præmium ſuorum meritorum à Chriſto recipiens. Meritò ergo hîc non dicitur Chriſtus, ſed Dominus: Vt denotetur quod illa fœliciſſimæ beatitudinis merces ei conferebatur, non tanquam à filio ob fauorem, ſed tanquam à Domino ob coronam iuſtitiæ ei repoſitam & debitam.

*Ingens gloria Virginis non ex fauore, ſed ex iuſtitia.*

41. Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Apocal. 12. n. 1. Valde mirabile, quod mulier, quæ iuxta multorum ſententiam, eſt ſanctiſſima Dei Genitrix, appareat veſtita Sole, coronata ſtellis. Sol inter omnia aſtra præſtantiſſimus: Cur ergo præſtantior ei non deputatur locus, vt mulier veſtiatur ſtellis, coronetur Sole? Cur ex Sole non componitur hæc corona? Sol Chriſtum Ieſum denotabat; ſtellæ verò Virginis virtutes. Sic ait D. Bernardus ſerm. in Signum magnum. *Dignum planè ſtellis coronari caput.* Et ſubdit. *Speciali quodam ſplendore in Maria coruſcant manſuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.* Bene ergo non Sole, ſed ſtellis circuncingitur caput. Quamuis enim in ſanctiſſima Dei Genitrice, ob maternitatem Dei, multa, & præexcelſa merita cumulata ſint, vt ſuo loco dixi tom. 1. & eſt commune apud ſanctos Patres: tamen in die ſuæ glorioſæ Aſſumptionis non ei corona imponitur præcisè, ac ſolummodò ob maternitatem talis filij, ſed ob radiantes ſtellas ſuarum virtutum; non enim coronatur ex fauore ob filium, ſed ex iuſtitia ob præclara merita.

D. Bernard.

*Virgo coronatur, non ex fauore, ſed ex iuſtitia.*

42. Cantic. 8. In die glorioſæ Aſſumptionis clamant Angeli: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſupra dilectum ſuum.* Cantic. 8. n. 5. Quod de B. Virgine in ſua glorioſa Aſſumptione explicant communiter Doctores. Sed dum dicitur; quod aſcendit innixa ſupra dilectum, videtur, quod ob ipſum dilectum in tantum apicem ſubleuetur. Verùm perpende, quod prius dictum eſt: *deliciis affluens*: has delicias explicat D. Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. *Aſcendit deliciis ſpiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, deſtillantem charitatis fauum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ ſingularis?* Prius dicitur: *deliciis affluens*: & poſtea: *innixa ſupra dilectum*: Non enim hodie Regina cœlorum ad coronam iuſtitiæ aſcendit primo, & immediatè innixa fauore dilecti, ſed potius affluentia virtutum, ac meritorum, quibus maximè enituit, ac reſplenduit, vt meritò talis corona iuſtitiæ ſit ei repoſita.

*Virgo ſubleuatur ad tantam gloriam ob ſua merita.* D. Bernard.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Magdalena tam diligenter deſcribitur ſecus pedes Domini audiens verbum illius?*

43. *Anima in rebus diuinis miram percipit ſuauitatem.* PRIMò hæc narrat Euangeliſta, vt nobis aperiat, quantam Magdalena dulcedinem capiebat in verbis, quæ à Chriſto dicebantur, vſque adeo, vt præ his cætera omnia negligenda putaret: tantam enim ſuauitatem in auſcultandis, ac contemplandis rebus diuinis percipit anima charitate vulnerata.

44. D. Bernard. Secundò, quandam rationem colligo ex D. Bernardo ſerm. 3. de Aſſumpt. vbi ſic ait: *Vnum arbitror è duobus: Vt aut de electione Maria laudetur, quod pars ipſa, quantum nobis eſt, ſit omnibus eligenda; aut certè, vt neutrum dicatur defuiſſe, nec in partem quamlibet præcipitaſſe ſententiam, ſed ad obedientiam præceptoris, ad vtrumlibet ſit parata.* Perpende vltima verba. Exprimit Euangeliſta, quod Maria ſecus pedes Domini audiebat verbum



*Obedientia in vtrumque parata optimum promeretur.* verbum illius, vt ita innuatur ratio, ob quam tantam gloriam habuit, vt de ea diceretur? *Maria optimam partem elegit.* Audiebat enim verbum prompta obedientia in vtrumque parata, ſiue ad actiuè, ſiue ad contemplatiuè inſtandum, iuxta id, quod ei mandaretur; & talis, ac tanta obedientia, in vtrumque propenſa, ad nutum mandantis; quidquid optimum eſt, & præexcellens, promeretur.

45. Pergit S. Pater. *Quis enim ſicut Dauid fidelis ingrediens, & egrediens ad imperium Regis? Denique: Paratum, inquit, cor meum, non ſemel tantum, ſed & ſecundo, & vacare tibi, & proximis miniſtrare. Hæc enim pars optima, quæ non auferetur.* Quænam eſt pars optima? Dupliciter paratum cor meum, nempe ad frequens miniſterium & ad contemplationis tranquillitatem.

*Optima pars cor in vtrūq; paratum.*

46. Matth. 9. *Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Matth. 9. n. 9. E telonio vocat Chriſtus Matthæum ad ſummum Eccleſiæ principatum, ad Apoſtolatum ſcilicet. Sed quomodo è tam vili officio ad ſupremum apicem euehitur homo? Ad nutum Domini ſequitur Matthæus prompta obedientia in vtrumque paratus, vt factis adimpleat, quidquid ei mandabitur. Et talis, ac tanta obedientia ad optimam partem, ac ad præclariſſimum ſubleuat principatum. D. Chryſoſtom. in Pſal. 5. *Sicut latro*, ait, *confeſſionem intulit, ſic Publicanus obedientiam ſuam; & meruit in Apoſtolatus ordinem collocari.*

*Matthæus ex magna obedientia ad Apoſtolatum venit.* D. Chryſoſt.

47. Exod. 25. Mandauit Dominus Moyſi: *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & ſphærulas, & lilia ex ipſo procedentia.* Exodi 25. n. 31 Sphærulæ cur non in alio loco ponuntur, niſi in candelabro? Cur non potius in parietibus, vel ſubtus tabernaculum, tanquam claui ad ipſum ſuſtentandum? Sphærulæ, cùm rotundæ ſint, ob volubilitatem, quam habent, in vtramque partem, obedientiæ imaginem exprimunt, vt innuit Abſalon Abbas ſerm. 30. *Sphærulæ*, ait, *quæ ſunt in candelabro volubiles, & rotundam figuram habent, ſignificant ſimplices clauſtrales, qui prælatorum ſuorum reguntur imperio, ſalubre ſibi æſtimantes, quidquid virtus iuſſerit faciendum.* Cùm ergo Sphærulæ typum obedientiæ gerant, in candelabro ponuntur. Qui enim obedientia ſunt inſigniti, in valde lucenti, ac præexcellenti loco reſident, vt cunctis fulgeant, & reſplendeant.

Abſalon Abbas.

*Obedientia in vtrumque maximè fulget.*

*Lucæ* 10. *n.* 40. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Martha autem diſtrahebatur multo miniſterio & veniens dixit ei, &c. Dic ei, opem mihi ferat.

*Græcus.* Martha autem diſtendebatur circa multam miniſtrationem.

*Arabicus.* Martha autem, diligenter miniſtrabat plurimum: quæ ſtetit, & ait: Domine, non grauat te res mea?

*Theophylactus Euthym.* Relinquit me ſolam, vt miniſtrem.

*S. Macar. ſenior homil.* 12. Domine, non eſt tibi curæ, quod ego torqueor circa multa, ipſa verò tibi aſſidet.

*Arias.* Dic illi, vt ſimul mihi ſuſcipiat.

### *EXPOSITIO III.*

MARIA quieta ſedebat ad pedes Ieſu, vt intenta verbis eius. E contra verò Martha, quæ Dominum exceperat in domum ſuam; *ſatagebat circa frequens miniſterium*, ſeu, vt habet Græcus, *diſtrahebatur*, ſeu *extendebatur*, ſeu erat occupata circa frequens miniſterium, hoc eſt plurimam miniſtrationem: nam, vt ait Euthymius, *præparabat, quæ neceſſaria erant ad conuiuium, & ad obſequium eius, ac diſcipulorum.* Officioſa enim charitate, ac feruenti diligentia omnia præparabat, vt tam Domino, quàm iis, quos ſecum adduxerat, nil in conuiuio deeſſet. 48.

Græcus. Euthym.

*Quæ ſtetit, & ait*: Syriacus habet: *Quæ venit*, ac adſtitit ad locum, in quo Dominus aderat, ad cuius pedes ſedebat Maria. *Quæ ſtetit, & ait*, non laborem pertæſa, ſed cum præ deſiderio ſuo omnibus non ſufficeret. D. Gregorius lib. 1. Reg. cap. 13. ad finem ſic ait: *Et notandum, quod tranſeundo Martha vidit, non tamen tranſeundo, ſed ſtando loquitur. Nam Euangeliſta cautè expreſſit dicens. Quæ ſtetit, & ait. Quo profectò exemplo inſtruimur, vt qui fratribus miniſteria exhibemus, ſi per moram ſedere ad Redemptoris pedes non poſſumus, per aliquantulam morulam Redemptori aſſiſtere debeamus*: Martha ſic ſatagebat pro lauto conuiuio præparando, vt ad Dominum direxerit oculos, ad ipſumque ſit locuta: Sancta, & ſalubris eſt proximorum cura; ſed hæc ne ſit cum iniuria noſtri: neceſſe eſt enim, vt in ipſis negotiis ad Dominum ſubleuemus oculos, ipſum contemplemur. 49. Syriacus. D. Gregor.

*Sic negotiis incumbamus vt ad Deum mentem erigamus.*

*Domine*, cum multa reuerentia loquitur; *Non eſt tibi curæ.* Non incuſat Chriſtum Martha, ſed eum ad commiſerationem excitat: de quo plura quæſt. ſequenti. Ac ſi dicat Martha: Tuæ, Domine, pietatis eſt, curare, vt iubeas ſorori meæ, vt me ſubleuet, ac laboris partem habeat. Hic tacitè accuſat ſororem, quod eam ſolam reliquerit miniſtrare. Tamen hîc notat eius obedientiam, *Dic illi*, nam idem eſt, quod Dominus vno verbo dicat, ac quod ipſa Maria faciat, relictis omnibus aliis, etiam ſibi ſummè gratis. Et prudenter ait, *me adiuuet*; non ait; dic, vt ipſa laboret, & ego requieſcam; ſed vt me laborante ſimul ipſa laboret. Valde enim ſuaue eſt, ad intuitum maioris, ac ſenioris ſimul laborantis laborare. 50.

*Obedientia ad vnum verbum.*

*Facilis eſt labor, dum cum alio ſimul laboras.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare Martha tanta confidentia Chriſtum alloqui audet?*

51. Cvm multa confidentia Martha ad Chriſtum loquitur, vt ſorori præcipiat, quod illi laboranti opem, ac adiuuamen ferat. Sed vnde illi tanta fiducia, cùm valde perſpicuum eſſet, quod Maria multùm à Chriſto diligebatur?

52. D.Greg. Reſpondet primò D. Gregorius lib. 5. in libros Regum cap.4. prope finem. *Notandum eſt*, ait, *quia Martha confidenter loquitur dicens, Domine; non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Quod certè perfectis quibuſdam operariis ſanctæ Eccleſiæ conuenit, qui omnipotenti Deo preces tantò fiducialius offerunt, quantò laborioſius ei in membris ſuis miniſtraſſe meminerunt:* Erat Martha laborans pro aptandis cibis in obſequium Chriſti, ac eius Diſcipulorum; vnde valde fiducialiter cum eo habet verba. Nam qui pro te laboribus inſtat, magnam concipit fiduciam, vt pro ſe, ſuóque negotio multùm apud te loquatur. Hæc autem verba accommodat ipſe Gregorius laborantibus in vita contemplatiua.

*Qui pro te laborat, fiduciam habet, vt pro ſe, ſuoque negotio tibi loquatur.*

53. Secundò. Forſitan ita loquitur Martha ex turbatione ſollicitudinis omnia aptè, & congruè præparandi Chriſto. Sæpè enim animus turbatus in actiones multæ fiduciæ prorumpit: quod aliàs nec faceret, nec diceret. Tertiò, Quia Marthæ videbatur indignum pati, quod ipſa natu maior tanta ſollicitudine miniſtraret, iuniore ſorore, ſcilicet Maria, ſedente ſine cura; & cùm Martha ſibi perſuaderet, habere iuſtam expoſtulationem; ideò tam fiducialiter fatur, ac loquitur.

*Animus perturbatus multa dicit.*

*Petitio, ſi iuſta videtur, cum fiducia proponitur.*

54. Quartò, Valdè manifeſtum, & notum erat, quod Maria tota intentione dedita erat perfectiſſimo operi meditationis, ac contemplationis Dei; Martha verò tota occupabatur in re multo inferiori, nempe in miniſterio temporali. Et tamen Martha querimoniam contra ſororem excitat, & rem defert coram rectiſſimo iudice Chriſto Ieſu. Quomodo ergo, ſancta mulier, hæc non perpendis? Verum eſt, quod ſororis negotium multò ſublimius erat; & iudex valde integerrimus interpellatur: at tamen multa concepta fiducia querimonias contra ſororem producit Martha: nam cùm illius occupatio eſſet propria, quamuis aliàs inferior extitiſſet, tamen vt quid valdè illuſtrius, ac excellentius ſororis negotio appretiabatur: multùm enim frequenter noſtra nos ſeducit propria affectio, ac amor, vt res propriæ aliter appareant, ac in ſe ſunt; & quod aliàs eſt valde parum, in multo, ac magno æſtimetur ſuper aliorum maiora facta.

*Homo minimum propriũ ſuper aliorũ illuſtria facta appendit.*

55. Daniel 2. Vidit Nabuchodonoſor ſtatuam magnam, *Cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis.* Daniel, 2. n. 32. Explicat Propheta ſomnium. Quod ſcilicet caput aureum denotabat imperium Chaldæorum: *Tu es ergo caput aureum.* Pectus verò argenteum Monarchiam Perſarum, ac Medorum. Fœmora ex ære Græcorum dominationem. Tibiæ verò ferreæ durum Romanorum imperium præſignabant. Pedes autem fictiles oſtendebant, quod omnes hæ quatuor Monarchiæ, ſicut & cæteræ res mundiales, in terra, ac luto ſuos fines habent. Nabuchodonoſor tamen, vt deſcribitur cap.3.n. 1. *fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta.* Verum eſt, ô Rex, quod ſtatua tua habet caput ex auro: *Tu es ergo caput aureum.* At etiam habet pedes ferreos, & fictiles. Cur ergo tota ex auro conficitur ſtatua? Theodoretus. *Quia beatus Daniel*, ait, *ſomnium interpretans dixit, ipſum eſſe caput aureum, alias verò imaginis partes ex alia multiplici materia, quæ caput excipit, ipſe omnem ex auro imaginem molitur.* Planum eſt; quod eius ſtatua fictiles pedes habebat; at cùm eſſent proprij pedes, quamuis lutei, diiudicabantur, tanquam ſi ex optimo auro conſtarent: quilibet enim ſuum proprium lutum, ac puluerem in puriſſimo auro appretiatur.

Daniel. 3. Theodoret.

*Quilibet proprium etiam abiectum in magno æſtimat.*

56. 1. Reg.18. Glorioſiſſima parta victoria, iugulato Goliath à Dauide, canebant mulieres: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia, iratuſque eſt Saul nimis, & diſplicuit ſermo in oculis eius.* 1. Reg. 18. n. 7. Cur tanto furore concitatur Saul eo, quod ei tribuant mille, Dauidi verò decem millia; ſi enim aliquis in hac cauſa ira commouendus eſſet, hoc Dauidi rectè competebat; nam ipſe periculo ſe expoſuit, totum negotium confecit, & victoriam eſt adeptus; Saul verò ſub vmbraculo in tentorio ſuo ſedens nihil edidit, vt notat Chryſoſtomus homil.1. de Dauide. *Saul quidem*, ait, *pauidus, ac tremens domi deſedit, in ſingulos dies mortem expectans; Dauid autem totum facinus peregit, An non abſurdum erat, eum, qui nihil ad depellenda pericula contulerat, ob id indignari, quod hic plus laudis tuliſſet? Nam ſi indignandum erat, Dauidem potius conueniebat indignari, quod cùm ſolus totum egiſſet, alterum haberet laudis participem.* Cur ergo excanduit Saul pro decem millibus datis Dauidi, cùm ipſe nihil edidiſſet? Verum eſt, quod Saul in parta victoria nihil egit: *Nihil ad depellenda pericula contulerat*: tamen illud ſuum nihil in multo maiora, quàm totum glorioſum trophæum à rege appretiabatur; & ipſe nihil agendo, plus præſtitiſſe, ſibi videbatur, quàm Dauid, totum negotium conficiendo.

Chryſoſt.

*Proprium nihil in magno appenditur.*

## Qvæstio IX.

### *Quare Martha non ſororem ſuam eſt allocuta, ſed ſolùm Ieſum?*

57. Qvandam piam accuſationem in ſororem Martha hîc pertendit, quæ non proceſſit ex aliquo odij motu, vel ex indignatione aliqua, ſed ex vehementi quadam pia ſollicitudine, qua verebatur, ne Chriſto, ac diſcipulis eius, conuiuio excipiendis, aliquid deeſſet; docens nos, quod magnopere curare debemus, proximis ſeruire, ita vt ſi non ſufficimus, aliorum imploremus auxilium. Cur ergo non ſororem, ſed Chriſtum Martha alloquitur, præſens quæſtio inquirit?

*Maximè curare debemus ſeruire proximis.*

58. Reſpondeo primò, quod Martha ita ſe geſſit, ob eximiam in Chriſtum reuerentiam; non enim auſa eſt, nec decebat, à pedibus Domini vocare, ſeu auellere audientem ſororem abſque facultate ac præcepto illius; non enim Martha ad ſe vocat ſororem, ſed affectat, vt à Chriſto dimittatur. Hanc rationem inculcat D. Bernardus ſerm. 5. de Aſſumpt.

*Sine Domini præcepto non audet Martha vocare Mariam.*

D. Bernard.



Aſſumpt. Virg. *Aduertenda eſt*, ait, *delatio quædam, & honoris obſequium circa Dominum, quod ſcilicet ipſo præſente non ſit auſa Martha vocare Mariam: quin imò & apud ipſum querelam depoſuerit, ipſumque Dominum vocauerit, in cuius poteſtate ſit, imperare ſorori, quidquid neceſſe fuerit.*

59. Secundò, quia Martha ita cognoſcebat ſororem oblectatam Domini ſermonibus, vt apud ſe firmiter ſtatuerit, à Chriſti ore non poſſe diuelli, niſi Dominus ipſe iuberet. Tertiò, quia Martha benè ſciebat, Mariam tanto in audiendis Domini verbis rapi conatu, vt niſi hoc Chriſtus illi mandaret, illa ad ea, quæ ab ipſamet Martha dicebantur, minimè attenderet.

*Magdalena in Dei amorem maximè rapta.*

60. Quartò, & moraliter. Non Lazaro, nec alicui ex circunſtantibus facit Martha de ſorore querimoniam, ſed tantum Chriſto: *Domine, non eſt tibi curæ:* Erat enim Magdalena perſona valdè magna, & perexcellens, tam apud Chriſtum, à quo in multa dilectione, ac æſtimatione habebatur, quam apud populum; vnde in morte Lazari ipſam, & non Martham, omnes ſequebantur Ioan.11. num. 31. Cum ergo Magdalena tam ſublimis eſſet, prudenter Martha, non alteri, ſed tantum Chriſto de ipſa eſt conqueſta: magnorum enim, ac excellentiſſimorum principum defectus ſoli Deo dicendi ſunt, à quo & mederi tantum valent.

Ioan. 11.

*Magnorum defectus à ſolo Deo mederi poſſunt.*

61. Quintò, aderat hic Lazarus, & adſtabant Domini diſcipuli, & ſimul multi miniſtrantes cum Martha; & tamen ipſa non his proponit querimoniam, ac delationem de ſorore, ſed ſolum Chriſto, qui & ipſi laboranti optimè prouidere poterat: magna eſt enim prudentia, ac diſcretus zelus, illi tantum rem, ac miſeriam aperire, qui & congruum valet adhibere remedium. Vide tom.2. c.1. num. 55.

*Miſeria illi tantum aperienda, à quo poteſt remedium prouenire.*

62. Sextò, cur Martha, non primò vocat ad ſe ſororem, ſed ſtatim delationem defert ad Chriſtum? Optimo enim diſcurſu totam rem perpendit, ac ita diiudicauit, quod ille, qui intuitu, ac aſpectu tanti ſui laboris, ac fatigationis non excitatur in illius adiuuamen, minimè paucis verbis eius vocantis commouebitur. Dauid, cum fugiẽs à facie Saul, fame, ſiti, ac multis laboribus oppreſſus per varia loca, deſerta, montéſque vagaretur, quadam die ſuam coram Saule innocentiam oſtendit, & quomodo malum nullum in ipſum regem eſſet molitus. Cuius verbis commotus Saul, ob mala in Dauidem perpetrata, multa pœnitentiæ ſigna oſtendens, firmiſſimè ſpopondit, nunquam eum amplius perſecuturum. Tunc ait textus: *Dauid, & viri eius aſcenderũt ad tutiora loca.* 1.Reg.24.n.23. Sed quod nam motiuum ad hoc impellit Dauidem, ac viros eius? Reſpondent Abulenſis, Carthuſianus, & alij communiter. *Quia non crediderunt verbis eius.* Ad cuius confirmationem, optimam aſſigno rationem. Conſiderarunt Dauid, ac ſocij eius, quod eorum fames, ſitis, ac preſſuræ valdè erant exploratæ, ac notæ Sauli; & inde optimo diſcurſu intulerunt, quod ille, qui tot perſpectis miſeriis non eſt ad pietatem adductus, ad hanc firmiter, paucis datis verbis, minimè afficeretur: & ideo non credentes promiſſionibus eius ad tutiora loca aſcenderunt.

*Qui aſpectu tui laboris nõ in tui opem ſe commouet, minimè excitabitur verbis.*

1. Reg.24.

Abulenſis. Carthuſ.

63. Septimò, non ſororem alloquitur Martha, ſed Chriſtum: nam in his verbis: *Domine, non eſt tibi curæ:* vt notarunt Salmeron tom. 4. part. 3. tract. 16. & Maldonatus, pio quodam animo hic Martha tacitè conqueritur de Chriſto, quod ſedentem ſororem in opem eius non miſerit. Sed quomodo ſancta mulier talem ſermonem dirigit in Chriſtum? Magdalena erat Domini diſcipula, ac magna illius ſectatrix, ex quo de illius tranquillitate, ac quiete, querelam aliqualiter in Chriſtum defert. Valdè enim frequenter defectus electorum, ac miniſtrorum in eligentem, ac deſignantem retorquentur.

Salmeron. Maldonat.

*Defectus electorũ in eligentes redundat.*

64. Matth. 27. Cum meus Ieſus penderet in cruce, ad finem vitæ clamans ait: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Matth.27.num.46. Quorum verborum tot ſunt arcana, vt dicat D. Paſchaſ.lib.12. in Matth. *Neſcio, fratres mei, ſi vllus mortalium intelligere poſſit in hoc myſterio querulæ vocis, quanta, qualiave ſint ſacramenta, quæ offert.* Moraliſſimè quæram: Cur Chriſtus hic conqueritur de Patre, & non potius de diſcipulis; nam ait D. Matthæus cap.26.num.56. de illis in Horto: *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt:* & res ægrè ferenda extitit, quod tantus Magiſter ſic eſſet deſertus à ſuis diſcipulis, quos ſummè diligebat. Propè Paſſionem Chriſtus de ſuis diſcipulis loquens ſic dixit ad Patrem: *Tui erant, & mihi eos dediſti.* Ioan. 17. num.6. Pater ei tales deſignauit diſcipulos: Ergo Chriſtus affixus in cruce querulam vocem profert, non in diſcipulos, ſed, vt aliqualiter dici poſſe videtur, in Patrem, qui altiſſima ſua ſapientia diſcipulos tales dedit, à quibus derelictus in manus inimicorum ſuorum traderetur in horto.

D.Paſchaſ. Matth. 26. Ioan. 17.

*Chriſtus in cruce erga Patrem querulam vocem profert.*

65. Geneſ.3. Cum Adamus argueretur à Deo de peccato ſuo, ipſe ſui excuſationem afferre pertendens, ait: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi.* Geneſ. 3. num. 12. Sed ad quid ait: *Quam dediſti mihi?* nonne ſat erat: Mulier, mea chariſſima coniux, ac indiuidua comes dedit mihi, & comedi: Ad quid inquit, quam dediſti mihi? niſi, vt quodammodo de Deo conqueratur, qui talem ei dedit coniugem, quæ in tantum præcipitium ipſum impulerit. D. Gregorius in Pſalm. *Beati quorum remiſſæ ſunt:* ſic fatur. *Imputare ſibi Adam peccatum ſuum noluit, quando culpam ſuam in Creatorem refundit, dicens: Mulier, quam dediſti mihi.*

*Adamus pro muliere; data, quodammodo de Deo conqueritur.*

D. Greg.

## Qvæstio X.

### *Quare Martha turbata loquitur; non verò Dauid turbatus?*

66. Martha in præſenti turbata erat, dixit ei Ieſus: *Turbaris erga plurima.* Et tamen ſic ad Dominum loquitur: *Domine, non eſt tibi curæ*, &c. At verò Dauid ſic ait de ſe Pſalm. 76. num. 5. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus: Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Cur ergo Martha turbata loquitur, ac de ſorore conqueritur: Dauid autem tam inſigni patientia reſplendet, vt dicat: *Turbatus ſum, & non ſum locutus?*

Pſalm. 76.

*Ratio difficultatis.*

67. D. Brun. Quandam rationem colligo ex D. Brunone. *Ideo*, ait, *ei patientia illa contigit, vt non eſſet locutus, quia cogitauit dies antiquos, & annos æternos, quos per Adam amiſimus, id eſt vitam æternam, in mente habuit.* In Martha querula vox eſt,

& ſororem arguens loquitur ; Dauid patientia multa tacet. Martha ſatagebat circa frequens miniſterium ciborum materialium ; temporalia , ac ſeruilia meditabatur : Dauid autem ſublimi patientia , ac regio animo æterna contemplabatur : *Cogitaui dies antiquos , & annos æternos in mente habui :* Qui in terrenis agit , multis fluxibus , ac refluxibus concutitur ; multorum exceſſus, ac defectus timet. At qui æterna meditatur , etſi turbatus videatur , regio tamen animo valdè quietus degit , atque ſecurus , itaut à nullo malo perturbari valeat.

*Qui terrena meditatur, turbatus eſt, & locutus, qui autem æterna, etiam in turbatione ſecurus.*

68. *Iuſtus vt palma florebit.* Pſalm 91. n. 13. Quid in Palma eſt , quod cum florentiſſimo iuſto conferatur ? An arboris altitudo, ac rectitudo ? An adapta comarum , mira cum viriditate , circunditas? An fructuum ſuauitas elegans ? Valdè magna ſunt hæc. Verùm inde maximè aſſimilatur , quod fructus habeat , non per comas , ac ramos diſperſos, terris vicinos , vt rapinis pateant ; ſed in altiori vertice versùs cælum , vt ibi tanquam comis circundati ſecuri habeantur. Sic & iuſtus , cum temporalia non cogitet , fructus ſuos vendicat , non terris vicinos , vt multorum exceſſus , ac pericula timeat ; ſed cum in Deum tota mente feratur: *Cogitaui dies antiquos , & annos æternos in mente habui :* quamuis in multa rerum videatur altercatione verſari , cum magna animi ſecuritate , ac tranquillitate reſidet. D. Gregorius Nyſſen. lib.8. in Cantic. *Quomodo autem* , ait, *efficit palma , vt fructum ſuum fures difficiliter aggrediautur, vt quæ eum tanquam theſaurum ſurſum recondat , ne vicinum terræ eum ferat.*

Pſalm. 91.

*Anima , quæ recogitatione in Deum fertur , ſecurè degit, nilque timet.*

D. Nyſſen.

---

## Qvæstio XI.

### *Quare cum Martha ſimul cum multis laboraret , ipſa dicit , ſe ſolam miniſtrare ?*

69. Graves Auctores communiter tenent, quod cum Martha eſſet perſona valdè nobilis , & illuſtris , multos habebat famulos, & ancillas, qui in hoc miniſterio ſimul cum ea cooperabantur. Quomodo ergo ſe dicit ſolam miniſtrare ? Maldonatus in præſenti ſic ſcribit. Quod ſi non Marthæ , muliebri tamen ingenio conſentaneum eſt, ex aliqua inuidiæ ſpecie, hanc accuſationem eſſe profectam. Non tam ægrè fortaſsè ferebat , ſe ſolam miniſtrantem relinqui , quod illi duci poterat laudi ; quàm ſororem ſuam ſolam colloquio Domini frui , & apud illum gratioſiorem videri. Si hoc illa animo non fecit , nos quidem certè facere ſolemus. Si quem videmus rerum diuinarum contemplationi deditum , tumultuoſi huius ſæculi negotia non curare , otioſum hominem appellamus. Hæc ille. Et rectè ait, hoc non eſſe conſentaneum Marthæ : nam, cum extitiſſet ſancta, & religioſa fœmina, totum hoc ab ea erat valdè alienum ; non enim ex inuidia , ſed pio quodam animo , & affectu , hæc dixit. Ad quæſtionem

Maldonat.

70. Reſpondeo primò cum grauibus recentioribus. *Reliquit me ſolam miniſtrare* , hoc eſt ſine ſuo adiutorio , itaut illa dictio *ſolam* excludat ſororem, non verò ancillas. Secundò , loquitur Martha ex communi hominum conſuetudine : nam quando quis multis occupationibus , ac negotiis tenetur, quamuis aliquos ſecum habeat , tamen comparatione tantarum rerum , ſe ſolum exiſtimat , ac dicit.

*Ratio litteralis.*

71. Tertiò , quomodo ſe ſolam dicit Martha , cum ſua familia multis ancillis eſſet plena ? Prudenter ſanè , quia ancillis, vt imperfectis , minimè ſe credebat , & ab eorum tali conſortio ſe abdicabat, & vnius ſororis , quam apprimè perfectam agnoſcebat , ſocietatem exoptabat. Quartò , Martha cum ageret hic perſonam poſtulantis , ac affectantis, tria dicit: *Se ſolam miniſtrare :* quæ apprimè competunt ſuum negotium agenti. Primò , ſe eſſe ſolam ; proprium eſt enim ſuimet iuris perſecutoris, quod in meritis , ac factis , ſe eſſe ſolum, & neminem habere ſocium , apud ſe ſtatuat , ac omnia ab ipſo eſſe confecta , pleno ore atteſtetur. Secundò de ſorore conqueritur Martha. *Soror mea reliquit me ſolam miniſtrare :* anhelantes munera in regum curiis frequenter querulas voces emittunt. Tertiò ait : *Dic illi , vt me adiuuet :* valdè commune eſt, propria negotia gerenti , multa nuntiare , quæ in commodum principum , ac regum videntur cedere.

*Perfectorum ſocietas optanda.*

*Suam rem agens , ſe ſolùm in factis exiſtimat.*

72. Quintò , Martha vehementer Chriſtum diligebat , & præ vi amoris , lautè ei conuiuium parare ſtudebat ; quamuis ergo multarum ſe ancillarum caterua videret circunſeptam , cum ſororis ope careret , ſe ſolam exiſtimabat : qui enim multum diligit , etſi multa habeat , ſi vnum ei deſit, ſibi perſuadet , omnium rerum ſe eſſe expoliatum, atque expertem. Vide ſuprà cap. 11. n. 50.

*Diligens , ſi vnũ deficiat, omnia ſibi deficere putat.*

73. Sextò, Ianſenius in ſua concordia. *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium , id eſt anxiè torquebatur, diſtrahebatur, ſurſum, ac deorſum currens : ac ſolicitè ſatagens , nequid omnium deeſſet, quæ ad ſuauiter excipiendum tantum hoſpitem pertinerent. Demonſtrauit , ſe & amare , & reuereri Dominum , cui dignè excipiendo tota eſſet intenta , nihil ſatis eſſe putans.* Expende vltima verba. Cum tot famulorum adſtarent obſequia , cur Martha in præparanda ciborum copia ſic torquebatur, ac diſtrahebatur ? Cogitauit ſecum Martha, ſupremam Domini maieſtatem in domum ſuam excepiſſe ; & ideo ad tantum hoſpitem , omnem ſedulitatem , pompam , apparatum , ac miniſtrorum multitudinem exiguam eſſe putabat , ac adeò ſororem ſuam ad tale aduocabat negotium. Ex his ergo recogita , ad Diuinitatem Chriſti in Euchariſtia excipiendam , quantis te debeas præparare.

Ianſen.

*Vt Chriſtus excipiatur hoſpes, omnia videntur pauca.*

74. Maximè ſanè inquirendum eſt : Cur ſupremus artifex in mundi opificio hominum , præſtantiſſimum creationis opus, ad vltimum locum reſeruauit ? Homo conditus eſt à Deo princeps vniuerſi ; cur ergo non in primo loco efformatur? Deinde quia hoc maximè poterat inſeruire, vt ipſe ſe valdè obligatum Deo agnoſceret , ſi in rerum confuſione factus , poſtea Deum vidiſſet creantem lucem , Solem, Lunam , ac ſtellas ; facientem diuiſionem inter terram , & aquas ; ac producentem plantas, arbores, herbas, ac animalia. Cur ergo non in primo loco , ſed in vltimo creatur homo? Rectè reſpondet D. Gregorius Nyſſenus de opificio hominis , cap. 2. *Conſentaneum non erat* , ait, *imperatorem exiſtere prius , quàm eos, quibus eſſet in poteſtate præfecturus. Idcirco vniuerſitatis huius creator , ei, qui imperaturus erat , quandam ſedem regiam perſtruxit : ea verò terra erat , & inſula,* 

*& mare , & ipſum cælum, quo hæc omnia tanquam tecto concamerantur ; atque iis in palatijs omnis generis opes conditæ ſunt.* Primo molimine Deus vniuerſis rebus poſtpoſuit hominem. Creabatur ipſe , vt mundi princeps, ac dominus ; & non decebat , vt ingrederetur in rudem , ac incompoſitam molem , ſed in veluti elegans palatium , multa ſupellectili adornatum, cælorum varietate, ſtellis , planetis mirificè coronatum , ac terrarum ambitu maximè floribus , arboribúſque depictum. Si ergo tot , tanta, ac talia præparantur, vt luteus, ac moriturus homo excipiatur ; quæ , & qualia præſtanda ſunt , vt æternus , ac omnipotens Deus ingrediatur in animam.

D. Nyſſen.

*Multa aptãda ſunt , vt Chriſtus ingrediatur in animam.*

Corinthiis ſcribens Paulus ait : *Os meum pateat ad vos , ô Corinthij , dilatamini & vos.* 2. Corinth. 6. num. 12. Maximè ponderandum eſt, ad quid tendat huiuſmodi commendatio : ad quid in tantum mandat hanc dilatationem , ſeu extenſionem , aut ampliationem ; de ipſis enim Corinthiis eodem capite ait Paulus : *Templum eſtis vos Dei viui :* per fidem ſcilicet , charitatem , ac ſanctitatem, vt explicat D.Cyprianus de orat. Domini , & alij Patres ibi. Cum ergo tanta gratia Corinthij ſint inſigniti , cur eis mandat Apoſtolus: *Dilatamini & vos :* ſeu, vt magis creſcant, & creſcant in ipſa gratia, & ſanctitate ? D. Hieronymus in cap. 60. Iſaiæ ibi num. 5. ſic enucleat. *Dilatamini , ne anguſtia pectoris non poſſitis habere hoſpitem Chriſtum.* Quamuis enim gratia ſatis donati , tamen vt ſupremum regem Chriſtum in Euchariſtia habeatis in cordibus veſtris , magis , ac magis habitatio veſtra amplianda , præparanda, ac componenda eſt omni ſanctitate , ac iuſtitia ad tantum hoſpitem ſupremum Dominum cæli , & terræ excipiendum.

1. Cor. 6.

D. Cypr.

D.Hieron.

*Magis , ac magis omni sãctitate præparanda eſt anima ad Chriſtum excipiendum.*

---

## Qvæstio XII.

### *Quare Martha ſic loquitur ad Chriſtum ſupremum Regem :* Domine, non eſt tibi curæ ?

76. Hæc dixit Martha , vt iam in expoſitione notaui , & quæſt. 8. partim ex turbatione ſolicitudinis , qua afficiebatur in conuiuio , Chriſto , ac eius diſcipulis præparando : partim ex multa confidentia in magna Chriſti pietate , ac benignitate. Ac ſi diceret : Domine, ob meum , erga te , eximium amorem , ac affectum , multarum rerum adminiſtratione crucior; tuæ ergo tantæ in omnes benignitatis eſt , curare, vt dicas ſorori meæ , vt laboris mei partem ſubleuet , ac mecum veniat ſimul miniſtrare. Ad ſenſum moralem accedo.

*Germana ratio.*

77. Primò ait Martha : *Domine , non eſt tibi curæ.* Ac ſi dicat , Domine , tuæ curæ , ac cogitationes, non in me, ſed maximè in ſororem meam ſunt defixæ. Sed cur tanta Domini cura in Mariam ? Erat illa peccatrix conuerſa , & pœnitens : Et peccatores pœnitentes vehementiſſimè Domini affectum ad ſe alliciunt , & trahunt. Petrus Bleſenſis. Inuectiua in deprauatorem. *Et ſi Chriſtus*, ait, *commendauit otium Mariæ , non tamen ei diſplicuit occupatio Marthæ. Gratius acceptat Dominus plerumque peccatoris pœnitentiam humilis , & contriti, quàm innocentiam iuſti remiſſi.* Secundò peroptimè dixit : *Domine, non eſt tibi curæ.* Vbi eum Dominum appellauit , ſtatim de curis facit mentionem ; ſemper enim dominationem , ac principatum multæ circunſtant curæ, ac concomitãtur cogitationes. Quem principem dixeris , multis anxietatibus ſtipatum conſidera. Vide tom.2.cap.24. quæſt.9. per totam.

*Pœnitens, ac conuerſus vehementer ad ſe trahit Dei affectum.*

Bleſenſis.

*Curæ, ac cogitationes dominationi ſunt valdè annexæ.*

78. Tertiò , quomodo Martha ait Chriſto : *Domine , non eſt tibi curæ ?* Ipſa cognoſcebat , eum eſſe verum Deum : *Vtique Domine , ego credidi , quia tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ioan. 11. n. 27. Quo ergo pacto ait : *Non eſt tibi curæ ?* nil enim magis alienum , ac repugnans infinitæ ſapientiæ Dei, quàm aliquam incuriam in eo incidere : Ergo cum eum Deum fateatur , quomodo curæ expertem dicit ? Agebat hic Martha perſonam cuiuſdam negotiatoris , ac ſuimet iuris perſecutoris: Et qui propriam cauſam gerit , ſi aliquantulum eius exoptatæ voluntati non defertur , ſtatim audacter aſſeuerat , etiam in quacumque perſona eminentiſſima iuſtitia , & ſanctitate , omnia incuria , ac ſine debita ſolicitudine inuolui , atque teneri.

Ioan. 11.

*Sui iuris perſecutor , ſi ei non defertur, ſtatim de incuria conqueritur.*

79. Nauigabant Diſcipuli cum Chriſto ; & dormiente Domino , grauis eſt ſuborta tempeſtas. *Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli eius , & ſuſcitauerunt eum dicentes : Domine, ſalua nos , perimus.* Matth. 9. num. 21. Apoſtoli optimè ſciebant, Chriſtum verum eſſe Deum ; in omnium enim perſona dixit Petrus , vt docet D. Hieronymus , *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cum ergo tanta reſolutione crederent Chriſtum verum Deum , ad quid eum excitant , planum enim extabat , quod ſi vt homo dormiebat , vt Deus in perſpicaci vigilia aderat. Quod dubium eleganter excitat Origenes homil.6. in diuerſos, vt retuli proprio loco. Diſcipuli in præſenti erant proprium negotium , propriámque cauſam gerentes , vt à periculo euaderent ; & cum Chriſtus pro tunc , iuxta eorum deſiderium , eis non deferret , neque opitularetur, propria affectione perturbatis, eis aliqualiter videbatur, ſi dici poteſt , vt Deus , ac homo , dormire. D. Paſchaſius. *Cum periclitantibus* , ait, *non præberet auxilium , obdormiſſe dicitur.* Et ad hunc ſenſum explicat Pſalm. 43. num. 23. *Exurge , quare obdormis , Domine.*

Matth. 9.

D. Hieron.

Origen.

*Cum Chriſtus Apoſtolis non auxiliatur , dormire dicitur.*

D. Paſchaſ.

Pſalm. 43.

80. Quartò , *Non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare.* In præſenti Martha ſua miniſteria , ſuoſque famulatus adſcribit , ac aſſignat Chriſti Domini curæ ; nam ex obſequiis ſubditorum , ac aulicorum magnæ ſolicitudines pullulant , in principe , ac rege , vt eis debitam referat , tribuátque mercedem.

*Obſequia ſubditorum, ſunt principum ſolicitudines.*

81. *Noctem illam duxit Rex inſomnem , iuſſitque ſibi afferri hiſtorias , & annales priorum temporum. Quæ cum , illo præſente , legerentur , ventum eſt ad illum locum , vbi ſcriptum erat , quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan, & Thares eunuchorum in regem Aſſuerum,* &c. Eſther 6. num. 1. Cur Aſſuerus tam alternis cogitationibus diſtrahitur , vt inſomnis perſeueret per totam noctem ? Res diſpoſitione altiſſima ordinabatur , vt notant communiter expoſitores. Aſſuerus hic magni principis , ac regis figuram gerebat ; qui & oblitus erat magnæ Mardochæi fidelitatis, inſidias in ipſum regem detegentis ; ipsáque obliuio in cauſa erat , vt tam nobile facinus debita mercede careret : tanta igitur Rex anxietate , ac inquietitudine

Eſther 6.

*Conſcientia ſtimulat , vt ſeruum benemeritum rex remuneret.*

tudine premitur, ipſa eum conſcientia ſtimulante, excitante, neque dormire ſinente, vt antiqua reuolueret facta, ne magnum Mardochæi irremuneratum eſſet obſequium, ſed vt ſuo condigno præmio nobilitatus condecoretur. Lyranus. Noctem illam Rex duxit inſomnem. Ventumque eſt &c. *Quod ordinatione diuina factum eſt, vt Mardochæus Iuſtus remuneretur.*

Lyran.

82. Poſtquam Daniel litteras in pariete exaratas explanauit, *Tunc iubente Rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quod haberet poteſtatem tertius in regno eius.* Daniel. 5. num. 29. Vehementer conturbatus erat Rex, tum apparitione digitorum ſcribentium in pariete; tum etiam eo quod audiſſet durum nuntium imminentis mortis ſuæ, ac diuiſionis, & ablationis ſui imperij, ab hoſtibus perpetrandæ, quæ eadem nocte, qua hæc declarabantur, vt patet ex textu, & notat Cornelius à Lapide, contigit. Cur ergo Balthazar non conuocat duces, ac milites ſui exercitus, vt omnes armentur ad regni, ciuitatiſque munimen, ſed ante omnia mandat, vt Daniel conueniente ſibi ſublimetur honore. *Indutus eſt Daniel purpura,* &c. Ad hoc varias rationes reddunt D. Hieronymus, Carthuſianus, Lyranus, Hugo, & alij. Inter has dicere liceat; altius apud regem curam, ac ſolicitudinem honorandi vnum ſeruum, meritis inſignitum, in mente fuiſſe defixam, quàm propriæ vitæ conſeruationem, ciuitatis munimen, ac totius imperij defenſionem.

Daniel. 5.

D. Hieron. Carthuſ. Lyran. Hugo.

*Regi magis ſit in mente defixus ſubditi honos, quàm vitæ ſuæ conſeruatio.*

*Lucæ* 10. *n.* 41. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Iuſtus Orgelit. c. 6. in Cant.* | Martha, Martha, quid ſolicita es? |
| *Syriacus.* | Solicita es, & diſtraheris circa plurima. |
| *Arabicus.* | Tu ſolicita, turbata es erga plurima. |
| *Theoph. Saa, & alij.* | Solicita es, & tumultuaris circa multa. |

### *EXPOSITIO IV.*

83. MARIA, ait D. Auguſtinus ſerm. 26. de verbis Domini, *cauſam ſuam iudici maluit committere, nec in reſpondendo voluit laborare.* Quod cum aliàs feciſſet, ſemper Ieſum habuit patronum. Luc. 7. num. 40. & Matth. 26. num. 10. tantum enim promeretur taciturnitas cum Chriſti amore. *Martha, Martha, ſolicita es.* Ait citatus Auguſtinus: *Repetitio nominis, Martha, eſt indicium dilectionis, aut fortè mouendæ intentionis, vt audiret attentius, bis vocata, bis vocata eſt.* Tam vehementer applicata erat ſuis miniſteriis, quod, vt audiret, ac attenderet ad Chriſti verba, geminatione nominis fuit compellenda.

D. Auguſt.

Luc. 7. Matth. 26.

*Taciturnitas multum promeretur.*

84. *Et turbaris.* Theophylactus, Saa, & alij ex Græco legunt, *tumultuaris,* ſed, vt ait Euthymius, *Tumultus hoc loco diſtractio eſt, & turbatio.* Chriſtus Dominus in præſenti, vt ait Toletus, dulci quadam reprehenſione taxat eam, non facti, quia bonum, & laudabile erat, ſed nimietatis in rebus, & ſuperfluæ ſolicitudinis, dicens: *turbaris erga plurima.* Græcè *circa multa.* Hoc eſt: Diſtraheris, Martha, in multis ferculis præparandis, cum pauca ſint neceſſaria, vno enim tantum cibi genere contentus ſum. Et ita reuocat Martham à tanta diſtractione; ac docet nimiam ſolicitudinem pro temporalibus vitandam, ac ad comeſtionem non multa aptanda eſſe.

Theoph. Saa. Euthym. Tolet.

Græcus.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Chriſtus Dominus hic non diſſimulat, ſed Martham reprehendit?*

85. SVAVI; ac dulci quodam modo Chriſtus Martham reprehendit. Cuius rei ratio litteralis iam in expoſitione data eſt: Quia ipſa nimia ſolicitudine diſtrahebatur, vt varia ciborum genera præpararet ad conuiuium, cum vna tantum eſca ſit ſatis; hoc enim colligitur ex textu: *Turbaris erga plurima; porrò vnum eſt neceſſarium.* Et ſic interpretatur Theophylactus loquens in Chriſti perſona. *Vno nobis opus eſt, nempe vt comedamus, qualitercumque, non varijs.*

*Vnum cibi genus ſat eſt.*

Theoph.

86. Secundò D. Gregorius Magnus lib. 5. in libros Reg. cap. 4. *Quia in ipſis,* ait, *quæ actiuæ vitæ deſeruiunt, nimietas ſolicitudinis cohibenda eſt, Martha reprehenditur, quæ tam ſolicita aſſeritur, vt erga plurima turbetur. Actionis quidem feruor tunc rectè diſponitur, cum ſic inſiſtimus operi, vt tranquillo corde eum, cui opera noſtra conſecrari nitimur, videamus.* Ob turbationem cum ſolicitudine reprehenditur Martha, nam in omni actione tenenda eſt animi magnitudo; ita enim operi incumbendum, vt animi tranquillitatem, ac ſerenitatem tenentes, turbationem, ac diſtractionem fugiamus. Sic præſentem locum commentans docet S. Antiochus in Pandectes Scripturæ, homil. 14. dicens. *Principium enim malorum ipſa diſtractio eſt.* Quod confirmat ex Apoſt. 1. Timoth. 2. num. 2. *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.* Eccleſiaſtes 4. num. 6. *Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.*

D. Gregor.

*In omni negotio ſecuritas, ac tranquillitas animi tenenda eſt.*

S. Antioch. 1. Tim. 2. Eccleſ. 4.

87. Tertiò, meritò reprehenditur Martha, eo quod de ſorore conqueratur, quod ipſa ſedens ſecus pedes Domini, illam reliquerit ſolam miniſtrare, cum potius Martha Mariæ gratulari deberet, omnis enim profectus Marthæ ex oratione Mariæ proueniebat. D. Paſchaſius lib. 1. in Threnos ſic ait: *Prodeſt Marthæ laboranti, quidquid Maria ſecus pedes Domini deplorat.* Valde incongruè Martha intendebat reuocare ſororem ſuam ab oratione à pedibus Domini: valde enim infirma eſt omnis hominis actio, ſi oratione non fulciatur; & ideo Martha, quod fœliciter ſuo miniſterio, ac actiuæ vitæ incumberet, orationi Mariæ debebat: nam occupatio Marthæ ſancta, & bona erat, licet Mariæ multo melior eſſet, vt ex ſanctis Patribus infra dicam.

D. Paſchaſ.

*Bonus euentus iuſtorum orationi tribuendus.*

88. Quartò, Querimoniis hic, obiectis contra Mariam, Dominus reſpondet, & ſatisfacit, cùm tamen multoties patienter diſſimulauerit, ac tacuerit in his, quæ Phariſæi malignè arguebant in ipſum; ſed tunc minimi excitantur, ac alta voce dicunt, & clamant, vt cæcus à natiuitate: *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit, ſed ſi quis Dei cultor eſt.* Ioan. 9. num. 52. Quando enim ignorantes, ac inſipientes loquuntur, ſi magni, ac prudentes tacent, paruuli reſpondent, ac obiecta peſſundant. Ad producta autem contra Magdalenam nulla magnitudo tacet, ſed ſtatim Dominus præ vi amoris occurrit, cauſam ſuſcipit, mulierémque tuetur. Hucaduoco id, quod perbellè dixit D. Bernardus ſerm. 3. de Aſſumpt. *Vide prærogatiuam Marthæ, quem in omni cauſa habet aduocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, loquitur ſoror, etiam diſcipuli murmurant: vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Chriſtus.*

Ioan. 9.

*Obiecta in dilectum vis amoris præoccupat.*

D. Bernard.



89. Quintò, maximè ponderandum, quod Dominus curæ, ac ſolicitudini à Martha impenſæ, vt ipſum lautè in hoſpitio ſuſciperet, non ſolum non gratulatur, ſed etiam ipſam reprehendit dicens, turbatam eſſe erga multa, & meliorem eſſe partem ſororis Mariæ. Ita in hoc negotio Chriſtus ſe habet, vt verum ſe amicum, mulieríque maximè gratum declaret. Vera enim amicitia non ſtat in eo, quod quis alteri morem gerat, atque ad eius optata loquatur, ſed quod verum dicat, téque inſtruat, ac doceat in his, quæ interſunt, in tuámque cedunt vtilitatem. Vnde & Chriſtus ſuum erga Martham oſtendens amorem, illi & aperit, quæ ad maiorem eius perfectionem exoptata requiruntur.

*Verus amicus dicit, quod verum eſt, licet appetitui aduerſetur.*

90. Apud omnes aulicos; quos ego ſcio, vnum videbis Danielem, qui erga quatuor reges inter ſe ſucceſſiuos intimam habuit amicitiam, vt omnibus fuerit à ſecretis, quamuis aliqui eorum inter ſe eſſent contrarij; itaut extinctis tribus regibus, adhuc ipſe in regia perduraret. Quod rectè notauit Theodoretus in cap. 6. Daniel. ad illa verba. *Placuit Dario.* Et ſic ait: *Regum ſucceſſiones nihil de eius honore immutarunt; ſed illi morte extincti ſunt; at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus ſplendorem obtinuit.* Sed quænam huius tantæ rei cauſa? Si rectè conſideres, hoc inuenies, quod apud hos reges omnes Daniel eorum appetitui non adulatur, ſed quod verum, ac expediens eſt, imperterrito animo dicit. Sic Nabuchodonoſori dixit: *Eycient te ab hominibus, & cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua,* &c. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas,* cap. 4. num. 24. Sic & Balthaſſari: *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* cap. 5. num. 27. Sic & Dario oſtendit, quomodo non ipſi regi, ſed Deo preces, & orationes eſſent offerendæ, cap. 6. n. 10. Sic & Cyro, iuxta Theodoretum, Irenæum lib. 4. cap. 11. aperuit, quàm falſus eſſet cultus idoli ſui Baal, cap. 14. num. 20. Et qui adeò magnanimo erat animo præditus, vt nihil proferret, quod regum blandiretur voluptati, ſed, hac etiam licet in contrarium aduerſante, ſemper diceret, quod verum, ac expediens erat, tantum à Deo donatum beneficium accepit, vt omnibus eſſet gratus, in omniumque amicitia magno habitus decore, ac honoratus perſiſteret. Sic pergit citatus Theodoretus. *Hic autem,* ſcilicet Daniel, *apud omnes eandem nactus eſt loquendi libertatem, æquale honoris præmium conſecutus.*

Theod.

Daniel. 4. Daniel. 5. Daniel. 6.

Theod. Irenæus. Daniel. 14.

*Ille aptiſſimus ad amicitiam, qui neſcit adulari, ſed verum dicere.*

Theod.

91. Hinc meritò Plutarchus lib. de diſcrimine adulati. & Amic. hoc indicium ponit ad diſcernendum verum amicum ab adulatore: nam hic intendit, morem gerere; & ad hoc apta verba captat: ille verò, quod iuſtum, & expediens eſt, fatur. Sic ait citatus Auctor. *Cum animi noſtri pars vna veritati, atque honeſtati debita rationi rectè obtemperet; altera bruta ſit, falſique appetens, incertiſque obnoxia motibus; amicus quidem ſemper in potiorem partem conſulit, & huic patrocinatur, medicorum exemplo, quod ſanum eſt, id augens, ac tuens. Adulator autem brutæ, & affectibus obnoxiæ parti aſſidet, hanc ſcabit, ac titillat.*

Plutarch.

*Diſcrimen veri amici ab adulatore.*

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſtus hic modo reprehendit Martham, & non antea?*

92. CHRISTO domum ingrediente, Martha multum occupata ſatagebat circa frequens miniſterium; & tunc Dominus nihil ad eam locutus eſt; ſed modo, quando de ſorore conqueritur: *Non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare: tunc* Chriſtus leniter ipſam reprehendit: *Martha, Martha ſolicita es,* &c. Cur non antea, quando in miniſtrando tantis erat implicata?

*Ratio difficultatis.*

93. Reſpondet primò Theophylactus. *Vide,* ait, *Domini ſententiam. Nil prius dixit Marthæ, quàm ab illa perſtringendi ſumeret occaſionem. Poſtquam enim illa auellere tentauit ſororem ab auditu, tum denique Dominus arrepta occaſione illam verberat.* Modò quando Martha querimonias producit in ſororem, tunc apta occaſione oblata ipſam edocendi, eam Dominus increpat. Vt enim magnum doctrinæ documentum proficiat, maximè temporis opportunitas captanda eſt. Secundò, forſitan Martha apud ſe putabat, quod pro tanta ſua ſedulitate à Domino eſſet laudanda, vt notat Salmeron tom. 4. part. 3. tract. 16. Sed contra accidit, quia pro tali opere correpta eſt: nam minus bonum maiori bono præferebat. Et ſic ſæpè contingit, vt inde quis multas increpationes reportet, vnde magnas laudes ſperat.

Theoph.

*Ad doctrinam opportunitas temporis captanda eſt.*

Salmeron.

*Sæpè inde quis reprehẽditur, vnde magnas laudes ſperat.*

94. Tertiò, à principio ſatagebat Martha; & tamen nullam habuit reprehenſionem; at vbi turbata diſſidium à ſorore repræſentat, & de ipſa profert querimonias, iam eius opus Deo non tam gratum apparuit, ſed increpatione valdè dignum. Ait Chriſtus Dominus. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matthæus 18. num. 20. Notandum maximè, quod non ait, vbi ſunt duo, vel tres in nomine meo tantum, ibi ſum; ſed addidit, *vbi ſunt congregati,* quaſi non multum intereſſet, quod eſſent plures in nomine Ieſu, ac eius obſequio, niſi inter ſe reperirentur vniti, ac congregati: tantum enim vnitas complacet Ieſu, ac ipſe in ea delectatur. D. Hilarius. *In tantum,* ait, *Ieſus humanæ pacis ſtuduit concordiæ, vt vnitatis merito omnia, quæ à Deo precanda ſint, impetranda eſſe confirmet. Et vbi duo, aut tres pari ſpiritu, ac voluntate collecti ſint, ibi ſe medium eorum pollicetur futurum.*

*Diſſidiũ maximè diſplicet Chriſto.*

Matth. 18.

*Sine vnitate nihil Deo placet.*

D. Hilar.

95. Cum Dauid latitaret cum ſexcentis viris ſuis in quadam ſpelunca, in quam Saul eſt ingreſſus, in ipſum regem volebant milites inſurgere, & eum occidere. Dauidis autem animus omnino erat in cõtrarium, vt in nihilo Saulem offenderet. Tunc Dauid *confregit viros ſuos ſermonibus, & non permiſit,*

1. Reg. 24.

*Septuag.* *permiſit eos, vt inſurgerent in Saul.* 1. Reg. 24. num. 8. Septuaginta legunt: *Suaſit Dauid viros ſuos in verbis.* Grauem orationem efficaciſſimis rationibus refertam pro loco, & tempore habuit ipſe ad ſuos milites, vt ibi notant expoſitores, quibus ſuos milites adduxit, ne regem læderent, ſed ei parcerent. Cur autem Dauid, vt dux, ac princeps hoc eis imperatiuè non mandat, ſed rationibus allicit? *[Sacrificium magnum ex ſe, vt ſit maximè gratũ, cum vnione fieri debet.]* Voluit enim ille diſcrepantes animos in vnam, & eandem ſententiam coadunare. Optimè enim cognouit, quod illud magnum ſuum ſacrificium parcendi inimico ante oculos diuinæ maieſtatis præſentatum, vt eſſet ex omni parte maximè gratum, & acceptum, non cum aliqua voluntatum diſſenſione, ſed cum intima earum concordia, & harmonia eſſet Deo offerendum, ac conſecrandum. *D. Chryſoſt.* D. Chryſoſtomus hom. 2. de Dauide, & Saule, ſic ait: *Non abſque Dei præſidio voluiſſet Dauid illos feruentes deuincere, ſed hæc erat Dei gratia, quæ veluti ſuadelam quandam addebat Prophetæ verbis. Nec enim aliter, atque aliquis Epiſcopi munus ſortitus, ad illos concionem habebat, atque peracta hac concione ſacrificium obtulit.* Expende vltima verba.

96. *Pſalm. 133.* Ait Dauid Pſalm. 133. num. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini. In noctibus extollite manus veſtras.* Et tandem Pſalmus terminatur. *Benedicat te Dominus ex Sion.* Sed qua conſequentia Propheta ex numero plurali tranſit ad ſingulare: exhortatur enim, vt omnes ſerui Deum laudent, media nocte ſurgentes Dominum glorificent. Cur verò, quando ad benedictionem deuenitur, non exorat, vt ſuper omnes ſeruos deſcendat abſolutè, ſed mutata methodo ait: *Benedicat te Dominus?* *[Vt benedictio à Deo deſcẽdat, vnitatẽ præſupponit.]* Vt enim ſerui Domini ſuis religioſiſſimis actionibus Deum laudandi, glorificandi, ac media nocte ſurgendi cœleſtem impetrent benedictionem, expedit, vt inter ſe ita ſint coadunati, ac conuinculati, vt veluti vnam perſonam repræſentent. *Lyran.* Lyranus ſic ait: *Et dicit,* ſcilicet Dauid, *Benedicat te Dominus, in ſingulari quia deberent eſſe vnum concordia charitatis.*

*Lucæ 10. n. 42.* Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* At vnum eſt, quod requiritur. Maria verò partem bonam elegit ſibi.

*Arabicus.* Quod autem neceſſarium eſt, facile eſt.

*D. Aug. ſer. 27. de verb. Dom.* Quando vnum eſt neceſſarium.

*Idem ſerm. 26.* Tu circa multa es occupata, Maria meliorem partem elegit.

*D. Baſil. in regulis fuſiùs diſputatis interrogat. 20.* Paucis opus eſt, aut etiam vno.

*Benedict. Fernand. in c. 13. Geneſ. ſect. 3. n. 3. ex Græc.* Maria optimam partem hæreditatis elegit.

*D. Bern. ſer. 3. de Aſſumpt.* Quæ non auferetur ab ea in æternum.

### *EXPOSITIO V.*

97. *Connexio cum antecedentibus.* SENTENTIA hæc præcedenti connectitur: in illa enim Dominus eſcarum varietatem taxauerat, turbaris erga plurima; nunc ergo rationem reddit, cur Martha in tot non ſit diſtrahenda. *Porrò vnum eſt neceſſarium,* ſeu, vt habet Syriacus, *vnum eſt, quod requiritur;* vno enim ferculo opus eſt, ſeu vno tantum cibi genere opus eſt; & hoc ad vſum vitæ ſufficit. Et poſtquam Dominus inſtruit Martham de his, quæ ſunt neceſſaria, reſpondet querelæ à Martha contra ſororem oppoſitæ.

98. *Quid dicat pars in Scriptura.* *Maria optimam partem elegit.* Pars frequenter in Scriptura ſignificat ſortem, & functionem, quæ alicui contigit continuè poſſidenda, & agenda. *Threnor. 3.* Thren. 3. n. 24. *Pars mea Dominus.* *Iob 27.* Iob 27. num. 13. *Hæc eſt pars hominis impij.* Et dicitur, quod Maria meliorem ſortem, ac functionem elegit, ſedere ſcilicet ad pedes Ieſu, & audire verbum eius, diſcendis, & contemplandis rebus diuinis incumbere; præſtat enim ſpirituale corporali, & cibus mentis cibo corporis.

99. *Occupatio Marthæ etiã bonæ erat.* Hic maximè notandum, quod Chriſtus, vt patet ex ipſo textu, Mariam præfert Marthæ; nam quamuis functio Mariæ eſſet melior, & optima; tamen occupatio Marthæ bona erat: nam ob ſuum eximium amorem, charitatem, & fidem in Chriſtum, paucis non videbatur Martha ſibi contenta, ſed multa tanto Domino parare deſiderabat. *D. Auguſt.* D. Auguſtinus ſerm. 27. de verbis Domini. *Putamus reprehenſum eſſe,* ait, *miniſterium Marthæ, quam cura hoſpitalitatis occupauerat, quæ ipſum Dominum hoſpitio receperat? Quomodo rectè reprehendatur, quæ tanto hoſpite lætabatur?* Et ibidem ſerm. 26. ſic in perſona Chriſti loquitur cum Martha. *Maria meliorem partem elegit; non tu mala, ſed illa meliorem.* *D. Ambr.* D. Ambroſius in præſenti. *Nec Martha,* ait, *in bono miniſterio reprehenditur, ſed Maria, quod meliorem partem ſibi eligerit, antefertur.* *Euthym.* Euthymius. *Bonam partem dixit, non quod altera mala ſit, ſed bonam hic appellat eam, quæ melior eſt. Poteſt enim fieri, vt duorum bonorum vnum altero melius ſit. Bonum eſt, hoſpitalem eſſe; verùm melius, Deo aſſidere: illud enim corporale eſt, hoc autem ſpirituale.* *Caſſian. Theophyl. Boſtrenſ. Beda. D. Bonau. Carthuſ. Caiet.* Idem docent Caſſianus collat. 1. cap. 8. hîc Theophylactus, Boſtrenſis, Beda, D. Bonauentura, Carthuſianus, Caietanus, & alij.

100. *Contemplatio perſeuerat in Patria.* *Quæ non auferetur ab ea.* Probat Dominus veluti ab effectu, quod pars Mariæ melior, & optima ſit: nam miniſterium, ac ſtudium temporale in hac vita finitur, & terminatur; at contemplatio, & meditatio, quæ perficitur in cælo per perennem Dei viſionem, durabit in æternum. Cum autem occupatio Marthæ eſſet circa cibos corporis, in hoc tantum ſæculo durat. At pars Mariæ, quæ in Dei fruitionem tendebat, *non auferetur ab ea,* ſed in æternum ſtabit. Preme verbum. Hæc pars Mariæ, cum ſit optima, habet perennitatem, & permanentiam; *non auferetur:* Ac ſi clarius dicat.



*[Bona data à Deo non auferuntur ab homine, niſi homo velit.]* dicat. Nunquam ego illi dicam, vt dimittat, quod facit, audiendo, & meditando ad pedes meos; & te adiuuet. Non enim debet relinqui maius bonum, propter id, quod eſt minus. Ex quo nota, quod bona, quæ homini largiuntur à Deo, non auferuntur ab eo, niſi homo ſua voluntate velit, ea à ſe excludere, atque dimittere.

---

## QVÆSTIO XV.

### *Quodnam ſit hoc vnum, quod Dominus hic docet, maximè neceſſarium eſſe?*

101. RELICTO Hæreticorum errore, qui hoc vnum neceſſarium dicunt, eſſe fidem, ſiue audire verbum Dei, & illi credere; Catholica tamen Eccleſia docet, quod præter fidem ſpes, charitas, ac bona virtutum opera ad ſalutem neceſſaria ſunt, *Matth. 19. 1. Cor. 13.* vt conſtat ex Matth. 19. num. 17. & ex 1. Corinth. 13. ac ex multis aliis locis. Ad catholicas ſententias veniamus.

102. *Germana explanatio.* Communis, & vera eſt, quod illud vnum ad comeſtionem referatur, in qua præparanda Martha erat occupata. Et ita eſt exponendum: Pauca ſunt neceſſaria, vnum obſonium, ſeu cibi genus ſatis eſt, natura enim paucis contenta eſt. *D. Baſil. Boſtrenſ. D. Hieron. D. Greg.* Ita interpretatur D. Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis interrogat. 20. Titus Boſtrenſis, D. Hieronymus in Epiſtol. ad Euſtochium, D. Gregorius apud D. Thomam in catena.

103. *Euthym.* *Potius de doctrina, quàm de cibo agendum.* Secundò Euthymius. *Vnum eſt neceſſarium, meorum ſcilicet auſcultatio ſermonum: neque enim, vt epuler, veni, ſed vt vos doceam.* Non ad cibum, ſed ad auſcultationem ſermonum Dei refert verba, vt per hoc nos doceat Chriſtus, quàm neceſſaria ſit attentio ad doctrinam cœleſtem.

104. *Dei contemplatio nobis valdè vtiliſſima.* Tertiò, per vnum interpretatur vnitas mentis cum Deo, qua ipſa mens dimiſſis terrenis cogitationibus tota eſt intenta in ſuum vltimum finem, ſcilicet Deum, ac æternam beatitudinem, ipſam meditando, ac contemplando. Ac ſi dicat Chriſtus: Tu, ô Martha, turbaris erga plurima, cum hoc vnum ſit neceſſarium, vt tota mens colligatur in Deum, in quo vno defixa, ex eius voluntate omnia, quæ agenda, ſine vlla turbatione conſideranda ſunt. Et in hoc ſenſu ſubdit Chriſtus: *Caſſian.* *Maria optimam partem elegit.* Ita Caſſianus collat. 1. cap. 8. *Vnum,* inquit, *vnius Dei intuitus, & contemplatio, vt ſcilicet etiam ſanctorum actus, ac miniſteria mirifica ſupergreſſus, ſolius Dei iam pulchritudine, ſcientiáque paſcatur.* *D. Auguſt. D. Gregor. Beda. D. Bonau. Pſalm. 26.* Idem docent D. Auguſtinus ſerm. 27. de verbis Domini. D. Gregorius lib. 1. in libros Reg. cap. 4. Beda, D. Bonauentura, & alij, in hac re interpretantes illud Pſalm. 26. num. 4. *Vnam* (ſeu vt habet Hebraicus, *vnum*) *petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

105. *Deuter. 32. Septuag.* *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.* Deuter. 32. num. 11. Septuaginta legunt: *Et ſuper eos deſiderauit.* Aquilam ſymbolum eſſe Dei, valdè notum eſt in Scriptura, *D. Hieron. D. Ambroſ.* vt docent D. Hieronymus in cap. 65. Iſaiæ. D. Ambroſius lib. 2. de Salom. cap. 2. Aquila enim



eſt auium regina, ac valdè fœcunda, & longæua, obque alias ſimilitudines. Sed cur Iſraëlitæ pullis aquilarum potius, quàm aliarum auium comparantur? Valdè tritum eſt illud, quod præter auctores prophanos docent Patres, *Tertull. D. Nazianz. Clem. Alex. D. Auguſt. D. Hieron. D. Ambr.* Tertullianus lib. de anima, cap. 8. Gregorius Nazianzenus, orat. ad Epiſcopum, Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Gentes, D. Auguſtinus tract. 36. in Ioan. D. Hieronymus in cap. 40. Iſaiæ. D. Ambroſius lib. 5. in Hexamer. cap. 18. Cuius verba ſubiicio. *[Quomodo aquila probat filios.]* *Aſſeritur, quod,* ſcilicet aquila, *pullos ſuos radijs Solis obijciat, atque in aëris medio pio paruulos vngue ſuſpendat; & ſiquis repercuſſus Solis lumine intrepidam oculorum aciem ſeruauerit, probatur, quod veritatem naturæ ſinceri obtutus conſtantia demonſtret; ſin verò lumina ſua perſtrictus radio Solis inflexerit, quaſi degener, & tanto indignus parente reijcitur.* *[Contemplatione Dei dimiſſis terrenis, filij Dei comprobãtur.]* Ecce in quo comparantur veri filij Dei pullis aquilarum. Ecce quid Aquila magna in eis deſiderat. Qui enim fixo oculo, abſque tremulo viſu Deum aſpiciunt, ac contemplantur, in hoc verè eius filij comprobantur. *Ad Epheſ. 5.* Et ſic dicebat Paulus ad Epheſ. 5. num. 8. *Vt filij lucis ambulate.* Qui verò oculos à Sole deflectunt, & ad terrena conuertunt, in hoc tanquam alieni, ac adulterini ſe exhibent; & demonſtrant. *Clem. Alex.* In hac conſideratione eſt Clemens Alexandrinus citatus. *Vt germani,* ait, *filij lucis intueamur lucem, & ſurſum aſpiciamus, ne, nos eſſe adulterinos, deprehendat Dominus, quemadmodum Sol aquilam.*

106. Valdè neceſſarium eſt, vt terrena dimittantur, vt Deum valeamus contemplari. Per longam noctem luctatur Angelus cum Iacob, cui nomen impoſuit Iſraël, quod interpretatur videns Deum, *D. Auguſt. D. Nazianz. D. Hilar. Euſeb. Proſper.* vt docent D. Auguſtinus lib. 6. de ciuitate Dei, cap. 39. Nazianzenus, Hilarius, Euſebius, & Proſper. Vnde ipſe Iacob ſubdit. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Id tamen maximè notandum, quod in ipſo luctamine ei accidit: *Geneſ. 32.* nam Angelus *tetigit neruum fœmoris Iacob, & emarcuit.* Geneſ. 32. num. 25. Sed quonam myſterio hæc ei claudicatio, hæc accidit nerui contractio? magno ſanè. *[Contemplatiuus totus ſeparatur à terra, & in Deum erigitur.]* Qui enim ad videndum, ac contemplandum Deum iam deſignatus erat, ei namque impoſitum fuerat nomen Iſraël, id eſt videns Deum, expediebat, vt iam, non turbatus circa multa, pedem, in quo affectus humani denotantur, erigeret, ac ſemoueret à terra, vt expedita mente in Deum erectus in altiſſima eius meditatione totus verſaretur. *D. Greg.* D. Gregorius Papa homil. 14. in Ezechiel. *Notandum,* ait, *quod idem victus Angelus neruum fœmoris Iacob tetigit, eumque marceſcere ſtatim fecit, atque ab eo Iacob tempore, vno claudicauit pede: quia ſcilicet omnipotens Deus, cum iam per deſiderium, & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem arefacit; & qui prius quaſi duobus pedibus innitentes, & Deum videbamur quærere, & ſæculum retinere; poſt agnitionem ſuauitatis Dei vnus in nobis pes ſanus manet, atque alius claudicat: quia neceſſe eſt, vt debilitato amore ſæculi ſolus conualeſcat in nobis amor Dei.* Ac ſi dicat, quod contemplatiuus exſiccatur, ac infirmatur pede, quo terram attingebat; firmatur verò in altero, quo ad Deum dirigit greſſus.

## Qvæstio XVI.

### *Quare Dominus, qui iudex fuerat interpellatus, factus eſt Mariæ aduocatus?*

107\. D. Auguſt.
CELEBRIS eſt hac in re ſententia D. Auguſtini homil.27. de verbis Domini; quod, dum Martha conqueritur de ſorore, *Dominus autem pro Maria reſpondit Marthæ: & ipſe eius factus eſt aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Martha, inquit, circa multa es occupata, quando vnum eſt neceſſarium, Maria meliorem partem elegit*, &c. Mens Auguſtini non eſt, quod ibi Dominus reſpueret officium iudicis, nam ſtatim ſubdit: *Audiuimus interpellationem interpellantis, & ſententiam iudicis*: Sed quod ita iudicis vices geſſit, vt etiam aduocati munus adimpleret.

*Mens S. Doctoris.*

108\. Moraliter verò expendo. *Ipſe eius factus eſt aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus.* Ac ſi Dominus ibi, non vt iudex, ſed vt aduocatus ſe haberet. Sed quare erga has ſorores taliter ſe habet Dominus? Modò ſumpturus erat cibum ex earum facultatibus, in hoc magnum documentum cunctis iudicibus præbens, ne ab illis dona, aut fercula, in quos ſunt laturi ſententiam, capiant.

*Iudex ex bonis delinquẽtis ne comedat.*

109\. Judith. 10.
Proficiſcitur Iudith 10. num.5. in caſtra Aſſyriorum, *Impoſuitque Abra ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.* Magna ſanè indagine quærendum eſt: Cur Iudith è ciuitate ſecum abſtulerit huiuſmodi cibos; nam eius conciues maximè oppreſſi fame ab hoſtibus obſeſſi tenebantur: in caſtris autem Aſſyriorum, magna, largáque copia omnia ſuperabundabant. Cur ergo huiuſmodi obſonia à fame tabeſcentibus eripit, & inimicos tranſportat? Rationem litteralem huius rei aſſignant Lyranus, Tirinus, Sanctius, Serarius, P. Didacus de Celada: ne ſcilicet hæc nobiliſſima fœmina cibis, Deorum imprecatione pollutis contaminaretur. Vnde & ipſa cap.12. n.2. à ferculis è menſa Holophernis oblatis abſtinet. Aptiſſimè ad rem noſtram, quandam rationem moralem ſubiicio. Nam, vt ipſimet Doctores docent ad cap. 13. Iudith conſtituta erat à Deo miniſter diuinæ iuſtitiæ, ac veluti iudex ad Holophernem diiudicandum: meritò ergo & ipſa ad ſui alimentum cibos defert; decreuit enim, non comedere de menſa illius, in quem iudiciariam ſententiam prolatura erat: nam ſi huiuſmodi obſoniis ſe adſtrictam agnoſceret, omnino periret iuſtitia; ſi verò illis ſe non obligatam ſentiret, non vt è nobiliſſimo genere natam ſe exhiberet: O quàm præclarè ergo huiuſmodi dona reſpuit, & apud ſe non admittit.

Lyran. Tirin. Sanctius. Serarius. Celada. Iudith 12.
*Iudex abſtineat à ferculis iudicãdi.*

110\. Daniel. 1.
Eligitur Daniel cum ſociis, vt erudirentur lingua, ac ſapientia Chaldæorum; prouiditque eis Nabuchodonoſor alimoniam de cibariis ſuæ regalis menſæ. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius.* Daniel.1. num.8. Sed quænam ratio in hanc reſolutionem impulit Prophetam? Forſitan, vt aliqui dicunt, quia rex Ethnicus carnem porcinam, & alia, lege Moyſis vetita, comedebat? quæ ratio, quamuis in hac parte ſit vera, tamen alia fercula ad regalem menſam deferebantur, quæ veſci licebat. Cur ergo Daniel cum ſociis ab omnibus abſtinere decreuit? D. Hieronymus aſſignans rationem, ob quam hi ſancti iuuenes taliter ſe exhibuerint, ſubdit: *Vt iudicent, atque conuincant.* Daniel creatus erat à Deo veluti iudex, vt contra Nabuchodonoſorem ſententiam promulgaret. *Regnum tuum tranſibit à te; & ab hominibus eiicient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes*, &c. cap.4. num. 29. Optimo iure Daniel regales cibos non vult tangere, neque ante oculos habere; nam ſi ex rei, ac delinquentis facultatibus comeditur, frequenter ſanè iudex, iuſtitiáque polluitur, ac coinquinatur.

D. Hieron. Daniel.4.
*Munuſculis delinquentis iudex polluitur.*

## Qvæstio XVII.

### *Quænam ſit hæc pars, optima, quam Maria ſibi elegit?*

111\. MARIÆ pars, quam Chriſtus optimam appellat, in eo conſiſtebat, quod omnibus terrenis curis ſpretis in ſolo Chriſto eſſet defixa, in eum intenta, verbum illius audiens, ſoli Deo, diuiníſque myſteriis aſſidens, orationi, contemplationíque inceſſanter vacans. Hæc eſt communis Patrum ſententia. Accipe modò Richardum de S. Victore in Cantic. cap.8. *Optimam partem elegit Magdalena, quæ gratiam exercet contemplationis, & tamen occupatur in parte ſororis, vt etiam actiuæ vitæ præmio coronetur: in qua pari charitate præmium meretur. Martha in vno loco corpore laborabat circa aliqua; Maria in multis locis charitate circa multa: in Dei enim contemplatione, & amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehendit, & complectitur omnia, itaut in comparatione eius Martha ſolicita dici poſſit circa pauca.* Maria actiuæ, & contemplatiuæ vitæ erat præmio inſignita; nam Martha ſolum erat occupata in præparando Domini conuiuio: at verò Maria meditando charitate ſua in multis verſabatur, nempe circa Domini myſteria, eiuſque labores, fatigationes, famem, ſitim, aliaque huiuſmodi tractabat: *dilatatur ad omnia, comprehendit, & complectitur omnia.*

*Pars optima, ſoli Deo, diuiniſque rebus vacare.*
Richard.

112\. Francon.
Secundò Franconius Abbas tom. 11. circa initium. *Hoc vnitatis bonum, ipſe ſummè bonus, non ſolum terrenis omnibus, ſed & ipſius pietatis officio, nec cuilibet ſanctorum exhibito præferebat, quando dicebat: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Pars Mariæ, quæ à Chriſto, etiam ob religioſum miniſterium, in quo Martha verſabatur, noluit diſtrahi, neque ab eius præſentia diſiungi, aut ſeparari. Ex quo perpende, quantum valeat in Chriſti præſentia, ac contemplatione verſari; nam ob hoc vnum cætera omnia, etiam pia, ſunt omittenda.

*Magnum bonum, à Dei præſentia non diſiungi.*

113\. D. Ambr.
Tertiò D. Ambroſius hic. *Nec Martha in bono miniſterio reprehenditur, ſed Maria, quia meliorem partem elegit, antefertur. Ieſus enim multis abundat, & multa largitur; & ideo Maria ſapientior indicatur, quia, quod principale aduertit,*



*tit, elegit.* Mariæ ſapientia laudatur, nam cum adeſſent minima, mediocria, & ſumma, ac perfectiſſima, ipſa non hæſit minimis, ac mediocribus, ſed ad ſumma, ac præſtantiſſima aſpirauit, quod magni animi, magnæque ſapientiæ ſignum eſt.

*Magni animi ad ſumma aſpirare.*

114\. D. Bernard.
Quartò D.Bernardus ſerm.3.de Aſſumpt. *Quis enim*, ait, *ſicut Dauid fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperium regis? Denique paratum cor meum, inquit, paratum cor meum, non ſemel tantum, ſed & ſecundò, & vacare tibi, & proximis miniſtrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferiur; bonum, inquit, acquirit gradum, qui benè miniſtrauerit; fortè meliorem, qui benè vacauerit Deo; optimum autem, qui perfectus eſt in vtroque.* Pondera vltima verba, & ex his coniice, quàm optima, præclara ſit pars ſacratiſſimæ Virginis Mariæ; nam vt ait Guarricus Abbas ſerm.4. de Aſſumpt. *Hoc de Maria ſorore Marthæ ſcriptum eſt, ſed in Maria matre Domini hodie plenius, & ſanctius impletum eſt.* Valdè enim ipſa fuit in vtroque perfecta, & miniſtrando, & vacando Deo.

*Optima pars, miniſtrare proximis, & vacare Deo.*
Guarricus.

115\. Apoc. 12.
*Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum.* Apocal. 12. num.14. Altiſſimè miniſtrando, ac contemplando, miniſtrauit non ſolum alimenta panis, & aquæ, ſuique ſuauiſſimi lactis, ſed etiam materiam ad ſacratiſſimi corporis Chriſti compoſitionem: nam, vt rectè argumentatur D. Paſchaſius lib.1. in Pſalm.44. *Maria namque*, ait, *optimam partem elegit, dum ſolummodò Domini tenuit pedes, quos lachrymis rigauit.* Quam ergo optima erit pars Genitricis Dei ſacratiſſima, quæ non ſolùm Domini pedes, manus, caputque rigauit, ſed etiam ſuo puriſſimo ſanguine totum efformauit, atque compoſuit? In via etiam contemplatiua perfectiſſima fuit, tum intentione actuum meditationis, & contemplationis; tum etiam continuatione: non enim ſolùm vigilans ſeſe in hos actus effundebat, ſed etiam, vt valde grauis, & vera eſt ſententia, B. Virgo ſopitis inter dormiendum ſenſibus per ſingulare Dei donum mentem habebat ſolutam, ac vigilantem, vt liberos actus eliceret, ac in ardentia orationis, & amoris ſuſpiria erumperet. Et ad hunc ſenſum explicant illud Cant.5. num.2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* D. Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. art.1.cap.5.Caniſius lib.1.cap.13.ad citatum Canticorum locum, Cathuſianus, Cornelius, & alij auctores cum Suario tom.2. ad 3. part. diſput.18. ſect.2. §. *Dico quartò.*

D.Paſchaſ.
*Virgo perfectiſſima in via actiua, & contemplatiua.*
*Virgo dormiens habebat mentem vigilantem.*
Cant. 5. D. Bern. Caniſ. Carthuſ. Cornel. Suarius.

116\. Quintò, in optima ſua parte hoc habet Maria, vt aliis proficiat, vt ſuprà dixi quæſt. 13. ex D. Paſchaſio. *Prodeſt Marthæ laboranti, quidquid Maria ſecus pedes Domini deplorat.* Sic inter magnitudinem gloriæ ſuæ, quam optimam partem ſanctiſſima Dei Genitrix ſibi elegit, hoc habet, vt hominibus miſereatur, ac auxilietur. Sicque ait D. Bernardus ſermon.1. de Aſſumpt. *Præceſſit hodie nos Regina noſtra, præceſſit, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominum ſeruuli clamantes: Trahe nos poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et poſt pauca ſubdit. *Aſcendens quoque in altum Virgo Beata dabit ipſa quoque dona hominibus.*

D. Paſchaſ.
*Maria inter glorias ſuas habet, pro hominibus exorare.*
D. Bernard.
D. Bernard.

117\. Eſther 5.
Eſther ingredienti in regis baſilicam, ac thronum ait Aſſuerus: *Quid vis, Eſther regina? Quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.* Eſther 5. num.3. Agnoſce ſummam Dei beneficentiam. In Dei regno duo ſunt conſideranda, poteſtas, & miſericordia. Ait Regius Vates: *Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt; & tibi, Domine, miſericordia.* Pſalm.61. num. 12. Deus ex ſua infinita bonitate, ſibi poteſtatem retinens, alteram dimidiam partem, ſcilicet pietatem, Mariæ commiſit, ac conceſſit. Ipſa enim eſt *fons miſericordiæ*, vt eam appellat D. Bonauentura de laudibus Virginis, & D. Bernardus ſermone de Aquæductu in eius Natiuitate. *Sic eſt voluntas eius*, ſcilicet Dei, *quia totum nos voluit habere per Mariam.* Totam hanc cogitationem nobis inculcat Gerſon Cancellarius Pariſienſ.tract.2.in Magnificat. *Magnifica eſt*, ait, *hodie B. Virgo, vt regina cæli, immò & mundi iure vocetur, habens præeminentiam, & virtutem influxiuam ſuper omnes: principatum habet dimidij regni Dei, ſi ſic dici poteſt ſub typo Eſther, & Aſſueri. Regnum quippe Dei conſiſtit in poteſtate, & miſericordia: poteſtate Domino remanente, ceſſit quodammodo miſericordiæ pars Chriſti matri, ſponſæque regnanti: hinc ab Eccleſia tota Regina miſericordiæ ſalutatur.*

Pſalm. 61.
*Deus ſibi poteſtatem retinens, Mariæ miſericordiã commiſit.*
D. Bonau. D. Bernard.
Gerſon.

118\. Ad noſtrum intentum redeuntes, Maria Dei Genitrix inter optimam partem magnitudinis gloriæ ſuæ habet, vt pro nobis exoret, ac intercedat: *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cantic.4. num. 8. Valdè vulgare eſt cum D. Bernardo, Ildephonſo, Guarrico, & aliis Patribus, quod hæc verba ad glorioſiſſimam B. Virginis Aſſumptionem transferantur. Sed illud maximè expendendum: Quomodo dicitur. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum?* Corona eius ex duodecim ſtellis fabricatur Apocal. 12. num. 1. Quomodo ergo ex ferociſſimis, ac brutiſſimis animantibus dicitur componi? Hoc enim B. Virgo Maria pro illuſtri, ac magna corona habet, vt ſui ope atrociſſimi peccatorum leones, ac pardi, ſuaues, & mites fiant, ac per pœnitentiam, & contritionem ſtellæ reddantur fulgentiſſimæ. Pulchè Richardus de S. Victore ibi. *Beata Virgo*, ait, *dum ab illorum corde, quos, vel apertè ſæuiendo, deiecerat, ſcilicet dæmon; vel occulta, & varia fraude tectè deceperat, meritis, & interceſſione ſua liberauit; de cubilibus, ſeu montibus leonum, atque pardorum coronari perhibetur.*

Cant 4.
D. Bernard. D.Ildeph. Guarric.
Apoc. 12.
*Maria pro corona habet, vt peccatores conuertat.*
Richard. de S. Vict.

119\. Eccleſ. 24.
*Quaſi platanus exaltata ſum.* Eccleſ. 24. n.19. Quæ verba communiter ad Aſſumptionem B. Virginis accomodantur; tunc enim ipſa exaltata eſt ſuper choros Angelorum. Sed cur in exaltatione ſua platano comparatur? Platani folia lata ſunt inſtar vitis, & ſcuti figuram pertendunt; in æſtate ita inter ſe folia connectuntur, vt ſuauem viatoribus præbeant vmbram, vt tradit Plinius lib. 12. cap. 1. vt illa ab ardore Solis aduenæ protegantur. Alij verò auctores addunt, quod in hyeme ita folia ad inuicem explicantur, ac diuiduntur, vt radiis Solis facilis ſit aditus ad fœcundandas herbas, ad radicem eius exortas, ac appoſitas. Et Pierius Valerianus lib. 17. & 25. atteſtatur, quod rami platani arcent noctuas, & veſpertiliones. Meritò ergo Beata Virgo, vt

Plinius.
Pierius.

*Virgo habet pro ſui ſublimitate, quod ſuos cuſtodiat, & protegat.*

platanus exaltata dicitur, habet enim pro magna ſui ſublimitate, vt inſtar platani ſcuta ſuæ interceſſionis extendat, quibus tempore æſtatis ferueris iræ Domini nos abſcondat, & protegat; vtque in hyeme, ac frigore gelida, & obdurata corda ſuo auxilio, & adiuuamine radiis diuinæ gratiæ incaleſcant, ac calefiant, vt ita à noctuis, ac veſpertillionibus dæmonum muniamur, ac cuſtodiamur. Carthuſianus. *Per platanum exprimitur Beatiſſima Virgo, quæ ſub alarum ſuarum latitudine, id eſt pietatis, & poteſtatis ſubuentione ſuſcipit, ac tuetur cunctos ad ipſam confugientes.*

Carthuſ.

## Qvæstio XVIII.

### *Quam magna, & optima ſit pars Mariæ, ex magnitudine eius gloriæ expenditur.*

120. Guarric.

*Virgo beatitudine ſuperat omnes Beatos collectiuè ſũptos.*

HÆc verba de Maria ſorore Lazari dicta ſunt, ſed, vt ait Guarricus Abbas citatus ſuperiori quæſt. *In Maria matre Domini hodie plenius, & ſanctius impleta ſunt.* Quæ adeò optimam partem ſibi elegit, vt donis gratiæ, ac ſuis meritis ad tantam ſit gloriam ſublimata, vt in perfectione ſuæ beatitudinis, non ſolum ſuperet ſingulos ſanctos Angelos, ac puros homines, ſed omnes puras creaturas ſimul in vnum collectas. D. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 61. art. 3. *Vt intra*, ait, *Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus Beatiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta, de cuius gloria poſt filium participant vniuerſi.* Expende illud: *participant vniuerſi.* De hoc vide Suarium tom. 2. ad 3. part. diſputatione 22. ſect. 3. §. *Quarto addo.*

D. Bernardin.

Suar.

121. Cant. 6.

*B. Virgo quẽlibet ſanctũ ſuperat in gloria.*

*Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulcha vt Luna, electa vt Sol.* Cantic. 6. num. 9. Quæ de B. Virgine frequenter à ſanctis Patribus, & Doctoribus interpretari, iam ſuprà dixi. Sed cur comparatur auroræ, Lunæ, & Soli? Sine dubio, vt his Spiritus ſanctus excellentias beatitudinis Virginis nobis aperiat. Aurora ſuperat in luce quamcumque ſtellam ſingillatim ſumptam; ſic & B. Virgo quemlibet Beatum.

122. Sed ad quid vltra dicitur *Pulchra vt Luna*, ſeu fulgens, & reſplendens vt Luna? Quamuis omnes ſtellæ ſimul conglomerentur, & in vnum conueniant aceruum, cum noctis regina in claritate comparari non valent, ſed omnes ſimul ſumptas longè, magnoque in fulgore ipſa ſuperat. Stellæ ſunt Diui: *Stella ab ſtella in claritate differt, ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. Corinth. 15. num. 41. Licet ergo cuncti Beati, tam puri homines, quàm Angeli in vnum copulentur, eos tamen omnes in gratia, & gloria ſua, immenſa excellentia excedit ſanctiſſima Dei Genitrix, itaut hæc vna pluſquam omnes illi in vnum coadunati, luceat, & fulgeat. Petrus Damianus ſermon. de Aſſumpt. *Quid Luna pulchrius*, ait, *cum, ſtellis coruſcantibus in ſignifero limite, reliquorum ſiderum ſplendorem excedit? Conſidera, quam ſtellaris, & ſerena vibratio, quàm luminoſus fulgor circularem orbem tanti ſideris perfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuſcet. Sic virgo inter animas ſanctorum, & Angelorum choros ſupereminens, & euecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant, Luna tamen, & magnitudine præeminet, & ſplendore; ſicut vtramque naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.*

1. Cor. 15.

*Virgo claritate ſua beatitudinis excedit omnes puras creaturas in gloria*

D. Petr. Dam.

123. *Electa vt Sol.* Non ſiſtit comparatio, quod B. Virgo dicatur pulchra vt Luna, ſed adhuc electa vt Sol acclamatur. Quid in hoc denotatur? Quamuis Luna irradiet ſuper ſtellas, tamen earum ſplendores minimè ſepelit, ſed in eius præſentia adhuc ſidera ſcintillant. At Sol tam fulgidus, ac luminoſus eſt, vt eo apparente omnium ſtellarum faces diſpareant, ac veluti extinguantur; immò & ipſa Luna quid deliquij perpatiatur. Sol eſt Maria. *Electa vt Sol, mulier amicta Sole.* Quæ ita coruſcat in gloria, vt ſi illi compares aliorum Beatorum ſtellas, atque fulgores, veluti non appareant, nedum fulgeant. Pergit citatus Damianus. *Electa vt Sol. Hanc attende ſimilitudinem, quia nulla in rebus mundi poteſt eſſe ſublimior. Nihil enim habuit Spiritus in viſibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Sol lucidius incandeſcens ita ſiderum, & Lunæ rapuit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint. Similiter & Virga Ieſſe, veri præuia luminis, in illa inacceſſibili luce perlucens; ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint, ne debeant apparere.* Gradatim, vt ita dicam, de minori ad maius procedit Spiritus ſanctus; & prius B. Virginem cum Aurora confert, quia in claritate, ac fulgore ſuperat quemlibet Sanctum. Comparat cum Luna, quia præcellit omnes beatos ſimul copulatos. Aſſimilat Soli, quia *ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere.*

*Beatitudines puræ creaturæ in comparatione gloriæ Virginis apparere non poſſunt.*

Damian.

124. Cant. 3. In hac hodierna feſtiuitate clamant ſancti Angeli: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Cantic. 3. num. 6. Denotatur his verbis, varias gratiarum partes aliis ſanctis conceſſas, in ſanctiſſima verò Dei Genitrice Maria coadunatas inueniri. Sic docet citatus Damianus, allegato ſermone de Aſſumpt. *Vniuerſus ergo*, ait, *puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit; & ſi cæteris per partes ſpiritus affluit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit.* Quantum enim gratiæ per omnes diſtributum eſt, tantum in vna ſola Maria inuenitur coadunatum. Ad hunc ſenſum præclarè ait D. Bernardus ſerm. de Aquæductu in Natiuitate Mariæ. *Redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam.* Sed quomodo ait S. Doctor, *vniuerſum pretium*, tranſmiſſum in Mariam? Nunquid pro ſola Maria paſſus, & mortuus eſt? Minimè: nos omnes eius ſalutifero ſanguine redempti ſumus. Quomodo ergo vniuerſum pretium in Mariam? Ita S. Doctorem interpretor, quod quantum gratiæ, & gloriæ, ac cæterorum donorum ſpiritualium Chriſtus omni creaturæ puræ extra Mariam promeruit, tantum ſuæ ſanctiſſimæ matri ſuis meritis compa

Damian.

*Omnis gratia, quæ per alios diſperſa eſt, data in vna Virgine tota ſimul.*

D. Bernard.



comparauit. *Vniuerſum ergo pretium in Mariam*, dicitur, cum ſcilicet prouentus gratiarum vnius ſolius Dei Genitricis, per Chriſtum conſecuti, adæquauerint dona vniuerſitati hominum, & Angelorum conceſſa. Pro qua re eleganter dixit Eucherius Lugdunenſis ad Euang. fer. 4. Domin. 4. Aduent. *Quæ cum gratia plena ſit priuſquam & concipiat; poſt conceptionem quàm Dei abundauerit gratia, quis cogitare poſſit.*

Eucher.

125. Sed vltra ad noſtrum intentum progrediamur. Non ſolum Maria in donis gratiæ, & gloriæ adæquatur cum omnibus aliis ſanctis aggregatim conſideratis; ſed ipſa ſola longo interuallo eos ſuperat. Cum de mirabili Incarnationis arcano agit cœleſtis paranymphus cum B. Virgine, ait ei: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Luc. 1. num. 34. Cur non ait, veniet in te, vt de aliis dicitur, ſic canit Eccleſia: *Veni ſancte Spiritus: Veni creator ſpiritus:* ſed *ſuperueniet?* D. Amadæus homil. 3. de laudibus Virginis. *In alios ſanctos*, ait, *Spiritus ſanctus venit, in alios veniet, ſed in te ſuperueniet, quia præ omnibus & ſuperelegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante te fuerunt, vel poſt te futuri ſunt plenitudine gratiæ.* Valdè myſterioſè non dicitur, Spiritus ſanctus veniet in te, ſed ſuperueniet, vt tali dicendi phraſi explicaretur, quod tam præeminenti plenitudine gratiæ ſuper omnes alios ſanctos Spiritus ſanctus in eam deſcenderit, vt omnes in gratia, & gloria ſuperet, atque excedat.

Luc. 1.

D. Amad.

*Virgo omnes ſanctos ſimul ſumptos præcellit.*

126. Pro hac ingenti gloria Virginis conſideranda, multum faciunt pulchra Guarrici Abbatis verba ſerm. 4. de Aſſumpt. *Gaudebat nimirum Maria*, ait, *vacare, & videre, quoniam Ieſus eſt Deus. Viſio prorſus ineffabilis gaudij, ſummæque delectationis omnibus, qui diligunt Ieſum, ſed præ omnibus illi, quæ genuit Ieſum. Cui, ſicut ſingulariter excepta eſt gratia Deum generandi: ſicut & prærogatiua gloriandi in eo, quem genuit; omnino ſingularis, atque incomparabilis gloria Virginis matris, videre Deum regem omnium in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoſcat, & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo.* Nil ſanè maius, ac dulcius dici poteſt.

Guarricus.

*Virgo videt carnem ſuam glorificari in Deo.*

## Qvæstio XIX.

### *Optima pars Mariæ oſtenditur ex ingenti gaudio, quo in die ſuæ Aſſumptionis totam cœleſtem curiam repleuit.*

127. Apoc. 21.

EGo *Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Apoc. 21. num. 2. Quod iſte viſionum liber futura narret myſteria, & res, quæ in Eccleſia poſt Chriſti Aſcenſionem contigerunt, conſtans eſt Patrum ſententia. Sed quando tota cœleſtis Ieruſalem, quæ ſummo gaudio, ac fœlicitate repletur, tanto apparatu compoſita, ac adornata dicitur deſcendere, vt videatur ſicut ſponſa ad deſponſationem cum viro ſuo procedens, itaut non conſueto cultu, ac apparatu, ſed veluti inſolito noua videatur? Sine dubio tanta ſolemnitas eſt manifeſtata hac hodierna die; tunc tota cœleſtis curia deſcendit, vt feſtiuo gaudio, ac admirabili pompa cælorum Reginam ad cœleſte palatium eueheret. D. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Reuera mater illa cœleſtis*, ait, *hodie aduenit obuiam ornata monilibus ſuis, de qua dicitur: Vidi Ieruſalem deſcendentem de de cælo, à Deo paratam auro mundo, & lapidibus pretioſis intextam. Quo profecto ideo decore hodie deſcendit, vt Reginam mundi, beatam ſcilicet Mariam, ſecum aueheret ad ſublimia, & collocaret in throno regni. Alioquin officioſiſſimè prætexta non occurreret, niſi feſtiuitas magna eſſet.*

*Feſtiuo gaudio tota cæleſtis curia excepit B. Virginem.*

D. Ildeph.

128. Adeò ſplendidus, & magnificus fuit iſte apparatus, vt venia data dicam, quod nullus alius ſimilis viſus eſt. Chriſto cælos penetranti tota ipſa beatorum ſpirituum curia ei, vt Domino ſuo obuiam exiit. At dum mundi Regina ſupernum intrat palatium, ei non ſolum occurrunt beati homines, & Angeli, ſed etiam inter eos Chriſtus Dominus eius filius, vt matrem in throno ſuæ maieſtatis exciperet. Cardinalis Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. *Aſcendenti Domino*, ait, *egreſſa eſt obuiam omnis illa beatorum ſpirituum glorioſa ſocietas. Attolle iam oculos ad Aſcenſionem Virginis, & ſalua Filij maieſtate inuenies, occurſum huius pompæ, non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: matri verò, cælorum palatia penetranti, Filius ipſe cum tota curia ſolemniter occurrens euexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis.* Valdè veriſimiliter dici poteſt, quod ideo prius Chriſtus voluit aſcendere in cælum, vt tam illuſtri comitatu hodie matrem ſuam exciperet, vt tanta celebritas tam feſtiuo gaudio, ac apparatu eſſet condecorata.

*Veluti ſplendidiori apparatu excipitur Virgo, quam Chriſtus.*

Damian.

129. Valde profundè introducit Guarricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumpt. Chriſtum D. ad Virginem loquentem, ac dicentem: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quandam regni ſedem conſtituam; de te iudicia decernam; per te preces exaudiam.* Et ſtatim ſubdit. *Nec ſatis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris.* Sed quomodo Chriſtus Dominus cuius ſacratiſſima anima primo inſtanti ſuæ conceptionis beatifica viſione fruitur; cuius corpus tantis donis reſplendet in cælo; de ſe atteſtatur: *Nec ſatis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris?* Tam intima coniunctio, ac vnio eſt inter Filium, & Matrem; tamque immixta concipitur gloria Filij cum gloria Matris, vt ipſe Filius à Matre diſiunctus non ſatis ſibi glorificatus videatur. Magno pondere ait D. Arnoldus Carnotenſis tract. de laudibus Mariæ. *Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas. Vnitas diuiſionem non recipit, nec ſecatur in partes, & ſi ex duobus factum ſit vnum, illud tamen vltra ſcindi non poteſt; & Filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico, quàm eandem.*

Guarric.

*Chriſtus non ſibi videbatur glorificatus, donec glorificaretur.*

D. Arnold.

*Gloria Filij eadem cum Matre.*

130. Nam ſicut ſedes ad dexteram Patris Chriſto competit ob Deitatem, quæ æterna generatione illi communicatur ex Patre; ſic & illi ſedes aſtruitur ob humanitatem in Matre, quam temporali generatione ab ea traxit, vt ita glorificatus in ea conquieſcat; & per eam preces noſtras exaudiat, & iudicia, ac negocia noſtra diſcernat. Nam ſicut in terris elegit eam ſibi in domum, in qua humana carne indueretur ad rem noſtræ ſalutis peragendam; ita & in cælis in ea ſibi præ

*Mater Chriſti Thronus.*

Guarric. præparauit thronum, vt ipſa rogante ad noſtras orationes condeſcendat. Iterum pergat Guarricus ſerm. 1. de Annuntiat. *In ipſa quippe*, ait, *ex ipſa ſapientia ædificauit ſibi domum, & in ipſa parauit ſibi thronum, cum in ea, & ex ea corpus aptauit ſibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, vt & domus ei ſit ad quieſcendum, & thronus ad iudicandum, quod primò ei tabernaculum fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum.*

131. *Ex præſentia Virginis noua gloria profunditur.*

Quantam verò gloriam, ac lætitiam tota cœleſtis curia ex Virginis præſentia capeſſit, grauiſſimi Patres docent. Hugo Victorinus lib. 3. tit. 125. de Aſſumpt. Virg. in erudit. Theolog. *Fœlix dies*, ait, *in qua Virgo virginum, ſancta ſanctorum miſericordiæ mater aſſumitur, paradiſus deliciarum, Angelorum gloria ad regalis ſolij celſitudinem ſublimatur.* D. Anſelm. D. Anſelmus de excellentiis Virginis cap. 8. *Dies illa, non ſolum te, Domina, ineffabiliter ſublimauit, ſed cælum ipſum, quod penetraſti, nec non cuncta, quæ in eo ſunt, noua, & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cælum decorauit, quia priorem gloriam eius ex præſentia ſui vltra quam dici poſſit, aut cogitari, magnificauit.* Sed quod eſt, quod vna pura creatura Angelos, cælóſque noua gloria repleat, quod etiam ante, & multum eleganter dixit D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. (D. Bernard) *Mariæ præſentia*, ait, *totus illuſtratur orbis, adeò vt etiam ipſa iam cœleſtis patria, clarius rutilet virgineæ lampadis radijs.* Valdè magnum, ac mirabile eſt affatum ſanctorum Patrum, ac marianum elogium. *Cœleſtis illius palatij lucerna eius eſt Agnus; nec Sole, nec Luna eget.* Apocal. 21. num. 23. (Apoc. 21.) Quid ergo ibi tantum prodeſt virginea lampas? Non intrat Maria obiectum viſionis beatificæ, vt planum, & notum eſt; hoc enim tantum ab increato lumine delibatur. Quomodo ergo præſentia Mariæ, cœleſtis curia clarius rutilat, cunctáque noua gloria condecorantur?

132. *Deus relucet in Maria veluti in limpido ſpeculo.*

Deus ipſe lucerna cœleſtis patriæ, ac gloria cunctorum Beatorum pleno perſonarum numero, maximè relucet in Maria, veluti Sol in limpido, ac perlucido ſpeculo. In aliis creaturis viſitur Deus, vt vnus; in Maria irradiat, vt Trinus. In ipſa reſplendet Pater, virtute ſua altiſſima obumbrans ei in myſterio ineffabilis Incarnationis: reſplendet Filius in eius ſacratiſſimo vtero carnem aſſumens: reſplendet Spiritus ſanctus, ſuperna, ac diuina virtute myſterium cooperans. In ipſa omnia Dei attributa, veluti adumbrata nitent. Æternitas Virginitatis Maria eſt. D. Ildephonſus de Virginitate Mariæ cap. 10. (*Maria æternitas virginitatis* D. Ildeph.) *Hæc fœmina ſanctificationis vas eſt, æternitas virginitatis eſt.* Æternitas eſt tota ſimul, & perfecta poſſeſſio; omnia tempora præteritum, præſens, & futurum ambit. In Maria tota ſimul, & perfecta poſſeſſio virginalis puritatis exiſtit, tres ſtatus, veluti tria tempora, circumplectens. (*In Maria immenſitas quædam.*) Virgo eſt ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum. Quædam enim immenſitas in ea nobis obiicitur: Deus enim, qui incircunſcriptus eſt, & à nullo loco teneri poteſt, ab eius vtero circuncingitur, & amplectitur. Ex quo ait Concilium Epheſinum cap. 7. (Conc. Epheſ.) *Quis vidit, quis audiuit vnquam tale? Incircunſcriptus Deus vterum inhabitat; quem cæli non capiunt, venter amplexus eſt Virginis.*

133. D. Epiph. Quandam incomprehenſibilitatem in eius vtero agnoſcit D. Epiphanius de laudibus Virginis. *O vterum cælo ampliorem, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti.* Sicque omnia attributa tanto fulgore nitent, in Maria, vt dicat Albertus Magnus in mariali cap. 185. (Albert. Mag. *Dei attributa relucent in Maria.*) *Summa Dei potentia, ſcientia, pietas, ac miſericordia quanta in ea operata ſint, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.*

134. *Per Mariam Domini gloria contemplatur.*

Cum ergo Deus cum ſuis attributis, Trinus in perſonis, totius viſionis beatificæ, ac gloriæ obiectum, tanquam reuibrato ſplendore maximè niteat in Mariano ſpeculo, quod intuentes Beati, quandam cognitionem de Deo, eiuſque mirabilibus inde exhauriunt; ex quo noua luce, nouáque gloria (de accidentali tantum loquor) perfunduntur ex nouo modo, quo in Maria Deum contemplantur. Vnde pulchrè Andreas Hieroſolymitanus in ſalutat. S. Mariæ, colum. 7. (Andr. Hier.) *Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale ſpeculum.* D. Damaſcenus orat. 1. de dormitione Virginis. (D. Damaſc.) *Hanc non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens ſat dignis laudibus efferre poteſt: per quam Domini gloria perſpicuè intueri, nobis datum eſt.*

135. *Cur Chriſtus matrem ſecum non defert in gloriam?*

Ex quo coniice, quàm feſtiuo gaudio, quámque magnifica pompa Regina cælorum hodie in ipſa cœleſti curia excepta eſt. Perbellè dubitabis: Cur Chriſtus, triumphator in cælum aſcendens, matrem ſuam ſibi non aſſociat, ac eam ſecum defert? D. Anſelmus lib. de excellentiis Virginis quæſtionem ſic enodat. (D. Anſelm.) *Fortaſſe, Domine, ne tuæ cœleſti curiæ veniret in dubium, cui potius accurreret, tibi videlicet Domino ſuo, an ipſi Dominæ ſuæ.*

---

# QVÆSTIO XX.

## *Quare tanta meritorum merces, tantáque gloria Mariæ, dicitur pars, & non potius totum?*

136. *Fœlicis laus, totum non ambire.*

PRo magno encomio Magdalenæ dicitur, quod partem ſibi elegerit. Ipſa enim multum diligebatur à Chriſto: tanto namque fœlicitatis dono inſignita erat. Meritò ergo de ipſa decantatur, quod partem ſibi adſciuerit. Bene fortunati præclara laus extat, quod non omnia ambiat, ſed vna parte contentus, ſecurus, ac hilaris conquieſcat. Ad noſtram quæſtionem veniamus.

137. Caiet.

Reſpondet Caietanus. Partem elegit, non totum: Marthæ enim ſua pars relinquitur. Contemplatiua ſiquidem vita diſtinguitur contra actiuam, vt pars à parte. Ita Maria ſibi elegit partem, vt alteri relinqueret etiam ſuam. Secundò, partem dicit ad differentiam vitæ Apoſtolicæ, & paſtoralis, ait idem Caietanus, hæc enim non eſt pars, ſed totum, & integra vita, conſtans ex vtraque parte, contemplatiua ſcilicet, & actiua. (*In prælato contemplatiua, & actiua vita.*) Vacant ſiquidem prælati contemplationi, & contemplata impertiuntur aliis: quod eſt vacare operibus miſericordiæ ſpiritualibus, prædicando, corrigendo. Vnde & Petrus in Actib. Apoſtolorum 6. num. 4. inquit, *Nos verò orationi*, ecce vita contemplatiua, *& miniſterio verbi*, ecce actiua, *inſtantes erimus.*

138.

Iam ſæpe dixi, quod ſublimius, & altius agi-



tur hîc de ſanctiſſima Dei Genitrice Maria. Cùm ergo eius gloria adeo præexcelſa exiſtat, vt à nobis inexplicabilis ſit, cur non dicitur, quod ipſa ſibi elegit totum, vel omne optimum; nam de ea ait Odonus Epiſcop. Camarac. in Opuſculo. (Odonus.) *Glorioſus ſexus, glorioſus vterus, glorioſa viſcera, glorioſum totum, quod totum gratiæ plenum.* Cur ergo non aſtruitur, quod elegerit totum, ſed partem? (*Omnis merces Virgini collata, veluti pars ad eius merita.*) Bona venia, aliqualiter dici poteſt, ad explicandas Virginis excellentias, quod adeò illuſtris, & præexcellens extitit eius dignitas Maternitatis Dei, vt merita inde prouenientia ita creuerint, vt quæcumque merces illi collata, quodammodo pars quædam appareat ex his, quæ ipſa ſibi multum promeruiſſe videtur.

139. Iacob. 1.

De ſanctis Apoſtolis, vt eſt communis interpretatio, ait D. Iacobus in ſua Canonica cap. 1. n. 18. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* (*Dignitas Apoſtolica veluti pars comparatione meritorũ.*) Sed quomodo viri tanta dignitate conſpicui, qui Chriſti Apoſtoli extabant, fidei magiſtri, totius Eccleſiæ principes, ac totius ſpiritualis ædificij lapides fundamentales, dicuntur paruum principium, *initium aliquod.* In tanta ſublimitate Apoſtolorum merita ferebantur, vt tot honorum ornamenta veluti exiguum initium reputarentur eorum, quæ ab ipſis tam illuſtribus factis promerebantur.

140. Geneſ. 48. D. Hieron. D. Auguſt. D. Chryſoſt. Euſebius.

Moriturus Iacob ait filio ſuo Ioſeph; *Do tibi partem vnam, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gen. 48. n. 22. Pars hæc erat ager vrbis Sichem, vt docent D. Hieronymus, D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, Euſebius, & alij. Sed cur totam illam terram Sichem appellat partem? Cur non ait, Do tibi totum, & vniuerſum illud prædium? Lyranus. (Lyranus.) *Do tibi, idem eſt, ac ſi diceret: Tu me, & fratres tuos tempore famis ſaluaſti, & me deferendum ad ſepulchrum patrum meorum promiſiſti, ideo terram Sichem ſpeciali munere do tibi.* (*Ager per reſpectum ad Ioſeph veluti pars.*) Ager ille datus eſt Ioſeph ob eius illuſtria facta in parentem, & fratres; & conſideratione habita ad tot præclara merita, campus ille, quamuis aliàs ampliſſimus, non totum ſed pars erat.

---

# QVÆSTIO XXI.

## *Quare non dicitur, quod ei data ſit pars; ſed quod ipſa eam elegerit?*

141. *Magdalena elegit ſibi vitam contemplatiuam*

AD litteram reſpondetur, quod hæc dicit Dominus de vita contemplatiua, cui Magdalena tota dedita erat: Et aptè appoſuit verbum *Elegit*, quo ſignificaretur, ipſam non ſolùm modò intentam eſſe Dei verbo; verùm etiam hanc partem præcipuè elegiſſe, à ſe in tota vita obeundam, vt patet ex eius geſtis; ad altam enim contemplationem ipſa ſe recepit in eremis.

342. D. Bernardin.

Secundò, & moraliter. Perbellè D. Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 3. ait. *Optimum eſt, ſupra quod nihil eſt melius, & in pura creatura ſupra B. Virginem non eſt factibilis ſtatus. Et quia talis ſtatus B. Virgini honorabiliter datus eſt, ideo fuit ante collatum ſibi copioſiſſimum donum, vnde hunc ſublimem ſtatum mereri poſſet, ac ſibi eligere, ſicut velit. Proinde volens Dominus exprimere dignitatem etiam ex merito ſuo, potius inquit, elegit ſibi, quàm data eſt ſibi.* Optimum, nihil habet ſupra ſe: Dignitas ſanctiſſimæ Mariæ, quod ſit Dei mater, ita eſt perexcelſa in pura creatura, vt dabilis non ſit alia nobilior. (*Virgo per merita elegit ſibi præmium.*) *Supra B. Virginem non eſt factibilis ſtatus.* Hæc autem tam ſublimis dignitas, Dei gratia interueniente, vt honorabiliter eſſet Virgini data, per meritum eſt collata. *Vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur.* Ex quo coniice, quam altum faſtigium meritorum Mariæ. Ideo non dicitur, quod pars ei data ſit, ſed quod ipſa elegerit optimam partem; quia in donatione pura liberalitas donantis viſitur: at in electione ratio meritorum conſideratur. Nam meritis inſignitus, ſuis glorioſis factis præmium, ac partem ſuam ſibi aſſignat.

143. Luc. 1.

Cæleſtis Paranymphus ait Virgini: *Inueniſti gratiam apud Deum.* Luc. 1. n. 30. Maximè hîc expendendus locus iſte. Sermo eſt hic de gratia Incarnationis, ſeu concipiendi æternum Verbum, vt ex ſanctis Patribus dixi tom. 1. cap. 5. q. 33. 89. Et ipſe Angelus ſtatim explicauit. *Ecce concipies in vtero*, &c. Difficultas ergo inſurgit: Quomodo Virgini ait Angelus: *Inueniſti gratiam*? (*Virgo non caſu inuenit gratiam.*) nam quidquid inuenitur, vel eſt fortuito, & caſu; vel bona adhibita quærentis diligentia. Non dicat aliquis fortuitò, & caſu; res enim altiſſima Dei diſponebatur ordinatione; & ideo ipſe Deus tantis donis eam ditauit, ac cumulauit. Deinde Angelus totus eſt in ſuis verbis: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum, vocabitur Filius Dei*, &c. Ad hoc tendebat, vt à Virgine exquireret conſenſum, vt ex D. Auguſtino, D. Gregorio, D. Thoma, Chryſologo, ac aliis Patribus dixi 1. tom. lib. 1. cap. 5. q. 56. (D. Auguſt. D. Greg. S. Thomas. D. Chryſol.) Qui conſenſus fuit valdè, & inſigniter meritorius. Vbi autem actus meriti, conſenſus, ac electionis interuenit, euentus caſualis non eſt.

144. *Virgo non affectauit, non quæſiuit intentione maternitatẽ.*

Inuenta eſt autem hæc gratia bona quærentis diligentia? minimè etiam: Quomodo potuit humillima Virgo ſupremam maieſtatem maternitatis Dei deſiderio quærere, & affectare, quæ ſe ancillam ſemper dicebat? *Ecce ancilla Domini*: iterùm, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Quæ enim tam pleno ore ſe ancillam profitebatur, non Maternitatis flagrabat affectu. Simon Caſſianus lib. 2. de B. Virg. cap. 4. (Caſſianus.) *Quæ, inquam, mulier*, ait, *à ſæculo præſumpſiſſet, hoc inquirere, vt vndecumque concipere, aut parere potuiſſet hominem, hominum Saluatorem? Quæ, inquam, ſancta Virgo ab humilitatis terminis exceſſiſſet, vt in alto preces porrigeret, vt filij Altiſſimi eſſet mater? Non minor fuiſſet hæc ſuperbia, quàm illa Luciferina, quæ Altiſſimo ſimilis fieri ſatagebat. Ac per hoc, ſi non quæſiuit, quomodo inuenit? An præter intentionem fuit inuentio? Sed quis inuenit, quod non intendit.*

145. *Virgo per merita acquiſiuit, ac inuenit maternitatem.* Caſſian.

Quomodo ergo inuenit? O ſuprema Mariæ celſitudo! ô eximia meritorum altitudo ſupra humanum captum! Inueniſti, non deſiderio, nec inquiſitionis affectu, ſed meritis. In tanto enim cumulo excreuerunt merita, vt ſuppoſito vnionis hypoſtaticæ decreto, in maternitatis Dei præmium intenderent. Pergit citatus Caſſianus. *Inuenta eſt vna Virgo, ex alto diuinis muneribus fulta, vt tali eſſet apta commercio: quæ non inuenit gratiam, quam non quærebat; ſed omnes creaturas & alias Virgines ſuis meritis tranſcendendo: hæc*

*gratia oblata eſt : quæ gratiam non inuenit , quia ipſam in ſe ipſa quæſiuit ; ſed quia ſibi , præ omnibus dignè ad hoc dicatæ , Deus obtulit , ideo inuenit.* Virgo altiſſimam gratiam concipiendi Æterni Patris filium inuenit ; non quia fortuitò reperit ; nec quia ſedula quæſiuit : ſed quia quæſierunt merita , quibus iuxta ſupremam Dei ſapientiam tantum præmium deſtinabatur , vt Æterni Verbi efficeretur Mater. Ideo ergo gratiæ inuentio perhibetur , vt , & operantis merita , & liberalitas tanta ſupernaturalia dona largientis ad tam illuſtria opera donetur.

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare dicitur , quod hæc pars Mariæ nunquam ſit ab ea auferenda ?*

146. *Contemplatio Dei perficitur in Patria.*

RATIO litteralis eſt manifeſta. Quia pars Mariæ erat meditatio , ac contemplatio Dei , ac rerum diuinarum : quæ pars non finitur in hac vita , ſed per perennem Dei viſionem in æternum durat , & perficitur. Occupatio autem Marthæ erat temporalis circa cibum corporis , qui in vita conſiſtit , & cum ea finitur. D. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 18. *Nec auferri*, ait, *vnquam ſors Mariæ dicitur , quia actiuæ vitæ opera cum corpore tranſeunt ; contemplatiuæ vitæ autem gaudia melius ex fine conualeſcunt.* Beda, *Actiua vita* , inquit , *cum corpore deficit ; contemplatiua autem hîc incipit , vt in cæleſti patria perficiatur.* Idem docent omnes ferè Patres D. Auguſtinus ſerm. 26. & 27. de Verbis Domini. Diuus Laurentius Iuſtinianus lib. de ligno vitæ. tract. de Orat. cap. 8. Caſſianus Collat. 1. cap. 10. D. Bonauentura , Albertus Magnus , Hugo , Caietanus , & alij.

D. Greg. Beda. D. Auguſt. D. Laurent. Iuſtinianus. Caſſianus. D. Bonauen. Albert. Mag. Hugo. Caiet.

147. D. Machar.

Secundò, D. Macharius homil. 25. ſic ait: *Maria ſedit iuxta pedes Domini plorans. Inquit enim: Optimam partem elegit , quæ non auferetur ab ea. O pretioſas illas margaritas in defluxione beatarum lachrymarum ! ô ſocietatem arctam Sponſæ erga Sponſum animarum ! hanc imitare.* Maria ſtans plorans ad Domini pedes optimam partem elegit, nunquam ab ea auferendam : Cùm enim hæc pars eſſet fructus lachrymarum , ita excellens , ac pretioſus extabat,vt quid optimum conſiſteret (optimo autem nil melius eſt ) & ita conſtans , ac perſeuerans in æternum , vt nunquam ab illo eſſet homo caſurus , nec amouendus.

*Fructus lachrymarum optimus, & permanens.*

148. D. Machar.

Tertiò , Idem D. Macharius homil. 12. *Maria ſiquidem* , ait , *quæ illum diligebat , & ſedebat ad pedes eius , non ſimpliciter adhæſit Deus ; ſed virtutem quandam ſecretam è ſua ipſius ſubſtantia contulit ei. Nam ſermones , quibus Deus quietè Mariam alloquebatur ſpiritus erant , & virtus quædam , penetrabantque cor huiuſmodi verba, creſcebatque diuina virtus in corde ipſius : neceſſario enim virtus illa , in quemcumque ſe effuderit, firma permanet , tanquam poſſeſſio , quæ auferri non poteſt.* Stabat Maria ad pedes Chriſti , ſummo amoris affectu Chriſtum audiens ; & in ipſis verbis ſecreta quædam communicabatur diuinitatis virtus (ſeu halitus) quæ illi gratiam quandam permanentem , ac perdurabilem conferebat. Hanc etiam in ſuorum dilectorum cordibus verba Dei reponunt.

*Dei verba quandam permanentem gratiam conferunt ſuis dilectoribus.*

149. *Donæ à Deo datæ, inuito poſſeſſore, non auferuntur.*

Quartò , Multum diſcrimen eſt inter actiuam; & contemplatiuam vitam. Actiua enim multis, & variis modis impediri poteſt ; Contemplatiuus omnia ſecum aſportat ; nam , cùm contemplatio conſiſtat in actibus internis , in carcere, in vinculis , in cauernis Deum poteſt orare , ac contemplari, vt ſancti Martyres faciebant. Ergo,cùm hæc ſit tam perfecta, & ab omni impedimento libera, contra poſſeſſoris voluntatem non eſt auferenda; præcipuè vt ipſe ſe immiſceat temporalibus rebus : Quos enim Deus ſummè diligit , à talibus occupationibus adimit , ac ſegregat.

150. *Gratia apud Deum permanens, apud homines citò deficiens.* Caſſiod.

Quintò , *Non auferetur ab ea.* Gratia pollere apud Chriſtum, occaſum neſcit ; ſed valde pereniter durat , & perſeuerat. E conuerſo ſe habet gratia apud homines , vt videre eſt in aulicorum familiaritate intima , quæ frequenter mutationi ſubiicitur , vtpotè à regis voluntate dependens,de qua ait Caſſiodorus lib. 2. Variar. *A qualibet aura flectitur , & in diuerſa mutatur.*

151. Pſalm. 145. Græcus. D. Hieron. D. Auguſt.

De principibus , regibus , magnatibus , ac iudicibus ait Regius Vates Pſal. 145. n. 2. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum , in quibus non eſt ſalus*, ſeu , vt legunt Græcus, D. Hieronymus , D. Auguſtinus , *quibus non eſt ſalus* , ſeu in ſingulari , *cui non eſt ſalus.* De gratia , ac amicitia erga principes loquitur Pſalmographus. Sed qua conſequentia hæc ſunt dicta, quod in eis non eſt ſpes reponenda , quia ipſi tanquam ægroti ſalute carent ? Potius dicendum videbatur : Nolite confidere in principibus , quia in eis non eſt veritas , & potentia , vt in præmiis conferendis ſtent promiſſis , ſi enim potentia, ac veritate gaudeant, quamuis aliunde ſalute careant , ſpes in eis collocata vacua non redibit. Cur ergo , vt doceat , in illis non eſſe fidendum , ſolum ſalutis defectum commemorat , ac eos tanquam morbo laborantes introducit ? Ægrotus , cui non eſt ſalus , ea, quæ vehementer modo appetit , & deſiderat, citò ita ei vertuntur in tædium , ac odium , vt nec illa guſtare , nec ante oculos habere valeat. Ita enim ſunt principes veluti ægroti ; nam frequenter illorum amicitia , quæ eis erat maximè plauſibilis, ac delectabilis ; ita exoſa fit,ac in faſtidium commutatur , vt iam nec illorum nomen valeat guſtare , & audire. Cardinalis Hugo. *Nolite confidere in principibus , quia citò mutantur ab amicitia in amicitiam.*

*Princeps mutatur ex amicitia in amicitiam.* Hugo.

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare hæc Euangelica lectio recitatur in Aſſumptionis Virginis feſto ?*

152. D. Ildeph.

DIVVS Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſumpt. ait. *Congruè ſatis , & conuenienter videtur , à Patribus fuiſſe ſancitum , vt in memoria Dei Genitricis recitaretur Euangelica lectio , quæ narrat , illas duas , mente, & carne ſorores , Dominum Ieſum excepiſſe hoſpitio.* Cuius rei conuenientias , ac congruentias breuiter appono.

153. D. Bernard.

Reſpondet primò D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumptione. *Ad quid enim ea hodie in Eccleſiis Chriſti Euangelica lectio recitatur , in qua mulier benedicta in mulieribus excepiſſe legitur Saluatorem ? Credo , vt hæc , quam celebramus , ex illa*



*ſuſceptione aliquatenus æſtimetur : immo vt iuxta illius inæſtimabilem gloriam, inæſtimabilis cognoſcatur & iſta.* Intendit Eccleſia denotare , quod ex ſuſceptione , qua B. Virgo Chriſtum excepit in terris, penſanda, ac inueſtiganda ſit eius gloria in cælo. Et ſicut inæſtimabilis extitit gloria ſuper omnem humanum captum , qua ipſa in terris in vtero ſuo excepit Deum, & Verbum caro factum eſt,& ipſa effecta Mater Dei:Ita & gloria, qua ipſa in cælis à Filio recepta eſt,& illi primæ ſuſceptioni reſpondet, ac omnino ſuper noſtrum cogitatum agnoſcitur. *Vt iuxta illius inæſtimabilem gloriam inæſtimabilis cognoſcatur & iſta.*

*Gloria B. Virginis inæſtimabilis ſupra humanum captū.*

154. D. Auguſt. Euſebius. S. Odilon.

Secundò D. Auguſtinus ſerm. 26. de Verbis Domini. Euſebius ſerm. de Aſſumpt. S. Odilonius ſerm. in eodem feſto,& alij Patres communiter ex eo ſumunt rationem,quia in his duabus ſororibus ſignificabatur vita actiua , & contemplatiua, & vtraque fuit excellentiſſimo gradu in B. Virgine , vt iam dixi ſupra q. 17. Et vt rectè argumentatur S. Odilonius citatus: Si hæ ſorores magnam obtinuerunt gloriam , & laudem , quia in illis ſignificata eſt vita actiua , & contemplatiua; qualiſnam erit gloria ſanctiſſimæ Dei genitricis , quæ in heroico , ac perfectiſſimo modo duas illas vitas in ſe retinens adamplexa fuit. Optimè , non vna , ſed duæ ſorores introducuntur ad exprimendum hoc meritum;tantus eſt enim cumulus gratiæ, & gloriæ,ac donorum B. Virginis,vt non niſi per partes, ac actus multarum,& diuerſarum perſonarum valeat adumbrari, ac inſinuari. Sic notat Anſbertus, quod Ioannes *eximiam pulchritudinem cæleſtis Ieruſalem per varias figuras, aurum , iaſpidem , ac lapidem pretioſum exprimit. Apocal. 21. num. 18.*

*Merita Virginis non niſi per partes explicari poſſunt.*

Anſbertus. Apocal. 21.

155. Tertiò. Cum Chriſtus excipitur in hac domo, ſolùm de duabus ſororibus fit mentio , non vero de Lazaro. Quia in domo virginali Mariæ in cuius vtero filius Dei ſuſceptus eſt ſolum extitit omne decus, ac ornamentum illuſtrium virtutum vitæ actiuæ, & contemplatiuæ , nil Lazari ibi reperitur , Lazarus autem mortuus , & in vitam reuocatus pœnitentiam adumbrat : in Virgine autem Maria pœnitentia de proprio aliquo defectu non habuit locum , nam ipſa omnis peccati labe omnino expers extitit. D. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumptione. *Abſit enim*, ait, *vt proprij quicquam inquinamenti hæc aliquando habuiſſe dicatur , vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur.*

*In Virgine nulla labes peccati.* D. Bernard.

156. Quartò ſic ſubtili, & ingenioſa quadam ratione res explicatur. In præſenti *canit Eccleſia. Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum.* Caſtellum hoc B. Virginem ſignificat: iuxta illud Cant. 4. num. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum , quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Sed quomodo Deus obiectiua Beatitudo , omni beato maior , dicitur intrare in Mariam , quando ipſa hodie ad cælos euehitur ? De aliis ſanctis operariis æterna felicitate donatis promulgatur. *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. num. 23. Grandior eſt gloria, quàm beatus , qui in eam ingreditur , & ideo decantatur, quod felix introeat,nam ipſa gloria tam larga eſt, vt tota in vno paruo vaſculo humani cordis non poſſit contineri, ſed inde ſuperabundat, ac diffunditur; vt notauit Caietan. Accipe modò D. Thom. ad citatum Matthæi locum. *Quare dicit intra in gaudium, non accipe ? quia quod eſt in aliquo continetur ab illo, & continens maius eſt ; quando ergo gaudium eſt de aliquo , quod minus eſt , quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum ; ſed Deus maior eſt corde, & ideo, qui gaudet de Deo, intrat in gaudium.* Hæc vox de aliis beatis circumfertur , *Intra in gaudium Domini tui.* At cum Virgo aſcendit ad æternam beatitudinem , iam mutatur ſtylus,& profertur. *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum* , Deus beatificum obiectum intrat in Mariam. Nunquid Virgo Maria maior eſt Deo beante, quem continet , nunquid ipſum incomprehenſum comprehendit? minimè, abſit, abſit hoc ; Ad comprehenſionis apicem Maria non peruenit, ſed ita ſublimior , & excelſior ſuper omnes alios beatos eius gloria eminet , vt nouo modo , nouaque methodo fuerit exprimenda , vt non ipſa intraret in gaudium , ſed quod illud ſupremum gaudium in eam intraret ; ſic theologizatur in hac re D. Epiſcopus Ioſephus de Lazerda. Lib. de Maria. Accade. 28. ſect. 2. num. 13.

Cant. 4. Math. 25. Caetan. D. Thom.

*Alij ſancti dicuntur intrare in gloriam, at gloria decantatur intrare in Mariam.* Lazerda.

157. *Ex Chriſti maieſtate deprehenditur gloria Virginis.*

Quintò. Cum Virgo aſcendit in cælum, introitus Chriſti decantatur in Caſtellum, vt ex ſublimitate maieſtatis qua Chriſtus eſt ingreſſus , inferatur gloria , pompa , & apparatus in introitu Virginis; nam, vt iam retuli, ex D. Arnoldo lib. de Laudibus Virginis. *Filij gloriam cum matre non tam communem iudico , quam eandem.* Vt ita ex ingreſſu Chriſti in ſua maieſtate, inferatur gloria, & ſublimitas in introitu matris , vt ita vnum per alterum colligatur.

158. Sextò. Cum Eccleſia celebrat Virginis aſſumptionem in cælum , in Euangelica lectione referuntur duæ mulieres militantes vna in via actiua, altera in contemplatiua. At verò cum eiuſdem Virginis Natiuitas ſolemnizatur , in Euangelio commemorantur principes, duces, ac reges. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham. Math. 1. num. 1.* Quid habet Aſſumptio cum militantibus, natiuitas cum Regibus. Nata eſt Virgo vt multis meritis ditata , tanta autem merita voluit Deus ſtatim ab exortu ſublimare coronis, ac ſceptris tot regum, ac principum. At eius Aſſumptio duabus militantibus decantatur, vt cunctis fiat euidens, ac notum, quod tanta gloria, & beatitudo ei confertur iuxta illius præclara merita, & facta.

Math. 1. *Gloria Virginis iuxta illius merita.*

159. Septimò. Recolitur aſſumptio Virginis vna muliere Chriſtum excipiente, ex quo multa dona gratiæ in totam domum , ac familiam manarunt; vt ita inſtruamur ; quod omnis virtutum , donorum, priuilegiorum, gratiarum, gloriæ, ac felicitatis cumulus in B. Virgine , ab hoſpitio in ſuis ſacris viſceribus filio Dei exhibito , veluti è natiuo fonte effluxit; quod ſatis ſuauiter docet Guarricus ſerm. 4. de Aſſumptione : ex verbis Apoſtoli 2. Corinth. 9. num. 6. *Qui parce ſeminat, parcè & metet , & qui ſeminat in benedictionibus , de benedictionibus & metet.* ſic ſubdit magnus Abbas; *Nullus tam profuſa benedictione ſeminauit , ſicut illa benedicta in mulieribus , quæ benedictum ſemen de ventre profudit. De benedictionibus ſuis ita Maria metet , & quæ benedictionem omnium gentium ſeminauit, benedictionem omnium gentium ſingulariter accipiat ; Beatam me dicent, inquit, omnes generationes. Parum eſt hoc, beatam te dicent omnes beatorum ſpirituum ordines.* Quilibet colligit fructum iuxta ſemen iactum in terram ; B. Virgo aream, ſuam, quam fecit , idque quod ſeminauit, ſuper omnes puras creaturas , Verbum caro factum ; ſicque ſuper omnem humanum captum ex tanto ſemine collegit fructum , & ſicut ſeminauit benedictionem omnium gentium , ſic

2. Corint. 9. Guarric.

*B. Virgo ex area ſua ſuper omnes gentes colligit fructum.*

ſuper

ſuper omnes gentes benedictionem accepit.

160. *Sap. 3. Apocal. 12.* De aliis iuſtis dicitur. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in perpetuas æternitates.* Sap. 3. num. 7. At in Apocalypſi apparet ſacratiſſima Dei genitrix, *amicta Sole*, cap. 12. num. 1. Sed cur cum alij reſplendeant ad inſtar Solis, illa Sole veſtita irradiat, alij niteant ad inſtar, ac ad ſimilitudinem Solis, at illa tanta luce imminet, vt ipſomet ſole amicta appareat, vt ita eius ſingularis gloria exprimatur, ex intima familiaritate, ac coniunctione, quam habet cum ſole. D. Bernard. ſerm. 1. de Verbis Apocalypſis. *Mulier amicta ſole* inquit, *plane amicta lumine, tanquam veſtimento; quam familiaris ei facta es domina? quam proxima, imò quam intima ei fieri meruiſti? quoniam inueniſti gratiam apud Deum in te manet, & tu in eo: & veſtiſti eum, & veſtieris ab eo: veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtiris ab eo gloria maieſtatis. Veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtieris.*

*Inter Virginem, & Chriſtum multa coniunctio in gloria.* D. Bernard.

161. *Guarr.* Coronidem huic rei ponam grandis Guarrici verbis ſerm. 1. de Aſſumptione. *Nunc autem*, ait, *& in ea, & cum ea, ſicut interminabili æuo, ſic & incomprehenſibili modo habitans, ſatiat eam beatificantium gloria viſionum: foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus verò glorificantis Verbi formam imprimens.* Tam admirabilis, ac ſingularis eſt gloria Virginis Mariæ, vt dicat venerabilis Abbas, quod Deus ſit in ea habitans *incomprehenſibili modo.* Vt Apoſtolus explicet noſtram electionem ad gloriam, ait, quod Deus *prædeſtinauit nos conformes fieri imagini filij ſui.* Rom. 8. num. 29. At Maria tam ineffabili modo præordinata eſt, vt Deus eam prædeſtinauerit, vt eſſet conformis imagini filij ſui, ſcilicet ipſiuſmet Dei, ac etiam filij ipſiuſmet Virginis, quem in vtero ſuo concepit, & genuit, ergo cum mater ſit Verbi glorificantis, valde incomprehenſibili modo eſt habitans in ea, exterius formam exhibens in Maria glorificatæ carnis, cum vna, & eadem ſit caro Chriſti, & Virginis: Interius autem formam imprimens glorificantis Verbi, cum illa ſacratiſſima anima maximè ſit vnita Deo per charitatem. Vnde ait D. Bernard. ſerm. de Verbis Apocalypſis, *Vt quadam ſine perſonali vnione, creaturæ conditio patitur luci illi inacceſſibili videatur immerſa.*

*Rom. 8. Virgo ſingulariter ordinata ad gloriam.*

*Inter Chriſtum & Virginẽ magna vnio.* D. Bernard.

# CAP. XVII.

## *Reuertuntur Apoſtoli à ſua miſſione.*

*Marc. 6. n. 30.* Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum nunciauerunt ei omnia quæ egerant, & docuerant.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et congregati ſunt Apoſtoli ad Ieſum, & dixerunt ei quæcunque fecerant, & docuerant.

*Vatabl. Theoph.* Congregantur Apoſtoli ad Ieſum & renuntiauerunt,

*Arias.* Omnia, & quanta egerant, & quanta docuerant.

ALTER TEXTVS.

*Luc. 9. n. 10.* Et reuerſi Apoſtoli, narrauerunt illi, quæcunque fecerunt.

### *EXPOSITIO I.*

1. *Connexio cũ ſuperioribus.* Tacian. Zacharias. Magiſter.

MISIT Chriſtus D. ſuos diſcipulos ad prædicandum Math. 10. quod ſupra explicauimus cap. 7. De tempore, quo reuerſi ſunt eſt dubium. Barronius, Franciſcus Lucas, Cornelius, & alij id referunt poſt Ioannis necem. Antiquiſſimi tamen Auctores vt Tacian. cap. 46. Zacharias Epiſcopus cap. 66. Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 66. ad finem, id hoc in loco conſtituunt. Et hæc ſententia maximè cohæret cum antecedentibus, & ſubſequentibus.

2. *Ad magna multum conducit concordia.*

Conuenientes autem Apoſtoli, ſeu vt alia litera habet, congregati ſunt ex legatione ſua, ſcilicet & ſicut acceptis Chriſti mandatis in varias partes Iudææ diſceſſerant concorditer, vt nomen Chriſti annuntiarent, alij in vnam partem, alij in alteram; ita etiam concorditer ad Chriſtum vt ad ſuum caput redierunt, hanc eorum vnionem inuenit Euangeliſta, dum non alio verbo vtitur, v. g. veniunt, vel reuertuntur, vel alio ſimili, *ſed conuenientes* vt ita denotet fructum ab eis obtentum proueniſſe, tum ex præſtantia doctrinæ, tum etiam ex concordia, & conuenientia in hoc negotio præſtando. *Renunciauerunt*; ſcilicet vt fideles diſcipuli retulerunt Magiſtro omnia ab eis facta, vt ita agnoſcerent an à Magiſtro approbarentur. *Quæ egerant, & docuerant*; nam vt rectè ait Theophylactus. *Neque enim ſatis eſt ſi doceamus, niſi & fecerimus.* Et prius commemorant, quæcunque fecerunt, poſtea verò quæ docuerunt, priùs prædicator doceat opere, & exemplo, poſtea vero verbo, & doctrina. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur. Math. 5. num. 19.

*Prius faciẽdum poſtea docendum.* Theophyl.

### QVÆSTIO I.

*Quare reuerſi Apoſtoli renunciauerunt Chriſto omnia quæ fecerunt, & docuerunt?*

3. *Apoſtoli volebant ſcire, an ſuo muneri ſatiſfeciſſent.*

RESPONDEO. Primò, quod ita ſe habuerunt, vt agnoſcerent, an ſua verba, & facta approbaret Ieſus, & an ſuo muneri; ac his ad quæ miſſi fuerant ſatisfeciſſent; Apoſtoli vtpote perfecti, quamuis conſtituti Magiſtri, ac Doctores, non ſe fidunt in ſua ſcientia, & præſumptione, ſed omnia Chriſti nutui ſubmittentes adhuc diſcere non recuſant, & ideo ſcire volunt, an iuxta Domini voluntatem ſe geſſerint. Secundò Theophylactus, *vt & nos diſcamus, ſi quando in miniſterium mittamur, ne nos totos, ab eo qui*

Theophyl.



*mittit, abripiamus, ſed & illum ſciamus caput, & ad illum redeamus, annunciemúſque ei omnia, quæ vel docuimus, vel ſcimus.* Præclarum nobis datur documentum, vt cum multa integritate veritatis aperiamus, ac referamus omnia ei, à quo ad aliquod opus miſſi ſumus.

4. D. Bonauent. *Subditi ſuas partes adimpleant.*

Tertiò, D. Bonauentura. *Narrauerunt ei omnia non vt Dominum erudirent, quem nihil lateret, ſed vt oſtenderent, ſe etiam nolle latere, ſi latere poſſent.* Sciebant Apoſtoli, quod Chriſtus apertè, ac clarè omnia nouerat quæcumque ipſi fecerant, & quod alicuius relatione non indigebat, tamen ipſi ſuas partes adimplere volunt, vt ſuorum operum reddant rationem Chriſto, à quo miſſi ſunt; contrarium de aliis deplorat Iſaias 29. n. 15. *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium.*

Iſai. 29.

5. Maldonat. Luc. 10.

Quartò, Maldonatus ſuſpicatur eam cauſam fuiſſe, ſcilicet ex exemplo coniecturam facere, ait ipſe; Redierunt enim Apoſtoli à ſua legatione, valde gaudij, animíque pleni, cùm res ex voto ſucceſſiſſet, ac proinde in Domino gloriantes, quæcumque docuerunt, quæcumque fecerunt miracula Chriſto renunciant, quemadmodum ſeptuaginta duo apud Lucam. cap. 10. n. 17. ſe habuerunt.

6. D. Hieron. Strabus. D. Bonauent. Hugo. 1 Cor. 10. *Omne noſtrũ bonum Deo referendum.*

Quintò, D. Hieron. Strabus, D. Bonauentura, Hugo inquiunt, quod Apoſtoli omnia narrauerunt Chriſto, vt gratulantes ei de poteſtate ſibi tradita, tanquam ſi de bonis factis non quærerent ſibi gloriam, ſed omnia referrent in Deum iuxta Paul. 1. Corinth. 10. n. 13. *Omnia in gloriam Dei facite ſine offenſione.*

7. 4. Reg. 2. Caietan. *Omnis gloria in operibus noſtris Deo tribuenda.*

Aſcendente Parente Elia in Cælum ſumpta eius mellotide reuerſus Eliſæus; *Pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ. Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc.* 4. Reg. 2. num. 14. Vulgaris eſt quæſtio expoſitoribus, cur non prima vice, ſed ſecunda per medium aquarum fit iter? In hac vltima Deum Eliæ inuocauit, non verò in prima. Caietan. *Diſpoſuit Deus vt Eliſæus non ſic ſecurus attentaret operari miracula, tanquam confidens in veſte ſenſibili, & non in promiſſione ei facta ab Elia: ſed diſceret humiliter, hoc eſt cum ſpeciali inuocatione Dei præmiſſa, attentare miracula, quod prima vice non fecerat.* Quando tantummodo pallio percuſſit aquas, non præbent iter, ſed cùm Deum inuocat, vt inſtruatur, quod cum huiuſmodi inuocatione miracula ſunt facienda, & inde agnoſcat, quod omnis gloria ex illis prouenienſ ſoli Deo ſit aſcribenda.

*Marc. 6. n. 31.* Et ait illis. Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant multi, & ne ſpatium manducandi habebant.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Venite vos, ibimus in deſertum nos ſoli: & quieſcite paululum; erant enim plurimi, qui ibant, veniebantque, nec erat eis locus, ne comedendi quidem.

*Arias.* Venite vos priuati: erant enim venientes, & redeuntes multi, & ne edere opportunitatem habebant.

*Theoph. Vatabl.* Ac ne cibum quidem capere vacabat.

### *EXPOSITIO II.*

8. Græcus. Theophyl. Euthymius. Caietanus.

VENITE *ſeorſum.* Græc. additur: Vos ſoli relictis turbis, *requieſcite puſillum*; Theophylact. Euthym. Caietan. notant, quod hîc maximè innoteſcit Chriſti benignitas gerentis curam imbecillitatis ſuorum, dantis eis ſpatium, & locum quieſcendi, vt percepta quiete, poſtea vegetiores ad nouos labores redeant; *Erant enim qui veniebant, & redibant multi.* Magna multitudo concurrebat ad Ieſum, ac Apoſtolos ad impetrandam conſilij, opis, ſanitatis, gratiam in malis ſuis; & ne ſpatium, ſeu vt ex Græco legit Arias, *opportunitatem non habebant manducandi.*

Arias.

### QVÆSTIO II.

*Quare Chriſtus cum Apoſtolis voluit recedere in deſertum locum?*

9. *Receſſus iſte non fuit poſt Ioannis necẽ.*

AVCTORES qui hanc recurſionem Apoſtolorum poſt Ioannis necem conſtituunt, ex ipſa Præcurſoris morte, varias huius receſſus aſſignant rationes, de quibus infra ſuo loco, vbi cum graui ſententia dicam alium tunc fuiſſe receſſum.

10. D. Marcus. Victor. *Prælati ſuas habeant vacationes.*

Quantum verò ad præſentem receſſum, illius motiuum nobis tradit Marcus, in præcitatis verbis. *Venite ſeorſum, & requieſcite puſillum: Erant enim qui veniebant, & redibant multi, nec ſpatium manducandi habebant.* Victor Antiochen. hîc ex hac doctrina duo colligit: Primò ait; *Per hoc Chriſtus Dominus Eccleſiæ Doctores, & Paſtores monet, ne externis turbis perpetuò ſe dedant, ſed priuatim ſæpè, ſecretóque agentes animum colligant, eundémque à publicis negotiis, & occupationibus, quantum res patitur ſeuocent.* Hoc Chriſti documento inſtruuntur prælati, vt non ſemper communibus, & publicis negotiis implicentur, ſed quod aliquando ab eis animum ſequeſtrent, vt docet D. Gregor. in Paſtorali. p. 2. cap. 7.

D. Gregor.

11. Victor. *Prædicatores aliquando requieſcant.*

Secundò proſequitur idem Victor Antiochen. *Docet per hæc eadem etiam in verbi miniſterio deſudantes nonnunquam reſpirare, & interquieſcere, ſeſéque & corpus ſuum ſuo tempore curare, & reficere debere, maximè verò poſt miniſterium abſolutum:* Habent documentum prædicatores, vt ita in verbo Dei diſſeminando inſtent, vt etiam ſibi aſſumant, aliquod tempus ad quieſcendum, & reſpirandum. Vide tom. 2. cap. 7. quæſt. 4. num. 22.

12. Caiet.

Tertiò, Caietan. *Prouidet, ait, pius, ac prudens diſcipulis de aliquantula quiete: inſtruens prælatos,*

*latos, quid agere debeant cum miniſtris ſuis.* Ex his diſcant prælati, vt otium, ac quietem à laboribus ſuis indulgeant, vt ad nouos ſubeundos reddantur fortiores, ac promptiores, nam laboris ceſſatio ad alios nouos veluti quædam eſt præparatio.

*Quies à laboribus ad nouos eſt quædam præparatio.*

13. *Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo, ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Gen. 2. n. 2. Deus omnino laboris & fatigationis eſt expers: quomodo ergo quieſcere dicitur, cùm ipſe ſemper ſit in æterna, ac feliciſſima quiete: Deus prima regula, ac exemplar ſtatim in ipſo exordio mundi nos prædocet, poſt factum opus aliquantulum quieti indulgendum; & non ſemper labori inſtandum eſſe. D. Bonauent. lib. 1. Pharet. cap. 2. *Non omnipotentem ait, & imperio ſermonis cuncta facientem laboraſſe existimes, cùm requieuiſſe, & ceſſaſſe deſcribitur, nam requies Dei, non laboris remedium, ſed exemplum noſtrum, vt etiam opere expleto requieſcamus.*

Gen. 2. — *Poſt labores quieſcendum* — D. Bonauent.

# CAP. XVIII.

## *Deſignantur Septuaginta duo.*

*Lucæ* 10. *n.* 1. Poſt hæc autem deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Poſthæc ſecreuit Ieſchua è diſcipulis ſuis alios ſeptuaginta, miſitque eos binos.

*Titus Boſtrenſ.* Deſignauit Dominus alios ſeptuaginta duos diſcipulos.

*Arias.* Miſit illos per binos, in omnem locum quo futurus erat ipſe venire.

*Euthymius.* Emiſit eos binos ante conſpectum ſuum.

### *EXPOSITIO I.*

1. DIVVS Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 23. & Toletus in præſenti, notant, quod illud (*Poſthæc*) non indicare immediatè poſt præcedentia cap. 9. Lucæ, factam fuiſſe hanc deſignationem Diſcipulorum, ſed multa alia interceſſerunt, vt ea quæ Marcus narrat cap. 6. & ideo poſt reuerſionem Apoſtolorum à ſua prædicatione hanc deſignationem Diſcipulorum conſtituimus cum antiquiſſimo Taciano, Zacharia Epiſcopo, ac Magiſtro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 67.

D. Auguſt. Toletus. — *Connexio textus.* Tacian. Zacharia. Magiſter.

2. *Deſignauit* D. Bonauentura; *Signanter elegit,* addit Syrus, *ex diſcipulis ſuis.* Ex his enim, quos ipſe bene nouerat in ſchola ſua, ad tantum munus promulgandi Euangelium elegit; *Dominus,* multis ſignis, ac diuina voce in Iordane iam declaratus; *Dominus,* optimè hoc nomen hîc ponitur; nam ſumma poteſtate vtebatur in præſenti mittendo ſuos diſcipulos in prædicationem. *Et alios.* Hæc particula augmentum denotat, & indicat quod vltra duodecim Apoſtolos iam electos, hos ſeptuaginta duos Dominus deſtinaſſet in Euangelicum miniſterium. *Septuaginta duos.* Syriacus, ac multi Patres legunt ſeptuaginta tantùm, ſed ſine dubio legendum eſt cum noſtra vulgata, ac multis aliis Patribus ſeptuaginta duos, de quo q. 1. & 2. In his autem diſcipulis, tanquam in inferioribus Euangeliſta ſigillatim eorum nomina non refert, vt fecerat cap. 6. n. 13. de Apoſtolis tanquam de dignioribus, ac primis Eccleſiæ perſonis, quorum nomina ob tantam excellentiam fuerunt indiuidualiter exprimenda; ſicque notat D. Paſch. lib. 6. in Matth. ad cap. 10. ad illa verba. *Hos duodecim miſit Ieſus,* quot exploratores miſſi ad conſiderandam terram promiſſionis, qui cum in figura eſſent ſine ſuis mittuntur nominibus. Deuteron. 1. n. 23. Ioſue 2. n. 1. Apoſtoli verò in quibus veritas fulget, vtpote multò excellentiores, præfixis deſignantur nominibus.

D. Bonauent. — *Dominus poteſtate vtitur.* — Syriacus. — *Cur diſcipulorum nomina non exprimantur?* — Luc. 6. D. Paſchaſ. — Deuter. 1. Ioſue 2.

3. *Miſit illos binos.* Nullus eligitur in domo Dei vt quieſcat, ac otio indulgeat, ſed vt laboret, ac ad opus euangelicum mittatur, *bini* autem deſtinantur, vt ſibi mutuo eſſent auxilio, conſilio, ac ſolatio. *Ante faciem ſuam* hoc eſt ante ſe. Euthymius legit, *ante conſpectum ſuum.* Bonus Dominus ita per varia, ac diuerſa loca ducit ſuos ſeruos, vt veluti miniſtri ei obuerſentur ante oculos, & vt ſerui rectè agant, ſe conſiderent ante Domini ſui conſpectum: Dicebat Paulus. *Coram Deo in Chriſto loquimur.* 2. Corinth. 2. n. 17.

Euthym. — *Princeps habeat ſuos ante oculos.* — 2. Cor. 2.

4. *In omnem locum, & ciuitatem,* nempe Iudææ, quo erat ipſe venturus, & ſtatuerat ipſe venire, ſeu ſubſequi: ſicut Ioannes Baptiſta miſſus eſt à Deo præcurſor ante Chriſti aduentum, vt explicata lege, & prophetis, homines præpararentur ad Chriſtum recipiendum. Sic Dominns hos ſeptuaginta duos miſit, in omne caſtellum, & locum vt peccatores obſtinatos ſua prædicatione emollirent ad pœnitentiam, vt Chriſti prædicationem facilius exciperent, & tali pœnitentia fierent apti ad tanti Domini præſentiam; deinde, quia non decebat, vt Chriſtus in quolibet pago, & loco diu permaneret, cùm ad myſterium Paſſionis properaret. D. Gregor. homil. 17. in Euangel. moraliter cauſam exponit; quia prædicatores ſuos Dominus ſequitur, prædicatio præuenit, & Dominus ad habitaculum noſtræ mentis penetrat, & venit. Magnum documentum habent hîc omnes principes, & prælati, vt miniſtros ſuos ſubſequantur, vt eorum veſtigia videant, & conſiderent.

* * *

*Præparandus animus ad Chriſtum excipiendum.* — D. Gregor. — *Princeps ſuos ſubſequatur, vt eorum veſtigia conſideret.*

QVÆSTIO



## QVÆSTIO I.

### *De numero, nomine, ac electione Diſcipulorum Domini?*

5. QVANTVM ad numerum Diſcipulorum; Græca exemplaria. D. Irenæus lib. 2. cap. 37. & lib. 3. cap. 13. Euthym. Theophyl. hîc, Damaſus Papa Epiſt. 4. D. Ambroſius. Luc. 10. & ſerm. 24. D. Hieron. ad Fabiolam. de 42. Manſionibus, Domini Diſcipulos ſeptuaginta tantùm ponunt, & ſic in præſenti legunt. *Deſignauit Dominus ſeptuaginta.* Noſtra verò vulgata habet ſeptuaginta duos, & ita etiam habent Græcus, Epiphanius hæreſi, 20. Titus Boſtrenſis. Clemens in conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 2. cap. 59. vel 55. Ammonicus in harmonia. cap. 60. Antiquiſſimi Pontifices Anacletus, & Zepherinus, D. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euangelicar. cap. 14. ſerm. 42. de Sanctis, & ad cap. 10. Luc. Beda, D. Bonauent. Carthuſian. & ita ſimpliciter cum noſtra vulgata legendum eſt, *Deſignauit Dominus ſeptuaginta duos.*

*Numerus Diſciplorũ.* D. Irenæus. Euthym. Theoph. Damaſus. D. Ambroſ. D. Hieron. Epiphan. Boſtrenſ. Clemens. Amonius. Anacletus. Zepherin. D. Auguſt. Beda. Bonauent. Carthuſ.

6. Quoad nomina Dorotheus in ſynopſi nominatim ſeptuaginta Diſcipulos refert: Volaterranus lib. 19. Vrbanorum Commentar. plures quàm 72. per nomina ſua recenſet, eorum tamen nomina fere deducta ſunt ex Actis Apoſtolorum, ac Epiſtolis Pauli, & inter eos plures nominat, qui poſt Chriſti Aſcenſionem ad fidem conuerſi ſunt, Eunuchum Reginæ Candacis, qui baptizatus eſt à Philippo Actor. 8. & Philomonem, qui ab Apoſtolo Paulo ad fidem perductus eſt. Euſeb. lib. 1. Hiſtoriæ. cap. 14. atteſtatur ſe 72. Diſcipulorum nomina nuſquam ſcripta reperiſſe. Tamen ex Actis Apoſtolorum multa nomina colliguntur; vt Matthiæ, & Barnabæ. Actor. 1. Stephani, & aliorum ſex Diaconorum. Actor. 6. Ananiæ, & Barnabæ. Actor. 9. Manſon. Actor. 21.

*Nomina Diſcipulorum.* Doroth. Volaterra. Actor. 8. Euſeb. Actor. 1.

7. Quoad eorum electionem, Anacletus Papa Epiſtol. 2. Decretali de hac deſignatione ſic teſtatur. *Videntes autem,* ait, *ipſi Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum meſſis, vt mitteret operarios in meſſem ſuam: inde electi ſunt ab eis ſeptuaginta duo: quorum typum gerunt presbyteri.* & Epiſtol. 3. ſic ait: *Cùm verò meſſis cœpiſſet creſcere, videns paucos operarios, ad eorum adiumentum, ſeptuaginta eligi præcepit Diſcipulos.* Anacletus tradit ſe à diſcipulis Apoſtolorum hæc didiciſſe. Et ea ad litteram Zepherinus Papa in ſua Epiſtola 1. inſeruit; Ex his ergo duobus Summis Pontificibus conſtat, quomodo Diſcipulorum electio facta fuerit, nam vt refert D. Lucas; dixit Chriſtus Apoſtolis. *Meſſis quidem multa, operarÿ autem pauci. Rogate Dominum Meſſis vt mittat operarios in Meſſem ſuam.* Apoſtoli, ac diſcipuli rogauerunt Dominum, vt operarios deſtinaret in meſſem; Tunc Chriſtus præcepit Apoſtolis, vt ex diſcipulis ſeptuaginta duos eligerent, quos Apoſtoli elegerunt, & iam electos ad Chriſtum adduxerunt, vt eorum electionem comprobaret; ac confirmaret, ſic Moyſes congregans ſeptuaginta de ſenioribus, eos ducit ad oſtium tabernaculi. Num. 11. n. 24. ſic Apoſtoli eligentes duos, eos ſtatuerunt, ante Dominum, vt vnum ex eis deſignaret. Actor. 1. n. 23.

Anaclet. *Electio Diſcipulorum.* — Zepherin. — Num. 11. — Actor. 1.

8. Nec obſtat cum his, quòd poſt deſignationem hîc relatam ſubdit D. Lucas. *Dicebat illis, meſſis quidem multa, operarÿ autem pauci* &c. Nam vel hæc verba bis fuerunt dicta ſemel apud Matth. 9. n. 37. & iterùm hîc; vel hoc fit per recapitulationem, quæ non infrequens eſt apud Euangeliſtas, qua vſus eſt D. Lucas hîc, vt in præſenti notat Salmeron. lib. 4. par. 3. tract. 13. de quo ſequenti verſu. Nec ſecundò obſtat, quod dicatur in textu. *Deſignauit Dominus ſeptuaginta duos,* quia ipſos electos approbauit, & confirmauit, vel quia ipſe Dominus mandauit Apoſtolis vt eligerent, quæ autem miniſtri regis ex eius mandato operantur, ab ipſo fieri dicitur.

Matth 9. — Salmeron. — *Quæ miniſtri operantur à rege fieri dicuntur.*

9. In his ſummorum Pontificum decretalibus duo maximè prænotanda ſunt; vnum in Apoſtolis, alterum in Chriſto; In Apoſtolis eorum præclara modeſtia, ac fidelitas; nam ex Domini commiſſione, ac mandato diſcipulos eligunt, tamen vltra illud non ſe extendunt, ſed tantum deſignant perſonas, & electos ad Chriſtum ducunt, vt eis poteſtatem conferat; Miſſus eſt vir Dei ad increpandum Ieroboã, & ei ſimul iniunctum eſt à Domino, vt ne comederet panem, nec biberet aquam in loco illo; cùm autem ex perſuaſu alterius Prophetæ tranſgrediens mandatum veſceretur; cùm vir Dei reuerteretur in domum ſuam; *Inuenit eum Leo, & occidit.* 3. Reg. 13. n. 24. vbi bene notat Abulenſ. q. 30. quod *Leo occidens eum non comedit cadauer, nec lacerauit, ſed ſolùm tetigit virum ad occidendum.* Leo non vtitur ſolita ſua feritate vt in fruſta cædat, ſed ſolùm occidit; Leo vt bonus Dei miniſter interficiens Prophetam, exequitur, quod ſibi erat mandatum, tamen vltra commiſſa non progreditur, vt dilaceret, ſed tantum in iuſſis ſibi impoſitis fideliter perſiſtit. Vide tom. 2. cap. 1. num. 121.

*Miniſtri non exeant vltra commiſſionẽ ſuam.* — 3 Reg. 13. Abulenſ.

10. In Chriſto autem ponderandæ, eius eximia excellentia, ac benignitas erga ſuos Apoſtolos, quibus in re tam grauiſſima hanc deſignationem delegat, vt tanto negotio credito, eos magnopere in omnium oculis eueheret, ac extolleret. *Deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis, quòd columna ſtaret ad oſtium tabernaculi; Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Exod. 33. n. 9. Sed ad quid tendit tanta Domini benignitas, vt cunctis ſpectantibus columna deſcenderet, & tunc Dominus cum Moyſe valde familiariter haberet ſermonem, vt amicus ad amicum, ſæpè Domini fauores inuidiam in aliis concitant, vt vidimus in Cain erga Abel, quo ſpectat tanta Domini dignatio? Vt tam mirabili modo Dominus ſeruum ſuum Moyſen ex omni populo electum mirificè extolleret, ac ſublimaret, eximia enim principis præſtantia ſeruos, ac miniſtros ſuos multis honoribus condecorat, ac nobilitat, vt ita eorum auctoritati, ac præeminentiæ conſulat. Lypomanus. *Teſtabatur Dominus coram populo, & aſpiciente tota Eccleſia dignitatem Moyſis, viſibili ſpectro, ſe illi inſinuans, quo eſſet auctoritate grauior, vt tantò promptiùs, & humiliùs populus obſequeretur mandatis eius.* Vide tom. 2. cap. 5. num. 12.

Exod. 33. — *Princeps condecoret, ac extollat ſuos miniſtros.* — Lypoman.

11. Secundò, Chriſtus Dominus elegerat iam ſuos Apoſtolos in principes, ac paſtores Eccleſiæ Luc. 6. optimo ergo iure eis Eccleſiæ functiones committit, vt ipſi de operariis ei prouideant; Non enim is eſt Deus, vt poteſtatem ſemel datam interpellet, ac decurtet, ac in illius vſibus ſeſe ipſe immiſceat. Eccleſiæ poteſtatem depoſuerat apud

*Principes nõ interpellant functiones ſuis miniſtris commiſſas.*

ſuos Apoſtolos, ergo illorum erat operarios deſtinare, ſicut modò ad Epiſcopos pertinet Sacerdotes ad populum delegare, vt ferè loquuntur citati Pontifices.

12. Ioan. 11. *Ieſus magna voce clamauit, Lazare veni foras, & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus inſtitis, & facies eius ſudario ligata. Dixit eis Ieſus ſoluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. n. 43. Quare viuus Lazarus, ſed tamen vinculatus, ac ligatus è ſepulchro egreditur? quorſum diuina potentia decreuit tale edere portentum, vt ad Domini imperium non abſolutus Lazarus à faſciis prodiret? Cur à mortuis exiens ab illis ligaculis diſcingendus diſcipulis traditur; *Dixit eis Ieſus ſoluite eum, & ſinite abire.* Valde vulgare apud interpretes in demortuo Lazaro adumbrari peccatorẽ in fœtido peccati ſtatu conſepultum. Peccator cum diuina gratia operante per contritionem perfectè de peccato dolet, à Deo rediuiuum ſpiritum gratiæ reſumit; adhuc tamen in facie Eccleſiæ, ac ſacramentali iudicio veluti ligatus reputatur, vt cùm occaſio, ac tempus ſe tulerit per ſacramentalem confeſſionem, à faſciis, ac vinculis peccatorum à Sacerdote abſoluatur. Inſpiciens Chriſtus in Lazaro vmbram hominis ſcelerati, cautè agit in patrando miraculo, ne ſe in munera ſuis miniſtris commiſſa immiſceret. Spiritum viuificum denotantem infuſionem gratiæ largitur homini, hoc enim ad ſolam Dei omnipotentiam ſpectabat; ipſum autem peccatorem à vinculis peccati exterius expedire, ac abſoluere, hoc iam Petro, ac cæteris coapoſtolis erat delegatum. *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Matth. 18. n. 18. Ne ergo videretur Deus iuriſdictionem ſemel conceſſam reſumere, ac ſuos miniſtros ab ea deturbare, quod ſibi reſeruauerat ipſe præſtat, illud autem, quod à ſe ſuis miniſtris erat datum, totum iis integrum, ac intactum remittit, ac relinquit. Diuus Thomas *Mortuus autem procedens Lazarus*, ait, *adhuc ligatus eſt confitens adhuc reus, vt autem ſoluantur peccata eius, miniſtris mandatur, vt ſoluant eum, & ſinant abire; nam quem Chriſtus per ſe ipſum interius viuificat, diſcipuli ſoluunt, quia miniſterio Sacerdotum viuificati abſoluuntur. Quodcunque ligaueris ſuper terram*, Matth. 16. & idem antea docuit Euſebius Emiſſenus in propria homilia. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 16. & lib. 2. cap. 7. n. 6. & tom. 2. cap. 1. n. 118. & cap. 2. n. 5. & cap. 26. n. 6.

*Deus miniſterium ſuis miniſtris cõmiſſum non reſumit.*

Math. 18.

D. Thom.

## QVÆSTIO II.

### *Quare præter duodecim Apoſtolos Diſcipuli deſignantur in numero ſeptuaginta duo?*

13. MAGNVS, ac magnificus Dominus, qui dat omnibus affluenter non tantum nobis tribuit neceſſaria, & conuenientia, ſed etiam multis ſuperabundat, non ſolùm elegit duodecim Apoſtolos, ſed nunc ſuperaddit ſeptuaginta duos diſcipulos, vt tantis, ac tam præclaris operariis, apto, & conuenienti modo maximè excreſceret meſſis Euangelica. Vide tom. 2. cap. 10. num. 151. & 152. In hoc negotio Apoſtoli conſtituti ſunt principes, diſcipuli verò non erant illis pares, ſed inferiores. Vnde Epiſcopi ſucceſſerunt duodecim Apoſtolis, Sacerdotes verò duodecim diſcipulis, vt tradunt Anacletus Papa Epiſtol. 2. D. Hieron. ad Marcellam. Beda in Luc. cap. 15. ad quæſtionem.

*Deus non ſolùm dat neceſſaria, ſed & conueniẽtia.*

Anaclet. D. Hieron.

14. Reſpondeo ad quæſtionem. Numerum ſeptuaginta duo ſicut & duodecim Iudæis ſemper fuiſſe in magno honore, & veneratione. Iſte propter duodecim Patriarchas, ille verò iuxta Salmeronem, Maldonatum, Baronium, Cornelium à Lapide; propter ſeptuaginta ſeniores, quos Moyſes Num. 11. n. 24. ad totius populi cauſas deſtinauit; vt ita æqualiter diuiſi ſeptuaginta duo in duodecim tribubus ex vnaquaque tribu ſex iudices conſiſterent, vt tantus honor ille æqualiter ab omnibus participaretur; ſic Chriſtus elegit in Eccleſia ſua duodecim Apoſtolos, tanquam totius Eccleſiæ principes, & ſeptuaginta duos diſcipulos, vt ita æqualiter diſtributi cuilibet Apoſtolo ſex diſcipuli obuenirent in miniſterium verbi Dei, & non plures, nec pauciores elegit; nam apud Iſaiam 6. n. 1. ſex alis ſtabant Seraphin inſeruientes Deo, ita cuilibet Apoſtolo, tanquam Seraphin in Eccleſia dat ſex alas, ſeu ſex operarios ad meſſem Euangelicam; tot enim alas voluit Deus in ſuis miniſtris in obſequium ipſius Dei, quot etiam deſtinauit in bonum, ac ſalutem noſtrarum animarum.

Salmeron. Maldonat. Baron. Cornel. Num. 11.

Iſaias. 6. *Deus tot miniſtros eligit ad ſui obſequium, quot dat nobis.*

15. Secundò; in Elim, iuxta duodecim fontes aquarum 72. palmæ extabant. Exod. 15. n. 27. Interpretes 72. fuerunt qui rogatu Ptolomæi ſcripturam ex Hebræo tranſtulerunt; Concilium magnum Sanedrim ex 72. ſenioribus conſtabat. Iuxta D. Iſidorum lib. 1. etymol. 21. In veſte Pontificis 72. mala punica, & totidem tintinnabula erant. Exod 28. n. 33. ſic & Chriſtus deſignando ſuos diſcipulos dedit Eccleſiæ ſuæ 72. palmas victrices de inimico; 72. interpretes; ac magiſtros ſacræ Scripturæ; 72. viros magnos ad regimen, & conſilium; 72. tintinnabula circundata malo punico ignitæ charitatis ad prædicandum, ac docendum.

Exod. 15. *Numerus ſeptuaginta duo in multis præſignatus.*

16. Tertiò, D. Auguſt. in quæſtionibus Euangel. Beda, Gloſſa, Hugo; Per hunc numerum oſtendit Dominus, quod per hos, & eorum ſequaces erat annunciaturus mundo fidem Trinitatis. Vna die per 24. horas à Sole gyrante totus illuſtratur orbis: Sol ergo per triduanum ambitum ſuum ſeptuaginta duas horas facit; Chriſtus qui ſe diem, ac lucem appellat, myſticè per hunc predicantium numerum ſignificat fidem, ac lucem Trinitatis toto orbi annunciare, ac cum ea vniuerſum mundum maximè illuminare.

D. Auguſt. Beda. Gloſſa. Hugo. *Fides Trinitatis illuminat mundum.*

17. Quartò, Beda, gloſſa, D. Bonauent. & alij. *Septuaginta duo*, ait Gloſſa, mittuntur, qui totidem linguarum gentibus prædicarent, vt ſicut primò duodecim Apoſtoli propter duodecim tribus Iſraël, ita & hi propter exteras gentes deſtinarentur imbuendas. Iuxta D. Auguſt. D. Hieronym. Proſperum, ac alios Patres in 72. gentes, & linguas diuiſi fuerunt homines in diſperſione Babel; vt Chriſtus D. omnium gentium, ac linguarum ſe Saluatorem, ac redemptorem oſtenderet 72. diſcipulos eligit, vt 72. gentibus reſponderent, ac ſic vnicuique genti, & linguæ Chriſtus ſuum attribuit diſcipulum, vt illius curatorem, ac prædicatorem; ſicut propter duodecim tribus Iraël duodecim Apoſtolos deſignauit.

Beda. Gloſſa. D. Bonauent. D Auguſt. D. Hieron. Beda.

*Chriſtus vt omnium gentium redemptor omnibus prouidit.*

18. Recenſens D. Lucas Chriſti Domini generationem, ab ipſo Domino Ieſu Chriſto ſumit per ſeptuaginta duas generationes, vſque ad Adamum aſcendens. *Qui putatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* &c. Luc. 3. n. 23. In quo magnum

Luc. 3.



myſterium inuolui fatentur omnes, vt dixi tom. 1. lib. 1. cap. 2. q. 18. cuius rei illa eſt optima ratio, quia cum vniuerſitas hominum, ac linguarum in numero ſeptuaginta duobus claudatur, tot Chriſti generationes deſcribuntur, vt oſtenderetur redemptorem noſtrum veniſſe ad vniuerſas gentes diſperſas ſaluandas; ideo non vſque ad Abrahamum caput populi Iſraëlitici, à quo Matthæus in ſuo catalogo cap. 1. ſumpſit exordium, ſed ad Adamum omnium communem parentem per 72. generationes deuenit, non enim tantum in vnius Iſraelis, ſed omnium hominum ſalutem Chriſtus aduenit. D. Irenæus lib. 3. cap. 33. *Propter hoc*, ait, *Lucas genealogiam, quæ eſt à generatione Domini noſtri vſque ad Adã ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit, finem coniungens initio, & ſignificans, quoniam ipſe eſt, qui omnes gentes exinde ab Adam diſperſas, & vniuerſas linguas, & generationem hominum, cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt.*

*Chriſtus omnes gentes in ſe recapitulauit, vt ad Deum duceret.*

D. Irenæus.

19. Mirabiliter traducto populo Hebræo per mare decantat Moyſes. *Irruat ſuper eos formido, & pauor, fiant immobiles donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus, quem poſſediſti*: Exod. 15. n. 16. Caldæus legit, *quem redemiſti*; ſufficiebat ſemel dicere, Donec pertranſeat populus iſte, quem poſſediſti; ad quid fit illa repetitio, & bis de populo loquitur? Valde myſterioſum eſt effatum, addidit *quem poſſediſti, ſeu redemiſti*; cùm de redemptione fuerit ſermo non vnum populum, ſed duplicem commemorat, ſignificabatur enim ibi tranſitum de mari rubro, hoc eſt de hoc ſæculo in terram promiſſionis æternæ patriæ, & Chriſtus Dominus ſuo pretioſo ſanguine de mundi aquis non ſolùm traduxit populum Hebræum, ſed etiam gentilem in cæleſtem Ieruſalem. Rupert. ibi: *In myſterio placet magis ſi poſt priorem Hebræorum ſequentem quoque gentium populum, intelligere velis, quem ſuo ſanguine emptum ductor Chriſtus poſſedit; Patre dicente, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſalm. 2.

Exod. 15. Chaldæus.

*Chriſtus populum Hebræum, & Gentilem redemit.*

Rupert.

## QVÆSTIO III.

### *Quare in noſtra vulgata exprimuntur deſignati ſeptuaginta duo, & diſcipulorum nomen ſupprimitur?*

20. IAM in expoſitione n. 2. explanaui, cur ſigillatim vniuſcuiuſque diſcipuli nomen non exprimitur; modò verò in quæſtionem vocamus cur non ſcribitur in noſtra Vulgata deſignauit ſeptuaginta duos diſcipulos, ſed abſolutè *ſeptuaginta duos*. Reſpondeo primò, quod in textu illa particula, *alios.* ad ipſos diſcipulos refertur, & ita habet Syriacus. Deſignauit Dominus, & Boſtr. deſignauit ſeptuaginta duos diſcipulos.

*Difficultas quæſtionis.*

Syriacus. Boſtrenſ.

21. Secundò, Excellentia diſcipulorum Chriſti in his ſeptuaginta duobus manifeſtatur, ac declaratur, non nominibus, ſed potius magnis operibus tanto honori aptis, & proportionatis. *Miſit eos binos; Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta*, magna dignitas, potius illuſtribus operibus, & factis, quàm ſpecioſis nominibus, & titulis exprimenda eſt. Vide ſupra cap. 13. 78. 79. & 80. & tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 25.

*Dignitas manifeſtanda, non titulis, ſed operibus.*



22. Tertiò, Omnes qui Chriſtum ſequebantur, ac in eius ſchola militabant, diſcipulorum nomine gaudebant, ſi ergo hic dicerentur ſpecialiter deſignati à Domino ſeptuaginta duo diſcipuli; alij fortè mœrore afficerentur, vſque eis eſſet valde grauis, arbitrantes ſe diſcipulorum nomine indignos, ab illóque quodammodo excludi. Dixit Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis. *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem.* Matth. 16. num. 28. Sed cur Chriſtus nominatim non expreſſit, qui tanto beneficio erant honorandi, cur ita eorum nomen abſcondit, ac abſolutè loquitur; Euthym. cap. 37. in Matth. *Horum occultauit nomina*, ait, *ne cæteros contriſtaret, nam indignos, ſe arbitrati doluiſſent ſe deſpici.* Piiſſimus Ieſus cùm ad dignitates eligendorum nomina occultat, aliorum conſolationi, ac honori conſulit, ne ipſi ſe indignos, ac deſpectos exiſtiment.

*Dignitas ita vni danda, vt alij non mœrore afficiantur.*

Matth. 16.

Euthym.

23. Ex Dei mandato oleo leniuit Samuel Saulem; dicens: *Vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius.* 1. Reg. cap. 10. n. 1. Dictante etiam Domino Samuel effudit oleum ſuper caput Dauidis. *Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* 1. Reg. 16. n. 13. Et vt ibi bene notat Caietan. Nulla verba dixit Samuel, vngendo Dauidem, quemadmodum dixerat vngendo Saulem. Cuius rei inueſtigatio maximè pulſat animum, cùm in multos excellentiores effectus proditura eſſet deſignatio Dauidis, quàm Saulis; cur ergo hæc tam magnificis verbis, illa verò ſub ſilentio peragitur? Inungitur Saul in occulto; *Dic puero, vt antecedat nos.* In Dauid verò caput effunditur oleum. *In medio patrum eius.* In negotio Saulis exprimuntur verba, nullus enim adſtabat, qui audiret, ac intelligeret; Dauidis autem vnctio aſpicientibus fratribus celebratur. Caietan. *Hic autem*, ait, *nullum profert verbum: timebat enim manifeſtare, quorſum fieret iſta vnctio tot perſonis.* Cautè ergo abſque verbis totum conficitur, ne cognita cauſa alij fratres triſtitia, ac inuidia commouerentur, cùm viderent ſe vt indignos à tanto honore repulſos & iuniorem fratrem eis anteponi, & ita Deo ordinante, adſtantes fratres vnctionis motiuum non perceperunt, vt tradunt Ioſephus lib. 6. cap. 9. & Sanchez in præſenti.

1. Reg. 20.

1 Reg. 16. Caietan.

Caietan.

*Dignitas vni non conferatur cum aliorum triſtitia.*

Ioſeph. Sanch.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare hos potius elegit, quàm alios?*

24. RATIO difficultatis eſt, quia inter ſeptuaginta duos diſcipulos deſignati ſunt multi, non ſolùm ex Iudæorum populo, ſed etiam ex gentium natione; nam Linus primus Pontifex poſt Petrum inter Domini diſcipulos ſcribitur cum in Ituria eſſet natus; & D. Luc. Antiochenus extabat, & tamen à multis inter diſcipulos recenſetur; cur ergo ex tantis, ac variis nationibus diſcipuli eliguntur, ratio à priori diuina voluntas vt de Apoſtolis dixi ſupra cap. 5. q. 10. nobis verò coniectura, quia iſti erant probatiores, meliores, & aptiores, & Deus non generis excellentiam, ſed probitatem morum reſpicit.

*Difficultas quæſtionis.*

*In electione attendenda non generis ſtirps, ſed probitas morum.*

25. Cùm Pharao poſt viſum à ſe ſomnium cognouiſſet ſapientiam Ioſeph, ex eius mandato educitur iſte è carcere, qui cum totam rem optimè explanaiſſet, ac eius intelligentia maximè regi placuiſſet: ab ipſo ſuper totum ſuum regnum Ioſeph Princeps, ac Gubernator creatus eſt; Dixit Pharao ad Ioſeph. *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.* Gen. 41. n. 41. Valde mirum, quod homo alienigena dum ad totius regni gubernaculum à rege euehitur; nec de eius patria, ac progenie quæritur, & ſcrutatur ab ipſo. Aliter ſe habuit Saul, nam cùm videret Dauidem procedentem ad ſingulare certamen cum Philiſthæo interrogat ab Abner, *de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens.* 1. Reg. 17. n. 15. Pharao nil ſciſcitatur de maioribus Ioſeph quem ad tantum apicem ſubleuabat, de qua re valde ſollicitus ſe exhibet Saul? totus enim iſte ducebatur humano motiuo, ac reſpectu odij, vel inuidiæ, vt notat Theodoretus, & ideo totus ferebatur in generis, non verò meritorum conſiderationem. At Pharao gubernatur à diuino ſpiritu, vt magnis honoribus extolleret Ioſeph; vbi autem res aliena ab omni affectu carnis, & ſanguinis, ſuperiori dictamine dirigebatur, tota mentis intentio verſabatur, non in carne, & ſanguine, ſed in magnis Ioſeph meritis ſcientiæ, & intelligentiæ perpendendis, ac conſiderandis.

Gen. 41. 1. Reg. 17. Theodoret.

*Ex diuino dictamine non generis, ſed meritorũ conditio conſideranda.*

26. Præ omnibus virtutes, ac animi dotes in electionibus maximè recogitandæ ſunt; nam probitas electi gloria, ac laus eligentis. Ait D. Ioan. Epiſtol. 3. n. 4. *Maiorem horum non habeo gratiam quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare;* Sed quomodo magnus Theologus Ioannes hæc de ſe loquatur, nam ipſe Dei benignitate erat Apoſtolus, ac Euangeliſtà, ſpecialiter dilectus à Chriſto, ac Virginis filius nuncupatus. *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. n. 26. & tamen inter hæc, & tanta, ait, quod non habet maiorem gratiam, quàm quod filios ſuos ſpirituales, ſcilicet diſcipulos, ac ſubditos degentes in charitate videat, adeo magnum, & perexcelſum reputatur ſubditos in probitate morum, ac integritate virtutum conſpicuos habere, vt dicat ſe nullam hac maiorem gratiam habere. Huic cogitationi aſtipulatur Lorinus. *Significat*, ait, *nihil ſibi gratius accidere poſſe, quàm ſi ſubditos ſuos audiat in fide ambulare.* Quod etiam idem antea docuit Carthuſ. vide citat. q. 10.

Ioan. epiſt. 3. Ioan. 19.

*Probitas electi; laus eligentis.*

Lorin. Carthuſ.

## Qvæstio V.

### *Quare ex his diſcipulis nullus ſe offert, ſed omnes deſignantur à Domino?*

27. Magni animi, ac præclari facinoris videbatur, ſi aliquis ex his diſcipulis, ſe præſentaret, ac Domino offerret ad prædicationis munus, tamen ex his nullum hoc feciſſe legitur, cùm huiuſmodi dignitas eſſet præexcellens, ac honorifica, & ideo, vt ait D. Bonauent. in Chriſti ſchola omnes deſignantur, id eſt ad honorem aſſumuntur; *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ad Hebr. 5. num. 1. Hoc eſt enim diſcrimen inter iuſtos, ac iniquos, nam iuſti ad honores vocantur, iniqui verò ad illos currunt, eoſque ſibi præripiunt.

D. Bonauent. Ad Hebr. 5.

*Sanctis deferuntur honores, iniqui eos ſibi arripiunt*

28. Vltimam iudicij diem deſcribens D. Matth. 25. n. 54. ait. *Dicet Rex his qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Poſtea verò agens cum miſeris damnatis, ſic loquitur. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed quorſum tam diuerſa loquendi forma hîc introducitur? vt iuſtos ad ſe aduocet: *Venite benedicti*; Iniquos verò tanquam à latere ſuo repellat; *Diſcedite maledicti*, nam Sancti vt benemeriti, veluti per humilitatem, ad Dominum non audebant accedere, & ideo tanquam ſi à longè eſſent, ad Domini comitatum vocantur; At iniqui per ſuam ſuperbiam nimium arrogantes Domino adſtabant, tantúmque honorem ſibi præoccupare intendebant, & ideo eis dicitur, *Diſcedite*, ac egredimini à me; fauet Origenes. homil. 34. in Matth. *Qui ſeruant Dei mandata*, ait, *& vocantur, vt adhuc magis propinquiores efficiantur, audientes venite benedicti; Diſcedite à me maledicti, vt qui modò videntur eſſe ante eum, poſtea non videantur.*

Matth. 25.

*Iniqui ſe intromittunt ad honores, illi quæruntur ab illis.*

Origenes.

29. Duorum triumphales currus, multum decantantur in Scriptura. Adonias eleuabatur dicens: Ego regnabo, fecit ſibi currus, & equites. 3. Reg. 1. num. 5. Alter currus verò Ioſeph eſt; poſtquam enim ipſe multa ſapientia, ac eruditione Pharaonis ſomnium explanauit, multis honoribus ab ipſo inſignitus, inter quos ei præparatur regius currus; *Fecitque*, ſcilicet Rex, *eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum.* Geneſ. 41. n. 43. Sed vnde inter hos principes tanta differentia; Adonias ſibi triumphales machinas fabricat, Ioſeph verò aſſignatur à Pharàone, Adonias voluntariè, ac ſpontaneè aſcenſus ſibi parat; de Ioſeph verò dicitur fecit eum aſcendere Pharao, quod quandam vim ei illatam denotat. Adonias valde ineptus regno, nullo merito inſignitus, & ideo ſibi præripit honores, & currus conficit, dicens; *Ego regnabo*, vt explicat Angelomus, *per faſtum ſuperbiæ, non per virtutem diſciplinæ*; At Ioſeph vt omni virtute conſpicuus, nil de his cogitat, ſed ei currus adſcribuntur à Pharaone, ipſeque ad eos aſcendere cogitur. Huc aduoco; Id quod de Ioſue. n. 23. dixit Lyranus. *Tolle Ioſue &c.* ſic ait, perſuade ei, quod ad voluntatem meam ſuſcipiat onus. Alias nequaquam ſuſcepturus, niſi multis ad illud ſuſcipiendum argumentis conſtrictus, & conuictus teneretur. Vide ſupra cap. 6. n. 14. 15. & 16.

3. Reg. 1. Gen. 41.

*Iuſti ad honores inuiti.*

Angelom. Lyran.

## Qvæstio VI.

### *Quare ex electis Apoſtolis vnus extitit proditor Iudas; ex ſeptuaginta duobus diſcipulis deſignatis nullus iniquus?*

30. Elegit Dominus duodecim Apoſtolos, vnus ex eis extitit iniquus, ac perfidus Iudas, deſignat modò 72. diſcipulos. Nullus ex eis legitur nefarius, ac malignus, ſed omnes iuſti, & ſancti; iuxta probabilem ſententiam; de quo cap. ſequenti quæſtione 4. Cur ex duodecim Apoſtolis vnus extitit traditor; ex diſcipulis verò in multo maiori numero omnes probi, & recti. Ratio huius rei à priori inſcrutabile Dei conſilium, ac altitudo ſapientiæ eius.

*Ratio difficultatis.*

Nobis



Nobis verò coniectura magnum documentum, Apoſtoli in ſuprema dignitate, diſcipuli verò in inferiori, & tamen ex Apoſtolico vertice vnus in tam miſerrimam conditionem prolabitur, ex diſcipulorum verò ordine nullus cadit. Et ex his diſcamus, quod quamuis quis ſit in alto faſtigio, non inde ſuperbeſcat, ſed magnos prolapſus timeat, cùm Iudas ex Apoſtolico apice in caſum rueret; Et quamuis quis ſit in inferiori gradu, non inde diffidat, ſed multam ſpem de diuina gratia concipiat, cùm omnes diſcipuli in minori honore ſint probi, & vnus ex eis, vt Matthias in Apoſtolicum Collegium ſuffectus eſt.

*Qui in alto ſunt, non ſuperbeſcant; nec qui in humili deſſperent.*

32. Valdè diſcrepans extitit ſemper præſens ſors, vt ita loquar, cum ſtatu Ioſeph; nam in domo ſui patris cum ab ipſo ſummè diligeretur ſuper omnes ſuos fratres, ita vt faceret ei tunicam polymitam Gen. 37. n. 3. Inde verò ruit in miſerrimam conditionem, vt ſeruus venditus eſſet Madianitis, ex qua conſurgit ad regimen, ac gubernationem totius Putiphari principis exercitus regis, à qua felicitate concidit, vt eſſet vinculatus in carcere, vbi vincti regis tenebãtur, ex quo mirabiliter euectus eſt ad altum totius Ægypti gubernaculum, vt ſecundus eſſet à rege, cur in Ioſeph tot viciſſitudines, ac alternationes fiunt à diuina prouidentia? cur ex tot, ac tantis proſperitatibus in infortunia prolabitur, ex quibus valde glorioſè aſcendit; niſi vt tam ipſe Ioſeph, quàm nos, in ipſo diſceremus, quod in felicitate non euaneſceret, ſed caſus timeret, cùm ex ipſa totus deiectus, & ſimiliter, quod in aduerſitate ne diffideret, cùm ex illa tot aſcenſus ei ſint præparati. Fauet D. Auguſt. tom. 3. in ſent. 249. *Nulla eum infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit.* In vtroque nouit firmus in Deo ſtare; & tunc taliter quis conſiſtit; quando cum altitudine ſtatus coniungit humilitatem, ac deiectionem animi, & cum deiectione ſtatus ſpem magnam erectionis, ac ſubleuationis in Deo concipit.

Gen. 37.

*Cum altitudine ſtatus ſit humilitas animi, & cũ deiectione altitudo ſpei.*

D. Auguſt.

33. Poſtquam Præpoſitus pincernarum aperuit ſomnium ſuum Ioſeph, ab ipſo explanationem accepit, *Poſt tres dies recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Gen. 40. n. 13. In Hebræo pro illo verbo, *reſtituet te in gradum.* Eſt verbum *Iſà*, quod Pagninus, & Arias legunt. *Leuabit Pharao caput tuum*: ſtatim Ioſeph agens cum piſtorum præfecto, de ablatione eius dignitatis, ac eiuſdem ſuſpenſionis in patibulo, eodem verbo *Iſà*, vtitur textus hebraicus: *Eleuabit Pharao caput tuum, & ſuſpendet te in Cruce.* Cur erectio, ac depreſſio, eleuatio ad honorem, ac deiectio ab illo eodem verbo ſignificatur? Niſi vt inde deprehendatur paruum diſcrimen eſſe inter vtrumque, vt illi qui in alto vertice eminent caſus timeant, & illi qui deiecti in humili ſunt, eleuationem non deſperent. Hamerus. *Hîc notandum eſt, quod Ioſeph Pincernæ, & Piſtori ſomnium interpretans, vno verbo vſum eſſe, Isà, exaltabit, ſed in pocillatore facta eſt exaltatio ad priſtinam dignitatem, quam amiſſam recuperauit, in Piſtore ad ſupplicium dum ad crucem ſublimis raptus eſt.* Sic Ruben quamuis inter fratres eſſet maior natu, & ex vtroque nobili parente procreatus, à principatu, ac iudicatura excluditur, quam tamen obtinet Dan, eſto ancillæ filius. Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. Gen. 49. n. 16.

Gen. 40. Pagnin. Arias.

*Inter exaltationem, ac deiectionem paruum eſt diſcrimen.*

Hamer. Geneſ. 49.

## Qvæstio VII.

### *Quare diſcipuli bini mittuntur?*

34. Reſpondent primò Origenes, Theophylactus, D. Bonauent. Carthuſianus, quæ mihi eſt ratio litteralis, vt alter alteri eſſet auxilio, ſolatio, excitamento, ac conſilio; per ſingula breuiter diſcurro. Vt ſibi eſſent mutuo auxilio. Nam vt dicitur Eccleſiaſt. 4. num. 9. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, vt ſi vnus ceciderit, ab altero fulciatur: Væ ſoli.* Vnde P. Velaſquez tom. 2. in Epiſtol. ad Philippenſes cap. 4. verſ. 3. in Commentar. n. 7. ex radice Græca deducit, quod diſcipuli mittuntur bini, id eſt in iugo æqualiter coniuncti; ad ipſum onus portandum, nam ipſa dignitas prædicandi onus eſt, & ideo ad tantum pondus portandum, bini deſtinantur diſcipuli, vt mutuò ſe adiuuent. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 4.

Origenes. Theophyl. D. Bonauent. Carthuſ. Eccleſiaſt. 4. Velaſq.

*Dignitates tanquam iuga, & onera portanda.*

35. Ob mutuam conſolationem, & confortationem, nam his maximè recreatur, ac alleuiatur animus in laboribus. Meritò, D. Ambroſ. in Pſalm. 37. *Conſolationem, ſubſidium animi*, vocat ob ſtimulum, & excitamentum, vt ad operandum magis ſe ad inuicem excitarent, virtus enim vnius ſocij maximè ſuum comilitonem mouet.

*In laboribus conſolatio danda.*

D. Ambroſ.

36. Ob mutuum conſilium, vt etiam commentatur Toletus, nam quamuis diſcipuli eſſent valde in ſacra doctrina eruditi; tamen in noſtrum documentum, vt vnus alteri eſſet conſilio bini deſtinantur, rectè enim dicitur, nemo ſibi ſufficit, nemo ſibi ſapit, & licet aliis conſilia præbeas, in rebus propriis aliorum conſilio indiges; ſic medici, qui alios infirmos curant, in ſuis propriis morbis alios medicos adhibent. Iethro ſocer Moyſis venit in deſerto ad ipſum viſitandum, & cùm eum videret tota die occupatum in negotiis populi; ad ipſum Moyſen ait. *Stulto labore conſumeris, & tu, & populus ille, qui tecum eſt, vltra vires tuas eſt negotium* &c. Exod. 18. n. 18. & ſtatim ſubdit: *Audi verba mea, atque conſilia.* Et ei perſuadet, vt de populo eligat viros prudentes, & ſapientes ad cauſas populi in minoribus negotiis decernendas, quod Moyſes ſtatim adimpleuit, ac exequutioni mandauit. Sed tantus vir, qui ferè quotidianis colloquiis cum Deo maximè inſtructus erat, qui in omni ſapientia Ægyptiorum valde doctus extiterat, quomodo à ſuo ſocero in omnibus ei inferiori conſilia, ac normam ſui populi regendi accipit, vt ab illo ei diceretur, *ſtulto* labore conſumi? vt diſcant omnes, quod nullus ad eum gradum ſapientiæ peruenit, vt ope alterius hominis, ac cõſilio non egeat, & quod quamuis quis multum ſapiat adhuc aliquid ab aliis dicere valet. D. Hier. exponens illud Prouerb. 10. *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Sic loquitur: *Oſtendit neminem in hac vita ſapientem fieri poſſe, cuius ſapientia nequeat augeri, ſemperque moris eſſe ſapientum, vt dictis maiorum, aliquando etiam minorum auſcultent, & quidquid in eis vtilitatis audierint, ad ſe replicent, ſuóque in corde recondant. Denique audiuit Moyſes ſocrum multò inferiorem, ſublimior, & ſapientior redditus eſt.*

Toletus. Exod. 18.

*Nullus adeo ſapiens, vt alterius non egeat conſilio, & adhuc diſcere non valeat.*

D. Hieron.

Secundò, ad quæſtionem; miſit binos ob honeſtatem in noſtrum documentum, vt quilibet ſuorum vitæ actuum haberet perpetuum teſtem, nam vt experientia conſtat ſolitudo anſam peccandi

*Solitudo ſæpe anſam peccandi præbet.* Cornel. Seneca.

candi porrigit, quod multis ſanctorum Patrum teſtimoniis hìc comprobat Cornelius à Lapide. Dicebat Seneca Epiſtol. 11. *Magna pars peccatorum tollitur: ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.* & Epiſtol. 25. *Omnia nobis mala*, ait, *Solitudo perſuadet, Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem intereſſe cogitationibus tuis iudices.* O quantum nobis prodeſſet, ſi in noſtris cogitationibus, & peccatis occultis recordaremur Deum eſſe inſpectatorem, & teſtem.

38. Origenes.

Tertiò, Origenes, binos mittit Dominus ſuos diſcipulos, vt perpetuos haberent ſuarum actionum teſtes, ne quis malè eorum ſolitudinem interpretaretur, quaſi ideo ſoli eſſent deſtinati; vt liberius ſine teſte haberent facultatem peccandi, hac de cauſa, vt ait Origenes, ad educendum populum de Ægypto Moyſen, & Aaron mittit. Exod. 4. 14. Ioſue, & Caleb ad eundum populum ad turbæ murmur compeſcendum, vt introduceretur in terram Chanaam Ioſue 14. n. 6. Apoſtolos binos mittit Marc. 6. 7. ad ſoluendum aſinum binos mittit. Matth. 21. n. 1. Præſente enim ſocio tanquam teſte maximè facta alterius comprobantur; Vnde ait D. Gregor. lib. 10. Epiſt. 22. ad Conſtantin. Monach. *qui ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumpſit, ex qua eius actione cognoſcimus, quod qui ſine teſte ambulat, rectè non viuit.* Vnde Lucius Papa in Epiſt. 1. ad Epiſcopos Eccleſiæ ita decreuit. *Propter tales*, ſcilicet murmuratores, *hortamur vos, ſicut & in hac ſancta Eccleſia conſtitutum habemus, vt ſemper teſtes vobiſcum Sacerdotes, & Diaconos habeatis, & licet conſcientia ſufficere poſſit propria, tamen propter maleuolos, iuxta Apoſtolum, etiam teſtimonium vos oportet habere bonum, ab iis, qui foris ſunt;* non enim ſolum ſat eſt, vt vita ſit ſancta, & honeſta, ſed etiam omnis ſcandali, ac malæ ſuſpicionis anſa eſt amputanda.

Exod. 4. Ioſue 14. Marc 6. Matth. 21.

*Qui ſolus ambulat valde ſuſpectus.* D. Greg. Lucius Papa.

*Non ſolùm ſat eſt rectè viuere, ſed ſcandali anſa amputanda*

39.

Quartò, Quamuis Chriſti diſcipuli eſſent magnæ authoritatis, tamen bini deſtinantur, vt maior fides ab auditoribus eorum prædicationi conciliaretur; Cùm habeatur Deuteron. 17. *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Sic Chriſtus Petrum, & Ioannem mittit ad parandum Paſcha. Luc 22. n. 8. Sic duobus diſcipulis euntibus in Emaus poſt reſurrectionem apparuit; ſic Petrus & Ioannes ſæpe ſociati inueniuntur; ſicque cum eo in monte Thabor, cum eo loquentes Moyſes, & Elias apparuerunt, tanquam teſtimonium haberet à lege, & Prophetis. Quintò, quia prædicaturi erant, geminam Chriſti naturam, duplicem Chriſti aduentum; duo teſtamenta; Verbum, & ſacramentum, fidem & operam, & gemina charitatis præcepta, vt ita eorum præſentia, ac inceſſus ſuam prædicationem oſtenderent.

Deut. 17.

*Veritas maximè duorũ teſtimonio comprobatur* Luc. 22.

*Præſentia concionatorum eorum prædicationem oſtendat*

40. Marc. 6.

Sextò, Miſit illos binos, ſicut & miſerat Apoſtolos. Marc. 6. n. 7. Tamen illos poſt Pentecoſtem, vtpotè perfectos, non binos ſemper, ſed ſingulares in varias partes deſtinauit, vt Petrum in Romam, Iacobum in Hiſpaniam, Thomam in Indiam, Andream in Scythiam, Matthæum in Æthyopiam, docens nos, quod plus committendum eſt militi iam perfecto, & conſummato, quam incipienti, ac nondum in militia ac virtute expolito.

*Plus cõmittendum militi experto, & conſummato, quàm tyroni.*

41. D. Greg.

Septimò, D. Gregorius homil. 17. in Euangelia. *Quia duo ſunt*, ait, *præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minus, quam inter duos haberi charitas non poteſt*, &c. *Binos ad prædicandum diſcipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia, qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet.* Idem docent D. Auguſtinus lib. 2. quæſtion. Euangelic. Beda, & alij communiter: binos mittit Dominus ſuos diſcipulos in forma, & figura charitatis, quæ minus, quàm inter duos exerceri non poteſt, & quia duo ſunt præcepta charitatis, Amor, ſcilicet Dei, & proximi, concionatores enim gemina charitate debent nitere, erga Deum, vt pro eius honore clament, ac ipſi animas lucrifaciant; & erga proximum, vt eius inſipientiam patienter ſuſtineant, & vt pro eius ſalute omnia contemnant.

*Charitas Dei & proximi in prædicatore.*

42.

Maximè tamen notanda ſunt verba ſancti Doctoris; *Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet.* Denotatur quod character, ac nota prædicatoris euangelici eſt, vt alios prædicatores diligat; Vis ſcire, quem Deus ad prædicandum mittat; conſidera ſi ſuum comprædicantem diligat; ſi enim illum iniuriis appetat, ac inuidia proſequatur, talis non eſt concionator miſſus à Deo. *Sapientiam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.* Sapien. 7. n. 13. ſine fictione; Græcè, *ſine dolo*, ſine fuco ſacræ doctrinæ operam dedi; eandémque abſque vlla inuidia hominibus communico; non enim inuidia tabeſco, quod quiſquam alius, ſit ſapientior, ac doctior, maioríque nominis gloria irradiet; quod ſatis magis confirmo.

*Prædicatores inter ſe habeant vnionem, & amicitiam.* Sapient. 7. Græcus.

43. Eucherius.

Octauò S. Eucherius in lib. 3. Regum; *minus quàm inter duos*, ait, *charitas ſtare non poteſt. Vnde Saluator binos ad prædicandum, diſcipulos mittere curauit, vt tacitè doceret eos, qui verbum fidei prædicarent virtutem dilectionis, ante omnia opera eſſe tenendam.* Chriſtus Dominus ad doctrinam ſuam prædicandam, non ſingulos, aut ternos diſcipulos miſit, vt concordiæ typum ſecum ferrent. Quod confirmat citatus Eucherius, nam Salomon duos Cherubin poſuit in templo. *In menſura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim.* 3. Reg. 6. n. 25. Cherubim ſpiritus pleni ſapientia prædicatores deſignabant, tunc ſubdit citatus Eucherius. *Vniuſcuiuſque menſura, & duo Cherubim, quia diſparilitas voluntatum, ſiue cogitationum, nulla eſt.* Ait dilectus ſuæ ſponſæ in Canticis. 4. n. 9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum.* Philo Carpatius & alij Patres per oculos Sponſæ prædicatores interpretantur; Sed cur dicitur, quod ipſum vulnerauerit in vno oculorum, & non in duplici? Auctor eſt Galenus lib. 10. de vſu partium, cap. 10. ſi oculi ſani ſint, & non caligantes, quod quamuis duo ſint, tamen ob internam vnionem, non diuerſas, ſed eaſdem res videant. Et ideo dixit Tertullianus lib. 1. contra Marci. cap. 2. *Lippientibus oculis, ſingularis lucerna numeroſa eſt.* Sic & concionatores Eccleſiæ inſtar oculi, tanto fœdere inter ſe ſint connexi, vt non duas res ſeorſum, ſed vnam, & eandem videant.

*Prædicatores per ſe ferant concordiæ typum.*

3 Reg. 6.

Cant. 4. Caſpatius.

Galenus.

Tertullian.

44. D. Paſchaſ.

Nonò, D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. ad illa verba. *Hos duodecim*, ſic ait: *Qui bini, ac bini, quam bene iunguntur, vt botrum quo gentes inebriantur, duo, ac duo ſuis deferant humeris.* Chriſtus Dominus Auctor pacis, botrus eſt, quo gentes inebriantur, talis autem botrus non circumfertur per varia regna, nec portatur niſi ab illis, qui bini, & bini incedunt, hoc eſt in vnitate, ac charitate concatenati degunt.

*Solùm ab illis qui in charitate viuũt portatur Chriſtus.*

Decimò,



45. *Miniſtri qui ſunt æquales in labore, ſint & in præmio.* Iſai. 6.

Decimò, non vnus ſingularis, alij ternarij, alij quaternarij mittuntur, ſed omnes bini, tanquam pares, ac æquales poteſtate, & iuriſdictione deſtinantur, valdè enim decens eſt, vt quando miniſtri ſunt compares in labore, & obſequio, ſint etiam in munere, & dignitate. Vidit Iſai. 6. n. 1. Dominum ſedentem in ſolio maieſtatis, *& ea, quæ ſub ipſo erant replebant templum*; & addit *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius: & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Duo Seraphim adſtabant ſuper templum, & iuxta Dominum, vt explicat Oleaſter, *Qui duabus ſuperioribus alis tegebant vultum eius, & duabus pedes: quorum alter ad latus vnum, alter verò ad latus alterum ſtabant, & medijs alis volabant.* In hoc myſterioſo arcano maximè ponderandum, quod duo Seraphim adſtant, tamen vnus ex eis non eſt ad caput, alter ad pedes, nec vnus adſtat, & alius volat, nec iſte plures alas habet, quàm ille; ſed in æquali ſitu ambo apparent, quilibet ſex alas habet, duabus velat caput, duabus pedes, & duabus volat. O quàm admirabili, ac diuina diſpoſitione totum ordinatum eſt, qui enim erant pares in obſequio, ac famulatu Dei, ita & in præminentia, ac fauore compares inueniuntur, vt cum ex vtroque latere, ſe mutuo viderent æquales, magno feruore concepto, totos ſe promptos exhiberent in obſequenda diuina maieſtate.

Oleaſter.

46. Ezech. 1. Hieron. Theod. Gregor. Lyran. Cornel.

Vidit Ezechiel, quatuor illa animalia, quæ Dei currum ferebant; & ait Propheta *quatuor facies vni.* Ezech. 1. num. 6. quod vt communis explicat ſententia cum Hieronymo, Theodoreto, Gregorio, Lyrano, Cornelio hic, & Viegas, ac Ribeira Apocal. 4. Vnumquodque ex his animantibus quatuor facies, ſeu vultus habebat, ſcilicet hominis, Leonis, aquilæ, & bouis, ſed quorſum, quodlibet animal quadruplici apparet facie, quod aliquis tanquam quid monſtruoſum iudicabit? Sed cur tot vultus in vno quoque coadunantur, quot ſunt animalia, quæ rotarum machinam aſportant; cur in omnibus illis tanta omnimoda æqualitas, ita vt dicat D. Gregor. *Quidquid in vno inueneris, hoc in omnibus ſimul quatuor cognoſces.* Si vnum exprimeret præſentiam hominis, regalem dominationem indicaret, ſi verò alterum bouis effigiem adumbraret, ſeruilem conditionem denotaret; ſic & aquilæ caput ſublimem volatum in cælum, Leonis verò apparentia terrenam foſſionem ſignificaret. Suprema ergo Dei ſapientia tot illæ facies in quolibet coniuncta ſe exhibent, nam cum omnia illa animalia currum deducerent, ac iugum ſupportarent, ſic & pari honore, ac dignitate condecorantur, ac nobilitantur, ne vnum alio maius videatur. Theodoretus. *Vnumquodque*, ait, *quadruplici facie, & quatuor alis præditum erat; declarat autem per quatuor numero facies, & alas eorum poteſtatum prouidentiam.*

Gregor.

*Vbi æqualis eſt labor, æquale eſt præmium.*

Theod.

*Lucæ 10. n. 2.* Et dicebat illis: Meſſis quidem multa operarij autem pauci: Rogate dominũ meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Græcus.* | Meſſis quidem copioſa. |
| *Syriacus.* | Petite igitur à Domino meſſis, vt emittat operarios. |
| *Theoph. Vatabl.* | Vt extrudat operarios in meſſem ſuam. |
| *Euthymius.* | Vt producat operarios. |

ALTER TEXTVS

| | |
|---|---|
| *Matth. 9. n. 37.* | Dicebat diſcipulis ſuis meſſis quidem multa, operarij autem pauci. |
| *Num. 38.* | Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. |

*EXPOSITIO II.*

47. Euthym. *Chriſtus cũcta diſponebat, non poteſtate, ſed ratione.*

RECTE notat Euthymius, quod hic apponit Dominus manifeſtam cauſam, cur præter duodecim Apoſtolos hos 72. diſcipulos, ſeu meſſores, ſeu operarios promouerit ad prædicandum Euangelium, vt ita apertum ſit, quod non pro poteſtate, ac dominatione, ſed pro rerum exigentia cuncta diſponebat. Ecce cauſa; meſſis quidem multa. Hæc autem verba vel ſunt reuelata à D. Luca per recapitulationem, vt ſit ſenſus. *Dicebat illis meſſis quidem multa, rogate dominum meſſis*; & tunc vt Anacletus Papa relatus quæſt. 1. rogauerunt Apoſtoli Chriſtum vt alios operarios crearet, ac mitteret; electíque ſunt ab ipſo 72. vel aliter explicari poteſt. *Dicebat illis*, hoc eſt dicere aliquando ſolebat. Hæc enim verba dicta Matth. 9. num. 37. quando Apoſtolos miſit, & etiam modo, cum diſcipulos ad prædicandum deſtinat; nam vt ait D. Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 30. aliis, atque aliis ſermonum ſuorum locis, multa Dominus iterauit, quæ alibi iam dixerat. Quæ enim valdè neceſſaria, ac vtilia exiſtunt ſæpè repetenda ſunt.

Anaclet.

Matth. 9.

D. Auguſt. *Quæ valdè neceſſaria repetenda ſunt.*

48. Græcus.

*Meſſis quidem multa*, ſeu vt habet Græcus *copioſa*, meſſis in præſenti denotat multitudinem populi, iam præparatam ad recipiendam Euangelicam doctrinam, cuius ſemina Prophetæ iecerunt. Vnde ait D. Auguſtin. ſermon. 42. de Sanctis cap. 1. *Apoſtoli quidem in Iudæa meſſuerunt, in gentibus autem ſeminauerunt.* Nam meſſis non dicitur, niſi vbi eſt ſeminatum, quod iam præceſſerat in Iudæis, quibus lex, & Prophetæ dati ſunt. At in gentibus Apoſtoli prima fidei rudimenta plantauerunt. Ex quo Abulenſ. cap. 10. Matth. q. 6. Toletus hic annot. 4. exiſtimant, quod propriiſſimè in præſenti intelligitur populus Iudæorum, quibus Chriſtus prædicauerat, & ad quos iam miſerat Apoſtolos, & nunc diſcipulos; Gentes, autem meſſis Domini dicuntur, poſtquam ad eos exierunt fidei magiſtri ſeminantes Catholica dogmata, & valdè ponderosè dicitur, *meſſis multa*, vt vehementer ſtimulentur diſcipuli agnoſcentes ipſorum laborem non futurum irritum; ſed exinde magnos profectus recepturi; maximè enim commouetur animus vbertate, ac prouentu ſui laboris conſiderato. Vnde dicebat Paulus 1. Corinth. 15.

D. Auguſt.

Abulenſis. Tolet.

*Prouentu laboris excitatur animus.* 1. Cor. 15.

rinth. 15. num.58. Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.

49. *Verus magiſter cum titulo præſtat opus.*

*Operarij autem pauci*; quia ſcilicet ſolus Chriſtus, Ioannes Baptiſta, ac Apoſtoli operariorum locum tenebant, nam quamuis ſcribæ, ac ſacerdotes, magiſtrorum titulis gloriarentur ac iactarent, rem tamen minimè præſtabant.

50. *Rogate Dominum meſſis*. Vos ô Apoſtoli, ac diſcipuli mei rogate, ac exorate; hoc autem eis dicit, quia prædicationis munus non eſt ſuſcipiendum niſi præuia oratione, qua prædicatores pro ſe ipſis Deum deprecentur, ac etiam pro populo, vt eorum aures Deus adaperiat. Et dum Chriſtus ait, *Dominum meſſis*; tacitè ſe ipſum ſignificat, vt
D. Chryſoſt. ait Chryſoſt. homil. 33. in Matth. Ipſe enim propriè eſt Dominus Eccleſiæ, quam ſuo ſanguine acquiſiuit.

51. Græcus. Caiet. *Vt mittat*. Græcus codex vertit; emittat, quod ſignificat miſſionem cum quadam celeritate, ac impulſu, vt notat Caietan. quia in munere prædicationis, ac officij iniuncti nos debemus exhibere cum diligentia, & rectè inquit. *Vt mittat*; quia ſolus Deus mittit, & facit miniſtros aptos, & idoneos ad hanc ſuam meſſem, & non dixit, Rogate vt mittat vos in meſſem, ſed abſolutè; *vt mittat operarios*; nemo enim debet à Deo petere ſibi munera Eccleſiaſtica, ſed tantum exorare, vt ſtrenui operarij deſtinentur in meſſem, ſeu Eccleſiam, ac proinde potius pro illa, quàm pro nobis rogandum. Et aduerte, quod dicit, *in meſſem ſuam*; non enim laboramus in propria meſſe, ſed in Domini meſſe, pro qua reddituri ſumus rationem. Vnde benè ait D. Thom. in cap. 9. Matth. mittit operarios, non quæſtionarios. Quæſtionarij enim non mittuntur in meſſem Domini, ſed in meſſem ſuam, quia non quærunt gloriam Dei, ſed proprium commodum.

*Munus agendum cum diligentia.*

*Nullus ſibi exoptet, ac petat officiũ.*

D. Thom. *Operarij, non quæſtionarij.*

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare ſub metaphora meſſis deſcribitur multitudo populi, quæ ſuſceptura erat Euangelium.*

52. Abulenſ. RESPONDET primò. Abulenſ. cap. 10. Matth. quæſt. 6. Quod Chriſtus voluit vti hoc modo loquendi, vt concordaret Ioanni Baptiſtæ. Dixerat enim ipſe ſuprà c. 3.
Matth. 3. num. 12. *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* In meſſe, non ſolùm grana, ſed etiam paleæ congregantur, ac adducuntur in aream, vbi poſtmodum per triturationem ad inuicem ſeparantur; ergo ſicut Ioannes populum Euangelio crediturum denotauit per triticum, & paleas, per triticum electos, per paleas reprobos intelligens, vt dixi tom. 1. lib. 3. cap. 1. num. 121. & quæſt. 38. vbi etiam explicaui ex communi Patrum ſententia, quod area comparatur Eccleſiæ; ſic & Chriſtus per meſſem eundem populum fidelem expreſſit; qua etiam phraſi ſæpè Chriſtus Dominus
Matth. 9. Ioan. 4. loquebatur, tam hic, quàm Matth. 9. num. 37. & Ioannis 4. num. 35. dixit Apoſtolos. *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Chriſtus parabolicè loquebatur, videte regiones, ideſt populos, quia albæ ſunt ad meſſem, id eſt iam aptum eſt tempus ad congregandos eos per prædicationem.

Ratio eſt, quia Ioannes teſtimonium perhibuit de Chriſto, quod teſtimonium ipſe Dominus acceptauit, & approbauit Ioan. 5. num. 33. *Teſtimonium perhibuit veritati.* Et quia Ioannes multa dixerat de Chriſto, ideo ipſe Dominus in multis Ioannis loquendi formam tenuit, & amplexatus eſt, vt vox cohæreret verbo, & ita ſuum Baptiſtam maximè honoraret, ac eius teſtimonium in magnam auctoritatem eueheret, & extolleret; Præcurſor dixit de Chriſto. *Ecce, qui tollit peccata mundi*; Chriſtus autem dixit, vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Luc. 5. num. 24. Præcurſor de Chriſto, ait, *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Ioan. 3. num. 29. Sic & Chriſtus dixit; *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Matth. 9. num. 15. Ioannes ſuam prædicationem exorſus eſt. *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum.* Math. 3. num. 2. Sic & Ieſus cœpit prædicare; *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum.* Matth. 4. num. 17. Valde enim decens eſt, vt princeps optima dicta, & facta boni Miniſtri approbet, & comprobet, ipſumque in omnibus honoret. 53.

*Chriſtus Ioãnis loquendi modũ tenuit.*

Luc. 5. Ioan. 3.

Matth. 9. Matth. 3.

Matth. 4. *Princeps boni miniſtri dicta, & facta comprobet.*

Secundò, ſicut in meſſe, non omnia quæ in area adducuntur in horreum reconduntur; Ita etiam non omnes, qui meſſoribus Apoſtolis, ac diſcipulis in Eccleſiam congregantur, in regnum cælorum admittuntur; ad quod ſolùm colliguntur, qui vt optimum frumentum inueniuntur probati in fide, ac iuſtitia; ergo quilibet quamuis ſit intra Eccleſiam, intra clauſtrum, vigilet ne incidat in paleas, vt comburatur igne inextinguibili. Vide exordium quæſtionis. 54.

*In quolibet loco homo vigilet.*

Tertiò, ſub meſſis phraſi intelligitur populus præparatus ad ſuſcipiendum Euangelium, illius enim viri obſeruatores per ipſum tanquam per falcem à terrenis cupiditatibus præſcinduntur, ne amplius in terra radices mittant, ac habeant. Quartò in ſegete ariſtæ erant diuiſæ, ac ſegregatæ, at cum meſſis venit in manipulos colliguntur; ſicque qui antea erant diſperſi, per fidem, ac charitatem in vnum coadunantur, fiuntque faſciculi eorum, qui vnum ſpeciale ſtatutum Chriſtianæ vitæ ſub Euangelio ſequuntur. 55.

*Chriſtianus ſit ſeparatus à terrenis cupiditatibus.*

*Per fidem vnimur.*

Quintò, D. Chryſoſt. in Catena D. Thomæ ad hunc locum; *ſed qualiter meſſem vocat, cum res ad præſens exordium ſumatur; poterant enim diſcipuli ſecum meditari, & dicere, qualiter nos numerus breuis emendare poterimus totum mundum: Idiotæ ſophiſtas, munitos nudi, dominantes ſubdiditi? ne igitur conſideratione talium turbarentur, vocat Euangelium meſſem, quaſi dicat, parata ſunt omnia: mitto vos ad paratam collectionem frugum: eodem die & ſerere poteſtis, & metere.* Non enim eis ait Dominus, vt notat idem Chryſoſt. homil. 33. in Matth. Mitto vos ad arandi, ſeminandique laborem, ſed, ad iam præparatam meſſem; ſi Chriſtus diſcipulis ſuis dixiſſet, quod deſtinabat eos ad arandum, ac ſeminandum, inter tot mundi contradictiones, ſuos anxios redderet, ac laborem in ſudore vultus eorum eis denunciaſſet, ad dum ait quod ad meſſem pergunt, maximè eos certos, ac ſecuros facit de fructu aſſequendo, vt promptè, ac alacriter per viam prædicationis 56. D. Chryſoſt.

D. Chryſoſt. *Securitas fructus dat animum ad laborem.*



dicationis degant. Deinde quandam facilitatem in ipſo negotio pro eius cauſa ſuſcepto indicat cum eodem die ſerere, & metere poſſint. Tandem multam conſolationem, ac gaudium eis denunciat in ipſa prædicatione, nam qui ſeminat longo tempore expectat, qui autem metit gaudet. *Lætabuntur coram te ſicut lætantur in meſſe.* Iſai. 9. n. 3. In Chriſti autem area quamuis aliquando appareant difficultates, tamen totum ibi eſt conſolatio, lætitia, ac exultatio.

*In Chriſti area labor eſt plenus gaudio.* Iſai. 9.

57. Pſalm. 127. Decantat Regius Vates Pſalm. 127. num. 2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Magna indagine hic dicendi modus eſt conſiderandus, cum naturæ ordini videatur contrarius; non enim labores, ſed laborum fructus manducantur. Aratur, ac ſeminatur, huiuſmodi actiones non manducantur, ſed ex illis prouenieus fructus, nempe triticum in meſſe; ad quid ergo talis nouus verborum ordo tendit? niſi vt appareat, quod in ipſa tolerantia, ac ſufferentia laborum iam ibi experitur, ac guſtatur quidam ſapor, dulcedo, ac iucunditas fructuum felicitatis æternæ propter omnimodam illius certam ſpem, itaut iam de præſenti dicatur à Propheta. *Beatus*
D. Auguſt. *es*, D. Auguſtin. *Quis manducat labores*, ait, *nemo; quid ſibi vult labores manuum tuarum manducabis? Modò labores habemus, fructus poſtea erit, ſed quia ipſi labores non ſunt ſine gaudio propter ſpem; modò nos ipſi labores noſtri iucundant, & lætos nos faciunt de ſpe; ſi ergo labor potuit manducari, & potuit iucundare.* Et maximè ipſa verborum ſeries ponderanda, nam laborum guſtus poſuit in futuro, *labores manducabis*: beatitudinem verò de præſenti dixit. *Beatus es*; ita enim de laboribus theologizatur, ac de præminentia beatitudinis. Gloriæ celſitudo ea eſt, vt homo illi deputatus ob eius certam ſpem, iam felix, ac beatus nuncupetur; ſic & eodem modo de laboribus cogitat Pſalmographus. *Beatus es*, ait, & vnde te iſta beatitudo condecorat, ac nobilitat, quia labores manducabis, quia certa laborum ſpes tibi eſt, quamuis ad illorum guſtum non dum acceſſeris.

*Labor pro Chriſto ſuſceptus habet quandã ſuauitatem beatitudinis.*

*Spes laborum facit beatos.*

58. 2. Cor. 14. Valdè ſublimia ſunt Pauli verba 2. Corinth. 14. num. 17. *Id enim*, ait, *quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Non ait operabitur, de futuro, ſed operatur in præſenti. Maximè tamen in verbis Apoſtoli quædam oppoſitio conſideranda eſt; quomodo id, quod leue eſt pondus producit, nunquid à leuitate pondus gignitur? & ſi æternum, quomodo à momentaneo oritur? nunquid æternitas à tempore producitur? Valdè enim contrariæ qualitates ad hos effectus exoptantur; ſed tanta vis, ac efficacia eſt in laboribus, vt ea quæ valdè contraria cenſentur, ad ſe trahant; imò dicam etiam, quod ipſi labores veluti quoddam ſacramẽtum videntur, vnum enim in eis apparet, & aliud valdè ſublime latet. Apparet anguſtia, occultatur ibi gloria, apparet leue, occultatur pondus; apparet momentaneum, occultatur æternitas. D. Bernard. ſerm. 17. in Pſalm. *Qui habitat*; ſic ait. *Momentaneum non dixit remunerabitur, ſed æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui pondus ſublime, & ſuprà modum.*

*In laboribus veluti quoddam ſacramentum felicitas latens.*

D. Bernard.

59. Exod. 3. Moyſi, *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. num. 2. in quo D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 16. conſiderat reſurgentium gloriæ typum. *Reuelauit*, ait, *in rubo futurum quoddam corporei ſplendoris indicium, quo per reſurrectionem caro noſtra fulgeret. Quid enim ſignificat ignis innoxius, niſi lumina reſurgentium.* Sæpè ſæpius mihi difficultas obiecta eſt, cur ad tam altum myſterium indicandum, non eligitur arbor quædam alta, & procera, ac multò amœnior, ac venuſtior, quæ eſſet mirificè veſtita virentibus foliis, ornata pulchritudine florum, ac ditata vbertate fructuum; ſed aſſumitur rubus inter cætera virgulta abiecta, humilis, horrida aſpera, minacibus, ac præacutis aculeis plena; grande ſanè myſterium hic declaratur, quod ſcilicet claritas, ſplendor, ac lætitia æternæ gloriæ non deguſtatur, ac ſentitur, inter frondoſas, ac laſciuientes delicias huius ſæculi, quas arbor granditate ſuperbiens, multitudine pomorum conſpicua innueret, ſed inter pungentes ſpinas, ac acerbos tribulos ærumnarum, ac afflictionum, quibus iam in hac vita de dulcedine ſupernæ patriæ potamur.

D. Ambr.

*Suauitas æternæ patriæ non guſtatur inter delicias, ſed inter labores.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Doctores, ac magiſtri neceſſarij ad meſſem vocantur operarij.*

60. D. Bonau. RESPONDET primò, D. Bonauentura. *Signanter dicit*, ait, *operarij, quia ad hoc quod falx prædicationis meſſem colligat, neceſſe eſt, quod manus operis eam teneat.* Vt enim prædicatio fructum faciat neceſſe eſt, vt manus concionatoris in operando coniuncta ſit cum ipſo ſermone. Vnde perbellè notat Caietan. Matth. 9. num. 37. *Non dicit*, inquit, *Sacerdotes, aut ſcribæ pauci, ſed operarij pauci, quia etſi magna eſt multitudo Sacerdotum, doctorum, prædicatorum, pauci tamen ſunt operarij, quia pauci ſunt, qui vita, & doctrina ſtudent ſaluti animarum.* Hanc paucitatem notans Dauid dicebat. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Pſalm. 13. num. 3. non dixit, vt notat ibi Chryſoſt. non eſt, qui loquatur bonum, ſed non eſt, qui faciat, loquentes bona paſſim inueniuntur, facientes verò rariſſimè, & ideo rectè dixit, operarios, quia non titulo tales ſint, ſed rebus ita ſe præbeant. Vide ſuprà cap. 2. n. 116. 117. 118. & 119. & cap. 5. n. 84. & cap. 7. num. 42. cap. 8. num. 13. Vide tom. 1. & 2. in Indice Verbum, Prædicator.

*Prædicatio iuncta cum opere.*

Caiet.

Pſalm. 13.

D. Chryſoſt. *Paucitas benè operantis.*

61. D. Hieron. Secundò D. Hieronym. lib. 2. in Epiſt. ad Galatas ad illa verba. *Æmulantur vos non benè.* Agens de præſentia optimi Præſulis hunc locum in medium adducit; ſubdens. *Precemur Dominum meſſis, vt mittat operarios ad metendum, qui ſpicas populi Chriſtiani, quæ ſtant in Eccleſia futuro tritico præparatæ, metant, colligant, & in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur.* Magno documento Dominus requirit in Eccleſia ſua operarios, ac meſſores, nam ſicut non à meſſore abſente, ſed præſente, frumenta ex agris colliguntur, ac in apothecam reconduntur, ex quibus vniuerſa reſpublica ſuſtentatur, ac alitur, ita præſens Eccleſiæ cultor, ac Prælatus, & non abſens vberes animarum fructus colligit, quos in cœleſti patria collocat.

*Præſentia Præſulis neceſſaria in Eccleſia.*

Vis

62\. Vis ſcire, quàm neceſſaria ſit præſentia Eccleſiaſtici Præſulis perpende. Parit Lia Primogenitum ſuum Ruben, & filium ſuum ſecundum Simeonem, gratias Deo perſoluit dicens. *Vidit Dominus humilitatem meam, audiuit me Dominus haberi contemptui.* Et ſimiliter cum quartum dat in lucem, in quo regalis tribus erat conſtituta, ait, *modò confitebor Domino.* At cum peperit tertium filium dixit, *nunc quoque copulabitur mihi maritus meus.* Geneſ.29. num.34. Cur in aliis filiis in tot gratias prorumpitur; at verò in tertio, his omnibus prætermiſſis ſolùm copulatio, ac intima coniunctio inter maritum, & vxorem exquiritur. Hic tertius filius erat Leui in quo dignitas ſacerdotalis, ac pontificia importabatur, in Pontifice autem, ac Eccleſiaſtico Præſule nil illuſtrius inuenitur; nilque gratius Deo apparet quàm quod cum ſua ſponſa ſcilicet Eccleſia, ſit intimè coniunctus, ac conglutinatus, itaut ab ea minimè diſcedat, ſed ſemper illi præſens aſſiſtat, vt ingentes fructus, alióſque filios generet, ac tranſmittat in æternam patriam. Huc aduoco id quod dixit D. Athanaſius Patriarcha Conſtantinopol. in Epiſt. 1. ad Epiſcop. Cretenſem. *Si quiſquis Paſtor in Diœceſi, quæ ſibi obtigit, non moretur experiri liceat per multa peccata, damna non eſſe defutura in populo; ſanè augentur oues, & in tuto ſunt, cum præſunt viri paſtores, non autem qui ſolùm ebibant lac, & lana tegantur.*

Geneſ. 29.
*Prælatus moretur in ſua Eccleſia, & ab ea non diſiungatur.*
D. Athanaſ.

63\. Tertiò, Prælatos, ac prædicatores vocat operarios, innuens, quod miniſterium, ac diſpenſatio Euangelij, non otio, ac quiete, ſed labore, ac ſudore, adimplenda eſt. Prælationis enim munus non eſt ad quieſcendum, ſed ad laborandum; quod eleganter docet D. Bernard. lib.2. de conſideratione ad Eugenium expendens illud Ierem. 1. num.10. *Vt euellas, & deſtruas, & diſperdas;* ſic ait ſanctus Doctor. *Diſce exemplo prophetico præſidere, non tam ad imperitandū, quam ad factitandum. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro.* Hinc Paulus valdè frequenter continui laboris meminit. Galat.4. num. 11. Philipp.4. num.3. & 1. Timoth.5. num.7.

*Munus prædicandi eſt ad laborem, & non ad otium.*
D. Bernard.
Galat. 4.
Philipp. 4.

64\. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem.* Geneſ.2. num.8. Hucuſque in creatione rerum vſus eſt Deus verbo fiat. Dixit Deus, *fiat lux, facta eſt lux; fiat firmamentum, fiant duo luminaria magna,* &c. Geneſ.1. num. 3. Quorſum aliæ res vna voce imperatiua, fiat, producuntur, paradiſus verò conditus narratur, mutata phraſi, verbo plantandi interpoſito, quod rationem quandam agriculturæ, ac veluti laboris innuit; creatus eſt homo à Deo, vt Dominus vniuerſi, cuius & regia ſedes illi deputabatur paradiſus, & tam intrinſecus eſt dominationis ſolio labor, ac ſolicitudo, vt etiam Deus, qui omnis fatigationis eſt expers, cum ad illud edendum amouet manus, non alia methodo, niſi aliqualem rationem operationis, ac laboris denotante vtatur, ob noſtrum magnum documentum, quaſi aliter ipſa regalis ſedes nequeat exiſtere, ac conſiſtere; niſi multis laboribus condita, illíſque conſeruata, & ita in paradiſo quem Dominus plantauerat, conſtituit hominem, vt operaretur, & cuſtodiret illum; vt ex hoc primus Parens magnum exhauriret exemplum, vt quantam ipſe curam in plantando paradiſo ab initio poſuerat, tantam, & ipſe in eodem excolendo collocaret.

Geneſ. 2.
Geneſ. 1.
*Regalis ſedes labore, & ſolicitudine plena.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare Dominus, qui maximè inuigilat ſuper meſſem ſuam vult rogari pro mittendis meſſoribus?*

RESPONDEO, quod rogandus eſt Dominus, non quod ipſi non ſit meſſis curæ; quis enim magis amat homines, quàm ipſe; multis ergo de cauſis vult rogari. Primò, vt ait Chryſoſt. homil.33. in Matth. *Orate,* inquit, *Dominum meſſis, hic ſignanter magnitudinem doni oſtendit;* nam ingens populo donum eſt paſtores, ſiue operarios habere, quales decet; deinde etiam ipſis prædicatoribus magnum eſt donum, vt ad officium Chriſtum annunciandi aſſumantur à Deo, & ideo ad hoc ſignificandum docet, quod precibus à Deo ſolùm eſt impetrandum, & poſtulandum. 65.

D. Chryſoſt.
*Munus prædicandi magnum donū.*

Secundò, Abulenſ. cap. 10. Matth. quæſt. 10. Docet rogandum eſſe tam pro prælatis, vt Deus illis virtutem, ac efficaciam det, ad ſuum munus rectè exequendum, vt bonum fructum ex prædicatione ſua colligant; quam etiam rogandum eſt pro illis, ne ex noſtris demeritis ſubtrahatur eiſdem gratia prædicandi; quod interdum fit, vt docet D. Gregor. relatus ab eodem Abulenſ. & ideo ſæpè ex ſubiectorum culpa torpeſcit lingua ſuperioris, ne eis digna, ac neceſſaria dicat, & clam eſt. 66.

Abulenſis.
*Sæpè ex demeritis auditorum frigeſcit lingua prædicatoris.*

Tertiò Euthym. in cap. 9. Matth. *Rogate,* inquit, *non quaſi ei opus ſit, vt illi obſecrent, ſed vt diſcipulos inſtruat, vt Deum pro errantibus deprecentur;* vt eis mittat prædicatores, ac doctores, qui eos valeant illuminare, quod eſt magnum beneficium. Quartò D. Thom. in cap.10. Matth. Rogate Dominum meſſis. *Quando habemus defectum, debemus recurrere ad Deum.* Vt ipſe de conuenienti remedio prouideat; nam quamuis ipſe ſit valdè propenſus, ac promptus ad auxiliandum, tamen vult rogari, ac exorari à nobis in noſtris neceſſitatibus. 67.

Euthym.
*Pro errantibus orandum.*
D. Thom.
*In neceſſitate ad Deū orandum.*

Quintò, docet Dominus, vt rogetur, vt nobis accumulet meritum; tum dum pro proximorum ſalute oramus, vt eis Dominus det Doctores ad illuminationem; tum etiam vt hac voce audita, Rogate Dominum meſſis, vt mittat, &c. Diſcipuli ſtimularentur, vt offerrent ſeſe Chriſto ad operandum in hac meſſe, dicántque cum Iſaia cap.6. num. 8. *Ecce ego mitte me.* Cur Dominus vult vt ad prædicandum, ac populum docendum propheta ſeſe vltro exhibeat? Cur imperatiuè ipſum non mandat? D. Ambr. in Pſalm.11. ſerm.14. *Vtique,* ait, *ſeruulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat, ſed maluit eum ſpontaneæ oblationis non fraudari mercede, qui vt ipſe ſe offerret præſtolatus eſt, & quamuis eius ſciret affectum, expoſtulauit tamen vocem, vt gratia cumularet.* 68.

*Deus nobis præbet merēdi occaſiones.*
Iſai. 6.
D. Ambroſ.

*Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum, en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Cant.2. n.9. Attractus voce ſponſæ, ab ipſaque vocatus tam celeriter deſcendit Dominus ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Sed cur ipſe tam vehementer cupiens ſponſæ præſentiam, ſtat poſt parietem? Cur ſtatim eius obtutibus ſe non exhibet? An delectabatur Deus magis in pariete, quàm in 69.

Cant. 2.



in dilectiſſimæ ſponſæ ſuæ facie? minimè ſanè; cur ergo moram facit poſt parietem? tales moras trahit pro ſingulari benignitate erga ſponſam, vt ex appropinquatione ſponſi occaſio illi præberetur, vt in maiores, ac maiores charitatis affectus prorumperet, quibus magis, ac magis in maiori meritorum cumulo excreſceret. Fauet Origenes homil.3. ex quatuor. *Præueniens ſponſus,* ait, *ad parietem domus, in qua amore eius æſtuat ſponſa, ſtat paululum poſt ipſum. Iam verò ipſe ſentiens aliquid amoris, vſus altitudine ſua, quæ tangit vſque ad domus feneſtras; inde proſpiciens alloquitur ſponſam; ſurge veni proxima mea.*

*Deus intentat noſtrum meritum.*
Origen.

70\. *Apparuerunt Abrahamo tres viri ſtantes prope eum.* Geneſ. 18. num.2. Tres ſunt Angeli, qui veniunt ad Abraham, ex eis vt eſt communis ſententia vnus aderat, vt Saræ conceptum denunciaret, alij verò duo vt Sodomam ſubuerterent, ad quid ergo omnes tres veniunt ad Abrahamum, cum ex illis vnus tantùm optatam prolem erat polliciturus, alij ad Sodomam pergebant, omnes tamen diuertunt ad Abraham. Guilliel. Pipinus. *Propter,* ait, *augmentum meriti ſui, plus enim meruit, cæteris paribus, tres peregrinos reficientes, quàm vnum.*

Geneſ. 18.
*Deus præbet nobis occaſiones merendi.*

*Lucæ* 10. *n.* 3. Ite: ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.

## *VERSIONES.*

*Vatablus.* Abite: ecce ego.
*Syriacus.* Mitto vos ſicut oues inter lupos.
*Pagnin. Arias.* Sicut agnos in medio luporum.

## *EXPOSITIO III.*

71\. ITE. Tanquam rogatus Dominus à ſuis mittit, ac delegat operarios iſtos. *Ecce.* Rem quandam denotat. *Ego mitto vos.* Signanter dicit, Ego, qui ſum Deus, Filius naturalis Dei, qui vos ſummè diligo. De periculis euenturis eos admonet, vt ſciant, quæ onera, illis imponuntur quantíſque ſe exponant, in ipſa miſſione, quam ſuſcipiunt. Deinde, vt cautiores reddat, vt ait Theophylactus. *Prædicit eis perſecutiones, ne ſi repentè, in talia inciderent, magis turbarentur.* Cautè enim agit qui pericula præuidet; & cum ait, *ego mitto vos;* ſecuros, ac animoſiores reddit; his enim innuit, quod certò ſciant ſe eis auxiliaturum, ipſe enim, qui futura pericula prænoſcit, non mittit ſuos vt eos deſerat, ſed vt eis opem, ac adiuuamen ferat: & ita inter tot aduerſa ſecuro animo ſint.

*Cum munere explicatur illius onus.*
Theophyl.
*Præſcientia periculi dat cautelam.*

72\. *Sicut agnos,* hoc eſt ſimiles agnis, humiles, manſueti, inermes, innoxij, ac ſimplices, *inter lupos* Scribas, ac Phariſæos interpretatur Beda, Gentiles verò Carthuſianus, qui vt lupi, inimici, feroces, ac cupidi veſtri ſanguinis vobis occurrent. Rectè notat, Caietan. *Verè præparatos ad martyrium oportet eſſe eos, qui à Chriſto mittuntur prædicandum.* Sed quibus præſidiis imbelles agnos inter feroces lupos armauit: Primò charitate, ac concordia, quæ in binario numero deſignatur; binos enim mittit; ſecundò manſuetudine, dum eos agnis comparat; tertiò paupertate, ac rerum contemptu, dum eos ſine ſacculo, & pera delegat.

Beda.
Carthuſ.
Caiet.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Apoſtoli cum mittuntur dicuntur oues, diſcipuli verò agni.*

SVPRA cap.8. quæſt.2. latè per varias rationes explicaui, cur Domini diſcipuli dicantur, oues, ſeu agni, ibi dicta videnda. Nunc verò præſens quæſtio inquirit. Cur quando Dominus ſuos Apoſtolos ad prædicandum delegauit, eos oues appellauit? *Ego mitto vos ſicut oues.* Matth. 10. num.16. Diſcipulos verò hic mittens agnos dicit; cuius diuerſitatis rationem in præſenti inquirimus. 73.

*Difficultas quæſtionis.*
Matth. 10.

Primò, reſpondet Toletus annot.6. cauſam, cur vni dicantur oues, alij agni inueſtigandam eſſe ex eis ad quos miſſi ſunt: Nam Apoſtoli deſtinantur ad prædicandum in Galilæa, diſcipuli verò ad docendum in Iudæa. Iudæi enim valdè infenſi erant Chriſto, ipſum maximè perſequebantur, contra verò Galilæis erat valdè acceptus, ſecuriúſque apud eos verſabatur. Sic dicitur Ioan.7. n.1. *Ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Et iterum Ioann. 11. *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: eamus in Iudæam iterum; dicunt ei diſcipuli: Rabbi; nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus nonne duodecim horæ ſunt diei.* Hinc conſequitur miſſionem Diſcipulorum fuiſſe multo periculoſiorem, illa quæ fuit Apoſtolorum; & ideo Diſcipulos ſuos admonuit. *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos,* non autem Apoſtolos, qui tunc parum, aut nihil periculi ſubibant. Ita Toletus. 74.

Tolet.
Ioan. 7.
Ioan. 11.
*Agni dicti ob maius periculum.*

Sed contra hanc expoſitionem, grauiter vrget ipſe textus Matth. nam mittens Apoſtolos in Galilæam dixit eis; mitto vos ſicut oues inter lupos ſcilicet feroces, & crudeles, & ſtatim denunciat eis grauiſſimas perſecutiones: *In ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum;* ergo tantùm periculi erat in vna miſſione, ac in altera; nec refert id quod dicit Toletus, quod illa in textu Matth. referuntur ad miſſionem poſt reſurrectionem, non obſtat inquam, quia in tam grauiſſima perſecutione, qualis poſt reſurrectionem erat futura, Apoſtoli non dicuntur agni, vt hic diſcipuli, ſed oues. 75.

*Difficultas contra prædictam ſententiam.*
Tolet.

Secundò Abulenſ. in cap.10. Matth. 9. quæſt.92. quòd Chriſtus Dominus vnum eorum dixit, quia tamen Euangeliſtæ, vt notat D. Auguſt. de conſenſu Euangel. non attendunt principaliter ad verba, ſed ad verborum ſenſum, inde fit quod aliquando vnus omittit aliqua verba, & ponit alia æquiualentia, cum tamen ſemper mutatis verbis maneat eadem ſententia; Chriſtus Dominus autem voluit ſignificare, quod mittebat Apoſtolos ſuos, ſeu diſcipulos inermes, nulli vim inferre potentes, & à quolibet facilè paſſuros, potuit ergo Chriſtus Dominus nominare oues, vel agnos vtrumque enim eſt valdè innocens ſine murmuratione patiens. Iſai.35. Ergo quamuis vnum eorum dixiſſet, non refert, quod alterum ponatur, cum ſemper in his verbis maneat eadem ſententia, 76.

Abulenſ.
D. Auguſt.
*In iiſdem verbis eadem ſententia.*

&

62. Vis ſcire, quàm neceſſaria ſit præſentia Eccleſiaſtici Præſulis perpende. Parit Lia Primogenitum ſuum Ruben, & filium ſuum ſecundum Simeonem, gratias Deo perſoluit dicens. *Vidit Dominus humilitatem meam, audiuit me Dominus haberi contemptui.* Et ſimiliter cum quartum dat in lucem, in quo regalis tribus erat conſtituta, ait, *modò confitebor Domino.* At cum peperit tertium filium dixit, *nunc quoque copulabitur mihi maritus meus.* Geneſ.29. num.34. Cur in aliis filiis in tot gratias prorumpitur; at verò in tertio, his omnibus prætermiſſis ſolùm copulatio, ac intima coniunctio inter maritum, & vxorem exquiritur. Hic tertius filius erat Leui in quo dignitas ſacerdotalis, ac pontificia importabatur, in Pontifice autem, ac Eccleſiaſtico Præſule nil illuſtrius inuenitur; nilque gratius Deo apparet quàm quod cum ſua ſponſa ſcilicet Eccleſia, ſit intimè coniunctus, ac conglutinatus, itaut ab ea minimè diſcedat, ſed ſemper illi præſens aſſiſtat, vt ingentes fructus, alióſque filios generet, ac tranſmittat in æternam patriam. Huc aduoco id quod dixit D. Athanaſius Patriarcha Conſtantinopol. in Epiſt.1. ad Epiſcop. Cretenſem. *Si quiſquis Paſtor in Diœceſi, quæ ſibi obtigit, non moretur experiri liceat per multa peccata, damna non eſſe defutura in populo; ſanè augentur oues, & in tuto ſunt, cum præſunt viri paſtores, non autem qui ſolùm ebibant lac, & lana tegantur.*

*Geneſ. 29. Prælatus moretur in ſua Eccleſia, & ab ea non diſiungatur.*

*D. Athanaſ.*

63. Tertiò, Prælatos, ac prædicatores vocat operarios, innuens, quod miniſterium, ac diſpenſatio Euangelij, non otio, ac quiete, ſed labore, ac ſudore, adimplenda eſt. Prælationis enim munus non eſt ad quieſcendum, ſed ad laborandum; quod eleganter docet D. Bernard. lib.2. de conſideratione ad Eugenium expendens illud Ierem. 1. num.10. *Vt euellas, & deſtruas, & diſperdas*; ſic ait ſanctus Doctor. *Diſce exemplo prophetico præſidere, non tam ad imperitandũ, quam ad factitandum. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro.* Hinc Paulus valdè frequenter continui laboris meminit. Galat.4. num. 11. Philipp.4. num.3. & 1. Timoth.5. num.7.

*Munus prædicandi eſt ad laborem, & non ad otium.* D. Bernard. Galat.4. Philipp.4.

64. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem.* Geneſ.2. num.8. Hucuſque in creatione rerum vſus eſt Deus verbo fiat. Dixit Deus, *fiat lux, facta eſt lux; fiat firmamentum, fiant duo luminaria magna,* &c. Geneſ.1. num. 3. Quorſum aliæ res vna voce imperatiua, fiat, producuntur, paradiſus verò conditus narratur, mutata phraſi, verbo plantandi interpoſito, quod rationem quandam agriculturæ, ac veluti laboris innuit; creatus eſt homo à Deo, vt Dominus vniuerſi, cuius & regia ſedes illi deputabatur paradiſus, & tam intrinſecus eſt dominationis ſolio labor, ac ſolicitudo, vt etiam Deus, qui omnis fatigationis eſt expers, cum ad illud edendum amouet manus, non alia methodo, niſi aliqualem rationem operationis, ac laboris denotante vtatur, ob noſtrum magnum documentum, quaſi aliter ipſa regalis ſedes nequeat exiſtere, ac conſiſtere; niſi multis laboribus condita, illiſque conſeruata, & ita in paradiſo quem Dominus plantauerat, conſtituit hominem, vt operaretur, & cuſtodiret illum; vt ex hoc primus Parens magnum exhauriret exemplum, vt quantam ipſe curam in plantando paradiſo ab initio poſuerat, tantam, & ipſe in eodem excolendo collocaret.

Geneſ. 2. Geneſ. 1.

*Regalis ſedes labore, & ſolicitudine plena.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare Dominus, qui maximè inuigilat ſuper meſſem ſuam vult rogari pro mittendis meſſoribus?*

RESPONDEO, quod rogandus eſt Dominus, non quod ipſi non ſit meſſis curæ; quis enim magis amat homines, quàm ipſe; multis ergo de cauſis vult rogari. Primò, vt ait Chryſoſt. homil.33. in Matth. *Orate,* inquit, *Dominum meſſis, hic ſignanter magnitudinem doni oſtendit*; nam ingens populo donum eſt paſtores, ſiue operarios habere, quales decet; deinde etiam ipſis prædicatoribus magnum eſt donum, vt ad officium Chriſtum annunciandi aſſumantur à Deo, & ideo ad hoc ſignificandum docet, quod precibus à Deo ſolùm eſt impetrandum, & poſtulandum. 65.

D. Chryſoſt. *Munus prædicandi magnum donũ.*

Secundò, Abulenſ. cap. 10. Matth. quæſt. 10. Docet rogandum eſſe tam pro prælatis, vt Deus illis virtutem, ac efficaciam det, ad ſuum munus rectè exequendum, vt bonum fructum ex prædicatione ſua colligant; quam etiam rogandum eſt pro illis, ne ex noſtris demeritis ſubtrahatur eiſdem gratia prædicandi; quod interdum fit, vt docet D.Gregor. relatus ab eodem Abulenſ. & ideo ſæpè ex ſubiectorum culpa torpeſcit lingua ſuperioris, ne eis digna, ac neceſſaria dicat, & clam eſt. 66.

Abulenſis. *Sepè ex demeritis auditorum frigeſcit lingua prædicatoris.*

Tertiò Euthym. in cap. 9. Matth. *Rogate,* inquit, *non quaſi ei opus ſit, vt illi obſecrent, ſed vt diſcipulos inſtruat, vt Deum pro errantibus deprecentur*; vt eis mittat prædicatores, ac doctores, qui eos valeant illuminare, quod eſt magnum beneficium. Quartò D. Thom. in cap.10. Matth. Rogate Dominum meſſis. *Quando habemus defectum, debemus recurrere ad Deum.* Vt ipſe de conuenienti remedio prouideat; nam quamuis ipſe ſit valdè propenſus, ac promptus ad auxiliandum, tamen vult rogari, ac exorari à nobis in noſtris neceſſitatibus. 67.

Euthym. *Pro errantibus orandum.* D. Thom. *In neceſſitate ad Deũ orandum.*

Quintò, docet Dominus, vt rogetur, vt nobis accumulet meritum; tum dum pro proximorum ſalute oramus, vt eis Dominus det Doctores ad illuminationem; tum etiam vt hac voce audita, Rogate Dominum meſſis, vt mittat, &c. Diſcipuli ſtimularentur, vt offerrent ſeſe Chriſto ad operandum in hac meſſe, dicántque cum Iſaia cap.6. num. 8. *Ecce ego mitte me.* Cur Dominus vult vt ad prædicandum, ac populum docendum propheta ſeſe vltro exhibeat? Cur imperatiuè ipſum non mandat? D. Ambr. in Pſalm.11. ſerm.14. *Vtique, ait, ſeruulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat, ſed maluit eum ſpontaneæ oblationis non fraudari mercede, qui vt ipſe ſe offerret præſtolatus eſt, & quamuis eius ſciret affectum, expoſtulauit tamen vocem, vt gratia cumularet.* 68.

*Deus nobis præbet merẽdi occaſiones.* Iſai. 6. D. Ambroſ.

*Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum, en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Cant.2. n.9. Attractus voce ſponſæ, ab ipſaque vocatus tam celeriter deſcendit Dominus ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Sed cur ipſe tam vehementer cupiens ſponſæ præſentiam, ſtat poſt parietem? Cur ſtatim eius obtutibus ſe non exhibet? An delectabatur Deus magis in pariete, quàm in dilectiſſimæ ſponſæ ſuæ facie? minimè ſanè; cur ergo moram facit poſt parietem? tales moras trahit pro ſingulari benignitate erga ſponſam, vt ex appropinquatione ſponſi occaſio illi præberetur, vt in maiores, ac maiores charitatis affectus prorumperet, quibus magis, ac magis in maiori meritorum cumulo excreſceret. Fauet Origenes homil.3. ex quatuor. *Præueniens ſponſus, ait, ad parietem domus, in qua amore eius æſtuat ſponſa, ſtat paululum poſt ipſum. Iam verò ipſe ſentiens aliquid amoris, vſus altitudine ſua, quæ tangit vſque ad domus feneſtras; inde proſpiciens alloquitur ſponſam; ſurge veni proxima mea.* 69.

Cant. 2.



*Deus intentat noſtrum meritum.* Origen.

70. *Apparuerunt Abrahamo tres viri ſtantes prope eum.* Geneſ.18. num.2. Tres ſunt Angeli, qui veniunt ad Abraham, ex eis vt eſt communis ſententia vnus aderat, vt Saræ conceptum denunciaret, alij verò duo vt Sodomam ſubuerterent, ad quid ergo omnes tres veniunt ad Abrahamum, cum ex illis vnus tantùm optatam prolem erat polliciturus, alij ad Sodomam pergebant, omnes tamen diuertunt ad Abraham. Guilliel. Pipinus. *Propter, ait, augmentum meriti ſui, plus enim meruit, cæteris paribus, tres peregrinos reficientes, quàm vnum.*

Geneſ.18. *Deus præbet nobis occaſiones merendi.*

*Lucæ* 10. *n.* 3. Ite: ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.

### *VERSIONES.*

*Vatablus.* Abite: ecce ego.
*Syriacus.* Mitto vos ſicut oues inter lupos.
*Pagnin. Arias.* Sicut agnos in medio luporum.

### *EXPOSITIO III.*

71. ITE. Tanquam rogatus Dominus à ſuis mittit, ac delegat operarios iſtos. *Ecce.* Rem quandam denotat. *Ego mitto vos.* Signanter dicit, Ego, qui ſum Deus, Filius naturalis Dei, qui vos ſummè diligo. De periculis euenturis eos admonet, vt ſciant, quæ onera, illis imponuntur quantíſque ſe exponant, in ipſa miſſione, quam ſuſcipiunt. Deinde, vt cautiores reddat, vt ait Theophylactus. *Prædicit eis perſecutiones, ne ſi repentè, in talia inciderent, magis turbarentur.* Cautè enim agit qui pericula præuidet; & cum ait, *ego mitto vos*; ſecuros, ac animoſiores reddit; his enim innuit, quod certò ſciant ſe eis auxiliaturum, ipſe enim, qui futura pericula prænoſcit, non mittit ſuos vt eos deſerat, ſed vt eis opem, ac adiuuamen ferat: & ita inter tot aduerſa ſecuro animo ſint.

*Cum munere explicatur illius onus.* Theophyl. *Præſcientia periculi dat cautelam.*

72. *Sicut agnos*, hoc eſt ſimiles agnis, humiles, manſueti, inermes, innoxij, ac ſimplices, *inter lupos* Scribas, ac Phariſæos interpretatur Beda, Gentiles verò Carthuſianus, qui vt lupi, inimici, feroces, ac cupidi veſtri ſanguinis vobis occurrent. Rectè notat, Caietan. *Verè præparatos ad martyrium oportet eſſe eos, qui à Chriſto mittuntur prædicandum.* Sed quibus præſidiis imbelles agnos inter feroces lupos armauit: Primò charitate, ac concordia, quæ in binario numero deſignatur; binos enim mittit; ſecundò manſuetudine, dum eos agnis comparat; tertiò paupertate, ac rerum contemptu, dum eos ſine ſacculo, & pera delegat.

Beda. Carthuſ. Caiet.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Apoſtoli cum mittuntur dicuntur oues, diſcipuli verò agni.*

SVPRA cap.8. quæſt.2. latè per varias rationes explicaui, cur Domini diſcipuli dicantur, oues, ſeu agni, ibi dicta videnda. Nunc verò præſens quæſtio inquirit. Cur quando Dominus ſuos Apoſtolos ad prædicandum delegauit, eos oues appellauit? *Ego mitto vos ſicut oues.* Matth. 10. num.16. Diſcipulos verò hic mittens agnos dicit; cuius diuerſitatis rationem in præſenti inquirimus. 73.

*Difficultas quæſtionis.* Matth. 10.

Primò, reſpondet Toletus annot.6. cauſam, cur vni dicantur oues, alij agni inueſtigandam eſſe ex eis ad quos miſſi ſunt: Nam Apoſtoli deſtinantur ad prædicandum in Galilæa, diſcipuli verò ad docendum in Iudæa. Iudæi enim valdè infenſi erant Chriſto, ipſum maximè perſequebantur, contra verò Galilæis erat valdè acceptus, ſecuriúſque apud eos verſabatur. Sic dicitur Ioan.7. n.1. *Ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Et iterum Ioann. 11. *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: eamus in Iudæam iterum; dicunt ei diſcipuli: Rabbi; nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus nonne duodecim horæ ſunt diei.* Hinc conſequitur miſſionem Diſcipulorum fuiſſe multo periculoſiorem, illa quæ fuit Apoſtolorum; & ideo Diſcipulos ſuos admonuit. *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos*, non autem Apoſtolos, qui tunc parum, aut nihil periculi ſubibant. Ita Toletus. 74.

Tolet. Ioan. 7. Ioan. 11. *Agni dicti ob maius periculum.*

Sed contra hanc expoſitionem, grauiter vrget ipſe textus Matth. nam mittens Apoſtolos in Galilæam dixit eis; mitto vos ſicut oues inter lupos ſcilicet feroces, & crudeles, & ſtatim denunciat eis grauiſſimas perſecutiones: *In ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*; ergo tantùm periculi erat in vna miſſione, ac in altera; nec refert id quod dicit Toletus, quod illa in textu Matth. referuntur ad miſſionem poſt reſurrectionem, non obſtat inquam, quia in tam grauiſſima perſecutione, qualis poſt reſurrectionem erat futura, Apoſtoli non dicuntur agni, vt hic diſcipuli, ſed oues. 75.

*Difficultas contra prædictam ſententiam.* Tolet.

Secundò Abulenſ. in cap. 10. Matth. 9. quæſt. 92. quòd Chriſtus Dominus vnum eorum dixit, quia tamen Euangeliſtæ, vt notat D. Auguſt. de conſenſu Euangel. non attendunt principaliter ad verba, ſed ad verborum ſenſum, inde fit quod aliquando vnus omittit aliqua verba, & ponit alia æquiualentia, cum tamen ſemper mutatis verbis maneat eadem ſententia; Chriſtus Dominus autem voluit ſignificare, quod mittebat Apoſtolos ſuos, ſeu diſcipulos inermes, nulli vim inferre potentes, & à quolibet facilè paſſuros, potuit ergo Chriſtus Dominus nominare oues, vel agnos vtrumque enim eſt valdè innocens ſine murmuratione patiens. Iſai.35. Ergo quamuis vnum eorum dixiſſet, non refert, quod alterum ponatur, cum ſemper in his verbis maneat eadem ſententia, 76.

Abulenſ. D. Auguſt. *In iiſdem verbis eadem ſententia.*

&

Hugo. Syriacus. & idem ſenſus intentus. In hoc etiam dicendi modò eſt Cardinalis Hugo, ait enim quod parum differt vnum ab altero. Syriacus hic habet, *mitto vos ſicut oues*, in Græco idem nomen ſignificat agnum, & ouem, vt patet ex eius anagrammatiſmo, & notat Guilielm. Blancus Albienſis lib. de anagrammatiſmis.

77. Euthym. Tertiò Euthymius. *Poterit quiſpiam*, ait, *hoc loco dicere, quod duodecim appellauit oues, tanquam perfectiores, ſeptuaginta verò agnos, tanquam tenuiores.* Quartò reſpődeo, quod Apoſtolos dicit oues, diſcipulos verò agnos, oues enim matres ſunt agnorum, ſic & Epiſcopi parentes Presbyterorum, ac aliorum fidelium; Apoſtoli repræſentabant Epiſcopos, diſcipuli verò Presbyteros, vt iam retuli ex Anacleto, ac Zepherino ſummis Pontificibus quæſt. 1. & in hoc ſenſu agni, & oues ſumuntur in ſcriptura. Poſt reſurrectionem Chriſtus Dominus tradens Petro regimen ſuæ Eccleſiæ, ait ei ſemel, & iterum: *Paſce agnos meos.* Tandem tertiò dixit ei. *Paſce oues meas.* Ioan. 21. num. 17. Quærunt interpretes cur primò dicit agnos, poſtea oues: Reſpondent, quod per oues intelligit Prælatos, ac Epiſcopos Eccleſiæ, qui ſunt veluti matres aliorum fidelium, & idem fuit dicere Petro, Paſce agnos meos, oues meas, ac ei dicere, paſce ſubditos, & Prælatos, inferiores, ac ſuperiores Eccleſiæ meæ, vt ibi explicant Toletus, Cornelius, & alij: ad hunc ergo ſenſum Apoſtolos vt Epiſcopos appellauit oues, tanquam matres aliorum fidelium, quos per agnos ſignificauit.

*Epiſcopi ſunt tanquã aliorum parentes.*

Ioan. 21.

Toler. Cornel.

78. Iſai. 53. Quintò, vt Propheta Iſaias 53. num. 7. Chriſti patientiam, manſuetudinem, ac modeſtiam denotaret, cum appellat ouem, & agnum: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Suis ergo nominibus Chriſtus Dominus ſuos voluit etiam inſignire, ac condecorare, vt tali ſui ſymbolo, ac figura eis maximè commendaret patientiam, ac manſuetudinem, veluti ſi diceret; ego, qui ſum mitis veluti ouis, ſicut etiam oues mitto vos; & ego qui ſum inſtar agni, tanquam agnos delego vos, & quia primò dictus eſt ouis, ſecundò agnus, quos primos deſtinauit vocauit oues, ſecundos verò agnos.

*Chriſtus ſuis nominibus ſuos inſigniuit.*

79. Mittebat Dominus ſuos diſcipulos cum magna iuriſdictione ſuper gentes, ac authoritate edendi miracula, & mirabilia, *curate infirmos*, infrà n. 9. Et tamen eis præſenti documento maximè commendat patientiam, inter feroces, ac rapaces lupos, qui nil aliud intendebant niſi eos mactare, ac dilaniare, de quo alias rationes iam dedi ſuprà cap. 8. quæſt. 2. vt eorum diuina poteſtas ab ipſo Chriſto data, potius pateſieret, ac demonſtraretur, patientia, quàm imperio, ac dominatione, illius enim magnus index ſufferentia eſt.

*Diuina poteſtas potiùs declaranda patientia, quàm imperio.*

80. Exod. 7. Ait Deus Moyſi *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,* Exod. 7. num. 1. Sed cur Moyſes non dicitur conſtitutus Deus elementorum, ſed Pharaonis; nam ſuper elementa quadam diuina poteſtate eminuit. Aquas per medium diuiſit, eaſque in ſanguinem conuertit, percuſſo puluere terræ fecit ſciniphes in vniuerſa Ægypto: Aërem tenebris repleuit, ignem miſſo Aarone cum thuribulo repreſſit: & tamen, hunc, cui elementa tantam obedientiam præſtabant; Pharao catherata fronte, ac rigoroſis, incompoſitiſque verbis inſectabatur. Cur ergo non dicitur Deus potius elementorum, quàm Pharaonis? Moyſes poſitus eſt à Deo, vt elementis imperaret: ac vt Pharaonis malitiam, nequitiam, mendacia, ac opprobria in multa patientia ſuſtineret. Diuina autem poteſtas in Moyſe magis aperiebatur, ac manifeſtabatur ſufferentia malignitatis Pharaonis, quam circa elementa iuſſione, & imperio, vnde meritò conſtitutus Deus Pharaonis nuncupatur. Fauit Oleaſter. *Expende, quæſo*, ait, *quanta ſit dignitas ſancti Moyſis, quem Deus ſic euexit, vt Deum Pharaonis conſtituerit; & ſimiliter quanta ſit prudentia eius, & miſericordia, vt non eum ſtatim occideret, ſed patientia, quaſi Dei tulerit, & monuerit.* Dominus ſimul cum poteſtate dedit ſancto viro, longanimitatem, qua regem æquo animo ferret.

*Diuinitas potiùs patiẽtia quàm poteſtate manifeſtatur.*

Oleaſter.

81. Ioan. 18. Eximiæ poteſtatis ſigna Chriſtus exhibuit in horto, cum ad eius vocem *milites ceciderint retrorſum.* Ioan. 18. num. 6. tamen nullus ibi eius diuinitatem, ac ſupremam poteſtatem recognoſcit; Pendet meus Ieſus in Cruce accerbiſſimos dolores, ac crudelem mortem cum multis opprobriis ſuſtinens, ecce latro eius potentiam fatetur. *Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. num. 42. Centurio, & milites, qui cum eo erant eius diuinitatem, ac ſupremam poteſtatem recognoſcunt, *dicentes verè Filius Dei erat iſte.* Matth. 27. num. 54. Cur ergo in horto nullus ex militibus eius agnoſcit diuinam poteſtatem; cum tamen in Caluario tot illius fuerint teſtes declarati cum Centurione; dicentes. *Verè Filius Dei erat iſte.* In horto milites cadentes retrorſum ſigna eius poteſtatis ſenſerunt, & experti ſunt; in Caluario autem eius eximiam patientiam in ſufferendis tormentis, doloribus, iniuriis, ac opprobriis intuebantur, & plus eorum animos atraxit in agnitionem diuinitatis, ac dominationis eximia patientia, quàm magna poteſtas multis documentis explicata. Opitulatur D. Chryſoſt. homil. 89. in Matth. *Tanta crucifixi virtus apparuit*, ait, *vt poſt illas contumelias, poſt vituperationem, & cædem, tam Centurio, quàm populus compuncti fuerint.*

Luc. 23.

Matth. 27.

*Sufferentia diuinitatis index.*

D. Chryſoſt.

*Luc. 10. n. 4.* Nolite portare ſacculum neque peram, neque calciamenta, & neminem per viam ſalutaueritis.

### *VERSIONES.*

*Tertull. l. 4. contra Marcionem. c. 24.* Ne peram in viam ferre.

*Syriacus.* Ne portaueritis vobis marſupia, neque peras, neque calceos, & pacem vllius ne petieritis.

### *EXPOSITIO IV.*

82. INSTRVIT Bonus Magiſter ſuos qualiter ſe debeant habere in via, & multa eis hic vetat, vt abiecta cura terrenorum ſolam ſuam ſpem, ac fiduciam habeant in Deo. Sic ait Euthym. in præſenti. *Hoc interdicto iubet, vt de neceſſarijs corporis ſpem in illum habeant, qui ipſos emittit.* D. Gregorius citatus in Catena, ait, *Prædicatoris debet eſſe in Deum fiducia,*

*Spes ſolùm ponenda in Deo.*

Euthym.

D. Greg.



*cia, vt præſentis vitæ ſumptibus, quamuis non prouideat, tamen ſibi hos non defuturos certiſſimè ſciat, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus prouideat æterna.* Sic ait Dominus. *Nolite portare.* Phraſis Hebraica, id eſt, ne porteris tamen dicitur *Nolite*, vt admoneamur noſtræ libertatis ob coronam meriti. *Portare*, propriè hoc verbum ad pondus ferendum aptatur, valdè enim ponderoſa, ac grauis eſt pecunia, aurum, & argentum. *Sacculum*, hoc eſt, vt habet Syriacus *Marſupium*, ſeu *crumenam*, in quo pecunia reconditur, & ponitur, ſcribitur autem hic continens pro contento, & idem valet, ac ſi diceret: Nolite portare pecuniam Matth. 10. num. 9.

*Ex libertate meritum.*

*Diuitiæ ponderoſæ.*

Matth. 10. Syriac.

83. *Neque peram.* Vbi ſcilicet panis, & cibi geſtantur, à viatoribus. *Neque calceamenta.* Vt ita diſcipuli paupertatis argumenta præberent. Hæc eadem mandata, quæ Dominus hic dedit 72. Diſcipulis, ſuprà etiam impoſuit 12. Apoſtolis Matthæus 10. num. 9. Vtroſque enim Dominus, tam ſuperiores, quàm inferiores pari præcepto aſtrinxit, ac ad prædicandum miſit; *neminem per viam ſalutaueritis*; vt ita ſine vlla mora munus ſibi iniunctum exercerent; de his multa dixi ſuprà ad citatum locum Matth. cap. 7. quæſtione 4. 3. & 6.

Matth. 10. *Æquali præcepto ſuperiores, & inferiores Dominus aſtrinxit.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis vetat calceamenta?*

84. RESPONDEO primò, quod Dominus voluit, vt ſui diſcipuli nudis pedibus incederent; tamen illis non intercluſit ſandalia, quæ ſunt quædam ſoleæ, quæ inferiorem partem pedis ſcilicet plantam tegunt Marc. 6. num. 18. Sed tantùm eis prohibuit calciamenta, quæ integrè totum pedem contegunt; quod enim neceſſarium erat ad cuſtodiendos pedes propter ſaxoſam regionem, eis concedit, quod autem ſuperfluum, ac ad delicatum viuendi modum ſpectabat, eis intercluſit de quo latè egi ſuprà cap. 7. quæſt. 6.

Marc. 6. *Dominus neceſſaria concedit.*

85. Origenes. Secundò Origenes homil. de Elcana: *Vt pedes*, ait, *qui currebant ad annuntiandam vitam æternam, omnino careant mortalitatis indicio.* Quaſi illa eximia obedientia Chriſto exhibita; illa feruida charitas in ſalutem animarum expenſa in ſeminando Euangelio, ita eos illuſtres redderet, vt iam omni metu mortis eſſent ſuperiores, tanquam iam immortalitatis munere donati.

*Obedientia, ac charitas in prædicando facit homines morte ſuperiores.*

86. Tertull. Tertiò, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 24. *Etiam calciamenta*, ait, *portare vetuit illos, ipſe enim erat ſub quo nec in ſolitudine per tot annos populus calciamenta detriuerat.* Componit citatus Carthaginienſis Iſraëlitas pergentes in terram Promiſſionis cum calciamentis, quæ per quadraginta annos eis indiſſuta à Deo conſeruantur, cum diſcipulis nudis pedibus incedentibus: Vnuſquiſque pergat proportionatè iuxta ſuum finem, & qualis interiùs eſt animus, talis exterior facies, ac apparentia prodeat; qui ad poſſidendam terram incedit, calciamenta quæ illius ſunt ſigna aſportet, ac deferat; qui verò ad contemptum rerum mundialium docendum mittitur, talia abiiciat, vt ſicut animus in occulto ab illis omnibus eſt liber, & expeditus, ita & propalam appareat, & videatur. Quartò calciamentum mortis typus eſt, fit enim ex corio ab animali mortuo detracto. Terrenorum poſſeſſio mortem parat, illorum verò dimiſſio vitam; Qui ergo ad obtinenda temporalia accedunt, mortis ſignum ferant, quo earent, qui illa abiiciunt, & renunciant.

*Qualis animus, talis exterius homo appareat.*

*Terrena poſſeſſio mortẽ, illius abiectio vitam cauſat.*

87. D. Ambroſ. Quintò, Diuus Ambroſius ad hunc locum. *Si quem mouet*, ait, *qua ratione in Ægypto calceati iubentur edere Iudæi agnum, Apoſtoli autem ſine calceamentis ad prædicandum Euangelium diriguntur; is conſiderare debet, quia in Ægypto poſitus, debet adhuc morſus cauere ſerpentis: Multa enim venena in Ægypto: qui autem Miniſter eſt veritatis euitat venena, non trepidat.* Qui in Ægypto, ſeu mundo degit, inter venenoſos ſerpentes verſatur, ideo calceamenta aſportet, vt ab illis cuſtodiatur, qui autem Miniſter eſt veritatis Euangelicæ, ipſamet veritate eſt munitus, vt venenum euitet, & nullum timeat; ſic & Paulus inoffenſus eſt à morſu viperæ, Actorum 28. num. 4. ſícque Dominus ait ſuis. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Luc. 10. num. 19. Alias conſiderationes ex Tertulliano, S. Gaudentio inter ipſos Iſraëlitas cum calceamentis, ac diſcipulos illis abiectis. Vide ſuprà cap. 7. quæſt. 4. num. 29. & quæſt. 8. num. 40.

*Miniſter veritatis venenum non timet.*

Actor. 28.

Luc. 10.

88. Sextò, nudis pedibus in magna paupertate delegat ſuos Dominus Diſcipulos ad prædicandum, vt in hoc magnam, & ſalutarem diſciplinam habeant prælati, & concionatores, vt etiam eorum habitus, ac officium prædicationis exequantur, ac vt lingua tacente, eorum vita ſit magnum eruditionis documentum, ac valdè egregius, ac magnus prædicator. Vide tom. 2. cap. 11. num. 69.

*In prædicatore tacente lingua, vita prædicet.*

89. D. Bonau. Septimò, D. Bonauentura. *Voluit autem*, ait, *Dominus hoc diſcipulis iniungere, vt non ſolùm eſſent pauperes, verum etiam apparerent, & ad paupertatem magis exemplis, quàm verbis vocarent.* Probitas, ac virtus non ſit in intimo corde, ſed etiam in externa facie, ac apparentia debet redundare, quod maximè neceſſarium eſt in Prælato, ac prædicatore, vt ſuo exemplo alios in viam virtutis adducat.

*Virtus non ſolùm ſit in intimo, ſed etiam externa facie appareat.*

90. Cant. 7. Suæ dilectæ ſponſæ ait Dominus. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs.* Cant. 7. num. 2. Laudat in ea, vt eſt conſtans interpretum ſententia, fœcunditatem, ac virginitatem, fœcunditatem per triticum, virginitatem verò per lilia denotat; ſed cur in fœcunditate commendanda vtitur voce ſingulari, *acervus tritici.* At verò cum ad virginitatis virtutem venit pluralis nomen aſſumit *vallatus lilijs*; fœcunditas ſingularitatem habeat in effectu, ac in prole, at verò virtus pluralitatem liliorum requirit, vt vnum floreat in intimo, & aliud in exteriori redoleat; non ſufficit vnum lilium, ſed duplex exigitur, vt vnum ſit plantatum in corde, & alio externa facies redimita appareat. Perbellè Guilielmus apud Delrium: *Non dicit*, ait, *vallatus lilio, ſed lilijs propter duo lilia virginitatis, vnum intus in*

*Perfecta virtus in interiori, & exteriori nitet.*

Guilielm.

*in animi propoſito, alterum foris in corpore incorrupto.*

91. Ezech. 16.
Per Ezechielem dicitur 16. num. 8. *Iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum; ait Dominus Deus: & facta es mihi: & laui te aqua, & mundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, veſtiui te diſcoloribus, calceaui te ianthino.* Ad animam loquitur Deus, quàm inito amicitiæ fœdere eam ſumit ſibi in ſponſam, *facta es mihi*, ſcilicet ſponſa, ſeu vt legit Pagninus *facta es mea*; ſed quid inde ſequitur, quod dicatur lauata, vncta, veſtita miro ornatu, valdéque nobiliter calceata, quod etiam non ſolùm de interiori ſuppellectili animæ intelligunt interpretes, ſed etiam de exteriori apparatu, nam anima quam Deus ſibi deſponſat, ac in amicitiam aſſociat, non ſolùm interius nitet virtute, ſed etiam tanquam ex quadam ſequela exterius odorem ipſius virtutis emittit; huc tendit Clemens Romanus Epiſtol. 4. ad diſcipulos. *Bonum eſt autem* ait, *& puritati conueniens etiam corpus aqua diluere. Bonum verò dico, non quaſi principale illud, in quo mens purificatur, ſed quod ſequela ſit illius boni hoc, in quo caro diluitur.* Nota illud verbum, *ſequela ſit illius boni hoc.*

*Pagnin.* *Sequela interiorū virtutu, exterior puritas.* *Clemens.*

---

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Dominus ſuis mandat, vt neminem per viam ſalutent?*

92.
NVNQVID Chriſtus Dominus ſapientia Patris diſcipulos ſuos vult eſſe inurbanos, ac ruſticos, vt in itinere etiam ab aliquo ſalutati, eundem verbo non reſalutent, minimè ſanè hoc prohibet, ſpectat enim iſtud, ad quoddam fraternitatis genus, & Chriſtus poſt reſurrectionem in itinere ſalutauit dicens, Auete, de quo ſtatim; & Beata Virgo ſalutat Eliſabeth; quomodo ergo mandatum intelligitur.

93. D. Auguſt. D. Gregor.
Reſpondeo primò, cum D. Auguſtino ſermone 42. de ſanctis, D. Gregorio hom. 17. in Euangelia, ac alij, quod locutio eſt hyperbolica, qua Dominus vehementer exorat, & præcipit ſuis diſcipulis, vt minimè detineantur in via, nec in peculiares, ac familiares ſalutationes diuertantur, nec in vanas confabulationes, ac collocutiones diſtrahantur, ſed omni mora reiecta, omníque impedimento ſublato, ſinéque vlla cunctatione, iter ſuum conficiant, ac populis Euangelium annuntient. *Præcepit itaque illis*, vt ait Euthymius, *vt ſoli operi eis commiſſo intendant, & oblatam prædicationis occaſionem, non inſumant in ea, quæ neceſſaria non ſunt.* Oblata occaſio non eſt omittenda, ſed muneri iniuncto prædicandi eſt inhærendum, nec ab illo diſtrahendum ob confabulationes, quæ licet videantur quædam benignitatis ſigna, ob moram poſſunt verti in culpam, vt rectè ait D. Ambroſ. *Ideo autem, & honeſta prohibentur ne ſolemnis gratia obrepat officij, & impediat miniſterium, cuius mora culpa ſit.* Alludit autem hic Dominus, ad mandatum Giezi ab Eliſæo datum 4. Reg. 4. num. 29. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam non reſpondeas ei.*

*Literalis intelligentia.* Euthym. *Nulla mora interponenda in exequendo diuino mandato.* D. Ambroſ. 4. Reg. 4.

94. D. Ambr.
Secundò, idem D. Ambroſius eodem loco lib. 7. in Lucam cap. 10. *Ergo*, ait, *& hic non ſalutationis officium auferiur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur pauliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eo pulchrior, quo præceptorum maturior exequutio, diuinorum, quæ per moram ſæpe trahit offenſam.* Non vetat Dominus ſalutationes, eo quod malæ ſint, ſed ne exinde in aliquam confabulationem deſcenderent ex qua aliqua breuiſſima mora traheretur, ad præceptum ex obedientia impoſitum implendum, ſed quæ ex obedientia ſunt, ita celeriter, ac diligenter implenda, vt etiam breuiſſima morula ſit amputanda.

*Perfecta obedientia non patitur breuiſſimā morulam.*

95. D. Ambr.
Tertiò, ad ſuprà citata D. Ambroſij verba: *Ideo autem & honeſta prohibentur, ne ſolemnis gratia obrepat officij*, non negligit Dominus ſalutationis officium, tamen tam potens eſt comitatis gratia, tamque vehementer culta vrbanitas allicit, ac conciliat voluntates, vt præcaueat Chriſtus, ne ipſa obrepat, ac æqualiter Euangelij gloriam deuenuſtet, illiúſque laudem præripiat; nam ſi diſcipuli nimis vrbanitatis ſtudioſi apparerent, forſitan apud ſe aliquis ſtatueret, quod homines ſubmiſerunt colla Euangelio, magis commoti, ac attracti cultu vrbanitatis, quam efficacia, ac ſplendore Euangelicæ veritatis; vt ergo talis ficta cogitatio amputetur, & maximè abſque vllo fuco reſplendeat Chriſtiana doctrina, ſuos mandat Dominus ad prædicandum, veluti quadam ſuaſa ruſticitate, vt prætermiſſo ſalutationis officio viam ſuam peragant.

*Vrbanitas multum efficax ad atrahendas voluntates.*

96. D. Greg.
Quartò, D. Gregorius homil. 17. in Euangel. *Omnis, qui ſalutat in via, ex occaſione ſalutat itineris, non ex ſtudio optandæ eiuſdem ſalutis.* Salutationes amicitiæ ſigna ſunt, in via autem fiunt veluti ex fortuito quodam caſu, amicitiæ autem fœdera, ac optandæ ſalutis deprecationes ita in nobis ſint radicatæ, vt non caſu, ſed ex ſerio ſtudio fiant, & procedant, vt oculis ſupremæ maieſtatis maximè acceptabiles ſint.

*Amicitiæ fœdera ſint in nobis non ex fortuito, ſed ex magno ſtudio.*

97. Theophyl.
Quintò, Theophylactus, *Porrò*, ait, *quod nullum per viam ſalutent, hac de cauſa eis iniungit, vt ne occuparentur in hominum ſalutationibus, & curioſitatibus, quibus à prædicatione impedirentur:* Vetat ſalutationes, ne ex vna interrogatione in aliam deuenientes, inciderent in aliquas curioſitates, ac confabulationes, ex quibus à prædicationis munere retardarentur; grauiter obiurgandi ſunt multi magiſtri qui curioſitates, ac confabulationes criticas ſectantes in prædicatione omittunt neceſſaria ad ſalutem animarum documenta.

*Curioſitatibus non eſt implicandū, vt omittantur neceſſaria.*

98. Rupert.
Sextò, Rupertus lib. 12. in Num. cap. 19. *Reuera*, ait, *quaſi per viam ſalutant, qui verbum Dei, quod ore decantant, auditoribus proficere non deſiderant.* Obſequioſæ ſalutationes per viam, verba tantùm important, in effectu verò nil boni tribuunt, has ergo vanas mundi ſalutationes vetat Dominus in ſuis, monens eos, quod eius verba non ſint vacua, vt hominum ſalutationes, ſed plena omni effectu, ac affectu virtutis ad animas



mas lucrandas, & non ſint ſicut multi vani magiſtri, qui ita ſuos ſermones componunt, vt ſolùm de loquela oris curent, de fructu autem boni nil cogitent. Vt Sacerdos ſummus ingrederetur in Sancta Sanctorum ſic mandauit Deus, eius veſtem componere. *Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacinto, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.* Exod. 28. num. 33. Sed cur non ſolùm vult tintinnabula, ſed etiam mixta in medio mala granata; in magiſtro, ac Doctore non vult Dominus ſolùm nudum tintinnabulum vocis, ſed quod ipſa vox per cunctos greſſus ſuos ſit circumdata, & mixta malo punico charitatis, amoris, veritatis, ac zeli animarum, vt ipſas in ſalutem pertrahat. Arnoldus tract. de ſeptem verbis Domini; ad illud *conſummatum eſt*, ſic loquitur. *Ideo ingrediens in Sancta Sanctorum totum vocalem ſe debet ſummus Pontifex exhibere, & veritate verbi quaſi floribus odoriferis allicere auditores.*

*Deus non quærit in ſuis oris loquelam ſine fructu operis.* Exod. 28. *Prædicatoris verba ſint circundata charitate.* D. Arnold.

99. D. Nazian.
Septimò, D. Nazianzenus in Catena D. Thomæ: *Mandauit hoc eis*, ait, *ad Dei gloriam, ne viderentur in eis magis vigere blanditiæ.* Vetat Dominus ſuis diſcipulis ſalutationes, præcauet enim, ne in eis reperiantur aliquæ blanditiæ, ac ſermonum ſuauitates, ne ex eis ſaltem leuiter ſuſpecta redderetur veritas Euangelica; ipſa enim veritas nuda per ſe ſolùm ſufficit, non & calamiſtrato verborum fuco, nec multa compoſita oratione indiget.

*Non vult Dominus in ſuis prædicatoribus blanditias verborum.*

100.
Phariſæi audientes Chriſti mirabilia mittunt miniſtros ad ipſum comprehendendum, qui cum ad Chriſtum accederent. *In nouiſſimo die feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent.* Ioannis 7. num. 17. Quæ cum audiſſent miniſtri Phariſæorum, tantum abeſt, quod in Ieſum iniecerint manus, quin potius in admirationem rapti ſunt. *Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos, & dixerunt eis illi, quare non adduxiſtis illum. Reſponderunt miniſtri, nunquam ſic locutus eſt homo:* Sine dubio miniſtri multa audierunt à Pontificibus, ac Phariſæis aduerſus Chriſtum à Chriſto autem breuiſſima verba perceperant: *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent.* Cur ergo tam pauca Chriſti verba admirantur, eiſque fidem tribuunt, tam multiplici verò Phariſæorum colloquio, ſub quorum ſtipendiis militabant, & quorum gratiam maximè captare intendebant minimè acquieſcunt. Erat in Chriſti verbis veritas, quæ paucis eget, & ipſa ſola nuda, & inermis abſque verborum blanditiis valet de hoſtibus triumphare, D. Chryſoſtomus homilia 51. in Ioannem, ad citata verba. *Breuem Chriſti audierunt orationem, tanti enim veritas eſt, vt incorrupto animo longis ſermonibus minimè opus ſit.*

Ioan. 7. *Ipſa veritas ſine vllo verborum fuco efficax ad perſuadendum.* D. Chryſoſt.

101. Tertull.
O quàm grauiter arguendi ſunt quamplures prædicatores, qui omiſſa ſimplicitate veritatis Euangelicæ multo critico ſermone, ac magna verborum luxuria ſuas componunt conciones, potius ad demulcendas aures, quàm ad lucrandum animarum ſalutem; nam vt ait Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. 16. *Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quàm corruptor ſtylus.* In hos grauiter inuehitur D. Chryſoſtomus homil. 30. in Acta Apoſtolorum, & non veritatis præcones, ſed muſicos appellat, qui ſolùm dulcem auribus ſonum edere intendunt; ſic ait. *Floſculos verborum, & compoſitionem, & harmoniam curioſiùs ſectamur, vt canamus, non vt proſimus, vt ſimus in admiratione, non vt doceamus, vt oblectemus, non vt compungamus, vt plauſu, & laudibus obtentis abeamus, non vt mores compungamus.*

*Critici concionatores arguuntur.* D. Chryſoſt.

102. Iſai. 6. Septuag.
Ait Iſaias de ſe. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum*, cap. 6. num. 4. quæ verba ſic transferunt Septuaginta. *Miſer ego ſum, quoniam compunctus ſum, quia cum ſim homo, & immunda labia habeam, Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis.* Multi ſunt ſcriptores Canonici, Moyſes totum Pentateuchum ſcripſit, Dauid quamplures Pſalmos, Ieremias Daniel, Ezechiel, Oſeas largas prophetias nobis prædixerunt, & idem eſt de aliis prophetis, ex quibus multi fuerunt enutriti in ruſtico rure; nullus tamen ex eis ſe agnoſcit pollutum labiis, niſi ſolus Iſaias; quænam huius rei cauſa, Iſaias, vt tradunt D. Hieronymus, ac D. Thomas in prologo, & communiter expoſitores, erat valdè elegans ingenio, ac maximè expolitus ſermone; viſo autem tanto myſterio intellexit Propheta ſibi munus incumbere illud enarrare, ac prædicare. Deplorat ergo ſe pollutum labiis, vt ibi innuunt Origenes, & Hector Pintus, timens ſuam multam eloquentiam, ac venuſtatem verborum, ne inde ſibi perſuadeant homines plus illum pulcherrimus verbis dicere, quàm diuina res à ſe viſa extitit. Veretur ergo Iſaias, ne dum magnum myſterium multa eloquentia enarrat, ipſa elegantia altitudinem myſterij aliquantulum deuenuſtet, ac abſcondat. O quantoties multis verborum floribus ſinceritas veritatis apud aliquos ſuſpecta redditur, quod dixit Seneca Epiſt. 115. *Oratio ſi circuntonſa eſt, & fracta, & manufacta oſtendit rem non ſinceram, & habere aliquid fracti: non eſt ornamentum virile concinnitas.*

D. Hieron. D. Thom. Origen. Pinto. *Multa eloquentia magna myſteria ſæpè obſcurantur.*

*Lucæ 10. n. 5.* In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui.

*Num. 6.* Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem ad vos reuertetur.

### *VERSIONES.*

*Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 24.* Pax ei dicite.

*Franc. Luc. ex Græc. n. 6.* Requieſcet ſuper eam ſcilicet domum.

*Syriacus.* Sin minus pax veſtra ad vos.

*Arias.* Si verò non ad vos reuertetur.

ALTER TEXTVS.

*Matth.*10.*n.*12. Intrantes autem domum, ſalutate eam, dicentes pax huic domui.

*Num.* 13. Et ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuprà eam, ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos.

## *EXPOSITIO V.*

103. Caiet. PROHIBVIT ſupra Dominus, vt notat Caietan. in via ſalutationes, vanas, & quæ poterant impedire curſum ad quem deſtinabantur Diſcipuli; Præcepit autem hic in ingreſſu domus ſalutare, vtpote congruum loco, & hoſpitibus. *In quancunque domum intraueritis*, ſiue principis, & magni, ſiue infimi, & plebei, eandem methodum, eandemque faciem vult Dominus in ſuis miniſtris erga omnes. *Primum* ſcilicet ante omnia, *Dicite pax huic domui*; id eſt commorantibus in domo; hæc autem ſalutandi formula valdè familiaris erat Hebræis, vt notat D. Hieronymus in cap. 10. Matth. à qua communi conſuetudine noluit Dominus, vt ſui diſcederent. Sub pace autem intelligitur hic deprecatio omnis boni, vt notat Abulenſ. cap. 10. Matth. quæſt. 75. In pace omnia bona recapitulantur; & licet Hebræi ſub pace bona temporalia intelligerent; tamen Chriſtus Dominus ſpiritualia ſcilicet gratiam, reconciliationem cum Deo, gloriam, & felicitatem æternam prænotabat; hanc enim pacem ipſe tulit in terram; vnde ipſo nato, cantarunt Angeli. *In terra pax hominibus*. Luc. 2. n. 14. & hanc ſalutandi formam ſemper Chriſtus tenuit. Luc. 24. n. 36. & Ioan. 20. num. 19. quam & diſcipulis ſuis hic dedit.

*Miniſtri Dei æquales ad omnes.*

D. Hieron.

*Dei Miniſtri non diſcedũt à communi cõſuetudine.*

Luc. 2.

Luc. 24.

104. 2. Reg. 12. *Si autem ibi fuerit filius pacis*, id eſt pace dignus, vt filius mortis, id eſt morte dignus 2. Regum 12. num. 5. ſignificatur quod ſi fuerit talis dignus pacis Euangelicæ, non contentioſus, ſed amicus veritatis, ac ſuæ ſalutis cupidus: *Requieſcet ſuper illum pax veſtra*. Matthæus poſuit. *Veniet pax veſtra*; hoc eſt diffuſa erit ſuper eum, & ei proderit ad ſalutem; nam vt ait D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. Apoſtolorum ſalutatio non nuda, & verbalis erat, ſed etiam realis, conferens benedictionem, gratiam, & ſalutem ſuper illum; in Græco vt notat Franciſcus Lucas, hoc nomen, *illum*, legi poteſt in maſculino, ac fœminino, ſuper illam ſcilicet domum, vt habet D. Matthæus, perpende quantum bonum ex recto, ac probo habitatore locus obtineat.

D. Chryſoſt.

Luc Burg. *Ex bono habitatore locus multum obtinet.*

105. D. Hieron. D. Remig. Caietanus. Tolet. *Ad vos reuertetur*, ſcilicet pax veſtra. In hac re duplex eſt celebris explicatio. Prima D. Hieronymi, in cap. 10. Matth. & ibi Remigius, Caietanus, & Toletus hic, qui explicant quod ad meritum, quaſi hoc ſit eis dictum pro illorum conſolatione, quia non perdiderunt meritum ſalutationis, quamuis non comparauerint fructum; nam vt notat D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. ſæpè magiſtri à ſuis diſcipulis, ac auditoribus non ſalutantur, ſed multa mala perpetiuntur, & ideo ergo hic conſolantur; ſiue enim prædicatio proſit, ſiue non proſit auditoribus, ſemper tamen ipſi concionatores ſuam lucrantur mercedem apud Deum. Tamen in hoc dicendi modo illud ingerit difficultatem, quod meritum propriè non redit, ſed ſemper manet apud ſalutantem, quamuis indignus ſit ſalutatus.

D. Chryſoſt. *Prædicatoribus ſemper ſecura eſt ſua merces.*

Secundò. *Ad vos reuertetur*; ac ſi dicatur, ſi ipſi domorum habitatores veſtram pacem, veſtrámque bonam deprecationem non receperint, non inde ipſa pax repulſa læditur, ſed integra reuertitur ad vos, voſque ad alios hoſpites deducet, vt ibi gratiores ſitis, & valdè beneuolè vos accipient, veſtrámque doctrinam recipient, & videtur quod Chriſtus hic alludit ad Pſalm. 34. num. 12. & 13. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, &c. *Et oratio mea in ſinu meo conuertetur*, id eſt oratio mea fuſa pro inimicis meis, quæ ob eorum malitiam eis non profuit ad me reuerſa eſt, mihíque profuit. 106.

Pſalm. 34.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare cum Dominus ſuis dederit poteſtatem communicandi pacem, non dederit eis ſignum, quo dignus ab indignis illius agnoſcatur.*

CONCEDIT Chriſtus Dominus poteſtatem ſuis Apoſtolis communicandi pacem, & ſtatim eos aduertit fieri poſſe, vt ille cui pax apoſtolica confertur, minimè illius ſit dignus. Conditionatè loquitur Chriſtus de ipſis hominibus, quibus pacis imprecatio erat danda; *ſi ibi fuerit filius pacis requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem ad vos reuertetur*. Et idem clariſſimè habetur in appoſito textu Matthæi vbi manifeſtè ſupponitur, quod aliquis dari poteſt illius indignus, & incapax. In quæſtionem ergo vocamus, ſicut Dominus dedit ſuis poteſtatem faciendi miracula, ac conferendi pacem, cur etiam non dedit eis ſignum, ac perſpicaciam intuitionis, vt aſſertiuè cognoſcerent, quis nam eſſet filius pacis, ac illius dignus. 107.

*Ratio difficultatis.*

Ad quæſtionem reſpondet Euthymius in cap. 10. Matthæi. *Vide*, ait, *quod non dederit eis præcognitionem digni, aut indigni, vt re maximè neceſſaria deſtituti, ſeſe deprimant tanquam imperfecti.* Multa, & illuſtria communicat Dominus ſuis, tamen præcognitionem digni ab indigno eis denegat, vt habeant vnde ſe ſubmittant, ac in humilitate contineant: maximè vult Dominus in ſuis humilitatis ſtudium, & quia ex multis donis ſolent aliquando venire pericula vanitatis, ideo hanc cognitionem ſuis non concedit Dominus, vt inde inter tanta magnalia eis præparetur occaſio, vt ſe deprimant, & in aliquam inanem iactantiam non ruant. 108.

Euthym.

*Deus dat ſuis occaſiones humilitatis.*

Cum totus orbis magna premeretur fame deſcendit Abraham in Ægyptum, & cum prope eſſet ad illius ingreſſum. *Dixit Sarai vxori ſuæ, noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij dicturi ſunt vxor illius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt.* Geneſ. 12. num. 12. Abrahamus magno Dei ſpiritu erat ditatus ex eius iuſſu hoc iter eſt aggreſſus, multas, & magnas promiſſiones à Deo acceperat, vt in toto ipſo c. 12. 109.

Geneſ. 12.



continentur: Dixit ei Deus, *faciámque te in gentem magnam, magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus, in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*; & iterum, *ſemini tuo dabo terram hanc.* Quomodo ergo tanto timore concutitur? Alta diuina diſpenſatione inter tanta magnalia talis timor ei accidit, vt recognoſcens ſuam imbecillitatem humiliaretur, ne in lapſum alicuius vanitatis irrueret. Procopius. *Ne tam*, ait, *miraculoſi operis magnitudo eum inſolentem redderet gratia Dei metum indidit ei, vt ſuam imbecillitatem agnoſceret.*

*Inter magnalia vult Deus in nobis humilitatem.*

Procop.

110. Geneſ. 1. Poſtquam producta fuerunt cuncta animantia, creatíſque primis parentibus, ait eis Deus. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent ſemen generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, & vniuerſis, quæ mouentur in terra.* Geneſ. 1. num. 29. Homo conſtitutus eſt à Deo Dominus, ac princeps totius orbis, *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & animantibus terræ.* Cur tam ampliſſimo regi, ac potentiſſimo Dominatori, excellentiores, ac delicatiores cibi non prouidentur, ſed communiter cum cæteris animantibus, etiam valdè vilibus, fructus terræ dantur in alimentum, vt in tanto rerum apice ipſe homo obtineret motiuum, vt ſuam vilitatem agnoſceret, ac ſe in humilitatem contraheret, Thomas Anglicus. *Ratio*, ait, *quare Deus voluit, vt homo, & animalia cibos haberent communes, fuit, quia voluit ei dare occaſionem ſuæ humilitatis, ne nimis ſuperbiret de conſideratione ſuæ prælationis, & dignitatis.*

*Deus nobis dat excitamenta ad humilitatẽ.*

Anglic.

*Lucæ* 10. *n.*7. In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* In eadem autem ipſa domo eſtote edentes, & bibentes, ex iis, quæ ipſi habuerint.

*Græcus.* Quæ ab illis proponuntur.

*Vatablus.* Et bibentes, quæ dantur ab illis, dignus eſt enim operarius mercede ſua, & ne tranſeatis de domo alia in aliam.

## *EXPOSITIO VI.*

111. IN ſuperioribus Dominus ſolicitudinem de victu ſuis diſcipulis prohibuit; nunc verò ex quibus ſtipendiis viuere debeant, oſtendit; nimirum ab eis, quorum ſalutem operantur, dicens, *in eadem autem domo.* In qua recepti eſtis, & in qua eſt filius pacis, ac ſuper quem pax veſtra requieſcet *manete*, id eſt ibi hoſpitemini, ac habitaculum habete; non eſt ſenſus horum verborum, quod Dominus præcipiat ſuis diſcipulis, ne ſeparemini, ſeu manete bini, vt miſſi eſtis, vt explicant Caietan. nam Græcus legit, *in eadem ipſa domo*, ſcilicet filij pacis ad quem refertur, qui vos receperit, ſed tantum hac ſententia exprimitur quod habitaculum non mutent, vt ſtatim magis explicatur, nolite tranſire de domo in domum, & ſubditur. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt.* Docet eos, vt ea quæ eis offeruntur comedant, ſic ait Theophylactus, *comedite, quæ proponuntur vobis, etiamſi vilia, & parua ſint*; quod magis explicans Euthymius rectè, ait, *Edere, ac bibere permiſit quæ ab illis porriguntur, non ſimpliciter, ſed ſicut diſcipulos ſuos decebat, hoc enim ipſis notum erat*; quod tantùm ſcilicet cibis eſſent contenti, qui ad corporis neceſſitatem ſufficiebant, & non ad vitæ delicias ſpectabant, quod debent concionatores imitari.

Græcus. Caiet.

Theophyl.

Euthym.

*Vt Chriſti diſcipuli ſe habeant.*

*Dignus eſt operarius mercede ſua.* Reddit Dominus rationem præcedentis ſententiæ ſcilicet manete edentes, & bibentes, dignus eſt enim operarius mecede ſua; digni enim eſtis, vt ab his alimenta comparetis apud quos ſalutem animæ operamini; & dicitur merces, non quaſi ipſa ſuſtentatio corporalis, ſit æquiualens remuneratio, ac pretium excellentiſſimi miniſterij prędicationis Euangelicæ, quæ longè ſuperat omne terrenum pretium, nam de prædicatoribus ait D. Auguſtin. Pſalm. 103. *Quid accipiunt? dant ſpiritualia, accipiunt carnalia, dant aurum, accipiunt fœnum.* Significat ergo Saluator, quod huiuſmodi cibus corporalis, non datur eis, vt donum, ſed vt debitum, non vt gratia, ſed vt merces; non primaria, ſed ſecundaria, nam præcipua ſunt ſpiritualia dona, ac fœlicitas æternæ patriæ. *Nolite tranſire de domo in domum.* Mutandi ſcilicet hoſpitij cauſa, quod intelligitur, facile, & ſine vrgenti ratione, quod ſupra iam dixerat. *Manete in eadem domo.* & nunc magis explicat; de quo quæſt. 16. 112.

D. Auguſt.

*Primariæ merces prædicationis ſpiritualia dona.*

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Chriſtus hic ponit hanc ſententiam, dignus eſt operarius mercede ſua?*

RESPONDEO Primò, quòd Dominus mittebat hic ſuos ſine pera, & ſacculo, ac neceſſariis, ne ipſi putarent, ſe exinde eſſe perituros non habentes vnde ſibi prouiderent, Dixit *dignus eſt operarius mercede ſua.* Ac ſi dicat, ne cogitetis, quod vobis deerit aliquid, nam officium veſtræ prædicationis vobis omnia miniſtrabit. Sic ait D. Gregor. homil. 17. in Euangelia: *Qui peram, & ſacculum portare prohibuit, ſumptus, & alimenta ex prædicatione concedit: Dignum eſt enim, vt ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus, & patriæ cæleſtis præmia offerimus.* Idem docent D. Auguſtin. lib. 2. de conſenſu Euang cap. 30. D. Remig. Albertus Magnus S. Thom. in cap. 10. Matth. & notanter vtitur Dominus voce operarij: nullus eſt enim tam vilis operarius, qui loco mercedis ſuum cibum non mereatur; quanto magis vos ó Diſcipuli mei, ac ſi dicat Chriſtus, qui vos metipſos exhibetis ad ſalutem æternam anima- 113.

D. Gregor. *Suſtentatio temporalis debita prædicatoribus.*

D. Auguſt. D Remig. Albert. Mag. D. Thom.

1 Cor. 9.

ruro promerebimini veſtrum alimentum. Vnde dicebat Paulus 1.Corinth.9. num.11. ſi nos ſpiritualia ſeminauimus: magnumeſt ſi nos carnalia veſtra metamus.

114. D. Paſchaſ. Matth. 9.

Secundò D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. facit combinationem huius loci cum illo Matth. 10. num. 8. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Sic Magnus Pater ait: *Quæritur quomodo gratis dare debeant, quod gratis acceperunt, ſi dignus eſt operarius mercede ſua, & ex hac mercede ſumptus vitæ neceſſarios licet accipere à ſuis auditoribus. Quod ita ſoluitur. Aliud eſt enim pro mercede lucri, verbi myſteria impendere, commoda præſentis vitæ hinc requirere: aliud victum vix neceſſarium, & illud non vt viuamus tantùm, ſed vt liberè prædicare poſſimus, accipere. Quæ licet iam de mercede ſint operis, tamen euangelij ſint lucra; & ideo iuſtum eſt ab eis accipere ſtipendia ſumptus, quibus offerimus, cœleſtis vitæ præmia; quoniam hæc interdum Euangelizandi gratia nobis ſunt neceſſaria. Vnde ſint iſta neceſſitate prædicatoribus conceſſa, non lucri cauſa quæſita.* Cœleſtis doctrina gratis datur iuxta Domini præceptum, tamen licet pro mercede alimenta accipere ab auditoribus, non lucri, ac commoditatis gratia, ſed pro neceſſitatis corporeæ cauſa, vt prædicare valeamus, vt etiam docet D. Gregor. homil. 17. in Euangelio: vel moraliter dic, quod pro prædicatione licet accipere ſuſtentationis mercedem, tamen gratis datur, tantum enim opus eſt, prædicatio, tantúſque illius labor, vt talis merces illius comparatione pro nihilo habeatur.

*Licitum eſt prædicatori accipere alimenta.*

D. Gregor. *Tantus prædicationis labor, vt communis terrena merces ſit nihil.*

115. D. Chryſoſt.

Tertiò, D. Chryſoſtom. homil. 33. in Matth. *Vnde perſpicuum ſit ipſos eſſe alendos*, ait, ſcilicet ab auditoribus; *ne aut ipſi aduerſus eos, quos docebant, quaſi omnia præbentes, & nihil viciſſim accipientes inſurgerent, aut illi, qui audierunt, quaſi neglecti, atque ſpreti diſcederent*; mandat eos ſine ſacculo, & pera, ad amputandam ſuperbiendi occaſionem, nam ſi diſcipuli prædicarent, atque infirmos curarent, in aliquam elationem deuenire poterant, tanquam ſi eſſent aliquid magnum omnia dantes, & nullo indigentes, quod ad ſolum Deum ſpectat. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Cæteri enim Domini à ſubditis ſuis multa recipiunt, ſicque voluit Dominus, vt diſcipuli ab auditoribus neceſſaria acciperent, vt ita quandam neceſſitudinem inter ſe tanquam fratres recognoſcerent; & in hoc etiam auditores obtinerent, quandam conſolationem, cum viderent, ſua dona non contemni à diſcipulis, à quibus tanta bona accipiebant.

*Solus Deus nullius indiget.*

116. D. Chryſoſt.

Quartò pergit citatus Chryſoſtomus. *Dignus eſt operarius cibo ſuo, dixit; nec eos pudeat, qui quaſi mendicando viuere ipſos volebat, operarios vocauit, & quod eis debebatur mercedem appellauit, vt rem debitam dari ſibi oſtenderet.* Deſtinabat Dominus ſuos diſcipulos ad prædicationem ſine neceſſariis ad ſuſtentationem vitæ, ac proinde oportebat eos mendicare, graue autem eſt petere, mendicare, ac ex aliorum donis viuere, & ideo ad hoc ſubleuandum dixit, quod erant operarij digni mercede ſua, ac proinde quod illis conferebatur non erat gratis datum, nec liberaliter acceptum, ſed tanquam debitum comparatum propter officium; nam vtpote operarij, quæ ſua erant, exigebant. Vide ſupra cap.11. num.19. 20. & 21.

*Petere ab alio valdè graue viro probo.*

Quintò, hæc Dominus dicebat ſuis, quod digni erant ſua mercede, ita vt comederent, & biberent ea, quæ eis apponerentur, in quo, vt iam in expoſitione notaui ex Euthymio, diſpoſuit vt tanquam diſcipuli eius ſe haberent, cum modeſtia, paupertate, ac rerum contemptu; vnde mittens Apoſtolos Matth. 10. num. 8. dicebat eis. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Per cibum autem vt ibi docet Abulenſis quæſt. 64. intelliguntur ea, quæ ſunt neceſſaria, tam ad victum, quàm ad veſtitum, hæc enim ſolùm volebat Dominus in ſuis diſcipulis, prædicatoribus, ac Eccleſiæ paſtoribus, & quod nil aliud exigerent à ſuis ouibus, & auditoribus. 117.

Matth. 10. Abulenſis.

Ad hoc transferri poteſt ſententia ſapientis. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Prouerb. 27. num. 27. Notat ibi Ianſenius, quod ſapiens tribuit in cibos, non agnos, nec hœdos, ſed lac, quod ſuauiter, & dulciter mulgitur, dicam etiam datur in cibos lac, non ſanguis, nec ipſa caro. Vnde ait, Salazar ibi, quod *Salomon ſuadet regibus, vt mulgeant quidem ſubditos, tributa iuſta ab illis expaſcentes, ne tamen ipſos ſeuerius cædant, ne ſcilicet exuta humanitate in ipſos ſæui, & crudeles ſint.* Vnde dicitur Prouerbiorum 30. num. 34. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem*; & quid inde ſequitur, niſi vt oues pereant, & paſtor ab illis deſtitutus maneat. 118.

Prouerb. 27. *Reges velint à ſubditis lac, & non ſanguinem.* Ianſen. Salazar.

Prouerb. 30.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Dominus ſuis præcipit, vt non tranſeant de domo in domum?*

SVis mandat Dominus, non tranſire de domo in domum: quod non intelligitur, quando per multum, & diuturnum tempus in vno loco detinentur; quia tunc charitas, & prudentia ſuadet, hoſpitium commutare, ne nimis hoſpites grauentur; vel quando alia iuſta, & rationabilis interuenit migrandi cauſa. Nam Paulus Actor. 18. num. 7. ob prudentiſſima motiua de domo Aquilæ in Titi domum tranſiuit; vt ibi ex Chryſoſtomo, ac Lyrano ponderat Lorinus. Prohibetur ergo hic frequens, & voluntarius ſine recta cauſa, vel neceſſitate tranſitus. Huius autem mandati rationes præſens quæſtio inquirit. 119.

*Non eſt trãſeundum de domo in domum ſine iuſta cauſa.*

Actor. 18. Chryſoſt. Lyran. Lorin.

Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. Beda, ac D. Paſchaſius in cap. 10. Matth. Victor Antiochenus in cap. 6. Marci, & D. Bonauentura in Lucam hoc loco. Quod Dominus præcipit diſcipulis, manere in eadem domo, ne hoſpitium mutantes, ipſi leues, & inconſtantes appareant. Magni eſt animi, in vno loco quieſcere, ac ſtare. Eccleſiaſtes 10. num. 4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcendit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.* Eccleſiaſt. 11. num. 22. *Confide in Deo, & mane in loco tuo.* Qui enim de ſuo loco migrat, multis ſe exponit periculis. Prouerb. 27. n. 8. dicitur: *Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui relinquit locum ſuum.* Vt ibi notant Expoſito- 120.

D. Chryſoſt. Beda. D. Paſchaſ. D. Bonau. Vict. Antioc. *Inconſtantiæ nota fugienda.* Eccleſ. 10. Eccleſ. 11.

Prouerb. 27.



ſitores, ſicut auis, exiens à nido ſuo, in pullis ſuis accipit damna; ſic & homo, relinquens locum ſuum, in propriis bonis detrimenta ſuſtinet multa.

121. *Amicitia non facilè reſcindenda.*

Secundò, Vetatur huiuſmodi tranſmigratio, ne viderentur Diſcipuli, facilè reſcindere, ac ſoluere initam cum priori hoſpite amicitiam; ideoque in talis amicitiæ, ac hoſpitalitatis gratiam ordinat, vt ibi perſiſtant, atque permaneant. Pulchrè D. Ambroſius hoc loco. *Ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret: vt ſeruemus etiam hoſpitalitati in amore conſtantiam; ne coalitam amicitiæ neceſſitudinem facilè reſoluamus.*

D. Ambroſ.

122. *Hoſpes non contriſtandus.* D. Ambroſ.

Tertiò, Ne ſuum hoſpitem relinquentes, & ad alium digniorem commigrantes, priorem contriſtent hoſpitem, iniuriáque afficiant. Sic ait D. Ambroſius ſerm. 21. de Sanctis. *Ne per diuerſos incipiat oberrare; & domum, cui pacem dederat, deſerere; hoſpitem, cui benedictionem intulerat, contriſtare.* Theophylactus in cap. 10. Matth. *Iubet autem manere, & non de domo in domum ire, ne videantur, primos, qui ſuſceperant, iniuria afficere.* Vult ergo, vt Diſcipuli ſuis benemeritis, ac benefactoribus, nec leuiter iniuriæ vmbram videantur inferre. Valde enim alienum eſt à recta prudentia, vt quis benefactorem ſuum quomodolibet, etiam in minimo videatur offendere.

Theoph.

*Benefactor, non leuiter, iniuria afficiendus.*

123. Abulenſ.

Quartò, Abulenſis in cap. 10. Matth. q. 71. ſic ait, quod Diſcipuli manerent in domo alicuius, magnum erat hoſpiti beneficium: nam Deus benefacit eis, apud quos viri boni ſpatio temporis manent. Sic dicitur de Putiphare, apud quem commorabatur Ioſeph, *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph.* Gen. 39. n. 5. A fortiori ergo Deus benediceret eis, apud quos Diſcipuli manebant: ergo, quem Deus ſpecialiter diligebat, hoc beneficium tantùm præſtare volebat, corque huius ad Diſcipulos ſuſcipiendos commouebat: & tanti beneficij non omnes digni erant; pauci enim digni ſunt, qui filij pacis vocentur.

Gen. 39. *Deus propter Iuſtorum hoſpitium benefacit.*

124. *Ex diuturna conuerſatione cognoſcitur ſanctitas.*

Quintò, Vult Dominus, vt non mutent domicilium, ſed diu apud aliquem permaneant, vt ita maximè eluceſcat eorum ſanctitatis teſtimonium; facilè namque per breue tempus ſanctitatis ſpeciem quis ſimulare poteſt; per longum autem valdè difficile. Vt ergo multi apoſtolicæ ſanctitatis locupletiſſimi reperiantur teſtes, mandat Dominus ſuos Diſcipulos in domo commorari, vt larga experientia eorum ſanctitas cognita, multi illius ſint teſtes fideliſſimi. Sextò, Inuenta vna domo filij pacis, mandat Dominus, quod ibi permaneant, & non tranſeant in aliam, ne per varias domos oberrando in periculoſas, & incommodas ædes incidant.

125. D. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. Theod.

Septimò, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Theodoretus in cap. 10. Matth. Ne ab aliis reputentur vt guloſi, quod vt lautè cibis vacarent, relictis prioribus hoſpitibus ad alios ſe conferebant, vbi de multa eſcarum copia eis prouideretur. In nulla maiori infamia poteſt homo reputari, quàm quod guloſus æſtimetur; in hoc enim profligatiſſimis moribus deditus cenſetur. Ait Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. *Hi, qui ad luxum menſarum propenſi ſunt, præeſt dæmon helluo maximus, quem ego non vereor appellare Ventridæmonem.* Et mox: *Cohabitantem dæmonem.* Si obſeſſi habent intra ſe dæmonem, à quo crudeliſſimè exagitantur; ſic guloſis cupiditas ipſa, ac nimia ciborum ingurgitatio eſt veluti quidam dæmon inhabitans, à quo in omnem nequitiam prouocantur.

*Guloſi nota maximè fugienda.* Clem. Alex.

*Guloſus dæmonem inhabitantem habet.*

Maximè intendit Paulus ab imitatione Eſau nos auertere, dicens: *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita.* Ad Hebr. 12. n. 16. In quo loco maximum eſt negotium Expoſitoribus: Quomodo Eſau ab Apoſtolo appelletur fornicarius, cùm de ipſius intemperantia, ac luxuria nil nobis notum ſit. Et ita ait ibi Chryſoſtomus. *Vbi fornicator Eſau?* Et idem, etiam dubitari poteſt, quomodo ab Apoſtolo prophanus nuncupetur, quod idem valet, ac procul à fano; ſeu qui nihil habet ſacri, ſeu ſacra negligit, vt ibi communiter Interpretes notant. Quo ergo motiuo Gentium Doctor hæc crimina de Eſau diuulgat? Quid in eo notat, ad hæc de illo aſſerenda? ſubdit de eo: *Propter vnam eſcam vendidit primogenita.* Qui guloſus introducitur, in eo ibi omnis ſpurcitia carnis, nihilque in eo religionis ſacræ declaratur: ipſa enim nimia eſcarum auiditas, omnium criminum nota, ac diuulgatio eſt. D. Thomas ibi. *Prophanus, id eſt, procul à phano; tales ſunt guloſi, qui de ventre ſuo Deum faciunt. Et quod dixerat, oſtendit in exemplo Eſau, qui propter gulam vendidit primogenita. Sic & guloſus pro nimia eſca vendit hæreditatem æternam.* Sicque Tertullianus lib. de ieiunio cap. vltim. locum Eſau commentans ait. *Appendices, ſcilicet gulæ, laſciuia, atque luxuria eſt.* 126.

Hebr. 12.

Chryſoſt.

*Guloſus omni vitio plenus.*

D. Thomas.

Tertullian.

*Venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram rege Babylonis in Ieruſalem; & incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ieruſalem, & omnem domum magnam igne combuſſit,* &c. Ierem. 52. n. 12. Super Nabuchodonoſorem, ſuperque cæteros omnes tyrannos, qui venerunt in Ieruſalem, iſte militiæ princeps maiora mala intulit. Sed cur ab eo tot mala infliguntur; immò hoc iam eius nomen indicabat. Valde enim vulgare eſt, quod ſæpe nomina operationum prægnoſticum exiſtant. Nabuzardan nuncupatur, id eſt, guloſus, ſeu princeps cocorum interpretatur, & nullum maius omnium malorum ſignum, atque prognoſticum, quàm guloſi nomen; ab ipſoque ſuper omnes nefarios maiora mala prodeunt. Et rectè ipſe dicitur princeps militiæ Regis Babyloniæ, ſcilicet omnium vitiorum, ac iniquitatum. Appoſitè Cardinalis Hugo. *Nabuzardan ſignificat ventris ingluuiem. Hic deſtruit Ieruſalem, quod non potuit Nabuchodonoſor; quod aliquando gula ſubuertit; quod non poteſt ſuperbia. Dicitur princeps militiæ, qui ſecum adduxit multa vitia.* 127.

Ierem. 52.

*Guloſus omnis malitiæ prægnoſticum*

Hugo.

*Lucæ* 10. *n.* 8. In quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.

*Num.* 9. Et curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

### *VERSIONES.*

*Euthymius. n.* 8. In quamcumque ciuitatem ingreſſi fueritis.

*Syriacus.* Et in quamcumque vrbem introieritis, & exceperint vos, edite, quod appoſitum fuerit vobis.

*Num.9.* Et ſanate eos, qui ægri fuerint, in ea: & dicite eis: Appropinquauit ad vos regnum Dei.

*Lucas Burgen. ex Græco.* Appropinquauit ſuper vos.

*Num. 11.* Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in vos Tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei.

## VERSIONES.

*Caietan.n.* 11. Veruntamen & puluerem.

*Syriacus.* Sed & puluerem, qui adhæſit nobis in pedibus noſtris ex vrbibus veſtris, excutimus vobis: Hoc ſcitote, appropinquaſſe regnum Dei ad vos.

*Tertull.l.4.cōtr. Marcio.c.24.* Puluerem terræ veſtræ excutimus.

*Syriacus apud D. Marc. 6. num.11.* Excutite puluerem, qui ſubeſt pedibus veſtris.

## ALTER TEXTVS.

*Matth.10.n.14.* Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris.

*Marc. 6.n. 11.* Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.

*Luc. 10. n. 10.* In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite.

## EXPOSITIO VII.

128\. DOCVIT hactenus Dominus, quomodo ſe gerere debebant Diſcipuli in ſingulis domibus; nunc verò docet, qualiter ſe habeant in ciuitatibus. Et priùs Dominus hîc tractat de ingreſſu in domos, poſtea in ciuitates: quia vt notat Toletus annot. 14. aliquando prius Diſcipuli ingrediebantur, veluti priuatim in domum alicuius, quàm ſe publicè manifeſtarent in tota ciuitate. Et nonnulla ex iis, quæ iam dixerat, nunc repetit cæleſtis Magiſter, eo fine, vt alia valde commodè adiiciat, & doceat. *In quamcumque ciuitatem.* Admonentur, quod ipſi, vt communes magiſtri, debent prædicare in omni ciuitate, in omnique loco: quæ enim pro omnium ſalute conceduntur, non ſunt ad particulares coarctanda, *Manducate quæ*, Gregorius homil. 17. & D. Bonauentura, ad ſubleuandam neceſſitatem, vt fortius prædicando laborare poſſitis. *Quæ apponuntur vobis.* Vt edatis ea, quæ obtulerint vobis, neque requirentes, vt guloſi, lautiora, ac delectabiliora; neque, vt hypocrytæ, viliora: ſed contenti ſitis iis, quæ vobis appoſita fuerint.

*Toletus.* — *Quæ communia ſunt, non reſtringenda.* — D. Gregor. — D. Bonauent.

129\. *Et curate infirmos.* Rectè ait D. Hieronymus in cap. 10. Matth. *Ne hominibus ruſticanis, & abſque eloquij venuſtate indoctis, & illiteratis nemo crederet pollicentibus regna, dat poteſtatem, infirmos curare: vt magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorum.* Tantam poteſtatem dat Dominus, vt tam mirabili virtute hominum intellectus illuſtrarentur, voluntateſque tanto beneficio allicerentur, vt homines aſſenſum præberent, crederentque veritati Euangelicæ. *Et dicite illis.* Non ſolùm infirmis, ſed etiam omnibus Gentibus; iam ſic diſpoſitis, & præparatis. Et ſtatim, vt ait Caietanus, explicat materiam prædicationis. *Appropinquauit in vos regnum Dei.* Scilicet Chriſtus Ieſus verus Meſſias promiſſus in lege, Rex, & Dominus cælorum, qui ſuo ſacratiſſimo aduentu huiuſmodi regna hominibus aperuit. Et valde notanter dicitur: Appropinquauit vobis regnum Dei; non verò vos illi: quia non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam venit. Et dicitur, Appropinquauit, vt apertum ſit, non multo labore opus eſſe, vt ad illud accedamus, De quo vide, quæ dixi tom. 1. lib. 3. cap. 2. q. 4. n. 12.

D. Hieron. — *Voluntates beneficiis alliciuntur.* — Caietanus. — *Facilis eſt nobis in cælum aſcenſus.*

## EXPOSITIO VIII.

APERTE patet in textu differentia ciuitatis ſuſcipientis, ac Diſcipulos excludentis: nam in ciuitate ſuſcipiente Diſcipuli manducant, curant infirmos, & prædicant appropinquationem regni Dei; in ciuitate autem non ſuſcipiente, non manducant, non curant infirmos, puluerem pedis excutiunt, prædicant tamen, regnum Dei appropinquaſſe. *Non ſuſceperint vos.* Citatus textus Matthæi habet. *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros.* Vtrumque connectitur in textu. Vnde rectè ait D. Paſchaſius lib.6. in Matthæum. *Vtrumque obſeruandum, quia nec receptio Apoſtolorum ſine ſuſceptione prædicationis, nec ſuſceptio prædicationis ſine officio charitatis*, ſcilicet proficit. *Exeuntes in plateas*, vtpotè loca maximè publica, & notoria, vt ait Caietanus. 130.

Matth. — D. Paſchaſ. — Caietanus.

*Dicite: Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in vos.* Hoc autem faciebant Diſcipuli, vel ſandalia inter ſe collidendo, vt puluis ex iis excuteretur, vt docet Abulenſis q. 83. vel ſandalia ipſa applodendo ad terram; vel ea affricando ad lapidem, aut lignum aliquod, vt puluerem extergerent. Cui ſententiæ fauet Syriacus apud Marc.6. *Excutite puluerem, qui ſubeſt pedibus veſtris.* Abulenſis q. 81. notat, quòd Apoſtoli hoc faciebant in tribus caſibus. Primò, quando nullus eos recipiebat hoſpitio. Secundò, quando ciues non audiebant verbum eorum. Tertiò, & ſi interdum Diſcipuli eſſent longo tempore in ciuitate, & infirmos ſanarent, & ciues audirent eorum verba, tamen nullus conuertebatur, nec fidem recipiebat: hi enim verbum Dei non audiebant cum affectu, ac effectu; & hoc erat ſignum eorum damnationis; & tunc Diſcipuli recedebant, ac puluerem excutiebant ſemel in ipſa ciuitate, & iterum, vt vult Abulenſis q.85. extra ciuitatem. 131.



Abulenſ. — *Quomodo excutiebant puluerem.* — Syriacus. — Abulenſ. — *In triplici caſu puluerē excutiebant.*

132\. *Tamen ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei.* Syriacus legit etiam, *ad vos.* Ac ſi dicerent Quamuis à veſtra ciuitate recedamus; tamen hoc nolumus præterire, quod certè cognoſcatis, regnum Dei iam appropinquaſſe, ſcilicet Chriſtum Ieſum, verum Meſſiam iam veniſſe. Et quamuis tanta veſtra ſit ingratitudo, ac obduratio, hoc vobis dicimus, vt Diſcipuli Chriſti, atque vt muneri noſtro ſatisfaciamus; omnibuſque ſit notum, quod veſtra malitia in damnationem ruitis, cùm tantum oblatum bonum contemnatis.

Syriacus. — *Verus præſul ob nullam ingratitudinē omittit prædicationem.*

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare Chriſtus præceperit ſuis Diſcipulis puluerem è pedibus excutere?*

133\. HVIVS pulueris excuſſionis exemplum habemus in Paulo, & Barnaba Actor.13. n. 51. qui cum ab Antiochia Piſidiæ à Iudæis, aliis conciuibus Euangelium audire detractantibus, expulſi eſſent, excuſſo puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Huius autem mandati rationes quærimus.

Actor.13.

134\. Reſpondent primò D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. D. Auguſtinus q.7. in Matth. D. Hieronymus, Beda, in cap.10. Matth. Victor Antiochenus cap.6. Marc. Vt hoc ſigno oſtenderent, ſe fruſtrà pro illis laboraſſe, iterque tam longum ſuſcepiſſe; puluis enim pedum iter ſignificat. Theophylactus. *Quo teſtantur, ſe illorum nomine magnum iter confeciſſe, nihilque illis profuiſſe.* Secundò ſuprà citati Patres. Vt manifeſtaretur, ſe ab eis, qui Euangelium ſpreuerunt, nihil recepiſſe, nihilque ab illis aſportare, quando & puluerem ipſorum ipſis relinquebant. Tertiò, Citatus D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius in cap.9. Luc. Euthymius in cap.10. Matth. dicens: *Præcepit, vt puluerem à pedibus ſuis excuterent, tanquam propter illos impium.* Vt ita illis intimarent. Vos non recepiſtis Euangelium; Vos, omniaque veſtra maledictioni ſubiecta ſunt, & anathemata habita, vt etiam puluerem, quod eſt quid minimum ex ciuitate veſtra, tanquam anathematiſmum, vt ait D. Paſchaſius lib.6. in Matth. vobis relinquamus, nihilque vobiſcum commune habere velimus. Sic impij, eorumque omnia ſunt fugienda.

D. Chryſoſt. — D. Auguſt. — D. Hieron. — Beda. — Vict. Antioc. — Theoph. — D. Ambroſ. — Euthymius. — *Omnia eorū anathemati ſubiecta.* — D. Paſchaſius

135\. Et quartò valdè conſonè ad litteram Origenes in cap. 18. Gen. homil.4. D. Hilarius in cap. 10. Matth. dicens: *Signo pulueris pedibus excuſſi æterna maledictio relinquitur.* Iudæi in monumentum alicuius rei notabilis ſignum aliquod materiale adhibebant. Sic Ioſue erexit lapidem 24. n. 24. Sic Iacob, & Laban tumulum lapideum. Gen. 31. n. 51. Sicque valde frequenter ſolebant in ſignum mœſtitiæ puluerem ſuper caput ſpargere 1. Reg. 4.n.12. Iob. 2. n. 12. Mich. 1. n. 10. Mandatur ergo, vt Diſcipuli excuterent è pedibus ſuis puluerem *in teſtimonium*, vt habet D. Marcus, & etiam Lucas 9. in teſtimonium incredulitatis, ac obdurationis illarum ciuitatum, quæ Euangelium non recipiebant; vt ille puluis, ex tam longo, ac laborioſo itinere collectus, eſſet in die Iudicij teſtis contra eos, qui Diſcipulos contempſerunt; ac quod tales homines peribant, non Diſcipulorum, ſed ſuamet culpa, & nequitia. Et hæc mihi videtur germana interpretatio.

Origenes. — D. Hilarius. — Ioſue 24. — Geneſ.31. — 1 Reg. 4. — Iob. 2. — Michæ. 1. — Lucæ 9. — *Excutitur puluis in teſtimonium eorum obdurationis.*

Quintò, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. Per puluerem, ait, adumbrantur peccatores: *Non ſic impij, non ſic; ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Pſal.1. n. 4. Et de Diabolo dicitur. *Puluis panis eius.* Iſai.75.n.25. Excluditur ergo puluis, ſeu ibi peccatores adumbrati, qui noluerunt ſuſcipere pacem reconciliationis Euangelicæ, ne adhæreant greſſibus, ſeu pedibus Diſcipulorum, per quos intelliguntur affectus, vt in cap.10 Matth. explicant Albertus Magnus, & D. Thomas, vt ita peccatores maneant proiecti à facie terræ viuentium, & à conſortio, ac patrocinio Sanctorum omnino ſint ſeparati, atque excluſi. 136.

D. Paſchaſ. — Pſalm. 1. — Iſai. 65. — Albert. Mag. — D. Thom. — *Denotabantur deſtituti à patrocinio Sanctorum.*

Sextò, Ex mente D. Ambroſij in cap.9. Matth. & D. Paſchaſij citati, Mandat Dominus ſuis Diſcipulis, vt in eos, qui Euangelicam doctrinam contempſerunt, puluerem excutiant, quo eos, vt anathematziatos, declarent, eiſque, in ſuæ inhoſpitalitatis pœnam, terrorem incutiant, & æternum gehennæ incendium comminentur. Quo mandato vult Dominus, ſuos Diſcipulos eſſe animoſos, & non deſides, ſed vt vindices diuinæ iræ acriter inſurgant in Euangelio reſiſtentes, eoſque maledictioni ſubiiciant. 137.

D. Ambroſ. — D. Paſchaſ. — *Dominus vult ſuos Diſcipulos animoſos.*

Septimò, Tertullianus lib. 4. in Marcion. cap. 21. *Cùm iubet*, ait, *puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuiſſent, & hoc in teſtimonium mandat fieri: inhumanitatem, qui in teſtationem redigi iubet, iudicem minatur.* Minæ hæ ad Diem Iudicij referuntur. Mandat, puluerem excutere è pedibus; tantum enim præualet apud diuinum Iudicem miſericordia, & benignitas in pauperes, vt ſi in Die Iudicij in calceis ſuorum minimus puluis hoſpitij appareret, rigorem iudicij temperaret, atque leniret. Expende illud: *Iudicem minatur.* Quaſi non iudex ſit, dum hoſpitij puluis oculis obiicitur. Ergo qui iudicem minacem agere volebat, à ſuis mandat excuti puluerem, vt toto ſuo rigore in illos ſententia fulminetur. 138.

Tertull. — *Miſericordia in pauperes iudicis iram temperat, atque diuertit.*

Poſtquam impius traditor vendidit Dominum Ieſum, *abiens laqueo ſe ſuſpendit, ac ſuſpenſus crepuit medius.* Actor. 1. n. 18. Principes autem Sacerdotum, qui Dominum nefariè emerunt, minime hanc mortem ſubeunt, cùm tamen in rei ſacræ venditione idem crimen ſimoniæ venditor, ac emptor committat: ergo ſi Iudas, qui vendidit, ſuſpenſus crepuit medius, cur non eadem mors emptoribus, ſcilicet Principibus Sacerdotum, contigit? Quamuis enim iſti eſſent nequiſſimi, tamen: *Concilio inito emerunt ex illis agrum in ſepulturam* 139.

Actor. 1. — Matth 27.

*turam peregrinorum.* Matth.27. n.7. Iudas retulit argenteos in templo, & ſuſpenſus ſuffocatus eſt. At Sacerdotum Principes, eſtò nequiſſimi, iterum accipientes pecuniam, non mittunt in corbonam, ſed in curandis, ſubleuandiſque pauperum, ac peregrinorum neceſſitatibus expendunt. Hæc autem in egenos miſericordia remedium extitit, vt pro tunc diuinæ iræ euitarent furorem, à quo omnino euadere poſſent, ſi rectè, vt oportebat, ſaperent. Eleganter D. Auguſtinus ſerm.121. de tempore. *Emerunt*, ait, *ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum. Inuenit tandem mens cæca remedium. Ad requiem peregrinorum Saluatoris deputant pretium.*

*Miſericordia pauperis auertitur ira furoris Domini.* — D. Auguſt.

140. Luc. 16. Cùm diues eſſet in Gehennæ tormentis, orauit ad Abraham, vt ei mitteret Lazarum in refrigerium. Cui ait Abrahamus: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt, hinc tranſire ad vos, non poſſint; neque inde huc tranſmeare.* Luc.16.n.26. Sed vnde iſte murus tam æneus, tamque inſuperabilis eſt, vt nullus vnquam poſſit fieri tranſitus ab ipſis Damnatis? Tam obſeratum eſt iter, quia in ipſis non erat miſericordia in pauperes; ſi enim hæc in illis appareret, facilis eſſet tranſitus, ipſique minimè eſſent damnati. D. Auguſtinus ſerm.227. de tempore. *Quid faciam tibi? eleemoſynas non feciſti, quæ peccatorum tuorum pœnas extinguerent: interueniant pro te pauperes, & quidquid petieris, dono. Sed iuſto iudicio tibi vicem reddo: quia iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.*

*Vbi eſt in pauperes miſericordia iudicium damnationis euaditur.* — D. Auguſt.

Cætera, quæ ſequuntur in textu de exprobratione ciuitatum, explicata ſunt à nobis cap. 14. ſupra.

# CAP. XIX.

## *Redeunt Septuaginta duo.*

*Lucæ* 10. *n.*17. Reuerſi autem ſeptuaginta duo, cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Ambroſ. lib.* 7. *in Lucam.* | Reuerſi autem ſeptuaginta cum gaudio. |
| *Syriacus.* | Porrò reuerſi ſunt ſeptuaginta illi, quos miſerat, cum gaudio magno, & dicunt ei: Domine noſter. |
| *Euthym. Theophylactus.* | Subiiciuntur nobis per nomen tuum. |
| *Caietanus.* | Subiiciuntur nobis & in nomine tuo. |

### *EXPOSITIO I.*

1. QVAMVIS minutim, ac peculiariter D. Lucas non narret geſta Diſcipulorum in ſua miſſione; tamen ex hoc apertè colligitur, quod bonus fuerit illius fructus, benéque illis in ſua legatione contigerit. *Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo,* Quia omnes ſimul abierant, & ferè ſimul eodem tempore mandata exequebantur; licet alij longius, quàm alij profecti fuiſſent, alto tamen Dei iudicio ordinante, eodem tempore reuertuntur; (tantum enim fraterna charitas eos adunauerat) agni ſcilicet ad ſuum paſtorem, non deuorati à lupis, ſed lupis ipſis Chriſti gratia ſubiectis. Diſcant ex hoc miniſtri, vt ad ſuum principem conueniant eique de actis ſuis rationem reddant, Diſcantque Concionatores, vt ſi quid boni prædicando egerint, ad Chriſtum conueniant, illíque acceptum referant, vt in Apoſtolis ſupra cap. 17. iam obſeruaui ex D. Hieronymo, Theophylacto, ac aliis. *Cum gaudio.* Syriacus addit, *cum gaudio magno*, quod omnia bene ſucceſſiſſe illis viderentur. *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Pſalm. 125. n. 6. Et dicunt:

*Fraterna charitas multum adiuuat.* — D. Hieron. Theophyl. Syriacus. — Pſalm. 125.

2. *Domine*, ſeu vt habet Syriacus, Domine noſter, *Etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis.* De doctrina data, de aliiſque miraculis factis tacent, & ſolùm dæmoniorum expulſionem commemorant, tanquam valde admirabundi rem nouam, quæ ſibi præter opinionem acciderat. Illa particula *Etiam* accumulatiua eſt, & idem eſt, ac ſi diceret: non ſolùm infirmos curauimus, vt nobis promiſeras hoc cap.10. Luc. n. 9. ſed etiam dæmonia eiecimus. Tam magnus eſt Dominus, vt plus conferat in re, quàm verbis exprimit. Ponderandum eſt verbum *ſubiiciuntur*, quod idem valet, ac dæmonia nobis ſubiecta, noſtro imperio obediunt, tam in exeundo, à corporibus, quàm in tacendo, ac aliis, quæ eis mandauimus. Et dicunt *ſubiiciuntur*, non in præterito ſubiecta ſunt, ſed in præſenti, quia poteſtas, à Chriſto data, adhuc in præſenti perſeuerabat: hæc enim ſunt dona Dei, quæ diu permanent, & non tranſeunt.

*Deus plus dat, quàm verbis promittit.* — *Dei dona perſeuerant.*

3. *In nomine tuo.* Hebraiſmus eſt, vt ait Vatablus in Scholiis, ope, & auxilio tuo, virtute nominis tui. Ad propagandum Chriſti nomen, eius inuocatione curabant. *In nomine Ieſu ſurge.* Actor. 3. Ex quo colligo, quod ipſi gloriam acceptam Chriſto referunt; gaudent autem de bono ſucceſſu prædicationis, & miraculorum ſine vlla vanitatis elatione, tanquam de re bona, ſicut nobis eſt licitum, gaudere de bona ſalute, de bonoque euentu in ſtudio. Vnde ait Theophylactus: *Vide, quoniam non ſuperbiunt, dicunt enim, in nomine tuo, tua gratia, non noſtra virtute.* In Diſcipulis tamen aliquem vanitatis, ac elationis ſaporem interueniſſe, docent graues Patres, D. Cyprianus lib. de Ieiunio, & tentatione Chriſti, D. Gregorius lib. 3. Moral. cap.4. D. Cyrillus apud D. Thomam, Beda. D. Bonauentura, Carthuſianus, Caietanus, Ianſenius, Lucas Burgen. hoc loco. Sed cum hoc expreſsè non conſtet ex textu; & dubia in meliorem partem ſint interpretanda. Prima ſententia hunc defectum in Diſcipulis negans, mihi eſt probabilior cum Maldonato, Toleto, Barradas in præſenti. Id autem, quod Chriſtus Dominus dixit: *Nolite gaudere in hoc, quia Spiritus vobis ſubiiciuntur:*

Vatablus. — Actor. 3. — *An in Diſcipulis fuerit aliqua leuis vanitatis aura.* Theophyl. — D. Cyprian. D. Gregor. D. Cyrillus. Beda. D. Bonauent. Carthuſ. Caietanus. Ianſenius. Burgenſis. — Maldonat. Toletus. Barradas.



*ſubiiciuntur*: alium habet ſenſum, vt ſuo loco dicam.

*Luc.* 10. *n.*18. Et ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Baſil. Seleuc. Orat.* 35. | Vidi Satanam ſicut fulgur. |
| *Syriacus.* | Conſpiciebam Satanam. |
| *Græcus.* | Videbam lapſum Satanam. |
| *Arabicus.* | Videbam, quod cecidit Satanam. |

### *EXPOSITIO II.*

4. IN ſuperiori ſententia Diſcipuli duo præ ſe tulerunt, Primò ingentem admirationem de Dæmonum ſubiectione. Secundò, gaudium magnum de tanta poteſtate eis conceſſa. Ad quæ duo Chriſtus reſpondit; ad primum in hoc verſu, & ſequenti; ad ſecundum, huius præſentis ſententiæ hic eſt ſenſus: Vos, ô Diſcipuli mei, vt rem valde nouam, & mirabilem, mihi dicitis, quod Dæmonia vobis ſubiiciebantur; ego autem, quando vos miſi ad prædicandum, iam videbam, quod ad veſtrum nutum, ſine vlla cunctatione, omnes Satanæ vires eſſent ruituræ, ſicut magnò impetu, ac celeritate fulgur cadit in terram. De quo latè quæſt. ſequenti: ſingula verba expendamus.

*Germanus ſenſus.*

5. Euthym. *Videbam*, viſione mentis clara, & certa, ſcilicet à primo Vnionis hypoſtaticæ inſtanti. Euthymius. *Videbam Satanam, poſtquam videlicet humanitatem aſſumpſi.* Multi Doctores (de quo quæſtione ſequenti) hoc referunt ad eam viſionem, qua, vt Deus, ante Mundi creationem vidit multitudinem Angelorum cum Lucifero de cælo ruentem. Sed quid hoc magnum dicit de ſe, quod ipſe viderit talem lapſum? Nonne hoc etiam viderunt alij Angeli ſancti, vt Raphael, Gabriel, Michaël? Rectè reſpondet Rupertus lib. 1. de Victoria Verbi Dei cap. 23. *Solus iſte Filius Dei videbat ſecurus ſui, Angeli autem in magno terrore poſiti: ſic etiam ad beatum Iob dicit ipſe Dominus, cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Solus Dei Filius imperterritus, ac ſecurus ſui videbat, cùm omnino ſit liber ab omni caſu, nulláque ruina ei nocere poſſit. Cæteri autem timore correpti in ſuis conſimilibus angelis tam miſeram ſortem intuebantur.

Rupert. — *In ruina alterius vnuſquiſque timeat.*

6. *Satanam*, Illum ſcilicet crudelem inimicum gloriæ Dei, ac generis humani. *Sicut fulgur*, velociter, ac rapidè præter hominum expectationem. *De cælo.* Multi, & meo iudicio, probabilius referunt, & connectunt cum ſolo fulgure, vt ſit ſenſus. Sicut fulgur de cælo cadit. *De cælo.* ſcilicet aëreo. Alij coniungunt cum Satana, vt reddat hanc conſtructionem, Satanam cadentem de cælo, ſicut fulgur. Compone modò Satanam in cælo, & pauperem in ſtercore, de quo cantat Pſal. 112. n. 6. dicens de Deo: *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Angelus in cælo inuenit præcipitium; pauper verò de ſtercore comparat gloriam: non locorum ſublimitas, ſed probitas morum generat, ac parit coronam, atque triumphum. D. Chryſoſtomus homil. de cæco nato. tom.6. *Profunda eſt terra*, ait, *& cælum in ſublime tollitur; at de cælo cadit Diabolus, poſtquam tranſgreſſus eſt, & exaltantur è terra inopes. Vides, non locorum diſcrimen officere, vt ſuperiores euadamus, ſed vbique fidem, & patientiam, & ſpem promerentibus coronas acquirere.*

Pſalm. 112. — D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO I.

### *Caſus Satanæ aſſimilatus fulguri multiplici ſententia illuſtratur.*

7. DVPLEX Diaboli caſus poteſt in præſenti conſiderari. Vnus è cælo Empyreo ante Adami creationem, quem Chriſtus, vt Deus, vidit. Alter poſt Verbi Incarnationem, eius virtute enim Diabolus à ſua gloria, & principatu, quem in mundo tenebat, proiectus eſt. *Nunc princeps mundi eiicietur foras.* Ioan. 12. n. 31. Et hunc caſum vidit Chriſtus, vt Deus, & homo.

*Duplex Diaboli caſus.* — Ioan. 12.

8. De primo Diaboli caſu locum interpretantur D. Cyprianus lib. de Ieiunio, & tentationibus Chriſti. D. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, & in cap.14. Iſaiæ, Origenes lib. 1. Periarch. cap. 5. & in Ezechiel. homil. 1. D. Chryſoſtomus homil. 10. de Pœnitentia; D. Ambroſius lib. de fuga ſæculi. cap. 7. D. Gregorius lib. 23. moral. cap. 4. D. Bernardus ſerm. 5. de Dedicatione Eccleſiæ, & hoc loco Beda, Euthymius, Theophylactus, D. Bonauentura, & alij, qui ita explicant. Aduenerant Diſcipuli gloriantes, quod Dæmonia eis ſubiicerentur; voluit Chriſtus reprimere eorum iactantiam propoſitis ſuppliciis, quibus olim Luciferi elationem repreſſit. Sic ait eleganter D. Hieronymus in cap. 14. Iſaiæ. *Si ille propter ſuperbiam de tanta magnitudine cecidit; vos quoque non debetis gloriari, quia vobis Dæmonia ſubiecta ſunt, ſed quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo: vt vnde ille cecidit propter ſuperbiam, vos aſcendatis per humilitatem.* Et ita ordinauit Chriſtus, obiecto timore gaudium comprimere.

D. Cypr. D. Hieron. Origenes. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. D. Greg. D. Bernard. Beda. Euthym. Theoph. D. Bonau. — D. Hieron. *Vnde ſuperbia cecidit, humilitas extollitur.*

9. Aliter etiam Toletus de primo Diaboli caſu locum interpretans ſic ait. Videbam Satanam cadentem de cælo, ſicut fulgur; fulgur enim lucidum eſt, timorem, ac terrorem magnum hominibus incutiens; breui tamen durans: talis cecidit Satanas, lucidus quidem, quia ampliſſimum terris obtinuit principatum, quo magnum terrorem hominibus incuſſit. Videte ergo, quanto beneficio affecti eſtis; nam cum iſte hoſtis tantus ſit, támque formidabilis, vobis ſubiicitur, quod ſtatim ſequenti verſu exprimitur. *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes,* &c.

Tolet.

10. De altero Diaboli caſu noſtrum textum interpretantur D. Baſilius homil. *Quod Deus non ſit auctor malorum.* D. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. de Theologia, D. Cyrillus apud D. Thomam, quem etiam citat, & ſequitur Titus Boſtrenſis. Idem hîc docent Theophylactus, Euthymius, Vatablus, Caietanus, Ianſenius, & alij, qui hoc referunt ad Incarnationem Chriſti, tanquam ſi ipſe

D. Baſil. D. Nazianz. D. Cyrill. Boſtrenſ. Theoph. Euthym. Vatablus. Caiet. Ianſen.

23. *Tertull.* *Non lætandum de punitione alterius.* Primò, Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem. *Nec Diſcipulos*, ait, *de ſubactione ſpirituum, ſed de candida ſalute gloriari volebat.* Tanquam ſi diceret. Quamuis Chriſtianis liceat punire, non tamen ipſam punitionem cum gaudio præſtare, Dæmones conterendos eſſe, non tamen de ipſa eorum conculcatione inſolentius gloriandum. Nec etiam ſummoperè exultandum de ea dignitate, quam etiam indigni potiti ſunt; filij enim Phariſæorum etiam Dæmonia eiecerunt citato Matth. 7. num. 22. Potius ergo lætandum de candida, ac fælici fruitione ſalutis, qua Electi candidati cum ſummo Rege incedunt, ac exultant.

24. *D. Greg.* *Non ſingularia, ſed communia ſequere.* Secundò, D. Gregorius homil. 20. in Ezechiel. *Admonentur*, ait, *priuatam lætiam deponere: de communi autem, & perpetua fælicitate gaudere. Non enim omnes Electi Dæmonia eiiciunt, ſed Electorum omnium nomina tenentur ſcripta.* Idem habet lib. 9. Regiſt. Epiſt. 58. Vtrumque ſanè erat maximè exultationis cauſa, & quod Dæmonia eiicerent, ac quod nomina eſſent in cælis ſcripta. Cur tamen Dominus ſuos inſtruit, vt non de Dæmonum expulſione, ſed de nominibus in libro vitæ exaratis exultent? Quod Dæmonia exſibilarent, quid valdè ſingulare extabat, non enim hæc gratia, ac virtus communis eſt omnibus Electis, ſicut illis commune eſt, quod eorum nomina ſcripta habeantur in cælis. Vt ergo Deo ſummè placeamus, non quæ ſunt ſingularia, ſed quæ noſtri ſtatus communia amplectamur. Hoc innuit Dominus Magiſter, vt non in ſingularibus, ſed in communibus lætemur, & exultemus. *Solùm de his, quæ ſunt propria Iuſtorū gaudendum.* Tertiò, Eiicere Dæmonia, non ſolùm Electis conuenit, quandoquidem per Reprobos effectum eſt: Eſſe ſcriptum in libro vitæ, omnibus Iuſtis commune: & Diuinus Magiſter vult, vt ſolùm ea, quæ ſunt propria Iuſtorum, nobis ſint gaudij, & lætitiæ cauſa.

25. *Beda.* *Ea, quæ ex meritis, magni ſunt honoris, & gaudij.* Quartò, Beda. *De ſubiectione ſpirituum, cùm caro ſint, gaudere prohibentur: quia ſpiritus eiicere, ſicut virtutes alias facere, interdum non eſt proprij meriti, qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agit.* Dæmones expellere, ac miracula facere, non veſtri meriti, ſed diuinæ virtutis eſt. At nullius nomen ſcribitur in cælo, niſi eius, qui illud meretur: & quæ ex merito, ſicuti ſunt magni honoris, ſic & magni gaudij, ac exultationis.

26. *Rupert.* Quintò, Rupertus lib. 3. de Opere Spiritus Sancti cap. 10. *Apoſtoli*, ait, *ante Chriſti paſſionem Dæmonia eiecerunt, & non erat illis gaudendum, niſi fieret, vt per Chriſti paſſionem primam, & præcipuam conſolationem, primum, & præcipuum Paracliti datum, id eſt remiſſionem acciperent peccatorum.* Cur Diſcipuli non debeant gaudere, cùm videant, Dæmones ab hominum habitaculis fugere, eorumque corpora à tyrannica Diaboli vexatione liberari? *Solùm illa eſt celebranda victoria, qua Dæmon ab animo eiicitur.* Sed ait eis Chriſtus: Gaudete, quod nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Iis enim, qui in tali catalogo ſunt ſcripti, datur remiſſio peccatorum, quæ eſt primum, & præcipuum Paracliti datum. Non ergo conceditur gaudere, quod corpora à Dæmonum obſidione liberentur, ſi ipſi intimè in animo per peccata reſident; nulla eſt enim Dæmonis victoria, dum peccatum in nobis regnat. Ergo tunc maximè lætandum, quando huiuſmodi crimina ab animo eiiciuntur, ac excluduntur.

27. *Matth. 15.* *Peccatum in animo plus torquet, quā Dæmon.* *D. Chryſoſt.* Illa Chananææ verba, *Miſerere mei, Domine fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Matth. 15. n. 22. quotidie dicenda eſſe à peccatoribus pro anima ſua, quæ eſt veluti filia, monet D. Chryſoſtomus. Sed quo ſenſu hæc verba à peccatoribus proferenda ſunt, nam eorum corpora non ſunt à Dæmonibus obſeſſa, nec illis torquentur? Verum eſt, habent tamen peccatum in animo fixum, quo grauius, & crudelius vexantur, quàm ſi corpora Dæmones tenerent, à quibus multis tormentis eſſent affecta. Peccatum in animo acerbiſſima ſuper omnia cruciatio, cuius dolores ita pungunt, vt cuncta alia excedant. D. Chryſoſtomus homil. 79. ad Populum. *Sicut illa dicebat; Miſerere mei, filia mea malè à Dæmonio vexatur; dic & tu, Miſerere mei, anima mea malè à Dæmonio vexatur; magnus enim dæmon peccatum eſt: dæmonium habens miſericordiam inuenit, odio peccans habetur.*

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm ex hoc loco colligatur, omnes Chriſti Diſcipulos fuiſſe prædeſtinatos, iuſtos & ſanctos.*

28. *Ianſen. Burgenſ. Cornel.* *Matth. 19.* *Epheſ. 2.* *Apocal. 3.* IANSENIVS, Lucas Burgenſis, Cornel. à Lapide docent, quod ex hoc loco non colligitur, omnes ſeptuaginta duos fuiſſe prædeſtinatos; ſed ſic Diſcipulis eſſe dictum: *Nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ*; ſicut & Apoſtolis Matth. 19. n. 18. *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael*: & tamen Iudas proditor non ſedebit. Dicuntque, dupliciter dici eſſe ſcriptum in libro vitæ: vel abſolutè, & ſimpliciter, vt ſunt electi finaliter ad gloriam: Vel conditionatè, ſi videlicet in fide, & ſanctitate perſeuerauerit vſque ad finem vitæ, vt ait Paulus ad Epheſios 2. n. 19. *Vos eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*: ſcilicet iam nunc per gratiam, & tales futuri per gloriam, ſi à gratia non excideritis. Sic & dicitur Apocal. 3. n. 5. *Qui vicerit ſic, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.*

29. *Carthuſ. Caietanus. Stella Barradas. Lyranus. Caiet.* *Maldonat.* Tamen Carthuſianus, Caietanus, Didacus Stella, Barradas tom. 3. lib. 2. cap. 12. §. *Dubitatur.* in qua etiam ſententia eſt Lyranus, aſtruunt, ex hoc loco colligi, omnes ſeptuaginta duos Diſcipulos fuiſſe electos, eorumque prædeſtinationem hîc eis Chriſtum Dominum reuelaſſe. Vnde ait Caietanus, *Meliuſque ad hoc fuiſſe collegium ſeptuaginta, quam duodecim Apoſtolorum, quorum vnus fuit damnatus.* Maldonatus dubitat in hac re.

30. *Verior ſententia.* Secunda tamen ſententia mihi videtur veriſimilior. Phraſis eſt enim Scripturæ, quod quando aliquis ſimpliciter dicitur ſcriptus in cælis, ſeu in libro vitæ, de abſoluta prædeſtinatone ad æternam vitam intelligitur. Secundò, & mihi efficax ratio. Quod Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis dixit, hanc deſcriptionem in cælis eſſe eis cauſam gaudij, nam eorum nomina eſſe repoſita in libro vitæ conditionatè, & ſecundùm præſentem iuſtitiam, non poterat eis eſſe motiuum magni gaudij, cùm ex talibus multi damnentur. Et confirmatur: Quia iuxta Auctores prioris ſententiæ, ideo Dominus ſuis mandat, ne gauderent, quod Dæmonia eis ſubiicerētur, quia multi, qui tali dono





fuerunt inſigniti, inter Reprobos annumerati ſunt, vt dixi: ſed multi, qui dicuntur conditionatè deſcripti, reprobantur: ergo ratio gaudendi abſoluta prædeſtinatio extabat.

31. *Actor. 6.* *D. Hieron.* Obiiciunt Auctores prioris ſententiæ. Quia Nicolaus Aadena Antiochenus eſt vnus ex ſeptem primis diaconibus. Actor. 6. n. 5. qui omnes inter Domini Diſcipulos numerantur: & tamen de eo ait D. Hieronymus Epiſt. 48. cap. 3. *Iſte Nicolaus immunditiarum omnium, & Nicolaitarum hæreſeos auctor extitiſſe refertur.* Quod etiam alij Patres teſtantur.

32. *Clem. Alex. Euſebius. D. Auguſt. Theodoret. D. Ignatius. Carthuſ. Pamelius. Lorinus. Cornel. Ribera. Viegas. Baronius. Hippolytus.* Nicolaum tamen à tali calumnia, ac culpa liberant Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtrom. cap. 3. Euſebius lib. 3. Hiſtoriar. cap. 23. D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 5. Theodoretus lib. de fab. Græcor. Antichus. D. Ignatius Epiſt. ad Trallian. teſtatur, hæreticos illos falsò ſibi nomen Nicolaitarum vſurpaſſe. Et eandem ſententiam tuentur ad citat. Actor. 6. Carthuſianus, Pamelius, Lorinus, Cornelius à Lapide. Et Apocal. 2. n. 9. Ribera, Viegas, & Baronius anno Chriſti 68. & tandem Hippolytus lib. de 72. Diſcipulis teſtatur Nicolaum, vt virum fide probatiſſimum, Samaritanorum ab Apoſtolis factum Epiſcopum.

# CAP. XX.

## *Confiteor tibi Pater.*

*Matth. 11. n. 25.* In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Confiteor tibi Pater, mi Domine cæli, & terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus, & prudentibus, & ea reuelaueris puerulis.

*D. Fulib. Epiſt. 1. & Vatablus.* Gratias ago tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quod celaueris hæc ſapientes, & prudentes, & detexeris paruulis.

*Tertull. lib. 4. cōtra Marcion. cap. 25.* Gratias ago, & confiteor, Domine cæli, quod ea, quæ erant abſcondita ſapientibus, & prudentibus, reuelaueris paruulis.

*Didac. Stella in cap. 10. Luc. ex Sylueira in Euang. Tom. III. Græco.* Concordo, ſeu concors ſum tecum Pater, Domine cæli, & terræ.

*D. Athan. Orat. contra Sabellij Gregales* Quod iſta occultata eſſe voluiſti.

*Theophylactus* Quod occultaueris hæc à ſapientibus, & intelligentibus.

*Arias.* Et reuelaſti ea imbecillis.

*Arabic. & Græc.* Reuelaſti ea infantibus, ſeu ſimplicibus.

### ALTER TEXTVS.

*Luc. 10. n. 21.* In ipſa hora exultauit Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

### *EXPOSITIO I.*

1. HÆc verba refert D. Matthæus poſt narratam exprobationem ciuitatum Corozaim, Bethſaïdæ, & Capharnaum, quæ Euangelicam doctrinam nolentes recipere ob ſuam ſuperbiam eis fuit abſcondita. D. verò Lucas hæc deſcribit poſt reditum Diſcipulorum; *D. Lucas obſeruat ordinem temporis.* Qui videtur obſeruaſſe temporis ordinem, vt indicat illud verbum: *In ipſa hora exultauit.* Nam quod Matthæus ait; *In illo tempore*: latum habet ſignificatum. Exultauit Chriſtus vt homo, ac mirificè gauiſus gaudio diuino, reſultante ipſa lætitia ex anima in carnem; quæ iucunditas ab ipſo Spiritu Sancto procedebat. Tum, vt ait Euthymius, *Euthym.* ob ſalutem multorum hominum, qui ab Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis erant conuertendi: tum etiam, vt interpretatur Theophylactus, *Theoph.* ſicut bonus Pater, cùm viderit Diſcipulos ſuos recta quædam opera egiſſe; ita Saluator exultat. Tum etiam quia ſua promiſſa facta Diſcipulis, de poteſtate miraculorum, videbat adimpleta. *Promiſſa adimpleri.* Et quamuis Chriſtus hæc omnia ſciret à primo ſuæ conceptionis inſtanti, voluit modò hoc gaudium in ſeipſo concitare, vt manifeſtè intelligerent omnes, quam grata ſibi erat hominum ſalus, donáque ſuis Diſcipulis data.

2. *Euthymius.* *Caiet.* *Pſalm. 110. Pſal. 117.* *Reſpondens Ieſus.* Sed cum nullus interrogaret, quomodo dicitur propriè reſpondens? Rectè ſatisfacit Euthymius, quod Hebraiſmus ſit, qui non ſolùm ſignificat propriè reſpondere, ſed etiam dicendo rem nouam eſſe exorſum. Niſi etiam velis dicere cum Caietano, Quod videns Chriſtus gloriantium Diſcipulorum mentes, per hæc illis occurrit, quod ipſi non debeant gloriari, cum omnia illa bona ſint accepta à Patre. *Confiteor tibi.* Id eſt laudo, gratias tibi ago; hoc germanè ex radice hebraica ſignificat. *Confitebor tibi in toto corde meo.* Pſalm. 110. num. 1. Id eſt laudabo te. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Pſalm. 117. num. 1. Id eſt laudate Dominum. *Pater Domine cæli, & terræ.*

Sic legendum eſt cum noſtra Vulgata, ſanctiſque Patribus communiter. *Pater* per reſpectum ad ſe dicit. Ac ſi dicat, *Pater*, qui me intimè diligis, omniaque ad tuam, ac meam gloriam diſponis. *Domine, cæli, & terræ*: per hæc denotat eius ſupremum dominium ſuper omnem creaturam. Vnde, quod mundi ſapientes non obedierint Euangelio, non impotentia Patris fuit, ſed quia ipſi malitia ſua ſe indignos reddiderunt.

3. *Quia abſcondiſti hæc.* Hæc nempe myſteria mei aduentus abſcondiſti, non quaſi non eſſent omnium oculis obiecta, omnibus enim propoſita ſunt: dicuntur ergo abſcondita, quia eorum oculos non aperuerit, illorumque mentes illuſtratione Spiritus Sancti non illuminauerit, cùm tales eſſent in ſua malitia, ac peruerſitate demerſi, ac conſepulti. Et non dixit, abſcondiſti hoc lumen, hunc theſaurum, ſed hæc in neutro; tot enim ſunt, quæ Deus ſuis paruulis manifeſtat, vt vix valeant nominari. *A ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Sanctus Ambroſius in cap. 10. Luc. D. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini; Auctor Imperfecti homil. 28. per ſapientes, & prudentes, Iudæos interpretantur, Legis ſcientia inſignitos: per paruulos verò Gentiles. Aptius tamen, cùm Euangelium nondum eſſet Gentibus prædicatum. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. D. Ambroſius ſerm. 17. in Pſalm. 118. D. Hieronymus, Euthymius, Beda hìc, per ſapientes Scribas, ac Phariſæos, & eorum ſimiles intelligunt; per paruulos verò exponunt Apoſtolos, Diſcipulos, quod etiam ad cæteros Chriſti prædicationi credentes extendendum eſſe exiſtimo. Dicuntur autem Scribæ, & Phariſæi ſapientes, non quia tales re vera eſſent, ſed quia tales ſibi videbantur, vt ait D. Hilarius Can. 11. Caietanus ponderat diſcrimen inter ſapientes, & prudentes. *Sapientia*, ait, *eſt circa diuina: prudentia circa humana.* Et qui in tenebris ambulat ad diuina, etiam in temporalibus cæcutit.

*Quinam ſint iſti ſapientes.*
D. Ambroſ.
D. Auguſt.
Imperfectus.
D. Chryſoſt.
D. Ambroſ.
D. Hieron.
Euthym.
Beda.
D. Hilarius.
Caietanus.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus hìc gratias Patri agit?*

4. CHRISTVS Dominus vna perſona, nempe Dei Filius, ex duplici natura, ſcilicet diuina, & humana conſtans, vt ſe vtramque naturam habere oſtendat, in hac vnica, eâdemque ſententia quoddam verbum, vt Deus, quoddam, vt homo profert, vt ſicut vna perſona Deus, & homo erat, ita vnica ſententia verbum Dei, & verbum hominis habeat: Patrem appellat, vt Deus; gratias agit, ſeu confiteri dicit, vt homo. Cuius rei cauſas inquirimus.

*In hac ſententia Chriſtus ſe Deum oſtendit, & hominem.*

5. Primò, valde celebris eſt in hac re ſententia Chryſoſtomi homil. 39. in Matth. qui hanc gratiarum actionem refert, non ad hoc, quod myſteria diuina prudentibus, & ſapientibus eſſent abſcondita; ſed ad hoc, quod eſſent paruulis reuelata: nam quod illis eſſent abſcondita, lachrymis dignum erat; quod his eſſent manifeſtata, omni gaudio proſequendum. *Non ergo*, ait, *quia ſapientes non cognouerunt, gaudet; ſed quia, quæ ſapientes non cognouerunt, hæc iſti perceperunt, lætatur. Ita & Paulus dicit* Roman. 6. n. 17. *Gratias ago Deo meo, quoniam fuiſtis ſerui peccati; obediſtis autem ex corde, in quam traditi eſtis formam doctrinæ. Non ergo Paulus propterea gaudet, quia erant ſerui peccati; ſed quia, cùm eſſent huiuſmodi, veritatis cultores facti ſunt.*

D. Chryſoſt.
*Gratias agit pro paruulis, qui acceperunt.*
Rom. 6.

6. Secundò, quæ mihi eſt vera, & germana interpretatio, & eſt etiam Chryſoſtomi in Imperfecto homil. 28. Quod Chriſtus hìc gratias agit Patri, eumque laudat propter vtrumque, ſcilicet abſconſionem prudentibus, & reuelationem paruulis factam. In his enim maximè apparet diuina iuſtitia, & miſericordia. Vnde pro manifeſtatione horum attributorum gratificatur Patri: ob manifeſtationem iuſtitiæ, quia ſapientes, & prudentes huius ſæculi, qui ob ſuam ſuperbiam, Euangelicam doctrinam contempſerunt, à Deo iuſtiſſimè permiſſi ſunt, in ſuo peccato, ac cæcitate permanere, vt in ſuorum delictorum vindictam æternum ſupplicium patiantur. Sic Dauid ob caſtigatum iniquum, & iniuſtum Nabal gratias agens ait: *Benedictus Deus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal.* 2. Reg. 25. num. 39. Gratificatur etiam hìc Chriſtus Patri, ob miſericordiæ oſtenſionem, qua ſe exhibuit erga pauperes, & humiles, eis ſua myſteria reuelando, vt illos diuina ſapientia diteſceret, ac in gloriam ſubleuaret. In hac ſententia eſt Diuus Thomas hìc. *Chriſtus Dominus gratias agit*, inquit, *non vt gaudeat de cæcitate eorum, ſed de iuſto iudicio Dei, qui ita ſapienter ordinat.* Oſtendendo ſcilicet ſuam miſericordiam, & iuſtitiam. Et notandum, quod prius gratificatur Patri iuſtitiam, quam miſericordiam; ait enim, Abſcondiſti à ſapientibus, & reuelaſti paruulis. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 14. & lib. 2. cap. 5. n. 70. & tom. 2. cap. 10. n. 178.

*Vera intelligentia.*
Imperfectus.
*Glorificandus Deus in oſtenſione iuſtitiæ, & miſericordiæ.*
2. Reg. 25.
D. Thom.
*Iuſtitia illuſtriſſima perfectio in Deo.*

7. Tertiò, Chryſoſtomus citata homil. 39. *Gratias agit*, ait, *vt ſic certè diligentiores etiam fierent, qui crediderunt, quibus quoniam reuelata ſunt myſteria, lætari, atque gaudere dignum eſt.* Tam inſigniter inter cætera Chriſtus gratias agit Patri pro reuelatis myſteriis paruulis, vt ita credentes agnoſcant, quanto beneficio ſint affecti, quantaſque gratias pro illis Deo exhibere debeant. Quartò, idem Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 28. *Non dicit, qua ratione ſic ei placuit, ſed tantum gratias agit Patri, quia ſic ei placuit. Ita & tu nunquam diſcutias conſilia Dei in operibus eius, quæ fecit: ſed quomodocumque ſic voluit rem ſuam ordinare, gratias agens ſufficiat tibi ad teſtimonium ipſa Dei natura.* Diuina iudicia non ſunt diſcutienda; ipſa enim Dei bonitas nobis manifeſtè oſtendit iuſtitiam, & rectitudinem in vniuerſa ſua diſpoſitione, illique noſtra voluntas conformanda, ac aptanda eſt, pro omnibuſque illi gratias agendum.

D. Chryſoſt.
*Pro maiori beneficio maiores gratiæ exhibendæ.*
Chryſoſt.
*Conformandum cum diuina voluntate.*

8. Quintò, Euthymius: *Egit gratias credentium nomine, ſignificans, quem erga homines haberet amorem.* Ob ſuam eximiam charitatem in homines, & tanquam noſtrum caput dat gratias pro donis in nos collatis. Ornamenta ſubditorum in Principis gloriam, & decorem maximè reſultant. Sextò, Albertus Magnus. Exultauit Chriſtus, gratiaſque egit *Pro conuerſione Gentium; quoniam malo excæcationis Iudæorum vſus eſt ad tantum bonum: quod eſt totius mundi conuerſio.*

Euthym.
*Princeps gratuletur beneficia ſubditis collata.*
Albert Mag.

9. Septimò, Franconius Abbas tom. 10. de gratia ad initium. *Pro abiectione*, ait, *ſuperborum, atque electione humilium gratias agit dicens: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ.* Exultat Chriſtus & gratulatur, ſe talem habere Patrem, cuius gubernatio, diſpoſitioque verſatur, vt inſolentia ſuperbiæ refrænetur, modeſtiaque humilitatis erigatur. Diſcant ex hoc mundi rectores, in quo Chriſtus exultat, ac pro quo gratum ſe exhibet ad Patrem. Sciantque, quod tota Reipublicæ cuſtodia, ac ſalus in eo eſt ſita, vt efferati comprimantur, humileſque in altum eleuentur. Bonus ille Paterfamilias, formam optimi gubernatoris gerens, mandat ſuis operariis reddi æqualem mercedem, ita vt à nouiſſimis incipiatur. Et coram omnibus ſic fatur: *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Matth. 20. num. 16. Ad quid tendit hæc ſententia? Erant primi multa ſuperbia elati, cùm ante omnes ad opus admouiſſent manus. Erant vltimi multa modeſtia conſpicui, cùm tardè adueniſſent. Vide magnum regimen optimi patrisfamilias. Primos deiicit nouiſſimos dicens: humiles verò multum extollit, primos nuncupans. D. Remigius. *Ad quid*, ait, *ſenſus huius parabolæ, eo ſcilicet, quod Iudæi de capite verſantur in cauda, & nos de cauda mutamur in caput.*

Franconius.
*Maximè gratulanda gubernatio, quæ deprimit iniquos, & exaltat bonos.*
Matth. 20.
D. Remig.



10. Octauò, Chriſtus gratias agit pro abſconſione myſteriorum prudentibus, ac ſapientibus, vtpote ſuperbis, ac pro illorum reuelatione paruulis, ac humilibus facta. Tamque gratificandum, lætandum, ac exultandum eſt pro dignitate, honore, ac excellentia indignis, ac immeritis denegata, ac pro illius collatione conuenientibus, aptis, & proportionatis delata. Sicque decantant Dauid: *Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit; ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit.* Pſalm. 77. num. 67.

*Valde magnum, negare dignitates indignis, & conferre benemeritis.*
Pſalm. 77.

11. Nonò, *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Vndique relucet, ac reſplendet diuina iuſtitia: nam paruulos, quamuis humiles, & abiectos, à conuenienti munere, ac mercede non excludit; & ſapientibus, ac prudentibus, quamuis principibus, ac magnatibus, debitum ſupplicium non diſſimulat, ſed iuſtiſſimè eos plectit, & punit. Ait Regius Vates: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Pſalm. 146. num. 5. Miris modis conuocat omnes creaturas, tam ad ipſius Dei, quàm ad eius attributorum laudem; quod ſcilicet ipſe Deus in ſe ſit magnus, *Magna virtus eius*, id eſt eius potentia, *& ſapientiæ eius*, ſeu vt legit D. Hieronymus, *prudentiæ eius*, ſeu Auguſtinus, *intelligentiæ eius non eſt numerus.* Sed cur tanta de diuinis attributis decantat? *Suſcipiens manſuetos Dominus*, ſeu vt alij legunt, *paruulos, inopes, miſeros, & humilians peccatores vſque ad terram.* Ideo Deum tam extraordinario modo laudat, quia ipſe paruulis, humilibus pro ſuis meritis nouit dare mercedem; peccatoribus autem magnis, ac principibus ratione ſuorum delictorum inferre ſupplicium. Et ſtatim hanc iuſtitiam in Deo gratulando, ac pro ea gratias agendo, ſubdit. *Præcinite Domino in confeſſione, pſallite Deo noſtro in cithara.* D. Auguſtinus. *Pſallite Deo noſtro. Cui? illi, qui humiliat peccatores vſque ad terram; illi, qui ſuſcipit manſuetos.*

*Magna excellentia, punire magnos delinquentes, & ſublimare paruulos dignos.*
Pſalm. 146.
D. Hieron.
D. Auguſt.
D. Auguſt.



12. O quam grata eſt huiuſmodi lætitia Deo noſtro. Cùm vidiſſet Sara ludentem Iſmaëlem cum Iſaac filio ſuo, ait marito Abrahamo: *Eiice ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Geneſ. 21. num. 10. Quod cùm valde durè accepiſſet Abrahamus; Apparuit ei Deus dicens: *Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ancilla tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Nunquam reperies in toto ſacro textu, quod Deus præceperit Abrahamo, quod dictis ſuæ vxoris acquieſceret, niſi in hoc euentu. Et valde mirum eſt, quod hoc ei mandat Dominus, cùm Iſmael eſſet datus ex diuina promiſſione, ac maior natu extitiſſet, quàm Iſaac. Iudicium Saræ hac in re pro iuſtitiæ rectitudine proferebatur, vt Iſmaël, quamuis ſenior ætate, pro ſuis demeritis excluſione à paterna domo puniretur. Et Iſaac, quamuis iunior, pro ſuis virtutibus totam hæreditatem haberet in præmium. Quæ ſententia ita Deo placuit, vt ipſummet cælum aperiretur, ipſeque Deus in eius auxilium, confirmationem, ac comprobationem deſcenderet. Fauet D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 7. *Nuſquam alibi dixit*, ait, *Audi vocem vxoris tuæ, niſi hic. Eiice & ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis conſortium, qui non habet originis priuilegium.* Vide ſupra cap. 4. num. 45.

Gen. 21.
*In Deo non eſt acceptio perſonarum.*
D. Ambroſ.

## QVÆSTIO II.

### *Quare inter cætera dona ſuis communicata, tam inſigniter Chriſtus gratias agit pro iis, quæ reuelata ſunt paruulis?*

13. MVLTA iam dixi ſuperiori quæſtione de hac difficultate: nunc tamen ſpecialiter quæro: Cur, cùm multa ſint Chriſti membris communicata dona, ipſe tam ſpecialiter hìc gratias agit pro his, quæ reuelata ſunt paruulis.

*Ratio difficultatis.*

14. Reſpondeo, quod tantoperè Patri gratulatur pro illuſtratione paruulis facta, vt vndique appareat donorum excellentia, ac magnitudo. Collatum beneficium, gratitudinem, tanquam penſionis debitum annexum, in accipiente expoſtulat. Sic enim dixit Seneca: *Qui gratè beneficium accipit, primam eius penſionem ſoluit.* Chriſtus Patri magnas gratias refert pro his, quæ paruulis communicauit, vt ita paruuli tanta ſint luminis illuſtratione inſigniti, tamque ingenti dono ſublimati; ipſam tamen perſoluere gratitudinis penſionem, ad ſe Chriſtus aſſumit, ſibique reſeruat, pro illiſque ad Patrem gratias refert.

*Beneficium pro ſui penſione habet gratitudinē.*
Seneca.

15. Cum quatriduanus Lazarus iam demortuus iaceret in tumulo, ad illum Chriſtus acceſſit; & ablato iam lapide ait Chriſtus: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* Ioan. 11. n. 41. Cur Chriſtus Dominus in huius mortui ſuſcitatione ita gratulabundus Patrem exorat, quod nec præſtitit in filia Archiſynagogi, Matthæi 9. num. 25. nec in filio Viduæ Naim Luc. 7. num. 14. nec in ſanato Paralytico Piſcinæ Ioan. 5. num. 8. nec in Cæco à natiuitate, nec in aliis multis miraculis. Cur ergo hìc tam miro,

Ioan. 11.
Matth. 9.
Luc. 7.
Ioan. 5.

*Chriſtus dat Lazaro vitã & ad Patrẽ gratias perſoluit.*

& mirabili modo ſe habet Saluator? Chriſtus habebat Lazarum in magno amicitiæ fœdere. *Lazarus amicus noſter dormit*: ſicque & Iudæorum principes dixerunt: *Ecce quomodo diligebat eum.* Intiméque etiam Dominus Magdalenam, & Martham diligebat. Vt erga tam ſibi charos, ac benemeritos valde inſignis eſſet beneficij magnitudo, atque maieſtas; pro illo hîc tam profundè Chriſtus gratias agit. Vt Lazarus è tumulo egrediens vitam obtineat, ſororeſque fratrem ſuſcitatum multum lætanter excipiant: Gratiarum autem actionem, tanquam debitum penſionis doni tam admirabilis, ipſe ſibi aſſumens perſoluit, dicens: *Pater tibi gratias ago.* Fauet Toletus. *Chriſtus gratias agit, vt homo, pro hoc beneficio; beneficium eſt homini collatum, gratiarum actione dignum.* Donum homini datum gratiarum actionem requirit; has Chriſtus Patri exhibet.

Toletus.

16. Diuina voce delapſa impeditur Abrahamus, ne oblatum filium ſuum iugularet Iſaac: pro qua tam prompta obedientia, pro quo tam fideli obſequio largas à Deo benedictiones accepit, eique ſuper omnia altiſſimum promittitur Incarnationis myſterium. *Tunc leuauit oculos ſuos Abraham, viditque poſt tergum arietem inter vepres cornibus hærentem, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Gen.22 n.13. Aries autem ille miniſterio Angelorum, Deo ſic ordinante, aliunde adductus eſt, vt communiter docent Interpretes. Sed cur non diſpoſitum eſt, vt Abrahamus ex ouili ſuo illum ſecum aſportaret? Vel cur hoc ſacrificium non differtur, quouſque ad domum ſuam ipſe perueniat? Deus in hoc euentu largiſſimam decreuit in Abraham benedictionem diffundere, nempe vt filium ſuum viuum reduceret, altiſſimumque Incatnationis myſterium in promiſſionem haberet. Pro tantorum ergo donorum magnitudine Abrahamus erat obſtrictus, vt exhibito holocauſto Deo gratias ageret. Prouidet igitur Dominus victimam ad ſacrificium, vt Abrahamus diuinis condecoratus, ſublimatuſque muneribus, ſuæ obligationi abſque propriis expenſis ſatisfaciat, Deo miraculosè arietem miniſtrante, vt debitam reddat gratiarum actionem. Non longè abeſt D. Chryſoſtomus. *Aſſumens*, ait, *arietem, obtulit illum holocauſtum pro filio. Vidiſti Dei miſericordiam, & ſacrificium conſummatum eſt, & iuſtus religioſam ſuam mentem declarans, Iſaac accepto, rediit cum innumeris coronis.*

Geneſ.22.

*Magnum beneficium, quod ſine expenſis confertur.*

D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO III.

### *Quare, cum Deum appellet Patrem Dominum etiam dicit?*

17. PATREM, & Dominum vocat, prius tamen Patrem, quàm Dominum. In gubernatore enim prius pietatis clementia poſtea appareat dominationis poteſtas. Ad Dauidem dixit Deus: *Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.* 2. Reg. 5. num. 2. ſeu, vt legit Vatablus, *Tu eris princeps.* Ante omnia exprimitur in eo paſcendi facultas, qua paſtoris benignitas viſitur, qua ipſe ſæpe proprios ſuper humeros ouem defert ad gregem; & poſtea principatus, ac ducatus declaratur maieſtas, qua rex imperio ſuo cuncta gubernat, ſuóſque ducit, vt eius veſtigia ſequantur. Præſens tamen quæſtio inquirit: Cur Deum, Patrem, & Dominum appellat? cuius rationem litteralem iam in expoſitione dedi. Alias rationes appono.

2 Reg. 5.
Vatablus.

*In principe prius appareat benignitas, & poſtea dominationis maieſtas.*

18. Tertullian.

Primò, Tertullianus lib. 2. contra Marcion. *Vſque adeo*, ait, *iuſtitia etiam plenitudo eſt diuinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem clementia, Dominum diſciplina: Patrem poteſtate blanda, Dominum ſeuera: Patrem diligendum piè, Dominum timendum neceſſariò. Diligendum, quia malit miſericordiam, quam ſacrificium; & timendum, quia nolit peccatum.* Vt Chriſtus Dominus ſui æterni Patris magnam nobis præſtaret notitiam, eum, quem Patrem dixerat, Dominum, etiam appellat: Patrem, in quo benignitas denotatur; Dominum, in quo ſeueritatis rigor exprimitur. Benignitas, ac ſeueritas perfectũ Deum oſtendunt. *Exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum.* Benignitas affluentiam immenſæ bonitatis, ac virtutis; ſeueritas verò mali, ac iniquitatis damnationem, & reprobationem declarat.

*In principe coniungantur benignitas, & rigor.*

19. Secundò. Vt à Summo Parente diſcant principes, qualiter ſe habeant, vt dominos, & patres, vt permixtam habeant ſeueritatem cum benignitate, vt ob pietatem diligantur, ob rigorem verò timeantur: *Patrem diligendum piè, Dominum timendum neceſſariò*, vt ait citatus Tertullianus. Rationes paternitatis, ac dominationis maximè ſunt in principe coniungendæ. Multa rerum opulentia, multiſque benedictionibus, ac magno principatu Abrahamus erat ditatus à Deo; & tamen inter hæc ait: *Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis.* Geneſ. 15. num. 2. Sed cum Abrahamus tanta haberet, quomodo ait: *Quid dabis mihi?* quaſi illa obtenta in parum, aut nihilum haberet. Sed vnde? Vide quid ſubiecit: *Ego vadam abſque liberis.* Moraliſſimè dicam. Quamuis in magno principatu, ac dominatione ſe eminere agnoſceret; cùm tamen à quadam paternitatis ratione ſe expoliatum videret, omnia illa ei non valde magna, ac perfecta apparebant. Carthuſianus. *Ac ſi dicat*, ait, *Parum valebunt iſta, ex quo filium non habeo.*

*Reges ſimul patres, & domini ſint.*

Gen.15.

Carthuſ.

20. Toletus.

Tertiò Toletus annot. 31. Loquens Chriſtus, ait de reuelatione per Euangelium facta, Deum appellat Patrem, & Dominum: Patrem, ad ſignificandum, ſe ad Euangelium vocatos in hanc dignitatem euecturum, vt filij Dei ſint, ipſumque patrem appellent, vt quod ipſe habet per naturam, nobis conferat per adoptionis gratiam. Quaſi diceret: Patrem te voco, quia quod tu mihi es per naturam, iſtis per me, & Euangelium meum communicaturus es per gratiam, vt filij tui ſint. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, Ioan.1.num.12. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* 1.Ioan.3.num.1. Dominum verò vocat, vt oſtendat, quod hæc quibuſdam abſcondiſſe, & aliis reuelaſſe, non eſt aliquid iniuſtitiæ, cum Dominus ſit omnium, cui pro ſua voluntate licet quodcumque facere. Sic, audito ſuo ſupplicio per Samuelem, dixit Heli, *Dominus eſt, quod bonum eſt ante oculos ſuos faciat*, 1.Regum 3.num.18.

*Chriſtus id, quod habet per naturam nobis communicat per gratiam.*
Ioan.1.
1.Ioan.3.

1.Reg.3.

21. Quartò. Chriſtus Patrem, & Dominum vocat: Pater comparatione habita ad filium dicit æqualitaté in natura cum illo; Dominus vero cum ſeruo inæqualitatem. In Chriſto duæ inerant naturæ,

huma



*Inter dignitatum ſplendores quis habeat ſua vilitatis cognitionem.*

humana, & diuina, vt Deus, æqualis extabat cum Patre; vt homo, illi inferior erat. Vocat ergo Patrem, & Dominum, vt fieret manifeſtum, quod ſi illi ante oculos obuerſabatur excellentia ſuæ perſonalitatis, qua Deus erat, & æqualis Patri; etiam è mente illi non diſcedebat humilitas humanæ naturæ, ſecundum quàm homo, & ſeruus conſiſtebat.

22. Creauit Deus hominem, & Angelum; hunc verò in natura, ac nobilitate ſuperiorem. Tamen de primo Parente dicitur: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Gen.1.n.27. Simile de Angelo affatum in tota Scriptura non inuenies, quod ſcilicet ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſit creatus. Et augetur difficultas: nam iuxta Auguſtinum, Chryſoſtomum, ac alios Patres, homo dicitur Deo ſimilis ob intellectum, & voluntatem; ſed Angelus in his potentiis multò excellentior eſt homine; nam ſine diſcurſu formali, & vnico actu intelligit, neque ſicut homo ſpecierum multitudine indiget. D. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Colloſſenſ. homil.3. *Qua ratione*, ait, *Angelus, vel imago, vel filius Dei non vocatus eſt, ſed homo vtique? Quoniam illic natura ſublimitas plures in impietatem conieciſſet; hîc verò tenuitas, & humilitas ſecuritatem præſtat.* Angelus, & homo in naturæ perfectione, ac decore creati ſunt. Homo tamen in tanta ſui ſublimitate habet, vt ſui cognitione humilietur, cum ei dicatur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quod in Angelo, cum ſit in naturæ pulchritudine conditus, locum non habet. Et ita Deo placet, inter ſupremos ſplendores vilitatis propriæ memoria, vt publico, ac expreſſo teſtimonio, non Angelo, ſed homini imaginem ſuam credat, quia homo in rerum apice à propria natura obtinet, vnde ſe contrahat, ac deprimat; quod in Angelico decore minimè reperitur.

Geneſ. 1.

Auguſt.
Chryſoſt.

D. Chryſoſt.

*Maximè placet Deo in honore vilitatis cognitio.*

23. Inter quatuor vxores, quas Iacob ſortitus eſt, Lia peperit primogenitum, extitit mater ſacerdotum, regum, ac principum, & ipſiuſmet Ieſu Chriſti. Sed cur in Lia tot prærogatiuæ, ac excellentiæ coadunantur? Cum Lia primum filium Ruben ediſſet in lucem, dixit: *Vidit Dominus humilitatem meam.* Geneſ.29. num.32. Hoc eſt, vidit deiectionem, & contemptum meum; ipſa enim lippis erat oculis. Et mulier, quæ in tanta gloria primogenituræ partus in tota domo Iacob, fixa mente, tenet cognitionem humilitatis, & abiectionis propriæ, ita Deo complacet, vt omnium honorum apices, & ſplendores ei conferantur, in ipſáque adunentur. Fauet Abulenſis ibi. *Quia Dominus vidit*, ait, *quod bono corde me humiliaui, dedit mihi filium, & in hoc me exaltauit.* Vide tom.1. lib. 3. cap. 4. num. 80. 81. & 82. tom. 2. cap. 3. num.175. & 176.

Geneſ.29.
*Humilitatis cognitio multa bona trahit.*

Abulenſis.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare, cum reuelatio ſit à tota Trinitate, Chriſtus tamen pro illa facta ſoli Patri dat gratias?*

24. CHRISTVS gratias agit Patri, *Quia hæc abſcondiſti à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Certum eſt apud Theologos, quod huiuſmodi reuelationes, vtpotè opera ad extra, communes ſunt à tota Trinitate. Cum ergo ad huiuſmodi manifeſtationem omnes tres diuinæ perſonæ æqualem præſtiterint concurſum, cur ſoli Patri attribuitur? Cum Chriſtus Dominus, vt Deus, vna ſit ex tribus diuinis perſonis, ſi myſteriorum manifeſtatio ad totam Trinitatem referretur, etiam ipſimet Chriſto adſcribenda erat, vtpotè Filio Dei. At huiuſmodi reuelatio in Chriſti laudem, & gloriam paruulis facta eſt. Non vult ergo, ſe illius auctorem declarare, nec ſibi eam referre, ſed tantùm Patri; vt à ſummo magiſtro habeamus exemplum, quod in noſtris euulgandis magnalibus, non nos ipſi proclamatores ſimus, ſed alius, & diſtinctus illorum euulgator, ac publicus aſſertor exiſtat.

*In ſuis laudibus publicandis nemo ſit auctor proprius.*

25. In vltima cœna ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis. *Paraclitus autem ſpiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ioannes 14. num.26. Et tamen eodem ſermone inquit. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ioan.15. num.26. Sed quomodo in eodem ſermone tanta inuenitur differentia; in vno enim loco eiuſdem Spiritus ſancti aduentus ſe declarat auctorem; in altero totum negotium ad Patrem refert? Gloſſa Interlinealis ad illa verba: *Quem mittet Pater in nomine meo*: ita habet: *Quem mittet Pater in laudem meam.* Ex quo iam totius rei diſcrimen patefit. Quando enim Chriſtus pertractat de deſcenſu ſacratiſſimi Paracliti ad ſuos confirmandos in fide, ad eorúmque animos contra tyrannorum tormenta corroborandos, ſe tanti aduentus prodit, ac manifeſtat auctorem. At verò, quando atteſtatur, quod ſpiritus mittitur *in laudem meam*, nempe in eius gloriam, & honorem; tunc, non ſibi, ſed Patri, tanquam perſonæ realiter diſtinctæ tantum donum adſcribit.

Ioan.14.

Ioan. 15.

Interlin.

*Publicatio magnalium Chriſti ad Patrem refertur.*

26. Matthæus, & Marcus ſcribunt Chriſti geſta cum Petro in Cæſareæ portis, quomodo ipſe Dominus interrogauerit: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Matthæus minutim Petri confeſſionem, ac præclara eius encomia, à Chriſto euulgata, enarrat; & quod ad interrogationem dixerit Petrus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: & quod ſtatim Chriſtus magnas eius laudes protulerit. *Beatus es Simon Barjona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuprà hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth.16.n.17. At Marcus 8.num.29. eandem referens hiſtoriam, ſolum ſcribit, quod Petrus dixerit: *Tu es Chriſtus*: & cætera omnino ſubticuit. Cur tam ſpecioſè Matthæus Petri laudes refert, quas omnino prætermittit Marcus? D. Marcus ſcribit Euangelium iuxta ſibi relata à D. Petro, vt teſtatur Tertullianus lib.4. contra Marcion. cap. 5. *Quod*, ſcilicet Euangelium, *Marcus edidit, Petri affirmatur, cuius interpres Marcus.* Cum in enarranda hiſtoria Euangelica D. Petrus incidiſſet in ſuas laudes, eas omnino ſilentiò inuoluit; illarum enim euulgatio, alteri, nempe D. Matthæo, reſeruabatur, vt eas ſcriberet, ac æternitati in publicum teſtimonium commendaret: non enim Petri modeſtia, ac ſubmiſſio patitur, ſuorum magnalium ipſum eſſe proclamatorem. D. Chryſoſtomus homil.49. in Matth. *Marcus*, ait, *qui Petri diſcipulus fuit, quæ ad magiſtri laudem pertinent, forſitan ipſo deprecante, ne magnificè de eo diceret, omnino ſiluit.* Vide ſuprà cap.2. n.85. & cap.8. n.105.

Matth. 16.

Marc. 8.

Tertull.

*In tuis magnalibus euulgandis alius ſit auctor.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio V.

### *Quare hæc myſteria dicuntur abſcondita ſapientibus, & prudentibus?*

27. Reſpondeo primò. Sapientes, ac prudentes, Phariſæos, ac Scribas, primóſque Iudæorum nuncupat, qui ita ſe prudentes, ſapientéſque putabant, vt nullius doctrina, ac conſilio egere, ſibi omnino perſuaderent. Vnde ſacratiſſimam, & admirabilem Chriſti doctrinam contemnebant, ac reiiciebant. Ideo iuſtiſſimè, ob ſuam ſuperbiam, malitiam, atque nequitiam, permiſſi ſunt, in ſua cœcitate permanere. In tantum enim malum arrogans inſolentia demergit eos, qui aliorum documenta, conſiliáque ſpernunt.

*Qui aliorum doctrinam, conſiliáque ſpernit, in multa mala incidit.*

28. D. Chryſoſt. Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 28. *Ab omnibus ſapientibus*, ait, *qui ſecundùm ſenſum carnis ſunt ſapientes, & non ſecundùm ſpiritum cordis, abſcondit Deus ſemper myſterium veritatis. Qui ſunt ſapientes? Antiqui Philoſophi, & Oratores, qui naturali ſapientia, litterarum exercitatione exacuminati, de Dei natura quærere contendebant, non Deum inuenire deſiderantes, ſed altiſſima diſſerere cupientes, victi ſunt ingenio, defecerunt ſermone.* Ita cæcutiunt mundiales ſapientes in ſacris myſteriis; non enim de ſoliditate doctrinæ agunt, ſed toti in quodam ingenij acumine verſantur. Nec mirum quod mundi litterati ita deficiant in rebus diuinis, quando omnes ſæculares diſciplinæ in oſtentatione, ac temporalibus lucris occupantur. Sic ait Albertus Magnus. *Sapientes præſumunt de ſyllogiſmo, prudentes de circunſpectione commodorum; & ideo abſconditur ab eis lumen fidei.*

*Qui agit, non de ſoliditate doctrinæ, ſed de acumine, in multa mala incidit.*

Albert. Mag.

29. Theoph. Tertiò, Theophylactus. *Occultauit autem Deus myſteria*, ait, *ab his, qui videntur eſſe ſapientes: non vt inuidens, velut auctor imperitiæ; ſed ideo, quod non erant digni propter hoc, quod ſibi videbantur ſapientes: nam qui videtur ſibi ſapiens, & confidit in ſapientia ſua, Deum non inuocat.* Qui enim in propriis oculis ſe multum appretiant, ac ſe valdè ſapientes iudicant, in Dei conſpectu nullius momenti ſunt, ac valdè inepti ad diuina inueniuntur. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmet ipſis prudentes.* Iſai. 5. num. 21. *Peribit ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Iſai. 29. n. 14.

*Qui in propriis oculis ſe iudicat ſapientem, nihil eſt.* Iſai. 5. Iſai. 29.

30. Quintò, quia ſicut in cælo Deus Angelos eos reiecit, qui ſibi ſapientes videbantur; illóſque elegit, qui veluti paruuli ad ipſum, vt ad Patrem accurrerunt: ita & in terra nunc reiicit Iudæos, qui ſe putant magnos magiſtros; elegit verò nouam paruulorum gentem, qui toti à diuina voluntate pendebant. Valdè enim veriſimile eſt, ea de cauſa Chriſtum cæli, & terræ meminiſſe: *Domine cæli, & terræ:* vt eiectio, electióque ea, quæ tunc nouè fiebat, in terra, illi reſponderet, quæ facta fuerat olim in cælo. Ex hoc magnum hauriant huius ſæculi reges documentum, vt eandem methodum obſeruent cum ſuis primis dynaſtis, ac cum infimis; & cùm iis, qui intimè regi aſſiſtunt, ac cum illis, qui à longè ſunt.

*Magnus Princeps æquali modo ſe habet ad proximos, & remotos.*

31. Theophyl. D. Ambr. Quintò, idem Theophylactus. *Deus*, ait, *propter magnam miſericordiam ſuam, non reuelat aliquibus plura myſteria, vt ne magis puniantur, vtpotè aſpernantes ea, quæ didicerunt.* Et idem etiam docet D. Ambroſius cap. 10. Luc. Quid eſt, quod Chriſtus Dominus, qui vehementiſſimè hominum ſalutem exoptat, & pro beneficiis in eos collatis frequenter ſe Patri gratum oſtendit; nunc gratias agit, quia ſua ſacratiſſima arcana à ſapientibus abſcondit? Hoc enim magnæ fuit miſericordiæ, ac benignitatis, ſiquidem illi ſapientiam incaſſam, & otioſam negligentia ſua eſſent reddituri, ne illis cederet in amplum ſupplicij cumulum. Vnde aurea eſt ſententia Chryſoſt. *Erogari in perniciem rogantis, ſæua bonitas eſt.* Chryſoſt.

*Magna pietas, illis negare bona, quibus in perniciem futura ſunt.*

32. Geneſ. 27. Duo illuſtriſſimi viri lumine priuati narrantur in Scriptura ſacra. Iſaac Geneſ. 27. num. 1. & Tobias. Iſaac tamen vir ſanctiſſimus, in omni virtute valdè conſpicuus, cæcus permanet. Tobias verò lucem oculorum recepit. Tobiæ 11. num. 15. Cur per miraculum Tobias recuperat viſum, non verò Iſaac? Diuina diſpoſitione totum factum eſt, vt cæcus perſiſtat magnus Iſaac: Volebat enim iniquum Eſau præponere iuſto, ac benemerito Iacob; & ne talis actus, etiam per ignorantiam, à viro ſanctiſſimo prodiret, magna pietate oculorum acie priuatur. Lippomanus. *Opus*, ait, *diuinæ prouidentiæ: iuniorem filium præferendo maiori in benedictione per errorem humanum fieri debebat: ideo oculi Iſaac caligine obducendi erant.* Quod etiam docet Oleaſter.

Tob. 11. *Magna benignitas, vt quis priuetur lumine, ne iniuſtum iuſto præponat.* Lippoman. Oleaſter.

33. Luc. 23. Pendens meus Ieſus in Cruce orabat ad Patrem: *Dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Luc. 23. num. 34. Sed cur non poſtulat, vt illuſtrentur in fide, vt cum ſancto Latrone, Centurione, ac aliis factum eſt? Præuidebat Dominus, quod ob ſuam obdurationem, ac contumaciam, non benè vſuri eſſent ipſa ſcientia: & ideo ex multa pietate permiſſum eſt, vt in cæcitate permanerent; nam ipſa maior illuſtratio multum inſeruiret ad maiorem condemnationem; ignorantia autem ad leuamen ſupplicij non parum conducebat. Caietanus. *Tanquam aduocatus eorum excuſat crimen ab ignorantia.* Caiet.

*Benè priuantur ſcientia, qui non benè vſuri ſunt.*

## Qvæstio VI.

### *Quare myſteria dicantur reuelata paruulis?*

34. Reſpondeo primò, & ad litteram. Exhibet Chriſtus gratias Patri, quia myſteria ſapientibus abſcondita, paruulis, id eſt, Apoſtolis, ac diſcipulis, cæteríſque fidelibus, qui coram ſe, propriíſque oculis, ac etiam ipſius mundi, paruuli videbantur, reuelata ſint; & Chriſtum verum Deum, & Meſſiam agnouerint. Quæ reuelatio facta eſt, non propter propria merita, ſed ex reuelantis gratia, ac miſericordia.

*Reuelatio facta ex gratia reuelantis.*

35. D. Greg. Et primò, ſit obſeruatio D. Gregorij lib. 27. moral. cap. 7. notans Chriſti verba. *Qui*, ait, *non ſubiunxit, reuelaſti ea ſtultis, ſed paruulis: tumorem ſe damnaſſe innuit, non acumen.* Non dixit ſtultis, ſed paruulis, vt elationem, non verò mentis acumen in myſteriis agnoſcendis ſe damnare innuat: non enim ingenij fœlicitas, ſed mentis cœcitas, ac duritiès aditum præcludit. Vnde ait D. Hilarius, illos potius ſapientes, qui de ſua ſcientia præſumebant, quàm hos paruulos, qui de ſua imperitia humiliabantur, ſtultos eſſe iudicandos. Nam, vt ait Sapiens Prouerb. 24. num. 8. *Qui* cogitat

*Chriſtus, non ingenij acumen, ſed inſipientiam damnat.* D. Hilar. Prouerb. 24.



*cogitat mala facere, ſtultus vocabitur.* Vbi ait D. Hieronymus, ſtultum dixeris, non quem tardum ingenio videris; ſed illum, qui peccati ſuggeſtioni conſentit, etiamſi acer ingenio videatur exiſtere. D. Hieron.

36. Secundò, ad abſconditum diuinitatis penetrale euehuntur, non ſæculi ſapientes, non mundi magnates, ſed paruuli, & qui minimos in ſuis oculis ſe appendunt. Hi autem ita creſcunt, vt vſque ad colloquium ſacratiſſimum Deitatis extollantur. Huc reſpicit D. Baſilius Seleuc. orat. 28. *Hæc enim*, ait, *parta ab humilitate lucra homines in altum euehunt, & Deo perſuadent, vt verba cum hominibus faciat.*

*Qui ſe paruũ iudicat, in magnum extollitur.* D. Baſil. Sel.

37. D. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 39. *Non ergo quia ſapientes non cognouerunt, gaudet; ſed quia quæ ſapientes non cognouerunt, hæc iſti perceperunt, lætatur.* Patri gratulatur Chriſtus, non quia, vt ait Chryſoſtomus, Phariſæi cæcutiunt in vera intelligentia, quam paruuli perceperunt; ſed forſitan quia ex ignorantia Phariſæorum maximè reſplendeſcit communicatæ ſcientiæ beneficium Chriſti paruulis, hoc eſt Apoſtolis, & diſcipulis: multum enim creſcit in beneficio, id conceſſum eſſe alicui, quod aliis eſt denegatum. Pergit Samuel ad vngendum Dauidem in regem, in domum Iſai; à quo ſeptem filij eius ſunt oblati, & cum quilibet eſſet in conſpectu eius, dicebat ei Propheta: *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* 1. Reg. 16. num. 6. Vehementiſſimè deſiderabat Samuel implere Domini mandatum, vt notant Abulenſis, Gaſpar Sanchez, & alij; & tandem ad vltimum adducitur Dauid, qui vngitur in regem. Sed cur non ordinatur à Deo, vt ipſe ſe primò offerat, tum quia hoc poſtulabat eius magna dignitas; tum etiam vt ſine cunctatione ſatisfieret deſiderio Prophetæ? Alta diuina diſpoſitione tota res agebatur, vt illuſtrior, ac ſplendidior fieret Dauidis deſignatio, cum poſt tot reprobatos ipſe vnus eligeretur in regem; & corona, quæ tot reprobis fuerat denegata, valdè glorioſè ei eſſet delata.

*Magnum beneficium, id alicui dare, quod aliis eſt negatum.* 1. Reg. 16. Abulenſ. Sanch.

38. Quartò. *Abſcondiſti à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis:* ait. Suorum myſteriorum agnitionem ſapientibus denegauit, paruulis, ac humilibus dilargitus eſt. Nam ſæculi magnates, ac litterati, vtpotè ſua ſapientia multum inflati, cathedras, ac magiſterium ad alios docendum ambiunt, & minimè apti ad diſcendum inueniuntur. At verò paruuli, cum de ſe parum confidant, in magna ſunt proportione, non vt doceant, ſed vt diſcant, ac aliorum auſcultent doctrinam. Vnde ad collegium ſuæ ſcholæ non euocauit Dominus ſpumoſam Scribarum eruditionem, ſed candidam, ac humilem paruulorum ſimplicitatem.

*Paruuli, & non magnates, apti, vt diſcant.*

39. In ſacratiſſima Paſſionis nocte totis ſuis viribus Diabolus ſua peruerſa affectauit malignitate, vt Pilatus eſſet impedimento, ne ſacratiſſimi Agni mors in remedium totius generis humani perpetraretur: & ad hoc negotium mulierem tanquam aptum inſtrumentum elegit. *Sedente illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Matth. 27. num. 29. Quærunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius: Cur Diabolus rem non agit immediatè cum Præſide? Cur illi hanc viſionem non ingerit? Ad quid ad mulierem diuertit? Inquit textus: *Sedente illo pro tribunali.* Ait Rabbanus. *Notandum verò, quia tribunal ſedes eſt iudicis, ſolium regum, cathedra magiſtrorum.* Cùm Præſidens in tribunali, ac cathedra reſideret, ſpem ipſum perſuadendi, adducendíque in ſuam cogitationem perdidit Diabolus, non enim facilè vices diſcipuli ageret, qui ſedebat in magiſterio; ex quo ad ſuæ machinationis intentum Diabolus mulierem euocauit.

Matth. 27. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Rabban. *Qui habet cathedram, non eſt aptus, vt ſit diſcipulus.*

40. Iob 1. Iob magnus Princeps, ac rex extitit, de eóque dicitur: *Vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* 1. num. 1. Et cum in eo multæ diuinæ gratiæ, ac virtutes exprimantur, Prophetiæ tamen donum ibi ſupprimitur. Poſtea verò cum ipſe multis eſſet à Dæmone vexatus perſecutionibus, ac in ſterquilinio ſederet, multa propheticè abditiſſima eum eructaſſe legitur. *Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, & dixit: Pereat dies, in qua natus ſum.* Iob 3. num. 2. vbi de peccato originali pertractat. *Scio, quod Redemptor meus viuit.* 19. num. 25. Ad Incarnationis myſterium dirigit verba. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus.* 14. num. 13. De die iudicij ſermo eſt. Et facile, multa eum arcana prædixiſſe, inuenies. Cur in infimo loco tot abditiſſima penetralia ei reſerantur, quæ ei in regio ſolio non legimus eſſe patefacta? D. Gregorius lib. 5. moral. *Videte*, ait, *quantum poſt flagella profecit.* Iob ſemper iuſtus, & primam gratiam retinens, vt vult Pineda cap. 27. verſ. 6. num. 4. Tamen non in regali ſolio, ſed in humili iacens pleniori ore ſecretiſſima myſteria haurit, tanquam ibi magis præparatus appareat, vt quæ ipſius Dei ſunt, diſcat, & audiat.

Iob 3. Iob 19. Iob 14. D. Gregor. Pined. *Qui in humili, eſt aptus, vt diſcat.*

41. Creauit Deus hominem, vt præeſſet volatilibus cæli, & piſcibus maris. Vt tamen ei Deus reuelaret ineffabilis ſuæ Incarnationis, Paſſionis, ac ſuæ ſanctæ Eccleſiæ ſacramenta, *Immiſit Deus ſoporem in Adam.* Geneſ. 2. n. 21. De quo loquens Paulus ait: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia.* Ad Epheſ. 5. n. 32. Ad quid tam altiſſima myſteria ei aperiuntur in ſomniis; cur non potius in vigilia, quando tunc erat imperans toti orbi? Dormiens homo miſerrimam naturæ humanæ conditionem exprimit, vt cecinit Ouidius: *Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?* Altiſſima diuina ordinatione, non expergefacto, ſed dormienti primo Parenti cæleſtia reſerantur arcana. In vigilia enim, cum tanquam in cathedra ſedens totius orbis moderamen teneret, non tam appoſitè, ac decenter ad diuina penetralia percipienda exiſtebat accommodatus, quàm dum dormiens humi proſtratus, in vilis conditionis vmbra totus detentus tenebatur. Fauet D. Auguſtinus apud Lippomanum ad citata verba. *Immiſit Deus:* Sic ait S. Doctor: *Ecſtaſis hæc, quam Deus immiſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per ecſtaſim particeps fieret Angelicæ curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouiſſima.*

Geneſ. 2. Epheſ. 5. Ouid. *Non in regali ſede, ſed in humili bonus inuenitur diſcipulus.* D. Auguſt.

### *Matth. 11. n. 26.* Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.

### *Versiones.*

*Lucas Burg. ex Græco.* Rectè Pater, quoniam ſic fuit.

*Syriacus.* Etiam Pater mi: quoniam talis

talis fuit voluntas coram te.

*Euthymius, Vatablus.* Sanè Pater, quia ſic fuit bona voluntas apud te.

*Theophyl. Paganinus.* Etiam Pater ſic fuit beneplacitum ante te.

ALTER TEXTVS.

*Luc.* 10. *n.* 21. Etiam Pater, quia ſic placuit ante te.

## EXPOSITIO II.

42. SVPRA Chriſtus Dominus egit gratias Patri, quia myſteria ſua abſconderit ſapientibus, & reuelauerit paruulis: nunc primariam cauſam huius abſconſionis, & reuelationis oſtendit eſſe diuinam voluntatem, vt notant Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus. *Sic fuit placitum ante te*, hoc eſt ita tibi placuit, ita fuit voluntas tua. Et valdè appoſitè, vt notat Palatius, eum vocauit Dominum cæli, & terræ, quia, vt ſupremus Dominus facit quæcumque vult.

Chryſoſt. Theoph. Euthym. Palat.

## QVÆSTIO VII.

### *Ad maiorem explicationem litteræ tria explico documenta, quæ Chriſtus nobis hic inculcat.*

43. PRIMO docet hîc Chriſtus Dominus, electionis prædeſtinatorum, & reprobationis iniquorum originariam cauſam eſſe Dei beneplacitum, ac voluntatem; & in ea tanquam in vltima ratione nos conquieſcere debemus, & non alias inueſtigare. Sic ait D. Bernardus Epiſt. 146. ad Barchardum Abbatem, enucleans hæc verba: *Sic fuit placitum ante te*: ita ait: *Tuo placito ſunt id, quod ſunt, non ſuo merito, nec enim inuenis merita, ſed præuenis.* Illis enim, quos Deus per ſuam miſericordiam elegit ad gloriam, dat gratiam, vt in executione per bona opera, & merita beatitudinem aſſequantur. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 2. num. 16. Vbi priùs Anima ſancta dicit, dilectum ſibi adeſſe per gratiam, quàm ſe ipſam dilecto per amorem, vt obſeruat D. Bernardus ſerm. 67. in Cant. *Rectius, ait, locuta eſt, non prætendens meritum, ſed præmittens beneficium, & ſe præuentam dilecti gratia confitens.*

*Diuina voluntas noſtræ prædeſtinationis cauſa.* D. Bernard. Cant. 2. *Deus per ſuã gratiam nos præuenit.* D. Bernard.

44. Et valdè appoſitè Chriſtus hanc ſubiicit doctrinam: Nam diſcipuli aduenerant gaudentes, quod dæmonia eis ſubiicerentur, vt patet ex textu Lucæ, & explicaui ſuperiori cap. Chriſtus Dominus ergo, vt illorum animos ab aliquali faſtu præmuniret, eorum electionem declarat, non ipſorum meritis, ſed Patris beneplacito, à quo eſt omne bonum, adſcribendam eſſe.

*Appoſitè data doctrina.*

45. Secundò, non quærit Chriſtus, qua ratione hoc Patri placuit, quove motiuo hoc ipſe diſpoſuit; ſed quia ei placuit, illud iuſtum, ſanctum, ac bonum dicit. Et ipſa voluntas diuina eſt ratio omnium rationum. Vnde aliqui legunt ex Græco: *Rectè Pater*: illa enim enim repetitio: *Ita Pater*: affectus eſt maximè approbantis, ac laudantis iuſtum Patris iudicium, D. Gregorius lib. 25. moral. cap. 13. *Exempla humilitatis accipimus*, ait, *ne temerè diſcutere ſuperna conſilia de aliquorum vocatione, aliorum verò repulſione, præſumamus. Non reddidit rationem Chriſtus, ſed ſic Deo placitum dixit. Hoc videlicet oſtendens, quia iniuſtum eſſe non poteſt, quod placuit iuſto.* Ex eo enim, quod hoc Deo placuit, intelligimus eſſe ſanctum, & iuſtum, ſummæ enim bonitati, aliquid diſſonum placere non poteſt.

D. Greg. *Diuina iudicia non ſunt diſcutienda.*

De prædeſtinatione agens Paulus ait: *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Ad Epheſ. 1. num. 11. Ea enim, quæ ſunt à voluntate diuina, ex altiſſima, ac prudentiſſima deliberatione procedunt; quod per conſilium innuitur; quod in Deo denotat profundiſſimam rationem, ſapientiam, ac prudentiam, vt explicant D. Chryſoſtomus, S. Thomas: Tales tamen rationes noſtrum captum tranſcendunt. At valdè diuersè res in hominibus contingit, in quorum operationibus, eorum cæca voluntas eſt ratio: Ex mandato Aſſueri ferebatur Mardochæus in ſella regia, clamante præcone: *Sic honorabitur, quemcumque Rex honorare voluerit.* Eſther 6. num. 6. Quænam ratio proferebatur, cur ei tantus dabatur honos? *Quemcumque Rex honorare voluerit.* 46.

Epheſ. 1. D. Chryſoſt. D. Thom. *Reges omnia faciunt pro ſua voluntate.* Eſther 6.

Tertiò, hoc pronunciatum: *Ita Pater*; ſeu vt habet D. Lucas: *Etiam Pater*: vox eſt conſentientis, ac applaudentis. Ac ſi Chriſtus diceret: Pater, tuæ ſupremæ diſpoſitioni reuelationis, & abſconſionis conſentio, eam approbo, ac cum gaudio ſuſcipio: per quæ profert magnam conformitatem, ac conſenſum cum voluntate Patris. Sic ipſe Dominus dixit: *Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte; veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Matth. 26. num. 39. Priorem, ac inferiorem illam voluntatem: *Tranſeat à me calix iſte*: quæ noſtræ infirmitatis erat affectus, qua cœpit pauere, & tædere: ita ſuperior portio, ac charitas in Deum efficaciter ad ſe aſſumebat, atque trahebat, vt abſolutè diceret: *Non ſicut ego volo ſed ſicut tu vis.* Ecce ſuprema creata voluntas maximè cum Deo conformis. 47.

D. Lucas. Matth. 26. *Cum diuina voluntate conformandum.*

At verò ſi nos aliquando conſones ſumus cum diuina voluntate; hoc eſt in inferioribus, non verò in maioribus; & in illis, quæ minoris, non verò maioris momenti ſunt. In Taboris vertice ait Petrus Ieſu: *Domine, bonum eſt, nos hic eſſe; ſi vis, faciamus tria tabernacula.* Matth. 17. num. 4. In tabernaculorum conſtructione, quod quid minus erat, conſonat Petrus cum beneplacito Chriſti: *Si vis, faciamus tria tabernacula.* At verò quod in monte permanerent, & non deſcenderent ad redemptionem totius generis humani, quod multum ponderis erat, abſolutè profert. *Bonum eſt, nos hic eſſe.* 48.

Matth. 17. *Homines in inferioribus tantum cum Deo conformantur.*

*Matth.* 11. *n.* 27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

VER



*VERSIONES.*

*Martin. Victor lib. 1. aduerſùs Arium.* Nullus cognoſcit Filium, niſi Pater; neque Patrem niſi Filius cognoſcit.

*Arias.* Nemo agnoſcit Filium.

*Syriacus.* Nemo quoque Patrem nouit, niſi Filius.

*Euthymius.* Et cuicumque voluerit Filius reuelare.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 10. *n.* 22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

## EXPOSITIO III.

49. RECTE Chryſoſtomus homil. 39. in Matth. docet, hanc ſententiam ita eſſe connectendam cum ſuperioribus. Viderant diſcipuli, Chriſtum gratias Patri agere, ipſúmque Dominum cæli, & terræ vocare; ad eiuſque beneplacitum abſconſionem, & reuelationem myſteriorum reducere: ne quis ergo erraret, cogitans, ipſum Chriſtum, ſecundùm omnem ſui naturam, eſſe minorem Patre, nec eſſe Deum omnipotentem; nunc docet, Patrem omnia ſua Filio communicare, per ipſúmque operari, docere, ac dona conferre.

Chryſoſt. *Connexio ad præcedentia.*

50. *Omnia tradita ſunt mihi.* An Chriſtus hæc dicat, vt Deus, vel vt homo, dubium eſt. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrian. Euthymius, Theophylactus, vt Deum, interpretantur. Idem Athanaſius contra Gregal. Sabelli; Hieronymus hoc loco; Toletus in 10. Luc. annot. 38. vt hominem aſtruunt. Facilè vtraque ſententia conciliatur: Quod primariò loquitur, vt Deus; ſecundariò verò, vt homo. Ac ſi dicat: Omnium rerum poteſtas, ac gubernatio mihi, vt Deo, ab æterno communicata eſt à Patre meo per generationem diuinam; & eadem mihi, vt homini, data eſt in tempore per vnionem hypoſtaticam, itaut in manu mea ſit poſitum, vt quos velim, vt humiles Apoſtolos, ac Diſcipulos, poſſim eligere, ac illuminare: & quos etiam velim, vt ſuperbos Phariſæos, poſſim reiicere, ac excludere. Et ſicut per me, vt Deum, Pater omnia creauit; ita etiam per me hominem factum omnia reparat, ſaluat, ac iuſto iudicio diſponit, vt ſua myſteria abſcondat ſapientibus, & reuelet paruulis. Et non ait, vt notat D. Thomas, omnia tradita ſunt mihi à Domino cæli, & terræ, ſed *à Patre meo*, vt indicet, illa ſibi eſſe communicata per generationem.

D. Athanaſ. Euthym. Theoph. D Athanaſ. D. Hieron. Tolet. D. Thom.

51. *Nemo nouit Filium.* Præcedenti ſententia declarat ſe Chriſtus omnium dominum, ac redemptorem: nunc verò ſe manifeſtat vniuerſalem doctorem, atque magiſtrum. Et commendat excellentiam ſuæ doctrinæ, cum ſe habere dicat ſcientiam diuinam, eandem ſcilicet, quam habet Pater, cum ſit eius Filius naturalis. Et tacitè occurrit Chriſtus obiectioni Phariſæorum, vt ait Chryſoſtomus, nam interrogare poterant: vnde ipſe ſciret myſteria, quæ reuelabat? D. Chryſoſt.

*Præoccupatur Phariſæorum obiectio.*

*Nemo nouit Filium*, ſeu vt clarius habet D. Lucas, *nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi Filius.* Sermo eſt de cognitione per naturam. Itaque naturaliter nemo cognoſcit Filium, niſi Pater; & Patrem nemo cognoſcit naturaliter, niſi Filius. Et ratio eſt, quia Pater, & Filius ſunt entia ſupernaturalia: ergo à nullo ente naturali, vt homine, & Angelo, poſſunt cognoſci naturaliter. Et ſermo eſt, vt rectè obſeruat Maldonatus, non ſolùm de natura Patris, ſed etiam de eius decretis, ac conſiliis. Excluditur autem hîc à cognitione Patris, & Filij quælibet perſona extranea in natura; non autem ipſæ diuinæ perſonæ, cum eiuſdem ſint naturæ. Vnde Pater ſemetipſum cognoſcit, ſicut & Filius ſuimet habet notitiam. Nec etiam Spiritus ſanctus excluditur à cognitione Patris, & Filij, ac ſui ipſius, quamuis de illo non fiat expreſſa mentio. Quia certa regula eſt apud Theologos, quod particula excluſiua appoſita vni perſonæ diuinæ in attributis eſſentialibus, non excludit alias duas, ſed ſolùm creaturas, cum ſint alterius eſſentiæ. 52.

D. Lucas. *Solùm diuinæ perſonæ mutuo ſe cognoſcunt naturaliter.* Maldonat.

*Et cui voluerit Filius reuelare.* Pro ſui beneplacito, & non pro noſtris meritis reuelat. Et ideo dicitur: *Cui voluerit.* Olim Deus ſuimet dedit notitiam, ſuaque arcana communicauit; & ideo ipſe dicitur veteris teſtamenti auctor, vt docet D. Irenæus lib. 4. contra Marcion. cap. 14. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Et ideo, vt ait Caietanus, Filio tribuitur reuelare myſteria, quia ipſe in carne aſſumpta, ea nobis aperit. Vel dicitur: *Neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ne alicui liceat aliquid in Deo paternum ſperare niſi Filij ſpiritus præcedat, qui Deum nobis faciat benignum, ac noſtrarum iniquitatum condonatorem. 53.

D. Irenæus. Caiet. *Per Filium Patrem habeamus benignum.*

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Chriſtus antequam ad ſe nos aduocet, omnia ſibi eſſe tradita, dicit: & quænam ſint hæc omnia?*

SEQVENTI verſu omnes nos ad ſe aduocat Dominus: *Venite ad me omnes*, &c. Hic tamen prius, ſe poteſtatem habere manifeſtat in omnes homines, in omnéſque creaturas, nulla excepta: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Vt fiat notum, quod nos aduocat, non vt in nos obtineat dominium, eique ſubiecti ſimus, hoc iam traditum eſt à Patre, ſed vt benigniſſimus Dominus multa dona in nos conferat, multíſque donis afficiat. *Et ego reficiam vos*, ait, vt ibi dicam. Vel fortè ideo priùs explicat omnia ſibi tradita, quàm ad ſe aduocet, vt agnita tam ampla rerum poteſtate, multáque eius magnæ liberalitatis ſpe concepta, facilè noſtra voluntas ad eius ſequelam, eiúſque doctrinam amplectendam moueatur. 54.

*Chriſtus nos aduocat ob noſtram vtilitatem.*

Iam in expoſitione dixi, quod hæc omnia, quæ dicuntur Chriſto tradita, ſunt omnium rerum poteſtas, dominatio, ac diſpoſitio: nunc verò alias Patrum ſententias proferamus. Primò D. Hilarius can. 11. in Matth. intelligit omnia, cognita ſunt à Patre, 55.

D. Hilar.

Ioan. 16.
Patre, quæque ad naturam diuinam ſpectant. Ioannes 16. num. 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quod de meo accipiet.*

Tertull. D. Irenæus. Theophyl. Euthym. D. Chryſoſt.
Secundò, Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 25. D. Irenæus lib. 4. cap. 37. Theophylactus, Euthymius. Omnia aſtruunt, quæ per ipſum creata ſunt in cælo, & in terra. Tertiò Chryſoſtom. hom. 39. in Matth. poteſtatem miraculorum interpretatur.

D. Hieron. Beda.
Quartò D. Hieronymus, & Beda per omnia homines intelligunt, qui ad fidem Chriſti adducuntur. Horum Doctorum ſententias ad moralem intelligentiam explano.

56. D. Hieron.
Primò D. Hieronymus. *Omnia*, ait, *mihi tradita ſunt: non cæli, & terra, & elementa intelligenda ſunt: ſed hi, qui per Filium acceſſum habent ad Patrem.* Hoc eſt, iuſti homines omnia ſunt Chriſto. Per omnia, quæ Chriſto à Patre communicantur, ſuprà citati Patres interpretantur, vel dominatum, quem retinet ſuper omnes ſpiritus Angelicos; vel poteſtatem, qua eminet ſuper cælum, & terram: magnus autem Hieronymus per *omnia* homines intelligit. In tantum homines appretiantur à Chriſto, tantúmque præ vi amoris in eis complacet, vt ſi homines habeat, omnia ſibi eſſe tradita, dicat, cum quibus maximè deliciatur: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Prouerb. 8. num. 31. Vel aliter, & maximè ad litteram interpretaberis Hieronymum. *Hi, qui per Filium acceſſum habent ad Patrem:* hoc eſt homines, qui ſaluantur. Tanti enim noſtra ſalus æſtimatur à Chriſto, vt cum homines ab ipſo comparantur in vitam æternam, omnia ſint ei, omniáque in hoc ſe comparaſſe, aſſeueranter dicat, & aſtruat.

*Chriſtus ita homines æſtimat, vt ei ſint omnia.*

Prouerb. 8.

*Noſtra ſalus æſtimatur à Chriſto, tanquam omnia.*

57. Beda.
Sextò Beda in Lucam. *Omnia mihi tradita*, ait, *non mundi elementa, ſed hi, quibus paruulis ſpiritu ſacramenta Filij Pater reuelauit.* Quid nomine omnium, quæ Chriſto dicuntur tradita, ipſe in hoc loco denotat? num diuina attributa ab æterno communicata? vel ius, & imperium ſuper totum orbem datum? ſeu poteſtatem miraculorum exhibitam? aut adorationem ab omnibus Gentibus præſtitam? Auctor eſt ipſe Venerabilis Beda, quod paruuli, ac humiles ſpiritu intelliguntur. O magna Chriſti dignatio, atque benignitas, quod pretioſi, ac periucundi ei ſint humiles, & paruuli, vt, dum dicit: *Omnia ſibi tradita a Patre*, omnium nomine paruulos adſignificet, ac deſignet.

*Humiles æſtimantur à Chriſto, vt omnia.*

58. Ioan. 17.
Chriſtus in vltima cœna orat ad Patrem. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Ioan. 17. num 9. Quomodo ipſe, qui vult, omnes homines ſaluos facere, *Qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. n. 2. Cur non pro mundo, ſed pro his rogat? Et quinam ſunt iſti, pro quibus tot fundit preces? Hi ſunt, ait Albertus Magnus, & D. Thomas, diſcipuli humiles, & obedientes. De quibus pulchrè ad hunc locum commentatur Cardinalis Hugo. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, id eſt pro mundo dediſti*, ſcilicet eos, cum humiles, ac paruuli, quamuis pauci numero, tanquam omnia æſtimabantur à Chriſto, eíque erant pro toto vniuerſo mundo.

1. Ioan. 2.

59.
Quid mirum quod humiles tam pretioſi ſint Chriſto, cum ipſa demiſſione vſque ad quoddam faſtigium diuinitatis euehantur. Ait Deus ad Moyſem: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Exod. 7. num. 1. Maximè notandum, quod non ait in præſenti, ecce conſtituo te, ſed in præterito, *conſtitui.* Quando Moyſes datus eſt Deus Pharaonis, Recole, apparuit illa ſuprema maieſtas dicens: *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas filios Iſraël de Ægypto.* Exod. 3. num. 7. Ipſe profundiſſima humilitate cœpit ſe excuſare, inquiens: *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Et iterum. *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum.* Exod. 4. num. 10. Cum Moyſes tanta humilitate, ſe indignum iudicaret, vt coram Pharaone appareret, cum illóque haberet verba, tunc à Deo ad quendam diuinitatis apicem eſt ſubleuatus, ac Pharaonis Deus conſtitutus. Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 26. *Non dixit*, ait, *Deus deorum, ecce conſtituam, ſed ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Ac ſi dicat, quoniam tu miniſſimus virorum pro tam glorioſo negotio cum Pharone dimicare, & cum regibus confligere, te indignum ducis: atque hoc modo te vſque ad nouiſſima terræ deprimis: Ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciámque te Deum Pharaonis, non quem fideliter adoret, ſed quem ſeruiliter formidet.*

Exod 7.

Exod. 3.

*In eo, quod quis ſe humiliat, valdè in ſublime exaltatur.*

Exod. 4.

Rupert.

60.
Maximè in huius rei argumentum ponderandum, quod dicitur: *Aaron erit Propheta tuus.* Moyſes ob ſuam humilitatem conſtitutus fuerat Deus Pharaonis: prouidit illi ſupremum Numen Deitatis apparatum, ac maieſtatem, vt cum Propheta proficiſcatur, per quem loquatur, ſicut Deus Opt. Maxim. per prophetas tanquam per organa aperit arcana ſua. Caietanus. *Quemadmodum ego*, ait, *per prophetas loquor Pharaoni, & populo, ita tu per Prophetam Aaron loqueris ad Pharaonem. Itaque tu officio Dei, Aaron verò officio prophetæ fungetur. Vide, lector, quantum eleuet Deus impedimentum linguæ in Moyſe.*

*Humilibus Deitatis apparatus confertur.*

Caiet.

## QVÆSTIO IX.

### *Si omnia dicuntur tradita Chriſto, quid nobis eſt ſperandum.*

61.
MVLTVM ſanè per omnem modum. In eo enim repoſita ſunt omnia dona, vt ipſe tanquam Princeps, Dominus, ac caput noſtrum, multa in nos abundantiſſimè diffundat, pleniſſiméque largiatur, vt communiter docent ſancti Patres Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus ad illa verba Ioan. 1. num. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quod de influxu gratiæ capitis in omnia Eccleſiæ membra explicat D. Thomas 3. part. quæſt. 8. art. 1.

*Chriſtus multa bona in nos diffundit.*

Auguſt. Chryſoſt. Cyrill. Ioan. 1. D. Thom.

62. D. Ambr.
Secundò, D. Ambroſius lib. 7. in Lucam. *Non vereamur*, ait, *quod Pater in Filium theſaurum contulit, fidei enim cenſus nunquam exinanitur: licèt totum dederit, totum habet; quia quod donauit, non amittit.* Omnia traduntur Filio, & inſuper omnia nobis integra manent, non enim cœleſtis theſaurus in vno exhauritur, nec fidei menſa in vno conſumitur; & licet vniuerſi recipiant, omnia, cuique fideli integra manent.

*Diuina bona vni collata non minuuntur ad alios.*

63. Deuter. 4.
*Dominus Deus tuus ignis eſt.* Deuter. 4. num. 24. Sed quomodo Deus, cuius natura tota eſt ſuauitas, ac benignitas, cum vorace igne comparatur? Ignis hoc habet, quod quamuis multæ candelæ in eo accendantur, adhuc eius virtus integra perſeuerat ad alias innumeras accendendas. Sic omnipotentis virtus, quamuis multa bona in homines diffundat, adhuc ipſa ad plures alios ſine numero locupletandos inexhauſta, atque imminuta conſiſtit. D. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſtol. 66. *Quam ob cauſam*, ait, *diuina ferè omnia ignis nomine deſignantur? Deus ignis dicitur, exiſtimo, quod propter abundantias, atque diuitias, quandoquidem vnus ignis mille lampadas accendat, nec minuitur, ſed alias iterum totidem, immò plures accendere valeat.*

*Diuina beneficentia, vni communicata, inexhauſta eſt ad alios.*



D. Peluſiot.

64. Exod. 12.
Cum filij Iſraël eſſent in Ægypto, mandat Dominus Moyſi: *Vt tollat vnuſquiſque agnum per familias ſuas, & edent carnes nocte illa aſſas igni.* Exod. 12. num. 3. Et vt de ſanguine agni ponant ſuper vtrumque poſtem, vt tranſiens Angelus percuſſor non lædat eos. Omnes illi agni verum Agnum Chriſtum Ieſum in ara Crucis immolandum ſignificabant. Sed quorſum, cum Agnus figuratus ſit vnus, tot agni aſſumuntur in figura, vt ſinguli agni ſingulis familiis reſpondeant, cum de ſanguine vnius agni omnium Iſraëlitarum limina tingi poſſent? Perpende diſcrimen. Quilibet ex Iſraël aſſumebat agnum ex propriis gregibus, ac paſcuis. At Agnus Chriſtus Ieſus miſſus eſt à Patre. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Agnus ex terrenis paſcuis aſſumptus vix vni familiæ ſufficit, tam ad eam ſatiandam, quàm ad ipſam à percuſſore Angelo ſeruandam, At cœleſtis Agnus ita omnes implet, vt etſi quilibet integrum accipiat totum ipſum; ipſe tamen omnibus aliis innumeris ſine aliqua ſui diminutione totus integer manet, vt vnumquemque omni cœleſti benedictione impingueſcat, atque ab omni Diaboli incurſu tueatur. D. Gaudentius tract. 2. in Exod. *In vmbra illius*, ait, *legalis paſchæ, non vnus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam ſufficere vnus non poterat vniuerſis. In hac veritate, qua ſumus, vnus pro omnibus mortuus eſt; & idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis, ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, conſecratus ſanctificat conſecratos. Hæc Agni caro, hic ſanguis eſt.*

*Bona terrena finiuntur in vno; non ſic cœleſtia.*

D. Gaud.

## QVÆSTIO X.

### *Quare, cum Chriſtus dicit, omnia ſibi eſſe tradita, ſtatim nobis proponit ſuam ſupremam ſapientiam.*

65.
PRIVS Chriſtus Dominus dixit, omnia ſibi eſſe tradita à Patre; & poſtea de ſua ſupereminenti ſcientia verba facit. *Neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Hæc dicebat Chriſtus ad homines ſibi alliciendos; & ideo prius de ſua ampla poteſtate facit mentionem, quia certè hominum appetitus ſcientiam poſtponit diuitiis; & potius homines mouentur amplitudine rerum, quàm ſcientiæ magnitudine. Quæſtio verò præſens inquirit: Cur Chriſtus Dominus, poſtquàm dixit, omnia ſibi tradita, ſtatim de ſua altiſſima ſcientia verba facit?

*Mundani plus diuitijs, quam ſapientia alliciuntur.*

66. D. Chryſoſt.
Reſpondet primò. D. Chryſoſtom. in Catena D. Thomæ; in perſona Chriſti. *Quid mirum*, ait, *ſi omnium ſim Dominus, cum aliquid aliud maius habeam, ſcilicet ſcire Patrem.* Tanquam à maiori argumentatur ad minus: ſi enim ille habet, naturaliter ſcire Patrem, non eſt multum mirandum, ſi tantam rerum habeat poteſtatem, quod eſt quid minus. Secundò, declarata ſua ſuprema poteſtate, ſuam nobis altiſſimam proponit ſcientiam, vt fiat euidens, quod tam ampla iuriſdictio ſumma in omnibus ſapientia adminiſtrabatur.

*Omnia prudētia adminiſtranda.*

67.
Tertiò, valdè frequenter in humanis ſumma rerum dominatio cum multa ignorantia ſolet eſſe connexa: ne quis audiens à Chriſto, omnia ſibi eſſe tradita, in huiuſmodi opinionem incideret; ideo ipſe ſapientiæ ſuæ, qua Patrem cognoſcit theſauros ampliſſimos nobis adducit in medium. In tam ſiniſtra opinione habetur, ac reputatur alicuius hominis inter nos regnantis ſcientia, ac intellectus.

*Valdè frequenter in humanis cum inſcientia connexa eſt dominatio.*

68.
Vngitur Saul in regem à Samuele. Et primum ſignum, quod ei datur in vrbe, ac coram populo, eſt prophetandi actus. *Cumque ingreſſus fueris in vrbem, obuiam habebis gregem prophetarum, & inſiliet in te Spiritu Domini, & prophetabis*, 1. Reg. 10. num. 6. Poſtquam creatus eſt rex, ad quid ſtatim in eo viſitur illuſtris prophetandi actus, qui ad ſcientiam, & intellectum pertinet? Tam valdè frequens eſt apud rerum dominatores ignorantia, ac inſcientia, vt nequis ſuſpicaretur, quod idem acciderat regi à Deo electo, inde ipſe Dominus altiſſima ſua ſapientia ordinet, vt Saul in publico eructet, præclaros prophetandi actus, quibus intellectus ſublimitas, ac excellentia valdè condecoratur, ac patefit. Abulenſis quæſt. 14. *Erat autem*, ait, *iſtud ſignum confirmatiuum Iſraëlitarum, quia ipſi cognoſcebant, quod Saul neſciebat prophetare; ergo firmiſſimè conſtabat, quod à Deo motus fuiſſet.*

1. Reg. 10.

*In principibus valdè frequens inſcientia.*

Abulenſ.

69. Luc. 3.
Veniunt ad Ioannem, ait D. Lucas 3. num. 11. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti. Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter quid faciemus? At ille dixit ad illos: Nihil amplius, quàm conſtitutum eſt vobis. Interrogabant autem eum & milites.* Meritò dubitat Rupertus lib. 1. de Gloria filij hominis. *Turbæ interrogant, publicani interrogant, milites quoque interrogant dicentes, quid faciemus? Pharifæi verò nunquam interrogaſſe leguntur, & dixiſſe, quid faciemus?* Cuncti quærunt à Ioanne veritatem, vt eam agnoſcant, in eaque illuminentur: Iudæorum tamen principes, ac magnates nil ſciſcitantur. Tam obdormientes, ac obcæcati ſunt rerum dominatores in ſua ignorantia, vt nihil interrogent, ne aliquid penetrent, & capiant.

Rupert.

*Principes, vt obdormientes in ignorātia, nihil interrogant.*

70. Exod. 1.
*Surrexit in terra rex nouus, qui ignorabat Ioſeph.* Exod. 1. num. 8. Quid primum in hoc rege nouo notatur? Ignorantia: ac ſi eleuatio ad regnum eſſet prolapſus in ignorantia, quæ tanquam omnium malorum prænoſticum, ac ſignum in eo ſcribitur, ac ponitur. Abulenſis. *Peſſimus rex, & omni indignitate indignior, qui nunquam Ioſeph in recordationem, ſaltem tenui rimula, reducebat.*

*Ignorantia in principe omnium malorum prænoſticum.*

Abulenſ.

*Matth.* 11. *n.* 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Venite ad me ô omnes, qui deſeſſi eſtis, & baiulantes onera, & ego præbebo vobis requiem. |
| *Arabicus.* | Labore attriti, & grauati onere. |
| *Græcus.* | Qui moleſtiam patimini. |
| *D. Cyprianus lib. 1. aduerſùs Iudæos.* | Ego vos requieſcere faciam. |
| *Euthymius.* | Ego vos refocillabo. |
| *Arias.* | Ego recreabo vos. |

*EXPOSITIO IV.*

SVPRA manifeſtauit Dominus ſuam amplam poteſtatem ſuper omnes creaturas. *Omnia mihi tradita ſunt.* Declarauit etiam ſuam immenſam ſcientiam. *Neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius, reuelare.* Dubitare quis poſſet, an ipſe vellet reuelare Patrem, ſuáque nobis communicare? Hanc ergo voluntatem nunc oſtendit nos omnes ad ſe vocans. Cum igitur ipſe tanta nos benignitate vocet, nullus ad eum adire, ac accedere timeat, vt notarunt Abulenſis, & alij: ipſe enim omnibus eſt patens, vt omnes excipiat, ac amplectatur.

*Ad beneficiendum non ſufficit poteſtas, ſed & requiritur voluntas.* Abulenſis.

Hugo. *Venite ad me*, non greſſibus corporis, vt ait Hugo, ſed mentis, ſcilicet fidei, & charitatis, ac deuotionis. Et cum dicitur, *Venite*, liberum hominis arbitrium denotatur, quod interueniente Dei gratia in hoc negotio operatur. *Ad me*, cui omnia tradita ſunt. *Omnes*, nullum excipit, cunctos indiſcriminatim vocat. O diuinæ maieſtatis vox! Solus enim Deus omnes reficere poteſt, eoſque multis bonis ditare.

*Solus Deus omnes reficere poteſt.*

*Qui laboratis*, ſeu fatigati, *& onerati eſtis*, magno pondere grauati, ac tanquam oneri ſuccumbentes. Et cum omnes ad ſe vocet, Iudæos, ac Gentiles intelligit, vt explanat Chryſologus ſermone 105. Per hos autem laborantes, & oneratos peccatores interpretantur Hilarius, Chryſoſtomus, & D. Auguſtinus ſermon. 11. de verbis Domini: *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, Pſalm. 37. num. 5. Quod expli[illegible] Euthymius, ait, quod in perpetrando pe[illegible]m eſt labor, poſtea verò graue onus. Secundò, D. Hieronymus, Theophylactus intelligunt tam laborantes in via iniquitatis, quàm oneratos iugo legis Moſaicæ. Tertiò D. Ambroſius lib. 3. Hexam. cap. 12. Terrenis cupiditatibus oneratos interpretatur. Quartò, Abulenſis. Laborantes curis, & negotiis ſæculi, oneratos infirmitatibus, ac tentationibus carnis.

D. Chryſol. D. Hilarius. Chryſoſt. Auguſt. Pſal 37. Euthym. Hieron. Theophyl. D. Ambr. Abulenſis.

Et cum nos vocat, dicit: *Laboratis, & onerati eſtis*, vt notetur, ait Albertus Magnus, veniendi neceſſitas, quia ſi amor eos non ducat ad Chriſtum, ſaltem propria vtilitas impellet. *Et ego reficiam vos*, omni ſcilicet bono, per ſuauiſſima verba, per medicamina ſacramentorum, ac per magnam gratiam, & conſolationem ſpiritualem. D. Baſilius Seleucus orat. 29. *Indefectus apud me eſt clementiæ fons, & omnium ſcelerum formas potens euertere.*

Albert Mag. *Quos non ducit amor, propria vtilitas obligat.* D Seleuc.

---

QVÆSTIO XI.

*Ad quid Chriſtus nos aduocet in hac voce, cuius benignitas explicatur.*

PRIMO excellentiam huius vocis explanans Chryſoſtomus homil. 39. in Matth. ait; *Non hic, aut ille, ſed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me; non vt pœnas luatis, verum & dolores, peccatáque veſtra reſoluantur. Venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus eſt mihi, ſed quia ſalutem veſtram maximè ſitio. Ego, inquit, vobis requiem tribuam. Non dixit, ſaluos faciam, ſed quod maius eſt, in omni quiete conſtituam.* Non ob ſuum commodum, ſed ob vtilitatem noſtram nos vocat: non quia à nobis laudari, ac glorificari velit, ſed vocat, quia vehementiſſimè ſalutem noſtram deſiderat: & non ſolùm ſalutem nobis promittit, ſed iuxta Græcum ait: *Ego requieſcere faciam:* hoc eſt in omni bono, & fœlicitate conſtituam. Vnde præfata verba explicans D. Thomas inquit: *Venite ad mea beneficia.*

D. Chryſoſt. *Vocat nos Chriſtus ad ſua beneficia* D. Thom.

Secundò, D. Baſilius Seleucus orat. 29. *Venite ad me omnes*; ſic ait: *In me duntaxat propenſi eſtote, & curationem referte: apud vos crimina, apud me medicamenta: apud vos vulnera, apud me pharmaca. Solum pœnitentiam quæro, & vlcus ſano.* Pondera illa verba: *In me duntaxat propenſi eſtote.* Hoc ei pro magno pretio eſt, vt ad ipſum veniamus, & vt in illum propenſi ſimus, vt multis ſuis ipſe nos repleat donis. Et tamen detinemur, neque ad ipſum accedere volumus, veluti neceſſe ſit, quod ab alio feramur. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, dicebat ſponſa Cantic. 1. numer. 3. Verùm ſi ipſa in magnifico rege, ac dilecto ſuo tot agnoſcit odoramenta, vnguentorum, ſcilicet donorum, atque virtutum, cur ipſa per ſe non currit, ſed vt trahatur, rogat? Ea enim eſt noſtra conditio, vt etiam ad patentia ſpiritualia dona ire nequeat, quin ab alio ad ipſa feratur. D. Bernardus ſermone 21. in Cantica. *Quid? Sponſa ne ergo neceſſe habet trahi, & hoc ad ſponſum? Quam pauci poſt te, ô Domine Ieſu, ire volunt; cum tamen ad te peruenire, nemo ſit, qui nolit, hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vſque in finem.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæſtione 2 num. 12.

D. Seleucus. *Noſtra voluntas Deo pro magno pretio.* Cantic. 1. *Vt homo ad Deum accedat, ab alio ferri debet.* D. Bernard.

Tertiò, idem Baſilius Seleucus citato loco. *Huius vocis, ait, hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, cælum hominibus peruium reddiderunt. Terras integras peruaſit ea vox, ſine vi captæ ſunt ciuitates, prouinciæ concurrerunt, reges adorauerunt, imperatores ceruices ſubiecerunt. O vocem, quæ commune quoddam de hominibus trophæum ſtatuit! O vocem ſalutis fontem! O verbum vnica adſenſione terram captiuam agens!* Quod etiam aliis latè proſequitur S. Pater. Ad totum orbem à ſuis erroribus, ac idolis expurgandum, eumque ad fidem Chriſti reducendum, Apoſtoli, non gladios, non lanceas, non ænea tormenta hæreditarunt, ſed hanc ſuauem Chriſti vocem: *Venite ad me omnes*, &c. hoc enim verbo imperatores, reges, ac principes ſubiugarunt, totúmque mundum deuicerunt, ac de illo triumphum aſportarunt, vt ædificatio Eccleſiæ per vniuerſas Gentes extrueretur. Poſt commiſſum peccatum, excluſo homine de loco voluptatis, *Collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium.* Geneſ. 3. num. 24. Ad vocandum autem ad cæleſtem Paradiſum ait Chriſtus: *Si quis ſitit, veniat ad me, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan. 7. num. 37. Cur ad impediendum aditum gladius adducitur; quando verò reſeratur, ac omnes vocantur, vnum verbum profertur? Gladius ſit, vt homo territus fugiat; cum autem cuncti alliciuntur, atque vocantur, nil efficacius, quàm vnum ſuaue verbum proponitur. Albertus Magnus. *Hac voce omnes vocati ad fontem Saluatoris concurrerunt.*

D. Seleucus. *Plus deuincitur benignitate verborum, quàm ferri rigore.* Geneſ. 3. Ioan. 7. Albert. Mag.

78. Quartò, Gerſon lib. 4. de imitatione Chriſti, cap. 1. *Venite, inquit Chriſtus, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O dulce, & admirabile verbum in ore peccatoris, quo tu Domine Deus meus egenum, & pauperem inuitas ad communionem tui ſacratiſſimi corporis.* Vocat Dominus ad ſe omnes laborantes, & oneratos, aitque illis: *Reficiam vos*, ſeu *recreabo vos*, omni ſcilicet dono, & conſolatione ſpirituali. Sed in quo tanta erit refectio? Ad ſacram Euchariſtiam inuitat, in qua anima omni gratia, omníque fœlicitate, ac cuncta diuitiarum ſuppellectili adimpletur, ac ſatiatur.

Gerſon. *In Euchariſtia Chriſtus omni bono nos reficit.*

79. Seruus ille, qui debebat decem millia talentorum, & vnde redderet non habebat, dominum ſuum rogabat dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matth. 18. num. 26. Sed vnde iſte pauperrimus homo, qui in bonis nil obtinebat, vtque peccator omni egeſtate laborabat, vnde, inquam, tam ingentem pecuniæ copiam ſoluere poſſet, decem ſcilicet millia talentorum? Pro eo reſpondet Palatius. *Adeò confidenter promittebat iſte ſatisfactionem operum, quia nouit per pœnitentiam applicari ſanguinem Chriſti, qui, cum infiniti valoris ſit, profectò omnia talenta valebat.* Sperabat ille, quod per pœnitentiam ei applicaretur ſanguis Chriſti, quo hauſto, ita diuitiis abundaret, vt pluſquam decem millia talenta valeret ſoluere; nam ille pretioſiſſimus cruor, cum infiniti ſit valoris, totum mundum in ſuo pretio ſuperat. D. Thomas opuſcul. 58. num. 27. *Sanguis Chriſti verè eſt ſanguis Dei, ideo tam pretioſus, quod vna gutta plus valeat, quàm totus mundus.*

Matth. 18. Palat. *Summa diuitia in Euchariſtia.* D. Thom.

| | |
|---|---|
| *Matth. 11. n. 29.* | Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Baiulate iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſim, & humilis in corde meo. |

*EXPOSITIO V.*

SVPRA Dominus omnes ad ſe vocauerat dicens: *Ego reficiam vos*, ſeu *vos quieſcere faciam:* Nunc explicat, in quo huiuſmodi quies ſit conſtituta, non vt ab omni opere ſint vacui; nec vt abſque lege viuant, ſed vt excuſſo veteris hominis iugo, Euangelio colla ſubmittant. Nam iugum, ac onus perantiquæ legis, vel peccati, ſeu concupiſcentiæ, de quo quæſt. 13. valdè grauiſſimum extabat. Iugum autem meum, ait Chriſtus, ſcilicet Euangelica lex, ad quam ego vos aduoco, multum ſuaue eſt, auxiliorum multitudine, gratiæ abundantia, ac præceptorum facilitate. Iugum tamen dicitur, quia lex animas obligans eſt. Vnde ait D. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat:* in hunc modum. *Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos; non tamen onus ſubtrahit, aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat, ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies, aut refectio, etſi minus appareat, tamen inuenitur.* 80.

*Lex Euangelica valdè ſuauis.* D. Bernard.

Non ait, impono vobis iugum, ſed *Tollite iugum meum ſuper vos*, vt noſtra libertas ſignificetur. Et ait, *ſuper vos*, primò, vt inquit Abulenſis quæſt. 65. vt applicatio metaphoræ ſeruetur; nam animalia iugum ſupra ceruicem portant. Secundò Caietanus. Super vos, ait, non ſubtus vos, nec iuxta vos, ſed ſuper vos ſuſcipite Euangelium, non deſpiciendo, nec contemnendo, tanquam humanam legem, ſed vt rem diuinam ſuperiorem omnibus vobis. Et notandum, quod non ait, Tollite iugum ſuper collum, vel humerum veſtrum, ſed *ſuper vos*, ſcilicet totos, vt caput, os, lingua, oculi, aures, manus, & pedes, ac omnia membra ſubiecta ſint legi Dei. Sic canebat Dauid: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Pſalm. 102. num. 1. 81.

Abulenſ. Caiet. *Lex ſit, non ſubtus, ſed ſuper nos.* Pſalm. 102.

*Et diſcite à me*, Chryſoſtomus homil. 39. D. Auguſtinus ſerm. 10. de verbis Domini, & alij Patres, ac Auctores communiter ſic interpretantur, meo exemplo erudimini eſſe mites, & humiles. Germanè tamen ſic cum Imperfecto homil. 28. Abulenſi quæſt. 66. Ianſenio, & aliis, ſic inquam explicabis. Non timeatis, tollere iugum meum ſuper vos, nam illo ſuſcepto diſcetis, ac agnoſcetis, me eſſe, non rigidum, ac ſeuerum dominum, ſed valdè mitem, benignum, ac affabilem, leuia enim mandata trado: Et etiam agnoſcetis, me eſſe, non ſuperbum, ac arrogantem regem, ſed humilem corde; nam cum meis aſſeclis, tanquam eorum frater, me gero. Et ait, *humilis corde*; nam vt notat D. Cæſarius Arelatenſis homil. 18. Vera humilitas, non tantum in externa facie apparet, ſed etiam ab intimo corde procedit. Rectè connectit manſuetudinem cum humilitate; hæ enim duæ virtutes, vt mater, & filia aſſociatæ incedunt. D. Bernardus ſermone 2. *In ſignum magnum.* Sic ait. *Sicut mater præſumptionis eſt elatio, ſic manſuetudo vera, non niſi ex vera humilitate procedit.* 82.

Chryſoſt. D. Auguſt. Imperfect. Abulenſis. Ianſen. *Verus ſenſus.* D. Cæſar. *Vera humilitas ex corde. Manſuetudo, & humilitas ſociantur.* D. Bernard.

*Et inuenietis requiem.* Iugo legis meæ ſublato in humeros veſtros, inuenietis requiem à ſeruitute peccati, à perturbatione conſcientiæ, ab ardore concupiſcentiæ, ac à vitiis, & malis omnibus. 83.

*Corpora cruciātur, vt animæ à vitijs requieſcant.* D. Paſchaſ.

nibus. *Animabus veſtris:* non dixit, corporibus; nam in hac vita lex Chriſti maximè quietem affert animæ, quæ conſcientiæ tranquillitate gaudet. Et quia, vt ait D. Paſchaſius lib.6. in Matth. *In præſentiarum corpora cruciantur, vt animæ à vitijs requieſcant.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quid iugum ſignificet in præſenti: & quare Chriſtus potius dixit iugum meum, quam iugum veſtrum?*

84. CONVENIVNT Patres, & Doctores in præſenti, quod iugum legem Euangelicam ſignificat. Huius deriuationis varias aſſignant rationes. Primò Lyranus ait, quod appellatur iugum à iungendo, lex eſt enim amoris, & præcipuum eius mandatum de charitate eſt: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Ioan.15.num.12. Charitas autem homines iungit, eſt enim virtus vnitiua. Secundò Rabbanus, quia iungit lex Euangelica Iudæos ad Gentes; nam Chriſtus copulauit in ſe omnes, ſicut dicit Apoſtolus. *Fecit vtraque vnum.* Quamuis hæc omnia vera ſint,

Lyran. *Lex Euangelica, lex amoris.* Ioan. 15. Rabbaa.

85. Tertiò, & germana interpretatio, quam ſecutus ſum in expoſitione, eſt Alberti Magni, S.Thomæ, Hugonis, & aliorum. Quod communiter in Scriptura lex, ſiue imperium, iugum nuncupatur. Geneſ.27. num. 40. Pſalm.2. num.3. Ierem.2. num. 20. Eo quod ad modum iugi ſubditos ſibi ſubiiciat, & adſtringat, veluti animalia iugo ligantur, atque premuntur: ſic & lex Euangelica, quamuis ſuauis, homines tamen diuinis mandatis à vitiis cohibet; ne in ſuas abeant effrænatas cupiditates. Vnde ſeruata communi metaphora; at verò in ſingulari, vtpotè ſuaue; in mundo autem multa ſunt duriſſima iuga. Sic ille alius: *Iuga boum quinque emi.* Luc.14. num 19.

Albert.Mag. S.Thom. Hugo. Geneſ.27. Pſalm. 2. Ierem.2. *In mundo multa iuga.* Luc. 14.

86. Iugum dicitur etiam, ait Palatius: nam natura iugi eſt, vt non vni ſoli apponatur; ſi iugum eſt, duos grauare debet. Quis eſt ille ergo, qui mecum iugum portat? Audeo & hoc dicere, Chriſtus ipſe eſt iugalis noſter, qui iugum fert nobiſcum, nobiſcumque laborat. Audi Salomonem, qui ſapientiam, quæ Verbum Dei eſt, à Deo petiuit. *Mitte*, inquit, *ſapientiam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* cap.19.n.10. Et Paulus dicit: *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* 1. Corinth.15. num.10. Etſi in adimplenda diuina lege, vincendíſque tentationibus, ſuperandóque inimico homo per ſuum liberum arbitrium agat; tamen Chriſtus per ſuam gratiam ſimul nobiſcum cooperatur. Ergo valdè leue eſt iugum, quod à tam robuſtiſſimo commilitone nobiſcum portatur; vt concludit ipſe Palatius.

Palat. *Chriſtus nobiſcum ſimul laborem fert.* Sapient. 19. 1. Cor. 15.

87. Poteſt etiam moraliter, & iam ad ſecundam quæſtionis partem cum D. Anaſtaſio Sinaita lib.9. in Hexamer. paulo poſt initium, interpretari iugum Chriſti, de quo ipſe ait: *Tollite iugum meum:* eſſe eius crucem, dolores, paſſiones, ac miſerias, quas ipſe pro noſtris peccatis tulit. Iſai. 9. num.4. *Iugum oneris eius.* Thren. 3. n.27. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Huiuſmodi autem iugum, ô Domine, potius videtur dicendum noſtrum, quàm tuum, cum prouenerit à peccatis noſtris? Adeò ipſe eſt benignus Pater, vt noſtrorum peccatorum dolores in ſe tulerit, vt pro eis ſatisfaceret. Deinde quia adeò caliginoſos oculos habemus ad proprias miſerias, ac pœnalitates intuendas, atque percipiendas, quod, vt eas agnoſcamus, ac contemplemur, vt expedit, neceſſe ſit, vt ſimulata facie, alteriuſque nomine, tanquam alienæ nobis proponantur; aliter verò vt propriæ, ad illas cæcutimus.

Sinaita. Iſai. 9. Thren. 3. *Homines miſerias ſuas in ſe non videt.*

Dubitabis, quod loquens de noſtris laboribus, eos crucem noſtram appellat: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam.* Matth.16. num.24. At verò hic modò de ſuis doloribus, ac pœnis agens, eos iugum nuncupat. Nam labores noſtri crux ſunt duriſſima, multíſque preſſuris plena; at verò ſi Chriſti cauſa ſuſcipiuntur, ſuaue iugum, & onus leue fiunt. 88.

Matth. 16. *In Chriſto ſuauitas, in mundo multi labores.*

Contempto Regis Nabuchodonoſoris imperio, eius ſtatuam noluerunt adorare tres pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago; cuius rei cauſa in ardentem fornacem miſſi ſunt. *Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadringenta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, ne quidquam moleſtiæ intulit.* Daniel.3. num. 47. Perpende latum diſcrimen in hiſtoria. Pueri in medio ignis habent Angelos ſocios; & ſuauem quandam roridam auram, *quaſi ventum roris:* ſeu vt legit Vatablus, *quaſi roſcidum flatum ſuſurrantem.* At qui propè fornacem erant, nempè tortores, qui multo ſudore ligna aſportauerant, valdè miſerabiliter à flamma conſumuntur. Sed vnde diuerſitas tanta? Non mirum ſanè: nam pueri ardentem fornacem ſunt ingreſſi ob Dei cultum, ac religionis cauſa; quod negotium, quamuis in hominum oculis extremum videretur ſupplicium, grauiſſimáque miſeria, ibi tamen ſumma delectationum gaudia, roríſque valdè delectabilem flatum reperiunt. Qui autem propè fornacem erant, cum mundano regi famulatum præſtarent, multo lignorum pondere fatigati, & tanquam mala cruce oppreſſi, nullum leuamen habent, ſed in extremam ærumnam incidunt, vt à voraci flamma arrepti conſumpti ſint, ac in cineres redigantur. D. Zeno Veronenſis ſermone 8. de Tribus pueris. *Mors refugiens*, ait, *mutat officium, cenſores cremantur: incenſis, hymnum canentibus, flamma blanditur: Deus à creatura vniuerſa benedicitur.* Et D. Hilarius ſermone 2. de Nuptiis. *Quantum lætitiæ, in præſenti*, ait, *obtinent merita religionis, & priuilegia ſanctitatis! Ecce horrendum neſcio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinſecus ſæuiunt, intrinſecus parcunt: extra fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus fornace famulatur.* Vide ſupà cap.18. num.56. 57. & 58. & 59. 99.

Daniel.3. Vatablus. *In Dei obſequio ſuauitas, in mundi autem extrema miſeria.* D. Zeno Veronenſ. D. Hilar.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XIII.

### *Quare, cum Dominus ſuprà ſuis promiſerit, quod eos requieſcere faciet, nunc eis mandat:* Tollite iugum meum ſuper vos.

90. SVPERIORI verſu dixerat Dominus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos;* ſeu, vt habet alia littera: *Ego vos requieſcere faciam.* Si promittit à laboribus requiem, à ſarcinarum malo leuamen, quomodo nunc mandat: *Tollite iugum meum ſuper vos?* Pro explicatione quæſtionis ſuppono id, quod ſuprà dixi expoſitione 4. quod Dominus ad ſe vocat laborantes, & oneratos, vel ſeruitute peccati, vel iugo legis, vt ibi notaui.

*Difficultas quæſtionis.*

91. Reſpondetur primò cum D. Hilario, S.Thoma, & aliis; Quod Chriſtus Dominus vocabat ad ſe omnes, qui laborabant ſeruitute peccati, & onerati erant iugo legis; & his promittit requiem; & ad hoc eis mandat: *Tollite iugum meum ſuper vos*, ſcilicet legem meam Euangelicam, quæ eſt optimum medicamen, vt ſpiritus ægrotus ſanetur, vtque anima Chriſti gratia adimpleatur, omníque quieta, ac ſecura bonorum cœleſtium fœlicitate gaudeat, ac perfruatur. *Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habebitis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Rom.6. num.22.

D. Hilar. D.Thom. Rom. 6.

92. Secundò D. Hieronymus. *Quomodo leuius lege Euangelium, cum in lege homicidium, in Euangelio ira damnetur? Qua ratione Euangelij gratia facilior, cum in lege adulterium, in Euangelio concupiſcentia puniatur? In lege multa præcepta ſunt, quæ Apoſtolus non poſſe compleri Actorum 15. pleniſſimè docet. In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, viuet in eis; in Euangelio voluntas quæritur.* Si Chriſti diſcipuli in lege Euangelica tam rigoroſis præceptis aſtringuntur, tantíſque laborum ponderibus grauantur; quomodo ergo Chriſtus eos, qui erant onerati iugo legis veteris ad ſe vocat dicens: *Ego reficiam vos:* ſubdens, *Tollite iugum meum ſuper vos*, legem ſcilicet Euangelicam, qua tanta mandatorum ſarcina oneramur? Nunquid Chriſtus iugum iugo grauiori vult ſubleuare? Perpondera vltima Hieronymi verba: *In Euangelio voluntas quæritur.* Ait enim Chriſtus: *Tollite iugum meum:* hoc eſt, vos veſtra voluntate, veſtróque arbitrio tollite, & imponite vobiſmet ipſis iugum meum; & cum illud veſtra voluntate aſſumatis, vobis ſuaue, & leue erit, eóque ego vos reficiam, ac recreabo. Nam quamuis in ipſo iugo Euangelico multa ſint onera, & eſto aliqua grauiora; tamen cum è propria voluntate eligatur, iam non ſentitur onus, ſed multum leuamen cum magna dulcedine experitur. Pulchrè in hanc rem D. Bernardus lib. de diligendo Deum; paulo ante finem; ſic præſentia verba interpretatur. *Tollite*, ait, *iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Ac ſi diceret, non impono inuitis, ſed vos tollite, alioquin non requiem, ſed laborem inuenietis animabus veſtris.* Ex quo coniice, quam libentiſſimo animo religionis iugum ſuſcipiendum ſit, alioquin maximè grauabit, ac deprimet.

D. Hieron. *Quæ propria voluntate eliguntur, valdè ſuauia.* D. Bernard. *Quæ contra voluntatem, valdè grauia.*

Tertiò, altitudo diuinæ ſapientiæ maximè conſideranda eſt: nam onus onere grauiori, pondus pondere maiori minuit, & ſubleuat. Vocat Dominus onuſtos lege; & aliud grauius onus, vt vult D. Hieronymus, eis imponit. Et tamen tanto onere onus minuit, & leuat, ac ſarcinam tollit ſarcinis. Tale enim eſt diuinæ ſapientiæ artificium, vt per valdè contraria media effectus producat, quos intendit. 93.

D.Hieron. *Deus per cōtraria media effectus producit, quos intendit.*

Quartò, D. Bernardus ſerm.15. in Pſalm. *Qui habitat:* ſic ait: *Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos; non interim onus ſubtrahit, aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat; ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies, ac refectio, etſi minus appareat, tamen inuenitur.* Oneratos ad leuamen ad ſe vocat Dominus, non tamen onus abſolutè adimit (non poteſt homo eſſe in hac vita ſine ærumna, ac labore,) ſed leuiori onere commutat. Sub peccato grauiſſimum eſt, & importabile iugum: ſub Chriſto autem leue, ac ſuaue. A priori nos Dominus liberat; hoc ſecundum vt miſericors pater imponit. 94.

D. Bernard. *Homo in hac vita nunq̄ ſine labore.*

Quintò Galfridus in Allegor. Tilmani. ſic ait: *Veruntamen ſic labor omnis, & onus omne culpatur. Quid eſt, quod idem ipſe, qui refectionem pollicetur, adiungit: Tollite iugum meum ſuper vos? Sed labor eius reficit laborantem, & onus eius portat potius, quàm portatur.* Onuſtis, ac laborantibus ad ſe venientibus promittit Dominus requiem, & ad hoc eis mandat: *Tollite iugum meum:* Tantum abeſt, vt Chriſti iugo, ac mandatorum eius onere grauemur, quod non onera ferre, ſed potius ab ipſis ferri videamur. *Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrum.* Pſal.67. n.20. Legit Hieronymus: *Portabit nos Deus ſalutis noſtræ.* Portat enim nos Deus ſuis auxiliis, & proſperum iter facit nobis in cælum. Valdè conſonè hic referam verba D.Bernardi Epiſt.72. *Libet admirari*, ait, *quàm leue ſit onus veritatis, quod non ſolum non onerat, ſed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit vterum grauidare virgineum, ſed non grauare. Hoc onus ipſa, quibus ſe præbuit ſuſtentandum, Simeonis brachia ſuſtentabat. Hoc etiam Paulum, in graui ſcilicet, & corruptibili corpore poſitum, rapiebat vſque ad tertium cælum.* Cum Arca Dei humeris Leuitarum ſublata eſſet à Dauide rege in domo Obededon ad tabernaculum Sion, ait Scriptura 1. Paralip.15. num. 26. *Cumque adiuuaſſet Deus, leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes.* Quale autem eſſet hoc iuuamen, ait Lyra. Dicunt Hebræi, *Quod arca ſe ipſam portabat, id eſt quod portatores Arcæ nullum pondus ſentiebant, & pro illo miraculo facta eſt illa immolatio.* In Arca erat lex; ipſam portantes magno merito, ac honore afficiebantur; & tamen nullum ponderis onus ſentiebant, ſed potius ab Arca ipſa adiuuabantur. 95.

Galfrid. Pſalm.67. D. Hieron. D. Bernard. *Deus nos portat in celū.* 1. Par.15. Lyra.

Sextò, D. Paſchaſius lib.6. in Matth. *Grauiter*, ait, *laboribus fatigatos, vel oneribus antiquæ legis depreſſos benigniſſimus Saluator ad ſe vocat, ea omnia ablaturus, tantum vt iugum eius ſuaue, & onus leue ſuſcipiat.* Onuſtos grauiſſima ſarcina tot præceptorum, ac cæremoniarum antiquæ legis Dominus ad ſe alliciebat, vt impoſito eius iugo Euangelico reficiat, quod minimè grauat, ſed magna ſui ſuauitate, ac facilitate animum recreat, ac leuat. 96.

D. Paſchaſ. *Lex Euangelica multum recreat ſuper legem veterem.*

97. Cant. 1.

*Melioraſunt vbera tua vino fragantia vnguentis optimis.* Cant. 1. n. 1. Inquirere pulſat animus: Quod nam ſit hoc vinum? quæve hæc vbera vnguentis plena, quæ tam publico teſtimonio meliora dicuntur? Communis eſt Patrum interpretatio Adamantij homil. 1. ex quatuor; Bedæ, Iuſti Orgelitani, Aponij, & aliorum. Quod ſponſa deteſtatur vinum amarum antiquæ legis obſeruantiæ, quæ in ſe erat valdè amara, rigida, & auſtera; de qua vua, ſeu vino ait Philippus Abbas citandus; *Quis ſugat, & eius dentes non obſtupeſcant? Cuius guſtus, & palatum non hoc hauſtu grauius amareſcant?* Sponſa autem tantopere appetit vbera, quæ leniter, ac ſuauiter præbent lac, & alimentum cum multa odoramentorum fragrantia, legem ſcilicet Euangelicam, quæ ſuprà modum totum hominem fœcundat, & replet, ac valdè mirificè animum gaudio perfundit. Iuſtus Orgelitan. *Illic, ait, tanquam auſteritas vini, diligendum tantum modo proximum, & inimicum odiendum oſtendit. Hic dulcedo gratiæ pro inimicis orandum; & eos, qui nos oderunt, admonet diligendos.*

Adamant. Beda. Orgelit. Apon. — Philip. Abb. — *In lege gratiæ multa ſuauitas; in lege veteri multa auſteritas.* — Orgelit.

98. Exod. 21.

Lex antiqua ordinabat: *Qui percuſſerit patrem, & matrem ſuam, morte moriatur.* Exod. 21. n. 15. Et ſic alias multas pœnas lex diſponebat, vt oculum pro oculo, dentem pro dente rependeret homo. At lex gratiæ quid imponit ei, qui percuſſerit, vel occiderit? Vt confiteatur, ac pœnitentiam agat, non vt moriatur. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Quid eſt, quod lex antiqua mortem; lex verò gratiæ vitam pollicetur? lex antiqua, vt aſpera, & auſtera horrorem mortis minatur: Lex verò gratiæ, vtpotè ſuauis, fœlicitatem, ac dulcedinem vitæ, eiuſque conſeruationis inducit. Philippus Abbas tom. 2. in Cantic, ad citata verba: *Meliora ſunt:* ſic loquitur. *Lex dicebat, ſi quis peccauerit, hoc, aut illud peccatum fecerit, moriatur. Euangelium verò clamat, ſi quis peccauerit, pœnitentiam agat, & non moriatur. Valdè ergo ſunt melioraia, id eſt dulciora effecta vbera tua.*

*In lege veteri mors, in lege gratia vita.* — Philip. Abb.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare hìc tantum ſuam humilitatem Chriſtus Dominus nobis commendat.*

99. D. Paſchaſ.

RATIONEM litteralem iam dedi in expoſitione. Alias morales quæro. Et primò D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Idcirco*, ait, *mandat, diſcere à ſe, non mundum fabricare, non mortuos ſuſcitare, non virtutes ſignorum facere, ſed humiles eſſe, & mites, vt poſſimus omnia ſuſtinere.* Quod etiam ante docuit D. Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Domini ſecundum Matth. Expende illa verba: *Vt poſſimus omnia ſuſtinere.* Vt Dominus laboribus fatigatos, ac oneratos, quos ad ſe vocabat, reficere, ac requieſcere faciat iugo ſuo impoſito, eos ad humilitatem exhortatur. Quæ enim cum humilitate, ac modeſtia ſuſcipiuntur, facilè, ac ſuauiter ſuſtinentur: quæ autem cum arrogantia, ſemper dura, ac rigida iudicantur. Præfatæ difficultatis alteram rationem aſſignat Neſtoretus Abbas collat. 15. cap. 7. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Hoc enim eſt, quod cunctis generaliter diſcere, & exercere, poſſibile eſt: opera autem ſignorum, atque virtutum, nec ſemper neceſſaria, nec omnibus conceduntur.*

D. Auguſt. — *Quæ cum humilitate ſuſcipiuntur, facilia reputantur.* — Neſtoret.

100. Caiet.

Secundò, Caietanus. Nota, prudens lector, ait, quia Ieſus vniuerſum mundum alloquitur, inuitando omnes; & propterea non dicit, diſcite à me, quia ieiuno, quia oro, quia pedes diſcurro, quia prædico, & ſimilia, à quibus poſſet ſe aliquis excuſare, allegando impotentiam, dicendo ſe inhabilem; ſed diſcite à me, quia mitis, & humilis ſum corde; nullus enim poteſt ſe excuſare à dominio propriæ voluntatis, à diſciplina domandi internas paſſiones; in his intimis conſiſtit diſciplina Chriſtiana communis omnibus. Hæc ille. Suauis eſt Dominus in ſuis præceptis, ea enim nobis mandat, quæ vnuſquiſque faciliter, & promptè exercere valet.

*Ea Dominus mandat, quæ quilibet ſuauiter exercere poteſt.*

101. Hildebert.

Tertiò Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus Epiſt. 71. *Attende*, ait, *cur ad humilitatem inuitantur carnis hoſtes, & mundi. Attende, quo egebant ad perfectionis plenitudinem iam ſecuti Chriſtum, relictis omnibus propter Chriſtum. Magnus theſaurus magna eget cuſtodia. Erat Apoſtolis pretioſus, & ineſtimabilis theſaurus ipſa Redemptoris gratia, & diuinum eius colloquium. Erat eis theſaurus ſacræ menſæ communicatio, & ſpiritualis alimenti veritas. Erat eis theſaurus in amorem cœleſtium quotidie eius miraculis proficere, & exemplis. Huius theſauri cuſtodem oportuit eſſe humilitatem, & eius excubijs acceſſum ſuperbiæ amoueri.* Hæc magnus præſul. Et ſatis duo valdè magna nobis de humilitate inculcat. Latè diſſeruerat ipſe, quomodo Petrus, & Andreas ob Chriſtum retia dimiſerant, Ioannes virginitatis holocauſtum obtulerat, Matthæus telonium depoſuerat, & cæteri Apoſtoli omnia ſua reliquere, & ſecuti ſunt Chriſtum, in vniuerſo virtutum genere ſe exercentes: nunc eis Dominus tantopere humilitatem commendat, *quo egebant ad perfectionis plenitudinem.* Ipſa enim humilitas totius conſummationis eſt clauſula, & plenitudo, totiúſque perfectionis conſummatio.

*Humilitas perfectionis plenitudo.*

102.

Quartò, in eiſdem verbis Hildeberti. Multa, & illuſtriſſima dona contulerat Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: Eos conſtituerat principes, ac duces Eccleſiæ ſuæ, paſtores animarum, miniſtros ſacramentorum, & vt multa gratia, doctrina, ac miraculis eminerent: ne aliàs, cum eſſent homines obſcuri, cum tantis præfulgerent, in ſuperbiam elati eſſent, eis tanquam fideliſſimum cuſtodem omnium donorum aſſignat humilitatem: ipſa enim ab omni hoſtili incurſu theſaurum vniuerſum valdè ſolerter cuſtodit, munit, atque tuetur. *Huius theſauri cuſtodem oportuit eſſe humilitatem, & eius excubijs acceſſum ſuperbiæ amoueri.*

*Humilitas omnium virtutum cuſtos.*

103. D. Leo.

Quintò, D. Leo ſerm. 3. de Natiuit. *Formam*, ait, *ſuæ manſuetudinis inſinuans, ea nos virtute imbuit, qua redemit.* Præ cæteris virtutibus tantùm humilitatem nobis commendat Dominus: humilitate enim ipſe nos redemit, humilitate triumphauit, ac hoſtem debellauit. Vt ſuo exemplo nos informaret, quod per humilitatem hoſtes deuincuntur, ac ad gloriam, & exaltationem peruenitur.

*Tam chara humilitas Chriſto, quia per ipſam triumphauit.*

104. Vrban.

Sextò, Vrbanus IV. ſummus Pontifex in Pſalmum 50. *O humilis celſitudo*, ait, *quàm verè, ſi voluiſſes, dicere potuiſſes: diſcite à me fabricare Auroram, & Solem: ſiue diſcite à me quatriduanos*



*mortuos ſuſcitare? Sed quia potentior eſt ſolidiſſima humilitas, quàm ventoſiſſima ſublimitas, idcircò potius dicere voluiſti: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Apud Iſaiam, & Apocalypſim ſedet Chriſtus in throno maieſtatis excelſo. Apud Pſalmographum ſuper Cherubim in exordio mundi totam hanc machinam fabricauit. Degens inter nos, mortuos ſuſcitauit. Et tamen nullum eorum nobis ediſcendum proponit, ſed ad abiectionem, & humilitatem nos exhortatur. Sed quid tantum in ipſa ſubmiſſione nitet? *Potentior eſt ſolidiſſima humilitas.* Optimè præuidebat ipſe, quod inter nos homines ab abiectione humilitatis ea prodit poteſtas, quæ illuſtriſſima, ac valde per excelſa opera obire valet.

*Humilitas valde potens ad magna operanda.*

105. D. Bernard.

Septimò, D. Bernardus de gradibus humilitatis, expendens illa Apoſtoli verba. 2. Corinth. 12. n. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Sed nondum forſitan intelliges, de qua ſpecialiter dixerit, quia Chriſtus omnes virtutes habuit: ſed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen vnam, id eſt humilitatem in ſe nobis commendauit, cùm ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ex omnibus virtutibus Chriſtus nos maximè ad humilitatem inducit; ipſa enim eſt eius ſpecialiſſima virtus; vnde quando Apoſtolus loquitur: *Vt inhabitet in me virtus Chriſti*: humilitatem intelligit.

*Humilitas ſpecialis Chriſti virtus.*

106. D. Bernard.

Octauò, Idem D. Bernardus Epiſt. 42. ad Senonenſem Archiepiſcopum Henricum. *Quid deinde*, ait, *Auctor, & dator virtutis Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ ſunt abſconditi? Nonne tamen & ipſe de humilitate, tanquam ſumma ſuæ doctrinæ, ſuarumque virtutum, gloriatus eſt? Diſcite*, ait *à me, non quia ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid huiuſmodi, ſed quia mitis ſum, & humilis corde.* De caſtitate, prudentia, ieiunio, ac temperantia aliquando Dominus habuit concionem, & contentus eſt. At de humilitate, vt multùm complacens in ea, ſæpè, & iterato ſermone, vt in præſenti, & Matth. 18. n. 4. & 23. n. 12. & Luc. 14. n. 11. & 18. n. 14. vt eam ſui Diſcipuli altius ebiberent, & valdè intimè fixo corde tenerent. Eſt enim humilitas totius Chriſtianæ diſciplinæ ſumma, ac omnium virtutum compendium. *De humilitate, tanquam ſumma ſuæ doctrinæ, ſuarumque virtutum, gloriatus eſt.*

*Chriſtus gloriatur de humilitate tanquam ſumma virtutũ.* Matth. 18 & 23. Luc. 14. & 18

107. Matth. 2.

Saluatore nato, adueniunt Magi Ieroſolymam interrogantes: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Poſtea verò accedentes Bethleem, *Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. n. 11. Magi quærebant regem; cur ergo non dicitur, quod inuenerunt regem, ſed puerum? nunquid aliquid minus in eo agnouerunt, quàm quod ipſi ſperabant? minime ſanè. Cur igitur, non regem, ſed puerum dicuntur inueniſſe? Puer nomen humilitatis eſt, vt per ſe patet, & notant D. Leo ſerm. 4. de Epiphania, & D. Bernardus ſerm. de Natiuit. Plus enim meus Ieſus gloriabatur de illa infantili humilitate, in qua dignatus eſt apparere, quàm de quacumque & ampla, ac regali maieſtate: nam in illa puerili ſubmiſſione, tanquam in ſumma, ac compendio maximè ſui diuini amoris, infinitæ ſapientiæ, & inſcrutabilis conſilij pretioſiſſimas diuitias propalabat, ac manifeſtas faciebat: pluſque ad agnitionem, ac adorationem ſuæ diuinitatis animos alliciens inducebat illa tam diuina humilitas, quàm quilibet omnium cæleſtium exercituum pompoſus, & amplus apparatus. Fauet D. Chryſoſtomus relatus in Catena D. Thomæ. *Regem quærebant, & ſi nihil regale videbant, in eo tamen, ſolius ſtellæ teſtimonio contenti, gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum aſpicere. Vnde procidentes adorauerunt eum; vident enim hominem, & agnoſcunt Deum.*

D. Leo. D. Bernard. — *Chriſtus gloriatur de humilitate. Humilitas valde potens.* — D. Chryſoſt.

108. *Humilitatis elogia.* Neſtoretus.

Maximè ſanè de humilitate gloriandum, in qua tot latent excellentiæ, tot occultantur Magnalia. De ea ait Abbas Neſtoretus collat. 15. cap. 7. *Humilitas eſt omnium Magiſtra virtutum, ipſa eſt cæleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum, ipſa eſt donum proprium, ac magnificum Saluatoris.* Tanta eſt ſublimitas huius magnæ Magiſtræ, vt à Deo nomen accipiat, vtpote ipſo ſolum eius excellentias penetrante. Climacus Grad. 25, *Humilitas*, ait, *eſt gratia animæ, nominis expers, ſolis nominata iis, qui eius experimentum cœperunt, inexplicabilis theſaurus, à Deo nomen ſortita, ſingulare munus Dei.* Ob tantum eius fulgorem, *ſpiritus nobilitatem* eam appellat D. Fulgentius Epiſt. 2. ad Gallam. cap. 16. Et rectitudinis viam, ac pontem ad cæleſtem Patriam, eam dicit D. Remigius Rhemenſis in cap. 4. ad Hebræos. *Ipſe Dominus viam rectitudinis nobis exhibuit, per quam ambulare debemus, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, pontem ad Patriam cæleſtem perueniendi præſtitit.*

Climacus. — D. Fulgent. D. Remig.

### *Matth.* 11. *n.* 30. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

### *VERSIONES.*

*Theoph. Vatabl.* Iugum enim meum commodum.

*Arias.* Iugum enim meum blandum.

*D. Auguſt.* Iugum enim meum lene.

*Arabicus.* Iugum enim meum bonum.

### *EXPOSITIO VI.*

109.

IN præſenti hanc ſententiam profert Dominus, ac ſi dicat: nolite timere iugum meum, quia blandum & ſuaue eſt. Aliqui per iugum intelligunt mandata; per onus verò conſilia Euangelica. Simpliciter tamen iugi, & oneris nomine Lex Euangelica accipienda eſt, vt notant D. Hilarius, D. Paſchaſius, Beda, Albertus magnus, & alij. Eſt enim repetitio eiuſdem ſententiæ aliis verbis ad eam magis explcandam. Et rectè Euangelij lex iugum nuncupatur, quia doctrina ſua ſacra nos ligat, ne quis à iuſtitiæ ſemita exeat. Et vocatur etiam onus, quia neceſſario obſeruanda eſt, ac in mente, & manibus geſtanda ab his, qui vitam æternam deſiderant. Et rectè dicitur ſuaue, & leue: nam iugum aſperitate, onus grauedine moleſtiam affert; at Lex Euangelica tota ſuauis, & leuis eſt. Vnde meritò dicitur iugum Chriſti ſuaue, bonum, lene, blandum, commodum,

D. Hilarius. D. Paſchaſ. Beda. Albert. Mag. — *Quare Lex Euangelica dicitur iugum, & onus.*

## Qvæstio XV.

### *Quare Chriſti Lex dicatur ſuauis, & leuis?*

110. *Lex Chriſti multùm ſuauis ſuper Legem veterem.* Actor. 15.

Svave, & leue eſt iugum Chriſti, & primò ſuper Legem veterem, vt notant hîc omnes Commentatores. Vnde Petrus Actor. 15. n. 10. dixit: *Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Nam primò, Lex vetus erat valde difficilis multitudine præceptorum, continebat enim tredecim, & ſexcenta præcepta. At Lex noua pauciſſima tenet mandata, nam ſupra legem naturalem immediatè à Chriſto Domino ſolùm fidei, ac ſacramentorum præcepta imponit, vt eſt commune axioma Theologorum,

D. Thom. Soto. Suarius. Valentia. Salas. Exod, 21.

quod latè cum D. Thoma 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. & Quodlibeto 4. art. 13. explicant Soto in 4. diſt. 40. art. 4. Suarius lib. 10. de Leg. cap. 2. n. 20. Valentia diſp. 7. q. 8. punct. 2. Salas diſp. 25. ſect. 2. Secundò, quia Lex vetus mortem, ac grauiſſima ſupplicia comminabatur. Exod. 21. à n. 12. At Lex noua ſolùm requirit pœnitentiam, & Confeſſionem. Tertiò, quia ſpiritus Legis, erat ſpiritus timoris; at in Noua eſt ſpiritus amoris, & filiorum. (Rom. 8.) *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Rom. 8 n. 15. Quartò, quia in Lege noua cum abundantiori gratia datur ſpiritus, qui adiuuat infirmitatem noſtram, vt reſpondet Auguſtinus (D. Auguſt.) ſerm. 9. de Verbis Domini ſecundùm Matth. Et multa alia ex dicendis hîc, & quæſtione ſequenti colliges.

111. Hugo. *Iugum Chriſti ſuaue.*

Secundò, Cardinalis Hugo ex Sanctis Patribus pro ſuauitate Legis Euangelicæ multa hîc conſiderat. Valde enim ſuaue, & leue eſt iugum Chriſti adiutorio Sacramentorum, quibus nobis abundanter gratia confertur, qua munimur, & corroboramur. Tertiò, Viſitur ſuauitas hæc in imitatione ipſius Chriſti: quæ enim nobis mandauit, prius ipſe executione adimpleuit. (*Chriſtus, quæ mandauit, prius adimpleuit.* Hebr. 12.) *Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei.* Ad Hebr. 12. n. 2. De quo vide multa, tam hîc, quàm 1. & 2. tom. in Indice. Verb. Exemplum.

112. Theophyl. *Suauè ob præmium.*

Quartò, Theophylactus. *Dicuntur omnia Chriſti mandata iugum leue, quoniam propter futuram retributionem leuia.* Certa ſpes præmij leues reddit labores, & tribulationes: pro quo multa dixi variis in locis. Quintò, Quia Chriſti Lex æqualiter ſe ad omnes extendit, omneſque comprehendit. (*Iugum Chriſti ſuaue, quia ad omnes æquale.* Caſſiodor.) Præclarè Caſſiodorus lib. 7. variar. *Si nullus à principe excipitur, nullus & è populo à labore eximitur.*

113. D. Paulin.

Sextò, D. Paulinus Epiſt. 4. ſic ait: *Iugum Chriſti leue eſt, quia ſeruientes Chriſto operamur bona, quibus pennati in altum prouehimur.* Et Epiſt. 20. in hunc modum fatur. *Domini iugum ſuaue, & onus leue eſt; quia è terris nos leuat, & in excelſa regni cæleſtis attollit. Leuitas enim omnis alipeta eſt, & ſurſum verſus vigore ſubtilitatis effertur.* (*Lex Chriſti leuis, & nos facit volare in cælum.*) Chriſti iugum leue; quidquid autem leue, in imis non hæret, ſed ſemper in ſuperiora leuitare facit. Præcepta in Chriſti iugo, cùm leuia ſint, nec nos deprimunt, aut ſubmergunt, nec nos in lutoſis immorari patiuntur; ſed veluti pennæ, alæque nos in ſublime, ac in cælum faciunt volitare, quibus pennati in cælum prouehimur. Quod perbellè notauit D. Auguſtinus in Pſal. 59. (D. Auguſt.) *Alia ſarcina pondus habet, ait, Chriſti ſarcina pennas habet: nam & aui ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis; & quo magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit: quam exonerare voluiſti, iacet, non volat, quia tuliſti onus; redeat, & volat. Talis eſt ſarcina Chriſti, ferant illam, qui volunt; & inuenient, quàm leuis ſit, quàm rapiens in cælum, & à terra eripiens.* Cum Chriſti onere volamus in cælum, & ſine illo in peccatorum cœno iacemus.

114.

Septimò, Iugum Chriſti ſuaue, & leue: Lex Chriſti eſt amoris, ac beneuolentiæ. Pulchrè loquitur D. Auguſtinus ſerm. 9. ſupra citato, expendens dictum Apoſtoli. *Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quare*, ait, *quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis miteſcunt amantibus: Omnia ſuauia, & propè nulla facit amor.* (D. Auguſt. *Omnia ſuauia, & leuia facit amor.* Pſalm. 16.) Si verò Dauid ait: *Ego cuſtodiui vias duras*: Pſal. 16. n. 4. Rectè reſpondet idem Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 70. *Duræ ſunt timori, leues amori.* Cùm Moyſes videret illam viſionem grandem, quod rubus arderet, & non combureretur; cucurrit ad videndum. Clamat Deus: *Non appropies huc.* Exod. 3. n. 5. Legit Vatablus. (Exod. 3. Vatablus.) *Ne huc accedas propius.* Planum erat, quod cùm totus locus eſſet ſpinis repletus, ac arderet in flamma, Moyſes, vtpote mentis compos illuc propius non accederet. Ad quid ergo huiuſmodi Domini vox? Pergebat Moyſes totus diuina charitate vulneratus, vt patet ex his, quæ docent Origenes homil. 12. in Gen. & D. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 27. (Origenes. D. Greg.) Solet amor ardua facilia reddere: & ſine dubio efficiebat in Moyſe, vt ſpinæ ei viderentur ſuaues roſæ; & flamma ignis veluti tenuis roris aura: Ne ergo propius accederet, diuinum mandatum interponendum fuit.

115. Pantaleon.

Octauò, Venerabilis Pantaleon Diaconus ſerm. de luminibus Sanctis tom. 7. Biblioth. *Non iugo opprimimur*, ait, *non metu torquemur; verum timuimus quidem, at liberi nunc à metu, non veluti ſontes, & damnati, ſeruitutis iugum toleramus, ſed voluptati magis, quàm oneri nobis eſt.* Lex Domini non grauamen, ac moleſtiam infert, ſed ita ſuauis eſt, vt maximè delectationi, ac voluptati inſeruiat. (*Lex Chriſti maximè delectat, & periucundat.* Pſalm. 18. Hebraicus.) Ait Regius Vates: *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Pſal. 18. n. 8. Vltima verba legit Hebraicus, *Redire faciens animas.* Ac ſi dicat: Tam ſuauis, ac periucunda eſt Lex Domini, vt animas labore mundi fatigatas, ac diaboli onere preſſas, ſupra modum recreet, ac exhilarari faciat. Ex quo ad Chriſti iugum maximè nos exhortatur D. Gregorius Nyſſenus homil. 2. de Pauper. amore. (D. Nyſſen.) *Iugum Chriſti ne detrectemus, ne excutiamus, ſuaue eſt, leue eſt, ſubeuntis ceruicem non atterit, ſed demulcet.*

116. Cantic. 2. Chaldaica.

Ait ſponſa: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cantic. 2. n. 5. Paraphraſis Chaldaica ſic legit. *Suſtentate me in verbis Legis, in quibus ſuaue ſit ſæculum: & imponite velamina ſuper ceruicem meam interpretationem verborum Sanctorum, quæ dulcia ſunt gutturi, ſicut poma paradiſi voluptatis.* Ita delectabilis, ac periucunda eſt Lex Domini, vt idem valeat, quod Sponſa dicit: *Fulcite me floribus*: ac ſi dicat: (*Mira ſuauitas in Lege Chriſti.*)



*Suſtentate me in verbis Legis*: quæ veluti ſuaues flores oblectationi, ac delectationi inſeruiunt.

## Qvæstio XVI.

### *Quomodo [illegible] angusta, & arcta, Lex Chriſti ſuauis, & leuis dicitur?*

117. Matth. 7.

Christvs in celebri montis ſermone ait: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. n. 14. Et tamen hæc porta, & hæc via eſt ipſa Lex Chriſti. Quomodo ergo hæc dicitur ſuauis, & leuis? Reſpondet primò Rabanus. (Raban.) *Sed quomodo*, ait, *iugum Chriſti ſuaue, cùm ſupra dicatur, arcta eſt via, quæ ducit ad vitam? Sed quod anguſto initio incipitur, proceſſu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.* (*Perfecto viro, ac amanti omnia ſuauia.*) Incipienti via eſt arcta, & difficilis; proficienti verò, iam amoris vi, ſuauis, ſpecioſa, ac delectabilis. Ait Dauid: (Pſal. 118.) *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.* Pſal. 118. n. 45. Eleganter D. Gregorius homil. 17. in Ezechiel. ſic ait (D. Greg.) *Via inchoantibus anguſta eſt; & perfectè iam viuentibus lata: itavt pro amore eius & perſecutio placeat.* Vide ſuprà n. 114.

118. D Auguſt.

Secundò, D. Auguſtinus ſerm. 9. de Verbis Domini. *Conſiderant eos, qui iugum ipſum intrepida ceruice ſubierunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius ſæculi, vt non à laboribus ad quietem, ſed à quiete ad labores vocari videantur.* Et (1. Cor. 6. & 11.) numeratis aliquibus Apoſtoli laboribus 2. Corinth. 6. n. 4. & 11. n. 23. Omnia ergo illa, quæ commemorauit, aſpera, & grauia, frequentius, & abundantius ſuſtinebat, ſcilicet Apoſtolus. *Sed profectò aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem; & guſtata requie ſpirituali in affluentia deliciarum Dei, in ſpe beatitudinis futuræ omnia præſentia deliniret aſpera, & omnia grauia releuaret.* (*Laborantibus pro Chriſto adeſt Spiritus ſanctus.*) Alacriter ad Legem Chriſti curramus, & nil difficultatis in ea nos deterreat; nam nobis adeſt Spiritus Sancti gratia, quæ omnia valde ſuauia, & leuia reddit, communiens, & alliciens nos ingenti præmiorum ſpe, vt iam ponderaui ſuperiori quæſtione.

119. Euthym.

Tertiò Euthymius. *Vide ergo*, ait, *quomodo & iugum dixerit, & ſuaue vocauerit: onus quoque dixerit, & leue appellauerit, vt neque deſpicias, quaſi facilia, neque fugias, tanquam laborioſa.* (*Circumſpectè agendum.*) Arcta, & ſuauis eſt Lex Chriſti; arcta, vt circunſpectè, & cautè nos agamus incedentes per eam: ſuauis verò, quia nihil difficultatis eſt in ea, quod nos deterreat.

120. D Ambroſ. Thren. 3.

Quartò, D. Ambroſius Orat. de obitu Valentini, componens cum noſtro textu Euangelico verba illa Thren. 3. n. 27. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*: quæ verba ſic ipſe legit: *Cùm portauerit iugum graue.* Quærit ergo S. Doctor: Quomodo hoc cohæreat, cùm Chriſtus in præſenti iugum ſuum ſuaue dicat? ſic reſpondet. *Poteſt & graue iugum Verbi videri præpondere diſciplinæ, auſteritate correctionis, pondere abſtinentiæ, ſtrictioneque laſciuiæ: ſuaue tamen eſſe fructu gratiæ, ſpe remunerationis, purioris conſcientiæ ſuauitate.* (*Lex Chriſti dat conſcientiæ quietem.*) Suaue eſt ob cumulum gratiæ, ſpem certam remunerationis, & ob quietem, ac ſecuritatem conſcientiæ.

121. D. Chryſoſt.

Quintò D. Chryſoſtomus in Imperfecto. homil. 28. *Inexpertis*, ait, *grauis eſt iuſtitia Chriſti, expertis autem ſuauis.* Anguſta, & ardua eſt via Cæli iis, qui non [illegible] illa. Epiſcopo Pergameno promittitur à Deo: *Vincenti dabo manna abſconditum.* Apocal. 2. n. 7. (Apoc. 2. Andr. Vict. Anſbert. Gloſſa. Alcazar.) Quamuis de æternæ vitæ præmio interpretentur Andreas Victorinus, Anſbertus, Gloſſa, & alij; Alcazar conſtanter explanat de quadam peculiari conſolatione, ac ſuauitate, quæ Chriſti militibus in hac vita laborantibus promittitur: quæ ſuauitas ſolùm eſt nota mundi preſſuras vincentibus, & valdè abſcondita Chriſti labores non guſtantibus. (*Laborantes pro Chriſto habent multam ſuauitatem.*) Valde conſona eſt interpretatio verbis textus. Alliciebat enim Dominus ſuos ad pugnam cum carnis cupiditatibus, ex qua humanus animus præter triſtitiam, & lachrymas nihil ſe ſperabat percepturum. Tunc Dominus eos adhortatur, ingentem conſolationem humanis oculis abſconditam ibi eis promittens. Pulchrè ex D. Bernardo ait Cardinalis Hugo. (D. Bernard. Hugo.) *Multi vident noſtras punctiones, ſed non vident noſtras vnctiones.*

122. Exod. 12.

Pro ſolemnitate Paſchali mandabat Dominus cœtui Iſraël: *Edent nocte illa azymos panes cum lactucis aggreſtibus.* Exod. 12. n. 8. Sed cur pro tanta feſtiuitate amaræ herbæ deſtinantur in cibum? Philo lib. de Congreſſu quærent. eruditi. gratia. (Philo.) *Animæ feſtum*, ait, *eſt rerum optimarum æmulatio, & labor ad perfectionem properantium. Quamobrem præceptum eſt, vt azimæ edantur cum amaris lactucis aggreſtibus, quia cohibere concupiſcentias, ne feruęſcant, & turgeant, quidam putant amarum, quod mens certaminum auida habet pro feſtiuis deliciis.* Licet mundani ibi inuenirent amaritudinem; qui tamen pro Deo delicioſas concupiſcentias compeſcebant, miram dulcedinem in illis percipiebant, vt pro ſolemniſſimo feſto illis inſeruirent. (*Qui cupiditates refrænant, multã ibi percipiũt dulcedinem.*)

# CAP. XXI.

## *Homo incidens in Latrones.*

*Lucæ* 10. *n.* 23. Et conuerſus ad diſcipulos ſuos dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis,

*Num.* 24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; audire, quæ auditis, & non audierunt.

### *VERSIONES.*

*Syriacus. n.* 23. Et conuerſus ad diſcipulos ſuos ſeorſim dixit: Fœlices

Fœlices oculi, qui vident, quæ vos videtis.

*Arias.* Priuatim dixit.

Beati oculi, qui perſpi-

*Iuſtus Orgelit. in cap. 1. Cant.* Veſtri beati oculi, qui vident, & aures quæ audiunt.

*Num. 24.* Amen dico vobis, multi prophetæ, & reges quęſierunt videre, quæ videtis.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 13. n. 16.* Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt.

*Num. 17.* Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.

### EXPOSITIO I.

1\. SVPRA dixerat Dominus, ſuum Patrem Meſſiæ aduentum prudentibus, ac ſapientibus occultaſſe paruulis autem reuelaſſe: nunc verò hos paruulos, beatos nuncupat. Qui enim Chriſto adhærent, licet in mundi oculis paruuli videantur; in tantum tamen excreſcunt, vt beati iam dicantur. Similia verba inueniuntur apud Matth. 13. quæ licet in alia occaſione fuerint dicta, ad maiorem claritatem hîc apposui.

*Qui Chriſtũ ſequuntur, beati*

Matth. 13.

2\. *Conuerſus ad diſcipulos ſuos*, ſcilicet corporis aſpectu, ac quodam corporis geſtu, vtpote eos ſpecialiter allocuturus. Erat enim dicturus Dominus magnum beneficium in eos collatum; & cùm homines ſint valde obliuioſi, vt attenderent, ac perciperent, cum eis valdè ſigillatim, ac ſpecialiter fuit agendum, vt illud memoria tenerent; pro quo multum faciunt exemplaria Græca, quæ habent: *Seorſim*: ſeu *priuatim* dixit. *Beati oculi*, tum corporis, tum & potius mentis. Matthæus addit: *Et aures veſtræ*; quod eodem modo intelligitur, tam externæ corporis aures, quàm internæ, ſcilicet animi. Et eſt ſenſus: O vos Apoſtoli mei, beati ſunt veſtri oculi corporis, vident enim mea ſancta opera, myſteria, ac miracula, meos ſanctos mores, ac geſtus. Veſtræque aures beatæ ſunt, cùm audiant meam cæleſtem doctrinam, Sed multò potius beati ſunt veſtri oculi, veſtræque aures internæ mentis: nam diuina gratia illuminante, illa mea omnia proximè dicta capitis, creditis, & intelligitis. Quod non faciunt Iudæi; nam quamuis externè videant, & audiant mea opera, & doctrinam; cum tamen animo non intelligant, neque credant, eorum oculi, ac aures non ſunt beatæ. Animus, cùm percipiat viſa, & audita, dicitur videre, & audire. Ex quo liquet, quod non ſat eſt, audire ſacram doctrinam, ſed neceſſe eſt, vt animo retineatur. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. n. 28. *Qui vident, quæ vos videtis.* Modeſtiæ cauſa non dixit Chriſtus, Qui vident me, ſed abſolu-

*Homines multis indigent, vt beneficiorum recordentur.*

D. Matth.

*Legitimus ſenſus.*

Luc. 11.

*Chriſti modeſtia.*

3\. *Amen dico vobis.* Beneficium Diſcipulis factum amplius extollit Dominus, & oſtendit illius excellentiam, vt notat Chryſoſtomus homil. 46. in Matth. in hoc, quod non ſolùm malis, ſed etiam his, qui boni fuerant, eos præponit, ac antiquis Iuſtis eos beatiores dicit, quia non tantùm, quæ Iudæi non viderant, hi vident; ſed etiam quæ Prophetæ, & Reges, ſcilicet iuſti cupierunt videre, & non ſunt aſſecuti, hoc Diſcipulis Chriſti conceſſum eſt videre. *Multi prophetæ*, vt ſunt illi, qui celebrantur in Scriptura; *& reges*, vtpote Dauid, & Salomon; *voluerunt videre*, ſeu vt habet D. Matthæus, *cupierunt videre*: vehementiſſimo videndi Chriſtum deſiderio flagrauerunt: & ſic Meſſias dicitur à Iacob. *Deſiderium collium æternorum.* Gen. 49. n. 26. Colles æterni, hoc eſt antiqui, & ab initio conditi colles. *Et non viderunt*, quia nondum aduenerat plenitudo temporis; & tamen ſemper eorum fides extitit maximè tranquilla, diuinæ diſpoſitioni multum conformis, itavt non obſtreperent Deo, ſed patienter animos ſuſpenderent, vſque ad deſignatum reuelationis tempus.

D. Chryſoſt.

*Excellentia beneficij ex ſingularitate.*

D. Matth.

Genеſ. 49.

---

### QVÆSTIO I.

*Quare hîc dicuntur beati oculi, qui Chriſtum viderunt, cum Thomæ dicatur:* Beati, qui non viderunt, & crediderunt?

4\. VIDENTES Chriſtum corporaliter, vt explicaui in expoſitione, dicuntur hîc beati; non quidem beatitudine illa, quæ eſt in Patria, ſed quadam alia mira iucunditate, ac fœlicitate, quæ minor eſt illa, & ſuperat omne terrenum gaudium, ac bonum.

5\. Quæſtio præſens inquirit: Quomodo noſter textus, in quo oculi, qui Chriſtum viderunt, beati nuncupantur, cohæreat cum illa ſententia, quæ prolata eſt Apoſtolo Thomæ: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20. n. 29. Reſpondetur, Eſſe diſparem rationem in vtraque ſententia: nam Thomas habuit pro motiuo credendi ipſum viſum; quia tangendo vidit corpus Chriſti verum, viuum, ac ſolidum, ideo credidit, ipſum reſurrexiſſe à mortuis: & in hoc ei anteponuntur, qui non videndo crediderunt; non enim corporali viſui innixi ſunt ad credendum. At in præſenti textu non eſt ſermo de motiuo credendi, ſed de ſingulari priuilegió, ac inſigni beneficio, per reſpectum ſimpliciter, & abſolutè ad Chriſti præſentiam, qua Diſcipuli dignati ſunt. Nec inde eorum fides minor extitit; nam licet Chriſtum corporaliter viderint; ipſum tamen verum eſſe Meſſiam, ac Dei filium, non viderant, ſed diuina fidei reuelatione crediderunt; & ideo valde beati dicuntur, quia oculo corporis, ac mentis ſunt intuiti.

Ioan. 20.

*Germana ratio.*

6\. Secundò, Dicuntur Diſcipulorum oculi beati, vt



vt ita ipſi maximè excitarentur, ad æſtimandum inſigne donum, quo afficiebantur, Chriſtum videndo, eiuſque ſanctiſſima præſentia fruendo. Vnde quando poſtea illa carebant, recordati dulciſſimam ſui ſacratiſſimi Magiſtri conuerſationem multa triſtitia affligebantur. Sic ipſe prædixit eis Luc. 17. n. 12. *Venient dies, quando deſideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.* Valde frequenter apud homines accidit, vt rerum magnitudinem, donorum excellentiam non recognoſcant, niſi poſt illorum amiſſionem.

Luc. 17.

*Homines amiſſa bona æſtimant, non poſſeſſa.*

7\. Poſtquam Eſau venit à venatione, & à patre accepit, quomodo Iacob frater ſuus ſuam ei benedictionem furatus eſſet, *Auditis Eſau ſermonibus patris irrugijt clamore magno.* Gen. 27. n. 24. Sed quomodo nunc tanto dolore afficitur, cùm videat maioratum ſuum tranſlatum in fratrem, cui ipſe iam illum vendiderat; Et vt dicitur Gen. 25. n. 34. *Abiit parui pendens, quod primogenita vendidiſſet.* Et modò in tantos fletus prorumpit? Eſau, quando primogenita vendidit, adhuc illius poſſeſſionem retinebat, & ideo in parua æſtimatione tam ingens donum appendebat: at verò cum ſe modò ab illo excluſum, ac expoliatum videret, maximè dolet, & lacrymatur, vt paſſim contingit apud homines, qui etſi bona poſſeſſa parui pendant; de amiſſis tamen multùm triſtantur, tunc enim illorum valorem, conſiderant, ac recognoſcunt.

Geneſ. 27.

Geneſ. 25.

*Bona poſſeſſa parui penduntur.*

8\. Seducta Eua à ſerpente. *Tulit de fructu illius*, ſcilicet arboris, *& comedit deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum.* Gen. 3. n. 6. Maximè inquirendum, cur Deus permiſerit, vt homo, qui in tanto honore ab ipſo conditus eſt, tantiſque donis, ac gratiis inſignitus, in tot labores, ac miſerias inciderit? Ideo hoc fortè permiſſum eſt, vt homo recognoſceret diuinæ largitatis beneficentiam erga ſe exhibitam; nam cum homo in affluentia illorum bonorum eſſet creatus, non multum eorum excellentiam æſtimabat: ſint ergo amiſſa vt tunc illorum valorem conſideret, videat, & appendat. D. Proſper lib. 1. cap. 19 in vita Contemplatiua. Sic ait: *Miſeri neglexerunt, quid intereſſet inter bonum, quod amiſerunt, & malum, quod inuenerunt; quia ſi amiſſo tanto bono nullum malum incurrerent, quale perdidiſſent bonum fortè neſcirent.*

Geneſ. 3.

*Quando bonum eſt amiſſum, tunc eius excellentia cognoſcitur.*

D. Proſper.

---

### QVÆSTIO II.

*Quare dicitur, quod multi reges, & prophetæ voluerunt videre, cum de Abrahamo aſſeratur, quod* vidit diem Domini, & gauiſus eſt?

9\. INQVIRO primò in hac quæſtione: Cur dicuntur multi prophetæ, & reges; & non omnes? nam omnes Chriſtum videre deſiderarunt, ſiquidem omnes de Chriſto vaticinati ſunt, vt ait D. Petrus Actor. 3 n. 18. *Deus prænuntiauit per omniũ prophetarũ ora pati Chriſtum ſuum.* Et Actor. 10. n. 43. *Et huic*, ſcilicet Chriſto, *omnes prophetæ teſtimonium perhibent.* Et per conſequens maximè præoptabant videre eum, de quo tanta prædicebant. Vnde ait de eo Iſaias 53. n. 2. *Deſiderauimus eum.* Reſpondent Recentiores, vt Barradas, quod omnes *multi ſunt.* Dico, quod rectè dicuntur, non omnes, ſed multi; nam cum hac dictione connectuntur prophetæ, & reges; & licet omnes prophetæ deſiderauerint, non tamen omnes reges, ſed ſolùm illi, quibus hoc reuelatum eſt, vt Dauidi, Salomoni, Ezechiæ, & ſimilibus.

*Cur dicuntur multi prophetæ, & non omnes.*

Actor. 3.

Actor. 10.

Iſaiæ 53.

Barradas.

10\. Inquiro ſecundò: Quomodo dicitur, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre, Chriſtum ſcilicet, & non viderunt, cùm de Abraham dicat ipſe Dominus: *Abraham exultauit, videre diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8. n. 56. Reſpondet D. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Abraham vidit*, ſcilicet Chriſtum, *in ænigmate, vidit in ſpecie, vos autem Diſcipuli inpræſentiarum tenetis, & habetis Dominum veſtrum.* Licet enim prophetæ aduentum Chriſti ſpirituali viſione ſint contemplati, multùm tamen à Diſcipulis ſuperantur, vt ait D. Remigius, qui illum corporeis oculis ſunt intuiti, cum illoque conuerſati.

Ioan. 8.

*D. Hieronymi explicatio*

D. Remig.

11\. Textum magis explico. Non dicitur, Abraham vidit Dominum, ſed vidit diem Domini, quod eſt valde diuerſum: nam videre diem Domini, id eſt cognoſcere determinatum tempus, quo Deus factus eſt homo, vt ibi explicant D. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij. Hoc autem ſcire, licet multis fuerit negatum, conceſſum eſt Abrahamo, & non viſione corporea, ſed ſpirituali, Deo reuelante. Et inde Abrahamus habuit magnum gaudij, & exultationis motiuum. Quantò maior ergo Diſcipulis gaudendi ratio, quia non ſolùm Domini tempus cognouerunt, ſed etiam ipſummet Dominum propriis oculis ſunt intuiti, cum eo conuerſati, ac ore ad os locuti; & quod tot prophetis, & regibus non eſt datum, ipſi ſunt aſſecuti. Ex quo patefit magnitudo beneficij Diſcipulis conceſſi; creſcit enim excellentia doni, dum quibuſdam elargitur, quod multis aliis denegatum extiterat. Quod confirmari poteſt ex allato Abrahami teſtimonio, de quo inſigniter dicitur: *Vidit diem Domini, & gauiſus eſt.* Multum augebatur exultationis ratio, cùm ipſe determinati temporis Domini obtinuerit cognitionem, qua multi alij caruerunt, vt iam dixi. Vide ſupra cap. 20. n. 37.

D. Auguſt.
D. Chryſoſt.
Theophyl.

*Magis explicatur textus.*

*Maximè creſcit doni excellentia, cum quibuſdam datur, quod aliis fuit negatum.*

12\. Ad illud vehemens deſiderium prophetarum, ac regum redeamus; ex quo & nos diſcamus, vt Chriſtum in Sacramento altaris tanquam familici ſuſcipiamus, vt eius ſacramentali præſentia releuati, tanti epuli dulcedine recreemur, tantiſque diuitiis repleamur. Dubitabis: Quid dederit petra, à Moyſe percuſſa in deſerto? nam Regius Vates ait Pſal. 77. n. 16. *Eduxit aquam de petra.* Pſal. verò 80. n. 17. dicitur: *De petra melle ſaturauit eos.* Quid effluxit de petra, mel, an aqua? Planum eſt apud Expoſitores, quod aqua emanauerit. Quomodo ergo mel vocatur? Attenta ſanè bibentium auiditate, qui cùm eſſent ſiti maximè cruciati, tam dulcis eis extitit aqua, vt veluti mel videretur. Theodoretus. *Illis ſitientibus*, ait, *mellis dulcedini ſimilis viſa eſt aqua.* Hæc iuxta ſenſum litteralem. Tamen ſecundùm ſenſum ſpiritualem, vt tenet Eccleſia, ac interpretantur D. Auguſtinus, D. Remigius, Bruno, & noſter Incognitus, de ſacra Euchariſtia ſermo eſt, quæ ſumentibus mel dicitur. De qua ait D. Auguſtinus: *Primatum dulcoris tenens in eſcis cordis.* Qui enim magno deſiderio inflammati ad Sacramentum altari

Pſalm. 77.
Pſalm. 80.

*Chriſti dulcedo ſolùm deſiderantibus patet.*

Theodoret.

D. Auguſt.
D. Remig.
Bruno.
Incognitus.

taris accedunt, prima, ac ſuprema dulcedine recreantur, ac mirifica ſuauitate periucundantur, vt non panem, ſed ſuauiſſimum epulum ſe manducare ſentiant.

13. Pſalm. 96.

Ait regius Vates: *Dominus regnauit, exultet terræ: lætentur inſulæ multæ. Ignis ante ipſum præcedet.* Pſal. 96. n. 1. De Domini aduentu in terram communiter explicatur pſalmus, in quo magna iucunditas, & exultatio denuntiatur vniuerſæ terræ, cunctiſque inſulis. Sed ad quid dicitur, quod ante ipſum præcedet ignis? Domini aduentus totus benignus, pacificus, ac miſericordiæ plenus; ignis autem, tam apud diuinas, quàm humanas litteras valde frequenter ſupplicium, ac bellum deſignat, & denotat. Intellige, quiſnam ſit ignis iſte. Cardinalis Hugo. *Feruentis deſiderij ſcilicet ardor, & amor.* Vt enim anima eſſet particeps lætitiæ, ac iubilationis in Domini aduentu, expediebat, vt in ipſa præcederet flamma ſancti deſiderij, quo anima vehementer accenſa ſe maxime præpararet ad ipſum Dominum in ſuo hoſpitio excipiendum. D. Bernardus ſerm. 31. in Cantic. Ignis ante ipſum præcedet, ait, *Oportet namque, vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus qui omnem conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præparet locum Domino. Et tunc ſcit anima, quoniam iuxta eſt Dominus, cum ſe viderit illo igne ſuccenſam.*

Hugo. *Præparanda eſt anima magno deſiderio ad Deũ excipiendum.* D. Bernard.

## QVÆSTIO III.

### *Quare quos Lucas dicit reges, Matthæus iuſtos vocat?*

14. Matth. 13.

REFERT D. Lucas in præſenti, quod Chriſtus dixerit: *Dico vobis, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre.* D. verò Matth. cap. 13. n. 17. ſic ſcribit. *Dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre.* Rectè reſpondet Beda. *Matthæus, ait, potius prophetas, & iuſtos appellat, ipſi enim ſunt reges magni, quia tentationum ſuarum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt.* Quos D. Lucas reges appellat, D. Matthæus iuſtos dicit, & minimè à priori Euangeliſta diſſentit, ſed enucleat, quinam per reges intelligendi ſint; non ſcelerati, ac prophani, ſed virtutum ſectatores, qui in iuſtitia, & veritate ambulantes, ſe, & alios, vt ait Cardinalis Hugo, bene regunt.

Beda. *Illi dicendi ſunt reges, qui ſe benè regunt.* Hugo.

15. Rupert.

Ad hunc ſenſum explicat Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 29. Promiſſionem à Deo factam Abrahamo, *Ponam te in Gentes, regeſque ex te egredientur.* Gen. 17. n. 6. ſed quinam ſunt iſti, qui ſub regum nomine Patriarchæ promittuntur? Hi nimirum, de quibus immediatè ſubditur in textu: *Statuam pactum meum inter me, & te; & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.* Qui ſunt, nimirum iuſti, & pij, legem, ac pactum Dei obſeruantes: non enim regum nomine veniunt, qui à virtute, & æquitate exulant, ſed qui illius ſunt æmulatores magni. Citatus Rupertus. *Et ponam te in gentibus, & reges ex te egredientur. Reges hic*, ait, *rectè accipiuntur, qui apud ipſum pro fidei merito noti ſunt. De quibus ipſe in Euangelio: Dico enim vobis, ait, multi reges, & iuſti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

Geneſ. 17. *Verè reges, qui virtutem ſequuntur.* Rupert.

16. 4. Reg. 11.

Expendendus eſt ritus, quo Iſraelis reges vngebantur. Sic ex mandato Ioiadæ ſacerdotis creatur Ioas rex. *Produxitque filium regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum regem.* 4. Reg. 11. n. 12. Vbi Gloſſa Interlinealis ait: *Diadema erat inſigne capitis regum, teſtimonium autem, Lex, qua doceatur, qualiter viuet, & quid aget.* Idem docet Caietanus. *Teſtimonium, ideſt phylacterium, in quo erat ſumma Legis ſcripta: & per hoc inſinuatur mos coronandi regem; vt videlicet diademate ornaretur pro dignitate regia; diuinæ autem legis ſtudium ad ſeruandam eam profiteretur.* Similiter idem habent Liranus, Abulenſis, Hugo, & alii. Immò pulchre Theodoretus in 4. Reg. q. 34. ait: *Perſpicuum eſt, quod ſanctificationem vocauit vnguentum, nempe chriſma; teſtimonium autem coronam regiam, quæ ſignificaret regem.* Ex more ad oſtendendam regiam dignitatem, in diademate ſumma legis ponebatur ſcripta: & Theodoretus valde notanter legis teſtimonium regiam coronam vocat; quia ſi adſit legis obſeruatio, regalis dignitas fulget: ſi vero illius interſit violatio, omnino regalia inſignia obſcurantur, pereunt, ac deficiunt: ſicque tandiu purpurata nitet maieſtas, quandiu perdurat iuſtitiæ vigor, à qua potius, quam ab auro, & gemmis diffunditur. Angelomus 4. Reg. 11. *Vt cum ipſo regni habitu ſimul diſciplina legis Dei ſeruanda committeretur; & qui ſe prælatum populo regendo videret, ipſe, ſe regendum, diuinis legibus ſubdi debere, meminiſſet.*

Interlin. Caiet. Lyran. Abulenſis. Hugo. Theod. *Legis obſeruatio regis corona.* Angelom.

*Lucæ 10. n. 25.* Et ecce quidam legis peritus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ecce autem Scriba quidam ſurrexit, vt tentaret eum; & ait: Doctor, quid faciam, vt hereditare poſſideam vitam æternam? |
| *Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 25.* | Legis Doctor Dominum aggreſſus, quid faciens, vitam æternam conſequar? |
| *Græcus.* | Quidam Legiſta. |

### *EXPOSITIO II.*

17. Græcus. D. Ambroſ.

ET *ecce quidam legis peritus*, ſeu legis doctor, ſeu legiſta, vt habetur ex Græco, de quo benè ait D. Ambroſius in præſenti, *Verba legis tenens, vim legis ignorans*, vt proh dolor! multoties contingit. Quod autem fuerit huius interrogationis motiuum, dubitatur. Beda exiſtimat, deſumptum fuiſſe ex illis verbis, quæ Dominus ſupra dixerat Luc. 10. n. 20. *Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cælis.* Et ideo motus eſt, ad quærendum de conſequenda vita æterna. Alij dicunt, quod ad interrogandum Chriſtum de vita æterna comparanda, occaſione non erat opus, quia ſemper ad reſpondendum paratus erat. Communiter Recentiores aſſerunt, quod hæc hiſtoria alio tempore contigit. Sed illa particula copulatiua, *Et ecce quidam* videtur denotare continuationem temporis: & malignitas non quærit occaſionem, ſed omnia interrumpit, vt ſuum venenum diffundat. Ait Euangeliſta, *Quidam*, vt aduertit Hugo, non nominat ipſum, per quod denotat eius indignitatem.

*Quod huius interrogationis motiuum.* Luc. 10. *Malignitas tempus non quærit.* Hugo.



18. D. Auguſt. Matth. 22. Marc. 10.

Hæc autem hiſtoria, vt notat D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 73. diuerſa eſt ab ea, quam narrant D. Matthæus cap. 22. n. 36. & Marc. 10. n. 17. nam apud hos Euangeliſtas Legiſperitus interrogat Chriſtum: *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* hic apud Lucam Chriſtus ipſum interrogat: *In lege quid ſcriptum eſt?* quod etiam patet ex aliis circunſtantiis, de quo Toletus hic.

*Diuerſa hiſtoria.*

19. Hugo. D. Auguſt.

*Surrexit.* Hugo, vt melius audiretur; vel vt iuſtus videretur. Et quamquam D. Auguſtinus proxime citatus exiſtimet, fieri potuiſſe, quod bono animo acceſſerit iſte legis peritus; tamen tenendum eſt cum D. Baſilio homil. in diuites auaros, Euſebio Gallicano, & D. Antonio Vlyſſipon. homil. in Domin. 13. poſt Pentecoſtem; quod ficto, & doloſo animo quæſiuerit, an ſcilicet Chriſtus aliquid de ſe, ſuaque doctrina contra legem diceret: ſemper enim tentandi verbum, vt notat Toletus annot. 47. apud Euangeliſtas in malam ſumitur partem. Et, vt bene ait D. Bonauentura, quia ſe peritum reputabat in lege, quærebat, non vt diſceret, ſed vt tentaret, vt mos eſt litteratis; Et dicitur *ſurrexit*, vt ait, Hugo, per quod oſtenditur eius leuitas, vt ait D. Gregorius: motu corporis oſtendit leuitatem mentis.

D. Baſil. Euſeb. Gall. D. Ant. Vlyſ. Tolet. D. Bonau. Hugo. D. Greg. *Motu corporis oſtendit leuitatem animi.*

20. Hugo.

*Magiſter*: Magiſtrum vocat; vt blando verbo, & capta beneuolentia facilius deciperet. Magiſtrum dicit, non Dominum, quia audire volebat, non ſeruire. Et vt ait Hugo, nolebat eſſe diſcipulus eius, quem magiſtrum vocabat. Vnde in principio ſui ſermonis fallaciam ſuam manifeſtauit, vt ait D. Chryſoſtomus. Sic impij, quod ore dicunt, contradicunt opere, ſuiſquemet verbis nequitiam ſuam produnt, illiſque redarguuntur, ac conuincuntur. Cum hoc tamen ſtat, quod eius interrogatio aliqualiter eſt commendanda; non quærit curioſa, ſed maximè neceſſaria: non quæ ad alios, ſed quæ ad ſe pertinent: non leuia, ſed grauiſſima ad animæ ſalutem ſpectantia: & non interrogat, niſi eum, à quo optime doceri, inſtruique poſſet.

*Nolebat eſſe diſcipulus.* D. Chryſoſt. *Impij, quod ore dicunt, contradicunt opere.* *Aliqualiter commendandus.*

21. Euthym.

*At ille dixit ad eum.* Ille, qui omnia noſcit, cognitam habuit doloſam verſutiam legis periti; & interrogat ipſum Chriſtus D. ad legem remittens, vt ait Euthymius, vt ex ipſius dictis ſumat occaſionem ipſum docendi, & inſtruendi. Et quærit ab eo: *In lege quid ſcriptum eſt*, vt primum, & maximum mandatum ad vitam æternam aſſequendam. *Quomodo legis?* Volebat enim Chriſtus D. vt non tantum nuda verba legis proferret; ſed vt legis peritus ſenſum legis cum ſuis circunſtantiis, & modis: ab eo enim, qui plura accepit, plura requiruntur.

*Ab eo, qui plura accepit, plura requirenda.*



*Lucæ 10. n. 27.* Ex ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Euthymius.* | Ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua. |
| *Syriacus.* | Et proximum tuum, ſicut animam tuam. |

### *EXPOSITIO III.*

22.

OPTIME intellexit legis peritus Chriſti interrogationem; & reſpondet, quid præcipuè ſcriptum ſit in lege, quod eſt primum, & ſecundum eius mandatum, in quibus eſt totius legis ſumma, nempè in dilectione Dei, & proximi. Et reſpondet ad ſecundum quæſitum à Domino, proferendo modum, quo legat, ſcilicet, *Ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus.* Quæ omnia ſequenti quæſt. explico. *Et proximum tuum, ſicut te ipſum*; ſeu, vt neruoſius legit Syriacus, *ſicut animam tuam.* Diligendus eſt proximus, non vtcumque, ſed ſicut noſmet ipſos diligimus: non enim hic æqualitas, ſed ſimilitudo dilectionis ſignificatur; magis enim nos ipſos, quàm proximum amare debemus: ſed tamen ſimilia his, quæ nobis optamus, proximo optare, & præſtare debemus; quæ enim nobis fieri nolumus, aliis non faciamus; & ſicut nobis bonum volumus, ita & aliis velimus.

*Reſpondet ad interrogata, & ad modũ lectionis.* Syriacus. *Quod nobis volumus, alijs faciamus.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quid ſit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, ac ex omni mente: & quomodo in hoc cohæreat Lucas cum Matthæo, & Marco?*

23. Hugo.

CARDINALIS Hugo ita explicat. *Ex toto corde tuo*, id eſt ex toto intellectu, vt omnis tuus intellectus ſubditus ſit diuino intellectui, eius dictis, & mandatis ſine errore. *Ex tota anima tua*, id eſt tota voluntate, vt omnis voluntas tua ſine contrarietate ſubdita ſit voluntati diuinæ, ac ad illam ſe colligat, & confirmet, vt nihil ei contrarium velit, ac deſideret. *Ex omni mente tua*, id eſt ex tota memoria tua, vt memor ſis diuinorum beneficiorum, & illorum non obliuiſcaris. *Ex omnibus viribus tuis*, vt Deum diligas modo explicato ex omnibus viribus tuis. Illa tria eleganter explicat D. Bernardus. *Ex toto corde*, ſapienter; *ex tota anima*, dulciter; *ex tota mente*, fortiter, ne oppreſſus amore terrenorum à Deo auertaris.

*Intellectus, & voluntas ſine contradictione Deo ſubijciantur.* D. Bernard.

24. Tolet. *Omnia noſtra Dei amori, atque obſequio ſunt applicanda.* Deuter. 6. Vatablus. *Nobilis quocumque in loco non diffidit.*

Aliter Cardinalis Toletus annot. 49. enucleat, quid ſit diligere Deum corde, anima, viribus, & mente. Ait, quod quatuor ſunt partes hominis. Primò mens, id eſt intellectus. Secundò cor, id eſt voluntas. Tertiò ſenſus, ſeu pars ſenſitiua, in qua ſunt etiam appetitus ſenſitiui, quæ etiam appellatur anima. Quartò corpus habens multa, & diuerſa membra, quæ ſignificantur per vires. Hæ enim ſunt hominis partes, quæ omnes applicandæ ſunt Dei amori, obſequio, ac legi, vt in omnibus, & per omnia illi ſeruiamus. Vnde Deuteron.6. num.5. dicitur. *Diliges Dominum ex tota fortitudine tua.* Vatablus legit *ex omni virili tuo.* Si verò in hac explicatione obiicias, quod primò nominantur voluntas, ſenſus, & corpus, & poſtea intellectus, quæ eſt pars nobilior, in vltimo ponitur. Facilè reſpondetur moraliter, quod intellectus ſecurus ſuæ nobilitatis in vltimo loco non diffideret; quod aliter euenire poterat in voluntate, ſenſibus, & corpore, vtpotè valdè inferioribus. Vide tom.1. lib.1. cap.1. num.143.144. & 145. & lib.2. cap.5. num.16. & tom. 2. cap.11. num. 72.

25. Vict. Antioc. D. Bonau. *Germana explicatio. Concordia ſcripturæ de hoc mandato.* Deuter. 6. Matth. 22. Deuter. 10. 4. Reg. 23. 3. Reg. 14.

Dicendum tamen exiſtimo cum Victore Antiocheno Marc.12. num. 30. D. Bonauentura hic, quod illa quatuor ponuntur ad maiorem explicationem; nam ſecundum phraſim Hebræam accipi poſſunt, vt vnum, & idem ſignificent: tamen ad maiorem inculcationem, & energiam fit illa quaterna repetitio. Et ſenſus eſt, quod Deum diligamus ex tota noſtra voluntate, ex totóque eius affectu, ac conatu. Et huius rei ſignum eſt, quod hic in præſenti quatuor ponuntur, ſicut & Marc.12. num. 30. Sæpè tria, Deuteron.6. num. 5. *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua.* Tria etiam ſcribuntur apud Matth.22. num.37. Aliquando duo tantum, Deuteron.10. num.12. *Diliges Dominum in toto corde tuo, in tota anima tua.* Simile eſt 4. Reg. 23. n. 3. & etiam ſæpè vnicum exprimitur 3. Reg.14. num.8. *Non fuit ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo.*

26. *Amor non eſt diuidendus in Deum, & creaturas.* D. Baſil. D. Chryſol. D. Greg.

Idem ergo ſenſus eſt in omnibus illis, vt ſcilicet Deum diligas ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, vt omnia eius præcepta adimpleas. Sicut enim Deus in ſe eſt vnus, & in plures non diuiſus: ita & amor tuus in plures Deos non ſit partiendus, ſed vnico, & integro affectu in vnum Deum ordinandus. D. Baſilius homil. 12. in Pſalm. 44. *Hoc*, ait, *quod ex toto dicit, diuiſionem in alia nullam admittit, qui autem amicus eſt Dei perfectus, ei totam animam tribuit.* D. Chryſologus ſemon. 147. *Quidquid eſt cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit poſſideri, vt hominis mundanus non haberet, quod violaret, affectus.* D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 4. *Notandum*, ait, *quod diuinus ſermo, cum Deum diligi præcipit, non ſolum narrat ex quo, ſed etiam informat ex quanto: cum ſubiungit, ex toto, vt videlicet, qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat.*

27. *Doctores, & Magiſtri frequẽter legem extendunt.*

Vel etiam moraliter dici poteſt, quod in lege citato loco 6. Deuter. tres erant ſcriptæ conditiones, ſicut & apud Matth.22. n.37. Tamen hoc loco legiſperitus quatuor conditiones refert: multoties enim ſolent legis doctores, & magiſtri ſuis explicationibus legem ampliare, & extendere.

28. *Deus diligendus ſine modo.* D. Bernard. *Deus ſuper omnia diligendus comparatiuè, finaliter, & appretiatiuè.*

Ad propoſitum redeamus. Summè ergo diligendus eſt Deus. Nam, vt ait D. Bernardus tract. de diligendo Deum. *Modus diligendi Deum eſt, diligere ſine modo.* Quod non ſolùm eſt verum extenſiuè, aut intenſiuè, ſed comparatiuè, finaliter, & appretiatiuè. Primò comparatiuè, vt ſcilicet ita cor tuum, & affectum tuum Deo tradas, vt nullam eius partem dæmoni, aut peccato relinquas. Secundò finaliter, vt in genere Deum habeas, vt finem omnium tuarum actionum, eumque vt ſummum bonum, & finem vltimum rebus omnibus præferas, vt malis res omnes perdere, quàm Deum, Deíque gratiam. Tertiò appretiatiuè, vt applices totum cor, id eſt voluntatem tuam ad eius legi per omnia obediendum, vt ſanctæ eius voluntati te per omnia conformes; ac proinde diligas eum pleno amore, non tantum concupiſcentiæ, ſed etiam amicitiæ, vt non ſua, ſed ſolùm ipſum quæramus.

29. Geneſ.32. Cantic.3. *Verus amator Deum quærit, & non ſua.* D. Bernard.

Ait Iacob Angelo. *Non dimittam te, niſi prius benedixeris mihi.* Geneſ.32. num.26. Aliter verò ſponſa dicebat: *Tenui eum nec dimittam.* Cantic.3. num.4. Quid eſt, quod Iacob benedictione contentus ipſum vult dimittere: ait ſponſa, non de benedictione impetranda, ſed de ipſomet ſponſo eſt ſolicita, ipſúmque vult amplexibus retinere? Hæc vtpotè in perfectionis apice, non benedictionem, ſed ſolùm ipſum dilectum ſponſum ardenter quærebat, in ipſóque ſolo pleniſſimè quieſcebat. D. Bernardus ſermone 29. in Cantica. *Sponſa non vult*, ait, *ſponſum dimittere, & fortè magis, quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem, ſiquidem ille benedictione accepta dimiſit eum; hæc autem non ſic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te.*

30. Luc. 15. *Prodigus Patrem vult, & non eius hæreditatem.* D. Chryſol.

Rediens Filius Prodigus conuiuio benignè excipitur à Patre. Quod ægrè ferens ſenior frater, inuidia tabeſcens conqueſtus eſt. Ad cuius leuamen ait illi Pater: *Fili tu ſemper mecum es; omnia mea tua ſunt.* Luc. 15. num. 31. Domine, duos filios habes, ſi vniuerſa cuidam elargiris, *Omnia mea tua ſunt*, nil remanet redeunti: cur ex tanta bonorum multitudine aliquid illi non reſeruas? Notum erat Patri, quod filius charitate vulneratus, non bona, ſed ipſum Patrem ſolum quærebat, ac ſitiebat: vnde dimiſſa tota hæreditate alteri germano, ſolius Patris præſentia contentus erat, qua dummodo fruatur, mercenarij locum non reſpuebat. D. Chryſologus ſermone 4. *Nec ille aliud, ait, quàm Patrem quæſiuit, qui veniens, non filij, ſed loco mercenarij voluit collocari. Sint alteri omnia, illi ſufficit Pater.*

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare non dicitur tantum, diliges Dominum Deum, ſed cum additamento, tuum?*

31. DILIGES *Dominum Deum tuum*: nec ſolum dicitur Dominus, nec ſolum Deus; neque in his ſiſtit oratio, ſed etiam cum additamento ponitur *tuum*. Quod explicari poteſt ex



Lyran. Carthuſ.

ex commentario Lyrani ad Pſalm.7. num.1. *Domine Deus meus.* Sic ait præfatus Doctor: *Dominus per omnium generalem gubernationem, Deus per creationem; meus per ſpecialem cultum, & deuotionem.* Carthuſianus ibi. *Domine, cuius præceptis ſemper obedio; Deus, qui creaſti me; meus, quem ſingulariter colo, ardentiſſimè diligo, inceſſanter contemplor, & cui immobiliter ſemper adhæreo.*

32. D. Auguſt. *Amor erga Deum non eſt tam liberalis, quam repenſus, & ex debito.*

Propiùs ad quæſtionem accedentes explicemus illud verbum *Tuum*, quod magno acumine diſſerit D. Auguſtinus lib.1. de doctrina Chriſtiana cap.22. *Deum ex toto corde diligere præcipitur, vt omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, vt omnem vitam tuam: ex tota mente tua, vt omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers.* Dum dicitur *Deum tuum*, ibi homo inducitur, vt ſummo affectu Deum diligat, cum ab ipſo habeat acceptam animam, mentem, cor, & omne eſſe, quod ei eſt datum; vt ita amor erga Deum non tam videatur liberaliter impenſus, quàm repenſus, ac ex debito perſolutus.

33. Exod. 19. Pagnin. Oleaſter. *Deus nos inducit, vt ipſum reciproco amore diligamus.* Oleaſter. Pſalm.15.

Ait Deus Iſraëli: *Si audieritis vocem meam, eritis mihi in peculium.* Exod. 19. num. 5. ſeu, vt legit Pagninus: *Eritis theſaurus dilectus.* Oleaſter. *Eritis mihi peculiare, aut pretioſum quid.* Sed quomodo Deus, qui eſt infinitum bonum, hominem conditione vilem, & humilem in tantum reputat, vt tanquam magnum theſaurum, aut vt quid pretioſum, ipſum pendat, & æſtimet? Vt ex hoc inducatur homo, ſummè diligere, Deum, ipſúmque reciproco pretio æſtimare, atque vt pretioſiſſimum omnium bonum, ac theſaurum colere, & venerari. Oleaſter. *Quemadmodum, ait, Deus te, vt rem pretioſam cuſtodit, protegit, & recondit: ita vult, te eum habere, vt quid pretioſum, & deſiderabile. Quemadmodum Dauid habebat, qui* Pſalm. 15. num.1. *iuxta Hebraicam veritatem, ait: Dixi Domino, Deus meus es tu, bonum meum non eſt ſuprà te, id eſt aliud à te, aut quid plus diligam.*

| | |
|---|---|
| *Luc.* 10. *n.* 28. | Dixit illi Rectè reſpondiſti. Hoc fac, & viues. |
| *Num.* 29. | Ille autem volens iuſtificare ſe ipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Ex Hebræo legitur.* | Et quis eſt meus amicus, & ſocius? |
| *Ex Græco.* | Et quis eſt meus propinquus. |

### *EXPOSITIO IV.*

34. Matth. 22. *Faciliùs ſæpè animus trahitur encomijs, quàm reprehẽſione.*

RECTE *reſpondiſti.* Probat Dominus legiſperiti reſponſionem, tum quia vera reſpondit; nam in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ. Matth.22. n.40. Tum etiam quia ad mentem, ac intentionem interrogantis reſpondit. Et non increpat eum diuinus Magiſter, ſed laudat, vt ipſa commendatione eum ſuauius alliciat, vt depoſito tentandi animo, quo venerat, inducatur, vt ad ipſum Dominum ſe conuertat, ac vt ea adimpleat, quæ facienda dicebat. *Hoc fac.* Quæſierat ipſe, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* prępoſitæ interrogationi ſatisfacit Dominus. Et non ait, hoc cogita, dic, vel ſcribe, ſed *fac*: non enim ſufficit ſcire, vel dicere, ſed neceſſe eſt, opere præſtare. Rectè aduertit Caietanus, *Quod non dixit Dominus hæc, ſed hoc fac, quoniam vnum ſine altero fieri nequit.* Quamuis enim Dei amor, & proximi ſint duo præcepta; tamen de illis loquitur Chriſtus, non in plurali, vt de multis hæc fac, ſed in ſingulari *hoc*; ita enim inter ſe connectuntur, quod vnus amor ſine altero perfectè haberi non poſſit. *Et viues*; vt explicat D. Bonauentura, ad vitam æternam peruenies, quæ ſola eſt vita.

Caiet. *Dei amor, & proximi maximè connectuntur.* D. Bonau.

35. *Variæ expoſitiones.* Boſtrenſ. Peluſiot. Euthym. Theophyl. Iſidor. Maldonat. D. Baſil. Ianſen. *Difficultas in his expoſitionibus.*

*Ille autem volens iuſtificare ſe ipſum.* Hoc legiſperiti dictum in malam partem interpretantur Titus Boſtrenſis, Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſtol.173. Euthymius, Theophylactus, ac ſit ſenſus: Voluit enim legiſperitus præ cæteris omnibus ſe iſtum demonſtrare, ac declinare: nam à Chriſto laudatus in arrogantiam prorupit; putat enim ſe nullum habere in virtute, ac ſcientia parem, cui comparari poſſit. Sic ait citatus Iſidorus: *Oſtende mihi aliquem, qui tam magnus ſit, vt poſſit mecum comparari.* Proximus enim quandam æqualitatem innuit. Aliter explicat Maldonatus, cui fauet D. Baſilius homil. *in diuites auaros.* Quod ſcilicet legiſperitus voluit ſe iuſtum comprobare in ea re, de qua agebatur; voluit enim oſtendere, ſe non tentandi, ſed diſcendi cauſa interrogaſſe; ideóque ignorantiam ſimulauit. Ianſenius ait, quod voluit ſe iuſtificare, ſeu iuſtum declarare, quia hac interrogatione ſe manifeſtabat de intelligentia diuinæ legis ſolicitum. Tamen Chriſti reſponſio, & exemplum de Samaritano adductum aliud videntur indicare: non enim reprehendit Chriſtus hominis arrogantiam, aut ſimulationem, ſed ſolum proximi rationem explanat.

36. Caiet. Burgenſ. Tolet. Barradas. *Vera intelligentia.* Leuit. 19.

Tamen abſolutè mihi dicendum videtur cum Caietano, Luca Burgenſi, Toleto, Barradas, ac aliis recentioribus, quod quamuis legiſperitus acceſſiſſet tentandi animo, tamen audito Domini reſponſo, ſtatim mente mutatus eſt, & totus in Chriſti amorem, ac reuerentiam incenſus, ab ipſo quærit ſimplici, ac ſincero affectu, quis eſſet eius proximus? nam de hoc apud Scribas variæ erant quæſtiones: ex Leuitico enim 19. num. 18. *Diliges amicum tuum:* inferebant ipſi, odio habebis inimicum tuum, quem errorem Chriſtus correxit Matth. 5. num. 43. Quapropter ſolum dicebant, eſſe amicum, vel proximum Iſraëlitas, vtpotè veri Dei cultores, & eiuſdem gentis, ac religionis: & inter Iſraëlitas ſolum probos, ac legis obſeruatores, proximos, & amicos cenſebant; cæteros verò, tam exteros, ac alienos ab Iſraël, quàm à probitate, & iuſtitia, odio eſſe habendos, ac nil beneficij eis conferendum, licitum eſſe aſtruebant. Ob hos ergo errores à Scribis ſeminatos, quærit legiſperitus, quis ſit eius proximus. Et habuit etiam interrogandi occaſionem, quia nomen Hebraicum, ſignificans proximum, ſignificat etiam amicum, vel ſocium.

37. *Explicantur verba textus.* *Ille autem volens iuſtificare ſe ipſum*, id eſt volens, ſe iuſtum probare, ac oſtendere, tanquam hominem timoratæ conſcientiæ, iuſtitiæ amatorem, ac ſolicitum intelligentiæ legis diuinæ, aſſiduè in ea ſtudentem, ac meditantem, vt eam obſeruatione adimpleat.

*Luc.10.n.30.* Suſcipiens autem Ieſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Subdit ei Ieſchua: vir quidam deſcendebat ab Ouriſchlem in Hierichou: & irruerunt in eum latrones, & expoliauerunt eum, vulnerauerúntque: & miſſum eum fecerunt, quum vix ſubſiſteret in eo anima, atque abiere.

*Quadã exemplaria.* Suſpiciens Ieſus.

*Vatablus.* Reſpondens Ieſus.

*Euthymius.* Qui etiam exuerunt eum, & vulneribus inflictis abierunt, relinquentes ſemimortuum.

*Chryſoſt. hom. de eo, qui incidit in latrones.* Et cædem illi intulerunt, & ſemiuiuum reliquerunt.

*EXPOSITIO V.*

38. D. Bonau. ALIQVA exemplaria habent: *Suſpiciens Ieſus*, id eſt vt explicat D. Bonauentura. *Surſum aſpiciens, in quo oſtenditur, quod qui vult intelligere veritatem, debet ſurſum aſpicere.* Sed ſine dubio legendum eſt cum correctis, & emendatis editionibus: *Suſcipiens Ieſus*; id eſt, vt explicat Euthymius. *Excipiens ſermonem*, & interrogationem legiſperiti, *Reſpondit*, vt legit Vatablus: *Homo quidam*, Iudæus, ſeu Iſraëlita, vt ait D. Auguſt. ſerm.37. de verbis Domini; & Ieroſolymita, vt commentatur Beda. *Deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho.* Ieruſalem ciuitas Galilææ in parte ſuperiori, Iericho verò in parte inferiori: & ideo quando aſcendebatur à Galilæa in Ieruſalem, dicebatur aſcendi. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam.* Matth.20.n.18. *Et incidit in latrones*, caſu, & inopinatè, *qui etiam deſpoliauerunt eum*, à ſuis veſtibus, & ab iis, quæ ſecum aſportabat,

(Margin: Euthym. — Vatablus. — D. Auguſt. — Matth.20.)

*abierunt ſemiuo relicto*, id eſt ſemimortuo, abierunt, vt ſolent facere latrones, & frequenter fit in mundo, in quo hominem in miſero ſtatu omnes derelinquunt.

Deſumpta eſt parabola ab eo, quod tunc temporis frequenter contingebat: nam, vt teſtatur D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ Epiſt.77. inter Ieruſalem, & Iericho extabat locus ſatis periculoſus, multis latronibus abundans; & ideo Hebraicè erat dictus *Adammin*, id eſt rubens, ſeu cruentus, *quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſibus.* Tota parabola ad hoc tendit, vt oſtendat, quod proximus homini Iudæo, non ſolùm erat Sacerdos, & Leuita ex eius gente, ac natione, ſed etiam extraneus, vtpotè Samaritanus; ad quod in exemplum ille, qui fecit in eum miſericordiam, adducitur. 39. D. Hieron. *Intentio totius parabolæ.*

Allegoricè, homo iſte adumbrat Adamum, ſeu genus humanum in eo, qui incidit in latrones, hoc eſt dæmones, qui ſpoliauerunt eum diuina gratia, virtutibus, ac excellentiis, & peccatorum affecerunt vulneribus; reliquerunt verò ſemiuiuum, ſeu ſemimortuum, quia corpus non occiderunt, ſed animam; nam mortaliter delinquens ſemiuiuus eſt; ſecundum corpus viuit, ſecundum animam demortuus eſt. Prætierierunt Sacerdos, & Leuita ex ſemine Aaron cum ſuis præuetuſtis ſacrificiis, ac ritibus; minimè homini grauiſſimè cæſo medicamen attulerunt. Acceſſit Samaritanus, id eſt cuſtos, hoc eſt Chriſtus Dominus hominum cuſtos, & miſericordia motus, homini iacenti, ac mortiferè vulnerato præſtitit medicinam oleo, & vino ſacratiſſimi ſui ſanguinis; & duxit in diuerſorium, ſcilicet Eccleſiam; & diſceſſit in cælum, & hominem ægrotum commiſit curæ prælatorum. Hic eſt myſticus ſenſus valdè celebris apud Patres, D. Auguſtinum lib. 2. quæſt. Euangelic. cap.19. Origenem homil.37. in Lucam D. Chryſoſt. homil. *de eo, qui incidit in latrones*; quæ habetur inter homil. D. Luc. D. Cyrill. apud D. Thomam, Anaſtaſium Sinaitam lib.11. in Hexameron. Euſebium Gallicanum homil. 13. poſt Penteceſten. S. Eligium homil.19. 40. *Allegoria parabolæ.*

(Margin: D. Auguſt. — Origen. — D. Chryſoſt. — D. Cyrill. — D. Anaſtaſ. — Euſeb. — S. Elig.)

## QVÆSTIO VI.

*Quare de homine iſto dicitur potius, quod deſcenderit, quàm quod aſcenderit.*

LITTERALEM ſenſum iam in expoſitione dedi: moralem quæro. Et reſponderi poteſt. Primò iuxta D. Bernardum Epiſtol. 236. *Deſcendit de Ieruſalem, & non magis aſcendit de Iericho: incidit in latrones; & Diaboli manus, carnis illecebras, & gloriam ſæculi.* Qui verſabatur in Ieruſalem, hoc eſt in Eccleſia, ſeu religioſo clauſtro; & tamen ab eo ſe deiungit, ac ſeparat, ſtatim deſcendit, ac cadit in omnem turpitudinem vitiorum, & Diaboli manus. 41. D. Bernard. *Qui à Religione, diſcedit, in multa mala incidit.*

Secundò, D. Baſilius concione in laticis, ſic ait: *Ab altis igitur ad inferna venit homo, vt in prædones incideret.* Homo ille placidè, ac quietè cum multis diuitiis degebat in Ieroſolymis: at vbi ſe ſeparauit ab illo tramite viæ, ab itinere virtutis, ſeu vt explicat Simon Caſſianus lib.6. c.10. *Deſcenſus ab Ieruſalem, auerſio eſt à pace, à virtute, à quiet, à templo ſacramentorum Dei:* ſtatim homo 42. D. Baſil. — Caſſian.



*Vbi homo à Deo diſcedit, in infamiam incidit.* homo deſcendit à ſuo honore, à ſuis diuitiis, à pace, ac quiete ſuæ conſcientiæ in magnam infamiam, miſeriam, ac perturbationem, vt à latronibus, ſeu ab inimicis animæ innumeris incommodis ſit affectus.

43. Rupertus. *Superbus non ſtat, ſed deſcendit.* Tertiò, Rupertus lib.3. in Gen. cap.1. *Deſcendebat*, ait, *quia mente tumebat.* Cur homo deſcendit ab Ieruſalem, illa enim eſt ciuitas cæleſtis, thronus, ac curia Dei, multitudine Beatorum, ac omni rerum abundantia plena? Huic homini infæliciſſimo inditus eſt ſuperbiæ pes, ac arrogantiæ fumus in mentem eius aſcendit, ex quo non potuit ſtare cum Deo; ſed deſcendens præcipitatus eſt, ac in prædones, vulnera, & mortem incidit.

44. *Qui à Deo diſcedit, in mala prolabitur; qui vero exurgit, bona multa inuenit.* Quartò, homo iſte, qui incidit in latrones, dicitur, quod deſcenderit de Ieruſalem, quæ erat in ſuperiori parte, vt in expoſitione eſt dictum; non vero quod aſcenderit de Iericho in Ieruſalem. Pro cuius ſolutione nota ex Euſebio Gallicano, quod Ieruſalem ſignificat pacis viſionem, ac proinde cæleſtem Patriam; Iericho verò mutationem dicit, vnde mundum denotat, quia ſicut luna mutatur. Hoc ſuppoſito. Reſpondeo, quod qui à Deo, & virtute diſcedit, in multa pericula, & mala incidit: qui vero relicto mundo, ab ipſo aſcendit mente ad Deum, non latrones, non vulnera, ſed Angelos, & ſanitatem inuenit: Ex quo qui multis inflictis vulneribus in latronum manus deuenit, non de Iericho, ſed de Ieruſalem, ac virtute cadebat.

45. Ex interiori deſerti proficiſcitur Moyſes in Ægyptum, *cumque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod.4 num.24. Cùm verò egreditur de Ægypto in Terram promiſſionis cum toto Iſrael, Angelus Domini præcedebat ducens, & cuſtodiens eos, vt conſtat ex multis locis. Exod. 14. num.19. & 23. num.20. & 32. num.34. Quorſum tanta rei differentia: dum tendit in Ægyptum, Angelus fit ei obuiam, tanquam irruens ad occidendum, cum verò exiit, Angelum habuit tutelarem, & defenſorem. Præpondera, quod ille intimus eremus, in quo Moyſes Deum vidit, & ex quo tendit in Ægyptum, ſignificabat quendam cæleſtem viuendi modum in Dei contemplatione, & amore, vt docent D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſis; D. Laurentius Iuſtinianus lib. de vita ſolitaria cap. 18. Cùm autem Moyſes, vt allegoricè dicam, ex ipſa Dei contemplatione, ac cæleſti viuendi modo deſcendit in Ægyptum, mundanum tumultum denotantem, adeo periculoſè incedit, vt in Angelum, tanquam interfectorem incurrat. Cum vero ex ipſo Ægypto egrediens aſcendit in Promiſſionis Terram, hoc eſt in cæleſtem Ieruſalem, tam ſecurè, ac tutè degit, vt Angelum habeat ductorem, cuſtodem, ac defenſorem. Huc reſpicit Ioannes Climacus in primo gradu: *Quicumque ex Ægypto egredi, Pharaonemque effugere cupit, hoc duce directi, peccatorum traiciunt mare, atque Amalech vitiorum principem effugiunt.*

(Margin: Exod.4. — Exod. 14. 23. & 32. — D Nyſſen. — D. Iuſtinian. — *Qui à virtute in mundum redit, in multa pericula deuenit.* — Climacus.)

46. E domo ſua egreditur ſponſa in publicas plateas Ieruſalem; & tunc de ſe atteſtatur ipſa. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Cantic. 5.n.7. Sed quomodo illa, quæ inter flores volutabat: *Lectulus noſter floridus:* Cant.1.n.15. Et iterũ: *Fulcite me floribus:* nũc verò in vulnera, ac expoliatores incidit; & quæ tam fortis, ac ſtabilis erat, vt turris, ac murus diceretur: *Sicut turris Dauid collũ tuũ.* Cantic.4.num.4. & 7.num.4. *Ego murus, & vbera mea turris.* Cantic. 8. num. 10. Vnde ergo tanta mutatio, vt è floribus ad plagas deueniat; & ex tanta ſtabilitate in tam fœmineam incurrat infirmitatem? Dum Sponſa erat in lectulo, ac in cubiculo ſuo, in ſummo perfectionis apice verſabatur; & tunc omni ſuauitate, odore, ac animi conſtantia condecorata extabat. Cum verò è domo ſua deſcendit, in cuſtodes, dæmones ſcilicet, ac hæreticos incidit (vt exponunt Aponius, ac alij) à quibus multis tentationibus, ac incommodis eſt vexata, multiſque vulneribus affecta. D. Hieronymus Epiſt.7. ad Lætam. *Loquatur ipſa*, ait, *è lecto: Induxit me Rex in cubiculum ſuum; Nunquam exeat foras, ne inueniant eam, qui circumeunt ciuitatem; & ne percutiant, & vulnerent, & auferant theriſtrum pudicitia, & nudam in ſanguine derelinquant: quin potius, cum aliquis pulſauerit oſtium, dicat; Ego murus, & vbera mea turris.*

(Margin: Cant. 5. — Cant. 1. — Cantic. 4. — *Qui è virtute in mundum exit, periclitatur.* — Aponius. — D. Hieron.)



## QVÆSTIO VII.

*Quare nec Sacerdos, nec Leuita, ſed tantum homo incidit in latrones à quibus vulneribus afficitur?*

VENIVNT eâdem via Sacerdos, Leuita, & iſte homo, & hic ſolus incidit in latrones, à quibus expoliatur, & vulneribus afficitur. Reſpondet primò Hugo. *Sed quomodo*, ait, *Leuita, & Sacerdos, & Samaritanus, qui tranſibant per illud deſertum, non fuerunt occiſi à latronibus, ſicut ille? fortè in ſocietate erant, & ille ſolus.* Propter quod dicitur: *Væ ſoli.* Eccleſiaſt.4. num. 10. Iſte homo ſolus, & pauper erat; dicitur in ſingulari numero: *Quidam homo:* in pauperem, ac ſolitarium omnes inſurgunt; non ſic verò in Sacerdotem, & Leuitam, qui vtpote diuites in comitatu erant; ac proinde ab omnibus habebantur in reuerentia, & nullus ad eos accedere audebat. 47. Hugo. Eccleſiaſt. 4. *In ſolitariũ, & pauperem omnes inſurgunt.*

Secundò, Chryſoſtomus homil. de hoc Euangelio. *Primum hominis ſtatum intellige, qui inermis, ac deſtitutus in latrones inciderit, quique improuidus, & incautus eam viam elegerit, qua euadere prædonum manus nequiuerit: non enim poſſet inermis armatos, improuidus peſſimos, incautus nociuos effugere.* Sacerdos, & Leuita, tanquam armati, & magna circunſpectione agentes, omne periculum ſuperarunt. Iſte autem homo, ſine cautela, ac armis incedens, nocentium manus non potuit effugere; ſed in omne malum, & diſcrimen venit. Deinde nota, quod forſitan iſte homo hanc viam elegit, vtpote bonam, & aptiorem, in ea tamen tot mala eſt expertus. 48. D. Chryſoſt. *Improuidus, & incautus in multa pericula incidit.*

Tertiò, Sacerdos, & Leuita in ordine ſacerdotali extabant; Iſte autem homo, incidens in latrones, laicus erat, vt notat Hugo: cum autem illi eſſent Eccleſiaſtici, in tanto honore, ac reuerentia reputabantur, vt etiam inter fures, ac latrones ſecuri degerent, ab omnique malo, ac nocumento immunes incederent. 49. Hugo. *Sacerdos etiam ab iniquis habetur in reuerẽtia*

Quartò, iſte homo deſcendit à Ieruſalem, 50.

ciuitate opulentiſſima, in qua omni bono, & fælicitate fruebatur, à qua fortè non venerant Leuita, & Samaritanus. Non ergo multum mirandum, quod iſte homo inciderit in latrones, à quibus ſit expoliatus, & vulneratus; nam cum homo in vnum malum cadit, non ibi ſiſtit, ſed in multa alia præcipitatim irruit. Pro huius rei argumento expende verbum *Deſcendebat à Ieruſalem*, non dicitur, deſcendit, ſed deſcendebat, quaſi eſſet in perpetuo motu deſcendendo, & cadendo, vt in ſuo caſu modum non haberet.

*Cum homo cadere incipit, ſemper eſt in perpetuo cadendi motu.*

51. Ait Deus Adamo poſt ſuum peccatum commiſſum. *In laboribus comedes ex ea*, ſcilicet terra, *cunctis diebus vitæ tuæ*. Gen. 3. num. 17. Seuera pœna erat inflicta homini, qui à Paradiſi deliciis, quas poſſederat, exulabat; qui dominatum ſuper omnia animantia iam amiſerat; qui, vt panem veſceretur, ſudore, & labore ſuo indigebat; ſed ad quid additur, *cunctis diebus vitæ tuæ?* Magno cum myſterio: Vt exprimatur, quod, cum homo ab honore ſuo in laborem ceciderit, iam ab eo nunquam ceſſabit, ſed tanquam continuo motu de vno labore tranſibit in alium omnibus diebus, omnibus horis, atque momentis. Thomas Anglicus, *Quia poſſet*, ait, *aliquis dicere, quod homo debet aliquo tempore laborare, ſudare, & poſtmodum delicijs vacare, ſubdit terminum illius laboris, ſcilicet limitem mortis.*

Geneſ. 3. *Labores ſemper catenatim ſuccedunt.* Anglicus.

52. Ita enim miſeriæ ſibi inuicem ſuccedunt, vt dum quis incipit cadere, minimè quieſcat, quoad vſque ad vltimum, & ad infimum deſcendat. De Satanæ lapſu ait Dominus: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Luc. 10. n. 18. Cur Diaboli caſus potius comparatur cum fulgure, quàm cum radio, vel lapide, ſeu grandine, vel pluuia, de cælo cadente? Radius cum deſcendit, in aere ſuo rapidiſſimo motu reſoluitur, & finitur; lapis, ſeu grando terram attingunt, ibique ſiſtunt; pluuia vix ad duos palmos pertingit: At fulgur multa vi deſcendit, conglomeratas nubes tranſit, aerem diuidit, terram proſcindit, cauernaſque eius tranſgreditur, ad ima penetrat, & in profundiſſimo abſconditur. O quanto myſterio cum Satana fit hæc combinatio, dum ille à ſua pulchritudine, ac decore deiicitur! nec in cælo, nec in aere, nec in nubibus, nec in terra, eiuſque cauernis commoratur, ſed in vltimam abyſſum ruit, & præcipitatur. Beda alibi datus. *Sicut fulgur de cælo cadentem; præcipitem de ſupernis ad ima lapſum ſignificat.*

Lucæ 10. *Qui incipit cadere, ſemper in maiorem ruinam tendit.* Beda.

## Qvæstio VIII.

### *Quare latrones non interficiunt hominem, ſed ſemiuiuum relinqunt?*

53. SEMIVIVVS, ſeu ſemimortuus, vt eſt in Græco, introducitur iſte homo, quia & Primò hoc maximè faciebat ad intentum parabolæ, ac ad explicandam rem, quàm Chriſtus volebat. Secundò, quia frequenter latrones ob celeritatem rem ſemicompletam relinquunt, ne ab aliis impediantur, ſeu capiantur.

*Latrones rem ſemicōpletā relinquunt.*

54. Tertiò, & moraliter D. Auguſtinus, Theophylactus, Beda, D Bonauentura. Semiuiuus relictus eſt homo, ſeu Adamus: vita enim naturali fungebatur, ac etiam vita ſpirituali gratiæ, qua expoliatus eſt. Viuebat enim homo prius duplici vita, ſcilicet naturæ, & vita gratiæ: nunc verò ablata à latronibus, ſeu dæmonibus per ſuas peccatorum ſuggeſtiones gratiæ vita, ſuperſtite naturali, hac ſolum viuebat. Quartò, Latrones, ſeu dæmones ſpoliauerunt eum Dei gratia, ac inflictis peccatorum vulneribus ſemiuiuum relinquentes abierunt; non enim corpus, ſed animam occiderunt; nam qui lethaliter delinquit, ſemiuiuus eſt; corpore viuit, anima verò demortuus iacet.

D. Auguſt. Theoph. Beda. D. Bonau. *Peccatum mors animæ.*

55. Quintò, Ericus homil. ad hunc locum. *Peccatis cumulatis abijſſe dicuntur, non quo ab hominum impugnatione aliquatenus ceſſent, ſed ipſas ſuas fraudes, & nequitias ſpirituales callidè, ne caueri, vel deprehendi valeant, occultando.* Non omnino interimunt hominem, ſed ſemiuiuum relinquunt. Vulnera, quibus homo affectus eſt, peccata ſunt, quibus dæmonum telis confoſſus eſt. Et tunc quod latrones, ſeu dæmones taliter plagatum relinquant, non ex pietate, ſed ex crudeli ſæuitia prodit, nam, vt homo miſerabiliter, & abſque vllo remedio pereat, nil aptius extat, quàm quod ipſe auctorem, & radicem ſuorum malorum non agnoſcat; & ideo impoſitis peccatorum plagis recedit Dæmon, plus in hoc caſu nocens abſentia, quàm præſentia; ſi enim ipſe adeſſet, facile eius crudelitas deprehenderetur; at dum abeſt, occultata manet eius malitia, atque peruerſitas, vt homo per ſuos appetitus venenoſius pereat, & moriatur. *Sed ipſas ſuas fraudes, & nequitias ſpirituales callidè, ne caueri, vel deprehendi valeant, occultando.*

Ericus. *Omnium malorum cauſa, illorum radicem nō agnoſcere.*

56. Sæpè Balaam intentauit maledictiones in populum Dei infligere; & ab ipſo Deo prohibitus eſt; immò & ab ipſo Deo impoſitum eſt ei præceptum: *Neque maledicas Populo, quia benedictus eſt.* Num. 22. num. 12. Sed cur non permiſſæ ſunt illæ execrationes Prophetæ aduerſum Populum, nam cum illæ fierent contra Dei propoſitum, nullius effectus, ac nocumenti eſſe poterant? Noluit Deus, vt Populus ſuas iniquitates ignoraret: nam, cum ſe videret Iſrael à ſerpentibus lædi, ab igne deuorari, ab hoſtibus debellari, ſibi perſuaderet, quod, non à debita ſuorum peccatorum pœna, ſed à maledictionibus Prophetæ prouenirent: ne ergo in his oberrans Populus cœcutiret, & abſque vllo reſipiſcentiæ remedio periret, Prophetæ maledictiones intercluſæ ſunt. Theodoretus q. 43. in Numer. *Quia Populus*, ait, *propter iniquitatem continuam percutiebatur plagis immiſſis, ne putarent, hoc illis euenire propter maledictionem vatis, non permiſit, vatem maledictionibus vti; amputatis hoc modo ſtultorum opinionibus.* Vide cap. 1. n. 134. & tom. 2. in Indice Verb. cognoſcere. ibi multa. & cap. 22. q. 5.

Num. 22. *Valde nociuum, quod homo ſua peccata ignoret.* Theodoret.

57. Sextò, Hugo ſubſtantia rerum communiter appellatur vita hominis Eccleſiaſt. 34. num. 15. *Panis egentium vita pauperum eſt.* Duplici vita viuit homo, vna naturali, qua ſecundum corpus viuit; & altera morali, quæ etiam dici poteſt naturalis, quæ eſt panis, victus, ac ſubſtantia rerum, quibus homo alitur, viuit, ac ſuſtentatur, de quibus ait Michæas 3. num. 3. *Comedent carnem populi mei*; nempè ſubſtantias ſuarum rerum. Quamuis vulnera, huic homini inflicta, non eſſent lethalia, & vita naturali viueret; cum tamen à latronibus fuiſſet expoliatus ab omnibus his, quæ ſecum aſportauerat, mediam eius vitam abſtulerunt, ac proinde ſemiuiuus relictus eſt homo.

Hugo. Eccleſ. 34. *Subſtantia rerum pars hominis vita.*

Septimò,



58. Septimò, Origenes homil. 34. in Lucam. *Latrones, qui ſpoliauerant, & vulnerauerant eum, non aſſident nudo.* Latrones Dæmones ſunt, qui vulnera peccatorum homini intulerunt, ac ipſum à gratia ſpoliauerunt: & cum homo tot peccatis eſſet detentus, iam non multum curat Dæmon ei aſſiſtere, ac adeſſe, nec multum ſolicitus de eius extrema ruina, hanc enim peccatum in anima infixum optimè perficere, ac adimplere poteſt.

Origen. *Peccatum crudelis mors hominis.*

59. Maximè dolebat Eſau, eo quod frater eius Iacob furatus eſſet ei ſuam benedictionem, propter quod dicebat in corde ſuo, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum; quod cum nuntiatum fuiſſet Rebeccæ, vehementer anxiata eſt pro filio ſuo, dicens: *Cur vtroque orbabor filio in vno die.* Geneſ. 27. num. 45. Quomodo hæc dicebat prudens fœmina; nam Eſau ea intentione ſtatuebat, fratrem ſuum interficere, vt ipſe ſolus totius paternæ domus, ac benedictionis eſſet hæres; ſi Iacob ſit occiſus, alter filius erit ſuperſtes in multis diuitiis, magnáque opulentia. Quomodo ergo ait: *Vtroque orbabor filio in vno die?* Conſiderabat ſapiens fœmina, quod ſi Iacob ab Eſau crudeli gladio, & ferro occideretur, eodem die, ac puncto ipſe Eſau crudeliori, ac ſæuiori nece enecandus eſſet mortiferi peccati veneno, quo omnino periret, & vita priuaretur. Fauet Procopius. *Vtroque*, ait, *orbabor, quaſi fratricida, quoad deſtinatam, & conceptam cædem, iam iam mortuo.*

Geneſ. 27. *Peccatum crudeliter hominem interimit.* Procop.

60. De maledicto proditore ait Ioannes Euangeliſta 13. num. 2. *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Quod immaniſſimum facinus cum perpetraſſet, *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. num. 5. Cur ab ipſo diabolo non agitur in furcam? Immo opinio eſt Origenis, vt refert D. Paſchaſius lib. 12. in Matth. *Quod callidiſſimus explorator diabolus, poſtquam in eo, & de eo fecit, quod voluit, vt traderetur Ieſus in mortem, receſſit mox à Iuda. Quo recedente, intellexit continuo malum, quod fecerat.* Cur ab illo receſſit? Cur ipſum non ducit in patibulum? Optimè agnouit aſtutus aduerſarius, quod vt Iudas laqueo appenſus eſſet, eius præſentia non erat neceſſaria, cum iam in corde ſuo admiſiſſet peccatum, à quo, tanquam à crudeliſſimo ductus carnifice, in turpiſſimam, ac miſerabilem mortem impelleretur. Pro quo ſtat D. Ambroſius in Pſalm. 36. *Se ipſe proprio ore egit in mortem. Quantos putamus in ipſo fuiſſe tortores*, vt ſibi ipſe tam grauis pœnæ exactor exiſteret, & ſemetipſum ſtrangularet.

Ioan. 13. Matth. 27. Origenes. D. Paſchaſ. *Vbi adeſt peccatum, diaboli præſentia non exigitur, vt homo interficiatur.* D. Ambr.

## Qvæstio IX.

### *Quare iſti latrones non numerantur, cum illi, qui in Caluario ſunt affixi, recenſeantur?*

61. REFERTVR in parabola, quod homo iſte incidit in latrones, qui eum ſpoliauerunt, ac plagis impoſitis abierunt. Quot tamen eſſent iſti latrones, non ſcribitur; cum tamen eorum, numerus, qui crucifixi ſunt in Caluario, ſcribatur. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris.* Matthæus 27. num. 38. & Luc. 23. num. 32.

*Ratio difficultatis.* Matth. 27. Luc. 23.

62. Ratio huius rei in promptu eſt. Quod latrones in Caluario erant ſupplicio multati; in noſtra autem parabola liberi erant, & expediti per viarum ſaltus vagantes, vniuerſa expoliantes, ac depopulantes. Et latrones, qui ſint pœna affecti, pauci, & duo tantum reperiuntur: Qui autem ſint liberi, & diſſoluti per totum orbem verſantes, ac volitantes, cuncta diripientes, multi, & innumeri inuenientur. Pulchrè ait Caſſiodorus lib. 2. variar. *Furca vacua, & ciuitas latronibus plena.*

*Latrones pœna affecti, pauci, ſine ſupplicio innumeri.* Caſſiod.

63. Cum Dauid regnare cœpiſſet, duo viri principes latronum, ingredientes in regium palatium interfecerunt Iſboſeth, & tulerunt caput eius ad Dauid. 2. Reg. 4. n. 2. Iob autem inter ſuas ærumnas, ac plagas lacrymatur: *Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum.* Iob 19. n. 12. Qui multis calamitatibus, ſanctiſſimum virum affecerunt, vt ibi ponderant D. Gregorius, D. Hieronymus, D. Odonius, & alij. Sed cur apud Dauidem duo ſcribuntur latrones; apud Iob verò nullo modo computantur? In hiſtoria Dauidis latrones ſunt interfecti, ac pro crimine ſuo pœnas dedere, vt patet ex citato cap. 4. num. 12. At apud patientiſſimum virum, vt de eis ſcribit D. Thomas: *Prædicti latrones deprædati ſunt Iob publicè, abſque reuerentia, & metu*, nullam pro ſuis delictis caſtigationem reportantes. Et latrones, qui pœnas exoluant, paucos, & duos inuenies: qui verò liberè, & ſine metu publicè graſſentur, multos, & ſine numero habebis.

2. Reg. 4. Iob 19. D. Greg. D. Hieron. D. Odon. *Dauid duos interficit latrones: innumeri verò Iobum expoliant.* D. Thom.

| | |
|---|---|
| *Luc. 10. n. 31.* | Accidit autem, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriuit. |
| *Num. 32.* | Similiter & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſiit. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus.* | Caſu verò fortuitò ſacerdos quidam |
| *Græcus.* | Cum acceſſiſſet propiùs ad eum, eo viſo à via reflexit. |
| *Euthym. Theophyl. n. 32.* | Et Leuita, cum iret iuxta locum, cum acceſſiſſet, & vidiſſet eum. |
| *Arias.* | Factus ſecundum locum, veniens, & videns præteriit. |

### *EXPOSITIO V.*

64. ACCIDIT *autem*, ſeu vt legit Vatablus, *caſu fortuito*, euenit, quoad homines ſcilicet; certo tamen, & determinato conſilio, ſi prouidentiam Dei conſideres, cui nihil eſt fortuitum, ſed omnia ab æterno præuiſa, ac prouiſa; *vt ſacerdos quidam*, quantum exaggeratur iſtius crudelitas! Sacerdos erat, cui ex officio,

Vatablus. *Sacerdos debet eſſe miſericors.*

cio, ac dignitate incumbebat miſericordiam facere, ait Hugo, *Cum tamen ideo iungantur manus ſacerdotum vt fluant miſericordiam.* Et quam iniquus erat iſte; nam cum eſſet ſacerdos, legem, ac pietatem in pauperes docebat, & eam minimè opere adimplebat.

Hugo.

65\. Eadem via; ſcilicet à Ieruſalem, & minimè in ſuum conciuem habuit benignitatis viſcera. *Eâdem via*; nam ſi alio tramite incederet, ſacerdos poterat ſe excuſare, quod ne interrumperet iter ſuum, aut ne ab eo reflecteretur: ſed cum pergeret eâdem via, ſine itineris detrimento huic vulnerato poterat ſubuenire. *Viſo eo*, ſi non vidiſſet, abſque culpa eſſet, at videns, & claudens pietatis viſcera, maximè condemnandus. Et ob hoc quot ſunt delinquentes, qui aliorum indigentiam videntes nullam ferunt opem: *Præteriuit*, hoc eſt, vt ex radice Græca notant Titus Boſtrenſis, Theophylactus, ſacerdos, cum iam ad hunc miſerum acceſſiſſet, exterritus horrore, ac magnitudine plagarum, retrorſum abiit, pedem retulit, ac à via reflexit, ne propius ad illum accederet. Et bene dicitur, quod *præteriuit*, & non ſtetit, vt pote nulla charitate radicatus, ac firmatus.

*Maxime arguendi, qui vident miſeriam, & non ſubueniunt.*

Boſtrenſ. Theoph.

66\. *Similiter & leuita*, ſicut modo apud Chriſtianos eſt diaconus, qui ſacerdoti miniſtrat in ſacris, ſic olim apud Iudæos erat Leuita. *Similiter & leuita*, eâdem via deſcendebat, eâdemque impietate vſus eſt. Qualis enim ſacerdos, talis leuita ſeu diaconus: qualis ſuperior talis inferior. In exemplum autem impietatis hic adducuntur. Eccleſiaſtici, tum quia, ait Hugo, *Clerici*, laicis ſcilicet, *auariores ſunt, quaſi conſueti ſemper accipere, & nunquam dare*: tum etiam quia hi, qui maiori obligatione ſunt aſtricti, hi ſæpe in ſuo munere deficiunt. *Cum eſſet ſecus locum*, maximè notatur huius culpa, quod cum tam prope eſſet, hominem deſeruit, pertranſijt. quod eodem modo explicandum. eſt, ac ſupra verbum *præteriuit*.

*Quis eſſet leuita.*

Hugo. *Clerici auari.*

*Lucæ* 10. *n.* 33. Samaritanus autem quidam iterfaciens venit ſecus eum, & miſericordia motus eſt

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Vir autem quidam Schamaritanus, quum iter faceret, venit, quo loci erat ipſe.

*Arabs.* Viſceribus commotus eſt.

*EXPOSITIO VI.*

67\. SAMARITANVS natione, gente, ac religione valde alienus à Iudæis, à quibus Samaritani tanquam infeſtiſſimi hoſtes habebantur. Et non exprimitur in parabola, ex quo loco iſte veniret, vt narratur in aliis. Nam de vlnerato dicitur, *Deſcendebat à Ieruſalem*; de ſacerdote, *Deſcendebat eâdem via*; *ſimiliter & Leuita.* Vt ita magis explicetur horum inhumanitas in ſuum conciuem. In Samaritano autem, dum tacetur locus, ex quo profectus eſt, innuitur, quod ex alia parte venerat, vt ita magis exaltetur pietas in extraneum, atque ignotum. *Iterfaciens*, Samaritanus caſu; Chriſtus in eo adumbratus, vt ait Theophylactus, *ex propoſito hoc ſtatuens, vt nos curaret*; *Venit ſecus eum*. De leuita ſcribitur, *Cum eſſet ſecus locum*: at Samaritanus *ſecus eum*: non enim appropinquauit tantum loco, ſed etiam animo. Multi ſunt iuxta te prope locum, & valde diſtantiſſimi animo. *Videns eum*, vt ait Origenes, in ſuo ſanguine volutari. Et vidit eum non tanquam Iſraelitam natione hoſtem, ſed tanquam hominem amicum, ac proximum genere, & ſanguine. *Miſericordia motus eſt.* Quod nec ſacerdos, nec leuita, perſonæ religioſæ, ac Eccleſiaſticæ fecerunt; hoc ipſe Samaritanus alienigena, & laicus præſtitit.

*Inſpecta aliorum inhumanitate, Samaritani pietas ſublimatur*

Theoph.

Origen. *Appropinquandum non loco, ſed animo.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare in præſenti introducitur Samaritanus iſte habens miſericordiam in hunc vulneratum?*

PRIMA, & germana huius rei ſolutio eſt. 68.
Samaritanus gente, genere, ac religione alieniſſimus erat à Iudæis, multumque eis exoſus. In magno enim odio habebant Iudæi Samaritas pluſquam alios Ethnicos: nam, Samaritæ volebant ſe reputari, vt veri Iſraelitæ, ac vt populus Dei electus, ſuumque templum cum Ieroſolymitano conferabant; cum tamen ipſi eſſent prophani, ſchiſmatici, nulloque modo ex ſanctis Patribus procreati. De quo Ioſephus lib. 11. Antiquitatum. ad finem. Vide ea, quæ dixi tom. 2. cap. 5. q. 4. ad finem. Signanter Chriſtus D. hic adducit exemplum de Samaritano, vt aperiat, ac doceat, non ſolum amicos, ſed etiam inimicos (qualis erat Iudæis Samaritanus) proximos reputandos eſſe, vt ita confutet arrogantiam legiſperiti, qui ſolùm amicos, ac Iſraelitas expectabat declarandos eſſe proximos. Et ita is, qui venerat tentans eum, abiit confutatus, & redargutus.

*Germana ſolutio.*

Ioſeph.

*Qui venerat tentans, abijt redargutus.*

Secundò, & moraliter. Euſebius Gallicanus homil. in Dom. 13. Poſt Pentecoſten. Sic ait ſe ipſum Samaritanum Dominus vocat quod nomen inimici ſui Iudæi impoſuerunt ei, dicentes, nonnebenè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Samaritanus autem interpretatur cuſtos. Quo nomine ille quidem dignus eſt, cui per Prophetam dicitur: Cuſtos, quid de nocte, cuſtos, quid de nocte. Et Pſalmiſta: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. Hic autem iterfaciens & ſicut cæteri homines ad finem tendens, ſua miſericordia hominem liberauit, & ſuo ſanguine redemit. Hæc ille. Idem docent D. Auguſtinus ſerm. 37. de verbis Domini; D. Ambroſius, Auctor Græcus apud D. Thomam, Beda, & alii. 69.

Euſeb.

*Chriſtus ſua pietate, ac miſericordia nos liberat.*

D Auguſt. D. Ambr. Auct. Græc. Beda.

Tertiò, D. Gregorius in Paſtorali p. 2. admonit. 29. *Plerumque*, ait, *actione ſæcularium vita continentium confunditur, cum illi vltra habitum aſſumant opera; & illi iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde bene per Prophetam dicitur:* Erubeſce Sidon, ait mare. Iſai. 23. num. 4. *Quaſi* 70.

D. Gregor.

Iſaia. 23.



*enim per vocem maris ad verecundiam Sion adducitur, quando per comparationem vitæ ſæcularium, atque in hoc modo fluctuantium eius, qui munitus, & quaſi ſtabilis cernitur, vita reprobatur.* Quod nec Sacerdos, nec Leuita fecerunt, præſtitit Samaritanus. Maximè ſanè dolendum, quod aliquando laici, qualis erat iſte Samaritanus, Clericos, ac Religioſos in probitate morum, in honeſtate virtutum, ac adimpletione legis antecellant, & ſuperent, vt deplorat D. Hieronymus comment. in Epiſt. Titi. cap. 2. Imperfectus homil. 40. in Matth. In hoc ſenſu, iuxta Gregorium, ait mare, ſcilicet ſæcularis mundus, ciuitati ſanctæ Sion. *Erubeſce.* Et ad omnes loquitur D. Chryſoſtomus Orat. 5. aduerſus Iudæos. *Quod ſi Samaritanus, ait, adeo humanus, mitiſque fuit erga hominem ignotum; quam habituri ſumus nos veniam, ſi proprios fratres, id eſt proximos neglexerimus?*

*Aliquando laici virtute antecellunt Eccleſiaſticos.*

D. Hieron. *Imperfectus.* D. Gregor.

D. Chryſoſt.

71\. Quartò, D. Hieronymus Epiſt. 151. ad Algaſiam. q. 5. *In parabola*, ait, *de Ieruſalem deſcendentis Iericho, Samaritanus pro ſigno, atque miraculo ponitur, quod malus benefecerit.* Tanquam magnum miraculum, & ſignum ſcribitur, quod Samaritanus, cum eſſet educatus inter malos ſuos conciues, tantam charitatem, ac pietatem habuerit, vt tam præclaram miſericordiam in hunc vulneratum exhibuerit.

D. Hieron.

*Miraculum, quod quis inter malos ſit bonus.*

72\. Quintò, D. Ambroſius lib. 7. in Lucam. *Non mediocris iſte Samaritanus, ait, qui eum, quem Sacerdos, quem Leuita deſpexerat, non etiam ipſe deſpexit.* Valde mirum, quod ſtante exemplo Sacerdotis, & Leuitæ, hominem miſerum contemnentium, Samaritanus non ſit illud ſecutus, vt etiam eundem contemneret; ſed mira pietate, ac miſericordia ſit proſecutus, infundens oleum, & vinum.

D. Ambroſ.

*Valde laudabile, quod quis malorũ exempla non ſit ſecutus.*

73\. Sextò, non Sacerdos, nec Leuita, ſed Samaritanus opem fert homini; & ipſe, non illi, laudatur à Chriſto, quod miſericordiam fecerit in hominem, & quod eidem ſe proximum exhibuerit. In Sacerdote eminebat dignitas; in Leuita ſcientia, vt notat Simon Caſſianus lib. 6. cap. 10. Et tamen hi non encomiis extolluntur, ſed Samaritanus; quia nec ſplendor dignitatis, nec fulgor ſcientiæ præualent apud Deum, nec ab eo multum reputantur; ſed ſolum iuſtitiæ rectitudo, ac virtutum probitas, quæ in Samaritano enituit.

Caſſianus. *Non dignitas, non ſcientia, ſed ſola virtus præualet apud Deum.*

74\. Septimò, conſidera altitudinem diuinæ prouidentiæ. Præteriuit Sacerdos, & Leuita, relinquentes hominem miſerum in ſuo ſanguine volutantem. Tunc quando homo deſtitutus ab omni humano auxilio videbatur, ex Dei benignitate aduenit Samaritanus, à quo nil boni ſperabatur, ipſe homini opem fert, ac illius curam agit.

*Quando humana deſũt, tunc Dei auxilium adeſt.*

75\. Extendit Abrahamus manum, vt euaginato gladio filium iugularet, ac in holocauſtum offerret. Gen. 22. num. 12. De quo magno pondere ait D. Zeno Veronenſis ſerm. 2. de Abrahamo. *Intrepidus ad myſterium immolationis armatur, rimatur ad ictum vulneris ſecurus animus, ſed ſecurior manus.* Quod mens Patriarchæ in hoc caſu eſſet ſecura, bene intelligitur; nam, vt ait Apoſtolus. *In ſpem contra ſpem credidit.* Rom. 4. num. 18. Firmiſſimus adhærebat Dei verbo, quo credebat, ex illo filio habiturum ſemen. At quomodo manus ſecurior dicitur, quæ toto impetu, ac conatu ferebatur, vt puerum mactaret? Optimè ſanè nam, cum iam manus eſſet diſtricta, & magna vehementia deſcenderet, vt filium occideret, ita vt in humanis iam nullum videretur aſylum, tunc ſecurior erat, quod Dei auxilium non deeſſet, ſed valde opportunè interueniret, vt filius à ferri ictu viuus euaderet.

Geneſ. 22. D. Zen. Ver.

Rom. 4.

*Cum humana intercluduntur, tunc interuenit Dei auxiliũ.*

Stante crudeli Pharaonis edicto, quod omnes pueri Hebræorum in flumen proiicerentur; quædam mulier ex tribu Leui *concepit, & peperit filium, & videns eũ elegantem abſcondit tribus menſibus: cumque iam celare non poſſet, expoſuit eum in carrecto ripæ fluminis.* Exod. 2. num. 2. Ecce totius populi Iſraelitici ſaluator, qui ipſum à captiuitate, ac tyrannide eſt liberaturus. Cur eius natiuitas reſeruatur ad id tempus, quo omnes pueri Hebræorum mandantur interfici? Cur ſicut hæc mulier, habens duos filios Aaron, & Moyſen, potuit humana prouidentia Aaronem abſcondere; cur ſic non valuit occultare Moyſen? in quo totius populi Iſraelitici ſpes erat conſtituta? Agnoſce diuinum conſilium. Vt nos doceat, quod quando vndique humana intercluduntur, tunc affluenter diffunditur diuina pietas, vt puerum cuſtodiat, ſaluet, ac tueatur. Lippomanus *Naſcitur*, ait, *tunc ſalutis auctor, dum maximè gloriatur perditionis crudelitas; & vbi omnis ſpes deſinit, & humanum auxilium; tunc adeſt diuinum: filius naſcitur mortis, qui morti expoſitus viuificet morituros.* 76.

Exod. 2.

*Cum humana conſpirantur contra te, tunc adeſt Dei fauor.*

Lippomanus.

*Lucæ* 10. *n.* 34. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Acceſſit itaque, & obligauit vulnera eius, infunditque in ea vinum, & oleum; & adduxit eum in diuerſorium.

*Arias.* Aſcendere autem fecit illum in proprium iumentum.

*EXPOSITIO VII.*

SAMARITANVS charitate vulneratus, ſuum commodum, ſuumque iter contemnit; & quæ ſecum ad viaticum ferebat, vinum ſcilicet pro potu, oleum pro cibo cum pane, bonam tamen eorum partem in homine curando impendit. *Et appropians.* Non præteriit ex aduerſo, vt fecerunt Sacerdos, & Leuita, ſed proximè acceſſit ad ſaucium. Et quia vera miſericordia, vt ait D. Bonauentura, in opere declaratur; non ſolùm oſtendit affectum, nec profert verba, non quærit, quomodo illud contigerit, ſed totus in pietatis negocio intentus, *Alligauit vulnera eius.* Accedens manum admouit, & obligauit faſciis vulnera, partim ne ex circunſtante aere deteriora redderentur, partim etiam vt ipſis compreſſa medicinam retinerent, faciliuſque coaleſcerent. Sic ait Chryſoſtomus in propria homil. *Confoſſa loca ligantur, vt intra ſemetipſa retinentia medicinam,* 77.

D. Bonauent. *Perfecta charitas, non verbis, ſed operibus declaratur.*

D. Chryſoſt.

nam, operante medicamine, ſanitati reddantur. Pergit Textus: *Infundens oleũ, & vinũ.* Vinũ, vt lauaret vulnera; oleum, vt leniret. Et ſolum dicitur vinum, & oleum, nõ vero totum vinum, & oleum; quia vt optime prouidus, ſolum neceſſaria, & non ſuperflua præſtitit: & quæ charitate impenſa erant, non poterant exhauriri, ſed ſufficientia permanſerunt.

*Quæ charitate impenduntur, non deſunt.*

78 *Cur narratur prius vulnerum obligatio.* Hugo.

Quamuis Samaritanus prius infuderit oleum, & vinum; & poſtea vulnera obligauerit: tamen hoc prius narratur ab Euangeliſta, forte, vt ait Hugo, quia ipſe non obſeruauit ſeriem rerum; velut etiam inquit ipſe Hugo. Iſte homo habebat multas plagas. Quædam eſt plaga, quæ non indiget lotione; hanc alligauit: alia, quæ non lotione, ſed mitigatione eget, & ſuper hanc infudit oleũ, alia verò, cui neceſſe erant illa omnia, quæ ipſe præſtitit. Vel etiam moraliter dico: Samaritanus iſte adumbrat Chriſtum Dominum, cuius proprium ingenium eſt, ante omnia, aliorum errores tegere, ac operire, ne ab aliis videantur, ſeu ſciantur: quod maximè diſtat ab hominum conditione, quorum ſtudium totum incumbit in aliorum crimina diuulganda, ac propalanda.

*Chriſtus Dominus aliorũ crimina obtegit.*

79 *Imponens illum in iumentum ſuum.* Non reliquit Samaritanus hominem miſerum in eo loco, ſed manibus ſublatum è terra impoſuit eum in ſuo iumento. ſeu vt legit Arias, *in proprio iumento*, à quo ipſe deſcenderat. Allegoricè D. Auguſtinus in quæſtionib. Euangelic. D. Aſterius in catena Græca. *Quid autem eſt iumentum*, ait, *quo ſemiuiuum ad hoſpitiũ Saluator deduxit, niſi caro in qua ad nos venire dignatus eſt, quæ fuit quaſi vehiculum quoddam, aut Diuini Verbi iumentum, in qua, & per quam omnia ſuſtinens ad Eccleſiam deduxit.* Chriſti caro, in ſacramento præſtita, pro vehiculo eſt, quo in domum vitæ, ac ſalutis ſubleuamur. D. Ambroſius. Iumento impoſuit, dum peccata noſtra portat; & Paſtor impoſuit ouem laſſam ſuper humeros ſuos.

Arias. D. Auguſt. D. Aſterius.

*Chriſti caro in ſacramento nobis pro vehiculo eſt.* D. Ambroſ.

80 *Vnde ſtabulũ dictum, ſeu diuerſorium.*

*Duxit.* Ipſe pedes incedens iumentum fræno prehenſum duxit *In ſtabulum*, hoc eſt hoſpitium, ſeu diuerſorium, ita dictum, quod diuerſi in eo promiſcuè recipiantur. Vel etiam ſtabulum appellatum à ſtando, quod ſcilicet viatores ex itinere laſſi, ibi ſtent, & quaſi ad horam quieſcant. *Et curam illius egit*, eo ſcilicet die, ne quid in congruo lectulo, cibo, potu, ac medicamine ei deeſſet.

## Qvæstio XI.

### *Quare ad ſemiuiuum curandum vinum, & oleum infundit Samaritanus.*

81 *Variæ rationes ad litteram.*

Samaritanvs iſte ante omnia vino lauit vulnera. Vinum enim primo ſaniem ac putridum ſanguinem abſtergit. Secundò peccantes, ac pituitoſos humores, ad vulnus confluentes, corrodit. Tertiò vulnera conſtringit, ne vlterius ſanguinem fundant. Quartò neruos, ac partes læſas calefacit, ac confortat. Deinde oleum adhibuit. Primò vt vini mordacitatem, & acredinem ſua ſuauitate temperaret. Secundò ad mitigandum dolorem. Tertiò, vt partes vulneri vicinas foueret. Quartò vt mollifaceret diuiſam carnem, vt facilius rediret in naturam. Aliter oleum valde nociuum eſt recentibus vulneribus, illaque putrefacit, vt docent Galenus l. 3. Math. & Hippocrates lib. de vlceribus; de quo Valeſius lib. 5. Philoſophiæ cap. 87.

Galenus. Hippocrates. Valeſius.

82 D. Gregor.

Primò, Tropologicè, D. Gregorius part. 2. Paſtor. cap. 11. *Per vinum*, ait, *mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Neceſſe quippe eſt, vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate: faciendum quoddam temperamentum ex vtroque; vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur.* Similiter Titus Boſtrenſis ſubdens. *Siquidem vulnus graue, & morbus quodammodo inſanabilis, non ferebat illud purum, ſcilicet vinum, hoc eſt excedentem illam aſtrictionem, & acrimoniam.* Et ideo quoddam temperamen fuit adhibendum. Quod multis documentis confirmat S. Gregorius. In Arca enim fœderis ſeruabatur manna, ſimul cum Aaronis Virga. Hebræor. 9. num. 4. *Ita planè*, ait S. Doctor, *in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.* Ait Regius Vates Pſal. 22. num. 4. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Virga percutit, baculo ſuſtentat, & fulcit. Pergit D. Gregorius. *Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat.*

Boſtrenſis.

*Prælatus habeat lenitatis oleum, cum ſeueritatis vino.* Hebræor. 9.

D. Gregor. Pſalm. 22. D. Gregor.

83 D. Ambroſ.

Secundò, D. Ambroſius ad hunc locum lib. 7. in Lucam. Chriſtum Dominum per hunc Samaritanum interpretatur. Et ſic ait: *Multa medicamina medicus habet iſte, quibus ſanare conſueuit. Sermo eius medicamentum eſt. Alius eius ſermo conſtringit vulnera: alius oleo fouet: alius vinum infundit. Conſtringit vulnera auſteriore præcepto: fouet remiſſione peccati: ſicut vino, compungit denunciatione Iudicij.* Dei ſermo habet omnia medicamentorum genera: habet enim quædam leniora, & alia verò auſteriora pro infirmitatum diuerſitate. De Iſraele egrediente de Ægypto decantat Dauid: *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Pſal. 106. num. 20 Cur modo verbum tantum, cum tamen Iſrael verſaretur in deſerto, & à ſerpentum morſibus eſſet vulneratus, ſerpens æneus erectus eſt pro ſigno, *Quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Num. 21. num 9. Cum Iſrael eſſet in deſerto, atque à ſerpentino dente plagatus, vnus erigitur ſerpens, cuius intuitu omnes curentur. At cum egreditur de Ægypto, in quo omnis peccatorum diuerſitas graſſabatur, veniat Dei verbum, cui optimè ineſt omne medicamen ad vniuerſa morborum genera depellenda. Pro quo facit D. Baſilius Epiſt. 1. ad Gregorium Theologum. *Ab ſcriptura*, ait, *vnuſquiſque tanquam ab officina medicinæ, appoſitum ſuæ infirmitati medicamentum inuenire poterit.*

*In Dei verbo omnia medicamina ad vniuerſos morbos depellendos.* Pſalm. 106.

Numer. 21.

D. Baſilius.

84 *Interlinealis.* D. Chryſoſt.

Tertiò, Gloſſa Interlinealis. Infundit vinum, & oleum, *Chriſma ſcilicet Spiritus Sancti.* Et D. Chryſoſtomus homil. de hoc Euangelio, habita inter homilias D. Lucæ. *Vinum*, ait, *oleumque vulneribus infundit. Vinum, inquam, id eſt ſanguinem Paſſionis; & oleum Chriſmatis, quibus & delictorum vulnera curantur, & ſanctificationis tutela præſtatur; vt indulgentia daretur per ſanguinem, ſanctificatio conferretur per Chriſmatis vnctionem.* Per vinum, hoc eſt ſanguinem, confertur ſanctificatio: per oleum vero, quod vnà cum balſamo Chriſma componit, ſcilicet ſacramenti Confirmationis materiam, per quod Sacramentum nobis

*Excellentia doni, quod confertur cũ ſui tutela.*



bis datur robur, & auxilium ad fidem viuam conſtanter tenendam, ac profitendam, vt docet Concilium Florentinum in Decreto Eugenij IV. & cum D. Thoma 3. p. quæſt. 72. art. 7. omnes; Theologi, Suarius, Vaſquius, Valentia, ac alij vt hoc modo nobis infunderetur perfectum donum cum ſanctificationis tutela, vt ita ipſa gratia nobis communicata perenniter duratura perſeueret.

Con. Flor. D. Thom. Suar. Vaſq. Valent.

85 D. Bernard.

Quartò. D. Bernardus ſerm. 16. in Cantica in his depingit ſupremi Regis Chriſti ingenium. *Infundit oleum meis vulneribus, infundit & vinum; ſed minus quàm olei, ſic nempè congruebat infirmitatibus meis, vt miſericordiam ſuperexaltaret iudicio, quemadmodum vino oleum ſuperfertur infuſum.* Quod ſtatim comprobat S. Pater. Quia Chriſti medicamina erant ſeptem Spiritus dona, è quibus quinque, nimirum ſapientia, intellectus, conſilium, ſcientia pietatem infundebant: duo autem, Fortitudo, ſcilicet, ac Timor ſeueritatis vinum communicabant. Sic enim ait S. Pater. *Attulit proinde quinque cados olei, vini non niſi duos. Vinum quidem Timor, & Fortitudo fuerunt: reliqua quinque oleum propria ſuauitate deſignauit. In ſpiritu denique fortitudinis deſcendit ad inferos, tanquam potens crapulatus à vino, contriuit partas æreas, & vaſa captiuitatis eripuit. Et ſtatim gratulabundus exclamat: O ſapientia quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras! fortiter ſuauis, & ſuauiter fortis; fortis pro me, ſuauis mihi* In tanto Principe oleum mixtum eſt vino; ita tamen vt plus lenitatis olei exhibeat, quàm fortitudinis vini; fortitudo aduerſus meos hoſtes, vt ipſos confringat, benignitas verò olei, vt me pinguem faciat ac ditet: *Fortis pro me, ſuauis mihi.*

*In Principe plus exhibeatur benignitatis, quàm rigoris.*

*Chriſtus ſuauis nobis, fortis noſtris inimicis.*

86 *Prius vtendum benignitate, quam rigore.*

Quintò. Infundit oleum, & vinum. Pro curandis vulneribus excellens noſter princeps, in hoc Samaritano deſignatus, prius communicat oleum benignitatis, & poſtea adhibet acredinem, ac mordacitatem vini. Diſcant ex hoc vniuerſi principes, vt prius præ ſe ferant manſuetudinem quàm rigorem ſeueritatis interponant.

87 Actor. 7.

Magnam concionem habens Stephanus coram Iudæis, exorſus eſt: *Viri fratres, & patres audite.* Actor. 7. num. 2. Et poſtea pergens in eodem ſermone ait: *Dura ceruice, & incircuncíſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* ibidem num. 51. Sed vnde tanta diuerſitas; & quomodo quos in eodem ſermone fratres, & patres appellauerat, vt dicat D. Auguſtinus ſerm. 3. de S. Stephano. cap. 1. *Quid lenius, quid clementius? Blande locutus eſt vt diu audiretur*: poſtea tanto rigore eos impetit: vt dura ceruice & incircuncíſis cordibus aſſeueret. Magnus præſul benignè ac affabiliter inchoat; cum vero non proficit, rigorem intermittit. Oecumenius. *Hactenus*, ait, *manſuetæ concionatus; nunc aſperè agit, quia videbat illos, animum non aduertere* his, *quæ dicebantur.*

D. Auguſt.

*Benignitas ſit in principio antequã ad rigorem deueniatur.* Ocumen.

88 Audita morte Pueri Sunamitidis, miſit Eliſæus Giezi, vt imponeret baculum ſuum ſuper faciem demortui. Qui admouens virgam ſuper Puerum, non reuixit. *Poſuerat baculum ſuper faciem Pueri & non erat vox, neque ſenſus.* 4. Reg. 4. n. 31. Poſtea vero veniens Eliſæus, *Incubuit ſuper eum: & oſcitauit Puer ſepties, aperuitque oculos. Et dedit illum matri ſuæ.* Cur Eliſæus opere non præſtitit id, quod puero ſuo mandauerat? Cur baculum ſuum non applicauit, ſicut famulo ſuo diſpoſuerat? Conſiderauit Propheta. quod Giezi vtens in exordio rigore baculi & virgæ, miraculum non eſt operatus: vnde magnus Pater mutans ſtylum, prætermiſſo rigore virgæ, ante omnia ſuauitatem, ac affabilitatem ſufflatus infundit. Et ſtatim reuiuiſcit Puer. non enim reædificat, neque reſtaurat, qui exordium ſumit à virgæ ſeueritate, ſed à lenis halitus clementia, ac benignitate. Rupertus lib. 5. in Pſal. cap. 25. *Puer*, ait, *ab Eliſæo miſſus cum baculo non ſuſcitauit. Per ſemetipſum vero Eliſæus veniens, & in ore mortui ſepties ſpirans, hunc ad rediuiuam lucem protinus animauit.* Statim Venerabilis Abbas ad myſterium reducens ait. *Auctor quippe humani generis Deus, quaſi mortuum puerum doluit; & qui per Moyſen terrorem legis protulit, à peccati morte timor ſuſcitare non valuit, ſed ad ſtatum vitæ aſpirata manſuetudinis gratia erexit.* Vide ſupra cap. 7. n. 42. & cap. 8. num. 16. 17. 18. & 19. & cap. 20. num. 77.

4. Reg. 4.

*Vt proficias, à clementia, non à rigore incipiendũ.*

Rupert.

## Qvæstio XII.

### *Vinum, & oleum impenſum in officio charitatis quantum inde emolumentum participarunt?*

89 Iudic.

Pro prima ſolutione huius rei recolenda eſt celebris parabola ex libro Iudicum c. 9. num. 8. *Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem: dixeruntque Oliuæ, Impera nobis.* Dubitabis ſanè; quod cum plantæ conuenerint ad deſignandum ſuprà ſe regem, cui ſuum imperium primò Oliuæ deferunt? Quid in hac arbore eſt inuentum, quæ eis primò ad regnum in cogitatum venit? Abulenſis ibi q. 28. de Oliua agens ait: *Iſtud eſt lignum excellens, & magnæ vtilitatis; nam oleum inde natum, tam ad condimenta, quàm ad curanda vulnera eſt. Sic Samaritanus infundit vinum, & oleum vulneribus ſauciati.* Dat Oliua oleum, quod inſeruit ad curanda vulnera hominis ſemiuiui derelicti, ac expoliati: nullum ſanè aptiùs eſt ad regimen. Cuius proprium ſignum, ac ſtygma eſt benignitas in pauperes derelictos, & abiectos. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 4. q. 10. & tom. 2. cap. 22. num. 92. & 93.

Abulen.

*Proprium regis benignitas in pauperes & derelictos.*

90 Apocal. 6.

Secundò rememoranda eſt hiſtoria Apocal. 6. num. 6. *Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui tanquam vocem in medio animalium quatuor dicentium. Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario. Vinum, & oleum ne læſeris.* Verſabatur Angelus deuaſtator, qui valdè in ſtrictas, ac paucas menſuras triticum, & hordeum redigebat cum examine ſeuero, quod per ſtateram denotatur. Tunc intonat cœleſtis vox, non pro tritico, & hordeo, ſed pro vino, & oleo, præcipiens: *Vinum, & oleum ne læſeris.* Sed quid in his duobus liquoribus apparuit, quod in tam rigoroſiſſima deſtructione miſericordiam inueniant, vt nullum nocumentum patiantur, cum triticum, & hordeum illud duriſſimè ſuſtineant? Andreas Cæſareæ Epiſcopus cap. 15. in Apocal. ſic ait: *Quando verò, ne vinum, aut oleum lædatur, iubetur, ne per turbam Chriſti medicina euertatur, aut per fraudem, & impoſturam infirmetur, ſerio iniungitur: vt quæ illos ſanare idonea, qui in latrones inciderunt.* Vinum, & oleum miniſtrarunt medicamen

*Miſericors in pauperes miſericordiã inuenit in die Iudicij.*

Andr.

camen in curandis vulneribus iſtius pauperis ſemimortui;& ex ipſo pietatis officio tantam pietatem ſunt aſſecuta, vt cum alia perirent, ipſa ſalua, & tuta perſiſterent.

91. Vt Phariſæi Chriſtum Dominum tentarent, obtulerunt ei ſabbato in Synagoga hominem habentem manum aridam; quod agnoſcens Ieſus, *Circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus eſt ſuper malitiam eorum.* Marci 3.n. 5. Poſtea verò ipſi Phariſæi tantantes eum, adducunt mulierem deprehenſam in adulterio. Tunc Ieſus *Inclinans ſe ſcribebat in terra.* Ioan.8.n.9. Cur, cùm omnes iſti conuenerint Dominum tentantes, in ſabbati tamen obſeruatores iratos coniicit oculos; ab ipſa autem muliere, ab eiuſque accuſatoribus miſericordia plenos conuertit in terram? Cur cum in illis omnibus eadem lateat malitia, Chriſtus Dominus non eodem modo ſe habet in illos; ſed in vnos oſtentat iram, in alios quandam pietatem declarat? Agebatur res adulteræ in Gazophilacio, vt notat Ioannes ibidem n. 20. *Hæc locutus eſt Ieſus in Gazophylacio.* Gazophylacium autem, vt teſtatur Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem n.103. *Erat arca, ſeu ærarium, in quo ad ſacrificiorum neceſſaria, ad pauperum alimoniam, ad templi fabricam afferebatur.* Cùm ergo adeſſet Ieſus iuxta pietatis, ac miſericordiæ pauperum inſtrumentum, inde tam mitis, ac clemens apparet, vt non ſolùm diſſimulare peccata mulieris, ſed etiam quandam benignitatis ſpeciem in ipſos accuſatores oſtentare, ac declarare videatur. Vide ſupra cap. 18.n.137. 138. & 139.

Marc.3.

Ioan.8.

Adrichom.

*Ex miſericordia pauperis Deus fit benignus.*

## QVÆSTIO XIII.

### *Vnde iſte homo in deſerto habuit alligaturas?*

92. QVOD iſte homo aſportauerit ſecum vinum, & oleum, facilè intelligitur, vinum pro potu, oleum pro cibo, vt de Iacob legitur, quod illud tulerit ſecum in via. Gen. 28. n. 18. *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* Sed tota quæſtio eſt: Vnde habuerit in deſerto alligaturas? Reſpondeo primò, Quod, cùm Samaritanus eſſet feruentiſſimus charitate, quæ pro charitatis officio exigebantur, ei in via non deeſſent.

Gen.28.

*Charitati nihil deficit.*

93. Secundò, D. Chryſoſtomus homil. de hoc Euangelio ſæpè citata. *Teguntur vulnera*, ait, *quæ fuerant ante denudata. Iam cæleſti medico confoſſa loca ligantur, vt intra ſemetipſa retinentia medicinam, operante medicamine, priſtinæ ſanitati reddantur.* Diuinus medicus in Samaritano adumbratus, vt ſemimortuo medicamen, ac ſanitatem conferret, eius vulnera linteamentis tegit; nam ſi vulnerum, ac peccatorum cicatrices diſcooperiuntur, ac propalantur, magis obdureſcunt, & deteriora fiunt; criminum enim diuulgatione ſæpè impudentiores redduntur homines, cùm iam proprium honorem, ac reputationem veluti paruipendant: at dum ſcelera obteguntur, ac obuelantur, ſæpè hoc medicamine eſt ſpes emendæ; nam multoties ſe homines ad meliorem recipiunt viuendi modum, ne gloriæ, ac nomini ſuo infamiæ notam inferant.

D. Chryſoſt.

*Crimina ſæpè medentur, dum cooperiuntur.*

94. Tertiò, Origenes homil. 34. in Lucam. *Vt autem ſcias*, ait, *quod iuxta prouidentiam Dei Samarites iſte deſcenderit, vt curaret eum, qui inciderat in latrones, manifeſtè doceberis ex eo, quod ſecum habebat alligaturas, ſecum oleum, ſecum vinum.* Samaritanus iſte Deus ipſe erat, cuius diuinæ prouidentiæ cuncta illa, etiam in deſerto loco deeſſe non poterant; quæ omnia, etiam in opulentiſſima ciuitate facilè humanæ induſtriæ non reperirentur ad manum. At diuinæ prouidentiæ vniuerſa expeditè ſunt in promptu.

Origenes.

*Diuinæ prouidentiæ vniuerſa ſunt in promptu.*

95. Quartò, D. Ambroſius ſerm. 21. in Pſal. 118. *Dominus Ieſus*, ait, *ipſe eſt medicus, qui vulnera noſtra curauit, infundens vinum, & oleum, & alligans vulnera Adæ illius, qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho à latronibus vulneratus eſt. Bona alligatura, quæ fracta animæ tuæ oſſa connectat, & ſoliditate reparata in priſtinas vires reformet, ac diſciſſos artus ſine vlla cicatricis offenſione reſtituat.* Chriſtus Ieſus ipſe eſt cæleſtis medicus, qui ſua gratia, ſuiſque auxiliis, tanquam oleo, & vino infuſo, noſtra contritione interueniente, fracturas animæ noſtræ in ſanitatem redigit, putridaque peccatorum noſtrorum vulnera mirabiliter medetur, eaque ſuis donis ita tegit, ac redintegrat, vt iam recuperatis antiquis viribus, tota iam anima nobilitata, ac condecorata exiſtat, ita vt vndique maximè niteat, atque reſplendeat.

D. Ambroſ.

*Chriſtus Dominus fracturas animæ noſtræ ſua gratia redintegrat, ac ſanat.*

96. De hoc diuino medico decantat Regius Vates: *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Pſal. 146. num. 3. Quæ vltima verba aliqui apud Lorinum legunt: *Qui vulnera, ac dolores leniter curat* Et ſtatim addit Pſalmographus: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Ad quid poſtquam commemorat, quod Dominus ſanat vulnera noſtrorum peccatorum, & alligat eorum contritiones, immediatè de multitudine ſtellarum, ac earum nominibus mentionem facit, niſi vt agnoſcas, quod, quando cæleſtis medicus pœnitentium corda inurit graui afflictione contrita, ea ſua pietate quaſi faſciis ita conſtringit, ac conſolidat, vt inter ſplendidiſſimas cæleſtes ſtellas numeret, ac per beneuolentiæ ſignum nominatim agnoſcat; nam nomen ſcire, amicitiæ nota eſt, vt ſæpe iam dixi. D. Hieronymus. *Quæ conſequentia*, ait, *iuxta litteram, & alligat contritiones: Qui numerat multitudinem ſtellarum; ſed quando contritos corde, & alligat contritiones eorum, illos, qui ante contriti fuerant, & poſtea ſanati, vertit in ſtellas, numerat multitudinem ſtellarum; non numerat vulneratos, ſed eos numerat, qui iam in ſtellas verſi ſunt.*

Pſalm. 146. Lorinus.

*Diuina gratia ex peccatoribus ſtellas facit.*

D. Hieron.

97. Famelicus Prodigus ad Patrem reuertitur; qui multa benignitate ei obuiam factus, *Dixit ad ſeruos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite; manducemus, & epulemur.* Luc. 15. num. 21. Non nuditas, ſed fames, qua Adoleſcens tabeſcebat, ad domum Patris ipſum reuocat: Quare non mandat prius filium fame tabeſcentem epulari, & poſtea ſplendidis veſtibus operire? *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Iam Adoleſcens dolore, ac contritione conualuerat; mandat ergo ei dare ſtolam primam; nam, vt ait D. Gregorius lib. 22. moral. cap. 5. *Stola prima eſt veſtis innocentiæ, quam homo bene cognitus accepit, malè à ſerpente perſuaſus perdidit.* Et D. Chryſologus ſerm. 5. *Date annulum honoris titulum libertatis.* Prius faſciis iubet eum veſtiri, & poſtea ordinat cibos. Ante omnia

Luc. 15.

D. Gregor.

D. Chryſol.

ob



ob eius inſignem pœnitentiam vult in eo abolere omnem cicatricis peccatorum notam, vt in eo iam nulla ſuarum iniquitatum fœditas appareat, ſed vt pretioſiſſimis veſtibus condecoratus, totus lucidus, & fulgidus gemmis, & annulo præfulgeat, vt tunc mira epularũ iucunditate fruatur, ac delectetur. Aſterius ſerm. de Prodigo ſic ait: *Reconciliationis dat ſymbolum, & prioris obliuionis factorum pignus.* Et tunc ſcilicet ad menſam vocat.

*Per pœnitentiam peccatorum fœditas aboletur.*

Aſterius.

98. Vis ſcire, quantum Prodigus per pœnitentiam ſuum antiquum honorem recuperauerit. Perpende. Ipſe in ſe reuerſus dixit: *Ibo ad Patrem meum, dicam ei, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. num. 19. Cum vero ad Patrem acceſſiſſet, tantum dixit ei: *Pater peccaui in cælum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus.* ibidem. num. 21. Cur illa verba de mercenariis, quæ alta mente tenebat, ita è memoria excidunt tam breui tempore, vt illa omnino prætereat? Hoc fecit benignitas Patris, vt filio innoteſcat, quod per contritionem in ſuum priſtinum decorem ſit reſtitutus, vt iam non ſuſtineret Pater, quod in ore eius ſonaret verbum aliquod denotans infamiam, ſub qua fuerat in ſeruitute peccati, ſed quod iam ad omnem filij honorem, & gloriam eſſet euectus. Ericus. *Incipit*, ait, *peccata confiteri, ſed non dicit omnia, quæ ſe dicturum ſupra prius promiſerat; dixit enim. Iam non ſum dignus vocari filius tuus: nec addidit, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis; cum enim adhuc longe eſſet, & Patrem non haberet, cupiebat, vt & mercenarius eſſet, at poſtquam Patris oſculo meruit honorari, generoſiſſime iam dedignatur mercenarius eſſe; oblituſque eſt ſtatus ſerui, oblitus & mercedem mercenarij, de ſola iam hæreditate ſolicitus cœpit eſſe parentis.*

Luc 15.

*Per pœnitentiam reparatur antiquus homo.*

Ericus.

*Lucæ 10. n. 35.* Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Mane autem diei proferens duos denarios dedit hoſpiti, & dixit ei: Curam illius age, & ſiquidem ſupra impenderis, quum reuertar, ego reddam tibi. |
| *Vatablus.* | Et poſterò die egrediens depromptos duos denarios dedit hoſpiti. |
| *Euthymius.* | Ego, cum rediero, perſoluam tibi. |

### *EXPOSITIO VIII.*

99. MAXIME laudandus Samaritanus, qui inceptum miſericordiæ opus perfecit, ac etiam ſua neceſſitate vrgente, non omittit, ſed optimo, ac opportuno modo vulnerato homine prouidet. *Altera die*, hoc eſt poſtridie, ſeu, vt habet Syriacus, *manè diei*, cum itineris ſui vrgeret neceſſitas, de homine in omnibus curam agit. *Protulit duos denarios*; id eſt duo didrachma, ſeu duos reales hiſpanicos. Vnde ait D. Bonauentura, Paruam pecuniam protulit, quia fortaſſis paruam habebat, iuxta illud Tobiæ 4. num. 8. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Per hos duos denarios intelligit Origenes homil. 34. in Lucam, notitiam Patris, & Filij. D. Ambroſius lib. 7. in Lucam, duo teſtamenta interpretatur. D. Auguſtinus lib. 2. quæſtion. Euangel. q. 20. duo præcepta charitatis aſtruit eſſe; quibus homo curatur, ac ſanatur à ſuis infirmitatibus.

Syriacus.

D. Bonauent.

Tobiæ 4.

*Qui parum habet, parum det.*

Origenes.

D. Ambroſ.

D. Auguſt.

*Quid ſignificent duo denarij.*

100. *Stabulario*, ſeu hoſpiti meritorio ait: *Curam illius habe.* Tam abſens, quàm præſens prouidet egenti, & non relinquit eum hoſpitis expenſis curandum; ſed de ſuo profert, vt ei miniſtretur. Rectè D. Bernardus lib. 4. de Conſiderat. *Curam exigeris*, ait, *non curationem. Audiſti, cur am illius habe; & non, cura, vel, ſana illum. Verum dixit quidam: Non eſt in medico ſemper, releuetur vt æger. Fac tu, quod tuum eſt, nam Deus, quod ſuum eſt, abſque tua ſolicitudine, & anxietate curabit.* Deus ſolùm à nobis vult id, quod poſſumus præſtare. Samaritanus non ſanat ſemiuiuum, ſed quod in ſe eſt, de illo curam agit.

D. Bernard.

*Deus ſolùm vult à nobis id, quod poſſumus præſtare.*

101. *Et quodcumque ſupererogaueris.* Nil prætermittit charitas Samaritani in ſubſidium hominis ſauciati; nam ſiquid ſupra illos duos denarios expenſum fuerit, redditurum pollicetur, quo omnibus ſatisfaciet, quando ſcilicet confectis Iericho negociis, per Ieruſalem in Samariam eſt reuerſurus. Ex hoc bene deducitur, quod Samaritanus iſte notus erat hoſpiti, ſeu ſtabulario, forte quia ſæpe illac tranſibat. Maximè notandum, quod non dixit Samaritanus, ſi ſupererogaueris duos, vel tres denarios, ſed abſolutè ſine vlla taxatione, *Quidquid ſupererogaueris, reddam tibi.* Perfecta charitas nullum habet terminum, nullumque limitem. Declarat inſuper Samaritanus ſuam magnam diligentiam, quod ſcilicet non ſit quieturus, donec videat ſaucium incolumem.

*Perfecta charitas nullum habet terminum.*

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare tam ſolerter promittit Samaritanus, ſe redditurum ſtabulario quidquid ipſe ſupererogauerit?*

102. HOC fuiſſe effectum eximiæ Samaritani in vulneratum charitatis, communis eſt Patrum ſententia, quam maximè explicat Bachiarius Epiſt. de Recipiendis lapſis. *Magiſter noſter*, ait, *à latronibus vulneratum, non ſolùm cura dignum indicat, verum etiam ad ſtabulum ſuum reſtituit, ac datis ſtabulario duobus denarijs maius ei præmium pollicetur* Ex vi ſui eximij amoris Samaritanus, id eſt Chriſtus, ſolicitus fuit de homine miſerrimo, ad eiuſque curam *protulit duos denarios*; ſed his minimè contentus in alios maiores effectus prorumpit, promittens ſine vlla limi-

Bachiarius.

*Magnus amor beneficiorum intendit magnitudinem.*

limitatione, *Quidquid ſupererogaueris, reddam tibi:* nam eximius amor, non paucis hæret, ſed magnitudinem, ac largitatem beneficiorum intendit, atque affectat.

*Verus amor non patitur, vt alius faciat expẽſas.*

103. Secundò, Samaritanus, id eſt Chriſtus Dominus vehementiſſimè ſauciati hominis tenebatur amore; vnde non ſolum commendat ipſum ſtabulario, dicens: *Curam illius habe:* ſed inſuper addit: *Quidquid ſupererogaueris, reddam tibi.* Magna Samaritani charitas non patitur, vt alius aliquos in eius curatione, ac ſalute ſumptus faciat, ſed ipſa omnes expenſas ex propriis reddere, ac ſoluere optat. Mortua Sara, pretio poſtulat Abraham agrum ab Ephron ad ſepeliendum mortuum ſuum; quem cum gratis obtuliſſet ei princeps terræ, minimè acquieuit Abraham, qui ait: *Quæſo, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro: ſuſcipe eam; & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.* Gen. 23. num. 13. Et tandem pecunia perſoluta munus exequiarum perſoluit. Sed cur Abraham, qui antea paſſus eſt, vt Sara ab Abimelech mille argenteos in velamen acciperet: Gen. 20. num. 26. modo tamen non ſuſtinet, vt eius ſepulchrum gratis ab Ephron deferatur? Videtur dici poſſe, quod tunc maximè excreuerat amor Patriarchæ in Saram, tam ob diuturnitatem coniugis, quam quia ab ipſa iam ſuſceperat amantiſſimum filium Iſaac: tandem quia ipſa abſens, & mortua erat. Et vehementiſſimus amor non eſt paſſus, vt alius præter ipſum in exequiarum funere, ac in ſui monumento exhiberet expenſas, ſed ipſe totum vult præſtare, & adimplere. Huc aduoco D. Chryſoſtomum ad citatum locum. *Vide Iuſtum*, ait, *non prius vult accipere agrum, quàm iuſtum dinumeret pretium; nam licet tu, inquit, ita beneuolus erga me ſis; at ego non patiar, niſi prius debitum pretium dependerim, & accipiam agrum.*

Geneſ. 23. Geneſ. 20.

*Amor vehemens non patitur, vt alius præter ipſum expẽdat in rem amatam.*

D. Chryſoſt.

104. Tertiò, perpende textum. *Protulit duos denarios, dicens: Curam illius habe: Et quodcumque ſupererogaueris, ego reddam tibi.* Ad curam habendam, ac veluti ad opus impoſitum, dat taxatum pretium, nempe duos denarios: & ad opus ſupererogationis nil aſſignat, ſed abſolutè ait: *Ego reddam tibi:* nam etſi ea, quæ ex præcepto ſunt, determinatam mercedem habeant; quæ autem ſupererogationis ita ſuperant, vt longe ampliſſimam coronam obtineant, atque præmium: nam vt dicitur Prouerb. 15. num. 5. *In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt.* Quærens Eliezer vxorem filio domini ſui Iſaac, ait: *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa reſponderit, bibe; quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo.* Gen. 24. num. 4. Cur nobilis ſeruus pro ſigno aqua expoſtulata non eſt contentus, ſed vltra requirit: *Quin & camelis tuis dabo potum?* Vt mulier eligatur ad magnum coniugium Iſaac, atque ad poſſeſſionem ampliſſimæ familiæ Abrahæ, non tantum ex dono petito agnoſcenda eſt, ſed potiùs ex opere ſupererogationis exhibito, per quod excellentia virtutis animi maximè declaratur. D. Chryſoſtomus homil. 48. in Gen. *Animaduerte, ait, obſecro, quantum fuerit, quod virgo tenera aquam non ſolùm annuerit eius petitioni, & depoſuerit ab humeris hydriam, & ad ſatietatem tribuerit petenti, viro peregrino, ſed & camelos omnes aquauerit, & per ea, quæ fiebant, monſtrauerit animæ ſuæ ingenuitatem.* Vide tom. 1. cap. 5. num. 13. & tom. 2. cap. 12. num. 33. 34. & 35.

*Opus ſupererogationis multum promeretur.*

Prouerb. 15. Geneſ. 24. D. Chryſoſt.

105. Quartò, amicus & notus ſtabulario erat Samaritanus, vt dixi, & communiter notant omnes Recentiores. Et tamen non dicitur, quod protulit duos denarios, dicens: ſi quid fuerit amplius neceſſarium, ob noſtram amicitiam, ac mei gratiam, præbe illi; ſed ait: *Ego cum rediero, reddam tibi.* Omnes expenſas à ſe eſſe ſoluendas promittit; optimè enim callebat Samaritanus, quod homines huius ſæculi nil amicitiæ gratia præbent, ac operantur; ſed tantum ſpe lucri, ac proprij emolumenti.

*Homines ſolùm intuitu lucri operantur.*

106. Cum Eliazer fideliſſimus Abrahæ ſeruus domum Bathuelis filij Nachor ipſius Abrahę fratris ingrederetur ad expoſtulandam Rebeccam in vxorem Iſaac filij domini ſui; ante omnia ſic exorſus eſt ſermonem. *Dominus benedixit domino meo valde, magnificatuſque eſt, & dedit ei boues, oues, argentum, & aurum, ſeruos, & ancillas, camelos, & aſinos.* Gen. 24. num. 35. Cur in principio non proponit ſanctitatem domus Abrahæ, rectitudinem morum Iſaac, aſtrictum conſanguinitatis, ac amicitiæ vinculum; ſed his prætermiſſis, à diuitiarum copia ſermonem aggreditur? Sciebat enim, quod apud homines plus præualent opum, ac diuitiarum lucra, quàm probitas vitæ, & ſanguinis, ac amicitiæ fœdus. Abulenſis ibi. *Intendit hic Eliazer, ait, perſuadere parentibus, & cognatis Rebeccæ, vt tradant eam in vxorem Iſaac filio Abrahæ; & ideo enumerat diuitias eius, quæ valde ad hoc inducunt.*

Geneſ. 24. *Plus impellit homines auri cupiditas, quam conſãguinitas, ac amicitia.*

Abulenſis.

107. Multi ſunt caſus, ob quos pater poteſt priuare filium, vel filiam hæreditate ſua, vt recenſentur Authentica. *Cum de Appellationibus.* de quó latè Couatr. Cap. Raynutius. cap. 9. Clauis Regia lib. 7. cap. 5. num. 5. Molina, Syluester, & alij apud Bonacinam tom. 2. de præceptis Decalog. diſp. 6. punct. 6. §. 3. num. 1. Sed ad quid huiuſmodi leges tales pœnas ſtatuere? Sine dubio, ad continendos filios in parentum obedientia, veneratione, ac reuerentia. Sed hæ ex Iure naturali debitæ ſunt parentibus: ad quid ergo tales leges? Optimo ſanè iure has ſanciuerunt Legiſlatores, agnoſcentes, quod natos in ſuorum genitorum amorem alliceret potius hæreditatis, ac bonorum cupiditas, quàm iuris ipſius naturæ vehementia: nam auri auiditas, quandoque venerabiliorem reddit paternam pietatem. D. Ambroſius Epiſt. 28. Horontiano. *Verum ſi conſideres, ait, & vſu humano hæreditatis pecuniariæ gratia facit, vt venerabiliora fiant iura pietatis, quia hoc quoque plus defertur parentibus, ne læſa pietas patris vlciſcatur ſe exhæredatione, vel abdicatione contumacis pignoris.*

Authentica. Couuarruu. Molina. Syluester. Bonacina.

*Vehementior auri cupiditas, quam naturæ ius.*

D. Ambroſ.

*Luc.* 10. *n.* 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones.

*Num.* 37. At ille dixit: qui fecit miſericordiam in illum: & ait illi Ieſus: vade, & tu fac ſimiliter.

*VERSIONES.*

*Syriacus n.* 36. Qui incidit in manus latronum.

*num.* 37.

Ille



*Num.* 37. Ille verò dixit: Is, qui miſertus eſt eius. Subdit ei Ieſchua: Abi, & tu fac ſimiliter.

*Vatablus.* Qui exercuit in illum miſericordiam.

*EXPOSITIO IX.*

108. LEGISPERITVM, qui venerat animo calumniandi Dominum, *tentans eum.* non ipſum increpat, ac redarguit Chriſtus; ſed appoſita hac parabola benigne, ac piè in cognitionem veritatis ad ſalutem conſequendam adducit. Ex hoc diſcant Doctores, vt ſimili modo ſe habeant: nam plus lucri fit benignitate, quàm aſperitate verborum. *Quis horum trium:* hoc ait Dominus, vt ex proprio Legisperiti ore eliciat reſponſum, quo eum conuincat, non ſolùm Iudæos, ſed etiam extraneos eſſe proximos. *Proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones.* Secundum legis mentem omnes illi tres proximi erant. Quærit ergo Diuinus Magiſter, quis ex illis tribus ſe geſſit vt proximus, ſeu functus eſt officio proximi erga illum miſerum, & vulneratum: nam vt rectè ait D. Ambroſius, *Non enim cognatio facit proximum, ſed miſericordia, quia miſericordia ſecundum naturam, nihil enim tam ſecundum naturam, quàm iuuare conſortem naturæ.* Dixerat Legiſperitus: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Quærit Chriſtus, quis eam pietatem circa ſemiuiuum declarauit, quam erga ſe, ſi poſſet, in ſimili caſu exhiberet.

*Plus conſicitur benignitate, quam aſperitate verborum.*

D. Ambroſ.

109. *At ille dixit*; nempe Legiſperitus reſpondit: *Qui fecit in illum miſericordiam.* non dicit, *Samaritanus*, nam Iudæi valde contrarij erant Samaritanis; & quia reſpondere cogebatur, & veritatem negare non poterat, ideo prætermiſſo proprio nomine, cauſam adfert: *Qui fecit in illum miſericordiam.* Si enim inimicus magnalia tua fateri compellitur, ſaltem nomen occultare intendit. Vel forte niſi velis dicere, quod magis cognoſcitur homo ex operibus, quàm ex proprio nomine. Et rectè ait: *Qui fecit in illum*, ſeu vt eſt in Græco, *cum illo miſericordiam:* nam vt inquit Theophylactus, *Omnes, qui eiuſdem naturæ ſunt, proximi tui ſunt: ſis igitur viciſſim & tu illis proximus, non loco, ſed affectione, & ſtudio erga illos.*

*Inimicus in magnalibus euulgandis tuum nomen vult occultare.*

Græcus. Theophyl.

110. *Et ait illi Ieſus: Vade.* Phraſis hebraica eſt dimittentis eum à ſe. Moraliter. *Vade*, à malitia, ac nequitia, qua veniſti, vt iuſtitia implearis *Et tu fac ſimiliter*, exercendo ſcilicet opera charitatis, & pietatis in alios, vt te verè illorum proximum exhibeas, & declares. Et non ait Dominus, Tu eſto ſimilis Samaritano; nam Samaritani multis erroribus erant infecti, vt dixi lib. 4. cap. 5. quæſt. 4. ſed, *Tu fac ſimiliter*, ſecundum ſcilicet opera miſericordiæ ſupra commemorata: nam in homine, id, quod malum apparet, fugiendum, ac declinandum; id autem, quod bonum, imitandum, & ſequendum.

*In homine id, quod bonum, imitandum; quod malũ, fugiendum.*

***



# CAP. XXII.

## *Eiicitur Dæmonium Mutum.*

*Luc.* 11. *n.* 14. Erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Cumque eieciſſet dæmonium, quod erat mutum: factum eſt poſtquam exiiſſet dæmonium illud, vt loqueretur mutus ille; & mirati ſunt cœtus.

*Tertull. lib.* 4. *contra Marcion cap.* 16. Quum ſurdum dæmonium expuliſſet.

*Græcus.* Et illud erat mutum, & ſurdum.

*Euthymius.* Factum eſt autem, vt egreſſo dæmonio loqueretur mutus.

ALTER TEXTVS.

*Matth.* 12. *n.* 22. Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cœcus, & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret.

*Num.* 23. Stupebant omnes turbæ: nunquid hic eſt filius Dauid?

*EXPOSITIO I.*

1. ERAT *Ieſus*, quodam tempore expellebat Ieſus dæmonium, *& illud erat mutum*; ſcilicet effectiuè, vt explicant Interlinealis, Hugo, Caietanus, & alij communiter, quia nimirum hominem à ſe poſſeſſum efficiebat mutum. D. Matthæus ait: *Oblatus eſt ei dæmonium habens, cœcus, & mutus.* Ex quo D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 37. exiſtimat, D. Lucam de alio dæmoniaco tractare. Sed communis eſt Patrum ſententia, de eodem obſeſſo ſermonem eſſe apud Euangeliſtas; & quod iſte eſſet cœcus, docent D. Chryſoſtomus homil. 41. in Matth. Euthymius, Lyranus, Ianſenius, & alij. Vnde ait D. Chryſoſtomus. *O peſtiferam Dæmonis aſtutiam! vtramque vim occupauit, atque*

Interlinealis. Hugo. Caietanus. D. Matthæus. D. Auguſt. D. Chryſoſt. Euthymius. Lyranus. Ianſenius.

Hh 2 *obſtruxit,*

Tertullian. Chryſoſt. Euthymius. Boſtrenſis D. Hieron. Beda.

*obſtruxit, quibus ille erat crediturus, viſum, atque auditum.* Addunt etiam Tertullianus l. 4. contra Marcion. Chryſoſtomus, Euthymius citati, & Titus Boſtrenſis hic, fuiſſe etiam ſurdum. Et ſic inquit D. Hieronymus, & poſt eum Bedá. *Tria ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt, cœcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur.* Hæc autem homini Dæmon intulit mala, non quia facultatem loquendi, audiendi, ac videndi ademerat, ſed quia vſum, & exercitium horum ſenſuum impediebat. Ex quo mihi minus placet ſententia Abulenſis cap. 12. Matth. & Barradas hic, hominem fuiſſe cœcum, & mutum à natiuitate; aliud enim colligitur ex noſtro Euangeliſta, ait enim de Dæmonio, *& illud erat mutum*, nempè effectiuè, vt dixi.

Abulenſis. Barradas. *Homo non à natiuitate mutus.*

2\. *Et cum eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus.* Ablato Dæmone, qui obſtaculum, ac impedimentum apponebat, loquitur homo. Et quamuis homini viſus, & auditus ſint reſtituti; tamen inſigniter Lucas de locutione tantum facit mentionem, tanquam quid valde rarum, quod linguam Dominus homini conceſſerit, ipſa enim eſt multorum malorum radix. Plures cœcos, & ſurdos Chriſtus ſanauit; mutum autem hunc ſolum lego: nam illum alium, de quo facit mentionem Marcus 7. num. 35. exiſtimat ibi Maldonatus, ſimpliciter non fuiſſe mutum, ſed difficilem, ac tardum locutione, nam Euangeliſta ait de eo, quod *loquebatur rectè*, id eſt expeditè, ac ſine vllo impedimento. *Admiratæ ſunt turbæ*, vt explicant Interlinealis, Beda, & alij, ſimplices turbæ admirantur tantum Domini potentiam. Admiratio eſt de re inuſitata; videntes enim inſolitum effectum admirantur; nondum enim, eum eſſe Chriſtum, ac filium Dei crediderant; & ideo admiratæ ſunt, vt notat Toletus, de quo latius quæſt. 11.

*Valdè mirabile, quod Chriſtus homini det linguam.*

Marc. 7. Maldonatus.

Interlinealis. Beda.

Toletus.

3\. Tempus, quo hæc hiſtoria contigit, valde incertum eſt, vt notarunt Maldonatus, & Barradas. Nam quod neque D. Matthæus, neque D. Lucas ſeruauerint ordinem temporis, docet Toletus in præſenti annot. 29. Et quia ſequentia ad hanc hiſtoriam habent connexionem ad parabolas, quas D. Matthæus explicat cap. 13. ideo hanc hiſtoriam ante ipſas parabolas contigiſſe, hodie communis eſt ſententia cum Baronio, Beauxamis, Franciſco Luca, Cornelio, & aliis.

*Tempus hiſtoriæ.* Maldonatus. Barradas. Toletus.

Baronius. Beauxamis. Franc Luc. Cornelius.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus Dominus aliquali mora vſus eſt in hoc miraculo edendo? & explicatur illud verbum,* Erat.

4\. AIT Euangeliſta: *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Maximè notandum, quod eodem verbo *Erat*, quo Euangeliſta explicat Dæmonis expulſionem, exprimit eius malitiam: *Illud erat mutum.* Vt innuatur, quod eâdem *via*, ac methodo, qua malum introducitur, ſalus, ac remedium ingrediatur.

*Per eandem viam ſalus, & perditio.*

5\. Ad noſtram quæſtionem. Grauiſſimi Recentiores in præſenti explicantes illud verbum *Erat*, inquiunt, denotare, quod Dominus Ieſus in hoc negocio perpetrando aliqualem moram interpoſuit. Sed ad quid huiuſmodi cunctatio, cum virtus diuina Chriſti Domini cuncta in inſtanti operari valeat? Primà ratio. Inſcrutabilis diuina voluntas. Morales verò pro noſtro captu indagandæ ſunt.

*Ratio dubitandi.*

6\. Reſpondeo Primò: verbum *Erat* denotat, quod Dominus magna inſtantia, magnoquè conatu erat eiiciens dæmonium: proprium eſt enim principis, ac domini, ſuum inferiorem à crudeli inimico, ac tyranno vindicare, ac liberare, ipſumque crudelem hoſtem è domo, ac pectore ſui ſubditi excludere, ac deturbare. Ait Regius Vates Pſal. 71. num. 12. *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes ſeruient ei: quia liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non adiutor.* Ac ſi dicat: Omnes reges terræ, qui ſe præſumebant adorandos, vt ait Brunonius; ac omnes gentes eum, vt ſupremum Principem, ac Dominum agnoſcent; quia eorum ſenſus à crudeli diaboli tyrannide eximet, ac liberabit. Arnobius. *Vide cauſam*, inquit; *Ideo ait, omnes gentes ſeruient ei, quia liberat pauperem ſenſum eorum à potente, & aſtuto diabolo, qui eos ſuaſit, opera manuum ſuarum timere, & colere.* Loquens Chriſtus Dominus de ſua glorioſa paſſione ait Ioan. 12. num. 31. *Nunc princeps mundi eiicietur foras. Et ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Sed quid eſt, quod quando ipſe ſublimatus in Cruce, deturbato principe tenebrarum ab hoc ſæculo, omnia dicit ad ſe tracturum? Tanquam ſi, mundum à tam crudeli tyranno liberare, huncque ab illo excludere, apertiſſimum eſſet ſignum, vt cuncti ſupremam Chriſti maieſtatem, ac dominationem recognoſcant, & adorent. Euthymius. *Si adductus fuero in Crucem, ait, omnes vndique, qui fidem exceperint, per eam traham ad me ipſum: traham, inquam tanquam à tyranno detentos, ipſo primum tyranno deiecto.*

*Proprium principis ſuos à tyranno vindicare.*

Pſalm. 71.

Brunonius.

Arnobius.

Ioan. 12.

*Princeps tyrannum excludat à ſuis.*

Euthymius.

7\. Secundò, Diabolus ingreſſus eſt in hominem breui tempore, inſtanti quodam; at virtus Chriſti infinita, aliquali mora, aliqualique conatu, *Erat eiiciens dæmonium.* Diabolus ſeſe iniecit in hominem ad eius nocumentum, & perditionem: Virtus autem Chriſti aderat ad eius remedium, ac ſalutem: Vt ex hoc magnum deprehendas morale documentum, quanta ſcilicet facilitate, ac celeritate malum, & perditio introducatur; quàm verò difficilè, ac moroſè bonum, ac vita ſit reſtituta, ac recipiatur. Parum exigitur ad malum producendum; multum verò ad bonum; atque à crudeli tyranno liberandum. Vt percutiantur omnes primogeniti Ægypti, vnus Angelus mittitur: *Non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras.* Exod. 12. num. 23. At vero, cum Iacob ad patrem reuertitur valde formidoloſus, *Fuerunt ei obuiam Angeli, quos cum vidiſſet, ait, Caſtra Dei ſunt hæc.* Gen. 32. num. 2. Vt omnes maiores natu in Ægypto pereant, ſat eſt vnus Angelus; ad Iacob vero veniunt exercitus Angelorum. Gloſſa Interlinealis. *Multitudo Angelorum*, ait, *quibus confortatus non timeret fratrem.* In Ægypto ad plurimorum occiſionem, ſat eſt vnus Angelus; ad tutelam verò, atque ad vnum ab hoſte nefario cuſtodien-

*Malum faciliter, difficiliter bonū ingreditur.*

Exod. 12.

Geneſ. 32.

Interlinealis.



dum, exercitus Angelorum è cælo deſcendunt.

8\. Tertiò, Virtus diuina in inſtanti operatur, tamen aliquali cunctatione, ac paulatim dæmonium eiicit Chriſtus: vt diſcamus, quod mali mores paulatim ſint eradicandi, lenterque morum reformatio introducenda: non enim ſubito, ſed paulatim diſponenda, ac peragenda omnia. *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai.* Exod. 19. num. 1. Et tunc datur Lex Populo cap. 20. Sed cur poſt tot tempus, & non cum primò exiit, diuina præcepta ei dantur? Vt per tot dies erutis Ægyptiorum vitiis, faciliter Populus ad Legem diuinam ſuſcipiendam præpararetur, ac diſponeretur.

*Morum reformatio paulatim introducenda.*

9\. Quartò, cum aliquali mora ſtabat Ieſus miraculum operans; reddebat enim homini linguam, quam omnium malorum ſciebat eſſe radicem. Cunctabatur, ex vna parte enim inſtabat Domini ipſius auctoritas, vt miraculum ederet; ex altera autem parte videbat, quod homini in lingua omnium malorum parabat inſtrumentum. Tria miracula in hoc homine Chriſtus perpetratur: dedit ei linguam, viſum, & auditum; tamen noſter Euangeliſta ſolùm de locutione facit mentionem, tanquam quid valde rarum, & mirabile, vt iam notaui in expoſitione num. 2.

*Chriſtus valde difficiliter ſoluit linguā.*

10\. Legatis Ioannis, ſuorum mirabilium faciens Dominus compendium, ait: *Dicite Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Matth. 11. num. 5. Cur tot inter magnalia de mutorum oris apertione mentionem non facit? Sed quomodo loquendi facultatem à ſe datam publicaret, qui linguæ loquacitatem damnabat?

Matth. 11. *Linguæ loquacitas fugienda.*

11\. Deus multo maiore facilitate linguam aufert, quam eam præbet. Creatus Moyſes à Deo eius legatus, ait ei. *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. num. 10. Et tamen de eo dicitur Actor. 7. num. 22. *Eruditus eſt Moyſes omni ſapientia, Ægyptiorum, & erat potens in verbis.* Quomodo ergo tardioris linguæ! Nam quamuis Moyſes antea eſſet valde eloquens, & expeditus in verbis, tamen ex Dei viſione obſtupefacta eſt lingua eius. Lyranus ad citatum locum Exodi. *Poſtquam, ait, apparuiſti mihi, impeditioris linguæ factus ſum ad loquendum; fragilitas humana ex præſentia diuina aliquando ſtupeſcit.* ſeu explicabis illud verbum tardioris linguæ cum Caietano *iuxta Hebræum*, ait, *ſignificat, quod non eſt vir verborum.* Sed Deus, qui Moyſi contulit tantam poteſtatem, cur ei non dedit linguam expeditam? Erat enim ipſe multa, & valde magna operaturus, & ideo decebat, vt eſſet tardioris linguæ, & non multorum verborum.

Exod. 4. Actor. 7.

Lyranus.

Caietanus.

*Qui magna operatur, pauca loquitur.*

12\. Quintò, edebat Dominus miraculum cum aliquali temporis dilatione, veluti iuxta noſtrum modum dicendi, cuncta præponderans, ac conſiderans; ſicut & à Philippo quæſiuit: *Vnde ememus panes?* Ioan. 6. num. 5. Sed ad quid Chriſtus Dominus, qui vniuerſa, ſua infinita ſcientia comprehendit, ſe veluti conſiderantem exhibet? In hoc enim negotio quædam perpendenda veniebant: Ex vna enim parte inſtabat eius auctoritas; ex altera verò videbat, quod linguam homini daret; & quod Phariſæi ex hoc miraculo multam obmurmurandi anſam arriperent. Quamuis ergo Chriſtus Dominus cuncta in inſtanti operari valeat, hæc omnia, iuxta noſtrum dicendi modum, veluti contemplabatur, vt ex hoc nobis ſit morale documentum, quod res non tantum ſecundum potentiam, ſed potius iuxta prudentiæ, ac rationis metas ſint ordinandæ, vt temporis circunſtantia exigit.

Ioan. 6.

*Res non potentia, ſed ratione tractanda.*

13\. Excitat D. Auguſtinus quæſt. 58. ex nouo teſtamento quandam ingenioſam difficultatem: Cur ſcilicet Chriſtus Dominus in Thaboris gloria de ſua morte diſſerit: *Loquebantur de exceſſu.* Luc. 9. num. 3. Tamen poſtea cum Dominus in Ieruſalem prædicaret, ac ſermonem haberet de ſuo glorioſo triumpho à Dæmone reportando, cunctis gentibus ſibi ſubiectis, ait: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras; & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ioan. 12. num. 31. Sermo proportionatus, ac conueniens ſit ſtatui: In gloria, & maieſtate de victoria; cum autem prædicat in paupertate, ac humilitate, de morte, ac cruce videbatur diſſerendum: Quid eſt ergo, quod infinita Chriſti Domini ſapientia aliter res diſponit? Gloria, & maieſtas, poteſtatis demonſtratio; docere autem, & prædicare, rationis, ac intellectus proprius actus: non ergo agit de trophæo à Dæmone obtinendo, dum reſplendet in poteſtatis gloria, ſed cum ſua diuina ſapientia, ac doctrina homines inſtruit, & illuminat, vt cunctis fieret euidens, quod hoc negotium Chriſtus Dominus non ſecundum poteſtatis vim, ſed potius iuxta rationis regulam operabatur. Sic ait D. Auguſtinus citatus. *Miſſus eſt Chriſtus à Patre, vt dæmonem vinceret, regnum eius auferens ratione, non poteſtate: & quamquam omnia poſſit Deus, illud facit, quod congruit rationi.* D. Leo ſerm. 12. de Paſſione. *Sic conſilium ſuum, ſcilicet Deus, dirigens in effectum, vt ad dominationem diaboli deſtruendam magis vteretur iuſtitia rationis, quàm poteſtate virtutis.*

D. Auguſt.

Luc. 9.

Ioan. 12.

*Non potētia, ſed ratione res tractāda.*

D. Auguſt.

D. Leo.

14\. Maximè notatu dignum eſt, quod cum rex Aſſuerus perſuaſu intimi familiaris ſui Aman edidiſſet decretum, quod vniuerſus populus Iſraeliticus vna die interficeretur, regina Eſther toto nixu intendit, gentem ſuam à tam crudeli tyrannide eximere, ac liberare; & ad hoc parat amplum, & lautum conuiuium, ad quod regem inuitat. *Si regi placet, obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui.* Eſther. 5. num. 4. Sed cur prudentiſſima Regina coram crudeliſſimo hoſte eligis negotium Regi exponere, veniamque vis impetrare? Cunctis notum apparebat, quod Aman acerbiſſimus aduerſarius erat homo prudens, ingenioque acutus qui multas contra Reginæ affectum rationes producere valebat, multaſque dubitationes in medium adducere, & tandem valde negotium implicare: aptius ergo videbatur, quod ſolo cum Rege res pertractaretur; ad quid dicis ſapientiſſima Eſther, *Vt venias ad me hodie, & Aman tecum?* Coram Aman cauſa populi explicanda eſt; nam ſi ſtante ſolo Rege, ab ipſo veniam impetraſſet, facie quiſquis ſibi perſuaderet, quod Eſther enixa ſua potentia, ac auctoritate, quam erga Regem obtinebat, negotium eſſet aggreſſa: at vero dum coram Aman, qui in aduerſum rationes proferre valebat, res diſcutitur, cauſa ventilatur; manifeſtum erat, quod non potentia, ſed

Eſther. 5.

*Eſther veniā impetrat, non poteſtate, ſed ratione.*

ratione res erat confecta, veniaque impetrabatur. Vide tom.1.lib.2.cap.7.num.40.& tom.2.eap. 17. num.53.& 54.

## Qvæstio II.

### *Quare Chriſtus Dominus in deſerto dæmonium eiicit vno verbo; hic verò aliquali mora, & inſtantia.*

15. *Ratio dubi tandi.*

CVm Chriſtus Dominus ieiunaſſet in deſerto, accedentem diabolum ad ipſum tentandum vno verbo à ſe proiecit: *Vade Satana.* Et ſubdit Euangeliſta: *Tunc reliquit eum diabolus.* Matth.4.num.11. In præſenti autem vt Dominus diabolum expelleret, ait Euangeliſta: *Erat Ieſus eijciens dæmonium:* quod aliqualem moram, & conatum denotare, iam ſatis dixi ſuperiori quæſtione. Rationem ergo huius diuerſitatis inquirimus, quæ moraliter eſt expendenda.

Matth 4.

16. Reſpondeo Primò, quod in deſerto ſolus diabolus ſe exhibuit; hic verò multorum Phariſæorum cœtu ſtipatus aſtabat; & inde audax euaſit. In deſerto vno Chriſti verbo proiicitur diabolus: at verò à mundo, in quo in hominum cordibus regnabat, vt ait D. Auguſtinus, cruce, paſſione, ac morte Chriſti. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras; & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ioan.12. n.31. Eiicitur foras, ait D. Thomas, *virtute paſſionis Chriſti.*

17. Secundò. In deſerto acceſſit diabolus clarè, & manifeſtè: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me:* quod ſolum diabolus dicere poterat. Hic verò erat ipſe abſconditus, & occultus: *Et illud erat mutum.* Patentia peccata facile emendari valent; at abſcondita, & quæ palliata facie committuntur, valde difficilem vendicant medicinam. Ad ſuſcitandum Lazarum multa præmittuntur. Accedit Dominus ad monumentum, & præcipit: *Tollite lapidem.* Patri gratias agit pro ſua ſemper exaudita ratione. Deinde magna voce clamat: *Lazare, veni foras.* Ioan.11. num. 43. Tandem, vt ipſe abeat in domum ſuam, iubet, eum ſoluere à ſudario, ac ligaturis Ad filium verò viduæ in vitam reuocandum, vnum tantum verbum profertur. *Adoleſcens, tibi dico ſurge.* Luc.7.num. 14. Lazarus clauſus in monumento typum gerebat reconditi, ac occulti peccatoris, vt docet D.Gregorius homil. 26. *Lazaro dicitur,* ait, *Veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conſcientiam tuam abſcondis?* Idem habent D. Auguſtinus tract.49.in Ioan.D.Bernardus ſerm.4. de Aſſumpt. Filius autem Viduæ ad portas ciuitatis deductus publicum, & notorium peccatorem deſignabat. Etſi publicus peccator promptiori remedio viuificetur, occultus autem multo difficiliorem poſtulat medicinam, & ideo ad ipſum multo maiora exiguntur.

*Peccator occultus valde difficile emẽdatur.*

Ioann. 11.

Luc. 7.

D. Gregor.
D.Auguſt.
D.Bernard.

18. Tertiò. Erat Ieſus cum veluti aliquali cunctatione, ac inſtantia dæmonium eiiciens. Diabolus per multum tempus hunc hominem poſſidebat. Coniice ex hoc, quàm perarduum ſit, quempiam à ſua poſſeſſione expellere, ac deturbare. Vt meus Raphael Angelus, (quem ſingulari deuotione proſequor) diabolum à domo Raguelis, ac Saræ amoueret, ait Textus: *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Tob.8. num. 5. Vt ibi ait Carthuſianus. *Vbi de cætero nemini nocere poterat.* In illo tamen magno Angelorum prælio ad vnam Michaelis vocem: *Quis ſicut Deus noſter?* millia millium Angelorum è Cælo proiiciuntur in abyſſum. Cur hic vna vox ad tot angelicos ſpiritus expellendos ſufficit; illic verò ad vnum religandum tanta diligentia adhibetur? Angeli aderant in cælo in ſecundo, vel tertio ſuæ creationis inſtanti, vt diſcutiunt Theologi: at verò Aſmodæus iam per multum tempus dominabatur in Raguelis domo ad diffundendum ſuum venenum mortiferum, ad multos iuuenes interficiendos. Et ſi multa millia Angelorum ad vnam vocem è cælo proiiciuntur, vt tamen vnus à ſuo poſſeſſionis loco deturbetur, catenæ, religatio, deſertum, ac multa alia tanquam neceſſaria interponuntur.

Tob.8.
Carthuſ.

*Quilibet difficile à ſua poſſeſſione deijcitur.*

## Qvæstio III.

### *Quare Chriſtus Dominus non rogatus hoc perpetratur miraculum?*

IN textu D. Lucæ non habetur, quod aliquis pro hoc homine poſtulauerit; nec etiam obſtat D. Matthæus 12.dicens: *Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens.* Quia vel poteſt dici cum D. Auguſtino citato in expoſitione, quod ſunt diuerſa miracula, narrata à Luca, & Matthæo: Vel etiam, quod mihi eſt probabilius, quod hic mutus fuit Domino oblatus; tamen ante aliorum rogationes, videns Ieſus miſerum hominem, ſtatim ad miraculum faciendum proceſſit. Sed cur in hoc homine non expectauit Ieſus aliorum preces, vt vidimus in filio Reguli, in Puero Centurionis, in filia Chananææ, & aliis? 19.

Matth.12.
*Ratio difficultatis.*

Reſpondeo Primò. Quod Chriſtus hic ante omnium rogationem miraculum operatur: Nam in hoc homine diabolus ſe exhibuerat crudeliſſimum tyrannum, omnes enim hominis facultates viſum, auditum, locutionem abſtulerat, ac ſibi vſurpauerat. Et videtur, aliquantulum diſſimulari poſſe, ille, qui vna re contentus, vnam potentiam, vel viſum, vel auditum ſibi præoccupat: at tam acerbus, & inhumanus hoſtis, qui ab omnibus actionibus hominem ſpoliat, minimè ſuſtinendus, ideóque tam indilatè Chriſtus ad miraculum proceſſit. Perbellè dixit Lucifer Caralitanus lib. de Delinquentibus. Quod quando Pharao *Præcepit in die illo præfectis operum, & exactoribus Populi dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius.* Exod. 5. n. 6. Ait ipſe: *Tunc concluſum eſt Dei iudicium contra Pharaonem.* Sed cur tot inter Pharaonis malitias, atque nequitias in hoc euentu contra eum veluti prædefinitur mortis, ac damnationis ſententia? Tam dirus, & execrabilis inimicus, qui non ſolùm ſibi vult lateres, ſed etiam paleas, ita vt nec vnam ſtipulam aliis ſinat, ac concedat; meritò tunc determinatur ſententia, vt tanquam plumbum in aquis vehementibus in profundum maris deſcendat 20.

*Intolerabilis eſt ille, qui omnia ſibi arripere, aliiſque nihil relinquere vult.*
Caralitanus.

Exod. 5.

Secundò



21. *Crudelis tyrannus, qui non patitur, vt alius ſuum miſerum ſtatum agnoſcat.*

Secundo, Maximè ſolicitatur diuina miſericordia ante omnium preces ad huic homini opem ferendam; qui iſte dæmon intolerabilis viſus eſt, non enim homini ſolum ſenſuum functiones abſtulerat, ſed etiam eius intellectum impedierat, ne homo ſuum miſerum ſtatum videret, & agnoſceret, de quo latius dicam infra quæſt. 6. Tertiò, in opinione D.Auguſtini, quod hæc hiſtoria ſcripta à D. Luca, eſt diſtincta ab ea, quam narrat D. Matthæus. Nullus erat, qui intercederet pro hoc homine, nam Dæmonium ab omnibus eius facultatibus viſus, auditus, locutionis eum expoliauerat, omniaque illius abſtulerat. Et ille, qui omnia ſua amiſit, ad deperdita habet, nullum vendicat, qui pro ipſo loquatur, ac verba faciat.

22. *Qui priuatus eſt omnibus, nullum habet interceſſorem*

Quartò, Cum Chriſtus Dominus omnium Saluator hominem hunc in tanta miſeria videret detentum, omnibuſque ſuis functionibus priuatum; inde maxime diuina miſericordia aliorum preces præueniens in eius auxilium, ac adiuuamen excitatur. Cum enim in perſona publica ratio proprii officij inſtat, minimè aliorum rogationes requiruntur, vt impoſito ſibi muneri ſatisfaciat. Pro cuius rei confirmatione maximè expendenda eſt ſeries textus D.Lucæ, quæ nobis magnum morale præbet documentũ. Scribit noſter Euangeliſta hoc c.11.num.12. Quomodo Chriſtus docuit nos orare. Cum oratis dicite: *Pater, ſanctificetur nomen tuum.* Et poſtea ſubdit: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Et poſtquam ſcribit de efficacia orationis ad impetrandum, immediatè ſubiungit: *Erat Ieſus eiiciens dæmonium.* Sed qua conſequentia hæc ſunt ſcripta? docuit Chriſtus D.ſuos Diſcipulos, vt in ſuis neceſſitatibus ad orationem confugiant; & huic immediate ſubuenit abſque alicuius deprecatione? immo in hoc facto videtur aliqua repugnantia cum doctrina proxime data cum abſque alicuius precibus homini ſalutem præbeat. Cur ergo Chriſtus Dominus ſua infinita ſapientia non diſponit, vt Diſcipuli pro eo exorent, vt ita omnibus fiat manifeſta orationis efficacia? Chriſtus docuit Diſcipulos, quod ad remedium obtinendum, Patrem exorarent *Pater ſanctificetur nomen tuum* Nam quanuis ipſe Pater ſit miſericors per naturam, vult tamen rogari, ac deprecari. Chriſtus autem non ſolum per naturam miſericors eſt, ſed etiam per munus ſibi commiſſum Ipſe conſtitutus eſt omnium Redemptor, & Saluator: Vbi autem propria officii ratio interuenit, minimè preces exiguntur; ipſa enim muneris obligatio inducit, & impellit ad negotium peragendum.

*Vbi eſt ratio officij, ipſa ſolicitat, & preces neceſſariæ non ſunt.*

23. Regius vates Deum exorat: *Fiat manus tua, vt ſaluet me.* Pſal. 118. num. 173. Vbi iuxta D. Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theophylactum, & alios apud Lorinum, ab æterno parente poſtulat, vt filium ſuum vnigenitum, ad vniendam ſibi hypoſtaticè humanam naturam, in ſalutem eius mittat. Sed ſolum æternum Parentum exorat, vt filium ſuum mittat; Cur etiam ipſum Filium non deprecatur, vt veniat, ac ipſum æterna ſaluatione condonet? Hoc negotium tam à Patris, quàm Filii voluntate pendebat: cur ergo ſolum ſupremum Genitorem rogat? Pater, cum ſit miſericors natura, à Dauide pro animæ ſuæ ſalute exoratur: Filium autem natura, & officio miſericordem officium iam ſuſceptum pro nobis non ſolum loquebatur, ac rogabat, ſed etiam excitabat, ac inducebat, vt pro omnium ſalute pateretur. D.Amedæus homil. 4. de partu Virginis. *Manus quippe Dei,* ait, *Vnigenitus Patris appellatus. Hæc manus facta eſt quando incarnata, tunc Propheta atteſtante, languores noſtros ipſa tulit, dolores noſtros ipſa portauit.*

Pſal.118.
D.Auguſt.
D.Chryſoſt.
Theoph.

*Redemptoris munus Filii in noſtrũ auxilium excitat.*

D. Amed.

24. Vidit Ioanes Dei maieſtatem ſedentem in throno excelſo in manu habentem librum multis ligaturis clauſum, *ſignatum ſigillis ſeptem.* Apocal.5.num.2. Quod cum vidiſſet diuinus Euangeliſta, in multos fletus prorupit, quia nullus erat in cælo, nec in terra, qui poſſet aperire librum. Tunc Agnus ſcilicet Chriſtus Dominus; accepit librum de dextera ſedentis, ac illum aperuit. Quod cum vidiſſent viginti quatuor ſeniores, *Ceciderunt coram Agno habentes phialas ſuas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* ibidem num. 8. Sed cur huiuſmodi ſeniores illos ſuauiſſimos orationum odores non profundunt, quando liber clauſus erat, ſed poſtquam ille eſt apertus; cum huiuſmodi preces potius videatur offerendas eſſe, quando liber obſeratus extabat, vt illis Agnus ad patefaciendum moueretur. Deinde Ioannes flebat, quia nullus dignus inueniebatur, qui librum reſeraret: & ſeniores, vt pote Euangeliſtæ amici, pro illius optatis debebant exorare. Tamen diuina ſapientia ordinat, vt huiuſmodi preces non proferantur, niſi poſtquam volumen explicitum, ac denudatum eſt. In codice illo, vt teſtantur Anſbertus, Primatius, & alii, ſcriptum extabat negotium redemptionis generis humani, ac præceptum moriendi, à Patre Chriſto impoſitum. Suprema Dei ſapientia ordinatum eſt, vt non eum liber erat obſignatus, ſed poſtquam ſolutus, orationes fierent, nam aperire librum ad Redemptoris munus ſpectabat; pro his autem, quæ ſui ſunt muneris, non patitur Chriſtus vt aliorum orationes interueniant, ſed anticipatè ad illas volumen ſoluit; & poſtea orationes profundantur, quæ tunc gratificationes, ac gratiarum actiones potius erunt, quàm preces. Primatius lib. 2. *Aperto libro orationes ſanctorum gratiarum actiones ſunt gratulantium pro mundi ſalute.*

Apocal. 5.

Ansber.
Prim.

*Vbi ſtat officij ratio preces non requiruntur.*

Prim.

## Qvæstio IV.

### *Quare Chriſtus Dominus cum tanta poteſtate erat eiiciens dæmonium ab homine; cum tantum infra pro ſe, non poteſtate, ſed rationibus vtatur.*

25. MVltum ponderatione dignum, quàm diſpari modo Chriſtus Dominus ſe habet in noſtra cauſa, ac in ſua propria Pro noſtro negotio eximia poteſtate ſe exhibet. Pro ſe verò non poteſtate, ſed rationibus vtitur. Ait Euangeliſta, quod *Ieſus erat eiiciens dæmonium.* Illud verbum *Erat* denotat, quod Chriſtus multa dominatione ac poteſtate ſtabat expellens dæmonium ab homine. Cum verò Phariſæi malignè Dominum blaſphemantes dicebant in Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia: non poteſtate ſe Dominus defendit, vt ſigna in cælo oſtendat; vel vt ipſos impios blaſphemos graui ſupplicio percutiat, ſed tantum ad rationes deuenit *Si autem Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt,*

Hh 4 quo-

*quomodo ſtabit regnum eius?* Et iterum. *Si ego in Beelzebuth eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ideo ipſi iudices veſtri erunt.* Et iterum. *Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Cur ergo pro homine poteſtatem; pro ſe vero rationes exhibet? O quantum diſtat hominum ingenium à diuina conditione! Homines in re propria ſecundum vltimum potentiæ operantur; in aliena verò ad plurimum quædam verba proferunt. At verò Chriſtus Dominus pro nobis potentiam ſuam declarat; pro ſe autem rationes in medium adducit.

*Homines pro ſe poteſtate vtuntur pro aliis vero rationibus.*

26. In ſacratiſſimo Paſſionis tempore magna inſtantia ſtat Pilatus, vt Dominum Ieſum à manibus iniquorum liberet; & in hanc ſententiam multis vult verbis accuſatores adducere. Tripliciter eis teſtificatur: *Nullam inuenio in eo cauſam.* Ioan. 18. num. 39. & 19. num. 4. & 6. Et iterum: *Quid enim mali fecit.* Matth. 27. num. 23. Vbi autem Iudæi contra ipſum Pilatum oppoſuere *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe regem facit contradicit Cæſari.* Statim addit Euangeliſta *Pilatus autem, cum vidiſſet hos ſermones, adduxit foràs Ieſum, & ſedit pro tribunali.* Ioan. 19. num. 13. quod erat ſuæ iuriſdictionis, ac poteſtatis ſedes vt notant Theophylactus, Beda, Gloſſa, & alii communiter. D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 24. *Solitum aſcendit tribunal, vt truculentam ſententiam in Ieſum proferret.* Vide hominis ingenium: Pro Domino Ieſu verba quædam habet: *nullam inuenio in eo cauſam*: pro ſe vero, ac pro calumnia à ſemetipſo propulſanda contra Imperatorem vt notat Euthymius, ſtatim ad tribunal, atque ad poteſtatis locum fugit.

Io. 18. & 19. Matth. 27. Theoph. Beda. Gloſſa. D. Cyrill.

*Pilatus pro Chriſto, facit verba; pro ſe ad tribunal aſcendit.*

27. Quantum autem diſtat ab hac hominum conditione diuina natura. Populo regem à Samuele petente, ait Dominus Prophetæ: *Non te abiicerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1. Reg. 8. num. 7. Deus enim, vt ſupremus Dominus, erat cuncta gubernans; Samuel vero, vt ibi ait Lyranus, erat eius Vicarius. Vult tamen Deus in totius populi oculis, rectitudinem regiminis ſui, ac etiam Samuelis declarare, & oſtendere probitatem. Cum autem de ſe agit Deus, ait Vati; *Conteſtare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus eſt ſuper eos; filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis; filias quoque veſtras.* &c. ibidem. num. 9. De quo agens Ioſephus lib. 6. Antiquitat. cap. 4. ſic ſcribit, ac ſi dicat Deus: *Prædices eis quales erunt reges, & quæ ſub eis mala paſſuri ſunt, proteſtans, qualem mutationem habere feſtinant.* Vt ita quodam argumento deducto videant, quantum diſtat diuinæ gubernationis iuſtitia à duro regum imperio. At vero cum ad Samuelis integritatem, ac veritatem manifeſtandam proceditur; in eius confirmationem facta eſt res grandis, vt ait Scriptura; nam cum æſtiuum tempus eſſet: *Clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in die illa.* 1. Reg. 12. num. 12. Cur Deus pro ſe, & dum abiectus ipſe dicitur argumento quodam vtitur: *Proteſtans, qualem mutationem habere feſtinant.* At vero pro Samuele non tantum rationibus acquieſcit, ſed etiam in aëre ſigna, & prodigia facit? Talis eſt diuina conditio, vt pro à ſe propulſanda impiorum calumnia, ac ſua oſtendenda iuſtitia, rationibus vtitur & argumentis: in alieno verò negotio poteſtatem, & miracula exhibet, ac declarat in cælo.

1. Reg. 8. Lyran. Ioſeph.

*Deus pro ſe facit verba pro nobis vero potentiam oſtendit.*

1. Reg. 12.

## QVÆSTIO V.

### *Quare non ſcribitur, quod Chriſtus ſanauerit hominem cæcum, & mutum; ſed quod eiecerit dæmonium mutum?*

28. HIc homo, vt dixi in expoſitione, extabat cæcus, ſurdus, & mutus; & tamen noſter Euangeliſta non ſcribit, quod Chriſtus aperuerit oculos, aures, & linguam eius ſed quod eiiecerit dæmonium; cum tamen de alio ſurdo, & muto dicat D. Marcus 7. num. 34. quod dixit Ieſus: *Ephetha, quod eſt aperire, & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius.* Sic & de aliis duobus cæcis ſcribit D. Matth. 9. num. 29. quod tangente illorum oculos Ieſu, *aperti ſunt oculi eorum.* Ait ſic & de cæco à natiuitate Ioan. 9. num. 7. De Paralytico in piſcina ſcribitur Ioan. 5. num. 8. *Dixit illi Ieſus: ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula: & ſtatim ſanus factus eſt homo ille.* Cur ergo in præſenti mutatur, ſtylus & non dicitur de hoc homine, quod Chriſtus aperuerit oculos & linguam eius vel quod ipſum ſanauerit; ſed quod expulerit dæmonium ab illo. *Erat eiiciens dæmonium. Cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus?* Hic homo non erat cæcus, & mutus à natiuitate, vt dixi in expoſitione, ſed dæmonium erat in cauſa; vt eius potentiæ eſſent ligatæ, ac impeditæ: & Chriſtus Dominus vt verus, ac optimus medicus adhibuit medicamen, non effectui, ſed malorum origini, ac radici, quæ diabolus extiterat.

Marc. 7. Matth. 9. Ioan. 9. Ioan. 5.

*Ratio dubitandi.*

*Vt mala extinguantur, illorum radix amputanda.*

29. Poſtulat quidam pater à Domino, vt miſereatur filio eius, qui lunaticus, & dæmoniacus extabat, maléque patiebatur, ac ſæpe in ignem, & aquam cadebat. Quod audiens Ieſus præcepit ad ſe afferri adoleſcentem. Et ait D. Matth. 17. n. 17. *Increpauit illum Ieſus.* Et quod Dominus, non dæmonium, ſed iuuenem obiurgaſſet, patrocinantur D. Hieronymus, Beda, Theophylactus, & alii Videbatur, quod non iuuenis, ſed diabolus eſſet increpandus; nam iſte; ingreſſus eſt hominem, & dirè illum torquebat. Quomodo tortor à reprehenſione euadit immunis, & qui vexationem ſuſtinet, increpationem reportat? Nonne ei ſufficiebat cruciatus; ad quid tanta verborum durities illi infligitur? D. Hieronymus. *Increpauit puerum, ait, quia propter peccata ſua à dæmone fuerat oppreſſus.* Peccata fuerunt in cauſa, vt ingreſſum diabolus haberet in hominem. Et Chriſtus, vt verus medicus, malorum principio, atque radici medicamen confert; nam ſi hæc amputetur, ſtatim omnis morbus, qui erat veluti conſequentia, & effectus, profligabitur, atque abibit.

Matth. 17. D. Hieron. Beda. Theoph. D. Hieron.

*Dele peccati cauſam, & omnia mala effugient.*

30. Poſtquam Iſaac ſuam benedictionem contulit filio ſuo Iacob reputans eum Eſau filium eius primogenitum: veniens hic à campo cum accepiſſet, benedictionem ſuam à fratre Iacob furatam eſſe, *Irrugiit clamore magno; cumque eiulatu magno fleret.* Gen. 27. num. 38. magnos fletus, gemitus, & ſuſpiria excitauit, ac edidit; & tamen optatam cæleſtem benedictionem minimè impetrauit. Forſitan deerant Iſaac aliæ benedictiones? minimè ſanè, non enim erant infœcundiores manus Iſaac, quam Iacob

Geneſ. 27.



quæ tantum donum valuerunt duodecim filiis impetrare Gen. 49. vel Moyſis duodecim tribubus Deuteron. 33. Si ergo Iſaac habet benedictionem, cur eius paterna viſcera tam ampla lachrymarum non commouentur copia, præcipuè cum Eſau pro ſe magnopere verba faceret: allegabat enim pro ſe, quod erat filius eius primogenitus, & tamen optatam rem minimè aſſequitur. Lacrymas profundebat Eſau pro obtinenda benedictione; non vero pro delendis peccatis, quæ tanti doni aſſecutioni obſiſtebant: nam ſi ſingultus ederet pro tali cauſa amouenda, ac eradicanda, ſine dubio benedictionem, & pluſquam benedictionem impetraret. D. Ephren de Pœnitentia. *Lacrymatus eſt Eſau, ait, non quia peccauit, & per ſolam linguam voluit benedictionem impetrari. Sed iſta cur dico? Vt tu, ſi amaritudinem in anima habeas, primum eam radicitus euellas, & poſtea ſic ad Deum accedas.*

*Deplora peccata & non illorum effectus.*

D. Ephren.

31. O Chriſtiane, vrgentibus malis opprimeris: cauſam eorum ſciſcitare, vt ibi remedium applices. Affligeris amiſſione rerum, graui morbo ac honoris iactura; ne hoc referas naturalibus cauſis, tempeſtati, incuriæ gubernatoris, ſucceſſui temporis; ſed perge, perge ad illorum radicem, cauſamque. Sic diuinus Baptiſta pertractans de ſalutifera Chriſti prædicatione dicebat: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Matth. 3. num. 10. Non ait, ſecuris iam eſt applicata ad folia, vel ramos, ſed ad radicem vt notauit Imperfectus homil. 3. *Vide, ait, quod non ad ramos poſita dicitur eſſe ſecuris, ſed ad radices, vt irreparabiliter extirpentur.* In tuis calamitatibus ne immoreris, Chriſtiane, in ramis, ac foliis, quod tantam oppreſſionem tuam tali vel tali adſcribas euentui; ſed ad earum cauſam, ac radicem deſcende, ad tua nempe peccata plangenda, ex quibus tot pullulant mala, atque ſuccreſcunt.

Matth. 3. Imperfect.

*Non conſequentiæ, ſed cauſæ calamitatum deploranda.*

## QVÆSTIO VI.

### *Quam acerba tyrannide diabolus hunc hominem torquebat.*

32. DIRE, & impiè Dæmon hunc hominem vexabat; ipſum enim reddiderat cæcum, ſurdum, & mutum, Deo ſic permittente, vt aperte cognoſcamus, quàm crudeliter ipſe agat nobiſcum, vt non ſummo odio proſequamur, ipſumque fugientes minimè eius ſuaſionibus, ac conſiliis acquieſcamus; Ad noſtram tamen quæſtionem deueniamus.

*Diabolus, vt hoſtis fugiendus.*

33. Prima Diaboli crudelitas in eo apparet, quod linguam hominis impediuerit, ne ſua diceret, ac confiteretur peccata; ex qua confeſſione totius animæ elegantia, ac pulchritudo dimanat. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.* Thren. 1. num. 6. Sed quid amiſſum eſt in filia Sion, in anima nempe fideli, ex quo eius venuſtas omnis deperdita dicitur? D. Bonauentura ibi. *Decor egreditur, quando homo non confitetur. Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius.* Pſal. 95. num. 6. Filius ille prodigus, qui abiit in regionem longinquam, & diſſipauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, ac cupiebat implere ventrem de ſiliquis; in ſe reuerſus ad Patrem venit dicens: *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Quem cum vidiſſet Pater, *Accurens cecidit ſupra collum eius, & oſculatus eſt eum.* Luc. 16. num. 20. Sed quomodo ſupremus Dominus oſcula figit ori ſpurcitiis, luxuriæ, ac ſiliquis aſſueto? Adeo pulchrum, & elegans ipſa peccatorum confeſſione: *Pater peccaui in cælum, & coram te*: euaſit, vt iam dignum Dei oſculo inueniretur. D. Chryſoſtomus homil. 4. in Luc. De Patre, & duobus filiis *Occurrens Pater reuertenti filio, ait, oſculatur os eius per quod emiſſa de corde confeſſio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit.*

*Confeſſio animæ pulchritudo.*

Thren. 1. D. Bonauen. Pſalm. 95. Luc. 16.

*Mira pulchritudo ex confeſſione.*

D. Chryſoſt.

34. Secunda Diaboli crudelitas, quod extiterat in homine mutus, & tacens. Et nullus ſanè acerbior, ac dirior hoſtis quàm qui taciturnus venenum abſcondit in animo. Duos fratres inuenies in ſcriptura, qui crudeli odio germanos ſuos proſequantur; Cain, Abel, Eſau, Iacob. Cain tamen *Conſurrexit aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Gen. 4. num. 8. Eſau verò minimè Iacob occidit. Sed vnde tanta diuerſitas? Cum Eſau eſſet homo durus, & aſperus. Cain *concidit vultus eius*, ſeu, vt habet Vatablus, *ceciderunt facies eius*; & nec bonum, nec malum aduerſus fratrem ſuum locutus eſt. At verò Eſau in minacia verba prorupit, *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Gen. 27. num. 41. Quæ verba fuerunt audita, & denunciata in tota familia patris. Inimicus, qui tacet, occidit, interficit; qui autem eſt loquax, nec nocumentum infert, nec vitam adimit.

*Secunda diaboli crudelitas.*

Geneſ. 4. Vatabl. Geneſ 27.

35. Poſtquam in quodam ſermone Chriſtus de ſacra Euchariſtia diſſerit, ſuis Apoſtolis ait, *Ex vobis vnus diabolus eſt.* Ioan. 6. num. 71. De Iuda loquebatur, vt exprimit ſacer Euangeliſta. At vero in Horto, cum Iudas ad execrandum proditionis nefas proceſſit, oſculatuſque eſt Ieſum, ait illi Dominus: *Amice, ad quid veniſti.* Matth. 26. num. 49. Sed quomodo, dum eſt in Chriſti comitatu diabolus; in Horto vero amicus dicitur? In Chriſti ſchola diabolus eſt appellatus, *reputans crimen occultum*, ait, ibi Theophilactus, tunc diaboli venenum abſconditum, & reconditum habebat in corde, & minimè tantum nefas propalauerat: at in Horto iam manifeſtus proditor extabat. *Fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum*, inquit de eo D. Petrus Actor. 1. num. 16. Et qui hoſtis occultus, ac tacens, diabolus eſt nuncupatus; iam declaratus, ac manifeſtus proditor, amicus dicitur.

*Inimicus mutus interficit; loquax nil dat nocumenti.*

Ioan. 6. Matth. 26. Theoph.

*Inimicus tacens, diabolus, manifeſtus, amicus.*

36. Tertia Diaboli duriſſima crudelitas. Hunc hominem non ſolum reddidit cæcum, ſurdum, & mutum, ſed etiam illius intellectus vſum obſtruxit. Sic Albertus magnus in cap. 12. Matth. interpretatur, hunc hominem dici mutum à Diabolo effectum. *Mutum fecit, ait, hoc eſt malitia dæmonis interius impediens vſum veræ rationis* O crudeliſſimus hoſtis! non ſolum hominem expoliauit à ſenſuum, viſus, auditus, locutionis facultatibus, ſed etiam vſum rationis impediuit, ne homo videret, intelligeret, ac diſcurſu apprehenderet ſuum miſerrimum ſtatum, ſuamque infimam conditionem; vnde iam ſupra dixi quæſtione 3. quod Chriſtus Dominus abſque alicuius precibus hoc miraculum edidit: Diabolus enim tam dirus, atque nefandus, qui hominem

Actor. 1.

*Tertia Diaboli crudelitas.*

Albert. Mag.

*Crudelis inimicus, qui te non ſinit, vt propriam miſeriam intelliges.*

hominem non ſinit, ſuam ærumnoſam intelligere, ac deplorare conditionem, minimè fuit diſſimulandus, ſed ab homine celeriter eiiciendus.

37. Vidit Ioanne ſeptem Angelos habentes phialas ſeptem plenas ira Dei. Et vnus Angelus effudit phialam ſuam ſuper mare; alius ſuper

Apocal. 16. terram; alius in ſolem, alius in flumina. Apocal. 16. Et poſt hæc oſtendit ei vnus ex illis ſeptem Angelis myſterium meretricis magnæ, mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, veſtitam purpura, auro, margaritis, ac omni lapide pretioſo; & in manu ſua habebat mulier poculum aureum, plenum abominatione. Et de hac meretrice dicitur: *Cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui habitant terram*

Apocal. 17. *de vino proſtitutionis eius.* Apocal. 17. num. 2 Cum hac enim muliere reges terræ omni ſe vitio, ac turpitudini tradidere, ſuntque à turpitudine eius inebriati, à ſuoque iudicio, & ratione alienati. Et ſtatim ſequenti cap. deſcribit Euangeliſta pœnas huic mulieri inflictas, vt dicant

Alcacer. Cornelius. Alcacer, Cornelius, quod omnia vaſa iræ Dei, quæ per terram, mare, ſolem, ac flumina ſunt diſperſa, in hanc mulierem fuere diffuſa. Sed vnde tam vehemens illi inflicta eſt caſtigatio? nunquid ea ſola maioribus erat coinquinata peccatis, quàm reliquus orbis totus? Vnde illi tam vehemens tormentum? Mulier hæc non ſolùm reges terræ in omnem turpitudinem traxit, ſed etiam eorum obfuſcauit intellectum: *Cum qua inebriati ſunt.* Et mulier tam nimis ſæua, quæ mundi principes non ſolùm omni vitio, ac nequitia ſordeſcere fecit, à ſuiſque diuitiis, & bonis ſpiritualibus expoliauit; ſed etiam in eis vim intellectus, eiuſque diſcurſum impediuit, ne ſuam perciperent, ac intelligerent extremam calamitatem; exinde talis mulier meritiſſimè omni fuit pœna vexanda, atque torquenda.

*Non eſt diſſimulandus inimicus, qui non ſinit, vt videas tuum ſtatum.*

D. Ambroſ. D. Ambroſius ibi Commentar. in Apocal. *Ebrietas verò malitia eſt Babylonis: quia ſicut ebrioſus tandiu impletur vino, vſquedum à mente ſua alienus efficiatur: ita & Reprobi tandiu omni malitia ſemetipſos replent, vſque dum à mente ſua alieni effecti timorem Dei, omnemque bonitatem à ſemetipſis abiiciant.*

38. Vehementi obſidione premebat Naas Ammonites ciuitatem Iabes, quæ erat præcipua ciuitas in tribu Manaſſes. Cum vero de ineundo fœdere agerent, ait Ammonites: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum*

1. Reg. 11. *oculos dextros.* 1. Reg. 11. num. 2. Quod cum accepiſſet Saul, magno furore concepto. Inſiluit ſpiritus Domini in Saul, cum audiſſet *verba hæc.* ibidem num. 6. Et diuiſo boue totum conuocat Iſraelem. Et congregata ſunt de Iſrael trecenta millia virorum. Iuda verò triginta millia. Si rectè inſpicias ſcripturam, inuenias, quod nunquam diuinus ſpiritus Saulem tam vehementer in bellum excitauerit, vt modo; neque vnquam Saule regnante tot viros congregatos reperies, vt in præſenti. Cur ergo diuinus ſpiritus hic tam peculiariter Saulem, totque viros in bellum impulit? Naas typum Diaboli gerebat, qui dextrum oculum, intellectum nempe

D. Thomas. denotantem, extrahere affectabat. Sic ait D. Thomas: *Non ſiniſtrum, ſed dextrum oculum, id eſt intellectum eruere curat.* Toto nixu intentat vim intellectiuam eis adimere, ne capiant, & intelligant ſuam ſummam infælicitatem, qua ſunt in vniuerſo Iſraele in opprobrium dati. Altiſſima ſapientia diuinus ſpiritus regem, totumque populum inſufflat in bellum contra execrandum Ammonitem, qui non ſolum viros Iabes in oculis totius Iſraelis in contumeliam dare diſpoſuerat, ſed etiam vt impedito intellectu ſuam extremam ſortem nec caperent, nec intelligerent, ne eam dolentes profuſis lacrymis deplorarent.

*Deteſtabilis hoſtis, qui intellectũ vult impedire.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Diabolus non conqueritur, cum ab hoc homine expellitur?*

ERAT *Ieſus eiiciens dæmonium.* Cum Diabolus à Ieſu ſe videret eiectum, non loquitur, non conqueritur, ſed profundo, & alto ſilentio obmuteſcit. Cum enim Deus rem diſponit, pœnamque infert, non ſolùm dæmones ſed etiam iuſti taceant, nec verbum emittant; ſat eſt, quod Deus ipſe fecerit. Ait Regius Vates Pſal. 38. num. 10. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Multis ſe calamitatibus, opprobriis, ac iniuriis Propheta vidit affectum; & tamen ſibi proponit ſilentium: *Non aperui os meum:* Et ſubdit rationem. *Quoniam tu feciſti.* D. Hieronymus. *Cum me conuiciis, iracundiis, ac diuerſis improperiis laceſſeret, cogitans me à te factum: nihil ad ea, quæ inferebantur, reſpondi.* 39.

*Cum Deus infert ſupplicium, taceat lingua.*

Pſalm. 38.

D. Hieron.

40. Sanatus Paralyticus, cum tolleret ſuum grabatum, arguitur à Phariſæis, dicentibus: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Ioan. 5. num. 10. Ille verò, vt omnem hanc retunderet calumniam, ait: *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum.* Ac ſi diceret: Ieſus hoc fecit, hoc mandauit; omnes preſſo ore taceant. D. Gaudentius tract. de Paralyt. aliàs 11. *Ieſus eſt, qui me fecit ſanum. Admonentur Iudæi ex nominis communione, opera non condemnare ſimilia.*

Ioan. 5.

*Cum Ieſus facit, taceant omnes.*

D. Gaudent.

41. Propius ad quæſtionem accedamus. Cur iſte Diabolus, cum expellitur; non conqueritur de Ieſu, ſicut alibi dæmones feciſſe legimus: nam cum è duobus arreptis Ieſus eos eiiceret, clamarunt: *Quid nobis, & tibi, Ieſu fili Dei. Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. num. 29. & Marc. 1. num. 24. & Luc. 4. num. 41. Cur Diabolus hic propulſatus ſimilem vocem non emittit, ſed omnino obmuteſcit? Et prima ſolutio huius patet ex ſuperiori quæſtione ex dira tyrannide Diaboli huius: & qui dirè vexat, ſi vexetur, obmuteſcat.

*Ratio difficultatis.*

Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4.

42. Secundò reſpondeo ad quæſtionem. Mutum ſe habet Diabolus, cum ab homine egreditur; nam blaſphemias ex proprio ore dicere in Chriſtum non audebat: ipſum verò acclamare filium Dei, vt alibi fecerat, ſibi modo non videbatur conueniens, vt Phariſæi petulantius Chriſtum calumniare non dubitarent. Aſtutè modo tacet dæmonium, cum ſibi paratum videat aditum in Phariſæorum linguas, ex quibus venenoſa malitiæ ſuæ verba in Chriſtum retorquere ſperabat, vt ita in hominum ſermonibus diffunderet blaſphemias,

*Homines dicunt, quæ Diabolus dicere non audet.*



blaſphemias, quas ipſe ex propriis effingere verebatur. Vide infra.

43. Tertiò In aliis locis proximè citatis ſe dæmones loquaces præſtiterant. At in hoc euentu Diabolus iſte ſe veluti, vt ita dicam, oppignorauit, vt ſe mutum exhiberet: *Et illud erat mutum.* Ne ergo ab ſua malitia reſilire videretur, taciturnitatem obſeruat; & nec vnum verbum ab ore profert. O quàm ſæpe malum perpetratur nequitia, ne ab his quibus ſe addixit, deſiſtere videatur. *Non fuit alter talis, ſicut Achab, qui venundatus eſt vt faceret malum in conſpectu*

*Pignoratus ſua malitia à malo non deſiſtit.*

3. Reg. 21. *Domini.* 3. Reg. 21. num. 25. Quid ſibi vult hæc phraſis loquendi? Ita Achab ſe vitiis, ac turpitudinibus oppignorauit, ac ille, qui rem vendidit, quique accepto pretio ſe ſe addixit, vt eam tradat emptori domino ſuo. Caietanus. *Ad inſtar*

Caiet. *vendentis ſe ipſum addixit ſeruituti ad faciendum malum.*

44. Ædificantibus filiis Adam turrim, ait Deus:

Geneſ. 11. *Ecce vnus eſt populus & vnum labium omnibus, hoc cœperunt facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis. Venite igitur, & confundamus ibi linguam eorum.* Gen. 11. num. 6. Valde admiratur D. Auguſtinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 5. Cur Deus in cuius manu omnium voluntates ſunt poſitæ, in hoc negotio ſit in tantis adhibendis? Cur hoc non præcipit Angelis? Illi homines cœperunt turrim extruere, & non deſiſtent à cogi-

Philo. tationibus ſuis, ſeu, vt ait Philo lib. de Confuſione linguarum. *Ecce labium vnum omnium. Ac ſi diceret, Ecce vna familia; & cognatio, nemine mutante ſententiam.* Et cum homines in hoc negotio eſſent addicti, & oppignorati, quod, non Angelus, ſed Deus ipſe veniret, ac

Rupert. deſcenderet, conueniens erat. Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 42. *Cum dicit pluraliter, venite, deſcendamus, & confundamus, non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, ſed ad feriendam arrogantiam ſe adeſſe teſtatur tota Trinitas Vnus Deus.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 113.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare non explicatur, quiſnam eſſet homo iſte?*

45. VALDE ponderatione dignum, quod tres Euangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas, vt patebit ex locis infra citandis, hanc ſcribunt hiſtoriam; omnes tamen maximè occultant circunſtantias, ac qualitates, ex quibus hic homo dignoſci poſſet. In aliis miraculis explicatur locus in quo perpetrata ſunt. Quæ-

*Ratio difficultatis.*

Matth 8. & 9 dam in Capharnaum Matth. 8. num. 5. & 9. num.

Luc 4. 1. Luc. 4. num. 23. Alia poſt tranſitum maris

Ioan 6. Tyberiadis Ioan. 6. num. 1. Nonnulla in ciuitate

Luc. 7. Naim Luc. 7. num. 11. Aliquot popè Iericho Luc.

Luc. 17. 17. num. 35. At vbi hic homo ſanatus ſit, nullus ex Euangeliſtis exprimit. In aliis miraculis qualitas perſonæ aperitur: Filius quidam Reguli

Ioan 4. Ioan. 4. num. 47. Puer Centurionis Matth. 8. n.

Matth. 8. 6. mendicus quidam Luc. 18. num. 35. At vero

Luc. 18. quænam eſſet huius hominis qualitas, nullus ex Canonicis ſcriptoribus eam declarat. In aliis mi-

Luc. 7. raculis exprimitur ætas perſonæ. Adoleſcens quidam filius vnicus matris ſuæ Luc. 7. num. 14. Puella quædam Matth. 9. num. 24. Homo ſenex triginta, & octo annos habens in infirmitate Ioan. 5. num. 5. At vero, quænam eſſet huius hominis ætas, non eam nobis aliquis ex Euangeliſtis proponit. Cur ergo in præſenti, tanta data opera omnes huius arrepti circunſtantiæ, & qualitates manent occultæ? Sine dubio magnum in hoc myſterium nobis innuit diuinus Spiritus; cuius inueſtigatio pulſat animum. Dicam, quod ſentio, nam dubium non inueni

Matth. 9.

Ioan. 5.

Reſpondeo. Primò, Quod hic homo inter omnes, quos Chriſtus ſanauit, inſigniter adumbrabat humanum genus eo in ſtatu, in quo Chriſtus de cælo deſcendens ipſum inuenit. Homo iſte dæmoniacus extabat, ita & totius mundi princeps diabolus in eo regnabat. Surdus erat iſte; mundus etiam prophetis, ac Dei prædicatoribus aures ſuas obturabat. Cæcus deſcribitur homo; cæcutiebat & mundus ad intuenda ea, quæ ad eius ſalutem ſpectabant. Mutus homo ſic & mundus iacebat, neſciens quærere ac agere de animæ ſuæ vita. Peroptimè adumbrabat homo totam humani generis vniuerſitatem. Cum ergo ſignificatum in eo omnibus eſſet commune, diſpoſuit diuinus Spiritus, vt in eo nullius peculiaritatis, ſiue patriæ ſiue perſonæ, ſeu alterius qualitatis nota infingeretur. Vt ex his diſcamus, quod in iis, quæ communia ſunt, nemo aliquid ſingularitatis vendicet; ſignificatum commune alicuius particularitates excludebat. 46.

*Quæ communia ſunt, particularitatis nota non afficiuntur.*

De Chriſto Domino. ait Apoſtolus ad Philipp. 2. num. 7. *In ſimilitudinem hominum factus.* 47.

AdPhilipp. 2

Cur non dicitur, In ſimilitudinem hominis; hoc enim modo Apoſtoli intentio ſatis exprimebatur. Ad quid ergo, in ſimilitudinem hominum? Chriſti Domini è cælo deſcenſus in omnium remedium eſt ordinatus: Cum ego aduentus omnibus eſſet communis, cauit ipſe, ne in eo aliqua peculiaritatis nota appareret. D. Bernardus ſerm. de Paſſione feria 4. *In ſimilitudinem hominum, non hominis; Chriſtus enim in vniuerſali hominum miſeria profundius ſe immerſit, & in eo quantum ad naturæ debitum ſignum aliquod ſingularitatis non apparuit.*

*Chriſtus dicitur factus in ſimilitudinem hominum, non hominis.*

D. Bernar.

Secundò. Tam accuratæ circunſtantiæ huius hominis abſconduntur: nam in aliis miraculis, quos Chriſtus ſanauit corpore, ſanabat & anima. At hic homo, poſtquam remedium, & medicamen in ſuis infirmitatibus obtinuit, deterior, ac peior factus eſt. *Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Et ſi antea vnus dæmon ingreſſus eſt, poſtea aditum habuere ſeptem. *Et aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Et homo tam improbus, ac ſceleſtus, vt beneficio, quo alii meliores fiunt, iniquior, ac perditior euaſerit, merito de eo nil dicatur, neque ſcriptum exiſtat, ne talis homo ſciatur, agnituſque ſit, neque eius in hominum memoria nomen permaneat. 48.

*Qui beneficio fit deterior indignus, qui agnoſcatur.*

In ſomniis vidit Nabuchodonoſor ſtatuam grandem, & ſublimem. Abſciſſuſque eſt lapis de monte, & percuſſit ſtatuam. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſque locus inuentus eſt eis* Daniel. 2. num. 35. Sed quomodo tam procera ſtatua 49.

Daniel. 2.

ſtatua , ex tam diuerſa materia compoſita , in fauillam ; ſeu vnum cineris granum tota abiit : *nullusque locus inuentus eſt eis.* Nunquid aliquid eſt in mundo , quod ſuum non habeat certum,determinatumque locum ? Quomodo ergo : *nullus locus inuentus eſt eis ?* Statua iſta Nabuchodonoſorem exprimebat. ſic Propheta atteſtatur: *Statua quam vidiſti , tu es Rex.* Et inter omnes Chaldæorum reges Nabuchodonoſor extitit ille , vt notat Theodoretus , qui è manu Dei maiora dona accepit ; magnos triumphos obtinuit , multas reportauit victorias , diuerſas nationes , ac gentes ſuo ſubiugauit imperio ; in ſuoque palatio ei conceſſit Deus ſanctiſſimos viros , Danielem , Sidrach, Miſach , & Abdenago , à quibus in via ſalutis edoceri poterat ; & tandem ei datum eſt, vt quandam filij Dei ſpeciem , ac ſimilitudinem in fornace videret Daniel. 3. num. 92. Et tamen inter omnes,qui regnarunt in Syria , ipſe valde improbus , ac ſceleſtus euaſit , in tantamque dementiam incidit , vt homo cum eſſet, tanquam Deus adorari , colique voluerit. Homo autem qui tot tantiſque donis peior eſt deteriorque effectus,non tantum deſtruatur , verum etiam , diuina omnipotentia veluti mirabiliter operante , in propè nihilum , & quaſi indiuiſibile redigatur , & nullus ſit locus in tota mundi machina , in quo viſus agnoſcatur. Cardinalis Hugo. *Nullus locus inuentus eſt eis. Nuſquam apparuerunt , ita diſperſa ſunt.*

Theod. — Daniel. 3. — *Nabuchodonoſor beneficijs deterior , non habet locum , in quo appareat.* — Hugo.

50. Meritò cum D. Hieronymo dubitabis : Cur diuina prouidentia ordinauerit , vt Pharao in aquis ſuffocatus periret ? Cur non occubuit , ſicut primogenita Ægypti per manus Angeli percutientis ; vel etiam Sennacherib , alicuius gladio? Cur ſubmerſus in aquis ; *Deſcenderunt in profundum , quaſi lapis.* Exod. 15. num. 5. Pharao tanta eſt infectus malitia , vt Dei munere , quo plagæ tam ab ipſo , quàm à toto eius regno amouebantur , obſtinatior euaſerit. *Ingrauatum eſt cor Pharaonis , & non vult dimittere populum.* Exod. 9. num.35. Tam peruerſus homo ſub maris vndis coopertus intereat, vt nullum amplius de eo extet veſtigium monumentumque , atque ſepulchrum, ne vlterius eius arma , ſcutum , ac gladius videantur , neque appareant , ſed omnino ab hominum oculis ſint excluſa. D. Hieronymus in Ierem. cap. 32. *Quanto ſerior vindicta peccantium* ait , *tanto iuſtior , in ſimilitudinem Pharaonis , qui decem plagis admonitus , in duritia perſeuerans ad extremum rubri maris fluctibus obrutus eſt.*

Exod. 15. — Exod. 9. — *Dei munere induratum cor Pharaonis in aquis ſepellitur.* — D. Hieron.

## QVÆSTIO IX.

### *Quare dicitur , locutus eſt mutus ; & non potius ille , qui mutus extiterat?*

51. *Ratio difficultatis.*

CÆRTVM eſt , quod mutus tacet , & minime verba profert. Quomodo ergo dicitur , locutus eſt mutus ? potius videbatur dicendum , locutus eſt ille , qui fuerat mutus. Et quamquam Recentiores communiter , vt Lucas Burgenſis,& alii ita explicent; verbis tamen Euangeliſtæ adhæreo. Et quæro : Cur tali phraſi eſt vſus ?

Burgen.

52. *Multi in mundialibus loquaces, in confeſſione muti.*

Reſpondeo Primò. Si mutus , quomodo loquitur ? forte circa temporalia locutus eſt. Extant enim multi homines , qui ſunt in mundialibus valde loquaces ; in his vero , quæ pertinent ad animæ ſalutem , ſuorumque delictorum confeſſionem , valde muti , & elingues reperiuntur. Senior frater multo ſermone pro ſe ad Patrem fatur , iunioremque Prodigum multis verbis arguit , atque indignatus dixit Patri : *Ecce tot annis ſeruio tibi , & nunquam mandatum tuum præterivi , & nunquam dediſti mihi hædum , vt cum amicis meis epularer : ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit , occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Luc. 15. n. 29. Quæ omnia inuidia , ira , ac auaritia repletus dicebat vt notat D. Chryſologus ſerm. 4. Et tamen qui tantus erat , vt pro ſuo applauſu , ac ſubſtantia rerum loqueretur ; vt mutus extitit vt peccatum ſuum agnoſcens confiteretur , atque deleret. Perbellè Albertus magnus. *multis*, ait, *fratrem accuſat : ô quàm melius ille feciſſet , ſi ſeipſum accuſaret.*

Luc. 15. — D. Chryſol. — Albert. Mag.

53. *Homines non iudicant pro ſtatu præſenti, ſed pro his, quæ habuiſti*

Secundò. Mutus extiterat antea homo , modò autem eius lingua iam erat ſoluta : & tamen adhuc mutus nuncupatur. Sic frequenter accidit apud homines , vt non pro tuo præſenti ſtatu , ſed pro his , quæ olim habuiſti, te iudicent ; atque reputent. Vocato Paulo è cælo , ait Ananiæ Dominus. *Surge , & vade in vicum , qui vocatur rectus : & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem : ecce enim orat.* Actor. 9.num.11. Quibus verbis exprimitur diuinum præceptum impoſitum Ananiæ. *Surge , vade.* Declaratur etiam Pauli conuerſio in illo verbo: *Ecce enim orat* Particula illa cauſalis *Ecce enim* indicat, ideo hoc dictum Ananiæ . quod ſcilicet Paulus oraret ne hunc adire ille dubitaret , vt notant D. Chryſoſtomus , Gloſſa Interlinealis , Carthuſianus , Hugo , Lyranus & alij. Et tamen his auditis reſpondet Ananias. *Domine , audiui à multis de viro hoc , quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem: hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum alligandi omnes , qui inuocant nomen tuum.* Quod commentans Chryſoſtomus ait : *Timeo , ne forte me in Ieruſalem ducat , quid me projcis in os leonis.* Nonne Ananias audit diuinum præceptum: *Surge , vade ?* non ne audit diuinum teſtimonium de eius conuerſione ? *Ecce enim orat.* Iam totus Paulus in actus amoris Dei , ac Charitatis mutatus eſt : quomodo timet ab ipſo duci in Ieruſalem ? Saulus erat agnitus , vt famoſus in perſecutione credentium ; & quamuis de eius conuerſione diuinum iam daretur teſtimonium , adhuc Ananias pro ſua antiqua opinione de eo ſentiebat. Vide ſupra c. 15. n. 140. 141. 142. & 143.

Actor. 9. — Chryſoſt. Interlin. Carthuſ. Lyran. — Chryſoſt.

## QVÆSTIO X.

### *Quare Euangeliſta non explicat verba, quæ iſte homo fuerit locutus?*

54. Toler.

CARDINALIS Tolerus,& communiter Recentiores exiſtimant probabile eſſe , locutum fuiſſe verba quædam laudis , & encomia illius , qui eum à tanto malo liberauit. Cur ergo Chriſti præconia ab homine publicata , ab Euangeliſta non ſcribuntur , præcipuè cum ipſemet

*Ratio difficultatis.*

maximè



maximè nobis narret Chriſti laudes à muliere in hoc euentu proclamatas , infra num. 27. cum Phariſæi malignè Dominum calumniarentur?

55. Reſpondeo Primò. Quod quanuis hic homo modo eſſet à dæmone liberatus , paulo ante ab ipſo fuerat poſſeſſus; & eſto illius verba eſſent recta,atque in Chriſti gloriam cederent;cum tamen exirent à pectore, & corde , in quo modico elapſo tempore, diabolus regnauerat , etſi aliquod tunc reconciliatiouis fœdus interueniret,non ideo fuerunt in tanto pondere habenda , vt narrarentur, ac ſcripta permanerent. Expulit Chriſtus D. à cuiuſdam corpore dæmonium. *Cœpit , illum deprecari , qui à dæmonio vexatus fuerat , vt eſſet cum illo , & non admiſit eum.* Marc. 5. num. 18. Multa quæſtio facit Gregorio lib.6.moral.cap.17. Euthymio , Theophylacto , ac aliis : Cur Dominus , qui cunctos ad ſe vocare venerat , vt ſequerentur eum non admiſit hunc, qui tam prompte ſe ſe offerebat ? Multæ ſunt rationes apud citatos Patres. Dicam tamen. Indignum videbatur , vt qui immediate antea à dæmone fuerat obſeſſus, iam iam modo in Chriſti comitatu inter Apoſtolos , & Diſcipulos incederet. *Vade in domum*, ait illi ; ſubſiſte ſcilicet pauliſper à venenoſo morbo, & poſtea veniendi dabitur locus.

*Ex infima conditione non ſtatim ad ſummam euolandum,* — Marc. 5. — D. Gregor. Euthym. Theophyl.

56. Cum è Cælo vocatur Paulus , valde prompta, ac expedita obedientia reſpondet : *Domine quid me vis facere ?* Actor. 9. num.7. Ac ſi dicat , Domine , ecce hic adeſt Paulus ad nutum tuæ voluntatis exequendum. A Domino tamen habet reſponſum : *Surge ingredere ciuitatem , & ibi dicetur tibi , quid te oporteat facere.* A Chriſto vocatur Paulus *vas electionis* , vt ipſe dixit Ananiæ : valde apta , & proportionata extabat huius vaſis materia ſubiecta voluntate ad quodcumque opus peragendum : Cur ergo , quæ ex diuino decreto ei ſunt iniungenda , non ſtatim illi imponuntur , ſed ad aliud tempus differuntur , vt vadat in Damaſcum , & ibi dicetur ei , quid ſe oporteat facere ? Quod notauit Cardinalis Hugo. *Non ſtatim , quæ facienda ſunt , monſtrat.* Alto conſilio non indilatè Paulus ad magna exequenda in Eccleſia , ac in Chriſtiana prædicatione aſſumitur ; *Nam Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini.* Et qui modò ignem , rabiem , ac furorem in Chriſti membra vibrabat , non ſine aliquali mora ei magna ad operandum impoſita perficier. Sed vade prius in Damaſcum , *& ibi dicetur tibi , quid te oporteat facere.*

Actor. 9. — Hugo. — *Aliqualis mora interponenda, vt ex perſecutore fiat prædicator.*

57. Secundò , Tanto Dei dono maximè aſtrictus, & obligatus extabat hic homo Chriſto Domino; vnde præconia ab ipſo in gloriam Chriſti proclamata non ſcribuntur. Quæ enim ab ore beneficiis pignorati prodeunt , non multi ſunt facienda. Inierunt fœdus Ionathas , & Dauid : diligebat enim eum quaſi animam ſuam , *nam expoliauit ſe Ionathas tunica , qua erat indutus , & dedit eam Dauidi , & reliqua veſtimenta ſua.* 1. Reg. 18. n. 3. Quod fecit Ionathas , vt ait ibi Abulenſis quæſtione 10. non vt ditaret Dauidem , ſed vt ſummum erga eum demonſtraret affectum. Ex quo mihi ſuboritur quædam quæſtio. Ambo inierunt fœdus : & Ionathas omnia ſua indumenta Dauidi dedit in ſui amoris monumentum : Cur ergo etiam Dauid , aliquo amoris pignore dato , ſuum , erga tantum principem , non declarat affectum ? Ionathas magna Dauidis encomia de eius innocentia , fidelitate , ac fortitudine in Saulis regis præſentia dicturus erat. Cauit ergo diuina prouidentia , ne aliquid Dauid Principi largiretur, vt huiuſmodi laudes ab omni prorsùs ſuſpicione eſſent alienæ ; vtque manifeſtè deprehenderetur, quod non ex aliquo pignore accepto , ſed ex veritatis ſtudio , ac integritate tam glorioſè decantarentur.

*Non multi æſtimanda, quæ ab animo donis obligato prodeũt.* — 1.Reg.18. — Abulenſ.



58. Tertiò , non ſcribuntur præconia ab hoc homine in Chriſti gloriam celebrata ; nam hic homo relapſus eſt iterum in grauiora peccata. *Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Et verba , ac encomia ex ore , factis , ac operibus ſtatim contradicentis prolata , parui ſunt æſtimanda , ac pro nihilo cenſenda. Valde glorioſè in die Palmarum excipitur Chriſtus in Ieruſalem à turba clamante : *Hoſanna filio Dauid : benedictus , qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis.* Matth. 21. num. 9. Tota ſe turba , vt ait Diuus Paſchaſius lib. 9. in Matth. in Dei laudes diffundebat , ac veſtimenta ſua pedibus Chriſti , & Apoſtolorum conculcanda proſternebat, Et tamen maximè notandum , quod pro huiuſmodi acclamationibus, nec aliquot dona , nec gratulatoria verba ab ipſo Domino turbæ conferuntur , vt vidimus factum cum Cæco Iericho. Luc. 18. num. 39. cum Zachæo Luc. 19. num. 9. ac aliis. Cur ergo diuina largitas tam ſtrictè ſe habet erga tam feſtiuam turbam ? Præuidebat Dominus, quod ipſamet turba paucos poſt dies erat poſtulatura , vt Barrabas dimiſſus eſſet , ipſéque mundi Redemptor cruci affixus : & voces , ac præconia , quæ factis , & operibus reuocanda,ac refraganda erant, parui fuerunt æſtimanda , eiſque non multum deferendum.

*Verba ore prolata , & factis contradicenda, non multi æſtimanda.* — Matth. 21. — D.Paſchaſ. — Luc.18. Luc.19.

59. Tres amici Iob Eliphas , Themanites , & Baldad reges opulentiſſimi extabant. Cùm tamen extraordinarium Iobi euentum cognouiſſent , ſtatim ad eum videndum , ac conſolandum conuenêre , quod magnis doloris ſignis præſtiterunt. *Clamantes plorauerunt , ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum.* Iob. 2. num. 12. Videbatur tantum amicitiæ fœdus multis eſſe à Iobo verbis gratulandum. At ille contra ſe habet , in eoſque furore repletus excandeſcit dicens : *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis.* Iob. 6. num. 25. Idem valet , ac ſi dicat , vt explanant Diuus Gregorius , Diuus Thomas , Pineda , ac alij , Quare mendosè locuti eſtis ? Sed quomodo magne Patriarcha tam dirè te agis in amicos tuos, amicitiæ iura valde perfectè adimplentes , tui enim , calamitatis tempore , non ſunt obliti, ſed tunc maximè ſunt te amore debito proſecuti ? Pulchrè notauit Olympiodorus : *Sermone conſolabantur eum.* Huiuſmodi amici reges erant diuites , ac locupletes ; cumque facilè ſancti viri inopiam ſubleuare poſſent , ſolùm verbis contenti erant : Meritò ergo in eos iraſcitur ſanctus Iob dicens : *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis ?* Cùm enim poſſent miſeriam , ac illius dolorem donis , ac opibus delinire , ſolùm verbis hoc præſtare curabant.

Iob. 2. — Iob.6. D.Gregor. D Thomas. Pineda. — Olympiod. — *Non æſtimatur conſolatio ſermone, cùm poſſit opere fieri.*

*Lucæ* 11 *n.* 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

*Num.* 16. Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo.

### *VERSIONES.*

*Theoph.Vatabl.* Dixerunt per Beelzebuth principem dæmoniorũ.

*Syriacus.* Alij verò, cùm tentarent eum, ſignum è cælo petebant ab eo.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.* 12.*n.*24. Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebuth principe dæmoniorum.

*Marc.* 3.*n.* 22. Et Scribæ; qui ab Ieroſolymis deſcenderunt, dicebant: Quia Beelzebuth habet, & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

### *EXPOSITIO II.*

60. D.Matth. *Occaſio horum verborum.* *Effectus miraculi.* D. Marc.

PRÆSENTIVM verborum occaſionem nobis declarat D. Matthæus. Audientes, ſcilicet Phariſæi, quod turbæ admirantes dixerunt: *Nunquid hic eſt filius Dauid?* vt populum ab huiuſmodi ſententia auerterent, *dixerunt: In Beelzebuth eiicit dæmonia.* Et ex miraculo tres ponuntur effectus ſubſecuti. Primò admirantur turbæ. Secundò, *Quidam ex eis*, ſcilicet Phariſæi, vt explicat D. Matthæus, de religione multum præſumentes; vel, vt habet Marcus, *Scribæ*, qui ſcientia erant inflati. Et non veniunt in coniecturam, ac ſuſpicionem, viſo tanto miraculo, an Chriſtus eſſet verus Meſſias: Sed inuidia, odioque agitati, diuinum factum in malam partem interpretantes, non ſolùm miraculi laudem obſcurant, ſed impiè, & blaſphemè aſſerunt, *In Beelzebuth*. De hoc nomine vide ea quæ dixi ſupra in hoc libro cap. 9. num. 45. & 46. In hoc Dominum arguebant de arte Magica, ac pacto cum Dæmone, vt notauit Chryſoſtomus Epiſt. ad Hebræos homil. 28. in cuius virtute dicunt Chriſtum expellere dæmonia. Nam inter dæmones quidam ſunt ſuperiores, alij inferiores; nec enim omnes habent æqualem virtutem, ſed vnus habet principatum ſuper alterum; qui quidem principatus fundatur in ipſorum natura, ac etiam in voluntario eorum conſenſu ſimul cum ordinatione diuinæ ſapientiæ, ac prouidentiæ, vt docent Theologi cum Diuo Thoma 1. part. quæſtione 109. articulo 2. de quo latè Suarius libro 8. de Angelis capite vltimo à numero 17.

D.Chryſoſt. *Vnus dæmon habet in alios principatum.* D. Thomas. Suarius.

61. Caiet. D.Bonauent. Euthym.

*Alij tentantes.* Tertius effectus ex miraculo ſubſecutus deſcribitur ab Euangeliſta. Et hi non ſic calumniati ſunt Chriſtum Dominum, vt Phariſæi; ſed hoc miraculo non contenti, aliud maius quærebant. Caietanus ait, quod poſtulabant ſigna, non ad credendum, ſed ad tentandum potentiam eius, an extenderetur ad ſuperiora; multa enim in inferioribus miracula ipſum operari viderant. At D. Bonauentura inquit, quod tentare dicuntur, quia non quærebant huiuſmodi ſignum ad credendum, vt fideles, ſed vt rebelles ad tentandum. Valde apta mihi videtur Euthymij expoſitio, quod dicuntur tentare Dominum, quia ſibi perſuadebant, talia ſigna ab eo fieri non poſſe, vt hoc modo ex eius impotentia ipſum confunderent.

62. D. Chryſoſt. D.Hieron. *Inimicus magnalia tua reputat nulla.* D.Hieron. Beda.

Et maximè iſti ſunt arguendi, quia, vt docent Chryſoſtomus homil. 44 in Matth. & D. Hieronymus in cap. 12. eiuſdem, ſigna petunt, quaſi nulla facta fuiſſent. In inimicorum oculis magna opera, nulla videntur. *Signum de cælo.* E cælo nempe proficiſcens. Euthymius intelligit ipſum cælum; ſicut Ioſue fecit ſtare Solem, & Lunam; vel, vt Hieronymus, & Beda interpretantur aërem, qui frequenter in Scriptura nomine cæli ſignificatur. *Petebant*, ait, *de cælo ſigna, ſiue quia in morem Eliæ ignem de ſublimi venire cupiebant; vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo mugire tonitrua, coruſcare fulgura.*

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare, cùm turbæ admirantur, Phariſæi blaſphemant?*

63. Marc. 15. *Qui ignorat Chriſti myſteria, admiratur de eius magnalibus.* Luc. Burg.

VIſo miraculo, ac loquente muto, admirantur turbæ, quia, vt dixi expoſitione 1. nondum, eum eſſe Chriſtum, ac filium Dei, crediderant. Cum enim admiratio ſit de re inſolita, qui Chriſti myſteria non agnoſcunt, neque credunt, maximè de illius magnalibus in admirationem rapiuntur. Mortuo Domino, *Videns Centurio, qui ex aduerſo erat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. n. 39. At verò audita Ieſu morte, *Pilatus mirabatur, ſi iam obiiſſet.* ibidem n 44. Quænam huius rei diuerſitas? Cur in Præſide datur admiratio, non verò in Centurione? nullus enim ex ſacris Euangeliſtis ſcribit, quod iſte admiratione teneretur. Centurio illuminatus à Deo fide plenus agnouit Chriſti diuinitatem, ac cæleſtia arcana, quorum expers extitit Pilatus, vt notauit Lucas Burgenſis, *Latebat eum*, ſcilicet Pilatum, *myſterium eius*, id eſt Chriſti. Et qui diuinitatis Chriſti agnitione repletur, omnia magnalia in ipſo recognoſcit, nil ei videtur inſolitum, vt iudicat ille, qui infidelitatis tenebris obcæcatus nulla diuina fide pollet.

64. *Quilibet loquitur iuxta ſuum ingenium.*

Propiùs ad quæſtionem accedo: Quare ſcilicet, cùm turbæ admirantur, Phariſæi tam impiè ſubſannantur? Reſpondeo primò, Simplex turba, viſo tanto miraculo, admiratur, Chriſti potentiam venerata; Phariſæi blaſphemant, & alij impij tentantes ſigna quærunt. Sic frequenter accidit, quod vnuſquiſque, iuxta ſuum ingenium ac conditionem, bonitatem, vel malitiam dicat, & loquatur. Vide ſupra cap. 8. n. 101. 102. & cap. 13. n. 62. 73. & 64.



65. *Multoties boni tacent, & improbi loquuntur.* Matth. 26. Ioan 12. D.Auguſt. D.Cyrill. Albert.Mag.

Secundò, Simplices turbæ Chriſti virtutem, ac potentiam admiratione reuerentes colunt; Phariſæi verò impij, ac ſacrilegi in multas blaſphemias prorumpunt. O quàm frequenter hoc euenit, vt illi, qui moribus, ac vita improbi deterioreſque exiſtunt, atque dicendi ius minus habent, valde loquaces, verboſique extent, atque in multos, largoſque ſermones ſeſe diffundant! Vngente Magdalena dominicos pedes, ait Diuus Matthæus, quod *Indignati ſunt Diſcipuli.* cap. 26. Ioannes autem 12. num. 4. ſcribit. *Dixit ergo vnus ex Diſcipulis, Iudas Iſcariotes: Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denariis, & datum eſt egenis.* Alij Diſcipuli indignantur, & Iudas peruersè loquitur. Quod explicant Diuus Auguſtinus in catena D. Thomæ, D. Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap. 7. *Quod alij*, ait, *Euangeliſtæ dicunt, Diſcipulos murmuraſſe de vnguenti pretioſi effuſione, Ioannes autem ſolum Iudam commemorat; putandum eſt, Diſcipulorum nomine Iudam ſignificatum, plurali numero pro ſingulari vſurpato; Poteſt etiam intelligi, ipſis Diſcipulis, illud Iuda dicente, ſiue ſuggerente, perſuaſum eſſe, atque omnium voluntatem Matthæum, & Marcum verbis etiam expreſſiſſe:* Alij Diſcipuli cum celſitudinem myſterij non agnoſcerent, in intimo, ac interiori voluntatis indignantur; ſolus tamen improbus, & ſceleſtus Iudas in contumelioſa verba impiè prorumpit. Vnde bene notat Albertus Magnus, quod bene ſcribitur de Iuda. *Dixit vnus; quia malitia erat vnus ex omnibus aliis exceptis.*

66. *Eadem res ſimplici inſeruit ad laudem, improbo ad calumniam.* Exod. 7.

Tertiò, Simplices turbæ admirantur, & minimè loquuntur, ne magnalibus repugnare viderentur. At Phariſæi ſacrilegè multas blaſphemias iactant. Idem enim opus, idemque miraculum, quod ſimplicibus inſeruit, vt admirentur, laudéſque decantent, nefandis eſt occaſio, vt maledicentiæ ſuæ venena diffundant. Ait Deus Moyſi: *Dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, & ſeruis eius. Quæ verſa eſt in colubrum.* Exod. 7. n. 9. In pia Aaronis manu virga eſt; at abiecta in terra venenoſus, ac tortuoſus coluber extitit. O quàm ſæpiſſimè hoc accidit, vt eadem res, in pia, ac ſancta manu, ſit virga ſuſtentans, dirigens, ac ducens; at verò iacta in maledica impiorum terra, venenoſus, mordens, deuorans, ac reptans ſerpens conſiſtat!

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare, viſo tanto miraculo, tam impudicè Phariſæi blaſphemant?*

67. Pſalm. 118.

COMMVNIS, & vulgaris ſolutio eſt, quod Phariſæi, vtpote inuidia obcæcati, ex bono malum eliciunt, & iuxta ſuam malitiam tantum miraculum in malam partem interpretentur. Sed in hoc, quod tam impiè de Chriſto aſſerebant, ſemetipſos condemnabant, ac arguebant. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum.* Pſalm. 118. n. 39. Verùm ſi huiuſmodi opprobrium, malitiam, ac nequitiam de aliis fuerat ſuſpicatus, quomodo ſuum dicit? Ipſum enim crimen, quod tam ſiniſtrè, ac perperam de aliis iudicauerat, in proprium ſcelus, ac opprobrium defluxit, quod ſibi auferri, ac deleri Propheta poſtulat D. Auguſtinus ibidem. concione 12. *Ideo*, ait, *ſuum dicit opprobrium, quod de aliis eſt ſuſpicatus. Hoc itaque opprobrium ſuum petebat auferri, quod in ſe ſenſerat, & in aliis fuerat ſuſpicatus.*

*Malum quod quis de aliis præſumit, ſe illius reum declarat.* D.Auguſt.

68. D.Athanaſ. *Phariſæi volunt, potius ſe iniquos reputari, quam Chriſti virtutem confiteri.*

Secundò, D. Athanaſius in decretis Nicænæ Synodi contra Arrianam hæreſim; de eorum Phariſæorum malitia diſſerens, ſic ait: *Malebant, ſe potius impios haberi, dum Beelzebuth operum Chriſti auctorem volunt, quàm repudiare ſuam ipſorum malitiam.* Frequens erat opinio, quod Chriſtus eſſet Propheta Magnus, ac verus Meſſias: & adeò maligni erant iſti Phariſæi, vt potius eligant, ſe blaſphemos, & impios reputari, dum tantum opus Dæmoni aſcribunt, quàm à ſua nequitia, ac calumnia detractoria deſiſtere, & Chriſti virtutem confiteri.

69. Euſeb. Gall. *Homines ferre non poſſunt quod eis alij anteponantur.* Daniel. 6. Cornel. Gloſſa. Gen. 41. Gen. 41. Eccleſ. 13. *Prælatio hominibus valdè dura.*

Tertiò, Euſebius Gallicanus homil. in Dominica tertia Quadrageſimæ. *Phariſæi dixerunt; hic non eiicit dæmonia, niſi in Beelzebuth principe dæmoniorum. Quanto enim Phariſæi cæteris meliores, & ſapientiores eſſe videbantur, tanto multoties maiori inuidia contra Dominum mouebantur.* Phariſæi, cùm putarent, ſe cæteris pietate, ac religione præcellere, maiori inuidia, ac odio excitabantur contra Dominum, ne eum illis, vt ſuperiorem, ac excellentiorem agnoſcerent, & faterentur. Sic cùm Daniel in regimine Babylonico valde prudenter ſe gereret. 6. num. 4. *Principes, & Satrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere regis*, ſeu vt alij Codices habent, Quærebant occaſionem, vt auferrent Danielem ex latere regis; ſeu, vt explicat Cornelius à Lapide, hebraiſmum eſſe, & idem valere, ac inſidiari. Sed quænam ratio tot inſidiarum? Quia Daniel ſuperabat omnes principes, ac Satrapas, & rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: probitas enim Danielis occaſio erat iniquis ipſum inſidiis aggrediendi, *Quia ſcilicet*, ait Gloſſa, *familiarem, & collegam fecerat eum rex.* Explicato à Ioſeph Pharaonis ſomnio, ait rex miniſtris ſuis: *Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit.* Gen. 41. n. 38 Et ad Ioſeph dixit: *Nunquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero?* ſeu, vt habent Septuaginta, *Non eſt homo prudentior, & ſapientior te.* Valde mirum, quod ad regis dictum taceant omnes, eique nullus applaudat, neque conſilium eius extollat, cùm Eccleſiaſticus dicat. *Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent.* Eccleſiaſti. 13. n. 28. Pharaonis verba Ioſephum aliis anteponebant; quod cùm eis eſſet valde durum, vt frequenter contingit in regum curia, nulli eorum regis ſermo placebat; vnde omnes, contra aulicorum ingenium, obmuteſcunt, & ne minimum quidem verbum proferunt.

70. Quartò, vident diuinam virtutem; & tamen impiè, ac impudenter aſtruunt, quod in Beelzebuth eiiciat dæmonia. Iniquorum lingua nulli parcit: *Poſuerunt os ſuum in cælum?* in omnéſque omníque modo ſua venenoſa verba contorquet. De his, iuxta D. Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſto

D. Auguſt. D. Hieron. D. Chryſoſt. Incognit. Pſalm. 13. Pſalm 56. Bernonius.

Chryſoſtomum, ac noſtrum Incognitum, ait Regius Vates Pſalm. 13. num. 3. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Et tamen de eiſdem aſtruit idem Propheta: *Filij hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ.* Pſalm. 56. n. 5. Bernonius ibidem. *Quorum dentes*, ait, *fuerunt arma, & ſagittæ, id eſt conſilia peſſima, & verba volantia ad operationem mortis.* Meritò tamen dubitabis, ſi eorum os venenum nuncupatur, quomodo etiam ſagitta dicitur? nam venenum è proximo, ac ex intimo enecat; at ſagitta è longinquo, ac à diſtanti interficit? Hæc omnia aptantur in detrahentium lingua, nam, vt venenum, è propinquo occidit, ac etiam, vt ſagitta, è remoto vulnerat, ac mortem ingerit.

*Lingua peſſima in omnes venena contorquet.*

71. Quod vt licentioſius huiuſmodi detractatores præſtare valeant, velut iniquum prophetam Balaam ſe gerunt; de quo dicitur: *Duxit eum ad excelſa Baal, & intuitus eſt extremam partem populi.* Num. 22. n. 41. Et iterùm ſic ei dixit rex Balac, *Veni mecum, in alterum, vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis.* Num. 23. n. 13. Vt ad priorem locum ponderat Carthuſianus, ad maledicendum Populum, non ad videndnm totum Iſraëlem, ſed ad partem, & ad partem extremam videndam proceſſit. Hunc impium Prophetam imitantur maleuoli calumniatores, qui non totum, quod in te eſt, ſed vnam partem, & extremam partem, provt eorum nequitia eis obiicit, conſiderare volunt, vt impudentius te impetere, ac canino dente mordere valeant.

Numer. 22. Numer. 23.

*Calumniator, vt detrahat, non omnia tua, ſed partem videt.*

## Qvæstio XIII.

### *Quanta ſit cæcitas horum Phariſæorum in ſua blaſphemia?*

72. Videbant Phariſæi diuinam Chriſti virtutem, omni puritate puriorem, ac omni ſanctitate ſanctiorem; & tamen petulanter blaſphemant, & dicunt: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Tanta eſt odij, ac inuidiæ vehementia, vt etiam in manifeſtis caliget, ac cæcutiat. Cùm Dauid in manu ſua haberet Saulem ad eum interficiendum, abſcindit oram chlamydis, & exiens è ſpelunca illam exhiber in regis oculis dicens: *Ecce viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea, ſed pepercit tibi oculus meus.* 1. Reg. 24. n. 11. Quibus auditis, recognoſcens Saul Dauidis erga ſe benignitatem ait ei: *Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* ibidem n. 22. Quomodo Saul ſic dubitat de Dauidis clementia, cùm tantum erga ſe teſtimonium videat, vt dicat Chryſoſtomus homil. de Dauide, & Saule. *Ecce lacinia chlamydis tuæ, quam abſtuli, nec occidi te; mutus quidem teſtis, ſed omnibus vocem habentibus, euidentior.* Vnde ergo tanta in Saulis mentem diffidentia ſubit, vt tam apertè in manifeſtis cæcutiat? Extiterat ipſe crudelis, ac capitalis Dauidis inimicus, illúmque odio acerbiſſimo erat inſectatus; ideóque nulla euidentia ſibi perſuadere poterat, Dauidem erga ſe, ſuámque poſteritatem benignum eſſe, neque fore clementem: atque ex ſua maleuolentia Dauidis animum diiudicabat. Carthuſianus. *Nunc quoque* ait, *timens, & ſuſpicans Saul, ipſum Dauidem ita acturum cum ſemine ſuo, ſicut ipſe in ſimili caſu egiſſet cum ſemine Dauid, petit iuramentum, vt aſſecuraretur de tali periculo.* Vide ſupra cap. 13. num. 190.

*Odium, & inuidia cæcutit in manifeſtis.*

1. Reg. 24.

D. Chryſoſt.

Carthuſ.

73. Secundò, Maximè declaratur cæcitas horum Phariſæorum, quod Dæmoni deuicto, & expulſo à Chriſto Domino, referant tantum miraculum, dicentes: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Non ſcribitur rex Amaſias in catalogo regum, vt patet Matthæi 1. à n. 6. Et meritò notant D. Hieronymus, D. Auguſtinus, Paſchaſius, & alij, vt dixi tom. 1. lib. 1. cap. 2. q. 26. cùm hanc dignitatem ſortiti ſint multi alij reges, qui valde impij, nequiſſimíque fuerunt. Immò ipſe Amaſias poſt commiſſum Idololatriæ crimen, ſtatim à Propheta de morte comminatur, quod cum aliis regibus Abia, Ioathan, ac aliis factum non legimus. Quæ ergo tanta rei cauſa? *Amaſias poſt cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir, ſtatuit illos in Deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum.* 2. Paralip. cap. 25. n. 14. Tam ingens ingratitudo, quod idolis deuictis, ac ſuperatis victoriam tribuat, quam ei Dei benignitas conceſſit, malitia eſt inaudita, omnem contra ſe concitans pœnam, atque ſupplicium. Theodoretus; *Diuinum*, ait, *ſecutus auxilium non cognouit benefactorem, Deos enim eorum, qui fuerant ſuperati, quos aſportauit cum ſpoliis, tanquam victoriæ datores honorauit, & ſacrificiis eſt proſecutus, ſed eius impietatem Deus arguit.* Si Dij ficti victores reputarentur, aliquantulum diſſimulandum, videretur; ſed eis deuictis ſacrificium adolere, inexecrabilis malitia, ingratitudoque conſiſtit, quam in præſenti Phariſæi imitati, Dæmoni expugnato, atque eiecto miraculum impudenter referebant. De eorum cæcitate ex vi argumentorum Chriſti etiam multa patebunt.

Matth. 1. D. Hieron. D. Auguſt. D. Paſchaſ.

2. Paral. 25.

Theodoret.

*De victis referre victoriam, malitia inexecrabilis.*

## Qvæstio XIV.

### *Quare Magi, videntes ſigna Moyſis, dixerunt:* Digitus Dei eſt hic: *Phariſæi verò de Chriſto blaſphemant?*

74. Hanc quæſtionem excitat D. Athanaſius in tract. de Blaſphemia in Spiritum Sanctum. Magi enim in Ægypto, cùm vidiſſent à Moyſe edita ſigna, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic.* Exod. 8. n. 19. At Phariſæi cùm in Chriſto multo maiora agnouiſſent opera, in turpiſſimas prorumpunt blaſphemias. *In Beelzebuth eiicit dæmonium.* Ad quæſtionem

D. Athanaſ. Exod. 8.

75. Reſpondeo primò, Magi contrarij tantùm Moyſi. At Phariſæi, & Scribæ Chriſto aduerſabantur ficto religionis, Scripturæque prætextu. Et nullus crudelior hoſtis eo, qui ſub colore zeli, ac ſcientiæ flatu tibi contrariatur, ac te inſequitur. Vide tom. 2. cap. 5. n. 21.

*Crudelis hoſtis prætextu zeli.*

76. Secundò, Phariſæi contra Chriſtum Dominum contumeliæ verba iactabant, at Magi in Ægypto cogebantur, opera perpetrari, & ſciniphes educere. Homines autem multùm inſolentes, ac largi in verbis, contumeliiſque proferendis; cùm ad opera deuenitur, magna ſui confuſione, nimis

*Homines in verbis largi, in operibus parci; & tunc aliorum virtutem agnoſcunt.*





parce ſe habent. Qui viros præſtantiſſimos ſcientiarum ſplendore, virtute bellica, ac rerum regimine carpunt, ac verbis impetunt; ſi tamen ad opera impellas, facilè tunc deprehendes, quod ipſi, ſuam imbecillitatem agnoſcentes, fateantur: *Digitus Dei eſt in illis.* Poſtquam rex Nabuchodonoſor vidit ſomnium ſtatuæ ſuæ magnæ, *Præcepit Rex, vt conuocarentur arioli, & Magi, & Malefici, & Chaldæi, vt indicarent Regi ſomnia ſua.* Daniel 2. n. 2. Meritò dubitant ibi Pererius, Pinto, Cornelius; cur inter eos non vocatus eſt etiam Daniel, cuius ſapientia erat tunc celeberrima valde? Quia Chaldæi ſibi, ſuiſque ſapientiam arrogabant, atque Danielem veluti in contemptu habebant, & dedignabantur cum puero captiuo ſimul conuenire. At verò cùm ad ſoluendum ſomnium deuenitur, de quo ipſi Chaldæi fatentur: *Sermo, quem tu quæris, Rex, grauis eſt, nec reperietur quiſquam, qui indicet illum in conſpectu Regis, exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio.* ibidem n. 11. Tunc Daniel vocatur, illud ſoluit, & explanat, tacentibus aliis. Ad ingerendum bellum Iſraeli multa prudenter dixit Achior, dux filiorum Ammon, Holoferni, à quo iniurioſè tractatur, Iudith 6. n. 2. tamen exitus probauit conſilij ſapientiam.

Daniel. 2. Pererius. Pinto. Cornel.

Iudith. 6.

77. Tertiò reſpondeo, Omnes iſti aduerſarij, Magi Moyſi, Phariſæi Chriſto Ieſu: at Magi, nec conſanguinei, nec ex eodem ſolo nati cum Moyſe, vt Phariſæi cum Chriſto. Nullus autem durior hoſtis, quàm conſanguineus; & nullus magis impatiens alterius præcellentiæ, ac gloriæ, quàm frater, ac amicus. Narrat Ioſeph ſomnium ſuum, in quo ſe adoratum dicit à Sole, Luna, & ſtellis. Quo audito, increpauit eum pater ſuus dicens: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram.* Gen. 37. n. 10. Quare pater filium reprehendet, cum ſe adorandum dicit? Myſticè de Chriſto Ieſu rem explicat D. Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 2. *Obiurgatio Patris*, ait, *ſignificat duritiem populi Iſraël, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, quem hodie Deum eſſe non credunt, nec volunt adorare, quia ex ſe natum eſſe cognoſcunt.* Perpende vltima verba.

*Multoties conſanguinei ſunt tibi ad honores impedimentum.*

Gen. 37.

D. Ambroſ.

78. Magna tamen indagine ponderandum, quod Ioſeph duo ſomnia vidit. Primùm ait: *Putabam, nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. n. 7. Et tamen circa hoc nihil ei à Patre dictum legimus. Poſtea verò alterum refert dicens: *Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* ibidem n. 9. Et ſtatim ſubditur, *Increpauit eum Pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium*, &c. In dubium tamen reuoco, quare pro ſecundo ſomnio obiurgatur à Patre, non verò pro primo? In priori ſe innuebat adorandum à fratribus: in ſecundo autem non tantùm à fratribus, ſed etiam à patre, & matre; & tunc reprehenditur à Iacob. Adeo ægra inter homines eſt prælatio, vt etiam patri, qui naturaliter deſiderat honorem filij, durum appareat, quod natus eius ſuperior ſit, in eumque dominium habeat. Lippomanus. *Puerum reprehendit*, inquit, *quaſi præſumptuoſum, ambientem imperium, non ſolum in fratres, ſed etiam in ſe.*

Gen. 37.

*Ægrè ferunt conſanguinei vt alij eis præferantur.*

79. Dauid ad obtinendum Iſraëliticum regnum à Deo dirigebatur. Cùm ergo veniſſet in Ieruſalem ad occidendum Goliath, ac quæſiiſſet, *Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſrael.* 1. Reg. 17. n. 26. à fratribus ſuis hoc audientibus, valde rigidè, ac aſperis verbis inſecutus, vt ab exercitu diſcedat, ei mandatur. Sed quid inde? Audita ſunt hæc verba, quæ locutus eſt Dauid, & in conſpectu Saul annunciata, cui adductus ſic fatur: *Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* ibidem n. 31. De quo perbellè dixit Chryſoſtomus in Pſal. 50. *Fratres zelantur, extranei introducunt ad regem.* Mira ſanè res! amici, ac fratres ad regem, regioſque fauores acceſſum intercludunt; at extranei illum parant, atque aperiunt. Sic ſæpè contingit, vt ab extraneis ad honores promouearis, ad quos tibi conſanguinei, ac amici ſunt impedimento. Vide ſupra.

1. Reg. 17.

D. Chryſoſt. *Extranei tibi aperiunt aditum ad honorem, quē conſanguinei intercludunt.*



## Qvæstio XV.

### *Quare non in ſingulari, ſed in plurali dicunt, quod dæmonia eiiciat Ieſus?*

80. Reſpondeo primò ad quæſtionem, Quod ita ſunt locuti, tam propter præſentem hunc actum, quàm propter alios, in quibus Dominus dæmones ab hominum corporibus expulerat. Secundò, & moraliter. Ab hoc homine vnus diabolus fuerat extruſus. *Cùm eieciſſet dæmonium.* Tamen in plurali aſſerunt, dæmonia. Talis eſt detractorum lingua, vt ſuper vnum multa, & centum addat, vt impudentius valeat ſuam machinare calumniam, ac in te ſuæ maledicentiæ iacula retorquere.

*Detractor in ſuis calumniis ſemper addit.*

81. Cùm vidiſſet Iacob duritiem faciei Laban erga ſe, Liæ, & Rachel propoſuit, quomodo pater earum decem vicibus mutauerit eius mercedem: ſtatimquè *Reſponderunt Rachel, & Lia: Nunquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, & hæreditate patris noſtri? nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?* Gen. 31. n. 14. Quomodo filiæ ita patri detrahunt? Cur ipſum etiam contra omnes non tuentur, vt naturæ ius dictare videtur? Vel cur Iacob dictis tantum non ſunt contentæ, quod ſcilicet mutauerit mercedem eius per decem vices, ſed vlterius ipſum arguunt, & accuſant, veluti inhumanum, ac helluonem, quod nempe vt extraneas reputauerit, ac veluti ſeruas vendiderit, atque eorum ſubſtantiam, & rem deuorauerit. Cur tam aſperè in ſuis verbis obiicientes patri progrediuntur? Detractoris ingenio tenebantur; & ideo his, quæ audiunt, minimè acquieſcunt, ſed vltra addendo, & conglomerando, de vno in multa ſe extendunt. Oleaſter. *Detraxerat Iacob Laban; mentitum aſſeruit; & filiæ, quæ debuerant, patrem excuſare, apud virum accuſant, & maiora mala, quàm audierant, detegunt. Vide quæ crimina patri obiiciant, quod ſcilicet eas extraneas reputauerit, illarumque pecuniam conſumpſerit.*

Gen. 31.

*Murmuratores ſuper vnum multa ponunt.*

Oleaſter.

82. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Pſalm. 49. num. 19. Maximè ponderandus loquendi modus: ait enim, quod os malitiam eructabat; & poſtea ſubdit, quod lingua concinnabat dolos, ſcilicet quod nimio artificio, ac multo verborum ornatu compo-

Pſalm. 49.

*Calumniator ex vno multa dicit.*

nebat dolos, ſeu nequitias. Sed cur primò vtitur Pſalmiſta ſingulari, *abundauit malitia*, & poſtea mutato ſtylo in plurali loquitur, *concinnabat dolos*? Sic depingitur detractoris conditio, qui ex vna calumnia in alias multas tendit, & demergitur. Huc reſpicit Saluianus lib. 3. de gubernatione Dei dicens: *Detrahendi libido terminum non habet, nunquam ſaturatur.*

Saluianus.

*Lucæ* 11. *n.* 17. Ipſe autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

*Num.* 18. Si autem Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebuth me eiicere dæmonia.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ieſchua verò, qui ſciebat cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuiſum aduerſus ſe ipſum, vaſtabitur.

*D. Ambr. hîc* Deſtruetur.

*Euthym. Theop.* Regnum aduersùs ſeſe diuiſum, deſolatur; & domus ſupra domum cadit.

*Vatablus. n.* 18. Quod ſi Satanas quoque aduersùs ſe ipſum diuiſus eſt.

*Syriacus.* Quomodo ſubſiſtet regnum eius.

ALTER TEXVTS.

*Matth.* 12. *n.* 25. Ieſus autem ſciens cogitationes dixit eis. Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur; & omnis ciuitas, vel domus contra ſe, non ſtabit.

*Num.* 26. Et ſi Satanas Satanam eiicit, aduersùs ſe diuiſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum eius?

*Marc.* 3. *n.* 23. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt Satanas Satanam eiicere?

*Num.* 24. Et ſi regnum in ſe diuidatur, non poteſt regnum illud ſtare.

*Num.* 25. Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.

*Num.* 26. Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſperſus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habere.

## *EXPOSITIO III.*

VT *vidit cogitationes eorum*, ſimúlque blaſphemiæ verba, quæ locuti fuerant, *dixit eis*, Quamuis Dominus ſua diuina potentia, ac magna pœna inflicta, poſſet Phariſæorum impudentiam compeſcere; tamen non poteſtate, ſed ratione, ac magnis adhibitis argumentis vtitur. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*, ſeu, vt alij legunt in præſenti, *deſolatur*: Concordia enim res paruæ creſcunt, diſcordia autem omnia ruinantur, & pereunt. *Et domus ſupra domum cadet*, ſeu *cadit*; ſi enim illius partes non cohærent, ipſa domus contra ſe ipſam diuiſa cadit. 83.

*Diſcordia cuncta diſſoluuntur.*

*Si autem Satanas in ſemetipſum diuiſus eſt*, id eſt ſi regnum Satanæ, ac dæmoniorum, in ſe eſt diuiſum, *quomodo ſtabit regnum eius?* quomodo durare, ac perſiſtere poteſt? Ac ita quodam ſyllogiſmo totam rem demonſtrat Dominus. Dæmonum princeps maxime intentat, regnum ſuum perdurare; ſi autem ipſe per potentiam, & vim dæmones inuitos ab hominum corporibus eiicit, vt ego expello: ergo regnum ſuum ipſe euertet, cum diſcordia ſit inter principem, & ſubditos; & omne regnum in ſe ipſum diuiſum corruet. Ergo cum regnum Diaboli permaneat, non eſt tam ſtolidus ipſe, vt dæmones ſibi ſubditos ab hominum corporibus vi extrudat. Satanas autem deriuatur ex nomine hebraico, & idem valet, ac aduerſarius. Ita Caietanus, Toletus, Ianſenius, & alij. 84.

*Efficacia rationis.*

Caiet. Tolet. Ianſenius.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare cum Phariſæi calumniatores extitiſſent verbo, & cogitatione, ſolùm tamen ad eorum cogitationes reſpondit Dominus?*

ALIIS vicibus hanc calumniam Phariſæi in Dominum dixerunt: *In principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Matth. 9. n. 34. Et tamen tunc Dominus non reſpondit tam efficacibus rationibus, ſicut modò vidimus factum. Ad hoc ait Chryſoſtomus homil. 42. in Matth. *Quod tunc quidem non increpauit, nec quicquam ad hoc reſpondit, ſed partim a dignitate doctrinæ ad cognoſcendam omnipotentiam inducebat. Verum quoniam in nequitia eorum perſeuerantes eadem dictabant, reſpondit nunc, vt deitatem ſuam oſtendat,* Deinde Dominus in præſenti tam 85.

Matth. 9.

D. Chryſoſt.



*Calumnia refutanda, ne inimici impudentiores fiant.*

tam efficacibus rationibus hanc calumniam refellit; nam ſi toties calumniam repetitam diſſimularet, vt illam magis, ac magis intorquerent, Phariſæi audentiores redderentur, & turbæ ex tanta diſſimulatione in aliquam poſſent ſuſpicionem venire.

86. Ad noſtram quæſtionem veniamus. Multi ore protulerunt blaſphemias: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Alij mente Dominum calumniati ſunt; quorum cogitationes, vt Dominus vidit, dixit eis. Quæſtio inquirit, cur ad hos tantum Dominus dicitur locutus?

87. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 42. in Matth. *Quod ideo pergit, vt hoc ſigno mentitos eos eſſe aduerſus ipſum, confirmaret, quoniam non ſit dæmoni, arcana hominum noſſe.* Et D. Hieronymus in cap. 12. Matth. ſic ait: *Dominus, non ad dicta, ſed ad cogitata reſpondit, vt vel ſic compellerentur credere potentiæ eius, qui corda videbat occulta.* Non verbis, ſed operibus oſtendit Chriſtus, ſe, non in principe dæmoniorum, ſed in potentia Dei eiicere dæmonia; nam ſi quodcumque aliud feciſſet miraculum, Phariſæi illud calumniare poſſent, vt impræſentiarum præſtitere: reuelat ergo Chriſtus ſecreta cordium, quod proprium eſt diuinæ virtutis, & ad quod nulla diaboli ars attingere valet.

D. Chryſoſt.

D. Hieron.

*Non verbis, ſed operibus oſtēdit Chriſtus ſuam virtutem.*

88. Secundò, Toletus in commentario ait, quod quamuis quidam eorum verbo calumniam protulerint, non tamen ſolo verbo, ſed etiam mente opus Chriſti adſcripſerunt Beelzebuth; quia ita credebant, ſicut loquebantur. Alij verò, ſiue propria malitia ducti, ſiue ab aliis ſeducti, eandem calumniam corde tantùm concepêre, ipſamque mente retinuere; ad hos omnes Dominus reſpondet, & ideo cogitationes eorum vidiſſe dicitur.

Tolet.

*Chriſtus omnibus reſpondet.*

89. Tertiò, aſſeritur, quod Dominus viderit cogitationes eorum: nam qui ſola mente calumniati ſunt, plus malitiæ retinuere, quàm illi, qui ſuam maleuolentiam verbis expreſſerunt; grauius enim ferit, ac percutit hoſtis taciturnus, & occultus, quàm verboſus, manifeſtus, & declaratus.

*Hoſtis occultus grauior*

90. Quartò, impiorum blaſphemiæ verba per aërem reſonabant: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Ad quid neceſſe fuit ad cogitationes eorum attendere? Non enim tam opus externum, quàm affectus, in quem dirigitur, ponderandus eſt; nullum enim eſt peccatum, quod ex intentione non creſcat, aut decreſcat. Cogitationibus reſpondet Dominus, non verbis; nam hæc aliquando poſſunt habere excuſationem, ſi ab ignorantia, aut errore intellectus naſcantur: peſſimum autem eorum venenum ex intentione prodibat, ex peſtifero nempe eorum affectu, inuidia ſcilicet, odio, maleuolentia, qua Chriſti opera deuenuſtare conabantur.

*Opus ex intentione creſcit, vel decreſcit.*

91. Præclarum officium olei effuſione præſtitit Magdalena erga Chriſtum Dominum in Simonis domo. Quod videntes *Diſcipuli indignati ſunt dicentes: Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Matth. 26. num. 8. Ioannes verò referens hanc hiſtoriam, Iudam vt totius criminis auctorem denotat. *Dixit vnus ex Diſcipulis eius Iudas: Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denarijs, & datum eſt egenis.* cap. 12. num. 4. Et ſtatim Euangeliſta rigidam cenſuram in eum extorquet. *Hoc autem dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habebat.* ibid. n. 5. Quare ergo in eodē dicto tam grauis nota in Iudam impingitur, non verò in alios Apoſtolos? Et quare Ioannes tantùm facinus Proditori imponit? Quamuis enim verbum in auribus idem ferè ſonaret; in mente tamen multum diſcrepans erat intentio: nam Diſcipuli magnum adhuc neſcientes ſacramentum ex pauperum amore excuſantur; Iudas verò maximè condemnatur, cum illam ſententiam protulerit, ex ſurripiendi, ac detrahendi appetitu. D. Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap. 7. ſic ait: *Iudas propterea dixit, quia fur erat, & cupiditatis ſuæ ſtimulis exagitatus; cæteri verò propter pauperum curam, ſimplici animo, & nihil mali ſuis verbis obuelante. Ioannes autem de ſolo illo id commemorare voluit, cuius ex hac occaſione furandi conſuetudinem credidit intimandam.*

Matth. 26.

Ioan. 12.

*Ex eiſdem factis diuerſimodè dijudicandum.*

D. Cyrill.

92. Cum ciuitates infames immiſſo igne deuaſtarentur à Deo, Lot cum vxore ſua, atque familia à Sodomis egrediebatur, *Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Gen. 19. num. 26. Tamen de Abrahamo ſcribitur: *Intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius viditque aſcendentem fauillam de terra.* ibidem num. 28. Quod tamen tanquam magnum factum Abrahamo adſcribitur. Sed quorſum ob iniectos oculos in ciuitatem mulier ita damnatur, vt tam duram ſubeat pœnam: Abraham verò magno inde opere ſublimatur? Quamuis in vtroque ferè ſimilis reperiatur actio; intentio tamen, quæ ſolet externum factum condecorare, vel denigrare, multum diſcrepans erat: nam oculos Abraham in Sodomam leuauit, vt Dei iuſtitiam extolleret, vxor verò Lot, vt illam accuſaret. Petrus Paludanus, ad hunc locum. *Aliter*, ait, *intuitus eſt perditionem Sodomæ Abraham, & aliter vxor Lot; nam Abraham intuitus eſt commendans, & laudans in corde ſuo diuinam iuſtitiam ſe vlciſcentem de obſtinatis peccatoribus; vxor Lot, vt approbans Sodomorum nequitiam, & condemnans in corde ſuo diuinam iuſtitiam.* Vide ſuprà cap. 10. num. 57. & tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 13. & cap. 5. n. 131. & tom. 2. cap. 16. num. 85.

Geneſ. 19.

*Non ex factis externis, ſed in intentione totum opus ponderandū.*

Paludan.

*Lucæ* 11. *n.* 19. Si autem ego in Beelzebuth eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ideo ipſi iudices veſtri erunt.

*Num.* 20. Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Quod ſi ego per Beelzebuth eiicio dæmonia: filij veſtri per quem eiiciunt? propterea ipſi erunt vobis iudices.

*Theophylactus* Quod ſi ego Beelzebuth præſidio dæmonia eiicio: filij veſtri cuius præſidio eiiciunt?

*Arias.* Propter hoc iudices.

*Tertull. lib.*4. *contra Marcion. c.*26. Quod ſi ego digito Dei expello dæmonia: ergo ne appropinquauit in vos regnum Dei.

*Vatablus.* Peruenit ad vos regnum Dei.

ALTER TEXTVS.

*Matth.*12.*n.*27. Si autem ego in Beelzebuth eiicio dæmones: filij veſtri in quo eiiciunt? ideo ipſi iudices veſtri erunt.

*Num.* 28. Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio dæmones; igitur peruenit in vos regnum Dei.

## *EXPOSITIO IV.*

93. EST hoc ſecundum Chriſti argumentum, quo ab auctoritate, ac experimento oſtendit, ſe non dæmonis pacto, ſed virtute Dei eiicere dæmonia. Per filios, vt eſt probabilius, de quo quæſt. ſequenti, intelligit Exorciſtas gentis Iudæorum, qui dæmones ab hominum corporibus eiiciebant. Filios autem dicit Phariſæorum, & Scribarum, qui inter Iudæos velut patres reputabantur, & illos vt filios agnoſcebant, & appretiabant, cum è contra Chriſtum deteſtarentur. *In quo eijciunt?* Quærit Chriſtus, in cuius virtute hæc operentur, tanquam valdè notum, quod reſponſuri erant: Inuocato Dei nomine, in eius virtute talia perpetrantur. *Iudices veſtri erunt.* Hæc dicit, non quod tales Exorciſtæ futuri ſint iudices in die iudicij, vt notat Toletus, ſed quod collatis inter ſe ipſorum, & mei factis, re ipſa arguent, & condemnabunt vos maleuolentiæ, inuidiæ, odij in me concepti, ac perfidiæ, & blaſphemiæ in Deum, ſiquidem vnum, & idem opus, dæmonum ſcilicet eiectionem, in illis diuinæ potentiæ; in me autem, in quo præclariora facta relucent, diabolo adſcripſeritis.

*Legitimus ſenſus.* — Tolet.

94. *Porrò ſi in digito Dei.* Ex ſuperioribus duabus rationibus, ac argumentis poſitis tacitè infert Dominus hanc concluſionem: Si ego non in Beelzebuth eiicio dæmonia, conſequens eſt, quod in digito Dei eiiciam, hoc eſt Spiritu ſancto, vt habet D. Matthæus, ſeu virtute, ac potentia Dei, vtpotè verus Meſſias promiſſus in lege. *Profectò,* ſeu, *igitur,* vt habet Syriacus, *peruenit in vos regnum Dei.* Videtis enim dæmonis regnum paſſim per me verbis, & factis, in corporibus, & animabus hominum deſtrui; ſicque in vobis inchoari regnum Dei, vt dicebat Ioannes, *Appropinquauit in vos regnum Dei.* ſcilicet per gratiam, & ſanctitatem; quod in cælo perficitur, vbi Deus in ſanctis ſuis regnat per gloriam.

D. Matth. Syriacus.

95. Et rectè ait, *in ſpiritu Dei:* nam ipſi dicebant, quod eiiciebat dæmonia in ſpiritu malo, nempè in Beelzebuth; Chriſtus autem, vt ait Theophylactus, in Spiritu ſancto, ac virtute Dei illa expellebat. Et dicitur peruenit in vos, id eſt ad veſtram ſalutem, ac redemptionem. Titus apud Catenam D. Thomæ explicat: Peruenit in vos, hoc eſt contra vos, qui enim tantum Dei donum, ac beneficium contemnit, in magnam pœnam, ac ſupplicium incidit.

Theophyl. — Titus. *Beneficia cōtempta in cōdemnationē.*

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quinam ſint hi filij deſignati? & quare eis dantur in iudices?*

CELEBRIS eſt in hac re ſententia Chryſoſtomi homil. 42. in Matth. D. Auguſtini ſermon. 11. de verbis Domini, D. Hilarij can. 12. in Matth. Theophylacti, Euthymij, Alberti Magni, D. Thom. in cap. 12. Matth. & D. Bonauenturæ in c. 11. Luc. Filios hic appellari Apoſtolos, & Diſcipulos Domini: à Iudæis enim erant nati, & dæmonia eiiciebant Luc. 10. num. 17. In hac ſententia maximè notandum, quod non ait Chriſtus Dominus, Diſcipuli mei, ſed filij veſtri. Ad quod reſpondet Chryſoſtomus citatus. *Non dicit, Diſcipuli mei, ſed filij veſtri, volens eorum permulcere furorem.* Deinde vt Phariſæi quodam amore allecti diſcipulorum virtutem venerarentur: nam quamuis illa eſſet valdè eminens, vt tamen Iudæis eſſet plauſibilis, multum eorum beneuolentia exigebatur. 96.

D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Hilar. Theophyl. Euthym. Albert Mag. D. Thom. D. Bonau. — D. Chryſoſt. — *Ad recognoſcendam virtutem pia requiritur affectio.*

Cum his obſtat tamen, quod Dominus contra Phariſæos argumentatur ex his, quæ ipſi concedebant, & fatebantur. Diſcipuli autem Domini, cum propter ipſum Iudæis eſſent valdè exoſi, eidem calumniæ videbantur expoſiti, vt de eis dicerent, quod pacto dæmonis diabolos eiicerent; præſertim cum dictum ſit apud Matth. 10. n. 25. *Si Patremfamilias Beelzebuth vocauerunt, quanto magis domeſtici eius.* 97.

*Diſcipuli Iudæis exoſi.* — Matth. 10.

Vnde ſecunda ſententia videtur veriſimilior, quam tradit Beda, & eam docent Abulenſis in cap. 12. Matth. in præſenti; Toletus, Ianſenius, Barradas, Lucas Burgenſis, Cornelius à Lapide, & eam approbant D. Hieronymus, citatus, D. Antonius Vlyſipponenſis ſerm. in 3. Dom. Quadrageſ. Quod hic per filios accipiuntur Exorciſtæ Iudæorum, qui arte, à Salomone tradita teſte Ioſepho lib. 8. cap. 2. expellebant dæmones, quales fuerunt ſeptem filij Sceuæ principis ſacerdotum Actor. 19. num. 14. 98.

Beda. Abulenſ. Tolet. Ianſen. Barradas. Burgenſ. Cornel. D. Hieron. D. Ant. Vlyſ. Ioſeph. — Actor. 19.

Secunda pars quæſtionis inquirit: Cur Iudæis dantur in iudices eorum filij? Impiis, ac ſacrilegis hominibus aſſignantur in iudices eorum filij, ac conſanguinei; cum nil ab eis magis optandum videatur, quàm tales habere iudices. Reſpondeo primò, quod grauiſſimum eis in hoc infligitur ſupplicium, vt ab his, à quibus munimen, ac protectionem ſperabant, condemnationem, ac redargutionem reportent. 99.

*Grandis pœna, ab eis ſupplicium ſuſtinere, à quibus munimen ſperabat.*

Secundò, tanquam dira pœna tales eis iudices deputantur: nulla enim ſeuerior eſſe poteſt, quàm vt iniquis, ac peruerſis illi aſſignentur iudices, qui eos ab intus, & medullitus agnoſcant, ac penetrent; quique omnes eorum dolos rimari, ac penetrare valeant. Sic dicebat Deus populo ſuo: *Dabo ei vinitores eius ex eodem loco.* Oſeæ 2. num. 15. ſeu, vt legit Chaldaicus, *Conſtituam ei inde gubernatores eius.* Hoc eis dicitur pro magna comminatione, cum habituri ſint rectores, & gubernatores, qui eos ab intus, & in cute agnoſcant. 100.

*Grandis pœna, habere iudicem, qui te ab intus agnoſcat.* — Oſeæ 2. Chaldaic.



101. Cum Iacob fugeret è domo ſoceri ſui Laban, qui *aſſumptis fratribus ſuis perſecutus eſt eum.* Geneſ. 31. num. 22. nempe cum ſuis filiis, conſanguineis, amicis, & vicinis eum inſectatus eſt; & cum ſcrutatus eſſet omnia, quæ erant Iacob, tunc ait ei ſanctus Patriarcha: *Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ, pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te.* ibidem num. 37. Quorſum magnus Patriarcha in ſua cauſa contra Laban eius filios, cognatos, ac vicinos iudices appellat? Pro comperto habuit Iacob, quod ad dignoſcendas iniuſtitias, ſibi à Laban illatas, quomodo per decem vices mutauerat mercedem eius, quod inquam, nullus erat aptior, ac conuenientior iudex, quàm ille, qui è propinquo, è vicino, ac è domo hæc omnia percalleret, ac nota haberet. Abulenſis. *Pone hic,* ait, *coram iſtis, qui veniunt tecum de Meſopotamia, vt ſint iudices inter me, & te.*

Geneſ. 31. — *Filij, & fratres aſſignātur iudices Laban.* — Abulenſ.

---

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Spiritus ſanctus digitus Dei nuncupatur?*

102. PER Dei digitum in præſenti Dei potentiam, interpretantur Euthymius, Abulenſis, Caietan. Ianſenius, & alij, iuxta illud Exod. 8. num. 19. *Digitus Dei eſt hic.* Et idem eſt in hac ſententia, *in digito Dei,* ac in poteſtate Dei, *eijcio dæmonia.*

Euthym. Abulenſis. Caiet. Ianſen. Exod. 8.

103. Tamen, cum D. Matthæus, ſcribens hanc hiſtoriam, pro digito Dei referat *in ſpiritu Dei,* ideo per Dei digitum Spiritum ſanctum interpretantur D. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Apoſtoli. *Nonne,* ait, *digitus Dei Spiritus ſanctus intelligitur? Lege Euangelium, & vide, quia vbi dicit vnus Euangeliſta, Domino dicente, ſi ego in ſpiritu Dei eijcio dæmonia; alius dicit, ſi in digito Dei.* Idem habet lib. de Catechizandis rudibus, cap. 20. D. Gregorius homil. 10. in Ezechiel. D. Hieronymus, Albertus Magnus, D. Thomas in cap. 12. Matth. D. Ambroſius, D. Bonauentura ad præſentem locum, D. Gregorius Nazianzenus orat. in ſacra Theologia, D. Antonius Vlyſipponenſis in Dom. 3. Quadrageſ. Et frequenter Spiritus ſanctus digitus Dei nuncupatur: *Dextera Dei tu digitus:* canit Eccleſia.

D. Matth. D. Auguſt. D. Greg. D. Hieron. Albert. Mag. D. Thom. D. Ambr. D. Bonau. D. Nazian. D. Ant. Vlyſ.

104. Cur autem Spiritus ſanctus digitus dicatur, in præſentiarum inquirimus? Reſpondent primò D. Athanaſius lib. de Incarnatione Chriſti, D. Hieronymus in cap. 12. D. Matth. Quod ſicut Spiritus ſanctus appellatur digitus in Scriptura, ita Filius vocatur brachium: *Brachium Domini, cui reuelatum eſt.* Iſai. 53. num. 1. Et etiam, vt notat D. Ambroſius, dicitur dextera. *Dextera Domini fecit virtutem.* Pſalm. 117. num. 16. Quemadmodum enim brachium, ſeu manus oritur ex corpore; & ex corpore, & brachio, ſeu manu oritur digitus: ita ex Patre oritur Filius, per quem omnia facta ſunt; & ex Patre, ac Filio procedit Spiritus ſanctus. Et quamuis inter hæc membra non detur æqualitas, cum inter perſonas diuinas ſumma inueniatur; comparatio in omnibus non eſt attendenda.

*Cur Spiritus ſanctus digitus.* D. Athanaſ. D. Hieron. Iſai. 31. D. Ambr. Pſalm. 117.

Secundò D. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euangelicar. cap. 17. Ex multiplicitate donorum diuini Spiritus deſumit rationem. Sic loquitur. Ideo Spiritus ſanctus digitus dicitur propter partitionem donorum, quæ in eo dantur vnicuique, ſiue hominum, ſiue Angelorum propria: in nullis enim membris noſtris magis apparet partitio, quàm in digitis. 105.

D. Auguſt.

Tertiò, quia Domini Spiritus monſtrat viam rectam, & eam docet, ſicut velut digito aliquid indicatur. Quartò, quia ſcribit legem in fidelium cordibus. Digitus Dei eſt, quo tabulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sina. Quintò, quia Deus diuino Spiritu iniungit ea, quæ ſanctificat. Sextò, quia diuino Spiritu Deus operatur, vt homo digitis. 106.

*Dominus Spiritus oſtēdit viam rectam.*

Ait Deus Moyſi: *Ecce vocaui ex nomine Beſeleel, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere.* Exod. 31. num. 2. Sed ad tabernaculum conſtruendum, nonne ſat erat dixiſſe, prudentiam, ſcientiam, & intelligentiam eſſe inditam? Ad quid ergo exprimitur, ſpiritu Dei eſſe impletum? Vt apertè cognoſcamus, quod omnia, quæ à Deo ſunt, & ex alto Dei dictamine fiunt, Spiritus ſancti inſtinctu aguntur, ac operantur. Oleaſter. *Expende, qualiter,* ait, *Dominus nihil humani in ſuo voluerit opificio, licet enim hominem elegerit, non tamen alium, quàm quem ex nomine cognouerit, & cui artem infuderit, vt ex hoc loco diſcamus in operibus, quæ Deo operamur, omnem ſecludere humanum affectum, & cuncta facere ex ſpiritu Dei.* 107.

Exod. 31. — *Deus per diuinum ſpiritū operatur.* — Oleaſter.

*Luc.*11.*n.*21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.

*Num.* 22. Si autem fortior eo ſuperueniēs vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.*21. Quum ſtrenuus quiſpiam armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace eſt poſſeſſio eius.

*Vatablus.* Cum robuſtus armatus cuſtodit atrium ſuum, ſalua ſunt ea, quæ poſſidet.

*Arias.* In pace ſunt obtigentia ipſius, quæ poſſidet.

*Lucas Burgenſ. ex Græco.* Cuſtodit aulam ſuam.

*Vatablus, n.*22. Vbi autem robuſtior eo ſuperueniens vicerit eum.

*Tertull. lib.* 4. *contra Marc. cap.* 26. Cum validior alius oppreſſerit eum.

*Arias.*

*Arias.* Vniuerſam armaturam eius tollet, & ſpolia diſtribuet.

ALTER TEXVTS.

*Matth.12.n.29.* Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet.

*Marc.3.n.27.* Nemo poteſt vaſa fortis, ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.

## *EXPOSITIO V.*

108. *Breuis ſenſus parabolæ.* TERTIO argumento, ac quadam ſimilitudine probat Dominus, ſe non in Beelzebuth, ſed in digito Dei expellere dæmonia. Similitudo autem hæc eſt. Cum validus, ac robuſtus cuſtodit atrium, ac domum ſuam, in tranquillitate conſeruat ea, quæ habet; & nullus alius poteſt diripere ea, quæ poſſidet, niſi fortior illo ſit. Et cum talis fortior eo aduenit, ipſum alligat, ac ab omnibus ſuis ſpoliat. Sed ego, ait Chriſtus, deiicio diabolum ab his, quæ poſſidet: ergo ego illo fortior, ac potentior ſum.

## QVÆSTIO XIX.

### *Tota parabola explicatur, & maximè ad mores.*

109. D. Irenæus. Ierem. 31. IN præſenti fortis dicitur diabolus, vt explicat D. Irenæus lib.3. cap. 8. reſpectu noſtri, iuxta illud Ierem. 31. num.11. *Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius.* Eius D. Auguſt. fortitudinem explicat D. Auguſtinus lib.1. quæſt. Euangelicar.cap.4. Quia tenebat homines in peccato, à quo non ſe poterant viribus ſuis eruere; à iugo enim eius Chriſtus Dominus nos liberauit. D. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus homil.41.in Matth. ait. Fortem vocat diabolum, non quia naturaliter huiuſmodi ſit, ſed innuens antiquam eius tyrannidem, quam puſillanimitas noſtra cauſauit.

110. *Diabolus dicitur armatus.* *Armatus* dicitur diabolus armis noſtrarum iniquitatum, vitiorum, ac peccatorum. *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis.* Rom.6. Rom. 6. D. Ant. Vlyſ. num. 13. Et ſic explicat D. Antonius Vlyſipponenſis ſerm. in Domin.3.Quadrageſ. Quod galea 1. Reg. 17. diaboli eſt ſuperbia 1. Reg. 17. num.5. Lorica luxuria, ſcutum cor prauum; ſagittæ, ſiue arcus, detractiones, Pſalm.45. *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Pſalm. 45. num. 10.

111. *Atrium diaboli mundus.* Beda. *Atrium*, ſeu, *aula eius*, hic mundus, in quo dominabatur: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, vt notat Beda. *In pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Nam ante aduentum Chriſti diabolus in mundo regnabat, vt ait Hugo, nullo contradicente. Hugo. Tolet. Cardinalis Toletus annot.50. inquit, quod atrium dæmonis erant ignorantiæ, & tenebræ, quibus totus ferè mundus inuoluebatur. *Per ignorantiam diabolus regnabat.* Sciens autem diabolus erat, quod dum hoc atrium tenebatur, & cuſtodiebatur, in pace eſſent omnia, quæ poſſidebat, nec ab hominibus, in quibus habitabat, ipſe poſſet expelli.

112. *Vaſa diaboli.* D. Chryſoſt. D. Irenæus. Diaboli, ſeu Beelzebuth vaſa interpretatur Chryſoſtom. dæmones inferiores miniſtros eius. D. Irenæus lib. 3. cap. 8. intelligit homines iniquos, & malos, quos ſuis malitiis Implet, & replet. Druthmar. Druthmarius in cap. 12. Matth. per vaſa accipit homines errorum capita, per quos tanquam per inſtrumenta quædam ſuum principatum conſeruat diabolus, quales ſunt iniqui Philoſophi, pernicioſi magiſtri, ac falſorum dogmatum Heresiarchæ, per quos diabolus homines allicit ad turpia, ac vitia, & ſeminat falſam doctrinam, hæreſes, ac idololatriam. Simili locutione Iacob appellauit Simonem, & Leui, qui homicidium perpetrarunt in ciuitate Sichem. *Vaſa iniquitatis.* Geneſ. 49. Geneſ.49. num.5.

113. *Dæmonis ſpolia.* D. Bonau. Hugo. Dæmonis ſpolia ſunt peccatores ex poteſtate diaboli erepti, vt notant D. Bonauentura, Hugo, & alij. Illud enim appellatur ſpolium, quod antea deuicti habebant in ſua poteſtate, & modo eis à victore ablatum eſt. Homines ergo mali, infideles, ac idololatræ, qui ad probitatem vitæ, ac ad fidem, & cultum Dei conuerſi ſunt, cum iam ex dæmonis iugo ſint erepti, ac Chriſto, & eius cultui addicti, ac ſeruientes, ſpolia vocantur. Dicitur autem, quod huiuſmodi ſpolia diſtrahet Dominus, quia huiuſmodi ad fidem conuerſos diuerſis perſonis, ac officiis eccleſiaſticis, vt ait Hugo, aſſignabit. Seu dic, quod diſtribuet per varias ſedes, per varióſque gradus gratiæ, & gloriæ.

114. *Fortior forti Chriſtus Dominus.* Vir fortior forti Chriſtus Dominus superueniens diabolum inuaſit, vicit, ligauit, arma abſtulit, domum ingreſſus vaſa eius rapuit, ſpolia diſtribuit, vt colligitur ex Matthæo, Marco, & Luca. Chriſtus Dominus fortior Beelzebuth, principe dæmoniorum, non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo propter humanitatem diuinitati vnitam, in qua, & per quam omnem diaboli poteſtatem ſubiecit, ac ſuperauit. Vnde Chriſti Domini fortitudo maximè decantatur in Scriptura. Pſalm. 23. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Pſal.23. num. 8. ab Iſaia 9. num. 6. per excellentiam dicitur, Iſai. 9. quod vocabitur fortis. De quo pulchrè multa ſcribit Habac.3. n. 4. Habac 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibi mors.*

115. Chriſtus Dominus principem tenebrarum alligauit. Vnde aliqui hic referunt id, quod dicitur in Apocal.20. num.2. vbi narratur, Apoc 20. quod Angelus apprehendit draconem, ſerpentem antiquum; & ligauit illum per mille annos, ac clauſit in abyſſo. *Quomodo diabolus alligatus.* Sed ſermo eſt ibi de peculiari alligatione dæmonis vſque ad certum tempus, diem nempè iudicij, vt explicant D. Gregorius, D. Ambroſius, Lactantius, Andreas Cretenſis, Viegas, Ribeyra, & alij. D. Greg. D. Ambroſ. Lactant. Andreas. Ribeyra. Toler. Suarius. Et ideo diuerſa eſt intelligentia præſentis loci, vt notant Toletus annot.44. Suarius tom.2. de Angelis lib.8. cap.17. num.8. hic autem agitur de alligatione abſoluta. Deinde quia illa alligatio Apocalypſeos perpetrata eſt poſt Chriſti mortem; hæc autem, quæ in Euangelio narratur, facta eſt, quando Chriſtus protulit hæc verba.

Simpli



116. D. Auguſt. *Germana expoſitio.* Simpliciter explicabis noſtrum textum cum D. Auguſtino lib.20.de ciuitate, cap.8. Quod dæmon dicitur alligatus à Chriſto, Chriſtus Dominus enim omnes eius vires, & facultates valdè reſtrinxit, minuit, atque arctauit, ne ipſe noceat, quàm poteſt, & deſiderat; neque ſecundum totas vires ſuas, dolos, ac fraudes, tentet. Nam per Chriſtum abundantiſſima eſt nobis gratia data, qua fideles robuſtiores omnes dæmonis conatus ſuperant, & vincunt. D. Hilar. D. Irenæus. D. Hilarius can. 12. in Matth. & D. Irenæus lib. 5. cap.21. dicunt, quod diabolus dicitur ligatus à tempore tentationis Chriſti in deſerto: nam virtute, ac efficacia illius verbi, ac præcepti *Vade*, magno timore incuſſo omnes diaboli vires repreſſit, ac debilitauit; ne amplius auderet accedere ad eum tentandum; nec ad multa exequenda, quæ ipſe contra Chriſtum, ac eius fideles deſiderabat. Explicatio Auguſtini veriſimilior.

117. *Magna Chriſti victoria.* Ex quibus omnibus maximè celebranda eſt Chriſti Domini victoria; nam ab atrio, ac aula, in qua diabolus regnabat, ipſum eiecit, ac ibi ſuperauit, & vniuerſa Satanæ arma, in quibus ipſe confidebat, non per miniſtros, ſed per ſemetipſum abſtulit: nam ſua gratia deſtructis peccatis noſtris, in nobis egregias virtutes plantauit; & ſic diabolum deiecit, ac deuicit. Cum præſenti noſtro textu D. Lucæ combinationem facit Beda lib.1. in 1. Reg. cap. 10. ponderans, quod cum Arca Domini eſſet poſita in templo Dagon, ac 1. Reg. 5. iuxta ipſum idolum. *Altera die ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* 1.Reg.5. Beda. num. 3. ſic ait Venerabilis Pater. *Fortis erat Dagon, quando ſtulta gentibus arma ſuo cuſtodiebat in atrio: fortior eſt Arca Dei, quæ huic victrix ſpolia impietatis eripuit, & hæc pietatis arma, & ſpolia fecit.* *Illuſtris victoria obtenta in proprio loco inimici.* Perilluſtris Arcæ victoria, quæ Dagonem deiecit in proprio loco, in propriáque ara. Et iam Philiſthinorum aurum, & argentum, quæ impietati ſeruiebant, ad pietatis cultum conueniunt; & quæ diabolo addicta erant, iam ſupremæ maieſtatis venerationi conſecrantur. 1. Reg. 6. 1. Regum 6. num.3.

118. Hebr. 2. *Glorioſa victoria armis inimici comparata.* De Chriſto loquens Paulus ad Hebræos 2.n.14. ait: *Vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Diabolus regnabat in mundo per mortem, quam intulerat: Chriſtus Dominus autem ſua ſacratiſſima morte homines à præſenti, ac æterna morte liberauit. Et ita diabolus, qui morte præualebat, morte ſuperatur. D. Ambr. D. Ambro- ait ibi. *Per quod poteſtatem habuit diabolus, per hoc eſt victus. Et arma, quæ fuerunt illi fortia aduerſus mundum, hoc eſt mors, per eam illum Chriſtus percuſſit.* Vide ſuprà cap.15. n.109. & tom.2. cap.3. num.188.

## QVÆSTIO XX.

### *Quare pro cuſtodienda tota aula, & atrio vnus conſtituitur miles armatus; pro lectuli verò defenſione ſeptuaginta armati.*

119. Gillebert. GILLEBERTVS ſerm.16.in Cant. præſentem noſtrum textum, in quo introducitur fortis armatus cuſtodiens atrium ſuum, componit cum illo alio Cantic.3.num.7. in quo dicitur: Cantic. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Iam difficultas eſt in promptu: Cur pro atrio vnus; pro lectulo verò tot fortes?

120. Gillebert. Reſpondet citatus Gillebertus. *En lectulum ſexaginta ambiunt, & in Euangelio habes: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Vberior hic commemoratur cuſtodia, quia vberior eſt gratia lectuli, quàm atrij: & ſponſæ ſolicitudo maior, quàm poſſeſſionis.* In lectulo ſponſæ, quæ eſt vna ſola, iuſtorum paucitas denotatur: in atrio, ſeu in aula, vt habet Græcus, Dei poſſeſſiones deſignantur. *Iuſtorũ paucitas inſuperabilis.* Electorum autem paucitas maius à Deo munimen habet, & protectionem: nam etſi multitudo aliquando permittatur patens hoſtilibus incurſibus, Dilectæ verò paucitas valdè ſecura, ac inſuperabilis extat.

121. Secundò, in lectulo amoris ſigna ſignificantur; in atrio, ſeu aula maieſtatis ſtygmata declarantur: & in negotio amoris maior vigilantia, cuſtodia, ac defenſio adhibetur, quàm in qualibet re alia maieſtatis, ac poteſtatis. *Et ſponſæ ſolicitudo maior, quàm poſſeſſionis.* Tertiò, in atrio *Maior Dei pro ſuis vigilantia, quàm inimici crudelitas.* ſtat noſter inimicus armatus, vt nobis bellum ingerat. In lectulo Chriſti gratia, ac protectio pro ſua dilecta anima viſitur, & declaratur. Et ſemper multò largior, ac abundantior Chriſti gratia ad ſuos cuſtodiendos, quàm ſæuitas, ac fortitudo inimici ad deuorandum. Suo puero ait Eliſæus. *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* 4. Reg.6. num.16. 4. Reg. 6.

122. Quartò, perponderanda magni Abbatis verba. *Vberior hic commemoratur cuſtodia, quia vberior eſt gratia lectuli.* Vbi maiora ſunt dona, maior exigitur vigilantia: & qui plura dona habet, magis ſolicitus ſit, magíſque timeat, ne illa amittat, atque deperdat. Ex conſilio matris ſuæ Rebeccæ proficiſcitur Iacob in Meſopotamiam. Geneſ.27. Geneſ. 27. num. 43. Qui poſtea vocatus à Ioſeph dominante in tota Ægypto in regionem illam, magno timore concutitur, itaut neceſſe fuerit à Deo confortari ad pergendum in via. *Ait illi Deus: noli timere deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te.* Geneſ. 46. num. 3. Geneſ. 46. *Qui multum habet, multũ timet.* Cur illic tantus animus ad viam; hic verò tantus pauor, ac timor, cum potius hic magna confidentia concipienda eſſet, cum filius eius totius Ægypti clauum teneret? Forſitan ſi dicatur, quod perhorrebat Ægypti idololatriam, in domo Laban hæc etiam vigebat. Vnde ergo talis timor? Iacob tendebat ſolus in Meſopotamiam, ac veluti quidam pauper, vt ipſe dixit: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum.* Geneſ.32. num.10. Geneſ. 32. At verò cum deſcenderet in Ægyptum, multa filiorum, ac nepotum turba circundatus erat; magnáque rerum copia abundabat. Ab omnibus denudatus nullum timorem conceperat; quando verò multa in poſſeſſione retinebat, multò timore premebatur, ne illorum læſionem, ac iacturam aliquam pateretur: incrementum enim rei, incrementum ſanè curæ, ac ſolicitudinis eſt. Iacobum autem pro natis, ac familia hauſiſſe timorem docent Origenes Origen. Rupert. Abulenſ. Caiet. homil.15. in Geneſ. Rupertus, Abulenſis, Caietanus, & alij. Vide tom. 1. lib. 1. cap.4. num.82. & lib.2. cap.5. num.69.

*Lucæ* 11.

*Lucæ* 11. *n.* 23. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit meū, diſpergit.

*VERSIONES.*

*Arias.* Qui non eſt exiſtens mecum.

*Euthymius.* Aduerſum me eſt.

*Syriacus.* Qui non colligit mecum, ſpargit ſpargendo.

*Idem Syriacus Matth.* 12. Qui non colligit mecum, omnino diſpergit.

ALTER TEXTVS.

*Matth.* 12. *n.* 30. Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non congregat mecum, ſpargit.

*EXPOSITIO VI.*

123. QVARTVM ponit Dominus argumentum contra impios, & falſos calumniatores, deſumptum ex communi prouerbio Iudæorum, vt volunt Montanus in ſcholiis, Lucas Burgenſis, & alij, quale erat: *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.* Quod prouerbium de ſe, & diabolo Chriſtus verum eſſe aſſeuerat. Siue ergo ſit prouerbium, ſiue non, de diabolo interpretantur D. Hilarius, D. Chryſoſtomus, D. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, Beda, D. Thomas, Abulenſis Matth. 12. & ad hunc locum D. Lucæ D. Bonauentura, Cardinales Hugo, Caietanus, Toletus, & alij.

Montan. Burgenſ. D. Hilar. D. Chryſoſt. D. Hieron. Theophyl. Euthym. Beda. D. Thom. Abulenſis. D. Bonau. Hugo. Caiet. Toler.

124. *Qui non eſt mecum*, id eſt, ac ſi dicat Chriſtus, qui non adhæret mihi, ac mihi concors non eſt verbis, & factis, *contra me eſt*, meus aduerſarius eſt, qualis extat Beelzebuth: nam ego verbo, & exemplo prædico, & ſuadeo humilitatem, paupertatem, abſtinentiam, contemptum mundi, obſeruantiámque Dei mandatorum, cæteráſque omnes virtutes; ille verò ex aduerſo ad omnia contraria, omnéſque turpitudines, ac nequitias hominum animos mouet, & excitat. *Et qui non colligit mecum, diſpergit.* Ego veni, ait Chriſtus Dominus, vt colligam homines ad vnitatem fidei, legis, morum, ac cultus, & religionis Dei, & tandem vt eos congregem in vitam æternam: Princeps autem dæmonum congregata diſpergit, vt ait Theophylactus, in multiplices idolorum cultus, in multáſque impietates, contentiones, ac diſcordias, vtque eos auocet, & retrahat ab obedientia, ac gloria Dei. D. Hieronymus in cap. 12. Matth. *Ille*, ſcilicet diabolus, *cupit animas tenere captiuas; Dominus liberare: ille prædicat idola; hic vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia; hic ad virtutes reuocat. Quomodo ergo poſſunt inter ſe habere concordiam, quorum opera diuerſa ſunt.*

*Legitimus ſenſus. Prima ſententia.* Theophyl. D. Hieron.

125. D. Chryſoſtomus, Theophylactus citati aliam afferunt interpretationem, quam etiam amplectuntur Maldonatus, Lucas Burgenſis, & alij. Vt de Phariſæis hoc dictum ſit: quia cum ad Phariſæos de religione, ac miraculis pertineret iudicare; ipſi tamen indifferentes videri vellent, vt nec pro Chriſto, nec contra Chriſtum ferrent ſententiam, ſed tanquam ſuſpenſi, ac neutrales eſſe affectarent; tunc ait illis Chriſtus, ac ſi veluti rex in periculoſiſſimo bello dicat ſuis: Qui non eſt mecum, contra me eſt; nam ab hoc bello, quod mihi eſt cum Satana pro redemptione generis humani, nullus hominum ſubducere ſe poteſt, quin à partibus alterius, ſiue Chriſti, ſiue Satanæ, ſe habeat. Vnde qui non eſt mecum, ſeu pro parte mea, ad tyrannum ſpectat, illiúſque partibus fauet: Et qui non colligit meum, ſeu ſe aggregat mihi, diſpergit, abit in diſperſionem cum Satana. Nam Lucas Burgenſis cenſet, in poſteriori huius ſententiæ membro idem ſignificari prorſus. At cum hac interpretatione pugnat, quod Phariſæi, non neutrales, ſed apertè Dominum calumniabantur, & de hoc miraculo dixerunt, quod in Beelzebuth eiiciebat dæmonia, vt patet ex textu D. Matthæi.

D. Chryſoſt. Theoph. Maldonar. Burgenſ. *Secunda explicatio.* Burgenſ.

126. Prima ſententia mihi videtur vera, ſi Chriſti dictum generaliter non ſolùm de diabolo, ſed etiam de Phariſæis, ac iniquis hominibus intelligas, & idem ſit, ac ſi dicat Chriſtus: Quicumque, ſiue diabolus, ſiue homo, qui mecum non eſt, ſiue mihi non adhæret, mihíque concors non eſt, *contra me eſt*, ſeu aduerſarius mihi extat. Et qui, ſiue diabolus, ſiue homo, non colligit mecum in vitam æternam, diſpergit, ſeu auertit à Deo, ac à ſalute animæ. Et in hoc ſenſu hæc verba applicant hæreticis, & ſchiſmaticis D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum num. 86. D. Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia cap. 4. D. Auguſtin. lib. 4. de conſenſu Euang. cap. 5. Goffridus Abbas lib. 3. Epiſt. 11. & opuſcul. 2. de ordinat. Epiſcop.

*Vera intelligentia.* D. Cypr. D. Ambr. D. Auguſt. Goffrid.

127. Nec cum his obſtat id, quod Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis dixit. Luc. 9. num 50. *Qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt:* nam hoc in loco agit de eo, qui re, & doctrina cum Apoſtolis conuenit; & hac de cauſa cum eis, & pro iis eſt, licet id ob aliquam iuſtam cauſam non profiteatur. Pro qua re videndus eſt D. Ambroſius cit. Luc. 9. adducens in exemplum Ioſeph ab Arimathæa, & & alios Domini diſcipulos occultos, vt Nicodemum. In tempore tamen ſuum, Domine, tibi officium non negarunt, ait citatus Ambroſius.

Luc. 9. D. Ambr.

*Lucæ* 11. *n.* 24. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem; & non inueniens dicit, reuertar in domum meam, vnde exiui.

*Num.* 25. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Spiritus impurus, quum exierit ab homine, profectus perluſtrabat per loca aquis carentia, vt quæreret ſibi requiem.



*Syriacus, n.* 25. Si veniat autem, inuenit eam ſcopatam, & paratam.

*Arias.* Inuenit eam ſcopis verſã.

*Græcus.* Inuenit eam vacuam.

ALTER TEXTVS.

*Matth.* 12. *n.* 43. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulabat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.

*Num.* 44. Tunc dicit, reuertar in domum meam, vnde exiui; & veniens inuenit eam vacantẽ, ſcopis mundatam & ornatam.

*EXPOSITIO VII.*

128. MAGNIS argumentis, ac rationibus Phariſæorum, ac Scribarum calumniam refutat Dominus; eorum condemnationem, vt ait D. Bonauentura, ac punitionem prædicit modo parabolico, ac Syriaco. *Cum ſpiritus immundus.* Eſt diabolus, ſic appellatus ob peccatum: nulla enim maior peccato impuritas. Vel ab effectu ita nuncupatur; ad immunda enim homines inducit. *Exierit ab homine.* Recipientibus Iudæis Dei cognitionem per fidem, & legem, ab eis eiectus eſt diabolus, in quibus olim per peccatum ſuam ſedem fixerat: & tunc ſic expulſus *ambulabat per loca arida*, degebat per loca deſerta, fragoſa, ac ad inhabitandum inepta, *quærens requiem, & non inuenit*; maximè enim diabolus ſibi diſplicet, ac vexatur, quandiu extra homines eſt, nec eos inſectatur: hominibus nocere, diaboli requies. *Et dicit, reuertar in domum meam.* Cum diabolus videret vos, ô Iudæi, ait Chriſtus, à lege Dei diſcedere, ac gratiam per me oblatam contemnere, *dicit, reuertar in domum meam*, nempe hominem, ſeu Iudæos intelligit, in quorum corda ingreſſus eſt dæmon, vt ita eos blaſphemare faciat. O miſera peccantium conditio, vt dæmonum habitaculum exiſtant. Sed quomodo dicit domum ſuam, à qua ipſe exierat, & in qua non erat? Cum viderit bonis operibus vacuam, ſtatim ſuam dicit. *Vnde exiui.* Non ait, à qua expulſus ſum, nec enim ſuperbus id vult agnoſcere, & fateri; ſed ſic loquitur, ac ſponte ſua egrederetur.

D. Bonau. *Homines parant occaſiones, vt diabolus ad eos ingrediatur.*

129. *Et cum venerit*, mox inuenit eam, vt ait D. Matthæus, vacantem ſuo ſcilicet habitatore, à Deo non habitatam, Dei gratia deſtitutam, nihilque obſtare, quominus in eam ingrediatur, ac ibi habitet. *Scopis mundatam, ac ornatam:* non ſolùm nihil inuenit, quod impediat, ſed inuenit quod alliciat, & delectet, itaut ſit diabolo valdè commoda, & delectabilis domus, vt exponit Euthymius in cap. 12. Matth. Et quamuis ſordes, & fœtores diabolo complaceant, tamen in præſenti ſimilitudo deſumpta eſt ab hominibus; quando hoſpes cupidè expectatur, & excipitur, domus mundata, & ornata præparatur; ipſa enim munditíes, & nitor hoſpitem aduenientem maximè delectant.

*Deliciatur diabolus cum homine peccatore.* Euthym.

*QVÆSTIO XXI.*

*Quinam ſint hic ſignificati? & quale nam deſertum, & diaboli requies?*

130. SENSVS totius parabolæ ad arguendam, ac condemnandam malitiam Iudæorum tendit, vt patet ex clauſula appoſita in textu D. Matthæi 12. num. 45. *Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit generationi huic peſſimæ.* Docet Dominus in præſenti, nequiores extitiſſe Iudæos, quam ſi nunquam lumen fidei, ac cognitionem Dei accepiſſent; cum enim ab eis diabolus quodammodo eſſet expulſus per legem, qua edocti ſunt, vni verò Deo, & non diabolo, neque eius idolis ſeruire; tamen contemptis diuinis mandatis, omni præuaricationi, ac nequitiæ ſeſe tradentes, diſpoſiti inuenti ſunt, vt iam, non vnus ſpiritus, ſed ſeptem nequiores illo in eos ingrederentur. Sic interpretantur D. Hilar. D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus, D. Paſchaſius, Beda, D. Thomas, Euthymius, Theophylactus, & alij.

Matth. 12. *Germanus ſenſus.* D. Hilar. D. Hieron. D. Chryſoſt. D. Paſchaſ. Beda. D. Thom. Euthym. Theoph.

131. Vnde minus placet alia interpretatio, quam iidem Chryſoſtomus, & Theophylactus etiam inculcant, hoc etiam ad Iudæos in excidio Ieroſolymitano referentes. Ac ſi diceret Chriſtus, Iudæos ab exilio Babylonico reſtauratos, quia tamen gratiam in Chriſto oblatam contempſerunt, aliud multo grauius exilium, ac deſolationem per Titum, & Veſpaſianum eſſe paſſuros. Quod quamuis veriſſimum ſit, tamen præſenti textui non multum adaptatur. Voluit enim Chriſtus Dominus hic denotare rationem, cur Phariſæi tam obſtinati in ſua malitia non crederent, ſed calumniarentur eum. Deinde per ſpiritum immundum, & nequiores, non exilia, ſed dæmones ſignificantur.

D. Chryſoſt. Theophyl. *De excidio Ieroſolymitano non eſt intelligenda ſententia.*

132. Loca arida, & inaquoſa genuinè ad litteram intelliguntur deſerta, ad quæ dæmones expelluntur, ne hominibus noceant. Sic Raphaël *Ligauit Aſmodæum in deſerto ſuperioris Ægypti.* Tobiæ 8. num. 3. Sic etiam apud Iſaiam 13. num. 21. deſtructa Babylonia, & redacta in deſertum dicitur; quod *habitabunt ibi ſtruthiones: & piloſi ſaltabunt ibi.* Septuaginta, & Chaldaicus legunt: *Et dæmones ſaltabunt ibi.* Et cap. 34. num. 14. de eodem deſerto aſſeritur. *Et occurrent dæmonia onocentauris; & piloſus clamabit alter ad alterum.* Septuaginta, *Et dæmon clamabit.* Sic Chriſti imperio ex hominibus pulſi dæmones in deſerta exterminabantur, ne cuipiam nocerent.

*Loca arida deſertum.* Tob. 8. Iſai. 13. Septuag. Chaldaic. Iſai. 34. Septuag.

134. Ex quo minus placet ſententia Origenis homil. 9. in Leuit. per loca arida infernum interpretantis, ad quod dæmones ab hominibus eiecti detruduntur. Si tamen hic locus aridus eſſet infernus, non ita facilis eſſet egreſſio, & aſſumptio ſeptem aliorum dæmoniorum, vt ex proximè dicendis conſtabit, vt notat Toler. annot. 57.

Origen. Toler.

135. Moraliter D. Hieronymus in cap. 12. Matth. per loca arida intelligit gentium populos antequam ad fidem conuerterentur, inter quos dæmon ambulabat, à Iudæis, legem tenentibus, expulſus. Sic ait S. Doctor. *Immundus ſpiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem, & pulſus à Iudæis ambulauit per Gentiū ſolitudines, quæ cum poſtea Domino credidiſſent, ille, non inuento loco in nationibus, dixit, ibo ad Iudæos.* Eundem ſenſum tenet D. Gregor. Nazianz. orat. in ſanctum Baptiſ.

D Hieron. *Iudæi diaboli habitatio.* D. Nazian.

136. *Iuſtorũ animæ ſunt loca diabolo arida.* D. Greg.

D. Gregorius 33. moral. cap. 3. per loca arida, & inaquoſa diabolo interpretatur Iuſtorum animas, in quibus per Chriſti gratiam ſiccatus eſt humor concupiſcentiæ; maximè enim ille fugit corpus ieiunio, pœnitentia, ac caſtitate aridum, ſibique in eo non inuenit locum, ſolùm namque in gulæ, ac luxuriæ cœno delectatur. Accipe S. Doctorem. *Loca arentia, & inaquoſa ſunt corda Iuſtorum, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* Similiter

Euthym. Euthymius. *Significat Dominus ſanctorum animas, nullum affectionis humorem habentes.*

137. *Quænam requies diaboli.* Abulenſ.

Quænam ſit requies diaboli, optimè explicatur ab Abulenſi in cap. 12. Matth. Dæmon, ait, non poteſt quieſcere, quia in æternum cruciabitur; ſed quærit quietem ſuæ malæ voluntatis: eſt enim inuidus, & deſiderat nocere homini; & quando nocere poteſt, quieſcit aliquo modo. Ita ille ſicut enim inuidus requiem dicitur habere in malo proximi, cum torqueatur bono illius; ſic & dæmonia torquentur bono hominum: cum autem nocent, eo tormento carent; ſicque aliqualem requiem habere dicuntur.

*Nocere hominibus diaboli requies.*

138. Exod. 15.

*Dixit inimicus, perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea.* Exod. 15. num. 9. Locus communiter de diabolo explicatur, qui hoſtis humani generis per antonomaſiam eſt nuncupatus. *Perſequar*, nempè fideles, per pœnitentiam ab Ægypti illecebris exeuntes; *& comprehendam* laqueis multarum tentationum, ac iniquitatum; *diuidam ſpolia*, ſubſtractos ſcilicet à iuſtitia, & charitate, variis vitiis, ac turpitudinibus tradam. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Spiritualiter nempe, multis crudelitatibus, ac peruerſitatibus illos interimens. Et tunc ait: *Implebitur anima mea.* Seu, vt habet Chaldæus, *Saturabitur ex eis anima mea.* Sed quænam erit ſaturitas, ſeu adimpletio animæ illius? nunquid aliquid ipſe ex hoc comedet, vel in anima ſua reponet? Saturatur, & adimpletur præ gaudio ex noſtris nocumentis concepto. Richardus. *Quia ſatisfactum erit voluntati meæ: quia nihil amplius cupit diabolus, quam perditionem hominum.*

*Nocumẽtum hominis voluntas diaboli.* Chaldæus. Richard.

139. Exod. 12.

*Tranſibit Dominus percutiens Ægyptios, & non ſinet, percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Exod. 12. num. 23. Angelus iſte percutiens, qui moliebatur ingredi in domos Iſraëlitarum, diabolus erat, vt docent D. Auguſt. in Pſalm. 77. Chryſoſtomus homil. 3. de patientia Iob. Iſidorus 2. ſentent. cap. 15. Iuſtinus in Dialogo cum Tripho. S. Gaudentius tract. 6. in Exod. Rupertus, Lyranus, Abulenſis ibi. Sed cur diabolus non vocatus, nec permiſſus à Deo, intentat ingredi domos Iſraëlitarum? Talis aditus erat ad nocendum, ac interficiendum; & cum ipſe magnum in hoc gaudium, & exultationem obtineat, ideo ad hanc percipiendam omni conatu ſibi parabat ingreſſum. D. Hieronymus in cap. 24. Iſaiæ. *Siniſtræ quædam ſunt, contrariæque virtutes venientes, vt impleant furorem Domini, gaudentes in aliena iniuria, atque lætantes, de quibus in Pſalmo legimus: Miſit in eos furorem iræ ſuæ, furorem, & iram, tribulationem, immiſſionem per Angelos peſſimos. Ex his eſt & exterminator in Ægypto, qui poſtes, Agni litos ſanguine, non audet intrare.* Expende illa verba. *Gaudentes in aliena iniuria, atque lætantes.* Vide tom. 2. cap. 21. quæſt. 5. n. 25. & cap. 25. quæſt. 5. num. 28.

D. Auguſt. D. Chryſoſt. Iſidor. Iuſtin. Gaudent. Rupertus. Lyran. Abulenſis. D. Hieron.

*Iniuria hominum gaudet, & lætatur diabolus.*

## Qvæstio XXII.

*Quomodo diabolus totius ſpurcitiæ, ac inquinamenti pater, dicitur inuenire ſibi domum ornatam, ac ſcopis mundatam?*

MORALITER locum exponit D. Bernardus ſerm. 2. de Aſſumpt. de domo, & animo, qui exterius apparet mundatus, interius verò ſordidus eſt. *Quid aliud eſt*, ait, *quàm fictio execranda, ſi peccata ſuperficie tenus radas, non intrinſecus eradices? Certus eſto, quoniam pullulabit vberius; & emundatam, ſed vacantem domum cum nequioribus ſeptem, qui eiectus fuerat, hoſtis malignus, intrauit.* Maximè fictio abominanda eſt; nulla enim habitatio diabolo aptior, eumque magis allicit, quàm illa, quæ foris, ac in externa ſuperficie apparet ſcopis mundata, ornata, ac compoſita aliquibus virtutum actionibus; in intimo autem feruet vitium, dominatur malitia, graſſatur turpitudo: nuſquam enim in maius excreſcit malitia, quam quæ in animo eſt abſcondita, extrinſecus verò quoddam virtutum ornamentum præ ſe exhibet. Vide tom. 2. cap. 16. q. 2. ibi multa. 140.

D. Bernard.

*Summa nequitia ficta virtus in externa apparentia.*

Secundò Cardinalis Hugo in cap. 12. Matth. *Nolite ſtare*, ait, *otioſi, quia ad domum vacantem, vnde exiuit, diabolus reuertitur, & habitat cum ſeptem ſpiritibus nequioribus, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Vnde Matth. 20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi, ne te diabolus inueniat otioſum.* Magnis tormentis cruciatur diabolus in inferno; & ex tot, tantíſque pœnis vbi nam ſe ſperat inuenire aliquale laxamentum; niſi in vacante, & otioſo: ita enim homo vacans, & otioſus turpitudinibus adulatur, tot, tantíſque malis irretitur, vt fiat diaboli habitatio, illiuſque voluptuoſa requies, cum diaboli deliciæ ſint hominis vitia, quæ omnia, tanquam à radice, ex otio pullulant. Vnde hominis otium diaboli requies conſiſtit. Vide tom. 2. c. 19. q. 13. n. 71. & 72. 141.

Hugo. Matth. 20. *Diaboli requies otium.*

Tertiò, quid eſt, quod dicitur, inuenire diabolum domum vacantem, & ſcopis mundatam, & ornatam? Totum deſumptum eſt ex hominum phraſi. Illa enim domus maximè eſt parata ad excipiendos hoſpites, & habitatores, quæ eſt vacans; ſeu alium ibi commorantem non habet, quæque ſcopis eſt mundata, quæque aulæis eſt ornata. Tale eſt humanum cor vacuum Deo ad alliciendum immundum ſpiritum; ſicut enim homines confluunt ad præoccupandum mundum, ornatumque hoſpitium; ſic malignus properat ad obtinendum animum, qui Dei præſentia caret, vt dixi in expoſitione. Auctor in Cat. Græca. *Quos*, ait, *vt reperit nihil amplius diuini in ſe habentes, ſed deſertos omnino, & vacuos, in eis cum omni ſua poteſtate ſibi habitaculum facit.* 142.

*Cum Deus exit ab anima, ſtatim ad illam confluit diabolus.* Auct. Græc.

Poſtquam ſanctus ſenex multis verbis impendit benedictionem filio ſuo Iacob, *Vix Iſaac ſermonem impleuerat, & egreſſo Iacob foras, venit Eſau.* Geneſ. 27. num. 30. Sed cum omnia fierent alta Dei ordinatione, cur, dum Iacob intus erat in domo, non introiuit Eſau, ſed cum primum Iacob eſt egreſſus, ſtatim ille habuit aditum? Non poſſunt ſimul in eodem habitaculo eſſe Deus, 143.

Geneſ. 27. *Deus, & diabolus ſimul eſſe non poſſunt.*



& diabolus; bonus, & prauus: & ideo non introiuit peſſimus Eſau, niſi diſcedente ſancto, & probatiſſimo Iacob. Philo lib. de Temul. *Iacob exitum, introitum Eſau legimus, dicente Scriptura: Et factum eſt, quando exiuit Iacob, venit Eſau frater eius; quantiſper inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus inſipientiæ, ſed quamprimo illa migrat, alter reuertitur.* Vide ſuprà cap. 6. num. 41. & 42.

Philo.

*Luc. 11. n. 26.* Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Tunc profectus aſſumit ſeptem ſpiritus alios, ſe ipſo nequiores, & ingrediuntur, ac degunt illic: fitque finis hominis illius deterior eius principio.

*Euthymius.* Alios ſpiritus nocentiores ipſo; & ingreſſi habitant ibi: fiuntque extrema hominis illius.

*Caietanus, Pagninus.* Septem alios ſpiritus maligniores ſe.

*Arabicus.* Et fiet nouiſſimum hominis illius peius principio eius.

### Alter Textvs.

*Matth. 12. n. 45.* Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe; & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus: ſic erit & generationi huic peſſimæ.

### *Expositio VIII.*

144. TERMINAT Ieſus parabolam propoſitam. Videns diabolus, eiectus ab homine, huius prauam diſpoſitionem, tanquam accommodatam, ac prouocatiuam ad eius habitationem, tunc ad ibi commorandum [illegible] adducens ſecum inuitatos *ſeptem alios ſpiri*[illegible] plures alios; nam numerus ſeptenarius [illegible]finitè pro multis ponitur. Ruth. 4. num. 15. Iſai. 4. num. 1. Vt ita Satanas tot ſpiritibus ſtipatus maiori munimine conſiſtat in homine, ne iterum ita facilè reiiciatur, ſicut prius fuerat eiectus. Et exprimuntur ſeptem ſpiritus, vt ſeptem ſpiritus mali opponantur ſeptem ſpiritibus, bonis commemoratis. Apoc. 1. num. 4. Iſai. 11. num. 2. *nequiores ſe*, ſeu nocentiores, maligniores, ſeu peiores, quàm ipſe; tum vt muniat domum, ne iterum facilè repellatur; tum etiam vt omnem ſuam nocendi libidinem diffundat in eum, à quo ſemel diſcedere coactus fuit. *Et intrantes habitant ibi*, octo illi ſcilicet ſpiritus. Et dicuntur nequiores, non ſolùm quia ſceleratiores, ſed etiam quia fortiores, atque ad nocendum, ac ad peccata inducendum erant maximè prompti. *Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Hæc vltima hominis conditio erit multò deterior: nam antea ab vno dæmone, nunc verò ab octo cruciatur, & torquetur, nempe ab ſpiritu intrante, & à ſeptem aſſumptis.

Ruth. 4. Iſai. 4. *Diabolus prius expulſus; maiori ſtipatus ſe munit.* Apoc. 1. Iſai. 11.

*Sic erit generationi huic peſſimæ*, addit D. Matthæus. Totam ſuprà poſitam parabolam applicat Ieſus nationi Iudæorum, à qua olim dæmon per legem, & prophetas fuit expulſus; cum autem ſuum Meſſiam promiſſum Chriſtum Ieſum non receperit, dixit diabolus: *Reuertar in domum meam, vnde exiui*; in ſynagogam ſcilicet Iudæorum; & inuenit eam vacantem, id eſt vacuam, otioſam, abſque Deo Meſſia habitatore; & inuenit eam veluti ſcopis mundatam, & ornatam, hoc eſt valdè prouocatiuam, vt ait Caietanus, & ad eius introitum paratiſſimam, in eamque ingreditur aſſumptis aliis ſuis ſociis, ſcilicet ſpiritibus erroris, mendacij, blaſphemiæ, contumaciæ, confuſionis, indurationis, excæcationis, ac totius malitiæ ſuæ; factáque ſunt extrema gentis Iudaicæ peiora prioribus; maximúmque ſcelus Iudæi commiſere, cum Meſſiam ſuum occiderunt, ideoque tanti ſceleris pœnas dedêre, à Romanis expulſi, per totum terrarum orbem; & ita modò peius habet illa gens, quàm vllo vnquam tempore: abſque Deo, abſque Meſſia Dei filio naturali, abſque fide, abſque lege, abſque Scriptura, abſque regno, abſque rege, profundiſſimíſque tenebris demerſa. 145.

D. Matth. *Totius parabolæ explicatio.* Caiet.

## Qvæstio XXIII.

*Quare dicitur, quod fient nouiſſima hominis illius peiora prioribus?*

RATIO litteralis patet ex expoſitione, quia cum homo beneficium ſuæ liberationis non agnouerit, maius nocumentum patitur in corpore, & in anima, quàm antea, vt ſatis experientia conſtat in Iudæorum gente. Ad alia moralia documenta deueniamus. 146.

*Ratio litteralis.*

Primò D. Auguſtinus lib. 1. quæſt. Euangelicar. cap. 8. de redeuntibus ad ſæculum, locum interpretatur. *Significat Chriſtus*, ait, *quoſdam ita credituros, vt ferre non poſſint labores continentiæ, & ad ſæculum redituri ſunt.* Qui enim, amplexata pœnitentia, ac continentia, religioſóque ſtatu, diabolum à ſe abiiciunt; ſi tamen ad vomitum, ac ſæculum redeunt, maximè præparant aditum diabolo, vt ad ipſos cum ſeptem aliis nequioribus ſpiritibus ingrediatur. Vnde ait idem Auguſtinus Epiſtola 137. *Simpliciter fateor coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt; itaut hinc ar-* 147.

D. Auguſt. *Qui in religione cecide-runt valdè peſſimi.* D. Auguſt.

*bitrer, in Apocalypſi ſcriptum: Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.*

148. *D. Nazian.* Secundò, D. Gregorius Nazianzenus orat. de Baptiſmo. *Fient*, inquit, *nouiſſima primis deteriora. Tunc enim ſpes emendationis, cautioriſque viuendi rationis erat: nunc autem perſpicua, & manifeſta eſt prauitas, per boni fugam malum attrahens, ob idque firmior iam, & ſtatim eſt habitatori poſſeſſio.* Reincidentis peccatum peius priori eſt. Sed cur grauius abſolutè aſtruitur, cum ex ſuo genere, ac conditione minus aliquando eſſe poſſit? In primo peccato, *Tunc erat ſpes emendationis, cautioriſque viuendi rationis erat.* In primo delicto melioris conditio ſtatus non erat deſperata, vt iam in relapſu comperitur. Et cum ſpes emendationis extat, grauiſſima crimina minora videntur; ſi autem talis ſpes perit, minora ex ſua natura delicta peiorem firmant ſtatum, in extremámque malitiam degenerant.

*Grauiſſimus lapſus reincidentia in peccatum.*

149. *Euſeb.* Confirmatur ex præſenti textu. *Vadit, & aſſumit alios ſeptem ſpiritus, & ingreſſi habitant ibi.* Quare non ſolus regreditur ad animam, ſed tanto comitatu circunſeptus? Pulchrè Euſebius Emiſſenus homil. 3. in 3. Domin. *Non ſufficit ei, vt ſolus talem domum poſſideat: ſocios quærit; ſpecioſus eſt locus, multis indiget habitatoribus.* Anima relabentis in peccatum adeò ampla, & ſpecioſa eſt dæmoni habitatio, vt vnus eam occupare non valeat diabolus ſolus, ideoque plures alios quærit, vt illic poſſint commorari. Niſi hoc velis ad diaboli infirmitatem referri, qui adeò debilis eſt, vt multos quærat ſocios ad ibi ſubſiſtendum.

*Diaboli debilitas.*

150. *Beda.* Tertiò Beda. *Per ſeptem malos ſpiritus, quos aſſumit, vniuerſa vitia deſignat: nequiores autem dicuntur, quia non ſolùm habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem ſpiritualibus ſunt contraria virtutibus; ſed etiam per hypocriſim ipſas ſe virtutes habere ſimulabit.* In relapſu hominis redeuntis ad peccatum inter cætera delicta ingreditur in animam eius hypocriſis vitium; & inde nouiſſima hominis fiunt peiora prioribus; non quia forſitan delicta ſint grauiora, ſed quia inter illa inuenitur hypocriſis, quæ eſt ſupremum malum, quaque conſummata malitia perficitur.

*Hypocriſis aditum parat ad grauiſſima peccata.*

151. *Matth. 23. Rupert.* Chriſtus Dominus. Matth. 23. num. 13. de hypocritis diſſerens, per ſeptem, vel octo vices inclamat *væ* ſuper eos, vt notauit Rupertus: *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ.* Sed ad quid ſuper eos tot *væ* ingemiſcit, niſi vt deprehendatur, quod vbi hypocriſis viget, non vna malitia, ſed multiplex regnat, non vna pœna, ſed multiplex infligitur.

*In hypocriſi multiplex malitia.*

152. *Num. 22.* Cum audiſſet Balac Rex, veniſſe Iſraëlem per deſertum, miſit nuntios ad Balam ariolum dicens: *Ecce egreſſus eſt populus ex Ægypto, qui operuit ſuperficiem terræ ſedens contra me; veni igitur, & maledic populo.* Numer. 22. num. 5. Timet Rex Iſraëlem, cur non congregat exercitus, & milites armatos? Cur ad vatem confugit? Pro certo apud ſe ſtatuit, quod nullum medium aptius poterat adhibere ad diffundenda omnia mala in Iſraëlem, quàm ſi vocaret hominem habitu hypocriſis indutum, qui cum eſſet iniquiſſimus, ſpeciem quandam ſimulatæ religionis præ ſe ferebat. Sic & Phariſæi, vt ſupremum ſcelus perpetrarent, filium Dei occidentes, prætextu legis clamant. *Origenes.* Origenes homil. 14. in Num. *Illi verò*, ſcilicet Phariſæi, *ſicut iſte Balaam facit, ſimulant ſe cuncta ad Deum referre, & zelo Dei agere. Dicunt enim: nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* Vide tom. 2. verbum *Hypocrita.*

*Ex hypocriſi omnia mala diffunduntur.*

# CAP. XXIII.

## *Beatus venter, qui Chriſtum portauit.*

*Lucæ 11. n. 27.* Factum eſt autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Aug. tract. 10. in Ioan.* | Fœlix venter, qui te portauit. |
| *Arias.* | Beatus vterus portans te. |
| *Syriacus.* | Et vbera, quæ te lactauerunt. |
| *Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 26.* | Et vbera, quæ te educauerunt. |
| *Idē Tert. lib. 3. contr. Marc. c. 11.* | Et vbera, quæ hauſiſti. |

### *EXPOSITIO I.*

1. EFFICACIBVS rationibus calumniantium dicta refutauit Chriſtus Dominus, vt cap. ſuperiori vidimus. Et quia ſicut ſemen in terram iactum fert fructum, iuxta bonitatem, vel malitiam ipſius terræ, in quam cadit; ſic illa cœleſtis Chriſti doctrina, non in maleuolis, ac detractoribus Scribis, & Phariſæis, ſed in vna ſimplici, deuota, ac dolo carente muliere, vt ait Theophylactus, fructum edidit. *Extollens vocem*, quamuis enim mulier eſſet circunſepta doctoribus, ac legis magiſtris, non eos veretur, neque timet, ſed alta voce, & tota contentione, qua poterat, vt obſeruauit Euthymius, ac etiam in omni cordis affectu, vt ait Hugo, admiratáque Chriſti ſapientiam in tam admirabili doctrina, eius virtutem in tantis miraculis perpetrandis, ipſiuſque patientiam in tot blaſphemiis ſufferendis, clamat *de turba*, quia nempè è media turba clamauit, indicátque [illegible]lierem fuiſſe plebeam; & dicitur, vt ait Ly[illegible] eſſe ſanctam Marcellam S. Marthæ famu[illegible]

*Iuxta ſuam diſpoſitionem quilibet profert fructum.* Theophyl. Euthym. Hugo. Lyran.

2. *Dixit illi*, ſcilicet Chriſto Domino, cum quo loquitur: *Beatus venter*, omni nempè fœlicitate, gloria, & honore digniſſimus vterus, *qui te portauit*, hoc eſt genuit, *& vbera, quæ ſuxiſti*, quæ ſcilicet ſupremum regem cælorum nutriuerunt, ac lactauerunt. Ex hoc relinquitur, ait Hugo, quod tantum vbera virginis, & non alterius mulieris ipſe ſuxit. Coniunxit autem hæc duo, vterum nempe, & vbera, vt ait Gloſſa, quia ex eodem fonte procedit ſemen ad gignendos pueros, & lac ad nutriendos. Mulier autem hoc tantum teſtimonium de Chriſto protulit ex Spiritus Sancti afflatu, vt notat Caniſius lib. 4. de Virgine c. 25.

Hugo. Gloſſa. Caniſius.



## QVÆSTIO I.

### *Quare nomen huius mulieris non exprimitur ab Euangeliſta?*

3. NOMEN huius ſanctiſſimæ mulieris exiſtimatur communiter Marcella famula ſanctæ Marthæ, vt retuli ex Lyrano. In præſenti tamen quærimus, cur illud ſubtacet Euangeliſta, & non exprimit? Ea mihi cauſa videtur, quod hæc mulier notior, ac præclarior futura erat ex ſuis virtutibus, ac laudibus in gloriam virginibus proclamatis, quam ex proprio nomine, proprióque ſtipite appoſita.

*Hæc mulier illuſtrior virtute, quàm nomine.*

4. Scribitur Catalogus illuſtriſſimorum virorum Dauid, qui ex triginta & ſeptem componitur. Sicque exorditur: Hæc ſunt nomina fortium Dauid. *Sedens in Cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* 2. Reg. 23. num. 8. *2. Reg. 23.* Agitur ibi de Dauide, vt eſt communis Doctorum ſententia Lyrani, Abulenſis, Caietani, & aliorum. Et pergitur in Catalogo. *Poſt hunc Eleazar filius Ahohites, & poſt hunc Semma filius Æge.* Vulgaris quæſtio: Cur in his triginta, & ſeptem heroibus in quolibet proprium nomen, patriſque ſui, vel patriæ etiam exprimitur, in Dauide autem vtrumque prætermittitur, nec enim ipſe, nec Iſai genitor eius declaratur. *Galfridus.* Galfridus apud Allegorias Tilmani. *Meritò*, ait, *proinde ſedens in cathedra ſuo non deſignatur ex nomine, vt quicumque ille ſit, deferatur potius cathedræ, quàm perſonæ.* Deſcribitur Dauid citato loco præclaris ſuis virtutibus inſignitus, nempè à iuſtitia, & æquitate, qua regnabat, *ſedens in cathedra*, à ſapientia *ſapientiſſimus*; ab humilitate *tenerrimus ligni vermiculus*; à fortitudine *octingentos interfecit*. Vir autem, in quo tot, tantæque virtutes proferebantur, abſque dubio illis illuſtrior, quàm proprio ſuo nomine, parentiſque ſui euadebat. In aliis ducibus, de quibus tam inſignes animi dotes ſcriptis non dabantur, eorum nomina, maiorúmque ſuorum ſint appoſita, vt inde agnoſcantur. At Regius Propheta, in quo tantæ irradiabant virtutes, quibus notior fiebat, quàm nomine ſuo Dauide, illis explicatis hoc fuit omittendum. *Vt quicumque ille ſit, deferatur potius cathedræ, quàm perſonæ.*

*Homo notior à virtute, quàm à ſuo nomine, vel patria.*

5. *Deuteron. 34. D. Ambroſ.* Sepulto Moyſe, dicitur: *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Deuteron. 34. num. 6. De quo pulchrè dixit D. Ambroſius lib. 1. de Abel, & Cain, [illegible] *Nemo ſcit ſepulchrum Moyſi, quia vitam* [illegible] *omnes nouerunt.* Monumentum erigitur, vt defuncti nomen in hominum memoria fixum permaneat; vt autem Moyſis memoria inter viuentes perdurabilis exiſtat, non exigitur ſepulchrum, neque eius ibi inſculptum nomen, cum eius vitam, atque virtutes omnes agnouerint, à quibus præclarior, ac longè omni æuo dignior celebrandus habebatur, quàm à ſuo proprio nomine, magnoque aliquo erecto monumento.

*Moyſes magis notus à virtute, quàm à ſepulchro, & nomine.*



6. Secundò reſpondeo ad quæſtionem. Hæc ſacra fœmina communiter aſſeritur, quod nuncupabatur Marcella, famula ſanctæ Marthæ: cum ergo ipſa ſanctiſſimæ Dei Genitricis præconia eſſet proclamatura, meritò nomen, famulæ notam importans, ſubticetur; nam huiuſmodi laudes decantare, non inferiorum, ſed magnorum principum, ac regum res eſt. Andreas Ieroſolymitanus ſerm. in ſalutatione Angelica. *Benedicta tu inter fœminas*, ait, *quam beatam omnes generationes prædicant, reges glorificant, potentatus adorant, cuius in conſpectu ditiſſimi ex populo dona litant.*

*Laudes Virginis proclamare magnorum eſt.* Andr. Ier.

7. In Canticorum libro inuenies, quod Salomoni aliquando regia ſupprimitur dignitas; ſic enim inſcribitur Codex: *Canticum canticorum Salomonis.* Et iterum cap. 1. num. 4. *Sicut pelles Salomonis.* At vero in 3. cap. multa eſt Scriptura in explicanda regia eius dignitate num. 9. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* Et iterum num. 11. *Egredimini, & videte regem veſtrum Salomonem.* Hic non ſemel tantum, ſed multipliciter rex nuncupatur, deſcribiturque eius thronus, cathedra, purpura, ac diadema. Cur ergo hic tantum declaratur dignitas, cum alibi ſit ſuppreſſa? Erat ipſe Salomon ſuæ Sponſæ laudes celebraturus, vt notat Philo Carpathius, ſic enim immediatè ſubiungitur cap. 4. num. 1. *Quam pulchra es amica mea, oculi tui ſicut columbarum, dentes tui ſicut greges, ſicut vitta coccinea labia tua; ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Quod de B. Virgine interpretantur D. Bernardus, Rupertus Abbas, & communiter Recentiores; nunquam enim excellentius regalis Salomonis dignitas reſplenduit, & enituit, quàm dum ſupremæ Reginæ cælorum præconia cantat, atque celebrat.

Cantic. 1. Cantic. 3. Carpathius. Cantic. 4. D. Bernard. Rupertus. *Maximè nitet purpura regū in laudibus virginis diuulgandis.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare mulier de turba dicitur?*

8. RATIONEM litteralem huius rei iam in expoſitione dedi, quia ipſa, vel plebeia erat vel è medio turbæ proclamauerat. Moralem verò huius rei cauſam inquiro. Et ad hoc

*Ratio litteralis.*

9. Reſpondeo Primò. Quod nobilitatis defectus non dedecorat virtutem: at virtutum defectus maximè obfuſcant, ac deuenuſtant quemlibet illuſtrem natum. Mulier, quamuis è turba, quamuis plebeia, minimè tamen inde virtutum eius ſplendores minuuntur. Cum Scriptura incipit Sanſonis hiſtoriam narrare, pater eius ex tribu Dan natus profertur Iudic. 13. numer. 2. Et tamen Dan, vt ait Abulenſis, erat de paruis tribubus Iſrael, progenitus ex ancilla Balam Gen. 30. num. 6. Si tam illuſtria Sanſonis facta enarranda ſunt, ad quid ei maiores tam humiles aſſignantur? Non enim *ex eis*, ait Angelomus, *deperditur illius gloria*, qui tantis factis clarus extitit.

*Defectus nobilitatis non dedecorat virtutem.* Iudic. 13. Abulenſ. Geneſ. 30. Angelomus.

10. At virtutum defectus quàm maximè nobilitatem obſcurant. Abſalon *erexit ſibi, cum adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle regis: dixerat enim non habeo filium.* 2. Reg. 18. n. 18. Vulgaris eſt quæſtio; Quomodo ipſe Abſalon teſtatur de

*Virtutū defectus obſcurant nobilitatem.* 2. Reg. 18.

de ſe, *non habeo filium*, cum tamen apertè conſtet, vt notant Lyranus, & Abulenſis ex cap. 14. n. 27. quod ipſe habebat tres filios, & vnam filiam. Cur ergo Abſalon tantum ſplendorem denegat ſuis natis, quod agnoſcantur, & habiti ſint, vt filij tanti principis, nepotéſque illuſtriſſimi regis Dauid? Quorſum de ſe tam aſſeueranter teſtatur, *non habeo filium?* Conſiderauit Abſalon crimina ſua, fratricidium, inobedientiam, ac rebellionem in patrem, contemptúmque, ac prophanationem eius mulierum; meritò ergo de ſe patenter profert: *Non habeo filium*: apud ſe firmiter ſtatuens, quod tantus nobilitatis decor vnius principis, vniuſque regis filij ſuis turpiſſimis criminibus maximè deuenuſtabatur, ita vt nullum maius monumentum, nilque illuſtrius ſuis natis contingere poſſet, quàm quod à tali parente progeniti nec haberentur, nec agniti eſſent.

Lyran. Abulenſ. 2. Reg. 14.

11. *Audax, in dicendo, qui nihil perdere timet.*

Secundò ad quæſtionem reſpondeo. Valdè parcus in loquendo, immò & obmutus extat ille, qui rem ſuam, dignitatem, vel honorem perdere timet. E contra verò valdè audax, & impauidus, qui nihil amiſſioni expoſitum poſſidet. Phariſæorum blaſphemiis non contradicunt diuites, ac principes à populo, ſed vna mulier paupercula è turba, quæ nil perdere verebatur.

12. Exod. 32. *Aaron, ne dignitatem perderet fecit idolum.*

Cum Moyſes moram faceret in monte, iniquè Populus ab Aarone poſtulat: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. num. 2. Perpende textum, & non inuenies, nec vnum ab Aarone prolatum verbum iniquæ Populi petitioni obſiſtens. Sed cur ille, qui tot Dei donis extabat inſignitus, totque, ac tanta Dei magnalia nouerat, multitudini non reſtitit, nec eorum incompoſitum tumultum ſedare intentat, optimè agnoſcens, ſe Populum in magnam iniquitatem præcipitare? Cur ergo ei non obſtat, qui in Ægypto multa audacia contra Pharaonem ſtetit, huicque diuina mandata contra eius beneplacitum propoſuit? Exod. à cap. 7. Cur in Ægypto tam audax, ad radicem verò montis Sinai tam timidus? In Ægypto nulla Aaron dignitate fulgebat; iam verò apud Sina ſummi ſacerdotij regebat imperium, omnibúſque præerat ſaccerdotalem dignitatem potitus: quandiu ſine pontificali honore extabat, faciem vnius tyranni regis non veretur; at verò cum iam eius fulgore radiabat, ita timore concutitur, ne ab ipſo deponatur, vt iniquis Populi dictis, & optatis annueret. Fauet Caietanus. *Aaron*, ait, *primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari, ſed ſtatim, vt vidit vitulum, primus ædificat illi altare ad ſacrificandum ei.*

Exod. 7. Caiet.

13. *Omnia renuncians aptus ad veritatem denunciandam.*

At verò quantum ad veritatem proclamandam aptus eſt ille, qui ab omnibus expoliatum ſe agnoſcit, & nullius amiſſionem timet. Regnante Roboamo, ex Dei mandato denunciat, Ahias Propheta Ieroboamo magnam illi euenturam regni Iſraëlitici partem; quod tamen ipſe Propheta præſtat, *Apprehendéſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcindit in duodecim partes.* 3. Reg. 11. num. 30. Et decem tradidit Ieroboam. Ad quid tam inaudito modo ſe habet Propheta ad denunciandum regni auſpicium? Vt ex hoc compertum fiat, quod ille tantùm vir, qui nec vnum pallium ad ſe cooperiendum obtinebat, in faciem vnius principis verum denunciare, ac proclamare valeret. Lyranus. *Vt Ieroboam aduerteret, quod pallium ſuum nouum non ſcidiſſet libenter pro nihilo, ſed pro veritatis indicio.*

3. Reg. 11. Lyran.

# QVÆSTIO III.

## *Quare tacentibus diſcipulis hæc mulier prodit in Chriſti laudes?*

14. *Deus per debilia inſtrumenta operatur magna.* D. Hieron.

RATIO à priori, Dei gratia, quæ animum mulieris in tam admirabile opus excitauit, & induxit. Secundò, quia ſæpe Dei Prouidentia per parua inſtrumenta, debiléſque mulieres multa, & alta diſponit, & ordinat. Sic ait D. Hieronymus Epiſt. ad Principiam. *Sacerdotes, & Phariſæi crucifigunt filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad crucem. Dominum cognoſcit, pergit ad Apoſtolos, illi dubitant, iſta confidit.*

15. 1. Tim. 2.

Si autem Apoſtolus ait 1. ad Timoth. 2. n. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto.* Intelligitur, quod mulier non doceat, vt ex officio, & cum viri interſunt, qui id munus adimplere valeant. At illis deficientibus, ſanctum, & laudabile eſt, mulierem, præcipuè benè inſtructam, cœleſtia arcana eructare, vt ita ſexus inferior ſuppleat id, in quo deficit ſuperior. Cum Moyſes eſſet in itinere, occurrit ei Angelus Domini volens illum interficere, quod videns eius vxor, *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit præputium filij ſui.* Exod. 4. num. 25. Cur ſtatim ad illud miniſterium pergit mulier? Intellexit enim, cauſam viro ſuo tanti periculi eſſe defectum circumciſionis in vno filio, & ideo ad ſupplendam mariti incuriam, natum ſuum circuncidit, vt illi veniam impetret. Abulenſis. *Sephora immediatè vt vidit Moyſen tanta anguſtia circundari propter filium incircumciſum, qualitercumque potuit, breuiter circuncidit.* Caietanus. *Sephora, vt ſeruaret Moyſen, non ſolùm circumcidit filium, ſed etiã ſe eiecit ad pedes Domini inuadentis Moyſen.*

*Inferior ſuppleat defectũ ſuperioris.* Exod 4. Abulenſis. Caiet.

16. *Cauſa fidei non poteſt eſſe deſerta.*

Secundò, blaſphemantibus Phariſæis, tacent Apoſtoli, obmuteſcunt diſcipuli; vna mulier tamen è plebe pro fidei negotio teſtimonium fert. Quocumque res cadat, fidei cauſa nunquam deſerta erit; quamuis cuncti videantur obmuteſcere, non deficiet tamen aliquis, qui publicè diuinam maieſtatem fateatur, publicéque pro Deo verò aſſertionem faciat.

17. D. Chryſoſt. Eucher. 3. Reg. 19.

Quandam repugnantiam in dictis Parentis mei Eliæ conſiderant Chryſoſtomus, & Eucherius: nam cum ipſe maximè premeretur perſecutione Iezabel, *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur. Et ait: ſufficit, mihi, Domine, tolle animam meam,* 3. Reg. 19. n. 4. Et tamen ſe ſolum Dei cultorem extare ſibi perſuaſerat, dixit enim? *Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus* ibidem n. 24. Te ſolum cogitas, & mortem petis? *falleris Propheta*, ait Eucherius, quandiu enim ſolus publicus Dei cultor, & teſtis extiteris, ſomno mortis non ſepelieris; nunquam enim fidei cauſa deſerta erit, nunquam enim deeſſe poteſt, qui pro ipſa publicum perhibeat teſtimonium.

Eucher. *Deeſſe non poteſt, qui pro fide teſtimonium ferat*

18. Luc. 4. Hugo.

*Surgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Luc. 4. num. 38. Maximè ponderandum, quod vbi primum Dominus exiit à Synagoga, immediatè ſine vlla dilatione ingreditur domum Petri. Hugo. *Per Synagogam intellitur congregatio malorum, ſeu Iudæorum; per domum Petri ſignificatur Eccleſia, cuius Paſtor fuit Petrus; Surgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis Petri.* Vt fieret manifeſtum, quod ſi ſynagoga per ſuam malitiam ipſum non recipiebat, ſed ab ea expulſus exibat, multò iam antea diuina prouidentia ordinauerat domum Petri, animum ſcilicet, illius, ac Eccleſiam Gentium, quæ ipſum agnoſcentes exciperent, ac patenter confiterentur.



*Exiens Ieſus de Synagoga ingreditur domum Simonis.*

19. *Quod non præſtat donis obligatus, exhibet addictus amore*

Tertiò, Blaſphemant Phariſæi, tacent Diſcipuli; mutus, & ſurdus, qui ſanitatis beneficium à Domino receperat, obmuteſcit, vna mulier è turba extollit vocem, & Chriſti laudes proclamat. Diſcipuli magna obligatione erant aſtricti Chriſto, à quo tanta fuerant dignitate inſigniti; ſic & mutus tanto dono recepto. At mulier maximè beneuolo animo in Chriſtum propenſa. Et quod in illis non præſtitit obligatio, in hac magnopere amoris affectio adimpleuit. Potius eſt enim eis fidendum, qui te diligunt, quàm illis qui multis ſunt donis conſtricti.

20. 1. Reg. 17.

Poſtquàm Dauid Goliath interfecit, habens Philiſthæi caput in manu ſtetit in conſpectu Saulis regis. 1. Reg. 17. n. 58. Saul tamen, nec opere, nec verbo tantum ei gratulatur facinus, quo ipſe regno, ac regi magnam victoriam, gloriam ac pacem eſt aſſecutus. Sed quis rex, cum tantum, ac talem militem videret, eum non magnopere honoraret, vel collata ei ex collo ſuo torque aurea, vel annulo ex digito, vel enſe ex latere, vel aliis ſuis donis non ſublimaſſet: nil tamen horum præſtitit Saul, vt notauit D. Chryſoſtomus homil. 1. de Dauide, & Saule. *Nam ſi quis perpendat præclarè geſtorum magnitudinem, etiam ſi rex a ſuo capite detractam coronam Dauid capiti impoſuiſſet, nunquam parem retuliſſet gratiam, ſed ampliorem debuiſſet.* Tamen Ionathas, ait textus 1. Reg, 18. n. 4. *Expoliauit ſe tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad balteum.* Saul nil exhibet, & Ionathas tot dona confert? Rationem innuit textus: *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, diligebat enim eum quaſi animam ſuam.* ibid. n. 1. Saul multis conſtrictus extabat Dauid; Ionathas verò ei animo addictiſſimus; Et ad quod tantorum obligatio non impulit, amoris propenſio excitauit, & perfecit.

D. Chryſoſt. 1. Reg. 18. *Plus poteſt amor, quàm obligatio.*

21. Matth. 17. D. Hieron. Matth. 14.

Multis beneficiis ſuſceptis extabat Princeps Apoſtolorum obligatus Chriſto Domino ipſum duxit ſecum in montem Thabor; pro ſe, & illo iuſſit reddere tributum. Matth. 17. 26. Vnde Diſcipuli, ait D. Hieronymus, *quia viderant, pro Domino, & Petro idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis fuiſſe prælatum.* ipſumque à periculo maris extenſa manu liberauit. Matth. 14. n. 31. At verò cùm ad eum conſtituendum Eccleſiæ ſuæ caput deuenitur, non adducit in memoriam obligationes, ſed tantum de charitate quærit: *Simon. Ioannis diligis me; diligis me plus his?* Ioan. 21. n. 15. eligens magis, Eccleſiam, dilectiſſimam ſuam Sponſam, committi cuidam animo amori addictiſſimo, quàm multis obligationibus aſtricto, atque deuincto.

Ioan 21. *Plus committendum animo affecto, quàm obligato.*

22. Ioan. 21. D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Cyrill.

Ter Ieſus ſciſcitatur Petrum de ſui amore. *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me:* Ioan. 21. n. 17 Commune dubium: Cur fiat hæc trina interrogatio? Communiter etiam reſpondent D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus lib. 12. cap. 64. *Ter*, ait, *in tempore Paſſionis negauit, iure nunc ab eo trina dilectionis confeſſio petitur; vt trina negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.* A qua ratione non multùm differt hæc, quam ſubiicio. Petrus in ſua negatione in tres incidit defectus: defecit in amicitiæ fœdere; in Diſcipuli munere; ac in veritatis promiſſione fideli fuerat; enim ſtipulatus: *Si oportuerit, me mori tecum, non te negabo.* Matth. 26. n. 35. Ter de eius amore proponit interrogationem, quia aſtrictorum obligationibus defectus, ſolùm animus affectus, ac amore propenſus ſupplere, ac reſarcire valet.

Matth. 26. *Defectus obligatorum ſolus animus addictus ſupplere valet.*

# QVÆSTIO IV.

## *Quare hæc ſancta mulier Chriſti laudes proclamans dicitur vna?*

23.

VNA erat ſancta hæc mulier, vt ſacer Euangeliſta notauit: *Quædam mulier*: vna indiuidualitate perſonæ, quæ inter tot blaſphemantium linguas linguam ſuam in Chriſti laudes *Sicut lilium intet ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cantic. 2. num. 2. Vna etiam eſt mulier ſingularitate magnanimitatis, conſtantiæ, audaciæ, prudentiæ, ac amoris in Chriſtum, de quo multa dicam qu. 7. & 8.

Cant. 2.

24. *Magna Virorum confuſio quod per hãc mulierem edoceantur.* Marc. 16. D. Hieron.

Sed cur vna ſola mulier aſſumitur ad tantas Chriſti laudes proclamandas? Ad maiorem confuſionem eorum, qui aderant, cùm per vnam mulierem edocerentur, vt D. Hieronymus in Prologo Sophoniæ dixit de ſanctis mulieribus euntibus ad Chriſti ſepulchrum. Marc. 16. n. 7. *Ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro.* Sic ait S. Doctor. *Vt erubeſcant viri, non quærere, quem iam fragilior ſexus inuenerat.* Sic etiam Debora tempore Iudicum Iſraëlis 4. n. 4. claruit prophetiæ dono, quod tunc temporis viris denegatum fuerat, ait Theodoretus q. 11. *Deboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam eſſe; num cum ex viris nullus inueniretur* [illegible]*, qui Spiritum Sanctum promereretur,* [illegible] *Sanctiſſimi Spiritus eſt conſecuta.* [illegible] cap. 15. n. 199.

Iudic. 4. Theodoret.

25. *Ad iuſtitiã, ac innocentiam tuendã qualibet vox*

Secundò, Ad cau[illegible]ſtitiæ, veritatis, ac innocentiæ tuendam pauci ſufficiunt, pauci contra multos præualent: Sic ad præclarum innocentiæ Chriſti teſtimonium ſat eſt vna mulier de turba; ſicque in defenſionem ſanctæ Suſannæ contra inueteratos presbyteros, ac ſenes, *Suſcitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.* 13. n. 45. De quo ait D. Auguſtinus ſerm. 118. de tempore. *Iudicem meretur caſtitas Danielem puerum iuniorem, nec dum pubeſcentis ætatis; multùm de Deo pudicitia conſequitur.*

Daniel 13. D. Auguſt.

26. *Ad excellentiſſimi viri laudes decãtandas ſat eſt vna mulier.*

Tertiò, Aderat Chriſtus multa miracula, ac prodigia faciens, multáque ſuæ diuinæ poteſtatis ſigna exhibens; ad eius laudes celebrandas vna mulier è turba eligitur. Ad præexcelſi viri præconia decantanda quælibet lingua ſufficit: ad virum autem humilem ſublimandum multorum vox, multorúmque exoptantur, ac exiguntur encomia.

27. Actor. 9. Ioan. 19.

Eunti Saulo in Damaſcum Chriſtus Dominus in magno lucis ſplendore apparens ait: *Ego ſum Ieſus.* Actor. 9. n. 5. Cùm autem ipſe pendet in cruce, ſuper caput affigitur titulus: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ioannis 19. n. 19. Cur dum Saulo ſe manifeſtat, ſe ſolum Ieſum dixit, vt ponderauit Beda, *Non Deum, vel Dei filium*

Beda. D. Auguſtin. D. Cyrillus.

ſe vocat: at verò in cruce, alta Dei ordinatione, vt notant D. Auguſtinus, D. Cyrillus, tot tituli ſcribuntur Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum? Cùm ſe exhibet Saulo, Chriſtus erat in gloria ad dexteram Dei Patris: in cruce autem in ſuæ humilitatis infimo extabat, ſeque à Patre derelictum dicebat. Vt ergo agnoſcatur, dum eminet in gloriæ fulgore, vna ſufficit vox: Ego ſum Ieſus: at quando manifeſtatur in abiectione Crucis, in qua abſcondita erat fortitudo eius, vt innoteſceret, multæ voces, multi tituli, ac variis linguis inſcriptiones in omnium conſpectu proponendæ fuêre. Ad quod reſpiciens D. Chryſoſtomus homil. 44. in Ion. ſic ait: *vt calumniantium os obſtrueret*, ſcilicet Pilatus, *& in regem ſuum inſurrexiſſe denunciat, & tanquam trophæo cuipiam litteras inſculpſit, clara voce & victoriam & regnum profitentes: nèque hoc vna lingua, ſed tribus demonſtrauit.*

*Multùm ad laudes humilis, non ſic verò ad præconia excelſi celebranda.*

D. Chryſoſt.

28. Ad annuntiandam Diuini Verbi Incarnationem eiúſque, in carne aſſumpta, magnalia, vnus Angelus è cælo venit. *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Luc. 1. n. 26. At verò nato Chriſto, ad eius ſublimitates publicandas venit Angelus magna claritate, *Cum quo ſubitò facta eſt multitudo militiæ cæleſtis exercitus.* Luc. 2. n. 13. Cur tam diuerſimodè, & non æquali modo ſe habent? Cum angelica fiebat delegatio, filius Dei inter millia Angelorum adorabatur; de quo myſterio explicant multi Patres, & Doctores illud Pauli ad Hebræos 1. n. 6. *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.* At in præſepio apparebat in humilitate, ac inopia: etſi ergo ad eius laudes decantandas, cùm nitet in maieſtate, vnus ſufficiat Angelus; cùm verò in humili abiectione manifeſtatur, vt conuolet multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, neceſſe fuit. Pro quo facit D. Leo ſerm. 5. de Natiuit. alibi datus. *Cùm ortum Domini*, ait, *Angelo nuntiante, paſtores cæleſtis exercitus ſunt claritate circundati, vt non ambigerent de maieſtate Pueri, quem erant in præſepio viſuri.*

Luc. 1. Luc. 2. Ad Hebr. 1.

*Exercitus Angelorum in Chriſti natiuitate; non ſic verò in Annunciatione.*

D. Leo.

## QVÆSTIO V.

### *Quare, cùm multæ piæ animæ Chriſtum laudauerint, ſolùm de hac voce mulieris ſit mentio?*

29. ASSERTIO eſt D. Auguſtini tract. 10. in Ioan; Hanc vocem *Beatus venter*, &c. non ſolùm fuiſſe huius mulieris, ſed etiam multorum: Sic ait S. Doctor. *Cùm Dominus in turba admirabilis videretur faciens ſigna, & prodigia, & oſtendens, quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Fœlix venter, qui te portauit.* Quomodo ergo Euangeliſta ſolùm de hac muliere facit mentionem? Ad quod primò reſpondet Toletus, credibile eſſe, voci mulieris alios etiam conſenſiſſe, non quod plures ſic clamauerint, cum Euangeliſta vnius tantum mulieris meminerit.

D. Auguſtin.

Tolet. *Alij mulieri conſenſerunt.*

30. Secundò reſpondeo: Alij dixerunt priuatim, ac veluti inter ſe mutientes: at hæc ſancta mulier voce alta, & publica proclamauit: *Beatus venter.* Ait Elias populo: *Ego remanſi propheta Domini ſolus.* 3. Reg. 18. n. 22. Et iterum loquens cum Deo: *Ego derelictus ſum ſolus.* 3. Reg. 19. Quomodo verò magnus Parens ſe ſolum nominat, cùm paulò antea ei dixiſſet Abdias, ſe eſſe vnum ex ſeruis timentibus Deum, & quod cum Iezabel interficeret prophetas Domini, abſconderit ex eis centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & eos pauerit pane, & aqua. citato cap. 18. n. 13. Cùm ergo notitiam Elias haberet in promptu, & ante oculos, quomodo ſe ſolum dicit: Lyranus ad citatum locum cap. 18. *Ego remanſi propheta Domini ſolus, qui auderet apparere, & idololatris reſiſtere, quia viuebant illi centum abſconditi ab Abdia.* Plures alij prophetæ extabant, ſed abſconditi, non audentes loqui, nec verbum Dei prædicare: at Elias patenter, & alta voce Deum confitebatur, regem arguebat, ac idololatras increpabat. Et cum ipſe ſolus in publicum pro Domino Deo exiret, inde ſe ſolum Domini prophetam dicebat.

3. Reg. 18. 3. Reg. 19.

*Solus ille amicus reputandus, qui te in perſecutione confitetur.*

Lyran.

31. Tertiò, Quamuis aliæ piæ animæ dixiſſent: *Beatus venter*: de hac ſola muliere Euangeliſta facit mentionem, quia hæc prima extitit, quæ tali præconio ſic vocem extollit, ad cuius imitationem ſic proclamantes alij ſubſecuti. Et mulier quæ in his Chriſti præconiis proclamandis frontem, & primum occupat locum, magna ſanè gloria fuit celebranda. Quod ſtabilitur. Laudauit Gabriel Mariam, ſed in penetralibus laudauit Elizabeth, ſed in propria domo, vbi neminem timere poterat. At verò hæc ſancta mulier, perfecta charitate plena, foras emiſſo timore coram omnibus, coramque acerrimis Chriſti hoſtibus, ipſum eiuſque ſanctiſſimam Matrem præconiis celebrat.

*Primus in virtute maximè laudãdus.*

32. De Ioanne Baptiſta ait Chriſtus Dominus: *Inter natos mulierum nou ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Matth. 11. n. 11. De qua appellatione diſſerens Andreas Ieroſolymitanus Orat. de Decollatione Baptiſtæ, ait: *Habuit itaque actiones conuenientes iis appellationibus Ioannes ille, quo non ſurrexerit maior inter natos mulierum, ſed tam illuſtre nomen inter natos mulierum non ſurrexit maior.* Quamnam actionem habeat pro fundamento, ſic pergit citatus Andreas: *Hic eſt enim magnus ille Elias, non Theſbites, ſed qui fuit medius inter Legem, & Gratiam: & licet tempore fuerit ab illo ſecundus, prioris tamen Chriſti aduentus præcurſor, qui cum eadem, qua ille, præceſſit inſpiratione, & virtute.* Tantum titulum eſt adeptus, forſitan, quia ex vtero materno dono intellectus ditatus Chriſtum cognouerit? Vel quia exiens in lucem totum mundum profudit gaudio? vel quia victus, ac veſtium auſteritate toti orbi extitit admirabilis? Vel quia oblatam generosè repulit diuinitatis dignitatem? Ad nullum eorum, ſed ad præcurſoris munus recurrit Andreas. *Prioris tamen Chriſti aduentus præcurſor.* Ipſe enim primus regnum cælorum appropinquans prædicauit, primúmque Chriſti annuntiauit aduentum, primus quoque digito Saluatorem ipſum demonſtrauit. Et qui in tam glorioſo ordine primas obtinet, inde maximè erectus ſublimetur, cæteris omnibus ipſius Ioannis perexcelſis magnalibus veluti in ſilentio prætermiſſis. Ex quo coniice, quàm gloriorè ſit hæc mulier celebranda, cùm in publicè, ac coram populo decantandis Chriſti, ac Virginis encomiis priorem vendicet locum. Vide ſupra cap. 11. n. 66. & 156. & tom. 2. cap. 3. n. 90. & cap. 10. n. 19.

Matth. 11. Andr. Ieroſ.

*Baptiſta quia primus prædicauit regnum cælorum, inde nullus eo maior.*

33. In hoc tamen piæ animæ, quæ aderant maximè



mè laudibus afficiendæ, quia non dedignatæ ſunt vocem vnius mulieris de turba imitari, ſed proſecutæ dixerunt, *fœlix venter qui te portauit.* Ex quo magnum depromitur documentum, vt virtutes diſcamus ab his, in quibus relucent, atque ſplendent, non attendentes ad nobilitatis, vel dignitatis gradus.

*Bonum exemplum, in quocumque reperiatur ſequendum.*

34. *Deſcendebat omnis Iſrael ad Philiſthim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim.* 1. Reg. 13. n. 20. Iſraël expolitus ſcientia, Philiſthæus barbarus: Iſrael pollens cultu Dei, Philiſthæus idolis deditus. Quomodo ergo Iſraël deſcendebat ad Philiſthæos ad acuenda inſtrumenta ſua tam pacis, quàm belli? Philiſthæi meliores lapides, melioreſque artifices ad illa præparanda habebant: & ibi virtus, & bonitas exquirenda, vbi reperitur. Eleganter allegorico ſenſu D. Gregorius Magnus ibidem locum expendit: *Intelligens per vomerem, qui à duplici boue portatur, Charitatis præceptum.* Quaſi velit dicere, quod illi vomerem ſuum apud Philiſthæos acuunt, qui charitatem Dei & proximi de minori eruditione acquirunt. Apud quos nitet Iuſtitia, Charitas, & Veritas, hæc eorum egregia facta imitemur, ac ſequamur.

1. Reg. 13.

D. Gregor *Bonum, in quocumque ſit, imitandum.*

35. Ait Paulus ad Epheſios 3. n. 9. *Vt diſpenſatio myſterij abſconditi à ſæculis in Deo, qui creauit omnia, vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam.* Docet, prædicatione Apoſtolorum, ac ipſius Pauli multas circunſtantias myſteriorum Chriſti, excellentias Euangelij, ac conuerſionem Gentium principatibus, ac poteſtatibus, cæteriſque Angelis innotuiſſe. In hunc ſenſum interpretantur locum D. Hieronymus, D. Ambroſius, D. Anſelmus, Theophylactus, D. Chryſoſtomus, qui ait: *Paulus Angelorum Euangeliſta eos illuminauit.* Quod ex D. Cyrillo etiam aſtruit D. Thomas opuſcul. 1. cap. 26. Sed quomodo Seraphin, ac Cherubin ſpiritus ſcientia pleni tantam ab hominibus illuminationem accipiunt? Quia ſpiritus valde perilluſtres confidenter, ac generosè non dedignantur ab hominibus, licet natura inferioribus, in tot, tantiſque erudiri. Sic & piæ animæ in proclamatione huius mulieris, licet eſſet vna de turba, per illam doceri non recuſant.

Ad Eph. 13.

D. Hieron. D. Ambr. D. Anſelm. Theophyl. D. Chryſoſt. D. Thomas.

*Superiores ab inferioribus erudiri non dedignẽtur.*

## QVÆSTIO VI.

### *Quare mulier tanta celſitudine extollit vocem?*

36. DIVVS Bonauentura ex quadam Gloſſa notat, quod *hæc mulier magna fiducia inter blaſphemos confitetur Dei filium*: Quod factum eſt ad veritatis commendationem, & ad Phariſæorum confutationem. Ex quo patet, ait ipſe D. Bonauentura, quod *laudator diuini nominis non debet eſſe timidus, vt laudare non audeat, nec vt laudare erubeſcat, ſed virilis, & humilis.* Extitit mulier humilis; non enim lingua ſua pronuntiauit nomen Ieſu, vel Mariæ; non dixit, Beatus venter Mariæ, qui te Ieſum portauit; ſed ſe indignam iudicans talia nomina proprio ore proferre non audet, ſed valde modeſtè vteri laudes proclamat.

D. Bonau.

*Præ humilitate non pronuntiat mulier nomen Ieſu, & Mariæ.*

37. Extitit virilis: multa audacia, ac fortitudine publicè in conſpectu Phariſæorum eis in faciem reſiſtens Chriſti præconia decantat. Veritatis, Religionis, ac fidei cauſa ſumma libertate, ac erecto eſt animo pertractanda, vt grauiter, & eleganter ponderant Albertus Magnus, D. Bonauentura ad illa verba Chriſti Domini. Luc. 9. n. 26. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.*

*Cauſa fidei, ac veritatis, cum libertate agenda.*

Albert. Mag. D. Bonau. Luc. 9.

38. Ait Ioannes in ſua Apocal. 1. n. 10. *Audiui poſt me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Quod vides, ſcribe in libro.* Sed ad quid tanta, & tam grandis vox Ioanni, qui maximè paratiſſimus erat ad audiendum, cuius ſenſus maximè vegetiores extabant ad diuina percipienda? Vox illa, cùm res fidei, & Religionis pertractaret, non ſubmiſſè, nec aliter, quàm magno edito ſonitu, ac veluti totis viribus proferenda erat. Rupertus ibi. *Quia veritas fidei non amat angulos: non in occulto, ſed palam omni mundo loqui deſiderat: rectè non per qualemcumque vocem, ſed per vocem tubæ magnam, id, quod dictum eſt, ſignificari dicebat.*

Apoc. 1.

*Pro fide magna voce agendum.*

Rupert.

39. *Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti.* Threnor. 4. n. 7. At verò de Abel mortuo dicitur ad Cain: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. n. 10. Iſraëlitæ viuentes non valent vocem emittere; & Abel mortuus clamat? Illorum lingua, vt explicat D. Paſchaſius in ſenſu allegorico, adhæſit ad palatum eius in ſiti doctrinæ, ac veritatis: cùm enim eſſent multis peccatis infecti, eorum vox depreſſa, ac contracta erat. At vox ſanguinis Abel, vox iuſtitiæ; & tam altum edebat ſonitum, vt è terra pertingeret vſque ad cælum. D. Paſchaſius lib. 4. in Lament. *Magna vox iuſtitiæ*, ait, *per quam mortui loquuntur, non ſolùm loquuntur, verùm etiam ſicut Abel clamant.*

Thren. 4. Gen. 4.

D. Paſchaſ.

*Vox peccatoris depreſſa, vox iuſtitiæ elata.*

D. Paſchaſ.

40. Phariſæi inuidia, & odio agitati mittunt miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Qui cùm acceſſiſſent, *Stabat Ieſus, & clamabat: ſi quis ſitit, veniat ad me.* Ioan. 7. n. 37. Quod cùm audiiſſent Satellites, reuertuntur ad Principes, & Phariſæos, *Qui dixerunt eis: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: nunquam ſic locutus eſt homo, vt homo iſte.* ibidem n. 45. Nullum miraculum à Chriſto Domino edi, miniſtri vident; & tamen ita ſunt eius doctrina capti, vt non ſolùm à principibus ſibi impoſita, non exequantur mandato, ſed potius in Phariſæorum conſpectu Chriſti prædicent excellentias. *Stabat Ieſus, & clamabat.* Theophylactus. *Clamauit Ieſus*, ait, *vt libertatem ſuam in dicendo manifeſtaret, quod nullum metueret.* Ex tam ſublimi doctrina, cum tanta libertate, audacia, ac clamore edita, maximè illius bonitas, & excellentia eluceſcit, vt qui illum apprehendere venerant, Chriſti maieſtatem venerantes reuerterentur illius magnalia prædicantes. Sic pergit Theophylactus. *Miniſtri abſque ſignis à ſola doctrina perſuaſi fuerunt, non enim dixerunt, nanquam tale miraculum fecit homo, ſed nunquam ſic locutus eſt homo.*

Ioan. 7.

*Ex libertate dicendi cognoſcitur veritas.*

Theophyl.

41. Ex libertate dicendi efficax fit argumentum de veritate; ſecus verò, qui ſubmiſſè loquitur, ſuæ noxæ magnam ſuſpicionem præbet. Pro quo eleganter facit D. Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium Pontif. *Hanc*, ait, *velim generalem conſtituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure locutus eſt, ſuſpectum habeas.*

*Timor dicendi arguit mendacium.*

D. Bernard.

QVÆSTIO

## Qvæstio VII.

### *Quot virtutes reſplendeant in hac voce mulieris?*

42. *Fides mulieris.* Beda.

ENITVIT fides. Nam mulier ex ſuggeſtione Spiritus Sancti, fide plena, cognouit Incarnationis myſterium, vt aſtruit Beda. *Tanta eius Incarnationem ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia profitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam.* Deinde Virginem Mariam Chriſtum concepiſſe ſine virili conſortio, ſua virginitate integra permanente, non obſcurè mulier de notare videtur, dū Matrem, & non virum commendauit, innuens, ſolum habuiſſe matrem, & non humanum patrem. Ex hac tanta fidei acclamatione probat Tertullianus lib. de carne Chriſti. & lib. 3. contra Marcion. cap. 11. Chriſtum verum habuiſſe corpus, quod Marcion negabat. Et Beda lib. 4. ſuper Lucam cap. 49. probat contra Eluidianos, Valentinianos, Apollinares, Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe ex Maria; nam impiè illi hæretici dicebant, illum carnem traxiſſe de cælo, & per Mariam tanquam per canalem tranſiiſſe. Hos hæreticos, & alios multos mulier pleno ore confutat, ac confundit. De hac fide mulieris dicam iterum quęſt. ſequenti.

Tertullian.

Beda. *Multas hæreſes confutat.*

43. *Charitas. Magnanimitas mulieris.*

Secundò. Enituit eius in Chriſtum charitas, vt iam dixi ſupra quæſt. 3. & iterum latius dicam quæſt. ſequenti. Tertiò Reſplenduit eius magnanimitas tantis proclamatis Chriſti laudibus coram illius inimicis, ac crudelibus aduerſariis: quod eſt res ſatis periculoſa, & multo expoſita diſcrimini. Accerſito Achimelech Sacerdote à Saule, in huius præſentia in multas ille Dauidis laudes erumpit. *Quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua.* 1. Reg. 22. num. 14. Quod cum percepiſſet Rex, ait: *Morte morieris Achimelech tu, & omnis domus patris tui.* Et ſtatim dixit ſuis emiſſariis. *Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini.* ibidem num. 17. Quænam cauſa tanti furoris regis? nam ſi Rex animo erat contra Sacerdotes Domini grauatus, quia pro Dauide Dominum conſuluerant; multas, & efficaces rationes pro ſe, & illis produxit Achimelech, vt notant Expoſitores, Lyranus, Carthuſianus, Caietanus, Hugo, & alij. Cur ergo ira Regis non quieuit? ſed potius ita excanduit? Multa, & magna de Dauide Achimelech præconia cantauit coram Saule; qui cum eſſet crudelis illius inimicus, ita his auditis furore accenſus eſt, vt in magnum ſacrilegij nefas præcipitaretur ad occidendos Domini Sacerdotes. *Poſtquam Saul verba Achimelech audiuit*, ait Abulenſis, *non potuit ſe continere, quin amara morte omnes Sacerdotes trucidaret.* De hac mulieris magnanimitate vide ſuperiorem quæſtionem.

1. Reg. 22.

Lyranus. Carthuſ. Caietanus. Hugo. *Periculoſum in conſpectu inimici, tuas laudes decantare.*

Abulenſis.

44. *Prudentia mulieris. Age de his, quæ tui ſunt muneris.*

Quartò. Enituit Prudentia, & in multis. Primò laudauit in B. Virgine ventrem, & vbera, quæ fœminea ſunt. Magna ſanè prudentia de his agere, quæ ad te pertinent, & muneris tui ſunt. De quo iterum dicam infra quæſt. 15. De quo vide plura tom. 1. & 2. Verb. Officium. Secundò magna prudentia mulier Chriſtum laudat: non inuehitur in Phariſæos, neque eos, vt proteruos, iniquos, ac mendaces, arguit; ſed tota conuerſa eſt in Chriſti præconiis celebrandis. Tunc verè alicuius gloria decantatur, cum ſine alterius dedecore, ac infamiæ nota celebratur. In catalogo veterum Patrum de Abel ait Apoſtolus ad Hebræos 11. n. 3. *Fide plurimā hoſtiam Abel obtulit.* Cur eius fidem Doctor Gentium laudibus celebrat, & non potius illius martyrium; fide enim multo illuſtrior eſt martyrij actus, vtpote procedens à charitate, quæ eſt omnibus virtutibus maior, quod notauit Chryſoſtomus ibidem, *Non poſuit*, ait, ſcilicet Apoſtolus, *martyrium, quod multo erat amplius?* Nam ſi illius martyrium diceret, neceſſariò Caini fratricidium erat aperiendum. Vt illuſtriſſime Abel gloria ſcribatur, de eo id, quod minus eſt, profeFratur, dummodo ſine alterius crimine, ac dedecore decantetur.

*Verè publicantur alicuius laudes ſine alterius iniuriæ nota.* Hebr. 11.

D. Chryſoſt.

45. *Attendendū potius meritis, quàm poteſtati.*

Quintò. Enituit Iuſtitia. Ad ſuum ſuffragium ferendum apud hanc ſanctam mulierem efficaciora fuere egregia Chriſti Domini merita, quàm Principum, & Phariſæorum poteſtas, auctoritas, ac nobilitas: his enim ſpretis tota in Chriſti encomiis proclamandis perſiſtit. In ea etiam enituit Iuſtitia punitiua: nam laudibus Chriſti decantatis maximè Phariſæos verberauit. Nulla grauior inimico pœna, quàm ſui aduerſarij præconia audire. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Gen. 49. num. 8. Sed vnde manus Iuda tam ponderoſæ? Rationem innuit: *Te laudabunt fratres tui:* laudibus Iudæ proclamatis, fient inimicis eius manus graues, rigidæ, & aſperſæ. Tertiò. Reſplenduit ipſa Iuſtitia punitiua: nam auditis Phariſæorum blaſphemiis, nil eis mulier reſpondit, nec ad eos attendit, ſed illos tanquam parui pendens tota præconiis Chriſti incumbit proclamandis. O quàm durum inimico, eius machinationibus, at conuiciis non attendere. Emiſſà à Diabolo in Iob magna tormentorum tempeſtate, nil ſanctus Patriarcha contra Diabolum dicens tantum in Dei laudibus perſonabat: *Sit nomen Domini benedictum.* 1. num. 21. Plus gratiarum actionibus Satanas torquebatur, quam tormentis ſuis ſanctus Iob. Gloſſa Ordinaria. *Iob*, ait, *crudelem hoſtem patientia vincit, & acriora vulnera infixit, quàm accepit.*

*Laus tua in ore inimici, ei valde dura.* Geneſ. 49.

*Durum inimico, eum parui facere.*

Iob. 1.

Gloſſa.

46. *Fidelitas mulieris.*

Sextò. Enituit in muliere magna fidelitas, ſeu veritas cum multa prudentia, & iuſtitia. Ea enim ore protulit, quæ mente capiebat; & ſicut intellexit, ita locuta eſt. Quod maximè laudant Expoſitores in Daniele, qui explicans ſcripturam Balthazari, in eius faciem ſine vllo fuco ita legit, vt intellectu apprehendebat. *Mane, numerauit Deus regnum tuum: Thecel, appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: Phares, diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Perſis, & Medis.* Daniel. 5. num. 26. O quanta fidelitas vnà cum multa prudentia eſt, vt nil aliud homo dicat, ac manibus exequatur, quam id, quod mente tenet, & iudicat. Eiectis Primis Parentibus de loco voluptatis, *Collocauit Dominus ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. num. 24. Ad arcendum hominem à paradiſo nonne ſufficiebat vnus Cherub? Ad quid vltra ei datur gladius flammeus, atque verſatilis? Philo Hebræus lib. de Cherub. *Igneus gladius, requiritur vnà cum actionibus ſermo.* Cherub plenitudinem ſcientiæ, ac intelligentiæ denotat: conſtitutus erat ille miniſter à Deo; datur ei gladius flammeus, vt operaretur, ac exequeretur, iuxta ea, quæ intelligebat, ac mente capiebat. De quo iterum quæſtione ſequenti.

*Quilibet dicat id, quod mente capit.*

Daniel. 5.

Geneſ. 3.

Philo. *Bonus miniſter id, quod intelligit, exequatur.*



## Qvæstio VIII.

### *Quàm opportuno tempore Chriſtum mulier laudat, in quo maximè eius virtutes irradiarunt?*

47. BLASPHEMABANT Phariſæi, multa conuicia in Chriſtum coniiciebant: In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Tunc mulier in ipſo contradictionis articulo in medium proſilit, & Chriſti laudes proclamat. Chriſtum filium Dei fatetur Nathanael: *Tu es filius Dei.* Ioan. 1. num. 49. Et etiam Petrus Matth. 16. num. 16. Tamen Petrus multis donis, ac laudibus ſublimatur. *Beatus es, Simon Bar-Iona*, &c. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nil verò tale dicitur Nathanaeli, vt notauit Euthymius. *Quare Petrus*, ait, *qui poſt tanta miracula, tantamque doctrinam confeſſus eſt, ipſum eſſe Dei filium, beatus dictus eſt: Nathanael vero, qui & ante miracula, & ante doctrinam hoc ipſum fecit, non eſt dictus beatus*, cum ipſe Nathanael, Chriſtum verum eſſe filium Dei, confeſſus fuiſſet, vt cum multis Auctoribus dixi tom. 1. lib. 3. cap. 6. quæſt. 15. num. 105. Cur ergo iſte non dicitur beatus, ſicut Petrus? Nathanael confeſſus eſt, Chriſtum verum filium Dei, quando ipſe Chriſtus Dominus erat plauſibilis, & nullus ei aduerſabatur. At Petrus ipſum aſtruit vnigenitum Dei viui, quando Phariſæi, & Scribæ multis blaſphemiis, dolis, ac machinationibus in ipſum inſurgebant, ipſumque appetebant. Vnde ipſe Petrus multis præconiis fuit illuſtrandus. Sic & Marcella, quæ in tanto contradictionis articulo Domini elogia proclamauerit.

Ioan. 1. Matth. 16.

Euthymius.

*Confeſſio fidei facta tempore aduerſitatis, & contradictionis valde grata.*

48. Ioan. 18.

Ait Chriſtus Dominus Pilato. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Ioan. 18. num. 37. Cur non inquit, veni, vt teſtimonium perhibeam charitati, quæ eſt virtutum regina; vel vt dem teſtimonium ſpei, aut fidei veri Dei vnius, & Trini? cur has virtutes non ſpecificat, ſed ſolam veritatem exprimit? Veritati homines maximè obſiſtebant, & refragabantur, & inde excellens virtus Chri[illegible] eminet in eo, quod veritati, in tanta contradictione, ac oppoſitione verſanti, teſtimonium ferat; &, vt ait Caietanus. *Declarat, officium ſuum eſſe, perhibere teſtimonium veritati.*

*Excellentia virtutis manifeſtatur in oppoſitione.*

Caietanus.

49. Iob. 1.

Cum Iob in ſumma fœlicitate degeret, illius virtutem diabolus illudebat. *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum*, &c. Iob. 1. n. 9. *Extende paululum manum tuam, & videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Cui ait Deus: Ecce in manu tua eſt. Quorſum amplius conceditur diabolo, quàm ipſe petit? Cur non Deus extendit manum in ipſum: tamen dicitur diabolo *Extende manum tuam.* Hæc facultas præſtatur diabolo. Rectè Pineda ibi. *Ne poſtea calumniator leuiorem manum Dei diceret, quàm oportet ad probandam illius ſanctitatem. Non ego eum tangam, tuæ manui, & poteſtati committo.* Si Dominus percuteret Iobum, diabolus diceret, quod non mirum, quod ipſe in peccaminoſos actus non prodiret; nam cum manus Domini ſit valde benigna, & clemens etiam inimicis, & delinquentibus, quanto magis amico, & iuſto? Vt ergo omnis calumniandi anſa diabolo amputetur, traditur ſanctus Patriarcha in manus eius, vt emiſſa in illum omni ſua pœnarum machinatione inter tanta tormentorum genera inſignem Iobi ſanctimoniam, ac patientiam, etiam inuitus agnoſcat, & fateatur.

Pineda.

*In aduerſitate clareſcit virtus.*

50. *In contradictione reſplēdet fides mulieris.*

Maximè reſplenduit fides mulieris: nam contradicentibus Phariſæis, Chriſti magnalia proclamauit. In contradictione, ac oppoſitione maximè fulget virtutum radius. Ab Apoſtolo dictus eſt Abrahamus. *Pater omnium credentium.* Rom. 4. num. 11. Antiquior extitit fides Enoch, vel Noe, quàm Abraham: Cur ergo non Noe, ſed Abraham dicitur Pater credentium? Noe, vt ita dicam, credidit in proprium commodum, quod inundante vniuerſali diluuio, ipſe, & tota domus eius in Arca ſaluaretur. At verò Abraham credidit contradicente, & repugnante naturali ordine, quod ex emortua Saræ vulua habiturus eſſet filium, ex ipſoque filio, qui iubebatur, eius ſemen in numeroſam prolem diffundendum eſſet. Sic pergit Apoſtolus. *Credidit in ſpem contra ſpem, & non eſt infirmatus in fide.* Ibi D. Remigius. *Abraham*, ait, *audiens à Deo, Patrem multarum gentium poſui te, & ſecundum hoc tempus veniam, eritque Saræ filius, licet contra naturalem vſum videretur eſſe, non eſt infirmatus in fide, quia non dubitabat in promiſſione.* In tantum exaltatur fides, quæ in oppoſitione apparet.

Roman. 4.

*Fides Abrahami in contradictione.*

D. Remig.

51. *Charitas mulieris in contradictione.*

Secundò, reſplenduit conſtans mulieris charitas, dum in tanta Phariſæorum oppoſitione Chriſti excellentias profitetur. Cum Sponſus declinaret, ac tranſiret à domo Sponſæ, ipſa ſui Dilecti amote permota, *Quæſiui*, ait, *& non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Cantic. 5. num. 6. & 7. Sed quorſum diuinus Sponſus ita ſe elongat à ſancta Anima, cum ipſe optimè præuideret, quod illa quærens ipſum deuentura eſſet in hoſtium manus, à quibus erat vulneribus afficienda, non ſolùm gladio, & ſagittis, ſed etiam iniuriis, & opprobriis, vt notant Theodoretus, Iuſtus Orgelitanus, & alii. Hac ſane de cauſa ab ea tranſit, abſenſque fit, vt interpretatur D. Ambroſius lib. de [illegible] cap. 6. *Illi percuſſerunt eam, vt amplius proba[illegible] ac tentationibus exerceretur.* Vt ita charitas, [illegible] intus in corde Sponſæ erga ſuum Dilectum [illegible]tebat, in publicum foràs prodiret inter aduerſariorum iniurias, ac contumelias, à quibus impediri, ac retardari minimè valuit.

Cantic. 5.

Theodoret. Orgelitan. D. Ambroſ.

52. *Feruida mulieris diligentia. Subueniendū pro vexata innocentia.*

Tertiò feruida mulieris ſedulitas magnopere reſplenduit, nam blaſphemantibus Phariſæis, tacebant Apoſtoli; & tunc mulier toto pectore encomia Chriſti decantat: tueri namque, ac defendere vnam innocentiam poſitam inter ſuorum aduerſantium contrarietates, res eſt, quæ cunctis etiam inſenſibilibus incumbit, ad omneſque ſpectat. Audiens Dauid mortem Saul, Ionathæ, ac principum Iſrael in magnos fletus prorumpit dicens: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul*, &c 2. Reg. 1. num. 21. Sed quamnam culpam contraxerunt montes, ob quam in eos iraſcatur Dauid, cum potius ira eſſet concipienda contra Saul, Ionathæ, ac procerum Iſrael interfectores: Perbellè D. Ambroſius lib. 3. de Officiis. cap. 9. ſic ait: *Pro Regis necis*

2. Reg. 1.

*necis ſpectaculo pœnam elementa ſoluerunt.* Meritò tanto Dauid in montes efferueſcit furore; cum enim ipſi adeſſent morti innocentis principis Ionathæ, magnatum Iſrael vnà cum Rege ſuo, in eorum auxilium, ac protectionem non conuenerunt, vt eos è manibus eriperent inimicorum ſuorum. Tam inſita eſt omnibus obligatio quamcunque protegendi innocentiam, iniuriis, aut morte affectam.

D. Ambroſ. *Omnibus incumbit innocentiã tueri.*

53\. Mortuo Domino, *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Matth. 27. num. 51. Ad quid res tam mirabilis? D. Bonauentura in cap. 23. Luc. *Creaturæ ſibi compaſſæ ſunt.* Moriente Domino, elementa quamuis inſenſibilia, ſe non potuerunt continere, quin pro innocente Agno teſtimonium ferrent, eiuſque inculpatam vitam, tam iniuſtè morte affectam cunctis declararent, ac oſtenderent, tam admirabili ſui motu, ac commotione.

Matth. 27. D. Bonauent. *Pro innocentia, etiam inſenſibilia teſtimonium ferunt.*

## QVÆSTIO IX.

### *Quare mulier Chriſtum laudat in Beata Virgine?*

54\. MVLTA Chriſti præconia poterat mulier proclamare, nempe eius diuinam ſapientiam, potentiam, ac pietatem, de quo iterum infra dicam; hæc omnia ſancta fœmina prætermittit; & ſolùm ad eius laudes decantandas beatum dicit vterum, qui eum portauit, & vbera quæ ipſe ſuxit.

*Ratio difficultatis.*

55\. Reſpondeo Primò. Quod mulier Chriſti elogia in B. Virgine prædicat: valde enim pulchrum, ac elegans eſt, quempiam in alio ſublimare, laudibuſque afficere. In vltima die iudicij ſuis Electis dicet Chriſtus Dominus *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Matth. 25. num. 35. Statim ipſi reſpondebunt: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te; & ſitientem, & dedimus tibi potum.* Tunc dicet Rex: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Cur non actus fidei, ſpei, & charitatis erga ſe immediatè exhibitos; ſeu Religionis cultum in medium non adducit; ad quid potius hæc pietatis, & miſericordiæ opera? Vt talibus obſequiis in [illegible]peres, humileſque expenſis valde glorios[illegible] dilectores commendaret, ac gratificaret, cu[illegible] ſe ſolùm, ſed etiam quæ ſui erant, tantis donis, [illegible] beneficiis proſequerentur. D. Paſchaſius lib. 11. in Matth. *Hoc loco,* ait, *commendatur à Domino, vt quidquid vni eorum feceris, miro modo totum ſibi fuiſſe, teſtetur ſuperexaltantem munus operis in ſe, quod feceris, vt iactum illud glorioſius commendet.* Expende verba *vt quidquid vni eorum,* &c.

*Valde elegans, vnum in alio laudare.* Matth. 25. D. Paſchaſ.

56\. At è contra hominum ingenium. In aliis te inſectantur; in aliis te iniuriis appetunt; immo & in aliis te ſpoliant. Inquit Sponſa: *Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Cantic. 5. num. 7. Non ſat erat dicere, Tulerunt pallium meum; ad quid additur *mihi?* Multoties tibi in altero tuum ſurripitur pallium; & vt Sponſa denotaret, à ſemetipſa fuiſſe ablatum, ideo ſignanter poſuit illud *mihi.*

*Multi te in alio ſpoliant.* Cantic. 5.

57\. Ait Chriſtus Dominus Ioan. 15. num. 24. *Oderunt & me, & Patrem meum.* Caietanus ibi. *Quod oderint Ieſum, clarè apparet ex effectibus.* Quod odio proſecuti fuerint Ieſum, manifeſtè patet ex ira, blaſphemiis, machinationibus in ipſum conſpiratis. Sed quomodo verificatur, quod oderint Patrem Deum, quem ipſi pleno ore aſtruebant confiteri, ac diligere? cauſa odij concitati in Chriſtum, proueniebat ex eius magnis, excellentibuſque virtutibus, quarum auctor Deus erat, à quo emanabant. Cum ergo odio haberent Chriſti virtutes, odio etiam habebant earum auctorem, nempè Deum, non in ſe ipſo, ſed in ſuis virtutibus Sic pergit Caietanus. *Ratio odij erat prædicatio firma, tot miraculis trahens populum; manifeſtè ſequitur, quod in Deum auctorem horum redundabat odium erga Ieſum.* O quanti te perſequuntur, ac odio habent, non in te ipſo, ſed in tuis operibus, factis, cognatis, ac conſanguineis, in quibus tibi panis adimitur. Cum Chriſtus Dominus degeret in hoc mundo, ſæpiſſimè famem ſuſtinuit; nunquam tamen conqueſtus. At in vltima die iudicij Reprobis dicet: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Matth. 25. num. 41. Ac ſi dicat, Quod mihi in hoc mundo in propria perſona degenti eſſet panis denegatus, tacui: quod autem mihi in aliis ſcilicet pauperibus denegetur, valde durum, & intolerabile. *Ite in ignem æternum.*

Ioan. 15. Caietanus. *Sæpè homines aliquem in alio iniurijs appetũt, & inſectantur.* Caietanus. Matth. 25. *Valde durũ, quod tuus tibi panis ſurripiatur in alio.*

58\. Secundò. Valde appoſitè proclamationes ex glorioſis Chriſti geſtis Beatæ Virgini adſcribuntur. Generoſa filiorum facta in parentum ſuorum gloriam, ac ornamentum referuntur. Imminente Thamaris partu, apparuerunt duo gemini in vtero, in ipſaque infantium effuſione vnus eorum protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens; Iſte egredietur prior. *Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter. Dixitque mulier: Quare diuiſa eſt propter te maceria? Et ob hanc cauſam vocauit eum Phares. Poſtea egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zaram.* Gen. 38. n. 27. Vis naturæ impellebat, vt Zaram primus exiret, ac primogenituræ priuilegio frueretur; Phares autem vt in ſecundo loco remaneret. Aliter tamen euenit, & quem natura ad ſecundum locum reſeruabat, primatum tenuit. Sed vnde illi tanta gloria, ipſa natura aduerſante? Ex Phares naſciturus erat David, immo & Chriſtus Ieſus; ex quibus filiis tanta in ſuum parentem deriuatur gloria, vt illi, adhuc inter materna viſcera exiſtenti, iam omnis præeminentia, omniſque primogenituræ decor, etiam obſiſtente natura, deferatur, ipſeque omni ſplendore inſignitus in orbem prodeat. Diodorus in Catena Græca. *Illud præcipuè conſiderandum, quod Zaram, natura primogenitum faciebat, manum iam proferentem: Deus autem ad Phares contulit priuilegium, vnde Dauid, regiumque genus, & Chriſtus oriundus erat.*

*Filiorũ virtutes, parentum gloria, ac ornamentum.* Geneſ. 38. *Ex filijs magna gloria deriuatur in patres.* Diodorus.

59\. Tertiò. Aptiſſimè ex Chriſti magnalibus Virginis elogia decantantur: nam dolores, ac paſſiones mortis Chriſti in Virginis animam diffuſæ ſunt: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Luc. 2. num. 35. Valdè conſonè gloria laudis ex Chriſti factis Virgini defertur. Qui enim participes ſunt in preſſura, etiam in gaudio, & exultatione participes ſint. *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* 2. Corinth. 1. num. 7.

*Vbi pœna doloris eſt, ibi & exultationis lætitia.* Luc. 2. 2. Corinth. 1.

60\. De noſtra reſurrectione agens Apoſtolus ad Philipp. 3. num. 21. ait: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* ſeu, vt habet Græcus, *vt conforme corpori claritatis ſuæ.* Sed vnde noſtrum humile corpus in tantum

Ad Philip. 3. Græcus.

euehitur



euehitur apicem, vt reddatur effigiatum maieſtati corporis filii Dei? Præmiſerat Apoſtolus de ſe loquens: *Configuratus morti eius.* ibidem num. 10. Et corpus, quod paſſionum eius communionem habuit, non mirum, quod eam honoris etiam, & decoris conſequatur. D. Thomas. *Quicumque participat,* ait, *virtutem diuinitatis per gratiam, & paſſionem Chriſti imitatur, glorificabitur.*

*Ibi reſurrectionis lætitia, vbi & mortis pœna.* D. Thomas.

61\. Quartò. Cum præſens occaſio exigeret, vt mulier Chriſtum laudibus extolleret; Virginis tamen laudes alta voce in medium adducit. Obſequia enim, quæ ſuis dilectis deferuntur, Chriſtus Dominus ſibi facta reputat. Ablutionis pedum miniſterio peracto, ait Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis: *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus, & magiſter; & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Ioan. 13. num. 14. Hanc tamen conſequentiam aliter videbatur eſſe inferendam, nempe. Si ergo ego laui pedes veſtros; & vos debetis lauare mihi pedes. At diuinus Magiſter altiori modo illationem deducit: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Officia enim pietatis, quæ ſuis perſoluuntur, ſibi veluti collata Chriſtus computat; & dum vnus Diſcipulus alterius pedes lauat, totum miniſterium vt ſibi factum adſcribit. Perbellè D. Paſchaſius lib. 11. in Matth. *Credendum,* ait, *quod hæc omnia in membris ſuis, acſi in ſe ipſe ſuſcipiat, quod in multis locis ſcripturarum apertiſſimè monſtratur, ſicut eſt illud, Qui vos audit, me audit; & qui vos recipit, me recipit.* Luc. 10 num. 16. Nec non & Saulo ait de Cælo: *Saule, Saule, cur me perſequeris.* Actor. 9. num. 4.

*Obſequium ſuis dilectis exhibitum, Chriſtus ſibi factum reputat.* Ioan. 13. *Obſequium ſuis dilectis exhibitum Chriſtus ſibi factum reputat.* D. Paſchaſ. Luc. 10. Actor. 9.

62\. Quintò. Chriſti magnalia Marcella contemplata, ſtatim in laudes Virginis exurgit, vt mirifico modo Chriſti præconia decantaret. Perbellè D. Athanaſius Orat. de Maria, eam ſic alloquitur *Benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis conſtat, qui magni Regis Dei cognitores appellantur.* Cur magni Dei cognitores, ſeu contemplatores dicuntur? Ante omnia, quia Mariam benedictionibus celebrant, in ipſa enim omnia Dei excelſa mirificè relucent, ex ipſaque filius Dei factus homo, decore, & pulchritudine indutus proceſſit. Quanto quis magis habet de cognitione Dei, tanto magis in Mariæ laudes celebrandas exurgit. Vide ſupra cap. 16. num. 132. 133. & 134.

D. Athanaſ. *Ex cognitione magnaliũ Dei in Virginis encomia deuenimus.*

63\. De ſua Dilecta ait Sponſus: *Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es.* Cantic. 1. num. 15. Cui ſtatim reſpondet Sponſa: *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus.* Sed cur in his commendationibus, alto dictamine diuini Spiritus, à pulchritudine Sponſæ ſumitur exordium, cum tamen æquius eſſe videatur, quod à decore Dilecti haberetur initium, ab huius enim venuſtate tota Sponſæ formoſitas irroratur. Tamen ſic ordinatum eſt, vt antequam ad Sponſi commendationem deuentum eſſet, prius laudes Sponſæ præmitterentur, quaſi Dilecti venuſtas à Sponſæ forma formoſior appareret; nam ex eius puriſſimo, ac virginali vtero ipſe pulchritudine, ac decore indutus exiuit. Rupertus. *Dicis mihi,* inquit, *Ecce tu pulchra es: & ego dico tibi, Ecce tu pulcher es; ex quo enim ego facta ſum pulchra, ex eo tu, qui ſemper pulchrior fuiſti, pulchrior factus es: nam verò in eo pulchritudinem tuam adauxiſti, quod cum Deus eſſes, homo dignatus es fieri.* Ecce Rupertus adſtipulatur, Chriſtum ex Maria reddi pulchriorem.

Cantic. 1. *Dei magnitudo per Mariã agnoſcitur.* Rupertus.



64\. In citatis tamen Canticorum verbis ponderandum, quod in decantandis Sponſæ elogiis bis ponitur aduerbium *Ecce.* Sic dicitur: *Ecce tu pulchra es amica mea. Ecce tu pulchra es.* At in laudibus Sponſi ſemel tantum. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus.* Aduerbium *Ecce* admirationem denotat: Et quod Sponſus eſſet pulcher, multa admiratione dignum, hoc tamen totum habet per naturam, & eſſentiam. At quod vna pura creatura, Virgo nempè Maria, tot gratiis, priuilegiis, ac donis eſſet inſignita, multipliciter, & ſupra modum admirandum fuit.

Cantic. 1. *Valde mirũ, quod Virgo Maria tam ſublimata ſit donis, ac priuilegijs.*

65\. Ad noſtrum intentum. De Chriſto canit Iſaias 9. num. 6. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Et ſtatim ſubditur. *Et vocabitur Deus fortis.* Ex Hebræo ad verbum legitur: *Vocabitur Deus Gigas.* Cum naſcitur de Maria Deus Gigas dicitur: Ecce Deus, quo nihil eſt maius, aliqualiter noſtro dicendi modo, ſe ipſo maiorem oſtendit, dum noſtra carne indutus ex Maria proceſſit. Alij canunt, *Lauda anima mea Dominum.* Pſalm. 146. num. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Pſalm. 117. num. 1. *Benedic anima mea Dominum.* Pſalm. 103. numer. 1. At Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. numer. 46. Quod verbum premens Petrus Bleſenſis ſerm. 1. de Aſſumptione. aliàs ſerm. 28. ſic ait. *Alia magnum prædicant Dominum, & dicunt, vt creaturæ rationales; alia magnum probant, & oſtendunt. Ego autem magnum facio Dominum.*

Iſaiæ. 9. Hebræus. *Deus magnus per Mariam.* Pſalm. 146. Pſalm. 117. Pſalm. 113. Luc. 1. Bleſenſis.

## QVÆSTIO X.

### *Quare vt ſancta mulier Phariſæorum blaſphemias refutaret, in medium profert Virginis laudes?*

66\. MAXIME ponderanda eſt conſequentia, qua ſancta Marcella in hoc negocio ſe habeat. Calumniantur Phariſæi Chriſti Domini diuinitatem, ac poteſtatem: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Quare ergo ſancta mulier, vt tot confutaret blaſphemias, non in medium producit multa argumenta pro Chriſti diuinitate, ac poteſtate; ſed his omiſſis in commendationes Virginis prorumpit? Pro certo apud ſe ſtatuit, quod nullum ad probandam Chriſti potentiam, ac maieſtatem videbatur in præſenti efficacius medium, quàm ſi puriſſimæ Virginis Mariæ filius diceretur, ac agnoſceretur.

*Ratio difficultatis.* *Cum Chriſtus Mariæ filius dicitur, eius dignitas, & poteſtas declaratur.*

67\. In exordio ſui Euangelij generationem Æterni Verbi narrat Ioannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum;* Et poſtea ſubdit: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. num. 4. ſeu, vt legit Origenes, *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Pergit Euangeliſta dicens: *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Magna ex hinc ſuboritur quæſtio: Procedit Filius à Patre; & cum ipſe ſit lux, & vita per eſſentiam, tamen tenebræ, ſcilicet homines ſuis peccatis obcœcati, eum non apprehenderunt,

Ioan. 1. Origenes.

Ll nec

nec cognouerunt: at vbi factus eſt homo in ſacratiſſimo Virginali Mariæ vtero, tunc in ipſo viſitur ſuæ diuinitatis maieſtas, tanquam vnigeniti à Patre? Nobis notior, ac manifeſtior factus in gloria ſuæ potentiæ, ac diuinitatis, tanquam vnigeniti à Patre, quando noſtra carne indutus exiit ex Mariæ Virginis vtero, quàm dum in eminentia totius naturæ diuinæ, ac attributorum per æternam generationem procedit à Patre. Pulchrè Theodorus Studita Orat. de natali Baptiſtæ circa finem. *Quia eſt ſuper omnia*, ait, *& in ſinu Patris, neſcientibus alijs igneis eius miniſtris, tanquam aliud cœlum ingreſſus, in vtero ſemper Virginis Mariæ ſeipſum patefecit.* Perpondera vltima verba.

*Chriſti gloria cognoſcitur ex Maria.*

Studita.

68. *Deus in domibus eius cognoſcetur.* Pſalm. 47. num. 4. Canit Propheta, quod Deus erit agnitus, & cognitus in mundo, ac Eccleſia ſua, ſed quando? qua circumſtantia temporis? *Cum ſuſcipiet eam*, ſcilicet noſtram naturam humanam, vt interpretatur D. Thomas. *Per hoc*, ait, *ſignificatur totum tempus Incarnationis Chriſti, Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam, id eſt humanam naturam in vnitate perſonæ.* Deus dicitur notus in mundo in eminentia ſuæ potentiæ, non quando genitus in cælo, ſed quando ex vtero Mariæ Virginis, vt Sponſus è thalamo ſuo proceſſit in Orbem.

Pſalm. 47.

D. Thom.

*Deus dicitur notus, cum ex vtero Mariæ exiit.*

## Qvæstio XI.

### *A quo motiuo inducta fuit hæc ſancta mulier, vt tam clara voce Chriſti ſupereminentiam fateretur?*

69. Magna fide mulier proclamauit, vt dixi quæſt. 7. in principio: tempus tamen, eiuſque circunſtantia eſt maximè ponderanda. Magnum hic Chriſtus D. miraculum edidit. Dæmoniacum ſurdum, cœcum, & mutum ſanauit. Et tunc mulier tacet. At cum Phariſæi blaſphemant: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eijcit dæmonia*: & Dominus cum multa manſuetudine eis reſpondet: *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur*; tunc mulier toto pectore erigit vocem dicens: *Beatus venter, qui te portauit.* Cur modo, & non antea? Antea viderat miracula, modo inter Phariſæorum blaſphemias videt Domini patientiam. Et inter iniurias patientia maior diuinitatis Chriſti extitit index, quàm eius eximia poteſtas, qua demonſtrabatur, vniuerſa ſibi eſſe ſubiecta.

*Ratio difficultatis.*

*Patientia diuinitatis nota.*

70. Domini patientiam, ac manſuetudinem inter Phariſæorum blaſphemias conſiderans Tertullianus lib. de Patientia, cap. 3. ait. *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Valde notandum eſt illud ſuperlatiuum *maxime*, vnde Dominus potiſſimè agnoſcendus fuit à Phariſæis, an ex miraculis, vel ſuprema poteſtate, qua dæmones eiiciebat, vel ex opificio mundi, vel ex ſua eximia erga omnes charitate? Vox Tertulliani pro patientia clamat. *Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Ab ipſa iniuriarum tolerantia maxime debuerunt Phariſæi, Chriſtum eſſe Deum, deducere: non enim tàm nitet diuinitas in miraculis, potentia, ac mundi opificio, quàm in multa patientia. Qui enim æquaminiter contumelias ſuſtinent, homines eſſe deſiiſſe, & inter diuinos tranſcribi videntur. Vide quæ dixi ſupra cap. 18. num. 79. 80. & 81. & tom. 1. lib. 3. cap. 6. quæſt. 15. num. 107. 108. & 109.

Tertull.

*Diuinitas Chriſti maximè manifeſtatur à patientia.*

71. Secundò. Non quando Dominus operatur miraculum, non quando blaſphemant Phariſæi: ſed quando Chriſtus D. eorum conuicia refutat mirabili ſermone, atque doctrina. *Omne regnum in ſe ipſo diuiſum deſolabitur: filii veſtri in quo eijciunt?* tunc mulier magna fide clamat: *Beatus venter, qui te portauit.* Quid modo tam vehementer mulierem excitauit? Sine dubio verba Chriſti, quæ audita ad inducendum mulieris animum in tam præclarum fidei teſtimonium fuere vehementiora, quam magna miracula viſa. Et quid mirum, cum nil verbo Dei potentius, ac efficacius ſit.

*Ad corda mouenda efficacior Dei vox quam miracula.*

72. Cum nomen Chriſti per totam Iudæam maximè diuulgaretur, Principes Iudæorum, ac Phariſæi deſtinarunt miniſtros, etiam appoſito pretio ad eum apprehendendum. Qui, cum pergerent ad ſibi iuſſa exequenda, Dominum Ieſum concionantem inuenerunt. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat; Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan. 7. num. 37. Quod audientes ſatellites admirati reuertuntur. Quibus dicunt Phariſæi. *Quare non adduxiſtis illum: Reſponderunt miniſtri: numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* ibidem num. 45. Valde nota apud omnes erat miraculorum Chriſti fama, quam hi miniſtri ignorare minimè poterant; immo fortè plures eorum multa Domini miracula inſpexere: hac tamen notitia non obſtante, pecuniæ amore allecti, Phariſæorum dictis acquieſcunt, tenduntque ad Dominum capiendum: modò autem, nullo miraculo viſo, à ſua cogitatione deſiſtunt. Vnde hoc? Ab efficacia verborum Chriſti, quæ apud eos fatendam, venerandamque Domini maieſtatem, & excellentiam, omni pecuniarum amore contempto, vehementiora fuere, quàm quæcumque alia cognita, ac etiam viſa miracula. Albertus Magnus. *Miniſtri autem*, ait, *contemptis pretiis, quibus remunerabantur: ad capiendum, ex ſolis verbis eius capti, à miniſterio captiuitatis deſtiterunt.*

Ioan. 7.

*Ad oſtendendam Chriſti diuinitatem efficacius eius verbum quam opera.*

Alb. Mag.

73. Loquens Deus de mari, ait: *Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringens tumentes fluctos tuos.* Iob. 38. num. 10. Vt mare ſua in aluo reprimeretur, illi Deus oppoſuit terminos, vectes, & oſtia, ſuperque hæc vocem ſuam adiecit: *Vſque huc venies, & non procedes amplius.* Sed ad quid hæc Dei vox? Vt mare littora ſua non pertranſiret, nonne ſufficiebant termini, vectes, & oſtia, à Dei manu præſcripta: ad quid vltra additur Dei imperium? Cum mare tumeſcentibus fluctibus ſuperbeſcit, vt ſubmiſſionem, ac cultum Dei poſitione deferat, hoc non tam à viſis terminis vectibus, ac oſtiis, Dei operatione aſſignatis, quàm potiùs à diuina voce in ipſis littoribus inſculpta depromit, vt tumore ſuo, quo terram concutiebat, depoſito, in aluum ſuam deflectat, ac retrocedat. D. Baſilius Seleuc. orat. 1. *Eſto*, ait, *ventorum impetu ad terram mare propellatur, fertur illud quidem fluctibus altè elatum, vbi vero terminos attigerit, reuertit, refugitque, & Domini vocem littoribus inſculptam cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini poſitionem adorat. Cumque terram violenter feriat, reflectitur, ac diuini imperii memor refertur in fugam.* Expende verba: *Et Domini vocem cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini poſitionem adorat.* Tam efficaciter Dei vox ſuper omnia alia opera ad ſui venerationem commouet creaturas. Vide ſupra cap. 12. num. 70.

Iob. 38.

*Inſenſilia mouentur magis Dei voce, quam alio quocumque opere.*



## Qvæstio XII.

### *Quare mulier non Phariſæis, ſed Chriſto tantum loquitur, eiuſque encomia valde ſtrictè celebrat?*

74. Hæc ſancta mulier; non Phariſæis, ſed ſoli Chriſto Domino loquitur, vt patet ex textu, *Dixit illi: Beatus venter*, &c. Et quanuis cum Chriſto tantum loquatur, vocem extollit. Quia Marcella, vt pote ſancta, ob ſuam humilitatem ad Chriſtum appropinquare non audebat. Proh. dolor! Quot indigni hodie ad ſacram menſam accedunt! Cum ergo è longe eſſet, ac in medio turbæ conſtituta (hoc forſitan ſignificat id, quod dicitur mulier de turba) vt iam dixi & cum Chriſto loqueretur, ideo totis viribus proclamat. Deinde cum veritas angulos fugiat, ſemper clarè, & patenter in omnium conſpectu eſt eructanda.

*Mulier Chriſto non appropinquabat ob ſuam humilitatem.*

75. Ad noſtrum ſcopum. Cur non cum Phariſæis, ſed cum ſolo Chriſto loquatur? Ad ipſum enim dirigebat ſermonem. Secundo. Phariſæi, ac ſcribæ circunſtantes Chriſtum Dominum maligno odio proſequebantur; & mulier eius elogia, atque laudes proferebat: ideo non ad Phariſæos, ſed ad ipſum ordinat ſermonem. Aduerſarii enim commendationes tuas nunquam percipiunt, neque intelligunt. Vide ſupra cap. 11. num. 128. & tom. 1. lib. 2. cap. num. 60. & lib. 3. cap. 3. quæſt. 1. num. 6. & tom. 2. cap. 15. quæſt. 3. num. 25. & cap. 24. num. 10.

*Inimici non capiunt tuas laudes.*

76. Tertiò, Non Phariſæis, ſed Chriſto loquitur mulier. *Dixit illi.* Sacratiſſimæ Virginis commẽdationes proferebat; & Deo interius illuminante, firmiſſimè apud ſe ſtatuit, quod Virginis decantationes ſolus Chriſtus intelligere, ac capere valebat. Quod etiam magis ſtabilitur. Nam cum mulier in Virginis laudes prodiret, non commendat excellentiam illius meritorum, quibus dignum Dei habitaculum effici promeruit: non modum concipiendi ex Spiritu Sancto, illæſa virginitate; non modum portandi in vtero eum, qui à totius mundi vaſtitate non capitur: ſed valde ſtrictè, ac ſummatim ſe habet in hoc negotio dicens: *Beatus venter, qui te portauit.* Sciebat enim, quod Virginis magnalia, dicere, explanare, ac perfectè intelligere, non hominis, immo nec Angeli, ſed ſolius Dei erat, cum quo ipſa loquebatur; & ideo in hac commendatione breui eſt vſa periodo, totam rem Chriſto committens, qui ſolus, vt oportebat, eam aperire valebat.

*Solus Chriſtus intelligit Virginis encomia eaque explicare valet.*



77. Venit Gabriel ad Virginem Mariam annuntians conceptionem Filii Dei in vtero eius. Cui ait Virgo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Luc. 1. num. 34. Benè nouit Angelus Virginis affectum, quod incorruptionem ſuæ virginitatis quærebat; Cur ipſe perſpicacia ſua angelica illud minutim non explanat: ſed ait: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Cur de tanto myſterio de quo tanta dicenda venirent, tam breuiter Gabriel agit? Cur non explicat, quod illud ineffabile compoſitum totum in inſtanti eſt efformandum vnita humana natura in hypoſtaſi filii Dei ſine naturarum confuſione; ſed tantum inquit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te?* Acſi diceret: Magiſtrum quæris de his, quæ in te ſunt facienda? Spiritus Sanctus, qui in te ſuperueniet, qui in te totum operabitur, ipſe te docebit, ipſe tibi diſciplinam de tam magno myſterio infundet, cuius ipſe ſolus, qui operator, & doctor eſſe poteſt; & non ego, qui ſolum Angelus annuntians miſſus ſum. Pulchrè D. Bernardus homil. 4. Super miſſus eſt ſic introducit Angelum ad Virginem loquentem. *Quid à me requiris, quod in te mox experieris? ſciens ſcies, & fœliciter ſcies, ſed illo doctore, quo & auctore. Ego autem miſſus ſum nuntiare virginalem conceptum, non creare: nec poteſt doceri, niſi à donante.* Quæ ſunt de illibata Mariæ virginitate, quæ de magnalibus in illa operatis à ſolo donante dici poſſunt.

Luc. 1.

*Quæ Mariæ ſunt, à ſolo Spiritu ſancto edoceri poſſunt.*

D. Bernard.

78. Ait Ioannes in ſua Aocalypſi 4. num. 5. *De throno procedebant fulgura, & voces. & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes.* Cur non explicantur à ſublimi Aquila, qualia eſſent huiuſmodi fulgura, voces & tonitrua, cum in aliis hæc videamus enucleata; de fluuio cæleſtis Patriæ dicitur; *fluuium aquæ viuæ ſplendidum, tanquam cryſtallum.* Apocal. 22. num. 1. Similiter paſſim & voces explicantur: *Vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc.* Apocal. 4. num. 1. Et iterum: *Vidi alterum Angelum, & clamauit voce magna quatuor Angelis, dicens: Nolite nocere terræ, & mari.* Apocal. 7. num. 2. Cur ergo ſolum fulgura, & voces, ac tonitrua, quæ procedebant de throno, non exprimuntur qualiter lucerent, qualiterque dicerent, ac reſonarent? Thronus ille Agni B. Virginem Mariam adumbrabat, vt auctor eſt D. Bernardus ſerm. de laudibus Mariæ, qui inter eius opera habetur. *Vnde Ioannes in Apocalypſi*, ait, *de throno ſcilicet de Maria procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: quia Maria mater filii Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, & fidelius credidit.* Cum thronus ille B. Virginem denotaret, meritò fulgura voces, tonitrua, & ſeptem lampades ardentes, quæ de illo procedebant, qualia eſſent, non declarantur: quia fulgores virtutum Beatæ Virginis Mariæ, voces laudum eius, tonitrua magnalium, & ſeptem Spiritus ſancti dona, quibus eſt ditata, nulla inuenitur creatura nec in cælo, nec in terra, quæ tanta, ac talia valeat exprimere, & enucleare.

Apocal. 4.

Apocal. 22.

Apocal. 4.

Apocal. 7.

D. Bernard.

*Nullus intellectus creatus poteſt declarare virginis virtutes, atque magnalia.*

79. Multum eleganter B. Virgo appellatur à D. Damaſceno, vt alibi notaui, *Abyſſus gratiarum.* Abyſſus eſt quædam profunditas impenetrabilis,

D. Damaſ.

*Magnitudo gratiæ Virginis incomprehenſibilis intellectui creato.*

& incomprehẽſibilis. Multitudo gratiarum B. Virgini à Deo eſt collata, ad normam & menſuram illius dignitatis, in quam euecta eſt. Quis ergo incomprehenſibilem gratiarum profunditatem in Virgine, etiam cogitando, ementietur, cum prorſus creato intellectui ſit in comprehenſibilis dignitas maternitatis filii Dei. D. Auguſtinus lib. vnico de Aſſumpt. Virg. cap. 1. *Sanctificante*, ait, *Spiritu ſancto tuo in ea vterum humanum ad conceptionem filij tui, cuius dignitatis, & gratiæ effectum nec concipere, nec lingua valet exprimere.* Pro quo magnopere pondera D. Bernardinum Senenſem tom. 1. ſerm. 61. cap. 12. *Quod fœmina*, ait, *conciperet, & pareret Deum, eſt, & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim, vt ſic dicam, fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum: quam æqualitatem creatura nunquam experta eſt.* Perpende conſequentiam, quam ex ipſo miraculo miraculorum deducit D. Bernardinus. Quod oportuerit, vt fœmina eleuaretur ad quandam æqualitatem diuinam, & quod eſſet ditata quaſi infinitudinis gratiarum abundantia, quam nunquam creatura eſt experta.

D. Auguſt. D. Bernardin.

## Qvæstio XIII.

### *Quare prius Marcella nominat beatitudinem, quàm ventrem, & vbera Beatiſsimæ Virginis Mariæ?*

80. *Ratio difficultatis.*

IN hoc elogio ait hæc ſancta mulier: *Beatus venter, qui te portauit.* In quo maxime ponderandum eſt, quod in B. Virgine prius mulier prædicat beatitudinem, quam ventrem, & vbera, cum in aliis prius videamus nominari perſonam, quàm titulo beati inſigniri? Sic magnus Paulus de ſe loquitur Actor. 26. num. 2. *Æſtimo me beatum apud te, cum ſim defenſurus me hodie.* Prouerb. 3. num. 18. *Qui tenuerit eam*, ſcilicet ſapientiam, *beatus.* Et 29. num. 18. *Qui cuſtodierit legem, beatus erit.* Ait verò in B. Virgine Maria mutatur ſtylus, prius beatitudo acclamatur, quàm venter, & vbera eius dicantur.

Act 26. Prou. 3 & 29

81. *In Virgine prius gratia conſideratur, quàm natura.*

Adeo B. Virgini ſunt ingenita, & intima ſupernaturalia dona gratiæ, & beatitudinis, vt in ea prius hæc eluxerint, quam moles corporea extiterit. D. Damaſcenus Orat. 1. de Mariæ natiuitate. *Natura*, ait, *gratiæ fœtum anteuertere minimè auſa eſt, verum tantiſper exſpectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Pulchrè Philippus Abbas lib. 6. Cantic. cap. 8. explicans illa verba. *Vna eſt matris ſuæ electa genitricis ſuæ.* Mariæ matrem vult eſſe gratiam. *Vna eſt igitur*, ait, *matris ſuæ: quia mater gratia nec primam viſa eſt, habere ſimilem, nec ſecundam, quæ ſe forma pari exhiberet, Virginem pariter, & fœcundam: non aliam tantis virtutum titulis honorauit: hanc vnam, vel vnicam ſingulari priuilegio decorauit. Tam* ingenita eſt ei gratia, vt ipſiuſmet gratiæ dicatur vnica filia, cui mater gratia totam ſuam formam impreſſit, eamque vt filiam valde ſibi ſimilem reddidit. Et notandum, quod bis dicitur filia vna, ſeu vnica gratiæ. *Vna eſt matris ſuæ*, & iterum, *electa genitricis ſuæ.* Filia vnica, vt eſſet Virgo, & mater filii Dei, *Virginem pariter, & fœcundam*: filia vnica in eo, quod eam tantis donis, ac priuilegiis inſigniuerit: *non aliam tantis virtutum titulis honorauit.* Vnde pulchrè ait D. Auguſtinus homil. 4. de Aſſumpt. *Quantum Chriſti poteſtas poſſit, mundi oſtendit vniuerſitas, quantum gratia, Mariæ monſtrat integritas.* Et ſi totus mundus oſtendit Dei potentiam; vna vero Maria Dei gratiæ magnitudinem.

D. Damaſc. Cant 8 Phil. Abb. *Maria dupliciter gratiæ filia.* D. Auguſt. *Maria oſtendit Dei gratiæ magnitudinem.*

82. Hinc ſingulariter in ea beatitudinis fulgor reſplendet, de eaque decantatur. In ſuo Cantico ait ſanctiſſima Virgo: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* Luc. 1. num. 48. Quæ verba expendens Albertus Magnus inquit: *Et beatam me dicent, id eſt nominabunt; & ideo ſicut, ſecundum Poëtas, Tonans nominatur Iuppiter; & Paulus, ſecundum ſanctos, intelligitur; cum dicitur Apoſtolus: ita cum dicitur Beata Virgo, intelligitur mater Dei: nec aliter eſt nominanda, quam Beata Virgo, ex quo ipſa, ſibi hoc nomen ab omnibus deberi, ait.* Sic diſſerit magnus Doctor. Tamen notari velim, quod ſanctiſſima Virgo in Cantico ſuo non indixit, ſe beatam appellandam annexa virginitate, ſed ſimpliciter, *beatam me dicent*, ita vt antonomaſticè, cum Beata dicitur, Mater Dei intelligatur. In illa enim, non ſolum poſt mortem, ſed etiam in hac vita degente extitit omnis gratia, omnis ſanctitas, omnis confirmatio, ac ſecuritas cum magna Dei cognitione, quæ animam illam ſacratiſſimam beatam reddiderunt, vt docet D. Damaſcenus Orat. 1. de Dormitione Mariæ. Hinc omne eius præconium poſt Incarnationem Verbi beatitudine decantatur. *Beata, quæ credidiſti. Beatam me dicent omnes generationes. Beatus Venter. Beata viſcera Mariæ Virginis.* De quo quæſt. ſequenti.

Luc. 1. Albert. Mag. *Virgo beata per antonomaſiam.* D. Damaſc.

## Qvæstio XIV.

### *Quare, cum beatitudo corporis redundet ab anima beata, vterus Virginis in via prædicatur beatus?*

83. *Ratio difficultatis.*

VALDE mirabile eſt hoc mulieris præconium: Corpus non beatur, niſi ex redundantia animæ beatæ, corpus ab anima participat beatitudinem. Si ergo Maria eſt in via, nec eius mens Deitatis intuitione fruitur (loquor de intuitione permanenti, nam tranſeunter Deum vidit in via.) Quomodo ergo eius vterus beatus decantatur? Reſpondeo Primò. Quod vulgariter beatum appellamus illud, quod bonis abundat, & nulla maior potuit eſſe fœlicitas, nullaque maior excellentia, quàm quod vterus Virginis gratia increata plenus extiterit.

84. Secundò, A plenitudine gratiæ creatæ Mariæ optimo argumento eius vterus beatus, ac glorioſus prædicatur. Plenitudo gratiæ conſummationem quandam ſapit: conſummatio autem gratiæ gloriam beatitudinis innuit. Pro quo perpondera verba D. Thom. 3. part. q. 27. art. 5. ad 2. Qui de B. Virgine agens ait: *In conceptione filij Dei con-*



*ſummata eſt eius gratia, confirmans eam in bono.* Quomodo Angelicus Doctor conſummatam gratiam, quæ propria eſt Beatorum nota, Virgini in via adſcribit? Agebat de gratia ad tenendum, ac concipiendum Deum in vtero, ad noſtrum tamen ſcopum collimandum ſubiiciam Odonium Epiſcopum Camarenſem, in Opuſculo. *Gratia plena*, ait, *Si gratia plena, nihil eius omnino erat vacuum gratiæ: nihil ergo eius peccato vacabat, cuius totum gratia implebat. Igitur glorioſus ſexus, glorioſus venter, glorioſa viſcera, glorioſum totum, quod totum gratia plenum.* Multum elegans illatio. Gratia ſemen eſt gloriæ: Gratia repleuit totam Virginem: ergo & gloria eam repleuit, optimoque iure eius vtero, vberibus, ac viſceribus adſcribitur.

*In Maria gratia conſummata.* Odon. *Gloria totam replet Mariam.*

85. Tertiò, Beatitudo conſiſtit in intellectuali cognitione: atqui B. Virgo prius concepit Deum mente, quam ventre, vt deprehendes ex D. Auguſtino tract. 10. in Ioan. & lib. de Sancta Virg. cap. 3. Ruperto lib. 1. in Cantic. & cap. 31. in Iſaiam. S. Bernardino Senenſi tom. 1. ſerm. 52. cap. 2. de quo infra. Quia perfectè tenuit Deum mente, cognitione, meditatione, ac contemplatione, inde effecta eſt digna, quæ ipſum ventre conciperet. Audi D. Laurentium Iuſtinianum ſerm. de Annunt. col. 2. *Aue gratia plena*, ait, *Dominus tecum, tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præſidio. Cæterum hoc non habes abs te, ſed ab illo, qui fecit te, vt naſceretur ex te, paſceretur ex te: Repleuit enim te, vt fieret ex te.* Perpondera vltima verba. *Repleuit enim te, vt fieret ex te.* Tam glorioſè, ac magnificè eius ſanctiſſima anima impinguata eſt cæleſtibus bonis tamque alte Deum conſiderabat, vt inde redundarent in corpore beatificæ dotes, vt Deum portaret in vtero, viſceribus teneret, manibus contrectaret, brachiis foueret. Et preme verba Laurentii Iuſtiniani: *Repleuit enim te, vt fieret ex te.* Ex conſequentia excellentiæ collige magnitudinem præmiſſæ. B. Virgo verè, & perfectiſſimè Deum tenuit ventre, vt Catholica fides profitetur. Conſidera ergo exinde, quàm verè, & perfectiſſimè tenuerit mente. Aduoco huc D. Ildephonſum lib. de Virg. Mariæ. cap. 8. *Audiſtis Virginis oraculum*, ait, *quæ tam verè vtero carnis concepit, & generat quam verè vtero mentis accepit, & narrat.*

D. Auguſt. Rupert. D. Bernard. *Maria prius mente, quàm ventre concepit.* D. Lau. Iuſt. *Quã perfectè Deum tenuerit mente.* D. Ildeph.

86. Vis ſcire, quàm perfectè Virgo Maria Deum mente tenuerit? Expende quædam verba D. Thomæ ſupra citato loco 3. part. quæſt. 27. artic. 5. ad 2. nam poſtquam agit, quod in conceptione filij Dei conſummata eſt eius gratia perficiens in bono, addit: *In ſui vero glorificatione conſummata eſt eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.* Beatitudo formaliter conſiſtit in actu intellectus, vt docet ipſe D. Thomas 1. 2. quæſt. 3. Fruitio autem eſt actus voluntatis, vt ipſemet docet ibidem quæſt. 11. art. 1. in corpore. conſequens ad ipſam beatitudinem. Cur ergo magnus Doctor glorificationem Virginis explicat per actum voluntatis, & non per actum intellectus vt in aliis Beatis. Hoc ſanè egit ſuo angelico acumine, vt nobis denotaret, quod Virgo Deum ventre gerens tam perfectè etiam ipſum mente tenebat, quàm fas erat puro Viatori, vt in ſui glorificatione quodam modo, & ſecundum noſtrum dicendi modum, non alia illi deficeret gloriæ portio, niſi fruitio, ac gaudium de tanto bono poſſeſſo. Verum eſt, quod B. Virginis in Via de Deo cognitio abſtractiua erat (loquor de cognitione permanenti, vt iam dixi) & ad illam, quæ eſt intuitiua Patriæ, non peruenit; tamen tantum ad illam acceſſit tantumque de ipſa ſaporem habuit, cum in ipſamet Virgine tota Deitatis plenitudo ſub carnis velamine inhabitaret, vt in ſui glorificatione ſolum gratia in fruitione perficiens exprimatur. Patrocinatur huic cogitationi Gerſon tract. 3. ſuper Magnificat. col. 10. *Erat tunc*, ait, *ſpiritus Mariæ, licet in corpore quaſi nihil de corpore portaret. Hinc defeciſſe, hinc extra ſe fuiſſe, hinc in atriis domus Domini habitaſſe perhibetur.*

D. Thom. *Multum ſaporem ſupernæ Patriæ Maria habuit in via.* Gerſon.

87. Quartò, Quid mirum, quod eius vterus beatus prædicetur, cum ipſa Virgo Maria Dei gloria appelletur à D. Damaſceno ſerm. 45. *De quo*, ait, *nihil aliud poſſumus dicere, niſi, quia glorioſa dicta ſunt de te, gloria Dei.* Idem enim fuit, quod ipſa fieret ciuitas Dei, in qua Deus inhabitauit, ac vt fieret gloria Dei. *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem.* Cantic. 6. num. 3. Comparatur cum Ieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur. Et vbi nos habemus, *Suauis*, in Græco eſt, *Benecomplacens*, Aquila, *ſecundum beneplacitum.* Cur ergo pulchritudinum ſuauitas, quam Deus inuenit in B. Virgine, explicatur per verbum *beneplacitum*, per quod exprimitur ſuprema complacentia, ac delectatio, quam Æternus Pater habet in dilecto filio ſuo Ieſu? *Ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 17. num. 5. Cur vtrobique idem verbum? Optimè ſanè gaudium, & lætitia, quam Deus de pulchritudine, ac decore B. Virginis obtinet, non aptius, quàm per illius eminentiſſimæ dilectionis veſtigia, vt noſtro dicam dicendi modo; valuit adumbrari. Gratia maternitatis inuenta in Maria beneplacitum eſt filio Dei. D Epiphanius in Anchor. col. 42. in fine. *Quoniam multa millia in terra erant, & Maria ſola gratiam inuenit & in ipſa elegit ſanctam carnem; & propterea eſt illa, in qua ipſi benecomplacitum eſt.*

D. Damaſ. *Maria Virgo Dei gloria.* Cantic. 6. Græc. Aquila. Matth. 17. *Deus maxime delectatur in Maria.* D. Epiphan.

88. Aliter explicatur citatus Canticor. locus de anima Iuſti, veluti loquentis cum B. Virgine. *Pulchra es amica mea ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem.* Animæ enim fideles cum B. Virgine conuerſantes in terris tantam pulchritudinem, decorem, ac ſuauitatem ex ipſa hauriebant, quodammodo, ac ex ipſa cæleſti Ieruſalem, & viſione pacis, Rupertus lib. 6. in Cantica, præcitata verba explicans ſic ait: *In quo ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem? In eo videlicet, quod & anima tua ſupernam videt pacem, & ex viſitatione tui diſcunt animæ plurimæ cæleſtem ducere conuerſationem. Vnde dicunt, vel ſunt filiæ Ieruſalem, quia optimam eligunt partem.* Vnde de ipſa Virgine Maria in cæleſti patria ait D. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 61. art. 3. cap. 3. *Vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola ſit euecta, vt plus Beatiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat & fruatur, quam omnis alia pura creatura ſimul ſumpta: de cuius gloria poſt Filium participant vniuerſi.* Nota vltima verba.

Cantic. 6. *Iuſtus tanquam è cælo gaudiũ participat ex Maria.* Rupert. D. Bernard.

***

## Qvæstio XV.

### *Quare Marcella in hoc Virginis elogio tantum de ventre, & vberibus meminit?*

89. Non laudat Mulier Chriſtum Dominum ex multitudine ſuorum miniſtrorum, vt Regina Saba commendauit Salomonem à multitudine aſſiſtentium. *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.* 3.Reg. 10.num. 8. Hoc enim ſpectabat ad Angelos. Nec eum laudat, vt ex regali progenie Dauid natum, vt Pueri in die Palmarum Matth. 21.num. 9. Hoc ad principes,& magnates pertinebàt. Nec etiam eum laudat ob admirabilem, ſubtilemque doctrínam, vt alii dixerunt: *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Ioan. 7. num. 46. Sed vt mulier de turba ſermonem inſerit de his, quæ illius propria erant, nempe de ventre, ac vberibus. Caietanus. *Aptiſſimè mulier laudat ventrem, & vbera, quæ muliebria ſunt.* Vnuſquiſque quæ ſui muneris ſunt, de ijs agat, & ne in alieno ſe intromittat. Indecorum eſt enim, quod miles de ſtudiis, & doctor de armis pertractet. Vide tom. 1.& 2. Verb. Officium.

3.Reg. 10. — Matth. 21. — Ioan. 7. — *Mulier laudat, quæ fœminea ſunt.* Caiet.

90. Secundò, Commendat Mulier Chriſti generationem: *Beatus venter, qui te portauit:* atque eius educationem, *Et vbera, quæ ſuxiſti.* Blaſphemant Phariſæi: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Tunc mulier pia, ac ingenioſa ſagacitate ei proponit, ante oculos ſui generis ſplendorem: nam quanuis blaſphemantium iniuriæ multum ſolicitarent ſupplicium; præclara tamen eius nobilitas, magnum ei erat argumentum, vt illas dimitteret, ac condonaret. Cum malediceret Semei Dauidem, iraſcitur Abiſai filius Saruiæ, & volebat illum interficere; ſolum tamen regalis Dauidis animus placidus, & quietus ſtabat, illa patienter ſuſtinens. Et Mulier non ſolum Chriſti generationem, ſed etiam educationem commendat; niſi enim interſerit educatio optima, parum proderit maiorum nobilitas.

*Quilibet ex ſua nobilitate pignoratur ad miſerendum.* — 2.Reg.

91. Tertiò, clamat Mulier: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. Chriſtus Dominus ſuxerat Virginis vbera, prius tamen ei conceſſerat vbera de cælo plena. Exinde noſtrũ hauriamus documentum: non enim alienum eſt, vt qui bona largitur, aliquando & illa ſugat. Elias comedebat ex hydria farinæ, & ex lecytho olei mulieris viduæ: illa tamen prius copioſè repleta dederat. *Hæc dicit Dominus: Hydriæ farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vſque in diem, qua Dominus daturus eſt pluuiam, ſuper faciem terræ.* 3. Reg. 17. num. 14.

*Qui largitur ſugere poteſt.* — 3.Reg. 17.

92. Quartò, Commendat Mulier ventrem, & vbera. Cur potius has partes corporis ſanctiſſimæ Dei genitricis laudibus celebrat, quàm alias? cur non potius brachia, manus, & labia? Alia corporis membra, vt manus, brachia & labia, Incarnati Verbi dulcedine mirificè fruebantur; at venter, & vbera mirabili modo filio Dei præſtabant obſequia, vt per hæc ipſamet ei communicaretur ſubſtantia Virginis: nam venter puriſſimo ſanguine ſuo corpus eius efformauit; vbera verò lacte ſuo nutriuerant: per quæ Virginis merita inſigniter excreuere. Nam in conceptione filii Dei plus meruit, quàm omnes alii ſancti omnibus ſuis actibus, & meritis. Vide tom. 1.lib. 1.cap. 5.quæſt. 57. n. 164. Lac etiam ex vberibus præbendo plus promeruit, quàm ſancti martyres riuos ſanguinis effundentes. Halgrinus Cardinalis explicans illa verba *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Cant. 7.n. 7. *vbera quoq; botris aſſimilata ſunt,* ait, *in quo mirabilis prærogatiua merendi demonſtratur in Virgine, quæ non minus meruit, ſumendo lac de vberibus ſuis, ad nutrimentum filij quàm martyres, qui per botros figurantur, fundendo ſanguinem ſuum in martyrio, omnium enim operum merces, ſecundum radicem Charitatis, penſatur.* Citato loco intelliguntur botri vuarum, vt tenet Ghiſlèrius expoſition. 1. Per hos autem botros vuarum, intelligit citatus Cardinalis ſanctos martyres, qui in torculari perſecutionum pro Domino ſuum ſanguinem effuderunt; quibus comparantur vbera Virginis lac præbendo. Ex quo iure optimo inter cæteras Virginis corporeas partes Marcella potius commendat viſcera, & vbera, quæ merito ſeruiebant, quàm quæ mira fruebantur dulcedine.

*Glorioſiora ſunt quæ merito, quàm quæ dulcedini deſeruiunt.* — Cantic. 7. Halgrin. *Plus meruit Virgo lac præbendo, quàm martyres ſãguinem effundentes.* — Ghiſler. Halgrin.

93. Quintò, In hoc elogio decantando à matris vtero orditur Marcella, & claudit vberibus. Cur in his circunſcribitur panegyricis? Totum matris munus ab vtero generatione initiatur, & nutritione vberibus terminatur. Valde eleganter tale Mariæ præconium Mulier proclamat: omnis enim gloria, & laus Beatæ Virginis in maternitate præfigitur. Valde mirabile eſt, quod ſacri Euangeliſtæ tam alto ſilentio tacuerint Virginis dona, miraculorum excellentiam, doctrinæ vbertatem, eiuſque in gloria triumphum glorioſum! Pro quo B. Thomas à Villa-noua ſerm. 2. de natiuitate ſic ait. *Quam ita placuiſſe Spiritui Sancto, eiuſque prouidentia, Euangeliſtas ſiluiſſe, quia Virginis gloria intus erat & magis cogitari poterat, quam deſcribi. Quid amplius quæris, quid vltra requiris in Virgine? ſufficit tibi, quod mater Dei eſt. Quænam, obſecro, pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria matri Dei non congruit.*

*Omnis laus Mariæ à maternitate deriuatur.* — B. Thomà Villa noua.

94. Quid enim maius, quid excellentius dici poteſt quàm quod filii Dei generatio inter Patrem Deum, & Virginem matrem ſit communis; ipſeque vtriuſque parentis ſit communis filius; vt perbellè diſſerit Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 21. *A nobis eſt Virgo, à ſumma Trinitate Spiritus Sancti obumbratio: ab vtroque partium, tam Patris ſcilicet quam Virginis Filij generatio: nam Verbum de Patre, caro de Virgine.* Vnde Filius Dei, in quo, & per quem facta ſunt omnia, ipſe eſt ex Maria natus, ipſe & illius debitor. D. Methodius lib. de purificatione Mariæ. *Euge, euge,* ait, *quæ tibi obnoxium habes illum omnium fœneratorem. Omnes namque Deo debitores quum ſimus, tibi ipſe eſt debitor. O Deo probata, Deumque mortalibus generationis principium tribuentem, vberibus tuis ſubiectum habens. Sic celeberrimus quodam loco Propheta,* Baruch. 3. num. 24. ait, *quam proſus incomprehenſibilis ſis, erudiens nos. O quam magna domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius: magnus, & non habet finem, ſublimis, atque immenſus.* Sic ille. Nec enim aliter, niſi ex Dei magnitudine, potuit, Mariæ inueſtigari magnitudo.

*Maria communem habet filium cum Deo.* Cellenſis. — *Deus Mariæ debitor.* — D. Meth. — Baruch.

QVÆSTIO



## Qvæstio XVI.

### *Quare Marcella ſacratiſſimam Virginem non commendat, quia multis à Deo donis fuit inſignita; ſed quia ipſum ventre portauit?*

95. Amplissima fuere gratiæ dona, quibus ſacratiſſima Virgo ſuper omnes alias puras creaturas ditata fuit ab omnipotenti manu Dei, vt ſupra dixi. Quare ergo Marcella ſacratiſſimam Virginem laudibus non extollit, quia tantis, tamque ampliſſimis eſt à Deo locupletata muneribus; ſed ſolum commemorat, quia ipſum ventre portauit, eique paruas lactis præbuit guttas? Ratio litteralis. Quia omnis laus Mariæ ab vtero deriuatur, ibique omnis eius gloria eſt radicata, vt modo dixi.

*Ratio difficultatis.* — *Laus Mariæ ab vtero.*

96. Secundò. Non decantat Mulier Virginis gloriam ex multis donis, quæ accepit à manu Dei, ſed ex quibuſdam lactis guttis, quas ex ſuo pectore Puero Ieſu effudit. Ex quo magnum morale habeamus documentum, quod in maiorem nobis decorem cedunt ea, quæ largimur, licet parua, quàm multa alia, eſto ingentia, quæ ex alterius liberalitate accipimus. Egreſſa eſt Abigail in occurſum Dauidis, afferens ei quoſdam panes, quaſdamque vuæ paſſæ ligaturas. Et poſtquam Dauid munuſcula illa ſuſcepit, dixit illi: *Vade in pace in domum tuam. Ecce honoraui faciem tuam.* 1.Reg. 25.num. 35. In quo ipſam honorificauerit, patet ex textu. Et, vt ait Abulenſis, *quia voluit recipere de manu eius munera.* At vero poſt aliquod elapſum tempus ipſam ſibi Dauid in vxorem aſſumit; ac proinde etiã vt totius Iſraelis fieret Regina. ibid. num. 39. Tunc tamen ſimile ei, vt antea modo, non dixit affatum: *Honoraui faciem tuam.* Cur quando è manu eius quaſdam ſuſcipit vuæ paſſæ ligaturas, dicitur, quod eam honorauerit; non autem quando ipſam in Reginam eligit? Abigail magis eſt condecorata, nobilitataque, quando parua Dauidi detulit munuſcula, nempe quaſdam vuæ paſſæ ligaturas; quàm eo tempore, quo ſupremam ſibi ab eo collatam regalem accipit dignitatem: ſemper enim plus gloriæ in dante, quàm in ſuſcipiente ſcintillat. Vide ſupra cap. 16.num. 39.

*Maior gloria ex his, quæ damus, quam ex ijs, quæ accipimus.* — 1. Reg. 25. — Abulenſis. — *Plus honoratur Abigail, dum pauca tribuit, quã dum fit Regina.*

## Qvæstio XVII.

### *Quare non dixit Marcella: Beata mater, quæ te portauit: ſed Beatus venter, & Beata vbera?*

97. Sanctissmam Dei Genitricem laudibus celebrat Marcella. Cur expreſsè eam matrem non vocat? Et cur non dicit, Beata mater tua, ſed Beatus venter, &c.? Reſpondeo Primò. Quod hic eſt frequens loquendi modus, per quem officium matris exprimitur. Chriſtus Dominus baiulans crucem mulieribus flentibus inquit: *Venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Luc. 23. num. 29. id eſt Mulieres dicent, Beatæ, quæ non ſunt matres, & filios non habent.

*Frequens fœminarum loquendi modus.* — Luc. 23.

98. Secundò moraliter. Hoc, quod eſt, eſſe matrem, ſupremum honorem, ſupremamque dignitatem; ventre autem portare, & vberibus lactare, obſequij, ac meriti munera denotabat. Et Marcella non commendat tantum, quæ honori ſeruiebant, quàm potius ex quibus magnum meritum erat immediatè comparatum. Vide tom. 1. & 2. Verb. Meritum.

*Plus laudanda, quæ ſunt meriti, quam honoris.*

Tertiò. Matrem extare, magnus decor; ventre autem portare, vberibuſque lac præbere, illius ſunt magni decoris onera quædam. Prudenter ergo Marcella oculos coniicit, non tam in ea, quæ dignitatis erant, quam potius in illius penſiones, & onera, vt ventre portare, vberibus lactare. Vide hoc tom. & 1. ac 2. Verb. Dignitas.

*Potius onus, quàm dignitatis honor conſiderãdus.*

99. Quartò. Cardinalis Hugo dubium mouens ait: *Quare non dixit mulier illa Beata mater, quæ te portauit, potius, quàm Beatus venter. Ad innuendum compaſſionem, & charitatem Virginis: quod omnes miſeros in ventre ſuo portat per compaſſionem; & ſua omnibus communicat per charitatem.* Vnde dicitur de ea Cantic. 7. num. 7. *Venter tuus, ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Peculiariter de viſceribus, ac vberibus Virginis facit mentionem mulier, vt denotaretur, quod nos omnes tanquam filios ſuos adoptiuos in viſceribus ſuis habet, vt iam magis explico.

Hugo. — Cantic. 7. *Maria Virgo in ſuis nos omnes viſceribus habet.*

100. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* Cantic. 4. num. 13. ſeu, vt legit Vatablus, *Plantationes,* ſeu, *plantæ tuæ.* Cum in vtero Virginali Mariæ vnica fuerit arbor vitæ, manu totius Omnipotentis Dei plantata, quomodo dicitur, quod multæ ibi extiterint arbores, multæque plantationes? Aderat in illa puriſſima area Chriſtus Ieſus, in quo ibi iam tamquam in capite omnia eius radicabantur membra, cunctique eius fideles, qui tanquam flores, & fructus à ſua radice erumpentes progerminabant, ex quibus tam variis floribus arboribus, ac fructibus Eccleſiæ paradiſus coaleſcit. Guillelmus Abbas apud Delrium. *Emiſſiones fructus ſunt ex Maria emiſſi. Vnicus enim fructus eſt, qui ab efficaci ſalute Ieſus dictus eſt. Sed in vno illo fructu multiplex eſt fructus. In vno, Saluatore omnium, Ieſu plurimos Maria peperit ad ſalutem, pariendo vitam, multos parit ad vitam. Eo ipſo quod mater eſt capitis, multorum membrorum mater eſt. Mater Chriſti, mater eſt membrorum Chriſti, quia caput, & corpus vnus eſt Chriſtus.*

Cantic. 4. Vatablus. — *Maria cum caput noſtrũ portat in vtero, ibi & fideles, membra eius.* — Guillelmus.

101. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Cantic. 4. num. 5. De vberibus Mariæ ſermo eſt. At Virgo ſacratiſſima vnicum filium genuit, vnicum peperit, ac lactauit: quomodo ergo dicuntur duo ab vberibus eius pendere? Tam copioſiſſimus extitit fructus ventris virginalis: cum enim Virgo Maria vtero ſuo geſtaret, vberibuſque ſuis lactaret hinnulum magnum, ſcilicet Chriſtum Ieſum filium ſuum naturalem, ibi etiam alterum portabat, alterumq; paſcebat; genus ſcilicet humanum, vt ſuum, licet adoptiuum, filium. Guillelmus Abbas apud Delriũ. *Porrò,* ait, *eo ipſo, quod ſibi magnum illum hinnulum, id eſt Verbum Incarnatum corporaliter genuit, duos ſibi hinnulos, ſcilicet teneriora eius membra in vtroq; ſexu ſpiritualiter adoptauit. Siquidẽ per hoc, quod facta eſt Verbi mater corporalis, facta eſt membrorum eius mater ſpiritualis: per hoc, quo caput noſtrum ſecundum carnem*

Cantic. 4. — *Virgo, mater ſpiritualis omnium.* — Guillelmus.

*nem concepit, membra eius lacte pietatis alenda ſuſcepit. Habet ergo vnum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit; habet & gemellos, id eſt ex vtroque ſexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non deſinit.*

102. Cantic. 7. *Oculi tui, ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Cantic. 7. num. 4. Sermo eſt de Beata Virgine. Sed cur illius oculi miſericordiarum pleni non comparantur decantatiſſimæ piſcinæ Bethſaidæ? Hæc vnum excipiebat, quem ſanum reddebat. Ioan. 5. num. 4. (Ioan. 5.) At de piſcina in Heſebon ait textus, *In porta filiæ multitudinis.* Hæc non vni tantum, ſed multis ſanitatem donabat. Vnde hæc meritò Virgini adaptatur, quę non vnum, ſed plurimos ſpiritualiter in ſe, ac in ſuis viſceribus recipit, vt eos in ſalutem æternam emittat. D. Damaſcenus Orat. 1. de Natiuitate Mariæ iuxta finem. *Olim quidem,* ait, ſcilicet Probatica, *ſemel quotannis Angelum Dei excipiens, aquam turbatam, atque vnum duntaxat valetudini reſtituentem, & ab vrgente morbo vindicantem; nunc autem cæleſtium virtutum copioſiſſimum agmen habens, Dei Genitricem nobiſcum laudantium, illam, inquam, miraculorum abyſſum, illum, vniuerſo Orbi medicinam afferentem, fontem, quæ omnem naturam, morbo laborantem, in ſanitatem reſtituit.*

*In Maria vitam habēt omnes, & auxilium.* D. Damaſc.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Mulier in præſenti potius laudat Chriſti matrem, quàm illius Patrem?*

103. SVMMA Chriſti gloria filium eſſe Omnipotentis Dei; ergo cum mulier vellet, Chriſtum à ſuis parentibus laudare, cur de Patre non agit, ſed ad matrem conuertit ſermonem? Reſpondeo Primò. Quod, cum Marcella mulier exiſteret, ſuo voluit fauere ſexui, & ea, quæ ſunt fœminea, laudare; de his enim frequenter mulieres habent ſermonem, vt patet ex eis, quæ Dominus dixit mulieribus, ipſum lamentantibus, dum Crucem ferret, & notaui quæſt. ſuperiori in exordio.

*Mulier ſuo vult ſexui fauere.*

104. Secundò. Adeo plauſibile eſt Chriſto Domino quod filius Virginis dicatur, vt ipſum mulier hoc encomio celebret. Peracto ineffabili Incarnationis myſterio, ingreditur Virgo Maria domum Zachariæ, ipſam ſalutat Eliſabeth dicens: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. num. 42. Poſt factam hypoſtaticam vnionem hæc eſt prima gratificatio, ac gratulatio, quæ Incarnato Verbo humana lingua inuenitur celebrata. Sed cur in hac prima decantatione non vocatur filius Altiſſimi, ſed fructus ventris Mariæ? Cur non dicitur benedictus filius Dei Omnipotentis, ſed *Benedictus fructus ventris tui?* Maximè delectatur Chriſtus Dominus cum filius Virginis nuncupatur. Vnde in prima ſuarum laudum publicatione illud nomen, tanquam ſibi valde ſuaue & periucundum, eligit, & aſſumit, ſub illoque primum ſe benedictum decantari ordinat, atque diſponit. D. Cyrillus Alexandrinus homil. in Neſtorium. (D. Cyr. Alex.) Sic Dei Matrem ſalutat. *Salue Mater, & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur.* Pro quo multa vide hoc tom. & 1. Verb. Maria.

*Delectatur Chriſtus, quod Mariæ dicatur filius.*

105. Tertiò. Marcella toto erat pectore defixa, vt magnis Chriſtum encomiis celebraret: ſed ad hunc ſcopum cur potius non meminit de Patre, ſed de matre? Intendebat ſancta mulier Chriſtum mouere, ac inducere in miſericordiam, & pietatem erga illos impios Phariſæos: Matrem ergo ei obiicit, eamque illi proponit. Sciebat enim optime Marcella, quod nihil magis eum ad pietatem, ac benignitatem allicit, quam eſſe genitum ex Maria, illiuſque filium vocari.

*Maria maximè Deus ad pietatem inclinatur.*

106. E ligno Crucis Patrem Chriſtus deprecatur: *Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ.* Pſal. 85. num. 16. (Pſalm. 85.) Per ancillam ſacratiſſimam Mariam Virginem intelligit, vt interpretantur D. Auguſtinus, Bruno, noſter Incognitus, Interlinealis, Carthuſianus, Lyranus, & alij. (D. Auguſt. Bruno. Incognitus. Interlineal. Carthuſ. Lyranus.) Domini ancillam eſſe ſe, ipſa dixit, dum omnium eligitur Regina. Præſenti enim loco orat Chriſtus Patrem, vt citò ipſi ſeruo ſuo, tam indigna paſſo, reſurrectione ſubueniat, tribuatque omnem poteſtatem in cælo, & in terra iudiciariamque etiam præeminentiam. Sed maximè notandum, quod, cum Chriſtus in horto Patrem rogaret, vt paſſionis calix ab eo tranſiret, ſe, non Mariæ, ſed potius Patris ſui filium dicit. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. num. (Matth. 26.) At verò cum pro ſui corporis reſurrectione, ac iudiciaria poteſtate preces fundit, Mariæ recordatur, ſeque vt illius filium exponit. *Saluum fac filium ancillæ tuæ.* Hæc egit cæleſtis magiſter ad nobis inſinuandam efficaciam, ac fortitudinem nominis ſuæ ſanctiſſimæ Matris. Cum Chriſtus in horto, vt verus homo, exoraret, vt ab eo tranſiret paſſionis calix, præuidebat etiam, quod oratio ſua non inualeret, ſed repulſam reportaret, maximè enim exigebat ſalus humani generis, vt Crucis myſterium non euacuaretur, ſed vt ipſe patibulum ſubiret. Tunc in hac oratione Mariæ nomen tacetur: maximè verò apponitur, ac illius recordatur, cum de ſua reſurrectione, ac iudiciaria poteſtate agit; quamuis enim hæc ſuis meritis valde condigna eſſet debita retributio, tamen ad declarandam vim nominis Mariæ, quodque ex diuina benignitate nihil eſt, quod ipſi petenti denegetur, ibi eius nomen, & anctoritas interponitur: quia vbi Maria adeſt, oratio exauditur, ipſaque mediante nihil à ſuo effectu euacuatum inuenitur. Et nota, quod non dicitur: Saluum fac filium Mariæ, ſed ancillæ tuæ, vt eius eximia obedientia, humilitas, ac religio in Deum denotetur; quibus aliorum orationes multum adiuuantur. Bruno, Carthuſianus. (Bruno.) *Saluum fac à morte, ait, filium ancillæ tuæ Mariæ, ac ſi dicat, non ſolum hoc promeretur obedientia mea, vt me ſalues, ſed & obedientia Matris meæ, cui cum per Gabrielem mandaſſes, vt me conciperet, Ecce, inquit, id eſt parata ſum, ancilla namque Domini ſum.*

*Vbi Maria interuenit, exauditur oratio.*

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare non dicitur Beatus venter, qui te genuit, ſed potius portauit, cum quodam pondus denotet?*

107. VERBVM *portare* frequenter ſignificat aliquid ferre cum pondere. Num. 7. num. 9. (Numer. 7.)



*Onera propriis portant humeris.* Et ſic multis in locis. Plinius lib. 11. cap. 17. (Plinius.) *Apes feſſum regem humeris ſubleuant; validius fatigatum ex toto portant.* Filius autem Dei deſcendit in Virginis vterum, veluti ſuper nubem leuem, & ſicut ros matutinus ſuper lanam. Vnde ait D. Auguſtinus ſerm. 1. de Natiuitate Domini. (D. Auguſt.) *Nulla fieri potuit grauedo parturienti.* Cur ergo verbo portandi vtitur Marcella?

*Ratio difficultatis.*

108. Reſpondeo primò. Quod hoc verbum valdè frequenter exprimitur in Scriptura, quando infans à matre ſua in vtero geſtatur. Iob 3. num. 10. (Iob 3.) *Aperuit oſtia ventris, qui portauit me.* Iſai. 46. n. 3. (Iſai. 46.) *Qui portamini à meo vtero.* In ſuo encomio decantando communi modo loquendi vtitur mulier, communémque phraſim aſſumit.

109. Secundò, & moraliter. Cum Virgo Chriſtum concepit in vtero, ſuprema maternitatis Dei dignitate ſuper omnes puras creaturas ſublimatur: & quò maior eſt collata beneficiorum celſitudo, eò maius, grauiúſque viro illuſtri pondus imponitur. Sic Moyſes ſupremum ducatum, ac principatum totius populi grande onus appellauit. Ait ad Dominum: (Num. 11.) *Cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me.* Num. 11. num. 11.

*Dignitas grande onus.*

110. Moriturus Iacob benedicens nepotibus ſuis Ephraim, & Manaſſes, (Geneſ. 48.) *Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram verò ſuper caput Manaſſes, qui maior natu erat.* Geneſ. 48. num. 14. Cancellatis manibus confert benedictionem, vt notant D. Iſidorus, & alij communiter, (D. Iſidor.) itaut manus dextera eſſet ſuperpoſita ſiniſtro brachio, ac capiti Ephraim, vt notat Pererius, (Peter.) & cum eo multi. Cur dextera manus tot fulcimentis indiget? Manus illa regiam Ephraim præſignabat dignitatem, vt aduertit Euſebius. (Euſeb.) *Ephraim Manaſſe præfertur, quia ipſius regnum ſuper decem tribus exſurrexit.* Et cum manus illa tanta dignitate polleret, multum grauis, ponderoſáque extabat, multáque illi ſuſtentacula, nempe ſenis brachium, ac pueri caput, apponuntur.

*Dignitas valdè grauat.*

111. Inſtante morte, ait Iacob filio ſuo Ioſeph: (Geneſ. 48.) *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gen. 48. num. 22. D. Heronymus relatus in Gloſſa legit: (D. Hieron. Gloſſa) *Do tibi humerum vnum.* Si pars eſt, quomodo humerus? Pars illa magnam præcellentiam denotabat; eam enim tulit Iacob armis ſuis: & cum tantum honorem, & præeminentiam diceret, humeros etiam ad ſupportandum deſignabat. Carolus V. (Carol. V.) iam ſeneſcens, onerum Reipublicæ pertæſus, cum principatum in filium ſuum Philippum II. transferret, lachrymans dixit: *O fili, magnum tibi onus impono. Ego enim toto tempore principatus mei, nunquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus vacuum habui.*

*In dignitate pondus imminet.*

112. Tertiò, venter, qui te portauit, id eſt te genuit. Sed cur hoc non exprimit mulier? Cur non ait, beatus venter, qui te genuit, ſed portauit, cum hoc quid minus innuat; maius enim quid denotat gignere, quàm portare. Cur ergo ſic mulier loquitur, niſi vt intelligas, quod in B. Virgine ſolum ea, quæ ſunt minora, quis dicere valet; non verò ea, quæ ſunt maiora, & excellentiora, de quibus humana mens admirans obſtupeſcit, & omne humanum eloquium impar inuenitur. Variis in locis multis encomiis celebrat ſponſus corporis partes ſuæ dilectæ. (Cantic. 4.) *Oculi tui columbarum; capilli capitis tui ſicut greges caprarum. Dentes tui ſicut greges tonſarum; ſicut vitta coccinea labia tua. Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ. Sicut turris Dauid collum tuum. Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli,* &c. Cantic. 4. à num. 1. & iterum cap. 7. à num. 1. (Cantic. 7.) *Quam pulchri ſunt greſſus tui. Vmbilicus tuus crater tornatilis. Venter tuus ſicut aceruus tritici. Collum tuum ſicut turris. Naſus tuus ſicut turris Libani. Caput tuum vt Carmelus,* &c. Cum ergo tot, tantíſque combinationibus excellentias membrorum ſuæ dilectæ, explicet, & declaret, cur etiam de acumine illius ingenij, de perſpicacitate intellectus, de ſubtilitate iudicij, de efficacia diſcurſus, ac rectitudine illius voluntatis aliquid nobis non exponit, ſed totum ſilentio premit: quamuis enim ipſa de amore ſuo aliqua verba faciat: *Dicite ei, quia amore langueo.* Cantic. 5. n. 9. (Cant. 5.) tamen de illius commendatione ſponſus nec verbum profert; ſed ſtatim ad partes corporis declinat ſermonem. cap. 6. num. 2. (Cant. 6.) Cur cum in his tantis comparationibus immoretur; illas verò ita ſilentio inuoluit? Sponſa B. Virginem adumbrabat, vt docent D. Bernardus, Rupertus, & alij. (D. Bernard. Rupert.) Partes corporis, inferiores; animæ autem, multò ſuperiores: de illis habet verba, non verò de his. Vt diſcamus, quod etſi ea, quæ videntur minora in B. Virgine, quis aliqualiter dicere valeat, quamuis etiam non vt decet; tamen ad ea, quæ ſunt ſublimiora, & excelſiora nulla ſuppetunt humana verba; ſed ſolum magna admiratione obſtupeſcens rapitur ratio. Huc aduoco D. Anſelmum lib. de excellentia Virginis. (D. Anſelm.) *Mira res. In quam ſublimi contemplor Mariam locatam! Omnis natura à Deo eſt orta, & Dei natura,* ſcilicet humana, *ex Virgine; cuius, qui eſt dator, eſt & contemplator; non verò tantilli inueſtigatores.*

*De B. Virgine ſolum, quæ minora ſunt, dici poſſunt.*

*Cur ſponſus non diſſerit de ingenio, ac intellectu ſuæ ſponſæ.*

*Solus Deus Mariæ excellentias agnoſcit.*

## QVÆSTIO XX.

### *Quomodo Arias legat,* portans te?

113. ARIAS pro *portauit te,* legit, *portans te;* (Arias.) & eundem facit ſenſum, qui portans fuit te, in præterito. Etiam conſtrui poteſt in præſenti, qui portans eſt te. Sed iam Chriſtus Dominus ferè triginta, & duobus annis elapſis natus erat ex Virgine. Quomodo ergo dicitur in articulo illius temporis de B. Virgine, portans illum? Reſpondeo, quod tanta fide, charitate, ac deuotione B. Virgo Chriſtum Dominum gerebat in ſe, in mente, ac contemplatione ſua; ac ſi illum reuera portaret in vtero; & modò tam feruido in illum rapiebatur amore, ac antea ſe habuit per nouem menſium ſpatium, quando ipſum clauſum in ſuis viſceribus ferebat.

*Quanta fide, ac deuotione Virgo Chriſtum ſemper habebat in mente.*

114. Egregiè ponderat D. Bernardus ſerm. 6. in vigilia natiuitatis id, quod Eccleſia ipſo die canit: (D. Bernard.) *Ieſus Chriſtus filius Dei in Bethlehem Iudæ naſcitur.* Quomodo dicitur: *Naſcitur:* de præſenti, cum ab eius natiuitate tot proceſſerint ſæcula? potius dicendum videbatur: natus fuit? Rectè S. Pater citatus, ſic ait: *In præſenti tam iucundiſſima annunciatione (ſi aduertis) congruè ſatis dicitur, non tam natus eſſe, quam naſci. Naſcitur in Bethlehem Iudæ. Sicut enim quodāmodo immolatur adhuc quotidie, donec mortem eius annunciemus; ſic videtur & naſci, dum fideliter repræſentamus eius*

*Christi natiuitas multa deuotione recolenda.*

*eius natiuitatem.* Verum eſt, quod multa ſunt tranſacta tempora à Chriſti natiuitate; tamen tanta fide, charitate, deuotione, ac religione eius natiuitas colitur, ac celebratur ab Eccleſia, ac ſi ipſo die, ipſoque temporis momento prodiret ex vtero Virginis in lucem, ac mundum. Quod confirmat ex Sacramento altaris, in quo morte Domini repræſentata Chriſtus dicitur quotidie immolari. Et notat idem D. Bernardus ſerm. 1. in Vigilia natiuitatis, quod aptiſſimè dicitur: *Naſcitur in Bethlehem Iudæ.* Bethlehem, id eſt domus panis; Iuda id eſt confeſſio. Vera, ac integra confeſſione ipſe cæleſtis panis ſumendus eſt. De quo multa cap. vltimo.

D. Bernard.

## QVÆSTIO XXI.

### *Quàm grata fuerit Chriſto Domino huiuſmodi mulieris proclamatio?*

115. PRIMO. Quia, cum circunſtantes Diſcipuli tacerent, ipſa publicè Chriſti laudes proclamat, & celebrat. Pro confeſſione ſua Latro magnam, ampliſſimamque remunerationem accepit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. n. 42. Cur ergo illi tanta merces tam indilatè, & ſine vlla cunctatione confertur; non verò ſic Petro? Rectè D. Chryſoſtomus. *Petrus negauerat in atrio, Latro confeſſus eſt in Cruce.* Obſequia autem exhibita, cum alii deficiunt, citò magnam remunerationem exigunt.

*Aliis tacentibus, valde grata confeſſio.* Luc. 23. D. Chryſoſt.

116. Secundò. Cum mulier eſſet pia, & ſancta, ſuo præconio maxime Chriſtum ſublimauit; ſolùm enim laudes decantatæ, ac celebratæ per viros iuſtos, & probos honorant, & nobilitant. Cum ob transgreſſum Domini præceptum in Amalec grauiter Samuel obiurgaret Saulem, hic dixit illi: *Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei.* 1. Reg. 15. num. 30. Nunquid in palatio deerant adulatores? Ad quid tanto conatu honorem affectat à Samuele impenſum? *Samuel iuſtus, & ſanctus ab omnibus habitus,* vt de eo dixit Abulenſis: & cum eum tantum, ac talem agnouiſſet rex, inde de eius teſtimonio, ac comprobatione tam ſolicitus ſe gerebat. Solum enim commendationes ab ore iuſto, & ſancto te honorant, & commendant. Cum omnes ſerui regis in foribus palatij adoraſſent Aman, ſolus Mardochæus ei genua non flectebat. *Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genua, nec ſe adoraſſet, iratus eſt valde.* Eſther 3. num. 5. Cum cæteri omnes curuato poplite reuererentur Aman, cur de reuerentia ab vno tantum captiuo denegata ſic ipſe dolet? Agnoſcebat ille Mardochæum virum probatum, & iuſtum; & inde deducebat, quod ſolum impenſus ab eo honor, illum ſublimare, ac exaltare valebat.

*Laus data à viris probis valde honorifica.* 1. Reg. 15. Abulenſis. Eſther. 3.

117. Tertiò. Quamuis hæc mulier eſſet pauper, vna de turba, tamen eius præconium valde gratum extitit Chriſto Domino, ob quod eam ipſe maximè multis gratiis, & priuilegiis inſigniuit, ac nobilitauit; tum quia hoc eius virtutes promerebantur; tum etiam quia teſtimonio ſuo Chriſti cauſam ſuſcepit, ac magnopere ipſum ſublimauit. Valde æquum, & iuſtum, vt quilibet honoret honorantes ſe, ac de ſe bene promerentes multis condecoret, ac exaltet.

*Maximè decet, vt honoremus honorantes nos.*

Apparet Deus Iacob dicens: *Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Gen. 35. num. 1. Sed cur ei mandatur, vt erigat altare in honorem Dei, qui eum ab ira fratris ſui protexit, ac liberauit? cur non potius ei dicitur, vt ſtruatur altare Deo, quia Omnipotens, quia Infinitus, quia ſumma bonitas, ac proinde ſummè diligendus, & honorandus? Ad quid adducitur in memoriam, quod eum à furore fratris Eſau vendicauerit? Lippomanus. *Exigit Deus gratiarum actionem à Iacob de beneficio liberationis ſuæ in fuga Eſau.* Accepta beneficia ante oculos proponuntur; nil enim efficacius eius animum inducere valebat, vt Deum diligeret, ac ſummè veneraretur. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 5. quæſt. 24. n. 88. & cap. 6. quæſt. 14. num. 63. & tom. 2. cap. 1. q. 5. num. 16. & cap. 11. quæſt. 23. & cap. 29. quæſt. 13. Vide etiam Verb. Beneficium. 118.

Geneſ. 35. Lippoman. *Beneficia collata ſollicitant amorem.*

*Luc. 11. n. 28.* At ille dixit: Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

### *VERSIONES.*

*D. Auguſtin. lib. de S. Virg. c. 3.* Immò beati, qui audiunt.

*Ianſenius ex Græco.* Certè beati.

*Tertul. l. 4. contra Marcion. cap. 26.* Immò beati, qui ſermonem audiunt, & faciunt illum.

*Barradas ex Græco.* Beati, qui mente, & opere ſeruant verbum Dei.

### *EXPOSITIO II.*

AVDITIS Mulieris verbis, ex eis reſpondẽs Dominus ſumit occaſionem, non ad ſe, ſuamque Matrem commendandam; ſed ad ſublimandum Dei verbum, cuſtodiamque illius, vtpote doctrina valde omnibus neceſſaria. Et ait: *Quin immò* D. Auguſtinus legit, *Immò*; Ianſenius, *Certè.* Euthymius explanat. *Verè dico vobis.* Syriacus hoc omittit. *Beati, qui audiunt verbum Dei.* Non negat Dominus, Matrem ſuam eſſe beatam; ſed ait, beatiores eſſe, qui verbum Dei audiunt, & cuſtodiunt, hoc eſt opere adimplent, quia, vt ait Euthymius, *Cuſtodia ſermonis Dei, eius adimpletio.* de quo latius quæſt. ſequenti. Et ait, *Qui audiunt verbum Dei*; hoc enim prius eſt, nam fides ex auditu. Rom. 10. num. 17. *Et cuſtodiunt illud*, ita vt qui audiunt, credentes recipiant, & adimpleant. Et benè notat Caietanus, *Quod non dicit, audierunt, & cuſtodierunt, ſed, qui audiunt, & cuſtodiunt; vt intelligamus, ſolos perſeuerantes audiendo, & cuſtodiendo eſſe beatos.* 119.

D. Auguſt. Ianſenius. Euthymius. Syriacus. Euthymius. Rom. 10. Caietanus. *Perſeuerantia facit beatos.*

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XXII.

### *Virgo Maria ex eo, quod Chriſti Mater, Beata dicenda eſt?*

120. NON negat Dominus his verbis, vt impio, & ſacrilego ore Lutherus, & Caluinus ſuo more dixerunt, ſanctiſſimam Virginem ex eo, quod talem peperit filium, dicendam eſſe beatam: nam ſimpliciter Beata nuncupatur ex eo, quod Dei Mater ſit, vt docent D. Epiphanius ſerm. de laudibus Deiparæ, D. Auguſtinus ſerm. 9. de tempore. D. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. & Patres communiter. Quod maximè probatur ex verbis ipſius Virginis in ſuo Cantico; quæ ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,* vt me ſcilicet eligeret in Matrem filij ſui: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 2. num. 48. Id eſt ex illo tempore, quo Deum concepi, ab omnibus gentibus Beata prædicabor.

D. Epiph. D. Auguſt. D. Bernard. Luc. 2. *Virgo, quia Mater, Beata prædicatur.*

121. Confirmatur; nam Chriſtus Dominus dixit ſuis diſcipulis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Luc. 10. num. 23. Quantò ergo magis beatus dicendus eſt venter, qui eum portauit; & vbera, quæ eum lactauerunt; ac brachia, & manus, quæ ipſum contrectauere? nam vulgari locutione ille dicitur beatus, qui multa excellentia, multíſque bonis abundat: magna autem fuit excellentia, quod Virgo eſſet Mater Dei; exindéque gratiæ, dona cœleſtia, ac prærogatiuæ, veluti è fonte emanarũt, vt docet D. Damaſcenus orat. 1. de dormitione Virginis.

Luc. 10. *Mater Dei multis excellentijs ditata eſt.* D. Damaſc.

122. Corroboratur magis hæc doctrina contra impios nouatores. Quia dum mulier commendat vterum, & vbera Virginis, non detraxit illius laudibus, vt blaſphema lingua dicunt; ſed potiùs ex quadam certa illatione arguit, & explanat, quid inde illa habeat: nam exiſtens Dei filius in eius vtero infallibile erat, quod ipſam faceret ſanctiſſimam, ac ſtudioſiſſimam audiendi, & cuſtodiendi Dei verbum. Pro quo pulchrè argumentatur D. Baſilius Seleucus orat. 39. *Lapides, qui ſanctorum occultant corpora,* ait, *ijs, qui malè aguntur, ſi modo pro dignitate acceſſerunt, ſalutem dare poſſunt. Quod ſi ijs conceſſit, quale pretium Matri dederit?* Ingenioſum ſanè excogitatum. Si monumenta marmorea, quæ ſanctorum oſſa, cineréſque recipiunt, & continent, ita à Deo ſublimantur, vt medicinam, ac ſanitatem diffundant; Mater, quæ ipſum Deum viuum in vtero ſuo, in viſceribus ſuis recepit, ac per nouem menſes geſtauit; quibus gratiis, donis, ac priuilegiis ditata ſit, res eſt omnem captum, intelligentiámque tranſcendens, vt iam ſuprà dixi.

D. Baſil. Sel. *Optimum argumentum.*

## QVÆSTIO XXIII.

### *Explicantur illa verba:* Beati quin immò, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud: *& quomodo Virgo prius concepit mente, quàm ventre.*

123. HÆc præfata Chriſti verba: *Beati quin immò,* &c. non ſunt negatiua, ſed comparatiua; & hæc dixit Chriſtus Dominus, non aduerſando, ſed veluti ſuperaddendo, vt rectè explicant D. Bonauentura, Caietanus, & communiter recentiores, Ianſenius, Toletus annot. 64. Maldonatus, Beauxamis, Lucas Burgenſis, Cornelius à Lapide, & alij. Senſus eſt, ac ſi dicat Chriſtus. Mater mea, quia me concepit, ac peperit, Beata eſt, vt dixi ſuperiori quæſt. & ita explicant quamplures, *Beati quin immò*, id eſt immò potiùs beati. Vnde non negat beatitudinem, ſed ſupponit eam; aſſerítque, beatiores eſſe, qui audiunt, & cuſtodiunt verbum Dei, ſi vnum cum altero præcisè conferatur. Nam eſſe matrem Chriſti, quamuis ſit magna dignitas, præcisè tamen eſt gratia gratis data, quæ non facit animum gratum, & charum: at auditum verbum Dei cuſtodire reddit animum gratum, charúmque Deo. Deinde eſſe matrem Dei, præcisè, non valet per ſe adducere matrem ad regnum cælorum, in quo vera beatitudo ſita eſt: at cuſtodire verbum Dei perſeueranter vſque ad vitæ finem perducit hominem ad viſionem Dei, ac æternam vitam. Ex quo rectè docent D. Chryſoſtomus in Catena, Theophylactus, in commentario, D. Auguſtinus lib. de ſancta Virg. cap. 3. in tract. 10. in Ioan. dicens: *Materna propinquitas nil Mariæ profuiſſet, niſi fœlicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet: beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.*

D. Bonau. Caiet. Ianſen. Toler. Maldonat. Beauxam. Burgenſ. Cornel. *Legitimus verborum ſenſus.* D. Chryſoſt. Theoph. D. Auguſt.

Ex quo ait Caietanus. *Magis commendata eſt Beata Virgo, in genere tamen, per hæc filij verba, quàm fuerit in ſpecie commendata per verba mulieris: quoniam in verbis Ieſu laudata eſt ex parte animæ; in verbis verò mulieris laudata eſt ex parte corporis. Illa ſiquidem laudauit naturalia corporis officia; Ieſus autem liberi arbitrij, diuina affecti gratia, officia commendauit.* Chriſtus Dominus in præſenti innuit, ſanctiſſimam Mariam, non tam commendandam eſſe ex parte corporis, quàm potiùs ex parte animæ, ac ex meritò liberi arbitrij, quo priùs concepit Deum mente, quàm ventre. Si enim concepiſſet ventre, & non mente, expers gratiæ, & gloriæ fuiſſet, vt diſſerit Cornelius à Lapide. Et niſi prius concepiſſet mente, non digna fuiſſet, quæ Chriſtum ventre conciperet; decebat enim, Matrem Dei futuram eſſe puriſſimam, & ſanctiſſimam. 124.

Caiet. *Commendatur Virgo ex merito.*

Quod autem cuſtodia totius legis Dei, ac feruidis actibus fidei, ſpei, & charitatis prius conceperit Deum mente, quàm ventre, docent D. Auguſtinus citatis locis; D. Ildephonſus lib. de Virg. Mariæ cap. 8. D. Laurentius Iuſtinianus de connubio verbi, & animi, cap. 9. col. 5. Gerſon tract. 12. ſuper Magnificat. col. 5. D. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 52. cap. 2. art. 1. & alij Patres. 125.

*Maria prius Mater mente, quam ventre.* D. Auguſt. D. Ildeph. D. Laur. Iuſt. Gerſon. D. Bernardin.

*Antequam parturiret, peperit.* Iſai. 66. num. 7. Quid eſt ante partum partus? ænigma quoddam videtur. Totum hoc in Maria miraculorum miraculo inuenitur. Antequam conciperet Deum ventre, concepit mente; & antequam ex ſuis viſceribus illum ederet in hanc communem lucem, & illum prius edidit ex mente, ac anima ſua, altiſſima cognitione, amore, ac deuotione. Duplex eſt ergo Dei natiuitas ex Maria, vna corporalis ex ventre; altera ſpiritualis ex mente: hæc tamen illa prior. Rupertus cap. 31. in Iſaiam. *Antequam parturiret, peperit: antequam parturiret illic, antequam tempus illud ei veniret, & filium viſibilem ex ventre Virginis ſancta Sion ederet, peperit,* 126.

Iſai. 66. *Maria prius peperit mente, quam ventre.* Rupertus.

*perit, & mater eiuſdem verbi effecta eſt. Concepit enim corde, & Verbum Dei peperit ore.*

127. Caſſian. Matth. 12.

Pro quo argumento præclarè Simon Caſſianus lib. 2. de B. Maria cap. 26. explicans illa verba Chriſti: *Quæ eſt mater mea.* Matth. 12. n. 48. *Quæ eſt mater mea?* ſic ait. *Quin immò altius verba Chriſti intelligens, ſe cognouit duplicem matrem, carnis videlicet, quia verè ſic erat; & ſpiritus ſuper omnes animas, quoniam per amplius Dei voluntatem ipſa perfecerat, quæ plenè perfecta, iuxta ſententiam Saluatoris, eam animam, quæ fecerit, efficit Chriſti matrem. In qua maternitate perfectius Virgo profecit, quàm illa, quæ ſolum eſt carnis, magiſque in illa grata facta filio, quàm in illa, per quam ipſum geſtauit in aluo.* Duplicem maternitatem in Virgine agnoſcit; vnam, qua ipſum carne portauit in vtero; alteram verò ſpiritualem, qua ipſum geſtabat mente, & anima adimplens eius voluntatem, iuxta illud: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælo eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*, ibid. Matth. 12. num. 50. In qua ſpirituali maternitate, diligendo, & amando Deum, Maria magis grata facta eſt filio, quàm in illa, quæ erat ex ventre: in eaque ita excreuit ſuper omnes puras animas, vt dicat Caſſianus, *per amplius Dei voluntatem ipſa perfecerat.* De aliis dicitur, facere voluntatem: *Quicumque fecerit voluntatem*: at *Maria perfecit*: quod non ſolùm dicit facere, ſed etiam addit aliquid cum multo ornamento, & decore: nam perficere quidpiam abſolutum importat, cui nihil in ſuo complemento deeſt, tales erant omnes actiones Mariæ, in quibus Deus ſibi maximè complacebat.

*Duplex maternitas in Virgine.* Matth. 12. *Maria actiones valdè perfecta.*

## QVÆSTIO XXIV.

### *Quare auditis B. Virginis encomiis Chriſtus ſic reſpondit?*

128. Boſtrenſ.

RATIO litteralis patet ex proximè dictis ſuperiori quæſt. in principio. Deinde reſpondet primò Titus Boſtrenſis, opportunè Chriſtum hæc verba pronuntiaſſe, quando nempe multi erant, qui eum non ſolùm non audiebant, ſed etiam eos, qui audiebant, arguebant, ac in ius vocabant. Chriſtus ex dictis mulieris ſumit occaſionem incredulos perſecutores reprehendendi, & eos qui audiebant, confortandi, omnéſque ad ſuos ſermones audiendos excitandi.

*Excitantur adſtantes ad audiendum verbum Dei.*

129. *Chriſtus modeſtia cauſa ad aliud diuertit ſermonem.*

Secundò, auditis verbis mulieris, quamuis tacitè Dominus approbet illius dictum; hoc tamen non facit expreſsè, ſed ad aliud diuertit ſermonem, nempe ad audientes, & cuſtodientes verbum Dei; ne ſe, matrémque ſuam laudare videretur; & ideo modeſtiæ ergo ad aliud flectit ſermonem. Tertiò, auditis laudibus Virginis à muliere decantatis, Chriſtus Dominus aliud ingerit eius elogium, tanquam excellentius, & pluris faciendum, quodque ad omnes ſpectat, omnéſque talem beatitudinem aſſequi queunt; neve illa mulier deſperaret, nomen Beatæ à ſe eſſe aſſequendum, cum ipſa valdè diſtaret ab hoc, quod Chriſti eſſet mater. Vult igitur Chriſtus, mulierem, alióſque ſolari. Vobis enim offero aliam præſtantiorem, excellentiorémque beatitudinem, qua non ſolùm tu, ô mulier, & vos alij ſitis beati, ſed etiam beatiores; ſi nempe auditum verbum Dei cuſtodiatis: quam beatitudinem Dei gratia omnes aſſequi poſſunt. Cum Chriſtus eſſet communis, & vniuerſalis magiſter, omnium ſalutem intendens, noluit immorari in particularibus laudibus, etiam ſuæ ſanctiſſimæ Matris; ſed ad communem, ac vniuerſalem omnium inſtructionem, ac doctrinam dirigit ſermonem. Vide hoc tom. & 1. ac 2. verb. commune.

*Communis magiſter cõmunem tradit doctrinã.*

130. *Chriſtus Dominus pluris facit minimã virtutem, quàm ſupremam dignitatem.*

Quartò, dictis mulieris reſpondet Chriſtus: *Beati quin immo, qui audiunt verbum Dei*: Vt ex hoc inſtruaris, quod in maiori æſtimatione eſt apud Deum minima virtus, quam ſuprema dignitas. Audire verbum Dei non ex primis virtutibus eſt: at eſſe matrem Dei, dignitatum apex: & tamen eſto illa ſit minima virtus, maioris encomij, ac laudis eſt apud Deum, quam honorum vertex. Multos dignitatum gradus enumerat Paulus in Eccleſia. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores.* Ad Epheſios 4. num. 11. Tamen in vltima die iudicij, ſuos electos Chriſtus ad beatitudinem vocans, ait illis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Matth. 25. num. 35. Quid maius, quàm eſſe Apoſtolum, Euangeliſtam, Prophetam, ac Eccleſiæ Præſulem, & Doctorem? Quid minimum pietatis, & miſericordiæ, quàm dare aquæ potum? Vnde aduertunt D. Gregorius, & D. Thomas hic, quod Dominus ponit iſta *tanquam minima*: Cum ergo in ſuis electis, ac ouibus tot ſint honorum radij, cur non hos, ſed illa minima Chriſtus commemorat? Ad quod alludens Chryſoſtomus homil. 80. ait: *Vberiores multi ab ouibus fructus proficiſcuntur.* Agnoſce diuinum ingenium. Plus delectatur, ac ſibi complacet Deus in etiam minimis virtutum actionibus, quàm in ſplendidiſſimis honorum fulgoribus. Dare potum aquæ, quamuis minimum videatur, opus virtutis, ac miſericordiæ eſt. Hoc tamen Chriſtus recenſet, hoc in prima fronte adducit, tanquam ſibi valdè gratum, & iucundum.

Epheſ. 4. Matth. 25. D. Greg. D. Thom. D. Chryſoſt.

131.

At homines pluris pendunt quamlibet minimam dignitatem, quàm ſupremam virtutem. Apoſtolus Paulus flagellis condemnatus, vapulationi tamen reſtitit, ſe aſſerens ciuem eſſe Romanum, quem quæſtionari non licebat, vt aduertunt Chryſoſtomus, Lyranus, Carthuſianus, & alij. *Cum aſtrinxiſſent eum, loris, dicit aſtanti ſibi Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Actor. 22. num. 25. Cur ad illam iniuriam euitandam, de ſe multa virtutum magnalia non producit, ſe ſcilicet eſſe raptum vſque ad tertium cælum, ſe eſſe vas electionis, Gentium Doctorem? Cur de ſua eximia fide, ac charitate non multa dicit? nam ſi nobilitatis indultum faciebat ciues Romanos, ait Gloſſa moralis ibi. *Nobilitas fidei, & morum facit homines ciues cælorum* Cur ergo has tantas virtutes ſilentio premit, & ſolùm ſe ciuem Romanum aſtruit, quod erat quædam diminuta dignitas? Loquebatur Paulus cum hominibus huius ſæculi, apud quos, optimè callebat, plus reuerentiæ, & honoris reconciliare quemlibet mundialem honorem, etiam paruum, quàm præſtantiſſimam morum ſanctimoniam.

D. Chryſoſt. Lyran. Carthuſ. Actor. 22. *Apud homines plus præualet minima dignitas, quam ſuprema virtus.* Gloſſa.





## QVÆSTIO XXV.

### *Quare, cùm Mulier loquatur in ſingulari, Chriſtus ei reſpondet in plurali?*

132. *Ratio difficultatis.*

DIXERAT Mulier in ſingulari: *Beatus venter qui te portauit*: Chriſtus verò reſpondet in plurali: *Beati quin immo*, &c. Cuius germana ratio patet ex dictis quæſtione ſuperiori. Nunc verò propius ad propoſitam difficultatem reſpondeo in ſenſu myſtico, & morali.

133. D. Auguſtin. *In Dei aula, ſi vnus fœlix, multi benemeriti.*

Mulier dixit, *Beatus venter*, ſeu *fœlix venter*, vt legit D. Auguſtinus. Chriſtus reſpondet: *Beati quin immo, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Vt ex hoc ad noſtram eruditionem diſcamus, quod ſi in Dei domo vnus ſingulariter multis prærogatiuis fœlix inuenitur; benemeriti tamen, magniſque operibus conſpicui quamplures reperiuntur, qui audiunt, & cuſtodiunt verbum Dei. Dilectiſſimæ animæ ait Sponſus Cantic. 6. n. 8. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ electa genitricis ſuæ*, ſeu, vt legit Vatablus, *Vna illa eſt columba mea, perfecta mea; vnica illa eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Quod idem eſt, vt explicant D. Gregorius Magnus, Nyſſenus, *Ex omnibus aliis illa vna electa eſt.* Quomodo ita ſingulariter dilecta? cùm de aliis dicatur: *Adoleſcentulæ dilexerunt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cantic. 1. n. 2. Cùm vna tam mirabiliter ex omnibus ſit electa, & dilecta, quomodo adhuc tot ſunt adoleſcentulæ, quæ currant in eius odorem? Hæc eſt Dei domus, quod ſi vna, & vnica eſt tam ſingulariter fœlix, vt ex vniuerſis ſit prælecta, vt ſponſa, & columba; adhuc multæ ſunt piæ, & ſanctæ animæ, ſequentes virtutum Chriſti odorem, eius patientiam, humilitatem, paupertatémque imitantes, vt explicat D. Ambroſius lib. de Iſaac, & anima c. 3.

Cantic. 6. Vatablus. D. Greg. Ma. D. Nyſſ. Cantic. 1. D. Ambroſ.

134. *In principum domo multi fœlices, ad plurimum vnus benemeritus.* 3. Reg. 10. Abulenſis.

At in principum domo valde diuerſimodè ſe res habet: multi ſunt bene fortunati; ad plurimum verò vnicus inuenitur, qui ſit meritis pollens. Videns Regina Saba ſapientiam Salomonis, ait illi: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper*, 3. Reg. 10. n. 8. Ac ſi diceret, vt explicat Abulenſis, *Qui te non audiunt, humanam fœlicitatem non aſſequuntur.* Et tamen cùm tot ſint fœlices, ac beati in domo Salomonis, de vno ſolo Hiran dicitur: *Miſit quoque rex Salomon, & tulit Hiran de Tyro, artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære.* 3. Reg. 7. n. 14. Ecce cùm tot ſint bene fortunati, ac beati in domo Salomonis, vnus tantum inuenitur Hiran plenus ſapientia, intelligentia, ac operibus. Sic contingit in regalibus palatiis, in quibus multi fœlicitatis venuſtate ſplendent, cùm vnicus meritorum ſplendore fulgeat.

3. Reg. 7.

135. Eſther. 1.

*Aſſuerus fecit grande conuiuium cunctis principibus ſuis, & pueris ſuis, & præfectis prouinciarum coram ſe.* Eſther 1. n. 3. Principes, ac magnates deliciantur epulantes in regali conuiuio, ac bonis: & tamen cùm res pro regis capite interuenit, ad detegendas, contra ipſum regem machinatas, proditorum inſidias, vnus tantum Mardochæus occurrit. Eſther 6. n. 2. Sic res frequenter accidit: multi fœlicitate, ac regali magnificentia gaudent; vnus tantum Mardochæus meritis eminet. Et illud maximè ponderandum, quod aulici, ac Principes Perſarum in regis palatio epulis, ac deliciis ſeſe ingurgitant: Mardochæus autem, tantis meritis conſpicuus, ieiunus, ac veſte nudatus ad palatij fores ſtabat. Eſther 4. n. 1. Non habet aditum; nec ingreſſum ad regem.

Eſther 6. *Benemeritus ieiunat, & non habet aditum ad regem.* Eſther 4.

## *Pro Beatiſſima Virgine de Monte Carmelo.*

## QVÆSTIO XXVI.

### *A generatione, ac nutritione filij ſui commendatur Virgo: Inde laudes Carmelitarum auſpicantur.*

136. *Virgo produxit Carmelitarum ordinem.*

NON *patitur noſtra deuotio*, vt alibi iam dixi ex D. Bernardo, *te, ô ſacratiſſima Virgo, ſilentio præterire*, cùm maximè omnes tui debitores ſimus. In præſenti ſanctiſſima Dei Genitrix per Marcellam celebratur à generatione filij ſui; *Beatus venter, qui te portauit*, ac etiam ab illius educatione: *Et vbera, quæ ſuxiſti.* Sic & ex his Carmelitici noſtri ordinis liceat laudes auſpicari. Hunc enim Ordinem B. Virgo ſpiritualiter produxit, vt teſtatur Gregorius XIII. in Bulla ſua: Ad laudes, ſic ait: *Sacrum Ordinem ſub inuocatione eiuſdem B. Mariæ de Monte Carmelo, quem eadem Virgo venuſtiſſima, & omnibus virtutum floribus inſignita edidit.* Idemque Ordo multis donis, gratiis, ac fauoribus ab eadem ſacratiſſima Virgine enutritus, ac propagatus eſt, vt habemus ex lectionibus approbatis à Sede Apoſtolica, quæ leguntur ad matutinum in feſto Commemorationis, die 16. Iulij, in quarta lectione ita recenſetur. *Viri plurimi, qui veſtigiis ſanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad fidem comparati fuerant, peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cuius colloquiis, ac familiaritate fœliciter frui potuere) venerari cœperunt*, &c.

Greg. XIII. *Lectiones ad matutinum.*

137. *Carmelitæ ab antiquo venerati ſunt Virginẽ Mariam.* 3. Reg. 18. Ioſeph. Ant. Ioan. Ieroſol. Paleodorus. Oieda. Ægid. Luſit. Salazar. Leſana.

Quàm congruè, & aptè hic Ordo tantis eſt donis ab ipſa ſacratiſſima Virgine cumulatus, cuius ſacratiſſima præſentia illi Patres dignati ſunt, eamque ſub typo nubis à temporibus Eliæ, quam ipſe de mari aſcendentem viderat 3. Reg. 18. n. 44. peculiari cultu colebant, vt tradunt Ioſephus Antiochenus lib. de Perfecta militia Primitiuæ Eccleſiæ cap. 12. Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus lib. de Inſtituti. Monach. cap. 32. Paleodorus lib. 1. Antiquar. Carmeli. cap. 5. & 6. Petrus de Oieda in Informatione pro Concepti. cap. 1. fol. 3. Ægidius Luſitanus de Conceptione lib. 3. q. 4. art. 1. §. 1. n. 8. Salazar de Concepti. 38. Et hoc ſua multa eruditione docet R. N. Magiſter Leſana, amicus meus, tom. 1. ſuorum annalium. anno mundi 4037. n. 7. & 8.

138. Matth. 4.

*Ductus eſt Ieſus in deſertum.* Matth. 4. n. 1. Cur in deſertum ſic pergit meus Ieſus? Rectè reſpondet Tertullianus lib. 4. contra Marcionem *In ſolitudinem pergit*, inquit, *ſolemnis eſt eiuſmodi regio creatori, oportebat ſermonem illic quoque videre in corpore, vbi egerat aliquando & in nube.* Cum populus Iſraëliticus per deſertum incederet, deſcendit Deus in nube; & tunc *totus mons*

Tertullian. Euod. 19.

*fumabat.* Exod.19. num. 18. ob reuerentiam, & cultum ipſius Dei. Meritò ergo montes, ac deſerta, quæ olim Deum ſub nube occultatum venerata ſunt, eius nunc ſacratiſſima, ac munificentiſſima præſentia ditantur, ac nobilitantur. *Oportebat ſermonem illic quoque videre in corpore, vt egerat aliquando & in nube.* Quam optimè ergo hic ordo tantis donis, illique antiqui Patres ſacratiſſima Virginis dignantur præſentia, cum ipſam olim tanta obſeruantia, tantáque religione ſub nubis typo proſequerentur. *Vbi egerat aliquando in nube.*

*Carmelitæ multis beneficijs à B. Virgine Maria ſublimantur.*

139. Matth. 2. Apparet Angelus Ioſeph dicens: *Surge, accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. num. 13. Natus Deus homo in mundo primum in Ægyptum ſe confert. Cur non potius in aliam regionem? Cur non in Orientem, ſed ſtatim in Ægyptum deſcendit? Perbellè reſpondet D. Leo ſerm. 3. de Epiphania. *Ægypti,* ait, *ſe parentum miniſterio ſubuectus intulerat, repetens ſcilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula.* Ægyptus antiquos progenitores populi Iſraëlitici, ſcilicet Iacob, & filios eius, primum in ſe excepit; & ibi commorati ſunt. Chriſtus Ieſus natus in mundo primum deſcendit in Ægyptum, *Repetens ſcilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula.* Vt pro tanto beneficio ſuæ genti facto illam regionem primò inuiſeret, vt ab ea veritatis inopiam propulſaret, eamque multis donis impleret, vt ait citatus S. Leo. Ex quibus benè coniectura, quantis priuilegiis, ac fauoribus hic ordo ſit à B. Virgine inſignitus, cum Carmelitæ, vt habemus à Sede Apoſtolica, citatis lectionibus, *Vt primi omnium in eo montis Carmeli loco, vbi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini ſacellum conſtruxerint.* Si Ægyptus pro antiquis incunabulis Hebrææ gentis præſentia filij Dei, ac multis cœleſtibus benedictionibus adimpletur, ipſamque inuiſit filius Dei. Ergo etiam ſacratiſſima Virgo ſuis gratiis, & fauoribus repetet Carmelum pro antiquis incunabulis, pro antiquo ſacello, pro antiquo cultu, ac religione, quibus per illos primos parentes venerata eſt.

D. Leo.

*Lectiones feſti 16. Iulij.*

## Qvæstio XXVII.

### *Quare ad compeſcendos blaſphemos mulier in medio proponit Virginis maieſtatem? Agitur de efficacia Carmelitici Scapularij.*

140. *Ratio difficultatis.* Blasphemant Phariſæi: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Et tamen mulier extollens vocem, non de Chriſti potentia, ac diuinitate, ſed de ſua ſanctiſſima Matre Maria Virgine, vt dixi ſuprà quæſt. 10. inſerit ſermonem. Agnoſcebat enim, quàm potens ſit ſanctiſſima Mater Dei ad inimicos, aduerſariáſque poteſtates debellandas; quod nos Chriſtiani potiſſimum experimur. Vnde meritò Andreas Cretenſis de dormitione B. Virg. eam appellat *Chriſtianorum propugnaculum.*

*Virgo potens ad depellendas aduerſarias poteſtates.* Andr. Cret.

141. *Scapularium Carmeliticũ datum Simoni Anglico.* Hæc eius protectio peculiariter viſitur in ſuo piiſſimo adiutorio per ſacrum Carmeliticum Scapularium, quod ipſa ſacratiſſima Virgo dedit noſtro B. Simoni Anglico, quo non ſolum in hoc ſæculo à malis ingruentibus protegimur, ſed etiam in alio, dum igne purgatorio animæ fratrum, ac confratrum expiantur, obtentu ſuo per multum adiuuat, vt piè creditur, vt ex decreto Pauli V. habemus approbatum.

142. Cum Iſraël à Madian oppreſſione maxima vexaretur, ad populum à tam crudeli hoſte liberandum deſignatur à Deo Gedeon, cui vellus lanæ, rore cœleſti plenum, datur in ſignum. *Si ſaluum facis per manum meam Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, ſciam, quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël.* Iudic. 6. num. 36. Hoc autem vellus typum fuiſſe Beatiſſimæ Virginis Mariæ, tenent D. Ephrem, D. Hieron. D. Ambroſius, D. Epiphanius, Rupertus, Hugo, & alij Patres communiter apud Delrium. Polemica 5. Caniſium lib. 2. de Deipara c. 6. Barradam tom. 1. lib. 7. cap. 10. Lorinum in Pſalm. 71. Ioannem Freire in Iudic. cap. 6. verſ. 26. num. 6. Vnde ait D. Chryſologus ſerm. 43. *Vellus, cum ſit de corpore, neſcit corporis paſſiones; ſic B. Virgo immunis fuit ab omni immunditia.* Vellus autem hoc plenum erat rore, per quem gratiæ, & cœleſtes fauores denotantur, vt communiter docent Patres, & expoſitores. Sic dicitur: *Caput meum plenum eſt rore.* Cant. 5. num. 2.

Iudic. 6. D Ephrem. D Hieron. D. Ambr. D. Epiph. Rupert. Hugo. D. Chryſol. Cant. 5.

143. Sic etiam Deus in lege gratiæ per manus ſacratiſſimæ Virginis Mariæ nobis dedit aliud lanæ vellus, noſtrum ſcilicet ſacrum ſcapularium, typum, & ſignum ipſiuſmet B. Virginis Mariæ. Nam ſicut hoc Scapularium intextum eſt ex lana ſuo natiuo colore abſque vlla tincturæ mixtura; ſic ſanctiſſima Virgo ſemper habuit ſuam natiuam puritatem, ac integritatem abſque vllius inquinamenti permixtione. Hoc autem vellus lanæ plenum eſt rore, gratiis, ac fauoribus cœleſtibus; hocque conceditur ſuis peculiariter electis, ac dilectis, vt ab aduerſariis ac malis protegantur, vt certos nos faciant multa beneficia Dei gratia per illud concedi.

*Scapularium multis fauoribus plenũ.*

144. Valdè frequenter Chriſtus Dominus. Agnus nuncupatur in Scripturis. Sic Ioannes cum digito oſtendens dixit: *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1 n. 28. Sic & Iſaias clamabat: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* In cuius rei ſignum Iſraëlitis in Ægypto mandatur, vt ponant de ſanguine Agni ſuper vtrumque poſtem, ne ab Angelo exterminatore perimantur. Exod. 12. n. 7. Pro quo eleganter ait D. Hieronymus in cap. 53. Iſaiæ. *Hic Agnus, in cuius typum immolatur agnus, cuius cruor litus in poſtibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non ſolùm ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algentes infidelitate ſua veſte calefaceret; & audiremus Apoſtolum nobis loquentem: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Sic & Beatiſſima Virgo Maria, quæ eſt *ouis mater Agni*, vt eam appellat D. Chryſoſtomus, non ſolùm ſua interceſſione, & precibus nos reuocat ad vitam, vnde à D. Ildephonſo ſermone 1. de Aſſumpt. nuncupatur. *Reparatio vitæ*; & à D. Bernardo Epiſt. ad Canon. Lugdun. *Reſtauratrix ſæculorum*; ſed etiam lanis ſacri Scapularij nos *operuit, vt algentes ſua veſte calefaciat* Vt illi nempe, qui frigore ſuorum peccatorum, ac pœnarum tabeſcunt, hac ſacra veſte, diuina gratia inſpirante, calefiant, vt diuinis obſequiis mancipati Chriſto induantur.

Ioan. 1. Iſaiæ. Exod 12. D. Hieron. D. Chryſoſt. D. Ildeph. D. Bernard.

*Virgo nos operit, ac calefacit.*

Mittitur



145. Ierem. 38. Mittitur Ieremias in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum. Abdemelech. *Tulit veteres pannos, & antiqua, quæ computruerunt, & ſubmiſit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos. Dixitque Abdemelech Æthyops ad Ieremiam: Pone veteres pannos, & hæc ſciſſa, & putrida ſub cubitu manuum tuarum, & ſuper funes. Fecit ergo Ieremias ſic; & extraxerunt Ieremiam.* cap. 38. n. 11. Vt Ieremias ex horrido, limoſóque carcere extrahatur, ſubmittuntur veteres panni, & ſciſſa, ac putrida: magnum ſanè myſterium latet in hoc adminiculo Prophetæ conceſſo, vt notat Bachiarius in Epiſt. ad Ianuarium, de lapſis. Accipe Petrum Damianum lib. 6. Epiſt. 31. ad Dominicum Loricatum. *Panni veteres deponuntur, vt ex eorum nos comparatione facere præſumamus, quod ex noſtra infirmitate formidamus.* In hac ſanè vmbra maximè exprimitur figura ſacri Scapularij, quo animæ, B. Virgine intercedente, vt piè credimus, adiuuantur, vt è purgatorij carcere expeditæ in cœleſtem Patriam transferantur. Ieremiæ detruſo in carcere dantur panni, vt facilè, & promptè exeat, & illius comparatione præſumat id, quod ex ſua fragilitate formidat. Sic animabus conceditur pannus ſacri Scapularij, cum nihil reperiatur, quo maiori facilitate à purgatorij igne animæ expediantur, quàm preces, ac orationes B. Virginis. Et dicitur Ieremiæ, quod dantur ei panni peruetuſti, ſciſſa, & putrida. Sed quomodo annoſus homo, grauidus annis, grauíque ætate laborans, tam fragili re ſubleuandus eſſet? Barbarus Æthyops, qui ignorabat myſterium, illa appellat ſciſſa, & putrida: at Ieremias, qui diuina illuſtratione pollebat, optimè vim, ac efficaciam totius rei callèns, illis ſe credidit, atque commiſit. Sic ſic hoc ſacrum Scapularium ab his, qui mundanis oculis illud conſiderant, parui penditur; ab illis autem, qui diuina gratia ſunt illuſtrati, maximè eius celſitudo, ac efficacia veneratur.

Bachiar. Damian.

*B. Virgine intercedente ab igne eripimur.*

146. Hoc autem erga ſuos Carmeliticos filios Beatiſſimæ Virginis adiutorium, quamuis quotidianum ſit; præcipuè tamen intelligitur die Sabbati, vt habemus ex decreto Pauli V. *qui dies ſacratiſſimæ Virgini eſt conſecratus.* Ait Paulus ad Hebræos 4. num. 9. *Relinquitur ſabbatiſmus populo Dei*, id eſt vt explicant expoſitores, alia ſolemnitas Sabbati, per illam priorem figurata, relinquitur populo fideli, & Chriſtiano. Et cum ea, quæ legis veteris erant ſublimiori conſideratione, ac excellentiori perfectione videantur in lege gratiæ, decreuit Deus, vt huic ſacræ Religioni, tanquam peculiari populo, ſibi dilecto, & electo relinqueretur Sabbatum adiutorij, ac protectionis Beatiſſimæ Virginis erga ſuos filios, qui in charitate decedunt. Et ſicut illa ſabbati ſolemnitas in lege veteri erat inſtituta, vt in illa ageretur de his, quæ *animam iuuabant*, vt inquit Chryſoſtom. ſuper citatum locum Pauli ad Hebræos: Sic populo Chriſtiano relinquitur hoc ſabbatum ad adiutorium, & protectionem animarum, vt ex ſacratiſſimæ Virginis Mariæ eximia pietate, ac benignitate piè credimus.

Paulus V. Hebr. 4.

*Carmeliticis relinquitur ſolemnitas ſabbati.* D. Chryſoſt.



## Qvæstio XXVIII.

### *Quare Beatiſſima Virgo propria manu dat ſacrum Scapulare Carmeliticum B. Simoni Anglico?*

147. Manu ſua dat ſacratiſſima Virgo hanc ſacram veſtem noſtro Simoni Anglico, vt conſtat ex bullis pontificiis, ac ex lectionibus approbatis à Sede Apoſtolica 16. Iulij, in ſignum, ac pignus ſui amoris, fauoris, ac protectionis erga ſuum Carmeliticum ordinem.

148. Cum Dominus Ieſus cruci affigeretur, eius veſtes milites Romani ſuſcipiunt, per quos execrandum nefas peragebatur. *Poſtquam crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes.* Matthæi 27. num. 35. Simul cum Domino crucifixi ſunt duo alij, de quorum veſtibus non ſcribitur, quod conceſſæ fuerunt militibus. Cur ergo ſolum de indumento Ieſu peculiariter id notatur? Vt iam inde Romanis, ac gentibus ſcilicet daretur ſignum, & pignus, quod totus Ieſus ad illas transferendus erat. Quando Deus veſtem, vel filum aliquod præſtat, ſignum, & pignus eſt, quod & ſeſe totum aliquando præſtare velit. Eleganter D. Damaſcenus homil. de Sabbato ſancto. *Veſtem*, ait, *quoque militum ſorti permittit, quod futurum ſit, vt reſurgens à mortuis mittat gentibus, quos ipſe diligit, diſcipulos, fiatque ipſe fidelibus diuini baptiſmatis indumentum. Quicumque enim, inquit, Paulus in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Conceſſit ſacratiſſima Virgo Carmelitis ſacrum Scapularis indumentum in ſignum, & pignus, quod ipſis peculiariter erat ſuo auxilio, & patrocinio adfutura, ipſiſque fidelibus fiebat indumentum.

Matth. 27.

*Datur indumentum Ieſu in ſignum aduentus Ieſu ad gentes.*

D. Damaſc.

149. Variæ ſunt Patrum rationes, ob quas puer Ieſus fugiens Herodem ſe contulit in Ægyptum, de quo dixi tom. 1. lib. 2. cap. 7. quæſt. 6. D. Leo ſermon. 3. de Epiphania. *Ille, ait, qui ſanguinem ſuum pro mundi redemptione fundendum in aliam differt ætatem, Ægyptui ſe parentum miniſterio ſubuectus intulerat, repetens ſcilicet Hebrææ gentis antiqua incunabula; ne ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ ſacramentum, in qua primum occiſione Agni ſalutiferum crucis ſignum, & Paſcha Domini fuerat præformatum.* Fugiens Chriſtus venit in Ægyptum, repetens ſcilicet Hebrææ gentis antiqua incunabula. In Ægypto enim inter mundi prouincias primum celebri occiſione Agni Paſchalis Exod. 12. præfiguratum fuit ſacramentum Euchariſtiæ, ac paſſionis dominicæ: ideo igitur ad illam regionem ſe primum confert Chriſtus Dominus, vt eius præſentia, cœleſti gratia, ac protectione inter vniuerſas prouincias Ægyptus ditetur. Viſitans è cælo ſacratiſſima Virgo repetit antiqua Carmeliticæ gentis incunabula, in qua inter rerum primordia ipſius ſacratiſſimæ Virginis figura, & ſignum fuerat præformatum: nubecula enim illa, quam de mari aſcendentem vidit parens meus Elias, typus, ac figura ipſius Virginis extitit. 3. Reg. 18. n. 44. vt dixi quæſt. 26. ſuprà. Ad ipſámque Carmeliticam gentem Virgo ſe conuertit, vt eam ſua gratia, fauore, ac protectione ſingulariter, ac peculiariter valdè locupletaret, ac nobilitaret.

D. Leo.

*Virgo viſitat antiqua Carmeliticæ gentis incunabula.*

3. Reg. 18.

150\. Peccarunt Primi Parentes, eumque de paradiſo eſſent eiiciendi, *fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*. Gen. 3. num. 21. Chaldaicus vertit; *veſtimenta honoris*. Sed cur duobus pœnitentia multatis veſtimenta honoris tribuuntur? Veſtes illæ erant veluti quædam pœnitentiæ ſigna, quibus è paradiſo eiiciebantur; quomodo ergo honoris veſtimenta nuncupantur? Cardinalis Caietanus. *Vide*, ait, *benignitatem diuinam erga Primos Parentes, vt qui ſe ipſos reddiderunt indigentes veſte, nec haberent, vnde ſe veſtirent, habeant veſtes diuinitus factas*. Si ergo veſtes in ſignum pœnitentiæ conceſſæ, cum tamen diuinis manibus eſſent fabricatæ, honoris indumenta dicuntur; quanto magis ſacrum ſcapulare à ſanctiſſima Virgine datum, in amoris ſignum, ac pacis fœdus, decoris, ac honoris erit amictus. Et ponderandum, quod illæ veſtes Primorum Parentum, honoris dicuntur, cum tamen illi ob peccatum *ſe indigentes veſte reddiderunt*; vt ait citatus Cardinalis. Quantò magis ergo ſacrum ſcapulare pulcherrimè venuſtabit Religioſos, qui ob amorem, & charitatem in Deum omnia bona ſua temporalia reliquerunt, ac dimiſerunt.

Geneſ. 3. Chaldæus. Caietanus. *Scapulare venuſtabit Carmelitas.*

151\. Ait Iſaias 61. num. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me*. Septuaginta transferunt: *Exultet anima mea in Domino. Induit me veſtimento ſalutaris, & tunica lætitiæ*. Ad magnam exultationem, ac lætitiam inuitat Propheta animam ſuam; cuius rei cauſam aſſignat: *Quia induit me veſtimentis ſalutis*. Gaſpar Sanchez per ſalutem intelligit pacem: *Induit me veſte tranquillitatis, & pacis*. Quantum debeat Carmelus exultare, & lætari, cum ipſum induerit Regina, ac Domina Angelorum veſte tranquillitatis, ac pacis, quæ data eſt ei in fœdus pacis, ac pacti ſempiterni.

Iſai 61. *Septuaginta.* Sanchez. *Lætetur carmelus veſte pacis.*

## Qvæstio XXIX.

### *Quantum ſit inſignita Carmelitica Religio Virginis protectione?*

152\. Iterum redeo ad citatum Geneſeos locum 3. num. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas*. Quod explanans Thomas Anglicus ait: *Induit eos ad oſtendendum ſuam in eos pietatem, eo quod incipiebat de eis curare. Vnde incepit ab iſto loco noſtram neceſſitatem releuare*. Quantam ergo pietatem, quantamque clementiam, ac curam in ſuos Carmelitas ſacratiſſima Virgo oſtendit, dum eos hac ſacra induit veſte, facile ex his coniectari licebit.

Geneſ. 3. Thom. Ang. *Multa in Carmelitas virginis clemensia.*

153\. Cum per fluminis ripam Pharaonis filia degeret, puerumque Moyſen videret in aquis, ipſum ad terram educi imperat, poſtea verò iam adultum eum *adoptauit in filium*. Exod. 2. num. 10. cumque ſuis regalibus indumentis veſtiuit, ac exornauit, vt tradit Ioſephus lib. 2. Suprema etiam Regina cæli ſuos Carmelitas adoptans in filios, eos hoc admirabili ornamenti dono ditauit, in ſignumque quod ipſa tanquam piiſſima mater eos ſua interceſſione, ac precibus ab omni naufragio, ac periculo cuſtodiret, atque erueret; quod ipſa tanquam piiſſima mater eos multis donis, fauoribus, gratiis, ac priuilegiis,, inſigniret, atque repleret.

Exod. 2. Ioſephus.

154\. Dauid iam ſene, Adonias, multo populo ad ſe conuocato, ſe regem acclamari fecit. Quod audiens Bethſabee ingreditur ad regem Dauid deprecans pro filio ſuo Salomone, dicens: *Nonne domine mi rex iuraſti mihi ancillæ tuæ dicens, Salomon filius tuus regnabit poſt me? quare ergo regnat Adonias*. 3. Reg. 1. num. 13. Quo audito ſtatim rex Dauid mandauit, Salomonem per Sacerdotes creari, ac vngi in regem, eumque ſedere fecit in regali throno ſuo. Sicque regnum precibus matris ad Salomonem tranſlatum eſt. Nunquid ſat erat, vt Salomon rex conſtitueretur, quod filius eſſet Dauidis? minimè, niſi enim tantam, ac talem haberet matrem, quæ ita pro eo loqueretur, regnum proculdubio non eſſet aſſecutus. Multum prodeſt bonum habere parentem, & etiam magni momenti eſt bonam habere matrem, vt vrgente occaſione verba proferat, loquatur, ac pro filiis interpellet. Religio Carmelitica magnum habet Parentem Eliam; ſed multo maioris ei eſt momenti, quod Domina Angelorum ei ſit in Matrem, vt eius precibus multis donis locupletetur, ac ditetur. De quo iam dixi.

3. Reg. 1. *Multum prodeſt habere vtrumque parentem.*

155\. Ex Virginis patrocinio Carmelitica Religio perſiſtentia, firmitate, ac conſiſtentia vſque in finem maximè gaudet. Cum Carolus Quintus Romanus Imperator eſſet creatus, varia poëmata pro eius decantandis laudibus edita ſunt in lucem, de quo quidam libellus extat, & inter cætera ſic quidam Poëta modulatur.

Poëma.

*Humanum cum Plaſta genus ſibi conderet vnum,*
*Non vidit, ſatis eſſe hominem, niſi iungeret illi*
*Conſortem, ſine qua nequeat perſiſtere Regnum,*
*Quod Medus, quod Perſa habuit, quod Græcus, & inde*
*Romanus, genuit Mauors ſine coniuge prolem.*
*At Medus, ſic Perſa ruit, ſic Græcus, & ipſe*
*Romanus Deus Imperium ſine fine daturus*
*Connubio Marti coniunxit Religionem.*

Alludit Poëta, quod ſcilicet olim Medus, Perſa, Græcus, & Romanus in ſuis ſcutulis, & inſigniis pro ſtemmate tantum habebant Martem galeatum. At verò in ſcuto Imperij Romani nunc ex vna parte adeſt Religio; ex altera vero ipſe Mars. Ex quo bene colligit Poëta, quod illa antiqua Imperia, cum tantum habuerint virum, non potuere conſiſtere, ſed omnino perierunt, ac eſſe deſierunt. At Imperium Romanum, cum habeat & fœminam ſcilicet Religionem, & virum, Martem nempe, tanquam parentes; inde illius perſiſtentia, ac conſiſtentia optimè auſpicatur. Religio Carmelitica, non ſolùm habet Parentem Eliam, ſed etiam piiſſimam matrem ſacratiſſimam Virginem Mariam, cuius potiſſimè patrocinio iacturam non timebit, ſed diu vſque ad terminationem ſæculi permanebit. Sic ipſa Beatiſſima Virgo pollicita eſt B. noſtro Petro Thomæ, vt habetur die 29. Ianuarij in noſtro breuiario approbato à Sanctiſſ. D. N. Vrbano VIII. in V. Lect. *Confidito, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura: Elias namque eius inſtitutor iam olim etiam à filio meo id impetrauit.*

S. Pet. Thom.





## Qvæstio XXX.

### *De inſigni titulo Beatæ Mariæ de monte Carmelo, quo inſignitus eſt hic ordo.*

156\. Tanto hoc titulo ex ſuo nomine ſacratiſſima Virgo ſuum Carmeliticum ordinem voluit nobilitare, vt ait Sixtus IV. in ſua Bulla. *Dum attenta meditatione*, ſic ait, *Virgo venuſtiſſima, quæ florem ſpecioſiſſimum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ineffabili ſancti Spiritus cooperante virtute genuit; produxítque ſacrum Ordinem B. Mariæ de monte Carmelo à Sede Apoſtolica, pluribúſque Romanis Pontificibus approbatum, quem eiuſdem glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſempérque Virginis Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, vt ob eius Virginis reuerentiam ordo ipſe à Chriſti fidelibus meritò per amplius veneraretur*. Qui titulus confirmatus eſt in Concilio Epheſino, vt refert Carolus Tapia lib. de Monachis; à variiſque Pontificibus approbatus, ac confirmatus, multis conceſſis indulgentiis, illis, qui fratres B. Mariæ de monte Carmelo nominarent. De eoque faciunt mentionem in ſuis bullis antiquiſſimi Pontifices Leo IV. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. & alij, vt referuntur in Bulla Gregorij XIII. *Ad laudes*. Et, vt teſtatur Clictoueus ex Ioanne PP. quod à tempore Apoſtolorum tanto nomine Carmeliticus ordo ſit inſignitus. Et Flauius Cherubin tom. 1. ſcholio 2. ait: *Fide Euangelica exornato Carmelo, candidati filij tanti Parentis Eliæ, quo tandem loci dedicatum antea meritiſſimo duci peruetuſtum ſacellum promeruit, recens Deiparæ conſecrarunt, quæ illos viuens, non ſemel præſentiæ gratia, quam ſanctiſſimè affecerat. Effectúmque eſt, vt qui quondam Eliæ, iam dignioris nomenclaturam nacti B. Mariæ à monte Carmelo dicerentur*. Ex quo ait Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 9. fol. mihi 701. quod inter Religiones, quæ titulo B. Mariæ gaudent, *Horum primus eſt ſanctæ Mariæ de monte Carmelo, vnde ſanctiſſimi, & præſtantiſſimi viri prodierunt.*

Sixtus IV. Tapia. Clictoueus. Flau. Cher. Bozius.

157\. Magnum dilectionis ſignum Beatiſſimæ Virginis erga hunc ordinem, quod illum ſuo nomine inſigniri voluerit. *Reuertere, Reuertere, Sulamitis, Reuertere, Reuertere, vt intueamur te*. Cantic. 6. num. 12. Sulamitis variè legitur. Genebrardus, Delrius, & alij ſcribunt Salomonia, ſeu Salomita, nomine deducto à Salomone, ſicut à Paulo dicitur Paula, à Cornelio Cornelia. Vnde ſicut Salomon in Hebræo idem eſt, ac *pacificus, perfectus*; ſic Salomitis hic vertunt, *perfecta, & pacifica* Aquila, Theodoretus, D. Ambroſius. Nam, cum Salomon ſummè diligeret hanc ſuam coniugem filiam Pharaonis. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea*, &c. Cantic. 6. num. 7. Ex omnibus, quas ille habebat in coniuges, hanc vnam in ſignum tanti amoris à nomine ſuo vocari voluit, vt cui per tantam dilectionem omnia ſua tradiderat, etiam cum ea nomen ſuum commune faceret. Et, vt notant D. Bernardus ſermone 3. *de Annuntiat*. & ſermone 58. inter paruos, & Hugo Victorinus Miſcellan. 2. lib. 2. tit. 24. quater dicit ei Reuertere, quia, vt ait D. Bernardus citato ſermone de Annunciat. *Quater reuocat animam, quam reſpicit*. Sicque ſacratiſſima Virgo Carmeliticum ordinem ob ſui ſingularem in illum amorem, ex ſuo nomine appellationem ſortiri conceſſit; cumque ſuo benigno fauore quatuor reuocat, ac reſpicit. Primò ſingulari protectione, tanquam pia Mater in filios adoptatos. Secundò inſigni ſacri Scapularis dono ſublimauit, vt in ſuperioribus dixi. Tertiò eum multis præclariſſimis viris illuſtrauit, vt dicam cap. 31. Quartò eum tanto titulo, ac nomenclatura, vt diceretur ordo B. Mariæ de monte Carmelo, condecorauit.

Cant. 6. Genebrard. Delrius. Aquila. Theod. D. Ambr. Cant. 6. D. Bernard. Hugo Vict. D. Bernard. *Inſignis amor quod à Virgine Carmelitæ nomen habeant.*



158\. Adhuc perſiſto in eadem nominis metaphora: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum*. Cantic. 7. num. 1. Ad quem locum pulchrè Rupertus Abbas. Non videbis. *Nihil omnino niſi choros caſtrorum, id eſt laudes, ſeu cantiones præliantium, prælia laudantium, & cantantium; quod ſuauiſſimum, quod verè eſt pulcherrimum: laudando chori præliantur, præliando caſtra laudant*. Chori Eccleſiaſticorum, dum Deum laudant, in oratione præliantur contra inimicorum ſpiritualium poteſtates. Et dum caſtra ſanctorum pro fide Catholica pugnant, Deum maximè laudant, & glorificant. Sicque noſtri Religioſi, dum die, ac nocte aſſiſtunt in choro orantes, ac meditantes in lege Domini, iuxta Regulam, maximè præliantur contra aduerſarias poteſtates. Et dum per varias orbis partes prædicant, ac docent fidem Catholicam, tanquam armata caſtra, præliando Deum laudant.

Cantic. 7. Rupert.

159\. Cumque ſacra Carmelitica Religio habeat ſpiritum orandi, ac meditandi in lege Domini; habeátque ſpiritum prædicandi fidem, ac doctrinam Catholicam, quod totum à ſacratiſſima Virgine, vtpotè à piiſſima Matre, hauſit, ac participauit, inde tanto nomine nobilitatur, vt dicatur ordo B. Mariæ de monte Carmelo. Dicitur Apocal. 3. num. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum*. Tanta claritas, ac ſublimitas nominis noui Dei non datur quibuſcumque, niſi illis tantum, qui ipſis diuinis virtutibus fulgent, eaſque imitari affectant. D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 18. *Non agnoſco, ait Dominus, nomen meum, vbi non eſt mea ſempiterna diuinitas: non agnoſco nomen meum, vbi non agnoſco doctrinam meam: non agnoſco nomen meum, vbi non agnoſco ſpiritum meum*. Dei ſpiritus, ac doctrina, & multæ aliæ virtutes connexæ ſunt cum diuino nomine, ſine quibus ipſum tantum nomen minimè adeſt. Cum ergo ſanctiſſima Virgo Carmelitico ordini ſuum nomen conceſſerit, etiam illi ſua interceſſione ſpiritum, ac doctrinam, & virtutes impetrauit, prout maieſtatem tanti nominis decebat.

Apocal. 3. D. Ambroſ.

160\. Ait Dominus Exod. 23. num. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obſerua eum, & eſt nomen meum in illo*. Cur non dicitur, eſt potentia mea, ſeu gloria mea in illo, ſed cum dicitur nomen meum in illo, hæc omnia includuntur. Hugo Victorinus Annotationibus in Exod. *Nomen meum eſt in illo*, ait, *gloriam,*

Exod. 23. Hugo Vict.

*& potentiam meam manifeſto per illum.* Nomen Virginis Mariæ datum eſt Carmelitico Ordini, Virginis enim gloria per illum manifeſtata eſt in hoc ſæculo. Virginis gloria, quod Dei Mater ſit: hoc tantùm Virginis decus ab impio Neſtorio tuetur noſter Cyrillus Alexandrinus, in concilióque Epheſino præſidens illud diffinit. Virginis gloria, quod ſit Virgo, & Mater: quod ab impiis hæreticis acerrimè propugnauit, ac defendit noſter Ioannes Damaſcenus. Virginis gloria, quod concepta ſit ſine macula originalis peccati. Inter cætera Chriſti myſteria, quæ parens Elias ſuis diſcipulis reuelauit, hoc etiam eis reuelauit, Virginem Mariam ſine peccati originalis pondere naſcituram: quam reuelationem ipſe Elias accepit in nubecula illa parua, quam vidit aſcendentem de mari. Quam traditionem, & reuelationem à tempore Eliæ vſque ad Chriſtum perduraſſe, teſtantur grauiſſimi Auctores, Ioannes Ieroſolymitanus lib. de Inſtitut. Monach. cap. 32. Ioſephus Antiochenus lib. de perfecta militia Primitiuæ Eccleſiæ cap. 12. & alij multi Auctores grauiſſimi citati apud Petrum de Oieda ex Societate Ieſu in ſua informatione pro immaculata Conceptione Virginis cap. 1. part. 1. fol. 3. & apud Ægidium Luſitanum tom. de Concept. lib. 3. quæſtione 4. art. 1. §. 1. num. 8. Virginis gloria, quod eius nomen ſit valdè celebratum in orbe multis baſilicis ædificatis; quod Carmelitæ præſtiterunt, multas Eccleſias in eius honorem in toto mundo erigentes. Immò, vt proximè citati Auctores referunt, à tempore Apoſtolorum anno poſt Chriſtum 83. in honorem immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ à Carmelitis in monte Carmelo inſtituta fuit Capella. Et per illuſtriſſimum D. Fr. Nonium Aluares Pereira Regni noſtri Comeſtabilem, ac huius Carmelitici conuentus Vlyſipponenſis fundatorem, ac Religionem, in hac Luſitania primum templum ſub titulo Conceptionis erectum eſt apud oppidum *Vilauiſoſa*.

*Virginis gloria per Carmelitas manifeſtata.*
Ioan. Ieroſ.
Ioſeph. Ant.
Oieda.
Ægid. Luſit.

161. *Potentiam meam manifeſtabo per illum.* Per Carmelitas multum Virgo ſuam potentiam manifeſtauit; prædictum enim ordinem multis illuſtriſſimis viris ditauit, ac nobilitauit, eumque à multis aduerſariis, apparitione quadam facta Honorio III. valdè mirabiliter, liberauit, vt refertur in lectionibus approbatis à Paulo V. die 16. Iulij. Ipſumque ordinem non ſolùm in hoc ſæculo multis prærogatiuis inſigniuit, ſed etiam in alio, cum vbique multum potentia, ac miſericordia valeat, vt in eiſdem lectionibus habetur.

Honor. III.

162. Vulgaris eſt lex Hebræorum Ruth 4. num. 4. qua frater debebat defuncti fratris nomen excitare. Superſtes germanus accipiebat viduam de fratre, & illi iunctus filios, quos generabat, nomine defuncti fratris nominabat. Quod myſticè factum ab Apoſtolis in Chriſti Eccleſia, adnotat D. Auguſtinus Pſalm. 44. dicens: *Sumus Chriſtiani, non Petriani, & ſi nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine defuncti; non per illum nati, ſed illi nati.* Defuncti Ieſu ſemen Apoſtoli in Eccleſia excitabant, nomine Chriſti regeneratos vocantes, vt ex nomine agnoſceretur, cui naſcebantur. Carmelitæ nati ſunt ab Elia fundatore, ab Alberto Patriarcha regulam tenentes; alta Dei prouidentia factum eſt, vt non Eliotæ, ſed fratres Beatæ Mariæ de monte Carmelo dicerentur, vt nomen Virginis Mariæ, iam è vita tranſlatæ, excitarent. Et quamuis per Eliam ſunt nati, tamen nati ſunt, vt toti obſequio, ac famulatui B. Virginis conſecrarentur, ac dedicarentur.

Ruth 4.
D. Auguſt.
*Carmelitæ ad laudem Virginis conſecrati.*

# CAP. XXIV.

## *Signum de cælo petitur.*

*Matth.* 12. *n.* 38. Tunc reſponderunt quidam de Scribis, & Phariſæis dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Doctor, volumus, videre ex te ſignum. |
| *Vatablus in Scholiis.* | Præceptor, cupimus, à te ſignum videre. |

### *EXPOSITIO I.*

1. POST narratam hiſtoriam de dæmonio muto; poſt proclamatas laudes à muliere, hanc ſubiungit hiſtoriam D. Lucas cap. 11. n. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere. Quem ordinem nos ſequimur, cum maximè inſeruiat ad texendam Euangelicam hiſtoriam.

D. Lucas.

2. *Tunc reſponderunt*, poſt ſcilicet modo relata, *quidam de Scribis, & Phariſæis*, qui Chriſti opera calumniati ſunt dicentes: In Beelzebuth eiicit dæmonia: nam hi magna inuidia Chriſtum proſequebantur; populus autem eum maxime diligebat, & gaudebat de ſignis, quæ ipſe faciebat, vt notat Abulenſis quæſt. 83. D. Chryſoſtom. homil. 44. aduertit, quod Euangeliſta illud dicit admirans propter eorum petulantiam. *Magiſter.* Sic eum appellant, vt populus illum nuncupabat, vt humili oratione ſimulata ſecurius ipſum appetant. *Volumus*, id eſt cupimus, & deſideramus, *ſignum videre*. D. Luc. 11. num. 16. addidit *de cælo*. Viderant Phariſæi mortuos ſuſcitatos, morbos ſanatos, cæcos, & claudos reſtitutos: & tamen nullis eorum malitia quieſcit, ſed adhuc noua ſigna è cælo exigunt, verbi gratia vt ignis, more Eliæ, è cælo veniret. 3. Reg. 18. Vel vt tempore Samuelis tempore æſtiuo ſonarent tonitrua, imbres ruerent, fulgura coruſcarent. 1. Reg. 18. num. 10. *Quaſi non poſſent & illa calumniari*, vt ait D. Hieronymus, & dicere, ex occultis, & variis aëris paſſionibus accidiſſe. Vtique reſpondebunt, & Magos in Ægypto multa ſigna feciſſe de cælo.

Abulenſ.
D. Chryſoſt.
D. Lucas.
3. Reg. 18.
1. Reg. 18.
D. Hieron.





## QVÆSTIO I.

### *Quare, cum ſigna petunt, Chriſtum magiſtrum dicunt?*

3. RESPONDET Primò Chryſoſtomus homil. 44. Quod hæc eorum verba adulatione, ſeu irriſione, ſeu ironia plena erant. Et cum prius conuiciarentur appellantes eum dæmoniacum; nunc adulantur magiſtrum vocantes, vt idem Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 30. magis explicat, quod ita loquuntur, vt exterius oſtenderent deſiderium ſciendi, vt ſic facilius decipere poſſent. *Vt autem*, ait, *ſcias, quod volumus, à te ſcire veritatem, ecce etiam te magiſtrum appellamus.*

D. Chryſoſt.
*Adulatione Phariſæi decipere volũt.*
Imperfectus.

4. Secundò Abulenſis quæſt. 84. ait, Quod hoc fecerunt quidam de Scribis, & Phariſæis, *timentes duram Chriſti increpationem, nam ſocij eorum, qui dixerunt, In Beelzebuth eijcit dæmonia fuerant nimis increpati: blandius ergo iſti loquuntur, vt non eſſet ita Chriſto occaſio eos arguendi.* Ex dura increpatione vnius, alij cautiores redduntur: & ex timore ſæpè ea homines faciunt, quæ eorum animo, ac inclinationi ſunt valde dura.

Abulenſis.
*Ex dura vnius increpatione ſiunt alij cautiores.*

5. Tertiò. Antea dæmoniacum dixerant: *In Beelzebuth eijcit dæmonia:* nunc verò magiſtrum appellant. In omnibus hi deprauati oſtendunt ſuam mutabilitatem, ac inconſtantiam. Quartò. Adulandi gratia, vt exponunt Chryſoſtomus, Euthymius, Albertus Magnus, S. Thomas. Sed cur non potius dicunt aliquid maius? Cur non appellant Meſſiam, vel filium Dei? Erant iſti interrogantes Legis Magiſtri; & tanti eſt apud homines eorum dignitas, & præeminentia, vt ex ſua ſublimitate aliorum velint metiri honores, ſibi perſuadentes, non eſſe aliquid maius.

*Iniqui incõſtantes.*
D. Chryſoſt.
Euthymius.
Albert. Mag.
S. Thomas.

6. Quintò. Simon Caſſianus lib. 8. cap. 27. *Vocant Magiſtrum, cuius doctrina, non vt diſcipuli boni credunt; nam ſi crederent, ſigna non peterent: nec Magiſtrorum eſt facere ſigna, ſed inferre doctrinam. Vide ergo quomodo iniqui ſua locutione ſe deſtruunt, & cum ore loquuntur, quod facto confundunt.* Quantam repugnantiam Phariſæi hi pertendunt, vt etiam notauit Chryſoſtomus, homil. 44. Aliud habent in ore, aliud oſtendunt opere: ore Magiſtrum vocant; & in opere manifeſtant, eum ab eis talem non agnoſci: nam ſi vt verum Magiſtrum reputarent, eius dictis crederent, & minimè ſigna peterent. Deinde Magiſtrum nuncupantes ſigna quærunt, cum Magiſtri ſit doctrinam, & non ſigna dare. Perpende iniquorum ingenium quantis ſe deſtruunt, ſibique contradicunt, atque repugnant.

Caſſianus.
*Iniquorum dicta factis contraria.*

7. Principes Sacerdotum. *Concilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Matth. 26. num. 4. Sed vnde inter tam crudele facinus illis venit in mentem dies feſtus? vt nimirum ſe illius, ac religionis cultores oſtenderent. In quantis iſti ſe deſtruunt! De obſeruantia religionis verba faciunt; & concilium ineunt de tota religione euertenda, cum illius auctorem interficere determinent: de religione cogitant, non vt in venerationem habeant, ſed vt cautius malitiam ſuam perpetrare queant. S. Leo Papa ſerm. 7. de Paſſione cap. 2. *Prouidentibus ergo*, ait, *Principibus, ne in die feſto tumultus oriretur, non deuotioni, ſed facinori ſtudebant; nec religioni ſeruiebat hæc cura, ſed crimini. Diligentes enim Principes, & ſoliciti Sacerdotes, non vt populus non peccaret, ſed ne Chriſtus euaderet.* Pondera illa verba, *nec religioni ſeruiebat hæc cura, ſed crimini.*

Matth. 26.
*Iniqui ſuo concilio ſibimet aduerſantur.*
S. Leo.

Hæc eſt ſolemnis impiorum conſuetudo ſemetipſos oppugnare, ſibiquemet ipſis contradicere. 8.
Cum Ieroboami filius graui morbo oppreſſus ad mortem properaret; Vxor eius amore filij de ſalute eiuſdem valde ſolicita pergit ad Prophetam Ahiam. Ad quam Propheta ſic loquitur: *Tu igitur ſurge, vade in domum tuam, in ipſo introitu pedum tuorum in vrbem morietur puer.* 3. Reg. 14. num.... His auditis quod nam mulieri conſilium ſubit? Surrexit itaque vxor Ieroboam, *& venit in Therſa, cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus eſt.* Audit mulier à Propheta (cuius dictis ipſa credebat, nam aliàs ad illum non accederet) quod ipſa ciuitatis limen attingente puer eſſet moriturus, cur cum illius ſalutis maximè deſiderio flagraret, non cauet illum locum, & in alium ſe confert? Cur non differt, longas in itinere moras interponens, vt diutius ſibi dilectus viuat filius? Minime ſibi conſtans eſt mulier, ſed ſua iniquitate ita cœca, vt cum vitæ filij anxietate maximè teneretur, & mortem poſſet differre, ipſa tamen illius obitum procuret, & acceleret. Ioſephus de Antiquitatibus. cap. 4. *Hoc oraculo*, ait, *muliere territa ſe proripit, & toto itinere futuram filij mortem iam tunc deplorans, plangenſque miſera properat, eademque opera filio fatum accelerans.*

3. Reg. 14.
*Mulier de vita ſolicita mortem accelerat.*
Ioſephus.

## QVÆSTIO II.

### *Quare, cum Magiſtrum dicant, petulanter tamen propriam voluntatem pertendunt?*

ACCEDENTES Phariſæi ad Dominum, Magiſtrum nuncupant: conſequens inde erat, vt tanquam diſcipuli, ac inferiores ei ſe ſubmitterent, pro eiuſque dictamine ſtarent: tamen imperioſè, ac inurbanè propriam exprimunt voluntatem dicentes: *Volumus, à te ſignum videre.* 9.

*Ratio dubitandi.*

Reſpondet Primò Euſebius Emiſſenus homil. in feria 4. poſt Dom. 1. Quadrag. *Quanta eſt ſuperbia Scribarum, ac Phariſæorum*, ait, *quantaque ſtultitia: non rogant, nec poſtulant, ſed inflato ſtomacho, ac erecta ceruice dicunt, volumus.* Cum eſſent Scribæ, ac Phariſæi multa ſuperbia inflati, magna ſtultitia laborant, ſe humiliare, ac rogare neſcientes, ſed quendam etiam veluti ipſius Dei contemptum præ ſe ferentes, dicunt, *Volumus.* Secundò. Magiſtrum vocant, & tamen aſſertiuè aſtruunt, *Volumus.* Neſcit enim ſuperbia modum, aut vrbanitatem ſeruare, ſed ipſummet Deum, tanquam ſuo imperio ſubiectum, vult ambire. 10.

Euſebius.
*Superbia etiam Dei contemptum parit.*

Tertiò. Malitia nullo operimento, ac inuolucro valet diſſimulari, & abſcondi. Magiſtrum dicunt, vt tegumento quodam ſuam peruerſitatem celent. Illam tamen diſcooperiunt, ac propalant, cum pro voluntate imperent. Quartò. *Volumus* dicunt. Malignantium vox, non pro ratione, & conue- 11.

*Malitia nũquam occultari poteſt.*

*Iniqui voluntate, non ratione operantur.* nientia,ſed pro appetitu,ac voluntate operantium. Quorumque voluntatis impulſus regula, ac methodus ad agendum eſt. Sic impudica illa meretrix ait: *Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Marc. 6. num. 26. Ad tantum flagitium, non aliud motiuum, nec conuenientiam, ſed propriam voluntatem profert. *Volo.* Vide ſupra cap. 5. num. 17. 18. 19. & 20. cap. 22. num. 12. 13. & 14. & tom. 1. & 2. Verb. Ratio. (Marc. 6.)

12. *Cum in Deo ſcientiam cognoſcamus, propriæ voluntati adhæremus.* Quintò, Cum Dominum magiſtrum aſſeuerent, in eo ſcientiæ eminentiam recognoſcunt. Cum verò *Volumus* aſtruant, propriam ſuam voluntatem declarant, atque oſtendunt. Quanuis omnes in Deo ſcientiæ celſitudinem recognoſcant vnuſquiſque tamen ſuam ſibi vult retinere voluntatem; ſecundumque ſuum beneplacitum omnia fieri, & ordinari. *Magiſter, volumus.* Ac ſi dicant: Scientia ſit tua, voluntas autem noſtra. Tu, cum magiſter ſis, ſcientia polles; nos verò voluntate noſtra; volumus enim.

13. Cum Petrus in vertice Thaboris poſitus videret Chriſti gloriam, & maieſtatem, apparentibus ſimul Moyſe, & Elia, ait ad Ieſum: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Matth. 17. num. 4. Cum Dominum dicit, ſupremam eius diuinitatem cum omnibus ſuis attributis ſcientiæ, ac potentiæ recognoſcit, vt omnes fatentur. Et tamen ait: *Bonum eſt, nos hic eſſe,* vt explicat Chryſoſtomus homil. 57. *Volebat ipſum ibi perpetuò manere.* Si ergo ipſum ſupremum Dominum recognoſcit, quomodo audet coram eo propriam voluntatem proferre: *Bonum eſt, nos hic eſſe?* nam ſi Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciet; quidquid ſecundum altitudinem ſuæ ſapientiæ rectum iudicauerit, faciet. Cur Petre tuam voluntatem producis? Petrus diuina gratia adhuc non erat expolitus; & licet Domini diuinitatem cum tanta ſcientia, ac potentia recognoſceret, propriæ voluntati adhuc fixus adhærebat, & pro ſuo præſumebat arbitrio gubernare diuinum. Albertus magnus Luc. 9. *Ait ad Ieſum: Præceptor, bonum eſt, nos hic eſſe: vt ipſe cupiebat, ita fieri volebat.* (Matth. 17. — D. Chryſoſt. — *Petrus diuinitatem in Chriſto recognoſcens, ſuā vult fieri voluntatem.* — Albert. Mag.)

14. Multas rex Syriæ contra regem Iſraelis moliebatur inſidias, cumque omnia ſua videret conſilia inimico regi patere, ab omnibus maximè ſe ille cauebat. Sibi perſuaſit rex Syriæ, in Conſiliariis ſuis aliquem eſſe proditorem. Cui vnus ex aſtantibus dixit non ita eſſe, ſed Eliſæum prophetam omnia etiam abſtruſa conſilia penetrare, ac ſcire, illaque aduerſario ſuo aperire. Tunc furibundus rex Syriæ ait: *Ite, & videte vbi ſit, vt mittam, & capiam eum.* 4. Reg. 6. num. 13. Quænam maior ſtultitia? Quænam maior repugnantia in dictis deprehendi valet? Agnoſcis, tantum eſſe in Eliſæo ſcientiæ donum, vt tua abdita percallere poſſit; & tamen ipſum comprehendere curas! Sic ſic prophanus rex diſponebat, qui cum experiretur tantam ſcientiæ eminentiam in Propheta, adhuc pro ſuo affectu à propria voluntate non deſiſtebat, ſed in illa immobilis permanens ipſum apprehendere volebat. Carthuſianus. *Si rex Syriæ,* ait, *credidit, Eliſæum cognoſcere omnia verba à ſe etiam in conclaui prolata, fruſtra miſit ad inquirendum vbi eſſet, cum Eliſæus interim, ſi vellet, effugere poſſet. Sed tanta eſt excæcatio impiorum, vt cum vnum credant, atque conſiderent, non conſiderent aliud, quod ex illo eſt conſequens.* Vide ſupra. cap. 15. num. 9. 10. & 11. (4. Reg. 6. — *Non obſtante prophetiæ dono in Eliſæo rex vult fieri ſuam voluntatem.* — Carthuſ.)

## Qvæstio III.

### *Quare, cum Iudæi tot ſigna viderint à Chriſto facta, ſigna petunt?*

15. Mvlta ſigna à Chriſto edita eſſe viderant Phariſæi; & modo dæmoniacum cæcum ſurdum, & mutum ſanatum: & tamen adhuc ſigna quærunt, E cælo ſcilicet, vt explicat D. Lucas cap. 11. num. 16. Acſi dicerent: Si ea, quæ facis, non Satanæ, ſed Dei virtute facis; age, vt Deus in cælo per ſigna oſtendat, ſe eſſe tui auctorem, magiſtrum, & doctorem. Petebant ergo ſigna de cælo, *Quaſi & illa,* ait D. Hieronymus, *non poſſent calumniari; nam qui calumniaris ea, quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis, quid facturus es de his, quæ de cælo venerint?* Non erant contenti beneficiis Domini, ſignis, ſuſcitatione mortuorum, ſanitate ægrorum *Quæ vtilitate ſentis:* ſed petebant ſigna tanquam ad ſui perniciem, vt more Eliæ ignis deſcenderet de cælo ad eorum combuſtionem, & vt tempore Samuelis fulgura, & tonitrua tonarent ad eos terrefaciendos. Tales ſunt iniqui, & proterui, vt contemptis eorum ſalutaribus, quæ ad ipſorum ſunt deuaſtationem, cupiant, & anhelent. (Luc. 11. — D. Hieron. — *Iniqui, quæ ſunt ad ſui deſtructionē petunt.*)

16. Secundò, D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 30. *O malitia,* ait, *quomodo ſapere neſcit! Dum volunt malitiam ſuam abſcondere, magis eam manifeſtant. Nam cum multa ſigna vidiſſent, tanquam ſi nullum vidiſſent, ita ſignum petebant.* Acceſſerunt Phariſæi, & ſcribæ bonam voluntatem ſimulantes deſiderio addiſcendi, vt notat Albertus magnus, vnde magiſtrum dixerunt; tamen viſis tot ſignis, & illis contemptis, ſigna quærunt. Talis eſt malitia, vt vbi magis intendit ſe abſcondere, ibi magis ſe prodat, ac manifeſtet. (D. Chryſoſt. — Albert. Mag. — *Malitia, dū ſe abſcondit, proditur.*)

17. Tertiò, Theophylactus. *Quum enim obedire, illos oporteret, propter ſigna præcedentia, tunc ſigna petunt.* Quantum diſtat Dei ingenium ab hominum natura! Deus ex malis multa deducit bona. In præſenti ex hac peruerſa interrogatione: *Volumus ſignum videre:* intulit Chriſtus ſermonem de redemptione generis humani: *Sicut fuit Ionas, ſic erit filius hominis.* At homines è contra ex bonis multa colligunt mala. Ex tantis beneficijs à Chriſto datis, ex tantis ſignis factis, tunc Iudæi malitiam ſuam interponentes, tentantes eum ſigna quærunt. (Theophyl. — *Iniqui ex bonis mala colligunt.*)

18. Quartò, Euthymius. *Poſt tot miracula ſignum videre quærunt: non vt credant, ſed vt eum opprimant. Quum enim non poſſent ei contradicere, dum facile illos conuinceret, ad opera tranſeunt.* Nunquam malitia quieſcit. Cum non poſſent Phariſæi Chriſti vitam reprehendere, eiuſque doctrinam arguere, ad opera ſe conuertunt, vt inde occaſionem arripiant ad calumniandum, ac detrahendum. Quintò, D. Thomas. *Proprium Iudæorum eſt,* ait, *ſigna petere, vt habetur.* 1. Corinth. 1. *Iudæi ſigna petunt.* Morem ſuæ gentis facile vnuſquiſque ebibit; & cum valde familiare eſſet Iudæis, ſigna petere, ab hoc minime diuertunt, ſed inſtantes ſigna quærunt. (Euthym. — *Malitia nunquam quieſcit.* — D. Thom. 1. Cor. 1.)

Sextò



19. Sextò, Abulenſis quæſt. 81. & 82. Varias rationes aſſignat. Signa petunt. Primò ex incredulitate, quia Iudæi nullis Chriſti ſignis credebant, & ipſum volebant tentare. Secundò ex curioſitate, nam cum miraculum ſit aliquid nouum, naturam excedens, gaudebant videndo illa, licet propter illa credere nollent. Tertiò, quia, vt ait D. Cyrillus apud ipſum Abulenſem, *Stimulati liuoris aculeis petebant ab eo cæleſte videre portentum.* Cum enim Phariſæi Chriſto inuiderent, ipſum moleſtare volebant, ideoque noua ſigna petebant, tanquam omnia alia ab eo edita contemnentes. Quippe qui, cum Chriſti eſſent crudeles inimici, etſi propriis oculis Chriſti magnalia viderent, nulla tamen reputabant: nunquam enim tuam magnitudinem, ac gloriam inimicus videt, & agnoſcit. Vide ſuprà cap. 23. num. 75. & tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 30. num. 144. & tom. 2. cap. 2. quæſt. 20. num. 103. (Abulenſ. — D. Cyrill. — *Inimicus magnalia tua nunquam videt.*)

20. *Solùm præſentia mouēt, & memoria tenentur.* Septimò, cum multa ſigna vidiſſent, ſigna quærunt. Moraliter loquor. Signa illa à Domino edita, iam præterita erant, & quæ iam elapſa, parum roboris, ac efficaciæ obtinent. Poſtquam Dauid in ſpelunca abſcidit oram chlamydis Saul, è latere montis illam oſtendens ad ipſum regem clamauit: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea.* 1. Reg. 24. n. 11. Cur Dauid non etiam commemorat glorioſum trophæum de Goliath? Vel quomodo manu ſua cytharam pulſans eum à dæmone liberaſſet; ſed ſolum adducit in medium: *Ecce non viderunt oculi tui?* Quamuis illa extitiſſent valdè magna; tamen cum iam præteriiſſent, tanquam parui roboris, omittit, & quæ tantum præſentia erant, obiicit. Aſcendit Chriſtus in cælum deferens in manibus, pedibus, ac latere vulnera redemptionis noſtræ. Sed quænam huius rei cauſa? Rectè reſpondet D. Cyprianus ſerm. de Baptiſmo Chriſti; Beda Luc. vltimo; & D. Anſelmus. *Vt appareat præſentia, ac beneuolentia Dei Patris intercedens pro nobis, oſtendens cicatrices vulnerum, quæ pro noſtra redemptione pertulit. Miro enim, & ineffabili ordine eum, qui nihil vnquam poteſt obliuiſci, qui ſemper miſereri paratus eſt, abſque intermiſſione Dominus Ieſus admonet, quàm congruè hominibus miſereri debeat.* Defert vulnera, vt æterno ſuo Parenti oſtendat pretia noſtræ redemptionis. Nonne ſunt ei omnia in intuitu, & præſentia? Maximè ſanè: tamen vt noſtro documento diſcamus, quàm efficacia ſunt præſentia, quantumque mouent ea, quæ proprio cernuntur intuitu. Vulnera defert, & exponit oculis æterni Patris pro nobis interpellans. (1. Reg. 24. — D. Cypr. Beda. D. Anſelm.)

21. *Magnū ſupplicium, quod lux intellectus auferatur.* Octauò, cum multa ſigna paſſim fierent à Chriſto, ſigna petunt. Ita enim ſua erant obtenebrati malitia, vt præſentia, ac manifeſta nec caperent, nec viderent. Et quodnam maius ſupplicium, quænam maior caſtigatio pro eorum criminibus eis inferri poterat, quam tanta mentis cæcitas, vt in claris, & patentibus cæcutirent, ac in tenebris degerent.

22. Cum Iudæi in horto comprehenderent Ieſum, Petrus euaginato gladio *Percutiens ſeruum principis Sacerdotum amputauit auriculam eius dexteram.* Matth. 26. num. 51. Qui Malchus dicebatur, vt exprimit Ioannes 18. num. 10. Sed cur magnus Petrus, Princeps Eccleſiaſtici ordinis, manum ſuam extendit in quendam vulgarem, pauperem, ac ſeruum militem? Cur non potius in principem, ac ducem cohortis? Malchus ille, vt eſt communis opinio, lucernam deferebat; & illis nefandis hominibus pro tanto ſcelere, tanquam vniuerſorum grauiſſima pœna infligitur, vt omnis lux ab eis auferatur, omnis intelligentia ab illis abſcindatur, vt obcæcati ſine lumine in tenebris degant. D. Paſchaſius lib. 12. in Matth. *Præſcinditur ab eis,* ait, *auditus dexter, cum aufertur intelligentia diuini verbi. Hinc Propheta ait: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne videntes videant, & audientes intelligant.* Iſai. 6. num. 20. (Matth. 26. — Ioan. 18. — *Grauis pœna, luminis rationis extinctio.* — D. Paſchaſ.)

23. Cum Sanſon detineretur captiuus in terra Philiſthim, dicitur, quod iam *capilli eius renaſci cœperant.* Iudic. 16. num. 22. Notum, & exploratum erat Philiſthæis, quod Sanſon vires ſuas in crinibus haberet conſtitutas. Si ergo illi iterum iam repullulabant, cur tanta incuria incircuncisi laborant? Cur frequenter radi caput eius non faciunt? Philiſthæi, vt eum apprehenderunt, ſtatim eruerunt oculos eius; & cum eum lumine aciei priuatum haberent tanquam in ſumma detruſum miſeria, iam illum omnino nihili faciebant: nam qui luce caret, omnino errans vagatur, & quo tendat porſus ignorat. Cardinalis Hugo ex Gloſſa. *Eruerunt oculos eius,* ait, *prius intellectus obtunditur, & poſtea captus per exteriora vagatur, vt cæcamens, quo ducitur, neſciat.* (Iudic. 16. — *Priuati lumine rationis valdè contemptibiles.* — Hugo.)

*Matth. 12. n. 39.* Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

### *Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus.* | Natio mala, & adultera. |
| *Euthym. Theop.* | Generatio praua, & adultera. |
| *S. Iuſt. aduersùs Iudæos.* | Genus iſtud hominum prauum, & adulterum. |
| *Agobard. de Deo Patre.* | Generatio praua, & peruerſa. |
| *Arias.* | Signum appetit. |

### Alter Textvs.

*Lucæ 11. n. 29.* Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

*Num. 30.* Nam ſicut fuit Ionas ſignum Niniuitis; ita erit & filius hominis generationi illi.

### *Expositio II.*

24. *Quilibet in ſuis dictis, & factis declarat, qualis ſit.* Qvilibet in ſuis verbis, & operibus oſtendit, qualis ſit. Phariſæi, dum tentantes ſigna petunt, ſuam malitiam, ac nequitiam manifeſtant, vt ſuprà dixi. Chriſtus

Dominus

Dominus autem in hac reſponſione, ſe verum Deum eſſe, declarat, dum eorum intimam, & abſconditam cordis nequam cogitationem facit manifeſtam, quod proprium Dei eſt, vt notauit Chryſoſtomus homil. 44. in Matth. *Arcanaque*, ait, *mentis ipſorum reuelat, quod ſimulantes, ſeu inimici miracula petebant.*

D. Chryſoſt.

25. *Generatio mala, & adultera.* Repetitis vocibus magis eorum malitiam exprimit Christus. *Generatio*, id eſt gens, ſeu natio hæc *mala*, ſcilicet ſcelerata, domus Iſrael exaſperans eſt, omni malitiæ, ac nequitiæ incumbens, cum non ſimplici, ſed ficto animo tentaturi ſignum petentes adueniant *Et adultera*, relinquens Deum Patrem verum, & alienos Deos ſequens. Vel quia vt adultera maximè diſceſſerat à pietate, ac virtute ſuorum maiorum Abrahami, Iſaac, & Iacob, de quibus maximè gloriatur. *Signum quærit.* Non contenta hæc generatio mirabilibus à me factis, nouum ſignum requirit. *Et ſignum non dabitur ei*, quale ſcilicet ipſa petit, quia non efflagitat, vt veritatem agnoſcat, ad hoc enim abundantiſſima ſunt à me facta mirabilia. *Niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Signum dabitur, non de cælo, vt appetit, ſed ex inferiori, ac ima terra, vt explicat D. Anſelmus, & Gloſſa Interlinealis, nempe paſſio, mors, ac ſepultura mea, quæ in reſurrectionis gloria terminabitur, cuius rei typus iam præceſſit in Iona propheta, de quo plura dicam.

*Senſus legitimus.* — D Anſelm. Interlin.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus Dominus vocauerit iſtos generationem malam & adulteram?*

26. VOx Græca reſpondens dictioni *Mala*, grauida eſt ſenſibus; ſignificat prauum, malignum, ſceleſtum, mprobum, noxium. Et cum idem verbum Græcum ſit in textu Lucæ, vt aduertit Toletus Luc. 11. quæſt. 65. Interpres poſuit: *Generatio nequam.* Hæc autem omnia optimè conueniunt prauitati Iudæorum. Sic & Luc. 9. num. 41. dicitur: *O generatio infidelis, & peruerſa.* Marc. 8. num. 38. *In generatione iſta adultera, & peccatrici.* Dicitur autem generatio adultera, non quia omnes iſti cum quibus Chriſtus loquebatur, eſſent ex adulterio nati: nec Chriſtus Dominus arguebat aliquem, niſi de proprio vitio; eſſe autem natum ex adulterio, non prolis, ſed parentum culpa eſt. Et notat Abulenſis quæſt. 90. Dicitur autem generatio mala, & adultera, non ex natura ſed ex proprio vitio vt docet D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. Quod magis ſequentibus explico.

Tolet. — Luc. 9. — Marc. 8. — Abulenſis. — D. Paſchaſ.

27. Malam dicit, vt interpretatur Chryſoſtomus homil. 44. *Generationem malam nuncupauit*, ait, *tum quia ſemper ingrati benefactoribus extiterunt; tum quia ſuſceptis beneficiis, quod extremæ vitioſitatis eſt, ad malignitatem excitantur.* Nulla poteſt eſſe maior malitia, quam eſſe ingratum beneficiis acceptis, itaut quibus ſe ipſos obligatos exhibere debebant, eiſdemmet in peruerſitatem, obdurationem, ac contumaciam ſint commoti. Secundò Euthymius interpretatur malos, quia animo ficto, ac ſimulato tentandi acceſſerunt. Tertiò D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in feria 4. poſt Dom. 1. Quadrag. intelligit, dici generationem malam propter inuidiam, & nequitiam.

D.Chryſoſt. — *Extrema malitia beneficijs in malum vti.* — Euthym. — D.Ant.Vlyſſ.

28. Quartò, Abulenſis quæſt. 90. interpretatur, dici generationem malam, & adulteram, vt pote ab omni honore, & dignitate priuatam, & excluſam, iuxta illud Sapient. 4. num. 19. *Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore.* Quintò, Caietanus. Verè generatio illa erat in ſe mala ſecundum voluntatem; & adultera, hoc eſt falſa; ſecundum intellectum, verum Meſſiam non cognoſcens, vero Sponſo non adhærens, ſed Scribarum, Phariſæorum, & Pontificum traditionibus. Et ita repetitis illis vocibus denotatur eorum defectus in intellectu, ac voluntate.

Abulen. — *Malus ſine honore.* — Sapient. 4. — Caietan. — *Malus intellectus & voluntas.*

29. Sextò, & valde communis eſt ſententia, & mihi probabilior, dici malos propter eorum vitia, ac peccata; propter ſimulationem, ac fictionem cum deprauato affectu intellectus, & voluntatis: adulteros vero nuncupari propter infidelitatem, quia à vera fide receſſerunt. non recipientes Ieſum Chriſtum à Deo miſſum, ac promiſſum in lege; ſicut enim ea mulier adultera nuncupatur, quæ marito relicto alterum ſequitur; ſic & natio Iudæorum adultera nominatur, quæ relicto vero Deo, ac Meſſia Ieſu Chriſto Eccleſiæ Sponſo, dæmonibus adhæſit. Infidelitas, ſeu Idololatria quoddam adulterium ſpirituale eſt, vt ſæpè Scriptura teſtatur. D. Hieronymus in præſenti. *Egregiè dixit adulteram: quia dimiſerat virum, & iuxta* Ezechiel. 16. num. 15. *Multis ſe amatoribus copulauerat.* Ita D. Chryſoſtomus, D. Paſchaſius citati, Euthymius, Theophylactus, Albertus magnus, S. Thomas, Carthuſianus, & alii communiter.

*Infideris adulter dicitur.* — D Chryſoſt. Euthym. Theoph. Albert. mag. D. Thomas. Carthuſ. — D. Hieron. — Ezech 16.

30. Et dicit generationem adulteram, vt ait Euthymius, propter progenitorum à Deo defectionem, quaſi innuens, eos à ſuis progenitoribus hæreditariè hanc malitiam accepiſſe; vt dicitur Actor. 7. num. 51. *Vos Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri, ita & vos.* Arguitur eorum inueterata malitia, quæ tãtis ſignis, & mirabilibus vt ipſi videbant in Chriſto Ieſu, nullo modo flectebatur.

Euthym. — Actor. 7.

31. Septimò, Abulenſis quæſt. 90. Maldonatus, quæ eſt etiam valde probabilis ſententia. Dicitur generatio, mala, & adultera, à virtutibus, ac moribus ſuorum parentum. Iudæi enim maximè gloriabantur, quod eſſent filii Abrahæ, ipſumque minimè imitabantur. Vnde cum Iudæi dicerent. *Nos filij Abrahæ ſumus* Chriſtus eis reſpondit: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et ſtatim ſubdit: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ioan. 8. num. 44. Eos arguit Chriſtus Dominus quod cum eſſent progeniti à tantis maioribus, ab operibus eorum, vt adulteri, omnino defecerunt; & ideo in graue eorum opprobrium, ac contumeliam exprobantur, generatioque adultera à tantis parentibus nuncupatur.

Abulenſis. — Maldonat. — Ioan. 8. — *Grauiter arguendus qui à ſuis parentibus degenerat.*

32. Cum Auarus ille ſepultus in infernum vidiſſet Lazarum in ſinu Abrahæ, ab hoc poſtulat, vt mittat Lazarum, ad refrigerandam linguam eius. Cui ait Abrahamus, *fili recordare, quod recepiſti bona in vita tua.* Luc. 16. num. 25. Sed cur magnus Patriarcha hominem damnatum, inter gehennales pœnas volutantem, filium vocat? Cur

Luc. 16.



tanto nomine adhuc dignum facit? Vt ſic magis argueretur Auari malitia, quod ortus à tanto parente, ab illo ita degener extitiſſet, vt tale ſupplicium ſupportaret. D. Chryſologus ſerm. 123. *Adhuc*, ait, *vocat filium, quem degeneraſſe propria crudelitate, ſic reſpicit: ſed vocat filium, vt magis, magiſque filij prodatur impietas.*

D. Chryſol.

33. Confirmatur magis. Quia de hoc Diuite damnato ait textus citato loco num. 23. *Eleuans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham.* Cur diuina iuſtitia alto myſterio diſponit, vt ex ſuis maioribus, non alium videat, niſi Abrahamum? Cur non potius Iſaac, & Iacob? Pulchrè D. Chryſoſtomus apud Photium. *Ideo verò*, ait, *non Iacob, vel Iſaac, vel Noe, ſed Abrahamum videt, quare? Quia Abraham benignus in peregrinos fuerat, & illius inhumanitatis maior eſt accuſator, huius hoſpitalitas.* Ex omnibus eius maioribus Abrahamus maximè enituit pietate in pauperes, & peregrinos: hunc ergo videt damnatus Diues, vt magis eius auaritia accuſetur, cum tam enormiter à ſuo genitore defeciſſet.

Luc. 16. — D. Chryſoſt. — *Magnum improperium filio, à patris virtute degenerare.*

34. Benedicens Iacob filios ſuos, de ſuo maiori natu ait: *Ruben primogenitus meus.* Gen. 49. n. 3. Filium eum vocat, quod rariſſimè inuenies dictum in aliis, cum in eum maledictionem impingeret: *Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui.* Quorſum ergo filium vocat? Cur non potius filium ſuum dicit Leui, in quo eminebat dignitas ſacerdotalis? Vel Beniamin, qui maximè dilectus extabat, ſed ex ferè cunctis Ruben in ſua benedictione filius nuncupatur: *Aſcendiſti cubile patris tui?* Vt tali nomine maximè accuſaretur impietas Ruben, qui cum eſſet filius primogenitus tanti parentis, ita ab illo diſceſſit, vt rem turpem in ipſum patraret. Origenes apud Lippomanum. *Idcirco fit*, ait, *vt grauius notetur crimine qui cum virtus patris haberetur, neſcit ſeruare reuerentiam patri.*

Geneſ. 49. — *Maximè accuſatur filius à virtute patris deficiens.* — Origenes.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Phariſæis blaſphemantibus blandè reſpondet Dominus; in hos verò petentes ſigna acriter inuehitur?*

35. EIecto dæmonio muto ab homine, de Chriſto Domino blaſphemarunt Phariſæi dicentes, quod in Beelzebuth eiiciebat dæmonia. Chriſtus valdè manſuetè eis reſpondit, & magnis rationibus conuicit, ſe nihil dæmonis virtute operari. *Omne regnum in ſe ipſo diuiſum deſolabitur.* Cum verò hic peterent ſigna, durè in eos inuehitur, generationem malam, & adulteram vocans.

*Ratio difficultatis.*

36. Reſpondeo Primò. Quod inter blaſphemantium iniurias mitem ſe præbet, vt ſuæ eximiæ patientiæ nobis documenta donaret, qui cum malediceretur, non maledicebat. 1. Petri 2. num. 23. At Phariſæi in præſenti veniebant ficto, & ſimulato animo tentantes eum, ſigna de cælo petentes. Tunc acriter eos Dominus increpat; ne inde ipſi gloriarentur, quaſi quod eum decipere, ac fallere poſſent. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Prouerb. 26. num. 5.

1. Petri 2. — *Stulto reſponde.* — Prouerb. 26.

Secundò. Prudentiſſimè in hoc negotio Chriſtus ſe habuit. Prius blaſphemos ſedato, & quieto animo conuincit demonſtrans, non poſſe ſibi talem calumniam imponi: *Si ego in Beelzebuth eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt?* Poſtea verò cum ipſos auditores perſeuerantes in malitia ſua vidit, ſuperbè, ac præſumptuosè ſigna petentes, in eos acri reprehenſione vtitur, vt eorum ſuperbiam compeſceret, eoſque à talibus calumniis deterreret.

*Superbus, ac in malo perſeuerans deterrendus.*

37. Tertiò. Abulenſis quæſt. 85. ait. Quod Phariſæi in præſenti loquebantur per ironiam. Maior autem calumnia, ac contumelia erat, quod Chriſtum illuderent, ac irriderent ſub verbis honoris: *Magiſter, volumus, à te ſignum videre*: quàm quod apertam calumniam in eum dicerent: *In Beelzebub eijcit dæmonia.* Et ideo nunc tam rigide fuerunt obiurgandi.

Abulenſis. — *Grauis iniuria, hominem irridere.*

38. Quartò. D. Chryſoſtomus homil. 44. *Cum illi aſperè, ait, & contumelioſè loquuntur, iucundius, atque humilius reſpondet: cum vero aſſentantur; tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni ſe perturbatione ſuperiorem oſtendens, veluti tunc nulla ira concitatur; eodem nunc modo adulatoribus non delinitur.* Cum calumnias, ac blaſphemias in eum impingunt aduerſarij, lenis, ac placidus ſe habe, cum verò ipſum laudant, ac Magiſtrum dicunt; duris verbis, reprehenſioneque acri eos carpit; informans nos Chriſtus Dominus ſuo exemplo, magis à laudatoria voce, quàm à contumelioſo ore; magiſque ab adulationibus, quàm ab iniuriis fugiendum, ac timendum, vt docet idem Chryſoſtomus homil. 88. in Matth. ad finem. *Si auerſari nonnullos decet, adulatores magis, quàm contumeliantes odiſſe oportet: maior enim ex adulatione peſtis, quàm ex vituperatione oriri ſolet; & facilius hanc, quàm illam ſuperare poſſumus.*

D. Chryſoſt. — *Potius iniuria, quàm adulationes ſuſtinenda.* — D. Chryſoſt.

39. A multo tempore Herodes deſiderabat videre aliquod ſignum à Chriſto Domino fieri. Cum Dominus aſtaret coram ipſo, nec ei reſpondit, nec aliquod miraculum edidit. *Tunc ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Luc. 23. num. 11. Veſte alba, veluti quod tanquam fatuus haberetur. Sed cur Dominus coram Herode non operatur aliquod mirabile? Optimè ipſe præuidebat, quod negato ſigno, ac miraculo, contemnendus eſſet ab illo cum ſuis; cur ad hoc vitandum, optatam rem non edidit? Pulchrè D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 30. aliàs 37. *Inquiſitus quippe Redemptor*, ait, *tacuit, magis eligens, apertè à ſuperbientibus deſpici, quàm à non credentibus vacua voce laudari.* Agnoſcebat Dominus, quod, exhibito miraculo, ab ipſo Herode, adhuc in ſua incredulitate perſiſtente, maximè eſſet laudandus; negato verò, quod eſſet aſpernandus: eligit Dominus, contemptum, & irriſionem potius, quàm adulationem ſuſtinere.

Luc. 23. — D. Gregor. — *Durior adulatio ſuper iniuriam.*

40. Poſtulat Dauid: *Viri ſanguinum declinate à me.* Pſalm. 138. num. 19. *Viri ſanguinum, occiſores corporum* interpretantur. In Pſalmo 69. verò num. 4. ait: *Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge, euge.* De laudatoribus, ac glorificantibus eſt ſermo, vt eſt communis intelligentia Horum omnem à ſe diſceſſum, ac ſeparationem Dauid exoptat. Sed illud maximè aduertendum, quod de interfectoribus temporalis vitæ ſolum dicit: *Declinate à me*: at de laudatoribus plus addidit, plus exegit: *Auertantur ſtatim*: ſine vlla ſcilicet cuncta

Pſalm. 138. — Pſalm. 69. — *Magis vitãdi adulatores, quam corporum occiſores.*

cunctatione, ac dilatione, plus timens, ac maius periculum agnoſcens in concurſu, ac ſocietate adulantium, quàm corporum occidentium, & ideo vehementius, ac citius vult ab illis præcauere.

D.Auguſt.

D. Auguſtinus. *Duo*, ait, *ſunt genera perſecutorum, vituperantium, & adulantium; plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.* Vide hoc tom. 1. & 2. Verb. Adulatio.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus Phariſæis petentibus ſignum non dedit?*

41. D. Cyrill. Euthym.

RESPONDENT Primò D. Cyrillus, Euthymius, Quod Dominus noluit dare ſignum de cælo, quia Scribæ, & Phariſæi, non ex fide, ſed ex mala tentandi intentione, ac dolo ſignum petebant.

D. Chryſoſt.

Secundò Chryſoſtomus homil. 44. Quia ſciebat ipſos obſtinatos, & lapideos: & dato vno ſigno de cælo, adhuc illud calumniarentur dicentes; quod ex variis aeris paſſionibus proueniebat.

D. Thomas. *Malus indignus, cuius votis annuatur.*

Tertiò Diuus Thomas. Non datur ſignum propter indignitatem eorum; non enim erant digni ob ſuam malitiam, quorum votis annueretur, eorumque optatis ſatisfieret.

42. Abulenſ.

Quartò. Abulenſis quæſt. 87. Non dat ſignum, quia non erat neceſſarium, nec vtile. Deus enim eſt agens ordinatiſſimum, & nihil agit ſine ratione; quod enim inutile eſt, Deus nunquam facit: Chriſtus enim plura ſigna fecerat, ex quibus ſufficienter oſtendebatur poteſtas eius volentibus credere; & ideo ſuperuacaneum erat alia nunc ſigna edere.

Iſaiæ 35.

Quintò, idem ipſe q. 88. Miracula curationum infirmitatum ſpecialiter demonſtrabant, Chriſtum verum eſſe Meſſiam: prædictum erat ab Iſaia 35. n. 5. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

*Chriſtus operatur miracula, quæ de Meſſia prædicta erant.*

Chriſtus Dominus autem volebat mundo ſe manifeſtare verum eſſe Meſſiam; & ideo ea ſigna operabatur, quæ à Prophetis de Meſſia prædicta erant: de ſignis autem Cæli nihil pronuntiatum erat à Scriptura circa Meſſiam, & ideo ſigna de cælo non edebat.

*Chriſtus operatur miracula hominibus proficua.*

Sextò, idem Abulenſis. In miraculo ſunt duo, quod ſcilicet diuinam potentiam oſtendat; & quod hominibus proficiat. Suſcitatio mortuorum, curatio ægritudinum vtrique fini ſeruiebat. Signa autem in cælo, etſi diuinam Omnipotentiam oſtenderent, non tamen hominibus proficiebant. Vnde noluit Chriſtus illa modò facere; nam cùm propter hominum ſalutem veniſſet, ea prodigia edebat, quæ hominibus proderant.

43.

Septimò, citato loco Abulenſis. Deus Opt. Max. multa conceſſit Patribus antiquis perpetrare miracula in cælo. Petente Moyſe venit manna de cælo Exod. 16. n. 13. Petente Ioſue, Sol ſtetit. Ioſue 20. Ad preces Eliæ ignis deſcendit de cælo 3. Reg. 18. Ad vocem Iſaiæ Sol retroceſſit 4. Reg. 20. Ad petitionem Samuelis pluuiæ, ac grandines ceciderunt.

Exod. 16. Ioſue 10. 3. Reg. 18 4. Reg. 20.

*Nullus ſibi omnia aſſumat.*

Voluit ergo Chriſtus alia miracula facere, vt mortuos ſuſcitare, ægros ſanare. Illa enim prodigia prioribus Patribus conceſſit; ſibi verò alia elegit. Vt ex hoc morali documento diſcamus, quod non omnia ſibi vnuſquiſque aſſumat, ſed aliqua & aliis relinquat. Vide ſupra cap. 1. num. 49. & tom. 2. cap. 5. num. 9.

44.

Octauò, Phariſæi ex quadam curioſitate ſigna de cælo petebant. Chriſtus autem, non curioſitati, ſed hominum attendebat neceſſitati; & ideo infirmos curabat, & noluit oſtentare prodigia in Sole, Luna, ſtellis, ac cælo.

*Homines volunt, quod Deus illis ſe accommodet.*

Nonò, Quia Deus non debet obſequi hominum voluntati, præcipuè iniquæ, & deprauatæ, ſed potius homines debent ſequi Dei beneplacitum, ac ſeſe illi accommodare, ac conformare.

*Homines Deum ad ſuam voluntatem adducere volunt.* Tertullian.

Tanta eſt enim hominum temeritas, ac ſuperbia, vt velint pro ſuo arbitrio Deum ad ſe, ſuamque voluntatem attrahere, atque componere. Quos pungens Tertullianus in Apolog. ait. *Facit & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos humano arbitratu Diuinitas penſatur, niſi homini Deus placuerit, Diuinitas non erit.*

Pſal. 73.

De his lamentatur Regius Vates, Pſal. 73. n. 6. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna, & non cognouerunt.* Pro ſui arbitratus oſtenſione poſuerunt ſigna quæ appetebant, ſed obcæcati malitia ſua Dei maieſtatem non cognouerunt. Vide verbum Homo.

45.

*Grande malum, beneficia in peccatum vertere.*

Decimò, Non datur eis ſignum in eorum pœnam, qui, cùm multa ſigna accepta haberent, non ſolùm non crediderant, ſed etiam temerario auſu tentantes noua quærunt: vnde meritò omnibus priuantur, ne amplius ſignum aliquod accipiant. Digni enim ſunt omni caſtigatione, qui ex donis acceptis deteriores fiunt, & beneficiis, ex quibus magis obſequi debebant, peiores euadunt.

46. Gen. 6.

Cùm de vniuerſali diluuio agit Scriptura, ait: *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis.* Gen. 6. n. 4. Gigantes, id eſt viri fortes, & bellicoſi, vt exponunt Damaſcenus, Chryſoſtomus, Ambroſius apud Lippomanum.

D. Damaſc. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. Lippoman.

Sed ad quid, dum Scriptura nobis apponit diluuij cauſas, peccata nempe hominum: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Et iterum: *Cumque multa malitia hominum eſſet in terra, & cunctæ cogitationes cordis intentæ ad malum.* Ad quid inter opprobria peccatorum, quæ tanti ſupplicij cauſæ extiterunt, recenſetur, quod Gigantes, viri famoſi, & fortes erant ſuper terram? hoc potius ad eorum laudem, & gloriam, quàm ad vituperium ſpectare videbatur.

*Maximè plectitur, qui ex donis peccat.*

Meritò tamen inter eorum peccata exprimitur, quod erant viri Gigantes famoſi, ac bellicoſi, vt inde maximè eorum crimina exaggerentur, quod ſcilicet dona fortitudinis, roboris, ac induſtriæ bellicæ, quibus eos Deus munerauit, non in bonum, ſed in malum vſum rapinæ, homicidij, ac adulterij applicarunt. Et quæ maior culpa, quàm tanta beneficia accepta, non in obſequium Dei, ſed in damnoſum, ac peccatorum viuendi modum conuertere?

Oleaſter.

Oleaſter. *Vires*, ait, *quas Dominus illis dederat, ad excolendam terram, & ad adiuuandos homines, in hominum oppreſſionem conuerterunt; nihil enim deterius eſſe poteſt in homine, cui Deus dedit vires ad bona facienda, quàm eas ad mala conuertere.*

47. Gen. 11.

Cum ſuperbia exagitati filij hominum turrim Babel extruxerint, ait Deus: *Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus; cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis. Venite igitur*, &c. Gen. 11. n. 6. Sed ad quid, dum ad eorum ſupplicium proceditur, tanquam in magnum eorum crimen refertur, quod vnus ſit populus, & vnum labium omnibus? Quænam culpa in hoc latet, cùm inde maximè eorum gloria auſpicanda videatur, quod



quod ſcilicet tanta vnitate, ac concordia viuerent.

*Aggrauatur peccatum ex donis acceptis.*

Optimè tamen hoc ad eorum magnum delictum ſcribitur, quod ſcilicet ex magno Dei vnitatis, ac concordiæ dono anſam arripuerunt ad grauia crimina perpetranda, vt inſolenter contra ipſum Deum ſe veluti erigere intentauerint.

D. Chryſ.

D. Chryſoſtomus ibi. *Vna vox, & vna lingua omnibus*, inquit; *Quaſi oſtendit peccati eorum magnitudinem, & ingratitudinis excellentiam, & quod abuſi ſunt linguæ, & vocis vnitate. Hic enim Dei mos eſt, vt puniturus prius indicet, quã magna ſint peccata.*

48.

Statuam auream erexit ſibi Nabuchodonoſor, & ſub conſtituta pœna mortis præcepit, vt omnes eam colerent, delatumque eſt ad regem, atque ei dictum: *Sunt viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis Sidrach, Miſaach, & Abdenago; viri iſti contempſerunt, rex, decretum tuum, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Daniel. 3. n. 12.

Dan. 3.

*Arguuntur pueri grauius ob dignitatem acceptam.*

Ad quid inter hæc refertur Regi, quod ab ipſo conſtituti erant ſuper opera regionis Babylonis, niſi vt inde maximè culpam augerent, ac aggrauarent, quod cum eſſent Regi tantis aſtricti donis, eius decretum, ſtatuamque contempſerint.

D. Chryſ.

Pulchrè Chryſoſtom. homil. 4. ad Populum. *Non ſimpliciter*, ait, *gentem commemorarunt, ſed etiam honorem in memoriam reuocarunt, vt regis iram accenderent. Ita maxima laus, accuſatio, & crimina, laudes ſunt.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare dixit Chriſtus, generationi illi, non eſſe dandum ſignum aliud, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, cum poſt hæc verba ediderit multa miracula.*

49. *Difficultas quæſtionis.*

DIFFICVLTAS quæſtionis eſt in promptu. Quia Chriſtus D. poſt hæc verba edidit in cælo, & in terra ſigna, & miracula multa, vt narrant ſacri Euangeliſtæ, & ex dicendis patebit. Quomodo ergo ait: *Signum non dabitur ei?*

50. Gloſſ.

Reſpondet primò Gloſſ. in cap. 11. Luc. Quod non dabitur ei ſignum, quale petit de cælo. Sed contra hoc vrget. Nam admirabilis eclypſis Solis in Chriſti morte præter omnem naturæ curſum Luc. 23. n. 45. magnum fuit ſignum de cælo: ſicut & illa vox, quæ inſtar tonitrui de cælo intonuit: *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Ioan 12. n. 28. Et iuxta multorum ſententiam, in die Reſurrectionis Sol exitum, & ortum ſuum anticipauit. Niſi velis dicere, quod iſti petebant ſigna de cælo, vt more Eliæ ignis deſcenderet; vel vt tempore Samuëlis pluuiæ, & grandines caderent.

Luc. 23. Ioan. 12.

51. D. Chryſ. Euthym.

Secundò. D. Chryſoſtomus homil. 44. Euthymius, reſpondent, Chriſtum D. poſt hanc petitionem multa ſigna edidiſſe; tamen illa non fuiſſe perpetrata propter hos incredulos, quos obduratos, & lapideos exiſtere agnoſcebat, ſed propter alios, vt eos alliceret, ac ad ſe attraheret.

*Chriſtus propter omnes miracula faciebat.*

Sed cum hoc pugnat, quod Chriſtus D. propter omnes miracula faciebat, propter credentes, vt magis confirmarentur in fide; propter incredulos, vt eorum durities emolliretur, ac ad fidem conuerterentur.

52. D. Chryſ.

Tertiò. Idem D. Chryſoſt. D. Hilar. D. Ambroſ. Gloſſa Ordinaria hoc loco, Hugo, Caietan. Maldonatus, noſter Beauxames, & alij inquiunt, quod per hæc verba declarauerit Chriſtus, quod nolebat ſatisfacere voluntati Iudæorum: & promittit eis ſignum, non ad perſuadendum, ſed ad condemnandum.

D. Hilar. D. Anſelm. Gloſſ. Ordin. Hugo. Caiet. Maldon. Beauxam.

Et ſenſus eſt. Ac ſi dicat Chriſtus: Generatio hæc mala ſua præuaricatione ſignum petit à me, non vt credat, ſed vt tentet, & calumnietur; *Non dabitur ei ſignum, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*; quod maximè erit argumentum ad eorum condemnationem, & ſupplicium.

*Chriſtus dat ſignum ad eorum condemnationẽ.*

Nam ſi Ionas poſt tres dies de vtero ceti egreſſus, cum eſſet homo ignotus, & peregrinus, prædicauit Niniuitis, qui homines barbari, & ſine litteris eo audito pœnitentiam egerũt: quanto ergo grauius condemnabitur hæc generatio, cum ego pluſquam Ionas, tam notus ex Scripturis, vt verus Meſſias, tãtaque miracula inter eos operans adſim, quique triduo mortuus, & reſurgens ero: & tamen dictis meis non credunt, nec meam doctrinam recipiunt: meritò ergo eis non dabitur ſignum, niſi ad eorum condemnationem, & arguitionem, vt inde rigidè puniantur, in altera vita in inferno, vt docent D. Anſelm. D. Thom. & in hoc ſæculo, vt inquiunt Gloſſa, Caietan. magna oppreſſione per Romanos Titum, & Veſpaſianum facta, vt ita Iudæi, quos beneficia non allexerunt, ſuppliciis coacti, Chriſtum Ieſum verum eſſe Meſſiam, agnoſcant.

D. Anſelm. D. Thom. Gloſſa. Caiet.

53. Thren. 1.

*Recordata eſt Ieruſalem præuaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius.* Threnor. 1. numer. 7. Expende, quando *recordata eſt omnium deſiderabilium ſuorum; cum caderet populus eius.*

*Quos non inſtruunt beneficia, docẽt ſupplicia.*

Maximè deploranda miſera conditio Ieruſalem, quod non recordata eſt de ſua fælicitate, vt eam agnoſceret, quando illa fruebatur, ſed eo tempore, quo in deuaſtationem, excidium, ac exilium data eſt. Beneficia obliuionem, ſupplicia verò recordationem excitarũt.

Rupert.

Rupertus. *Hoc verè lamentabile, quod non aliter huius incolatus ſui recordari poterat, niſi malis premẽtibus, niſi conculcaretur ab hoſtibus, niſi in manus gentiũ traderetur.*

54. Tolet.

Quarto. Toletus in cap. 11. Luc. annot. 77. quæ mihi videtur germana intelligentia, quod Dominus hîc agit de ſigno ſuæ mortis, paſſionis, ac reſurrectionis. Et eſt ſenſus, ac ſi dicat Chriſtus: Generatio hæc adultera ſignum petit à me, vt cognoſcat meam perſonam, diuinitatem, ac Meſſiæ dignitatem.

*Mors Chriſti datur pro ſigno diuinitatis eius.*

Tunc ait Chriſtus Dominus: ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ, in quo mors, & reſurrectio Chriſti adumbrata eſt: quanuis enim alia miracula, & ſigna ſufficientiſſima fuerint ad Chriſtum cognoſcendum, atque ad in eum credendum; tamen multò efficacior fuit eius humilitas, & paſſio. Per mortem, & reſurrectionem ſuam eum de facto populus agnouit, & eius diuinitas mundo manifeſtata eſt, ac omnes gentes ad ſe traxit.

55. Ioan. 8.

Quod ipſe Dominus prædixit Iudæis: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quod ego ſum.* Ioan. 8. n. 28. Pulchrè D. Cyrillus. *Apertio vulnerum Chriſti, reſeratio diuinitatis extitit.* Iterum dixit eis Chriſtus: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ioan. 12. num. 32.

D. Cyrillus. Ioan. 12. Luc. 23. Matth. 27. Luc. 23.

*Mors Chriſti diuinitatem eius declarat*

Conſidera Crucis myſterium. Latro agnoſcit dicens: *Memento mei Domine.* Lucæ 23. num. 42. Centurio confitetur: *Verè hic homo filius Dei erat.* Matthæi 27. num. 54. Prætereuntes reuerentur *Percutientes pectora ſua.* Luc. 23. n. 48. Et à morte, ac reſurrectione Chriſti prædi-

cantibus Apoſtolis totus mundus ad fidem venit. Tripliciter Iudæi à Domino ſigna petunt de ſua poteſtate, ac diuinitate, quibus ſemper ipſe dedit ſignum ſuæ mortis. Ioan. 2. num. 19. dixerunt Redemptori: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis.* Quibus ait Chriſtus de ſua morte, ac reſurrectione agens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Secundò hoc loco. Quibus ait: *Signum non dabitur eis, niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Sic & Matth. 16. num. 4. Cur non potius in ſuæ excellentiæ manifeſtationem dat eis potentiæ ſigna, miracula ſcilicet, vel futurorum prædictionem, vtpote magnam diuinitatis notam? ſemper tales oſtenſiones ſupernæ maieſtatis efficaces declarationes extiterunt, ſed multò efficacior vis ſanguinis, ac paſſionis Chriſti, vt humana corda emolliantur, oculíque aperiantur, vt abſconditam, & latentem fortitudinem diuinitatis agnoſcant. Et meritò ſanè. Vt his agnoſcatur Redemptor, quibus & munus redemptionis adimpleuit.

Ioan. 2. Matth. 16. *His agnoſcitur Redemptor, quibus munus redemptionis impleuit.*

56. Euntibus Diſcipulis in Emaus ſe Dominus obuiam præbuit, multa, & alta myſteria de ſacra Scriptura eis aperuit; ſuum tamen eſſe magiſtrum minime deprehenderunt: Cum autem deuentum eſſet ad menſam, *Accepit Ieſus panem, & fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Luc. 24. num. 31. In fractione panis agnoſcitur: cur non potius in alia actione? Panis illa caro Chriſti, quæ dum vulneribus ſuſceptis frangitur, hoc eſt ſcinditur, ac aperitur, maieſtas perſonæ Chriſti, eiuſque latens diuinitas ſtatim cognita, & agnita eſt ab hominibus. Drogo Oſtienſis ſerm. 1. de Paſſione. *Panis caro tua eſt,* ait, *fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam, fregiſti corpus tuum, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat; niſi enim patiaris, non cognoſceris. Ibi abſcondita eſt fortitudo tua, quam in paſſione tua nobis oſtendiſti.* Perpende illa verba: *Niſi patiaris, non cognoſceris.*

Luc. 24. *Per Paſſionē agnoſcitur Chriſti latēs diuinitas.* Drogo.

## Qvæstio VIII.

### *Quare acriter Dominus hos ſigna poſtulantes reprehendat, cùm in Achaz iraſcatur ob non petitum ſignum?*

57. *Difficultas quæſtionis.* IN præſenti multùm iraſcitur Dominus in Scribas, & Phariſæos ſigna petentes; vnde vocat eos generationem malam, & adulteram. Cùm denunciatur Achaz regi Iſræel, quod liberandus eſſet à ſuis aduerſariis, in huius confirmationem ei dicitur: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.* Iſai. 7. num. 11. Tunc ait ipſe: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Ex quo grauiter diuinus furor in eum excanduit, vt notant communiter Expoſitores Forerius, Pinto, Sanchez, Cornelius, & alij. Et patet ex ſubiunctis verbis Prophetæ, *Audite ergo domus Dauid, nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo.* Cur ergo tantus furor concipitur in regem non petentem ſigna, & in Phariſæos ſigna poſtulantes? Phariſæi ſigna petebant de cælo, tentantes, vt patet Luc. 11. n. 16. Achaz verò dicit, ſe nolle tentare: *Non petam, & non tentabo,* O quàm frequenter ſub diuerſis verbis eadem latet intentio, ac malignitas! Vnde ad quæſtionem.

Iſai. 7. Forerius. Pinto. Sanch. Cornel. Luc. 11. *Sub diuerſis verbis ſæpè latet eadem intentio.*

58. Reſpondeo primò, Quod Achaz ex quadam hypocriſi noluit petere ſignum, vt notant D. Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, Rupertus, & alij: fictè ſimulabat, ſe confidere in Deo, cùm tamen in eo non fideret, nec ab illo ſperaret auxilium, niſi à ſuis idolis. Iudæi autem petebant ſigna ex quadam infidelitate, tanquam irridentes Domini potentiam. Meritò ergo vtrique acriter obiurgantur, eandemque increpationem, eundemque furorem diuinum vna ſimulata hypocriſis, ac vna obſtinata infidelitas ſollicitat, ac promeretur.

D. Hieron. D. Cyril. D. Baſil. Rupert. *Hypocrita, vt infidelis caſtigatur.*

59. Pertractans Chriſtus Dominus de iniquo ſeruo qui moram faciente Domino impiè, & oſcitanter ſe geſſit, ait: *Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum, & partem eius cum infidelibus ponet.* Luc. 12. n. 46. Exaggeratur caſtigatio, ac pœna hominis; & dicitur, quod pars eius, ſcilicet anima, vt exponunt Origenes, & Euthymius, ſeu, vt alij volunt, ſors eius cum infidelibus, ſeu negantibus fidem coniungetur. D. Matthæus eandem hiſtoriam ſcribens ait: *Et diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* Matth. 24. n. 51. Quomodo cohærent ſacri Euangeliſtæ, vnus cum infidelibus, alter cum hypocritis ſcribens? Eſt enim hypocriſis quædam infidelitatis ſpecies, & ſinceræ fidei denegatio. Toletus ad citatum cap. 12. Luc. annot. 75. dubium præpoſitum excitans, & ſoluens, inquit: *Seruus infidelis eſt, qui quod munere profitetur, non efficit opere; profitetur, fidelem ſe eſſe, officio, vita autem infidelis eſt, hæc autem hypocriſis eſt.*

Luc. 12. Origen. Euthym. Matth. 24. *Hypocrita, & infidelis eadem pœna plectuntur.* Tolet.

60. Secundò, Albertus Magnus hoc loco Matthæi. *Iſtos,* ſcilicet Iudæos, ait, *Increpat eo, quod petierunt ſigna; Achaz etiam increpat eo, quod non petiuit. Reſponſio in illis condemnat præſumptionem, in impio rege infidelitatem.* Phariſæi ſuperbè ſigna ambiebant; dixerunt enim: *Volumus à te ſignum videre.* At iniquus Rex ſigna à Domino non quærebat, quia non ipſo, ſed potius in ſuis idolis innixus ſtabat. Vtrique rigidè increpantur; nam ſuperbia, ac infidelitas in eaſdem incidunt pœnas.

Albert. Mag. *Superbus, vt infidelis punitur.*

61. Dixit Sara ad Abraham: *Eiice ancillam, & filium eius.* Geneſ. 21. num 10. Graue ſupplicium infligitur matri, & filio, quod ſcilicet diuite Abrahami domo priuentur, ab eaque exulentur. Sed quænam eorum crimina ad tantam pœnam ſubeundam? Iſmael idololatriæ deditus erat, ad illamque inducebat Iſaac, vt graues Auctores exponunt id, quod habetur in eodem cap. 21. num. 9. *Cùm vidiſſet Sara filium Agar ludentem cum filio ſuo Iſaac.* At quæ tanta culpa Agar, vt pariter cum infidelitate mulctetur? D. Auguſtinus in Quæſtionibus ſuper Geneſim. *Mota eſt Sara muliebri affectu propter ancillæ ſuperbiam.* Sicque de ipſa Agar ſcribitur: *Deſpexit dominam ſuam.* Et tam execrabilis eſt ſuperbia, vt in pœnis infidelitati aſſocietur.

Gen. 21. *Superbus et idololatra eiicitur.* D. Aug.

Qvæstio



## Qvæstio IX.

### *Quare, cùm Dominus tam durè increpet Iudæos, vt generationem malam, & adulteram dicat, nullus ex eis reſpondet, ſed omnes tacent?*

62. *Difficultas quæſtionis.* MAXIME ponderatione dignum, quod cùm multoties Dominus valdè benignè ageret cum Iudæis; admirabilem doctrinam diffundens, grauiſſimarum ægritudinum medelam præbens, nimis acerbè Iudæi contra eum loquuntur. Vt ſanato Paralytico piſcinæ poſt admirabilem ſermonem dicitur Ioan. 5. n. 18. *Magis quærebant eum Iudæi interficere.* Et poſt diuinum ſermonem de cæleſti pane ſcribit Ioannes 6. num. 41. *Murmurabant Iudæi de illo.* Curato alio Paralytico Matth. 9. num. 3. Scribæ aſtruebant: *Hic blaſphemat.* Suſcitato Lazaro, ſubdit Ioannes 11. num. 47. *Collegerunt Pontifices concilium ad Dominum occidendum.* In præſenti tamen, cum Dominus tam aſpere in eos inuehatur, vt generationem malam, & adulteram dicat, nullus ei contradicit, nec aliquis mutire audet. O quam ſic ſæpè res contingit, vt in mitem feroces; in aſperum lenes, ac timidos ſe præbeant homines. Et hæc ſit prima quæſtionis ſolutio. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 43. num. 195. & hoc lib. cap. 8. num. 22. 23. & 24.

Ioan. 5. Ioan. 6. Matth. 9. Ioan. 11. *Homines rigidi in mitē, & mites in rigidum.*

63. Secundo. Acriter, & durè à Chriſto tractantur: *Generatio mala, & adultera:* nullus tamen ex Phariſæis aliquod verbum profert. In quo maximè enituit Chriſti maieſtas, potentia, & efficacia ſuperbos reprimens, eoſque à ſua elata præſumptione deponens, ac deiiciens. In ſuo glorioſo Cantico celebrat ſacratiſſima Virgo magnitudinem gratiarum, ac cæleſtium donorum, quibus à Deo eſt ſublimata dicens: *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Luc. 1. num. 49. Et ſtatim dirigens ſermonem, quomodo Deus elatos à ſuarum cogitationum tumore deturbauit, ſubiungit: *Fecit potentiam in brachio,* ſeu, vt legit Pagninus, fecit *robur* in brachio ſuo: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Valde ponderandum, quod in ſuprema dignitate maternitatis, in altiſſimo gratiarum, ac cæleſtium donorum cumulo, quæ B. Virgini conceſſa ſunt, Dei potentia decantatur: *Fecit mihi magna, qui potens eſt:* at cum deuenitur, quomodo ſuperbos à ſuis præſumptuoſis cogitationibus remouerit, tunc aſtruitur: *Fecit potentiam,* ſcilicet vim, robur, ac fortitudinem *in brachio ſuo* quaſi quod tota vis, ac robur ipſius potentiæ huic negocio ſit commiſſum. Sed quia tam magnum, ac mirabile hic apparet? *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Tanta interuenit difficultas, vt ſuperbus à ſua præſumptione, à ſuiſque cogitationibus deſiſtat, vt Dei potentia, cui omnia ſunt in promptu, quæ vniuerſa nutu ſuo operatur, fecerit robur, ac vim in tali deiectione, ac excluſione cogitationum tumentis cordis præſtanda, ac conficienda. Patrocinatur Euthymius. *Fecit robur per brachium ſuum; diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ſui: ſuperbos in cogitatione cordis ſui, ſuperbos apud ſe ipſos.*

Luc. 1. Pagninus. *Valde difficile, à ſua præſumptione remouere ſuperbum.* Euthymius.

64. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Gen. 6. n. 2. Cumque multa malitia hominum eſſet in terra, *Dixit Deus, Delebo hominem, quem feci, à facie terræ.* Immiſſoque diluuio conſumpta eſt omnis caro, octo animabus exceptis. Poſtea verò conuenientes filij Adam dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Geneſ. 11. num. 4. Cumque manus admouiſſent operi; tunc dicitur, quod deſcenderit Dominus, vt videret turrim, quam ædificabant filij Adam, & ait: *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis. Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Quid eſt, quod ad ſuffocandam omnem carnem aquis diluuij ſat eſt, quod Deus dixerit, *Delebo omnem carnem:* at ad puniendos filios Adam in turri Babel dicitur, quod Deus ſemel, & iterum deſcenderit; immò quod omnes tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ inter ſe loquerentur, vt exponunt D. Chryſoſtomus, Procopius, Rabanus, Rupertus, & alij. *Deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Peccatum, quod ante diluuium graſſabatur, ex quadam ineffrænata concupiſcentia originabatur: *Videntes filij Dei filias hominum.* At peccatum filiorum Adam in ciuitate conſtruenda, ex quadam immoderata præſumptione, ac elatione animi pullulabat, qua contra Deum ſtare intendebant: *Nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Et notant citati Patres. Tam perdifficile eſt, vt præſumptuoſus à ſua elatione reprimatur, à ſuoque cordis deponatur tumore, vt ad hoc manifeſtandum dicatur, quod ipſe Deus venerit, & deſcenderit ad ipſas inflatas cogitationes diſpergendas, ac diſſipandas. Rupertus ibi lib. 4. in Geneſ. ſic ait: *De ſtultorum præſumptione dicit Deus, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, ſed ſubaudiendum eſt, quantum in ipſis eſt: ſatis enim Diabolum imitantur dicentem, Aſcendam ſuper altitudinem nubium, qui quantum poteſt, extollit ſe aduerſùs Deum altiſſimum.*

Gen. 6. Geneſ. 11. D. Chryſoſt. Procopius. Rabanus. Rupert. *Multum requiritur, vt ſuperbus à ſua cogitatione deſiſtat.* Rupert.



## Qvæstio X.

### *Quare ex omnibus antiquis ſignis ſignum Ionæ adducit hîc Dominus: & in quantis Propheta fuerit typus Saluatoris?*

65. QVÆRIMVS: cur in præſenti Dominus potius adducit ſignum Ionæ, ſicut etiam Matth. 16. num. 4. Cur non potius ſignum Moyſis, vel alterius Prophetæ? Prima ſolutio ad quæſitum patet ex textu Luc. 11. num. 30. ait Chriſtus Dominus. *Nam ſicut fuit Ionas ſignum Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi iſti.* Cauſa, cur ſignum Ionæ dicatur dandum, hæc eſt: Quia ſicut Ionas extitit ſignum Niniuitis; ſic & Chriſtus Iudæis: nam ſicut Propheta miraculo illo magno, quod tribus diebus commoratus eſſet in ventre ceti, & poſtea viuus euomitus, tantam ſuæ prædicationi fidem conciliauit, vt Niniuitas ad pœnitentiam conuerterit: & ſi aliqui obdurati perſiſterent, ad ſupplicium magnum deputarentur. Sic & filius hominis è morte, ac ſepulchro poſt triduum rediuiuus miraculũ viuum maximũ erit toto

Matth. 16. Luc. 11. *Prima interpretatio.*

Orbi, quo filij generationis huius bene præparati, ad fidem, ac pœnitentiam adducentur: qui vero obdurati, & obcœcati fuerint, in ignem æternum ſubuertentur. Ideo ad hoc totum declarandum,& inſinuandum, peculiariter ſignum Ionæ proponit. Vide, quæ dixi ſupra quæſt. 7. in 4. Ratione.

*Reſurrectio ſcandalum mortis abſtulit.*

66. Secundò. Inſigniter hiſtoriam de Iona Propheta exponit hic Dominus. Præceſſit enim in illo figura mortis, ſepulturæ,ac reſurrectionis dominicæ poſt triduum. Vt ita hoc ſigno ſcandalum futuræ ſuæ mortis minueret, ac auferret certiſſima, ac breuiſſima ſpe poſt tres dies glorioſiſſimæ ſuæ reſurrectionis. Hoc perfidos Iudæos non latuit:nam peracta Chriſti morte dixerunt Pilato: *Seductor ille dixit,Poſt tres dies reſurgam.* Matth.27.num.63. Quod ex hac hiſtoria de Iona,& ex illa: *Soluite templum hoc*.Ioan.2.num.19. ipſi agnouerunt.

Matth. 27. Ioan. 2.

67. D. Chryſoſt.

Tertiò. D. Chryſoſtomus homil. 44. Quod Dominus dedit ſignum Ionæ ad innuendam deſtructionem perfidorum Iudæorum ob ſuam incredulitatem. Sua prædicatione facta Niniuitis clamabat Ionas 3. num.4. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur.* Vt enim Deus Niniuitis quadraginta dies ante ſubuerſionem conceſſit, vt pœnitentiam agerent: ſic & Iudæis poſt Chriſti mortem quadraginta annos dedit. Illi autem breui tempore magnam pœnitentiam præſtiterunt. Hi verò minimè tot annorum ſpatio. Vnde iſti graui ſupplicio perimendi in manus Romanorum inciderunt. Adducitur ergo ſignum Ionæ pro comminatione Iudæorum. Et ſic ait Euthymius, quod hoc ſigno arguuntur Iudæi, & eorum futura mala præſignantur.

Ionæ 3. *Supplicium dilatum grauiſſimum Iudæis extitit.*

Euthymius.

*Ionas in multis Chriſti typus.*

68. Quartò Quia Ionas in multis peculiariter extitit Chriſti vmbra, vt notant omnes ſancti Patres; mortem, ſepulturam, ac Chriſti reſurrectionem præfigurauit. Primò ſicut Ionas miſſus eſt à Deo ad prædicandum: ſic & Chriſtus Ieſus miſſus eſt à Patre ad docendum vniuerſum Orbem. Secundò. In medio maris os ceti deglutiuit Ionam, ſed poſt tres dies viuum in aridam eiecit. Sic Chriſtus Dominus in mari Paſſionum, ac tormentorum eum mors deuorauit, & poſt triduum glorioſè ab illius faucibus exiuit. In Iona inſignis Chriſti Domini typus extitit, vt ponderat D.Paſchaſius lib.6. in Matth. Tertiò Ionas miſſus eſt ad prædicandum Niniuitis pœnitentiam. Sic & Chriſtus miſſus eſt à Patre ad Iudæis, & Gentibus pœnitentiam prædicandam. Quartò. Voluntariè ſe Ionas obtulit, vt in mare demergeretur, vt tempeſtas tranquillaretur. *Tollite me*, ait, *& mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis.* Sic & Chriſtus Dominus quia ipſe voluit, oblatus eſt, vt Cruci affigeretur, vt tempeſtas diuini furoris ſedaretur.

D.Paſchaſ.

*Morte Chriſti,à morte liberantur,omnes.*

Cantic. 4.

69. Quintò. Ionas mittitur in mare, vt omnes degentes in nauigio incolumes remanerent. Sic & Chriſtus proceelloſo tormentorum,ac mortis mari ſe immerſit, vt omnes homines ſalui fierent. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cantic. 64. num. 6. Cum myrrha ſit duri ſaporis, ac multæ amaritudinis, tormentorum acerbitatem denotat, vt eſt valde frequens in ſcripturis, ſicut & thus mortis vmbram. Sed quoadvſque Dilectus dicit, ſe iturum ad montem tormentorum, & mortis? *Donec*, ſcilicet, *aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Donec nempè vmbræ peccatorum à cunctis mortalibus propulſentur; & aſpiret dies ſalutis, & gratiæ vniuerſis. Pſellus apud Theodóretum. *Sponte enim*, ait, *volo ego ſanè mortem oppetere, vt fidelibus diem ſalutis aſpirem, & vmbras diſcutiam impietatis, mihi inquit, vadam ad montem myrrhæ.*

Pſellus.

70. Matth. 8. Marc. 1.

Ait D. Matthæus 8. n. 16. *Veſpere autem facto obtulerunt Ieſu multos dæmonia habentes.* Quam hiſtoriam ſcribens D.Marcus 1. n. 12. inquit: *Veſpere autem facto, cùm occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes.* Maximè ponderanda eſt illa circunſtantia, *Cùm occidiſſet Sol*; Quid habet occaſus Solis cum ſanitate infirmorum? Sol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus in occaſu ſuo cunctorum bonorum ſuæ pietatis fontes in omnes diffudit,ac latius aperuit, vt vniuerſi de illis ſalutem ebiberent. D. Hieronymus in cap. 8. Matth. *Omnes, non manè, non meridie, ſed ad veſperam curantur, quando Sol occubiturus eſt: granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.*

*Mors Chriſti nobis vitam dedit.*

D. Hieron.

*Matt.12.n.*40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

## *VERSIONES.*

*Vatablus.* Quemadmodum enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in penetrali terræ.

*Syriacus.* Sicut fuit Ionas in ventre piſcis.

*D.Baſil.Seleuc. Orat.* 13. Sic oportet, filium hominis agere in corde terræ.

*Hebraicus.* In ima terræ.

## *EXPOSITIO III.*

PRÆPOSITVM ſignum, ac figuram Ionæ Prophetæ magis exprimit, ac declarat Dominus, ab eo quod ipſe fuerit tribus diebus in vtero ceti, vt explicaui, & dixi ſuperiori quæſtione in initio. Et ſuo familiari modo modeſtiæ cauſa ſe filium hominis appellat Chriſtus. Notat Chryſoſtomus homil. 44. in Matth. Quod ne verba eius illuderent, non dixit, quia reſurget. Omnis calumniandi anſa malignis amputanda. Iudæi tamen rem intellexerunt, vt notat citatus Chryſoſtomus. Sic enim poſtea Pilato dixerunt: *Recordati ſumus quia ſeductor ille dixit*, &c. 71.

D. Chryſoſt. *Calumniandi anſa malignis amputanda.*

Perpondera ſimilitudinem *Sicut fuit Ionas.* Propheta extitit in vtero balænæ mira ſuauitate, ac dulcedine: ad quod explicandum, ipſum comparat 72.



parat Theophylactus cum fœtu in maternis viſceribus, qui nullam ab illius caliditate, ſiue humiditate læſionem accipit. Sic & filius hominis pro hominibus mortuus, & ſepultus in corde terræ multa dulcedine, ac iucunditate delectabitur, nullamque ab ipſa terra reportabit corruptionis læſionem.

Theophyl. *Chriſtus in ſepulchro miram habuit dulcedinem.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare cum duriſſimis, acerbiſque verbis Chriſtus coniungit magnum pietatis ſignum?*

73. ACERBIS, acribuſque verbis Chriſtus Dominus Scribas, & Phariſæos generationem malam, & adulteram nuncupauit: Nunc vero magnum pietatis, totius ſcilicet generis humani redemptionis dat ſignum, de morte nempe, ac paſſione ſua. Hæc eſt ſuprema Dei ordinatio, quæ cum iuſtitia aſſociat miſericordiam, cum rigore clementiam, cum ſæuitia pietatem. Vide ſupra cap.20. num.6. & tom.1.lib.2. cap.5. quæſt.19. num.70. & tom.2. cap.10.n.178. & cap. 14. quæſt. 17. num. 117. & 118.

*Iuſtitia cum miſericordia.*

74. Secundò. Perpende diuinum ingenium. In verbis rigor, ac ſeueritas exhibetur: *Generatio mala, & adultera:* in opere autem magnum pietatis declaratur ſacramentum, mors ſcilicet Chriſti: *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus:* qua nos à poteſtate dæmonis liberauit. De Dei throno agens Paulus ait ad Hebræos 4. num. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur.* De eâdem ſede pertractans Ioannes Apocal.4.num.4. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua.* Vt explicant ibi Rupertus, & alij, de ſuprema illa ſede procedebant voces horribiles, ac timorem, veluti tonitrua, incutientes. Sed ſi thronus eſt gratiæ, ſeu gratiam,& pietatem nunc diffundens, vt explicant D. Chryſoſtomus, D.Ambroſius, Theophylactus,D.Thomas, quomodo ex illo voces tam aſperæ, & terrificæ exibant? In hoc tamen ſe thronum pietatis, ac gratiæ maximè declarabat. Si enim in verbis rigorem, ac aſperitatem: *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua:* in opere autem, ac largitate miſericordiam, ac benignitatem indicabat: *vt miſericordiam conſequamur*, & gratiam inueniamus.

Hebræor.4.

Apocal.4.

D. Chryſoſt. D. Ambroſ. Theophyl. D. Thomas. *Etſi aliquãdo in Dei vocibus iuſtitia, in opere vero miſericordia apparet.*

75. E contra vero multi hodie extant homines, ac miniſtri, qui etſi verbis ſuaues, & lenes; factis tamen rigidos, & aſperos ſe exhibent. Vidit Ezechiel 10.num.5 Cherubim, & ait: *Sonitus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium interius, quaſi vox Omnipotentis Dei.* ſeu, vt alij legunt ex Hebræo, *Quaſi vox benefici Dei.* Et ſtatim ſubdit Propheta num. 7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem.* vt explicant Lyranus, Carthuſianus, Hugo,*ad ignem*, nempe *ad effundendum ſuper ciuitatem, quæ poſtea fuit combuſta.* Sed quomodo in Angelo tanta diuerſitas cernitur? In loquela reſonat beneficentia; in manu vero eſt ignis ad deuaſtandum? Adumbratur ſolemnis miniſtrorum conditio, in quorum ore inſunt verba benefica, ac valde ſuauia; in manu autem aſtat paratus ignis, vt comburat, conſumat, cunctoſque in cinerem redigat.

Ezechiel.10.

Hebraicus. Lyranus. Carthuſ. Hugo.

*Miniſter ſæpè in voce lenitatem; in opere rigorem oſtendit.*



GRANADA

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Dominus dat ſignum ſuæ mortis ſepulturæ, ac reſurrectionis?*

INTER tot miracula, ac mirabilia ab ipſo facta; totque inter myſteria ab illo celebrata dat Dominus petentibus ſignum ſuæ mortis, ſepulturæ, ac reſurrectionis. Primò reſpondeo. Quod hoc ſignum dat Dominus, acſi dicat: Tot ſignis datis, meam doctrinam, meque vt veſtrum Meſſiam non vultis recipere,& agnoſcere: at poſtquam ego mortuus reſurrexero, tunc agnoſcetis, vera eſſe omnia, de quibus modo dubitatis. Tunc enim clarius diuinitas, ac poteſtas Chriſti apparuit; tunc multi ex Iudæis ad fidem conuerſi ſunt; tunc totus mundus ad fidem Chriſti venit. *Cum exaltaueritis filium hominis,tunc cognoſcetis, quod ego ſum.* vt iam ſupra latè explicaui quæſt. 7. ad finem. 76.

*Poſt reſurrectionem totus mundus venit ad fidem Chriſti.*

Secundò Abulenſis quæſt.92. Quod Dominus diſpoſuit prædicere ſuam mortem, & reſurrectionem, vt ita Iudæi deprehenderent, illum habere præcognitionem futurorum,vt inde ſumerent occaſionem credendi in eum.*Nunc dixi vobis,antequam fiat,vt,cum factum fuerit,credatis.* Ioan. 14. num. 29. Prædictio futurorum diuinitatis index. *Annunciate nobis futura,& dicemus, quia Dij eſtis vos.* Iſai.44.num.7. Tertiò. Dominus frequenter hiſtorias veteris Teſtamenti de ſe vt figuras explicabat,ac explanabat,vt hic legimus in præſenti de Iona. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, &c. Et Ioan.3.num.14.dixit: *Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Vt ex ipſarum ſcripturarum teſtimonio, ſe verum eſſe Meſſiam, manifeſtaret. 77.

Abulenſis. *Prædictio futurorum diuinitatis index.*

Ioan. 14.

Iſai. 44.

Ioan. 3.

Quartò. Phariſæi, ac Scribæ petebant ſigna de cælo ad cognoſcendam Chriſti Domini diuinitatem. Tunc Dominus dat eis in ſignum ſuam mortem,& paſſionem,veluti ſugillans,ac arguens eos inſipientiæ,ac erroris, quod ad percipiendam eius eminentiam requirerent prodigia de cælo, cum ex alio mirabiliori, patientia ſcilicet, multo clarius,& apertius eius diuinitas deprehendatur. Dat ergo Dominus eis pro ſigno ſuam mortem, & paſſionem,tanquam quod omnium clariſſimus eſſet diuinitatis index ipſa patientia in tot illatis iniuriis, tormentis, atque doloribus. Eleganter Tertullianus lib.de Patientia cap.3. *Deſpuitur*,ait, *verberatur, deridetur,fœdioribus coronatur; mira æquanimitatis fides! Qui in hominis figura propoſuerat latere,nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Acſi dicat magnus Africanus: valde inſipidè,ac ſtultè Iudæi ſigna diuinitatis ſuæ quæritis à Chriſto,cum apertiſſimè patientia eius declaret naturam. *Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Vide ſupra cap.18.n.79. 80. & 81. & tom.1. lib.3. cap. 6. quæſt.15. num.107. 108. & 109. 78.

*Patientia diuinitatis ſignum.*

Tertullian.

Quintò. Signum ſuæ mortis dat Dominus. Signum, quod Dominus eligit, & deſignat, medium eſt efficaciſſimum noſtræ vitæ,atque ſalutis: 79.

hoc enim ſignum ſuper omnia ei complacet, in ipſoque maximè delectatur. Dominus Petro prædixit, ipſum eſſe negaturum, ſuæ tamen conuerſionis bonam ſpem, ac ſignum præbens ait ei: *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Luc.22. num. 32. Quodnam tanti Apoſtoli pœnitentiæ ſignum Dominus apponit? *Confirma fratres tuos.* Alios ſcilicet Apoſtolos, ac Diſcipulos in Orthodoxa fide corroborare, ac ſtabilire erit apertiſſimum documentum, ac ſignum tuæ conuerſionis, ac pœnitentiæ, meæque gratiæ tibi communicatæ. Titus Boſtrenſis. *Confirma fratres tuos: id quod certiſſimum diuinæ erga illum ſerenitatis, infundendæque benignitatis argumentum erat.*

*Remedium noſtræ ſalutis ſignum aptiſſimum Deitatis.* Luc. 22. Boſtrenſis.

80. Sextò, Suæ ſepulturæ dat Dominus ſignum: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, ſic erit filius hominis in corde terræ,* ſcilicet ſepultus. Sed cur potius ſuæ ſepulturæ, quàm mortis dat Dominus monumentum? Inter vtramque hoc mediat diſcrimen. In morte multis iniuriis, opprobriis, ac pœnis, atque tormentis homines Chriſtum Ieſum affecerunt. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Pſalm.68.num.10. *Veni in altitudinem maris.* ibidem num. 3. At in ſepulchro magno honore homines proſecuti ſunt Redemptorem. *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* Iſai. 11. num. 10. Sic & Ioſeph corpus Domini poſuit in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. Matth.27.num.60.De morte ergo,in quà iniuriis, & pœnis ab hominibus inſectatus eſt, quæ ad ſupplicium poterant inſeruire, videtur obliuiſci. De ſepulchro autem recordatur, in quo multo honore, ac decore inſignitur, quod maximè pietatem, ac benignitatem ſolicitabat.

Pſalm. 68. Iſai. 11. Matth. 27. *Chriſtus obliuiſcitur de iniuriis, recordatur de obſequiis.*

81. Cum adeſſet tempus, vt Chriſtus Dominus morti traderetur, diſcederetque ex hoc mundo ad Patrem,ait D.Lucas 9.num.51. *Factum eſt autem, cum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe firmauit faciem ſuam, vt iret in Ieruſalem.* Quod explicans Theophylactus inquit: *Quid eſt, quod dicit, dum complerentur dies aſſumptionis eius? Hoc eſt,cum inſtabat tempus, quo poſtquam ſuſtinuiſſet ſalutarem paſſionem pro nobis, oportebat aſſumi in cælum, & conſidere Deo,& Patri.* Loquitur Euangeliſta de tempore mortis Chriſti, ac ſuæ glorioſæ aſſumptionis, quæ poſterius accidit. Cur ergo de hac ſola meminit, non vero de illa? In morte multis iniuriis affectus:in ſua vero glorioſa Aſcenſione multa religione, veneratione, ac amore à ſuis concomitatus eſt: prætermittit ergo tempus iniuriarum mortis, & coniecit oculos ad magnum amoris, ac religionis obſequium.

Luc. 9. Theophyl. *Non de morte illata, ſed de veneratione exhibita meminit Dominus.*

82. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Oſeæ 11. num.2. Matth.2.num.13. Quod in ſenſu litterali de populo Iſraelitico egrediente de Ægypto intelligitur,vt docent D.Chryſoſtomus,D.Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, & alij multi, quos retuli 1.tom.lib.2.cap.7.quæſt.vltima. Et ſi rectè conſideres ſcripturam,inuenies, quod multo frequentius fit mentio de exitu Iſrael de Ægypto, quàm de cohabitatione in regione illa, quamuis per tot annorum ſæcula ibi moram traxerit. Rationem inſinuat Adamus de Perſeuia apud Tilmanum. *Recedenti Iſraeli famulatur Ægyptus vaſis aureis, & argenteis.* Populus in Ægypto multis iniuriis,flagellis, ac malis oppreſſus detinebatur. *Oderant filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis.* Exod.1.num.13. At cum Hebræa gens ab Ægypto proficiſcitur, omnes accommodant illis dona ſua aurea, & argentea. *Poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier ab vicina ſua,vaſa aurea, & argentea.* Exod. 11. num. 2. Hic autem egreſſus multo frequentius recenſetur: Diuina enim bonitas potius de obſequiis filio ſuo Iſraeli exhibitis, quàm de opprobriis, ac malis inflictis recordatur.

Oſeæ 11. Matth. 2. D. Chryſoſt. D.Hieron. Theophyl. Euthymius. Adamus. Exod 1. Exod. 11. *Non de opprobriis, ſed de obſequiis meminit Dominus.*

---

## Qvæstio XIII.

### *Quare tres dies, ſimul & tres noctes ad myſterium reſurrectionis deſignantur? & quomodo computandi ſunt?*

83. IN duas partes diuiditur quæſtio; & à prima exordium ſumimus: Cur hic tres dies deſignantur ad Chriſti mortem ante eius Reſurrectionem? Reſpondeo.Quod figura in præſenti deſumitur ex Iona Propheta cap.2.num.1. qui per tres dies, & noctes fuit in ventre ceti. Cuius rei optimam rationem reddit Tertullianus lib.de Reſurrectione carnis, nimirum. Eo toto tempore Propheta detentus eſt in ventre piſcis, quo naturaliter venter ſolet cibum digerere, vt ſic magnitudo miraculi clarius appareret, quod poſt tale tempus viuus eſſet euomitus. Chriſtus Dominus autem voluit tres dies manere in ſepulchro, vt oſtenderet, ſe vere mortuum, ac conſequenter ſe tertio die verè à mortuis reſurrexiſſe.Ita D.Auguſtinus lib. 4. de Trinit.cap.3. In præſenti Beda, D. Anſelmus, Albertus Magnus, D.Paſchaſius,& alij Deinde vt nos doceret, crucem, ac mortem fidelium breuem fore, ac quaſi triduum Æternitatis.

Ionæ 2. Tertullian. *Quare Ionas tribus diebus in ventre ceti.* D. Auguſt. Beda. D.Anſelmus. Albert mag. D. Paſchal.

84. Tertiò. D. Ephrem ſerm. de Pœnitentia. *Per tres dies,*ait, *mors ſoluta eſt,per tres remiſſio datur: quoniam & per tres dies reſurrectio facta eſt. Poterant in momento, in ictu oculi, omnia fieri,ſed ob myſterium Trinitatis intra triduum hoſtem gratia ligauit,non quod impotens eſſet citra eos (nimirum tres dies) agere, quæ oportebat; ſed vt myſterium oſtenderetur diuinitatis.*Idem docet D.Auguſtinus ſerm.90.de tempore. Ecce vbi diuinitatis myſteria panduntur; ecce vbi humana vtilitas interuenit, ſanctiſſimæ Trinitati ſigna dantur. Vt ex hoc deprehendatur, quod ſolum in virtute Trinitatis diuina reſerantur, ac humanitatis noſtræ prouentus accreſcit, ac proficit, Sic Iſaiæ cap.6. num.3. Dum Deus ſuper ſolium excelſum,& eleuatum ei manifeſtatur, ſimulque omnis terra plena gloria eius, Seraphim adſtabant ter clamantes ſanctus, ſanctus, ſanctus,ne diuinitas innoteſceret, ne noſtra humanitas gloria repleretur ſine aliquali repræſentatione Trinitatis.

D. Ephrem. D. Auguſt. *Noſtra vtilitas ex Trinitatis ſigno.* Iſaiæ. 6.

85. Quæro ſecundò:Quomodo tres dies,& noctes computandi ſunt? Quod latè tractant Recentiores, ideo breuiter attingam. Primò Alcuinus lib. de Diuinis Officijs cap.*De Cœna Domini.*Ex hoc aſſerit,Chriſtum iacuiſſe in ſepulchro tres dies integros. Hic tamen eſt manifeſtus error contra communem traditionem, ac vſum Eccleſiæ, qui tenet, Chriſtum ſurrexiſſe die dominica diluculo, vt ſuo loco ex dicendis patebit.

*Tres dies quomodo cõputandi.* Alcuinus.

86. Secundò D. Gregorius Nyſſenus Orat. de Reſurrectione motus præſentibus verbis aſſerit, hos tres dies computari à feria quinta; in eo enim die veſpere in Cœna ſacram Euchariſtiam inſtituit Chriſtus, in qua ſe ipſum ſub ſpeciebus panis, & vini

Nyſſenus.



vini Deo immolauit per ſacrificium incruentum. In eo enim ex vi veborum anima ſeparata eſt à corpore; in quo mors repræſentatur: nam in ſacrificio taurorum, & arietum, quando Deo mactabantur, anima à corpore diſiungebatur. Hoc totum factum eſt à Chriſto inuiſibili, ac myſterioſa quadam ratione, vt diuitias ſui eximii amoris oſtenderet, præ cuius magnitudine tam lubenti animo mortem ſubibat,vt ſacroſancti corporis,& ſanguinis ſui Sacramentum ordinauerit, in quo myſticè præ omnibus prius præhauriret ſuum interitum, quam ab inimicis illi eſſet illatus. Tamen præfata ſententia litteræ ſenſum minime explicat: nam peracta Cœna verè, & realiter in ſua naturali præſentia Chriſtus Dominus erat viuens; verèque dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem!* Veréque de ipſo ſcribit Eangeliſta in cruce. *Emiſit ſpiritum.* Neque in hac ſententia poteſt explicari, quomodo dicatur quod fuerit in corde terræ, ſeu in ima terræ, ſeu ſepulchro tribus diebus, & noctibus.

*In Euchariſtia mors Chriſti repræſentatur.*

87. Tertia, & communis ſententia eſt D. Hieronymi hic, Theophilacti, Euthymii, D. Thomæ, S. Auguſtinini Epiſt. 49. quæſt. 6. & vulgariter Interpretum, Hos ſcilicet tres dies eſſe naturales & accipi non integros, ſed partiales per ſynedochem partem pro toto. Et eſt frequens Scripturæ vſus, vt exemplis probat D. Paſc. lib.6.in Matth.

D Hieron. Theoph. Euthym. D Thomas. D. Auguſt. D.Paſchaſ.

88. Chriſtus iacuit in ſepulchro parte diei veneris,in illo enim ſub veſpere poſitus eſt;& tota die integra Sabbati,ac etiã parte diei dominici:nam illius aurora elucente reſurrexit.Similiter & tres noctes annumerabis more Romanorũ, ſub quorũ poteſtate Chriſti tempore erat Iudæa,qui à media nocte,in mediam noctẽ diem computabant,vt modò Chriſtiani facimus in feſtis; ac ieiuniis. Chriſtus ergo extitit in ſepulchro die veneris ante Solis occaſum vſque ad mediã noctẽ,quæ ad ipſum diem veneris pertinebat: & à media nocte, in qua ſabbatum inchoabatur, permanſit in ſepulchro per integrum diem, & noctem: tunc à media nocte incepit dies Dominica, in qua vſque ad ortum ſolis permanſit in ſepulcro. Et ſic recenſentur tres dies, & noctes.

*Tres dies, & noctes partiales.*

---

## Qvæstio XIV.

### *Quare tres dies, & noctes, non integræ, ſed partiales aſſumuntur ad hoc negotium?*

89. TRes dies ac noctes, non integras, ſed partiales per ſynedochem ordinauit Dei ſapientia, vt Chriſtus D. mortuus in ſepulchro iaceret, vt dixi ſuperiori quæſt. Cur huiuſmodi dierum ac noctium terminus non deſignatur completus?

*Difficultas quæſtionis.*

90. Reſpondeo primò, Quia vita Chriſti extitit diuina, & inter res omnes creatas nobiliſſima;decebat ergo, peracta redemptione noſtra illico reſtaurari. Secundò Chriſtus Dominus moriendo mortem deſtruxit: decebat ergo, vt in morte diu non teneretur, ſed mox quaſi eius dominator, & triumphator glorioſe reſurgeret. D.Leo ſerm.1.de Reſurrect. *Tam velox,* ait, *incorrupta carnis viuificatio fuit, vt maior ibi eſſet ſoporis ſimilitudo, quam mortis,*

D.Leo.

92. Tertiò, Rupertus explanans illud Cantic. 2.n. 17. *Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Introducit B. Virginem expoſcentem Reſurrectionis Chriſti accelerationem Et ſic ait: *Tridui quidem tempus breue eſt, ſed dilectæ, & columbæ tuæ deſideranti & gementi vulnerata mente non ſatis, dilecte mi, feſtinatum eſt. Abbreuia hoc ipſum triduum, & ſimilis eſto in reuertendo capreæ aut hinnulo ceruorum id eſt velociſſimus eſto ad peragendum curſum tuum, ſufficit ad complendam veritatem Scripturarum, ſi exiguam partem primi diei iacens in ſepulchro tranſegeris.* Ac ſi dicat. Tuum immutari decretum, verbique tui fidem euacuari, quo pollicitus es, te tribus diebus, & tribus noctibus futurum eſſe in corde terræ, impoſſibile eſt: tamen amor matris tuæ, nihil eſt, quod non moueat, vireſque ingenio miniſtrat, & medium inuenit, quo nec verbi tui fides violetur, nec ipſa tot moras ſuſtineat: Sit dies inceptus pro completo, & nox inchoata pro integra. Acceleretur ergo Reſurrectio filii pro anxiis ſuſpiriis, ac vehementi deſiderio matris, vt ipſa gaudeat, & delectetur iucundiſſima dilecti filii ſui præſentia. Et huc accommodat citatus Abbas illud Iſaiæ 8.n.3. *Accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Sicque anxiis deſideriis piæ Matris feſtinatius eluceſcit filii Reſurrectio.

Cant. 2. Rupert. *Amor multa vt ingenii pollet.* *Reſurrectio Chriſti ob Virginis deſiderium accelerata.* Iſaiæ.8.

93. Quartò, D. Leo ſerm. 1. de Reſurrect. *Ne turbatos,* ait, *Diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum ſecundum diem pars primi nouiſſima,& pars tertij prima concurrit, & aliquantulum ſpatio temporis decideret, & nihil dierum numero periret.* Fides data de tribus diebus, ac noctibus mortis Chriſti expreſſa erat in Scriptura, quam minime perire licebat. Aliunde videbat Dominus ſuos Diſcipulos pro illo triduo multa triſtitia, ac perturbatione vexatos. Pietas Chriſti viam patefecit, qua de dierum numero nil periret, dies autem, & noctes, non integræ, ſed partiales eſſent, vt anxiis Diſcipulorum ſuſpiriis annueret, eorumque gemitus, ac mœſtitudinem depelleret, eoſque maxime præſentia ſua recrearet. Gaudet Dominus cum ſuos in ſe ipſo gaudentes, depulſa triſtitia, hilares, ac iucundos videt, & agnoſcit.

D. Leo. *Non ſuſtinet Dominus ſuos in amaritudine videre.*

94. Quintò, D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 114. Solutiones huius dubii datas apponens, ſic ſubdit: *Quod ſi perfectos tres dies quærunt, illud reſponde: quod Rex quoque, admiſſa eorum, qui in metallis ac vinculis ſunt deprecatione, hoc illis pollicitus fuiſſet, ſe poſt triduum eos miſſum facturum, ac præſtitutum diem anteuertens eos liberaſſet per hanc celeritatem verum magis dixiſſe. Ad eundem itaque modum Dominus cuius, quam promiſerat, reſurgens ab omnibus meritò adoratur.* Celeritas indulgentiæ non minuit veritatem, ſed potius commendat, ac nobilitat: nam rex ille temporalis terminum datum anteuertens, non labefactat veritatem, nec in mendacii notam incidit miſericordiæ enim redundantia non tantum ſupplet veritatis defectum, ſed etiam illius veluti vices adimplet. O magnum pietatis priuilegium, quod ius veritatis ſeruat & cum miſericordia interuenit, veritas integra manet, eſtò aliqua indulgentia interueniret. Hæc ex mente Iſidori ad abundantiorem doctrinã dicta ſunt,cum tamen per tres dies, & noctes Chriſtus iacuerit in ſepulchro,vt Scriptura docet,& ſup.explicauimus.

Peluſiota. *Redundantia miſericordiæ agit vices veritatis.*

95. Quæro tamen: cur non ſolum dies, ſed etiam noctes exprimuntur? Communis eſt doctrina: Vt oſtendatur tempus fuiſſe continuum. Ingenioſè tamen D. Ephren quãdam aliam ſolutionem

D.Ephren.

D. Ephrem. excogitauit. Sic ait lib. de Pœnitentia. *Tres dies Saluator in ſepulchro egit, & tres noctes, vt oſtenderet, etiam peccatores, qui tenebris obducti erant, reſurrecturos. O pœnitentiæ gratiam!* Non tantum dies, ſed etiam noctes Reſurrectioni deputantur, vt cunctis patefieret, quod reſurrectionis gloria non ſolis diebus, ſeu filiis lucis hoc eſt iuſtis, præparabatur; ſed etiam tenebrarum alumnis id eſt peccatoribus, ſi per contritionem ac pœnitentiam à vitiorum tenebris expellantur.

*Cæleſtia dona præparantur & iuſtis, & peccatoribus, ſi pœniteant.*

96. In omni vitiorum malo ſe immiſit Nabuchodonoſor, in tantum, vt ſtatuam ſuam, veluti Deum, præceperit adorari. Tunc diuina iuſtitia in eum deſæuit. *Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum, vt bos, comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius tanquam auium. Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui.* Daniel. 4. num. 30. Valde mirum, quod prophanus rex tot peccatis, malis, ac idololatriis onuſtus, qui ad omnium iniquitatum infima deſcendit, in tantum eſt ſubleuatus, vt oculos ad cælum leuaret, & Deum laudaret, ac glorificaret, quod proprium Angelorum, ac Sanctorum eſt. Cum Rex ille deliciis depoſitis ferarum more vitam degeret, nuda terra cubans, herbas agreſtes, ac amaras, quas olim horrebat, modo manducans, pellibus, ac hirtis capillis tanquam indutus, pedibus, ac manibus per aſpera loca reptans, tam mala ſui corporis tractatione, tam aſpero, ac rigoroſo viuendi modo, viam aperuit, & in ſublime conſcendit, vt Dei laudes, ac glorificationes prorumperet. Tantum præualet pœnitentiæ veſtigium, vt ad illuſtriſſimorum chorum actiones noſtras ſubleuet. Tertullianus lib. de Pœnitentia. cap. 12. *Dus rex Babyloniæ pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore exomologeſim operatus, vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præferente. Pro mala tractationis? Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.*

Dan. 4.

*Pœnitentiæ veſtigium ad magnam altitudinem euehit.*

Tertull.

97. Cum Agar fugeret à facie dominæ ſuæ, *Inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem.* Gen. 16. num. 8. Vna ancilla Ægyptiaca, quæ ob ſuperbiam contempſerat dominam ſuam, tot fauores promeretur, vt Angeli vnius præſentia recreetur; quæ præclariſſimis viris ex magna Dei indulgentia conceditur. Lippomanus. *Solatur Angelus*, ait, *emendatam, quia humiliata nunc dominæ obedirr conſentit*, Agar in ſolitudine poſita, & videns ſe ab omnibus deſtitutam, in dolorem, ac reſipiſcentiam de contemptu ac ſuperquia erga dominam ſuam cum eſſet tacta aliquali pœnitudine, emendataque euaſiſſet, angelica iam dignatur præſentia.

Geneſ. 16.

Lippom.

*Pœnitens inſtar magnorũ ſanctorũ præſentia Angelorũ fruitur.*

88. Bonus ille paſtor, qui habebat centum oues, cum ex illis perderet vnam, *nonne*, ait Chriſtus *dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam imponit in humeros ſuos gaudens.* Luc. 15. num. 4. Bene poterat bonus paſtor errantem ouem pedone ſuo ad caulas reuocare? Ad quid in humeros ſubleuat, quæ dilectionis ſigna nullam ex nonaginta nouem ouibus, ſemper paſtoris voci, ac baculo obtemperantibus, legitur adipiſci. Vbi eam diuinus paſtor in habitu pœnitentis agnouit, ad excellentiora dilectionis argumenta promouet, & ſuper humeros imponit: in quo Chriſti ſui imperii inſigne portat: *Cuius imperium ſuper humerum eius.* Iſai. 9. num. 6. Pœnitens ouis ad tantum cacumen aſcendit, vt veluti coruſcans gemma inter ſuæ poteſtatis infulas à paſtore collocetur, ac tanquam inſigne ſui imperii ornamentum in illius ſede reponatur. D. Nazianzenus Orat. 42. *ad ouem errantem*, ait, *venit paſtor ille, bonus, animam ſuam pro ouibus ponens: Venit, inquam, ad montes, & colles, in quibus ſacrificabas, & balantẽ inuenit & inuentam eiſdem humeris, quibus & lignum crucis ſuſtulit.*

Luc. 15.

*Pœnitẽs magna dilectionis ſigna meretur.*

Iſai. 9.

*Pœnitens pro magno honore reputatur à Deo.*

D. Nazianz.

## Qvæstio XV.

### *Quare potius dicitur, quod filius hominis erit in corde terræ, quàm in ventre terræ?*

99. Per cor terræ ſepulchrum interpretantur D. Auguſtinus Epiſtol. 46. ad Deo gratias. Chryſoſtomus homil. 44. in Matth. Iuſtinus in in quæſtionibus Gentium. Reſponſ. 64. Gloſſa Interlinealis. Aliter Limbum intelligunt Origenes lib 5. Epiſtolar. in Epiſtolam ad Rom. D. Gregorius Nyſſenus orat. Reſurrect. Theodoretus Ionæ 2. Sed vtræque ſententiæ minimè diſcrepant inter ſe: Vna enim loquitur de corpore; altera de anima: Chriſtus enim in cruce mortuus, ſecundum corpus poſitus eſt in ſepulchro; ſecundum verò animam in Limbum Patrum deſcendit, qui eſt prope centrum terræ: vnde de ſepulchro, & Limbo dicitur in corde terræ, hoc eſt intra terram, ſicut cor eſt intra corpus. Ad ſenſum moralem venio.

D. Auguſt. D Chryſoſt. Iuſtin. Interlin. Origen. D. Nyſſen. Theodor.

*Germana interpretatio.*

100. D. Chryſoſtomus homil. 5. de Paſſione. *In corde dixit*, ait, *non dixit in poteſtate, ſcilicet terræ, vt terra ſuum ſentiret, agnoſceret, tremeret, ſed non teneret auctorem.* Vt figuræ analogia ſeruaretur, dicendum videbatur: Sicut fuit Ionas in ventre ceti; ſic erit filius hominis in ventre terræ: mutatur tamen ſtylus, & dicitur. *In corde terræ.* Quidnam myſterij latet in hoc? Vt denotaretur, quod breuiſſima, & quaſi momentanea mora in ſepulchro Chriſtus eſſet detinendus, in corde terræ dixit; nil enim magis inconſtans ac mutabile, quàm humanum cor: neſcit enim aliquid diu retinere, ſed quidquid concipit facile abiicit, ac ſine mora de vno tranſit in aliud: non ergo multum fidas cordi, ac affectui humano; hodie ſummo te amplectuntur amore; cras verò magno odio te abiicient, ac inſectabuntur.

D. Chryſoſt.

*Humanum cor inconſtãs, & facile dimittit, quæ concipit.*

101. Tertio, Aſſimilat ſe Dominus Ionæ prophetæ. Cur ergo ſicut de ipſo dicitur, quod extiterit in ventre ceti, Dominus etiam de ſe non ait, quod erit in ventre terræ, ſed in corde? Perpende differentiam; corpus Ionæ vt pote terrenum, & materiale, in ventre recipitur, in quem carnea & quæ ſunt ad corporis nutrimentum, tranſeunt. Corpus autem Chriſti vtpote ſpirituale animæ alimentum, in corde eſt excipiendum. Ac ſi diceret: Intellige, ô homo qui ad ſacrum altare accedis, qualis ibi eſca tibi proponitur, non carnalis, ſed ſpiritualis; non enim ibi datur cibus ventris, ſed mentis: vt ego digne illũ excipias, non venter, ſed anima omni affectu, munditie, ac puritate præparanda.

*Euchariſtia cibus animæ, non corporis.*

Cum



102. Cum ad probum virum noctu de via veniſſet amicus, acceſſit ille ad alium poſtulans ab eo panes, & dicens: *Amice accommoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me.* Luc. 11. num. 6. Ille, à quo poſtulatur, Chriſtus Dominus eſt: petuntur ab eo tres panes; in quo ſacra Euchariſtia adumbratur, in qua tres panes cõſiderantur, ſcilicet anima, corpus, & ſanguis. Sed cur in parabola introducitur homo poſtulans pro ſuo amico, cum tamen ex Dei mandato, tam amicus, quàm inimicus ad menſam excipiendus ſit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi.* Rom. 12. num. 20. Cum ita adurgeat Apoſtolicum mandatum, cur de ſolo amico fit mentio? Pro amico intelligenda eſt anima, vt teſtatur Hugo: *Amicus eſt cor, ſeu animus.* Pro inimico autem corpus interpretatur D. Gregorius Magnus. *Nos geſtamus laqueum noſtrum*, ait, *nobiſcum, circunferimus inimicum, carnem noſtram loquor.* Pro amico, non verò pro inimico petitur panis; ſacratiſſimum enim altaris ferculum, non ad carnis refectionem, ſed ad animæ nutritionem præparatur: Diſponenda eſt ergo anima, vt tali menſa impinguetur, creſcat, ac augeatur omni virtute, ac ſanctitate.

Luc. 11.

Rom. 12.

Hugo. D. Gregor. Magnus.

*Euchariſtia ad nutritionem, non corporis ſed animæ.*

*Matth. 12. n. 41.* Viri Niniuitas ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Ecce pluſquam Ionas hic.

*Versiones.*

*Syriacus.* Et ream peragent eam: quippe qui pœnitentiam egerint prædicatione Iaunon. Et ecce, qui maior eſt Iaunon, hic eſt.

*Vatablus.* Et condemnabunt eam, quod ipſi reſipuerint ad prædicationẽ Ionæ.

*Theophylactus.* Quod ipſi pœnituerint ad prædicationem Ionæ. Et ecce pluſquam Ionas eſt hoc loco.

*Iuſtin. Martyr.* Plus eſt hic, quàm Ionas. *in quæſtionib. Gen. quæſt. 64.*

Alter textvs.

*Luc. 11. n. 32.* Vt textus Matthæi.

*Expositio IV.*

103. Viri *Niniuitæ.* Pergit Dominus propoſitum exemplum de Iona magis declarando, ac exprimendo. *Viri Niniuitæ*, qui cum ſuo rege Sardanapalo multis vitiis, ac turpitudinibus ſe dederant, *Surgent in iudicio*, ſciſicet extremo, in quo omnes reſurgemus; *& condemnabunt eam*, vt rectè explicant Euthymius, Theophylactus, non verbis, ſed factis; non iudicandi poteſtate, ſed comparationis exemplo: facta enim Iudæorum cum Niniuitis collatione, inde res euidens erit, Iudæos meritiſſimè æternæ pœnæ addici; *pœnitentiam egerunt*, in ſacco ſcilicet, & cinere. Ionæ 3. num. 5. & 10. Comparatio in hoc ſtat, quod ſcilicet Niniuitæ Ethnici, ac barbari, alieni à Dei cultu, cum tamen Ionam prædicantem audiſſent, eius dictis crediderunt, & magnam pœnitentiam ſunt amplexi. At Iudæi profeſſione, cultores veri Dei, lege, ac ſacris litteris enutriti Chriſtum Ieſum verum Meſſiam per Prophetas promiſſum, multò Iona excellentiorem, de quo ſtatim, minimè receperunt, nec audierunt, nec ei crediderunt, nec pœnitentiam egerunt, ſed maligna peruerſitate blaſphemantes perſecuti ſunt.

Euthym. Theophyl.

Ionæ 3.

104. *Pluſquam Ionas hic.* Quæ verba eleganter explicat Euthymius. *Ionas enim ſeruus erat, Chriſtus verò Dominus: ille è ceto egreſſus eſt, iſte ab inferno: ille inuitus prædicauit, iſte ſponte: ille peregrinus erat, iſte cognatus ſecundum carnem: ille ſubuerſionem prædicauit, iſte regnum cælorum: ille nullum fecit ſignum, iſte innumera: de illo nullus prædixit, de iſto omnes prophetæ.* Vnde etiam ex operibus, ac miraculis magnam efficaciam in doctrina Chriſti agnoſcit D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1. Ioan. vt humana corda ad fidem alliceret. *Quomodo autem*, ait, *plus in Chriſto, quàm in Iona, quoniam hic tantummodo comminatus eſt Niniuitis euerſionem; Chriſtus propter miraculorum efficientiam homines obſtupefaciens in admiratione erat. Semper autem currentia prodigia, quaſi machina quadam, ad fidem trahunt.* Expende vltima verba.

Euthym.

*Ex operibus magna efficacia in Chriſti doctrina.*

D. Cyrill.

*Miracula efficaciter trahunt ad fidẽ.*

## Qvæstio XVI.

### *Quare adducuntur in exemplum Niniuitæ? & vnde eorum pœnitentia tam mirabilis?*

105. Recte reſpondet Abulenſis quæſt. 94 Proponuntur in exemplum, ait, occaſione præcedentium: nam ſuprà dictum erat de Iona in ventre ceti tribus diebus, ideo hic applicat exemplum Niniuitarum, quibus Ionas prædicauit. Secundò, ad exprimendam multo promeritam Iudæorum condemnationem: quamuis enim Niniuitæ barbari eſſent, Ionas per tres dies eis prædicauit, vt colligunt D. Hieronymus, Haymon, Remigius ad illa verba Ionæ 3. num. 3. & conſentiunt etiam Theophylactus, Lyranus, Vatablus, per hos tres dies ambulauit per omnes flexus, & reflexus, vicos, & plateas ciuitatis; & per quadraginta dies à rege vſque ad minimum rigidam pœnitentiam ſubierunt. At Iudæis Chriſtus Dominus per tres annos prædicauit, per quadraginta annos conceſſit eis ſpatium pœnitendi, vt dicitur Ezech. 4. num. 6. *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Et tanta Domini clementia Iudæi obdurati perſtiterunt, & minimè reſipuerunt. Vnde traditi ſunt Romanis in maiorem deuaſtationem, ac deſolationem ſuper omnes alias, quas ille populus habuit,

Abulenſ.

Ionæ 3. D. Hieron. Haymon. Remig. Theoph. Lyran. Vatablus.

Ezech. 4.

*Exprimitur magnum peccatum pro æquitate magni ſupplicij.*

habuit, vt manifeſtaretur æquitas iuſtitiæ diuinæ: ad declarandum tantum ſupplicium, tanta eorum iniquitas exprimitur.

106. D.Paſchaſ. Tertiò D. Paſchaſius lib.6. in Matth. De Niniuitis ponit Dominus exemplum. Maiorem, ait, gentium fidem futuram demonſtrat, quàm Iudæorum; & ideo ex fide Niniuitarum Iudæos in futuro, quia non crediderunt, condemnandos denunciat. Quoniam Niniuitæ, Iona prædicante, pœnitentiam egerunt: Iudæi verò, Chriſto Dei filio prænunciato, ipſo prædicante, eum non ſuſceperunt. Vbi fides gentium permaximè prædicatur. Ita Paſchaſius.

*Ex fide gentium condemnãtur Iudæi.*

107. Ionæ 3. Quartò, proponuntur Niniuitæ ob rigidam pœnitentiam, quam ediderunt, ab homine vſque ad pecus, in ieiunio, ſacco, & cilicio. Nec ex his inferas, Niniuitas fuiſſe ſaluatos; nam paulo poſt pœnitentiam ad peccata priſtina redierunt: vnde cum ſuo rege Sardanapalo ab Arbace Medo ſubiugati ſunt. Non enim ſolum boni, ſed etiam mali, & reprobi in illo die iudicij condemnabunt alios multos, collatione, ac comparatione, vt dictum eſt. Malus enim poteſt habere aliquid boni. vel minoris mali, quo grauioris culpæ alter malus conuincatur. Niniuitæ enim, quamuis mali, & reprobi, id tamen in eis laudabile extitit, quod dictis Prophetæ crediderunt, ac pœnitentiam egerunt. Ex quo deduces, in homine imitandum eſſe, id, quod bonum elucet; excludendum autem id, quod malum apparet. Vide ſuprà cap.8. n.60.

*Imitare in homine id, quod bonum eſt.*

108. Peluſiot. Sed vnde iſtis Niniuitis tanta pœnitentia? Præclarè reſpondet Peluſiota lib.1. Epiſtol. 154. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt iſtam generationem. Quoniam qui legem minimè audierant, Prophetæ comminationem extimuere, atque figura duntaxat, & vmbra dominicæ ſepulturæ audita, ad inopinatum euentum metu perterriti ſunt.* Quomodo homines idololatræ, qui in omni deliciarum voragine degebant, tam rigidam amplectuntur pœnitentiam? In Iona ex vtero belluæ emiſſo quendam odorem ex Chriſti paſſione, ac ſepultura hauſerunt; & ex vmbra Chriſti paſſi ita homines peccatores commouentur, vt deliciis depoſitis ad auſterum, aſperúmque rigorem vitæ concurrant.

*Vmbra paſſionis Chriſti efficax ad trahendum ad pœnitentiam.*

109. Actor. 10. Petrus Eccleſiæ præſul. *Vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum. Surge, Petre, & occide, & manduca.* Actor.10. num.11. Valdè mirum, quod ſerpentia, quadrupedia, & animalia venenoſa ad eum ſtatum deuenerint, vt vt iam apta inuenirentur ad hoc, vt à Principe Apoſtolorum edi valerent. Sed vnde illis tanta aptitudo, atque capacitas? Animalia illa peccatores denotabant, qui in omni ſpurcitia, & inquinamento volutauerant. Tamen cum veniſſent in linteo illo, in quo Chriſtus Dominus mortuus inuolutus eſt ad ſepulturam, ſignum illud, ac veſtigium paſſionis Chriſti tangentia ita diſponuntur, & aptantur, vt iam nullum inueniatur animal, eſtò omni veneno fuiſſet abundans, quod iam non ſit congruum, vt Petro in ſuauiſſimum epulum inſeruiat. D.Hilarius can.32. in Matth. *Ioſeph*, ait, *munda ſindone corpus Ieſu inuoluit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuerſorum animantium genera ſummiſſa.*

*Vmbra paſſionis Chriſti venenoſos reddit ſuaues, & pœnitentes.*

D. Hilar.

110. Ait Paulus 1. Corinth. 11. num. 26. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Eximia Chriſti pietas voluit, ſub ſpeciebus panis, & vini in Eccleſia manere vſque ad conſummationem ſæculi, vt proprio ſui corporis alimento fideles ſuos paſceret. Sed cur ad repræſentandam ſui paſſionem, & mortem? Cur non potiùs ad annunciandam eius admirabilem Incarnationem, Natiuitatem, vel glorioſam Reſurrectionem, ſeu Transfigurationem? D. Methodius in Sympoſio decem Virgin. adductus à Turriano de Euchariſtia cap. 1. tract. 11. *Non enim poteſt aliter Eccleſia*, ait, *concipere credentes, & regenerare per lauacrum, niſi Chriſtus propter eos ſe exinaniens, vt capi poſſit, ſecundum commemorationem paſſionis iterum moriatur, de cælo deſcendens, adhærénſque vxori*, ſcilicet Eccleſiæ ſuæ, *præbeat virtutem quandam lateris ſui.* Diuinus Pater cunctorum ſalutis maximè auidus, diſcedens ex hoc mundo ad Patrem, carnem, & ſanguinem ſuum ſub commemoratione mortis, & paſſionis eius nobis relinquit, tanquam efficaciſſimum remedium ad ſalutem, vt ipſa morte repræſentata, & inſpecta, cuncti, depoſitis peccatis, amplexata pœnitentia, in moribus, ac actionibus reformentur, vt ita Eccleſia ſponſa ſua multiplicitatem filiorum valeat parturire in vitam æternam. *Non enim poteſt aliter Eccleſia credentes regenerare, niſi Chriſtus ſecundum commemorationem paſſionis iterum moriatur.*

1. Cor. 11.

D. Method.

*Memoria paſſionis Chriſti vitam reformat.*

Quis enim Chriſti cruce, clauis, ac flagellis non tangatur? Quis ſuper acerbitatem paſſionum, ac dolorum dolorem non habeat, ingemiſcat, ac in multos fletus, ac ſingultus prorumpat? D.Leo ſerm. 6. de Paſſione. *Pendente*, ait, *in patibulo creatore vniuerſa creatura ingemuit, & crucis clauos omnia ſimul elementa ſenſerunt, nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit, & cælum; hoc petras rupit.* 111.

*Omnia inſenſibilia Chriſti mortem ſenſerunt.*

D. Leo.

*Matth.12.n.42.* Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et ecce pluſquam Salomon hic.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Ægyptiacus.* | Regina Auſtralis. |
| *Perſicus.* | Regina Themantica. |
| *Theophylactus.* | Regina Auſtri excitabitur in iudicio cum generatione hac. |
| *Syriacus.* | Reamque peraget eam, quippe quæ venerit ab vlteriori terra. |

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 11.n.31.* Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos.

*EXPO*



### *EXPOSITIO V.*

112. ALIA collatione, ac exemplo oſtendit Dominus, quàm grauiter Iudæi ſint condemnandi. *Regina Auſtri*, ſeu Auſtralis, quæ dicitur Regina Saba, cuius regnum ad Auſtralem partem conſtitutum erat. *Surget in iudicio*, ſcilicet extremo, quando ipſa reſurget à mortuis iudicanda. *Et condemnabit eam*, hoc eſt, erit efficax argumentum condemnationis filiorum generationis huius; in illáque multis rationibus clareſcet, ac apparebit, quam dignè vos damnandi ſitis; *quia venit*; cauſam apponit, cur Regina Auſtri eos condemnabit, *quia venit à finibus terræ*, nempè ex longinqua regione, ſcilicet ex Æthyopia, *audire ſapientiam Salomonis* de arboribus, herbis, vt ait Theophylactus.

*Apponitur condemnationis cauſa.*

Theophyl.

113. *Et ecce pluſquam Salomon hic.* Chriſtus Dominus ſua ſolita modeſtia de ſe per tertiam perſonam loquitur. *Pluſquam Salomon.* Salomon purus homo; Chriſtus Ieſus Dei filius: & tamen Regina Saba, audita Salomonis fama, quamuis mulier gentilis, ſine lege Dei educata, omne periculum contemnens venit ad Salomonem, eius dicta, ac conſilia, licet de rebus terrenis, ac humilibus auſcultans, & ſequens. Inde euidens fit, quàm grauiter Iudæi condemnandi ſunt, qui, cum haberent Chriſtum, Dei virtutem, ac ſapientiam præſentialiter eos docentem de myſteriis abſconditis, de ſalute æternæ vitæ; eum tamen audire detrectauerunt, ac multis contumeliis conuiciati ſunt.

*Maximè Iudæi condemnandi.*

114. D.Irenæus. Non prætermittam hic quandam conſiderationem D. Irenæi lib. 4. cap. 21. dicentis. *Vnus, & idem Dominus, qui pluſquam templum eſt, & pluſquam Salomon donat, id eſt ſuam præſentiam, & reſurrectionem à mortuis, qui ſemper habet & plura metiri domeſticis, & proficiente eorum erga Deum dilectione plura, & maiora donat.* Vide, vnde colligit S. Pater, quod *pluſquam Salomon hic.* Sic enim ipſe explicat: *Pluſquam Salomon donat.* Aliqua dedit Salomon Reginæ Saba 3. Reg.10. num.13. Sed hæc habuerunt modum, & terminum. At Chriſtus Ieſus, vbi ſe præſentem exhibet, *habet & plura metiri domeſticis, & proficiente eorum dilectione, plura, & maiora donat.* Tam largus, ac magnificus eſt in ſuis donis, vt neſciat in illis ceſſare; ſed ſemper & plura, & maiora largitur, itaut vnum beneficium ſecum ſemper afferat alterum.

3. Reg.10.

*Chriſtus Dominus in cõferendis donis ſuis ceſſare neſcit.*

## QVÆSTIO XVII.

### *Quænam eſſet hæc Regina Saba?*

115. D. Matth. HORVM duorum exemplorum mentionem faciunt Matthæus, & Lucas 11. non tamen eodem ordine: nam D.Matthæus primo loco ponit Niniuitas; ſecundò Reginam Auſtri: at D. Lucas hanc primò ſcribit; ſecundò Niniuitas. Matthæus verò tenuit ordinem ſententiæ, quam Chriſtus habuit; nam poſt appoſitum ſignum Ionæ, vt continuaretur ſeries rerum, Niniuitæ fuerunt exprimendi. D. Lucas autem, non ordinem, ſed rem ipſam conſiderauit, vt ſæpè faciunt Euangeliſtæ, & obſeruat Toletus cap. 11. Luc. annot.76.

D. Lucas.

Tolet.

Quæſtio præſens inquirit: Quænam eſſet hæc Regina? Quam quæſtionem latè tractat Pineda lib. de rebus Salomonis cap. 14. à num. 3. & recentiores hic. Vnde breuiter dicam. Dicitur Regina Auſtri, quia ex parte auſtrali erat per reſpectum ad Iudæam. Eius proprium nomen *Nicaula* dicta, vt ſcribit Ioſephus lib. 9. Antiquit. cap.6. Tamen quod nuncupabatur Abiſſini tenet noſter Luſitanus Ioannes Barrius Decad. 3. lib. 4. cap.2. fortè corrupto vocabulo; nam lectio Æthyopica habet *Regina Aſeb.* Hæc eſt illa celebris, Saba dicta; de qua 3. Reg.10. num.1. 116.

Pined.

Ioſeph.

Barrius. Æthyopic.

Saba dicta eſt Regina à regione Saba, in qua imperabat. Triplex eſt Saba. Vna in vicina Arabia, de qua illa non extabat, cum dicatur, veniſſe à finibus terræ, nempe è regione longinqua; hæc autem Saba proxima eſt Iudææ. Secunda eſt Saba in fœlici Arabia, quæ diſtat à Ieruſalem ſexcentis, & ſex leucis, de qua exiiſſe Reginam illam, autumant D.Hieronymus, D.Cyrillus, Theodoretus, Eucherius, Cæſarius, Lippomanus, Salmeyron, Pererius, Eugubinus, Caietanus, & alij, quos adducit citatus Pineda num. 5. Tertia Saba eſt in Æthyopia prope Ægyptum, quæ cum in multa diſtantia ſit à Ieruſalem, ab illa fuiſſe hanc Reginam, docent Origenes homil.1. in Cantica, D. Auguſtinus ſerm.252. de tempore, Nazianzenus orat. 40. Nyſſenus homil. 7. in Cant. in præſenti Euthymius, Albertus Magnus, Ianſenius, Toletus, Maldonatus, noſter Beauxamis, Barradas, Lucas Burgenſis, & alij. Ob magnam diſtantiam loci. Probabilior videtur hæc vltima ſententia. De his latius conſule recentiores. 117.

*Quotuplex Saba.*

D.Hieron. D. Cyrill. Theodor. Eucher. Cæſar. Lippoman. Salmeron. Perer. Eugub. Caiet. Origen. D. Auguſt. Nazian. Nyſſen. Euthym. Albert.Mag. Ianſen. Tolet. Maldonat. Beauxam. Barradas. Burgenſ.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare poſt adductos Niniuitas, adducitur Regina Saba in exemplum?*

VT dixi ſuperiori quæſt. poſt Niniuitas appoſitos adducitur Regina Saba in exemplum condemnationis Iudæorum. Reſpondet primò Clemens Romanus Epiſt.3. Vt denotarentur damnata duo genera Iudæorum, qui Chriſtum nec receperunt, nec in eum crediderunt: quidam enim extiterunt, qui habita Chriſti notitia, ac fama, contemnentes eius ſacros ſermones, eius doctrinam noluerunt audire, nec eius verba percipere; & hi damnantur exemplo Reginæ, quæ venit à finibus terræ ſapientiam cuiuſdam hominis, ſcilicet Salomonis audire; & de talibus exemplum Reginæ expendit D. Baſil. homil. in Pſal.7. Alij verò fuerunt Iudæi, qui ex proprio Chriſti ore, multis inſpectis eius miraculis, ipſius doctrinam audientes, minimè illi conſenſerunt, ac crediderunt; ſed multis iniuriis, ac blaſphemiis contradixerunt; & hi reprobantur collatione Niniuitarum, qui auditis comminationibus à Iona Propheta, illi acquieuerunt, vt rigidam pœnitentiam amplecterentur. 118.

Clem. Rom.

*Duo genera Iudæorum.*

D. Baſil.

Secundò Abulenſis quæſt.96. Quia maior diligentia declaratur in Regina, quàm in Niniuitis: nam hi venientem ad ſe Ionam receperunt: Regina verò Auſtri per longa terrarum ſpatia, cognita Salomonis fama, ſpreta itineris difficultate, ad quod Chriſti ſermo tendit, *venit à finibus terræ*. Ex quo maximè arguuntur Iudæi, qui Chriſtum 119.

Abulenſis.

ſtum ad ſe venientem, eoſque quærentem non ſuſceperunt, cum illa Salomonem, qui multò inferior erat, magno labore quæſierit. Proh dolor! Homines pro terrenis commodis quærunt; & tamen pro ſalutis negotio volunt, quod Deus ipſos quærat, ad eoſque veniat, atque deſcendat. Vide tom. 1. lib. 3. cap...

*Homines volunt, vt Deus ipſos quærat.*

120. Abulenſ. Tertiò, idem Abulenſis. Maius quid Regina fecit, quàm quod Niniuitæ fecerunt: nam pro minoribus rebus illa plus laborauit. Niniuitæ pro ſua vita, ac regno Ionam prædicantem audierunt, crediderúntque, verum eſſe, quod ille teſtificabatur; ideo conuerſi ſunt, ne perirent. At Regina Saba, non pro cauſa ſalutis, ſed vt inſtrueretur de quibuſdam dubiis, ac rebus naturalibus, tot itinerum tractus ſuſcepit. In quò maximè condemnandi ſunt Iudæi, qui Chriſtum, non de lignis, aut lapidibus, ſed de æterna ſalute diſſerentem noluerunt audire, ſed & morte affecerunt. O quam frequenter homines plus faciunt pro terrenis, quàm pro vita cœleſti!

*Homines plus faciunt pro terrenis rebus, quam pro vita cæleſti.*

121. D. Chryſoſt. Quartò, Chryſoſtomus homil. 30. in Imperfecto. *Quæ cum eſſet mulier*, ait, *tantam longitudinem itineris conſicere propter infirmitatem ſexus non eſt impedita. Concupiſcentia enim ſapientiæ infirmitati dabat virtutem. Illi autem viri, & ſacerdotes, quorum proprium eſſe debuerat amare ſapientiam, ante oculos ſuos poſitam ſapientiam contempſerunt.* Pro comparanda ſalutari ſapientia Regina difficilem arripit viam; cuius comparatione omnis itineris aſperitas exigua reputatur. In quantum ergo condemnandi ſunt ſacerdotes, ac principes Iudæorum, quibus incumbebat ex munere veram ſapientiam ſcrutari, cum tamen eam habuiſſent præſentem, ac in gremio ſuo, illam contempſerunt, ac reiecerunt.

*Pro ſapientia comparanda multùm laborandum.*

122. Hugo. Quintò, Cardinalis Hugo ait: *Notabile in hac Regina ſexus fragilis de remotis cum difficultate, relicto imperio, cum muneribus ad purum hominem, ſola fama cognitum, venit. E contra Phariſæi Dominum neglexerunt, verum præſentem, gratis oblatum, ſui generis beneficum, Deum, & hominem, miraculis approbatum.* Ad arguendos, ac condemnandos Iudæos ſui exemplo adducitur in vltimo loco hæc Regina, ſexu mulier, in magnam confuſionem principum Iudæorum, quod ab vna fœmina arguantur, ac reprobentur. Pulchrè dixit Seneca: *Grandis pudor ab inferiori reprehendi.* Quam ſæpè canes arguunt dominos ſuos, pauperibus alimoniam denegantes, & formicarum prouidentia valdè frequenter arguit ſenatum, ac regimen Reipublicæ.

Seneca. *Grandis pudor ab inferiori argui.*

123. Matth. 27. In ſacratiſſima Paſſionis nocte, ſedente Pilato pro tribunali, miſit ad eum vxor eius dicens: *Nihil tibi, & iuſto illi; multa enim hodie per viſum paſſa ſum propter eum.* Matth. 27. num. 19. Vxori Præſidis quieſcenti ſub auroram, vt docent D. Cyprianus ſerm. de Paſſion. S. Bernardus ſerm. 1. de Paſſion. D. Paſchaſius, Lyranus, Carthuſianus, Caietanus, ſomnium quoddam illi immiſſum fuit à dæmonio, Chriſti paſſionem impedire volente, ne per eam homines ſaluarentur. Quamuis dæmon ex hac ſua deprauata intentione ageret; tamen, vt moraliter dicam, Deus hoc permiſit, vt etiam ipſe dæmon contra Iudæos ſtaret, eoſque argueret, quod ſcilicet, quando ipſe toto niſu affectabat, ne Chriſtus morti traderetur, Iudæi tunc clamabant: *Crucifige, crucifige.* Etiam dæmon Iudæos damnat.

D. Cypr. D. Bernard. D. Paſchaſ. Lyran. Carthuſ. Caiet. *Iudæi etiam à dæmone arguuntur.*

124. 3. Reg. 18. Vrgente fame, ait Dominus Parenti Eliæ: *Surge, vade in Sarepta Sydoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* 3. Reg. 18. num. 19. Sed cur ad mulierem gentium, extraneam inter infideles commorantem, mittitur Propheta? Cur non potiùs ad regem Achab, inter legis Doctores, ac fideles degentem? Vt hoc facto Achab magis vituperetur, ab vnáque extranea muliere condemnetur. Appoſitè D. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio cap. 2. *Dignum*, ait, *vt ad condemnationem regis ſacrilegi Propheta ad viduam in Sareptham Sydoniæ mitteretur, quæ deuotionem cibo prætulit.*

*A muliere arguitur Achab.* D. Ambr.

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare, cùm Iudæi dicuntur adulteri, mulier hæc dicitur Regina, & quod eos condemnabit?*

125. IVDÆI, malitiæ, ac peruerſitati dediti, adulteri nuncupantur: *Generatio mala, & adultera.* At hæc mulier, bono ſtudio applicata, Regina nominatur, ac dicitur. Probitas nobilitatis excellentia; ſicut & vitium abiectione, & dedecore ſemper afficitur. Vbi virtus apparet, ibi regia dignitas nitet: vbi verò peccatum, ibi defectus, ac adulteratio viſitur.

*Vbi virtus, ibi nobilitas.*

126. D. Paulin. D. Paulinus Epiſt. 1. ad Seuerum. De hac nobili fœmina agens: *Hæc populi*, ait, *& paternæ domus oblita currebat. Vnde non ſolum cœleſti præmio reſurrectionis beatæ, ſed etiam poteſtate Apoſtolorum de Iudæis adulteris iudicandi, ipſius ore iudicis, digna cenſetur, quia Chriſtum in Salomone mirata, verum Reginæ cœleſtis affectum in imagine myſtica Eccleſiæ prouidentis impleuerat.* In graui hac Paulini ſententia, & primò *de Iudæis adulteris iudicandi poteſtate, ipſius ore iudicis, digna cenſetur, quia Chriſtum in Salomone mirata.* Mulier contemplans Salomonis res adſtupebat, in ipſóque alterius, longè diſtantis, habebat odorem; alterúmque remotiorem, ſcilicet Chriſtum Ieſum, rimabatur. Iudæi ergo, qui toti præſentibus gloriolis, ac ſuperſtitionibus erant intenti, licet alias aliqui eorum principes ſacerdotum dicerentur, tamen viles, adulteri, ac nothi prædicantur. At Regina Saba, quæ per præſentia ad futura, ac à ſenſibus multò remotiora ferebatur, meritiſſimè Reginæ nomine, regalíſque purpuræ decore inſignitur, ac nobilitatur.

*Virtus dignitate regia fulget.*

127. Secundò illa verba pondera: *Hæc populi, & paternæ domus oblita currebat. Vnde non ſolùm cœleſti præmio reſurrectionis beatæ, ſed etiam poteſtate Apoſtolorum de Iudæis*, &c. Non ſolùm Regina Auſtri de ſtudio virtutis laudatur, ſed inſuper aliquali modo, vt ita dicam, iudiciaria ſedes illi aſſignatur: *Surget in iudicio cum generatione hac.* Sed quid apparet in illa, vt tanto honore condigna videatur? Iudiciaria ſedes Apoſtolis promiſſa eſt: nam, cum Petrus dixiſſet: *Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Chriſtus reſpondit: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes.* Matth. 19. num... Mulieri ſat erat, quod in multis rebus inſtrueretur; ad quid vltra ſedes illi deputatur? Enituit in hac fœmina quædam Apoſtolorum virtus, quod

Matth. 19.



*populi, & paternæ domus oblita currebat*: quid mirum, ſi tali rerum abnegatione pollebat, quod etiam illi aliquid Apoſtolorum præmio ſimile concedatur? Apoſtoli demiſſione rerum, ac Chriſti ſequela aſſecuti ſunt ſedes: hæc etiam Regina ſuas res dimiſit vmbram Chriſti quærens: vnde nō abs re & illi ſuo modo aliqualis ſedes deputatur: Virtutum enim affectus digniſſimi ſunt, qui, inquocumque inſint, ſuo præmio afficiantur.

*Virtus in quocumque præmio afficitur.*

128. Matth. 21. Ad ingrediendam ſanctam ciuitatem, ait D. Matthæus 21. num. 7. *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Sed quomodo ſuprema Chriſti maieſtas patitur portari ab abiecto, & vili animali? Cooperitur aſellus Apoſtolorum veſtibus: *Impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua*: & tunc in eo Chriſti ſedes conſtituitur. Vt myſticè ex hoc documento habeamus, quod quamuis quis ſit valde conditione infimus, ſi tamen virtutibus, ac moribus Apoſtolorum exornatur, ac componitur, etiam illorum fructu in portanda ſuprema Chriſti excellentia gaudet, & potitur. D. Bernardus ſerm. 1. de Purificat. *Homines*, ait, & *iumenta ſaluabis, Domine, cum multiplicaueris miſericordiam tuam, Deus. Neminem itaque dedignatur, nec ipſos, qui computruerunt tanquam iumenta in ſtercore ſuo: non dedignatur, inquam, ſed ſi Apoſtolica veſtimenta non deſint, ſi doctrina eorum, ſi morum iuſtitia, ſi obedientia, ſi charitas cooperiat multitudinem peccatorum.*

*Abiectus, pollens virtute, magno extollitur præmio.* D. Bern.

*Cætera, quæ ſequuntur in textu, habentur appoſita, & explicata cap. 22.*

# CAP. XXV.

## *Mater, & fratres Chriſti ſtant foris.*

*Matth. 12. n. 46.* Adhuc eo loquente ad turbas, Ecce Mater, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Cum autem ipſe verba faceret, venerunt Mater, & fratres eius.

*Vatablus.* Cum autem adhuc loqueretur turbis.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 3. n. 31.* Et veniunt Mater eius, & fratres: & foris ſtantes miſerunt ad eum, vocantes eum.

*Lucæ 8. n. 19.* Venerunt autem ad illum Mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba.



### *EXPOSITIO I.*

1. *Connexio hiſtoriæ.* HANC vnam, & eandem eſſe hiſtoriam, quam Matthæus, Marcus, & Lucas ſcribunt, communis eſt Interpret ſententia. In qua tamen enarranda Matthæus, & Marcus ſeruarunt temporis ſeriem, cum eam poſt dæmonium mutum expulſum annectant: quem tamen ordinem non tenuit D. Lucas, vt aduertit D. Aug. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 40. Vnde Lucas prætermiſit verbum poſitum à Matthæo: *Adhuc eo loquente.* Omiſſo enim ordine rerum, ſolius hiſtoriæ mentionem faciebat.

D. Auguſt.

2. *Adhuc eo loquente.* Nondum Dominus ſupradictum ſermonem finierat, cum è Nazareth veniſſent, & iam adeſſent *Mater, & fratres eius*, ſcilicet cognatione, vt docet D. Hieronymus contra Heluidium, Diuus Paſchaſius lib. 6. in Matth. S. Thomas hic, & D. Bonauent. 8. Lucæ. Communi phraſi Hebræa dici fratres, cōſobrinos, patrueles, & cognatos: mos enim fuit apud Palæſtinos, vt omnes cognati fratres dicerentur, vt notarunt Thomas Anglicus Gen. 24. verſ. 37. & Canus de locis lib. 11. cap. 5. In præſenti ergo fratres Domini nuncupantur, fratres ſcilicet S. Ioachimi, vel S. Annæ, vel potius filij fratrum S. Ioachimi, vel S. Annæ; vel etiam filij Cleophæ, qui erat frater S. Ioſeph Sponſi ſacratiſſimæ Virginis, vt teſtatur Hegeſippus apud Euſebium lib. 3. Hiſtoriar. cap. 11. Iſidorus lib. de vita, & morte Sanctorum Patrum.

D. Hieron. D. Paſchaſ. D. Thom. D. Bonau. Thomas. Anglic. Canus. Hegeſipp. Euſeb. D. Iſidor.

3. Marc. 3. *Stabant foris*; ſcilicet à domo, in qua Ieſus prædicabat, quæ videtur fuiſſe illa, quam in Capharnaum ſuæ habitationi elegerat. Marci 3. numer. 20. Cur autem foris ſtabant, rationem apponit D. Lucas: *Non poterant adire eum præ turba*, cupientes cum eo habere ſermonem. Immo & Lucas infra addit, *Videre eum*: quod extiterat cauſa, cur ad eum venerant.

## QVÆSTIO I.

### *Quare toties Euangeliſta hic repetit illud aduerbium* Ecce?

4. TRIPLICITER ſacer Euangeliſta hoc aduerbium hic ingeminat. *Ecce Mater eius, & fratres.* Iterum: *Ecce Mater tua, & fratres tui.* Et tandem: *Ecce Mater mea, & fratres mei.* Ad quid eiuſdem vocis tanta multiplicatio? Hoc aduerbium *Ecce* quid valde magnum, & mirabile indicat: *Ecce Virgo concipiet.* Iſai. 7. *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Et ſic frequenter. Sanè à communi hac regula non deuiat aduerbium in præſenti, vt morali ſenſu dicamus, ad indicandum quid valde magnum, ac rarum, quod ſcilicet Chriſtus Dominus ſuis fratribus, ac conſanguineis eſſet tam gratus, ac plauſibilis, vt ad ipſum venirent, ipſum quærerent, ac ſequerentur. O quam ſæpiſſimè homo ſuis eſt valde exoſus, vt multum rarum videatur, quod ipſum bono affectu, ac amore proſequantur.

Iſai. 7. Matth. 2. *Valde mirabile, quod quis ſit gratus ſuis conſanguineis.*

5. Cum Dauid regnum eſſet aſſecutus, ex toto Iſraël conuenerunt ad eum viri fortiſſimi, *& dirigentes ſagittas, ex fratribus Saul.* 1. Paralip. 12. numer. 2. Quos Dauid benignè, multoque af-

1. Paral. 12.

fectu ad ſe recepit. Poſtea vero dicitur : *Venerunt autem & de Benjamim , & Iuda ad præſidium , in quo morabatur Dauid. Egreſſuſque eſt Dauid obuiam eis , & ait : Si pacificè veniſtis ad me , vt auxiliemini mihi , cor meum iungatur vobis : ſi autem inſidiamini mihi , videat Deus.* Ibidem. num. 17. Multa adnotatione dignum , quod cum fratres , ac cognati ſui crudelis hoſtis Saul ad ſe veniunt , multa benignitate , nulla conditione poſita , eos ad ſe excipit Dauid ; at vero , cum veniunt ad ſe contribules ſui, atque cognati ex Iuda,cum eis dubitanter agit , ac loquitur : *Si pacificè veniſtis* ; ab eis multas inſidias timet : *Si autem inſidiamini mihi.* Cur erga propinquos ſui aduerſarij tam certo animo eſt;at verò erga ſuos tam anceps , tamque dubius, tot, tantaque ſciſcitatur?

*Magis timendum ab amicis, ac conſanguineis, quàm ab aduerſariis.*

Magis admirabile, magiſque rarum iudicauit prudentiſſimus Dauid , quod ſuis cognatis eſſet pergratus , quàm aduerſariis ; quodque ſui propinqui ad ſe venirent , quam contrarij ; & ideo nihil de his dubitans , de illis vero multum perplexus eſt.

6. Ad Chriſtum Dominum adorandum in præſepio veniunt Paſtores , & Magi : Paſtores vocantur ab Angelo , in claritate Dei apparente , quem ſociat multitudo cæleſtis exercitus Luc. 2. n.9. At Magi vna ſtella adducuntur. Matth.2.n.3, Sed cur Paſtores , homines ruſtici , multo maiori apparatu , multoque illuſtriori miniſtro vocantur, quàm tres illi reges ? Erant hi extranei : at Paſtores compatricij , ac eodem ſolo nati ; & vt veluti ſuum conciuem , Chriſtum Ieſum recognoſcerent , ac adorarent , multo plus exigebatur , quàm ad trahendos Magos.

*Luc.2.* *Matth.2.* *Plus negotij, vt Paſtores veniant, quàm Magi.*

7. O quàm frequenter grauiorem pugnam , maiuſque bellum homo ſuſtinet à ſuis domeſticis , & cognatis , quàm ab extraneis , ac aduerſariis! Pulchram quæſtionem mouit Rupertus lib. 5. de Victoria Verbi cap. 3. vbi quærit : A quibuſnam Iſraël maius nocumentum , ac damnum reportauerit ; an ab illis quatuor atrociſſimis beſtiis, quas Daniël cap.7.à num.4. vidit , quarum prima erat quaſi Leæna , habens alas aquilæ : ſecunda vrſus , habens tres ordines in ore : tertia quaſi pardus , quatuor capita habens : quarta erat beſtia terribilis fortis nimis , habens magnos dentes ferreos , cuncta comedens , & comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans : per quæ quatuor regna Ægyptiorum , Babyloniorum, Græcorum , Romanorum , Iſraëlem deuaſtantia, denotantur.Fuit ne maius bellum , ab his illatum, an à vitulis aureis , quos Ieroboam extruxit 3. Reg. 12. num. 28. Citatus Abbas. *Num* , inquit, *facies iſta mitior eſt faciebus illis ; ita regnum Iſraël mitius , quàm illa regna egit ; mitius nocuit? Immò quanto magis domeſticus erat , tanto maiora damna fecit ; tanto magis domum ſubuertit* , &c. Quod multis proſequens probat.Verum eſt, quod illa quatuor animalia crudeliter homini erant aduerſantia ; vitulus vero domeſticus : ſed quanto magis domeſticus , tanto maius damnum inuexit , ac introduxit , tantoque grauiùs ſubuerſionem poſuit. Et ratio. Alia enim animalia temporale damnum adduxerunt : at vero vitulus ſpirituale , auertens homines à vero cultu , religione , ac templo Dei.

*Rupert.* *Dan.7.* *3.Reg.12.* *Rupert.* *Plus nocent domeſtici, quàm extranei.*

Vide ſupra cap. 22. n.77.78.& 79.

* * *

## Qvæstio II.

### *Quare Chriſti cognati fecerunt , quod ipſe vocaretur,cum expectare poſſent ?*

8. CVM venerint Chriſti propinqui ad locum, in quo ipſe prædicans aderat , & cum non poſſent intrare præ turba , vt exprimit D. Lucas, miſerunt ad eum , vt ſcribit D. Marcus , vocantes eum : Quo ergo motiuo eum vocant , & finem concionis non expectant.

*D.Luc.* *D.Marc.*

9. Ad quod reſpondent primò Tertullianus lib. de carne Chriſti. cap. 7. D. Chryſoſtomus homil.45. in Matth. Vbi ſic ſcribunt,conſiderandam eſſe matris,ac fratrum importunitatem : nam,cum debuiſſent intrare,ac cum turbis ſimul audire, aut ſaltem expectare foris,concionis finem,ambitione quadā, ac oſtenſione commoti, foras in omnium præſentia euocarunt, vt viderentur facilè , ac cum magna poteſtate Chriſto imperare. Et poſtea ſubdit Chryſoſtomus , Inani quadam gloria ipſos commotos. In hoc tamen Chryſoſtomus cum Tertulliano exceſſit,vt notat D.Thom.3.p.q.27.Et etiam Theophyl. exceſſit , qui cautè in hac re legendus eſt:ſicut etiam Imperfect.hom.30.in Matth. Nam quod Mater,& fratres non intrauerint,ratio apertè conſtat ex D. Luca : *Non poterant adire eum præ turba.* Quod autem dicitur , eos commotos fuiſſe inani gloria , quamuis de fratribus aliquod poſſet eſſe argumentum, nullo tamen modo de B.Virgine hoc valet dici:nam cum ipſa eſſet plena gratia, & Spiritu ſancto , ab omni oſtenſione erat valde aliena.{Quod ita eſt certum , vt hoc noſtro ſæculo de fide Catholica tenendum ſit , B.Virginem nullum peccatum actuale,etiam veniale toto vitæ ſuæ tempore commiſiſſe, vt decretum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ.6. Can.23.

*Tertul.* *D.Chryſoſt.* *D.Thom.* *Theophyl.* *Imperf.* *Reijcitur ſententia.* *Trident.*

10. Abulenſis q.107.exiſtimat,quod Mater non iuſſit vocare eum , ſed fratres : ſi autem de omnibus ſimul dicitur , ex eo eſt , quia omnes ad Chriſtum veniebant , & foris manebant. Ipſa tamen prohibere non potuit,quod illi faciebant, qui viri erant;forte,ne contenderet,permiſit eis ad libitum agere.Vnde ipſa, ait Abulenſis , quidquam temerè non egit , nec peccauit. Lucas Burgenſis verò , & Cornelius à Lapide inquiunt , quod fratres venerunt prætextu loquendi cum illo : at propoſitum erat eis,manus in exeuntem foras iniicere,& ab officio domum ſecum in Nazareth abducere , atque illic continere , dicebant enim , eum *In furorem verſum eſſe*, vt ſcribit Marcus 3. n.21. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Ioan. 7. n. 5. Si tamen talis eorum fuit mens , hoc ſuum conſilium B. Virginem celarunt ; illa enim optimè ſciebat, Chriſtum Dominum eſſe ſanæ mentis , ac Dei filium.Illam tamen ſecum adduxerunt fratres honoris gratia , vtque facilius , ac ſecretius Chriſtum euocarent , ſecumque abducerent.

*Abulenſ.* *Contentiones vitandæ.* *Burgenſ.* *Cornel.* *Marc 3.* *Ioan.7.*

11. Hæ duæ ſententiæ multam vim faciunt textui. Vtraque enim intendit , quod Chriſtus ſolum à fratribus fuerit vocatus. Cum tamen D.Marc.ſcribat:*Veniunt Mater eius,& foris ſtantes miſerunt ad eum, vocantes eum.* Ergo cum abſolutè , & indiſtinctè Euangeliſta dicat,quod Mater, & fratres venerint,& miſerint vocantes eum, cum multa textus violentia ſolum ad fratres nuntius reſtringitur. Nec illud fratrum conſilium

*D.Marc.*



conſilium potuit eſſe ita occultatum prudentiſſimæ Virgini , quæ optimè cuncta callebat.

12. Dicendum eſt in hac re , Matrem , & fratres ad Chriſtum veniſſe, eumque ad ſe euocaſſe ex recta, ſancta , ac honeſta aliqua cauſa ; licet aliàs nobis ignota , ex variis auctoribus eam inueſtigabimus. Primò reſpondet Titus in Catena D.Thom.Luc.8. *Quia deſiderabatur Chriſtus propter abſentiam, accedunt ad eum cognati.* Æſtuabant enim vehementi deſiderio videndi , ac fruendi Chriſto, ideo ipſum vocant. Secundo Caniſius lib. 4. de Deipara c.21. aſſerit, Virginem acceſſum ad Chriſtum docentem expetiuiſſe,vt quia præ turba propius accedere non poterat , locum ad audiendum opportunum ſibi,& cognatis pararet. Cui ſententiæ fauet D.Thomas hoc loco in Matth. Tertio Caietanus Marc.3. & Toletus annot.37.in 8.Luc. dicunt , quod Chriſtus Dominus priuſquam domum illam intraſſet, multa docuerat,atque iterum domum ingreſſus longum habuerat ſermonem. Vnde Mater,& fratres intellexerunt , illum iuxta corporis vires eſſe defeſſum , nec à turbis dimitti, vt cum ſuis Diſcipulis panem manducaret , ſæpè enim id contigerat , vt patet Marc. 6. n. 31. dixit Chriſtus ſuis Diſcipulis : *Venite ſeorſum in deſertum locum,& requieſcite puſillum. Erant enim , qui veniebant,& redibant multi : & nec ſpatium manducandi habebant.* Hac ergo de cauſa , quod Mater,& fratres eum vocauerint , non vitio,ſed charitati tribuendum eſt.Addit etiam Barradas , forte audierant conſanguinei , imminere Chriſto periculum à Phariſæis , ideo illum vocarunt , vt à periculo liberarent.

*Variæ interpretationes.* *Titus.* *Caniſ.* *D.Thom.* *Caiet.* *Tolet.* *Marc.6.* *Barrad.*

13. Dicam etiam , ſaltem morali ſenſu, Quod Mater , & fratres foris ſtantes forte audierunt à circunſtantibus , quod Chriſtus Dominus ſua concione Iudæis multa mala minabatur : appellauit enim eos *Generatio mala , & adultera :* ſignificauit deuaſtationem regni faciendam per Titum, ac Veſpaſianum , *Non dabitur eis , niſi ſignum Ionæ Prophetæ* , vt dixi ex Chryſoſtomo, ac aliis Patribus ſuperiori cap. quæſt.7. prædixit quoque , dæmonium , à Iudæis per legem expulſum , iterum ad eos eſſe reuertendum, *Dixit,reuertar in domum meam , vnde exiui.* Tunc Mater , & fratres miſerunt vocantes eum ad deprecandum ab illo pro populo , vt ab eo iram ſuam auerteret,ac illi ſuam miſericordiam impenderet.Vbi enim adeſt Maria, Dei furor ceſſat , & à nobis declinatur.

*Virgo Maria irã auertit.*

14. Multis lachrymis lugebat Iſaias 64. num.7. *Ecce tu iratus es , & non eſt , qui conſurgat , & teneat te.* Vna tamen Virgo inuenta eſt , quæ de ſe teſtatur : *Tenui eum , nec dimittam.* Cantic.3.n.4. Conſolare , Propheta , cum vna Virgo iam reperiatur , quæ Dei furorem cohibeat , ipſumque teneat , quoaduſque miſericordiam , ac benedictionem largiatur. Richardus de S. Laurentio lib.2.de laudibus B. Mariæ pag.136. *Ipſa enim*, ait, *detinet iram Dei , ne ſtatim vindicet nos. Vnde dicitur* Canticorum 3. *Tenui eum , nec dimittam* , &c. *Conquerebatur enim Dominus* Iſai.64. *Non eſt, qui conſurgat , & teneat me , antequam Maria naſceretur ; ſed ipſa facta eſt aduocata noſtra , & allegat pro nobis fideliter coram filio ſuo ventrem, & vbera eidem repræſentans.* Cardinalis Halgrinius. *Tenui eum* , ait, *ne vineam ſuam diſſiparet omnino, & ſubdit , nec dimittam eum , ſed continua precum inſtantia furorem ipſius retinebo.*

*Iſai.64.* *Cantic.3.* *Richard.* *Halgrin.*



## Qvæstio III.

### *Quare Mater , & fratres foris ſtabant ?*

15. RATIO litteralis , & germana patet ex textu D.Lucæ : *Non poterant adire eum, præ turba.* Præ multitudine turbæ accedere non valentes foris extra domum ſtant.Secundo,& moraliter.Foris manent;nolunt comprimere turbas , nec vi intrare , ſed modeſtè foris quieſcunt.Magnum documentum morale ex hoc nobis datur , ne violentia intendas omnem occupare locum, in illumque vi intrare , ſed conuenienter, ac apte , quantum te deceat , accipias. Vide ſupra cap.1. num.144. & cap.6. num.14. 15. & 16.

*Non vi occupanda ſunt omnia loca.*

16. Tertio D.Hilar.Can.11.in Matth.Eſt autem typica ratio ſeruata in eo , quod Mater , & fratres foris ſtarent , cum vtique ingrediendi ad eum haberent , vt cæteri, poteſtatem : ſed quia in ſua venit , & ſui eum non receperunt ; in Matre eius & fratribus Synagoga,& Iſraëlitæ præfigurantur,ingreſſu eius, atque aditu abſtinentes.Hæc Hilarius.

*D.Hilar.* *Synagoga non intrat.*

17. Quartò Lucas Burgenſis.Stabāt foris;non quod nullo modo intrare non poſſent , miſerunt enim alium intro,qui ipſorum præſentiam nuntiaret , vt patet ex textu Marci ; ſed quod intus agere non poſſent,quod decreuerant.Nec enim omnia coram omnibus ſunt tractanda.Optimè ad mores dictum eſt:tamen id,quod Burgenſis ait,quod poterant intrare,cum nuntium miſerint ; hoc non vrget,præcipuè cum D.Lucas ſcribat,quod *non poterant adire eum præ turba.* Vnde quamuis vnus ingredi poſſet,non ſequitur , quod etiam multitudo fratrum cum Matre. Vel etiam vnus dixit alij , vt dicam quæſt. ſequenti.

*Burgenſ.* *Omnia ſecreta non omnibus dicenda ſunt.*

18. Quintò. Cum Chriſtus concionatur , fratres ſtant foris , vt moraliter inſtruamur , conſanguineos,& fratres procul eſſe debere ab his,qui negocio Dei incumbunt. Cum Arca Domini detineretur captiua apud Philiſthæos , multis plagis illi opprimebantur. Tunc ſacerdotes diuinos vocauerunt.Qui dederunt eis conſilium : *Nunc arripite, & facite plauſtrum nouum : & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum;& recludite vitulos earum domi.Tolletiſque Arcam Domini, & ponetis in plauſtro ; & aſpicietis:& ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande : ſin autem , minimè.* 1. Reg.6. n.7.Perpende,quodnam conſilium capiant homines barbari , & idololatræ,vt deprehendant, Dei virtutē eſſe in Arca,vaccaſque Dei negocium ſuſcipere;ſi nempe illæ,auditis ſuorum vitulorum gemitibus,nullo carnali affectu teneantur,ſed toto hoc ſpreto,ac contempto,muneri ſuo ſatisfaciētes, Arcam Dei in ſuum debitum,ac conuenientem locum deferant, & aſportent.Angelomus. *Quid igitur*,ait, *vaccæ Arcam Dei gerentes, niſi figura ſanctorum,ac fidelium renuntiantium præfigurabit? Qui neque vllo parentelæ ſtudio , à propoſito religionis præpediuntur,neque opere,ſicut per Moyſen de talibus dicitur : Qui dicunt patri ſuo , & matri, neſcio vos , & neſcierunt.* Deuteron. 35. Et benè , vt ait Eucherius , huiuſmodi vaccæ dicuntur fœtæ: Qui enim renuntiant carnem , & ſanguinem,magnos fœtus producunt in via ſalutis.

*Vt operi diuino incumbas, recede à carnali affectu.* *1.Reg.6.* *Angelom.* *Deuter.35.* *Eucher.*

19. Cantic.3. num.11. dicitur : *Egredimini, & videte filiæ Sion regem veſtrum Salomonem in diademate,*

*Cant.3.*

*mate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis ſuæ.* Multum admirandum, quod quando animæ ſanctæ inuitantur, vt ſupremum Regem Chriſtum videant noſtra humana carne indutum; tunc eis mandatur: *Egredimini.* Sed à quo egrediendum eſt? A propria nempe cognatione, ac domo patris, & conſanguineorum; & ita fient apti, vt Chriſtum Regem aſpiciant, ac eius præſentia
D.Bern. fruantur. D. Bernardus ſerm. 2. de Epiphania. *Egredimini de ſenſu carnis*, ait, *ad intellectum mentis. de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra veſtra, & de cognatione veſtra, & de domo patris veſtri, & videte regem Salomonem, alioquin non erit vobis tutum videre eum Eccleſiaſten.*

*Matth.* 12. *n.* 47. Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua; & fratres tui foris ſtant, quærentes te.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Dixit autem ei homo quidam: quærentes, te alloqui.

*Roricus lib.* 2. *Epiſt.* 10. Ecce Mater tua, & fratres tui quærunt, te volentes loqui.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 3 *n.* 32. Et ſedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce Mater tua, & fratres tui foris quærunt te.

*Lucæ* 8. *n.* 20. Et nunciatum eſt illi: Mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.

*EXPOSITIO II.*

20. CVM Mater, ac fratres non poſſent adire ad locum, in quo Chriſtus
D. Luc. concionabatur, vt patet ex D. Luca ſuperius relato, miſerunt aliquem ad eum, qui illum vocaret, vt etiam
D.Marc exprimit D. Marcus ſupra citatus, qui & Chriſto nuntiauit, Matrem, & fratres foris adeſſe: *Dixit ei quidam*; Eius nomen non exprimitur, cum vulgaris perſona eſſet; vel quia adulando, ac malo animo hæc nuntiauit, & vtpotè adulator, ac fictus animo, indignus nomine. *Foris ſtant quærentes te:* Foris ait, vt aduertit Albertus Magnus, vt notetur, inquit, quod ſtabant in labore, & foris in æſtu, vel pluuia, vt citius inclinaretur ad dimittendum ſpiritualem actum. *Quærentes te*, vt explicant Græcus, & Syriacus, *loqui*, & D. Lucas addidit, *volentes te videre.* Et notandum, quod quamuis in illa domo tanta turba circa Chriſtum ſtaret, nuntius tamen intrat, & ſibi inuenit locum. Aderat Chriſtus ſupremus Rex, qui multum diſtat ab huius ſæculi principibus, ad quos pauci, & rari habent aditum: at apud Chriſtum ingreſſus omnibus patet. Vnde cæleſtis ciuitas

*Adulator indignus nomine.*

Albert.Mag.

Græc. Syriac.

*Ad Chriſtũ Dominum omnes habẽt aditum.*

duodecim portis circuncingitur propter numerum tribuum filiorum Iſraël. Apocal. 21. num. 13. Apoc. 21.

QVÆSTIO IV.

*Quo motiuo homo nuntiauit Chriſto, Matrem, & fratres adeſſe?*

HIc nuntius miſſus, non erat ex fratribus, nam ſi talis eſſet, dixiſſet Euangeliſta Marcus, Miſſus eſt vnus ex fratribus: alius ergo diſtinctus erat. Sed cur non ex fratribus? forte id factum eſt, ne Matrem ſolam relinquerent; vel quia omnes ita illius ſuauitate tenebantur, vt nullus ab illa diſiungi pateretur. Niſi quis dicat, quod probabilitate non caret, fratres non potuiſſe intrare, vt patet ex textu D. Lucæ; & tunc quibuſdam, qui proximè aderant, dixiſſe, vt Chriſto ſignificarent; hos autem aliis dixiſſe; & iterum iſtos aliis, donec qui proximiores erant Chriſto, illi indicarunt, Matrem, & fratres adeſſe. 21.

*Cur vnus ex fratribus non enunciat. Suauitatis Virginis præſentia tenebantur omnes.*

Diſtinctus erat nuntius à fratribus: doloſè, an ſimplici animo hæc dixit? D. Hieronymus hoc loco, doloſè verba eſſe prolata affirmat, dicens: *Videtur mihi iſte, non ſimpliciter, & fortuito nuntiare, ſed inſidias tendere Saluatori: Vtrum ſpirituali operi carnem, & ſanguinem præferat.* In eadem ſententia ſunt Tertullianus lib. de carne Chriſti Domini Paſchaſius lib. 6. in Matth. & communiter alij Patres. Auctor Imperfectus homil. 30. aſſerit, hunc nuntium motum fuiſſe à diabolo, qui per illum impedire conabatur Chriſtum à prædicatione, ac manifeſtatione ſui ipſius. Tamen, cum hic nuntius miſſus fuiſſet à Matre, & fratribus, vt exprimit D. Marcus, mihi dicendum videtur, quod bono, & ſimplici animo hæc Chriſto protulerit. Ita communiter Recentiores. Niſi quis velit aſſerere, vt ſupra de fratribus dixi, quod nuntius non valens intrare dixit quibuſdam aliis, vt Chriſto hæc exponerent, & hos malo animo ſe habuiſſe. 22.

D.Hieron.

Tertul. D.Paſchaſ. Imperf.

*Simplici animo hæc dicta.*

Quia multorum Patrum ſententia eſt, hæc doloſè eſſe dicta, quæ multum inſeruit ad mores; circa illam aliquid audiamus. Primò Albertus Magnus ait. Dixerat Dominus ſupra Matth. 10. num 37. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: ex iſto inſidioſè quærens, tentans: An carnalia ſpiritualibus præponeret contra doctrinam ſuam.* Tentat, an ſibi eſſet repugnans in ſuis dictis, aliud docens, aliud faciens: docens contemnenda temporalia ob ſpiritualia, ipſe vero ob carnalia dimitteret ſpiritualia; ſi ſermonem propter cognatos finiret. 23.

Albert.Mag. Matth. 10.

*Nemo ſibi ſit contrarius.*

Secundò. Erat Dominus prædicans; in qua concione multa ira excanduit contra Iudæos, appellans eos, *Generatio mala, & adultera.* Tunc nuntius accedit, exponens Chriſto: *Ecce Mater tua, & fratres tui ſtant foris:* vt citius finem dicendi faceret, & à concione ceſſaret. Valdè frequenter quilibet intentat, quæſtione diuerſa interrumpere ſermonem, cuius dictis pungitur, cuiuſque verba proprio deſiderio, ac voluntati contradicunt. 24.

*Cum dicta non placent, diuerſo ſermone interrumpuntur.*

Tertiò, Sed quomodo iſte doloſus inſidiator tantam audaciam habet, vt cum videret ſupremam Chriſti poteſtatem, qua dæmonium mutum eiecerat ab homine, ipſum non timeat tentare? 25.



re? Conſiderauit malignus iſte Domini patientiam, qua ſupportauit Phariſæorum blaſphemias, impudenter aſſerentium, *In Beelzebuth eijcit dæmonia:* ſupra Matth. 12. num. 27. & ex tanta Domini manſuetudine, ex qua ipſe multa diſcere debebat, ac melior euadere, impudentior, ac deterior factus eſt.

Matth. 12.

25. In Cœna ait Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Matth. 26. num. 23. Hoc Traditoris ſignum datur; & quod Iudas manum ſuam ad catinum extenderit, illius impudentiæ fuit, vt notat Theophylactus. *Iudas*, ait, *impudens intingebat in eodem catino.* Tantam inſolentiam, quam nullus ex Apoſtolis eſt auſus, in maligno Proditore patienter ſuſtinet manſuetiſſimus Agnus. Ille autem tantam benignitatem, ac patientiam non conſiderat, vt illius memor reſipiſcat, ac à nefario ſuo propoſito deſiſtat, ſed celeriter feſtinat ad Dominum Iudæis tradendum. D. Paſchaſius lib. 12. in Matth. *Iudas*, ait, *ſuam non celat impudentiam, & quia neque eiuſdem menſæ, neque panis, neque carnium agni, quas comederat, memor factus, impudenter feſtinat tradere largitorem bonorum operum.*

Matth. 26.

Theophyl. *Traditor impudens abutitur patientia Domini.*

D.Paſchaſ.

26. Ad nefarium ſcelus libidinoſa Ægyptiaca ſanctum iuuenem Ioſeph ſolicitat. Ille vero relicto pallio ſuo in manibus adulteræ foras fugit. Tunc mulier vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: *En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis; ingreſſus eſt ad me, vt coiret mecum; cumque ego ſucclamaſſem, & audiſſet vocem meam, relinquit pallium, & fugit foras.* Geneſ. 39. numer. 14. Quomodo impudica mulier contra virum ſanctum, & innocentem tam petulanter magnas voces audet extollere? Quomodo non timet ſancti adoleſcentis accuſationes, quibus facile de ſuo delicto conuicta eſſe poterat, cum ipſa pallium in manibus ſuis oſtenderet, ſignum manifeſtum, quod ipſa eum apprehendere, ac tenêre volebat? Conſiderauit mulier modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem, ac patientiam iuuenis ſancti. Tunc mulier impudentior facta, ipſum accuſare, contraque eum vociferare, ac clamare non veretur. Pulchrè D. Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 5. *Ipſa igitur*, ait, *quod celare debuerat, prodebat, vt compoſito crimine læderet innocentem: Iuſtus autem accuſare non nouit, ideo impune hoc impudica faciebat.*

Geneſ. 39.

*Ex manſuetudine alterius quis ſumit animam contra eum.*

D. Ambroſ.

*Math.* 12. *n.* 48. At ipſe reſpondens dicenti ſibi ait: Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ipſe verò reſpondit, & ait illi, qui hoc renuntiauerat.

ALTER TEXTVS

*Marc.* 3. *n.* 33. Et reſpondens eis ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei?



*EXPOSITIO III.*

27. QVÆ *eſt mater mea?* Non negat Chriſtus, ſe veram Matrem habere, ac fratres ſecundum carnem: neque hæc dicit, quaſi eum ſuæ matris, ac fratrum pauperum puduerit; ſed ſuum vrget antiquum diuinas res humanis præferendi propoſitum. De quo ſimile habes exemplum Luc. 2. num. 49. *Quæ eſt mater mea?* Acſi dicat Chriſtus: nec matrem, nec fratres agnoſco ſuecundm carnem, cum Dei negocium agitur; non enim ob humanos reſpectus Dei prædicatio, animarumque lucrum interrumpendum eſt.

Luc. 2.

QVÆSTIO V.

*Quare tam ſeuerè Dominus reſpondit:* Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?

TERTVLLIANVS lib. 4. contra Marci. cap. 9. ſic obiicit: *Si matrem, & fratres eos fecit, qui non erant, quomodo negauit eos, qui erant?* Rectè reſpondet ibi ipſe Tertullianus; lib. de Carne Chriſti. cap. 6. *Solet*, inquit, *id adimplere Chriſtus, quod alios docet. Quale ergo erat, ſi docens, non tanti faceret matrem, aut fratres, quanti Dei verbum, ipſe Dei verbum, nuntiata matre, & fraternitate, deſereret? Negauit ergo parentes, quomodo docuit negandum pro Dei verbo.* Non negat matrem, aut fratres Dominus, ſed adimplet ea, quæ docuit. Dixit ſuis Diſcipulis: *Qui amat patrem, aut matrem. pluſquam me, non eſt me dignus.* Hoc ergo hic perficit Dominus, cum pro Dei cauſa carnaliter propinquos ſpernit, ac contemnit. De qua re etiam ait D. Ambroſ. l. 6. in Luc. c. 8. *Moralis Magiſter de ſe cæteris præbet exemplum. Ipſe ſuorũ executor eſt præceptorum.* Vide ſupra c. 7. n 27. & 42. & tom. 1. l. 3. c. 1. n. 75. & tom. 2. c. 5. n. 252. & c. 11. n. 73. 74. & 75. 28.

Tertullian.

*Prædicator in ſe adimpleat, quæ docet.*

D.Ambroſ.

Secundò D. Bernardus ſerm. 2. de Nuptiis Cana. *Optimè*, ait, *nos docuit Dominus, ne ſoliciti ſimus ſuper propinquis carnis noſtræ, pluſquam Religio poſtulat. Quando ipſe matri, ac tali matri reſpondit: Quid mihi,* & tibi mulier? *Sic & in alio loco, cum ſuggeret ei quidam, quoniam foris ſtaret cum fratribus Domini, quærens ei loqui, reſpondit:* Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Agnoſce, ô Chriſtiane, quantum Chriſto Domino debeas, cum ipſe propter te, & cauſæ tuæ ſalutis incumbens, relinquat matrem, & fratres. Et diſce ex hoc, pro ipſo deſerere omnia, proque ſalute tua contemnere cætera. Guarricus Abbas ſerm. 4. de Aſſumpt. *Illi*, ait, *qui ſermonem Euangelij, parentes annuntiando, interrumpebat, melius reſpondere non poterat, vt ſcilicet ſpiritualia carnalibus præferenda Chriſtus monſtraret.* Hæc Chriſti verba ad multa documenta adducit D. Ambroſius lib. 6. in Luc. cap. 8. *Si is, qui iniuriam remittere vult*, ait, *ab amicis prohibetur, dicat:* Qui ſunt amici mei? *Deus magis amicus. Si à conſanguineis, & fratribus Epiſcopus rogatur, vt beneficia eccleſiaſtica indignis conferat, reſpondeat:* Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? *Si pater, vt filijs opes relinquat, ad illicitos impellitur contractus, hæc vſurpet verba.* In his autem verbis iuxta ſigna, 29.

D.Bernard.

*Spiritualia carnalibus præferenda.*

Guarricus.

D. Ambroſ.

gna, & ſignificatum multa moralia documenta ſunt ſcrutanda.

30. *D.Hieron.* Tertiò D. Hieronymus de Vera Circunc. *O myſterium*, ait, *matrem Mariam ſibi Dominus abiurat, cum extra Verbi audientiam eſſet conſtituta, eo potiſſimum tempore, quo verbum prædicaretur à Verbo.* Quid eſt, Domine? Nunquid matrem, quam ſummè diligis, ignoras? Ad quid ergo tendit huiuſmodi loquendi modus, Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Concionante Domino, Mater, & fratres ſtabant foris. Vt hoc morali documento inſtruamur, quod illi, qui à verbo Dei audiendo abſtinentes abſunt, timere debent, ne in æternum ab Incarnato Verbo ignorentur. Vide tom.2.cap.7.quæſt.7.num.45.

*Qui à Verbo Dei audiendo abſtinentes abſunt, perditionem timeant.*

31. *Cæſarius.* Quartò. D. Cæſarius Dialog. 3. *Neque*, ait, *Chriſtus, cum à matre, & fratribus quæreretur, vocationem admiſit, cum apud auditores ſalutiferam doctrinam exorſus eſſet.* Valde alienum eſt ab excelſo, & præclaro animo deſiſtere ab incepto, remque infectam relinquere. Chriſtus Dominus à Matre, & fratribus quæſitus, ſe eos ignorare dicit, quoaduſque compleat, & abſoluat prædicationem ſuam, quam erat exorſus: nullo enim conſanguinitatis affectu res ſemiplena relinquenda. Vide tom.1. lib. 1. cap.2. quæſt. 22. num. 68. & cap. 5. quæſt.44.n.134. & lib.2.cap.4.q.27.n.102.

*Res incepta perficienda.*

32. *Tertullian.* Quintò Tertullianus lib. 4. in Marcion. *Tam proximas*, ait, *perſonas foris ſtare, extraneis intus defixis ad ſermones eius, meritò indignatus eſt; non tam negauit, quàm abdicauit.* Duriuſculè eſſe illa verba prolata: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? planum eſt apud omnes. Sed vnde ſic Dominus iraſcitur? Erant mater, & fratres foris, cum intus eſſent extranei audientes verbum Dei. Seuerè ergo loquitur Chriſtus. Repræſentabatur ibi, quod, qui multis titulis extabant aſtricti, quique potiores eſſe tenebantur in diuino obſequio, tardiores ſe habebant, minuſque præſtabant, quàm extranei, ac remotiores. Valde durum, quod propinqui, à quibus magna ſperabas, moroſè ſe habeant in tui famulatu, cum tamen extranei multo affectu, ac diligentia ſe præbeant.

*Durum, quod propinqui ſint minus diligentes, quàm extranei.*

33. *Tertullian.* Sextò. Tertullianus lib. de Carne Chriſti. cap.7. *Figura*, ait, *Synagogæ in matre abiuncta: & Iudæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Iſrael: Diſcipuli autem noui intus audientes, & credentes, & cohærentes Chriſto, Eccleſiam delineabant: quam potiorem matrem; & digniorem fraternitatem, recuſato carnali genere, nuncupat.* Idem ferè docent D. Cyrillus Alexandrinus homil. contra Neſtorium, D. Ambroſius lib. 6. in Luc. cap.8. Chriſtus præſenti ſic reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Non quia Genitricem, ac cognatos non agnoſceret, quos optimè colebat; ſed vt denotaret, quod ſignificatam in eis Synagogam, & Iudæos, qui in illis repræſentabantur, ignorabat.

*D.Cyrillus. D.Ambroſ.*

*Iudæi à Deo ignorantur.*

34. *Arnoldus.* Septimò Arnoldus Carnotenſis tract. de Laudibus Mariæ. *Fugientibus Apoſtolis*, ait, *in faciem filij ſe oppoſuerat Mater, & gladio doloris anima eius infixo vulnerabatur ſpiritu, & crucifigebatur affectu: ſtabat ante Crucem, non minor, quam matrem Chriſti decebat, &c. Ecce bone Ieſu coram te eſt mater tua. Cur modo non dicis: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? modo matrem non abijcis, neque ignoras, ſed commendas Diſcipulo!* Valde mirabiles ſunt rerum viciſſitudines. In Nuptiis Cana, ait Chriſtus Dominus Matri: *Quid mihi, & tibi, mulier?* Ioan.2.num.4. Et in præſenti, adſtante Matre cum fratribus, ait: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* At cum ipſe mundi Redemptor penderet in Cruce Ioan. 19.num.27. *Cum vidiſſet Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Cur in conuiuio; cur in fratrum comitatu quandam exhibet ſpeciem, acſi matrem non agnoſcat; in patibulo autem eam recognoſcit, ac ſolicitè vtpote filius, illius curam gerit? *Fugientibus Apoſtolis, in faciem filij ſe oppoſuerat mater, & gladio doloris animæ eius infixo*, &c. Cum Chriſtus penderet in patibulo, deſertus erat à ſuis; mater tamen ei adhærebat, omnia eius tormenta, dolores, ac cruciatus ebibens. Valde gratum, ac periucundum Domino, de anguſtiis, ac afflictionibus ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis deguſtare: vnde cum videat matrem omnia ſua tormenta veluti abſorbētem, omnes cognitionis affectus, in illam transfundit, eamque, vt matrem videt, & vt filius curā illius ſuſcipit, ac ne eam multipliciter vulneret, omiſſo matris nomine, eam mulierem appellat.

*Ioan. 2.* *Ioan. 19.*

*Maximè gratum Deo, de Chriſti paſſionibus deguſtare.*

*Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius; veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite, amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cantic. 5. num.1. Multa indagine pro re præſenti hic locus eſt examinandus. Et primò, Qua mente Sponſa, quæ toto affectu amœnitatem, ac fertilitatem ſui horti exoptat, Aquilonem, & Auſtrum expoſcit: Aquilo ventus aſperus, ac immitis, fructibus, ac floribus inimicus; ſua frigiditate plantas deſiccans, multamque illis iniuriam faciens: Auſter verò multam inclementiam afferens, algore ſuo omnia deuaſtans, ac depopulans, cunctique flores eo exſiccantur, atque areſcunt. Ad quid ergo huiuſmodi ventos efflagitat, *vt fluant aromata illius?* Agnoſcebat Sponſa, plantas, & flores ſui horti tunc mirificè redolere, tunc multis aromatibus abundare, non quando tenuis deliciarum aura blanditur, ſed quando crudelis, ac ſæua iniuriis, ac tormentis deſæuit perſecutionum tempeſtas. Magno ergo conſilio ad fertilitatem, ac amœnitatem, ſuis floribus exoptat ventos aſperos, & rigidos. Hunc ſenſum ſequuntur Caſſiodorus, Beda, Aponius, D. Anſelmus, D.Thomas, cuius ſunt verba. *Per Aquilonem, & Auſtrum, ait, flatus perſecutionum, & perturbationum intelliguntur contra Eccleſiam ſæuientium, &c. Et perfla, inquit, hortum meum, hoc eſt Eccleſiam meam. Et fluent aromata illius, hoc eſt fragrantia virtutum, & odor bonorum operum ex illa procedent. Quò enim acerbius Eccleſia conteritur, eò maiorem virtutem ex ſe emittet.* 35.

*Cantic. 5.*

*Perſecutione maximè excreſcunt virtutes.*

*Caſſiodorus. Beda. Aponius. D. Anſelm. D.Thomas.*

*Soror mea Sponſa.* Non ſolummodo eam vocat ſororem, nec ſolum Sponſam, vt paſſim alibi fecerat, ſed ſimul ſororem, & ſponſam. Vbi enim eam vidit moleſtiis affectam, atque Aquilonis, & Auſtri turbine, & tempeſtate in horto ſuo vexatam, ſtatim in eam transfundit cognationis iura, multoque affinitatis nexu eam ſibi vnitam, ac copulatam agnoſcit, & recognoſcit. Huc aduoco id, quod in præſenti ait Euthymius ſequenti verſu. *O admirandam virtutem, quæ ad ſe accedentes ad tantum extollit honorem, vt ipſos Chriſti faciat eſſe cognatos.* 36.

*In laborantibus irecognoſcit Chriſtus omnia iura conſanguinitatis.*

*Euthymius.*

Comedi



37. *Septuag.* *Comedi fauum cum melle meo.* Septuaginta transferunt. *Manducaui panem meum cum melle meo.* In quo magna, & ponderoſa inſurgit difficultas. Sponſa ſuum dilectum inuitauit. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.* Cuius conuiuium ipſe acceptans ait: *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, manducaui panem cum melle meo.* Nunquid fercula de pomis, ac arboribus à ſponſa appoſita contemnit, ac ſpernit, vt nil de illis commemoraret, ſed totus conuerſus ſit ad panem edendum. *Comedi panem cum melle meo.* Cum anima ſancta dilectum inuitat ad hortum, ſimul ad ſe accerſiuit Aquilonem, & Auſtrum, quorum furore, ac aduerſitate percuſſæ ſanctæ arbores in horto ſponſæ ita profecerunt, ac excreuere, vt tanquam oblitæ natiui fructus, cœleſtem panem conceperint, atque protulerint, & quendam ipſius ſacrati panis reddiderint guſtum, atque ſaporem. Opitulatur D. Gregorius Nyſſenus homil. 10. in Cant. *Optauit ſponſa, ait, fieri ſibi fontes aromatum ſuas in horto plantas, ac perflari Aquilone, & Auſtro, qui flat à Meridie; & fructum pomorum agricolam excipere, &c. pro pomis autem effecit, vt arbores panem ferant miſtum cum melle ſuo.* Tantam dulcedinem, ac ſuauitatem percipit ſponſus Chriſtus Ieſus ex ſuis plantationibus, ſiue electis, tribulationum turbine vexatis, vt in illis aliqualem quendam guſtum, ſuo cœleſti pani ſimilem, inueniat. Quod autem præſens Canticorum locus de diuino pane intelligendus ſit, auctor eſt ipſe D. Gregorius Nyſſenus, vbi hæc verba dicta amicis: *Comedite, & bibite:* comparat cum illis prolatis à Chriſto ſuis diſcipulis; ſuſcepto pane, ait: *Accipite, & comedite.* Matth.26. num.26. Et accepto calice: *Bibite ex hoc omnes.* Sic inquit S. Pater: *Apud eos, qui ſciunt myſticas voces Euangelij, nulla eſt differentia eorum, quæ hic ſunt verborum, ab ea, quæ illic diſcipulis exhibetur myſtagogia, nempè myſteriorum, ſeu ſacramentorum inſtitutione: nam ſimiliter & illic, & hic dicit verbum: Comedite, & bibete.*

*Guſtus cœleſtis panis cōcipitur interueniente tribulationum tempeſtate.*

*D. Nyſſen.*

*Panis Eucharisticus Chriſto ſuauiſſimus.*

*Matth.26. D. Nyſſen.*

*Matth.12.n.49.* Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

*Num. 50.* Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.49.* Et protēdit manum ſuam ad diſcipulos ſuos.

*Vatablus.* Et protenſa manu ſua in diſcipulos.

*Arabicus.* Et annuit manu ſua verſus diſcipulos.

*Syriacus, n.50.* Quiſquis exequitur voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, is eſt frater meus, & ſoror mea, & mater mea.

*Vatablus.* Quiſquis enim obſecutus fuerit voluntatem Patris mei.

ALTER TEXTVS.

*Marc.3.n.34.* Et circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.

*Num. 35.* Quicumque enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater mea eſt.

*Luc.8.n.21.* Qui reſpondens dixit ad eos: Mater mea, & fratres mihi hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

*EXPOSITIO IV.*

DIVVS Matthæus ſuprà num. 47. ſcribit: *Dixit autem ei quidam; ecce mater tua, & fratres.* Tamen D. Lucas in præſenti referens Domini reſponſum, ait: *Qui reſpondens dixit ad eos.* Vel quia vnus principaliter, dixit, & alij ſubſecuti ſunt, ad quod reſpiciens D. Marcus ait: *Dicunt ei: Ecce Mater, & fratres tui:* exiſtimantes de aduentu Matris, ac fratrum gratum nuntium referre Chriſto; & ad bona nuntia deferenda multi frequenter concurrunt: vel quia quidam dixit, vt ſcribit D. Matthæus, & alij erant præſtolantes Domini reſponſum, quibus ipſe dixit. *Et extendens manum in diſcipulos ſuos*, eos ſcilicet deſignans, rem magnam innuens; ſic & Ioannes Chriſtum digito oſtendebat. *Ecce mater mea, & fratres mei.* Hi ſunt, quos modò matris, ac fratrum loco agnoſco; eorum enim ſalutis negotium ago, cum præferam diuina humanis affectibus. 38.

*D.Matth.* *D. Lucas.* *D. Marcus.*

*Ad nuntias lætas deferendas multi concurrunt.*

*Quicumque.* Ne quis cogitatet, quod Chriſti doctrina, ac ſpiritualis cognatio tantum ad diſcipulos terminabatur, ponit quandam propoſitionem generalem, comprehendens tam præſentes, quàm futuros: *Fecerit voluntatem Patris mei*, mea prædicatione, meóque teſtimonio declaratam, quæ quidem fidem expoſcit. Ioan.6.num.40. Theſſ.4. num.3. *Qui in cælis eſt.* Hæc dixit Chriſtus, vt notat D. Paſchaſius lib. 6. in Matth. vt ſe de cælo à Patre miſſum declararet. *Ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* In omnibus manifeſtat Chriſtus, ſe pluris facere cognationem ſpiritus, quæ eſt in audientibus, & facientibus verbum Dei, quàm cognationem carnis, ſi vna præcisè alteri comparetur, vt explicaui cap.23. quæſt.23. num.123. & ſequentibus. 39.

*Dei dona ad omnes.*

*Ioan. 6. Theſſ. 4. D. Paſchaſ.*

Matthæus, & Marcus narrant verba quædam prætermiſſa à D. Luca. Marcus poſuit: *Circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant.* Addit verò Matthæus: *Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Lucas ſcribit: *Qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Si hæc omnia coniungantur, ita ſe res habet: Circunſpi- 40.

*Concordia Euangeliſtarum.*

ciens eos qui in circuitu eius ſedebant, extendit manum in Diſcipulos dicens: Hi ſunt mater mea & fratres mei, qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in cælis ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Chriſtus Dominus facientes voluntatem Patris appellat ſibi cognatos?*

41. *Ratio difficultatis.* CHRISTVS in præſentiarum voluit, ſpiritualem cognationem carnali præponere; nam cum de ſanguine propinquis dixiſſet: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* de ſpiritualiter verò coniunctis protulit: *Ipſe meus frater ſoror & mater eſt. Quod propter multa Chriſtus aſſeruit.*

42. D. Chryſoſt. Primò, D. Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. *Nam ſi nullam*, ait, *mater, etiam in quantum mater vtilitatem conſequitur, niſi virtutem colat; multo minus alij neceſſitudine ſaluabuntur. Vna enim ſola, & vera, & communis nobilitas, atque neceſſitudo cum Chriſto eſt vt voluntatem Dei facias.*

*Vera virtus ſola nobilitas.* Præſentem ſententiam protulit Chriſtus, vt nos inſtruat, non eſſe confidendum in ſanguinis nobilitate, ſed ſolum in virtutum decore, ac excellentia: nulla enim poteſt eſſe maior nobilitas ſanguinis in humanis, quàm quod quis attineat ad Chriſtum, qui verus Deus eſt, in gradu propinquiſſimo, vt eſſe matrem & fratrem; & tamen tanta ipſa nobilitas pręciſè parum prodeſt, niſi virtus adſit; eos enim hic tantum vt conſanguineos recognoſcit, qui voluntatem Dei faciunt. Vnde præclarè ipſe Chryſoſtomus ait:

D. Chryſoſt. *O admirabilem honorem? O virtutis incredibiles vires! Quo ducitis bene viuentes homines? &c. Magnum eſſet, ac præclarum, ſi nos virtus Dei ſeruos tantummodo faceret; at cognatos etiam, & maximè cognatos, nempe fratres, ſorores, matreſque facit.*

*Vera nobilitas Mariæ Virginis.* Vnde meritò ipſe Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 30. in fine deducit quanta ſit nobilitas Mariæ Virgnis, quæ valde coniuncta eſt Deo carne, & ſanguine; virtute, ac ſanctitate.

43. Abulenſis. Secundò, Abulenſis quæſt. 13. Hoc dixit Chriſtus, ait, ad reddendam rationem ſui facti. Ipſe enim docebat parentes maximè eſſe honorandos vocans autem eum dixerat: *Ecce mater tua & fratres tui ſtant foris.* Teneri ergo videbatur Chriſtus exire ad matrem, & fratres niſi aliud tunc faceret, quod matri ac fratribus præferendum eſſet. Et ad hoc protulit: *Ecce mater mea, & fratres mei.*

*Res diſponenda ratione, nō potentia.* Ac ſi dicat: Si non exeo ad carnaliter coniunctos, ideo eſt, quia habeo hic ſpiritualiter cognatos, matrem ſcilicet, ac fratres. Ergo cum iſti plures ſint, quàm illi, non eſt exeundum ad eos. Quamuis Chriſtus eſſet omnium Dominus, ſui facti aſſignat rationem, & cauſam vt non potentia, ſed ratione cuncta diſponere, manifeſtum ſit. Vide ſupra cap. 22. num. 12. 13. & 14.

44. D. Ambr. *Parū prodeſt coniunctio ſanguine, ſi detur mente diſiunctio.* Tertiò, D. Ambroſius lib. 6. in Luc. *Nec iniurioſè, ait refutantur parentes ſed religioſiores copulæ mentium dicuntur eſſe, quam corporum.* Non abnegat Chriſtus Dominus conſanguineos, ſed denotat religioſiorem, ac maioris æſtimationis eſſe coniunctionem, ac vnionem mentis, & voluntatis, quàm corporum: non enim ſolum inter corpora ſed etiam inter corda, ac mentes datur coniugium, & copula. D. Gregorius Nazianzenus Orat pro Baſilio. de cuius parentibus, ſic ait:

D. Nazian. *Quanquam autem coniugy parentum ipſius, quod non minus virtutum, quam corporum erat.* Ecce ſecundùm Nazianzenum inter mentes datur coniugium. Imò parum prodeſt, quod aliqui ſint ſanguine coniuncti, ſi animo inueniantur diſcrepantes.

45. *Magis conſideranda cognatio virtutum, quàm ſanguinis.* Quartò, Hæc dixit Chriſtus, vt nos doceat quod non tam conſideranda ſit attinentia carnis & ſanguinis quàm iuſtitiæ, ac probitatis morum. Vnde dixit Caſſiodorus lib. 3. variar.

Caſſiod. *A patre hæretico fuge, vt ab inimico crudeli, ad virum iuſtum, & probum accede, vt ad amantiſſimum genitorem.* Mittitur Eleazarus ab Abrahamo in Meſopotamiam, vt quærat vxorem filio ſuo Iſaac, & dato iuramento præcipitur Eleazaro:

Geneſ. 24. *Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito, ſed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo*, Gen. 24. num. 37. Accepto hoc iuramento valde conſequens erat, vt, cum perueniret homo ad Meſopotamiam, quæreret in domo Nachor fratris Abrahami aliquam ex filiabus eius ad matrimonium Iſaac filii Domini ſui. Hæc tamen cura non venit in eius mentem ſed ait:

Geneſ. 24. *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac*, Ibidem. num. 14. Hæc aſſertio, & reſolutio videtur viri non multùm prudentis: contingere enim poterat vt talis puella, aquam camelis offerens, non eſſet è progenie Abrahami. Quomodo ergo implendum erat iuramentum? Apud ſe ſtatuit bonus ſeruus, quod non tam quærenda eſſet puella in vxorem Iſaac, ſecundum cognationem ſanguinis Abrahami, quàm ſecundum propinquitatem, ac attinentiam morum, Iuſtitiæ, ac probitatis. Adeſt patronus D. Chryſoſtomus.

D. Chryſoſt. *Et dicet, Etiam camelos tuos aquabo; morum ſuorum mititatem ſatis ex aquæ præbitione oſtendendo. Illa inquit ſic explorata, & hoc indicio deprehenſa, domini mei moribus conueniens, digna erit, quæ filio eius ſit vxor.* Expende verba: *Domini mei moribus conueniens.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Chriſtus ſibi obſequentes appellat fratres, ſororem, & matrem?*

46. *Cur Chriſtus patris nō meminit.* AD explicandam magnam cum Chriſto propinquitatem, ſat erat dicere, Qui facit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, vel ſoror eſt, vel mater eſt. Ad quid hos tres gradus coniunxit? Chriſtus autem patris non meminit, quia carnali generatione patrem non habebat. Ad quæſtionem.

47. D. Greg. Reſpondet Primò, D. Gregorius magnus homil. 3. in Euang. Quod fideles dicuntur Chriſti fratres, cum ſint filii adoptionis Æterni Parentis cuius ipſe eſt filius naturalis. Sic enim eos Chriſtus appellat Ioan. 20. num. 17.

Ioan. 20. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Et cum fratres dicit, ſui cohæredes



hæredes appellat; nam fratribus competit eſſe cohæredes.

Rom. 8. *Hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8. num. 17. Sorores vocat propter ſexus diſtinctionem, quidam enim ſunt viri, quædam fœminæ; in Chriſto enim non eſt ſexus differentia, quia ibi non eſt maſculus, neque fœmina; Iudæus, nec Gentilis, ad Coloſſ. 3. num. 11.

Colloſſ. 3. Matrem verò ſuam etiam dicit eum, qui Chriſtum in ſe, & aliis docendo, hortando, conſulendo parit. Accipe D. Gregorium citato loco.

D. Gregor. *Sciendum nobis eſt*, ait, *quia qui Chriſti frater, & ſoror eſt credendo, mater efficitur prædicando, quaſi enim parit Dominum, quem corde audientis infuderit. Et mater eius efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.*

Beda. Euthym. S. Thom. Hugo. Idem docent Beda, Euthymius, S. Thomas, Hugo, & alij.

48. Præclarè tamen in his dubitabis: Cur inter obſequentes diuinæ voluntati, audientes, & facientes verbum Dei, vt ſcribit D. Lucas, qui prædicationis munus exercent, ſub matris nomine intelliguntur.

*Prædicare perfectionis apex.* Cur cum alij iuſti nomine fratrum, vel ſororum denotentur; prædicantes tamen locum matris, dilectionis apicem tenent, planum eſt enim, quod vehementior, ac robuſtior eſt filiorum amor in matrem, quàm in fratres, & ſorores. Inter eos, qui Dei voluntati obſequuntur, illos præclariores reor, qui diuinæ prædicationi, ac fidei propagationis vacant, & incumbunt. Eaque de cauſa diuinæ cognationis celſitudinem aſſequi, aſtrictiorique nexu Deo copulari dicuntur, cum parentum nomine denotentur. Chriſti Domini encomia decantat Regius Vates Pſalm. 44. eius

Pſalm. 144. verò titulus præfigitur: *Canticum pro dilecto.* Sed cum Chriſto Domino ſint infinita decoris ſplendidiſſimi nomina, *Vocabitur admirabilis, Deus fortis, princeps pacis*, &c. Cur hic tantum dilecti nomine inſcribitur? Introducitur hic Chriſtus Dominus omnium doctor, ac prædicator, hæreſes, ac idololatrias mira ſuauitate proſternens: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, verſ. 3. Efficaci etiam acrimonia: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.*

*Prædicator dilectus à Deo.* Et cum ad prædicandum deſtinaretur, inter infinita nomina nullum illi aptius adaptatur, quàm dilecti appellatio, maximè enim dilectus eſt à Deo, qui totus proximorum ſaluti intentus eſt. Vide ſuprà cap. 18. num. 65. & tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæſt. 13. num. 36.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare hos tres gradus fratris, ſororis, & matris poſuit Chriſtus Dominus?*

49. RESPONDEO primò, & eſt germana ſolutio ſæpius repetita. Voluit Chriſtus Dominus præponere cognationem ſpiritualem carnali; & ideo expreſſit eam, quæ ſolet eſſe propinquiſſima, matrum, fratrum, ſororum. Secundò, patefacit hoc modo, quod nobis plura donat, quàm à nobis expectentur. Annuntiatum eſt enim illi: *Ecce mater, & fratres ſtant foris:*

*Deus plus honoris nobis exhibet, quàm expectamus.* Ipſe verò extendens manus in diſcipulos ſuos, non ſolùm eos dicit matrem, & fratres, ſed addidit & ſororem. Plura recognoſcens cognationis vincula in ſuis diſcipulis, quàm in illis, qui ei denuntiabantur, cum de ſororibus faciat mentionem, quod illi non erat expoſitum.

50. Tertiò, Domino ſcopus in hac re fuit, oſtendere, quàm impensè diſcipulos ſuos adamaret: nam cum apud ſæculum nulla robuſtiora dilectionis argumenta reperiantur, quàm affectus in parentes, & germanos, voluit indicare, maiorem eſſe

*Deus maximè diligit iuſtos.* erga diſcipulos ſuos charitatem, cum eos non ſolùm vt fratres, nec ſolùm vt ſorores, nec ſolùm vt matrem reputaret, ſed omnes ſimul cognationis affectus in ſuos transfunderet: ita enim complacet, ac delectatur in ſuis electis, vt in eis ſimul omnia cognationis iura recognoſcat.

51. Quartò, diſtributiuè poterit explicari. Quidam enim dicuntur fratres, alij ſorores, alij verò locum tenere matris; ſicut vna erat mater, & alij fratres, vt innueretur, quod in dilectione, ac honore non omnes ſunt æquales, ſed iuxta proportionem meritorum, ita & præmia diuidenda: quidam in dilectione ſunt vt fratres; quidam vt mater: ita & in retributione tali præmio remunerantur.

*Præmia danda iuxta merita.*

52. Apoc. 6. Prouerb. 31. De ſanctis martyribus dicitur: *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.* Apoc. 6. num. 11. De domeſticis verò mulieris fortis ſcribitur: *Veſtiti ſunt duplicibus.* Prouerb. 31. num. 21. Cur inclytis illis athletis non duplices, ſed ſingulæ ſtolæ dantur, vt notauit D. Bernard. ſerm. 3. Omnium ſanctorum.

D. Bernard. *Acceperunt*, ait, *iam ſingulas ſtolas, ſed non veſtiuntur duplicibus.* Domeſtici autem mulieris, ſeu Eccleſiæ ſanctæ duplicatas habent veſtes. Quid in his ad tot ornamenta pluſquam in illis? Hugo.

Hugo. *Duplex veſtis*, inquit, *eſt hyemalis, & æſtiualis. Veſtem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluuiam, & grandinem tentationum, & perſecutionum: huiuſmodi ſunt patientia, manſuetudo, humilitas, & alia id genus. Æſtiualem dico virtutes, quibus tempore pacis, & tranquillitatis vacatur bonis operibus, & contemplationi, qualis eſt charitas, pietas, deuotio, ſapientia.*

*Honores diſtribuantur proportionatè ad merita.* Duplex veſtis reſpiciebat duplex genus virtutis. Primò illud, quod cernitur in aduerſitatis perſecutione. Aliud genus eſt, quod apparet in tranquillitate, vt contemplatio, pietas, charitas. Inclyti athletæ virtutibus reſplendebant, ad perſecutiones ſuſtinendas, vnáque illis conueniente ſtola exornantur. At domeſtici Eccleſiæ, eius cibis enutriti, virtutibus radiabant, tam ad contentionis, quam ad pacis tempus: aptiſſimè ſtolæ, vt honoris exornamentum, illis multiplicantur, vt qui tot virtutibus radiarunt, geminatis ſtolis fulgeant. Vide ſuprà cap. 16. num. 81. & 82.

# CAP. XXVI.

## *Exijt Seminator.*

*Lucæ* 8. *n.* 4. Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properaret ad eum, dixit per ſimilitudinem.

VER

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quum autẽ multa turba coacta eſſet, & ex omnibus ciuitatibus conuenirent ad eum, dixit per parabolas.

*Vatablus.* Et paſſim è ciuitatibus properarent ad eum.

*Pagninus, Euthymius.* Et è ſingulis ciuitatibus properarent ad eum.

*Arias.* Conueniente autem turba plurima, & ſecundum ciuitatem aduenientibus ad eum.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.*13.*n*.2. Congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam aſcendens ſederet, & omnis turba ſtabat in littore, & locutus eſt eis multa in parabolis, dicens.

*Marc.*4.*num*.1. Et iterum cœpit docere ad mare, & congregata eſt ad eum turba multa, ita vt nauem aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram erat.

### *EXPOSITIO I.*

1. POST explicata, quæ retulimus ſuperiori capite, D. Matthæus, & D. Marcus hic referunt aliquas parabolas, quæ conuenienter connectuntur hoc loco. Finita ſuperiori concione in domo, ab illa exiuit Chriſtus Dominus, vt patet ex D. Matthæo, fortè, vt ſe, ſuoſque cibo, ac quiete aliqua reficeret, vt notat Lucas Burgenſis in Matth. Tamen cum videret multam turbam, ex omnibus ciuitatibus ad doctrinam eius confluentem, omiſſa propria quiete, vt omnium præſulum exemplar, cum eſſet iuxta mare, aſcendit nauim, ibique tanquam è ſuggeſtu habuit hanc concionem, populo remanente in littore, vt exprimit D. Marcus.

Burgenſ.

2. *Cum turba plurima.* Non electi, ac ſuperbi principes, at humilis turba Chriſtum ſequitur; & ideo ipſa turba multum æſtimabatur à Domino, magnique eam faciebat. Vnde iuxta D. Lucam 9. num. 18. *Interrogauit Diſcipulos ſuos, dicens: Quem me eſſe, dicunt turbæ?* Non iudicium principum, qui eum maximè odio habebant, ſed turbæ ſententiam quærit, quæ ſimplex, & bene affecta illi erat. *Conuenirent*, ait, quod quendam vnionis modum innuit, ſine qua non inuenitur Chriſtus. *Et è ciuitatibus properarent ad eum.* E ciuitatibus, nempe Galilææ. Et quamuis ex montibus, ac ruribus multi confluerent ad Dominum, tamen exprimit è ciuitatibus, tanquam notatu valde dignum, quod ex illis homines quærerent, & ſcrutarentur veritatem. *Properarent*, quod diligentiam denotat: non deſidia, ſed ſedulitate res noſtræ ſalutis peragenda eſt. *Dixit per ſimilitudinem.* Cum diuinus Magiſter populi animum tam bene diſpoſitum, ac præparatum vidiſſet, tam bonam occaſionem nactus non omittit, ſed ſuos auditores per varias parabolas, ac ſimilitudines Syriaco more docet.

*Luc.9. Turba ſimplex æſtimabatur à Chriſto.*

*Res ſalutis agenda cum diligentia.*

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus Dominus per parabolas, ac ſimilitudines loquebatur, ac docebat?*

PLVRIMA Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis, ac turbis locutus eſt planè, & ſine parabolis. 3. Quod optimè probat D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. ex præſenti textu Matthæi: *Locutus eſt eis multa in parabolis.* Non omnia, ait Paſchaſius, ſed multa. Frequenter tamen Dominus loquebatur in figuris, ſicut & Prophetæ. Et ita explicat Abulenſis quæſt. 7. id, quod ſcribit Marc. 4. n. 34. *Sine parabolis non loquebatur eis.* Cur tales figuras, ac metaphoras adhibet Dominus? Cur non potius ad ſimplices turbas ſimpliciter, ac planè loquitur? Multis de cauſis Spiritus ſanctus id inſtituit, vt docet D. Chryſoſtomus homil. 33. in Ioannem.

D. Paſchaſ. Abulenſ. Marc. 4. D. Chryſoſt.

Reſpondet Primò D. Auguſtinus Epiſt. 119. ad Ianuarium. 4. *Plus*, ait, *mouent figuratè dicta, & accendunt amorem quàm ſi nuda, & ſine vllis ſacramentorum ſimilitudinibus ponerentur. Cuius rei cauſam, difficile eſt dicere. Sed tamen ita ſe habet vt aliquid, per allegoricam ſignificationem intimatum, plus moueat, plus delectet, plus honoretur, quàm ſi verbis propriis diceretur apertiſſimè.* Et D. Chryſoſtomus citata homil. 33. *Quid*, inquit, *ſibi volunt hæ tranſlationes, quibus, non hic tantum, ſed per totum vtitur Euangelium Chriſtus? Itidem & Prophetæ iis plurimum vti ſolent.* Ad quod inter alia ſic reſpondet. *Vt iucundior eſſet narratio, & diutius animo immoraretur.* Valde enim gratæ ſunt audientibus rerum, de quibus tractatur, cum aliis ſeminibus collationes: hunc ergo dicendi modum frequenter tenuit diuinus magiſter, vt facile adſtantes ineſcaret, ac ad ſe, & ad ſalutem alliceret.

D. Auguſt. D. Chryſoſt. *Parabolæ proponuntur ob ſermonis iucunditatè.*

Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. 5. *In parabolis*, ait, *Chriſtus loquitur, vt tenacius memoriæ, quæ dicuntur, commendari poſſint & expreſſior propter ſimilitudines ſermo res ipſas ante oculos ponat.* Pondera verba S. Patris. *Vt tenacius commendari poſſint.* Quæ enim appoſita aliqua ſimilitudine dicuntur, altius menti imprimuntur, diutiuſque cordi inhærent. Cum ea, quæ ad ſalutem hominum pertinent, facile è memoria excidant, rerum ſimilitudinibus vtitur Chriſtus, vt illa diutius in nobis fixa remaneant.

D. Chryſoſt. *Vt tenacius menti imprimerentur.*

Tertiò, Hugo de S. Victore lib. de Arca, & Noë. 6. *In lege*, ait, *Prophetis, & in Euangelio Dominus per parabolas, & ænigmata locutus eſt. Dignum eſt enim, vt ſub verborum figuris abſcondantur ſecreta myſticorum intellectualium, quia citò*

Hugo.

*vileſce*



*vileſcerent, ſi paſſim omnibus paterent: ita enim veritas & per inquiſitionem fideles exercet, & ne ab infidelibus inueniatur, occulta permanet. Iſtos, dum difficile inuenitur, maiori deſiderio inflammat; illos, dum omnino inueniri non poteſt, excæcat.* Celebris fuit mos in diuina Scriptura ſacra myſteria tropis, & ænigmatibus occultare, vt ipſa diuina arcana eſſent in maiori æſtimatione, ac veneratione. Deinde vt boni magno deſiderio ad ipſam ſcrutandam inflammarentur; & vt impij excæcati à tam ſuperna cognitione excluſi remanerent. Quam rationem hic inſinuat infrà Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis. *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant.* Non enim altiora ſecreta omnibus ſunt aperienda; nec omnia omnibus dicenda. Vide ſuprà cap. 24. num. 17.

*Diuina arcana turbis occultanda.* *Non omnibus omnia dicenda.*

7. Quartò, D. Hieronymus in cap. 12. Matth. *Familiare eſt*, ait, *Syris, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere.* Hinc & frequenter Prophetæ in ſuis libris figuras apponunt. Dauid ait Pſalm. 77. num. 2. *Aperiam in parabolis os meum.* Et Salomon Prouerb. 1. num. 6 *Animaduerte parabolam, & interpretationem.* A communi more ſuæ gentis non deuiat Dominus, ſed vſitatam methodum ſuorum auorum, ac maiorum tenet, & amplectitur. Vide ſuprà cap. 11. quæſt. 9. num. 55. & tom. 1. lib. 2. cap. 10. quæſt. 5. num. 16. & tom. 2. cap. 9. quæſtione 3. num. 17. & 18.

D. Hieron. Pſal. 77. Prouerb 1. *Morem ſuæ gentis quilibet ſequatur.*

8. Quintò, idem D. Hieronymus citato loco ſubiungit, reddens rationem, cur Palæſtini tropis, ac ſymbolis vterentur, *Vt quod per ſimplex præceptum*, ait, *teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem, exempláque teneatur.* Et D. Cyrillus in Ioan. cap. 62. *Figuræ intellectualium*, ait, *hæc corporalia ſunt, quæ, cum ſentiantur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix poſſumus intelligere.* In ſuis ſermonibus apponit Dominus has figuras, vt ſententiam, ac doctrinam ſuam magis exprimat, altiúſque explicet, atque declaret, vt his terrenis figuris abſconditas ſpirituales res aperiat, ac patefaciat.

D. Hieron. D. Cyrill. *Doctrina maximè explicanda.*

9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam.* Prouerb. 9. num. 1. Cur in hac ſplendida menſa non ponitur vinum purum, ſed miſtum? Quid in hac miſtione denotatur? Vocabantur ad hanc menſam paruuli, & inſipientes: *Si quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt.* Sicut enim vini liquor denotat abditam, altámque doctrinam frequenter in Scriptura; ſic fluuiales latices terrenas, ac temporales res. Apponit ergo ſapientia in menſa ſua vinum miſtum, nempè abdita, & abſtruſa myſteria terrenis, & temporalibus ſymbolis permiſta; vt ita paruuli propinare, intelligere, ac capere valeant. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 3. ad Timotheum lectorem. *Quidnam illud ſibi velit*, ait, *Sapientia miſcuit vinum ſuum? Quidque cauſæ ſit, quamobrem non purum illud propoſuerit? Paucis verbis multa accipe. Diuina, & natura ſubliniora documenta corporeis ſermonibus, & exemplis temperauit: neque enim fieri poterat, vt alia ratione ea intelligeremus. Quapropter diuinarum cogitationum, ac terrenarum verborum coniunctionem, mixtionem, & temperationem haud abs re appellauit.*

Prouerb. 9. *Alta myſteria terrenis comparationibus exprimenda.* Peluſiot.

10. Sapientia, cum ædificat domum, ac ponit menſam, ſua recondita, ac abdita reſerat, ac manifeſtat. Qui autem ea, quæ capit, & penetrat, in medium non profert, ac ſi eſſet inſciens, & veluti non intelligens communiter reputatur. Pertractans Chriſtus Dominus de vltima die iudicij ait: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius.* Marc. 3. num. 32. Communis dubitatio: Quomodo dicitur, quod neque filius, cum Chriſtus Dominus, vt Deus, & vt homo per ſcientiam infuſam optimè ſciat articulum diei iudicij? Communis etiam ſolutio Chryſoſtomi, Origenis, Bedæ cum D. Auguſtino lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 61. *Neque filius ſcit ad reuelandum, atque dicendum.* In diuino magiſtro ſunt omnes theſauri ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei; tamen cum ipſe non aperit, ac explanat ea, quæ cognoſcit, & apprehendit, de ipſomet aſſeritur, quod neque ipſe ſciat. Cum quilibet ea, quæ mente tenet, in publicum non eructat, vulgari modo quoad homines tanquam inſciens reputatur; apud illos enim parum diſtat inſcientia ab abſcondita intelligentia.

*Qui non profert intellecta, inſciens reputatur.* Marc. 3. Chryſoſt. Origen. Beda. D. Auguſt.

*Lucæ* 8. *n*. 5. Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Exiit ſeminator ad ſeminandum ſemen ſuum.

*Græcus.* Exiit, qui ſeminat, ſeminans ſemen ſuum.

*Arabicus.* Ad ſeminandum ſemen ſuum.

*Vatablus.* Et inter ſeminãdum, aliud cecidit circa viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli deuorauerunt illud.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.*13.*n*.3. Ecce exiit, qui ſeminat, ſeminare; & dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

*Marc.*4.*n*. 3. Audite: Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum; & dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt.

*EXPO*

## EXPOSITIO II.

11. D. Machæus. D. Marcus.

MATTHÆVS, & Marcus ponunt particulam *Ecce* ad denotandam rem magnam, & notatu dignam, quod hic bonus paterfamilias exierit è domo ſua in agrum, ſcilicet in totum mundum, vt explicat Hugo, ad ſeminandum. *Qui ſeminat*, id eſt ſeminator, vel ſeminans, iuxta varias lectiones. Hic autem ſeminator eſt Chriſtus Dominus iuxta D. Athanaſium homil. de ſemente. D. Antonium Vlyſſipponenſem homil. in Sexag. Iuxta D. Marcum dicitur *Seminans ad ſeminandum*: Seminans quidem quaſi continuo ſeminans: quia hic diuinus ſator nunquam ſeminare deſtitit; nam in exordio mundi ſeminauit verbum in cordibus hominum per naturale lumen, ac etiam per ſupernaturale fidei lumen reuelando myſteria: Per Moyſen ſeminauit dando Legem. Vltimò ſeminauit, dum ipſe è cælo egreſſus venit in mundum, ac per ſe ipſum, per ſuos Apoſtolos, Magiſtros, ac Doctores prædicat vſque finem mundi Euangelium. Ecce quomodo nunquam ille à negocio noſtræ ſalutis amouet manum. *Semen ſuum*, ſcilicet doctrinam, ac verbum ſuum.

Hugo. D. Athanaſ. D. Ant. Vlyſſ. D. Marcus. *Deus nunquam amouet manum à negocio noſtræ ſalutis.*

12. *Dum ſeminat*, Spargit ſcilicet ſuum ſemen, cum velit, omnes homines ſaluos facere, æqualiter intendit ſuum ſemen in omnes diffundere, vt fructificarent. Si autem non omnes æqualiter ferunt fructum, non prouenit hoc ex defectu eius, ſed ex malitia terræ, ac vitio noſtro. *Aliud cecidit*. Preme verbum ad conſiderandam magnam huius diuini ſeminatoris liberalitatem: Non dicitur, miſit, vel diffundit ſemen, ſed, cecidit; tam largè, ac magnificè nobis dat, ac communicat ſua, acſi è manibus eius cadant; id eſt ſua tribuit ſine retributionis ſpe. *Secus viam, & conculcatum eſt.* Solent viatores, ex aliquo in via obſtaculo interiecto, ne eorum greſſus impediantur, marginibus agrorum ſcandere; & tunc conculcantur grana recenter in terra proiecta. *Et volucres cæli*, ſcilicet aeris, *comederunt illud*, ſeu *deuorauerunt*. Duo incommoda: Conculcatur triticum; inde alterum damnum emergitur, vt ſit deuoratum, atque conſumptum, nihilque illius ſaluum ſuperſit. Semper mala cateruatim ruunt. Vide cap. 21. num. 51. & 52.

*Largè Deus munera ſua largitur.* *Ex vno damno alterum ſequitur.*

## QVÆSTIO II.

### *Quis fuerit ſcopus, ac finis huius parabolæ?*

13. IN hac parabola proponenda multiplex fuit finis, ac ſcopus Chriſto Domino multaque nobis in ea inculcare intendit. Primò D. Chryſoſtomus homil. de terræ motu. *Exiit*, ait, *qui ſeminat, ad ſeminandum; & quædam ceciderunt ſecus viam, quædam ſuper petram, quædam ſuper ſpinas, quædam in bonam terram. Tres partes perierunt, & vna ſeruata eſt, nec ab agricultura deſtitit; ſed quia vna ſeruata eſt, agrum colere non ceſſauit.* O mira Chriſti charitas! ita diligit, ac æſtimat vnam animam iuſti, acſi omnes comparaſſet: ita mittit manum ad aratrum, ſeque innumeris pro vnius animæ ſalute laboribus ſubiicit, ac ſi omnes eſſet acquiſiturus; tam ſedule exiit, cum ſciret, omiſſis tribus partibus vnam tantum eſſe ſeruandam, acſi omnes lucrifaciendæ forent. *Qui dilexit me, tradidit ſemetipſum pro me.* Ad Galat. 2. num. 20. Non ait, tradidit ſemetipſum pro omnibus, ſed pro me. Perbellè Chryſoſtomus. *Neque enim recuſaturus erat Chriſtus*, ait, *vel ob vnum tantam exhibere diſpenſationem, adeo ſingulum quemquem hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuerſum.*

D. Chryſoſt. *Deus diligit vnius ſalutem inſtar omnium.* Ad Galat. 2. D. Chryſoſt.

14. Secundò. Cardinalis Hugo. Ne Diſcipuli fierent deſides: nam quamuis magna pars ſegetis abiret in perditionem; tamen ne inde ſumerent Diſcipuli occaſionem deſiſtendi ab agricultura, ac prædicatione verbi Dei. Tertiò. Carthuſianus ait. Non omnes, qui audituri erant prædicationem, credituros fore; ſicut non in omnibus terræ partibus ſuſceptum ſemen ſuas radices propagauit. Quartò. Non omnes, qui credunt, in fide perſeuerant, ſed aliquot perſecutione ſuperuenienti recedunt; ſicut ſemen, in terra petroſa germinans; illico ad ſolis ardorem areſcit. Quintò. Non omnes, qui in fide perſeuerant, fructum bonorum operum, ſuccreſcentibus ſuis peccatis, proferunt; ſicut ſemen in terra, alias bona, magnopere progerminans, exortæ ſpinæ ſuffocant, ne fructum producat.

Hugo. *Ob vnius iacturam ab agricultura non deſiſtendum.* Carthuſ. *Homines ob ipſorum culpam fructum non ferunt.*

15. Sextò. Denotatur, quod hæc fiunt, non vitio ſeminis, id eſt doctrinæ, ſed terræ, id eſt auditorum culpa, illaque varia. Scilicet quædam ob viam quædam ob petras, quædam ob ſpinas: petra eſt caro, ſpina mundus, via trita, ſæcularis, & licentioris vitæ modus. Volucres cæli, id eſt dæmones, veluti aues velociſſimæ, animarum valde voraces, ſemen iactum, doctrinam ſcilicet prædicatam, è memoria, ac mente abripiunt, homineſque auertunt à conſideratione, ac penetratione doctrinæ auditæ. Septimò. Aliqui, ſemen, id eſt doctrinam, in terra bona, hoc in corde bono ſuſcipiunt, qui illam ruminare norunt, in eaque proficiunt, cum totis viribus virtutum executioni, ac perfectioni incumbant.

*Homines non ferunt fructum ob ipſorum culpam.*

16. Octauò. Perpende ex hac parabola ſummam Dei liberalitatem, ac magnificentiam. Præuidebat tres partes malas, ac ſteriles futuras; vnam ſecus viam, alteram petroſam, ſpinoſam aliam; & præter has vnam tantum bonam: & tamen æqualiter diffundit ſuum ſemen; ſua beneficia in malas partes, ac in vnam bonam. Hic eſt diuinus Pater, qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos; boni vt meliores euadant; mali vt beneficiis emolleſcant, ac conuertantur à viis ſuis peſſimis.

*Deus bona ſua largitur bonis, & malis.*

17. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum, qui inde diuidebatur in quatuor capita.* Gen. 2. num. 10. Fons ille, paradiſi in quatuor fluuios partitur; vnus Phiſon, qui circuit terram Heuilath; quæ iuxta multos ſita erat inter Syriam, & Palæſtinam; ſecundus Gehon, qui fœcundat Æthyopiam, ac Ægyptum; tertius Tigris, qui vadit inundans per Aſſyrios, & Chaldæos; quartus Euphrates, qui conterminus eſt Terræ promiſſionis. Sed cur Paradiſi aquæ non ſolum diffunduntur, ac irrigant Promiſſionis terram, in qua electi Dei verſabantur; ſed etiam Ægyptios, Chaldæos, & Aſſyrios idololatras, ac crudeles Dei hoſtes, ac illius Populi electi? Hæc eſt ſumma Dei benignitas, quod non ſolum amicos, ſed etiam inimicos ſuis Paradiſi aquis irrigat; non ſolum piis, ſed etiam impiis ſua dona communicat, ac largitur. Theophylactus in cap. 5. Matth. ad finem ait:

Geneſ. 2. *Deus piis, & impiis ſua bona communicat.* Theophyl.



ait: *Deus ſua doctrina omnes, tam bonos, quam malos illuſtrat, & docet.*

18. Conditis Primis Parentibus, *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini.* Gen. 1. num. 28. Cur hominum multiplicationem, quos peccatores futuros benè nouerat, ſic exoptat? Nónne ſat erat, Primos Parentes creare? Ad quid vult eorum filiorum generationes, cum ex eis multi peccatores eſſent produituri? Ideo totius humani generis multiplicationem determinàt, vt pluribus, eſto iniquis, poſſet ſua dona elargiri. Ferus. *Hoc verbo*, ait, *oſtendit, ſibi non ſatis eſſe, vni homini benefacere, ſed plures habere vult, quibus benefaciat.*

Gen. 1. *Deus vult multos, quibus benefaciat.* Ferus.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Satori ſe Chriſtus Dominus comparat?*

19. SATOREM *iſtum*, ait Beda, *nullum melius, quam filium Dei intelligere poſſumus, qui de ſinu Patris egreſſus eſt.* Hæc eſt communis intelligentia cum D. Athan. Hieronymo, Paſchaſio in Matth. quam ſecutus ſum in expoſitione. Chriſtus Dominus egreſſus eſt à Patre in mundum, non ad triumphandum, ſed ad ſerendum ſemen ſuæ doctrinæ, ac ſalutis noſtræ. Præcepit Deus filiis Iſraël, ſibi immolari agnum, & ait: *Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus.* Exod. 12. num. 5. Vbi nos habemus *ſine macula* legunt Septuaginta, & Arias *perfectus*. Si agnus perfectus dicitur, ad quid ſubnectitur *maſculus*; fieri enim non poteſt, vt ſit agnus perfectus, abſque eo quod in maſculino ſexu conſiſtat? Rectè tamen dicitur maſculus, & perfectus, tanquam iam in bona ætate; adumbrabat enim Chriſtum Dominum. D. Cyrill. in Catena Græca. *Erat agnus*, ait, *ſine macula, & perfectus propterea quod typus erat, cui nihil deſideratum eſt ad perfectionem, qui mas omnino fuit nobis infundens diuinitatis ſemina humani generis per Euangelica præconia Deo, & Patri exculta.*

Beda. D. Athan. D. Hieron. D. Paſcn. *Chriſtus venit ad ſeminandum ſalutem in nobis.* Exod. 12. Septuag. Arias. Cyrill.

20. Secundò, D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in Euang. ait: *Seminator eſt Chriſtus, vel prædicator iſte; ſemen eſt verbum.* Nam ſicut Sator effundit ſemen ſuper terram; ſic & concionator doctrinam in auditores. Et ſicut bonus Sator terræ, cælique ingenium obſeruat, ne importune ſemina ſua amittat; ſic & bonus prædicator auditorum diſpoſitionem, ac opportunitatem præmeditatur, ne ſuo labore fruſtretur, fructuque careat. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.* Amos 5. num. 13. Sed quomodo tacendum eſt à prædicatore, cum Iſaias dicat 58. num. 1. *Clama, ne ceſſes, exalta quaſi tuba vocem tuam.* Cum ex prædicatione prouentus ſperatur, tunc vocibus inſtandum; cum vero illius nulla eſt ſpes, ſed potius peccata aggrauantur, tunc prudenter ceſſandum. Lyranus ad citatum locum Amos. *Prudens tacebit, cum videat, eam prædicationem non eſſe ad emendationem, ſed magis ad peccatorum aggrauationem.* De quo multa habes tom. 1. & 2. Verb. Prædicator.

D. Anton. Vlyſſippon. *Prædicator obſeruat opportunitatem ad prædicandum.* Amos 5. Iſai. 58. Lyran.

21. Tertiò, Cardinalis Hugo ait, quod Sator iſte eſt Deus Pater; ſemen autem increatum eſt Dei filius, de quo dicitur Gen. 22. num. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Hoc ſemen ſeminauit Deus Pater in terram optimam, ſcilicet B. Mariam, de qua Deuteron. 8. num. 10. dicitur: *Benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Pſalm. 84. num. 13. *Dominus dabit benignitatem*, ſcilicet filium benignum; *& terra noſtra dabit fructum ſuum.* Hoc autem ſemen benedictum ſeminatum eſt per Apoſtolos ſpiritualiter in toto mundo. In terra bona, in his nempe, qui faciunt fructum: & in alia etiam terra, & ſuffocatur à ſpinis, nempe à deliciis, vel iniquis prælatis: Seminatur etiam in alia terra petroſa, nempe in corde ſuperbo, & indeuoto: & in alia etiam terra ſecus viam, nempe plena curis, ac ſolicitudinibus, & non fert fructum. Ita ferè citatus Hugo.

Hugo. Gen. 22. Deut. 8. Pſalm. 84.

22. Quartò, pulchrè D. Chryſoſtomus in cap. 10. Luc. num. 2. ad illa verba. *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Sic diſſerit Chriſtum eſſe ſeminatorem, & ait: *Vocat Euangelium meſſem: quaſi dicat: parata ſunt omnia; mitto vos ad paratam collectionem frugum; eodem die & ſerere poteſtis, & metere.* Chriſtus ſeminator, Apoſtoli operarij, qui introierunt ad percipiendos fructus meſſis. Agricola multo ſui vultus ſudore terram præparat, ſtercorat, vepres amouet; hyberno ſub frigore vomere aperit glebam terræ, zizaniam euellit, ac naſcentia expurgat tritica. At qui congregat fructus, maxima lætitia perfunditur in die meſſis, *ſicut exultant victores capta præda.* Chriſtus ergo ſibi reſeruat labores arandi, ac patiendo ſeminandi, quod in agricultura durum eſt: nobis verò concedit gaudium, & lætitiam percipiendi fructus in gratia, & gloria. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Ioan. 4. num. 38.

D. Chryſoſt. *Chriſtus ſibi dura, nobis vero gaudia reſeruat.* Ioan. 4.

23. Cum meus Ieſus in Cruce penderet, de illo Paulus ad Hebr. 5. num. 7. ait: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt.* Sed ad quid tantus clamor, tanti lachrymarum imbres, tot, ac tantæ preces? Nunquid ſupplicabat, vt à Cruce, clauis, ac à morte liberaretur? Minimè, ſed vt nos à dæmonis poteſtate liberaremur. Preſſuras, ac anguſtias crucis, paſſionis, ac mortis, ſibiipſe elegerat, in eiſque maximè complacebat: viuificum vero ſuæ paſſionis fructum in nos deriuari, tot rogationibus, ſuſpiriis, ac lachrymis deprecabatur. Primaſius. *Dicitur autem*, ait, *Ieſum fudiſſe preces, ſupplicationeſque cum lachrymis, non timore mortis, quam ſponte ſuſcipiebat: ſed cauſa noſtræ ſalutis.*

Hebr. 5. *Chriſtus ſibi dolores, nobis vero fructus elegit.* Primaſ.

24. Stabat omnium Redemptor affixus in Cruce, & propria voce teſtatur: *Sitio.* Ioan. 19. num. 28. Tamen cum obiiſſet, aperto eius latere, *Continuo exiuit ſanguis, & aqua.* Si abundantiam aquarum habebat in corde, quomodo tam vehementi ſiti torquebatur? Sibi ſitis cruciatum, ac anguſtiam elegit; ad nos tamen recreandos, & abluendos, profluentes latices è pectore emiſit. Perbellè D. Arnol. Carnot. Tract. de ſeptem verbis Domini, in verbum *Sitio*, ſic ait: *Mirum dictum, tremendum relatu, profluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet, & ipſe mundum irrigans, & fœcundans de ariditate cauſatur.*

Ioan. 19. *Sibi ſitim, ad nos vero recreandos aquarum fontes.* Arnold.

* * *

## QVÆSTIO IV.

*Quare dicitur, quod ſator iſte exierit?*

25. SATOR iſte Chriſtus Dominus eſt, vt iuxta communem ſenſum dixi. Dicitur autem exiiſſe, vel ſecundum quod homo, vel ſecundum quod Deus. Secundum quod homo exibat de loco in locum. Sic ait D. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Exiuit de domo ſua, qui ſeminat verbum Dei, vt ſeminaret in turbis.* Secundum autem quod Deus, non poterat exire localiter, cum vbique ſit, cum aliquid nouum ei aduenire non poſſit. Exiuit tamen circa nos aliquid nouum faciendo, & carnem aſſumendo, quæ prius aſſumpta non erat. Sic ait Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. *Vnde exijt, qui vbique præſens eſt, qui omnia replet? aut qualiter nam exijt? Certe non loco, ſed habitudine, atque Incarnationis diſpenſatione propinquior nobis factus.* De his latius Abulenſis q. 8. Dicitur autem exire, ſeruata analogia ad parabolam: nam ſator exiit de domo in agrum ad ſpargenda ſemina. Ad moralem ſenſum veniamus.

D. Hieron. *Exijt Chriſtus.* — D. Chryſoſt. — Abulenſis.

26. Primò Rabanus. Quia *Relicta Iudæa, per Apoſtolos ad gentes tranſiuit.* Secundò Chryſoſtomus citatus. *Quia nos*, ait, *ad ipſum venire non poterimus, peccatorum maceria ingreſſum, atque aditum prohibente, ipſe ad nos egreditur.* Peccatis retardati ad Deum aſcendere non valebamus. Ipſe verò ſe demittit, atque ad nos deſcendit, noſtræ imbecillitati ſe accommodans, nos quærens, vt nos erigat, ac ſubleuet. Tertiò Theophylactus. *Ad quid faciendum exijt?* ait, *num vt exureret terram propter ſpinas? num vt puniat? minimè, ſed vt ſementem faciat.* nam vt ait Chryſoſtomus, homil 45. ſæpius exiit ſeminans ad aliam rem quam ad ſeminandum, vt ſcit nouales ſcindat, vt perniciosas herbas amputet, vt vepres euellat, at hic diuinus ſator non egreditur ad perdendum, nec ad comburendũ; ſed vt miſereatur, & vt iacto ſemine ſuo, ſcilicet doctrina diffuſa fœcundet terrã, ac fertilem faciat in vberes fructus religionis, ac pietatis.

Rabanus. D. Chryſoſt. *Chriſtus nos quærit.* — Theophyl. *Chriſtus non ad perdendũ, ſed ad miſerendum venit.*

27. Quartò D. Bonauentura. *Exijt ſcilicet de domo ad agrum, hoc eſt de quiete ad laborem. Exibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Pſalm. 103. num. 23. Optimus Princeps, omnium præſulum exemplar, omiſſa propria quiete, ac otio, exiit ad frigus, gelu, ac laborem, vt panem, ac fructus colligat, vt ſui comedant, ac ſaturentur. Sic prædicator à mundanis rebus, ac ſæcularibus cogitationibus exeat, & totus vacet Deo, ac diuinis rebus, vt fructum ſalutis in animabus ferat. Pro quo habes multa tom. 1. & 2. Verb. Prædicator.

D. Bonauent. — Pſalm. 103. *Bonus præſul exeat à quiete ad laborem.*

28. Quintò. D. Bernardus ſerm. de S. Benedicto. *Seminauit filius*, ait, *ipſe eſt enim, qui exijt ſeminare ſemen ſuum. Pater enim non exijt, ſed filius à Patre proceſſit, & venit in mundum, vt qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in vtero matris.* Secundum Incarnationis diſpenſationem exiuit Dei filius à Patre, & venit in mundum, vt in nobis ſemina ſuæ bonitatis ſeminaret, nobiſque ſua beneficia communicaret, & vt ille, qui Patris imago erat, fieret pax noſtra. Si tamen ipſe in ſeſe cohibuiſſet, quin tantam pietatem aſſumpta carne nobis communicaret, vt fieret pax noſtra, minimè tanta eius bonitas, ac celſitudo à nobis agnoſceretur. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. quæſt. 39. numer. 104. & 105.

D. Bernard. — *Beneficentia tunc cognoſcitur, quando communicatur.*

29. Sextò. Hugo. *Exijt*, ait, *qui habet officium ſeminandi, vt ſeminet.* Qui fruitur officio, abiiciat delicias, & quietem; non ſe contineat clauſus in domo, ſed egrediatur, vt onera ſui muneris adimpleat, illiſque ſatisfaciat. De Moyſe ait Apoſtolus ad Hebræ. 11. num. 24. *Moyſes grandis factus negauit ſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Moyſes diuini ſpiritus ductu delicias, ac affluentes Ægyptiorum diuitias contempſit, vt ſuæ dignitatis ſpecimen daret, ſuiſque ſubditis conſuleret. Pro quo compone locum Apoſtoli cum eo, quod quando Moyſes egreſſus eſt ad fratres ſuos, & videns duos Hebræos rixantes, regia auctoritate reprehendit iniuriam facientem, qui dixit ad illum: *Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos.* Exod. 2. num. 13. Quem eleganter pungit Chryſoſtomus homil. 15. in Epiſt. 2. ad Corinth. *Etenim Moyſes*, ait, *propter ſubditos tantas diuitias, & ineffabiles theſauros dereliquit, eligens magis affligi cum populo Dei, propterea inſipientiſſimè dicebat ad illum Hebræus quidam:* Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? *Quid dicis? Opera vides, & de nomine controuertis?* Preme vltima verba. Ac ſi eleganter dicat. Vides hominem, ſuum otium, gazas, ac illecebras ſuas deſpicientem pro aliorum ſalute, & commodo; & tamen dubitas, habere illum animum principis, ac ducis; valdè inſipidè te habes. Vide hoc tom. 1. & 2. Verbum Officium.

Hugo. — Hebræor. 11. — *Pro munere officij omnes deliciæ contemnendæ.* — Exod. 2. D. Chryſoſt.

30. Septimò. Non expectat bonus iſte ſator vocari, ſed ipſe ſpontè exiit ad ſeminandum, ad dona ſua nobis communicanda, vt ſe maximè promptum, ac paratum in noſtram ſalutem declaret. Dicebat Pharao ad Moyſen, vt rogaret ad Dominum pro auferendis ranis à ſe, & à populo ſuo. Tunc ait Moyſes Pharaoni. *Conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te.* Exod. 10. num. 9. Multoties mentitus fuerat Pharao. Cur ergo pro his eum non arguit Moyſes, ſed electioni eius committit tempus, quando deprecandum ſit? Et ita confidis, magne dux, quod pro tempore conſtituto Deus illico exaudiet, ac optatis tuis annuet? Sciebat Moyſes, Deum tam promptum eſſe in noſtrum auxilium, vt nulla eſſet inter effuſas preces, ac adeptum beneficium interponenda mora. Procopius. *Vide*, ait, *promptitudinem Moyſis, vt benefaciat Pharaoni.*

*Deus maximè promptus ad noſtram ſalutem, ac preces.* — Exod. 10. — Procopius.

31. Cum filius ille Prodigus eſſet in regione longinqua, in ſe reuerſus ait: *Surgam, ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. n. 20. Hanc humilem orationem apud ſe ipſe firmiter meditabatur: tamen cum viam arriperet, & miſericors pater illi obuiam exiiſſet tantum ait: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Cur cætera, quæ propoſuerat: *fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis:* non ſubiungit, vt meritò notauit Caietanus, ſed omnino præteriuit? Cur totam meditatam orationem non proponit? Nunquid aliqua pars lapſa eſt ei è memoria? Cur ergo à tota ſua integra oratione ita deſtitit? Ex tanta benignitate patris, qua eum benigno amplexu fouebat in exordio ſuæ orationis, antequam ad illius finem deueniſſet, præclarus adoleſcens agnouit, ſua peccata dimiſſa, & miſericordiam adeptam: tunc totus ille paternæ benignitatis conſideratione abſorbetur, & à progreſſu verborum ceſſat. Huc aduoco id, quod præclarè dixit D. Chryſoſt homil. 56.

Luc. 15. — Caietanus. — *Deus ad audiendũ orationis finem non expectat.* — D. Chryſoſt.



mil. 56. in Matth. ponderans Iſaiæ verba 58. *Adhuc te loquente, Ecce adſum.* Sic ait S. Doctor. *Adhuc te loquente, non expecto, vt orationem finias, ſed confeſtim, cum incipies, exaudio.*

## QVÆSTIO V.

*Quare bonus Sator non aliud ſeminat, niſi ſemen ſuum?*

32. IN limine huius quæſtionis audiendus eſt Simon Caſſianus lib. 6. cap. 2. Vbi ponderat, quod magnus iſte ſeminator, *omnium excludit dominium, & poſſeſſionem, dumtaxat ſuum eſſe ſemen aſſeruit.* Non enim dicitur, quod exierit ad ſeminandum agrum ſuum, terram ſuam, ſed ſolùm ſuum ſemen dixit: *ſemen ſuum.* Cum enim homines, per terram adumbrati, eſſent in peccato, alienos, & non ſuos reputat. *Filij alieni inueterati ſunt.* Pſalm. 17. num. 46. *De manu filiorum alienorum.* Pſalm. 143. num. 7.

Caſſian. — *Peccatores alieni à Deo.* — Pſalm. 17. Pſalm. 143.

33. Ad quæſtionem Communis ſolutio D. Chryſoſtomi, D. Hieronymi, D. Paſchaſij, Alberti Magni, Quod per ſemen intelligatur Euangelica doctrina, quam Chriſtus Dominus ſeminauit, ac diffundit in mundum. Et rectè dicitur ſemen ſuum, doctrina ſua per diſtinctionem ad Prophetas, qui non ſua, ſed Dei verba ſeminabant. Vnde dicebant: *Hæc dicit Dominus.* At Chriſtus Dominus proprium verbum, proprium ſemen ſeminat. Vnde ipſe ait: *Ecce ego, qui loquebar, adſum.* Iſaiæ 52.

D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Paſch. Albert. Mag. — Iſai. 52.

34. Inſtabis. Quia Chriſtus Dominus, cum Iudæis diſputans, dixit: *Doctrina mea, non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* Ioan. 7. numer. 16. Quomodo vero nunc ſemen, nunc doctrinam ſuam dicit? Reſpondeo, explicando Ioannis locum. Idem eſt, ac ſi dicat Chriſtus: Sermo meus, doctrina mea, quam ego doceo, non eſt ab aliquo homine tradita; nec eſt meo ſtudio comparata, nec à me inuenta, nec à me primò, & originaliter profecta; ſed à Patre meo mihi communicata; ipſe mihi dedit, ac præcepit omnia, quæ doceo, & prædico in mundo. Doctrinam tamen ſuam hic eſſe dixit, quia verè, & propriè eam in ſe habebat; nec illam acceperat ab aliquo extraneo, & ſeparato à ſe: Nam, vt ipſe dixit, Ego, & Pater vnum ſumus. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ioan. 14. n. 10. Ita Ioannis textum explicant ibi Chryſoſtomus, Euthymius, Leontius, S. Thomas, Abulenſis cap. 13. Matth. q. 10.

Ioan. 7. *Incidens dubium explicatur.* — Ioan. 14. Chryſoſt. Euthym. Leont. S. Thom. Abulenſ.

35. Secundò. Vt eximia ſeminantis liberalitas fiat nota, & manifeſta, ſemen ſuum dicit: Non dubitauit enim, tres ſeminis ſui partes perditioni exponere pro ſuorum ſalute; eligens potius ſua in diſcrimen dare, quàm ea, quæ ſubditorum erant. Tertiò. Magnus Princeps, & Dominus proprium ſemen diffundit; ex propriis rebus confert beneficia, & munera, & non ex alienis. Sicut Dauid ex bonis Miphiboſeth fecit cum Siba 2. Reg. 16. n. 4. Occiſo Achimelech, ac aliis ſacerdotibus Domini, ac eorum ciuitate à rege Saule 1. Reg. 22. n. 18. iuxta Rabinorum traditionem tulit Saul eorum veſtes, ac bona, & dedit ſuis militibus; nec aliud dat nefandus, ac execrandus rex, niſi quod erat alienum, iniquè, ac iniuſtè ablatum.

*Bonus prælatus diſcrimini dat ſua potius, quàm ſuorum. Beneficia ex propriis dentur.* — 2. Reg. 16. — 1. Reg. 22.

36. Quartò. Semen ſuum dicit, cum illud effundit in terram: Magnificus, ac generoſus animus illud maximè reputat ſibi proprium, ac ſuum, quod aliis dat, ac elargitur. Cum Chriſtus Dominus eſſet cum Diſcipulis ſuis in vltima Cœna, ſcribit de eo Ioan. 13. num. 3. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Hoc eſt omnia ſunt tradita poteſtati eius, vt explicant Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus. Sed cur hoc potius non ſcribitur, quando quinque panibus quinque millia ſatiabat, vel mortuos ſuſcitabat? In Cœna admirabile Euchariſtiæ ſacramentum, in quo ſeipſum, ac omnia nobis dedit; & tunc ſignanter aſtruitur, omnia ei tradita eſſe, quando ſingulari, & admirabili modo omnia nobis dat. Albertus Magnus ſerm. in Cœna Domini. *Omnia*, ait, *poteſtati eius in manibus tradita dicuntur, cum in manibus accepit panem dicens, Accipite, & Manducate, Hoc eſt corpus meum.*

*Liberalis id reputat ſuũ, quod aliis dat.* — Ioan. 13. — Albert. Mag.

37. Mandat Deus Zachariæ Prophetæ 6. n. 11. *Sumes argentum, & aurum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filij Ioſedech ſacerdotis Magni.* Ad quid tot coronæ mandantur extrui, cum vna ad ornamentum capitis ſufficiens eſſet? Adumbrabat Sacerdos ille Chriſtum Dominum Sacerdotem Magnum, in quo multæ coronæ apparent, quibus ſuos electos, iuſtè, ac ſãctè viuentes coronat. Sed ad hoc aptius videbatur, quod coronæ eſſent in manibus; ad quid in capite? Diademata, quæ iuſtis elargitur Chriſtus Dominus, ita ſibi propria iudicat, ac ſi in ſuomet capite reſiderent. Seu Coronas, quibus pij, ac ſancti exornantur, ita ſuas ſingulariter reputat Dominus, vt ipſiſmet veluti coronari videatur. Perbellè D. Hieronymus ibi. *Ponuntur*, ait, *coronæ Ieſu filio Ioſedech ſacerdoti magno: quia nobis proficientibus, & reuerſis ad meliora, per ſingulas virtutes noſtras Dominus coronatur: immò nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in ſingulis coronam accipit.*

Zach. 6. — *Coronas, quas Chriſtus dat, ſibi retinere videtur.* — D. Hieron.

## QVÆSTIO VI.

*Quare ſemen, cadens iuxta viam, conculcatur, & à volucribus comeditur?*

38. HÆc eſt Prima pars ſeminis, quæ ſecus viam cecidit. Et ſecundum communem ſentẽtiam per illud denotantur homines, qui licèt audiant verbum Dei, & mente concipiant; tamen diutius non perſeuerant, & credunt, ſed in tentatione dæmonum ab illorum mente, & memoria ſemen diuini verbi expellitur. Cur autem hoc ſemen dicatur conculcatum, & à volucribus deuoratum? quæſtio præſens inquirit.

*Senſus communis.*

39. Primo Hugo. Semen, quod cadit ſecus viam, id eſt, circa temporalia, quæ tranſitoria ſunt, conculcatur à malis cogitationibus, & prauis affectionibus, vt ait Gloſſa, *Ne in memoria mens teneat, quod opere exercere neglexit.* Comeditur à volucribus cæli. Volucres cæli ſunt honores, præbendæ, dignitates, diuitiæ, vel dæmones etiam, vt interpretatur Hugo, qui multorum bona opera deuorant: qui enim in temporalibus verſantur, in tot, ac tam grauia mala incidunt. Dæmones etiam volucres cæli dicuntur: nam magna pars eorum verſantur in hoc ſæculo per aëra vſque ad diem iudicij. Vnde à D. Paulo ad Epheſ. 2. dicuntur poteſtates aëris. Deinde ad denotandam eorum diligentiam, ac voracitatem: nam volucres velociores ſunt animalibus terræ; & non comedunt, ſed integrum ſemen deuorant. Tandem tertiò:

Hugo. — Gloſſ. — Ad Epheſ. 2.

Quia à ſuo primæuo honore tali nomine proſequuntur. Vide ſuprà cap. 19. quæſt. 2. numer. 14.

40. *Abul.* Secundò, Abulenſis q. 12. cap. 13. Matth. meritò dubitat: Cur hoc tantum ſemen, quod cecidit ſecus viam deuoratum eſt à volucribus? Dubio ipſe ſatisfacit dicens, quod illud ſemen ideo comeſtum, vel quia cecidit in ſuperficie terræ non aratæ, quod cum non eſſet opertum terra, facile aues illud comederunt: vel quia erat in terra arata, tamen viatores prætereuntes conculcauerunt partem terræ aratæ iuxta viam, & excuſſerunt ſemina, & ſic aues inuenerunt ea, & paſcebantur in illis. Si enim virtus, ac ſanctitas in intimo, ac abſcondito eſt, multum fructum germinat, & ab inimicorum impetu valde ſecura conſiſtit; ſi autem in ſuperficie, ac in publico ſe exhibet, valde expoſita eſt diſcrimini, ac dæmonum deuorationi.

*Virtus abſcondita ſecura.*

41. D. Bonau. Tertio. D. Bonauentura. *Cecidit ſecus viam, per quam ſcilicet eſt decurſus, & non eſt in ea ſtatus retentionis, ſed obliuionis propter ſtrepitum multitudinis. Vnde hic non eſt locus fructificationis, quia non eſt in eo retentio ſeminis, ideo adiungit: Et conculcatum eſt, ſcilicet à pedibus hominum, & volucres cæli comederunt illud, in quo intelliguntur dæmonum morſus.* Deuteronom. 32. num. 24. *Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.* Semen in via non habebat perſiſtentiam, nec perſeuerantiam; deferebatur enim prætereuntium pedibus. Et qui non habet conſiſtentiam in vno loco, nec fructificat, nec augetur; ſed conculcatur ab hominibus, & à dæmonibus deuoratur.

Deut. 32. *Quæ non perſeuerant, pereunt.*

42. *Qui non habet defenſorem, perit.* Quartò. Semen ſecus viam, nec habebat ſepem, nec circundatum erat muro. Et qui non habet tutamen, & defenſorem facilè hominum conculcationi, ac aliorum morſui, & detractioni ſubiacet. Quintò. Religioſus, vias publicas frequentans, à tranſeuntibus lingua, ac murmuratione premitur, ac peſſundatur, & opportunus efficitur diaboli cibus. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, immutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum.* Thren. 4. num. 1. Quod totum de ſacerdoribus, ac religioſis in publicis negociis occupatis explicat D. Paſchaſius lib. 4. in Lament. *Quorum vitam*, ait, *ipſe, deplorat, quondam per gloriam virtutum claram, nunc vero per actiones infimas, & negocia ſæculi obſcuratam.* Qui enim ſunt lapides Sanctuarij, ait Paſchaſius, niſi Sacerdotes, Monachi, ac ſanctimoniales, diſperſi in capite omnium platearum. *Quia dum per vitam, & orationem intus eſſe in contemplatione Dei ſemper debuerant, per vitam reprobam foris paſſim vacant. Ecce iam penè nulla eſt ſecularis vitæ actio, quam non Sacerdotes Chriſti adminiſtrent: nulla mundi negotia, in quibus miniſtri altaris ſe non occupent.* Et cætera.

*Sacerdos, vel religioſus in publicis viis conteritur.*

Thren. 4.

D. Paſch.

43. Sextò. Cæleſtis Sator optimum ſemen miſit in terram, quæ etiam aliàs optima erat; tamen hominum conculcatione ſterileſcit ad fructum, & etiam nullius prouentus ſpem dat: talis eſt terra interiecta in via, quæ ob conculcationem, etiam nullius vilis herbæ nobis ſpem ingerit. O quàm ſæpè optima indoles, ac bonum ingenium, quia conculcatur, ac peſſundatur, ſterileſcit, ac aridum redditur, ad fructum! Poſt glorioſam victoriã de Goliath dictum eſt Dauid, quod dãda eſſet ei in vxorem filia Regis. Qui ait: *Quis ſum ego, vt fiam gener Regis*, 1. Reg. 18. n. 18. Poſtea verò, mortuo Saule, mandat nuntios ad Isboſeth: *Redde mihi vxorem meam Michol.* 2. Reg. 3. n. 14. Sed cur modò ſibi poſtulat dari filiam Regis in vxorem, quam antea tam ſubmiſsè recuſauerat? Antea toruis oculis Saul aſpiciebat eum, multaſque inſidias in illum parabat. At mortuo Saule, iam tota domus Iuda ſe iunxerat Dauidi, totuſque Iſraël pleno, & aperto ore ipſum ſequebatur. Quamuis ergo Dauid tantis meritis pollèret, tamen cum ſe à Rege deſpectum, ac vexatum agnoſceret, ad tam præclarum connubium, ad tantamque dignitatis gloriam cadebant animi vires, quas optimè concepit, poſtquam ſe omnium fauore acclamatum videt, vt audenter eam ſibi dari in vxorem poſtulet: maiorum enim benignitas virtutis ſtimulus eſt.

*Qui conculcantur, ſteriles ſunt.*

1. Reg. 18.

2 Reg. 3.

*Virtus contempta marceſcit, acclamata augetur.*

# Qvæstio VII.

## *Quare non exprimitur, à quibus ſemen conculcatum fuerit?*

44. Absolvte' dicitur ſemen peſſundatum; non tamen exprimitur, à quibus in conculcationem veniſſet. Quod ideo ſic ſcriptum eſſe non dubito, vt denotetur, quod ab omnibus, tam hominibus, quàm feris, calcibus preſſum fuiſſet. Cum illud cœpiſſet hominibus eſſe in contemptu, omnes illud deſpectui habuerunt, omneſque ad illud conterendum, ac peſſundandum pedes extenderunt. Cum quis incipit à ſuo fulgore cadere, vniuerſi in eum inſultant, cunctique in eum inſurgunt. *Incuruauit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit: humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem: conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.* Iſai. 26. num. 5. De Ieruſalem, iuxta Hieronymum, Originem, Chryſoſtomum, ſermo eſt. Poſtquam enim illa ciuitas à ſua ſublimitate deiecta eſt, ſtatim data eſt in conculcationem pedibus vilium, & pauperum. Illud tamen notanter ponderandum eſt cum D. Hieronymo: *Conculcabit eam pes, pedes pauperis.* Vbi enim vnus pes inuentus eſt, qui ipſam proſterneret, ſtatim multi pedes, multique greſſus in eius vilipendium, ac conculcationem confluxerunt.

*In deiectos à dignitate omnes inſurgunt.*

Iſai. 26. D. Hieron. Origen. D. Chryſoſt.

*Si vnus erigitur contra te, multi ſequuntur.*

45. In ſacratiſſimo Reſurrectionis mane Angeli ſanctis mulieribus ſeſe exhibentes, fæliciſſima Reſurrectionis nuntia remittunt Diſcipulis, & Petro. *Ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. num. 7. Statimque Dominus properauit, ſupremam Pontificis dignitatem illi tradere. *Paſce oues meas.* Ioan. 21. num. 15. Cur tam circunſpecta celeratione habetur cum Petro poſt eius negationem. Petrus in Paſſione negauerat Dominum; à ſua feruentiſſima charitate, à ſuoque alto cacumine ceciderat: ne inde tanquam in deiectum Apoſtoli duriſſimè animaduerterent, eumque haberent contemptui, vt mos eſt apud homines, ſtatim Dominus; vt eum à tanto periculo eximeret, illum magno honore feſtinat inſignire, aperireque, in quanta æſtimatione, ac pretio ipſum habeat, vt in multo etiam decore, ac veneratione ab omnibus reputetur. D. Optatus Mileuitanus lib. 7. contra Permenian. *Intelligitur*, ait, *omnia ordinata eſſe prouidentia Saluatoris, vt ipſe acciperet claues. Interclusa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiam iudicandi conciperent, & ſeuerè contemnerent eum, qui negauerat Chriſtum. Stant tot innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur.* Quod ſcilicet ipſe ab vnitate, ac Apoſtolorum numero non ceciderat.

Marc. 16.

Ioan. 21.

*Agit Chriſtus, ne Petrus parui æſtimetur.*

D. Optat.



*Luc. 8. n. 6.* Et aliud cecidit ſuper petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Cecidit ſuper petram, & illico germinauit: & quia non habebat humorem, exaruit.

*Arias.* Propter non habere humorem.

### Alter textvs.

*Matth. 13. n. 5.* Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam: & continuo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ.

*Num. 6.* Sole autem exorto, æſtuauerunt; & quia non habebant radicem, aruerunt.

*Marc. 4. n. 5.* Aliud vero cecidit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam; & ſtatim exortum eſt, quoniam non habebat altitudinem terræ.

*Num. 7.* Et quando exortus eſt Sol, exæſtuauit, & eo quod non habebat radicem, aruit.

# *Expositio III.*

46. Secvnda ſeminis pars *Cecidit ſuper petram*, hoc eſt ſuper terram ſaxoſam, ſeu, vt explicant D. Matthæus, & Marcus, *vbi non habebant terram multam.* Quia illa pars campi tenuem habebat terram, cui mox ab inferiori ſuccedebant petræ. *Et natum aruit.* Habent Matth. & Marc. *Continuo exorta ſunt.* Explicat Lucas Burgenſis. *Ante tempus enata ſunt.* Quod enim ante tempus illico germinat, mox cadit, ac deficit, vt dicitur communi aduerbio: *Quod cito fit, cito perit.* Cauſam apponit Euangeliſta: *Quia non habebat humorem.* Apertius ſcribit D. Matthæus, *Sole autem orto, æſtuauerunt*; ſeu feruеſcente Sole, perierunt æſtu nimio, *Quia non habebant radicem, aruerunt.* Totus defectus à radice prouenit. Cum enim obſiſtente petra, ſemen non haberet profunditatem terræ ad propagandas radices, ac ad humorem ſuggerendum, increſcente Solis ardore, aruit. Quæ enim firmitatem, ac radices non habent, etſi ſub noctis tenebris germinent, ad Solis tamen ardorem pereunt, ac marceſcunt.

D. Matth. D. Marc.

Burgenſ.

*Totum malũ à radice.*

# Qvæstio VIII.

## *Quare ſemen cadens ſuper petram tam cito aruit?*

47. Ratio litteralis in ſemine patet ex dictis in expoſitione. Quia in petra non habebat altitudinem terræ ad propagandas radices. Moralem rationem quærimus in parabola. Primò Hugo. Cecidit ſuper petram, corda ſcilicet indomita, & ſuperba, nullo fidei vomere penetrata. Et natum ad horam aruit, quia non habebat humorem deuotionis, aut gratiæ. Oſeæ 7. numer. 7. *Culmus ſtans, non eſt in eo germen: non faciet farinam: quod ſi fecerit, alieni comedent eam.*

Hugo.

Oſeæ 8.

48. Secundò. Sunt graues Auctores, qui in hoc grano cadente ſuper petram, quod & natum aruit, quia non habebat humorem, adumbrari aſtruunt conditionem humanæ fælicitatis, pomparum, diuitiarum, ac honorum ſæculi, quæ, etſi nulla extet aduerſa manus, nullus contrarius hoſtis, non habet tamen humorem, ac ſuccum ad ſeipſam ſuſtentandam: Vnde per ſeipſam deficit, ac areſcit. Accipe D. Zenonem Veronenſem in Pſalm. 128. num. 6. ad illa verba: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit.* Sic ait: *Cognitionis fuit ſermo iſte, non voti, ſimul vt peccatoribus horror irrueret, inanitatem fructuum ſuorum areſcentium cognituris.* Et poſt pauca ait: *O infælices labores, & infructuoſa carnis opera ædificiorum, fœno comparata, & antequam euellatur, arida, id eſt, ante ipſum inutilius ipſius meſſis tempus emortua.*

*Fælicitates ac bona mũdi cito areſcunt.*

Pſalm. 128. D. Zen.

49. D. Chryſ. Tertio. D. Chryſoſtomus Tom. 6. ſerm. 8. de Aſcenſ. *Aliud ſemen*, ait, *cecidit in petroſa; in duram, inquam, Iudæorum voluntatem, ac mentem: & ſtatim produxit temeritatis, atque proteruiæ feruor plantam iniquitatis; talis enim Iudæorum mens eſt, nam in eremo manna refecti, & lege inſtructi, ad Moyſen dicebant* Exod. 24. numer. 3. Omnia, quæ dixit tibi Deus, vt faciamus, faciemus, & audiemus te. *Et qui hæc promiſerant, vitulum animæ expertem adorabant, & morticinium honori Dei viuentis præferebant; atque creaturæ potius, quàm creatori ſeruiebant.* Per terram ſaxoſam intelligit S. Pater Iudæorum voluntates, in quas doctrina, ac lex cecidit, & ſtatim quoddam germen protulere: *Omnia quæcumque dixit tibi Deus, faciemus.* Tamen, quia non habebant radices firmas in iuſtitia, ac charitate, illico defecerunt, vitulum adorantes, & creaturam creatori præferebant. Hanc petroſam Iudæorum duritiem ſignificat Paulus 2. Corinth. 3. num. 8. cum ſuis diſcipulis ait: *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Alludit Apoſtolus ad legem veterem, tabulis olim lapideis inſculptam, quæ denotant duritiem eorum, ad quos lex ſpectabat, vt optimè ad verba Pauli obſeruat D. Ambroſius, quod ſolebat Deus per inſtrumenta, Iudæis exhibita, illorum ingenium, & conditionem eiſdem

Exod. 24. *Iudæorum duritiæ ad ſacram doctrinam.*

2. Cor. 3.

D. Ambr.

inculcare. Vt etiam notat D.Bernardus ſerm. in Octaua Epiphan.vbi ait: *Lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur, qualibus à Ieſu Naue facta circunciſio memoratur.* D. Bernard.

50. *Tenera virtus citò deficit.* Quartò. *Natum aruit.* Poteſt hic denotari tenera incipientium virtus. Nam ſunt aliqui, qui ſuſcepto ſemine diuinæ doctrinæ, continuo germinant aliquot deuotionis fructus, ſed quia non habent humorem, firmitatem ſcilicet in charitate ad propagandas radices, obſiſtente petra terrenarum delectationum, cito ad ardorem tentationum eorum virtus marceſcit, ac deficit. Vide ſupra cap. 1. num. 139. & cap. 15. num. 194. Quintò, Sugillantur hic leues corde, ac inconſtantes animo, qui ſuſceptam ſapientiam, ac Dei timorem, cum tamen quælibet leuis tentatio eos pungit, illico deponunt, & abiiciunt. Pro quo magna conſideratione ponderanda ſunt Chriſti verba: *Orto Sole æſtuauerunt*: Iuxta D. Matthæum Radius Solis in ortu leuis, ac ſuauis eſt; & tamen ad ipſius ortum ſtatim aruerunt: vt eorum mutabilitas, ac leuitas inſinuetur: nam primus Solis ortus pro magno æſtu eſt habitus, ac iudicatus, veluti in meridie, quando exurit terram; talis eſt multorum animi mollities, nam leui tentatione commoti deficiunt. Aliter vero ſe habent vineæ operarij portantes pondus diei, & æſtus. Matth. 20. num. 13.

*Inconſtantes qualibet re mutantur.* — Matth. 20.

51. Sextò, Beda. Petra, ſupra quam cadit ſemen eſt, *durum, & indomitum cor*, vt ait Rabbanus in quo non eſt altitudo, id eſt profunditas terræ, hoc eſt profunda lenitas animæ obedientis cæleſtibus diſciplinis, quibus aliquando ita eſt anima obdurata, vt ſe habeat veluti petra, ac ferrum. *Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti.* Ierem 5. num 3. *Si cælum, quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas ferrea* Deuteron. 28. num. 23. Chaldæus transfert. *Erunt cæli, qui ſunt ſuper caput tuum, fortes quaſi ænei vt non deducant pluuiam; & terra, quæ eſt ſubter te, ſicut ferrum, ne faciat fructus.* Stephanus Cantuarienſis in Allegoriis. Gotfrid. Tilm. ad cap. 27. Deuteron. Per cælum æneum intelligit prædicatores, qui verba, & non opera quærunt. *Terra vero ferrea*, ait, *ſunt corda auditorum, in quibus inſpergitur ſemen, id eſt verbum, Dei, quæ ferrea eſt, cum dura eſt, & obſtinata, nec affert fructum in patientia.*

Beda. Raban. — Ierem. 5. — Deuter. 28. — Chald. — Gotfrid. — *Peccatores obdurati contra Deum.*

52. Fugit Iacob cum tota familia ſua è domo Laban, qui perſecutus eſt eum & comprehendit illum in vertice montis Galaad; & inter cætera ait illi: *Nunc quidem manus mea valet tibi reddere malum, ſed Deus patris tui dixit heri mihi, Caue, ne loquaris contra Iacob quidquam.* Gen. 31. num. 29. Cur non dixit Laban, Deus cæli, & terræ vel Deus noſter; vel Deus abſolutè; ſed addit Deus patris tui? num quid ipſum non habebat pro Deo vero? Satis nota erant eius mirabilia, facta cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Et inſuper Laban ipſam ſupremam maieſtatem erat expertus, ſiquidem heri ab ipſo Deo minatus eſt, *Caue, nequid loquaris aſperè contra Iacob.* Cur ergo non Deum dicit abſolutè, ſed cum addito? Deus patris tui, ſcilicet Iſaac? Tanto Laban in ſua idola rapiebatur affectu, tamque pertinaci, ac obſtinato animo in Deum verum, vt tot, ac tantis illius animus non potuerit flecti, ac emolliri, vt infinitam diuini veri luminis agnoſceret, ac fateretur celſitudinem. Abulenſis. *Patet*, ait, *hic mala voluntas Laban quia licet vidiſſet Deum minantem ſibi & monentem eum ad loquendum, tamen eum, vt Deum, recipere noluit, nec colere, nec vocauit eum Deum abſolutè, nec Deum verum, ſed Deum patris ſui, quaſi dicat, non eſt Deus meus.*

Geneſ 31. — *Iniquus ita obduratur cōtra Deum, vt nullis mirabilibus moueatur.* — Abulenſ.

53. Multis plagis iam vexatus erat Pharao; & cum opprimeretur multarum ranarum multitudine, ait ad Moyſem, vt pro ipſo, ac populo ſuo Deum exoraret pro auferendis ranis. Cui Moyſes ait: *Conſtitue mihi tempus quando deprecer pro te ac populo tuo. Cui reſpondit, Cras.* Exod. 8. num. 9. Meritò dubitabis: Si Pharao tanta importunitate ac diro morſu ranarum vexabatur, cum datur ei optio ad orationis tempus, vt ipſe ac populus eius à tam ſæua plaga liberetur, cur non poſtulat, vt illico auferatur? Cur procraſtinare vult in re tam ſibi vtili, ac neceſſaria? Cum res voluntati Pharaonis, mediantibus precibus Moyſis, ſit commiſſa, ſibi perſuabebat execrandus tyrannus tantum portentum contigiſſe, non Dei virtute, ſed induſtria magicæ artis; prorogat ergo tempus, ſibi perſuadens, quod plaga per ſe ipſam deficeret, antequam vlla Moyſis oratio accederet. Vt notat Lyranus ibi. *Credebat*, inquit, *ſi arte magica eſſent adductæ ranæ, maleficium illud per ſe deficeret, & ideo hoc aliquantulum experiri voluit.* Tam obſtinato, ac pertinaci animo ſtabat Pharao contra Deum, tantúmque eius potentiæ, ac gloriæ reſiſtere conabatur, vt quanuis tot eius mirabilia vidiſſet, adhuc ſibi non perſuaderet, quod illa ranarum multitudo ex Dei potentia proueniſſet: & ideo differt tempus, ne ſi plaga ceſſaret, interueniente Moyſis oratione, magna Dei gloria pateſieret. Elegit potius in illa miſerrima pœna per aliquod tempus volutari, quàm quod veri Dei ſuprema potentia, ac maieſtas cunctis clareſceret, ac nota fieret.

Exod 8. — Lyran. — *Iniquus ſtat obduratus contra Deum*

*Lucæ* 8. *num.* 7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.

## *VERSIONES.*

*Arias.* Et aliud cecidit in medio ſpinarum, & ſimul creatæ ſpinæ.

*Syriacus.* Germinauerunt cum eo ſpinæ, & ſuffocauerunt illud.

*Vatablus.* Et ſimul enatæ ſpinæ ſuffocauerunt.

## ALTER TEXTVS

*Matth.* 13. *n.* 7. Alia autem ceciderunt in ſpinas, & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea.

*Marci* 4. *n.* 7. Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit.

EXPO



## *EXPOSITIO IV.*

54. TERTIA ſeminis pars iacta fuit in terram germinantem ſpinas. Quod ita eſt intelligendum, tunc Primò non fuiſſe adultas ſpinas. Quod ex eo apertè conſtat, quia dicitur, illas ſimul cum ſemine creſcere; vt clarius habet Syriacus, *Germinauerunt cum eo ſpinæ*; ſeu vt habet Græcus, *Aſcenderunt ſimul ſpinæ.* Cum ſemen germinaſſet, ſimul cum eo pullularunt eius aduerſarij, ſcilicet ſpinæ. Aſcendit hedera ſuper caput Ionæ 4. num. 7. Et diluculo præparatus eſt vermis, & percuſſit hederam. *Et ſuffocauerunt illud.* Cum ſemen in culmos creſceret, ſuffocauerunt illud, tum quia humorem ei per radices ſugebant; tum etiam quia condenſantes ſe ſpinæ auram liberam, locumque creſcendi, ſeſeque dilatandi ei intercluſerunt.

Syriacus. — Ionæ 4. — *Quomodo ſuffocarunt.*

## QVÆSTIO IX.

### *Quare exortæ ſpinæ ſuffocant ſemen?*

55. *Tui nutritij aduerſarij.* NON aliæ ſpinæ ſuffocant triticum, niſi illæ, quæ ſimul in eâdem terra, eodemque ſolo ſimul cum eo enatæ ſunt. Sic ſæpe contingit, quod nullos maiores aduerſarios, ac inimicos quilibet experiatur, quàm eos, qui ex eodem ſolo nati ſunt, ac ſimul cum eo enutriti, ac educati.

56. Reſpondeo ad quæſtionem. Quod ſignificantur hic homines, qui Euangelicam fidei doctrinam audiunt, & ſuſcipiunt; tamen à diuitiis, voluptatibus, ac aliis negotiis, quibus ſe tradunt, fructum iuſtitiæ non reddunt, fidem mortuam ſine operibus habentes. Per ſpinas Chriſtus Dominus infra interpretatur diuitias. Euſebius in proprio ſermone libidines, ac voluptates carnis. Carthuſianus ambitiones rerum, & honorum. Sic & Hugo ſolicitudines temporalium. Et optimè dicitur *Suffocarunt illud.* Quia, vt ait D. Bonauentura, Plus in cordibus proficiunt, & creſcunt cogitationes carnales, quàm ſpirituales, & eis præualent. Quod deplorabat Iſaias 32. num. 13. *Super humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent.* Suffocarunt; ita enim vepres aſcenderunt, vt communem aditum reſpirandi, vitæ neceſſarium, impediuerint. D. Gregorius homil. 15. in Euang. *Suffocant*, ait, *quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant; & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum vitalis flatus necant.*

*Denotantur diuites ambitioſi.* — Euſebius. — Carthuſ. — Hugo. — D. Bonauent. — Iſai. 32. — *Explanatur verbum ſuffocandi.* — D. Gregor.

57. Dicam etiam. Spinæ, condenſantes ſe, communem lucem, ac influentiam ſolis, & aſtrorum adimentes, bonum ſemen ſuffocarunt. O quantum adumbratur in iſtis ſolita naturā, ac conditio quorundam aulicorum, ac miniſtrorum, qui ita inter ſe condenſantur, vt communem regis, ac principis influentiam, tanquam ſi eſſet ipſis propria, aliis adimere, ac intercludere nitantur.

*Miniſtri ſic ambiunt regem, vt illius lucem alijs intercludant.*

58. *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum*: ait Chriſtus Dominus Matth. 24. num. 29. Modus iſte loquendi quæſtionem facit Paſchaſio, Caietano, & aliis. Luna enim proprium lumen non vendicat, totum habet à Sole participatum. Dicendum ergo potius videbatur: Sol non dabit lumen ſuum, & Luna obſcurabitur. Luna habet ſe, tanquam Solis miniſter, vt ibi etiam inſinuant Chryſoſtomus, Paſchaſius, Albertus Magnus, & alij; ſplendorem enim, quem Sol illi communicat, in nos ipſa transfundit. Vt miniſtrorum ingenium inculcetur, dicitur: *non dabit lumen ſuum*: quamplures enim aulici extant, qui tam ambitioſè lucem, influentiam, ac regis beneficentiam aliis denegant, tanquam ſi, non quid commune, ſed ipſis ſolum nata eſſet. De his ait Caſſiodorus lib. 3. Variar. *Solicitè regi aſtant, vt totum ſibi, ac ſuis ambire velint.*

Matth. 24. — D. Paſchaſ. — Caietanus. — Chryſoſt. — Paſchaſius. — Albert. mag.

59. *Ecce aſcendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria. Et vidi, & ecce expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cæli inſufflabant in eam, & colligebantur in eam. Et vidi, & de pennis eius naſcebantur contrariæ pennæ, & ipſæ fiebant in pennaculis minutis, & modicis.* Eſdræ lib. 4. cap. 11. n. 1. Non incongruè per hanc aquilam interpretaberis principem exercitus regis Babylonici. Ecce Aquila magna per omnem terram protendebat dominatum ſuum, extendens per omnem ambitum duodecim alas ſuas. Quod obiter explicans D. Bonauentura in cap. 11. Luc. ait: *Vt habitatores terræ fierent in tenebris.* O quam optimè hic depingitur aulicorum ingenium, qui ſæpe alas ſuæ dominationis, ambitionis, ac familiaritatis extendunt ſuper omnem terram, vt in ipſis tantum regis ſplendores, ac radij ſiſtant, & intendantur: vtque alij à regis facie, luce, ac influentia excluſi, in tenebris ſine lumine degant, & verſentur. Vide tamen, quod huiuſmodi aulicis euenit: non enim deſinunt in altilia, ac ſublimes volucres, ſed *& ipſæ fiebant in pennaculis minutis, & modicis.* Sperabam ego, vt ab aquila magna, tamque dilatatis alis eius magni, & alti effectus pullularent, vtpote magni montes, ac proceres ciuitates. Quomodo pennaculæ minutæ, & modicæ, quæ à quolibet venti flatu rapiuntur, vt in nullo loco conſiſtant. Sed quæ tam iniquè, ac ambitioſè comparantur, pari facilitate ruunt, & pereunt.

4. Eſdræ 11. — D. Bonauent. — *Aulici cæteros obtenebrare volũt* — *Aulici inualde minuta deſinunt.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare cum ſemine ſimul exortæ ſunt ſpinæ; & non antea, vel poſtea?*

60. *Cum virtus plantatur, iuxta inuenitur vitiũ.* VALDE mirum, quod tunc excreuerint ſpinæ, cum ſemen ceciderit. Cur non antea, vel poſtea? Sic valde frequenter contingit, vt cum ſemen diuinæ virtutis in nobis plantatur, ac virtus exoriri cœpit, tunc etiam iuxta inueniatur vitium, ac malum ad inferendam pugnam, ac bellum. Paulus ad Rom. 9. num. 8. diſſerens de ſemine benedicto vocato in Iſaac, ait: *Promiſſionis verbum hoc eſt: ſecundum hoc tempus veniam; & erit Saræ filius: non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri. Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Omnium benedictiones, omniumque promiſſiones vocantur in ſemine Abrahæ in Iſaac. Naſcuntur ne omnes ex

Rom. 9.

illo benedicti? Non eſt tanta huius temporis fælicitas: nam cum ſtatim ipſum ſemen Iſaac cœperit germinare, etſi in vno germine apparuerit benedictio, in alio ſimul etiam in vtero prodiit maledictio. Ex vno concubitu patris noſtri Iſaac oritur ſanctus Iacob, & ſimul iuxta illum gignitur impius Eſau, ferus fratris inſectator, & hoſtis, ac maledictionibus addictus. Rupertus lib. 1. de dono Conſilij cap. 5. *Scriptum eſt*, ait, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Tam cito poſt Abraham ex vnico Abrahæ primogenito Saræ, tam recenti, tamque nouitio ſemine eiuſdem Abrahæ natus eſt is, qui non pertineret ad illam, quam præſciuit Deus, plebem ſuam; & cum non niſi duos generaret tantus vir nequaquam ambos electos, aut dilectos generare potuit.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 6. num. 32. — *Rupertus.*

61. Secundò. *Simul exortæ ſunt ſpinæ.* Cur non poſtea, cum iam ipſum ſemen ſe dilataſſet in culmos, ſpicam produxiſſet, ac iam fructus protuliſſet; ſed cum ſemen adhuc eſſet in ſua ſpecie, ſimul cum eo naſcuntur ſpinæ. Sic ſæpe contingit: acriores hoſtiles incurſus non frequenter armantur in virtutem adultam, quæ iam multas per magnum annorum ſpatium habet firmas radices, & magnos producit fructus; hanc enim multum timent aduerſarij: omnes eorum conatus proſiliunt, & impetunt in teneram, ac infantilem virtutem; ad ipſam perimendam, ac eradicandam.

*Virtus tenera graues patitur hoſtium incurſus.*

62. Cum Iſraelitarum hoſtes ad perdendos eos conuenirent, de eis ait Scriptura Iudic. 6. n. 33. *Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati ſunt ſimul: & tranſeuntes Iordanem caſtrametati ſunt in valle Iezrael.* Valde myſterioſè aſſignat ſcriptura locum, in quo aduerſarij vniuntur, ac conueniunt, Iezrael nempe, qui vt auctor eſt Origenes citandus, ſemen Dei interpretatur. Cur non potius figunt tentoria in campis, vbi iam ſint fructus maturi in alimentum, ac recreationem militum, ſed potius vbi ſemina iacent? In magnum documentum noſtrum, quod ſcilicet noſtra aduerſarij caſtra ſua ponunt, ac armorum ſtrepitus præparant, non vbi pleni, ac perfecti apparent virtutum fructus; ſed vbi ipſa virtus adhuc eſt in ſemine tenera, ac recens nata. Origenes homil. 8. in Iudic. paulo poſt principium. *Vides*, ait, *vbi collocant caſtra aduerſarij? Non ſunt auſi ire illuc, vbi videntur iam nati eſſe fructus ſpiritus, ſed vbi adhuc ſemen Dei iacet, vbi non dum fructus aſcendit.* Quam rem ipſe confirmat, & corroborat præſenti noſtra hiſtoria Euangelica. — *Iudic. 6.*

*Non virtutem robuſtā, ſed teneram inuadunt* [...]*es.* — [Ori]genes.

## Qvæstio XI.

### *Quare ſpinæ ſemen, & non potius ſemen ſpinas ſuffocat?*

RESPONDEO Primò. Quod ſpinæ ſunt veluti congenitæ terræ, ſemen autem eſt veluti quid extraneum: nam terra ſpontè ſine vllius labore producit ſpinas; vt autem ſuſceptum ſemen, verbi gratia vtpote tritici, in culmos creſcat, & fructum producat, multa induſtria, multaque agriculturæ ars exigitur. Cum ergo ſpinæ tam congenitæ ſint terræ, ab ipſa multum adiuuantur. Vnde niſi magna ſolertia, ac diligentia adhibeatur, facile ſpinæ ſuffocant ſeminis fructus. Sicque natura corrupta maximè inclinata eſt in voluptates, ac delicias. *Senſus, & cogitatio cordis humani in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8. num. ... Inde eſt, quod noſtra natura magno conatu, ac impetu fertur in ipſas delicias, tanquam in eas valde propenſa; in ea verò, quæ ſpiritus ſunt, valde difficiliter, & cum labore. Magna ergo cura, ac diligentia neceſſaria eſt, ne ſpiritualia ſuffocentur à ſenſibilibus, veluti terræ carnis noſtræ ſpontaneis herbis, quæ multum adiuuantur à propenſione noſtræ carnis in ſpiritualium nocumentum. Iterum perpende locum Eſdræ lib. 4. cap. 11. num. 1. adductum ſupra quæſt. 9. *Aquila expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti inſufflabant in ea.* Expandebat aquila duodecim alas ſuas in omnem terram, vt cuncti habitatores manerent in tenebris ſine lumine, vt de ſalute animæ agerent; & ad hoc omnes venti præſtabant opem, & adiuuamen aquilæ inſufflantes, vt magis alas ſuas dilataret, ac extenderet.

*Noſtra natura maximè inclinata in vitia, & turpitudines.* Geneſ. 8.

*Ad inferendum malum non deeſt adiuuamen.*

4. Eſdræ 11.

64. Secundò. Spinæ ex contubernio boni ſeminis nullum habent damnum; at verò bonum ſemen ex vicinitate, ac approximatione ſpinarum ſuffocationem, ac interitum reportat. Sic periculoſa, ac damnoſa eſt iniquorum ſocietas. Vide ſupra cap. 1. num. 172. cap. 8. num. 21. cap. 12. num. 65. 66. & 67. & tom. 1. & 2. Verb. Societas.

*Malorum vicinitas periculoſa.*

65. Tertiò. Vt ſemen ſuffocaret ſpinas, exigebatur, vt culmi ab ipſo prodeuntes inter ſe condenſarentur, ac ſtricto fœdere connecterentur: & neſciunt ſe boni fructus coadunari, ac copulari in aliorum damnum, ac detrimentum; hoc enim iniquorum proprium eſt, qui ad interimendos bonos inter ſe conueniunt, ac concurrunt, quamuis multi ſint, acſi vnus tantum homo eſſet. Submerſo Pharaone in mari rubro, ait Moyſes: *Cantemus Domino: equum, & aſcenſorem proiecit in mare.* Exod. 15. num. 1. Inſectabatur Iſraelem Pharao ferens ſecum quinquaginta millia equitum, & pene innumeram peditum multitudinem. Cur ergo Moyſes in reddendis gratiis tantam multitudinem ſub nomine vnius aſcenſoris intelligit? nunquid minuere intendebat beneficium? minimè. Quod dubium pertractat D. Athanaſius tract. de communi Eſſentia Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Tantorum millium tanta fuit coadunata voluntas in opprimendis Iſraelitis, tantoque coadunato fœdere incedebant, vt penè innumera hominum multitudo, quaſi vnus homo videretur.

*Mali conueniunt contra iuſtos.*

Exod. 15.

D. Athanaſ. *Iniqui ita vniuntur, acſi vnus ſit homo.*

66. Quartò. Exortæ ſpinæ ſuffocant ſemen bonum. Sic ſanè frequens eſt conſuetudo, vt ſi aliquis bonus affectus, bonuſque motus in nobis apparet, ſtatim omnium iniquorum cœtus excitetur, & moueatur ad extinguendum, ac eradicandum quidquid boni relucet in nobis. Comprehenſus Dominus Ieſus poſtquam in domo Pontificis multas iniurias, alapas, ac opprobria ſuſtinuit, *Surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare.* Luc. 23. num. 1. Comprehenſus ſtabat meus Ieſus, deſertus à ſuis. Ad quid ad eum ducendum ad Pilatum conſurgit omnis multitudo Scribarum, ac Phariſæorum? Cur non paucis miniſtris traditur? Satanæ ille cœtus agnouit quendam in Pilato pium affectum Dominum liberandi, *Inſtitit enim, quantum potuit, vt illum ex eorum manibus liberaret*, vt loquitur D. Auguſtinus tract. in Pſal. 63. Propterea manus ſuas coram omnibus lauit, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*, Matth. 27. num. 24. Cauilloſè ergo congregantur omnes, vt tantæ multitudinis clamores bonum illum Præſidis motum eradicarent, ſuffocarent, ac perimerent, ne illis auderet obſiſtere Iudex, ſed tam ſceleſto aſſentirentur facinori. D. Leo ſerm. 8. de Paſſione cap. 2. *Offerebant*, ait, *Ieſum duris nexibus vinctum, colaphis, & alapis frequentibus cæſum, ſputis oblitum, clamoribus prædamnatum: vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, ne auderet Pilatus abſoluere.*

*Omnes iniqui inſurgunt ad extinguendum bonum affectum.*

Luc. 23.

D. Auguſt.

Matth. 27.

D. Leo.



## Qvæstio XII.

### *Quare bonus ſator tres partes ſeminis iecit, vbi ſciebat, non eſſe fructum allaturas?*

67. TRES partes ſeminis hic amiſſæ ſunt, & fructum non produxerunt; vna ſecus viam, alia ſuper petram, tertia inter ſpinas. Et Sator optime præuidebat, illas non eſſe profuturas. Ad quid ergo ſemen illud effudit. Quæ quæſtio cum illa coincidit: Quare Chriſtus Dominus omnium præſcius voluerit iis Euangelium ſuum annuntiari, qui illud non erant ſuſcepturi, aut non credendo, aut non viuendo ad normam Euangelii. *Sciebat ab initio Ieſus qui eſſent non credentes.* Ioan. 6. num. 65.

*Ratio dubitandi.*

Ioan. 6.

68. Reſpondeo, ad quæſtionem cum communi ſententia Patrum, D. Auguſtini ad citatum locum Ioan. D. Ambroſij lib. de Paradiſo cap. 8. Ideo altitudine diuinæ ſapientiæ ſic fuiſſe ordinatum, vt manifeſtetur ſumma Dei bonitas, quæ, quantum ex ſe eſt, omnium ſalutem vult etiam eorum, qui mandata non ſunt ſeruaturi, vt nulla eſſet excuſatio ex parte hominum, ne ipſi dicerent, ſe non crediſſe, quia eis non eſt prædicatum Euangelium. *Quomodo audient ſine prædicante.* Rom. 10. num. 14. Spargitur in omnes ſemen diuini verbi, vt omnibus ſit nota clementia ſatoris, & acerba hominum culpa manifeſta. D. Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. *Quemadmodum*, ait, *agricola ſeminans non diſcernit campum, vt in altera parte ſeminet, in altera vero minimè, ſed vbique proiicit ſemina: eodem modo Saluator noſter non diuitem, non pauperem, non ingenioſum, aut rudem diſcernit, ſed in omnibus, quanuis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat. Sic certè licebit ei dicere: Quid oportuit, me facere, nec feci?*

D. Auguſt.
D. Ambr.

Rom. 10.

D. Chryſoſt. *Chriſtus omnium ſalutē intendit.*

69. Secundò, Idem Chryſoſtomus citato loco. *Sed quomodo, iniquies*, ait, *credendum eſt in vepribus, & in lapide, & in via prudentem hominem ſeminare? in agris certe & in ſeminibus, quæ terræ mandantur, ſtultè factum videretur: in animis autem, atque doctrina probè atque, laudabiliter. Non enim abſque crimine agricola illud faceret, cum non ſit poſſibile; lapidem, aut viam, aut vepres in terram bonam mutari: in animis autem hominum non ita; poſſibile enim eſt vt lapis in terram fertilem conuertatur, & vt via non conculcetur, nec prætereuntibus cunctis propoſita iaciat, ſed in vberes agros traducta, nec vepres emittat, & ſemina foueat.* Quanuis in campis non ſit ſeminandum ſuper petram, vel ſecus viam, ſeu inter ſpinas; optimè vero in animis licet duri vt petræ; pleni ſolicitudinibus ſæcularibus, vt viæ; vel obſiti ſolicitudine diuitiarum vt ſpinæ videantur: fieri enim poteſt, vt depoſita obduratione benignè ſemen recipiant, & foueant, ac in opulentos fructus ſe explicent; & ideo nullius deſperanda eſt ſalus, ſed pro omnibus laborandum. De Zachæo ex vſurarum voragine vocato à Domino Luc. 19. num. 1. ait D. Ambroſius ibi. *Quis iam de ſe deſperet, quando & iſte peruenit ad ſalutem, cui cenſus ex fraude.* De quo cap. ſequenti.

D. Chryſoſt.

*Nullius ſalus deſperanda.*

D. Ambr.

Tertiò, Præuidebat tres partes terræ ſteriles futuras; & tamen in omnes ſemen ſuum ſpargit; vt inde agnoſcerent cuncti quod ipſe exibat ad ſeminandum, non ob ſui lucrum, ſed ob gratiam, & commodum noſtrum. Creatis vniuerſis rebus, dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. num. 31. Addubitat D. Euſtachius in Exameron. *Cui? an ſibi; vel creaturis? De ipſo, ait Regius vates: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Pſal. 15. num. 1. Non ergo Deo bonum eſt, quod videtur, ſed ſibi tale videtur, quia nobis vtile, bonum, ac neceſſarium exiſtit. 70.

*Deus non ſuū lucrum, ſed noſtrum commodum quærit.*

Geneſ. 1.

D. Euſtach.

Quartò. Multoties deperditur ſemen, & tamen bonus ſator non deſiſtit, ſed ſemper ſeminando inſtat, nec ab incepto opere ceſſat. Quod ingenium transfuſum eſt ſanctis ac præclariſſimis viris. Apparet Deus nocte Abrahamo, *Ait illi: Tolle filium tuum quem diligis Iſaac*, &c. Gen. 22. n. 2. Ad exequendum diuinum mandatum de nocte conſurgit Patriarcha, accingit ſe ad viam, peruenit ad locum deſtinatum, componit ligna, euaginat gladium ad puerum occidendum, *Ecce Angelus, de cælo clamauit dicens: Abraham, Abraham:* dixítque ei, *Non extendas manum ſuper puerum: nunc cognoui, quod timeas Dominum*, &c. ibidem num. 12. Valde diuerſimodè ſe habet Deus in imponendo præcepto, ac in reuocatione illius: nam cum præceptum intimatur, ſolum refertur, quod *dixit ad eum*; cum autem mandatur, vt deſiſtat ab opere, *Clamauit Angelus.* Cum Deus ei apparet, ſolum ſimpliciter illi dicitur, *Tolle filium tuum*; cum verò Angelus aduolat, vt ſiſtat Abrahamus, multæ rationes interponuntur; *nunc cognoui, quod timeas Dominum*; vnde ergo tanta diuerſitas? Vt Abrahamus Deo obediret, pauca erant neceſſaria; vt autem iam compoſitis lignis, & victima ligata, ac nudato gladio, ab incepto holocauſto deſiſteret, tot, & tanta requirebantur: nec enim vir magnus nouit in inchoata re ceſſare, niſi grauiſſimè compellatur. Chryſoſtomus, *Quia videbat Angelus iuſtum iam accinctum, & paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini; idcirco vocat eum de cælo, & dicit: Abraham, Abraham; bene hic geminatione vſus eſt, vt ſuperetur impetus iuſti, & quaſi per vocem detineatur iuſti dextera, iam tendens ad pueri cædem.* D. Auguſts. ſerm. 73. de tempore, in Sabbato ſcilicet poſt 1. Dom. Quadrag. *Qui iuſſerat, vt feriret, modò vociferatur, vt parceret.* 71.

Geneſ. 22.

*Magnorum ingenium à re cœpta non deſiſtere.*

D. Chryſoſt.

D. Auguſt.

Suo electo Iacob ait Deus per Iſaiam 43. n. 2. *Cum tranſieris per aquas, tecum ero.* Quæ verba perbellè explicat D. Ambroſius in Pſal. 47. ad verſum: *Quoniam ecce reges terræ.* Sic ait, *Cum tranſeunte eſt Deus, non cum deſiſtente.* Cum eo, qui in medio aquarum non retrocedit, ſed tranſuadit, adeſt Deus, in ipſo enim opere quoddam diuinum relucet 72.

Iſai. 43.

D. Ambr.

relucet ingenium: at cum eo, qui à cœpto itinere deſiſtit, ac retrorſum mouet pedes ſuos, cum illo non eſt Deus, ſed ſpiritus iniquitatis, cuius exor-
Pſalm. 52. dium eſt à via inchoata declinatio. *Omnes declinauerunt, & ſimul inutiles facti ſunt.* Pſalm. 52. num... Vide tom. 1. lib. 1. cap... quæſt. 22 num. 68. & cap. 5. quæſt. 44. num. 134. & lib. 2. cap. 4. q. 27. num. 102.

*Lucæ 8. n. 8.* Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Aliud denique cecidit in terram bonam, & pulchram; ac germinauit; & dedit fructum vnum in centum: Hæc cum dixiſſet, clamabat.

*Vatablus.* Et enatum attulit fructum centuplum.

*Arabicus.* Pro vno centum.

*Arias.* Habens aures, vt audiat.

ALTER TEXTVS.

*Matth. 13. n. 8.* Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.

*Num. 9.* Qui habet aures audiendi, audiat.

*Marc. 4. n. 8.* Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat vnũ triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum.

*Num. 9.* Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

*EXPOSITIO V.*

73. O Res miranda, atque tremenda! Tribus ſeminis partibus in mala terra pereuntibus, pars vna perſiſtit incolumis, & fructum facit! Quam pauci ſunt, qui ex prædicationis auditione proficiant, fructúmque producant! Hæc bona terra in vltimo loco ſcribitur, quippe quæ de ſua nobilitate valdè ſecura minimè diffideret. De quo vide multa tom. 1. & 2. verb. nobilitas. Vel, vt ait
D. Bonau. D. Bonauentura, quod quamuis quis ſe videat in vltimo loco conſtitutum, non deſperet de meliori euentu. Et dicitur: *Cecidit in terram bonam*, quæ ſcilicet non erat pedibus conculcata, nec lapidoſa, neque ſpinoſa, ſed omni ex parte exculta, nullum habens impedimentum; *& ortum fecit fructum*, in tempore nimirum ſuo, debito, & proportionato, D. Matthæus, *Et dabant fructum*, ſcilicet ſemina. Notanter non dicitur in præſenti dant, vel præterito dederunt, ſed in præterito imperfecto *dabant*: quia quamuis prouentus tantus eſſet, tamen per reſpectum ad huius diuini ſatoris deſiderium, quo vult nos proficere, ac fructum facere, adhuc paruus videbatur; *fructum centuplum*, valdè copioſum, ſub qua generalitate intelligit D. Lucas tres ſpecies relatas à D. Matthæo. *Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*, ſcilicet fructum, id eſt: Hoc ſemen, ſeu granum centum, illud verò ſexaginta; aliud verò triginta. Et quamuis hoc totum fuiſſet ſeminatum in vno agro, vt notat Abulenſis, tamen pro varia diſpoſitione partis terræ tanta diuerſitas; prodiit in fructu.

*Non deſperandum de meliori euentu.* D. Matth. *Chriſtus maxime vult augmentum in operibus noſtris.* D. Matth. Abulenſis.

74. *Hæc dicens clamabat*, vt auditorum mentes, vt ait D. Bonauentura, excitarentur ad percipienda, ac intelligenda, ab ipſo dicta; nam cum eſſent ſub velamine parabolæ, erant abdita, & abſcondita. Ipſe ſemper eſt clamans, & excitans nos ad bonum noſtrum. *Qui habet aures audiendi*: nunquid aures ad aliud miniſterium ſunt, niſi ad audiendum? Quid ergo eſt hæc phraſis? Loquitur Dominus de ſimplici, ac recto vſu ſenſus, qui enim audit, vt oportet, & vt rectè intelligat, hic verè audit. Qui autem audit, non vt audiat, ac intelligat, ſed vt irrideat, ac calumnietur, vt multi iniqui, qui confluebant ad ſermones Chriſti, hic non audit iuxta id, ad quod ſenſus ei dati ſunt, ſed ad quod ſua malitia ducit: hoc valdè peſtiferum, & magnum malum eſt.

D. Bonau. *Senſibus rectè vtendum.*

# QVÆSTIO XIII.

## *Quid ſignificetur per centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum fructum?*

75. TRIPLEX aſſignata eſt differentia terræ malæ, vna ſecus viam, alia ſpinoſa, ſaxoſa alia. Triplex etiam differentia indicatur in terra bona: quod rectè à fructu, ac prouentu colligitur. Sicut enim variæ ſunt peccatorum claſſes; ſic & iuſtorum: nec enim omnes in omnibus ſunt æquales. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim ab ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. Corinth. 15. num. 4. Quid ergo innuatur in hac triplici differentia fructus? Inquirimus.

*Diuerſitas graduum.* 1. Cor. 15.

76. Primò D. Hieronymus hic, & lib. 1. contra Iouin. ac S. Athanaſius Epiſt. ad Ammon. Monach. & Albertus Magnus ad tres ſtatus hæc referunt. Centeſimum fructum virginibus adſcribunt; ſexageſimum viduis; trigeſimum ſanctis, ac probis coniugibus. Secundò D. Cyprianus lib. de habitu Virg. & S. Auguſtinus tom. 4. lib. 1. quæſtion. Euang. quæſt. 9. etiam ad tres ſtatus accommodant. Fructum centeſimum aſſignant martyribus, vtpotè excellentioribus, ſexageſimum virginibus trigeſimum coniugibus.

D. Hieron. D. Athanaſ. Albert. Mag. D. Cypr. D. Auguſt.

77. Tertiò, Auctor Imperfectus hom. 31. in Matth. Centeſimum tribuit martyribus; ſexageſimum præcepta,

Imperfect.



præcepta, ac Euangelica conſilia ſequentibus; trigeſimum verò ſola præcepta amplectentibus.
D. Remig. Quartò D. Remigius docet, quod ſemen fructum facit trigeſimum, quando bonam cogitationem inducit in animo; ſexageſimum, quando bonam locutionem producit in ore; centeſimum verò, quando in fructum boni operis exit. Quintò D.
D. Nazianz. Euthym. Theophyl. Gregor. Nazianzen. orat. 28. Theophylactus, Euthymius in cap. 13. Matth. fructum trigeſimum præſcribunt inſipientibus, ſexageſimum proficientibus, centeſimum verò perfectis, & conſummatis. Nam, vt ait Euthymius, per centuplum ſignificatur perfecta virtutis fructificatio, per ſexageſimum media, per trigeſimum minor.

78. Sextò D. Athanaſ. homil. de ſemente D. Chryſoſtomus homil. 45. in Matth. D. Auguſt. lib. de ſancta Virg. cap. 46. D. Gregorius Nazianzenus orat. in Maximum. Non ad ſtatus, ſed ad perſonas hanc triplicem diſtinctionem fructus referunt: nam in quocumque quilibet ſint ſtatu, quidam benè, quidam malè, quidam optimè operantur in hoc mundo; non enim ſemper, qui in excellenti ſunt ſtatu, excellentius operantur; ſæpè enim, qui in inferiori degunt ſtatu, vberiorem, ac maiorem producunt fructum.

D Athanaſ. D. Chryſoſt. D Auguſt. D. Nazianz. *Inferiores in ſtatu aliquãdo perfectiores.*

79. Poſtquam Laban perſecutus eſt Iacob, ac ad ipſum peruenit in monte Galaad, valdè ſedulè
Geneſ. 31. quærit idola ſua. *Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriuſque famulæ, non inuenit; cumque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta Cameli.* Geneſ. 31. num. 33. Valdè mirum, quod idola non inueniantur, nec in tabernaculo Liæ, nec famularum, ſed ſolum Rachelis (licet ea abſconderit) quæ inter vxores prima erat, pulchrior, & magis dilecta, typúmque excellentiſſimæ vitæ contemplatiuæ gerebat. Cur apud eam, quæ tanta excellentia, ac perfectione pollebat, idola latent? Per idola vitia, ac turpitudines denotantur; hæc autem nec apud Liam, nec apud famulas, ſed apud Rachelem reperiuntur, vt ex hoc diſcas, quod aliquando grauioribus nequitiis, ac peccatis illaqueantur illi, qui in altiori apice, ac religioſiori clauſtro degunt, quàm illi, qui in inferiori ſtatu, ac
Hugo. ſæculo viuunt. Hugo. *Laban*, ait, *diabolus, Lia proficientes, famulæ pœnitentes: horum tabernacula ingreditur diabolus in morte, non inuenit idola ſua, id eſt veſtigia peccatorum; vacuus recedit; & intrat tabernaculum Rachelis, id eſt clauſtralium, qui ſub ſtramenta Cameli, id eſt ſub habitu aſperitatis abſcondunt idola cupiditatis, breuiter quot peccata habent, tot idola colunt.*

*Aliquando Religioſi ſæcularibus ſũt imperfectiores.*

80. Pereunte Sodoma, ex Dei indulgentia liberatur
Genef. 19. Lot, *Aſcendítque de Segor, & manſit in monte, duæque filiæ cum eo.* Geneſ. 19. num. 30. A filiabus ſemel, & iterum inebriatus eſt, cum eiſque valdè turpem inceſtum perpetrauit. Nonne Lot per multum temporis habitauit in Sodomis, Deum timens, abſque alicuius luxuriæ, & ebrietatis inquinamento? Quomodo ergo in monte, qui in ſalutem ei à Deo datur, in tam turpia ſcelera incidit? Quid magis voraginem vitiorum ſæculi denotat, quàm Sodoma? Quid magis ſalutiferum apparet, quàm locus à Deo in tutamen deſignatus? Vt hoc nobis ſit documentum, quod ſæpè honeſtius viuitur in inferiori ſtatu, quàm in eminentiori; & qui in ſæculo virtuti incumbebant, in eccleſiaſtico, ac religioſo ordine aliquando grauius delinquunt, & in multò maiora ſcelera ſe præcipitant. Pro quo facit D. Auguſt. in Soliloquiis. *Vidimus*, ait, *viuos morientes, & mortuos a morte ſurgentes, & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe; quia publicani præcedent incolas in regno cælorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Hoc Auguſtini aſſertum ſuis oculis vidiſſe teſtatur Abbas Siluanus in vitis Patrum lib. 5. de compunctione. *Ego ad iudicium raptus ſum*, ait, *& vidi multos de habitu noſtro euntes ad tormenta, & multos ſæculares euntes ad regnum.*

*Aliquando qui in ſæculo honeſtius viuit, quàm in religione.* D. Auguſt. Siluanus.

*Lucæ 8. n. 9.* Interrogabant autem diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola?

*Num. 10.* Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant; & audientes non intelligant.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Interrogauerunt eum diſcipuli eius.

*Theophylactus.* Vobis datum eſt ſcire arcana regni cælorum.

*Arabicus.* Vos donati eſtis cognitione regni cælorum

*Euthymius.* Vt videntes non cernant.

ALTER TEXTVS.

*Matth. 13. n. 10.* Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

*Num. 11.* Qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum.

*Num. 12.* Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

*Marc. 4. n. 10.* Et cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum, hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam.

*Num. 11.* Et dicebat eis: Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei: illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.

*Num. 12.* Vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant:

intelligant : ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

## EXPOSITIO VI.

81. D. Matth.

ACCEDENTES Diſcipuli, vt ſcribit D. Matthæus, quod intelligitur, non ſolum corpore, ſed etiam animo, poſtquam ab eo dimiſſa eſt turba & ſolum cum ſuis diſcipulis remanſiſſet vt exprimit D. Marcus, *Cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim.* Et, vt notat D. Thomas, valde opportunè interrogant, poſtquam finita eſt concio & turba dimiſſa. *Tempus tacendi, tempus loquendi.* Eccleſiaſt. 3. num. 7. Interrogant, cum dicta Chriſti non intelligerent : vt verè ſapientes interrogare non erubeſcunt. In hoc nos docuit Ieſus, nam cum eſſet puer ſedens inter Doctores, erat audiens, & interrogans eos. Luc. 2. num. 46. *Quæ eſſet hæc parabola?* id eſt, Quid denotaret? Matthæus habet : *Quare in parabolis loqueris eis?* ſcilicet turbis. Caietanus. Boni diſcipuli, ait, curam habent turbarum intelligebant, iam ſe prælationis munus habere. Acſi dicerent : Si turba huiuſmodi ſermones non intelligit, ad quid huiuſmodi parabolæ? Ac proinde interrogant Apoſtoli duo, primum : Quale ſignificatum. *Quæ hæc parabola?* Secundum : Cur cum illis prædicabatur : *Quare in parabolis.*

D. Marc.

D. Thom. *Opportunè interrogandum.* Eccleſiaſt. 3.

*Interrogare ne erubeſcas.*

Luc. 2.

Caiet.

*Prælatus curam turbarum h...*

82.

*Quibus ipſe dixit.* Ad illas duas interrogationes reſpondet Dominus, & exordium ſumit à ſecunda : cur ſcilicet in parabolis loquatur. *Vobis datum eſt, vobis* nempe meis electis, habentibus aures ad audiendum ea, quæ ſalutis ſunt, vt illa faciatis, & adimpleatis; *datum eſt*, vt ait D. Bonauentura, non venditum, non comparatum, ſed ex Dei dono datum. Indicat Chriſtus hanc capacitatem non obtineri poſſe ex viribus naturæ, ſed ex gratia Dei : *noſſe*, ſcilicet intelligere, ac capere clare ſine parabolis, *myſterium regni Dei*, ſeu *regni cælorum* vt ait D. Matth. per quod Sacram Scripturam interpretatur Abulenſis; *myſterium regni Dei*, quod prædico : qualia ſunt arcana humanæ ſalutis, ac cæleſtis regni quod reuelatum eſt in Scriptura. Addidit D. Matthæus : *Illis eſt datum*, ſcilicet ſcribis, & Phariſæis incredulis, & infidelibus, qui non habent aures, vt rectè audiant; & vt percipiant ea, quæ ſunt ſalutis, ſed tantum audiunt, vt irrideant; & eludant. Scribit D. Marcus, *illis autem, qui foris ſunt*; extra ſcilicet meam Eccleſiam, ac doctrinam Euangelicam, *non eſt datum*, ſcilicet à Patre meo, ob eorum contumaciam & malitiam. Peculiariter amplificat Chriſtus Dominus beneficium, Diſcipulis factum ex ſingularitate, cum tot, ac tantis ſit negatum. Vide ſuprà cap. 1. num. 67.

D. Bonauen.

*Bona noſtra ſunt à Deo data.*

*Scriptura regnum Dei.* Abulenſ.

D. Matth.

D. Marc.

*Domi magnificentia augetur ex ſingularitate.*

83.

*Vt videntes non videant.* Alludit Euangeliſta ad locum Iſai 6. num. 7. quem citat D. Matthæus. Particula illa *vt* non ſolum denotat euentum, ſed etiam cauſam, vt volunt Toletus in Comment. & annot. 21. Lucas Burgenſis Marc. 4. Iudæi enim ob ſua peccata ſe reddiderunt indignos percipiendi, ac intelligendi ſacra myſteria. *Videntes*, externis ſcilicet oculis meam diuinam virtutem, meaque magna miracula, quæ ego facio, *non videant*, mente non capiant, nec teneant; *Et audientes* corporeis auribus meam doctrinam, *non intelligant*, cum meis verbis non credant, nec obediant. D. Marcus habet. *Vt videntes videant, & non videant* : idem eſt ſenſus, videant externis oculis, non vero videant mente.

Tolet. Burgenſis.

84. *Explicatur Euangeliſtarum coherentia.*

Conſidera modum loquendi Euangeliſtarum : nam D. Matthæus ſcribit in præſenti : *Ideo loquor in parabolis, quia videntes non vident.* D. Marcus vero, & D. Lucas in futuro, *Vt videntes non videant*, Nulla eſt in eis diuerſitas, ſed omnia cohærent : nam D. Matthæus ſcribit ſtatum in quo de præſenti eos inuenit Chriſtus Dominus ſcilicet iam incredulos, & obſtinatos, *Videntes non vident* : at D. Marcus, & Lucas referunt conditionem, in qua in pœnam ſuorum peccatorum permiſſi ſunt à Chriſto permanere, *Vt videntes non videant.* Indignos enim ſe exhibuerunt, à quibus eorum cæcitas auferretur. Addidit D. Marcus : *Nequando conuertantur.* Hæc particula *ne quando*, ſicut etiam *ne forte*, in aliquibus Scripturæ locis ponitur, vt ſignificetur arbitrii noſtri libertas : nam cum auxilio Dei, quod ipſe nemini denegat, poteſt ſe homo conuertere; tamen ob impedimentum, quod eius malitia, rebus ſalutis ponit, nunquam conuertitur, nec pœnitentiam agit.

*Libertas noſtri arbitrij ſignificatur.*

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare ſolis Diſcipulis datur intelligere diuina myſteria?*

85. D. Ambroſ.

ORIGINARIAM rei huius rationem aſſignat D. Ambroſius lib. 1. de vocatione Gentium. cap. vltimo. adducens noſtrum locum Matthæi; & ex eo probat, quod omnia noſtra bona ſunt à Deo data ex peculiari eius gratia, miſericordia, ac benignitate; ipſiuſque ſolum eſt dare intelligentiam, ac cognitionem myſteriorum ac parabolarum; & niſi ipſe dederit, omnes nos prorſus ignari & inſipientes inueniemur; & ideo omnia noſtra bona in eum, vt in ſuum auctorem ſunt referenda. Pro quo eleganter ait D. Auguſtinus tom. 9. in Soliloq. cap. 15. in principio. *Tuum, Domine, eſt bonum, tua eſt gloria, qui enim de bono tuo gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit, hic fur eſt, & latro. Qui enim laudari vult de tuo dóno, & non quærit in illo gloriã tuam ſed ſuam; hic, licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur, quia de dono tuo, non tuam, ſed ſuam gloriam quæſiuit.* Dicebat Iob. 1. num. 5. *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo*, id eſt maledixerint. Petrus Bleſenſis ibi. *In corde ſuo*, ait, *Deo maledicit, qui, quod à Deo habet, ſibi, non Deo adſcribit.*

*Omnia bona noſtra in Deũ referenda.*

D. Auguſt.

Iob. 1.

Bleſen.

86. D. Thom.

Secundò, notat D. Thomas, quod Diſcipuli accedentes interrogant : *Sic nos, ſi volumus accedere ad eum illuminabimur.* Pſal. 33. num. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Cum ſoli Diſcipuli acceſſiſſent, non tantum corpore, ſed etiam mente; inde ipſis diuinum lumen refulſit, ipſique ſoli illuſtrati ſunt diuina ſapientia. Tertiò, Vt notat D. Marcus, acceſſerunt Diſcipuli, cum *Dominus ſingularis eſſet*, hoc eſt cum ipſe remanſiſſet dimiſſis turbis, vt dixi in Expoſitione. Vis intelligentiam habere ſermonum Dei ac ſacræ Scripturæ, ſecede à turbis, à curis, ac negociis mundi; cum ſolo Deo ſta vacuus mundialibus, vt Deo implearis. Vnde ait Sapiens : *Sapientia Scribæ in*

Pſal. 33.

D. Marc.

*Vt percipias cæleſtia, terrenas curas dimitte.*



Eccleſ. 38.

*tempore vacuitatis.* Eccleſ. 38. n. 25. ſcilicet comparanda eſt, vt explicant Rabbanus, Ianſen. Lyranus, & alij. Vnde eſt illud D. Iſidori lib. 2. ſentent. cap. 1. *Nullus*, ait, *ſapientiam Dei recipit, niſi qui ſe ab omni abſtrahere actionum cura intendit. Vnde & ſcriptum eſt : Sapientia Scribæ in tempore otij, & qui minoratur actu, ipſe percipit eam.*

D. Iſidor.

87. Theoph. *Ille ſapientiã inuenit, qui interrogare nouit.*

Theoph. ad cap. 13. Matth. *Ille accipit*, ait, *qui quærit. Ideoque diſcipuli ſoli, quæ interrogauerunt, acceperunt.* Prædicauerat Chriſtus turbis, ac diſcipulis; & tamen parabolarum intelligentia aperitur Apoſtolis ſolum, & non aliis; quia ſoli diſcipuli quæſierunt : & ſolus ille, qui interrogat, ad veram ſapientiam pergit, & ad eam peruenit.

88.

Præcepit Dominus filiis Iſraël immolari agnum paſchalem, mandans, illam ceremoniam obſeruari per ſuas generationes, poſtquam ingreſſi fuerint in promiſſionis terram; addens : *Cum dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt religio iſta, dicetis eis : Victima tranſitus Domini.* Exod. 12. n. 26. Id eſt, Victima in gratiarum actionem pro tranſitu Domini percutientis primogenita Ægyptiorum. In rem noſtram maximum inſurgit dubium. Patres omnes de rebus religionis filios ſuos tenentur inſtruere, cur ergo tantum dicitur, quod filiis interrogantibus: *Si dixerint filij veſtri* : eis dicatur, quod *victima tranſitus Domini.* Si filij non quæſierint, non erunt erudiendi à ſuis parentibus? Minimè : omnes ſunt edocendi. Cui maximè incumbebant Hebræi, vt teſtatur Ioſephus lib. 1. contra Appion. *Hebræorum præcipua cura erat circa filiorum nutrimẽta, eos diuinarum legum cuſtodiam, & traditionem, pietatem tanquam totius vitæ opus neceſſarium edocere.* Cur ergo ſolùm de filiis interrogantibus fit mentio? Hi, qui quærunt peculiariter inſtruẽdi, vtpotè inter cæteros maximè apti, & proportionati ad cognoſcenda, ac intelligenda ſacra arcana, quæ ſolùm capiunt illi, qui affectuosè quærunt, ac ſcrutantur.

Exod. 12.

*Qui interrogat, nouit myſteria.*

Ioſeph.

89.

In curru ferebatur Æthiops Eunuchus Reginæ Candacis, legens Iſaiam Prophetam; cui factus obuiam Philippus ab eo quæſiuit : an intelligeret ea, quæ legebat? Ait Eunuchus : *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi.* Actor. 8. n. 31. Et cum lectus eſſet locus Iſai. 13. n. 7. *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt.* Inquit Eunuchus Philippo: *Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc, de ſe, an de alio aliquo?* Qui à Philippo edoctus, cum ambo perueniſſent ad fontem aquarum, Æthiops à ſuo Magiſtro baptizatus eſt, & in tantum excreuit, vt de eo dicat Hieron. Epiſt. 103. ad Paulinum. *Eâdem hora credididit, & baptizatur, & fidelis, & ſanctus factus eſt: ac de diſcipulo magiſter plus in deſerto fonte Eccleſiæ, quàm in aurato Synagogæ tẽplo reperit.* Vnde tot, & tanta dantur ſtatim huic Eunucho? Vt fidelis, ſanctus, ac magiſter ſit effectus? Vidit bonus vir Philippum in habitu vili, vt ponderat Chryſoſt. citandus, & tamen ipſum non cõtempſit, ſed ſemel, & iterum rogauit eum, vt ab illo edoceretur. Et vir, qui ſcit interrogare, & non erubeſcit ab alio erudiri; hic valdè diſpoſitus, & proportionatus, vt ad arcem, ac ſuggeſtum ſapientiæ citò euolet, vtque omnis honeſtatis decore exornetur. Chryſoſt. homil. 35. in Geneſim. *Iſta locutus perfectus ille barbarus, curru vectus, eum, qui vilis videbatur, & ex veſtitu facile contemptibilis, rogauit, vt aſcenderet, & ſecum ſederet. Vides, vt nihil omiſerit, quæ ab ipſo fieri conueniebat? propterea deinceps doctorem nactus eorum vim, quæ propoſita erant, accuratè diſcebat, & animo illuminabatur. Idoneus enim eſt barbarus iſte, qui nobis omnibus doctor fiat.*

Actor. 8.

Iſai. 13.

D. Hieron.

*Interrogans euolat ad ſapientiæ arcẽ.*

D. Chryſoſt.



*Lucæ* 8. *n.* 11. Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei.
*Num.* 12. Quod autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbũ de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.

### VERSIONES.

*Syriacus.* Semen eſt ſermo Dei.
Ii autem, qui ſecus viam, ſunt, qui audiunt ſermonem, & veniens inimicus tollit ſermonem ex cordibus eorum, ne credant, & ſalui fiant.
*Arias.* Secus viam ſunt audientes.
*Vatablus.* Ne credentes ſeruentur.

### ALTER TEXTVS.

*Matt.* 13. *n.* 18. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit omne, quod ſeminatum eſt in corde eius : hic eſt, qui ſecus viã ſeminatus eſt.
*Marc.* 4. *n.* 13. Et ait illis, neſcitis parabolã hanc; & quomodo omnes parabolas cognoſcetis.
*Num.* 14. Qui ſeminat, verbũ ſeminat.
*Num.* 15. Hi autem ſunt, qui circa viam, vbi ſeminatur, & cum non audierint, venit Satanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum.

## EXPOSITIO VII.

SECVNDÆ quæſtioni de intelligentia parabolæ reſpondet Dominus. Iuxta D. Matthæum ait Dominus : *Vos audite parabolam*, vt maximè eos attentos redderet. *Eſt autem hæc parabola.* Ipſe diſcipulis ſuis exponit parabolam, ait Beda, vt ſe myſticè loqui oſtenderet, & nobis myſticè exponendi Scripturas exemplum daret. *Semen eſt verbum Dei.* Metaphora deſumpta eſt à ſemine materiali, quod vt fructum faciat, recipitur in terra. Sic ſacra doctrina per aures recipitur in animo; & inde exterius prodeunt bona opera. 90.

Beda.

*Quod autem ſecus viam.* Hæc eſt prima pars ſeminis, quæ in terram iuxta viam poſitã cecidit. *Hi ſunt, qui audiunt*, externis ſcilicet auribus. *Deinde venit diabolus*, D. Matth. poſuit *malus*; D. Marcus *Satan*; hæc tamen tria idem ſignificant, licet diuerſa ratione : nũcupatur diabolus, quia calũniator, 91.

*Explicantur tria diaboli nomina.*

& accuſator eſt hominum; Satan, quia aduerſarius, & ita Syriacus habet *veniens inimicus*; malus verò dicitur, quia nocere, & malum inferre hominibus conatur. Et notandum, quod dicitur, *venit diabolus*. Omnes tres Euangeliſtæ poſuerunt illud verbum *Venit*; non ſolùm dixerunt, Tollit diabolus, ſed addiderunt *Venit*. Vt denotaretur, quod diabolus extra nos eſt. Et etiam venire dicitur, quia ipſe homo miniſtrat illi multas occaſiones,

*Homo eſt cauſa, vt diabolus veniat.*

vt veniat. Quod denotat D. Matth. *Omnis, qui audit verbum, & non intelligit, venit malus.* Cum audiat, & non intelligat, tunc venit diabolus. *Non intelligit*, hoc eſt non aduertit, non capit, ac penetrat vim verborum Dei, vt ea opere adimpleat, & faciat; alia enim ſolicitudine à dæmone diuertitur, vt ſtatim explicabitur.

92. *Et tollit verbum.* Matthæus poſuit, *Et rapit omne.* Rapere, vt aduertit Albert. Magnus ſignificat

Albert. mag.

violentiam, & tyrannidem, quam inimicus exercet. *Rapit*, procurata quadam obliuione, aliaque vana, & mundana obiiciens, quibus nouit, hominem delectari, vt illis homo illaqueatus ſe totus à diuinis diuertat. *Verbum*, D. Matthæus ponit, *Seminatum eſt*, prædicatione, *ne credentes ſalui fiant.*

*Dæmonis ſcopus.*

Ecce totus dæmonis ſcopus, tollere verbum de cordibus hominum, ne credentes, per fidem ſalutem aſſequantur, quam ipſe maximè hominibus inuidet, ſciens, fidem cum operibus eſſe medium neceſſarium ad illam; ideo toto nixu hanc intendit impedire. D. Matthæus concludens hanc par-

*Applicatur parabola.*

tem parabolæ ait: *Hic eſt, qui ſecus viam.* Sicut enim ſemen in via, vel iuxta viam, à terra conculcata, & dura reſpuitur, & comeditur à volucribus; ſic ſemen verbi Dei in corde obdurato non ſuſcipitur, ſed illico à dæmone, ad conſueta peccata impellente, rapitur.

## QVÆSTIO XV.

### *Quare verbum Dei ſemen nuncupatur?*

93. RESPONDEO primò. Semen ſpargitur manu, recipitur in terra, in qua vt fru-

*Verbum Dei in cor transformetur.*

ctificet, debet reſolui, frangi ac penè emori. Sic verbum ex ore prædicantis procedit, recipitur aure, & corde audientis, ac vt fructum ferat, meditatione debet totum reſolui, ac imbibi in corde, vt pariter ipſum cor comminuat, ac mortificet mundialibus rebus.

94. Secundò. Vt ſemen fructificet, tria ſunt neceſſaria: virtus, ac efficacia ſeminis; fœcunditas terræ; influxus cauſarum vniuerſalium, Solis, Lunæ, & aſtrorum; ſine quo concurſu ſemen non fructificat.

*Tria neceſſaria ad ſalutem.*

Ita etiam in ſpirituali fructu verbi Dei tria requiruntur: Ipſum Dei verbum annuntiatum; & conſenſus noſtri liberi arbitrij concurrens, quod eſt veluti terra, in qua ſemen ſuſcipitur; & inſuper requiritur cæleſtis influxus diuini auxilij excitans, & adiuuans ad opus bonum. Primò neceſſarium eſt ipſum Dei verbum prædicatum: *Quomodo au-*

Rom. 10. *dient ſine prædicante.* Rom. 10. n. 14. Quod efficacius, ac penetrabilius eſt omni gladio ancipiti. Secundò requiritur concurſus liberi arbitrij conſentiens, ac cooperans diuinæ inſpirationi. Quod

D. Gregor. optimè probat D. Gregor. Mag. lib. 15. moral. c. 10.

1. Cor. 15. ex verbis Pauli 1. Corinth. 15. n. 10. *Abundantius omnibus laboraui; non ego, ſed gratia Dei mecum.* Si gratia Dei cum Apoſtolo laborabat; ergo & Paulus collaborabat, ac cooperabatur cum illa. Tertiò neceſſarium eſt ſupernaturale auxilium. Ioan. 6. n. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ioan. 15. n. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Paul. 2. Corinth. 3. n. 5. *Non quod ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* In his locis, & ſimilibus ſcripturæ maximè notandum, quod non excluditur tota virtus, & ſufficientia noſtri arbitrij; ac ſi quis dicat, non poſſum mouere hunc lapidem magnum, non denotat, ſe nullas habere vires, ſed eas ſolas non ſufficere ſine auxilio alterius. Ita ſentiendum, quando dicimus, hominis arbitrium non poſſe operari ſine Dei auxilio, quod latè explicant Theologi in materia de auxiliis, ac cooperatione gratiæ?

Ioan. 6. Ioan. 15. 2. Corinth. 3.

Tertiò. Sicut terra ſine ſemine non profert, niſi vrticas, lolia, & ſpinas; ſic & hominis cor ſine Dei verbo, non niſi peccaminoſa, ac turpia producit. 95.

Quartò. Terra debet proſcindi, arari, ac ſtercorari, vt ſemē in ea progerminet: ſic & hominis mens debet ſubdi, purgari, & excoli aſperis pœnitētię actibus, ac etiam mortificationis, & obedientiæ operibus, vt Dei verbum in ipſo fructum producat. Iſai. 32. n. 20. *Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedes bouis, & aſini*, ſcilicet luto infectas.

*Mens excolēda, vt verbū Dei fructificet.*

Iſai. 32.

Quintò. Vt ſemen progerminet, requiritur, quod ſuſcipiatur in terra, non dura, arida, lapidoſa, ac ſpinoſa, ſed molli, pura, humida, ac ſuccoſa: ita & verbum Dei, vt ſpirituales fructus producat, ſuſcipiendum eſt in anima leni, pura, ac maximè ad virtutem inclinata. Iacob. 1. n. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Sextò. Diuerſa ſemina diuerſos fructus proferunt; ſic & diuerſæ ſententiæ Euangelij diuerſos mente producunt fructus: ſermo obedientiæ obedientiam, humilitatis humilitatem, pœnitentiæ pœnitentiam. 96.

*Verbum Dei germinat in anima miti.*

Iacob. 1.

Septimò. Sicut ſemen omnium frugum, ac fructuum origo conſiſtit; ſic & verbum Dei omnium bonorum operum cauſa, ac altrix eſt; prouentus multiplicat, ſicut & ſemen ſegetes replet. In molimine orbis ait Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Gen. 1. n. 30. Sed quomodo aqua tam diuerſa animantia mandatur producere, ſcilicet piſces maris, & volatilia cæli? Cur tam diſcrepantium animantium aqua parens inuenitur? Myſticos ſenſus perquire, per quos Deus alta documenta nobis dabat. Per aquā paſſim in ſacra ſcriptura ſacra doctrina, ac eloquiū Dei fluēs intelligitur: per reptilia, ſeu piſces ſignificantur viri in actiua vita degētes, qui inter aquas humanæ miſeriæ natantes actionibus pietatis incumbunt: Volucres verò deſignant contemplatiuos, qui relictis terrenis rebus tanquam aues per ſublimia volitant, cæleſtia meditantes. Ecce præclariſſimi actus vitæ contemplatiuæ, & actiuæ ab aqua, nempe à Dei verbo proferuntur. Hugo Card. *Moraliter*, ait, *piſces boni actiui, qui propter ſolicitudinem proximi iuxta terram repunt; aues contemplatiui, qui ſurſum volant.* 97.

*Verbum Dei in nobis parens omnium bonorum.*

Geneſ. 1.

Hugo.

Dauid in quadam opportuna occaſione poterat Saulem occidere, à quo graui crimine ipſe ſe abſtinuit, & loquens ad Regem ſigna pacis, & ſalutis oſtendit. *Cumque compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul; nūquid vox tua hac, fili mi Dauid? Et leuauit vocē ſuam Saul, & fleuit.* 1. Reg. 24. n. 17. Maximè lapideum, ac ferreum perſiſtebat Saulis pectus: & tamen modo tāta teneritudine tangitur, vt in lachrymas ſoluatur. Et lachrymas non effudit Saul, audiēs mirabile factum, quod ſcilicet incidēs in manus Dauid ab eo 98.

1. Reg 24.

non



non ſit occiſus, ſed cum illius vocem recognouit: *Nunquid vox tua hæc, fili mi Dauid?* Efficacior enim extitit vna vox, ſonans Dei verba, ad ſeminandum in obdurato pectore pietatis, ac miſericordiæ affectum, quàm quodcūque mirabile opus, etiam quod ipſe Rex eſt vita donatus. D. Chryſoſt. homil. 3. de Dauide, & Saule. *Non ſuſtinuit Saul*, ait, *hanc vocem audire ſine lachrymis, ſed plorauit amarè, animi ſanitatem, ac philoſophiam, quam Dauid inſeruerat, lachrymis declarans. Propheta animum nactus, ſanguinis, ac cædis ſitientem, repentè ad lamenta, & eiulatus compulit.* Vide ſuprà cap. 12. num. 70. & cap. 23. num. 71. & 72.

*Plus poteſt vna vox ſonans eloquia Dei, quàm mirabile factum.*

D. Chryſoſt.

*Luc. 8. n. 13.* Nam qui ſupra petram: qui, cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habēt: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Cum gaudio excipiunt ſermonem, & radicem non habent, ſed temporaria eſt fides eorum, & tempore tentationis impingunt.

*Arabicus.* Ad modicum tempus credunt.

*Vatablus.* In tempore tentationis deficiunt.

*Arias.* Tempore tentationis obſiſtunt.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 13. n. 20.* Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic qui verbum audit, & continuò cum gaudio ſuſcipit illud.

*Num. 21.* Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis: facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcādalizatur.

*Marc. 4. n. 16.* Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminatur, qui cum audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud.

*Num. 17.* Et non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt. Deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcādalizatur.

### *EXPOSITIO VIII.*

99. PRIOR pars terræ, vtpotè in via, pedibus prætereuntium calcata, dura perſiſtebat. Hæc verò ſecunda pars, aliquid terræ mollis habens, ſemen ſuſcepit; ſed ad paruum tempus: *Nam qui ſupra petram*, id eſt ſemen, ſeu verbum, quod cadit in terram ſaxoſam, ſeu lapidibus plenam, cui ſimile eſt cor auditoris: *Qui, cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum.* Acceptum Dei ſermonem mente excipiunt, & concipiunt, ruminant, & probant. *Cum gaudio*, exultant de Euangelio ſibi nuntiato; ac de illius pulchritudine, luce, rectitudine, ac puritate delectantur; ac etiam de bonis in Euangelio promiſſis periucundantur. *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Pſal. 18. n. 9. Cum gaudio ſuſcipiunt, cum, vt ait Albert. Magnus in cap. 13. Matth. primò ſuſcipiendum eſſet cum gemitu pro peccatis, vt retineretur, ac fructificaret. *Sicut, quæ concipit, cum appropinquat ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua, Domine; concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.* Iſai. 26. n. 17. Addunt verò, D. Matthæus *continuò*; D. Marcus, *ſtatim ſuſcipiunt*, id eſt mox vt prædicatur.

Pſalm. 18.

Albert. Mag.

*Cum gemitu pro peccatis ſuſcipienda doctrina.*

Iſai. 26.

100. *Et hi radices non habent.* Cum ergo in corde illo parum inueniatur terræ, & multò plus petræ; hoc eſt ibi ineſt iniquæ conſuetudinis, in delectationibus obduratæ, plus, quàm terræ, ſcilicet teneræ inclinationis ad res ſacras: hinc fit, vt ſemen vitæ nequeat cor illud totum ſolidè penetrare, altáſque radices puritatis, ac virtutis, firmíque propoſiti mittere, ac propagare. *Qui ad tempus credunt*, ſeu vt habet D. Matthæus, *ſed eſt temporalis*, id eſt non ſe habet perſeuerans in fide, ſed eſt ad modicum tempus. *Et in tempore tentationis recedunt.* D. Matthæus poſuit *continuò*; D. Marcus, *confeſtim ſcandalizantur*; Syriac. apud Matthæum, *offenditur.* Sicut enim, qui iter aggreditur, ſcandalo, ſeu offendiculo aliquo turbatur, & ab ingreſſo itinere impeditur: ita iſte, qui cœperat tenere fidem, exorta aduerſitate, ac afflictione, à fidei exercitio, ac profeſſione reſilit, deficit, ac apoſtatat. Pondera iuxta textum D. Matthæi, aduerbium illud *continuò* in ſuſcipienda fide, ac dimittenda. Euthymius. *Qui enim, dum docetur, facile verbum ſuſcipit; etiam, cum tentatur, facilè reÿcit.* Quæ enim facilè ſuſcipiuntur, facilè dimittuntur. *In tempore tentationis recedunt.* Inſtar hominum huius ſæculi, de quibus ait Dacrianus Abbas in ſpeculo Monachorum Biblioth. tom. 8. *Semper proſpera volunt, contraria non ſuſtinent.*

Syriac.

Euthym.

*Quæ facilè accipiuntur, facilè dimittuntur.*

*Lucæ 8. n. 14.* Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non ferunt fructum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Qui audierunt ſermonem, ſed à ſolicitudine, diuitiiſque, & concupiſcentiis mun-

ſuffocantur, fructúſque non edunt.

*Arias.* Profecti non perferunt fructum.

ALTER TEXTVS.

*Matth.13.n.22.* Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.

*Marc.4.n.18.* Et alij ſunt, qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt.

*Num.19.* Et ærumnæ ſæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcétiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.

## EXPOSITIO IX.

101. QVOD *autem in ſpinis.* Hæc eſt tertia pars terræ, quæ ſemen ſuſcepit. *Hi ſunt, qui audiunt.* Et denotantur illi auditores diuini verbi, qui ipſum Dei ſermonem audiunt, ſuſcipiunt, & ruminant, in eiſque mittit radices pij deſiderij Deum quærendi, tamen ad fructum non peruenit: nam, cum terra eſſet ferax ſpinarum ab eis naſcentibus ſimul cum ſemine ſuffocatur, *à ſolicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ.* Tria hæc diſtincta ſunt. *A ſolicitudinibus,* D. Matthæus addidit, *iſtius ſæculi,* qualis eſt cura vxoris, filiorum, familiæ, officij, ſtatus, dignitatis, quæ veluti acutæ ſpinæ mentem pungunt, & lacerant, diſtrahuntque à ſpiritualibus. D. Marcus pro ſolicitudinibus poſuit.

*Tria ponuntur.*

102. *Ærumnæ ſæculi,* id eſt anxiæ, graues cogitationes, quæ animum turbant, & affligunt: & nulla maior ærumna, grauiorque labor, quàm quædam vehemens animi ſolicitudo. *Et diuitiis,* quæ non ſolum homines ſolicitudinibus replent, ſed etiam molles, ac effrænes efficiunt, ac ad multa alia mala impellunt. D. Matthæus poſuit *fallacia,* D. Marcus, *deceptio diuitiarum:* fallaces ſunt, quia quod promittunt, non præſtant; ſpondent iucunditatem, vt ait Interlinealis, & conferunt æternas inferni pœnas. *Et voluptatibus vitæ,* quæ noſtrum affectum auertunt à rebus ſalutis. D. Gregorius homil. 15. *Notandum,* ait, *quod duo ſunt, quæ diuitiis iungit, ſolicitudines ſcilicet, & voluptates: quia profecto per curam mentem opprimunt, & per affluentiam reſoluunt.*

D. Greg.

103. Euthym. *Euntes,* conuerſantes ſcilicet, vt explicat Euthymius, hoc eſt dum in quotidiana vitæ conuerſatione, plus æquo, his animum applicant. In quod venit explanatio D. Bonauenturæ. *Euntes* à via perfectionis *ſuffocantur,* ſeu opprimuntur *à ſolicitudinibus, diuitiis, ac voluptatibus, non referunt fructum,* ſeu *non proferunt fructum.* Quod compoſitum eſt à verbo Græco, vt notat Lucas Burgenſis, & denotat perfectum, & abſolutum: tales non dant fructum conſummatum, & perfectum, ſed in herba marceſcunt.

D. Bonau. Burgenſ.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare diuitiæ, ac voluptates ſæculi ſpinis comparantur?*

104. D. Greg. CELEBRIS eſt in hac re ſententia D. Gregorij homil. 15. in Euang. ponderans, quod Dominus dignatus eſt per ſe ipſum hanc parabolam nobis explicare. Sic ait: *Quis mihi vnquam crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem, maximè cum illæ pungant, iſtæ delectent? & tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cum vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Pro quo audiendus eſt D. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Mihi videtur,* ait, *& illud, quod iuxta literam ad Adam dicitur: Inter ſpinas, & tribulos panem tuum manducabis.* Geneſ. 3. n. 18. *hic ſignificari myſticè, quod quicunque ſæculi ſe dederit voluptatibus, curiſque iſtius mundi, panem cæleſtem, & cibum verum inter ſpinas comedit.*

*Diuitiæ ſpinæ ſunt, quæ cogitationibus pungunt.* D. Hieron. Geneſ. 3.

105. Theoph. Secundo, Theophylactus in cap. 13. Matth. inueſtigans rationes noſtræ quæſtionis ait: *Diuitiæ, quando diſperguntur, non ſuffocant, ſed creſcere faciunt fructum.* Sunt diuitiæ veluti ſpinæ: qui enim ſpinas extenſa tenet manu, non cruentatur ab eis: at vero qui illas manu comprimit, quo magis manum contrahit, eò acrius ab illis læditur. Sic & diuitiæ, ſi extenſis, ac liberalibus manibus diffundantur in pauperes, non nocumentum conferent, ſed cæleſtem potius ad ſalutem viam parabunt. De forti muliere decantatur: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Prouerb. 31. num. 20. Illud verbum *extendere* ex radice græca magnam liberalitatem, ac largitatem denotat.

*Diuitiæ retentæ mortē, diffuſæ vitā cauſant.* Prouerb. 31.

106. Theoph. Tertiò, idem Theophylactus. *Sicut ſpina acuta in corpus penetrat, & vix eradicatur; ſic & deliciæ inualeſcentes in anima ingrediuntur, & vix eradicantur.* Tam prauus eſt diuitiarum vſus, tantumque infigitur iniqua earum voluptas in anima, vt veluti acuta ſpina videatur infixa, quæ vix euelli poteſt.

*Diuitiarum amor, ſi ingrediatur, difficilè expelletur.*

107. D. Ant. Vlyſ. Quartò D. Antonius Vlyſſiponenſis in Dom. Sexageſ. Bene, ait, ſpinæ ſunt diuitiæ, quæ capiunt hominem auaritia, vſura, ferocitate, luxuria, ac aliis multis malis. Sicut enim ſpinæ ſunt latibulum, ac receptaculum omnium peſtiferorum, ac venenoſorum animantium: ſic multoties diuitiæ ſedes, ac ſentina omnium vitiorum conſiſtunt, quæ veluti ſpinæ homines capiunt. Ait Deus: *Ponam offendiculum,* legit Theodor. *infirmitatem,* ſeu, vt alij vertunt, *ruinam, coram eo.* Ezechiel. 3. n. 30. Id eſt poni permittam. Sed quænam eſt hæc ruina, vel hoc offendiculum, quod Deus poni permittit? Vatablus, Rabbi Dauid: *Proſperari eum faciam in diuitiis, ac in omnibus viis ſuis in hoc ſæculo.* Apertè aſtruens quantam ruinam, quantum præcipitium bonorum affluentia ſecum afferat, ac ingerat. Ex quo monet Saluianus lib. 2. ad Eccleſiam Catholicam: *Ampla, & locuples facultas perditionem inferre dicitur: refugienda eſt itaque ampla poſſeſſio, ne ſequatur profunda perditio.*

Ezech. 3. Theodor. Vatablus. Rab. Dauid. *Diuitiæ ruinam parant.* Saluian.





108. Geneſ 13. Chaldæus. *Homines Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Deo.* Gen. 13. n. 13. Chaldæus vertit: *Viri Sodomitæ erant iniqui cum ſuo mammona, & peſſimi in corporibus ſuis.* Cur antequam eorum iniquitas, ac turpitudo in corporibus ſuis denotetur, prius tamen Paraphraſtes ſcribit, quod erant iniqui cum ſuis diuitiis? Ad quid id prius nobis exponitur? Vt ſignificetur, quod ex tanta rerum copia peſſimus abuſus in corporibus pullulauerit. Commemorans Dominus ignis pluuiam, in Sodomam effuſam, ait: *Edebant, & bibebant; emebant, & vendebant; plantabant, & ædificabant: pluit ignem, & ſulphur de cælo.* Luc. 17. num. 28. Cum referuntur peccata, ob quæ in tantam pœnam venit Sodoma, dicitur: *Edebant, emebant, vendebant, plantabant.* Cur non in medium adducitur eorum laſciuia, ac nefandus vſus contra naturam; ſed tantum illa? Tales actiones edendi, emendi, vendendi ad diuitiarum copiam, ac ad appetitum poſſeſſionis ſpectabant, hæc tantum aſſignantur, vtpote cauſa, ac radix omnium vitiorum ac malorum. Tertullianus lib. 1. ad vxorem. cap. 5. *Emebant,* ait, *inſigniora carnis, & ſæculi vitia definit, quæ à diuinis diſciplinis plurimum auocant.*

*Diuitiæ vitiorum radix.* Luc. 17. Tertullian.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare diuitiæ fallaces dicuntur?*

109. Burgenſis. FALLACIA, vt teſtatur Burgenſis, deducitur ex verbo Græco, & idem valet, ac ſeductio, ſeu reducere, ſeu extra viam ducere, itaut à via quis aberret, Diuitiæ autem faciunt nos maximè ab itinere ſalutis deuiare, ac aberrare. Secundò. D. Gregorius homil. 15. in Euang. ait. *Fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres chariſſimi, diuites eſſe cupitis, ad regnum cæleſte tendite; ſi gloriam dignitatis diligitis, in illa ſuperna Angelorum curia adſcribi feſtinate.* Multum fallaces, ac decipientes ſunt diuitiæ. Videntur enim ſecum afferre quandam rerum abundantiam; & tamen inopiam noſtræ mentis inferunt, cum eam à virtutibus ſpolient; videntur enim quandam ſaturitatem ſecum adducere; & tamen multam eſuriem, ac famem ingerunt: quanto enim magis habentur, tanto in maiori deſiderio ſunt, vt alibi docet idem D. Gregor.

D. Gregor. *Diuitiæ videntur afferre ſaturitatem, & famem ingerunt.*

110. Interlineal. Tertiò. Interlinealis. Fallaces ſunt diuitiæ, promittunt, quod non dant, voluptatem, & iucunditatem; ſed conferunt æternas gehennæ pœnas, vt dixi in Expoſitione. D. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Blandæ ſunt diuitiæ,* ait, *aliud agentes, aliud pollicentes: Lubrica eſt illarum poſſeſſio, dum huc illucque circumferuntur, & inſtabili gradu, vel habentes deſerunt, vel non habentes referciunt.* Fallaces ſunt diuitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes: promittunt iucunditatem, ac quandam ſtabilitatem; & tamen valdè lubrica eſt earum poſſeſſio, breui tranſiens, & ſupra modum volans. Emit agrum Abraham *Appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ.* Gen. 23. num. 16. Pro probata moneta habetur in Hebræo: *pecunia tranſiens:* Moneta erat argentea, vt patet ex textu, argento autem nihil ſolidius, ac conſtantius: Quomodo ergo tranſiens nuncupatur? Optimè ſanè cum enim eſſet pecunia, quamuis aliàs ex duro, ac firmo metallo, neſcit ſtare loco; ſed huc, ac illuc circunfertur, vt ait D. Hieron. citatus. Accipe noſtrum Diuum Cyril. Alex. in c. 6. Amos. *Huiuſmodi bona,* ait, *vt firma, & conſtantia, non vt fugacia, reputant,* ſcilicet homines. *Vniuerſa namque iſta prætereuolant, & mundana fallacia firmitudinis nihil habet.*

D. Hieron. *Diuitiæ inconſtantes, & tranſeuntes.* Geneſ. 23. Hebræus. D. Cyrill.

111. Galfridus. Quintò. Galfridus in Allegoriis Tilmani. *Nihil eſt iniquius, ait, ſapiens, quam pecunias amare. Qui pecuniam amat, ſimilitudinem colit inanem, ſolidam deſerit veritatem; ſuffocat verbum Dei diuitiarum fallacia, fallax quædam imago, vmbra, figmentum.* Valde congenita eſt diuitiis fallacia: qui enim illarum deſiderio captus tenetur, omne falſum, & inane meditatur. Immò prima litteratura in ſchola diuitiarum eſt mendacium ſequi, veritatem deſerere.

*Diuitiæ mēdacium aſportant.*

112. Venit miles Amalechites ad Dauidem annuntians ei, à ſe interfectum eſſe Saulem: ipſo Rege eum de nece interrogante, ait: *Irruens ſuper eum occidi illum, ſciebam enim, quod viuere non poſſet poſt ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.* 2. Reg. 1. Si rectè expendas, inuenies, quod iſte homo nec vnum verbum protulerit verum, ſed omnia mendaciis ſint plena. Primò in eo, quod dixit, à ſe occiſum Saulem, mentitus eſt, vt inquiunt Theodoretus, Eucherius, Procopius, Angelomus, Lyranus, Abulenſis, Serarius, & alij; & patet ex lib. 1. Reg. cap. 31. n. 2. & 4. vbi disertè aſſeritur, quod Saul ſe ipſum occiderit. Secundò non videtur veriſſimile, quod Saul in bello diadema ſuum habuiſſet in capite; erat enim armatus, & ſine regali corona, nam & ipſe ad Pithoniſam acceſſit, à qua non fuit agnitus. Tandem ille non abſtulit diadema, & armillam à Saule, ſed ea accepit à patre ſuo Doeg, vt deferret ad Dauidem, vt teſtatur Caietanus Vnde ergo adoleſcens iſte tam mendoſus, vt nec vnum in veritate verbum proferat? De illo ait Ioſephus lib. 7. Antiq. cap. 1. *Simul ſigna mortis oſtendit aurum brachiorum eius, atque coronam, quam Dauid detulerat.* Cum ergo haberet aurum, & argentum in manibus, tale ab eis hauſit ingenium, vt nihil verum diceret, ſed in omnem ſeſe immitteret falſitatem, ac diffunderet in mendacium. Ait D. Damaſcenus. lib. 2. Parallelor. c. 17. *Quis mendacij pater eſt? Quis falſæ conſcriptionis pater? Quis periurij procurator? nonne opes? nonne earum ſtudium?*

2. Reg. 1. Theodoret. Eucherius. Procopius. Angelomus. Lyranus. Abulenſis. Serarius. Caietanus. Ioſephus. *Vbi aurum, nil ibi niſi mendacium inuenitur.* Damaſcen.

113. Michææ 6. Ait Deus per Michæam Prophetam 6. num. 12. *Diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorū fraudulenta, in ore eorum.* Deſcribuntur impii, iniquitate, ac turpitudine refecti; & ſtatim eis adiungitur mendacium, ac fraudulentia, tanquam eorum valde aſſolita proprietas. Et non ſolum dicitur, quod loquuntur mendacium, ſed inſuper additur: *Et lingua eorum fraudulenta:* quaſi non ſint vno mendacio contenti, ſed quod lingua eorum, vtpote fraudulenta, neſciat aliud, niſi in dolis, fraudibuſque conſuetè verſari. D. Hieronymus. *Congregationem diuitum,* ait, *ſequitur mendacium, & manus aſſueta theſauros condere, fraudulentam linguam poſſidet; veritas paupertatem, mendacium diuitias parit.*

*Diuitiæ pariunt mendacium.* D. Hieron.

*Lucæ 8. n. 15.* Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono & optimo, audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.

### *VERSIONES.*

*Arias.* Quod autem in terram pulchram, hi ſunt, qui in corde pulchro, & optimo.

*Syriacus.* Qui corde humili, bonoque audiunt ſermonem, & amplectuntur, eduntque fructus in patientia.

*Vatablus.* Qui corde honeſto, ac bono auditum ſermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam.

*Græcus.* Fructum afferunt in longanimitate.

### ALTER TEXTVS.

*Mat.* 13. *n.* 23. Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

*Marc.* 4. *n.* 20. Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificant, vnum triginta, vnum ſexaginta, vnum centum.

### *EXPOSITIO X.*

114. IN triplici parte terræ amittuntur fructus; hæc tamen quarta præclaros illos reddit: non quod alterius eſſet naturæ, ſed quod impedimentis, approximatione ſcilicet viæ, ſaxis, ac ſpinis eſſet expers. *In bonam terram,* Græcè, *in pulchram, & honeſtam:* immò ex ipſa radice græca contendit Lucas Burgenſis, quod ſignificat illud bonum, quod non ſolum modo vult videri bonum, ſed re ipſa ſtudet eſſe bonum, & illud perficere vſque ad extremum vitæ. In quo hæc pars diſtinguitur etiam ab aliis: nam prima ſecus viam, nec externam ſpeciem curauit; aliæ verò duæ ſuper petram, & inter ſpinas, externa apparentia in herbam prodierunt, in fructu defecerunt.

Burgenſis.

115. *Qui corde bono, & optimo.* Toletus in Luc. annot. 30. ad diſtinctas perſonas hoc refert: per bonum intelligit incipientes, qui fructum trigeſimum ferunt, per optimum proficientes, ac perfectos, centeſimum fructum ferentes. Tamen D. Bonauentura, in quo etiam conſentit Toletus: *Qui corde bono, & optimo:* intelligunt bonum auditorem diuini verbi, qui ſecundum totas ſuas vires, ac potentias ſe applicat ad eius obſequium: ſecundùm intellectum, quo ipſum Dei verbum recipit, intelligit, ruminat, ac meditatur; ſecundùm voluntatem, qua ipſum amplectitur, ac in omnibus ſuis actionibus exequitur; ſecundum memoriam, qua verbum retinet, vt nunquam ab eius animo excidat: *fructum ferunt,* exercendo bona opera, quæ Lex Dei facienda præcipit; *in patientia,* ſeu conſtanti laborum tolerantia poſt ſementem operum iuſtitiæ, & laborum patienter expectant meſſem, ac fructum cæleſtis præmij. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec recipiat temporaneum, & ſerotinum.* Iacob. 5. num. 7.

Toletus. D Bonauent. Toletus.

*Secundùm omnes potentias Deo ſeruiendum.*

Iacobi 5.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare fructus promittitur colligendus in patientia?*

116. PRIMO pulchrè ait Caietanus, *Non ſufficere cor honeſtum, & vtile, niſi adſit patientia in ſuſtinendo aduerſa, & iniurias quaſcumque edocet Dominus à ſimilitudine terræ, quæ quantumuis optima, non affert fructum, niſi patiendo aratrum, & ſimilia.* Non ſufficit tantum, vt terra ſit bona ad fructum ferendum, ſed inſuper neceſſarium eſt, vt aratro præſciſa in varios ſulcos deducatur. Sic etiam non ſat eſt, quod quis recto corde Dei verbum ſuſcipiat, ſed inſuper opus eſt laborum tolerantia, & ſuſtinentia, vt fructum producat. Pro quo bellè ait D. Gregorius homil. 15. in Euang. *Sic vua calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur. Sic oliua contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit. Sic per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt. Quiſquis ergo appetit planè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare: vt tanto poſt ad Iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat.* Eccleſiaſtici 27. num. 6. dicitur: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.*

Caietanus.

*Patientia neceſſaria, vt iuſtitiæ fructus producantur.*

D. Gregor.

Eccleſ. 27.

117. Secundò. *Fructum afferunt in patientia.* Tam certus eſt laborum prouentus cum patientia, vt ipſamet tolerantia ſit iam fructus, & merces eorum ob nimiam ſuauitatem, quæ in eis tolerandis experitur. Eleganter hoc dixit Chryſoſtomus homil. ſuper Orationem Annæ, expendens verba Pauli ad Philipp. 1. num. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Sic ait S. Pater, Verbum *donatum* emphaticum præponderans, *Etenim gratia verè maxima dignum cenſeri propter Chriſtum aliquid pati; & corona verè perfecta, & merces futura retributione non minor.* Tantum exiſtimat ipſum pati, vt non videatur minor merces, quàm futura retributio. Ait Chriſtus Dominus Marc. 10. num. 29. *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Promittit Dominus ſuis athletis, non ſolum centuplum in futuro ſæculo, æternam ſcilicet vitam, ſed etiam multa, ac magnum leuamen in hoc tempore. Sed quomodo hoc complerur, cum multi ſancti Martyres videantur in hoc ſæculo deſtituti? Brixianus. *Ipſa perſecutiones pars muneris eſt.* Ipſummet pati pro Chriſto remuneratio eſt.

*Ipſa patientia, merces, & præmium.*

Philipp. 1.

D. Chryſoſt.

Marc 10.

Brixian.

118. Tertiò, vt iam dixi in Expoſitione, ſub nomine patientiæ intelligitur conſtantia, ac perſeuerantia. Quam ſententiam ſequuntur Maldonatus, noſter Beauxamis. Ac ſi dicat Chriſtus: Qui ſunt perſeuerantes, ac conſtantes in aduerſitatibus temporum hyemis, & æſtus, hi vſque ad maturitatem producunt fructus ſuos. Pro hac perſeuerantia ſibi data maximè Deum gratulatur Regius Vates Pſalm. 61. num. 7. *Ipſe Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo.* D. Ambroſius. *Semel in petra Chriſti locatus lubricum non debet habere veſtigium, ſed tenerè ſtatus proprij firmitatem.* Vnde iuxta lectionem Tigurinam dicitur Eccleſiaſt. 1. num. 16. *Væ vobis, qui amiſiſtis patientiam:* id eſt, qui non fuiſtis conſtantes inter Domini probationes.

Maldon. Beauxam.

*Conſtantia neceſſaria ad percipiendos fructus.*

Pſ. 61.

119. Quartò, D. Remigius in Catena D. Thomæ ad cap. 13. Matth. *Terra bona,* ait, *eſt fidelis conſcientia Electorum, ſiue mens Sanctorum: qui verbum Dei cum gaudio, & deſiderio, & cordis deuotione ſuſcipit, & inter proſpera, & aduerſa viriliter conſeruat, & ad futura producit.* Hæc eſt bona, & præclara terra, quæ inter proſpera, & aduerſa viriliter agit, & fidem conſeruat; nec proſperis ſuperbeſcens rapitur extra ſe; nec aduerſis deficiens cadit, ſed patienter ſuſtinet, vt exoptatum iuſtitiæ colligat fructum.

D. Remig.

*Animus virilis ſtat firmus in proſperis, & aduerſis.*

120. Audita fama miraculorum Chriſti, magna fide plena, pro filiæ ſalute deprecans venit ad ipſum Chananæa; & cum à Domino eſſet repulſa, quia filiorum panis non eſſet canibus mittendus, adhuc generosè ipſa inſtat. *Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Matth. 15. num. 27. Statim Dominus eius fidem extollit: *O mulier, magna eſt fides tua!* ac filiæ ſalutem concedit. Illud maximè notandum, quod fides mulieris non laudatur, nec quando ad Dominum venit è finibus ſuis, nec quando audit filiæ ſanitatem; ſed quando vt canis repellitur, tunc ei dicitur: *O mulier magna eſt fides tua!* Potius tunc videbatur eius humilitas prædicanda, nam ob illam, vt notat D. Hieronymus, *non canibus, ſed catellis ſe comparat,* quod minus eſt. Tamen eius fides tanto præconio celebratur, quia percepta iniurioſa repulſa, vt ponderat D. Chryſoſtomus homil. 17. ex variis in Matth. *Non reſpuo opprobrium,* ait, patienter ſuſtinet; æqualiter tunc fidem conſeruans, ac quando filiæ ſanitatem reportat, parique longanimitate ſe habens, dum vt canis contemnitur, ac quando vt filia remuneratur; proindeque valde digne eius fides celebratur, digneque multis ipſa donis cumulata reſplendet. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Patientiſſimè omnia pertulit,* ait, *longanimiter perſeuerauit rogando, vt probat euangelicus ſermo, & Domini reſponſis fidem eius laudat Dominus: O mulier, magna eſt fides tua: non qualiſcumque ſed magna; eique dicitur: fiat tibi, ſicut vis.*

Matth. 15.

D. Hieron.

D. Chryſ.

*Vera fides pari modo ſe habet in proſperis, & aduerſis.*

D. Paſchaſ.

121. Narrat D. Lucas 8. num. 2. quod iter faciebat Ieſus per ciuitates, & caſtella, prædicans regnum Verbi Dei, & curans ægrotos & quod ibant duodecim Apoſtoli, & Maria Magdalene, & Ioanna vxor Chuſæ, & Suſanna, *& aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Pro quo magno obſequio non legimus quid eis ſit à Domino elargitum. Tamen cum ipſæ ſanctæ mulieres, ſepulto Domino, pergerent ad monumentum, in hoc Apoſtolis præferuntur, vt primò ante cæteros Domini aſpectu recreentur. Cur quando Dominum concomitantur per caſtella, & vrbes, nil peculiaris fauoris eis inuenitur exhibitum; modò autem tanta benignitate, ac dono ſublimantur? Sequebantur ſanctæ mulieres Dominum euangelizantem, ac vniuerſos morbos expellentem, quando & duodecim Apoſtoli ſequentes, ac totus mundus poſt eum abibat, omnibuſque plauſibilis erat. In ſepulchro autem iacebat Dominus mortuus, à ſuis deſertus, & ab hominibus reprobatus. Animus tam conſtans, vt in proſperis, & aduerſis firmiter adhæreat, ac alternis rerum viciſcitudinibus non cadat, ſed per cuncta diſcrimina immobilis perſeueret, multa ſanè æſtimatione dignus, valdeque promeritus, vt omni munere afficiatur. D. Chryſoſtomus homil. 89. in Matth. *Diligenter conſidera,* ait, *quanta illarum conſtantia eſt. Sequebantur ipſum miniſtrantes ei vſque ad pericula. Quare primæ quoque ipſum, cum ſurrexiſſet, viderunt: & ſexus, qui maximè fuit condemnatus, primus bonorum contemplatione perfruitur: quod maximè illarum fortitudinem ſignificauit. Diſcipuli enim fugerunt, illæ permanent.*

Luc. 8.

Matth. 28.

*Qui ſequuntur, dum alij fugiunt, maximè laudandi.*

D. Chryſoſt.

## CAP. XXVII.

### *Superſeminatur zizania.*

*Matth.* 13. *n.* 24. Aliam parabolam propoſuit illis dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Aliam parabolam ænigmaticè propoſuit eis, inquiens: Simile eſt regnum cælorum viro ſeminanti.

*Vatablus.* Aſſimilatum eſt regnum cælorum homini ſeminanti.

*Chriſtia. Grammaticus.* Simile eſt regnum cælorum homini patri, qui ſeminauit.

*Arias.* Seminauit pulchrum ſemen.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.* 4. *n.* 26. Et dicebat: Sic eſt regnum Dei: quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram.

## *EXPOSITIO I.*

1\. IN ſuperiori parabola ſignificauit Dominus, Euangelium prædicatum in omnibus auditoribus non ſemper ferre fructum; tres enim ſeminis partes ſunt amiſſæ; vna, quia cecidit ſecus viam, quæ à volucribus, ſeu dæmonibus deuorata eſt; alia verò, quia in terra dura, & ſaxoſa; tertia autem, quia inter ſpinas, diuitias ſcilicet, ac voluptates ſæculi: quarta tamen ſeminis pars in terra bona ſpargitur. In hac ergo parabola, vt docent Abulenſis, & Caietanus, denotat Dominus, non omnes, qui ſunt in terra bona, nempe Eccleſia, ſemper eſſe bonos, & honeſtos; in ea enim multi mali, & hypocritæ ſunt permiſti cum bonis, & ſynceris. Theophylactus. *Oſtendit*, ait, *quod neque illud pſum ſemen, quod in terram bonam cecidit, incorruptum ſinat hoſtis, dum nos dormimus, & ignaui ſumus.*

*Quare Dominus hic poſuit parabolam hanc.* Abulenſ. Caiet. Theophyl.

2\. *Propoſuit illis*, ſcilicet turbis, vt explicat D. Thomas, de quibus dicitur initio cap. huius 13. num. 1. *Locutus eſt eis multa in parabolis*, Ecce Chriſti verba. *Simile factum eſt regnum cælorum*, ſeu, *aſſimilatum eſt regnum cælorum*, vt alij legunt, per quod ipſummet filium Dei incarnatum interpretantur D. Remigius, Euthymius. Tamen multo aptius per regnum cælorum, vt docent Abulenſis, Carthuſianus, Hugo, Beauxamis, ſignificatur Eccleſia militans, in qua eſt populus regeneratus. Ponderat Albertus Magnus, quod non dicitur regnum cæli, ſed cælorum: Dicitur pluraliter, ait, quia non gubernat ſecundum vnum actum, ſed ſecundum omnem actum regni illius, quo vnumquodque iuxta illius exigẽtiam regit, ac gubernat. *Homini*, ſcilicet patrifamilias, in quo Chriſtus denotatur, qui ſeminauit, ac diffudit ſuum Euangelium. *Qui ſeminauit*, alij legunt in præſenti, ſeminanti, *Bonum ſemen:* pulchrum, & excellens ſemen. Interlinealis. *Bonus bonum ſemen ſeminat in agro ſuo*, non in alieno; ſuis contentus eſt, & non in alienam meſſem mittit falcem. Ager, vt ait D. Thomas, denotat totum mundum, in quo ſunt boni, & mali; vel etiam, vt ait Theophylactus, animam, in qua pullulant bonæ, & malæ cogitationes.

S. Thom. Matth. 13. D. Remig. Euthym. Abul. Carthuſ. Hugo. Beauxam. Albert. Mag. *Iuxta cuiuſque exigentiam gubernandum.* Interlin. D. Thom. Theophyl.

3\. Totius parabolæ ſenſus eſt: Quale quid contingit in mea Eccleſia, ac regno meo, ac quando quis ſeminat bonum ſemen in agro ſuo; & inimicus occulte veniens ſuperſeminat zizaniam, quod D. Marcus apertè explicauit dicens: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat.* Tota parabola potius confertur toti rei ſignificatæ, vt optimè ait Abulenſis, quàm potius pars parti; alioquin homo ſeminans non diceretur ſimilis regno, ſed regi cælorum. Regnum cælorum eſt Eccleſia militans, vt iam dixi, homo ſeminans eſt filius hominis; ager vero eſt mundus, in quo eſt Eccleſia; bonum ſemen ſunt ſancti, & boni, ipſo Domino interprete, hoc cap. 13. Matth. num. 38. Zizania autem iniqui, & mali. Denotatur, quod in Eccleſia non ſolum ſunt boni, ſed etiam mali. Significatur etiam, quod Deus non eſt auctor mali ſeminis, ſeu malorum hominum; Diabolus enim eſt eorum auctor, ac mali ſeminis ſeminator. Meſſis conſummatio ſæculi, Meſſores Angeli, vt explicat ipſe Dominus infra. Serui præſules Eccleſiarum.

*Parabolæ ſenſus.* Matth. 13.

## QVÆSTIO I.

### *Quare iſte ſeminator hic dicitur homo tantum, & non potius rex, vel paterfamilias, vt infra?*

4\. DICITVR in parabola: *Simile factum eſt regnum homini.* In præſenti in quæſtionem vocamus: Cur iſte Sator dicitur homo tantum; cur non vocatur rex, vt in alia parabola, de qua infra; vel cur etiam non nuncupatur paterfamilias, talis enim erat ille, & ita de eo dicitur in hoc cap. 13. Matth. num. 28. Accedentes *ſerui patrisfamilias dixerunt ei.* Cur ergo hic tantum dicitur homo?

*Ratio dubitandi.*

5\. Reſpondeo. Primo. Quod iſte Sator dicitur hic primo homo, & non paterfamilias, vt ille alius Matth. 20. num. 1. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam.* Sator autem noſter non ſolum per ſeruos, ſed etiam per ſeipſum laborabat, ac ſemina effundebat in terram: ita intelligo illud: *Qui ſeminauit bonum ſemen.* Cum autem homo natus ſit ad laborem Iob. 5. num. 7. ex proprio ergo opere nomen hominis illi adaptatur. Secundò. Non præfigitur ei hic ſtatim in limine ſpecioſum nomen, ac magnus titulus patrisfamilias; quia hæc ei deferebant, tantoque eum honore condecorabant præclara eius opera, labor in ſerendo, vigilantia in cuſtodiendo, prudentia, ac maturitas in decernendo: Magna autem gloria, & excellentia, non ex nomine, nec ex titulo, ſed ex operibus deriuatur, ac participatur. Vide ſupra cap. 13. num. 78. 79. & 80. & cap. 15. num. 24. & tom 1. lib. 1. cap. 2. quæſt. 9. num. 25.

Matth. 20. Iob. 5. *Hominis opus labor.* *Excellentia viſitur ex opere, non ex titulo.*

6\. Tertiò, in præſenti dicitur tantum homo: infra vero num. 28. paterfamilias: *Serui patrisfamilias dixerunt ei.* Cur non idem ponitur nomen, ſed variatur? Hoc loco introducitur bonus Sator in labore degens, ſpargens grana, vt frumentum familiæ prouideret: infra verò apparet in magna vigilantia, ac cuſtodia pernoctans; nam cum veniret inimicus nocte, & ſuperſeminaret zizaniam, nullus ex ſeruis, vtpotè dormientibus, illum agnouit; at vero cum Dominus eſſet vigilans ſupra meſſem ſuam, nil eius intuitum effugit, ſed apprimè inimicum cognouit, & illius aduentum aliis declarauit: *Inimicus homo hoc fecit*; vt ibi dicam. O quam valde conueniens eſt vigilia, ac cuſtodia maioribus, ac dominis, vt plus proprium illi videatur, magiſque nomen patrisfamilias conueniat noſtro ſatori vigilanti in cuſtodia ſuper agrum, & ſegetem ſuam, quàm laboribus agriculturæ inſtanti, vt ſuos cibare valeat, eiſque alimenta prouidere.

*Vigilantia maximè declarat patremfamilias.*

7\. Quartò, ſimile eſt regnum cælorum homini. Cur tantum appellatur homo, & non rex, cui regnum cælorum comparatur, vt alibi legimus factum: *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Matth. 22. numer. 2. Perpende vtriuſque parabolæ diſcrimen. Noſter Sator, in præſenti, ſuæ tantum vtilitati, & ad plurimum ſuæ familiæ conſulebat; ſeminat in agro ſuo, & non aliorum. At vero princeps in nuptiis fecit conuiuia, vt cuncti, qui valent cibum ſumere, ac illis epulis ſaturari, venirent ad Cœnam: Rex ergo nuncupatur, qui aliorum commo-

Matth. 22. *Qui communi bono, at[…] dit, re[…]*



modo attendit; homo autem vocatur, & non rex, qui propria dumtaxat conſiderat, & proſpicit. Igitur qui in agro ſuo ſeminat, homo tantum; qui autem ait: *Ite ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias*, homo rex.

8\. Minacibus verbis prouocabat Goliath totum Iſraëlem, contra quem ad ſingulare certamen proceſſit Dauid ipſumque interfecit. De quo pulchrè ait D. Baſilius Seleucus Orat. 15. in Dauidem. *Cum nullus è toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul, tunc militem ſuum producit in medium gratia, verè regem factis declarans.* In hoc opere verè ſe regem oſtendit Dauid. Cur non potius quando paſcebat oues, & pro earum tutamine leonem, & vrſum dilacerabat? *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, & vrſus, tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebámque eos: nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* 1. Reg. 17. num. 34. Cur in duello Goliath rex manifeſtatur, & non potius in tam mirabili facto? Dauid occidebat leonem, & vrſum, vt cuſtodiret proprium gregem, defenderétque oues patris ſui. In pugnam cum Philiſthæo deſcendit pro communi Reipublicæ bono, pro omniúmque ſalute: ſolùm autem ſe verè regem oſtendit, non qui propriis inhæret commodis, ſed qui communi omnium negotio incumbit, cunctorúmque cauſam in ſe ſuſcipit. Hanc rationem innuit idem Baſilius ſic proſequens. *Dum pugnæ prouocationem ad ſe rapit, & oratione conſauciatum Saulis animum præſanat.*

D. Baſil. Sel. 1. Reg. 17. *In communi vtilitate, nõ vero particulari ſe rex declarat.*

9\. Cum rex Ezechias, grauiter ægrotans, accepiſſet ex Dei mandato ab Iſaia Propheta ſe eſſe moriturum; multum ſe affligens orauit & fleuit ad Dominum. Cuius preces cum audiret diuina maieſtas, ait Prophetæ 4. Reg. 20. n. 5. *Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei.* Vatablus, *ad Ezechiam principem populi mei*; Arabicus, *Ezechiæ regi populi mei*; quod ſcilicet exaudita eſt oratio eius, & ipſe viuet. Poſtea vero cum aduenifſent legati Aſſyriorum, & eis oſtendiſſet Ezechias omnes theſauros ſuos, dictum eſt ei à Domino, regnum eius fore deuaſtandum; adiicitur tamen, quod illud non fiet in diebus eius, ſed in diebus ſuorum filiorum. Subdit textus. *Dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonus ſermo Domini, quem locutus es; ſit pax in diebus meis.* Citato cap. n. 19. Cur quando Ezechias lachrymatur, tunc dux, princeps, rex nuncupatur; modo autem cum pacem poſtulat, ſolum dicitur Ezechias? Denuntiata ſua morte lachrymatur ipſe, vt inquiunt Auctor Mirabilium ſacræ Scripturæ, Abulenſis, Caietanus, & in cap. 38. Iſai. D. Hieronymus, Cornelius à Lapide. *Fleuit ergo*, ait, *quia non habebat prolẽ, ex qua naſceretur Chriſtus, Abrahæ, & Dauidi promiſſus.* Quaſi ſubiret in illius mentem, ne ex morte eius, cum ipſe non haberet filium, commune bonum periclitaretur; ne inde ſcilicet proueniret aliquod impedimentum ad Chriſti aduentum, ex eius ſemine in omnium ſalutem promiſſi. Cum Ezechias affligitur, ac lachrymatur pro cunctorum negotio, tunc dux, princeps, ac rex nuncupatur. Cum autem contempta regni vtilitate, ſolum de ſua tranquillitate, ac iucunditate agit: *fiat pax in diebus meis:* tunc nec dux, nec princeps, nec rex, ſed veluti quidam particularis homo Ezechias dicitur. Vide hoc libro, & tom. 1. & 2. verbum Prælatus.

4. Reg. 20. Vatabl. Arabicus. Auctor Mir. Abulenſis. Caiet. D. Hieron. Corn. à Lap. *Qui de communi bono agit, magnũ nomen promeretur.*

*Matth. 13. n. 25.* Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.

## *VERSIONES.*

*Hebraicus.* Cum dormirent omnes, venit inimicus eius, & ſeminauit vrticas, ſeu cardos.

*Vatablus.* Dormientibus autem hominibus, venit illius inimicus, & ſeminauit zizania inter triticum.

*D. Zeno ſer. de circunciſ.* Superſeminauit zizania in triticum.

## *EXPOSITIO II.*

10\. CVM *dormirent homines*, ex Hebræo legitur, *Omnes*, per quod denotatur, vt ait Abulenſis, profundum noctis, ſeu media nox, quando dormientibus cunctis nullus aderat, qui prohibere, vel obſeruare poſſet. *Venit inimicus.* Cum Æmulator ſolertiam ſatoris in ſeminando, diligentiam ſeruorum in cuſtodiendo, bonitatem ſeminis in ſua virtute, ac terræ ex ſua capacitate videret pinguedinem; inuidens tantæ hominis fœlicitati inferre nocumentum parat. Et cum ad hoc opportunam occaſionem eſſet nactus; dormierant enim omnes; aduenit ipſe inimicus, diabolus ſcilicet, & *ſuperſeminauit zizania*; ex Græco legitur, *ſeminauit*. Zizania herba quædam eſt, quæ in apparentia parum differt à tritico, eique maximè aduerſatur, & ſegetibus valde inimica conſiſtit: inutilis eſt fortificationi ſeminis, officit incremento, ſata ſtrangulat, ac ſuffocat; ſuccum enim in radicibus, quo ſemina nutriuntur, depopulatur. Plinius lib. 18. cap. 17. peſtem agrorum vocauit. *In medio tritici*, ſeu inter triticum, Albertus Magnus, vt vndique triticum teneat, & impediat. *Abiit* ſtatim, ne auctor tot malorum agnoſceretur. Interlinealis. *Latuit, & occultatiſſimus factus eſt.*

Abulenſ. Græcus. Plin. Interlin.

## QVÆSTIO II.

### *Quare homines iſti, aliàs probi, ita dormiunt, vt pateat aditus inimico?*

11\. SERVI iſti ex multis probantur probi. Primò, quia electi ſunt à tanto Domino ad excolendum agrum ſuum. Secundò, quia viſa zizania valdè diligenter confluunt ad Dominum, illius cauſam inueſtigantes. Tertiò, quia labori non parcunt, ſed ad eam eradicandam, ac colligendam ſe offerunt. Quomodo ergo vtraque aure tam profunde dormiunt, vt inimicus irruat ad ſeminandam zizaniam?

*Difficultas quæſtionis.*

12\. Reſpondeo primò, quod dormiunt ex quadam naturali conditione, cum homines eſſent, vt dicam quæſt. ſequenti ex Caietano. Secundò moraliter. D. Hieronymus cap. 13. Matth. D. Auguſtinus quæſt.

D. Hieron. D. Auguſt.

D. Paſchaſ.

quæſt. 11. in Matth. D. Paſchaſius lib. 7. Per hanc dormitionem interpretantur Apoſtolorum mortem, hac enim occaſione Hæretici, ac impij ſuam hæreſim, ac zizaniam ſeminarunt. Ex morte, ac abſentia boni paſtoris multa mala pullulant. *Intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces, in vos, non parcentes gregi.* Actor. 20. num. 29. Tertiò. Beda ait, Quod præſenti ſententia, *Cum dormirent homines venit inimicus:* admonemur, quod omnes noſtræ potentiæ, & ſenſus ſint vigilantes, *Ne dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargat.*

*Mors boni paſtoris multa bona parat.* Actor. 20. Beda.

13. Quartò. D. Chryſoſtomus homil. 47. in Matth. D. Hieronymus; D. Auguſtinus. D. Paſchaſius citati; D. Bernardus lib. 2 De conſideratione. Per homines dormientes intelligunt illos paſtores Eccleſiæ negligentes, & dormientes, ex quorum incuria, ac pigritia naſcuntur in eorum agro, ſcilicet diœceſi, vrticæ, ſpinæ, zizania, dæmonis arte. De quo ait D. Chryſologus ſerm. 97. *Inſidiator vigilantes fugit, appetit dormientes.* Gen. 9. num. 11. *Dormiuit Noe inebriatus in tabernaculo ſuo, & filius eius Cham nuntiauit duobus fratribus ſuis foras.* Pulchrè D. Ambroſius lib. de Noë, & arca cap. 11. *Nil mirum: dormiebat, cum erraret filius.* Facta oratione in Horto, ad Diſcipulos reuertitur Dominus; & cum eos inueniſſet ſomno deditos, ait: *Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare mecum.* Marc. 14. n. 31. Eleganter ibi Salmeron. *Nominat antiquo nomine Simonem, qui in regimine conſtitutus dormit indignus eſt qui vocetur Petrus, cum veteris hominis opera, non autem noui præſtet, vt debet.*

D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Auguſt. D. Paſchaſ. D. Bernard. *Somnus, ac negligentia Prælati multa mala inducit.* D. Chryſol. Geneſ. 9. D. Ambr. Marc. 14. Salmeron.

14. Quintò. Multi erant ſerui & tamen vniuerſi dormiunt. Vbi enim nos habemus, *dormierunt homines*, Hebraicus habet *omnes*. Nullus vigilauit, ſed cuncti ſe ſomno dederunt. Forſitan quilibet in alterius cuſtodia enitebatur; & inde prouenit, vt omnes ſomno indulgerent. O quàm ſæpè contingit, quod *multitudo ſeruorum penuria ſit famulorum*, vt dixit Seneca. Valde frequenter accidit, quod ſi multi conſtituantur cuſtodes, vnuſquiſque in alterius vigilia confidens, ignauus, ac piger fiat; & tunc dormiant omnes atque dormitent, & oſtium domini latronibus, ac inimicis pateat, ſic cum dormirent in ſuo exercitu Saul, & Abner, ac populus in circuitu, ſcilicet vniuerſi cuſtodes, vt obſeruant Abulenſis, Carthuſianus, & alij 1. Reg. 26. num. 7. Dauid, & Abiſai, qui aduerſarii Regis reputabantur, tutum vſque ad Regis tentorium habuere ingreſſum, vt inde ſcyphum aſportarent, & lanceam, & forſitan ita vniuerſi cuſtodes erant ſomno oppreſſi, quia cum multi eſſent, vnus de alterius vigilia, ac ſolertia præſumebat.

*Sæpè vnus ſeruus in alterius cuſtodia confidit.* Seneca. Abulenſis. Carthuſ. 1. Reg. 26.

15. Sextò, Homines iſti multo honore fuerant ſublimati à Domino ad illius agrum vocantur; illius cuſtodes, ac cultores ſunt conſtituti, omniaque illorum curæ commiſſa. Cum ergo tanto apice eminerent, inde deſides euaſère, ac in multam incuriam abierunt vt omnes ſomno indulgentes dormirent. Magna dignitas multam negligentiam, multamque vecordiam multóſque defectus parit, vt iam rarus ſit qui in ſublime feratur, & inde non ruat. Sic ait Carthuſianus 2. Reg. cap. 16. *Magna difficile eſt in magnis officijs vitare peccata.*

*Homines cùm ſe elatos vident in honores, ſtatim in negligentiam ruunt.* Carthuſ.

16. Vidit Ioannes in Apocalypſi 1. num. 16. filium hominis, *Et habebat in dextera ſtellas ſeptem.* Quæ, ipſo Angelo interprete ſtellæ ſeptem Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum. ibidem num. 20. Statim inſurgit difficultas: Quomodo ſeptem Epiſcopi Eccleſiarum Aſiæ dicuntur ſtellæ ſeptem lucentes, ac fulgentes in manu Dei, cum eis ſtatim multi defectus obiiciantur. Angelo enim Epheſi dicitur: *Habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti: memor eſto itaque, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apocal. 2. num 4. Et Angelo Pergami Eccleſiæ. *Habeo aduerſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari*, &c. Apocal. 2. num. 14. Et Angelo Laodicææ dicitur: *Scio opera tua, quia neque frigidus, neque calidus es: vtinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es & nec frigidus, nec calidus, incipiam te emouere ex ore meo. Neſcis quia tu es miſer, miſerabilis, pauper, & cæcus.* &c. Apocal. 3. num. 15. Quomodo ergo hi in quibus tot defectus, ac reatus numerantur, cum radiantibus ſtellis conferuntur? Quando viri iſti Dei manu aſſumpti fuerunt ad regimen Eccleſiarum, eorum virtus ac puritas veluti fulgentiſſima ſtella reſplendebat, cum tamen in dignitate eſſent conſtituti, eorum virtus ecclipſim paſſa eſt & multa caligine inuoluta, vt ſaltem in aliquibus noctium tenebris fuerit obfuſcata. Anſbert. lib. 2. in Apocalypſim. ad illa verba dicta Angelo Epheſi. *Prima opera fac.* Sic ait: *Redeat ad mentem celſitudo dignitatis tuæ, quando mihi dilectione coniuncta ſanctitatis decore fulgebas, virtutumque prole fœcundabaris; atque reiecto amoris mei fœdere ſubintroductum huius ſæculi amorem, tanquam adulterium, ſuſcepiſti; decorem ſanctitatis, prolemque virtutum amittens, genimina vitiorum quaſi vile mancipium, parere cœpiſti.*

Apoc. 1. Apoc. 2. Apoc. 3. *Dignitas defectus, ac pigritiã parit.* Anſbert.

17. Ait Regius Vates Pſal. 1. num. 1. *Beatus vir, qui non abiit in concilium impiorum, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Alii legunt: *in cathedra peſtium*; Brunonius, *in cathedra inficientis peſtilentia.* Sed quænam eſt hæc cathedra peſtium vniuerſarum? D. Auguſtinus, Remigius, & alii interpretantur regum, ac principum thronum. Sicut enim circuniacentia contagium, ac corruptionem patiuntur à peſtilentia; ſic etiam à dignitate, & honore, veluti quodam veneno omnium peſtium, corrumpitur probitas morum, oculorum vigilantia, animi puritas, conſcientiæ ſynceritas, iuſtitiæ rectitudo. D. Hilarius, *Illa eſt*, inquit, *cathedra peſtilens, cuius contagium Pilatus, manus abluendo, deuitat. Quamuis enim multi religioſi propoſiti tenaces ſint; tamen neceſſitate ſedis obtentæ, cum ad contumeliam, cum ad iniuriam, cum ad pœnam, cunctante licet voluntate, coguntur: facit eos neceſſitatis ipſius participes, cum tanquam lue moribunda imbuuntur.*

Pſalm. 1. *Altera lectio.* Brunon. D. Auguſt. D. Remig. *Honores corrumpunt mores.* D. Hilar.

## QVÆSTIO III.

### *Quare homines, & non ſerui, vel cuſtodes dicuntur dormientes?*

18. RECTE respondet Caietanus. *Non dicit cuſtodes*, ait, *ſi enim dixiſſet cuſtodes, intelligeremus, negligentiam cuſtodum accuſari: ſed dixit homines, vt inculpabiles intelligamus naturali ſomno occupatos.* In præſenti non eos nominat Euangeliſta ſeruos, vt infra num. 27. quando pro ſuo debito munere conueniunt ad patrem familias: ſed homines appellat, nam ſi dicerentur ſerui, vel cuſtodes dormientes, aperta fronte arguebantur, cum vigiliam, ſibi commiſſam, dormiendo deſeruiſſent. At vero cum homines dicantur, maximè ex noſtra communi conditione excuſantur; cum dormitio naturaliter homini accidat. Hic eſt enim conſuetus iuſtorum vſus, vt cum compellantur aliorum defectus enarrare, eos tali phraſi proponant, vt ſimul abſcondant; ac eos quoad fieri poteſt, à crimine excuſent. Sic ſe habuit Euangeliſta, cum neceſſario, vt obſeruauit Caietanus, homines dormientes eſſent referendi, vt deſcriberetur, quod inſciis ipſis ſata ſit zizania.

Caiet. *Iuſti in proponendo aliorum defectus, eos excuſant.*



19. Cum Dominus hoſpitaretur apud Abraham, promiſit ei, elapſo anno, filium ex Sara, quæ in tabernaculo ſuo, cum illud audiſſet, riſit ex quadam dubitatione, vt placet D. Auguſtino apud Gloſſam. Riſus mulieris à Domino fuit argutus, dicente ad Abraham: *Quare riſit Sara? Nunquid Deo quidquam eſt difficile?* Quod cum audiſſet Sara, rem inficiatur: *Negauit Sara dicens: Non riſi: timore perterrita.* Geneſ. 18. num. 15. Magnum crimen, magna ignorantia, ac audacia deteguntur in muliere: nam Deo, cui omnia nuda ſunt oculis eius, affirmante, ipſa tamen apertè negare audet: *Non riſi.* Perpende tamen quid ſtatim addat Scriptura: *Timore perterrita.* Ad quid hoc ponitur, niſi vt videas, quod ſi deſcribitur illius culpa, tamen ſtatim illi annectitur excuſatio: negauit, timore tamen percuſſa, qui illius mentem perturbauit, iudicium illaqueauit, ac conſiderationem obfuſcauit Lippomanus. *Sara præ anguſtia, fœminarum more mentitur: mulier enim erat, & filia Euæ; ſed excuſatur etiam ab ipſa Scriptura, quia timore erat perterrita.*

D. Auguſt. Gen. 18. *Scriptura factum Saræ narrans, culpam minuit.* Lippoman.

20. Cum Ioſeph ſe fratribus ſuis manifeſtaſſet in Ægypto, ait, illis: *Nolite pauere, neque durum eſſe vobis videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* Geneſ. 45. num. 5. Quid eſt, quod de venditione ſua agens, ſtatim illius nomen mutat, & miſſionem, ac ordinationem à Deo factam dicit? Cur carceres, ac labores ſuos perpeſſos non commemorat, ſed illis ſuppreſſis, pro eorum vita ſe aſſerit à Deo illuc fuiſſe deſtinatum, vt crimen aliqualiter excuſet, leniat culpam, affirmans, quod illud potius egit diuina prouidentia, quàm humana impietas. D. Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 12. *Quàm pia fraternitas*, ait, *quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excuſetur admiſſum, dicens, illud diuinæ prouidentiæ fuiſſe, non impietatis humanæ, quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, ſed à Domino miſſus ſit ad vitam.* De hoc vide multa in Indice. Verbum Defectus & tom. 1. & 2.

Gen. 45. *Venditio Ioſeph miſſio nuncupatur.* D. Ambr.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare inimicus nocte venit?*

21. RESPONDEO primò, iuxta litteram cum Caietano. Ideo veniſſe nocte, & eo tempore, quo homines dormiebant, quia ſi ipſi eſſent in vigilia, ei aditum prohiberent, illeque in agrum minimè haberet ingreſſum. Secundò, bonus Sator clara luce ſeminat; at inimicus, & malus ſub caliginoſis noctium tenebris zizaniam diffundit, ac ſpargit: forte quia ipſemet erubeſcebat, tam vitioſum, ac iniquum ſemen emittere. *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ioan. 3. num. 20. Vide ibi dicta tom. 2.

Caiet. *Iniquus de ſua nequitia erubeſcit.* Ioan. 3.

22. Tertiò, nocte acceſſit, quia nullum tempus, nullamque horam prætermittit inimicus, in qua nobis bellum non inferat, ac nocere intentet. Quartò, nocte venit ob infirmitatem; non audet, vigilantes, ſed dormientes inuadere. D. Chryſologus ſerm. 97. iam ex parte datus. *Inſidiator*, ait, *vigilantes fugit, appetit dormientes: maximæ infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe.* Vide cap. 22. num. 149. & tom. 2. cap. 25. quæſt. 11. n. 67. & 68. Quintò, idem Chryſologus citatus. *Diabolus*, ait, *hoc ideo tenebris celantibus eſt molitus, vt adulteratæ meſſis noxa redundaret ad ſeruos, & hinc pœnam ſumerent, vnde ſperauerant palmam.* Totis viribus inimicus intendit, Domino, & ſeruis officere: nocte ingreditur, vt corrumperet zizania bonum ſemen, & optimi ſatoris labor eſſet inanis; venit nocte, vt ſerui ex dormitione arguantur; & non ſolum, vt expellantur à præmio; ſed etiam vt pro illo pœnam reportent.

*Diabolus omni tempore nos impugnat.* *Diabolus infirmus.* D. Chryſol. D. Chryſol. *Diabolus intendit, vt vnde ſperamus præmiũ, habeamus pœnam.*

23. Sextò, alta Dei prouidentia permittitur, vt nocte veniat, vt clarè deprehendatur, quantum malitia inimici ipſum fefellit. Venit dormientibus hominibus, vt eis inferret iniuriam, cum ſuper agrum eis commiſſum tam alto ſomno dormirent. Sed in hoc, quo eis voluit ignominiam impingere, magnum leuamen, ac excuſationem præbuit, cum ipſis dormientibus ille intraſſet; nam ſi homines eſſent in vigilia, & excuſſo ſomno, minimè ille aditum haberet: quod autem ſomno deditis fit, non in multum opprobrium cedit, cum ibi homo non ſit ſui compos, ſed veluti mortuo ſimilis perexiſtat.

*Somnus excuſat à culpa.*

24. Cum Dauid eſſet ingreſſus ſpeluncam, in qua latitabat Saul, *Ipſe præcidit oram chlamydis Saul ſilenter. Poſt hæc percuſſit Dauid cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis.* 1. Reg. 24. numer. 6. Aliter vidimus factum eodem lib. 1. Reg. cap. 26. num. 12. *Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat quiſquam, qui videret, & vigilaret, ſed omnes dormiebant.* Cur ob præciſam oram chlamydis Saul pœnitentia, ac dolore commouetur Dauid; non ſic vero ob ablatam lanceam; immò de hoc ſpolio videtur gaudere, nam ipſe dixit Abiſai. *Tolle haſtam, & ſcyphum, & abeamus*: iuxta Hebræum legitur, *abeamus nobis*, id eſt, vt explicat Caietanus, *ad noſtrum bonum.* Vnde ergo iſta differentia, cum maior iniuria videatur illata vni regi in exercitu auferendo arma, quàm illi oram veſtis præcidendo? In ſpelunca extabat Saul vigilans; in tentorio autem magno ſomno oppreſſus: & Dauid ſolum reputauit iniuriam, quod vigilanti fiebat, non autem dormienti: vnde de primo magno dolore tangitur, non ſic verò de ſecundo, cum ipſe ſomnus regem ab omni opprobrio liberaret.

1. Reg. 24. 1. Reg. 26. *Iniuria in ſomnis illata, non eſt multum grauis.* Caietan.

* * *

QVÆSTIO

## QVÆSTIO [illegible]

*Quare inimicus potius ſeminat zizaniam, quàm aliam nociuam herbam?*

25. D.Chryſol. IN hac quæſtione inquiro primò: Cur inimicus ſeminat zizaniam? Deinde cur ipſam potius quàm aliam herbam nociuam? Ad primum reſpondet D. Chryſologus citato ſerm. 97. *Superſeminauit zizaniam, vt quid? Vt periret dominica meſſis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? Niſi quod inuidiæ ſpiritus hominum damnum ſuum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc ſe exiſtimat acquiſiuiſſe.* Inuigilat, & pernoctat inimicus, obſeruatque dormientes homines, ad hoc tantum, vt ſeminet zizaniam peſtiferam herbam, & nocumentum inferat, quia nobis nocere emolumentum ſuum iudicat. Vide ſupra cap. 22. numer. 129. 137. 138. & 139. & tom. 2. cap. 21. num. 25.

*Diabolus pro emolumento habet, hominibus nocere.*

26. Matth. 13. Syrus. Arabic. Secundò, Chriſtus Dominus hoc c. 13. Matth. num. 38. explicat, quod zizania *ſunt filij nequam,* ſeu, vt vertit Syrus, & Arabicus *filius illius maligni*, ſcilicet diaboli. Qualis vnuſquiſque, talia & illius opera. Deus, cum ſit per naturam bonus, bona operatur. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. Diabolus autem, cum ſit malitiæ, ac nequitiæ pater, quidquid ipſe ſeminat, vt obſeruant Chryſoſtomus, & D. Thomas, malignum, ac peruerſum eſt. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 2. quæſt. [illegible]

*Qualis vnuſquiſque talia illius opera.* Gen. 1. D. Chryſoſt. D. Thom.

27. Iſai. 1. D. Baſil. Tertiò, D. Baſilius [illegible] verba num. 2. *Filios enutriui* [illegible] *ſpreuerunt me. Væ genti* [illegible] *iniquitate,* [illegible] Per zizaniam intelligit [illegible] Iudæorum. *Semini nequam, ait,* [illegible] *quod ab inimico homine,* [illegible] *zizania puro frumento inſertum eſt,* [illegible] *quod vt primum adoleuit,* [illegible] *in filium euaſit iniquitatis, filium* [illegible] *perditionis, ac gehennæ.* Merito tamen dubitabis: Quomodo quos filios vocat: *filios enutriui:* ſemen nequam dicit? Difficultas ſoluitur ex radice Hebraica, in ſequentibus verbis *filij ſceleratis* legitur *Hyphil*, id eſt, *exciſſum,* velut ramus ab arbore. Hæc eſt peccati natura, quod animam à diuino, ac præclaro ſtipite abſcindat. Quamdiu Iudæi Dei legi ſeruierant, eius filij facti erant: cum autem degeneres extiterunt, & voluntaris prauitatem quaſi in naturam verterunt, Diaboli ſemen inuenti ſunt, vt ait D. Auguſt. lib. 7. contra aduerſarios legis. D. Hieronymus. *Filij ſcelerati, ſiue iniqui, vt qui primum per beneficium filij appellati ſunt Domini, poſtea vitio ſuo vocarentur filij iniquitatis, ſiue, vt reliqui* [illegible] *voce dixerunt, filij corrumpentes.* Vide tom. 2. cap. 2. q. 8. num. 33. & cap. 6. quæſt. 4. num. 2.

Hebraic. *Iudæi ſemen nequam, cum ſint à Deo ſeparati.* D. Aug. D. Hieron.

28. D. Chryſoſt. D. Auguſt. Euthym. Beda. D. Thom. Quartò, D. Chryſoſtomus hom. 47. D. Auguſt. lib. quæſt. in Matth. q. 11. Euthym. Beda. S. Thomas per zizaniam, ab inimico ſeminatam, Hæreticos, ac Schiſmaticos interpretantur: hi enim veluti peſtifera zizania fidem, ac fideles à radice ſuffocare, ac euertere conantur. Et in confirmationem huius rei optimè dicitur, quod inimicus ſuperſeminauit potius zizaniam, quàm hordeum, vel aliam deteriorem, aut malam herbam. Zizania hoc habet, quod in initiis, quamdiu eſt in herba vix diſcrepat à tritico; at verò cum adoleſcit, & robur acquirit, tunc apertè oſtentat ſuam malignitatem, ac nequitiam. Præclarè in hoc hieroglyphico Hæretici depinguntur. In exordio, cum ſeminant ſuos errores, triticum volunt videri, aſſerunt enim, ſe talia dicere, non ex ambitione, nec ex alio motiuo, niſi ducti conſcientia ſua, vt veritatem aperiant, & doceant, vtque cuncti procul ſint ab erroribus: cum hac venenoſa ouina pelle hominum animos dementant. Cum tamen vident ſe iam vires comparaſſe, & principum præſidia illis adeſſe, tunc incipiunt ſine vllo velamine ſuam impudentiam oſtentare, ſuoſque turpiſſimos mores omni vitiorum colluuie detegere, ac declarare. Sic habet Diuus Chryſoſtomus citatus. *Herba fructum fecit, tunc apparuerunt zizania, &c. Id certè, ait, moris eſt Hæreticis, vt obumbrent ſeipſos, atque occultent in principiis, quouſque maiorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis iuuentur; tunc enim contagioſa venena effundunt.* Vide lib. 2. cap. 23. quæſt. 8. num. 58. & cap. 21. quæſt. 7. num. 38.

*Hæretici in exordio oſtentant quandã ſpeciẽ tritici.* D. Chryſoſt.

29. D. Chryſoſt. Quintò, idem Chryſoſtomus citatus aliam aſſignat rationem, ob quam per zizaniam Hæretici denotentur. *Illud profectò, ait, diaboli artibus aſtutè fieri ſcire debemus, vt veritati ſemper errores connexi, atque inſerti per ſimilitudinem facile decipiant leuiores. Propterea non alia ſemina, ſed zizania immixta dixit, quæ tritico in ſpeciem ſimiliſſima ſunt.* Zizania in ſuo initio multam refert tritici ſimilitudinem: ſic & Hæretici eos errores in exordio ſeminant, qui aliqualem habent apparentiam cum veritate, vt inde facile paruulos decipiant.

*Hæretici in exordio aliqualem boni ſimilitudinẽ referunt.*

30. D Aug. D. Cypr. D Ambr. D. Greg. D. Paſch. Theophyl. Albert. Mag. Sextò, D. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 28. ex D. Cypriano; & ſerm. 39. de ſanctis. D. Ambroſius, D. Gregorius, D. Paſchaſius, Theophylactus, Albertus Magnus per zizaniam inquiunt denotari omnes malos, & iniquos, quos diabolus inter fideles ſeminat, vt illi ſua mala vita, vitiis, ac turpiſſimis verbis, & peſtifero conſortio multum nocumentum probis inferant, ſicut zizania tritico, illudque ſuffocat. Ex quo monet D. Baſilius in Regulis breuioribus. q. 6. *Promiſcuè vitam agere, inquit, cum iis, qui ſecuri perfectam illam præceptorum Domini obſeruantiam contemnunt, pernicioſum eſſe, etiam Salomon docet.* Prou. 22. n. 24. *Neque habitaueris cum viro furioſo, ne fortè diſcas vias eius, & ſumas laqueos animæ tuæ.*

*Iniquorum ſocietas fugienda.* Prou. 22.

31. Gen. 1. In primo Orbis molimine, creata luce, dicitur: *Vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris.* Geneſ. 1. num. 3. Sed ad quid huiuſmodi diuiſio; nam Sol per ſeipſum tenebras diſſipat, & lux eas abire facit: ad quid ergo huiuſmodi diſcretio? Ratio innuitur in textu: Vidit, *Quod eſſet bona.* Quaſi inde moueretur ad ſeparationem, ne inde illius bonitas periclitaretur. Per lucem boni, ac iuſti deſignantur; per tenebras verò peccatores, & iniqui. Et quamuis vna virtus ſit fulgens, & irradians, vt ſplendor Solis; ſi tamen cum tenebris ſit immiſcua, expoſita eſt, vt ſuam obnubilationem, ac eclypſim patiatur. Diuus Leo ſerm. 4. de Quadrag. *Inimicis autem, ait, Crucis Chriſti nulla conſenſione iungamur, ne impiorum conſortio ſanctitas filiorum polluatur. Lux ſeparetur à tenebris, & fugiant filios diaboli filij veritatis.*

*Boni periclitantur cum impiis.* D. Leo.

32. Gen. 13. Poſtquam Lot diſceſſit ab Abrahamo, dicitur: *Lot moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem.* Geneſ. 13. num. 12. Lot ſufficiebat vnum oppidum, vna ciuitas ad habitandum; ad quid dicitur in plurali, quod morabatur in oppidis? Difficultas ſoluitur ex ſubiunctis verbis textus: *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino.* Ex quo docet Carthuſianus, *Eſt probabile, quod Lot paulatim experiens impietatem oppidanorum illorum, receſſit ab vna vrbe mala in aliam, æſtimans habitatores vnius meliores habitatoribus alterius vrbis.* Cum Lot in vno oppido videret malitiam, ac nequitiam inhabitantium, illud relinquebat, & ad aliud tranſibat, an meliores inueniret. Qui puritatem, ac ſynceritatem animi deſiderat retinere, & conſeruare; ne commoretur, neque figat ſedem inter iniquos, ſed illos relinquens ad aliud ſe transferat. Vide multa hoc lib. Verb. Societas & tom. 1. ac 2.

Carthuſ. *A malis recedendum.*



## QVÆSTIO VI.

*Quare non dicitur, quod inimicus ſeminauerit, ſed quod ſuperſeminauerit?*

33. *Difficultas quæſtionis.* VALDE mirum, quod per multum tempus ager ille ſtetit patens, & nunquam in illum ingreſſus eſt inimicus homo, niſi modò poſtquam noſter Sator ſuum bonum ſemen in illo effudit, tunc ipſe inimicus ſuper illum, ſeu ſuper triticum ſeminat; hanc enim vim habet illud verbum ſuperſeminare. Ad hoc.

34. D. Chryſoſt. D. Thom. Reſpondent primò D. Chryſoſtomus hom. 47. in Matth. D. Thomas hic, & alij: Quod Deus prius ſeminauit Euangelicam veritatem, & poſtea Dæmon ſuum ſemen effudit mendacij, & falſitatis. Sic & Hæretici diaboli filij non ſeminant, ſed ſuperſeminant, ſuper enim veritatem à Chriſto diffuſam, ſpargunt ſua falſa, ac peruerſa dogmata. Cuius rei rationem aſſignat D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. Quia bono ſemine iacto inimicus per gratiam Dei videt homines adoptatos in filios Dei, à quo decore, ac excellentia ipſe ceciderat, in quam cum videret homines vocatos, in eos ſuam malignitatem machinatur. Vide ſuprà c. 11. num. 155. & tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæſt. 2. num. 11.

D. Paſch. *Durum, ſi quis videt ſuam dignitatem alteri dari.*

35. D. Chryſol. Secundò, D. Chryſologus ſerm. 96. *Diabolus, ait, ſuperſeminauit, non ſeminauit: quia hæreſes inter fideles; inter ſanctos peccatum; inter pacificos lites; inter ſimplices dolos; inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſueuit: non vt acquirat zizania, ſed vt triticum perdat: nec vt reos capiat, ſed vt adimat innocentes: nec obſidet mortuos, ſed impugnat viuentes.* Non antea ſeminauit diabolus in agro, ſed modò cum triticum eſt diffuſum, tunc ipſe ſuperſeminat: nunquam diabolus promptior, ac diligentior accurrit, quàm ad ſuffocanda, ac eradicanda virtutum primordia, quæ in nobis videt plantata. At Regius Vates Pſ. 118. n. 69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborũ.* Ex qua cauſa impiorum malignitas ita coadunatur, ac conglomeratur contra Dauid? Cum enim ipſe contemptis terrenis rebus totus ſe Dei obſequio mancipaſſet, inde aliorum iniquitas, diabolo ſubminiſtrante in eum exacuitur. D. Ambroſius ſerm. 9. in præfatum Pſalm. *Quanto magis, ait, quis Deo ſeruire deſiderat, tanto magis in ſe excitat aduerſarios; & tanquam athleta fortis, coronam iuſtitiæ reportare deſiderans, irritat in ſe plurimos, & laceſſit, qui inuident noſtro profectui.* Vide ſupra cap. 26. n. 61. & 62. & tom. 1. lib. 3. cap. 3. q. 1. num. 5.

*Contra virtutem teneram, & incipientem multi inſurgunt.* Pſalm. 118. D. Ambr.

36. Nyſſen. Tertiò, D. Gregorius Nyſſenus lib. de Oratione Dominica cap. 4. *Semen, ait, patrisfamilias frumentum eſt; & ex frumento panis conficitur. At luxus, atque deliciæ zizaniũ eſt, quod ab inimico iuxta frumentum ſatum eſt. Sed homines, omiſſo miniſterio naturæ neceſſario, re vera ſuffocantur vanarum rerum ſtudiis, & infrugiferi manent.* Quantum diſcrimen ineſt inter bonum ſatorem, ac diabolum! Bonus Sator ſeminat iuxta exigentiam, frumentum nempe, quod eſt neceſſarium ad humanam vitam. Hic eſt enim Deus, qui nobis communicat ſua dona, iuxta noſtram capacitatem, prout nobis conueniunt. At diabolus ſuperſeminat zizaniam, quæ exuberat, & nobis eſt ſuperflua, & exceſſiua. Quàm aptè inimicus dicitur! nulla enim re magis nocere potuit, quàm exhibendo exuberantia, ac exceſſiua; nam dum homines, relictis neceſſariis, ea amplectuntur, in interitum, ac perditionẽ ruunt.

*Nullum maius malum, quàm ſuperflua.*

37. Exod. 3. *Moyſes paſcebat oues Iethro; cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti.* Exod. 3. n. 1. Valde mirum, quod Moyſes non alias oues paſcit, nec eas abducit è domo ad interiora deſerti, niſi oues Iethro. Quidnam in hoc latet myſterij? Iethro, teſte D. Ambroſio, ſuperfluitatem ſignificat. Meritò ergo Moyſes, in quo magnus paſtor adumbrabatur, oues illas educit è domo Iethro ad deſertum, in quo Deus viſitur; vt abiecta ſuperfluitate domus, abſtinentia, ac ſobrietate deſerti oues illæ mundarentur, ac purificarentur, vt dignè apparerent ante Domini conſpectum. D. Ambroſius lib. 2. de Abel, & Caïn. cap. 6. *Compugnantes, ait, leges, carnis, & mentis, in vnum cogere, immortalis cuiuſdam eſt viri. Denique ipſe legiſlator vendicauit hoc munus, vt oues paſceret Iethro, qui dicitur ſuperfluus; & ageret in deſertum, eo quod irrationabilem, & ſuperflui, vulgariſque ſermonis loquacitatem in ſecreta quædam ſobriæ doctrinæ coëgit myſteria.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. q. 12. n. 71. & tom. 2. cap. 6. quæſt. 14. num. 103. & cap. 17. quæſt. 7. num. 43.

*Amputa ſuperflua, vt ad magna eueharis.* D. Ambr.

## QVÆSTIO VII.

*Quarè iſte aduerſarius, inimicus homo, & non alio nomine nuncupatur?*

38. Pſalm. 73. PER inimicum hunc, diabolum omnes interpretantur. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Pſalm. 73. numer. 23. Superbia eorum, dæmonum ſcilicet, eſt communis explanatio. Hæc autem inimicitia eſt ſecundum peruerſitatem voluntatis eorum; Quærit hic Diuus Thomas: Quomodo ſit verum, quod aliqua creatura oderit Deum? Ad quod reſpondet S. Doctor, quod amor non eſt, niſi rei cognitæ. Dupliciter autem Deus poteſt cognoſci; vel in ſe, vel in ſuis effectibus. In ſe autem, impoſſibile eſt, quin ametur; nam amor ſemper tendit in obiectum ſub ratione boni: ergo cum ſit prima, & ſumma bonitas, in ſe odiri non poteſt. In effectibus autem poteſt odio haberi. Et tali hoc modo eum odio proſequuntur dæmones: diſplicet enim eis, quod contra eorum voluntatem ipſi puniantur; quod etiam iuxta voluntatem ſuam non puniant homines.

D. Thom. *Qui odit aliquem, & illius opera odit.*

mines. Inde fit quoque , & ob alias rationes iam datas quæſt. 4. quod , cum homo ſit vnus ex præſtantiſſimis Dei effectibus , maximè dæmones eum inſectantur : qui enim odit regem , odit & illius opera , ac effectus.

39. Sed quare diabolus dicitur inimicus homo? Inimicus , quia illi dictum eſt : *Inimicitias ponam inter te , & mulierem.* Geneſ. 3. num. 15. Et vt docent Diuus Hieronymus , & Diuus Paſchaſius , vt iam dixi , quia Deus eſſe deſiit : ſæuit enim , cum videat nos admitti ad dignitatem filiorum Dei , à qua ipſe eſt excluſus. Dicitur homo , iuxta Pſalm. 9. numer. 20. *Exurge , Domine , ne confortetur homo.* Et Pſalm. 139. numer. 1. *Eripe me , Domine , ab homine malo ; à viro iniquo eripe me.* Dicitur autem homo , quia non facit , ait Albertus Magnus , niſi in homine , & cum homine. Secundò , Hugo. Quia ſub ſimilitudine rationis humanæ decipit.

Gen. 3. D. Hieron. D. Paſch. Pſalm. 9. Pſalm. 139. Albert. Mag. Hugo.

40. Tertiò , eleganter ait Diuus Chryſoſtomus homil. 47. in Matth. *Hominem inimicum ipſum diabolum , quia ſemper omnibus obeſſe conatur, meritò appellauit.* Nullus maior aduerſarius homini, nulluſque maiora nocumenta ei parat, quàm homo. Cum diabolus homo non ſit , homo tamen appellatur hoc loco , vt aptius eius furor , & malignitas , qua contra nos debacchatur , exprimatur , cum nulla maior inueniatur , quàm hominis in hominem. Sic diſertè ait Auctor operis Imperfecti homil. 24. *Homo malus peior eſt , quàm ipſe diabolus.*

D. Chryſoſt. *Plus homo homini nocet, quam diabolus.* Imperfect.

41. Ex Dei mandato ait propheta Gad ad Dauid: *Elige , quod volueris , aut tribus annis famem; aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos , & gladium eorum non poſſe euadere ; aut tribus diebus gladium Domini , & Angelum Domini interficere in omnibus finibus Iſraël. Reſpondit Dauid: ex omni parte anguſtiæ me premunt ; ſed melius mihi eſt , vt incidam in manus Domini , quia multæ ſunt miſerationes eius , quàm in manus hominum.* 1. Paralipom. 21. numer. 12. Elegit Dauid peſtilentiam , incidereque in gladium Domini , gladiumque Angeli , cum ipſe potuerit eſſe dubius , an ille Angelus bonus , vel malus eſſet futurus ; per vtrumque enim hæc plaga fieri poterat , vt docet Abulenſis 2. Reg. cap. 24. quæſt. 35. Per Angelum enim malum Pſalm. 77. numer. 49. Exod. 12. num. 23. ibi Doctores. Nec ſoluitur difficultas ex adiunctis verbis Dauid: *Melius eſt mihi , incidere in manus Domini , quàm in manus hominum :* Nam in vnoquoque ex illis tribus ſuppliciis incidebatur in manus Domini; quodlibet enim erat à Deo ordinante , & diſponente : tamen executio in omnibus non erat per Deum proximè ; nam bellum fieret per gladium hominum ; fames interuentu cauſarum naturalium ; at peſtis exequenda erat per gladium Domini , ſcilicet per gladium Angeli percutientis. Abulenſis citato cap. 21. Paralipom. quæſt. 49. *Omnes iſtæ tres plagæ erant à Deo , quia ipſe diſpoſuerat , quod veniret , quæcumque earum eligeretur à Dauid ; tamen quantum ad executionem non pertinebant omnes ad Deum : in peſte autem executio erat per Deum , eo quod Angelus ſuus percutiebat.* Renuit ergo Dauid ſupplicium , in quo agnoſcebat homines executores ; & eligit illud , in quo videbat Angelos percuſſores , eſto fieri poſſet , quod mali eſſent : plus enim nocumenti ab hominibus , quàm ab Angelis , etiam malis , ſibi timebat.

1. Paralip. 21. Abul. Pſalm. 77. Exod. 12. Abul. *Homo homini maximè contrarius, & aduerſarius.*

42. Ad hoc ipſe Dauid magnum habebat experimentum : nam cum ſpiritus malignus torqueret Saul , Dauid manu pulſante citharam , fugiebat ſpiritus malus ; & tamen ſæuitia incluſa manebat in pectore regis. *Tenebatque Saul lanceam , & miſit eam , putans , quod configere poſſet Dauid cum pariete.* 1. Reg. 18. num. 10. Mira res ! Dauidis cantu expellitur diaboli tyrannis ; & tamen rabies , ac ira hominis non quieſcit , ac mitigatur. Diuus Baſilius Seleucus Orat. 16. *Hic* , ſcilicet Dauid , *lyram ſumebat in manus* , ait , *quo cantu abigeret dæmonem ; ille ſanatus haſtam in medicum iactabat. O nouum , iniuriumque facinus ? Dæmon pellebatur , & dæmone liberatus arma capiebat ; dæmon vincebatur , & hominis mores plus ſumebant audaciæ.*

1. Reg. 18. *Diabolus miteſcit , & non homo homini.* Seleuc.

43. Cum comprehenditur meus Ieſus , ait carnificibus : *Hæc eſt hora veſtra , & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22. num. 53. Quod explicans Diuus Cyrillus in catena ait : *Dicit , quod hæc poteſtas eſt tenebris data , id eſt , diabolo , & Iudæis inſurgendi in Chriſtum.* Dicitur poteſtas tenebrarum in plurali , quia data eſt diabolo , & Iudæis. Nónne ſat erat , quod hæc poteſtas daretur diabolo? Ad quid etiam Iudæis ? Ac ſi diabolus non habens ſecum Iudæos non obtineret poteſtatem ſufficientem , qua Chriſtum occidere valeret. D. Zeno de hoc argumento eleganter audiendus in Pſ. 128. *Cum diabolus* , ait , *poteſtatem tentandi Iob poſtulaſſet per direptionem ſubſtantiæ eius primum deſæuiturus homines ad paſtorum cædes , & ad direptionem pecudum excitauit , eoſque in hanc voluntatem latrociniȷ accendit. Egit ergo , quod volebat per humanæ operationis officium. Iudas quoque in Paſſione Domini miniſterium diaboli fuit, & per eum effectum voluntatis propriæ eſt executus , Euangeliſta teſtante , qui ait : Intrauit,* inquit , *Satanas in Iudam. In omni igitur , quam perpetimur , iniuria , alterius opus , alterius inſtinctus eſt , & non ſibi ſufficiet* , &c. Vltima verba perpende. Vide ſuprà cap. 8. quæſt. 9. num. 69. & cap. 22. quæſt. 7. num. 42. & tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 12. & lib. 3. cap. 3. quæſt. 41. num. 187. & tom. 2. cap. 7. quæſt. 3. num. 17.

Luc. 22. D. Cyril. *Diabolus homini nocet per hominem.* D. Zeno.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare poſt ſeminatum zizaniam inimicus ſtatim abiit, & receſſit?*

44. RATIO litteralis , ac germana eſt , ne ipſe auctor mali agnoſceretur. Secundò, etiam ad mores. Quomodo ſeminata zizania inimicus tam cito diſceſſit ? fieri enim poterat, vt iacta zizania ſtatim deficeret , ac emarceſceret ? Cur ergo ſi Domini meſſem intentas perdere , tam cito decedis ? Cur non expectas , an ſit neceſſarium ei maius nocumentum inferre, Apud ſe ſtatuit malignus , quod ſufficientiſſimum erat ad totale humanæ meſſis excidium, quod ſemel ipſe manum ſuam admoueret , & explicaret. Hinc vt Regius Vates exprimeret grauitatem , ac acerbitatem plagarum Ægypti, eas factas fuiſſe per dæmones , declarat. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ , indignationem, & iram , & tribulationem , immiſſionem per angelos malos.* Pſalm. 77. num. 49.

*Quidquid de manu inimici venit, ſat eſt ad perdendum.*



Pſalm. 77.

45. Tertiò , D. Petrus Chryſologus ſerm. 96. Seminata zizania , *Abiit* , ait , *quia , diabolus impellit quidem viribus ad ruinam ; ſed poſtquam proſtrauerit , relinquit.* Cum diabolus videt hominem iam lapſum , & in ſua catena comprehenſum, illico diſcedit. Cuius rei quandam rationem hic inculcat Palatius. Quos enim diabolus fallit , ait , principio non torquet , ſed demulcet , & velut abiens relinquit ; ne forte ſi initio durum ſenſerint imperium , à tyrannide reſiliant.

D. Chryſol. *Diabolus intentat. in ſua catena nos habere.* Palat.

46. Quartò , idem Chryſologus ſerm. 97. *Malus,* ait , *nunquam non ſtultus. Quid hic egit inimicus? Eſto quod dormirent ſerui , nunquid Dominus dormiebat ? Eſto quod oculos ſeruorum ſopor clauſerit poſt laborem , nunquid dominantis oculos vlla vicerat laſſitudo.* Stultè , & fatuè egit inimicus : obſeruat noctis tempus , cum dormirent homines , & ſine vlla mora diſcedit , ne eius aduentus ab aliquo agnoſcatur. Cur etiam non obſeruat , an Dominus meſſis dormiat ? Planum enim erat , quod ſuper rem ſuam in maiori vigilia Dominus affuturus eſſet , quàm ſeruus , ac operarius. Cur de hoc non curat inimicus ? cum ipſe velit , quod à nullo eius aduentus deprehendatur. Hæc tamen eius mentem prætereunt , nec de his cogitat. Cum inimicus eſſet iniquus , fatuus , & inſipiens erat: *Malus nunquam non ſtultus.* Et quæ manifeſta, & aperta erant , ita cæcus , vt ea non apprehenderet. *Dixi iniquis : nolite iniquè agere.* Pſalmo 74. numer. 5. Alij transferunt : *Dixi ſtultis: nolite ſtulte agere.* Iob 4. numer. 18. *In Angelis ſuis reperit prauitatem.* Hebræus transfert : *Reperit ſtultitiam.* Vide tom. 2. cap. 17. quæſt. 10. num. 63. & 64.

D. Chryſol. *Malus ſemper ſtultus.* *Peccator ſtultus.* Pſalm. 74. Iob 4. Hebr.

47. Quintò , dici etiam poteſt , quod ita erat ſtultus , & inſipiens inimicus , vt ſibi perſuaſerit, oculos ſupremi dominantis euadere poſſe ; & ideo cum dormientes homines vidiſſet , ſtatim abiit, exiſtimans , ſe etiam à Domino , quem reputabat abſentem , non videri. Hæc ſemper fuit iniquorum maligna voluntas ad licentioſius peccandum , oculos diuinæ maieſtatis declinare appetere. Pulchrè Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſ. 4. Verbum *De Deo.* Idololatras pungens , ait : *Quidam Solem ponebant , vt occidente Sole noctis tempore ſine Deo eſſent. Aliȷ vero Lunam , vt in die Deum non haberent.* Nefariis hominibus in magna cura , ac ſolicitudine poſitum erat , vt ſemper ſub diuinis oculis non ſubiacerent ; & ideo tales deos fingebant, vt ab eorum obtutu aliquando abeſſent , vt ſine alicuius metu , ac reuerentia omni peccatorum turpitudini ſeſe ingurgitent.

*Peccator vult fugere Dei aſpectũ.* D. Cyril.

48. Hanc impiorum fatuitatem multis deteſtandam docet Ezechiel 9. numer. 9. *Et dixit ad me* , ſcilicet Dominus , *iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna , & nimis valde. Et repleta eſt terra ſanguinibus , & ciuitas repleta eſt auerſione. Dixerunt enim : Derelinquit Dominus terram , & Dominus non videt , igitur & meus non parcet oculus , neque miſerebor.* Maximè exaggeratur præuaricatio Iſraël , & Iuda triplici verbo *Magna , & nimis valde.* Terra *repleta ſanguinibus* , Chaldæus , *homicidiis.* Additur, Ciuitas *repleta auerſione* , Hebræus , *defectione , declinatione* à Deo ad idola. Diuus Hieronymus explicat , de porta vſque ad portam ciuitas eſt plena nequitia. Et quænam tantorum malorum cauſa ? *Dixerunt , derelinquit Dominus terram , & Dominus non videt.* Hic eſt fons omnium ſcelerum , quod impiȷ , vt ait Diuus Hieronymus , negant Dei prouidentiam, videre , curare , punire , præmiari hominum facta. Inde quid ſequitur ? *Non parcet oculus meus. neque miſerebor.* In æternum eorum peccata abſque vlla miſericordia punientur.

Ezech. 9. Chald. Hebr. D. Hieron. *Summa malitia, cogitare , quod Dominus non videt.* D. Hieron.



*Matth. 13. n. 26.* Cum autem creuiſſet herba , & fructum feciſſet , tunc apparuerunt & zizania.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Cum autem germinaſſet herba, & edidiſſet fructum , tunc apparuerunt etiam zizania |
| *Vatablus.* | Et fructum attuliſſet. |
| *Albert. Mag.* | Apparuerunt ſimul & zizania. |

### *EXPOSITIO III.*

49. CVM *autem creuiſſet herba*, ex bono ſcilicet ſemine iacto , *& fructum feciſſet.* Culmi enim iam ſpicis erant onuſti. *Tunc etiam* , vt legit Syriacus, *apparuerunt zizania*, ſeſe cœperunt manifeſtare : nam in herba prima germina zizaniorum , & tritici ſimilia ſunt: triticum , cum primò pullulat , herba videtur, vt notauit Abulenſis ; & tunc ab eo zizanium valde difficiliter diſcernitur. Cum autem creſcunt ſua diſſimilitudine apertè videntur , & clarè zizania à tritico diſcriminantur. Quod eleganter dixit Chryſologus ſerm. 97. *Quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica , & quod celatur in gramine , aperitur in fructu* , iuxta illud dictum Dominicum : *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matth. 7. num. 20.

Syriac. Abulenſis. Chryſol. Matth. 7.

50. Obiter nota hîc diuinam benignitatem , quod non prius zizanium creuerit , & apparuerit, quoad vſque triticum creſceret , & appareret. Hæc eſt ſingularis Dei prouidentia , vt aduerſariæ contrarietates non augeantur , ac roborentur , niſi virtute iam adulta , ac proficiſcente: nam ſi triticum adhuc tenerum , & in herba magnum zizanium in vicino haberet , ſine dubio ab eo ſuffocaretur , & periret. *Adiutor in tribulationibus , quæ inuenerunt nos nimis.* Pſalmo 45. numer. 1. Diuus Ambroſius ibi. *Benè nimis* , ait , *ad vtrumque reſpondit , & vt in tribulationibus , quæ nos nimis inuenerunt ; & adiutor nimis poſſit intelligi.* Auxilia eius proportionantur tentationibus , & laboribus : in tribulationibus nimis , adeſt & ipſe adiutor nimis. Sic pergit citatus Ambroſius. *Quanto enim maiores tribulationes fuerint , tanto maiora nobis , & vehementiora adiumenta ſunt neceſſaria.*

*Auxilium proportionatum ad tentationes.* Pſalm. 45. D. Ambr.

*Matth.13.n.27.* Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei : Domine , nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? Vnde ergo habet zizania ?

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et acceſſerunt ſerui patriſfamilias , & dixerunt ei : Domine noſter

*Arias.* Nónne pulchrum ſemen ſeminaſti ?

*Vatablus.* Nónne bonum ſemen ſeminaueras ?

## *EXPOSITIO IV.*

51. D. Paſchaſ. D. Remig. D Auguſt. Euthym. D. Hieron. Theophyl. Albert. Mag. S. Thom.

ACCEDENTES, vt ait D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. cum D. Remigio , non corpore , ſed mente, non loco , ſed fide , *ſerui patrisfamilias.* Per hos ſeruos D. Auguſtinus lib. quæſt. in Matth. cap. 12. Euthymius hic , homines probos Dei zelo feruentes interpretantur. D. Hieronym. Theophylact. Albertus Magnus , S. Thomas Angelos intelligunt. Nec obſtat, quod ipſi interrogent, quia hoc eis non tribuitur, vt ignorantibus, ſed iuxta noſtrum dicendi modum. De quo iterum infra dicam. *Dixerunt* , non clamore vocis, ſed corde tacito, vt ait D. Paſchaſius [D. Paſchaſ.] citatus, *Domine*, domus, ſcilicet , & familiæ , ſeu *Domine noſter* , vt habet Syriacus. *Nónne bonum ſemen ſeminaſti* , Arias [Arias.] habet , *pulchrum* , bonum pulchrum eſt. *Vnde habet zizania ?* Hic multi quærunt de origine mali , ſeu vnde zizanium ortum eſt; Deus enim omnia bona condidit. Auctor mali inimicus ipſe ſua ſuggeſtione , ac tentatione nos excitat, ac prouocat ad malum. Ipſe autem inimicus non malus conditus eſt à Deo, ſed ipſe conſenſu libero ſuæ voluntatis ſe malum fecit.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare de orto zizanio quærunt ſerui, aſſerentes bonum ſemen , non à ſeipſis , ſed à domino agri ſeminatum ?*

52. D. Paſchaſ.

RESPONDET primo D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. Vox hæc : Vnde habet zizania: *plena admirationis eſt, plena ſtupore , & pauore : totum ergo ſe ignorare oſtendunt :* quomodo ſcilicet in bono agro, bono ſemine repleto inuenta ſint zizania. Vnde concludit ipſe Paſchaſius. *Idcirco ceſſet humana præſumptio; ceſſet Hæreticorum prauitas , quæ de diuino iudicio, & præſcientia Dei temerè aliquid definire , vel ſuſurrare præſumunt, cum & ipſi Angeli , piè interrogando , ſe ignorare fatentur , quo iudicio contigerit.* [*Ex pullulato in religione zizanio non temerè iudicandum.*] Cum videris hominem , ad imaginem Dei factum , aberrare , vel aliquem in apice Eccleſiaſtico conſtitutum cadere; vel etiam in optimo obſeruantiæ clauſtro, iacto bono regularis diſciplinæ ſemine , zizaniam peſtiferam herbam pullulare , noli aliquid temere iudicare , ſed humiliter totum altiſſimæ Dei prouidentiæ ſubmitte.

Secundò , D. Chryſologus ſerm. 97. *Vigilantes ſerui*, ait, *præ timore iſta cur euenerint expaueſcunt: hoc metuentes , ne zizaniorum germina ad illorum redirent offenſam , quorum conſcientia præter iactum boni ſeminis nihil habebat. Hinc eſt, quod auditum ſui domini præuenerunt , ne ſecuri de innocentia reatum de ſilentio ſuſtinerent.* 53. D. Chryſol. Viſis zizaniis ad patremfamilias conuolant boni ſerui, & totum domino annuntiant , ne ob ſilentium in taciturnitatis crimen incidant : [*Qui reprehendẽdo non euitat malũ, cum poſſit, ſuum facit.*] ſpectat enim ad bonum ſeruum, mala, quæ contigerint, ſcilicet in agro, ſtatim domino præſentare , vt illis, quoad fieri poſſit, obuietur, ne aliàs , tacendo , incidens nocumentum culpam ſuam propriam faciant. D. Bernardus lib. [D. Bern.] de anima cap. 11. *Multitudinem iniquitatum* , ait, *mearum expaueſcens, aliorum trangreſſiones reprehendere timui, & ideo mortis auctor extiti , quia virus , quod clamando expellere potui , non expuli.*

54. Tertiò , fideles ſerui totum , provt contigerat, domino exponunt , tam ſcilicet rei bonitatem, quàm illius defectum : [*Boni ſerui omnia domino ſuo nuntiare tenentur.*] dicunt ſeminis excellentiam, *bonum ſemen ſeminaſti* , dicuntque malum adueniens , nihilque domino abſcondunt : procul ſunt à conditione illorum , qui adulando ſolum fælicia annuntiant , iniucunda vero tacent. Laborabat Iſaac penuria aquarum ad greges ſuos reficiendos. *Venerunt in iſto die ſerui Iſaac annunciantes ei de puteo , quem foderant , atque dicentes , inuenimus aquam.* Geneſ. 26. num. 32. [Gen. 26. Septuag.] Septuaginta habent, *non inuenimus aquam.* Quomodo hæc cohærent , inuenimus, & non inuenimus? Lis ita componitur , quod ſerui primò fodientes inuenerunt aquam, quod domino nuntiarunt : aqua tamen breuiter abſorpta , & conſumpta eſt ; vnde ſecundo dixerunt : *non inuenimus aquam.* Boni ſerui , tam abundantiam aquarum , quam illarum defectum , nihil occultantes , totum domino aperiunt.

55. Quartò , quare cum ſerui ſemina in terram proiecerint , ſic ſuum herum alloquuntur , vt eum ſeminandi auctorem aſtruant : *Domine , nónne bonum ſemen ſeminaſti ?* Vt ex hoc prælati , ac ſuperiores admoneantur, & animaduertant , [*Prælatus pro ſubditis in iudicium vocandus.*] quod circunſpecte in ſuo ſe munere agant ; quoniam, ſi quid filij , vel ſerui deliquerint, ſuperiori, ac domino imputabitur, ac pro illorum factis vocabitur in quæſtionem , cum Dominus ad iudicandum proceſſerit. Quintò , videntes ſerui agrum mala herba infectum interrogant : *Nónne bonum ſemen ſeminaſti ?* Hi ſerui dormientes fuerunt in cauſa , vt [*Serui culpã in alium volunt referre.*] campus zizaniis eſſet ſuperſeminatus ; modò autem interrogando veluti intentant malum ipſum ſemini velle adſcribere : non poſſunt enim homines ſibi perſuadere , quod in ipſis aliquod appareat crimen , ſed omne illud in alium referre conantur. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 4. q. 7. n. 31. & 32.

56. D. Chryſol. Sextò , D. Chryſologus ſerm. 97. *Domine , nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? ſeminaſti, non ſeminauimus : nos , quod per te facimus , tibi ſemper noſtro aſſignamus auctori : nos præter tuam gratiam nihil habemus , per quam ſtamus, viuimus , mouemur , & ſumus ; ſine qua iacemus, deficimus , & perimus.* Iſti homines , vtpotè boni ſerui , arando , glebas ſoli præſcindendo , noxas herbas



herbas purgando , ſemina terræ mandarunt: & tamen non dicunt ſeminauimus; [*Omnia noſtra bona Deo, non nobis, referenda.*] cum enim ſcirent, bonum & optimum fuiſſe ſemen , totum domino referunt , ne aliquid ſibi de bono tribuere videantur ; quamuis enim bona ipſi ſemina terris commiſerint , omnem à ſe cupiunt dimouere laudem in que dominum eam reflectere , cuius erat bonum ſemen , & à quo illud acceperant. Sicque quidquid boni in nobis fuerit , quidquid in noſtris operibus enituerit laudis , Deo , totius bonitatis fonti , & à quo ſunt omnia bona , adſcribamus.

57. Prouerb. 5. Caiet. *Bibe aquam de ciſterna tua*, Prouerb. 5. num. 15. ait Spiritus Sanctus; In quo multa, & alta myſteria intelligunt ſancti Patres, Caietanus per aquam ciſternæ interpretatur fructus & prouentus agrorum. D. Hieronymus in cap. 3. Malach. D. Chryſoſtomus homil. 1. in Matth. Beda , Hugo Ianſeſenius , Vatablus , Baymus , Celazar, Cornelius, & alii per aquam ciſternæ exponunt filios natos, [D. Hieron. D. Chryſoſt. Beda. Hugo. Ianſen. Vatabl. Baym. Celaz. Cornel.] verbi gratia , ex ſanctis fœminis Sara , Rebecca, Lia , & aliis. Sed quid latet myſterij quod fructus agrorum , filij nati ex illis mulieribus , aqua ciſternæ nuncupentur ? Aqua ciſternæ ex ipſa non ſcaturit , nec naſcitur ; ſed ex cæleſtibus pluuijs ſuſcipitur. [*Deo, vt omnium auctori, adſcribe bona tua.*] Sicque oſtenditur , fructus agrorum, vel filios ex vxoribus acceptos , veluti aquam ciſternæ , non tam ex noſtra induſtria , nec ex virtute noſtra generandi , quàm potius , & præcipue ex cæleſti rore , ac fauore prouenire. Ideoque non nobis ſed Deo totum referendum eſt. De his ciſternæ aquis loquens D. Auguſtinus ait lib. 2. contra Creſcon. cap. 14. [D. Auguſt.] *Largo , atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuam de qua Propheta prædixit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*

58. Ezechiel. 28. De Satana loquens Ezechiel ait cap. 28. n. 17. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo : perdidiſti ſapientiam in decore tuo , in terram proieci te.* ſeu vt legit Hebræus , [Hebr.] *Corrupiſti ſapientiam.* Sed quomodo decor , excellentia , ac maieſtas naturæ fuit in cauſa , vt intelligentiam , ac ſapientiam [*Qui ſibi bona tribuit, perdit ea.*] perderet & corrumperet ? Perpende verba, *in decore tuo*; quia ipſum decorem , & excellentiam reputauit ſua veluti à ſemetipſo prouenientia, non verò data ab vniuerſo omnium Auctore , vt illi pro tanto decore gratias ageret. D. Bernardus [D. Bernard.] ſerm. 74. in Cantic. *Non culpamus donum,* ait, *ſed vſum. Denique ſi aduertiſti , non in decore , ſed in ſuo decore dictus eſt ille perdidiſſe ſapientiam. Perdidit eam , cum fecit ſuam , vt non ſit aliud in decore ſuo , quam in ſapientia ſua perdidiſſe ſapientiam. Proprietas in cauſa eſt. Quod ſibi ſapiens fuit , quod non dedit gloriam Deo ; quod non retulit gratiam pro gratia.* Vide ſupra Cap. 8. quæſt. 12. num. 94. 95. & 96. & cap. 12 quæſt. 12. n. 65. & tom. 1. lib. 3. cap. 4. quæſt. 3. n. 22. & 23. & tom. 2. cap. 3. quæſt. 45. num. 256. & 257.

*Matth.13.n.28.* Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei : Vis, imus, & colligimus ea.

## *VERSIONES.*

*Syrus.* Vir inimicitię auctor hoc fecit.

*Hiſychius Presby-* Inimicus homo hoc fe-



*ter Centur. 2.* cit, & in tritico permiſcuit zizania.

*Syriacus.* Cui ſubdunt ſerui ipſius : Vis, vt eamus, & colligamus eam.

*Vatabl. & Græc.* Vis ergo, abeamus.

*Euthymius.* Vis ergo, vt egreſſi colligamus ea?

## *EXPOSITIO V.*

BONVS pater familias ait, *Inimicus homo* , ſeu , vt habet Syrus , *Inimicitiæ auctor*, qui diábolus eſt ; 59. tamen illius proprium nomen diaboli, vel Satanæ non exprimit optimus ſator pro generoſitate animi ſui, ne etiam verbo tenus videretur eum aliquali contumelia afficere. [*Affligitur inimicus , ſi in iniurijs illatis auctor non agnoſcitur.*] Vel quia noluit tale oblectamentum inimico exhibere; maximè enim exultat, & lætatur aduerſarius, dum in iniuriis, ac nocumentis tibi illatis ipſe autor agnoſcitur : *hoc fecit*, ne in culpa bono tritico tale vitium poneretur; innocens eximatur à defectus turpitudine, & ſuo auctori hæc adſcribatur.

60. *Vis , imus , & colligimus ea.* Multum virtutum ſplendorem præ ſe ferunt boni ſerui, Zelum manifeſtant: nam , vt notant D. Chryſologus ſerm. [D. Chryſol. D. Paſchaſ.] 97. & D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *ſerui indefeſſi ſuum offerunt laborem , nec patiuntur dominicæ meſſis ſaltem temporaliter , videre tantam fœditatem.* [*Serui non patiuntur damnum domini ſui.*] Et ideo ad tantam turpitudinem eradicandam ſe præſentant. Et ait Euthymius : [Euthym.] *Colligemus violenter euellentes , ac gladiis demetentes.* Gladio ſcilicet, ait D. Hieronymus , [D. Hieron.] quo Petrus vſus eſt: hæc enim valde frequenter ſunt neceſſaria. [*Regendum pro domini nutu.*] Oſtendunt humilitatem , ac conformitatem cum domini voluntate : dicunt *Vis.* D. Thomas; [D. Thom.] nolunt hoc facere proprio motu , ſed iuſſu domini. [Tobiæ 4.] *Omni tempore benedic Deo , & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Tobi. 4. num. 10 [*Seruorũ obedientia prompta.*] Præ ſe ferunt obedientiam , & diligentiam ; iuxta noſtram vulgatam non dicunt de futuro , ibimus, & colligemus ; ſed iam de præſenti loquuntur , *imus , & colligimus.* Quia idem eſſet , quod pater familias diceret, ac quod ipſi eſſent actu exequentes. *Mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi adſumus.* Iob. 38. num. 35. [Iob 38.] Tandem pondera illorum prudentiam : non cogitant de inferenda vindicta inimico pro damno illato, ſed tantum de remedio meſſi adhibendo. D. Chryſoſtomus homil. 47. [D. Chryſoſt.] *Ad vnum ſolummodo , ait , reſpiciunt , non vt pœnas inimicus luat , ſed vt iacta ſemina non depereant.*

---

## QVÆSTIO X.

### *Quæritur, cum inimicus venerit, dormientibus hominibus, vnde Dominus ipſum cognouit?*

61. IAM alto ſomno omnes ſerui tenebantur oppreſſi , quando inimicus in agrum aduenrauit , vt nullus eius aduentum deprehenderit. [*Ratio difficultatis.*] Vnde ergo Dominus cognouit , ipſum ſuperſeminaſſe zizania , ac tantum malum intuliſſe ?

62. D.Chryſol. Reſpondet D.Chryſologus ſerm.97. *Eſto quod dormirent ſerui* ait, *nunquid & Dominus dormiebat? Eſto quod oculos ſeruorum ſopor clauſerit poſt laborem, nunquid & dominantis oculos vlla vicerit laſſitudo? Inimice, lucis refuga, laboraſti, ſed non latuiſti: nam dormientibus ſeruis, Dominus ipſe te vidit.* Vnde cognouit Dominus ipſum inimicum ſuperſeminantem zizania cum cuncti ſerui dormirent? Verum eſt, quod totius familiæ oculos ſomnus altus oppreſſerat; & vehemens periculi occaſio vniuerſæ rei imminebat; ſed Dominus, eſtò dormire videretur, tamen ipſe, vt optimus paſtor: & præſul, non dormiebat, ſed maximè inuigilabat, cuncta videns, & obſeruans, pro cuſtodiendo agro ſuo, pro quæ maiori illius emolumento.

*Deus inuigilat, cum periculum adeſt, vt nos tueatur.*

63. Exod.14. Egredientes Iſraelitas inſecuti ſunt Ægyptij. *Iamque vigilia matutina aduenerat; & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.* Exod. 14. num. 24. Iamque inceperat quarta vigilia, quæ eſt ab hora tertia poſt mediam noctem vſque ad horam ſextam. Cur Dominus in hoc tempore interficit Ægyptios; & non potius per noctis ſpatium? Vel, cur ipſum tempus non aliter deſcribitur? Cur non dicitur, cum iam dies clareſceret, ſeu cum manè eſſet factum: ſicut de Manna dicitur: *Manè videbitis gloriam eius.* Tamen aſtruitur in vigilia matutina, vt ex circunſtantia, ac denotatione temporis inſinuetur, quantum Dominus inuigilabat ſuper cuſtodiam populi ſui, vt ipſum tueretur, ac defenderet ab omni malo, atque periculo. Et quia tunc fortè Pharao cum exercitu ſuo ſuperbeſcens, maxime inſolenter ſe habebat, quaſi irridens Domini potentiam, & tanquam dormientem illudens; tunc adeſt Dei auxilium, declarans ſuam curam, & vigilantiam pro tutamine populi ſui. Anſelmus Laudunenſis, *Cùm vigilaret*, ait, *Dominus Deus ad cuſtodiam populi ſui, qui ante dormire videbatur, reſpexit in quarta cuſtodia ſuper caſtra Ægyptiorum.*

*Deus inuigilat pro ſuorum cuſtodia.* D. Anſelm.

64. Genеſ.49. Benedicens Iacob Iudæ ait: *Catulus leonis Iuda, ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum,* Geneſ.49.num.9. Prophetia Chriſtum Dominum reſpicit. Sed cur toties ipſe cum leone confertur; nuncupatur enim *Catulus leonis, leo, leæna?* Cur non comparatur etiam cum aquila, vel agno, vt in Apocalypſi legimus factum. Cur toties cum leone? Theodoretus, *Chriſtus rectè leo, & catulus leonis dicitur, quia Rex, & Regis filius fuit.* Cum ibi eſſet ſermo de Chriſti regno, rectè ipſe cum leone confertur, qui eſt vigilantiæ ſignum; apertis oculis dormit, ac ſi vigilaret. Sed cur primo dicitur catulus leonis, & poſtea leo? De leonis catulo plures atteſtantur, quod non ſolum ſit aperris oculis, ſed etiam quod re vera inſomnis exiſtat. Quo hieroglyphico exprimitur eximia cura ſupremi noſtri principis Chriſti, qui perpetuò die, ac nocte eſt in cuſtodia, & vigilia ſuper gregem, ac meſſem ſuam; & quod multipliciter vigilat, vt leo, & vt catulus leonis. Hoc exemplo ex noſtro capite informentur cuncti paſtores ad multum vigilandum ſuper ſuorum animorum curam.

Theodor.

*Prælatus maximè inuigilet ſuper ſuos.*

65. Ad comprimendas filiorum Iſrael ſuper ſummum Sacerdotium querimonias mandat Deus Moyſi vt ex duodecim tribubus ſumerentur duodecim virgæ, quæ in tabernaculo ponerentur vt cum germinatione vnius illius principatus declararetur *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas formati ſunt.* Num.17. n 8. In ſigno, quo declaratur ſumma ſacerdotalis dignitas, cur potius amygdalina, quàm alius fructus apparet D. Cyrillus Alexandrinus in Catena Græca. *Gerit talis arbor*, ait, *ſymbolum vigilantiæ.* Nota, qua ſummus Sacerdos declaratur, vigilantia eſt: per illam enim bonus paſtor ab iniquis, & adulterinis diſcernitur. Vide ſupra cap.6.q.3.n.20.& tom.1.lib.1. cap.1.quæſt.8.num. 23. & tom. 2.cap.24. quæſt 7. num. 54. 55. & 56.

Num. 17.

D. Cyrill. *Signum Prælati vigilantia.*

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Paterfamilias non prohibuit inimicum, cum ipſum viderit ſuperſeminantem zizania?*

66. *Difficultas quæſtionis.* DIFFICVLTAS eſt in promptu: Vidit Paterfamilias æmulum ſuum ſuperſeminantem zizania, vt dixi ſuperiori quæſtione; Quare cum non prohibet ac eiicit ab agro ſuo, vt electa grana, ſine tam iniqua permixtione, illæſa ſeruentur?

67. D.Chryſ. Reſpondet D. Chryſologus ſerm.97. *Et tu*, ait, *quare hoc, cum videres, Domine, permiſiſti? Quare? Quia timere fraudes non poteſt, cui nihil poteſt deperire. Et quia plus eſt myſtica diſcernere, quàm prohibere myſterium: maius eſt reparare perdita quam illæſa reſeruare: ſimul quia oportet zizania eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Eademque ferè verba habet D.Paſchaſius lib.7.in Matth. Tres rationes ad noſtram quæſtionem nobis inculcat S.Pater. Non prohibuit inimicum, vt oſtenderet altitudinem ſuæ ſapientiæ in diſcriminando triticum à zizania. De quo iterum dicam in hoc cap. *Plus eſt myſtica diſcernere*

D. Paſchaſ.

68. *Magis eſt reparare lapſa, quàm conſeruare illæſa.* Secundò, *Quia maius eſt reparare perdita, quam illæſa reſeruare.* Non prohibet inimicum, vt oſtendatur vis diuinæ omnipotentiæ, & altitudo ſcientiæ Dei, quæ magis nitet, & reſplendet in deperditis reſtaurandis, quàm in integris rebus ſeruandis. Hanc rationem aſſignat D. Auguſtinus in Enchiridion, cap. 25. ob quam Deus permiſit peccatum in homine. *Melius enim iudicauit, de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere.* Cur permiſit Deus vt Iſraelitæ per tot annos eſſent in Ægypto ſub tyrannide Pharaonis captiui, expoliati ſua libertate, bonis, patria, ac etiam ſpe propagandi in filijs ſuis, demergebantur enim omnes in fluuio Exod. 2. Cur, vt pote filios Abrahæ, Iſaac, & Iacob, intactos omni malo non ſeruat? B. Vigilius Epiſcopus Tridenti, Epiſt. Probo Iudici. *Gloriſiora dicta ſunt de diuina Omnipotentia in deducendis Iſraelitis de Ægypto, pro toto* ſcilicet mirabilia, *quàm ſi in eos nulla mala permiſiſſet.*

D. Auguſt.

B.Vigil.

69. *Virtus in perſecutionibus probatur.* Tertiò. *Quia oportet, zizania eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Bonus Paterfamilias videns inimicum ſuperſeminantem zizania, permiſit, & non prohibuit; cum tamen ipſa zizania malum bellum inferant tritico; per radicem enim exſiccant humorem terræ; vt ita ipſa ſterilitate, ac preſſura bonum frumentum probaretur. Ærumna, & aduerſitas eſt fornax, in qua rectitudinis aurum maximè expurgatur, clareſcit, ac demonſtratur, vt ait Tertullianus lib. de præſcriptionibus, cap. 3. qui etiam ibidem inquit: *Auolent, quantum volent paleæ leuis fidei quocumque afflatu tentationum: eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.*



Tertull.

70. Cant.2. Chaldaic. Cum pulcherrimo lilio comparatur ſponſa. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea.* Cantic.2. num. 2. Paraphraſis Chaldaica. *Ego comparata ſum roſæ, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius: ſic ego ſum compuncta, & ſciſſa propter peſſimas impoſitiones.* Sed cur ipſa dilecta ſponſa comparatur cum lilio conſurgente inſtar ſceptri, cuius folia à ſpinis perforantur? Quemadmodum cum folia lilij rumpuntur à ſpinis, magis eius candor puritatis, magíſque eius flagrantia odoris ſentitur, ac cernitur; ſic dum iuſtus tribulationibus vexatur, & peſſundatur, magis, ac magis eius probitas declaratur, ac virtutis odor diffunditur, Theodoretus. *Spinæ hic dicti ſunt, cum ſuo pingant contactu: quandoquidem & hoc in maximam iuſtorum redundat laudem, quod inter eorum perſecutiones in lilij perſeuerent puritate, ac fragrantia.*

*In perſecutione declaratur virtus.*

Theodor.

71. Pſalm. 126. D.Auguſt. D.Chryſoſt. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Pſalm.126.num.4. Per filios excuſſorum interpretantur D. Auguſtinus, & Chryſoſt. Apoſtolos, ſeu prædicatores, *qui multis fuerunt perſecutionibus vexati*, ſeu vt ait Chryſoſtomus, *vincti, & alligati.* Pagninus ex Hebræo legit, *filij iuuentutis*; ac ſi ex ipſis laboribus, vinculis, ac carceribus fortiores, ac validiores redderentur. Prouerb.9. num.2. dicitur. *Sapientia immolauit victimas ſuas.* Septuaginta habent, *mactauit.* D.Ambroſius lib.1. de fide, cap. 7. *Interfecit.* Tertullianus in Scorp. cap.7. *Iugulauit filios ſuos.* Et tamen Eccleſiaſt.4. num. 12. dicitur: *Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat.* Quomodo hæc cohærent? Si interficit filios, quomodo illis vitam infundit? Interficiendo dat vitam. Vitam pro Deo effundere, præſtantioris vitæ eſt comparatio. Tantum abeſt, quod ipſa iugulatione pereant, vt illa vegetiores, ac validiores iuueneſcant. Huc aduoco, quod de Iobi perſecutionibus dixit D. Ambroſius cap.2. enarrat.in Iob. *Fortior æger*, ait, *quàm cum ſanus eſſet, ſe ipſo inuentus eſt: fortior enim æger Iob, quàm cum ſanus fuerat, ſecundum, quod ſcriptum eſt:* Virtus in infirmitate perficitur. *Ergo & Iob, cum infirmatur, tunc validior erat.* De hac re multa ſequenti quæſt.

Pagnin.

Prouerb. 9. Septuag. D.Ambr. Tertull. Eccleſ. 4.

*Virtus in tribulatione proficit.*

D.Ambroſ.

*Matth.13.n.29.* Et ait: Non; ne fortè, colligentes zizania, eradiceris ſimul cum eis & triticum.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Caietanus, Pagninus.* | Ne quando colligentes. |
| *Syriacus.* | Ne fortè, dum collecturi eſtis zizania. |
| *Vatablus.* | Eradiceris vnà cum illis triticum. |

### *EXPOSITIO VI.*

72. MAGNO zelo dominicæ meſſis petierant ſerui à Patrefamilias licentiam euellendi zizania; & tamen ipſe facultatem negat. Et cum eſſet ſupremus Dominus, non pro dominationis imperio, negat, ſed ipſius rei negatæ reddit rationem, *ne fortè*, ſeu, *ne quando*: non dubitantis hoc eſt, ſed prædicentis euentum præter intentionem ipſorum, vt ait Caietanus. Nouit enim ipſe Paterfamilias Deus, quod, ſi homines colligerent zizania, præter intentionem colligentium, eradicarent & triticum.

Caiet. *Aliquando homines præter intentionem faciunt, quæ non decent.*

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Dominus prohibuit illinc auferri zizania?*

73. RATIO difficultatis conſurgit, Primò ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 5. num. 13. *Auferte*, ait, *malum ex vobis ipſis*, hoc eſt, vt explicat D. Auguſtinus, *vt homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per Eccleſiaſticam diſciplinam.* Deinde, quia mala in flore, ac ſemine ſunt amputanda, antequam adoleſcant. Quod perbellè docet D. Hieronymus Epiſt.22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis. *Dum paruus eſt hoſtis*, ait, *interfice: nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine.* Hinc Regius Vates Pſalm. 136. num. 9. beatum appellat virum, *Qui allidit paruulos ſuos ad petram*; hoc eſt affectus ſuos, antequam conualeſcant, & in iniquam, ac diuturnam conſuetudinem tranſeant. Hinc nos pungit Bachiarius Epiſt. ad Ianuarium. *Et tu*, ait, *expectas, donec Gigas tuus inimicus efficiatur?* ac ſi dicat, rem valdè periculoſam, ac execrandam facis.

1.Cor. 5. D. Auguſt.

D.Hieron.

Pſalm. 136. *Mala ſtatim amputanda.*

Bachiar.

74. D.Paſchaſ. Reſpondet primò D. Paſchaſius lib.7.in Matth. *Non dico*, ait, *vt contradicam illud Apoſtoli: Auferte malum ex vobis: quod contrarium huic loco ſonare videtur; ſed aliud eſt de manifeſtis, apertíſque criminibus iudicare in Eccleſia; aliud de his, quæ adhuc quaſi in herba latent. Nam zizania, quod lolium eſſe dicimus, antequam in culmen veniant, tanta ſimilitudo in eis eſt, vt diſcerni vix, aut nunquam poſſit, & Dominus ait, ſinite vſque ad meſſem.* Apoſtolus citato loco agit de publicis peccatoribus, quorum ſcelera ſunt omnibus nota, in omniúmque oculis poſita: Chriſtus verò ſimilitudine zizaniæ, quæ in herba vix differt à tritico, non de manifeſtis, ſed de ambiguis, & occultis delictis pertractat. Et quamuis adulterini ſeminis non obſcura eſſent indicia; tamen ob ſimilitudinem, ſibi, ac ſuis meſſoribus, nempe Angelis, à ſe deſtinatis, horum diſcretionem reſeruat. Ne ergo proximi mala credantur, niſi quæ fuerint valdè notoria, & in omnium conſpectu propalata; non verò quæ ambigua, & occulta perexiſtunt. Cum his cautè agendum, monent prælatos citati Paſchaſius, & Hieronymus: quantum enim fieri poteſt, de proximis benè cenſendum. Hinc mandat Dominus, tempus meſſis expectare, in quo ipſum zizaniæ vitium per ſe palam prodeat, ac manifeſtetur. Illos autem, qui huiuſmodi ambigua facta volunt diſcernere, ac diiudicare,

*Mala occulta, & ambigua à nobis non iudicanda.*

D. Chryſoſt.

rectè pungit Chryſoſtomus homil. 2. in Epiſt. ad Timoth. *Noli*, ait, *præripere Chriſti iudicis ordinem; illius eſt munus, illa diſcernere, non tuum.* Vide ſupra cap. 22. quæſt. 16. num. 91. & 92.

75. D. Hieron.

Secundò. D. Hieronymus in comment. ad dictum Apoſtoli locum. Sic ait: *Inter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium, quandiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla, aut perdifficilis diſtantia.* Et hæc verba coincidunt cum proximè citatis D. Paſchaſij. Zizania in herba valde ſimilia tritico, magnamque illius vmbram gerunt. In tanta æſtimatione, ac pretio ſunt iuſti, vt ne aliquis eorum contemnatur, ac pereat, ſuſtineantur per aliquod tempus zizania, quoadvſque apertè eorum fructus vnus ab altero diſcernatur, ne iuſti reuerentia, ac merces defraudetur. Et hanc rationem aſſignat Dominus in textu: *Ne fortè colligentes zizania*, &c. Dicebat Abrahamus ad Dominum: *Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius; non eſt hoc tuum.* Geneſ. 18. num. 25. Vide tom. 2. cap. 18. quæſt. 7. num. 36.

*Ob malos pij non contemnendi.*

Geneſ. 18.

76. Tertiò. Valdè peſtilens germen eſt zizania tritico; tamen in infantia ſua, quandiu eſt herba, quandam ſpeciem tritici præ ſe fert, & quamuis in natura zizania plurimum à tritico differant; tamen ipſa externa facies bene compoſita, ac probi ſeminis imitatiò, ipſius aliqualis innocentiæ color, eis ſuffragatur, ac aliqualem indulgentiam aſſequitur, vt tanquam vtilia germina aliquandiu ſuſtineantur. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 17. num. 90.

*Bona externa compoſitio multum valet.*

77. D. Auguſt.

Quartò. D. Auguſtinus citatus in catena Diui Thomæ. *Sinite*, ait, *vtraque creſcere vſque ad meſſem. Hoc dicitur, quia boni, dum adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam malorum commiſtione, ſiue vt per eos exerceantur; ſiue vt eorum comparatione, magna illis exhortatio fiat, & inuitentur ad melius.* Mala herba eſt zizania, nocet tritico, exſuccando terram; tamen iuxta illud permittatur, vt, dum zizania citò erumpit, creſcit, ac aſcendit in culmos, magna ſit tritico tacita exhortatio, ne ipſum lenter, ac moroſè torpeſcat, ſed inſtar zizaniorum citò conſurgat, ac fructificet: & plus proficiet triticum zizaniorum æmulatione, quàm ex terra exſiccata nocumentum accipiet: aliquando enim malitia, dum illa exhortamur, ſchola pietatis eſt. In hoc ſenſu dixit Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromat. *Ecce noua facta omnia ſunt, Caſtitas ex fornicatione, continentia ex incontinentia, iuſtitia ex iniuſtitia.* Nec enim minores labores, aduerſitates, ac temporum inclementias debent probi ſufferre pro conſeruanda caſtitate, continentia, ac inſtitia, quàm improbi patiuntur pro ſuis appetitibus fornicationis, incontinentiæ, ac iniuſtitiæ indulgendis.

*Aliquando ex æmulatione peccantiũ creſcit virtus.*

Clem. Alex.

78. D. Auguſt.

Quintò citatus Auguſtinus aliam rationem ſatis vulgarem in prædictis verbis inculcat: *Siue vt per eos exerceantur.* Permittitur zizania iuxta triticum, vt ipſo malo ſemine bonum germen exerceatur; & tunc multum creſcat, & proficiat. Sic ait D. Ambroſius lib. 4. in Lucam. *Tolle martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines: non ne tentatio Ioſeph, virtutis eſt conſecratio? nonne iniuria carceris, corona eſt caſtitatis?* Vide tom. 2. c. 10. quæſt. 30. n. 236. & hoc lib. infra c. 25. n. 35. Sextò. Benè videbat Paterfamilias quantum nocumenti ex zizaniis triticum haberet: aliunde etiam conſiderabat, quod ſi ea ſtatim euellere mandaſſet, ipſe vt crudelis, ac inhumanus diiudicari poſſet: decreuit ergo, meſſem, ac rem ſuam potius, quàm proprium honorem, ac reputationem in diſcrimen dare. *Sinite ergo*, ait. Vide Verb. Honor.

*Boni per malos exercentur ad coronam.*

D. Ambroſ.

*Honor pluris æſtimandus, quam res propria.*

79. D. Paſchaſ.

Septimò. D. Paſchaſius citato lib. 7. ait: *Pius Dominus, quem tempora non fatigant, qui, quando vult, ſuas poteſt abolere iniurias: ſinite, inquit, vſque ad meſſem.* Vidit bonus Paterfamilias feruentem ſeruorum zelum; & cum ad pœnam, ac extrema ſupplicia, quæ zizania nunquam euaderent, eſſet procedendum, vt ait Chryſoſtomus homil. 47. moroſè ſe habet, ne repentina acceleratio aliquod crimen inferret. Cunctatio autem in iniuriis vlciſcendis ex magna fortitudine, ac generoſitate animi procedit. Ait Deus per Moyſen Pharaoni: *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribiſque de terra: idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in terra.* Exod. 9. num. 13. Magna explicatio neceſſaria eſt, ne implicationem videatur locus inuoluere. Minatur Deus Pharaonem, & populum eius illico enecandum peſte: *Peſte peribis de terra*: & tamen nec ipſe Pharao, nec populus eius ſtatim conſumptus eſt; immò citatis verbis immediatè ſubdit Deus *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam.* Pro *poſui te*, habent ſeptuaginta, *Propter hoc conſeruatus es*, Chaldæus, *Propter hoc ſuſtinui te.* Quæ verba, ipſum regem eſſe tolerandum, & conſeruandum, apertè innuunt. Si Deus illi mortem minatur, quomodo etiam conſeruationem eius, ac tolerantiam dicit? Magna ſanè difficultas. Extricatur tamen, ſi aduertas, quod ſenſus eſt. *Percutiam te, & populum tuum*, id eſt. Ego poteſtatem habeo, ô Pharao, vt vno inſtanti, ac momento te, ac populum tuum peſte extinguam, ac perimam: tamen idcirco conſeruaui, ac poſui te, vt in te faciam oſtenſionem meæ fortitudinis, ac longanimitatis in ſufferendis tuis peccatis, blaſphemiis, ac peruerſitatibus. Oecumenius in Epiſt. ad Rom. 9. num. 17. expendens verba Apoſtoli, qui pro fortitudine poſuit *potentiam*. ſic ait: *Potentia Dei eſt longanimitas, adeoque maxima potentia eius. Quis enim non obſtupeſceret, ſi Deus ſit longanimis, ait itaque, in hoc regnare, permiſi te, vt demonſtraretur, quod ſim longanimis.* Et hanc ſententiam confirmat Apoſtolus ſubdens: *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.* Qui hanc patientiam imitatur in ſufferendis inimicis, diuina, ac præclara fortitudine eſt præditus. Accipe Bedam ad verba noſtri Euangeliſtę. *Hic nobis*, ait, *patientiæ exemplum prabetur, vt ſicut Paterfamilias in dolo inimici patiens fuit; ſic in aliqua nos læſione, non ſtatim ad vindictam, ſed magis ad tolerantiam recurramus.*

*In noſtris vlciſcendis iniurys cunctanter agẽdum.*

Exod. 9.

*Diuina potentia declaratur cunctanter agendo.*

Oecumen.

Beda.

80. D. Auguſt.

Octauò. D. Auguſtinus lib. Quæſt. in Matth. cap. 12. *An forte ideo eradicatur triticum, cum auffertur, quia multi primò zizania ſunt, & poſteà triticum fiunt.* Prohibet bonus ſator euellere zizania, & rationem ſubdit, *Ne ſimul eradicetis & triticum:* multa enim hodie exiſtunt zizania, quæ tamen ex frumenti conſortio in triticum poſtea commutanda ſunt. Atque ideo licet ſola nunc zizania eradicetis, non triticum, quod nunc oſtenditur; eradicando zizania, triticum ſanè eradicatis, in quod ex illius conſortio zizania conuertenda ſunt.

*Ex bonorum conſortio bonum aſſequitur.*



ſunt. Vide multa verb. Societas, & tom. 1. & 2.

81. D. Auguſt.

Nonò, idem D. Auguſtinus ſerm. 46. de diuerſis. *In agro*, ait, *ſunt zizania, & fieri poteſt, vt qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentum. Zizania alloquor: Corrigite vos, antequam meſſis adueniat.* Acceleratam, properámque zizaniorum eradicationem, antequam adoleſcerent, atque ad maturitatem peruenirent, vetat Dominus: Spem penitus adimere, ſerui volebant, zizania in melius commutandi: ſicut enim triticum degenerando in zizania ſæpè conuertitur; ita & aliquando zizania in melius proficiendo ad vigorem tritici reuertuntur. Quod, an ita contingat in naturali ſemine? aliis relinquo. In myſtico autem, & morali, in parabola ſignificato ſæpè ſæpius mali, aſpirante Dei gratia conuertuntur in bonos, vt fides, & experientia docet. Sic ait D. Petrus Chryſologus ſerm. 97. *Si zizaniis non ſubueniret Dei potentia, nec Matthaum de publicano Euangeliſtam, nec Paulum de perſecutore Eccleſia poſſideret.*

*Dei patiẽtia expectat peccatores ad pœnitẽtiam.*

D. Chryſol.

82. Ob noſtras culpas non ſtatim iraſcitur Deus, nec pœnam infert, expectans noſtram pœnitentiam. *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Sapient. 11. num. 24. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos ex vobis perire.* 2. Petri 3. num. 9. *Calix in manu Domini vini meri, plenus miſto: veruntamen fex eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Pſalm. 74. n. 9. *Calix vini meri*, legit D. Hieronymus, *vini rubri*, quod diuinam iuſtitiam denotat; *plenus miſto*, D. Auguſtinus, Caſſiodorus, & alia paraphraſis apud Lorinum, *plenus miſtione amaritudinis.* Si calix totus eſt plenus rigore, ac amaritudine diuinæ iuſtitiæ; cur totus non eſt exinanitus, ac effuſus? Cur Deus cunctatur, ac moras interponit? Calix plenus eſt ad terrendum, ac ad verberandum vno, vel altero flagello; non tamen totus eſt effuſus ad perimendum; ſed vult dare locum ad pœnitentiam, & contritionem, vt de cœleſti rore, ac gratia bibant omnes peccatores terræ. D. Auguſtinus. *Peccatores bibent*, ait, *ſed non vt remaneant peccatores; vt iuſtificentur, non vt puniantur.*

Sapient. 11.
2. Petr. 3.
Pſalm. 74.
D. Hieron.
D. Auguſt.
Caſſiod.
Lorin.
*Deus expectat peccatores ad pœnitentiam.*
D. Auguſt.

83. 1. Tim. 1.

*Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum; ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi.* 1. ad Timoth. 1. num. 15. Erat Paulus anhelans, & ſpirans crudeli perſecutione in diſcipulos Domini; & tamen ipſum erat Chriſtus Ieſus expectans ad conuerſionem, *Vt in me oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam.* In expectando peccatorem ad reformationem omnes patientiæ apices declarantur. Expende tamen ſequentia verba: *ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi. Ad informationem*, id eſt doctrinam, & eruditionem *eorum, qui credituri ſunt illi*, ſcilicet diuinitati eius. In hoc enim maximè oſtenditur Dei diuinitas, ac ſuprema bonitas, quod ſui inimicos, blaſphemos, & perſecutores expectet ad pœnitentiam, ac meliorem lioritatem, vt illis conferat vitam æternam, ac cœleſtia bona. D. Cyrillus lib. 2. ad Reginas. *Si Chriſtus Ieſus*, ait, *peccatores ſaluat, patientérque delinquentium mores tolerat, illorum pœnitentiam expectans. Si per fidem, quæ eſt in ipſum, vitam æternam adipiſcimur: quomodo non eſt Deus? Æquo ad hæc animo peccatores ferre, vitam poſtremò impertiri ſpirituali vita deſtitutis, id meritò in ſolum Deum conuenire creditur.*

*Dei diuinitas manifeſtatur in expectatione peccatorum ad pœnitentiam.*

D. Cyrill.

*Matth. 13. n. 30.* Sinite, vtraque creſcere vſque ad meſſem; & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Sinite, creſcant vtraque ſimul vſque ad meſſem, & tempore meſſis dicam ego meſſoribus: Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos, vt comburatur; tritica verò illa colligite in horrea mea.

*Vatablus.* Sinite, pariter creſcant vtraque.

## *EXPOSITIO VII.*

84. PROHIBVIT Dominus euellere zizania; & mandat, vt ſimul permittantur creſcere cum tritico. Malè ex hoc aliqui intulerunt, hæreticos non eſſe comburendos, ac puniendos; nam hoc loco Angeli, ſeu meſſores vetantur euellere mala ſemina, quia tunc periculum erat, vt ſimul cum malis inuoluerentur boni, & innocentes perirent. At quando hoc periculum ceſſat, & hæreticus clarè cognoſcitur, comburendus eſt. Sublato Lot de medio Sodomorum, Angeli eos ignibus tradiderunt. Geneſ. 18. De hoc multas rationes vide apud Caietanum, Beauxames, Barradas, & alios. *In tempore meſſis.* Tempus meſſis dies eſt iudicij, vt explicant Chryſoſt. Paſchaſius, Euthymius, Albertus Magnus, Hugo, & alij. *Dicam meſſoribus*, ſcilicet Angelis. Ex hoc perpende, quàm difficile ſit, diſcernere vnum bonum inter malos: quandiu enim ipſa malitia erat occulta, etiam ipſa perſpicacia angelica aliquantum allucinari poterat: *Ne ſimul eradicetis & triticum:* & ideo mandatur ſubſiſtere, quoad vſque fructus germinent, & apertè vnum ab altero dignoſcatur.

*Hæretici puniendi ſunt.*

Geneſ. 18.
Caiet.
Beauxam.
Barradas.
D. Chryſoſt.
D. Paſchaſ.
Euthym.
Albert. Mag.
Hugo.
*Iuſtus in malorum ſocietate difficilè agnoſcitur.*

85. *Colligite primum zizania.* Poſtquam omnia fuerint demeſſa, ſeparate zizania; & ante omnia *alligate ea in faſciculos.* Zizania, vtpotè damnata, non excutiuntur, nec à paleis ſeparantur, ſed ſimul cum illis, ſcilicet iniqui cum ſuis peccatis, vt explicat D. Thomas, in faſciculos ad comburendum alligantur, vt æterna ſupplicia ſuſtineant in inferno: in quibus, vt ait Hugo, vna omnibus erat pœna damni; diuerſa tamen ſenſus pro diuerſitate culparum, & ita, vt explicat D. Auguſt. ſerm. 39.

D. Thom.
Hugo.
D. Auguſt.

*Qui pares in culpa, & in pœna pares.*

ſerm.39. de ſanctis, in faſciculos colliguntur, hoc eſt ſimiles cum ſimilibus, homicida cum homicidis, iracundus cum iracundis, latro cum latronibus, fornicator cum fornicatoribus, quia, vt ait D. Gregorius lib.9. moral. cap. 39. ad illa Iobi verba *Vbi nullus ordo*: Sic ait S. Doctor: *faſciculos*, inquit, *ad comburendum ligare eſt, hos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare; vt quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.* Similiter Euthymius, Beda. Æquum enim eſt, vt qui in eodem communicant peccato, eiuſdem ſint participes pœnæ. Theophylactus per hanc alligationem intelligit, ita eos conſtringi, vt amplius non poſſint operari, cum omnis vis operandi eis ligetur.

D. Gregor. — Euthymius. Beda. Theophyl.

86. *Ad comburendum.* Serui ſolum cogitarunt de eradicandis zizaniis: at Deus non ſolum de auulſione, ſed etiam de æterna pœna, & igne. Cum perſeuerantia malorum inſtat, vbi maior eſt miſericordia, inde maior iuſtitiæ rigor egreditur: *Triticum autem*, purum, & expurgatum à paleis, *congregate.* Aduertit D. Thomas, quod hoc verbum denotat vnionem, quæ ſemper eſt inter iuſtos, & ſanctos. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificium.* Pſal. 49. num. 5. *In horreum meum*; horreum fit, ait D. Thomas, ad conſeruationem meſſis: ſic illa æterna Patria erit horreum ſanctorum, vbi erunt in ſempiterna lætitia, & exultatione. Similis hæc ſententia illi Ioannis. *Congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 3. num. 12.

*Vbi maior miſericordia, ibi maior iuſtitia.*

*Inter iuſtos vnio.* — D. Thomas. Pſalm. 49. — D. Thomas. — Matth. 3.

## Qvæstio XIII.

### *Quare zizania colligenda non committuntur his ſeruis, ſed meſſoribus.*

87. *Ratio difficultatis.*

Viſis zizaniis maximè dolent boni ſerui; & vtpote fideles, ſtatim ad Dominum conueniunt, totum rei euentum annuntiantes, & ſe paratos oſtendunt, ad ea colligenda: *Vis, imus, & colligimus ea*: & tamen executionem ipſa amputandi, eis Dominus non committit, ſed ſuis meſſoribus: *Dicam meſſoribus: Colligite ea.* Cur tam promptum fidelium ſeruorum obſequium reſpuit Paterfamilias, & meſſores ad ſe aduocat?

88. *Res committenda vnicuique iuxta munus ſuum.*

Reſpondeo primò. Quod ſerui, quamuis eſſent valde fideles, vt curam de rebus Domini agerent; tamen metere, ad ipſos non ſpectabat, ſed ad meſſores: & res committenda eſt iuxta munus, quod vnuſquiſque habet, vt quilibet in ſuo officio ſe exerceat, & in alieno ſe non intromittat. Ad hoc multa habes tom. 1. & 2. Verb. Officium. Secundò. Bonus Paterfamilias voluit, ſua officia per multos diſtribuere; & noluit, omnia vni dare, vt ſcilicet ſerui ſimul eſſent cuſtodes, diſpenſatores, ac meſſores. Vide ſupra cap. 1. num. 49. & cap. 24. num. 29.

*Omnia officia non vni danda.*

89. *Puniendi officium alienum à domo Dei.*

Tertiò. Serui dicuntur ipſius Patrisfamilias: *Accedentes ſerui Patrisfamilias dixerunt ei.* At verò meſſores non ita, ait enim *dicam meſſoribus*, non meis, ſed veluti extraneis, & alienis: quaſi tam alienum ſit ab eo punire, vt officium colligendi faſciculos ad comburendum, non ſit eius domeſticorum, ac familiarium, ſed alienorum, ac mercede laborantium. Ait Iſaias 7. num. 20. *Radet Dominus in nouacula conducta caput, & pilos pedum.* Per nouaculam conductam intelliguntur carnifices babylonici, quos Deus, velut pacta mercede, conduxit, vt raderent, ac deſtruerent Ieruſalem. Sed ad quid dicitur nouacula conducta? *Vox hæc*, ait Cornelius à Lapide, *denotat Dei clementiam, ſcilicet miſericors Deus non alat domeſticos lictores, ſed aliunde conductos accerſat, vt faciat hoc opus.* Sic ait Iſaias 28. num. 21. *Iraſcitur*, ſcilicet Dominus, *vt faciat opus ſuum, alienum opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo*: nam vt dicitur Sapient. 1. num. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.*

Iſaiæ 7. — *Alienum à Deo punire.* — Cornelius. — Iſaiæ 28. — Sapient. 1.

Quartò. Prompti ſe exhibuerunt ſerui in hoc negocio: *Vis, imus, & colligimus ea*: tamen Paterfamilias mandat: *Sinite, vtraque creſcere vſque ad meſſem: & dicam meſſoribus*, &c. Seruorum petitioni non acquieſcit bonus ſator; cum enim ipſi libenter, vt miniſtri, ſeſe offerrent ad hanc executionem adimplendam, eorum obſequium reſpuit benignus Dominus: Valde enim ſuſpecta eſt adminiſtratio eorum, qui ſe vltro præſentant, & dant ad aliquod iuſtitiæ opus obeundum. 90.

*Miniſtri vltro oblati valde ſuſpecti.*

Facto iam vniuerſali diluuio dicitur: *Clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cæli.* Gen. 8. num. 2. Non ſat erat dicere, quod inundatio aquarum ceſſauerit? Ad quid exprimitur, quod *clauſi ſunt fontes?* Vt apertè cognoſcatur, quod in hominum nece fontes non effuderint aquam, vt miniſtri oblati, ſed vt à Deo imperati. Oleaſter. *Clauſi ſunt fontes, quaſi oſtendentes, quod inuiti; & non ſua ſponte homines afflixerint: à quibus miniſtri iudicum diſcant, non ſua ſponte, ſed quia parere, opus eſt, iudici, ſententiam exequi damnationis.* 91.

Geneſ. 8. — *Bonus miniſter non ſe offert ad executionem.* — Oleaſter.

Multo crudelior, ac acerbior miniſter fuit diabolus in Iob, quam in Ægyptum. Plagæ enim Ægypti miniſterio dæmonum illatæ ſunt, vt iam ſupra dixi in hoc cap. Tunc diabolus in vnaquaque domo interfecit filium primogenitum relictis aliis intactis. Ex Ægyptiorum bonis aliquas oues, boues, equos, & camelos peremit; non tamen omnes: nam Pharao, quando inſecutus eſt Iſraelitas ad mare rubrum, quinquaginta millia equitum ſecum habebat, vt refert Ioſephus. Ex agrorum fructibus multos exſiccauit, non tamen omnes; nam milites etiam habuerunt, vt comederent. At erga Iob multò acrior, ac durior extitit Satanas; nec enim vnum, vel alterum filium illi occidit, ſed omnes eius ſeptem, & tres filias, vt nec vnus quidem euaderet viuus. Omneſque eius boues, equos, camelos, ac aſinos morte percuſſit. Omneſque eius agros, prædia, ſegetes, ac olueta igne conſumpſit. Vnde diabolus tam crudelis in Iob, cum mitior extiterit apud Ægyptios? Ad percutiendum dæmones miſſi ſunt à Deo, vt ait Regius Vates. Pſalm. 77. num. 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per angelos malos.* Ad oppugnandum Iob ipſe Satanas ſe vltro dedit, ac obtulit. Ita intelligunt communiter Doctores illius verba: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet.* Iob. 1. num. 11. Scilicet tradendo eum manui meæ ad vexandum, & affligendum. D. Auguſtinus tract. 6. in Epiſt. Ioan. c. 1. *Diabolus*, ait, *petit Iob, & accepit.* Idem tradunt D. Gregorius, S. Odonius, Carthuſianus, Lyranus, & alii. Dæmones miniſtri miſſi acquieſcunt occiſione vnius filij, aliquarumque ouium, ac equorum: at cum ſunt miniſtri ſponte ſua oblati, non morte quatuor filiorum, nec aliquorum equorum, vel 92.

Ioſephus. — Pſalm. 77. — Iob 1. — D. Auguſt. D. Gregor. S. Odonius. Carthuſ. Lyranus. — *Miniſtri oblati valde crudeles, & atroces.*



vel ouium placantur, ſed omnes filios, & filias, cunctáſque oues, equos, camelóſque perimunt omnes agros, & ſegetes igne conſumunt, vniuerſaque abſque alicuius veſtigio relicto deuorant, eradicant, ac extinguunt.

## Qvæstio XIV.

### *Quare prius mandatur colligi zizania; cum tamen in iudicio prius ſit à Rege bonorum retributio,*

93. *Ratio difficultatis.*

Ait Paterfamilias: Dicam meſſoribus: *Colligite primum zizania, & alligate ea &c.* Cum tamen ſupremus Rex Chriſtus in die iudicii ſuis electis prius dicet retributionem bonorum: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Matth. 25. num. 34. Et poſtea in reprobos promulgabit pœnam: *Ite maledicti in ignem æternum* Quomodo ergo Paterfamilias videtur hic prius agere de iniquorum pœna?

Matth. 25.

94. Caietan. *Sermo eſt de collectione, nō vero de finali ſententia.*

Reſpondet rectè primò Caietanus. Non dicit, ſcilicet Paterfamilias, comburite prius zizania; & deinde congregate triticum; prior enim retributio bonorum quàm punitio malorum eſt, dicente prius Rege *Venite benedicti*: quā: *Ite maledicti in ignem æternum.* Sed dicit: Colligite primum, hoc eſt ſeparate primum malos à bonis, ſicut & de ipſo Rege Chriſto dicitur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos, ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis.* Citato loco Matth. n. 132. Sic & Paterfamilias, collectione facta, prius mandabit, vt triticum veniat in horreum, & zizania pergat ad comburendum.

Matth 25.

95. Euthym.

Hæc autem ſeparatio fit, ait Euthymius, *Quare primum zizania? Ne etiam tunc viuentes Orthodoxi, ſimul cum Hæreticis mixtim demeſſi, prauam concipiant ſpem.* Vt boni certi de ſua mercede reddantur, à zizaniis, ac malis mandantur ſeparari, vt certam, ac magnam de illa concipiant ſpem.

96. Dicitur autem, Colligite, ſeu coniungite, ſeu ſeparate primum zizania, quam triticum: De zizania erat ſermo, hanc enim ſerui voluerant euellere, hanc autem Pater ex ſua benignitate mandat, *Sinite creſcere vſque ad meſſem.* Et tunc in malitia zizania perſiſtentia, illicò imperat colligi in faſciculos ad comburendum. Qui enim abutitur diuina indulgentia, & non emendatur, ſed in peruerſitate ſua obfirmatur, diuinæ iuſtitiæ rigorem experitur, æternáſque pœnas in inferno exoluet.

*Qui abutuntur Dei miſericordia, rigorem Iuſtitiæ experiuntur.*

97. Matth. 26.

Oſculo tradidit Iudas filium hominis Matth. 26. num. 48. Et inde paucas poſt horas *abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Quod ponderans D. Ambroſius in Pſalm. 39. ad illa verba: *In capite libri:* eleganter ait: *Nec immerito grauiore telo tantæ dignationis percuſſus eſt Iudas, quam ſi eum fulmine pecuſſiſſet. Denique patientiam Domini ferre non potuit, cuius maieſtatem prodidit, ſed abiit, pecuniam refudit, & laqueo ſcilicet ſe ſuſpendit.* Oſculum ſignum pacis, miſericordiæ, ac benignitatis eſt. Quomodo ergo Iudas poſtquam admiſſus eſt ad oſculum, citiſſimè ad laqueum, & interitum tendit? *Venenum infundis oſculo*, ait Ambroſius citatus. Ipſam Domini pietatem, ac manſuetudinem aſſumit in ſignum ad ſuum nefarium proditionis crimen perpetrandum. Et qui Domini miſericordia abutitur, in rigorem iuſtitiæ incidit, vt ab ipſo oſculo, tanquam à grauiſſimo telo, ac vehementi fulmine percuſſus, ad laqueum, & interitum feſtinet & conuolet. Iamque permiſſum eſt, ob ſuam nequitiam, vt ipſum pacis fœdus ſit ei deicidii, & mortis ſignum.

D. Ambroſ. — *Iudas venenum infundens oſculo tendit ad laqueum.*

Iſrael in deſerto fecit vitulum quem pro Deo adorauit. Quo crimine ita exarſit diuina iuſtitia, vt totum populum delere vellet. Sicque ait Moyſi: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleā eos.* Exod. 32. n. 20. Ad placādamque diuinam iram mandat Moyſes, vt filii Leui aſſumant gladium, quo interfecerunt, quaſi viginti tria millia hominum. Hocque ſcelus ſæpe ſæpius Deus, Iſraeli objicit. Deuteron. 9 num. 16. *Vidiſſemque vos peccare Domino Deo veſtro, & feciſſe vobis vitulum conflatilem* Pſalm. 105. num. 9. *Fecerunt vitulum in Horeb.* &c. & multis aliis locis Iſrael multoties prolapſus eſt in Idololatriam, vt patet ex toto volumine Iudicum: & tamen de ipſo ſcelere non ita conqueſtus eſt Deus, vt de adoratione huius vituli. Quid peculiariter viſitur in hoc crimine? Vitulus fabricatus eſt ex auro. Dixitque Aaron: *Tollite inaures aureas, & afferte ad me.* Quod aurum Dei benignitas illis dederat, dans eis gratiam coram Ægyptijs, vt eis accomodarent omnia ſua pretioſa. Exod. 3. num. 21. Merito pro tali ſcelere ita in eos exarſit diuinus furor: nil grauius & durius, quàm ex data gratia, & miſericordia, ex auroque elargito arripere materiam ad offenſam, atque ad negandam Deo debitam adorationem, eamque vitulo tribuendam. Digniſſimi ergo fuerunt Iſraelitæ, qui pro tam ingrata inſolentia, omni pœna, ac ſupplicio multarentur, eorumque crimen profundiſſimè in Dei memoria remaneret. Lippomanus ad citatum cap. 32. Exodi ad illa verba: Quod cum accepiſſet, formauit. Sic ait: *Ingratitudo impia fuit contra Deum, cum ex eo auro, quod Dominus Deus eorum illis tradiderat, ſpoliatis Ægyptiis, in iniuriam Dei, Deos Ægyptios coluere; quos ſane ſuo bono ſenſerant proſtratos.* 98.

Exod. 32. — Deuteron. 9 — Pſalm. 105. — Exod. 32. — Exod. 3. — *Qui ex beneficijs peccat, grauiter punitur.* — Lippoman.

Ex hoc fundamento grauiter D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 6. ponderat magnitudinem nefarii ſceleris idololatriæ. *Vinum*, ait, *datum eſt, vt exhilaret cor hominis. & Bacchus pro Deo celebratur: frumentum Deus fecit, cum diceret, producat terra herbas graminis, quod ſeminet ſemen ſuum ſecundùm genus ſuum, vt panis cor hominis confirmet; vnde eſt quod Ceres colitur. &c. Sic quo plura veniebant homini beneficia, eo plures veri Dei ignorantiæ, & apoſtaſiæ ingrediebantur.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 3. quæſt. 29, num. 136. & tom. 2. cap. 17. quæſt. 3. num. 10. 11. & 12. 99.

D. Cyrill. — *Grauitas criminis idololatriæ.*

# CAP. XXVIII.

## *Granum Sinapis.*

*Math.* 13. *n.* 31. Aliam parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt regnum cœlorum grano

grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.

### *VERSIONES.*

*Simeon Iun lib. ſacrarum cõmentationum.* Quod homo quiſpiam acceptum ſeuit.

*Aliȷ Codices apud D Paſchaſium lib. 7. in Matth.* Seminauit in horto ſuo.

*Euſebius Gallican. homil. 1. de Natiuitate.* Quod acceptum homo miſit in agrum ſuum.

### ALTER TEXTVS

*Marci* 4.*n.*30. Dicebat: Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granum ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra.

*Luc.* 13.*n.*18. Dicebat ergo: Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum.

### *EXPOSITIO I.*

1. D. Hieron. RECTE ait Diuus Hieronymus in Commentario. *Proponit eis & aliam parabolam, quaſi diues paterfamilias inuitatos diuerſis reficiens cibis, vt vnuſquiſque ſecundum naturam ſtomachi ſui varia alimenta ſuſciperet.* Et infra in parabola de fermento ait: *Proponit Dominus diuerſas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates & medicina diuerſa ſit.* Medicina proportionanda eſt iuxta diuerſitatem morborum. Multas ergo proponit Dominus parabolas, vt ingenio, ac conditioni vniuſcuiuſque auditorum doctrina ſit accommodata. Et vt notat D. Chryſologus ſerm. 99. non profert Dominus has comparationes ex cœleſtibus, ac occultis rebus, ſed ex iis, quæ vſu quotidiano veniunt. *Vt ad omne genus,* ait, *hominum proueniat, quod eſt omnibus profuturum. Loquitur nota diuiti, vſitata pauperi, omnibus vita ipſius neceſſitate vernacula.*

*Medicina morbo proportionata.*

D. Chryſol.

2. *Simile eſt regnum cælorum.* Adhuc ſub figura ſeminantis proſequitur Dominus parabolas: nam, vt notat D. Chryſoſtomus homil. 47. in prima, in qua tres partes ſeminis perierunt, vt vna ſaluatur; declarauit diuerſum effectum prædicationis, prout in bonam, vel malam terram cadit: in ſecunda parabola, in qua multa efficitur iactura in tritico propter zizania ſuperſeminata, manifeſtauit Dominus, quantum detrimentum patiatur bona terra ex vitioſo diaboli ſemine iacto: in hac tertia de ſinapi oſtenditur, quantum lucrum habeant, qui fructificant fundari in doctrina Euangelica in qua tanquam ex paruo ſemine in altam arborem excreſcunt.

D. Chryſoſt.

*Intentio parabolæ.*

*Regnum cælorum,* ſcilicet Eccleſia militans, ſeu prædicatio Euangelica. Dicitur autem regnum cælorum, quia parat viam ad ipſum regnum: ſeu quia viuere in Eccleſia Chriſti, ſeu ſub præceptis Euangelicis, regnare eſt. *Grano ſinapis.* Eccleſia militans, ſeu prædicatio Euangelica confertur cum grano ſinapis, quod minimum eſt; at ſi ſeminatur, in arborem magnam exurgit. Sic Eccleſia, ſeu prædicatio Euangelica in initio, dum à Chriſto ſeminata eſt in terris, minima apparebat, ſed poſtea in proceram arborem dilatata eſt. *Quod accipiens homo,* Scilicet Chriſtus Ieſus, *ſeminauit in agro ſuo,* Scilicet mundo, vt interpretatur Hugo. Per hunc agrum D. Paulinus Epiſt. 3. intelligit ipſum Chriſtum. Sic ait: *Ager tu Chriſte es: & cor tuum fertile à Deo ſemen exceptum ſpirituali fruge multiplicat.* Semen eſt ipſa præclara, ac benigna Chriſti natura, In nobis ſemen gratiæ, & gloriæ, ac cæleſtium donorum, quæ in humano genere per Spiritum ſanctum diffundit. Hic homo ſeminans ab aliquibus apud Hieronymum interpretatur ipſemet homo ſeminans in agro ſuo, hoc eſt in ſemetipſo, in corde ſuo grana prædicationis Euangelicæ.

3. *Viuere in Eccleſia Chriſti regnare eſt.*

Hugo.

D. Paulinus.

D Hieron.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Eccleſia militans, ſeu prædicatio Euangelica cum grano ſinapis comparatur?*

REGNVM cælorum in hac parabola, ſicut & in præcedentibus, quod hic cum grano ſinapis confertur, aut eſt Eccleſia militans, præſertim primitiua, vt docet D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. aut eſt diuina fides, vt volunt D. Auguſtinus ſerm. 31. & 32. de ſanctis. Albertus Magnus: aut potius eſt doctrina Euangelica, ſeu Euangelium: quæ omnia idem ferè ſunt, ac in idem redeunt, vt communiter docent D. Ambroſius in cap. 13. Luc. & D. Chryſoſtomus homil. 47. & D. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Beda, S. Thomas, Abulenſis, & alij. Hæc iuxta communem ſententiam.

4. *Regnum cælorum ſignificat Eccleſiam, fidem, Euangelium.*

D. Paſchaſ. D. Auguſt. Albert. mag. D Ambroſ. D. Chryſoſt. D. Hieron. Euthymius. Theophyl. Beda. D. Thomas. Abulenſis.

Non prætermittam hic aduertere, quod Simeon Iunior Theologus Abbas Monaſterij S. Martini. lib. ſacrarum commentationum. cap. 17. relatus in Bibliothe. tom. 12. part. 1. per granum ſinapis interpretatur diuinam gratiam, quæ ſeritur, id eſt diffunditur in corde hominis. Cardinalis Hugo per idem granum intelligit charitatem, quæ calefacit cor; vel etiam ſcientiam ſcripturarum quæ illuminat mentem Palatius vero per granum ſinapis interpretatur fideles in Eccleſia ſeminatos, qui penitentiis; & aduerſitatibus, ac laboribus attriti in arborem magnam creſcunt.

5. Simeon Iun.

*Gratia.*

Hugo. *Charitas, aut ſcientia ſcripturarũ.* Palatius. *Fideles.*

6. Iuxta communem doctrinam granum ſinapis ſignificat Eccleſiam, ſiue fidem diuinam, ſiue prædicationem Euangelicam: quæ à nobis altius ſunt explicanda. Tanta rerum ſublimitas denotatur per quid tam minimum? Ad quod reſpondet D. Chryſologus ſerm. 98. *Si infirmum Dei,* ait, *fortius eſt hominibus; & ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.* 1. Corinth. 1. num. 25. *hoc minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius inuenitur.* Quod bene confirmatur ex verbis Chriſti ad ſuos Diſcipulos. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, & dicetis monti huic: Tranſi hinc, & illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Matth. 17. num. 19.

D Chryſol.



1. Corint. 1. *Minimum Dei maius mundi magnitudine.*

Matth. 17.

7. Secundò. Quamuis granum ſinapis ſit paruum, per illud ſignificatur doctrina fidei, ac Eccleſiæ ſanctæ ad indicandam eius efficaciam, fructum, ac propaginem. Prædicatio enim Euangelica à tenui principio cum Chriſto cœpit, ac per paucos Apoſtolos, humiles, pauperes, ignobiles, in totum mundum dilatata eſt. Sicut lapis ille paruus factus eſt mons magnus. Daniel. 2. numer. 35. Granum ſinapis præcipuè in Syria, creſcit in arborem, ita, vt dicam ſequenti expoſitione: *Nidificent volucres cæli:* Sic Euangelium, ſic fides catholica in totum mundum propagata eſt, itaut ſcilicet homines alati ſcientia, & ingenio, vtpote magiſtri, ac etiam potentia, vt principes, & reges ſub vmbra illius viuant, habitent, ac requieſcant. Sicut illa alia arbor Daniel. 4. num. 9. & 19. Ita communiter ſancti Patres citati; de quo iterum quæſt. 6.

*Euangelium in magnam arborem creuit, & dilatatum eſt.* Daniel. 2.

Daniel. 4.

8. Tertiò. Sinapis granum, colore rubrum, ignem charitatis denotans, in virtute ſua etiam multum calorem continet, quo, dum comeditur, inflammatur homo, & notauit D. Auguſt. ſerm. 31. de ſanctis, qui eſt de S. Laurentio, *Cibum,* ait, *flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris feruore ſuccenditur, vt mirum ſit, in eam tantum ignem fuiſſe concluſum.* O præclara ſinapis natura; vt acrimoniam, & igneum calorem, quem in ſe continet, & exhibet in effectu, tibi in extrema facie præbet, & oſtendit: ſic etiam ea, quæ in ſancta, ac vera religione ſunt, aliis manifeſtamus, ac oſtendimus, nihil eorum occultantes.

D. Auguſt.

*Sinapi quod in ſe continet, externa facie declarat.*

9. Quartò. Granum ſinapis, ſpecie humile, virtute magnum, vt notauit citatus Auguſt. *Granum ſinapis,* ait, *magnum eſt, non ſpecie, ſed virtute: prima fronte ſpeciei ſuæ paruum eſt, vide, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circunferens, non indicans ſuauitatem, at vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet.* Quamuis hoc granum externa facie deſpicabile videatur, tamen interius magna virtute repletur. In quo vera probitas exprimitur, veraque Apoſtolica doctrina ſignificatur, quæ quamuis exterius humilis appareat, abſque compoſitis, & calamiſtratis verbis; tamen interius tota circunfuſa, ac plena eſt iuſtitia, ac ſanctitate. Sinapi ſuam virtutem non oſtendit, niſi poſtquam conteritur; immò, vt ait Interlineal. *quanto plus teritur, tanto amplius redolet.* Sicque Prædicatio Euangelica, & Apoſtolica, quò maiores aduerſitates, ac oppugnationes contra eam exoriebantur, eo magis ſuam vim, ac efficaciam declarabat, & aperiebat.

D. Auguſt.

*Granum deſpicabile exterius, magnum virtute.*

Interlineal.

10. Quintò. Granum ſinapis virtute magnum, vt inquiunt D. Auguſt. & S. Ambroſ. Cuius virtutes annumerat Plinius lib. 20. verſ. 22. & Dioſcorides lib 2. cap. 148. primò igneam vim, & halitum expirat, quo inflammat hominem. Secundò vtpote acris, & mordax, lachrymas excitat. Tertiò ſuperfluitates ex cerebro purgat, eaſque facit defluere per nares, & os. Quartò tritum cum aceto ad morſus ſcorpionum, & ſerpentum inſeruit. Quintò vim veneni infringit, ac compeſcit. Sextò ſtomacho, pectori, ac pulmonibus vtiliſſimum contra prauos humores eſt. Septimò multum præualet contra epilepſiam, hydropem, & alias multas infirmitates. Octauò vt ſatis experientia notat, ſinapi cibos ſua acredine ſaporat, vt delectabiliter comedi valeant.

D. Auguſt. D. Ambroſ. Plinius. Dioſcorides. *Multiplex ſinapis virtus.*

Valde peroptimè hæc omnia conueniunt Euangelicæ doctrinæ. Primò hominem inflammat in charitate, & amore Dei. Secundò ad lachrymas compunctionis, ac amaritudinis mouet. Tertiò prouocat ad vomitum peccatorum ex ore per confeſſionem. Quartò ipſa ſacra doctrina vnà cum acredine contritionis, quam in nobis excitat, dæmonum morſus ſanat. Quintò vim veneni peccatorum à nobis eiicit, ſeu vt explicat S. Thomas, errores expellit. Sextò omnibus animæ potentiis medetur, ac opitulatur; mentem illuminat, voluntatem dirigit, memoriam impinguat, concupiſcentias defœcat. Septimò concupiſcentias, odia, iras, rapinas, cæteraque vitia, ac malas animi infirmitates expellit. Octauò Euangelium, quidquid arduum eſt in virtutibus, valde ſapidum efficit, vt dulciter, ac delectabiliter homo teneat, & amplectatur. 11.

*Prædicatio Euangelica in multis cõfertur cum ſinapi.*

S. Thomas.

Dicitur Chriſto Domino in Pſalm. 44. num. 5. *Accingere gladio tuo, ſuper fœmur tuum, potentiſſime, intende proſperè, procede, & regna.* Valde diſcrepantia hæc ſunt. Quid ſibi vult accinctio gladij ad bellum cum collaudatione pulchritudinis? bellum timorem, ac formidinem inimicis incutit, & ipſa gladij euaginatio valde inimicis deformis. Vnde dixit Tertullianus lib. 3. in Marcion. *Rideo, ſiquem enſe ad bellum cingebat, ei de tempeſtiuitate decoris, & labiorum gratia blandiatur.* Immò ſi Pſalmum ipſum ponderes, inuenies, quod laudatur labiorum gratia. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis:* ſimul cum efficacia ſagittarum: *Sagittæ tuæ acutæ.* Et in veſtimentis eius deſcribitur: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis.* Quæ omnia ponderans inter ſe Chryſoſtomus ait: *Quid ergo commune inter ſe habent arma, & vnguenta; gratia, & gladius; doctrina, & bellum; arcus, & pulchritudo.* Sermo eſt ibi de Chriſto Domino omnium Doctore, & Prædicatore, vt docent idem Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Remigius, Brunonius, & communiter Patres. Sagitta, & gladius verbum Dei ſignificat: *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat.* Apocal. 1. num. 16. *Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ad Epheſ. vltimo num. 17. Hæc ergo omnia, quæ inter ſe diſſidere videntur, de eo prædicante dicuntur: Quia ipſamet Chriſtiana doctrina his, qui illius non ſunt participes, apparet veluti ſagitta acuta vulnerans, ac dolorem incutiens; vel etiam vt gladius, membra diuidens, ac cædens in partes; & etiam vt myrrha multum amara: his autem, qui illam bibunt, & deguſtant, eſt tota plena ſuauitate gratiarum, ſplendore decoris, ac odore pretioſiſſimorum vnguentorum. D. Paſchaſius expoſitione in Pſalm. 44. habetur in Bibliothe. part. 9. tom 2. *Alimentum Chriſtianæ diſciplinæ ſumentibus ſuaue, & pulchrum.* 12.

Pſalm. 44.

Tertullian.

D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Remig. D. Brunon.

Apocal. 1. Ad Eph. vlt.

*Chriſti verba, quæ videntur aſpera, ſuauia reddit.*

D. Paſchaſ.

Ibat Paulus anhelans, & ſpirans in Eccleſiam: vocatur à Deo, & rapitur ad paradiſum, vt ipſe de ſe ait. *Scio, huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt vſque in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. num. 3. Valde mirum, quod Apoſtolus neſciat, 12.

2. Corint. 12.

neſciat, an in ſuo raptu anima eius fuerit vnita corpori, vel non; an ipſum corpus extiterit, vt emortuum, vel an eſuriret, vel ſitiret In ſuo raptu teſtatur ipſe Apoſtolus, quod audierit *arcana verba* Dei, quorum dulcedine ita delectatus eſt; vt de omnibus aliis, quæ corporis erant, obliuiſceretur: non ne modò Paulus perſequebatur omnes qui huiuſmodi verba anuntiabant, vt dixit Ananias Actor. 9. *Hic habet poteſtatem alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum:* eò quod ipſa verba maximè ei diſplicebant, maximéque illi erant in odio? Vnde verò modò tam iucunda? Quandiu enim Paulus verba Dei non audiebat, nec mente percipiebat, ei valde dura videbantur, eique maximè diſplicebant. At verò vbi de eorum torrente bibit, & guſtauit, præ eorum dulcedine omnia alia illorum comparatione ei vileſcebant. D. Ambroſius Epiſt. 11. ad Irenæum ait: *Audiens,* ſcilicet Apoſtolus, *verba Dei quomodo ad corporis infirmitates deſcenderet, erubeſcebat. Itaque ſciens quid audiſſet, clamat dicens: quid adhuc velut viuentes de hoc mundo diſcernitis? ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne guſtaueritis, quæ ſunt omnia ad corruptelam, ipſo vſu.* Deſiderat Apoſtolus, vt nos Dei verba guſtemus, ne vltra in terrenis immoremur. Vide hoc tom. 1. & 2. verb. Dei.

Actor. 9.

*Per verba Dei dura ſiunt ſuauia.*

D. Ambroſ.

## Qvæstio II.

### *Quare Chriſtus Dominus per granum ſinapis interpretatur à multis patribus? Et agitur etiam de ſanctis martyribus?*

13. D. Hilar. D. Gregor. D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Paſchaſ. D. Chryſol. Euſeb. Iſaias Abbas.

CHRISTVM Dominum martyrum caput per granum ſinapis intelligi docent D. Hilarius, D. Auguſtinus, D. Ambroſius, D. Paſchaſius, ac D. Chryſologus citandi, Euſebius Gallicanus homil. 1. de natiuit. Iſaias Abbas orat. 1. qui ad hoc multas ponit combinationes, quas ſupra enumerans ſinapis virtutes, dedi; & facile adaptari poſſunt Homo ſeminans ſignificat Deum Patrem, qui filium miſit, & ſeminat in agro ſuo, ſcilicet mundo, vt ait citatus Euſebius; vel in agro, id eſt vtero virginali, vt explicat Chryſologus citandus. Nec obſtat, quod Chriſtus dicatur regnum cælorum, cum ipſe non ſit regnum, ſed cælorum Rex. Reſpondemus, quod ſicut rex eſt caput in ſuo regno; ſic & ipſum regnum viciſſim, vt corpus, eſt in rege, tanquam in ſuo capite. Ad noſtrum quæſitum: Cur Chriſtus dicatur granum ſinapis?

14. D. Hilar.

Primò D. Hilarius canon. 13. in Matth. *Grano ſinapis,* inquit, *ſe Dominus comparauit, acri maximè, & omnium ſeminum minimo cuius virtus, ac poteſtas tribulationibus, ac preſſuris accenditur. Granum hoc igitur poſtquam in agro ſatum fuerat, id eſt vbi à populo comprehenſus, & traditus morti, tanquam in agro ſatione quadam fuit corporis conſepultus, vltra menſuram omnium olerum excreſcit, & vniuerſam prophetarum gloriam excedit. Et iam in ramis arboris, ex ſolo in ſublime prolatæ, cæli volucres inhabitant. Apoſtolos autem ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes intelligimus, in quos Gentes in ſpem vitæ aduolabant, & aurarum turbine, id eſt diaboli ſpiritu, flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris requieſcent.* Idem docent D. Auguſtinus ſerm. 33. de ſanctis. D. Gregorius lib. 19. moral. cap. 11. D. Ambroſius cap. 13. Lucæ. Zacharias Epiſcopus. D. Paſchaſius, & alij qui dicunt, quod Chriſtus Dominus in ſepulchro fuit granum ſinapis; in Reſurrectione Arbor magna. Granum ſinapis non oſtendit ſuam virtutem, niſi dum teritur. Chriſtus Dominus morti, ac paſſioni traditus, & in ſepulchro mandatus inſigniter oſtendit ſuam diuinam virtutem. Reſurgendo, ſe in magnam dilatauit arborem, quæ totum repleuit mundum; cuius rami ſunt Apoſtoli, ſub quorum vmbra, ſcilicet documentis, omnes gentes ſe protegunt à dæmonum tentatione. Sic ait D. Auguſtinus citato ſerm. 33. de ſanctis. *Ramus eſt Petrus, ramus eſt, Paulus, &c. ad quos, qui ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minimè mergitur: quin potius ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecuruſque de diabolicæ tempeſtatis procella erit, & de die iudicij exurentis incendio.*

D. Auguſt. D. Gregor. D. Ambroſ. Zach. Epiſc. D. Paſchaſ.

*Chriſtus Arbor Apoſtoli rami.*

D. Auguſt.

15. D. Ambroſ.

Secundò, D. Ambroſius in cap. 13. Luc. *Ipſe Dominus;* ait, *granum ſinapis, & granum ſinapis martyres noſtri.* Granum ſinapis, dum contunditur, ac conteritur, ſuam oſtendit virtutem; dumque in terra deprimitur, in arborem magnam creſcit: ſic & Chriſtus Dominus in ſua paſſione, ac ſepulchro, vt modò dixi ex D. Hilario; ſic & glorioſi martyres vexati, ac dilacerati; & occiſi ſuum exhalant odorem, ac in ſublimem arborem vſque ad cælum eriguntur. O magnus Rex Chriſtus! qui ſi ſuos martyres habet ſocios in morte ac paſſione, eos etiam ſuæ gloriæ ac reſurrectionis comparticipes facit. Quod autem ſancti martyres per granum ſinapis ſignificentur, docet D. Auguſtinus ſerm. 31. & 32. de ſanctis, qui ſunt de S. Laurentio. *Igitur,* ait, *ſanctum martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus comparare. Qui ante, conſtitutus in corpore, erat humilis, ignotus, & vilis, poſtquam vexatus, laceratus, exuſtus eſt, vniuerſis per totum mundum Eccleſiis odorem ſuæ nobilitatis infundit. Rectè igitur hinc comparatio copulatur; ſiquidem granum ſinapis, cum teritur, accenditur; Laurentius cum patitur, inflammatur.*

*Chriſtus ſuos martyres facit participes ſuæ mortis, & gloriæ.*

D. Auguſt.

16. Clemens. Alexandr. Heruet.

Tertiò, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi. cap. 11. *Ipſe ſe ipſum pulcherimè exponens grano ſinapis aſſimilauit, reprehenſionis mordacitatem, ac repurgandi facultatem eſſe vtilem propter acrimoniam ſignificans, Mel quidem, cum ſit dulciſſimum, bilem generat: quemadmodum quod bonum eſt contemptum, quod quidem cauſa eſt peccandi. Sinapis autem & bilem diminuit, hoc eſt, iram: & phlegma exſcindit, hoc eſt, faſtum, & ſuperbiam.* Comparat Dominus ſe ipſum, non melli, ſed ſinapi, nam vt recte explicat Scholiaſtes Heruetus, mel, cum ſit dulciſſimum, generat bilem; Omnia enim dulcia, vt eſt medicorum ſententia, bileſcunt. Bilioſa, ſeu phlegma ſtomacho faſtidium faciunt, quo fit, vt cibus contemnatur. Bonitas autem melli aſſimilatur; & vt mel faſtidium ita bonitas parit contemptum. Contemptus autem eſt cauſa peccati: at ſeueritas reprehenſionis, quæ valde neceſſaria eſt, confertur cum ſinapi, quæ bilem, id eſt, iram diminuit, & phlegma, id eſt, faſtum, & ſuperbiam exſcindit: phlegma autem varios, & vitioſos humores, ac morbos corpori generat, qui dum per acrimoniam ſinapis exploduntur, corpus remanet bene temperatum, & ſanum. Nimia indulgentia, mel in prælato, contemptum, ac prauos mores procreat in ſubditis, ſeueritas autem, ac veluti ſinapis acrimonia, inſolentiam, ac faſtum vitiorum reprimit, exſcindit, ac expellit. Prouerb. 23, num. 13. & 14. *Noli à puero,* ait, *ſubtrahere diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*



*Nimia benignitas in prælato parit contemptum; ſeueritas verò reformationem.*

Prouerb. 23.

17. D. Paſch.

Quartò, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Granum ſinapis,* ait, *Chriſtus D. eſt, ita teratur in corde, vt ora noſtra guſtu feruentia viuido fructus ſui ſapore ſuccendat, in tantum etiam vt ab oculis lachrymæ præ nimio ardore decurrant.* Granum ſinapis ſumptum in ore, ſi dentibus atteritur, præ ſua nimia actiuitate totum os calefacit, & inflammat. Chriſtus D. digne, & reuerenter ſub ſpeciebus panis, & vini ſumptus, eſt nobis in ore, velut ſinapis, totum hominem accendit, ac calidum reddit. Accedant ergo ad hanc diuinam menſam illi quorum corda frigore torpent, vt hoc diuino igne concepto caleſiant, & accendantur, quorum mens algida eſt, vt hac diuina flamma vrantur. Epiſcopo Laodiciæ, cum eſſet pauper, & miſerabilis, & nec frigidus, nec calidus, ſed tepidus, dicitur: *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum, vt locuples fias.* Apoc. 3. num. 13. Vbi Interlinealis. *Id eſt, me ipſum ignitum, in igne poſitum ignientem.* Aurum, ſicut & ignis Deum adumbrat. *Caput eius aurum optimum.* Cantic. 5. num. 11. *Deus noſter ignis eſt.* Deuteron. Cum pauper eſſet, ei dicitur, vt emat aurum, vt diues fiat, cùm autem eſſet nec frigidus, nec calidus, ei datur, vt emat ignitum, ſeu ignientem, vt depoſito frigore inflammeſcat, & accendatur.

*Chriſtus in Euchariſtia inflammat animas.*

*Chriſtus in Euchariſtia nos ditat.*

Apoc. 3.

Interlinial.

Cantic. 5. Deuteron.

18. D. Chryſol.

Quintò, D. Chryſologus ſerm. 98. *Chriſtus,* ait, *velut granum ſinapis in hortum virginei corporis miſſus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus ſui ſaporem, cum teritur paſſione, vt quidquid eſt vitale, ſuo ſaporaret, & condiret attactu.* Attrito grano ſinapis, quodam ſapore condiuntur, quæ aliàs videbantur inſipida, & guſtui difficilia. Chriſtus grano ſinapis confertur. Valde horrenda eſt mors hominibus, valdeque terribilia tormenta ſunt. At cum Chriſtus *teritur paſſione,* ita eius preſſuris, doloribus, ac cruce, quodam illius ſuauiſſimo attactu, & affectu mors noſtra ſaporatur, ac dulcedine conditur, vt iam non vt inſipida, & amara reiiciatur, ſed vt valde delectabilis, ac ſuauiſſima guſtetur, & aſſumatur.

*Chriſtus paſſione mors noſtra fit ſuauis.*

19. 1. Cor. 15.

*Abſorpta eſt mors in victoria.* 1. Cor. 15. n. 54. ſed quid mors cum victoria? mors quædam diſſolutio, ac hominis euerſio: Victoria vero comparatio, & acquiſitio rerum. Mors valde dura, & rigida; victoria valde grata, & delectabilis: Quomodo ergo mors reſoluta eſt in victoria? Loquitur Apoſtol. de victoria *per Chriſtum Dominũ noſtrum,* vt ſtatim ipſe ſubdit, & notant Expoſitores D. Remigius, Theodoretus, S. Thomas, & alij. Poſtquam enim Chriſtus mortem ſubiit, iam mors non eſt nobis horribilis, ac formidoloſa, vt hominis deſitio, ſed ita plauſibilis, ac per iucunda, vt glorioſa victoria, ac præclarus triumphus. D. Athanaſius homil. de Incarnatione. *Homo,* ait, *certe naturaliter mortem, & corporis ſui diſſolutionem expaueſcit; is tamen vbi indutus eſt fidem crucis, res naturales vilipendit, & mortem per Chriſtum non exhorreſcit.*

D. Remig. Theodor. D. Thom.

*Infecta morte Chriſti, mors noſtra dulcis.*

D. Athanaſ.

20. 1. Theſſ. 4.

Ait Paulus 1. ad Theſſalon. 4. num. 13. *Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit; ita Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.* Vbi rectè D. Chryſoſtomus aduertit, quod Apoſtolus in Chriſto dicit mortem: *Chriſtus Ieſus mortuus eſt:* alios verò, non mortuos, ſed dormientes appellat. Quid eſt, quod in capite noſtro viſitur mors; in membris verò ſomnus? Sic mors noſtra ex Chriſti morte ſaporatur, vt poſtquã ille crucem ſubiit, mors nobis, veluti leuis ſomnus, ſuauis, ac dulcis ſit. D. Baſilius Seleucus Orat. 32. *Chriſti finem,* ait, *mortem appellauit: bellum ſiquidem illi fuit contra mortem viuentem aliorum, qui poſt Chriſtum, ſomnum agnoſcit, non mortem. Inde factum, vt viros pro Religione concertare videamus, puellos mortem irriſui habere, puellas eam adire ludibundas: quando Chriſtus vitæ poſt mortem futuræ brauium protulit.* Vide tom. 2. cap. 5. quæſt. 43. num. 291. & 293.

D. Chryſoſt.

*Ex Chriſti morte mors noſtra, vt ſomnus ſaporatur.*

D. Baſilius Seleucus.

## Qvæstio III.

### *Quare regnum cælorum aſsimilatur grano, & non granis ſinapis?*

21. Abulenſ.

RESPONDET Abulenſis. Quod præſens parabola non intelligitur de vno grano, ſed de multis: quia nemo vnicum granum ſeminat, ſed more ſcripturæ accipitur vnum pro multis, vt Exod. 8. num. 24. dicitur, quod *venit muſca grauiſſima,* id eſt multitudo muſcarum. Secundò, Dicitur granum proportione ad parabolam, in qua aſtruitur, quod granum, cùm ſit minimum, creſcit, ac dilatatur in arborem magnam. Tertiò, In ſingulari proponitur granum ſinapis: ſignificat enim fidem, ac Euangelicam doctrinam, vt dixi quæſt. 1. in qua licet ſint multi articuli, multæque propoſitiones, ex omnibus tamen conſtituitur obiectum vnius fidei, quia omnes conueniunt in eâdem re credibili ſub teſtimonio Dei reuelantis, ac teſtificantis. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* Ad Epheſ. 4. num. 5. Quod explicant Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 2. & in 3. diſt. 23. & 24. Suarius tom. de fide, diſp. 2. ſect. 3. num. 1. & 2.

Exod. 8.

Ad Epheſ. 4. D Thom. Suarius.

22. *Iuſti ob vnitatem quamuis multi, vnus dicuntur.*

Quartò. Granum ſinapis ſignificat fideles, vt dixi quæſt. 1. qui quanuis plures ſint, eſt tamen eis cor vnum, & anima vna; ac proinde ob ipſam vnitatem vnum granum dicitur. Stabant aſſiſtentes Seraphim, ante diuinam maieſtatem, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus ſanctus, ſanctus,* &c. Et ſubdit Propheta: *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum a voce clamantis.* Iſaiæ 6. num. 4. Si multi erant diuini ſpiritus, qui Dei laudes reſonabant; cur dicitur, *a voce clamantis,* & non potius clamantium in plurali? Tam coadunati ſtabant cæleſtes illi miniſtri in Dei præconiis celebrandis, vt illorum proclamatio, non multorum, ſed vnius vox cenſeretur, ac iudicaretur. Huc aduoco id, quod eleganter dixit Origenes homil.

Iſaiæ 6.

homil. de Elcana. *Vnam ſemper omnes ſapientiam meditantur; vnum ſapiunt; vnum ſentiunt, vnum Deum venerantur; vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur, vno ſpiritu Dei replentur. Vnde merito & ipſi omnes, non ſolum vnum, ſed vnus dicuntur: ſicut Apoſtolus deſignauit dicens: Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam.* 1. Cor. 9. n. 24. *Vides manifeſtè, quia omnes iuſti vnus eſt.*

Origenes. 1. Cor. 9.

23. Peracto diluuio. *Recordatus autem eſt Deus Noe, cunctorumque animantium.* Geneſ. 8. num. 1. ſeptuaginta habent, *memor fuit Dominus Noe, & omnium beſtiarum.* In arcam introierunt Noe, & vxor eius; tres filij, & eorum vxores. Quomodo ergo ſolùm dicitur, quod Dominus fuerit recordatus Noe, & animalium? Cur igitur etiam illæ ſeptem perſonæ non exprimuntur? nunquid maior cura eſt Deo de animantibus, quam de hominibus? abſit: pro magna tamen gloria illius domus hæc ſcribuntur. Tam conglutinati, ac vniti erant omnes cum ſuo capite Noe, vt non multi, ſed vnus viderentur. Cumque dicitur Dominus recordatus Noe, ibi & alij intelliguntur ob vnitatem, quam inter ſe ſeruabant. D. Ambroſius lib. de Arca, & Noe, cap. 16. *Cum dixerit,* ait, *quod Noe memor fuerit, in auctore, & pręcipue domus neceſſitates eius reliquas comprehendit. Etenim cum omnes inuicem ſibi chari ſunt vna eſt domus: cum autem diſcrepant, ſeparantur, & ſcinduntur in plures domos. Vbi ergo charitas, ibi ſenioris nomine, domus omnis ſignificatur.*

Geneſ. 8. *Septuaginta.* *Vnitas facit, vt multi reputentur vnus.* D. Ambroſ.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare iſte Sator non dicitur paterfamilias, ſed homo accipiens granum, qui ſtatim illud ſeminat in agro ſuo?*

24. SEMINAVIT homo, ait textus, granum in agro ſuo. Hominis prudentia laudanda: non alibi ſeminat niſi in agro ſuo. De quo magnam, & largam habebat experientiàm. Quo documento nos inſtruimur, vt eos in ſocios, amicos, ac famulos aduocemus, de quibus per diuturnum tempus magnum experimentum comparauimus. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæſt. 20. n. 70. & tom. 2. cap. 2. quæſt. 23. num. 119.

*Illis vtendũ, de quibus experientiam habemus.*

25. Quæſtio noſtra duo inquirit. Primò: Quare iſte Sator non dicitur paterfamilias, ſicut ille alius, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam Matth. 20. num. 1. Et ſicut etiam ille alius, qui bonum ſemen ſeminauit in agro ſuo, de quo immediatè antea agit D. Matth. hoc cap. 13. num. 27. *Accedentes autem ſerui Patrisfamilias.* Similem difficultatem tractaui ſuperiori cap. q. 1. Deinde ad præſens dubium dico, quod illi duo apud Matth. citatum introducuntur cum ſeruis ſuis. *Vocauit operarios.* Et iterum. *Dixit procuratori ſuo.* Deinde de ſeminatore boni ſeminis refertur: *Accedentes ſerui Patrisfamilias.* At hic Sator grani ſinapis abſque vllo famulorum apparatu deſcribitur. Rectè ergo abſque aliquo ſpecioſo titulo, & ſolum ſimpliciter homo nominatur. Non enim alicui conuenit glorioſum nomen, ſi oneris illius ſit expers: non enim decet, vt quis paterfamilias vocetur, qui ſine familia degit. Vide ſupra cap. 13. quæſt. 14. num. 78. 79. & 80. & tom. 2. cap. 27. q. 4. num. 26.

Matth. 20. *Specioſum nomen non habetur ſine illius onere.*

26. Secunda pars quæſtionis inquirit: Cur acceptum granum ſtatim homo ſeminat? Ait textus, quod *accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.* Poſtquam homo granum accepit, non illud recondit, vel abſcondit, ſed ſtatim cum eo lucrifacere curauit, ac illud terræ mandauit, vt creſceret in arborem, ac multos fructus produceret. Quod præclarum ſit nobis documentum, vt in donis, gratiis, ac muneribus, nobis à Deo oblatis, non immoremur, ſed abſque vlla dilatione illa amplectamur, eiſque vt maximè proficuis acquieſcamus, eorumque ductum ſequamur, ne ob aliquam negligentiam, & defectum noſtrum tam præclara dona à nobis tranſeant, & abeant.

*Dei dona vtendum, ne ob negligentiam noſtram tranſeant.*

27. Stabat cæleſtis ſponſus ad oſtium Dilectæ animæ pulſans: *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* At illa cœpit ſe excuſare. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Tandem diuina charitate vulnerata anima ſurrexit aperiens peſſulum oſtij ſuo dilecto. *At ille declinauerat, atque tranſierat.* Cantic. 5. num. 6. ſed quomodo Deus, qui omnem replet locum, dicitur, quod declinaſſet, ac tranſiiſſet? Per rorem, ac guttas noctium interpretantur cæleſtes gratias, affluentias. Catena trium Patrum. D. Gregorius Nyſſenus. S. Ambroſius lib. de virginibus. Cum ergo tantis donis oblatis, ad quæ vocabatur ſponſa, quandam excuſationem, moram, ac torporem, vt inquiunt Soto maior, Ghiſlerius, Cornelius ad illa verba, *Laui pedes meos*: prætendiſſet ſponſa, illorum pro tunc expers manens, ab ea diceſſit, ac tranſiuit dilectus ſuus. Ghiſlerius ad verba: *At ille declinauerat:* expoſit. 1. in perſona ſponſæ ſic fatur: *Heu me miſeram, cum oſtium ipſum aperirem, is repulſam ſuam moraſque meas vlciſcens, quove me cautam magis efficeret, illico abiceſſit: ſiquidem aperto oſtio iam ipſe declinauerat.*

Cant. 5. *Catena triũ Patrum.* D. Nyſſen. D. Ambroſ. Soto Maior. Ghiſlerius. Cornelius. Ghiſlerius.

28. Poſtquam Eliezer ſenior ſeruorum Abrahæ profectus eſt Meſopotaniam ad comparandam vxorem filio domini ſui ex cognatione eius; cum in domo Nachor, conſanguinei Abrahæ, Rebecca ei data eſſet ad nuptias Iſaac: ait ipſe: *Nolite me retinere, quia direxit Dominus viam meam.* Gen. 24. num. 56. Quid tibi cauſæ tam citò recedendi à loco, ac veniendi ad Abrahamum? iamque id, quod ipſe totis votis quæſieras, ac petieras, obtines; iamque diuinum fauorem expertus es: Cur ergo tam celeriter vis proficiſci? Videbat homo, nondum negotium omnino eſſe confectum; nam eum obiurauerat Abrahamus: *Caue, nequando reducas filium meum illuc,* ibidem num. 6. Id eſt, caue, ne pollicearis, quod filius meus ex hoc loco Meſopotamiam vadat. Prudenter, ac circunſpecte valde homo ſe habet; & non patitur, ibi diutius immorari, ſed nimis feſtinanter ad dominum regredi cupit, ne auxilium, quod in ſuo aduentu fuerat expertus, in diſceſſu ei deficeret. Oleaſter. *Vtendum eſt,* ait, *bona fortuna, & Dei beneficio, cum adeſt, ne minui contingat.*

Geneſ. 24. *Caue ne ob negligentiam domum amittas.* Oleaſter.

* * *

QVÆST



## QVÆSTIO V.

### *Quare non exprimitur nomen illius, à quo homo accepit granum? Et cur illud, cum eſſet tam paruum, non reijcit?*

29. AB hoc ſecundo incipio. Valde mirum, quod cum granum ſinapis ex omnibus ſit valde minimum; illud tamen homo accipiens non reiicit, ſed libenter accipit, & terræ mandat. Quanuis granum eſſet paruum, tamen ſat & ſufficiens erat pro eius præſenti tempore, ac neceſſitate; & ideo cum tali minuto grano lætus acquieſcit homo. Dimittens in Ieruſalem Princeps militiæ Babylonicæ Ieremiam, *Dedit ei cibaria, & munuſcula, & dimiſit eum.* Ierem. 40. num. 5. Hebræus habet, *Dedit ei viaticum.* Quanuis Ieremias eſſet vir tam magnus, pro itinere illa ſufficiebant. Sic & dicebat Ioannes militibus: *Contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Luc. 3. num. 14. Illa enim eis ſat erant pro victu, ne ſi amplius quærerent latrones, & prædones fierent. D. Ambroſius ibi. Docens, *idcirco ſtipendia militiæ conſtituta, ne dum ſumptus quæritur, prædo cauſetur.*

*Sufficientibus eſto contentus.* Ierem. 40. Hebr. Luc. 3. D. Ambr.

30. Secundò, Quanuis granum eſſet paruum, & minimum; illud tamen homo non reiicit, ſed libenter acceptat, & cum eo lætus quieſcit. Qui non habet, ſed indiget; debet ſeſe componere cum his, quæ ei donantur, vt cum illis contentus, ac beneplacens ſe ſe exhibeat. Quod dixit Rupertus lib. 9. in Gen. cap. 21. *Donum Dei,* ait, *qualecumque ſit, ſiue magnum, ſiue paruum; cæleſte, ſiue terrenum pro honore, & charitate dantis pretioſum eſt & debet eſſe in oculis ſapientis.* Vide tom. 2. cap. 12. quæſt. 11. num. 108.

Rupert.

31. Altera pars quæſtionis inquirit: Quare non exprimitur nomen illius, à quo iſte accepit granum? *Quod accipiens homo:* Granum hoc ſignificat fidem, Euangelicam doctrinam, ac gratiam; non eſt enim neceſſe declarari, à quo illa ſint data, ſed accepta. nam cum huiuſmodi dona ſint ſupernaturalia, omnibus proficua, ac vtilia, à nullo alio poſſunt deriuari, ac emanari, niſi à ſolo Deo, qui eſt fons, & origo omnium gratiarum, ac ſupernorum munerum

*Quare non exprimatur nomen illius hominis.*

32. Moriturus Iacob enarrans filio ſuo Ioſeph, quantis donis fuiſſet inſignitus, ac ſublimatus, ait illi: *Deus omnipotens, qui apparuit mihi in Luza, benedixit mihi.* Gen. 48. num. 3. Sed cur ſolùm Dei benedictionem commemorat, & in illam omnia refert? Cur etiam commemorat benedictionem patris Iſaac quam ipſe furatus eſt à fratre ſuo, quæque tantæ diſcordiæ cauſa extitit? Optimè præcallebat Iacob, quod omnes ſuæ benedictiones, omniaque ſua bona illi communicata, non à patre, nec ab aliquo homine emanaſſent, ſed tantum à ſolo Deo, vt omnium bonorum auctore; proindeque in ipſum ſolum omnia ordinat, & reducit. Rupertus ibi. *Vnde habebat,* ait, *dandæ benedictionis ius, aut officium prælocutus eſt: non dixit, pater meus Iſaac benedixit, quanuis & hoc factum ſit; ſed Deus omnipotens, inquit, benedixit mihi quia benedictio, non hominis eſt, ſed Dei; & tunc valet hominis benedictio, cum ex Deo procedit.*

Geneſ. 48. *Omnia bona à Deo manant.* Rupert.



33. Mandat Dominus Samueli: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te in Bethlehem ad Iſai, prouidi enim in filiis eius mihi regem.* 1. Reg. 16. n. 1. Multi extabant Iſai filij; cur ei non aperitur, quisnam ex tanto filiorum numero ſit eligendus? Cur proprium Dauid nomen celatur Prophetæ: magnæ, & altæ res ei ſunt commiſſæ, vt quod Saul eſſet abiectus, & alia ſimilia, tanti enim ſacramenti erat, regem è throno ſuo deiicere, ac vnum è populo in illum ſublimare? Ad quid ergo tantopere electi nomen occultatur? Vt, cum Propheta incognita etiam ex nomine Dauid perſona, ad vnctionem procederet, in qua ipſe electus multis magnis bonis erat impinguandus; inde fieret euidens, quod talis promotio, non ab hominis ſpiritu ſed à Deo deſignante, ac eligente proueniebat, eique tota vnctio attribuenda eſſet. D. Baſilius Seleucus Orat. 14. *O ſapientiam,* ait, *immortalem! & filium tegit, non clare dixit, vngatur mihi rex Dauid; ſed prouidi in filiis Iſai. Ne enim humana videatur eſſe gratia vnctio, ne ve electio Samuelis regni adiectio.* Vide ſuprà cap. 8. q. 12. num. 94. 95. & 96. & cap. 27. quæſt. 9. num. 56. 57. & 58.

1. Reg. 16. *A ſolo Deo noſtra bona veniunt.* D Baſil. Seleuc.

*Matth. 13. n. 32.* Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et hoc quidem minimum eſt omnium ſeminum: quum autem excreuerit, maximum eſt omnium olerum, & fit arbor: ita vt veniat volatile cæli nidificatum in ramis eius,

*Græcus.* Minus eſt omnibus ſementibus.

*Arias.* Vmbraculum facere in ramis eius.

*Arabicus.* Adeo vt volucres cæli obumbrentur ſub ramis eius.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 4. n. 31.* Minus eſt omnibus ſementibus, quæ ſunt in terra.

*Num. 32.* Et cum ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit maius omnibus oleribus; & facit ramos magnos, ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cæli habitare.

*Lucæ* 13. *n.* 19. Et creuit, & factum eſt in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.

## *EXPOSITIO II.*

34. Græcus. QVOD *minimum quidem eſt*, ſeu vt habet Græcus, *minus eſt omnibus ſementibus*, inter olera ſcilicet, non quod olerum non poſſint eſſe aliquot minora ſemina, ſed quod vnum ſit ex minimis: & iuxta vulgarem dicendi modum quod valde paruum eſt, minimum appellamus, id eſt vnum ex minimis. *Cum autem creuerit, maius eſt omnibus.* Omnia olerum genera magnitudine, quantitate ſuperat. *Et fit arbor.* Ita dureſcit, ac aſſurgit, vt in arborem euadat, præcipuè in calidioribus regionibus, vtpote Palæſtina, in quibus, vt teſtatur Lucas Burgenſis, (Burgenſis.) longe vltra humanam ſtaturam aſſurgit. *Volucres cæli habitent in ramis eius*, vt commorentur ibi. (D. Marcus.) D. Marcus habet, *vt poſſint ſub vmbra eius aues habitare*; cum enim huiuſmodi arbor magnos faciat ramos, vt prædictus Euangeliſta ſcribit, in eis vmbracula habent aues. (Syriac. Vatabl.) Syriacus, Vatablus legunt, *nidificent*, tamen aptius legitur cum noſtra vulgata, *habitent*, deriuatione facta à verbo Græco, quod ſignificat tabernaculum, vt citatus Lucas Burgenſis notauit.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare granum ſinapis, cui regnum cælorum comparatur, minimum dicitur?*

35. *Quomodo granum ſinapis dicatur minus omnibus.* AD limen huius quæſtionis præmitto illam vulgarem difficultatem: Quomodo ſcilicet granum ſinapis minimum nuncupatur, inter omnia ſemina, cum ſemen papaueris, rutæ & ſaluiæ minus videatur? Ad quod iam in expoſitione dixi, quod ſcilicet iuxta vulgarem modum, illud, quod eſt paruum, minimum dicimus, id eſt vnum ex minimis. Vel quia iuxta communem regulam D. Hieronymi Epiſt. 146. (D. Hieron.) *Omnis* non ſemper dicit totalem vniuerſitatem, ſed aliquam partem. *Omnes declinauerunt.* Pſalm. 13. num. 3. (Pſalm. 13. Ioan. 10.) *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones.* Ioan. 10. num. 8. Vel granum ſinapis minimum dicitur inter ſemina olerum, vt ex ſequentibus patet; vel inter ſemina, quæ cibum producunt: nam papauer, ruta, ſaluia non ſunt cibi vſuales. Vel forte, vt ait Caietanus, (Caietan.) in Iudæa res ſic ſe habebat, vt nullum eſſet ſemen eo minus. In omnibus enim regionibus non eſt eiuſdem quantitatis ſemen.

36. Ad quæſtionem noſtram. Hoc granum ſinapis eſt Chriſtus D. vt ex multis Patribus dixi quæſt. 2. ob ſuam humilitatem minimum nuncupatur, vt notarunt D. Paſchaſius, Albertus Magnus, D. Chryſologus ſerm. 94. (D. Paſchaſ. Albert. mag. D. Chryſol. *Chriſti humilitas.* Pſalm. 21.) *Chriſtus*, ait, *granum ſinapis, vnde magnitudo tota Dei, tota hominis exiguitate, minoratur.* Ipſe dicebat de ſe Pſal. 21. num. 7. *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et cum tam minimũ eſſet, in magnã celſitudinẽ ſuper alias plantationes creuit.

37. Secundò. Granum hoc ſignificat doctrinam Euangelicam, & minimum dicitur. D. Hieronymus. (D. Hieron.) *Confer huiuſmodi doctrinam dogmatibus philoſophorum, & libris eorum, & ſplendori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonum, & videbis, quantò minor ſit cæteris ſeminibus ſementis Euangelij. Hæc autem prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cum vel in animo credentis, vel in toto mundo ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem.* Apoſtolica doctrina humilibus verbis propoſita ſine calamiſtrata oratione, per reſpectum ad mundanam ſapientiam humilis videbatur; tamen ſic creſcit in arborem, vt omnes alias ſuperet: nam veritas fuco, ac ornatu verborum non indiget. (*Veritas ornatu verborum non indiget.*) Vide ſupra cap. 18. quæſt. 13. num. 99. 100. 101. & 102.

38. Tertiò, D. Thomas. (D. Thom. 1. Cor. 1.) *Doctrina legis Euangelicæ modica apparuit, quia prædicabat Deum paſſum crucifixum. Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; his autem, qui ſalui fiunt, id eſt nobis, virtus Dei*, 1. Corinth. 1. num. 18. Hoc habent diuina myſteria, quod Gentibus, ac mundialibus videntur res humiles, ac paruæ, at vero vocatis, & illuminatis à Deo, diuinæ ſapientiæ arcana, & diſpoſitiones. (*Myſteria fidei Gentibus res humiles videntur.*) Vide tom. 1. lib. 2. cap. 4. q. 29. n. 107.

39. Quartò. Non comparatur regnum cælorum altiſſimis, & inuiſibilibus rebus, ſed valde paruulis, & minutiſſimis, vtpote grano ſinapis, vt nullus à conatu ipſius regni, à Religione, ac cultu ſupremæ maieſtatis in deſignato regno ſe excuſet, cum illius via cunctis ſit patens, omnibus ſuauis, & periucunda. (*Via ſaluti facilis, & ſuauis.*) Mandat parens meus Eliſæus Naaman: (4. Reg. 5.) *Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua.* 4. Reg. 5. num. 10. Ad quid toties lauacrum ei iubetur? Cur non ſat eſt ſemel lauari, ſed ſepties totus homo mandatur ablui? Vt facilitas, ac ſuauitas Chriſti Eccleſiæ inde pateſieret: nam vt homo antiquitus adipiſceretur ſalutem corporalem, totus per ſeptem vices abluendus erat. Vt autem in Eccleſia Chriſti animæ ſanitatem habeamus, vnum breue in capite, verbi gratia, Baptiſmi lauacrum valde ſufficiens conſiſtit: tam enim periucunda delectabilitas ſolum Eccleſiæ Chriſti reſeruabatur, vt tanquam in compendio cætera omnia haberet. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 9. (Tertull.) *Vnius lauacri vis, & plenitudo*, ait, *Chriſto ſolo dicebatur, facturo in terris ſicut ſermonem compendiatum.*

40. Præſcribit Deus Iſraelitis modum veſcendi Agnum Paſchalem. (Exod. 12.) Et ait: *ſic autem comedetis illum, renes veſtros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter, eſt enim Phaſe, id eſt tranſitus Domini.* Exod. 12. num. 11. Magnam quæſtionem facit ſanctis Patribus: (*Facilitas in Dei cultu, & religione.*) Cur à Deo mandatur Paſcha celebrari ab Iſraelitis, tanquam ab hominibus celeriter tranſeuntibus, ac feſtinanter incedentibus? Comeſtio Agni Paſchalis denotabat cultum ac religionem Dei. Vt ergo deſignaretur, quam prompta facilitas in ipſa religione oſtendebatur, hominibus veluti tranſeuntibus, ac tanquam aliud agentibus mandatur adimplere, ac ſi opus non eſſet in tali exhibitione immorari, ac multam vim, & conatum ponere, cum ab hominibus tanquam per tranſitum poſſet obiri. Non procul abeſt ab hac conſideratione Philo lib. de ſacrificiis Cain, & Abel. (Philo.) *Expediamus nos*, ait, *ad agendas gratias, reddendumque Deo ſine mora honorem debitum, præceptum eſt enim tranſeuntibus*



*ad effectum Paſchæ, vt accincti lumbos Phaſe celebrent, expediti ad miniſtrandum, & induti calceamenta, quibus carnem mollem ratione contineant, ſtentque erecti firmis pedibus, diſciplinam habentes virgam in manibus ad dirigenda citra errorem viæ negocia.* Vide tom. 2. cap. 19. quæſt. 12. num. 65. 66. & 67.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare granum ſinapis creſcit in tam magnam arborem?*

41. Beda. Hugo. BEDA in cap. 13. Luc. & Cardinalis Hugo hic docent, quod hoc, quod dicitur de grano ſinapis in arborem pullulante, non poteſt intelligi iuxta litteram. *Creuit ergo*, inquiunt, *non ſicut herbæ, quæ cito areſcunt, & corruunt, ſed ſicut arbor, quæ longa annoſitate, & optima fertilitate gaudet.* Tamen communiter alij Doctores intelligunt de altitudine arboris, præcipuè in regionibus calidiſſimis, vt Syria, in qua iuxta aliquos, exſuperat ſtaturam hominis, vt dixi in expoſitione. Tamen in parabola moralis ſenſus eſt inquirendus.

42. D. Greg. Primò, Granum ſinapis ſignificat Chriſtum Dominum. D. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 19. *Granum namque fuit, cum moreretur*, ait, *arbor, cum reſurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maieſtatis.* Granum ſinapis ſunt ſancti, & iuſti, vt ait D. Paulinus Epiſt. 6. (D. Paulin.) *Memento*, inquit, *granum ſinapis, de quo ſemine ſumus*, &c. Quanto enim magis ſe Chriſtus Dominus in ſua paſſione humiliauit; tanto magis eſt à Deo Patre in ſua reſurrectione exaltatus. Sicque ſancti quò magis ſe propter Dominum deiecerunt, eo magis ſunt ab ipſo ſublimati. Conſtitutus Moyſes legatus ad Pharaonem: multis ipſe ſe excuſat: *Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum.* (Exod. 4.) Exod. 4. numer. 10. Sed quanto magis ſe humiliat, tanto magis à Domino honoratur, vt ab ipſo Pharaonis Deus ſit conſtitutus. (*Humilitas modus amplificandi gratiam.* D. Seleuc.) Pulchrè D. Baſilius Seleucus Orat. 28. *Moyſes habito*, ait, *cum Deo colloquio, honoratur, ſe ipſum vt vilem abiecit; impeditioris*, inquit, *& tardioris linguæ ſum: quanto enim faſtum comprimit, tanto gratiam attrahit; & modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis.* Vide multa verb. *Humilitas.*

43. Secundò, hæc arbor grani ſinapis eſt doctrina Euangelica, quæ maior eſt omni doctrina Philoſophorum, vt ait D. Thomas, (D. Thom. *Doctrina Chriſtiana cæteras antecedit.*) ſoliditate, generalitate, & vtilitate. Soliditate, quia doctrina Chriſtiana ſe habet veluti arbor durabilis, & perſeuerans. *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.* Pſalm. 118. num. 89. (Pſalm. 118.) Aliæ vero doctrinæ ſunt tanquam olera herbarum, quæ cito decidunt. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Sapient. 9. num. 14. (Sap. 9.) Generalitate, quia lex vetus in populo Iudaico claudebatur; vnde decantatur in Pſalm. 147. num. 10. (Pſ. 147.) *Non fecit taliter omni nationi.* At Euangelica fides ad omnes gentes ſe extendit, & in omnem terram ſonus prædicatorum eius exiuit. Deinde hæc arbor habet multos ramos, hoc eſt multa, & varia documenta ad omnem ſtatum, ac conditionem, vt inquiunt Carthuſianus, & Hugo, (Carthuſ. Hugo.) pro varietate morborum medicina varia. (*Medicina pro diuerſitate morborum.*) *Ex vtraque parte omne lignum: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam.* Ezech. 47. num. 12. (Ezech. 47.) Vtilitate. *Volucres cæli habitant in ea.* Illius enim auditores, ac obſeruatores, dimiſſa terra, animo eleuantur ad cælum. *Noſtra conuerſatio eſt in cælis.* Ad Philipp. 3. num. 20. (Philip. 3. *In mundo labor.*) Deinde in mundo eſt labor, & preſſura. Sic dicent impij: *Ambulauimus vias difficiles.* Sapient. 5. num. 7. (Sapient. 5. *In Chriſto requies.*) At in Eccleſia Chriſti volucres cæli, iuſti ſcilicet, habitant, & requieſcunt, ac ſub vmbra illius obumbrantur ab omni calore, & aduerſitate contraria. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cantic. 2. num. 3. (Cant. 2.)

44. D. Paſch. Luc. 17. Tertiò, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. per granum interpretatur fidem, iuxta illud Chriſti Domini. *Si habueritis fidem quaſi granum ſinapis.* Luc. 17. num. 6. *Porrò rami eius tunc dilatantur, cum expoſitiones ſanctorum Patrum ex ea creſcunt doctrina, in quibus volucres cæli, ſcilicet amatores veræ ſapientiæ, ſecurè requieſcunt. Quoniam deſuper venit, quod ſeminatum eſt; idcirco confidenter ſuſcipitur auditum.* Quomodo ergo diuinæ inſpirationes, ac cæleſtia documenta in nobis ſeminata ſe habent, ſtatim ipſe explicat: (*Inſpirationes cæleſtes quomodo in nobis proficiunt.*) *fide radicatur, ſpe creſcit in altum; charitate diffunditur, & dilatatur in ramos, confeſſione extenditur; virtutibus quotidie vireſcit.* Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. Cantic. 4. num. 11. (Cantic. 4.)

45. Quartò. Granum ſinapis dicitur minimum omnibus ſeminibus; & tamen creſcit in arborem, quæ maior eſt omnibus oleribus. Hoc magnam ſpem ingerit paruulis, & multam diſſuaſionem à ſuperbia magnatibus; (*Sinapis dat ſpem paruulis, & diſſuaſionem ſuperbis.*) magnam confidentiam præſtat paruulis, quamuis hi ſe ipſos minimos videant, tanquam granum ſinapis, ne diffidant, ſed cogitent, quod poſſunt ampliari, ac creſcere tanquam in arborem magnam. Magnatibus autem præbetur diſſuaſio à ſuperbia, ac documentum, ne in elationem efferantur; nam quamuis ſe ipſos videant ſublimatos, ac dilatatos tanquam ſinapis arborem, ſecum conſiderent, quod illud granum in aliud ſemen ſinapis deſinit, quod minus eſt omnibus ſementibus. In ſua altitudine comprimant cogitationes magnates; ſciant enim, quod toto ſuæ magnitudinis pondere ruere, ac cadere poſſunt, vt minimi inueniantur. Magnam ſtatuam videt Nabuchodonoſor, quam percuſſit paruus lapis, qui quamuis paruulus, *factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Statua autem, quamuis tam procera, *redacta eſt in fauillam æſtiuæ areæ, quæ raptæ ſunt vento, & nullus locus inuentus eſt eis.* Daniel. 2. num. 35. (Dan. 2.) Vide ſupra cap. 18. quæſt. 6. num. 31. 32. & 33.

46. Quintò. Quamuis granum ſinapis ſit minimum omnibus ſementibus, creuit in arborem, quæ maior eſt omnibus oleribus. (*Qui pro ſe habet hominem, creſcit, & augetur.*) Habuit huiuſmodi granum pro ſe hominem: *Quod accipiens homo:* qui ſemen ipſum fouit, rigauit, ac ab irruentibus temporum iniuriis cuſtodiuit. Et cum pro ſe quis vendicat hominem, ſtatim maximè creſcit, augetur, ac aliis præponitur.

47. *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt: Herodij domus dux eſt eorum.* Pſalm. 103. num. 16. (Pſalm. 103.) Denuntiatur, quod arbores, ac cedri Libani aqua, ac nutritione creſcent; & quod etiam aues ædificabunt nidos, ad pullos ſuos nutriendos. Sed quomodo in tan-

tum ibunt augmentum? *Herodij domus dux eſt eorum.* Paſſer eſt Herodius, qui vermes depaſcit arbores corrodentes; aquilamque, alias aues interficientem, dilacerat, & comedit. Et ſignificat hominem, aliis adiuuantem, ac auxiliantem. Non ergo mirum, quod ligna campi ita creſcant, ac dilatentur, vt cedri Libani fiant, aliaſque arbores magnitudine ſuperent: Quodque alitum pulli in magnas aues prodeant, ac exurgant; cum pro ſe habeant Herodium, hominem ſcilicet adiuuantem, defrndentem, ac patrocinantem. Brunonius. *Herodius*, ait, *maior eſt omnium volatilium, qui aquilam vincit, & comedit; ſignificat hominem adiutorium præſtantem aliis ad vincendum diabolum.*

Brunonius.

48. Proditoria malitia interficit Abſalon fratrem ſuum Amnon, filium primogenitum regis Dauid; ob quam cauſam ipſe confugit ad regem Geſſur. Tamen loquente pro eo Ioab ad Dauidem, vt veniat in Ieruſalem, ei datur facultas. *Et ait Rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum. Vade ergo, & reuoca puerum Abſalon.* 2. Reg. 14. num. 21. Reuertitur in Ieruſalem, & pacem à rege obtinet. *Et poſt hæc fecit ſibi currus, & equites.* Cap. 15. num. 1. Quod erat proprium regiæ maieſtatis, & nemini conceſſum, vt ibi notant Abulenſis, Carthuſianus, Hugo, & alij. Ioab vero ob mortem illatam duobus ducibus, ex Dauidis iuſſu in ſuo teſtamento occiditur. *Tu quoque noſti, quæ fecit mihi Ioab, quæ fecerit duobus principibus*, &c. 3. Reg. 2. num. 5. Cur Abſalon impetrat veniam, & non Ioab, cum multò grauius extitiſſet Abſalon crimen; interfecit principem, Regis filium, ac fratrem, & hæredem totius regni: Ioab autem multa commiſeratione dignus videbatur; erat enim cognatus ipſius Dauid, eiuſque ſtrenuiſſimus dux in bellis, & indiuiduus comes in omni labore, & preſſura per quadraginta, & octo annos plus, minuſve. Cur ergo veniam quoque non habet? Abſalon obtinuit Ioab, vt pro ſe loqueretur ad Regem; Ioab verò nullum aſſecutus eſt interpellantem. Qui nactus eſt defenſorem, regis pacem, & regalem præeminentiam adipiſcitur. Qui autem defenſoris eſt expers, morti addictus euadit. Vnde perbellè dixit Caſſiodorus lib. 3. variarum. *Aquaductus regalis indulgentiæ, aulicorum preces.*

2. Reg. 14.
2. Reg. 15.
Abulenſis. Carthuſ. Hugo.
3. Reg. 2.
*Si habes patronum viues; alioquin morieris.*
Caſſiodorus.

*Mat. 13. n. 33.* Aliam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cęlorum fermento, quod acceptũ mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Simile eſt fermeuto illi, quod acceptum mulier abdidit.

*D. Chryſolog. ſerm. 99.* Abſcondit in farinæ menſuris tribus,

*Heſychius Presb. lib. 1. in Leuit. cap. 2.* Vſque dum fermentaretur totum.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 13. n. 20.* Et iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei?

*Num. 21.* Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum.

*EXPOSITIO III.*

49. Caietanus.

VALDE congruo ordine, vt notat Caietanus, præpoſitis tribus parabolis de ſemine, adiungitur parabola fermenti, quod ſeminis naturæ propinquiſſimum eſt. Et in hac parabola, ac ſuperiori de grano ſinapis, vt notant D. Chryſoſtomus homil. 48. & D. Chryſologus ſerm. 99 idem eſt ſcopus, ac finis, explicans ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ incrementum. Quemadmodum enim granum ſinapis, licet minimum, creſcit in arborem magnam, & parum fermenti totam maſſam fermentat: ſic & doctrina Euangelica, licet parua videretur mundialibus, totum fermentauit mundum, communiter in tres partes diſtributum, Europam, Africam, & Aſiam. Sic ait D. Chryſoſtomus citatus. *Sicut fermentum multam farinam tranſmutat in ſuam virtutem; ita & vos, ô Diſcipuli, totum mundum tranſmutabitis.*

D. Chryſoſt. D. Chryſol. *Finis parabolæ.*
D. Chryſoſt.

50. Iuxta textum Lucæ, ait Dominus; *Cui ſimile æſtimabo regnum Dei?* notat Chryſologus citato ſerm. 99. *Sic dicendo appendit animos auditorum, & attonitos reddit ſtupore toto, quid regno Dei valeat comparari.* Mira Dei ſapientia, quod Dei regnum tam modicæ rei comparetur! *Simile eſt regnum cælorum*, Eccleſia ſcilicet Catholica, *fermento, quod accipiens mulier*, cuius eſt domeſticum officium, *abſcondit*, confudit ſcilicet, ac miſcuit, *in farinæ ſatis tribus.* Satum vox eſt Syriaca, & menſura aridorum, vulgari vſu erat apud Hebræos, non ſolùm tempore Euangelij, ſed etiam ipſius Abrahæ, & deinceps. Gen. 18. num. 6. D. Hieronymus, & Ioſephus lib. 15. Antiq. cap. 11. dicunt, ſatum eſſe vnum modium cum dimidio. Et D. Hieronymus aliis locis ſatum vertit modium. Tres autem modij efficiunt vnum Ephi, vt conſtat ex Ruth. 2. num. 17 Continent ergo tria ſata tres modios Atticos, vt ait Ioſephus. Hæc autem menſura valde in vſu erat apud Hebræos. Sic & mater Samuelis adduxit puerum in templum in tribus modiis farinæ. 1. Reg. 1. num. 24. Qui plura de hoc deſiderat, videat Expoſitores hoc loco. & citato cap. 18. Gen. *Donec fermentatum eſt totum*, ſcilicet tota illa maſſa induit, & ebibit naturam fermenti.

D. Chryſol.
*Explicatur menſura ſatum.* Geneſ. 18. D. Hieron. Ioſephus.
Ruth. 2.
1. Reg 1.

QVÆSTIO VIII.

*Quare Chriſtus Dominus nobis proponit parabolas ſub nomine viri, & fœminæ?*

51. SVPRA in hoc cap. 13. Matth. Dominus nobis propoſuit parabolas de homine, qui ſemi-

*Ratio difficultatis.*



-nauit bonum ſemen in agro ſuo, de homine, qui etiam ſeminauit granum ſinapis, quod creuit in arborem magnam: nunc vero nobis aliam inducit ſimilitudinem de muliere fermentante tres farinæ modios.

52. Reſpondet primò, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Propterea*, ait, *granum ſinapis, memorat, accepiſſe hominem, nunc vero mulierem aſſerit, accepiſſe fermentum, quia ſicut dicit Apoſtolus* 1. Corinth. 11. num. 11. Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino. *Ad vnum quippe regnum diuerſum ſexum varia ſimilitudo producit. Neque igitur virum ſeparat à muliere vocatio Chriſti, ſed contra coniungit: quia quod Deus ex alterutro eſſe fecit, & natura ſociat, mira ſimilitudine ſimiles reddit hæc parabola, & forma componit profectus: faciunt enim hæ parabolæ, vt ſint duo in corpore vnum, ne ſit aut ſingularitas deſtituta, aut confuſa coniunctio.* Idem habet Diuus Chryſologus citandus. Omnis perſona, omniſque ſexus ad regnum cælorum vocatur, & tantam vnionem vult Deus, vt vir, & mulier habeant inter ſe, vt etiam in parabolis proponendis eos non diſiungat, ſed ſimul copulat, vt ſint duo in corpore vno; ne ſingularitas vniuſcuiuſque ſit deſtituta, aut confuſa coniunctio, cum in ipſo corpore vir caput ſit mulieris. Vide ſuprà cap. 10. q. 15. num. 31. 32. & 33.

D. Paſch.
1. Cor. 11.
D. Chryſol. *Coniuges magnam inter ſe vnionē ferment.*

53. Secundò, D. Chryſologus ſerm. 99. vbi late ponderat, quod homo, ſcilicet Adam, ex arbore ſcientiæ boni, & mali, quæ illi clauſerat oculos, adducitur ad arborem ſinapis, quæ ſui grani collyrio, & acritudine eos aperiret. Et homo, qui frigore peccati ex ligno paradiſi torpeſcebat, ardore grani ſinapis iam inflammatur in charitate? Tunc ſubdit S. Pater. *Mulier accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à diabolo perfidiæ fermentum. Vt mulier, quæ corruperat fermento mortis in Adam totam maſſam generis humani, fermento reſurrectionis totam carnis noſtræ maſſam redintegraret in Chriſto: Vt mulier, quæ confecerat panem gemitus, & ſudoris, panem vitæ coqueret, & ſalutis.* Homo accepit granum ſinapis, & mulier accepit fermentum. Vterque erat valde ignominia affectus ob propagatum malum peccati in genus humanum: vterque ergo ab iniuria vendicatur, ac medicamine exhibito nobilitatur: homo grano ſinapis, vt, concepto charitatis ardore, totus mundus ſublimem creſcat in arborem; mulier fermento fidei, vt totam humanæ naturæ maſſam in vitæ, & ſalutis panem decoquat. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. quæſt. 4. num. 6.

D. Chryſol.
*Affectus ignominia nobilitatur.*

54. Tertiò, idem D. Chryſologus citato ſerm. 99. *Res*, ait, *de vſu geritur. Vir in agro ſinapis arborem ſerit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ: quia virum foris expectat labor, intus mulierem domeſtica cura conſtringit.* Viro, & mulieri non æqualis impertitur labor, ſed pro conditione ſtatus, & ſexus vnicuique proportionatus diuiditur. Vir, vtpotè maiores vires habens, exeat in campum ad ſufferendos agriculturæ labores, & iniurias temporum, æſtus, & frigoris: & quia ei forinſeca negocia decent. Mulier verò detineatur domi, tum ob pudicitiam, tum ob ſexus debilitatem minora negocia domeſticæ curæ habeat. Pro quo eleganter Columella Præfat. in lib. 12. de re ruſtica, ait: *Iure à natura compertum eſt, opera mulieris ad domeſticam diligentiam: viri autem ad exercitationem forenſem, & extraneam: itaque viro frigora, & calores perpetienda, tum etiam itinera, ac labores pacis, ac belli, id eſt, ruſticationis, ac militarium ſtipendiorum, diſtribuit: mulieri deinceps, quod omnibus eam fecerat inhabilem, domeſtica negocia curanda tradidit: & quoniam hunc ſexum cuſtodiæ, ac diligentiæ aſſignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem: nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi.*

D. Chryſol.
*Mulier non [illegible] è domo.* Columella.

55. Excipiens Abrahamus duos Angelos, *feſtinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera tria ſata ſimilæ, commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe vero ad armentum cucurrit.* Gen. 18. numer. 6. Religioſum munus, non totum ſibi adſciuit Abraham, ſed cum Sara diuiſit, eique commiſit, non vt exeat foras, nec vt hoſpitibus occurrat; ſed quod intra tabernaculum manens, ſicut eius pudicitiæ decebat, fœmineum officium exerceat, & panes præparet. Ipſe verò ſibi laborioſum opus extra tabernaculum exeundi in campum, & ad gregem, totum ſibi elegit, & aſſumpſit. D. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 5. *Quod pietatis eſt*, ait, vult ſcilicet Abraham, *eſſe commune, quod pudoris eſt, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hoſpitum explorat aduentus, intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebria toto exercet pudore: foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat.*

Gen. 18.
*Sara in domo, Abrahamus in agro.*
D. Ambr.

56. *Debbora iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma, & aſcendebant ad eam filij Iſraël in omne iudicium.* Iudic. 4. numer. 5. Sedebat ſub palma, hoc eſt habitabat ſub palma, vt eſt communis interpretatio Abulenſis, Caietani, Lyrani, & aliorum. Sed cur ipſa non exibat è domo ſua, cum hoc videretur poſtulaſſe munus iudicis, quod ipſa exercebat. De Samuele iudicante Iſraël dicitur: *Ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & iudicabat Iſrael in ſupradictis locis.* 1. Reg. 7. num. 16. Cur ergo etiam Debbora per ciuitates non ambulabat, vt iudicium exerceret, ſed ad ipſam in domo manentem totus populus confluebat? Sic nobilis matrona iudicis vices agebat, vt fœmineam pudicitiam ſeruaret, ne exiret extra domum, nec vltra mulieris conditionem progrederetur, vt viriles labores per itinera ſibi aſſumeret, quos Samuel, vtpotè vir, non recuſabat circumiens ciuitates, & loca.

Iudic. 4.
Abul. Caiet. Lyran.
1. Reg. 7. *Mulier ſit in domo, vir in forenſibus negociis.*

QVÆSTIO IX.

*Quid in parabola ſignificetur per fermentum, mulierem, & tria ſata?*

57. FERMENTVM, vt notat D. Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 25. aliquando ſumitur in malam, aliquando in bonam partem: in malam, *Cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.* Marc. 8. n. 15 *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* ad Galat. 5. num. 9. & alibi. In bonam vero partem, vt præſens textus atteſtatur.

D. Aug.
Marc 8.
Ad Galat. 5.

58. Fermentum varias habet proprietates. De quo ait Plinius lib. 18. cap. 11. *Fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur, priuſquam addatur ſal ad* pultis

Plin. *Fermenti proprietates.*

*puluis modum decocta, & relicta, donec accreſcat,* &c. Calorem habet, dicitur fermentum à feruore. D. Ambroſius ſerm. 21. qui eſt tertius poſt Dom 6. Epiphan. *Fermentum,* ait, *confringitur, comminuitur, diſſipatur, & ipſum omne diſſoluitur, vt diſperſam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem conſtringat, atque in ſolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipſa diminutione languebat.* Albertus Magnus. Fermentum, ait, licet modicum calore ſuo humidum totius maſſæ maturat; ſubactum quaſi totum in ſe conuertit, & fermentat, acore ſuo eleuat, & quaſi ſpirituale aerarium totum reddit ſapidum, digeſtumque præparat, vt fiat panis ſalubris, hominem alens, ſuſtentans, & corroborans.

D. Ambroſ. — Albert. mag.

59\. *Fermentum Euangelium.* Euthymius.

Prima, & communis expoſitio. Fermentum eſt Euangelium, ſeu doctrina fidei Chriſtianæ. Sic ait Euthymius, quod veluti fermentum *eſt fidei ſermo, cum ſit quantitate modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnit Eccleſiæ corpus, ac in alteram conuerſationis ſpeciem tranſmutat. Cumque mortui ſint ad opera virtutis, viuificat ad eius operationem, & ſurſum facit aſcendere ad cælum.* Ipſa fidei prædicatio cor cuiuſcumque facit amore Dei feruidum, acore tentationum, ac tribulationum ipſi Deo valde ſapidum, gratum, maturum, perfectum, ac à terrenis ad cæleſtia eleuat. Mulier fermentans eſt Eccleſia, vel Dei potentia, ſeu ſapientia, vt inquiunt D. Auguſtinus lib. 1. quæſt. Euang. quæſt. 12. Carthuſianus, Cæſarius Dialogo 4. vel fides Catholica, vt ait Paſchaſius.

D. Auguſt. Carthuſ. Cæſarius. D. Paſchaſ.

60\. D. Auguſt. Alber. mag. *Fermentum charitas.*

Secundò. D. Auguſtinus citata quæſt. 12. & Albertus Magnus fermentum charitatem interpretantur. Sic ait Albertus, cuius ſententiam ſummatim pono. Omnes fermenti effectus præſtat charitas, de qua parabola iſta, ſecundum Rabanum, exponitur. Hæc enim maturat hominis cor crudum, vt ſit affectuoſum; & ad ſpiritualitatem conuertit, leuat & alleuat cor ad cæleſtia; & præparat nos, vt facilè incorporemur Chriſto; omne acor in tribulationibus, ac aduerſitatibus mutat in dulcedinem, vt hac cœleſti farina non ſit amplius quidquid amaritudinis in olla. 4. Reg. 4. num. 41. Tertiò D. Hieronymus per fermentum ſcientiam ſcripturarum intelligit: mulier fermentans eſt Dei ſapientia, vel Eccleſia, vel fides.

4. Reg. 4. D. Hieron.

61\. Theophyl.

Quartò. Theophylactus in fermento Apoſtolos exiſtimat deſignatos. *Sicut enim,* ait, *fermentum, cum paruum ſit, totam farinam in ſe transfert; ſic & vos totum mundum transformabitis, licet pauci ſitis.* In iuſtis, non tam paucitas, quàm eorum virtus conſideranda eſt, quæ iuxta ſalis, ac fermenti naturam, magnam copiam valet condire, ac ſaporare, adeo vt per vnum iuſtum ſtent populi, ciuitates, & regna. Sententia Theophylacti ex Chryſoſtomo homil. 48. deſumpta eſt, qui Apoſtolos fermento comparans ait: *Sicut fermentum ſuffoditur quidem, non autem deſtruitur, ſed paulatim ad ſuum habitum omnia tranſmutat: ſic & in prædicatione veſtra continget. Non itaque, quia multas dixi ſuperuenturas vobis vexationes, timeatis; ita enim fulgebitis, & omnes ſuperabitis.* Valde mirum! Duodecim Apoſtoli paruo numero totam Orbis terrarum farinam fermentarunt, ac conuerterunt ad fidem: & quamuis perſecutionibus viderentur opprimi, ac ſuffodi, tunc magis augebantur, ac totum ad ſe mundum tranſmutabant. Et ponderandum, quod Apoſtoli, ac Eccleſiæ principes comparantur lucernæ, ſali, ac fermento: lucerna, vt luceat, ardendo ſe ipſam conſumit; ſal ſe tranſmutat ad condiendum; fermentum vero ad fermentandum, totum comminuitur, ac imbibitur in maſſa: vt his ſimilitudinibus eorum charitas eximia maximè patefieret, ac manifeſta eſſet. Vide tom 2. cap. 11. quæſt. 5. num. 45. 46. & 47.

*Fermentum Apoſtoli. Per vnum iuſtum ſtant populi.* — *Charitas prælatorum in ſubditos.*

62\. D. Ambroſ. *Fermentum Chriſtus.*

Quintò. D. Ambroſius citato ſerm. 21. de Chriſto Domino locum explanat. *Ergo ſi triticum,* inquit, *Dominus, vt ipſe ait Ioan.* 12. num. 24. & *Dominus eſt fermentum, quia fermentum non niſi de tritico fieri ſolet: rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cum eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecus ſapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam ipſius mundus ipſe vix caperet, qui cum ſe cœpit per totum Orbem diuinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit.* Et quia fermentum, vt diximus, comminuitur, & diſpergitur per totam farinæ maſſam, vt fermentet; ſic addidit S. Pater. Chriſtus *diuerſis paſſionibus confractus, laceratus, & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt pretioſus ſanguis, effuſus eſt, vt admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat.* Idem habet D. Hilarius, D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. & alij Patres. Chriſtus Dominus ſua doctrina totum mundum fermentauit; & dum laceratur, & transfigitur, ſuo ſacratiſſimo ſanguine totum mundum redintegrauit, ac ſolidauit, & ad ſe traxit. Mulier fermentans eſt Dei ſapientia, vt eſt dictum. Vel ſacratiſſima Virgo Maria, vt docent D. Chryſologus ſerm. 99. & D. Peluſiota ſtatim citandus.

*Per Chriſti vulnera ſolidamur.* — D. Hilar. D. Cyrillus.

63\. Peluſiota.

Totum Orbem fermentauit Chriſtus Dominus. Pro quo audi Iſidorum Peluſiotam lib. 1. Epiſt. 201. *Cælorum regnum,* ait, *fermento comparatum eſt, hoc eſt Domini, ac Saluatoris noſtri Incarnationi quæ vniuerſum terrarum Orbem conſperſit, & vnius corporis ex noſtra ſubſtantia, atque a Dei genitrice Maria ſumpti coagmentationi, quæ homines omnes, qui ab Orbe condito extiterunt, ad nouum ortum renouauit.* Vide huius ſacratiſſimi fermenti virtutem, ac efficaciam; non enim vnam partem mundi, vel alteram fermentauit, ac in fide ſolidauit, ſed totum, ac vniuerſum mundum. *Donec fermentatum eſt totum.* Eiuſque magna vis, non ſolum ad homines, præſentes, & futuros, ſed etiam ad præteritos, qui ab Orbe condito extiterunt, ſeſe diffudit, ac extendit.

*Chriſti dona ad omnes.*

64\. 1. Reg. 17.

Pugnabat contra Iſraelem barbarus Philiſthæus, dicebatque: *Nunquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul: eligite vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen.* 1. Reg. 17. num. 8. Non regem, non duces, ac principes ad pugnam vocat, ſed omnes milites, ac ſeruos prouocat. Aliter *Rex Syriæ præceperat principibus curruum tringinta duobus dicens: non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, niſi contra regem Iſrael ſolum.* 3. Reg. 22. num. 31. Rex Syriæ ſuæ gloriæ auidus pro maieſtate ſui triumphi nil aliud intendebat, niſi caput regis Iſrael abſcindere, cæteros enim à maiori vſque ad minorem parui faciebat. Cur ergo etiam Philiſthæus, qui pro ſui corporis proceritate multo ſuperbiæ faſtu tumeſcebat, non contemnit vulgarem militem, ac plebeium hominem, & ſolum ad regem, vel proceres ſuum certamen dirigit? Totum regebatur alta Dei prouidentia. Diuina virtus pugnabat in Dauide, eumque

3. Reg. 22.



eumque victorem faciebat. Prouocet ergo Goliath ad certamen, non regem ſolum, non proceres ſolum, quia diuina beneficentia non ſolum ad principem, nec ſolum ad proceres, & magnates deriuatur, ſed pleniſſimo imbre in omnes æqualiter diffunditur, vt omnes ſe illi æquanimiter obligatos agnoſcant. Nam ſi ſolum rex eſſet prouocatus ad certamen, dicerent alij ſolum regem debitorem; idemq; ſi ſolum duces, aſſererent plebei. Prouocentur ergo omnes, vt omnes ſe aſtrictos agnoſcant; videantq; vniuerſi, diuinam beneficentiam, non tantum regi, ſed cunctis eſſe ſalutarem. Hanc rationem nobis inculcat D. Baſilius Seleucus Orat. 15. *Ne ſolius regis ſoſpitator eſſet Dauid, verum etiam palam de vniuerſo Iſraele bene meretur, ſubditis allata ſalute rex ſtabilitur, atque ſuum militem in bella mouebat gratia.* Vide c. 12. quæſt. 16. num. 94. & 99. & tom. 1. lib. 1. cap. 5. quæſt. 40. num. 166. & tom. 2. cap. 2. q. 19. num. 99. & 100. & cap. 20. q. 2. num. 15. 16. & 17.

*Diuina beneficentia in omnes, omneſque ſe illi obligatos agnoſcant.* — D. Baſilius.

65\. D. Nyſſenus. *Chriſtus magnam vnionẽ habet in Euchariſtia cũ fidelibus.*

De Chriſto D. in ſacra Euchariſtia explanat rem D. Gregorius Nyſſenus Orat. Catech. *Quemadmodum,* ait, *paruum fermenti totam maſſam ſibi ſimilem reddit: ſic corpus illud viuificum in corpus noſtrum ingrediens, totum in ſe transfert, & immortale* (futurum ſcilicet ſuo tempore) *reddit. Neceſſarium enim eſt, quoad fieri poteſt, vt natura noſtra vim ſalutarem intra corpus admittat.* Sicut enim fermentum, dum immiſtum maſſæ, totam ipſam in ſe transfundit, & ad ſe vnit, ac in illa totum imbitur, & maſſa in fermento: Sic illud viuificum corpus eſt hominis ſpirituale fermentum; cum enim debitè ingreditur in hominem, totum ſe illi commiſcet, totumque hominem ad ſe vnit, totuſque homo illi manet vnitus, vt vere dicatur: *manet in me, & ego in illo.* Ioannis 6. num. 17.

66\. Epheſ. 5. D. Iræneus D. Cyrillus. D. Chryſoſt. Theophyl. D. Nyſſenus. Cornelius à lapide.

Ait Apoſtolus ad Epheſ. 5. num. 30. *Membra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſſibus eius.* Quod de ſacra Euchariſtia interpretantur D. Iræneus lib. 5. cap. 2. D. Cyrillus lib. 10. in cap. 13. Ioan. D. Chryſoſtomus, Theophilactus, D. Nyſſenus ſtatim citandus. Per Euchariſtiam Chriſti carni, & oſſibus vnimur, coniungimur, & quaſi incorporamur, vt ait Cornelius à lapide, vt fiamus de carne, & oſſibus Chriſti, Chriſti membra. Vnde ait D. Nyſſenus tract. in illa verba. *Exiuit ſanguis, & aqua:* ſic inquit: *Paucæ guttæ ſanguinis Chriſti, totum mundum reſtaurantes, fiunt hominibus, quaſi coagulum lactis, illos cogentes, & coniungentes in vnum.* Coagulum coniungens lac non excluditur ab vnione, ſed omni lacti coagulato, tanquam fermentum, manet incorporatum: ſic Chriſti ſanguine cogimur, & coniungimur in vnam Eccleſiam, quæ eſt corpus Chriſti, Vide tom. 2. cap. 3. q. 30. num. 165. & 166.

D. Nyſſenus. *Maxime vnimur Chriſto per eius ſanguinem.*

## QVÆSTIO X.

### *Quid per tria ſata ſignificetur in parabola?*

67\. D. Auguſt. D. Cæſar. D. Chryſol. D. Paſchaſ.

INQVIRENDVM reſtat quid tria ſata, ſeu tres menſuræ, vt alij legunt, quas iam explicaui in expoſitione, ſignificent in parabola? Primò D. Auguſtinus ſermon. 32. de verbis Domini ſecundum Lucam. D. Cæſarius Dialogo. 4. D. Chryſologus ſerm. 99. D. Paſchaſius lib. 7. in Lucam. Albertus Magnus, S. Thomas, Hugo, & alij Tres mundi partes, Aſiam, Africam, Europam interpretantur, quæ deſignatæ fuerunt in tribus filiis Noe: filij Sem Aſiam inhabitarunt, Cham Africam, Iaphet Europam. Hæc ſententia eſt iuxta literam. Has omnes partes Euangelium illuminauit, Charitas inflammauit, doctrina ſacra inſtruxit, ſonus Apoſtolorum repleuit, & gratia, ac miſericordia Chriſti ſuis donis ditauit.

Alb. Magn. S. Thom. Hugo. *Tres mundi partes.*

68\. D. Ambroſ. D. Hieron. Theophil. *Tres appetitus.* D. Hieron.

Moraliter verò, & ſecundò D. Ambroſius, S. Hieronymus, Theophylactus docent, quod Euangelium fermentat, componitque, ac ſibi vnit tria ſata, hoc eſt tres hominis appetitus, ſcilicet rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem. *Vt* inquit D. Hieronymus, *in ratione poſſideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in deſiderio cupiditatem virtutum.*

69\. D. Hilar. *Chriſtus abſconditus in lege, Pſalmis, & Prophetis.*

Tertiò. D. Hilarius ait, quod Euangelium abſconditum fuit in lege, Pſalmis, & Prophetis, nunc verò manifeſtatur in ſanctiſſimæ Trinitatis fide, ſpe, & charitate. *Vt quod Lex conſtituit, Prophetæ nuntiauerunt, id ipſum Euangeliorum perfectionibus expleatur.* Quartò vel, vt alij dicunt, quod triplici operatione Dei, ſcilicet creationis, Redemptionis, & glorificationis confirmatur. Vel Quintò, vt eſt aliquorum expoſitio, quod Euangelium in triplici ſtatu, quæ ſunt tria ſata, conſtituit fideles, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum, afferunt tales fructum trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum, vt ſupra hoc cap. 13. Matth. dictum.

70\. D. Cæſar. *Dei potentia fermentans*

Sextò, Cæſarius frater S. Gregorij Nazianzeni. Dialogo 4. ait, quod mulier fermentans eſt Dei potentia, & ſapientia, Deitas Scilicet Chriſti; farinæ tria ſata ſunt, *Primum vniuerſa mortalium natura, ſecundum mors tertium orcus,* id eſt ſepulchrum: in abſconditum Chriſti corpus vniuerſa in reſurrectionem, ac vitam æternam fermentauit.

71\. D. Bernard.

Septimò, D. Bernardus lib. 5. de conſideratione, cap. 10. ait, quod in perſona Chriſti tria ſunt ſata, tres ſcilicet ſubſtantiæ, Verbum, anima, & caro: mulier autem, quæ miſcuit, & fermentauit, eſt B. Virgo Maria. *Fermentum,* ait, *non immerito fortaſſe dixerim fidem Mariæ, plane beata, quæ credidit, quoniam perfecta ſunt in ea, quæ dicta ſunt ei à Domino.* Quod etiam eleganter dixit Richardus de S. Laurentio lib. 1. de laudibus Virginis, expendens locum Prouerb. 9. num. 5. *Comedite panem meum, quod miſcui vobis.* Sic ait ipſe: *Deus Trinitas aquam humanitatis cum vino diuinitatis miſcuit, quando humanam naturam diuinæ vniuit. Et B. Virgo miſcuit, quando vnionem credidit, & ei conſenſit. Panem iſtum ſimiliter ipſa nobis confecit: ipſa eſt enim Sara, quæ miſcuit tria ſata farinæ* Geneſ. 18. *Diuinitatem, animam, & carnem.* Tota Trinitas, vt cauſa principalis, animam, corpus, & diuinitatem vni hypoſtaſi Verbi iunxit, & vniuit. Maria per fidem credendo, & conſentiendo, vt cauſa moralis, & præparatiua, & etiam vt cauſa principalis vniuit animam, & corpus inter ſe; ipſa autem partes miſcuit, & vniuit hypoſtaſi Verbi, vt inſtrumentalis. In cuius figura Sara excipiens Deum in domo ſua tria ſata commiſcet: Sic Maria in vtero ſuo Deum excipiens, Diuinitatem, animam, & carnem in vna hypoſtaſi coniunxit, & vniuit.

Prouerb. 9. Richard. — *Tria ſata in Chriſto.*

*Matth.*

*Matth.13.n.34.* Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis.

*Num. 35.* Vt impleretur, quod dictum eſt per prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

### *VERSIONES.*

*Vatablus n.34.* Sine parabola non loquebatur eis.

*Chaldæus, D. Hieron.n.35. Tertullian. lib. 4. in Marc.c.11.* Eructabo ænigmata. Loquar problemata.

*Pſalterium Ilyricum.* Annuntio ænigmata mea in principio ſæculi.

*Arabicus.* Loquar abſcondita ante conſtitutionem mundi.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.4.n.33.* Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, provt poterant audire.

Sine parabola autem non loquebatur eis.

### *EXPOSITIO IV.*

72. *D. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.* HÆc *locutus eſt Ieſus in parabolis*, hoc eſt, has parabolas dixit Ieſus, *& ſine parabolis non loquebatur eis.* Chryſoſt. homil.47. Theophylactus, Euthymius interpretantur, quod Chriſtus non loquebatur ſine parabolis eo tempore, & in illa concione; nam antea, & poſtea multa locutus eſt ſine parabolis. Tamen D.Auguſtinus lib.de quæſt.Euang.quæſt.15. Diuus Paſchaſius lib. 7. in Matth. Beda in cap. 4. Marc. Abulenſis, Caietanus, & alij hoc loco: *Sine parabolis non loquebatur eis*, id eſt, nunquam ferè ſolitus erat loqui ad plebem, quin aliquam parabolam illis diceret; ſeu aliquid per parabolam ſignificaret. De quo latè Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis cap. 33. Addidit Marcus, *provt poterant audire*, provt erant capaces, non enim afferebat parabolas ex rebus abſtruſis, & incognitis, ſed à rebus vulgaribus, ac obuiis, quas omnes noſcerent, vt rectè explicant Caietanus, Ianſenius, Salmeron, Beauxames, Barradas. Hæc ſententia refertur ad plebem ſimplicem. Illud autem, quod dictum eſt ſupra Matth. 13. numer.13. *Loquor* in parabolis, *vt audientes non audiant*, ſpectat ad homines deprauatos malitia, & inuidia, qui Chriſti doctrina erant indigni, vt dixi ſupra.

*D. Aug. D.Paſch. Beda. Abul. Caiet. Tertul. Caiet. Ianſen. Salmer. Beauxam. Barrad. Matth.13.*

73. *Vt impleretur*, hoc eſt, vt ita impleretur, ſeu videretur impletum. Sic explicatur illa particula *vt* in ſimilibus locutionibus, vt iam dixi tom. 1. lib.1. cap.10.num.64. *Quod dictum eſt per prophetam*, Chriſti typum gerentem. *Aperiam in parabolis os meum.* Hebraiſmus eſt, id eſt, loquar parabolas. Vt ex proprietate loquelæ agnoſceretur, vt ait Tertullianus lib.4.contra Marcion.c.10. Vt homo Hiſpanus, vel Gallus ex idiomate.

*Ex ſermone cognoſcitur homo. Tertul.*

74. Et citatur Pſalmus 77. num.2. Promittit auctor Pſalmi, ſe parabolas, ſeu figuras dicturum. Et agitur in toto Pſalmo de populo Iſraëlitico, ac beneficiis illi à Deo exhibitis ab egreſſu de Ægypto, duce Moyſe tranſeunte Mare Rubrum in Terram Promiſſionis, vſque ad Dauidem. Vniuerſa hæc, dum Pſalmographus parabolas vocat, denotat, ea fuiſſe figuras, & typos admirabilium rerum ad Chriſtum, ac eius Eccleſiam ſpectantium. Sic ait D. Hieronymus. *Vniuerſaque illa parabolicè ſentienda, nec manifeſtam tantum ſonare litteram, ſed abſcondita ſacramenta.* Ac proinde præter hiſtoricum ſenſum, ibi latet alius ſenſus parabolicus, & figuratiuus; de ipſis enim rebus loquens Apoſtolus ait: *Hæc omnia in figura contingebant illis.* 1. Corinth. 10. num.10. Et præſens ſententia non ſolum reſpicit parabolas contentas in prædicto Pſalmo, ſed etiam alias à Chriſto Domino dictas, & deſumptas ex variis geſtis, & factis, ac à rebus naturalibus, vt in præſenti, provt tempus, & locus, ac capacitas auditorum exigebat.

75. *Variæ lectiones.* *Eructabo*, ſeu, vt Hebraicè habetur, *Abſcondita*, id eſt, occulta, & abdita myſteria. Latinus Pſalmus *propoſitiones*, alij *ænigmata*, alij *problemata* transferunt. Significant hæc vocabula res magnas abditas, & multis difficultatibus implicatas, quæ altam conſideratioñe ad earum intelligentiam exigunt. *A conſtitutione mundi*, hoc eſt à creatione mundi. Hæc autem abſcondita ſunt altiſſima myſteria, quæ in Chriſto reſplendent, admiranda eius opera, diuina eius doctrina cum tantis documentis, & parabolis, quæ à prima mundi origine latuerant, & antea nunquam fuerant audita. De quibus agens Apoſtolus Rom.16.n.25. ait: *Secundum reuelationem myſterij, temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt per Scripturas prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei.* Et 1.Corinth.2.num.7. *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula.*

*Rom.16. 1.Cor.2.*

# CAP. XXIX.

## *Theſaurus Abſconditus.*

*Matth.13.n.44.* Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum.





### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Rurſus ſimile eſt regnum cælorum theſauro, qui abſcōditus eſt in agro, quem inuentum vir abdit, & præ gaudio abit, vendit quæcumque habet.

*Vatablus.* Quem repertum homo abſcondit, & præ gaudio, quod habet ſuper eo, abit, & omnia, quæcumque habet, vendit, & mercatur agrum.

### *EXPOSITIO I.*

1. *Sermo domi habitus.* POSTQVAM Dominus, dimiſſis turbis, ac domi cum ſuis Diſcipulis ſe recepit, ac ipſis ſolis Diſcipulis ſupradictas parabolas explicauit; hanc cum ſequentibus ſubiunxit, vt notarunt Origen.c.13. Matt. D.Chryſoſt.hom.48. Euthym.& alij: & in fine eos interrogauit: *Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei: Etiam.* Diſſentit Maldonatus exiſtimans, hanc etiam turbis propoſitam. Sed prima ſententia magis conformis eſt textui.

*Origen. D. Chryſoſt. Euthym. Maldon.*

2. *Finis, & intentio parabolæ.* In primis quatuor parabolis contentis in hoc cap.13. Matth. ſcilicet ſeminantis, boni ſeminis, grani ſinapis, & fermenti explicat Dominus vim, ac efficaciam Euangelij, prædicationiſque Euangelicæ. In hac vero, & ſequenti de margarita nobis manifeſtat eius æſtimationem, & pretium. Et optimo ſanè ordine; nam ex cognita bonitate, ac vtilitate rei, illius naſcitur æſtimatio.

3. *Regnum cælorum fides catholica.* *Simile eſt regnum cælorum.* Eodem modo accipitur hic, ac in ſuperioribus parabolis. Pro fide, Euangelio, ac Euangelica doctrina, vt eſt communis interpretatio. Vel etiam ſunt multi Patres, qui dicunt, Chriſtum vocari regnum cælorum, De quo q. ſequenti. *Theſauro abſcondito.* Senſus eſt: Qui ad meam fidem, ad meamque doctrinam, ac ad me ipſum, gratia inſpirante, venit, taliter ſe debet habere, ac ille homo, qui theſaurum abſconditum inuenit. *Abſcondit*, id eſt, tacuit, ac nemini rem aperuit.

4. *Doctrina Euangelica, ac fides ſuper omnia æſtimanda.* *Et præ gaudio illius vadit, & vendit omnia, quæ habet.* Valde libentiſſime pro comparando agro, in quo eſt theſaurus, homo omnium ſuarum rerum non dubitat iacturam facere: tanti enim æſtimanda eſt Euangelica doctrina, vt pro illius comparatione debeat homo gaudenter omnia ſua dimittere, vt incomparabiles in Chriſto diuitias acquirat. Et benè notat Albert.Mag. quod dicitur, *Quæ habet*, quaſi, ſi haberetur à diuitiis, non venderet eas, ſed potius eum diabolo diuitiæ venderent. Ita Albertus. Ipſe erat Dominus diuitiarum, diuitiæ vero non dominabantur ei. *Vendit vniuerſa:* Non partem ſibi retinuit, vt Ananias Actor. 5. ſed totum dedit, & adiecit. Et notandum, quod in Euangelio quatuor ponuntur hominum genera. Primus fœlix, qui inuenit, ſecundus diligens, qui quæſiuit: tertio *laborantes: mittentes rete*, quarto ſapiens: *Omnis ſcriba doctus: de quibus eſt dicendum.*

*Albert.Mag. Actor.5.*

5. *Emit*, non ſignificat, fidem, vel Euangelium auro, & argento eſſe emendum. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10. num. 8. Sed denotat, tanti æſtimandum à nobis, vt ob illius comparationem omnia ſint abiicienda. Et ponderandum, quod homo non vult theſaurum ſine agro; & theſaurus gratis inuenitur, ager emitur de quo dicam q. 5. *Agrum illum.* Ager hic in parabola ſignificat Eccleſiam, vt tenent D.Paſchaſius, S. Thomas; vel mundum, vt tradit Theophylactus. At verò D.Bernardus ſerm. 16. inter varios, & paruos ſermones docet, quod ager eſt noſtrum corpus, quod tunc emitur, quando paſſiones eius domantur.

*Matth.10. D.Paſch. D.Thom. Theoph. D.Bernard.*

### QVÆSTIO I.

#### *Quiſnam ſit iſte theſaurus? & quare tam abſconditus?*

6. THESAVRVS iſte erat abſconditus in agro: inueniens illum homo iterum abſcondit. Vnde D.Paſchaſius lib.7.in Matth. appellat eum theſaurum reabſconditum. Et ita reabſconditur, vt inquiunt D.Hieron. S.Thomas, non ex inuidia, ſed ex cautela. Quare ergo tam ſit abſconditus? inquirit præſens quæſtio.

*D. Paſch. D.Hieron. S.Thom.*

7. Primò, D.Chryſoſtomus homil. 48. in Matth. D.Ambroſ. ſerm.2. in Pſalm.118. Euthym. Theophylactus, & alij cōmuniter, quorum ſententiam ſecuti ſumus in expoſitione, hunc theſaurum interpretantur fidem Catholicam, ac Euangelicam doctrinam. De qua ait Paulus 2.Corinth.4. num.7. *Habemus hunc theſaurum in vaſis fictilibus.* Qui abſconditus eſt, vt ait D.Thom. in agro huius mundi ab oculis mundanorum. Matth.11.n.25. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus.* Et rectè fides Chriſti, ac Euangelium dicitur theſaurus, vt notat Euthymius. *Comparat autem ipſum theſauro, ait, propter Spiritus ſancti diuitias, quæ in illo ſunt.* Fides hæc regnum eſt, theſaurus eſt, qui omnibus bonis repletus, ac abundans exiſtit. Pro cuius confirmatione pondera, quod non dicitur theſaurus auri, argenti, gemmarum, frumenti, vel olei, vt apud Ierem.35.num.2.& Ezechiel.28.n.4. & Daniel.11.num.43. Sed abſolutè theſaurus pro vniuerſali theſauro omnium bonorum; & quia inæſtimabiles Chriſti diuitiæ nulla huius ſæculi re explicari valent. Theſaurus enim Chriſti maior eſt omnibus diuitiis. *Quoniam omne aurum comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Sap.7. num. 9. Vnde de hoc homine, qui vendidit omnia ſua pro comparando hoc theſauro; ait rectè Diuus Chryſoſtomus citata homil. 48. *Nullam iacturam, ſed quæſtuoſiſſimam fecit mercaturam.* iuxta illud Prouerbiorum 31. numer. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

*D. Chryſoſt. D. Ambr. Euthym. Theoph. Doctrina Euangelica. 2. Cor.4. Matth.11. Euthym. Diuitiæ fidei Chriſti inexplicabiles. Sapient.7. D. Chryſoſt. Prouerb.31.*

8. Secundò, D.Hieronymus, Origenes, D.Paſchaſius, Albertus Magnus, Rupertus citandus, per hunc theſaurum ſacram Scripturam intelligunt. Et eadem eſt ſententia D.Auguſtini lib. 1. quæſt. Euang.quæſt.13. dicentis, per theſaurum ſignificari duo Teſtamenta. In Scriptura enim, vt inquiunt D. Hieronymus, & Hugo, repoſita eſt notitia Chriſti; ibique ipſe in eius figuris latet. Ait vero D.Thomas, quod hæc ſacra doctrina abſcondita

*D. Hieron. Origen. D. Paſchaſ. Albert.Mag. D. Auguſt. Scriptura theſaurus. Hugo. D. Thom.*

Sap.7. Rupert. Pſalm.18. Pſalm 118.

eſt in agro Eccleſiæ. De ipſa dicitur Sapient. 7. num.14. *Infinitus eſt theſaurus hominibus.* Et benè homo hunc theſaurum ſacræ Scripturæ, vt ponderat Rupertus lib.3. de Victoria Verbi. c. 26. prætulit ſuis omnibus diuitiis temporalibus, ſecutus diuina oracula. *Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum.* Pſalm. 18. numer. 11. *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* Pſalm.118.num.72. Rurſus num.127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion.* Valde ergo prudentiſſimè ſe habuerunt illi homines, ait Rupertus citatus, *qui hoc theſauro inuento delectati, vniuerſa, quæ habebant, vendiderunt, & agrum huiuſmodi emerunt, vt exonerati ſæcularibus negotiis, vacare poſſent, & intendere, vel meditari in lege Domini.*

Rupert.

D.Iren. D.Athan. D Hilar. D.Hieron. D.Paſch. D.Thom. Ad Colloſ. Gen.27. Pſalm. 31. Iſai 2. D.Paſch.

9\. Tertiò, D.Irenæus lib.4.cap.23. D.Athanaſius quæſt.5. D.Hilarius D. Hieronymus, D. Paſchaſius, S.Thomas, & alij per theſaurum interpretantur Dei verbum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Ad Colloſſenſ.4 num.3. quod in agro corporis Chriſti latebat. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* Gen.27. num.27. *Species agri mecum eſſe.* Pſalm.31. num.16. Per hunc agrum omnium bonorum, ac benedictionum plenum, de quo ait Iſai.2.n.7. *Non eſt finis theſaurorum eius:* Chriſti humanitatem intelligit Paſchaſ. in qua diuinitas eſt abſcondita, vt dicatur: *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus; verè tu es Deus abſconditus.* Iſai.45.n.15. Et quamuis, vt ait Paſchaſius, *celatur incredulis*, manifeſtatur autèm credentibus, lumine ſcilicet fidei in hac vita.

Iſai.45. *Dei Verbum in humanitate Chriſti.*

D.Paſch.

10\. Quartò, idem Paſchaſius lib.de corpore, & ſanguine Chriſti cap. 17. Theſaurum exponit de Chriſto in Sacramento Altaris. *Quam benè*, ait, *in agro theſaurus abſconditus dicitur, quia in carne Chriſti diuinitas corporaliter inhabitans, etiam in hoc myſterio ab aſpectu oculorum, ne caro videatur, ſubtrahitur, vt fide auidius quæratur, quæſita verius inueniatur, inuenta verò charius habeatur, & habita deſiderabilius fruatur.* Theſaurus iſte, in quo eſt infinita donorum, ac bonorum cæleſtium copia, quæ nullo modo à nobis queunt explicari: Pro quo faciunt, quæ ponderaui in prima ſolutione circa finem: Cur ſcilicet qualitas huius theſauri non exprimitur? Non ſolum eſt diuinitas habitans corporaliter in Chriſto, ſed etiam eius ſacratiſſima caro in Sacramento Altaris; quæ ideo occultatur ab intuitu oculorum noſtrorum, vt vehementiſſimo fidei deſiderio quæratur, &c. Lucernaque fidei inuenitur, vt infra dicam. quæſt.

*Chriſtus in Eucharistia omnium bonorum theſaurus.*

11\. Quintò, theſaurus Beata eſt Virgo Maria, ad quod alludens D. Damaſcenus Orat. 1. de Nauit. Mariæ, ait: *Omnis creatura epuletur, ac ſacræ Annæ ſacrarium rationale laudibus proſequatur: Bonum enim theſaurum, quique nulla vi eripi poſſit, mundo peperit.* Virgo Maria theſaurus eſt omnium virtutum, ac donorum, quæ nullo modo à nobis exponi valent, vt diuitiæ huius theſauri inuenti, quæ nullo modo declarantur. Diuus Anſelmus de Excellentia Virginis cap.8. *Quid amplius*, ait, *dicere poſſum, Domina mea? Immenſitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fælicitatis tuæ conſiderare cupienti ſenſus deficit, lingua fatiſcit.* Theſaurus eſt etiam noſtræ protectionis, ac defenſionis, qui à nobis *nulla vi eripi poſſit.* Theſaurus autem iſte abſconditus eſt in agro Eccleſiæ oculis mundanorum.

*Theſaurus B. Virgo* D. Damaſc.

D.Anſelm. *Immenſitas bonorum in B. Virgine.*

12\. Sextò, vt eſt communis ſenſus Eccleſiæ, Virgines ſanctæ ſignificantur in hoc theſauro abſcondito. Vbi D.Gregorius homil.12. expendens, has theſaurum abſconditum vocari, hanc apponit rationem. *Maligni ſpiritus iter noſtrum quaſi latrunculi obſident: deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.* Pro quo argumento multa habet D. Hieronymus in Epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis; & inter cætera ſic habet. *Oras; loqueris ad ſponſum: ille tibi loquitur; ab eo audies:* Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus. Canticor. 4. num.12. *Zelotypus eſt Ieſus, non vult ab aliis videri faciem tuam.* Eam ſororem, eamque ſponſam ſuam agnoſcit Ieſus, de qua dicitur: Hortus concluſus, fons ſignatus: & inter hæc duo vocabula ſcribitur ſoror, & ſponſa; nam etiam nomine eam vult Ieſus cuſtoditam, & clauſam, vt etiam penes nomen ſit ignota. Vide ſuperiori cap. 28. quæſt. 8. num.54. 55. & 56.

*Virgines theſauri.* D.Greg. D. Hieron. Cant 4. *Virgines etiã quoad nomen ſint occultæ.*

13\. Septimò, D. Gregorius citatus ait, quod theſaurus cæleſte eſt deſiderium. *Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.* Iſai. 33. numer. 6. Abſconditur autem in agro diſciplinæ ſpiritualis; exterius videtur contemptibilis, interius vero miram dulcedinem habet. Emitur autem ager iſte, vt ait ipſe Gregorius. *Quem profectò agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cæleſtis cuſtodiam calcat.* Dubitabis: Quomodo mandantur hic bona opera aſcondi, cum Matth.5. num.16. dicatur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra*, &c. D. Gregorius ait, quod theſaurus ſit apertus in effectu, abſconditus vero in corde. *Sic opus ſit in publico, quatenus intentio maneat in occulto.* Diuus Thomas autem ait, quod ſoluitur quæſtio ſecundum diſtinctionem temporum. Hanc difficultatem latè tractaui tom. 2. cap. 11. quæſt. 21. Vide ibi dicta.

D. Greg. Iſai.33. *Theſaurus cæleſte deſiderium.* Matth.5. D.Greg. D.Thom.

14\. Octauò, D.Hilarius in Pſalm.118. littera Beth, docet, quod his inſtruimur, cæleſtia dona abſcondere. *Legimus & in Euangelio*, ait, *in agro vberi, atque fœcundo repertum theſaurum, eumque empto agro occultari. Nouimus, neque margaritas ante porcos proijciendas eſſe: neque ſanctum canibus dare, oportere. Ergo intelligimus, quædam nos cordis noſtri ſecreta continere, quæ diuulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt.* Aderat theſaurus abſconditus in agro; inuentus verò ab homine. iterum magis, ac magis reabſconditur: Monemur in hoc, quod ſiquis in exercitio ſancto aliquod donum ex diuinis theſauris abſconditis Dei gratia inueniat, & accipiat, non ſtatim illud in publicum proferat homo, ſed magis, ac magis reabſcondat, vt ſic illud tutiſſimè poſſideat, & teneat. Vide tom. 2. cap. 15. quæſt. 3. numer. 29. 30. & 31. & cap.22. quæſt.9. num.61. 62. & aliis in locis.

D.Hilar. *Cæleſtia dona abſcondenda.*

15\. Nonò, theſaurus iſte conſummatio virtutum eſt, viaque cæleſtis, quæ ducit ad vitam. Inuentum hunc theſaurum homo abſcondit; non enim inuenit illum fortuitò, & caſu, ſed multo labore, multaque pœnitentia, nec mortificatione impenſa; & ideo valde diligenter, ac multa cautela, vt iam dixi ex D. Hieronymo, illum homo ob eius æſtimationem abſcondit. Quæ enim multo labore interpoſito poſſidentur, ſunt nobis in magno pretio: è contra vero quæ facilè, & ſine moleſtia

*Quæ difficile, ac labore comparãtur, in multo ſunt pretio.*



moleſtia comparantur, ab hominibus paruipenduntur.

16\. Cum degerent in deſerto filij Iſraël, dixerunt: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Num.11.num.5. Valde mirabile cunctis eſt, quod populus ita flagraret deſiderio quarundam herbarum, ſeu olerum, eique in tanto tædio eſſet Manna ſuauiſſimus panis de quo dicitur Sapient.16.n.20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem, ſubſtantia enim tua dulcedinem tuã, quam in filios habes, oſtendebat, & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur:* Et quamuis aliqui graues Auctores hoc velint reſtringere, quod tantum piis, & bonis contingebat: tamen cum abſolutè Scriptura dicat: *ad quod quiſque volebat, conuertebatur*: Sine vlla diſtinctione de omnibus communior opinio præfatam ſententiam intelligit, vt tenent Hebræi, D.Chryſoſt. D.Nazianzen. & alij, quos citat, & ſequitur Lyranus citato c.16. Sapient. n.21. & Cornelius in cap.16. Exod.n.31. Si ergo Manna dabat ſaporem, vt cucumeres, pepones, porri, cepe, ac allia, quomodo in nauſea eſt, & huiuſmodi Ægypti olera ſunt in deſiderio? De Manna ait Sapientia: *Præſtitiſti illis ſine labore*: faciliter cadebat de cælo, & ſine moleſtia habebatur. At vero, vt cepe, & allia obtinerentur, multum ſudoris impendebatur: neceſſe enim erat, terram expurgare, fodere, ſerere, ac irrigare. Tale eſt hominium ingenium. Manna, quamuis Angelorum eſca, omni dulcedine repletum, cum faciliter, & ſine moleſtia datur, contemnitur, cepe verò, & allia, abiecta olera, cum tamen fatigatione, ac labore emantur, in multo pretio reputantur. Fauet Hugo. *Porri, cepe, & allia ſunt difficultates vitæ præſentis, quæ non ſine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur.* Manna autem *ſine labore præſtitiſti eis.*

Num.11. Cap.16. Hebr. D. Chryſoſt. D. Nazian. Lerin. Cornel. *Quæ facilè habentur, contemnuntur, quæ difficilè, æſtimantur.* Hugo.

17\. Portans Moyſes duas duas tabulas Legis digito Dei ſcriptas, ac ex eius manu acceptas; videns populum inſanientẽ in idololatria, *iratus valde proiecit duas tabulas, & confregit eas.* Exod.32. n.19. Poſtea vero Deus inclinatus precibus, ac orationibus Moyſi mandat ei: Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum. *Moyſes ergo excidit duas tabulas lapideas, quales antea fuerant, & de nocte conſurgens ad montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus, portans ſecum tabulas.* Exod.34.num.4. Et poſtea ex Dei iuſſu ſcribit verba in tabulis ibidem. num. 27. Si Deus placatus voce Moyſi, atque ob tanti ſerui rogationes indulgentiam largitur, cur ipſe non etiam præparat ſecundas tabulas, ac digito ſuo ſcribit, vt in prioribus factum fuerat; ſed totum Moyſi committitur? Moyſes priores paginas, quas gratis, & ſine labore comparatas acceperat, fregit. Volebat autem Deus, vt poſteriores in populo perdurarent, & ex quouis eius peccato non amplius ſcinderentur. Mandat ergo Deus ſuo duci, vt ſua vi, arte, & ingenio duas tabulas præcidat, edolet, ac ſculpat, quæ, vtpotè ſua arte, aç induſtria præparatæ, ac confectæ, eo ei erant in pretio, ac æſtimatione futuræ, vt amplius non eſſent frangendæ, nec in fruſtra ſcindendæ. Ad quod reſpiciens Caietanus ait: *Et dicit Deus, dola tibi duas tabulas, prima ſiquidem vice ego tabulas dedi, dolaui, & ſcripſi, tanquam ex me operans: modò autem tuis precibus operaturus volo, vt doles tu tabulas ſudore, & labore repara tabulas, quarum iacturam feciſti.*

Exod.32. Exod 34. *Comparata proprio labore in magno ſunt pretio.* Caiet.



---

# QVÆSTIO II.

## *Quomodo abſconditus theſaurus inuenitur?*

18\. PRETIOSISSIMVS theſaurus fidei, ac Euangelij inuenitur, non ex humana induſtria, ſed ex Dei gratia, ac miſericordia. Sic ait Paulus Rom.10.n.20. *Iſaias autem audet, & dicit: Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

Rom.10.

19\. Deinde theſaurus iſte eſt Chriſtus Dominus in Euchariſtia: peculiariter inuenitur fidei lumine, ac lucerna. Pro quo facit D. Bernardus ſerm. 76. in Cantic. *Credere inuiſiſſe eſt*, ait, *norunt fideles habitare Chriſtum per fidem in cordibus ſuis, quid propius eſt? Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem cum inuenit homo.* Hunc theſaurum fide inuenit homo. Perpende verba: *Credere inuiſiſſe eſt.* Pro quo facit Diuus Chryſoſtomus Orat. de S. Philogon. ponderans, quomodo Paſtores, ac Reges Chriſtum in præſepio humilibus pannis Deum eſſe agnouerint. *Si cum fide*, ait, *acceſſerimus, procul dubio videbimus Chriſtum in præſepio iacentem: nam hæc menſa (altare) vicem præſepis explet, ſiquidem hic ponitur corpus Dominicum, non quidem faſciis inuolutum, ſicut tunc; ſed vndequaque Spiritu ſancto conueſtitum.*

D.Bernard. *Chriſtus in Euchariſtia inuenitur fide.* D Chryſ.

20\. Tertiò, theſaurus ipſemet Chriſtus & ſi abſconditus, quomodo inuenitur. Quantò enim magis ipſe Dominus ſe occultat, ac abdit, tantò magis ſui cognitionem præbet, & ſeipſum agnoſci permittit. Agens Deus de Cyro ait: *Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus accinxi te, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi, qui ab ortu Solis, & qui ab Occidente, quoniam abſque me non eſt Deus.* Iſai. 45. n.5. Quomodo hæc verba inter ſe cohærent; nam ſi Deus ita abditus extitit, vt Cyrus eum non agnoſceret, *& non cognouiſti me*; quomodo tunc cunctis gentibus notus, ac manifeſtus dicitur; *Vt ſciant hi, qui ab ortu, & qui ab Occidente.* Quanto magis ipſe Dominus ſe abſcondit, tanto & amplius cunctis gentibus, ac nationibus ſeipſum manifeſtum exhibet. Vnde ait D. Hieronymus in Commentario, loquens in Dei perſona. *Ipſe res inter ſe contrarias facio: lucem, & tenebras; diem, & noctem.* Cum tenebris ſuæ occultationis miſcet lucem ſuæ manifeſtationis.

*Deus quo magis abſcõditur, eo maiores ſuæ cognitionis radios emittit.* Iſai.45. D.Hieron.

21\. *Vidi*, ait Iſaias 6. num. 1. *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Et addit: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Meritò dubitabis: Quomodo Propheta dicit, quod viderit Dominum, cum ipſe atteſtetur, vt ait Oleaſter, quod Seraphim velabant faciem eius, & pedes eius. Si ergo Domino facies, & pedes velabantur, quomodo ipſum vidit; maximè in hac viſione, quæ, vt tradit D.Nazianzenus Orat.2.de Theolog. fuit valde ſpecialis, ac illuſtris inter cæteras Veteris Teſtamenti

Iſai.6. Oleaſt. D.Nazianz.

menti, in eaque vidit Propheta tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, vt ex Alexandro I. & Benedicto I. D. Dionyſio, D.Damaſceno, & aliis docent Leo Caſtro, Cornelius à Lapide, viditque Propheta Incarnationem Diuini Verbi, & multa myſteria cæleſtis patriæ. Si ergo viſio tam ſublimis, cur occultatum ſe ei exhibet Dominus? Vt inde maiorem Prophetæ, ſui concederet agnitionem; eo enim plus ſe manifeſtat, quò à noſtrorum oculorum aſpectu ſe ipſe Dominus ſubtrahit.

Leo à Caſt. Corn. à Lap.

*Deus abſconditus, vt magis manifeſtus fiat.*

22. Quò enim Deum remotiorem à noſtris ſenſibus cogitamus, eo magis eius ſublimitatem viua fide contemplamur, eóque magis in eius ſacris myſteriis inſtruimur. Cum Moyſes primò ad Dei amicitiam vocatur, Deus ei ſe primò præbet in rubo inter fulgentes, ac lucidas flammas Exod. 3. num. 2. Poſtea vero, cum iam Moyſes in multis proficeret, aſtrictiorique amicitiæ vinculo cum Deo ligaretur, ei ſe Dominus ſub caliginoſa nebula obiici. Exod. 24. n. 16. vel ſub nube Exod. 34. n. 5. Cur Moyſes, quando veluti incipiens, abſque tegmine inter radiantes ignes Dominum intuetur: poſtea vero iam multis meritis adauctus in nebula, & in nube? Vt tunc, tanquam ſanctitate perfectior, maiorem de diuinis rebus potum exhauriat: quanto enim quis altius illas penetrat, tanto ſibi eſſe ſublimiores meditatur. D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſis, nobis quæſtionem, ac ſolutionem proponit. *Cur*, ait, *qui in principio vocationis Moyſis ad Dei familiaritatem ſe illi in rubro ſplendido apparuit, poſtquam in familiaritate cum Deo maiores fecerat progreſſus, non in flamma ignis, ſed in nebula ipſi apparuit?* Reſpondet. *Quia quanto magis quis in rebus diuinis conuerſatur, tanto magis eas ſublimiores eſſe comprehendit, & veluti inter denſas tenebras ſe ſibi verſari videtur.*

Exod. 3.

Exod. 24.
Exod. 34.

*Tunc plus de Deo cognoſcimus, quãdo remotior eſt ſenſibus.*

D Nyſſen.

## Qvæstio III.

### *Quare homo inuenit theſaurum in agro, & non in ciuitate, in qua negociator reperit margaritam?*

23. Simile dicitur regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, in quo repertus fuit ab homine: vt inſtruamur, quod ad comparandum theſaurum, qui eſt regnum cælorum, egredi debemus è domo, vrbe, ac tumultu, vt ibi cæleſtibus bonis ditemur. *Et data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur.* Apocal. 12. num. 12.

*Egrediẽdum, vt Chriſtum inueniamus.*

Apoc. 12.

24. Secundò, theſaurus abſconditus, non in ciuitate, vel domo alicuius inuenitur, ſed in publico, & patenti campo. Cæleſtia, nec, quia facilia, contemnenda; nec quia difficilia, de eorum aſſecutione deſperandum. Cæleſtis theſaurus adeſt, non in alicuius domo, vel loco, ſed in aperto, ac propalato omnibus agro, vbi à cunctis valet comparari, vt nullus ſit, qui de eo obtinendo deſperet. Abſconditus tamen eſt theſaurus, ne ob loci expeditum, apertumque aditum contemnatur, ſed ob difficultatem, ac raritatem illius inuentionis in magno pretio habeatur. *Venter tuus, ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Cantic. 7. num. 2. ſeu, vt habet Tigurina, *Circumſeptus liliis.* Ventrem commemorat, in quo ſunt pietatis viſcera, valde fœcunda ad nutrimentum, ac fortitudinem præbendam, veluti aceruus tritici. Sed ad quid additur circunuallatus liliis? ne quis ventrẽ ob tam ingentem benignitatem ſperneret, circunſeptus dicitur; & quia ex iuſtitia aliquando poterit eſſe clauſus, & ad illum non reperiri aditum. Tamen ne quis de eius aſſecutione diffidentiam concipiat, proponitur cinctus, non ſpinis, quæ pungunt, ſed liliis teneris, ac ſuauibus, quæ delectant. Huc reſpicit D. Ambroſ. Orat. de obitu Valentini. *Venter eius*, ait, *non ſolum iuſtitiæ, velut frumentario cibo replebatur, ſed etiam gratiæ ſuauitate, quæ florebat, ſicut lilium.* Vt iuſtitia timeretur, gratiæ vero ſuauitate cunctos ad ſe alliceret.

Cant. 7.
Tigur.

*Cæleſtia bona, nec vt facilia contemnenda, nec vt difficilia, de eorum aſſecutione deſperandum.*

D. Ambr.

25. Tertiò, & maximè ad quæſtionem. Noſter homo in agro inuenit theſaurum, omni lapide pretioſo, omnique auro, & argento repletum. At verò homo negociator in ſequenti parabola vnam inuenit pretioſam margaritam. Cur noſter homo multos lapides magni pretij, multamque ditiſſimam ſupellectilem, ac tandem vnum integrum theſaurum reperit, cum ille alius vnam ſolum habuerit margaritam, cum tamen vterque ex Dei dono, ac cæleſti affluentia ſuum obtinuerit inuentum? Noſter homo inuenit theſaurum in agro, ac in deſerto; negociator vero margaritam in ciuitate: ex diuinis autem donis multo plus ſibi homo negociatur, ac comparat in ſolitudine, ac receſſu, quàm in ciuitate, ac frequentia populorum; nam in hac vnam tantum ſibi homo inuenit margaritam; in illo autem vnum magnum, & repletum theſaurum totum ſibi reportat.

*Plus homo ſibi de diuinis in deſerto comparat, quàm in ciuitate.*

26. Subcreſcente fame, mandat Deus Parenti Eliæ: *Recede hinc, & abſcondere in torrente Carith, & ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi.* 3. Reg. 17. num. 4. Et ſtatim ſubdit textus. *Abijt ergo, & fecit iuxta verbum Domini: corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane; ſimiliter & veſperi.* Poſtea vero cum torrens eſſet exſiccatus, diuina vox ei imperat: *Vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Ibidem n. 9. Venientique ad illam Prophetæ mulier dedit buccellam paruam panis. Cura Eliæ mandatur coruis, & mulieri eodem verbo *præcepi*; & corui bis in die miniſtrant panem, & carnes, vt ait Abulenſis quæſt. 14. ad ſaturitatem; & mulier tantum parum panis præbet. Quod notauit Gloſſa Ordinaria in Morali. *Ex hoc patet*, ait, *circa ſeruos ſuos Dei prouidentia, quia lautius paſcit Eliam per coruos, quàm per homines; nam poſtea panit eum per viduam pane; & aqua.* Vnde ergo tantum rei diſcrimen? Corui aſportabant panem, & carnes Eliæ in ſolitudine apud Carith; mulier parum panis præbet Prophetæ in porta ciuitatis: plus honoris, ac reuerentiæ impenditur Eliæ in latebris Carith, quàm in vrbis foro; multoque amplius ſibi comparat Propheta è donis à Deo conceſſis in ſolitudine, quàm in tumultu, ac frequentia populorum.

3. Reg. 17.

Abul.
Gloſſ.

*Eliæ plus honoratur in deſerto, quàm in ciuitate.*

27. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cantic. 2 num. 2. Cur non ſat eſt, vt Sponſus ſe florem appellet, ſed vltra ſe lilium dicit? Degebat ipſe in campo, ac conuallibus, procul ab æſtu, ac voragine mundi negociorum, & tunc tanti ſe æſtimat in tali ſtatu, vt non vnum florem, ſed duos, ac multiplicatos ſe reputet, & computet. Philo Carpathius. *Ergo flos campi, quod autem*, ait, *& lilium*

Cant. 2.

*In ſolitudine duplicatur decor.*

Carpath.



*lium vallium; cum Diſcipulos ſuos ſine curis, atque ſolicitudine rerum humanarum eſſe iubet.* Vacuus ſcilicet à ſolicitudine ſæculi flos, & lilium. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 4. quæſt. 4. num. 18. & tom. 2. cap. 5. quæſt. 33. num. 217. & 218.

## Qvæstio IV.

### *Quare dicitur, quod homo gaudens vadit, & non, quod regreſſus eſt, cum è ciuitate exierit?*

28. In limine huius quæſtionis ponderandum eſt, quod homo, non triſti animo, ac mœſto vultu, ſed gaudens, & exultans vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, pro ſibi comparando agro, vt obtineat theſaurum: donum enim exhibitum hilari, ac iucundo animo excipitur, multaque æſtimatione dignum iudicatur. Cum iam nox eſſet facta, erat Chriſtus Dominus orans in horto. *Et tunc factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. num. 44. At vero hora ſexta, hoc eſt meridiano tempore, extra portam ciuitatis, & iuxta viam, per quam multi præteribant Matth. 27. num. 39. eleuatur in cruce: & tunc ex toto ſacratiſſimo eius corpore ſaluciferi ſanguinis riuuli deſfluebant. Sed cur primus ſanguis in Paſſione effuſus in horto ſub noctis tenebris cadit; at vero in Cruce, aperta luce, meridiano tempore è Saluatoris fontibus emanat? In horto, vt teſtatur D. Matthæus 26. num. 37. (in morali ſenſu dico) ob altiſſima myſteria, *Cœpit Ieſus contriſtari, & mœſtus eſſe. Tunc ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* At in Cruce, vt ait Paulus ad Hebræos 12. num. 2. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.* Quod explicat Chryſoſtomus, *Non cum triſtitia ſuſtinuit mortem.* Sanguis, qui in Cruce tanto gaudio, & ſine triſtitia defluebat, in omnium oculis prodit, & manifeſtatur, vt cuncti videant, & reuereantur excellentiam beneficæ redemptionis Chriſti, qui pro nobis ſuam vitam, & cum tanto gaudio dabat.

*Donum, cum gaudio exhibitum, magnum valde.*

Luc. 22.

Matth. 27.

Matth. 26.

Ad Hebr. 12.
D. Chryſol.

29. Ad principalem quæſtionem. Inuento theſauro fidei, non quieſcit homo, non ſedet; ſed vt filius lucis ambulat, & vadit. Hoc eſt, vt explicat Euthymius, ſtudioſe conatur, ſibi comparare theſaurum. Sed cum iſte homo egreſſus fuiſſet de ciuitate, in agroque theſaurum inueniſſet, ad campum emendum ſine dubio ciuitatem reperit: cur ergo non dicitur, regreſſus eſt, ſed vadit, ſeu abiit, quod ſecundum ſuum ſignificatum innuit ad vlteriora procedere? Theſaurus iſte denotat fidem, vel gratiam: rectè ergo, qui tam locupletiſſimum theſaurum inuenit, non aſtruitur de illo, quod retrogreditur, ſed quod vadit, ſemper ad maiora, ac excellentiora ſe extendens, ac volans. Sic & mulier illa Samaritana, iam Dei gratia illuminata, cum Chriſtum cognouiſſet, cumque in ciuitatem Sichar iter ſuum direxiſſet, vt illis hominibus Chriſtum annuntiaret, ait Ioannes 4. num. 29. *Abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus. Venite, & videte hominem*, &c. Quamuis mulier è ciuitate exiiſſet, non tamen de ea ſcribitur, quod in ciuitatem reuerſa ſit; hoc verbo cauit Euangeliſta; cum enim illa, iam Chriſti fide eſſet illuminata, in nouum augmentum, ac progreſſum verſabatur; vnde de ea dicitur, quod abiit.

Euthymius.

*Qui in Dei obſequio deſit, progreditur, & non reuertitur.*

Ioan. 4.



30. Aliter verò peccatores ſe habent: ſemper enim in ſuis actionibus retrocedunt. Ad comprehendendum Ieſum veniunt milites, duce Iuda proditore; & conquæſiti, quem quærerent? ac dicentes; Ieſum, cum audiiſſent ab eius ore: *Ego ſum. Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Ioan. 18. num. 6. Ad comprehendendum Saluatorem debebant vltra procedere manus extendentes in ipſum; quomodo ergo retrahentes pedem extrorſum veniunt? Cum in turpiſſimo, ac execrando ſcelere Iudæi voluerentur, ſuis greſſibus non poterant vltra pergere, ſed retrorſum venientes, ac cadentes in altiſſimam ruinam præcipitabantur. Dionyſius Carthuſianus. *Merito quoque*, ait, *abibant, & cadebant retrorſum, qui ſtabant ex aduerſo Chriſti, & vt miſerabiliores apparerent, ac penitus victi, tanquam qui filio Dei ſe opponere præſumpſerunt.*

*Peccatores retrogrediũtur.*

Ioan. 18.

Carthuſ.

## Qvæstio V.

### *Quare ad emendum agrum, non aliqua, ſed vniuerſa ſua vendit homo?*

31. *Vendit vniuerſa*, ſeu, vt in ſequenti parabola, *Vendidit omnia.* Sermo eſt de bonis venditis huius ſæculi, quæ nihil ſunt. *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Pſalm. 75. num. 6 Quomodo ergo omnia, ſeu vniuerſa nuncupantur? Mundi bona, prout talia, ac à nobis retenta, nihil ſunt, ac valent; vt verò diſtributa, elargita, ac vendita pro Chriſto, omnia, ac vniuerſa conſiſtunt.

Pſalm 75.

32. Ad quæſtionem Reſpondet Primò Abulenſis quæſt. 65. *Vendit homo vniuerſa, quæ habet.* Innuitur, quod qui veritatem Euangelicam tenere vult, omnia debet dimittere; non quidem omnia, quæ poſſidet, quia vendere omnia, quæ quis poſſidet, & Chriſtum ſic ſequi, perfectionis eſt, non neceſſitatis, vt communiter tradunt Doctores ad illa verba: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* &c. Matth. 19. num. 21. Dicitur autem, vendit vniuerſa, quæ habet, quia ſicut in venditione fit commutatio rei pro pretio; ita qui Euangelicam veritatem ſuſcipit, omnes priores errores mutat, & à ſe abiicit, deſerens illos, vt alterum mutatus in virum, puram Euangelicam veritatem ſequatur.

Abulenſis. 9.

*Ad ſuſcipiẽdam Euangelicam doctrinam dimittantur errores.*

Matth. 19.

33. Secundò D. Gregorius homil. 12. ait. *Agrum profecto venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cæleſtis cuſtodiam calcat.* Qui theſaurum fidei, ac doctrinæ Chriſti vult tenere, oportet, vt omnia ſua vendat, hoc eſt, omnes carnis affectus à ſe amputet, ac reiiciat, omneſque Legi Chriſti ſubmittat. Confirmatur. Quia theſaurus gratis, ac facile inuenitur; tamen ad illius poſſeſſionem vendit homo vniuerſa ſua facile, ac gratis inuenitur doctrina Euangelica, in toto enim mundo annuntiatur, ac prædicatur; at verò ad illius poſſeſſionem tenendam, oportet vt homo omnes ſuos carnis affectus amputet, carnemque ſpiritui ſubiiciat; & hoc eſt, omnia vendere, vt theſauro fruatur. Quod notauit Diuus Hilarius in præſenti. *Hic quidem theſaurus*, ait, *gratis*

D. Gregor.

*Theſaurus gratis; ager emitur.*

*Dimittantur carnis affectus ad fidei poſſeſſionem.*

D. Hilarius.

*gratis inuenitur, ſed vtendi, & poſſidendi huiuſmodi theſauro cum agro poteſtas non poteſt eſſe ſine pretio, quia cæleſtes diuitiæ non ſine damno ſæculi poſſidentur.* Vide tom. 2. cap. 1. quæſt. 18. n. 73.

34. Tertiò, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. vbi merito dubitat, cur iſte homo qui tantum gauiſus eſt ſuper theſauro inuento, non ſtatim in eo temporis momento, quo theſaurum reperit, ſecum affert; ad quid moratur, vt vendat ſua & agrum emat? *Cognouit vtique*, ait, *prudentiſſimus homo inefficacem, atque inutilem, immo periculoſam eſſe theſauri huius ſine agro poſſeſſionem. Quia nec humanitas Chriſti ſine diuinitate, nec diuinitas ſine humanitate in vna, eadêmque perſona legitimè habetur.* Theſaurus, vt dixi quæſt. 1. diuinitatem Chriſti ſignificat; ager vero eius ſacratiſſimam humanitatem, quia non prodeſt, Chriſtum credere verum Deum, niſi & ſimul credamus ipſum verum hominem in vna, eademque perſona. Vel fides Euangelica eſt theſaurus; ager vero Eccleſia ſancta Catholica, & Romana: & fides ac Euangelica doctrina, non prodeſt, niſi ſit in Eccleſia ſancta Romana, extra quam tota doctrina, & fides eſt falſa, & inutilis.

D. Paſchaſ.

*Neceſſe eſt Chriſtum credere, Deum, & hominem.*

35. Quartò, Theſaurus fides, gratia, Deique amicitia, ob cuius æſtimationem homo cætera paruipendit: qui enim in gratia, ac amicitia Dei eſſe cupit, omnibus rebus Deum præponere debet. Idem enim eſt vendere omnia ac efficaciter apud ſe ſtatuere, potius omnia abiicere, quàm in poſterum Deum in paruo offendere, vt neque præſentia, neque futura, neque ipſam gloriam velit homo niſi ex Dei voluntate. *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, ſuper ſalutem, & ſpeciem dilexi eam.* Sapient. 7. num. 10.

*Diuina fides plus omnibus æſtimanda.*

Sapient. 7.

36. Quintò, Ad theſaurum inuentum obtinendum neceſſarium eſt, vt homo vendat vniuerſa, quæ habet. Cur vnus theſaurus ſimul cum alio non permittitur? Non patitur Dominus, vt noſtri amoris affectus inter regnum cælorum, ac regnum mundi diuidantur. Qui ergo cæleſtia regna vult, totus Deo impleatur nilque vacuum ad terrenos theſauros excipiendos ſibi relinquat.

*Homo non ſit diuiſus ſed totus in Dei obſequio.*

37. Conſecratur Aaron à Moyſe in ſacerdotium, & obſequium Dei, & tunc dicitur Eccleſiaſt. 45. num. 18. *Compleuit Moyſes manus Aaron, & vnxit illas oleo ſancto.* Compleuit manus, hoc eſt repleuit, ſeu impleuit, vt habent Expoſitores Ianſenius, Cornelius, & alij. Cur non ſat eſt, quod manus eius vngerentur; ad quid replentur oleo? cum Aaron conſecratur, ac deſtinatur in miniſterium Dei, eiuſque ſacerdotium, duæ manus eius totæ replentur oleo ſacro, vt nihil in eis vacuum, & inane appareat: tunc enim quis dedicatur Deo, quando ſacra vnctione mandatorum, ac legum ita impletur, vt nihil ſibi vacuum, ac inane relinquat mundi rebus, atque theſauris. D. Ephrem ſerm. de Pœnitentia. *Non locum reliquit vacuum in theſauris legiſlator, vt diſcamus, ſanctos Dei perfectam habere ſanctitatem; non reliquit leuitatem in ſanctis vaſis, vt non habeat quicquam inane, aut quod non aliquid agat; miniſter Dei, ſi leuitatem habeat, aut locum vacuum, non poterit eſſe vas ſanctum.*

Eccleſ. 45.

Ianſen. Cornel.

*Totus ſit Deo deditus Deo, & nil mundo relinquat vacuum.*

D. Ephrem.

38. Mandat Deus Abrahamo in ſolenne ſacrificium: *Sume mihi vaccam, turturem, & columbam.* Gen. 15. num. 9. Cur Deus ait, *Sume mihi?* Et cur non ait etiam, tibi: nam ex filiis, qui naſcebantur, ſiue in hominibus, ſiue in pecoribus, primogeniti Deo conſecrabantur; alij verò parenti, vel domino erant reſeruati. Cur ergo etiam ex illis auibus, non vna aſſumitur à Deo, & altera homini relinquitur? Per illas duas aues Philo lib. *Quis rerum diuinarum hæres.* diuinam, ac humanam ſapientiam interpretatur: ſunt enim iſtæ duæ volucres, & ambæ in altum feruntur. Sapientia diuina ſolitudinem quærit, ad ſolum Deum, cuius eſt poſſeſſio, contemplandum, quæ figuratè turtur dicitur per eamque ſignificatur. Sapientia vero humana in columba exprimitur, quæ gregatim circa hominum habitacula volitat, eorumque ſocietate delectatur. Mandat Deus vt ex his duabus auibus, non aliquam homo ſibi retineat, ſed vt ambæ ei offerantur, ad innuendum quod omnia noſtra ſtudia tam ſapientiæ humanæ, quàm diuinæ (id eſt notitia tam ſuperiorum, quàm inferiorum) in ipſum tendant, ac dirigantur, nihilque homo ſibi reſeruet, ad cogitandum, ac intelligendum de mundanis, ac temporalibus. Citatus Philo. *Qui autem*, ait, *hæc ſumpſerunt, non ſibi ſed Deo dicarunt ſingula, vt ſacra ſeruantes Domino ſuo.* Vide ſupra cap. 21. quæſt. 4. num. 26. tom. 1. cap. 1. quæſt. 51. num. 124. & tom. 2. cap. 17. quæſt. 5. num. 19. & 20. & cap. 20. quæſt. 15. num. 75.

Geneſ. 15.

*Omnis noſtra ſapientia, & cogitatio ſit in Deo, & nihil in mundo.*

Philo.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare homo non conſiderat agrum ad emendum, vt mulier ſapiens Salomonis?*

39. INVENTO theſauro in agro ſtatim feſtinanter cum gaudio pergit homo ad illum emendum; ſicut negotiator, inuenta margarita, ad eam pretio ſibi comparandam. Aliter vero mulier fortis Prouerb. 31. n. 16. *Conſiderauit agrum, & emit illum*; ſeu, vt habet Tigurina, *Conſultat de agro, & emit illum.* Chaldaica. *Cogitauit in conſilio, & accepit agrum* Vatablus, *Contemplatur agrum*, Sicut ergo iſta ſapiens emptrix conſiderat, conſilio cogitat, atque conſultat de emendo agro; cur ergo noſter homo tam feſtinanter ſe habet in hoc negotio, & non conſiderat, nec conſultat de acquirendo ſibi agro?

Prouerb. 31. Tigurin. Chaldaic. Vatabl.

40. Reſpondeo primò, iuxta vulgarem Interpretum intelligentiam ad citatum Prouerbiorum locum, Quod ibi ſermo ſit de temporalibus bonis. Dicitur enim: *Emit agrum, plantauit vineam:* agrum pro cibo, vinea pro potu. At noſter homo agit de theſauro, ſicut & de margarita pretioſa fidei, gratiæ, ac doctrinæ Euangelicæ. Bene ergo in bonorum temporalium emptione mulier fortis conſultat, nam in his rebus, prudentiæ eſt, combinationem facere inter pretium, quod ſoluitur, & rem ipſam, quæ emitur, At Euangelij homo totus erat intentus cæleſtium negotiationi, qua ob eorum notitiam, excellentiam, ac dignitatem nihil immorandum, ac inhærendum, ſed multa diligentia ob illorum acquiſitionem cuncta ſunt contemnenda, & abiicienda. De quo ſtatim dicam.

*Ob cæleſtia omnia temporalia contemnenda.*

41. Secundò, Mulier fortis agrum domeſticis ſuis, *Dedit prædam domeſticis ſuis:* negotiator verò ſibi emebat. Et ſi quando aliquis alteri rem pecuniis comparat, multum debet conſiderare, cum alterius guſtui deſeruiat; non ſic vero, quando ſibi emit, cum ipſe ſuo affectui, ac voluptati ſe accommodet, atque componat. Vnde dixit Caſſiodorus 3. Variar. *Difficile ſeruorum iugum, non iuxta ſuum ſed alterius beneplacitum miniſtrare.*

*Qui alterius voluntati deſeruit, conſideret.*

Caſſiod.



42. Tertiò, eſto dicat quis, iuxta D. Auguſtinum, & alios Patres, quod vterque tam mulier, quàm negotiator de cæleſti agro, cæleſtibuſque theſauris tractabant; mulier ſapiens, ſed ſapientior homo: illa aliquantulum hæſitat, atque conſiderat in emendo agro; at homo, vt ſapientior, abſque aliqua conſultatione, ſine vlla cunctatione ſtatim ad emptionem faciendam volitat. Sit coniectura huic cogitationi: quia illa prima ſub ſpecie mulieris introducitur; hic vero in perſona viri, qui ex ſua conditione ſapientior eſt; ac proinde in tanto negotio expeditior ſe habet. Compone inter ſe caſtiſſimam Suſãnam cum puriſſimo Ioſeph. Vterque ad turpiſſimum adulterij ſcelus ſolicitatur: Suſanna videtur in verbis aliquantulum rem conſiderans; dixit ſenibus: *Anguſtiæ ſunt mihi vndique; quid eligam, ignoro; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Daniel. 13. numer. 22. Prudenter quidem in omnibus ſe habet illuſtriſſima matrona. At purus Ioſeph, cum ad luxuriæ crimen allicitur iniectis manibus ab adultera, nulla morula interpoſita, nulla conſultatione adhibita, rapidiſſimo volatu, *Relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Gen. 39. num. 12.

D. Aug.

*Magna prudentia in rebus cæleſtibus non immorari.*

Dan 13.

Gen. 39.

43. Ait Eccleſiaſtes 2. num. 14. *Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat.* Quis eſt, qui oculos non habeat in capite? Quid ergo mirum dicitur de ſapiente, quod eius oculi ibi reſideant? Quæ ergo diſtinctio ſapientis ab ſtulto? Sapientis oculi, cum ambulet in luce, in ſublimi, ſunt & in capite, vt quæ ſurſum ſunt, quæ cæleſtia, conſideret, deſpectis his, quæ in immò, & in terra verſantur, in quorum obtutu totus occupatur ſtultus in tenebris degens. D. Baſilius homil. 10. in Hexameron. *Cuiuſnam oculi*, ait, *non ſunt in capite? Atqui hic in capite, id eſt, vt ea contemplentur, quæ in ſublimi ſunt: nam qui non ad bona quæ in ſublimi ſunt, ſed quæ in terra reſpectat; is vtique defigit, detrahitque oculos in terram.* In hoc ſenſu pergens D. Nyſſenus homil. 5. in Eccleſiaſt. de Apoſtolo tractans, ait, *Eius enim prudentia, & ſapientia verſabatur in nullo eorum, quorum ſtudio hic tenemur.* Dicit itaque, nos ſtulti propter Chriſtum: *Perinde, ac ſi diceret, nos cæci in iis, quæ pertinent ad hanc, quæ deorſum agitur, vitam, propterea quod ſurſum aſpicimus, & oculos habemus in capite.*

Eccleſiaſt. 2.

*Sapiens in cæleſtia habet defixos oculos.*

D. Baſil.

D. Nyſſen.

44. Prudentiſſimus Ioſeph, qui plenus ſpiritu Dei dicitur Geneſ. 41. num. 38. moriturus iuramento aſtrinxit filios Iſraël dicens: *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Geneſ 50. num. 24. Cur tantus vir non præcipit, transferri corpus ſuum, ſed tantum de oſſibus mentionem facit: corpus enim eius optimis aromatibus conditum à corruptione illæſum ſeruandum erat, & ſic aſportandum, non vero nuda oſſa. Corpus, vt planum eſt, dicit carnem, & oſſa. Caro, vt auctor eſt Philo citandus, vtpotè fluida, & valde mutabilis, temporalia deſignat, quæ citiſſime effluunt. At vero oſſa ob ſui duritiem, & ſoliditatem, vt permanentiora, cæleſtia denotant. Non ergo mirum, quod ſolum de oſſibus, & non de corpore agat; cum enim ſpiritu Dei plenus eſſet, ſolum cæleſtia aſpiciebat, illaque ſolum fixa habebat in mente, ob quorum comparationem omnia temporalia, & quæ carnis erant, deſpiciebat: tantum de duraturis, ac permanentibus, vt in Terram Promiſſionis transferrentur, ſolicitus extabat. Philo lib. de migratione Abrahæ. *Fuit*, ait, *memoratu dignum, diſcreuiſſe illum, quod mortale eſt animæ ab immortali eius parte: & quod ad corporis voluptates, cæteroſque affectus immoderatos pertinet, vt mortalia reliquiſſe in Ægypto: de incorruptibilibus vero ſolicite prouidiſſe, vt cum aſcendentibus in virtutis ciuitates deportarentur, obligatis iureiurando poſteris.* Vide tom. 2. cap. 19 q. 7. num. 36. 37. & 38.

Gen. 41.

Gen. 50.

*Solum de cæleſtibus, non de terrenis cogitãdum.*

Philo.

*Matth.* 13. *n.* 45. Iterum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Viro negotiatori, qui quęrebat margaritas optimas. |
| *S. Chromat. Conci. 1.* | Quærenti bonam margaritam. |
| *Vatablus, Euthymius.* | Quærenti pulchras margaritas. |
| *Arabicus.* | Quęrenti bonam gẽmam. |

### *EXPOSITIO II.*

45. EANDEM excellentiam fidei, Euangelij, vel ipſiuſmet Chriſti in ſuperiori parabola de theſauro inculcatam, nunc alio loquendi modo, vt notat D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. repetit Dominus, vt altius explicet ſententiam ſuam, eamque in auditorum animis magis ingerat, quorum imbecillitati condeſcendens tot modis explanat. *Homini*, viro cuipiam, *negotiatori*, ait Albertus Magnus, id eſt, negans otium, quod eſt multorum malorum cauſa. Vnde ait Caietanus, quod in antecedenti parabola de theſauro excitauerit Dominus ſuos Diſcipulos ad perfectionis ſtudium, in theſauro omnium virtutum inuento ex Dei gratia, nunc verò eos docet, eſſe vigiles, ac ſolicitos ad quærendum, vt inueniant. Sub nomine negotiatoris intelliguntur fideles, vt ait Haymon. Et dicitur negotiator, non in plurali negotiatores, ad indicandam vnionem, quàm inter ſe habent veri fideles. *Bonas Margaritas*, Syriacus habet, *optimas*, id eſt, lapides pretioſos: ponitur tamen, iuxta Carthuſianum, Maldonatum, ac alios genus pro ſpecie. Et ſenſus eſt, quod tanto ſtudio fideles debent ſibi procurare Euangelicam vitam, & doctrinam, quanto negotiator quærit margaritas, & emit vnam ex illis pretioſiſſimam, vt latius explicabo ſequenti verſu.

D. Paſch.

Albert. Mag. Caiet.

Haymon.

Syriac.

Carthuſ. Maldon.

* * *

## QVÆSTIO VII.

*Quare in prima parabola comparatur regnum cælorum theſauro; in hac vero ſecunda homini negotiatori, quærenti margaritas?*

46\. DIFFICVLTAS eſt: In ſuperiori parabola regnum cælorum confertur theſauro, quem inuenit homo; in hac verò ſecunda aſſimilatur homini negotiatori, quærenti margaritas. Dubitabis. In prima comparatur regnum theſauro, & non homini inuenienti; cur etiam in hac ſecunda, non margaritis, ſed homini comparatur? Reſpondeo. Quod idem eſt ſenſus: nam ſicut in ſuperiori regnum cælorum, ſcilicet Eccleſia, vel doctrina Euangelica, cum theſauro abſcondito combinatur, ob cuius poſſeſſionem homo omnia ſua dimittit; ſic & in præſenti margaritæ comparatur. Et eſt ſenſus. Similiter agitur in Eccleſia Chriſti, ac circa ſtudium margaritæ: quando enim homo quærit multas margaritas, inuenta vna pretioſa, ob illam omnia ſua largitur; ſic etiam homo in ſæculo hoc degens, Chriſti fidem, vel eius Eccleſiam inueniens, omnia ſua contemnit, & abiicit. Similis eſt loquendi modus in hoc cap. 13. Matth. num. 24. *Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo*, vt dixi cap. 27. expoſit. 1. n. 2. & 3.

*Explicatur ſenſus verborum.* — Matth. 13.

47\. Secundò Euſebius Gallicanus homil. in natali vnius virginis, ait, quod per hunc negotiatorem, Dominum, & Saluatorem noſtrum intelligere poſſumus; qui inuenta vna pretioſa margarita, per quam ſanctam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, intelligimus, omnia, quæ habuit, vendidit, id eſt ſe ipſum vendi, & occidi permiſit, & emit eam. Sic enim Apoſtolus ait: *Empti enim eſtis pretio magno.*

Euſeb. Gall. *Chriſtus negotiator quærens Eccleſiam.*

48\. Tertiò, in prima parabola non comparatur regnum cælorum homini, qui inuenit theſaurum; ſed in hac ſecunda comparatur homini quærenti bonas margaritas: nam inuenire fœlicitas eſt, ſtudioſè autem quærere, meritum. Regnum verò cælorum meritò, non fœlicitate, comparatur. Aliter res contingit apud mundiales homines, in quibus regnum aſſequitur, non meritò, ſed fortuna. Moriens magnus Alexander. *Vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant enutriti à iuuentute; & diuiſit illis regnum ſuum, cum viueret.* Machab. 1. cap. 1. num. 7. Cur tantus imperator, ingenti bellica virtute, ſapientia, ac prudentia præditus non diſtribuit regnum per ſuos ſtrenuos duces, ac fortiſſimos milites, ſed in pueros ſuos transfert? Regnum mundi, non benemeritis, ſed fortunatis defertur, qui ea ſorte fuerant potiti, vt cum eo eſſent educati. Ait, Chriſtus Dominus. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Pſalm. 21. num. 19. Sic ipſe B. Petro Alexandrino apparens dixit: *Arius, veſtem meam, quæ eſt Eccleſia dilacerauit*; ſuper hanc veſtem aliqui ſortes mittunt. Ait Tullius: *Quid eſt ſors? Eſt talos iacere, in quibus caſus, & fortuna dominatur.* Multi enim iniqui præbendas, ac dignitates Eccleſiaſticas, non meritis, ſed talis, veluti ludo, exponunt, in quibus caſus, & fortuna dominatur.

*Regnum cælorum meritis, non fœlicitate comparatur.* — 1. Machab. 1. — *Temporalia, non merito, ſed velut fortuna dantur.* — Pſalm. 21. — Tullius. — *Præbendæ dantur veluti ludo.*

49\. Quartò, in antecedenti parabola confertur regnum cælorum theſauro, omnium virtutum ſupellectilem denotanti; in hac verò homini ſtudioſè quærenti bonas margaritas: nam diligens, ac ſedulus tanquam vnum regnum appretiatur, ac appenditur. Vel quia vbi diligentia, ac ſolertia inuenitur, ibi omnium virtutum nitor reſplendet.

*Diligentia procreat virtutes.*

50\. Reuertitur filius ille prodigus ad patrem, qui multa eum pietate excipiens: *Dixit autem Pater ad ſeruos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* Luc. 15. num. 22. Cur, bone Deus, huic filio prodigo, qui à te receſſerat, & abierat in regionem longinquam, omniáque ſua, luxurioſè viuendo, cum meretricibus conſumpſerat, mandas dari ſtolam primam? Nonne vides, quod eſt tibi alius filius ſenior, qui nunquam à tua domo diſceſſit, cui omnia tua ſunt parata; cur huic non reſeruas primam ſtolam? Vidit Pater venientem filium cum multa promptitudine, ac diligentia; nam vbi ipſe dixit: *Surgam, ibo ad patrem meum*: ſtatim ſubditur, *ſurgens venit ad patrem*: non fecit conſultationem, vt ait Theophylactus; non moratur, non fecit diuerticula in itinere, ſed celerrimo progreſſu venit, vt notat D. Chryſoſt. homil. 10. in Epiſt. ad Rom. Immò tanta diligentia venit, vt pedum greſſus non ſuſtinuerit, ſed quadam citiſſima cogitatione volat ad patrem, vt ait D. Chryſologus ſerm. 3. *Venit*, ait, *iſte non greſſu pedum, ſed mentis inceſſu.* Et poſt aliqua ſubdit. *Pater hic in ſecundis eſſe non paſſus eſt peccatorem.* Bonus genitor cum vidiſſet eum tam celeriter venientem, vt in ipſius amicitiam rediret, ac veniam impetraret, ſtatim in eo agnouit omnes virtutes, efficaciam in reſolutione, dolorem in contritione, humilitatem in acceſſu, & ideo omnium virtutum ornamentum, primam, & optimam ſtolam mandat ei deferri.

Luc. 15. — *In diligente omnes virtutes reſplendent.* — Theoph. — D. Chryſoſt. — D. Chryſol.

51\. Per ſingulos dies cadebat Manna de cælo. *Colligebant autem ſinguli manè quantum ſufficere poterat ad veſcendum.* Exod. 16. n. 21. Arias: *Collegerunt illud in matutino*, hoc eſt valdè diluculo. Cur ſummo manè colligendum, itaut neceſſe eſſet, citò, ac promptè exurgere, ad illud habendum? Manna reddebat omnium ſaporem; ac proinde omnium virtutum pabulum innuit; hoc autem nullus refici valet, niſi prius diligentia, ac vigilantia præditus inueniatur. Procopius in 24. Numerorum. *Noli negligere*, ait, *aggredere iter, nec eremi ſolitudinem perhorreſcas, habitanti enim in huiuſmodi tabernaculis occurrit Manna cœleſte, & Angelorum panem manducabis; incipe tantùm citò, in concilium veniunt Angeli.* Expende vltima verba: *Incipe tantùm citò.* Si dilationem non interponimus, ſed ad virtutis opus progredimur, ſtatim in noſtrum concilium volitant Angeli, omni nos bono, ac dono cœleſti adiuuaturi. Vide cap. 13. quæſt. 29. num. 178. & tom. 1. lib. 1. cap. 6. quæſt. 7. num. 23. & tom. 2. cap. 22. q. 5. n. 34.

Exod. 16. Arias. — Procop. — *Diligenti deferuntur bona.*

## QVÆSTIO VIII.

*Quare negotiator multas quærit bonas margaritas.*

52\. BONÆ margaritæ, ait Albertus Magnus, dicuntur colore, natura, & effectu. Colore optimæ ſunt margaritæ, quæ habent ſplendorem

Albert. Mag.



veluti argenti, ſeu ita nitent, vt ex luce clara, & perſpicacitate aquæ limpidæ; & eſt ſinceritas nitoris, quem virtus per ſe habet. Natura gignitur in conchiliis rore cæli; & ſunt cogitationes, ac dona cœleſtia à cælo in nos illapſa. Effectus verò eſt, caſtum facere corpus, & corroborare cor. Vel etiam poteſt dici, quod optimæ margaritæ componuntur ex interiori, ſcilicet natura; ex exteriori, ſcilicet colore; ex operibus, id eſt ex effectu. Hæ ſunt bonæ margaritæ.

*Quænam ſint bonæ margaritæ.*

53\. Hic cœleſtis negotiator, non qualeſcumque quærit margaritas, ſed bonas, ſeu *optimas*, vt habet Syriacus. Pro quo ait D. Bernardus in allegoriis Tilmanni relatus. *Quærit ergo bonas margaritas, qui in opere ſalutis ſuæ non eſt contentus inferioribus, ſed ſumma, & excelſa perquirit.* Non inhæreat homo vilibus, & abiectis, ſed optimas quærat margaritas; valdè enim prudentis animi eſt, non minimis, nec mediocribus eſſe contentum, ſed ſemper ad alta, & ſuprema virtutum ſpectare: In negotio enim virtutis nunquam quieſcendum. Vide cap. 15. quæſt. 14. num. 109.

Syriac. D. Bernard. — *Non ima, ſed ſuprema virtutum ſpectanda.*

54\. Secundò inquiro: Cur non vnam, excellentiſſimam, ſed pluraliter multas margaritas quærebat homo? Negotiator iſte Chriſtus Dominus, vt dixi ſuperiori quæſt. ex Euſebio; & non tantum vnam animam, ſed multas quærebat: *Omnes enim vult ſaluos facere*: Non enim ipſe Dominus vult vnum tantum iuſtum valdè præclarum, in quo omnia eius dona cumulentur, ſed potius vult plures, licet non tam valdè magnos, in quibus ipſa dona diſtribuantur.

*Deus multos vult iuſtos.*

55\. Ait Deus Abrahamo: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum.* Geneſ. 15. num. 5. Magis exprimeretur gloria ſeminis Abrahæ, ſi cum Sole compararetur: cur ergo non cum ipſo, ſed cum ſtellis? Decreuit Dominus, vt potius in domo Abrahæ plures eſſent nitentes, vt ſtellæ, quarum lux eſt minor, quam quod eſſet vnus ſolus maiori, ac excellentiori Solis ſplendore effulgens. Vnde ſtellæ tanquam pares nuncupantur. D. Chryſoſtomus. *Promiſſione*, ait, *ac doni magnitudine mentem eius erigit, oſtendendo ſtellarum multitudinem, & promittendo ex eo illis* (ſcilicet ſtellis) *pares futuros.*

Geneſ. 15. — *Deus vult, non vt vnus, ſed vt multi reſplendeant.* — D. Chryſoſt.

56\. Mandat Deus Moyſi, vt Ioſue faciat participem gloriæ ſuæ. *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Num. 27. num. 20. ſeu, vt vertit Chaldæus: *Dabiſque de ſplendore tuo ſuper eo.* Sed cur non datur Ioſue noua gloria, nouuſque ſplendor? ad quid imperatur, quod Moyſes ei partem gloriæ ſuæ conferat? Ne ipſe ſolus eſſet in tanta gloria, ac ſplendore, ſed vt ſecum habeat ſocium Ioſue, cui illius partem communicet, & communicando, gloria Moyſis non minuitur, ſed potius augetur. Vnde ait Caſſiodor. lib. 10. Variarum cap. 21. *Quid enim*, ait, *gratius, quam ſi veſtræ gloriæ videatur charitatis participatione ſociari, vt quia vos abunde fulgetis, nobis libenter de proprio ſplendore impertiamini, cum damnum non eſt lumini, alteri de ſua claritate largiri.*

Numer. 27. Chaldæus. — *Bona ſunt pluribus cõmunicanda.* — Caſſiod.

*Math. 13. n. 46.* Inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

### VERSIONES.

| | |
|---|---|
| *D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 9.* | Simile eſt regnum cælorum negotiatori, qui emit agrum, & inuenit in eo margaritam pretioſam. |
| *Syriacus.* | Cum autem inueniſſet margaritam vnam pretioſſimi pretij, abiit, & vendidit, quæcumque habet, ac ſibi comparat eam. |
| *Græcus.* | Inuenta vna magni pretij. |
| *Arias.* | Inueniens vnam. |
| *Vatablus.* | Vendidit omnia, quæ poſſidebat, & mercatus eſt illam. |

### EXPOSITIO III.

57\. CITATA verſio D. Ambroſij in verſionibus non eſt deſumpta ex aliquo codice Hebraico, vel Græco, ſeu Latino; ſed explicat ſenſum. Sicut & D. Bernardus ſerm. 16. inter paruos, & varios. Verbi gratia homo inueniens theſaurum, emit agrum; in ipſoque theſauro quærit bonas margaritas; inuenta vna pretioſa emit, eam, iterum abrenuntiando omnia ſua, vt ſtatim dicam.

D. Ambr. — D. Bernard.

58\. *Inuenta*, ſeu, vt alij codices habent, cum inueniſſet, *vna pretioſa margarita*, vulgo *Perola* pretioſa, legit Syriac. & Græcus, Magni, ſeu pretioſiſſimi pretij. *Abijt, & vendit omnia, quæ habuit*, pluris faciens vnam ſuper cætera, quæ habebat. Sic & vos, ô mei auditores, ait Chriſtus, qui beatitudinem animæ veſtræ quæritis, vt cæteri homines; cum à vobis inuenta ſit mea fides, meáque doctrina, quæ parat viam ad cælum; ob illius amorem omnia mundi oblectamenta à vobis contemnenda ſunt. Notat Cardinalis Hugo, quod tria facit homo: Abiit, vẽdit, emit. *Abijt* à ſe, & à mundo; vendit, dimittendo à ſe proprios voluntatis affectus; emit abrenuntiando propriam rationem: & tunc Dominus aliam ſuperiorem intelligentiam communicat. Vnde rectè ait Chryſoſtomus ſupra citat. homil. 48. quod qui pro Deo ſua renuntiat, quæſtuoſiſſimam mercaturam facit. Hanc venditionem maximè extollit Euſebius Gallicanus homil. in natali vnius Virginis. *Callidus enim negotiator eſt, qui ex his, quæ diu poſſidere non poteſt, tale aliquid emit, quod nunquam amittere timeat, & in quo vniuerſa poſſideat.*

Syriacus. Græcus. — Hugo. *Tria facit homo.* — D. Chryſoſt. *Temporalibus emenda æterna.* — Euſeb. Gall.

## QVÆSTIO IX.

*Quænam ſint bonæ margaritæ; quæve pretioſa, qua contentus eſt, qui multas quærebat?*

59\. MARGARITÆ, vt Plinius ſcribit lib. 9. cap. 35. *Origo, ſeu genitura concha eſt, haud multum*

Plin.

*Genitura margarita.* *multum oſtreorum conchis differens : has vbi genitales anni ſtimulauerint, ora pandentes, ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, grauidas poſtea ; partumque concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti ; ſi purus effluxerit, candorem concipit ; ſi vero turbidus, & fœtum ſordeſcere, eundemque pallere, cælo minante conceptum, quippe ex eo conſtare, cælique maiorem ſocietatem eſſe, quàm maris.* Varios margaritæ effectus retuli ſuperiori quæſt. ex Alberto Magno.

60. *Chriſtus precioſa margarita.* D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Paulinus. D. Hieron.

Primò. Hæc pretioſa margarita eſt fides Chriſti, eiuſque Euangelica doctrina, ac ipſemet Chriſtus. Ita D. Auguſt. lib. de Quæſt. Euang. quæſt. 13. D. Ambroſius ſerm. 6. D. Paulinus Epiſt. 4. D. Hieronymus in præſenti ait : *Bonæ margaritæ ſunt Lex, & Prophetæ, & notitia veteris Teſtamenti. Vnum autem eſt pretioſiſſimum margaritum, ſcientia Saluatoris, & Sacramentum paſſionis illius, & reſurrectionis arcanum, quod cum inuenerit homo negociator, ſimilis Pauli Apoſtoli, omnia Legis, prophetarumque myſteria, & obſeruationes priſtinas, quaſi purgamenta contemnit, & quiſquilias, vt Chriſtum lucrifaciat.* Idem habet Origenes hic, D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. Bonæ margaritæ erant Lex, & Prophetæ, at cum homo inuenit pretioſiſſimam, ſcilicet Chriſtum Dominum in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei, ſtatim illa antiqua documenta dimittit, vt Chriſtum teneat, ac ſequatur.

Origenes, D. Paſchaſ. *Lex, & Prophetæ bonæ margaritæ ; Chriſtus pretioſa.*

61. Chriſtianus Gramm.

Chriſtianus Grammaticus. *Eccleſia hoc in loco intelligitur regnum, in qua Eccleſia omnes Chriſtiani negociatores eſſe debent, vt quærant margaritas bonas : optimas intelligentias in Lege, & Prophetis. Cum autem inuenerint optimam margaritam Chriſtum Dominum, omnes voluntates huius ſæculi contemnunt, vt Chriſtum lucrifaciant. Talis negociator fuit ille Eunuchus, qui venerat adorare in Ieruſalem.* Actor. 9. num. 27. *Talis Nicodemus, & omnes Apoſtoli huiuſmodi negociatores fuerunt.* Qui bonas intelligentias, bonamque doctrinam tenet, ac ſequitur, in tantum proficit, vt ex Dei dono, ac gratia viam noſtræ ſalutis Chriſtum inueniat, & teneat.

*Ex bonæ Legis intelligẽtia, Chriſtus inuenitur.* Actor. 9.

62. Theophyl.

Theophylactus. *Multæ margaritæ, multorum ſapientium opiniones. Vna autem pretioſa, vna eſt veritas, quæ ſcilicet Chriſtus eſt.* De quo quæſt. ſequenti. At D. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Galphyrorum. *Neceſſarium eſt,* ait, *quæri prius à nobis bonas margaritas, ita enim inueniemus vnam, & pretioſam, nempe Chriſtum. Quænam autem ſint bonæ margaritæ ? Dixerim ſanctos eſſe. Inueſtigandæ itaque ſunt diligenter, quæ de vnoquoque præcipuè veterum dicta, & facta ſunt : videbimus enim in illis altum religionis noſtræ myſterium, hoc eſt Chriſtum.* Bonæ margaritæ ſunt facta, & dicta, hoc eſt opera, & documenta ſanctorum, Eliæ, Ioannis, ac Apoſtolorum, eorumque virtutes, vt ait Dionyſius Carthuſianus. Qui ergo has bonas ſanctorum margaritas quærit, in eorumque ſtudio, ac odore verſatur, hic perueniet ad pretioſiſſimam margaritam Chriſtum Ieſum. Tam ſupereminens eſt Chriſti ſcientia, vt non poſſit vnius imitatione, ſed multorum, omniumque virtutum nixu, ac amplexu acquiri, ac teneri à nobis.

D. Cyr. Alex. *Chriſtus per multarum virtutum amplexum inuenitur.* Carthuſ.

63. Theophyl.

Peroptimè Chriſtus Dominus dicitur margarita, quæ, vt ait Theophylactus, concipitur ex fulgore, ac rore cæli. Sic & Chriſtus Dominus in Virgine conceptus eſt ſuperno fulgore, ac rore, ſcilicet Spiritus ſancti. Secundò Hugo. Margarita in conchis reperitur. Sic Chriſtus in eis, qui clauſo oſtio in cubiculo orant Patrem. Vnde Chriſtus non natus eſt in diuerſorio. Luc. 2. num. 7. Et Dominus antiquitus apparuit in caligine. Exod. 19. num. 9. 20. num. 21. & 24. num. 16. Item dicitur, quod margarita valet contra morbum caducum. Sic Chriſtus contra mortale peccatum. Alias expoſitiones proferamus.

Hugo. *Qui in abſcondito ſũt, Chriſtum inueniunt.* Luc. 2. Exod. 19. 20. 24.

64. *Chriſtus in Euchariſtia pretioſa margarita.*

Secundò. Hæc pretioſiſſima margarita eſt Chriſtus Dominus incluſus in conchis ſpecierum ſacræ Euchariſtiæ. Sicut margarita ex rore cæli, ſic Chriſtus ex efficacia verborum producitur in Sacramento altaris. Et ſicut margarita ex ſui valore ditat habentem cor corroborat, ac corpus caſtum, purumque reddit, vt dixi ex Alberto Magno quæſt. 8. & morbum caducum expellit, vt teſtatur Hugo proximè citatus. Sic Chriſtus in hoc ſacramento hos, & alios effectus mirificè producit. Et rectè dicitur margarita vna, ob vnionem, quam cauſat. De quo multa capite vltimo.

65.

Tertiò. Hæc pretioſiſſima margarita eſt ſacratiſſima Virgo Maria, quæ ex omnibus filiabus hominum electa eſt, vt eſſet Dei Mater. De qua dicitur Eccleſiaſti. 24. num. 11. *In his omnibus,* ſcilicet populis, & nationibus, *requiem quæſiui. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* ſcilicet in ſacratiſſima Virgine Maria, vt explicant Chriſtophorus à Caſtro lib. de Deipara cap. 5. Cornelius ad citatum locum. Eccleſiaſt. Et ſancta Dei Genitrix dicitur margarita valde peculiariter ex ſua Conceptione. Pro quo vide, quod in limine quæſtionis dixi ex Plinio de origine margaritæ. Sic & ſacratiſſima Virgo, non ſub cælo ſordido, pallente, ac minante, ſed benigno, puro, candido, omnem gratiarum cumulum in eam effundente, concepta eſt, vt de ipſa dicatur ſpeculum ſine macula, nullaque in ea inquinamenti inuenta ſit vmbra : ei quippe maior cæli, quàm maris ſocietas ineſt.

Eccleſ. 24. Caſtro Cornelius. *Virgo ſine peccato originali.*

66. Haymon.

Quartò. Hæc margarita, vt ait Haymon in proprio ſermone, interpretatur anima vniuſcuiuſque fidelis. Venit enim cæleſtis negociator de cælo Chriſtus Dominus quærens animas ; inuenta vna fideli, tam pretioſa eſt ei, vt vniuerſa ſua vendat, ſcilicet ſe ipſum, vitamque ſuam det, & tam inæſtimabilis eſt illa vna, acſi omnes ſimul acquiſiuiſſet. D. Bernardus ſerm. 68. in Cantic. *In quo multi audent,* ait, *audet & vnus, quod habet in natura ſimpliciſſima Sponſi diuinitas, quaſi vnum reſpicere multos, & quaſi multos vnum.* De quo quæſt. ſequenti.

*Chriſtus ſic diligit vnã animam, ac omnes.* D. Bernard.

67. D. Auguſt.

Quintò. Charitatem per margaritam interpretatur D. Auguſtinus tract. 5. in Epiſt. Ioan. Homo in Euangelio pro inuenta vna margarita omnia ſua vendidit, & comparauit eam. *Hæc eſt margarita pretioſa Charitas,* ait, *ſine qua nihil tibi prodeſt, quodcumque habueris, quam ſi ſolum habeas, ſufficit tibi.* Quærit homo virtutes ; cum ad charitatem accedit, omnia ſua pro illa obtinenda effundat ; in qua vna omnes alias habet. Sic dicebat 1. Corinth. 13. *Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam ; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Vide ſupra cap. 15. num. 206. & 222.

*Charitas inter omnes virtutes quærenda.* 1. Corint. 13.

68. D. Gregor.

Sextò. D. Gregorius homil. 11. in Euangelia. *Pretioſam margaritam inuenit,* ait, *qui cæleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfectè cognouerit : ea, quæ in terrenis amauerat, libenter*



*Ob amorem cæleſtium terrena contemnenda.*

*benter cuncta derelinquit ; in comparatione eius vileſcunt omnia : inardeſcit in cæleſtibus animus ; nihil in terris libet : deforme conſpicitur, quidquid de terrenæ rei placebat ſpecie : quia ſola pretioſæ margaritæ claritas fulget in mente.* Quod confirmat S. Pater ex Cantic. 8. *Fortis eſt, vt mors dilectio, quia videlicet,* ait, *ſicut mors corpus interimit ; ſic amorem rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit.*

Cantic. 8.

69. *Crux, ac Paſſio Chriſti valde æſtimabilis.*

Septimò, Margarita hæc, Crux, ac Paſſio Chriſti Ieſu. Venit ipſe diuinus negociator quærens bonas margaritas, labores, famen, ac ſitim ; inuenta autem à ſe Cruce, morte, & paſſione, tanquam ſibi pretioſiſſima, ac magni pretij margarita, quæ ſibi maximè complacuit ; pro illa obtinenda, ſua diuina bona, vitam, & ſanguinem profudit, ac corpus ſuum inimicis tradidit, vt hac pretioſa margarita ſuæ mortis ac crucis nos locupletaret honore, ſalute, ac vita æterna. Patrocinatur cogitationi D. Leo ſerm. 3. de Paſſione, cap. 4. *Venerat,* ait, *in hunc mundum diues, atque miſericors negociator cæli & commutatione mirabili inierat commercium ſalutare, noſtra accipiens, & ſua tribuens, pro contumeliis honorem pro doloribus ſalutem, pro morte dans vitam.*

D. Leo.

70.

Duæ celebres miſtiones habentur in ſacra Scriptura. Vna à Deo oblata hominib. altera ab hominib. exhibita ipſi Deo. Primã præbet diuina Sapientia, quæ *ædificauit ſibi domũ, miſcuit vinũ & propoſuit menſam.* Prouerb. 9. n. 2. Secundam præſtiterunt homines Deo, acetum ſcilicet miſtum cum felle. De qua ſcribit Euangeliſta. *Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit : conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ioan. 19. num. 30. Compone inter ſe vtramque miſtionem ; quæ datur à carnificibus Chriſto, ad[illegible] crudelis, amara, & acerba, vt ea deguſtata [illegible] Dominus exhalauerit ; miſtio autem, quæ à Deo datur eſt vinum ſui ſacratiſſimi ſanguinis miſtum rore omnium benedictionum, ac donorum cæleſtium, quod immortalitatem, ac æternam vitam confert. Quomodo ergo meus Ieſus pro tam crudeli poculo nobis tam ſuauiſſimum liquorem confert ? Præ vi amoris tam pretioſa, æſtimabilis, ac grata extitit Chriſto Domino illa dura aceti, & fellis acredo, qua guſtata vitam depoſuit, vt pro illa, veluti anticipata ſolutione præoccupans, nobis reliquerit præclarum calicem ſanguinis ſui, immortalitatem dantem : pro morte vitam præbet ; pro aceto vinum de vite ſui ſacratiſſimi corporis ; pro felle dulciſſimum mel eloquiorum eius, ac omnium cæleſtium donorum. Perbellè D. Athanaſius de Cruce, & paſſione Domini. *Aceti amaritudinem,* ait, *ille euacuauit, vt pro aceto vinum, quod miſcuit, Sapientia nobis potandum daret, & pro felle dulciora melle, & fauo eloquia nobis elargiretur & pro eo, quod noſtra guſtaſſet, diceret & viciſſim : Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.*

Prouerb. 9. Ioan. 19. *Crux, & mors in multa æſtimatione habentur à Chriſto Domino.* D. Athanaſ.

71. 3. Reg. 4.

De magnifico Salomone ſcribitur : *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia, & diſputauit ſuper lignis à cedro,* &c. 3. Reg. 4. num. 32. Figuram Chriſti Domini gerebat Salomon : ad quid, Spiritu Sancto dictante, tot millia carminum modulatur ? Et ad quid ſtatim ſubiungitur, quod diſputauerit de lignis ? Cur non potius de aſtris, vel animalibus, vel floribus ? ad quid potius de lignis ? Innuitur ibi lignum crucis cuius triumphus, ac gloria tam pretioſa, ac plauſibilis fuit Chriſto Domino, vt tot parabolis, totque poematibus, ac verſibus decantanda venerit. Sic tria millia parabolarum ob tres clauos, qui ſacratiſſimum corpus transfixerunt ; quinque millia carminum ob quinque accepta vulnera. Petrus Damianus lib. 7. Epiſtola 5. *Salomon,* ait, *fuit figura Chriſti & quædam veluti imago. Locutus eſt tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia : vbi præſtò ſubiũgitur, quod diſputauit etiam de lignis. Quæ ſcilicet Redemptori noſtro, non ambigo, cuncta congruere. Cuius etiam carmina quinque millia ſunt, quia quinque ſunt, vulnera dominici corporis, quibus per vniuerſum orbem triumphalis eius victoria prædicatur. Sub eodem numero carmina ſupputantur, ſub quo tenentur & vulnera, per quæ victoria ſingularis laudis æternæ gloriam promeretur.*

*Crucis triumphus celebratur à Chriſto.* Damian.

---

## QVÆSTIO X.

### *Quare margarita inuenta vna dicitur?*

RESPONDET primò, D. Bernardus ſerm. 16. inter paruos, & varios. *Pro vna,* ait, *omnia vendit ; ego vnam hanc nihil aliud, quàm vnitatem arbitror eſſe ; nihil pretioſius quis inueniet vnitate ; non parcat omnibus cæteris propter eam ; ieiuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat vnitatem. Volo autem, vt in ea quoque ſic maneat, non quaſi vnus ex omnibus, ſed quaſi cum omnibus vnus.* Quærens homo bonas margaritas, ob comparandam vnam inuentam, omnia ſua vendit. Rectè autem hæc margarita dicitur vna, vt ab vnitate commendetur, qua nihil pretioſius reperitur, vt etiam vigiliis, orationibus, ac aliis piis operibus ſit præferenda ; & ita in ea radicatus iuſtus exiſtat, vt non ſit quaſi vnus ex cunctis, ac vniuerſis, ſed quaſi vnus, & idem cum omnibus : tantam enim vnitatem debet quis ſeruare cum fratribus. Vide ſupra cap. 28. quæſt. 3. num. 22. & 23. 72. D. Benard.

*Vnitas maximè placet Deo, & omnibus præferenda.*

Secundò, Hæc margarita vna nuncupatur, vt fieret manifeſtum, quod tam ardenti charitate Deus diligit animam vnius iuſti, ac ſi illa vna, & ſola eſſet ; & quod tam paratus eſt omnia ſua vendere, ac dare pro ſingulis, ac pro vniuerſo hominũ genere. Cum ad reſuſcitandũ Lazarum deueniſſet *Ieſus lachrymatus eſt.* Ioan. 11. n. 34. Cum cauſam noſtræ ſalutis ageret ipſe Saluator in Cruce, vt genus humanum ad vitam reuocaret, *Cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt.* Ad Hebræos 5. num. 7. Vt vna ouis reſtituatur in vitam, infiniti valoris pretioſiſſimos fletus fundit, ac pro toto, & vniuerſo grege ? Vt non minoris amoris ſigna non minoriſque pietatis monumenta pro vno, ac pro vniuerſis præbeat, & declaret. Huc aduoco id, quod ait D. Chryſoſtomus ad cap. 2. ad Galat. num. 20. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Sic ait, *Neque enim recuſaturus erat Chriſtus vel ob vnum tantam exhibere diſpenſationem, adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuerſum.* Vide Bernardum ſuperiori quæſtione citatum. 73.

*Deus tam ardenter diligit animã vnius iuſti, ac omnes.* Ioan. 11. Hebræor. 5. D. Chryſoſt.

Tertiò, Hæc margarita genus humanum ſignificat : Quomodo ergo tanta hominum multitudo vnum dicitur ? Tanta enim charitate vniuerſos homines Chriſtus diligit, ac ſi vnum tantum 74.

*Amor vnitus fortior.*

tum diligat. Quo magis exprimitur efficacia huius diuini amoris: Vnitus enim amor, ac in vnum redactus, fortior eſt, ac vehementior. Bonus Paſtor *Dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam.* Luc. 15. n. 4. Et inuentam imponit in humeros ſuos, & ducit ad gregem. Nonaginta nouem oues in montibus relictæ Angeli ſunt; ouis verò deperdita, & quæſita, genus humanum. Vnde perbellè de tanti amoris vi ait Tertullianus lib. de Pœnitentia c. 8. *Errat & vna Paſtoris ouicula, ait, ſed grex vna charior non erat; vna illa requiritur, pro omnibus deſideratur, & tandem inuenitur, & humeris Paſtoris ipſius refertur.* Vna paupercula ouicula aberrans, natura multo inferior Angelis *præ omnibus deſideratur.* Amor erga Angelos diuiſus erat in nonaginta nouem: amor vero in genus humanum totus coadunatus, ac colligatus in vnum, in vnamque ouem: amor autem vnitus multò vehementior, ac fortior. Non ergo mirum, quod vna ouis, *præ omnibus deſideretur.* Luc. 10. num.... ait Ieſus: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit.* Marthæ affectus in multa erat diſperſus; Mariæ verò, vtpotè perfectior, in vnum tantum, ſcilicet Ieſum, erat intentus, & ordinatus.

Luc. 15. Tertullian. Luc. 10.

75\. *Vnus iuſtus æſtimatur à Deo, ac multi eſſent.*

Quartò. Vna nuncupatur, ab ipſo enim fuerat inuenta. In tanto pretio, ac æſtimatione ſunt ei, quos ipſe reperit, vt quamuis multi non conſiſtant, ita ab eo appendantur, ac ſi multi exiſtant. Ait Deus Moyſi: *Ingredieris tu, & ſeniores Iſrael ad regem Ægypti.* Exod. 3. num. 18. Et tamen poſtea. *Ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron ad Pharaonem.* Exod. 5. num. 1. Et vbi ſunt ſeniores Iſrael, qui deſignati erant à Deo in ſocios Moyſi? Caietanus. *Locus ſeniorum ſubrogatus eſt Aaron ad legationem.* Moyſes diſcedens ab eloquio Dei inuenit Aaronem fratrem ſuum; & vnus, ac talis ſanctus ſocius multis ſenioribus æquatur, & pro multis illi erat gratus, & iucundus.

Exod. 3. Exod. 5. Caietanus.

76\. *Veritas vna.*

Quintò. Hæc margarita eſt fides catholica, ac doctrina Euangelica, vt iuxta communem ſententiam dixi ſuperiori quæſt. in 1. ſolutione. Meritò ergo hæc pretioſiſſima margarita vna dicitur; nam vt ait Chryſoſtomus: homil. 48. *Vna quippe veritas eſt, nec in multas ſcinditur partes.* In ſacra doctrina multi lapides pretioſi, multæque propoſitiones habentur, ordine tamen ita conſono, ac cohærenti, inter ſe, vt in omnibus vna ſit veritas, ac eloquiorum facies.

D. Chryſoſt.

77\. Prouerb. 12. Lyranus. *Veritas vno ore loquitur.*

Ait Sapiens Prouerb. 12. num. 19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Rectè ponderat Lyranus, non dici labia in plurali, ſed labium in ſingulari, quia, ait ipſe, *Veritas non variatur de vno in aliud,* ſed ſemper firma ſtat, vno, eodemque ore, ac lingua loquitur, quod certum veritatis eſt argumentum; ſic varietas, ac mutabilitas mendacij indicium. Vnde citata Prouerbiorum verba vertit Tigurina: *Verax labium firmum eſt ſemper: mendax verò lingua in momento variat.*

Tigurina.

78\. Videns Petrus Chriſtum Dominum in ſuæ transfigurationis gloria in monte, ait: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.* Matth. 17. num. 4. Et ſtatim de ignorantia notatur, quod hæc dixiſſet. *Neſciens, quid diceret.* Luc. 9. num. 33. Sed in quo extitit eius ignorantia? quod ſcilicet voluit ſeparare in tabernaculis Euangelium à Lege, & Prophetis, cum in illis vna, & eadem ſit veritas. D. Anſelmus ad citatum locum Matth. *In eo, ait, quod tria tabernacula facere tribus quæſiuit, neſciebat, quid diceret, cum vnum ſit tabernaculum Euangelij, in quo Lex, & Prophetæ morantur.* Quod antea docuit D. Hieronymus ad citatum cap. 17. Matth. *Erras, ait, Petre, & neſcis, quid dicas: noli tria tabernacula quærere, cum vnum ſit tabernaculum, Euangelij, in quo Lex, & Prophetæ recapitulanda ſunt.*

Matth. 17. Luc. 9. *Euangelium cum Lege, ac Prophetis cohæret.* D. Anſelm. D. Hieron.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare margarita inuenta pretioſa nuncupatur?*

79\. Mendoça.

RELICTIS variis modis, quibus pretioſum ſumi poteſt; de quo diſſerit, & doctè P. Franciſcus de Mendoça tom. 2. in libros Reg. ad cap. 3. verſ. 1. à num. 42. quæ hic ad noſtrum inſtitutum non veniunt. Margarita hæc dici poteſt pretioſa. Primò, vt ait Albertus Magnus, quia ſuperat, & excedit omne pretium, *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrium.* Iob. 28. num. 17. Secundò ait Chryſoſtomus homil. 48. Quia, qui doctrinam Euangelicam amplectuntur, *Opulentos ſe eſſe non ignorant, quamuis infideles, theſauri vim non cognoſcentes, fidelium opes contemnant.* Nam, vt ait Theophylactus, *Sicut ſæpe margaritam tenens in manu, ipſe ſcit, quantas habeat diuitias; alij autem ignorant: ita & Prædicatio,* &c. Dicitur autem margarita pretioſa, id eſt magni, ac inæſtimabilis pretij, vt dixi in expoſitione. Senſum moralem perſcrutemur.

Albert. mag. Iob. 28. D. Chryſoſt. Theophyl.

80\. *In via cæli maiora inueniuntur, quã homo deſiderat.*

Primò, [illegible]gociator iſte, eſt fidelis homo, & quærebat [illegible] margaritas, *Inuenta autem vna pretioſa:* b[illegible] quærebat; tamen præclariorem, & excellentiorem reperit margaritam. Qui enim in via cæli, ac ſalutis degit, & occupatur, multo plura, ac maiora habet, quàm intendebat, ac deſiderabat. Cum Moyſes *minaſſet gregem ad interiora deſerti, apparuit ei Dominus in flamma ignis.* Exod. 3. num. 1. Cur modo tanta viſione, tantiſque donis, ac fauoribus dignatus eſt Moyſes, & non antea? D. Laurentius Iuſtinianus lib. de vita ſolitaria cap. 18. Vt altius Deum contemplaretur, dum in hac via tendit, non tantum bonam quietem inuenit, ſed pretioſiſſimam margaritam, Dei viſionem, ac ſermonem; libertatem ſui populi, ac ducatum. D. Baſilius Seleucus Orat. 9. *Agenti inter pecora, ait, Deus obijcitur, & inuiſæ viſionis præmium pro ſuſceptis religionis cauſa condonat.*

Exod. 3. D. Laur. Iuſt. D. Seleucus.

81\. Secundò. Hæc margarita genus humanum eſt, vt etiam dixi quæſt. 9. ſed quomodo pretioſa margarita? nam licet valde fœdatum, ac coinquinatum à Chriſto ſit inuentum; tamen in tanta illi æſtimatione eſt homo, qui ad ipſum gratia ſua ita venit, vt ſit ei tanquam lapis pretioſus. Pro quo conſule ſuperiorem quæſtionem. Tertiò. Anima hominis, quamuis tantis deformata peccatis, tamen plurimi ſtetit filio Dei, eamque ſuo ſacratiſſimo ſanguine ſibi acquiſiuit: id autem, quod multi ſtetit, in magni æſtimatione appenditur, ac habetur. Inter cæteras ſuas vxores Dauid maximè diligebat Michol 1. Reg. 18. num. 20. vt eſt ibi communis Interpretum vox; & tamen ipſa erat ſterilis, & non natus eſt ex ea filius vſque in diem mortis ſuæ. 2. Reg. 6. num. 23. & tamen filij maximè ſolent amorem inter coniuges reconciliare: cum ergo eos non haberet, vnde tam grata? Eam, ait Dauid, *deſpondi mihi centum præputijs Philiſthinorum.*

*Quod multi ſtetit, in magni æſtimatione eſt.* 1. Reg. 18. 2. Reg. 6.



82\. *Chriſtus cooperit defectus noſtros.*

Quartò, diuinum ingenium eſt, non alicuius defectus aperire, ſed cooperire; non aliquem iniuria afficere, ſed potiùs omnes condecorare. Per peccatum à ſuo fulgore, ac honore prolapſus homo inuentus eſt à Deo; & tamen adhuc ab eo non deuenuſtatur, ſed potiùs nobilitatur, margaritam pretioſam eum dicit. In vltima cœna ait Chriſtus ſuis diſcipulis. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Matth. 26. num. 28. Lucas habet 22. num. 20. *Qui pro vobis.* Sic Eccleſia dicit, *Qui pro vobis, & pro multis.* Sacratiſſimus Chriſti ſanguis pro omnibus effuſus eſt; cur ergo non ſic verbis profertur? Si diceretur, pro omnibus, valdè apertè infinitus valor tanti ſanguinis exprimebatur, qui abundantiſſimus erat pro omnium redemptione: tamen inde maxime graue crimen, ac ignominia reproborum pateficeret, quod fructu tanti ſanguinis ſe omnino indignos ſua malitia reddiderunt. Dicatur ergo *pro vobis, & pro multis.* Electis, ſcilicet ex Iudæis, & Gentilibus, vt explicat D. Thomas 3. part. quæſt. 78. art. 3. ad 8. & alij apud Barradas tom. 4. lib. 3. cap. 5. Vt prædeſtinati, qui in fontibus Saluatoris ſe dealbauerunt, condecorarentur. Non autem dicatur pro omnibus, ne reprobi, ſua indignitate tantùm fructum contemnentes, apertè, ac clarè deturpentur, ac ignominia afficiantur.

Matth. 26. Luc. 22. *Cur ſanguis in Sacramento non dicitur pro omnibus effuſus.* D. Thom. Barradas.

83\. *Deus conijcit oculos ad bonitatẽ, quam aliquando habuimus.*

Quintò, quamuis natura tunc ſuo peccato eſſet valdè abiecta, tamen pretioſa margarita vocatur; talis enim aliquando extitit, quando ſcilicet iuſtitia originali fulgebat. Diuina autem maieſtas, ſi de præſenti in nobis aliquid boni non apparet, oculos coniicit ad decorem, quo antea inſigniti reſplenduimus. Cum auaro ſepulto in inferno loquens Abrahamus ait illi: *Recordare, fili, quia recepiſti bona in vita tua.* Luc. 16. n. 25. Quomodo Patriarcha hominem in gehenna demerſum, filium nuncupat, vbi illius filiationis capax non erat; nam Abrahamus dicitur fidelium pater. Pater fidei noſtræ Abraham. Euthymius. *Hunc nominat filium, ait, vtpotè patriarcha, ſeu progenitor illius.* Cum ergo ille auarus fuiſſet aliquando filius, hocque glorioſum nomen obtinuiſſet, taliter eum vocat ob præteritam dignitatem, cum in præſenti nil boni in eo perluceret. Vide ſuprà cap. 15. num. 32.

Luc. 16. Euthym.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare pro theſauro comparando homo gaudens vendit omnia ſua: non ſic verò gaudens pro margarita?*

84\. *Ratio difficultatis.*

INVENTO theſauro in agro, præ gaudio illius vendit homo omnia ſua, vt illum emat; non ſic verò gaudens deſcribitur pro comparanda margarita. Cur ergo non eadem vtrobique animi lætitia, ac exultatio enarratur in homine?

85\. Reſpondetur primò. Quod inuenta magis delectant, quàm diu quæſita, ac comparata: nam theſaurum inuenit; margaritam verò quæſiuit. Secundò, ſubitò, ac præter ſpem inueniens theſaurum gaudio dicitur perfuſus, vt fiat manifeſtum, quod talis theſaurus non fuit ei moleſtus, ſed maximè gratus, & plauſibilis. At negotiator quærens pretioſos lapides, non ſic gaudens introducitur, quia, cum ipſe magno illos ſtudio quæreret, planum eſt, quod inuenta vna pretioſa margarita, maximè exultauerit, ac lætatus ſit.

*Inuenta maximè delectant.*

86\. *Ingens gaudium non poteſt exprimi verbis.*

Tertiò, lætitia, quam homo percepit ex theſauro inuento, verbis exprimi valet: *Præ gaudio illius:* at hilaritatem, qua repletus eſt, ex tanta pretioſa margarita reperta, nulla ſunt æquiualentia verba, quæ ſignificare poſſint. Cum egreſſis à Ieruſalem magis ſua ſtella, ducatum præbens, apparuiſſet, ait D. Matth. 2. num. 10. *Videntes ſtellam magi gauiſi ſunt gaudio magno valdè.* Et tamen intrantes domum, cum inueniſſent, puerum Ieſum cum Maria Matre eius, non exprimitur in textu, quod eſſent gauiſi, cum ſine dubio multo maiori lætitia, tunc, quàm antea videntes ſtellam, recreati ſint. Cur ergo hoc non deſcribitur gaudium? Illud, quo ex ſyderis intuitu ſunt affecti, humano eloquio ſignificatur: quale verò ex aſpectu Ieſu participauerint, nulla ad hoc declarandum noſtra ſufficiunt verba; ideoque tunc animi exultatio ſilentio inuoluitur, & legentium conſiderationi remittitur.

Matth. 2.

87\. *Suauitates deſumptæ ex ſacra Euchariſtia nequeunt explicari.*

Quartò, theſaurus cœleſtia dona ſignificat: margarita verò Chriſtum Dominum in conchis ſpecierum ſacræ Euchariſtiæ incluſum, vt dixi ſuprà quæſt. 9. Gaudia theſauri exprimuntur; non verò margaritæ: nam oblectamenta, ac ſuauitates, quæ ex cœleſtibus donis gratiæ, ac beatitudinis participamus, eloquio noſtro denotari valent; non ſic verò exultationes, ac delectamenta, quæ ex ſacra Euchariſtia deguſtamus; hæc enim, omnem noſtrum captum, ac eloquium maximè ſuperant. De ſacratiſſimo Chriſti ſanguinis poculo ait Regius Vates, iuxta communem Patrum, & Eccleſiæ ſenſum. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Pſalm. 22. num. 5. Dicitur inebrians, vt explicat ibi D. Auguſtinus, *Poculum tuum obliuionem præſtans.* Sumitur metaphora à vulgari hominum ebrietate, in qua omnia elabuntur è memoria hominis; ſic ob delectamentum ſacræ Euchariſtiæ omnia terrena è mente decidunt. Idem tamen Regius Vates, pertractans de ſuauitate cœleſtium donorum, ac beatitudinis Patriæ, ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſalm. 35. num. 9. Seu, vt legit Hebraicus: *torrente delectationis tuæ:* Cur in ſacra Euchariſtia ſolùm exprimitur noſtræ mentis obliuio: *Calix inebrians:* non verò voluptates, ac delectationes inde deguſtandæ, vt in cœleſti beatitudine? Etſi dulcedo beatitudinis dici queat; non ſic verò ſuauitatum immenſitas, quæ in ſacra menſa hauritur, in cuius magnitudine omnis noſtra lingua deficit, & humanum eloquium obſtupeſcit. Philippus Abbas lib. de Sil. Cleri. cap. 19. *Eccleſia, ait, habet epulum, cuius eſca Deus eſt, in cuiuſque contemplatione lingua mea adhæret faucibus meis.* De quo cap. vltimo.

Pſalm. 22. Pſalm. 35. Hebraic. Philip. Abb.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare homo inuentum theſaurum abſcondit: non ſic verò pretioſam margaritam?*

88. *Qui ſcit theſaurum eſſe in agro, hunc emere poteſt.*

RESPONDEO ad quæſtionem. Quod homo inuenit theſaurum in agro non ſuo, ideo illum, antequam effodiat, abſcondit, donec agrum emat, quo empto acquirat & theſauri dominium, illum enim effodiciam è re ſua: nam emptor iſte non tenetur, venditori theſaurum, latentem in fundo ipſius, indicare, ne ob id pretium fundi augeat. l. Auctore, ff. *De rei venditione.* Nam homo ſciens theſaurum abſconditum poteſt vti ſua ſcientia ad ſuum commodum, emendo agrum tanti, quanti valet, ſecundum communem æſtimationem, ac id, quod in agro apparet, ad quod nihil facit theſaurus abſconditus, & incognitus. Vt docent D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 5. Molina tom. 1. diſput. 56. §. quod ſi theſaur. Rebellus lib. 9. quæſt. 5. Soto 5. de iuſtit. quæſt. 3. art. 3. Azor. 3. part. lib. 8. cap. 24. Nauarr. cap. 17. num. 175. & alij. At hoc non militat in negotiatore margaritarum, qui vnam pretioſam inuentam venditis omnibus comparat.

D. Thom. Molin. Rebell. Soto. Azor. Nauar.

89. *Quæ meritis comparãtur, libera liuore ſunt.*

Secundò, theſaurus fuit inuentus; margarita verò conquæſita. Theſaurus autem honoris, auctoritatis, ac bonorum, qui intima familiaritate, interceſſione, ſeu, vt dicitur, bona fortuna, fuit comparatus, multò diſcrimini eſt expoſitus. At verò ille, qui propriis meritis, labore, ac induſtria comparatur, ipſiſmet meritis eſt munitus, ac cuſtoditus, nullóque alio tutamine indiget. Theſaurus, fœlicitate inuentus, abſconditur; margarita proprio labore conquæſita, minimè. Indutus Ioſeph à patre tunica polymita, inuidetur à fratribus. Geneſ. 37. num. 3. Adorántque ipſi eundem Ioſephum, Ægyptum gubernantem, regalíque purpura indutum. Geneſ. 45. n. 5. Et minimè erga illum liuore ſtimulantur; imò potiùs pro tam fœlici ſucceſſu ei gratulantur, vt auctores ſunt Abulenſis, Pereira, & alij. Cur pro vna veſte tam crudelis excitatur inuidia; & pro tantis bonis gratulatio? Tunica polymita ex indulgentia patris videbatur conceſſa: *Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos; fecítque ei tunicam polymitam.* Geneſ. 37. num. 3. At induitur veſte regia, clauumque Ægypti tenet ob ſuam inſignem, & ſingularem ſapientiam. De ipſo ait Pharao: *Qui ſpiritu Dei plenus ſit.* Geneſ. 41. num. 38. Dignitas ex beneuolentia conceſſa inuidiam excitat; ex meritis autem prudentiæ, ac ſapientiæ, comparat venerationem, ac gratulationem parit, atque producit.

Geneſ. 37. Geneſ. 45. Abulenſ. Pereira. Geneſ. 37. Geneſ. 41.

90. *Plus præualet diligẽtia, quam bona fortuna.*

Tertiò, in præſenti textu extat homo benefortunatus; & homo diligens. Benefortunatus inuenit theſaurum; diligens verò quæſiuit bonas margaritas, vnámque pretioſam reperit. Sed benefortunatus theſaurum occultauit: *Quem cum inuenit homo, abſcondit.* At verò diligens minimè magni pretij lapidem celauit. Plus enim ſua diligentia ſibi comparauit ſedulus, quàm fœlix ſua bona fortuna, ac proſperitate.

91. Geneſ. 38.

Grauida erat Thamar duobus filiis Phares, & Zaran. *Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior: illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter.* Geneſ. 38. n. 27. Zaran emittit manum, & illam retrahit, vt Phares præbeat locum, vtque ille prior prodeat in lucem. Rectè ait D. Paſchaſ. lib. 7. in Matth. *Vincit pigritiam diligentia.* In Zaran relucebat bona fortuna; in Phares autem reſplendet diligentia, qua citiùs ad locum partus conuolauit: proſperitatem Zaran ſuperat ſedulitas fratris, vt primas præripiat, citiùs exeat, ac vt primogenituræ prærogatiua nobilitetur.

D. Paſchaſ. *Diligentia vincit pigritiam.*

In Euangelio habemus decem Virgines, *Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Matthæus 25. num. 2. In fatuis viſitur ſublimitas, quod eſſent virgines, & ſponſæ, vt notant D. Chryſoſt. homil. 79. & D. Gregor. homil. 12. in Euang. At in prudentibus præter has excellentias fulget diligentia. De eis ſic ait D. Hieron. *Sunt, quæ feſtinant ad cœleſtia.* Prudentes introierunt ad nuptias, à quibus fatuæ ſunt excluſæ. Plus enim in ſapientibus præualuit diligentia, quàm in fatuis bona earum fortuna. Quamuis enim bona fortuna multas comparet fœlicitates; tamen multo plura, ac cum maiori certitudine negotiatur ſedulitas. 92.

Matth. 25. D. Chryſoſt. D. Gregor. D. Hieron. *Præferuntur prudentes ſedula.*

*Matth. 13. n. 47.* Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.

## *VERSIONES.*

*Vatablus, Euthymius.* Rurſum ſimile eſt regnum cælorum verriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti.

*Arabicus.* Simile eſt reti miſſæ in mare.

*Syriacus.* Sagenæ iactæ in mare, & ex omni genere colligenti.

## *EXPOSITIO IV.*

IN duobus antecedentibus parabolis, de theſauro, & margarita, inculcat Dominus dignitatem, & excellentiam Euangelij, & Eccleſiæ. In hac tertia verò illius vniuerſalitatem, quod ſcilicet omne hominum genus ex quacumque natione complectatur. *Simile eſt regnum cælorum.* Eccleſia nempè militans, nam cœleſtis non habet malos, qui foras mittantur. Sagenæ comparatur, eo quod multos in ſe contineat. Vel eſt doctrina, ſeu prædicatio Euangelica, quæ in Eccleſia prædicatur; & bene, vt ait Abulenſis quæſtione 68. aſſimilatur ſagenæ; nam hæc ex multis filis ſibi intextis contexitur, ſic prædicatio ex teſtimoniis vtriuſque teſtamẽti. *Sagenæ miſſæ in mare.* Sagena vox eſt Græca, & genus retis ſignificat, quod Latinè dicitur verriculum à verrenda aqua, vel mari; magnámque piſcium multitudinem capit. *Traxit illud in ſagena ſua.* Habac. 1. num. 15. *Ex omni genere piſcium congreganti:* tam bonos, quàm malos ſcilicet capit: ſicque prædicatio Euangelica ad omnes ſe extendit; ad Eccleſiámque omnes veniunt; boni, vt tranſeant in gloriam; mali, vt mittantur in caminum ignis. De quo infrà.

93. *Sagena Eccleſia militans.* Abulen. Habac. 1.



## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſti prædicatio, ſeu eius Eccleſia cum ſagena miſſa in mare comparatur?*

94. FINEM, & intentionem, quam Dominus habuit in hac parabola, inquirimus. Primò, docet Dominus hac ſimilitudine, non omnes homines ingreſſuros eſſe Eccleſiam; nec omnes prædicationem recepturos. Sicut non omnes piſces, qui per mare pernatant, in ſagenam intrant. Extra Eccleſiam ſunt Mauri, Iudæi, & Ethnici: *Non omnium eſt fides:* ait Paulus 2. Theſſalonicenſ. 3. num. 2. Secundò ſignificatur per parabolam, in Eccleſia bonos malis eſſe permixtos; hancque permixtionem vſque ad iudicium, quod per littus denotatur, eſſe permanſuram, vt iam ſuprà dictum eſt in parabola de zizaniis, vt docent D. Chryſologus ſerm. 47. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. D. Gregorius homil. 11. in Euang. Haymo in præſenti, & ait: *Boni ſoli nunquam ſunt, niſi in cælo; mali autem nuſquam ſoli ſunt, niſi in inferno. Eccleſia autem, quæ in medio conſiſtit, vtriuſque partis ciues recipit.*

2. Theſſal. 3. *Boni malis permixti.* D. Chryſol. D. Paſchaſ. D. Gregor. Haymo.

95. *Fides ſine operibus non ſufficit.*

Tertiò docet parabola, quod ad ſalutem fides ſine operibus non ſufficit. Intra ſagenam multi erant piſces; & tamen ibi mali inuenti ſunt, vnde foras proiiciuntur. Sic intra Eccleſiam multi reſident; & cum intra illam ſint, fidem habent; cum tamen operum bonitate careant, mali repeˆriuntur; vnde foras, ac in caminum ignis ſunt proiecti. D. Chryſoſtomus homil. 48. *Iſti*, ait, *malè viuendo pereunt, & cæteris ſunt inferiores: quia veritatem quidem nouerunt, & in verriculum piſcatorum inciderunt; & tamen malè viuendo perierunt.* Idem docent Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, & alij.

D. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Albert. Mag.

96. D. Paſchaſ.

Quartò D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Trahitur*, ait, *hæc ſagena duobus connexa funibus per medium hoc mare, à ſummo vſque deorſum extenſa, ſurſum ſiquidem ſpe ſuper omnes fluctus ſæculi vehementer erecta, & firmata; deorſum verò vſque ad ima timore diuini iudicij demerſa.* Rectè prædicatio Euangelica ſagenæ in mare miſſæ aſſimilatur, vt per cœleſtia documenta homines à peccatorum mari extrahat. In ſagena duo ſunt funes; vnus inferius, & quaſi per ima raptans; alter verò ſuperius, & ſupernatans: his duobus finibus gubernata ſagena piſces capit, & trahit ad littus. Funis, qui per ima trahitur, æternæ pœnæ metum innuit: qui verò per ſublime verſatur, ſpem ſupernorum bonorum indicat. Timore ergo gehennæ, ac ſpe cœleſtis patriæ Euangelica doctrina homines capit, & trahit ad virtutes ſectandas. Vide ſuprà cap. 9. num. 94. & cap. 15. n. 67.

*Spe, ac timore homines trahuntur in cælum.*

97. D. Gregor. Pſalm. 64.

Quintò D. Gregorius homil. 11. in Euang. *Eccleſia*, ait, *ex omni genere piſcium congregat, quia ad peccatorum veniam ſapientes, & fatuos; liberos, & ſeruos; diuites, & pauperes; fortes, & infirmos vocat. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: Ad te omnis caro veniet.* Pſalm. 64. Inſtruimur hac parabola, nullam hominum nationem eſſe contemnendam; ſed omnes ad ſalutem inuitandi, ac vocandi ſunt, ſiue Græci, ſiue Latini, ſiue Iudæi. Sic dicebat Paulus Rom. 1. num. 14. *Græcis, ac Barbaris; ſapientibus, & inſipientibus, debitor ſum.*

*Omnes vocandi.* Rom. 1.

Sextò Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 204. *Quemadmodum*, ait, *ſagena, quæ in mare proijcitur, varia piſcium genera concludit; eodemmodo ſempiternum Chriſti regnum ex omnium hominum nationibus multitudinem excipiens pro fidei ratione ſalutem cuique conſtituit: non generis auctoritati, non dignitatis amplitudini, non ſacerdotio, non regno, hac appellatione indigno, delicias tribuens; verum moribus, ac vitæ, quæ ad puritatem propenſa fuerit, atque ad veriorum piſcatorum prædam ſe contulerit.* Sagena hæc Eccleſiæ ad omnes ſe extendit, omnéſque complectitur; tamen abſque aliquo reſpectu generis, auctoritatis, aut dignitatis regni, ſeu ſacerdotij; ſolùm meritorum conſideratione habita, boni eliguntur in vaſa cœleſtia; mali autem foras in infernum proiiciuntur æternum. 98.

Peluſiot. *In ſagena eliguntur homines per merita ſine reſpectu ad dignitates.*

Septimò dubitat Cardinalis Caietanus: Quomodo Eccleſia comparatur ſagenæ; piſcéſque Chriſtianis, vt infrà dicam: nam piſces in reti exiſtunt violentia quadam coacti, & conſtricti; in Eccleſia autem Catholici voluntariè reſident. Reſpondet ſapientiſſimus Cardinalis. *Eccleſia malos habet mixtos bonis, tanquam captos ſimul cum bonis, hoc eſt inuoluntarios, & coactos ſe profiteri Chriſtianos. Innumerabilis eſt multitudo hominum, qui Baptiſmo in infantia, aut timore ſuſcepto, tanquam captos ſe retinent Chriſtianos: qui ſi eſſent omnino liberi, etiam quoad famam, & honorem, &c. non expectarent exituros Angelos ad ſeparandum eos à iuſtis, ſed à ſagena exirent.* Mali Chriſtiani, vt conſulant ſuo commodo, honori, ac famæ, tanquam piſces in ſagena, coacti detinentur in Eccleſia Chriſti; à qua non exeunt, ne iacturam faciant in nomine, & auctoritate, ſed pro eorum conſeruatione ſe dicunt Chriſtianos. O peſtiferum hominum genus, qui ad tantam miſeriam deuenti ſunt, vt apud eos plus præualeat temporalis auctoritas honoris, ac famæ, quàm amor, & obligatio erga Chriſtum, curáque propriæ ſalutis, quæ ſolùm in Eccleſia ſancta, & Romana Chriſti Ieſu inuenitur, extra quàm totum perditio, ac damnatio eſt. 99.

Caiet. *Aliquando apud homines plus præualent temporalia, quã conſcientia.*

Octauò, aſſimilatur Eccleſia ſagenæ miſſæ in mare, in qua ſunt boni, & mali; iuſti, & peccatores. Pondera tamen, quod in ſagena tandiu fuerunt piſces mali, quandiu ipſa erat aquis cooperta; at verò ibi extracta eſt, & malignitas piſcium cœpit apparere: *ſecus littus ſedentes:* ſtatim diuiſio, ac ſeparatio in eis facta eſt. In bona, & optima republica, mala, & peccata etiam aliquando graſſantur; ſed quandiu occulta, & abſcondita, permittuntur; at verò vbi in publicum exeunt, ac prodeunt, in illa ſtatim ſupplicium, pœnáque infligitur: *Malos autem foras miſerunt.* 100.

*Peccata diſſimulanda, quandiu occulta, ſi publica, caſtiganda.*

De iniquitatis villico ait Chriſtus Dominus apud Luc. 16. n. 1. *Hic diffamatus eſt apud illum*, ſcilicet dominum ſuum, *quaſi diſſipaſſet bona ipſius, & vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ; iam non poteris* 101.

Luc. 16.

*ris villicare.* Valdè mirum, quod Dominus dicat, ſe audiſſe villicum diffamatum, ſeu fama peruentum eſſe ad illum, quod ipſe villicus diſſipaſſet bona illius. Dominus hic loquens eſt ipſe Deus, cuius conſpectui omnia ſunt nuda, & aperta; cur ergo vbi primum vidit hominis crimen, fidelitatem corruptam, ſuorum bonorum diſſipationem, non ſtatim ad pœnam deuenit? Perbellè D. Chryſologus ſerm. 125. *Ergo ille*, ait, *famæ credidit, fama nuntiante cognouit? abſit; ſed quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.* Verum eſt, quod in eodem puncto, in quo villicus crimen perpetrauit, diuinæ præſentiæ notum, ac manifeſtum fuit: at quandiu erga homines occultum, Deo tolerabile, ac diſſimulandum videbatur; vbi autem ſe cœpit propalari, famáque diuulgari inter homines, non vltra prætereundum, ſed ſtatim fuit ad iudicium, caſtigationem, ac pœnam procedendum. Vide ſuprà cap. 12. num. 19.

D. Chryſol.

*Publica peccata punienda.*

*Matth.* 13. *n.* 48. Quæ cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quæ cum eſt impleta, ſubducunt eam ad littora.

*Arias.* Producentes ſuper littus, & ſedentes collegerunt pulchra in receptacula; at vitioſa foras eiecerunt.

*Arabicus.* Collegerunt ſelecta in vaſis ſuis, & mala proiecerunt foras.

*Vatablus.* Collegerunt, quæ bona erant in vaſis ſuis, quæ verò putrida, foras abiecerunt.

### *EXPOSITIO V.*

102. SIMILITVDINE ſagenæ explicat Dominus, id, quod in ſua Eccleſia eueniet: *Quæ cum impleta eſſet.* Cum Eccleſia fidelium multitudine plena extiterit; quod erit, cum mundus terminabitur, vt ait Theophylactus; *educentes*, Græcè *ſubducentes*, & intelliguntur veluti piſcatores; *ſecus*, id eſt iuxta ripam, vt ait Abulenſis. *Quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Pſalm. 1. num. 3. hoc eſt iuxta *littus*, id eſt, vt ait Gloſſa, *finis ſæculi*; ſicut terra terminatur in littore; ſic & vita hominum in fine mundi; *ſedentes*, hoc eſt iudicantes. Et intelligi poſſunt cum Carthuſiano, Abulenſi, Apoſtoli Euangelicæ doctrinæ prædicatores, corúmque ſucceſſores. Vel poſſunt intelligi Angeli, vt inquiunt D. Remigius, Euthymius, & alij: nam, vt ait Hugo, Angeli officio ſibi iniuncto quodammodo iudicabunt; quod per ſedere intelligitur. *Elegerunt bonos in vaſa*, id eſt, electos, ſeu ſelectos, *elegerunt* ad æterna tabernacula. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ait Chriſtus Dominus. Ioan. 14. *malos.* Radix Græca habet putridos, marcidos, fœtentes, *foras miſerunt*, ſeu, vt habet Vatablus *abiecerunt*, quod eſt mittere cum contemptu, *foras* in infernalia receptacula, vt ait D. Thomas.

Theoph. Græcus. Abulenſ. Pſalm. 1. Gloſſa. Carthuſ. Abulenſ. D. Remig. Euthym. Hugo. Ioan. 14. Græcus. Vatablus. D. Thom.

Rectè ex hoc loco D. Auguſtinus contra Do- 103.
natiſtas comprobat, non ſolùm in Eccleſia eſſe probos, ſeu prædeſtinatos, vt aſſerit perperam Caluinus; ſed etiam malos, & reprobos: meliùs eſt enim, vt ait Caietanus, ſic electos ſaluare cum admixtione malorum, quàm nullum malum capere; omnia enim, quæ fiunt in mundo, propter electos fiunt, quibus omnia cooperantur in bonum: tum vt boni exerceantur; tum vt eorum meritum maximè illuceſcat; tum etiam vt eorum tolerantia videatur, qua patienter intra rete ſuſtinent malos, vt ponderat idem Auguſtinus in Pſalm. 40. num. 7. ad illa verba: *Egrediebatur foras.*

D. Auguſt. Caiet. D. Auguſt.

## QVÆSTIO XV.

### *Quare poſt parabolas de theſauro, & margarita introducitur ſagena ab educentibus extracta?*

DVo in parabola ſubintelliguntur; piſces 104.
ſcilicet, quibus ſagena dicitur plena; & piſcatores eam ſcilicet educentes: per piſces homines denotantur; per piſcatores verò prædicatores, ſeu Eccleſiæ prælatos, vt hic docent Abulenſis, quæſt. 68. Caietanus, & alij. De quo plures rationes dedi tom. 2. cap. 8. quæſt. 11.

Abulenſ. Caiet.

Inquirimus in præſenti: Cur Chriſtus Domi- 105.
nus in his parabolis comparat ſuam Eccleſiam militantem (de ea eſt ſermo, vt dixi) modò cum homine theſaurum inueniente; modò cum ipſo margaritam pretioſam reperiente; modò, & in præſenti cum hominibus ſagenam educentibus, & eligentibus bonos in vaſa, & malos foras mittentibus. Quinam ſunt hi homines, in quibus tanta diuerſitas apparet? Hi, vt proximè dixi cum Caietano, & Abulenſi, ſunt Eccleſiæ paſtores, ac prælati: quam optimè tales conferuntur cum hominibus theſaurum, vel margaritam inuenientibus, & etiam ſagenam educentibus, ac diuiſionem tantam inter malos, & bonos conſtituentibus. Vt inde recogitent prælati, ac gubernatores, quod in munere, ac dignitate non ſolùm inuenient theſaurum ad locupletationem, nec ſolùm margaritam ad honorem, & auctoritatem reconciliandam, ſed etiam laborem, & ſudorem in educenda, ac ferenda ſagena; in eaque non pro voluntate, ſed pro iuſtitiæ dictamine ſeparationem faciendam, vt probi, & benemeriti colligantur in vaſa honorifica; mali autem foras mittantur in pœnam, & ſupplicium.

*Dignitas non eſt tam ad honorem, & diuitias, quā potiùs ad laborem.*

Ait Dominus Petro: *Paſce oues meas: Amen* 106.
*dico tibi: Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Ioannis 21. num. 18. In quo duo maximè ponderanda ſunt. Primò, quod quando ei committuntur Chriſti oues, vt eas

Ioan. 21.



paſcat, ſtatim ei declaratur, ac ſignificatur mors, quam ſubiturus eſt. Vt inde cognoſcat, quod oues ei dantur, non ad diuitias, nempe vt earum lanis induatur, vel earum lac mulgeat; ſed ad laborem, & ſudorem, vt inde in mortem incidat. Hugo. *Paſce oues meas*, ait, *Scio, quia paſces, qui animam pro eis pones.* Secundum notandum id, quod dicitur: *Alius cinget te, & ducet, quò tu non vis.* Si Petrus conſtituitur in ſupremo apice, ac vertice Eccleſiæ, à quo cingendus, ac ducendus eſt, à quo non vult? Arabicus, & Syriacus habent: *Et cinget tibi lumbos tuos.* Chriſtus loquebatur hic Petro, & eius ſucceſſoribus, vt notat Toletus annot. 8. Ipſe ergo in tanto culmine cingitur, ac ducitur ab obligatione, ac onere officij, vt ea adimpleat, & præſtet, non quæ naturalis, & ſenſitiuus affectat appetitus, ſed quæ iuxta muneris debitum, rationalis, & ſuperior dictat, atque intendit.

Hugo. Arabicus. Syriacus. Tolet.

*In dignitate, non à voluntate, ſed à iuſtitia ducatur homo.*

107. Alta Dei prouidentia diſponitur, vt Ioſeph tendat in Ægyptum ad totius regni gubernationem, & clauum: fratres *extrahentes eum de ciſterna vendiderunt Iſmaelitis viginti argenteis.* Gen. 37. num. 27. ſi ad dominandum pergit, quomodo vt ſeruus, & captiuus deſcendit? Quid habet dominationis libertas cum ſubiectione ſeruili? Quid regalis purpura cum captiui habitu? Quid regia magnificentia cum humili venditione? Præſignabatur ibi & tanquam in tabula depingebatur, qualis futurus erat dominator terræ, non vt deliciis indulgeret, non vt diuitias compararet, ſed vt regni, ac officij adminiſtrationi ſe, tanquam ſeruus manciparet. Sub regni principatu ſeruitus quædam inuoluitur, ac ſub regali purpura veluti quædam proprij appetitus venditio, latitat, vt illa indutus proprios affectus exuat, & dictamine iuſtitiæ ac rationis totus componatur. Philo lib. de Ioſeph. *Rectè*, ait, *dicitur, vendi hunc hominem, nam qui locum ſuperiorem aſcendit ſicut venalitij, ſeruus fit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris dominis, quoniam non vnus eſt dominus tractantium rempublicam, ſed plures, aliis poſt alios ſuccedentibus*, Quot ſubditos homo habet, tot dominos ſibi vendicat. Vide infra cap. 11. quæſt. 16. num. 113. & lib. 4. cap. 3. quæſt. 55. num. 297. & 298.

Geneſ. 37.

*In regali dignitate inuoluitur ſeruitus.*

Philo.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare ſecus littus boni eliguntur in vaſa; mali autem foras mittuntur?*

108. IN parabola ſeruatur ſimilitudo deſumpta à piſcatoribus: extrahentes enim rete ad ripam, ibi colligunt piſces & ſeparationem inter bonos & malos faciunt: ideo de littore fit mentio. Senſum tamen moralem inquiro.

*Ratio difficultatis.*

109. Et prænotandum, quod piſcatores dicuntur ſedentes ſecus littus; non ingreſſi ſunt in mare, nec aquam pedibus tetigerunt. Aqua res propria piſcium, eorumque alimentum. Cum ergo piſcatores optimos iudices deſignarent, debitum iuſtitiæ munus exequentes, bonos ſcilicet piſces eligentes, malos autem foras mittentes, aquam nec pedibus, nec manibus pertingunt, vt inde documentum fiat iudicibus cunctis, quod vt illæſus ſeruetur iuſtitiæ apex, ne leuiter quidem manu, vel

*Iudex ne tangat, res delinquentium.*



digito delinquentium res pertingant. Ad quæſtionem

Reſpondet Galfridus apud Tilmanum in alle- 110.
goriis. *Sedendum nobis eſt*, ait, *iuxta littus, vt mortis memoriam ante oculos ſtatuentes, confeſſionis remedio mala omnia foras mittamus.* Littus, cum ſit extremitas quædam, ſignificat extremitatem, ac finem vitæ. In cuius conſideratione ſi homo ſedeat, ac detineatur, ſtatim à ſe vitiorum mala abiiciet, ac in ſuæ animæ, ac potentiarum vaſis bona virtutum colliget atque recipiet.

Galfrid.

*Mortis conſideratione homo à peccatis ſe abſtinet.*

Supremus Rex parat nuptiale conuiuium, & 111.
conuocans inuitatos ait illis: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata.* Matth. 22. num. 4. Ad quid in hac menſa fit mentio de tauris, & altilibus occiſis? non ſat erat dicere, paratum eſſe prandium, vt de ſuo more facit ſcriptura? Matthæus fecit conuiuium magnum in domo ſua Chriſto. Luc. 5. num. 27. In domo Petri Dominus manducat Luc. 4. num. 39. In his conuiuiis, quæ Chriſto exhibentur, non explicatur ciborum genus; Cur ergo in illo à Chriſto hominibus præparato dicuntur *tauri, & altilia occiſa?* Sub illa parabola vocabat Deus homines, non ad temporale, ſed ad cæleſte conuiuium æternæ beatitudinis, ad quam vt homines, expeditè currerent, nil aptius eis obiiciendum fuit, quam illorum mortuorum commemoratio, vt hac percepta homines temporalia contemnerent, vitia deponerent, & virtutes amplecterentur. Aymon. *Tauri mei*, ait, *& altilia mea occiſa ſunt: ac ſi diceret: Patrum præcedentium mortes aſpicite, & remedia vitæ veſtræ cogitate.*

Matth. 22. Luc 5. Luc. 4.

*Obiecta morte euitantur mala.*

Aymon.

Antequam Angeli ſubuerterent Sodomam, 112.
prius ab illa educunt Lot, cui præcipiunt: *In montem ſaluum te fac.* Pro ciuitate Segor deprecatur ille, vt ibi maneat; cuius precibus annuunt Angeli. Tamen cum ille videret vrbes incendio deuaſtari: *Aſcendit Lot de Segor, & manſit in monte.* Gen. 19. num. 30. Cur non quieſcit in Segor, quam ipſe poſtulauerat, & verbis angelicis ei erat conceſſa? fides angelica data, ſecurum munimen erat; ad quid contempta ciuitate, ad montem, quem antea noluit, modo conſcendit? Segor locus voluptatis, ac deliciarum erat; & cum Lot vidiſſet alios perire, ac aliorum mortes inſpectaſſet, ſtatim delicias, ac oblectamenta huius vitæ abiecit, ab illiſque exiens ad rigorem ſolitariæ vitæ in montibus, ac veluti ad illius aſperitatem confugit. Ioachimus Abbas lib. 5. Concordiæ noui & veteris teſtamenti. cap. 43. *Sicut prius*, ait, *Angeli præceperant, aſcendit in montem Lot; quia quod modo homines durum putant attendentes delicias Sodomæ, & Gomorrhæ, quibus nutriti ſunt, & abhorentes aſperitates montium, vbi deſunt deliciæ Sodomorum: in hora illa videntes omnia eſſe turbata, inueniri ſibi loca quietis, quamuis horrida, pro magnis deliciis computabunt.* Vide multa hoc tom. 1. & 2. v. Mors.

Geneſ. 19.

*Conſiderata morte ad pœnitentiam cōfugit homo.*

Ioachim.

*Matth.* 13. *n.* 49. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.

*Num.* 50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletu, & ſtridor dentium.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus n.49.* | Sic erit in conſummatione mundi:egredientur Angeli, & ſecernent flagitioſos à iuſtis. |
| *Arabicus.* | Sic erit in fine huius temporis. |
| *Lucifer Caralit. Epiſc.lib.2. pro S. Athanaſio.* | Exient Angeli,& ſeparabunt malos à iuſtorum conuerſatione. |
| *Syriacus n.50.* | Et proiicient eos in fornacem ignis. |
| *Vatablus.* | Ibi erit ploratus, & ſtridor dentium. |
| *Arias.* | Ibi erit fletus, & fremitus dentium. |

### *EXPOSITIO VI.*

113. D.Chryſoſt. HANC *parabolam*,vt ait D.Chriſoſtomus homil. 48. *non rogatus ſed ſpontè,atque à ſe ipſo ex parte interpretatur, & formidinem magis amplificat.* Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Albert.Mag. In tribus, ait Albertus magnus explanat Dominus ſimilitudinem. In miniſterio Angelorum,in ſeparatione malorum,in loco pœnarum. *Sic erit in conſummatione ſæculi*, ſeu in fine mundi, cum completus fuerit numerus prædeſtinatorum, & ſagena deducta in littus ad Iudicium. *Exibunt Angeli*, *à me*, ſcilicet iudice miſſi. Paſchaſ. D.Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Exibunt quidem ad exercenda diuina iudicia, quæ intus didicerunt.* *Miniſtri faciant ſibi imperata.* O præclari miniſtri! adimplent ea, quæ à ſuprema Dei iuſtitia ſunt imperata, non verò quæ ipſi ſuo nutu volunt. *Separabunt malos*, quos nempe ſua malitia malos fecit; *de medio iuſtorum*, Hebraica phraſis, id eſt à iuſtis. *Mundus iniquis præſtantiora dat loca.* Moraliter pondera, quod iniqui erunt in medio, qui locus honoratior, ac maioris auctoritatis eſt. Sic ſolet mundus vt deteriores in illuſtriori, ac præclariori loco collocet. Sed Angeli, Dei miniſtri, ſeparabunt eos, & mittent in caminum ignis.

114. *Et mittent eos*, hoc eſt proiicient eos *in caminum ignis*, ſeu fornacem. Et rectè ſic appellatur infernus: nam qui eſt in camino, ſeu fornace,vndique ſurſum, ac deorſum concluſus eſt ab igne; ſic in gehenna damnati circundati ſunt à flammis. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Duplex, ait D. Remig. Remigius,inferni pœna denotatur, caloris ſcilicet, ac frigoris.

115. Aduertendum eſt ex toto hoc cap. 13. Matth. cum Chryſoſtomo homil. 48. Quot perditionis D. Chryſoſt. ſunt viæ. *Vides*, ait, *quod alij vepribus, alij via, alij lapidibus, alij zizaniis, alij ſagena pereunt.* Hæc parabola, de ſagena aliquam habet combinationem cum illa de zizaniis, de qua tractatur. hoc cap. 13. Matth. num. 25. Tamen diſcrepant Abulenſis. vt ait Abulenſis quæſt. 69. nam ſub zizaniis, quæ in herba, ac principio aliqualem tritici referunt *Diſtinctio inter ſagena,ac zizaniorum parabolas.* ſimilitudinem; in ſpica verò multum differunt; intelliguntur Hæretici, vt dixi ex ſanctis Patribus cap. 27. qui ſunt ſeparati ab Eccleſia. Hic autem agitur de illis, qui ſunt intra ſagenam, ſeu Eccleſiam; tamen propter vitæ prauitatem pereunt.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare hæc ſeparatio, & miſſio malorum in caminum, fiet per ſanctos Angelos, qui noſtri cuſtodes fuerunt.*

116. CVM dicitur in littera: *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum*: de ſanctis Angelis communis ſententia interpretatur. Sic ait D.Paſchaſius Paſchaſ. lib. 7. in Matth. *Nec dubium, quia Angelos ſuos, per quos nunc regitur Eccleſia, tunc implebit benignus Saluator, vt tollantur impij de medio iuſtorum, ne videant gloriam Dei, & foras mittentur in tenebras exteriores.* Pro hac ſententia vide Abulenſem Abulenſis. quæſt.71.

117. *Qui bono abutuntur, in malum,& pœnam incidunt.* Hoc poſito exoritur quæſtio: Quomodo ſancti Angeli, qui fuerunt noſtri cuſtodes, defenſores, ac patroni, tanti ſupplicij erunt excuſatores. *mittent eos in caminum ignis*: Quomodo, Domine, illi, qui nos veluti manibus præferebant; quibus erat dictum, *Angelis ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te.* Pſalm. 90. Pſalm. 90.num. 10. Et hi modo eos mittunt in fornacem ignis. Reſpondeo. Quod in Angelis eſt quædam ſancta benignitas, quæ nec ſemper punit, ſed vt præſens ſtatus exigit, pietatem, aut ſupplicium præbet. Præclarè notauit D. Gregor. D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 2. *Quod Spiritus ſanctus præſentiam ſuam hominibus, non in columba ſolummodo, ſed etiam in igne patefecit.* *Rigor, & benignitas.* *Per columbam quippe ſimplicitas; per ignem vero zelus indicatur. In columba igitur, & igne Spiritus Sanctus oſtenditur: quia quicumque illo pleni ſunt, ſic manſuetudini ſimplicitatis inſeruiunt, vt contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur.*

118. *Contemnens pietatem, rigorem inuenit.* Secundò, Meritò qui tales nacti ſunt tutelares, per quos tot, ac tanta beneficia ſunt aſſecuti; & tamen illorum ducatum contempſerunt, nec eo pro lucro ſalutis animæ ſuæ vſi ſunt; iuſtiſſimè illos contra ſe vt diuinæ iuſtitiæ vindices experientur, vt ab eis in æternum ſupplicium mittantur. Qui enim pietatem conculcant, in iuſtitiæ rigorem incidunt.

119. Ioan.12. Iudæis ait Chriſtus Dominus: *Nunc iudicium eſt mundi.* Ioan. 12. num 31. Quomodo Domine, tempus ſacratiſſimi aduentus tui, quo tu degebas in mundo tempus iudicii vocas, quod denotat timoris, ac horroris dies, vt notat Chryſoſtomus homil. 67. D. Chryſoſt. Quæ nam fuit ætas maioris pietatis, miſericordiæ, ac benignitatis? nulla ſanè. Tunc enim, vt ait D. Auguſtinus tract. 52. D. Auguſt. in Ioan. *millia credentium à dominatu liberantur diaboli, & Chriſti corpori copulantur.* Tempus tantarum miſericordiarum, iudicij tempus nuncupatur. *Tempus erat diſcretionis*, vt ait idem Auguſtinus, & Albertus Magnus, Albert Mag. *tempus diſcretionis, quod diſcernebat inter poteſtatem tenebrarum, & poteſtatem lucis.* Rectè tunc iudicium diſcretionis erat, *Qui data gratia bene vtitur, viuit; qui male, punitur.* nam bonis, qui ex Chriſti præſentia ſalutem animæ ſuæ lucrabantur, vt in ipſis pietatis fontibus abluerentur, tempus miſericordiarum, ac propitiationis peccatorum erat: aliis vero, qui ipſam Chriſti clementiam contemnebant, iudicium damnationis extabat, atque ſupplicij. Iudicium



Iudicium diſcretionis, vt quoſdam vocaret ad veniam; iniquos verò in pœnam detruderet.

120. Threnor.4. Ait Ieremias Threnor. 4.num. 6. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Maximè in tota Scriptura exaggerantur Sodomorum peccata; & tamen iniquitas Ieruſalem multo magis excreuit, multóque maior effecta eſt. D.Paſchaſ. D. Paſchaſius lib. 4. in Lamentationes. Litter. *Vau.* ſic ait: *Synagoga, filia ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, à Deo cum cæpiſſet apoſtatare, in tantum ſupergreſſa eſt malitia eius, vt nec dimidium ſcelerum eius Sodoma peccauerit, quæ vacabat otio atque egeno, & pauperi manum non porrigebat. Ieruſalem vero, cum notitiam Dei haberet, & mandata vitæ percepiſſet, manus miſit ad omnia, & ad vltimum Auctorem vitæ peremit.* Cur iniquitas Ieruſalem in tantum exceſſerit,ratio redditur in littera: Quia *Sodoma non ceperunt in ea manus.* In otio,ac deliciis viuebat,abſque Dei notitia,& non ceperunt manus ad aliquid boni faciendum. *Qui conculcat diuina beneficia, grauiſſima tormenta experitur.* At Synagoga Patriarcharum filia,Legis notitia educata,quæ iam in multis bonis operibus ſe cœperat exercere; tamen defecit, & Dei donis, ac beneficiis abutens in omni malo præuaricata eſt; inde magis iniquitas eius ſuper omnem Sodomæ malitiam ſupergreditur, itaut *nec dimidium ſcelerum eius Sodoma peccauerit.* Et ſubdit idem Paſchaſius. *Quia tanta Dei beneficia calcauit Ieruſalem, & mala pro bonis reddidit, conſideranda eſt eius vindictæ pœna. Quanto atrociora Iudæi promeruerunt ſupplicia.* &c. Vide ſupra cap.27.num.96.97.98.& 99.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare dicitur, quod Angeli ſeparabunt hic malos de medio iuſtorum, cum Matth.25. ſcribatur, quod rex eos ſeparabit?*

121. *Ratio difficultatis.* Matth.25. DIFFICVLTAS iam poſita eſt: nam ſermo eſt in præſenti de die Iudicij: & tamen aſſeritur,quod Angeli ſeparabunt malos de medio iuſtorum;cum tamen Matth.25.num.32.habeatur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis.*

122. Euthymius. *Homo auctor eſt illius, quod præcipit.* Reſpondet primò Euthymius. *Ipſe*,ſcilicet rex, *ſeparabit eos ſuo iuſſu: Angeli verò ſeparabunt eos operatione, præceptum Domini tanquam miniſtri exequentes.* Chriſtus dicitur ſeparationem conſtituere,quia ipſam fieri imperabit. Sicut 3. Reg. 6. 3.Reg.6. num.2.narratur, quod Salomon ædificauerit templum,cum illud fabricare mandauerit. Sic dicitur ſupra, quod homo ſeminauerit bonum ſemen in Matth. 13. agro ſuo Matth.13. num. 24. cum tamen non per ipſum,ſed per ſuos ſeruos terræ fuerit mandatum. Quæ enim homo facere præcipit, illi vt auctori referuntur.

123. Abulenſis. Abulenſis quæſt. 70. poſt datam ſolutionem, aliam adhibet. Et ait, quod in illa die duplex erit *Duplex ſeparatio.* ſeparatio: vna ante iudicium; alia verò poſt illud completum. Prima,de qua dicitur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes,& ſeparabit eos ad inuicem; ſicut paſtor*,&c. Et hanc faciet Chriſtus per ſe,per ſolam voluntatem iubens. Altera verò eſt,de qua dicitur, quod ibunt hi in ſupplicium æternum; Iuſti autem in vitam æternam. Et hæc executio fiet per Angelos: quia idem eſt,quod ibi dicitur: *Ibunt in ſupplicium æternum*: ac quod hic legitur: *Mittent eos in caminum ignis.* Non eſt tamen inconueniens, quod vtraque ſeparatio fiet imperatiuè à Chriſto; executiuè per Angelos. Ad ſupremam Domini maieſtatem, ac dignitatem ſpectat, quod tot habeat miniſtros, qui ea, quæ ipſe vult, adimpleant.

125. Matth.13. Dubitabis tamen: Cur ad ſpargendum ſemen ille cæleſtis ſator dicatur,quod *Exijt ſeminare ſemen ſuum*: Matth.13.num.3. Dum verò hic loquitur de vindicta ſumenda, ac ſuppliciis inferendis ſubditur: *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos*, &c. Et iterum eodem cap.13.num.41. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis.* *Deus per ſe benefacit; aliis committit ſuppliciũ.* Perpende diuinam clementiam: per ſe venit,vt ſeminet; at verò pœnas, & ſupplicia per Angelos,& miniſtros ſuos,vt quid à natura ſua alienum,infert. D.Chryſoſt. D.Chryſoſtomus homil. 48. *Tu conſidera*, ait, *ineffabilem eius miſericordiam, quod ad benefaciendum quidem pronus eſt; à deſiderio autem puniendi alienus: nam quando ſeminat, per ſe ipſum id peragit; ſupplicia verò per alios infert: mittet enim, inquit, Angelos ſuos.*

126. Sub parabola de extremo iudicio agens Dominus,tunc introducitur Rex,qui cum introiiſſet, vt ſuos conuiuas intueretur;ibique hominem non veſte nuptiali veſtitum reperiſſet, *Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Matth.22. Matth.22.num.13. At verò in ipſo extremo iudicio,quos nuptiali veſte gratię, & iuſtitiæ veſtitos inuenit, ait illis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Matth.25. Matth.25.num.34. Cur hos ipſe per ſe vocat,illos verò miniſtris committit. D.Chryſoſt. D.Chryſoſtomus. *Vide, ait, illic ſeruos, qui miniſtrant; quando autem beneficijs opus eſt, ſe ipſum benefactorem vocat. Venite benedicti Patris mei. Et iterum: Euge ſerue bone,& fidelis; ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Et hunc quidem ipſe benedicit; illum autem malum, non ipſe, ſed ſerui ligant.* *Deus per ſe benefacit, per alios punit.*

127. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas,& aſſumpſit eum,atque portauit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux eius fuit.* Deuteron 32. Deuteron. 32. num.11. Senſus litteralis eſt, quod Deus vt aquila, Iſraelem,quaſi pullum ſuum, per varia ſigna, & mirabilia in Ægypto ad inde exeundum, & euolandum prouocauerit, eumque iam exire parantem, velut in expanſis prouidentiæ ſuæ alis aſſumpſit, protexit,& ſubuexit. At verò ad puniendum Ægyptum: *miſit in eos iram, & indignationem per angelos malos.* Pſalm.77. Pſalm.77. Ad puniendum Iſraelem ſerpentes ignitos concitauit. Num. 21. Num.21.num.6. *Serpentes mordẽt, Deus donat.* Pietatem in portando,ducendo, ac ſubleuando per ſe ipſum Deus præſtat;pœnam,ac caſtigationem aliis committit. D.Chryſoſt. Citatus Chryſoſtomus. *Deus, ait, non per ſe ipſum punit, ſed per Angelos: & ea, quæ in Ægypto acciderunt, per illos acciderunt. Immiſſionem, inquit, per angelos malos. Igitur quando ſeruare oportet, per ſe ipſum hoc facit. Ita filium miſit in ſalutem generis.*

## Qvæstio XIX.

### *Quare hîc non exprimitur gloria bonorum, ſed ſolum ponitur pœna malorum?*

128\. Dicitvr in textu, quod Angeli *ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* Cur ergo etiam iuſtorum gloria hic expreſsè non declaratur? Reſpondeo primò. Quòd Dominus in præſenti ſermone poſuit ſimilem parabolam de zizaniis, vbi de vtroque diſſeruit. *Quod eos, qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis. Tunc fulgebunt iuſti, ſicut Sol in regno Patris eorum.* Matth. 13. num. 43. Ideò ipſa gloria Beatorum non fuit repetenda. Dominus autem hanc repetitionem fecit in pœnis malorum, quia imperfecti magis commouentur, ac trahuntur à malis timore pœnarum, quàm deſiderio acquirendæ gloriæ. Sic ait Chryſoſtomus homil. 48. quod Dominus hoc expoſuit, vt audientes viderent quam periculoſa eſſet hæc pœna. Et D. Gregorius homil. 11. *Timendum eſt autem hoc potius, quàm exponendum: aperta enim voce tormenta peccantium expoſita ſunt, ne quis ad ignorantiæ ſuæ excuſationem recurreret, ſi quid de æterno ſupplicio obſcurè diceretur.*

*Imperfectos vehementius trahit pœnæ timor, quàm gloriæ amor.* D. Chryſoſt. D. Gregor.

129\. Secundò D. Thomas. Fecerat Dominus, ait, mentionem de ſagena, qua quando piſces capiuntur, boni occiduntur, ac comeduntur; mali autem foras eiiciuntur; & degentes per mare viuunt: ne ergo quis cogitaret de malis foras eiectis, dicitur, quod foras eiiciuntur, ac deinde mittuntur in caminum, ſeu fornacem ignis. Hæc ille.

D. Thomas.

130\. Tertiò Abulenſis quæſt. 73. De malis dicitur, quod per Angelos mittentur in caminum ignis: boni autem per ſe ipſos ibunt ad gloriam ſuæ beatitudinis. Ratio diſſimilitudinis eſt propter duo. Primò. Quia mali inuoluntariè pergent ad loca pœnarum; & oportet, quod trahantur. Secundò. Quia corpora eorum ſunt grauia, & non poterunt velociter ire ad loca gehennæ, ſi per ſe eundum eſſet, & ideo ab Angelis, qui potentis, & velocis naturæ ſunt, portabuntur. De bonis autem ſecus erit: nam ipſi voluntariè ibunt ad loca ſua, eo quod ad gaudium vadant, ad quod nemo inuitus vadit. Secundò. Quia facile eſt eis ſubitò ire, quò voluerint, propter dotem agilitatis, itaut facilius ſit eis moueri, quàm igni ſurſum; & ideo nullo adiutore egebunt, vt ad loca beatitudinis vadant. Hæc Abulenſis. Quæ ratio, vt ſubſiſtat, ita intelligenda eſt. Quod quamuis Deus ſuo impulſu vno momento poſſet damnatos in infernum detrudere; tamen aptè, & appoſitè per ſuos miniſtros ordinat, & diſponit res vnde & per Angelos detrudentur damnati in infernum.

Abulenſis. *Duplicem ponit rationem.*

131\. Quartò moraliter. Quamuis Angeli valde propenſi ſint ad benefaciendum, exprimitur ſupplicium per eos illatum in malos: mittent eos in caminum ignis: non verò præmium bonis exhibitum; tum propter auctoritatem ſanctorum Angelorum; tum etiam propter reputationem, ac honorem iuſtorum; declaratur pœna per eos inflicta, quia quamuis natura amici, ac beneuoli exiſtant, tamen vtpote miniſtri caſtigant; & efficacior, ac vehementior apud eos extitit obligatio muneris, quàm naturæ propenſio; nam ſi hæc veniam ſollicitabat, illa, ſcilicet officij conditio, ad caſtigationem impellebat. Hæc eſt valde præclara miniſtrorum auctoritas; Cum pro commiſſo Idololatriæ crimine filij Leui magnam occiſionem feciſſent in populo, ait illis Moyſes: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* Exod. 32. num. 29. Indicat Moyſes, filios Leui in hoc opere fuiſſe Deo valde placentes, ac quod in conſpectu eius obtuliſſent oblationem valde gratam, & honorificam, dum ſecluſo omni amore, ac reſpectu carnis, & ſanguinis, proprium Leuitarum munus adimplerunt. Abulenſis quæſt. 37. *Placentes Deo, qui occidebant eos, qui ſibi attinebant, ſcilicet fratres, filios, & amicos, vt detur eis benedictio.*

*Decor miniſtri, obligationem officij propenſioni naturæ prævalere.* Exod. 32. Abulenſis.

132\. In magnum iuſtorum decorem, præmium eis per ſanctos Angelos collatum non declaratur apertè: nam hi ſunt nobis valde amici, ac beneuoli, noſtrique cuſtodes extiterunt. Et tunc maximè honorificè, ac gloriosè reſplendet corona, quando ſecluſa omni beneuolentiæ ſuſpicione, ſola meritorum ratione interueniente, ipſa confertur. Poſtquam Ioſeph pincernarum magiſtri explicat ſomnium, ait ei: *Memento mei, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere.* Gen. 40. num. 14. Tamen proſperis euentibus oblitus eſt ſui interpretis. Duos poſt annos videt Pharao ſomnia ſua de ſeptem vaccis, & cum nullus inueniretur præpotens ad illa explananda, tunc recordatur magiſter pincernarum, Gen. 41. Ioſeph, qui ad illa enucleanda educitur. Quomodo antea tam vehementer magiſter ille obliuiſcitur ſui benefactoris; & modo illi venit in mentem, vt inde libertatem ſuam ſanctus adoleſcens aſſequatur? In decorem Ioſeph totum à Deo diſponebatur; vt ipſe exiret de carcere non alicuius hominis gratia operante, ſed meritorum vi negociante. D. Chryſoſtomus homil. 63. in Geneſim. *Conſidera,* ait, *quomodo poſt reſtitutionem illius duo anni præterierint. Oportebat enim expectari tempus opportunum, vt maiori cum gloria inde educeretur. Si enim præfectus pincernarum ante ſomnia Pharaonis recordatus auctoritate ſua eum liberaſſet, fortaſſe non tam perſpicua fuiſſet alijs eius virtus; nunc autem Omnipotens Deus permittit, vt & tempus ſomniorum Pharaonis veniat, & compellente neceſſitate ipſa iuſtus ille in toto regno Pharaonis notus fiat.* Vide hoc tom. 1. & 2. Verb. Dignitas, ibi multa.

*Honores ſine amicitiæ reſpectu honorant.* Geneſ. 40. Geneſ. 41. D. Chryſoſt.

*Math.* 13. *n.* 51. Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei: Etiam.

*Num.* 25. Ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n.* 51. Ait illis Ieſchua: Intelligitis hæc omnia? dicunt ei: Etiam Domine noſter.

*Num.* 52. Ait illis: Propterea omnis ſcriba, qui edoctus eſt ad regnum cælorum, ſimilis eſt viro patrifamilias, qui depromit è theſauro ſuo.

*Græcus.* Quapropter omnis litteratus.

*Arabicus.* Scriba, qui docet pro regno cælorum.



## *EXPOSITIO VII.*

133\. In propoſita doctrina, vtpotè valde neceſſaria, intelligentes auditores, ac diſcipulos quærit Dominus. Syriacus, Græcus, & alij, vt Pagninus, Arias, præponunt: *Dicit eis Ieſus:* ſed noſter interpres in ſuo exemplari id non poſuit, apertè enim id ſubintelligitur ex dictis; Chriſti enim verba continuantur. Interrogat Dominus: *Intellexiſtis:* benè ſciebat ipſe, quantum quiſque eſſet aſſecutus; ſed hac interrogatione eos docere volebat ad ſcrutandam cæleſtem doctrinam, cum totius mundi eſſent prædicatores conſtituti: *hæc omnia*; has omnes ſcilicet parabolas.

Pagnin. Arias.

134\. *Ideo*, hac particula affirmationem hic denotari, aſſeuerat Euthymius; ac ſi dicat Dominus: Vtique omnis ſcriba. Communiter tamen particula ad intelligentiam Apoſtolorum refertur; ac ſi dicat Dominus, quia vos, ó diſcipuli mei, à me interrogati dixiſtis, quod omnia intellexiſtis, ac proinde cognoſcitis ſub his parabolis meũ Euangelium, quod ducit ad regnum cælorum, ſignificari, cumque eſſe theſaurum: Ex hoc ergo theſauro, recondito in corde, & pectore veſtro, proferre debetis, quæ aliis, ac toto mundo prædicetis. Ita D. Auguſtinus in quæſt. Euang. ſecundum Matth. cap. 16. D. Chryſoſtomus homil. 48. *Quoniam*, ait, *intellexerunt diſcipuli, laudat dicens: Omnis ſcriba*, &c. Sequitur Abulenſis, Ianſenius, Beauxamis, & alij.

Euthym. *An particula Ideo dicat cauſam.* D. Aug. D. Chryſoſt. Abul. Ianſen. Beauxam.

135\. *Omnis ſcriba doctus*, id eſt, omnis prædicator, ac doctor, vtpotè vos mei Apoſtoli, qui eſtis deſtinati ad prædicandum meum Euangelium. Et alludit in hoc Saluator ad Iudæorum loquendi modum, qui enarratores, ac profeſſores Legis Moyſaicæ ſcribas vocabant. Albertus Magnus, quod rectè prædicator dicitur ſcriba, quia Legem Dei debet habere ſcriptam in corde ſuo, & eam inſcribere in cordibus auditorum. *In regno cælorum*, id eſt, Eccleſia. Græcus habet, *ad regnum cælorum.* Ianſenius, Maldonatus, Beauxames, doctus ad regnum cælorum prædicandum. Alij Recentiores, vt Barradas, interpretantur ad Eccleſiam prædicandam. *Noua, & vetera.* Rectè ponderat D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 16. *Non dixit vetera, & noua, quod vtique dixiſſet, niſi maluiſſet meritorum ordinem ſeruare; quàm temporum.* Non caſu, ſed alto conſilio noua antiquitati præfert habens meritorum rationem. Sic & dicitur Cantic. 7. num. 13. *Omnia poma noua, & vetera reſeruaui tibi, dilecte mi.* Nam, vt ait Chryſologus ſerm. 137. antiquitas *præcedit, non præcellit.* Sæpè in iunioribus præclariora merita inueniuntur, quàm in ſenioribus.

Albert. Mag. Græc. Ianſen. Maldon. Beauxam. Barradas. D. Auguſt. Cant. 7. D. Chryſol.

136\. *Similis eſt patrifamilias.* Adducitur in exemplum prouidus paterfamilias, qui reponit in ſuo promptuario omnes cibos, omnem ſuppellectilem, ac omnem ſubſtantiam, & omnem pecuniam, ſiue nouam, ſiue veterem, vt ait Abulenſis; & pro loco, tempore, ac neceſſitate, vt prouideat domui ſuæ, quædam de theſauro educit noua, quædam vetera. Sic prædicator Euangelicus noua, & abdita ſacra fidei myſteria, quæ profert pro auditorum captu per varias ſimilitudines, parabolas, ac exempla, petita à rebus antiquis, ac vſu tritis, explanat, vt ex his, quæ auditores norunt, penetrent noua, & incognita, quæ eis valde ſublimia ſunt. Ita Carthuſianus, Caietanus, Lucas Burgenſis, & alij.

*Senſus litteræ.* Abul. Carthuſ. Caiet. Burgenſ.

137\. D. Paſchaſius verò lib. 7. in Matth. & S. Thomas per Patremfamilias ipſummet Chriſtum interpretantur. Ac ſi dicat Dominus: Omnis ſcriba, id eſt, prædicator Euangelicus, ſimilis eſt mihi, quia ego Paterfamilias ſum, qui noua myſteria meæ doctrinæ per antiqua teſtimonia veteris teſtamenti confirmo, & explico. *Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius.* Matth. 10. num. 25.

D. Paſchaſ. D. Thom. Matth. 10.

## Qvæstio II.

### *Quænam ſint noua, & vetera, quæ de theſauro proferri dicuntur.*

138\. Sensvm germanum modò appoſui in expoſitione. Quod ſicut Paterfamilias in theſauro ſuo reſeruat noua, & vetera; & ex eis pro alenda familia profert, provt neceſſitas exigit: ſic ſcriba, ſeu prædicator noua legis gratiæ myſteria per antiquas, ac vulgares ſimilitudines & parabolas, provt auditores ſunt digni, ac capere valent, explanat, & enucleat. Sic Paulus ſcribit 1. Corinth. 3. num. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis: ſed nec dum quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.*

*Doctrina explicanda pro captu auditorum.* 1. Cor. 3.

139\. Secundò, D. Gregorius homil. 11. in Euang. ait, quod vetera referuntur ad peccatum, quod ab antiquo, à primo ſcilicet homine, vagatur in mundo; noua vero ſpectant ad Chriſti gratiam, qua nobis in ipſo effluxit. Vnde ait S. Thomas, quod noua dicuntur præmia vitæ æternæ; vetera vero pœna inferni. Et quia Chriſtus Dominus in parabola de theſauro, ac margarita propoſuit excellentiam, ac ſuauitatem gloriæ; in parabola autem ſagenæ de pœna gehennæ tractauit, ait, quod omnis doctor, ac prædicator in Eccleſia ſimilis ſit ipſi, qui Paterfamilias eſt, vt proferat de theſauro ſuæ ſapientiæ noua, ſcilicet ſuauitatem, & excellentiam gloriæ, vt alliciat auditores; & etiam vetera, ſcilicet grauitatem pœnæ, & ſupplicij peccati, vt ipſoſmet deterreat tam horribili cruciatu.

D. Gregor. D. Thom. *Prædicator dicat de ſuauitate gloriæ, & terrore inferni.*

140\. Tertiò D. Hilarius, D. Chryſoſtomus, D. Hieronymus, D. Gregorius, S. Auguſtinus, Euthymius, D. Paſchaſius, Beda, & alij communiter dicunt, noua, & vetera indicare nouum, & vetus teſtamentum, quia prælatus, ac prædicator debet eſſe valde doctus, & verſatus in vtraque pagina, vt ex vtraque proferat teſtimonia ad ſuam doctrinam confirmandam. Vnde ait Lyranus, quod in thyara Pontificis duo cornua, duo ſunt teſtamenta, duæ autem fimbriæ, ſpiritus, & littera.

D. Hilar. D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Greg. D. Auguſt. Euthym. D. Paſchaſ. Beda. Lyran.

141\. Obiicit Abulenſ. quæſt. 75. quod quando Chriſtus hæc docebat, nondum nouum teſtamentum erat ſcriptum. Obiectio tamen parum roboris habet: nam quamuis teſtamentum nouum nondum eſſet ſcriptum, iam tamen noui teſtamenti doctri

Abul. *Soluitur obiectio.*

doctrina erat. Deinde Chriſtus Dominus per hæc inſtruebat omnes prædicatores præſentes, & futuros in ſua Eccleſia, vt in vtroque teſtamento eſſent maximè verſati, vtque omnes ſcirent, quanta vnitas eſſet, atque conformitas in vtroque, vt iam magis explico.

142. *Mira coharentia inter nouum, & vetus teſtamentum.* D. Chryſoſt.
Mandat Dominus, vt fidei profeſſor ex vtroque teſtamento proferat documenta in ſua tradenda doctrina, propter conſonantiam, vnitatem, ac conformitatem, quæ eſt in vtroque. Vnde qui vnum tenet, & alterum negat, vt ſunt Hæretici, vtrumque non admittit. D. Chryſoſtomus hom. 48. in Matth. *Hæretici expertes ſunt huius beatificationis, qui non poſſunt emittere noua, & vetera; nam cum vetera non teneant, noua credere non poſſunt; ſicut è contra qui noua non habent, hi veteribus penitus carent, hæc enim inter ſe magno iuncta, & connexa vinculo ſunt.* Huc pertinent verba Sponſæ: *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.* Cantic. 7. num. 13. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Apoſtoli*, ait, *Legis, & prophetarum vocibus comprobant omnia, vt ſimiles ei inuenirentur, cuius theſaurum in corde gerebant. Hinc quoque Sponſa canit: noua, & vetera ſeruaui tibi fratuelis meus.* Tanto fœdere inter ſe cohæret vtraque pagina, vt vni, & eidem ſeruentur; & vna ex altera comprobetur. (Cant. 7. Paſchaſ.)

143. Iſai. 6. D. Hieron.
Apud Iſaiam 6. num. 3. *Duo Seraphim ſtabant, & clamabant alter ad alterum.* Per duo Seraphim duo teſtamenta interpretatur D. Hieron. Epiſt. 142. ad Damaſum. *Pulchrè poſitum eſt alter ad alterum: Quidquid enim in veteri legimus teſtamento, hoc idem in Euangelio reperimus: Et quod in Euangelio fuerit lectitatum, ex veteris teſtamenti auctoritate deducitur: nihil in eis diſſonum, nihil diuerſum.* Et confirmatur ex his, quæ infra à Propheta ſcribuntur. *Commota ſunt ſuperliminaria à voce clamantis.* Cum duo clamarent, non dicitur, quod in eis erant voces, ſed vox *à voce clamantis*: quia in vtroque teſtamento vna eſt vox, vna eſt lingua, quæ loquitur, & clamat. (*In vtroque teſtamento vna vox.*)

144. Ezech. 1. D. Greg.
Apud Ezechielem apparet vna rota, quatuor habens facies, in quibus vna ſimilitudo videbatur. Sic ſcribitur: *Vna ſimilitudo ipſarum quatuor, & aſpectus earum, & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ.* Ezechiel. 1. num. 16. D. Gregorius in Ezechiel. hom. 6. docet, per illas quatuor facies deſignari Legem, & Prophetiam Veteris teſtamenti, ac Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam noui Teſtamenti. Et hæ quatuor facies, ſeu partes, non diuerſas, ſed vnicam referebant ſimilitudinem, ac aſpectum. Sic ait S. Doctor. *Quia quod prædicat lex, hoc etiam Propheta; quod denuntiant Prophetæ, hoc exhibet Euangelium: quod exhibuit Euangelium, hoc prædicarunt Apoſtoli: Vna ergo eſt ſimilitudo ipſarum quatuor; quia diuina eloquia, etſi temporibus diſtincta, ſunt tamen ſenſibus vnita.* Et in hac conſideratione dicitur à Propheta 1. num. 6. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Quaſi Apoſtolorum doctrinæ facies (& idem eſt de aliis ſcriptoribus) ſingulis aliis ſine vlla differentia conueniat. (*In ſingulis ſcriptoribus eadem facies.*)

145. Ezech. 1. D. Greg.
Pergit S. Pater ponderans citat. num. 16. *Quaſi ſi ſit rota in medio rotæ:* Sic ait: *Rota intra rotam eſt teſtamentum nouum intra teſtamentum vetus: quia quod deſignauit teſtamentum vetus, hoc teſtamentum nouum exhibuit.* Quod multis exemplis confirmat.

146. Poteſt etiam aliter explicari *noua, & vetera;* Doctus ſcriba, ac magiſter profert *de theſauro ſuo noua, & vetera:* profert vetera, ſcilicet, documenta, nouis tamen expoſitionibus, ac declarationibus, cum textu cohærentibus. Pro quo audiendus eſt Rupertus, Prolog. in Apocal. poſt medium. (Rupert.) *Dicet aliquis*, ait, *iam ſatis eſt, quod alij meliores, & ſanctiores, & doctiores inuenerunt, atque ſcripſerunt. Illicitum eſt, temerarium eſt adijcere quidpiam ad ea, quæ à nominatis, Catholiciſque Patribus dicta ſunt, atque ita faſtidium facere legentibus, augendo multitudinem commentariorum. Ad hæc inquam nimirum: Sanctarum Scripturarum ſpatioſus eſt ager, omnibus Chriſti confeſſoribus communis, & tractandi illas nullo iure negari poteſt licentia, dummodo ſalua fide, quod ſentit, dicat, ac ſcribat. Quis namque rectè dedignatur, eo quod in eadem poſſeſſione poſt vnum, aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore. Denique Iſaac & alios puteos fodit præter illos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham.* Geneſ. 26. num. 28. *foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam. Item foderunt & alium, ac deinceps: profectus inde fodit & alium puteum.* Hæc Rupertus. (*Prædicatori licet nouiter aliquid dicere, ſalua fide.*)

147. *Si noua meliora, patëat ſequenda.* Senec.
Licet ergo nobis ingenij vomere alios puteos præter antiquos fodere, vt ex eis aquam bonam, ac viuam hauriamus; non enim, quia hæc aqua ſit recenter inuenta, inde contemnenda; nec quia illa antiqua, ſolum potanda. Prudenter Seneca Epiſt. 33. dixit: *Quid ergo? Non ibo per priorum veſtigia? Ego vero vtar via veteri: ſed ſi priorem, planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta monuerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata; multum ex illa etiam futuris relictum eſt.*

# CAP. XXX.

## *Ieſus in Patria ſua.*

*Matth.* 13. *n.* 53. Et factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſiit inde.

*Num.* 54. Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in Synagogis eorum, itaut mirarentur, & dicerent: Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?

### *VERSIONES.*

*Vatablus.* Euenit, vt quum finiſſet Ieſus parabolas has, digrederetur illinc.

*Syriacus.* Et factum eſt, quum abſoluiſſet Ieſchua parabolas iſtas, vt diceſſerit illinc.

Et cum veniſſet in prouinciam ſuam, docuit eos in ſynagogis eorum,



itaut obſtupeſcerent, & dicerent.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.* 6. *n.* 1. Et egreſſus inde abiit in patriam ſuam: & ſequebantur eum Diſcipuli eius.

*Num.* 2. Et facto ſabbato cœpit in Synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Vnde huic omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi: & virtutes tales, quę per manus eius efficiuntur.

*Lucæ* 4. *n.* 16. Et venit Nazareth, vbi erat nutritus; & intrauit ſecundum conſuetudinem ſuam in die Sabbati in Synagogã, & ſurrexit legere.

### *EXPOSITIO I.*

1. *Connexio hiſtoria.* Abulenſis. D. Carthuſ. Ianſenius.
DIVVS Matthæus poſt prædictas ſeptem parabolas narrat, Chriſtum ſe contuliſſe in patriam ſuam Nazareth. At D. Marcus, & Lucas, vt notant Abulenſis quæſt. 78. D. Carthuſianus, Ianſenius, & alij, ordinem factorum non ſunt ſecuti, & ideo alio loco hanc hiſtoriam ſcribunt.

2. D. Thomas. Eccleſ. 32. Eccleſ. 22. Theophyl. Albert. Mag.
*Cum conſummaſſet*, ſeu abſoluiſſet, ſeu finiuiſſet has parabolas, *tranſiit inde*, ſcilicet ex domo, in qua habitabat Capharnaum, *& tranſiit inde*, forte non eodem die, nam, vt valde probabile, ſub nocte parabolas abſoluiſſe, videtur. D. Thomas ait, quod tranſiuit, quia ad intelligendum non erant idonei homines illi, ideo ad alia ſe tranſtulit. Eccleſ. 32. num. 6. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* & 22. num. 9. *Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam.* Theophylactus verò, & Albertus Magnus inquiunt, quod tranſiit, vt & aliis prodeſſet, per variaque loca ſuam doctrinam ſeminaret, ac diffunderet.

3. D. Hieron. D. Chryſoſt. Theophyl. D. Paſchaſ. Euthymius. Lucæ 4. Ioan. 7.
*Et veniens in patriam ſuam.* Patriam dixit Euangeliſta, non Bethlehem, in qua erat natus, quæ longè diſtabat à Capharnaum, cui vicina erat Nazareth, quæ ſub nomine patriæ hic intelligitur; ibi enim educatus, ac enutritus fuerat, vt exprimit D. Lucas; & ita docent D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Paſchaſius, Euthymius, & alij. *Et docebat eos.* Inter cætera admirabiliter explicauit Iſaiæ locum 61. num. 1. vt refert D. Lucas 4. num. 17. *In Synagogis eorum.* Cur autem Chriſtus prædicaret in Synagogis Iudæorum dixi tom. 2. cap. 9. quæſt. 3. *Ita vt mirarentur*, quia viderant eum tanta ſcientia eminere, quem nunquam viderant litteras didiciſſe. Ioan. 7. num. 15. *Mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit.* Sic & de Apoſtolis admirabantur Iudæi Actor. 4. num. 13. Deinde ſtupebant ob excellentiam doctrinæ Chriſti. Vnde dixerunt: *nunquam ſic locutus eſt homo.* Ioan. 7. num. 46. Obſtupeſcebant tandem de modo doctrinæ eius; non docebat, vt doctor Legem exponens, ſed vt habens poteſtatem, ac Legem tribuens. Matth. 7. num. 29. *Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ, & Phariſæi.* (Actor. 4. Ioan. 7. Matth. 7.)

4. D. Auguſt. 1. Corint. 1.
*Vnde huic ſapientia, & virtutes.* D. Auguſtinus lib. 1. Quæſt. Euang. cap. 14. ſic interpretatur. *Vnde huic ſapientia.* in iis, quæ loquebatur; *virtutes* in iis, quæ operabatur. Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 1. num. 24. appellat Chriſtum *Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Virtutem ad ſigna refert; ſapientiam ad doctrinam.

*Mat.* 13. *n.* 55. Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas?

*Num.* 56. Et ſorores eius apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo.

### *VERSIONES.*

*Arabicus.* Nonne hic eſt fabri lignarij filius?

*Vatablus.* Nonne hic eſt ille fabri filius.

*Syriacus.* Et ſorores eius omnes nonne apud nos ſunt; Vnde huic ipſi iſta omnia? Et offendebantur in eo.

*Marc.* 6. *n.* 3. Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in eo.

*Luc.* 4. *n.* 22. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebãt de ore ipſius, & dicebant: nonne hic eſt filius Ioſeph?

### *EXPOSITIO II.*

5. Lyranus. Maldonatus. D. Paſchaſ.
DIVVS Matthæus habet: *Nonne hic eſt fabri filius?* D. Marcus verò: *nonne hic eſt faber?* Vtrumque protulerunt, quidam hoc, alij illud tanquam ſi dicerent: Vnde huic ſapientia, & virtutes, qui ſcholas non frequentauit, ſed fabri filius eſt; ſeu in arte fabrili ipſe ſe exercuit, vt volunt Lyranus, Maldonatus. Seu dictus eſt Dominus faber, vt ait D. Paſchaſius citandus quæſt.

quæſt. 2. quia fabri filius. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 10. quæſt. 28. ibi à me dicta.

6. *Nónne Mater eius dicitur Maria?* Hæc dicunt, vt oſtendant, quam apprimè Chriſtum cognoſcant. *Et fratres eius.* D. Hieronymus ait: *Miraris, ſi errent in fratribus, qui errant in parte.* Et lib. aduerſus Heluid. cap. 8. *Eodem modo,* inquit, *æſtimantur & fratres, quo æſtimatus eſt pater.* Tamen Iudæorum more Chriſti cognati, eius fratres dicuntur; ſicut & conſanguineæ ſorores. Nam Lot filius Aram fratris Abraham, ipſius Abrahæ frater vocatur Geneſ. 13. num. 8. Et Laban auunculus Iacob Geneſ. 28. num. 2. & tamen Iacob frater nuncupatur Geneſ. 29. num. 12. Dicuntur hic Chriſti fratres filij Mariæ Cleophæ, ſeu Alphæi, aliorúmque fratrum, ac ſororum Ioſeph. Hi ſunt Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas; de quibus quæſtione ſequenti.

D.Hieron. — *Quomodo fratres.* — Gen. 13. Gen. 28. Gen. 29.

7. *Et ſorores eius,* patrueles ſcilicet nepotes Ioſeph ex fratribus, aut ſororibus. *Omnes,* fœminei eſt generis in græca radice, vt notat Lucas Burgenſis. Syriacus legit: *Et ſorores eius omnes nónne apud nos ſunt?* De quo quæſtione ſequenti. *Vnde ergo huic omnia iſta?* Emphaſis eſt in pronomine. *Huic,* ſcilicet humili, & obſcuro genere, ac conditione. *Et ſcandalizabantur in eo,* offendebantur, offendiculi occaſionem acceperunt, quod Chriſtus, cum eſſet fabri filius, ſeu eſſet faber, vt alij apud Marcum dixerunt; ſe magiſtrum, ac prophetam faceret. Sicut homines etiam indignarentur, ſi viderent, aliquem ex fabrili officina proſilire in ſuggeſtum magiſterij: de ſtultitia, ac arrogantia arguerent eum. Hæc tractabant Nazarethni ignorantes, Chriſtum eſſe filium Dei, ac verum Meſſiam promiſſum in lege, qui ex ardentiſſima ſua charitate non dedignatus eſt inter fabros naſci, ac agere, vt nos redimeret, ac exemplo ſuo humilitatem doceret.

Burgenſ. Syriac.

## QVÆSTIO I.

### *Quinam ſint fratres, & ſorores, de quibus hic agitur?*

8. QVAMVIS Chriſtus habuiſſet multos cognatos, & affines, qui eius fratres hic dicuntur; vt notaui in Expoſitione; tamen particulariter hic Iudæi, vt referunt Euangeliſtæ, expreſſerunt filios, & filias Mariæ Cleophæ, ſeu Alphæi, ſororis ſcilicet S. Ioſeph, Sponſi B. Virginis: tum quia Chriſto erant ſanguine proximiores; tum quia in Chriſtum crediderant, ab eóque eius Apoſtoli creati erant. Quos autem nominant ſingillatim ad expoſitionem textus videamus.

*Hi ſolum nominantur.*

9. Primus hic nominatus eſt Iacobus; & hic eſt minor, cognomento Alphæi, Apoſtolus, primus Epiſcopus Ieroſolymorum, & Auctor Epiſtolæ Canonicæ, de quo iam egi cap. 5. quæſt. 19. n. 110. Secundus eſt Ioſeph. Græcus habet Ioſes; fuit vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, frater prædicti Iacobi Minoris, qui cognominabatur Iuſtus, quem combinauerunt Apoſtoli cum S. Matthia, cum ſors caderet ſuper Matthiam Actor. 1. n. 23. Poſtea creatus eſt Epiſcopus Eleutheropolis, inter ſanctos adſcriptus colitur 22. Iulij.

Iacob. — Ioſeph. — Actor. 1.

10. Tertius eſt Simon, filius Cleophæ, teſte Hegeſippo apud Euſebium lib. 3. Hiſtoriar. cap. 11. [illegible] fratrem fuiſſe Iacobi Minoris, docent D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, & alij apud Chriſtophorum à Caſtro lib. de Deipara c. 1. Hic fratri ſuo Iacobo in Epiſcopatu Ieroſolymæ ſucceſſit, centum viginti annorum crucifixus lauream Martyrij obtinuit; colitur die 18. Februarij. Quartus eſt Iudas, ſcilicet Thadæus; à D. Luca 6. num. 16. dictus eſt Iudas Iacobi, id eſt, frater Iacobi Minoris. Auctor eſt Epiſtolæ Canonicæ, de quo dictum eſt ſupra cap. 5. quæſt. 19. numer. 111. Quos quatuor nominauerunt hic Iudæi. Dicunt etiam.

Simon. Euſeb. — D. Chryſoſt. Theoph. Beda. Caſtro. — Iudas.

11. *Et ſorores eius* Eſther, & Thamar ſorores Iacobi, Ioſeph, Simonis, & Iudæ nuncupantur ab Hippolyto apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Tamen à D. Epiphanio hæreſi 78. & Theophylacto vocantur Maria Salome, quæ fuit vxor Zebedæi, & Mater S. Ioannis, & Iacobi Maioris Apoſtolorum, qui proinde ex ſorore nepotes extiterunt Iacobi Minoris, Simonis, Ioſeph, & Iudæ: de quo latè agit Chriſtophorus à Caſtro lib. de Deipara cap. 1. Hinc colligit ipſe, quod ſoli Iacobus, Ioſeph, Simon, & Iudas, filij Cleophæ, vocantur fratres, id eſt, patrueles Chriſti: Ioannes, vero, & Iacobus filij Zebedæi, non dicuntur fratres Chriſti; quia non fuerunt eius patrueles, ſiue conſobrini propriè, & in primo gradu, ſed nati fuerunt ex conſobrina Chriſti Maria Salome. Iterum ipſe Chriſtophorus à Caſtro colligit, Iacobum Minorem fratrem Mariæ Salome, ſeniorem fuiſſe Iacobo Maiore filio ipſius Salome, & Zebedæi, ad minimum nouem, vel decem annis; minor enim maioris erat auunculus: minor ergo dicitur, non ætate, ſed vocatione Chriſti. De quo vide ſuprà cap. 5. citatam quæſt. 19.

*Quænam ſorores.* D. Epiph. — Caſtro.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo Chriſtum dicunt filium fabri; & quamnam artem exercebat D. Ioſeph?*

12. CHRISTVM Dominum fabri filium dici myſticè, exponit D. Auguſtinus ſerm. de Natiuit. *Eſt,* inquit, *pater Chriſti faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt, arcam Noë diſpoſuit, Moyſi tabernaculum ordinauit, arcam teſtamenti inſtituit: fabrum dixerim, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes ſuperbas excidit.* D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. ait: *Marcus eum non fabri filium, ſed ipſum fabrum dicit. Eo enim fabrum credebant, quo & fabri filium; ex artificio patris, verè & ipſe faber, quoniam fabricator eſt Orbis, per quem facta ſunt omnia.* Similiter alij Patres.

D. Auguſt. *Myſticè intelligit fabrum.* — D. Paſch.

13. Ad litteram tamen propius accedendo. Chriſtus dicitur filius fabri, quia putabatur filius Ioſeph, qui faber extabat. In quanam vero arte? dubium eſt: nam faber, tam Latinè, quàm Græcè ſignificat fabros cuiuſcumque generis, ſiue lignarios, ſiue ferrarios, ſeu argentarios, ſiue aurarios. Vnde ait Caietanus in præſenti, quod valde incertum, cuiuſnam artis fuerit.

*In qua arte D. Ioſeph faber?* — Caier.

14. D. Hilarius hic, D. Ambroſius in cap. 3. Luc. Beda in cap. 6. Marc. dicunt, S. Ioſephum fuiſſe fabrum ferrarium. Ad quam alludens D. Chryſol. ſerm. 48. ait: *Chriſtus erat fabri filius, ſed illius, qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto, qui elementorum membra, non ingenio, ſed iuſſione compegit; qui maſſam ſæculi, auctoritate, non carbone conflauit; qui Solem, non terreno igne, ſed ſupremo calore ſuccendit; qui Lunam, tenebras, noctem formauit, & tempora; qui ſtellas variata luce diſtinxit; qui cuncta fecit ex nihilo; & fecit, ô homo, tibi, vt opificem operis æſtimatione penſares.* Secundo Hugo exiſtimat, S. Ioſeph fuiſſe aurificem.

D. Hilar. D. Ambr. Beda *Ferrarium intelligunt.* D. Chryſol.

15. Tertia, & communis ſententia aſſeuerat, fuiſſe fabrum lignarium. Ita ex D. Chryſoſtomo docent S. Thomas, Albertus Magnus, Carthuſianus, Abulenſis, Lyranus, Simon de Caſſia. Sequuntur communiter Recentiores, noſter Beauxam. Barrad. Et pro hac ſtat lectio Arabica: *Nónne hic eſt fabri lignarij filius?* In hac ſententia loquitur D. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone Iudæo. *Cum fabri lignarij filius haberetur, in formis videlicet, quemadmodum Scripturæ annuntiabant, apparens, faber atque adeo ipſe putaretur eſſe: fabrilia nãque, cum in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra, & iuga conficiens.* Hinc fortaſſe Dominus in ſuis concionibus ab eis accepit ſimilitudines. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Matth. 11. num. 29. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. num. 26.

*Lignarium dicunt.* D. Chryſoſt. D. Thom. Albert. Mag. Carthuſ. Abul. Caſſian. Beauxam. Barrad. D. Iuſt. Mart. — Matth. 11. — Luc. 9.

16. Perpende iterum eadem verba: Chriſtus *erat aratra, & iuga conficiens.* In ſuo Euchariſtico pane ſummopere Dominus delectatur: inde in illis peculiariter degebat, ac occupabatur, quæ ad ſegetem panis, ac illius creationem pertinent. De quo plura dicam cap. vltimo.

*Chriſtus delectatur in euchariſtia.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare non nominant Ioſeph, ac dicunt, apud eos eſſe, ſicut de aliis aſtruunt?*

17. CHRISTI conſanguineos Iudæi recenſentes, ſanctum Ioſeph tacent, & ipſum expreſſe non nominant. Ex quo mihi eſt magna coniectura, quod ſcilicet hoc tempore ipſe iam mortuus eſſet. Communis enim ſententia eſt hodie, quod S. Ioſeph ante Chriſti Paſſionem ſit mortuus, vt docet D. Epiphan hæreſi 78. Vincent. ſerm. de S. Ioſeph. Petrus Comeſt. c. 38. ſuæ hiſtoriæ. Baron. anno Chriſti 12. n. 3. in Epitome Spondani eodem anno 12. eius mortem conſtituit. Mihi cum Suario tom. 2. ad 3. p. ſect. 1. §. ad primam, probabiliſſimum, S. Ioſeph ante Chriſti annum trigeſimum obiiſſe: nam aliàs de eo fieret aliqua mentio in Euangelio tempore prædicationis Chriſti.

*D. Ioſeph quo tempore mortuus.* — D. Epiph. Vincent. Comeſtor. Baron. Suar.

18. Quod confirmo ex præſenti loco. Dicunt Nazarethni: *Nónne Mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas; & ſorores eius nónne apud nos ſunt:* Si Matrem Ieſu, ac propinquos propriis nominibus exprimunt, & fatentur, eos apud ſe eſſe, cur etiam patrem putatiuum proprio nomine non declarant, ac dicunt, eum eſſe apud illos, ſed ſolum Chriſtum filium fabri vocant? Ea mihi videtur accommodatiſſima ratio: Quia ipſe Ioſeph, iam mortuus, apud eos non erat.

*D. Ioſeph iam mortuus prædicationis tempore.*

19. Quandam pulchram rationem moralem in hoc negotio excogitauit D. Petrus Chryſolog. ſerm. 48. *Si Mater,* ait, *ſi fratres, ſi ſorores apud vos ſunt, pater vbi eſt? Vobiſcum non eſt, quia Deus odit fictos, inuidos deſerit, declinat ingratos, ſibi non ſinit crudeles, & impios commorari.* Cum Chriſti propinquos dicant eſſe apud eos, non ſic de Chriſti patre aſtruunt. Alto numine res gubernabatur. Ieſu Pater Deus, & non commoratur apud impios; nec deprauatos homines apud ſe ſuſtinere poteſt. *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* Pſalm. 5. n. 6. Chaldæus vertit: *Non commorabitur tecum malus; non permanebunt irriſores coram oculis tuis.* Non enim patitur Deus apud ſe iniquos; ſed ſicut puluis deficit à facie venti, ſic peccatores à Dei intuitu eiiciuntur.

D. Chryſol. — *Deus apud ſe peccatores non patitur.* — Pſalm. 5. Chald.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Iudæi vilitatem artis, ac humiles ortus Chriſto Domino obiiciunt?*

20. CVM Chriſti virtutes viderent Nazarethni, ac eius diuinam ſapientiam audirent, dicũt: *Nónne hic eſt filius fabri? nónne & Mater eius dicitur Maria? & fratres eius,* &c. Vilitatem artis putatiui parentis, ac humiles cognatos opponunt. Ad quod reſpondet primò Abulenſis q. 83. Hæc dicunt ad oſtendendum, quod Chriſtus erat eis notus, & ipſi ſciebant totam conuerſationem eius, & cognationem; & tamen nunquam litteras didicerat; quaſi dicant: nos benè cognoſcimus hunc, quia ſcimus, quod ipſe eſt fabri filius, & Mariæ, & fratres eius ſunt tales, & tales; & ſorores eius ſunt nobiſcum, & tamen ſcimus, quod nunquam litteras didicit: quomodo ergo tantam ſapientiam habere poteſt? Secundò. Dicebant hoc quaſi in contumeliam Chriſti Domini; nam licet ipſe eſſet ex ſemine regio Dauid, tamen omnes eius cognati erant pauperes, & ex hoc contemptibiles. Indignabantur, quod Chriſtus ex tam humili genere tanta ſcientia reſplenderet.

Abul. — *Chriſtus à Iudæis ob paupertatem contemnitur.*

21. Tertiò, D. Chryſoſtomus hom. 49. in Matth. Sic loquuntur Iudæi, vt in omnibus ſe fatuos, & ignorantes oſtendant. *Ex vecordia ſua vilipendunt eum ob illum, qui pater eſſe putabatur, cum tamen exemplis priſcorum potuiſſent commoneri, quia à parentibus parum notis inſignes filios procreatos nouiſſent: nam Dauid ignoti agricolæ erat filius; & Amos caprarij filius, & ipſe caprarum cuſtos; Moyſes quoque Legiſlator multo inferiorem ſeipſo parentem habuit. Cum igitur eo maximè admirari, & venerari deberent, quod à tali natus ita diuinitus loquebatur. Vnde ergo admirari, ac colere debebant, inde ad aſpernandum concitantur.* Oportebat propter hoc maximè eum honorare, qui à talibus exiſtens talia loquebatur.

D. Chryſoſt. — *Laudandus, qui humili loco natus, meritis eſt ſublimis.*

22. Quartò, vt ait ipſe Chryſoſtomus, non intelligebant Iudæi altitudinem diuini conſilij, quod ipſe ex humilibus parentibus natus eſt, vt ſola diuina virtus in eo operari videretur. Pro quo argumento rectè ait Theodot. tom. 6. in Concil. Epheſ. in Appendice 5. cap. 2. homil. de Natiuit. Chriſti. *Si filius eſſet,* ait, *imperantis, poteſtati vtilitatem adſcriberent; ſi legiſlatoris factus fuiſſet filius, præceptis vtilitatem adſcriberent. Sed quid fecit? Omnia paupera, & vilia elegit; omnia mediocria, & plurimum obſcura, vt diuinitas ſola cognoſceretur*

D. Chryſoſt. — Theodot. — *Diuinitas ſine hominum adminiculis declaratur.*

*tur Orbem transformaſſe terrarum.* Hæc eſt præclara diuinitatis celſitudo, quod ipſa per ſe ſolum abſque hominum adminiculis ſufficiens, & abundans ſit.

23. Euthym. Quintò, perbellè Euthymius. *Vide*, ait, *extremam dementiam. Dicunt enim: parentibus ortus eſt tenuibus; vnde ergo huic omnia iſta praeuenerunt? Atqui ô Vani, non ob parentum generationem, neque ob diuitiarum affluentiam, aut aliud quidpiam huiuſmodi, ſed ob egregiam vitam intelligentia, at miracula diuinitus his, qui digni ſunt, denotantur.* *Dei dona, non ob nobilitatem, ſed ob merita dantur.* Fatuitas hominum, cum ſibi perſuadeant, quod ob diuitias, ac nobilitatem ſint danda cæleſtia dona, cum non niſi ob merita, ac egregiam vitam illa dentur.

24. Theoph. *Inuidia cæca nec virtutes claras videt.* Sextò, Theophylactus in cap. 6. Marc. *Tam atrox malum*, ait, *eſt inuidia, ſemper enim obſcurat bona, nec illa ab inuidis videri ſinit.* Eximia Chriſti virtus, ſapientia, ac miraculorum poteſtas, luce meridiana clarior reſplendebat, cunctíſque erat manifeſta: tamen inuidia non ſinit videri, ſed nebulas humilitatis ortus, vilitatis artis, ſeruilis exercitij obiicit: præclaraque virtus Chriſti, quæ omnium rapiebat oculos, ab vnius inuidi oculis non capitur.

25. Marc. 1. Poſtquam D. Marcus 1. num. 28. ſcribit egregia Chriſti miracula virtutes, & facta, ſtatim addit: *Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ.* *Inuidia non ſinit, virtutes videri.* Operum Chriſti fama per totam Galilæam diuulgatur. Cur etiam Ieruſalem, Iudæorumque loca, vel ſaltem eorum exiguum vinculum non occupat? Tenebat iam inuidia Iudæorum mentes, quæ eos adeo obtenebrauerat, vt fama; quæ totum impleuerat Orbem, eorum paruum vicum, ipſa inuidia oſtium obturante, non attingeret. D. Chryſoſt. Præclare D. Chryſoſt. hom. 5. in Marc. *Proceſſit rumor*, ait, *in omnem regionem Galilææ; non in Iudæam, non in Ieroſolymam; Doctores enim Iudæorum inuidentes Ieſu rumorem ingredi non ſinebant. Rumor ergo ingreditur in eas aures, quæ inuidia non clauduntur. Hoc totum quare dico? Quia rumor eius egreſſus eſt in omnem Galilæam; & in imum vicum Iudææ non peruenit. Anima, quæ ſemel poſſeſſa fuerit ab inuidia, difficile eſt, vt virtutes recipiat: Impoſſibile penè eſt remediari animam, quam inuidia poſſederit.*

# CAP. XXXI.

## *Nemo Propheta in Patria ſua.*

*Lucæ 4. n. 23.* Et ait illis. Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura te ipſum: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ait illis Ieſchua. Iam dicetis mihi hanc parabolam: Medice, cura te ipſum: quæcumque audiuimus, te executum fuiſſe in Capharnaum, exequere & hic in ciuitate tua.

*Vatab. Pagnin.* Omnino dicetis mihi hanc ſimilitudinem.

*EXPOSITIO I.*

Hæc hiſtoria ſubſequens eſt ad præcedentia poſt multa præclara Chriſti geſta in Capharnaum, quæ narrat Diuus Matthæus à cap. 8. vſque ad cap. 13. & Diuus Marcus ſupra citatus. 1. *Connexio hiſtoriæ.* Ex quo datur intelligi, vt obſeruat D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 22. quod D. Lucas non obſeruauerit ordinem temporis, cum hæc ſcribat in initio prædicationis Chriſti, cum alia multa geſta ſignanter Capharnaum anteceſſerint; antéque omnia Lucas hanc hiſtoriam refert. D. Auguſt. Ad quod quandam rationem moralem reddit Origenes homil. 23. in Lucam. Origen. Nazareth, ait, eſſe typum Iudæorum, Capharnaum typum Gentium. Erit enim tempus, quando dicturus eſt populus Iſraël; quæ oſtendiſti vniuerſo orbi, oſtende & nobis; prædica ſermonem tuum populo Iſraël, vt ſaltem cum ſubintrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Iſraël ſaluus fiat.

Cum eſſet Ieſus prædicans in Synagoga, ait Nazaræis: *Vtique dicetis mihi:* Omnino ſine dubio obiicietis mihi. 2. Vidit Ieſus, vt inquiunt D. Bonauentura, Toletus, noſter Beauxames, Barradas, & alij, Iudæos hæc occultè intra ſe cogitare, & velle Domino opponere quandam ſimilitudinem, ſeu parabolam. D. Bonau. Tolet. Beauxam. Barrad. Ipſe Dominus ſua diuina ſapientia præoccupat obiectionem. *Dicetis mihi: Medice, cura teipſum.* Hoc erat commune prouerbium apud Iudæos, vt obſeruant D. Cyrillus in Catena, D. Thomas, & communiter expoſitores. Cyril. Hoc arguebantur Medici ægrotantes, qui cum alios curarent, ſemetipſos non ſanabant. Hoc ſimulatè voluebant Iudæi intra ſe ad Chriſtum arguendum. Nam cum ipſe dixiſſet, ſe eſſe medicum: *Miſit me ſanare contritos corde.* Luc. 4. n. 18. Luc. 4. Euſeb. alios nempe Capharnaum curaſti, vt ait Euſebius feria 2. poſt Domin. Quadrag. cura teipſum, carnem tuam, propinquos tuos, patriam tuam. Hac phraſi pungebantur illi, qui cum aliis bonis conſiliis proſint, ſemetipſos cum ſuis ſceleribus demergunt in infernum.

3. *Quanta audiuimus*, fama referente. Non dicunt, ſcimus, ſed audiuimus. D. Anton. Vlyſſip. D. Antonius Vlyſſiponenſis feria 2. poſt 3. Dom. Quadrag. Quare dicunt: Audiuimus. *Quaſi dicant, neſcimus, vtrum ſit.* Euſeb. Euſebius homil. citata. *Hoc enim derogando dicebant, & ea, quæ de ipſo audiebant, non credebant.* Tanquam non credentes opera Chriſti, ſolum de auditu dabant teſtimonium: *Quanta audiuimus.* De viſu vero aſſerebant, ſe nihil inſpexiſſe. Vnde dicebant: *Fac, & hic in patria tua;* Vbi conceptus, nutritus, ac educatus es, vbique ſunt tui fratres, ſorores, cognati, familiares, ac vicini. *Homines volunt, quod Deus ad eorũ beneplacitũ ſit obtemperans.* Qui ergo tot miraculis in alios es beneficus, propitius eſto tantis donis in tuos. Et notandum, quod non dicunt: Te rogamus, vt dicas, & facias; ſed imperatiuè loquuntur: *Fac & hic in patria tua:* Adeo aliquando inſoleſcunt homines, vt optent, quod Deus eorum beneplacito ſeſe accommodet, ac condeſcendat. Vide ſuprà cap. 11. quæſt. 15. num. 106. & cap. 24. quæſt. 6. num. 44.



# QVÆSTIO I.

## *Quare cum Nazarethni Chriſto obijcerent humilitatem generis, & abnegationem miraculorum in patriam, Dominus huic ſecundo, & non primo reſpondit?*

4. Aderat Chriſtus Dominus in Synagoga, vt patet ex hoc cap. 4. D. Luc. num. 18. *Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde.* *Difficultas quæſtionis.* Duo oppoſuerunt Nazarethni contra Chriſtum. Primum humilitatem generis, ore proferentes: *Nónne hic eſt filius Ioſeph, nónne hic eſt filius fabri, & fratres eius, & ſorores eius ſunt apud nos:* Vt patet ex textu Diui Matthæi, Marci, & Lucæ ſuperiori cap. poſito. Alterum, mente tantum cogitantes, obiiciebant, vt notaui in Expoſitione, ex D. Bonauentura, ac ex communi conſenſu Recentiorum. Cur cum ipſe ſcilicet tot miracula feciſſet Capharnaum; cur etiam illa in patria ſua non operabatur. Et quod hoc tantum mente tractarent, benè colligitur ex textu; nam in eorum perſona hæc Chriſtus apponit, tanquam ſi ipſi dicerent: *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura teipſum:* Si autem hoc eſſet à Nazarethnis ore proclamatum, Euangeliſta illud adnotaret. Quare ergo Chriſtus, non oris dicto, ſed mentis cogitationi occurrit.

5. *Chriſtus gloriabatur, quod filius Ioſeph putaretur.* Reſpondeo, primò. Quod Nazarethni tanquam in opprobrium, & contumeliam vocibus Chriſtum appellabant filium Ioſeph, filium illius fabri: & tam pretioſum erat Chriſto, quod filius Ioſeph, ac illius fabri putaretur, vt tanquam quid valde glorioſum, ac honorificum ei in æſtimatione fuerit. Vnde ne tantæ gloriæ contradicere videretur, ideo talibus verbis non reſpondet, ſed tacet, & diſſimulat.

6. *Dolet homo de occultatis in aliorum corde.* Secundò, non dictis, ſed cogitationibus occurrit Chriſtus. Sæpè homo prudens plus dolet, ac tangitur de illis, quæ mente, ac corde manent occultata, quàm de illis, quæ ore, ac vocibus ſunt prolata. Eiecto Dæmonio muto, *Admiratæ ſunt turbæ; quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebuth principe dæmoniorum eijcit dæmonia: & alij tentantes ſignum de cælo quærebant. Ipſe autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diuiſum*, &c. Luc. 11. numer. 15. Luc. 11. Lingua aduerſus Dominum blaſphemabant: *In Beelzebuth eijcit dæmonia:* Mente vero deprauatas conceptiones voluebant; ait enim Euangeliſta: *Videns Ieſus cogitationes eorum:* tunc his maximè adductus, ſcilicet cogitationibus reſpondet Dominus, veluti ægrius, ac durius ferens, quæ mente occultabant, quam quæ lingua promebant.

7. Tertiò, non verbis proclamatis, ſed cogitationibus mente retentis reſpondet Dominus. Verba per contumeliam erant iactata, generis humilitatem aſtruentia, quod ſcilicet ipſe eſſet filius Ioſeph filius fabri, quæ qualitati, ac maieſtati perſonæ videbantur ſeſe opponere. At cogitationes, quod cum ipſe ſcilicet, vt Saluator, ac Dominus miſſus eſſet ad curandum, patriæ tamen non medebatur, obligationi muneris contradicebant. *Plus muneris obligatio, quàm perſonæ decor æſtimanda.* Et multo vehementius, ac grauius commotus eſt ſuper cogitationem contra legationem ſibi commiſſam, quàm ſuper omnia dicta, quæ nobilitati, ac honori perſonæ contradicebant. Vnde ad hæc diſſimulat, & tacet, ad illa verò indilatè præuenit, & occurrit rationem reddens, cur in patria miracula non faceret. Plus æſtimanda muneris obligatio, quàm quicumque dignitatis decor, ac fulgor.

Inter multa opprobria, quæ Chriſtus Ieſus 8.
ſua ſacratiſſima paſſione ſuſtinuit, milites *genui flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Matth. 27. numer. 29. Matth. 27. Per ludibrium Dominum regem augurabant. Vnde Iudæi primò totam cohortem, quaſi totum exercitum, tanquam eum ſtipantem conuocant? Thronus extitit quidam lapis, aut ſcamnum, idque in modum tribunalis in altum, vt tradit Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagog. cap. 8. Clem. Alex. Tertiò. Corona regalis fuit ſpinea. Quartò palludamentum conficitur ex chlamyde coccinea. Quintò Sceptrum ex arundine præparatur. Sextò fauſtæ acclamationes, & reuerentia populi fuerunt militum genu flexiones, & ſalutationes Iudaicæ. At inter hæc innocentiſſimus Agnus tacet, & ne vnum verbum profert. Cum autem ipſe in Cruce penderet, *Principes ſacerdotum, illudentes cum ſcribis, & ſenioribus dicebant: Alios ſaluos fecit, & ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Matthæi 27. num. 41. Matth. 27. Et vnus ex latronibus, qui pendebat, *Blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac teipſum, & nos.* Luc. 23. Luc. 23. num. 39. Illud autem: *Blaſphemabat eum:* id eſt, irridebat eum, vt communiter explicant Expoſitores. Statim, ac immediatè Chriſtus Dominus miro, ac miraculoſo modo vnum latronem in vitam æternam lucratur. Quando per ludibrium regem dicunt, ac venerantur, ſilet Dominus, & nec verbo, nec opere ſuum ſupremum, ac verum dominium manifeſtat. Cum autem per ludibrium eum Saluatorem vocant: *Alios ſaluos fecit:* raro, ac extraordinario facto ſuam ſaluandi virtutem exhibet, atque declarat. D. Chryſoſtomus homil. de cæco nato. D. Chryſoſt. *Quoniam graue, & incommodum ſilentium erat, iam reſpondit, atque Latroni Amen, amen dico tibi*, ait. Quod homines contra celſitudinem regalis ſuæ maieſtatis delinquant, per ludibriúmque malè ſentiant de cultu, ac veneratione ſuæ ſupremæ perſonæ debita, diſſimulat, & ſuffert Chriſtus Dominus. At verò quod homines ſiniſtrè iudicent de munere ſaluandi, ſibi iniuncto, ſibíque perſuadeant, quod in minimo apice adimplendo deeſt, nec aliquantulum ſuſtinet, ſed ſtatim occurrit, & mirabili facto, ac dicto: *Amen, amen dico tibi: Hodie eris mecum in paradiſum:* Vnum aduocat, & transfert in vitam æternam; cunctis ſuam ſalutiferam virtutem aperiens, & manifeſtans. *Officij obligatio propria dignitati præferenda.* *Graue admodum, & incommodum ſilentium erat.* Vide in hoc tom. 1. & 2. Verbum Officium.

## Qværtio II.

### *Quare Chriſtus in ſimilitudine appoſita ait :* Dicetis mihi : *& non potius alteri, ſeu vobiſmet ipſis ?*

9\. PONDERANDVM Chriſti verbum: *Dicetis mihi :* Ac ſi eos arguat Dominus:intra voſmetipſos dicitis , quod eſt iniquorum conſuetudo , vt vnus impius , ac malè affectus cum altero loquatur , vt licentioſius obmurmuret , quod ſcilicet Chriſtus in patria ſua miracula non edebat. At ait diuinus magiſter : *Dicetis mihi :* ſeu mihi dicere deberis , qui miracula operari valeo. Res illi , & non alteri eſt aperienda , ac cum eo tractanda , qui opportunum remedium præbere præpotens eſt. Ergo non vobiſmetipſis , ſed mihi, qui virtutem habeo ad ſanandum , dicetis.

*Negotium illi dicendū, qui poteſt dare remedium.*

10\. Deſiderio carnium flagrabat Populus , cuius petulantiam pertæſus Moyſes ait ad Dominum: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi.* Num. 11. n. 14. Per tam longum quadraginta annorum tempus , quo Moyſes verſatus eſt cum populo in deſerto , nec cum fratre ſuo Aarone , qui ſocius eius fuit in eductione Iſraël de Ægypto ; nec cum Ioſue chariſſimo famulo ſuo , qui eius ſecretorum particeps erat,nec cum filio,nec cum vxore cōqueſtus expoſuit,quod populus erat ei grauis , & quod non poterat ferre tantæ multitudinis pondus , ſed ſolum ad Deum rem refert. Abul. q.18. *Non potuit continere verba ſua,ſed aliqualiter conqueſtus eſt Deo,quod eum ab hoc labore eriperet.* Aaron , quamuis frater ; Ioſue, eſto familiaris ab intimis ; vxor, licet maximè diligens;nullus tamen eorum poterat onus ſubleuare,ac inter alios diuidere, vt poſtea factum eſt ; ſed ſolus Deus ; vnde & ſoli Deo negotium exponit, tanquam ab eo leuamen exquirens ; ne aliter cum fratre , familiari , ac vxore in aliqualem obmurmurandi notam videretur incurrere.

Num. 11. — Abul. — *Querimonias Deo exponit Moyſes.*

11\. Ad portas palatij ſtabat Abſalon, & ad omnem virum , qui veniebat ad negotium , ad iudiciumque regis,*dicebat illi : Videntur mihi ſermones tui boni,& iuſti,ſed non eſt,qui te audiat,conſtitutus à rege.* 2.Reg. 15. n.3. Quam hiſtoriam ſcribens Ioſephus lib.7.Antiquit.cap.9.ait,quod Abſalon venientibus ad negotium *delectabiliter loquebatur, quaſi non habente bonos conſiliarios patre rege, ſed iniuſtos in ſuis ſententiis conſiſtentes , quorum iudicio grauarentur.* Ac ſi diceret Abſalon : non eſt conſtitutus à rege , qui iuſtitiam faciat : Ioab non rectè exequitur ſuum munus ; aliíque miniſtri iniuſtè agunt. Sed dic mihi , princeps , quis promptiorem,ac faciliorem aditum habet ad regem Dauid, quàm tu , qui eius chariſſimus filius es ? Cur ergo hæc regi non dicis , qui talia mala obuiare poteſt ? Ad quid cum particularibus hominibus hæc pertractas ? Abſalon contra miniſtros tot querimonias excitabat , non zelo, vt res in melius reformarentur , ſed vt ſolicitaret corda virorum Iſraël , vtque omnes ſiniſtro animo eſſent in regem; & ideo talia patri non deſerebat,è cuius nutu omnia in melius diſponerentur ; ſed cuilibet negotiatori , vt prauo affectu multas querimonias faceret. Vide ſuprà cap.13.quæſt.3. num.13. 14.& 15. & tom.2. cap.1. quæſt.15. num. 55.

2\. Reg. 15. — Ioſeph. — *Abſalon querimonias dicebat populo, vt odiū excitaret in regem.*

## Qværtio III.

### *Quomodo præpoſita ſimilitudo :* Medice, cura teipſum : *applicabatur in præſenti ?*

12\. VVLGARE inter Iudæos extabat prouerbium , vt ait Titus Boſtrenſis. *Protritum, vſitatumque apud Iudæos erat , vt medicos in morbum prolapſos facto hoc , vrbanoque dicto exciperent.* Per ludibrium in artis contemptum hoc vulgariter medico ægrotanti obiiciebant. Ac ſi dicerent:Medice,quid ars tua proficiat,tuum expellendo morbum , primum in teipſo oſtende ; quod ſi non præſtas,non eſt,cur credaris, alios ſanare poſſe.Hoc prouerbio volebant Nazarethni,Chriſtum arguere, quod cum ipſe ſe medicū dixiſſet ex præfato Iſaiæ loco : *ad ſanandum contritos corde miſit me:* famáque eſſet,quod ipſe Capharnaum multos curaſſet,dicunt ei : *Medice , cura teipſum :* hoc eſt cognatos tuos,amicos tuos,patriam tuam;nam patria vnà cum homine reputatur, quod ſi non facis, non crederis ab aliis, quod in te ſit virtus ſanandi.

Boſtrenſ. — *Patria idem cum homine reputatur.*

13\. Hac communi phraſi per irriſionem : *Medice, cura teipſum :* pungebantur illi,qui cum aliis dent recta conſilia , ſibi minimè eis proſunt : qui enim moribus laborat , cum alios ſanare vult,ſæpè irridetur. Vnde ait Ioſeph Abbas Collatione 16. c.23. *Non tolerare poterit,aut curare languentem is , qui ſimiliter ægrotat , ſed ille medelam tribuit , qui imbecillitati ipſe non ſubiacet, meritò ei dicetur: Medice , cura teipſum.*

*Arguuntur ægroti , qui aliis dant bona conſilia.* — Ioſeph Abb.

14\. Illud tamen in præfata expoſitione maximè ponderandum , quod dicunt : *Medice , cura teipſum :* hoc eſt patriam tuam , quæ vnum , & idem cum homine computatur ob ſingularem , & eximium amorem , quo homo in ipſam fertur: omnéſque noſtri affectus in ipſam rapi videntur. Vnde pro ipſa vitam dare grauiſſimi heroes minimè dubitarunt.

*Homo eſt met patria, vt ſeipſum.*

15\. Ingreditur Ionas Niniuem, *Et clamauit , & dixit : Adhuc quadraginta dies , & Niniue ſubuertetur.* Ion.3. numer. 4. Statim Niniuitæ in ſacco, cilicio , & cinere rigidam pœnitentiam amplexati ſunt. Propheta non clamauit , quod Niniuitæ eſſent perimendi , ſed quod ciuitas in deuaſtationem , ac deſolationem eſſet abitura : *Niniue ſubuertetur.* Quodnam ergo motiuum extitit illis habitatoribus , vt tam ſeueram pœnitentiam ſubirent ? Cur non ſe cum omnibus ſuis profugi in alium locum tranſtulere , in quo ab omni periculo immunes , ſaluique eſſent , cum ad hoc ſufficiens quadraginta dierum ſpatium eis eſſet conceſſum ? D. Ambroſius. *Non reliquerunt,* ait, *euertendam ciuitatem ſuam , ſed in ea potius permanſerunt ;* Et poſt pauca ſubdit : *Iniuſtus planè , & impius eſt filius , qui periclitantem deſerit matrem: Mater enim quodammodo dulcis eſt patria , quæ te genuit , quæ nutriuit , quæ vt fugere poſſis diuitem te fecit.* Si Niniuitæ in aliam partem ſemetipſos reciperent , forſitan periculum euaderent, in quo patria poſita verſabatur : & ipſi elegerunt , ſe potius pro tutela patriæ in diſcrimen dare , quàm , illa pereunte , ſeipſos incolumes permanere.

Ionæ 3. — D. Ambr. — *Patria plus æſtimanda, quàm vita noſtra.*

16\. Nil vehementiori deſiderio appetebat Saul, quàm Dauid comprehendere , eúmque vita priuare,



uare , vt ita in ſe , ac filio ſuo regnum ſtabiliret. 1. Reg. 20. num. 31. Contigit autem , vt in deſerto Maon Saul cum exercitu ſuo Dauidem circuncingeret , itaut clauſus vndique teneretur. *Porro Dauid deſperabat , ſe poſſe euadere à facie Saul.* 1. Reg. 23. num.26. Subditur tamen ſtatim: *Nuncius venit ad Saul dicens : feſtina , & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſtiim ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid; & perrexit in occurſum Philiſtinorum.* Si Saul nactus eſt tam optatam occaſionem ob ambitionem ſuam ad perimendum Dauid , quomodo ab ipſa nece deſiſtit ? quomodo eius ambitio in illam , non eum ſtimulat ? interficiendi Dauid magnum in pectore regis æſtuabat deſiderium , multoque vehementior ambitio : at vero vt ſe ſe illi proprij ſoli, ac patriæ amor oppoſuit , omni deſiderio, ac ambitioni prælatus eſt à Saule , vtpote regali purpura , ac diademate nobilitato. Huc aduoco id , quod perbellè dixit Caietanus , explicans præcitata verba : *Perrexit in occurſum Philiſtinorum Boni regis officio functus eſt , præponens bonum publicum priuato.*

1\. Reg. 23. — *patria plus æſtimanda , quàm noſtrū commodum.* — Caietan.

## Qværtio IV.

### *Quare Nazarethni tam acriter Chriſtum calumniabantur ?*

17\. CHRISTI opera totum adimplebant orbem , totumque eum in admirationem rapiebant , vt à multis acclamaretur : *Propheta magnus ſurrexit in nobis : & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Luc.7. num. 16. At Nazarethni multa inuidia , ac odio Chriſtum ferre non poterant, ipſumque multis impetebant : ac calumniabantur vt dicerent ſubſannando : *medice , cura te ipſum:* hoc eſt , vt explicaui ſuperiori quæſtione , cura patriam tuam , amicos ac propinquos tuos ; & cum hoc non præſtas , ſigna à te facta in Capharnaum non credimus : detrahebantque Chriſti virtutibus , ſapientiæ , ac miraculis , vt ſtatim adnotabo. Vnde ergo Nazarethni tantam maleuolentiam in Chriſtum conceperant , cum inter eos Dominus aliquot feciſſet miracula , vt dicam quæſtione ſequenti , eoſque multis honoraſſet.

Luc. 7. — *Ratio dubitandi.*

18\. Reſpondet primò , Euſebius Galicanus homil. in feria 2. poſt. 3. Dom. Quadrag. *Inuidia quadam,* ait , *& indignatione dicere cœperunt : nonne hic eſt filius Ioſeph ? Hoc igitur ſolum minus habere videbatur , quod extraneus non erat , quod eius parentes nouerant : ſi enim aliunde veniſſet, eiſque omnino incognitus eſſet , tunc eis per omnia venerabilis , omnique reuerentia dignus haberetur.* In paruo vico Nazareth erant cuncti Chriſti conſanguinei , vel vicini , ac amici ; & minimè ferre poterant, quod ſuus conciuis in tanta gloria , honore , ac virtute emineret : ſi enim aliunde extraneus aduenifſet, eis eſſet in multa veneratione; quia vero eorum cognatus erat , inde eius prælatio valde eis dura videbatur. Vide ſuprà cap. 22. quæſt.14.num.77.78.& 79.& cap.25. quæſt.1.n.4. 5.6. & 7.

Euſeb. Gallic. — *Homines diligunt extraneos, ſuos odio habent.*

19\. Secundò , Vt notaui ſuperiori cap. quæſt. 4. ex Abulenſi , Chryſoſtomo , Euthymio , Nazarethni agnoſcebant Chriſtum natum ex humilibus , ac pauperibus parentibus , licet ex regali ſemine ; vnde ægrè ferebant , ac maximè indignabantur , quod ipſe tanta ſcientia , virtute , ac poteſtate miraculorum eniteret : & ideo inuidia ſuccreſcente in multis calumniabantur in genere ac cognatione dicentes : *nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria , & fratres eius ,* &c. Matth. 13. num. 55. Calumniabantur etiam in ſcientia , ac poteſtate miraculorum : *Vnde huic omnia , & quæ eſt ſapientia , quæ data eſt illi : & virtutes tales , quæ per manus eius efficiuntur.* Marc. 6. num. 2. Vt ponderauimus ſuperiori cap. Nunc etiam detrahunt in modo , ac loco miraculorum : *Medice , cura te ipſum : Quanta audiuimus facta in Capharnaum , fac & hic in patria tua.* Eorum malignitas, ac inuidia in tantum proceſſerat , vt Chriſto Domino tot , & tanta in opprobrium obiicerent.

*Murmurator aliquando parcit, ſed inuidus calumniatur.* — Matth. 13. — Marc. 6.



20\. De maledicentibus conqueritur Dauid , *Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Pſal. 13. num. 6. Cur non dixit , quod deuorant plebem ſicut vitulos , gallinas , perdices , ſeu ſicut piſces? Ad quid potius dixit , ſicut panem ? Quia ſicut iſte quotidianus eſt cibus ; ſic & populum malignis verbis quotidianis mordere , vſuale , ac commune eis erat alimentum. Maximè tamen in rem noſtram. Vituli , gallina habent oſſa ſicut & piſces ſpinas , quæ non comeduntur : at panis totus , & integer deuoratur , nilque de eo intactum relinquitur. Ecce iniquorum ingenium,omnibus , quæ in homine conſpicua apparent, detrahunt , nullique parcunt , ſed in cunctis venenum ſuæ peſtiferæ linguæ diffundunt. Lorinus. *Ciborum aliorum partes aliquæ relinquuntur , vt oſſa, ſpinæ , putamina , nuclei , ſumitur panis totus ; quare ſumma declaratur auiditas,voracitas , nilque eſſe, quod valeat reſiſtere.*

Pſalm. 13. — *Calumniator totum hominem deuorat.* — Lorin.

21\. Ait Ieremias Domino : *Ollam ſuccenſam ego video , & facies eius à facie Aquilonis.* Ierem. 1. num. 13. Hæc olla ſuccenſa , teſte D. Gregorio lib. 33. moral. cap. 40. eſt iniquorum corda , & lingua. Sed cur olla ſuccenſa à facie Aquilonis dicitur? D. Antonius Vlyſipponenſis in feria 2. poſt. 3. Dom. Quadrag. *A facie Aquilonis,* ait , *id eſt à Dæmonis inſtigatione,& procuratione. Et ideo ſicut olla ſuccenſa fumum non ceſſat emittere; ſic cor impij, flamma inordinati deſiderij ſuccenſum fumigare verbis non poteſt deſiſtere* ( Ex abundantia cordis os loquitur ) *Quia igitur iniqui Iudæi erant contra Chriſtum inflammati cæca malitia, id circo ſumigare verbis contra Chriſtum non ceſſabant , ſemperque curabant,vt contra ipſum calumniam poſſent inuenire.*

Ierem. 1. — D. Gregor. — D. Ant. Vliſ. — *Calumniator nunquam ceſſat.*

## Qværtio V.

### *Quare cùm Chriſtus Dominus ediaiſſet miracula inter Nazarethnos, ipſi dicunt facta in Capharnaum ,* fac & hic in patria tua, *ac ſi ibi nullum feciſſet ?*

22\. CVM Dominus eſſet in patria ſua Nazareth, aliquos infirmos , licet paucos, impoſitis manibus curauit , vt teſtatur D. Marcus 6. num. 5. Quomodo ergo dicunt Nazarethni , auditis factis in Capharnaum , ea *fac hic in patria tua,* acſi ibi nullum miraculum eſſet operatus?

Marc. 6. — *Ratio litteralis.*

ratus? Reſpondeo Primò. Quod illud verbum: *Quanta audiuimus*: poteſt referri tam ad numerum, quàm ad qualitatem miraculorum: quia operata Capharnaum multò plura fuerunt, multoque mirabiliora. Sic accipitur apud Marc. 5. num. 19. ac proinde volebant ciues Nazareth, vt ſimilia miracula quantitate, ac qualitate ibi faceret.

Marc. 9.

23. Marc. 6.

Secundò, D. Marcus ait citato cap. 6. num. 5. *Non poterat ibi*, ſcilicet Nazareth, *vllam virtutem facere (niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit) & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Hoc eſt, vt communiter Interpretes explicant, ſecundum præſentem iuſtitiam non decebat, vt Nazareth plura miracula faceret, quia ipſi Nazarethni ob ſuam incredulitatem, ſe incapaces, & indignos reddiderunt. Et tamen ipſi petunt, vt tot fiant in eis miracula, ac facta ſunt Capharnaum. Ecce innata iniquorum conditio: nam cum ipſi ob culpam, & nequitiam ſuam, ac incredulitatem ſe improportionatos, ac ineptos ad dona percipienda exhibeant, volunt tamen in eorum largitione, ac diſtributione cum fidelibus dignis, ac benemeritis æquiparari, & aſſimilari.

*Indigni cum benemeritis æquiparari volunt.*

24. Tertiò. Infirmos impoſitis manibus curauit Dominus Nazareth; & tamen eius habitatores adhuc alia miracula quærunt dicentes: *Quanta audiuimus facta Capharnaum, fac hic*: Ecce innata ingratis, ac deprauatis hominibus conditio: præ manibus, & ante oculos habent beneficia, ac ſuorum infirmorum curationes; & tamen in illorum auctore ſic cæcutiebant, vt eum minimè agnoſcerent, & viderent. Vnde dicebant: *Quanta audiuimus facta*, &c. acſi ibi in patria nullum fuiſſet factum miraculum. *A fructu frumenti, & vini & olei multiplicati ſunt.* Pſalm. 4. num. 8. Per quas tres alimenti ſpecies omnes affluentias, ac diuitias intelligi, conſtans eſt Doctorum ſententia. Et tamen ibi dicunt num. 6. *Quis oſtendit nobis bona?* In tanta rerum copia, ac abundantia non vident, nec agnoſcunt auctorem, cum lumine naturæ ſignatum ſit in nobis, omnia illa ab vno Deo prouenire, ſed cæca ingratitudo inter beneficia minime recognoſcit illorum largitorem. Theodoretus ibi. *Rurſus accuſat illos*, ait, *qui dicunt: Quis oſtendit nobis bona? tanquam his in præſenti vita perfruentes, & ingrati animi vitio laborantes, à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt, per has tres ſpecies, humanæ naturæ vtiliſſimas, neceſſario alia comprehendit bona, illorum inſcientiam redarguens: quoniam etiam manibus, Dei munera ferentes, & magnificè eius bonis ſe delectantes; vt nihil recipientes, dicere audent: Quis oſtendit nobis bona?* Perpende verba: *etiam in manibus, Dei munera ferentes.*

*Summa ingratitudo nō agnoſcere largitorem inter beneficia.*

Pſalm. 4.

Theodoret.

25. Quartò. Infirmos curauerat Dominus Nazareth; & tamen ei dicitur à ciuibus: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*: acſi ibi nullum miraculum fuiſſet editum. Tale eſt multorum ingenium, vt, etſi multa in eos beneficia conferas, ſi tamen in vno, vel altero, ſeu in aliqua circumſtantia eorum deſiderio non ſatisfacias, ſeu aliquid iuxta eorum voluntatem denegetur, ita obdurati, ac ingrati perſiſtant, acſi nunquam vllum reciperent beneficium. Cum ergo tot miracula inter Nazaræños non fuiſſent perpetrata, quot ipſi volebant, nihil ibi factum reputabant.

*Eſto multa des ingrato beneficia, vnum ſi neges, nil ſibi datum exiſtimat.*

26. Dedit Dominus mirabiliter populo Iſraelitico Manna in deſerto; de quo dicitur Sapient. 16. n. 20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat; deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Et tamen in deſerto obmurmurant contra Dominum concupiſcentes carnes, & piſces. *Ortum eſt murmur populi contra Dominum: flagrauit deſiderio ſedens, & flens: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto? Anima noſtra arida eſt; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Numer. 11. num. 1. Manna omnium ſaporem dabat, non ſolum piis, ſed etiam indiſtinctè, & malis, vt cum communi ſententia dixi ſupra cap. 29. q. 1. num. 16. Quomodo tam auidè Iſraelitæ appetiuere carnes, & piſces, olera, cæpe, & allia? Reſpondet Lorinus ad citatum ſapientiæ locum, Quod Manna erat ſicut ſemen coriandri, ac proinde appetiuerant formam, odorem, colorem carnium, & piſcium & olerum. Cum Manna haberet in ſe omnem dulcedinem; ex defectu illarum circunſtantiarum, ita contra Dominum loquuntur, acſi nullum illis dediſſet alimentum. Quamuis in illo cæleſti pane vniuerſorum ſuauitas eſſet incluſa, quia tamen ibi deerat illa forma carnium, & piſcium aſpectui, & eorum veluti contrectatio manibus, ita contra Dominum indignabantur, acſi omnem illis cibum denegaſſet, nihilque alimenti illis conceſſiſſet. Huc aduoco id, quod dixit Oleaſter in cap. 16. Exod. num. 3. ad illa verba: *Vtinam mortui eſſemus.* ſic ait ipſe: *Ingrati animi eſt, beneficio gratias non reddere, niſi omnia, quæ deſiderat, conceſſerit.*

Sapient. 16.

Numer. 11.

Lorinus.

*Multis datis, ſi aliqua circunſtantia denegetur, ingratus eſt homo.*

Oleaſter.

27. Hilari vultu excipitur Prodigus à Patre, eique in conuiuium præbet vitulum ſaginatum multa feſtiuitate, ſimphonia, & choris. Quæ cum audiſſet maior natu frater, & nollet domum introire, *Patri ſuo*, ait, *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Luc. 15. num. 29. Quomodo ait, quod nunquam dedit ei hœdum, vt cum amicis ſuis comederet, ſi prodigo petente portionem ſuam, *Pater diuiſit illis ſubſtantiam.* Quod notauit D. Chryſologus ſerm. 4. *Hœdum ſibi datum negat*, ait, *qui ſubſtantiæ partem totam tempore diuiſionis accepit.* Et ſine dubio illis ampliſſimis bonis, quæ illi data ſunt, multi erant greges, ac hœdi, ex quibus magna amicis ſuis poterat parare conuiuia: quomodo ergo ait, non fuiſſe ſibi datum? Abſque dubio in illa opulentiſſima ſubſtantia multa ſunt elargita, ſed quia, non ea feſtiuitate, ac applauſu, quibus reuertenti filio, qui perierat, ſunt conceſſa, hac deficiente conditione, & circunſtantia, inde audenter, nil ſibi fuiſſe datum, aſtruit, & affirmat.

Luc. 15.

D. Chryſol.

*Multis datis defectu circunſtantiæ, frater ſenior aſtruit nihil datum.*

---

## Qvæstio VI.

### *Quare, cum in Chriſto reſplenderent omnes virtutes, Nazarethni, ad eum agnoſcendum, nil aliud, niſi miracula quærunt?*

28. Ad cognoſcendum, an Chriſtus Dominus eſſet verus Meſſias, miracula expoſcunt Nazarethni. Verùm ad hoc abundantiſſima

*Ratio difficultatis.*



erant diuinæ Scripturæ teſtimonia, quæ apertè veluti digito oſtendebant, ipſum eſſe verum Meſſiam. Non ne ad hoc ſufficientiſſimæ erant virtutes omnes, quæ in Chriſto gradu eminentiſſimo reſplendebant? Quid magis diuinum, quàm cæleſtis eius doctrina, quæ ab illius ore emanabat? Et tamen Nazarethni miracula quærunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Tale eſt multorum ingenium, qui non ratione, ac prudentiæ dictamine, ſed prodigiis, ac miraculis ducuntur.

*Sunt homines, qui in omnibus miracula quærunt.*

29. Aſtat Chriſtus Dominus coram Herode. Qui *viſo Ieſu gauiſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo.* Luc. 23. num. 8. Chriſtus Dominus autem altitudine ſuæ diuinæ ſapientiæ noluit aliquod miraculum edere. Tunc ipſe *Herodes ſpreuit illum, & illuſit indutum veſte alba.* ibidem num. 11. Quod non feciſſet, vt ait Boſtrenſis, *ſi quod facinus dicto, vel facto deſignaſſet.* Vt Chriſtus Dominus eſſet in ſumma veneratione, ſat erat fama operum illius, eius virtutum ſplendor, videre inter iniurias illam admirabilem modeſtiam, manſuetudinem, ac patientiam: & tamen, quia miracula non eſt operatus, ſpreuit illum Herodes. Barbarus iſte tyrannus, non iudicij pondere, ſed ſignorum oſtenſione mouebatur; & quamuis in Chriſto diuinitas maximè radiaret, tamen Herodes, cum non viderit ab eo fieri ſigna, ſtatim illum omni poſtpoſita ratione ſpreuit.

Luc. 23.

Boſtrenſis.

*Non virtute, ſed miraculis mouentur homines.*

30. Petente populo regem, coram omnibus teſtificatur Samuel, quod de manu cuiuſcumque nunquam munus acceperit, nec vnquam aliquem per iniuriam oppreſſerit, neque ſit calumniatus. Dixitque omnis populus: *Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam.* 1. Reg. 12. num. 4. Tamen in huius rei confirmationem, petente Samuele, miraculosè tempore æſtiuo facta ſunt tonitrua, & pluuiæ. *Clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuias in die illa.* ibidem num. 18. Si Populus pleno ore fatetur puritatem, ac integritatem Samuelis, ad quid huiuſmodi miracula exoptantur, cum hæc à Deo non ſuperfluè, & ſine neceſſitate concedantur? Sunt homines, qui ea, quæ in aliis apertè propriis oculis intuentur, & manibus contrectant, non credant, niſi prodigia, & ſigna interuenerint: & quamuis Iſraelitæ eam fidelitatem in Samuele viſam dicerent; eum tamen non, niſi poſtquā talia ſigna ſunt exhibita in reuerentia illi debita habuerunt. Abulenſis q. 15. *Petente Samuele venerunt iſta miracula, & timuerunt eum, & habuerunt in reuerentia, quia ante hoc non nimis curabant de eo.*

1. Reg. 12.

*Homines non ſcientia ſua, ſed miraculis ducuntur.*

Abulenſis.

---

## Qvæstio VII.

### *Quare Nazarethni tam confidenter à Chriſto expoſcunt miracula?*

31. Pro hac re vide, quæ dixi in expoſitione. Magno nixu, ac confidentia Nazarethni Chriſto Domino dicunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Quo motiuo ducuntur, vt tam audenter proponant, ibi miracula fieri: *fac hic in patria tua?* Rectè ait D. Ambroſius. *Diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur.* Valde inſipienter Nazarethni ratione natalis ſoli, conſanguinitatis, ac amicitiæ miracula expoſtulant, ac affectant; non enim ob huiuſmodi reſpectus, ſed ob merita cœleſtia dona conceduntur; velle autem tali intuitu aſſequi, aperta, & craſſa ſtultitia eſt.

D. Ambroſ.

*Dona danda non ob conſanguinitatem, ſed ob merita.*

32. Ait Eccleſiaſt. 27. num. 12. *Stultus vt Luna mutatur.* Græcus legit: *vt Luna alteratur.* Tigurina: *Variatur.* Hugo inquit: *Stultus prælatus mutatur ſecundum dicta aliorum, vel facta ſubditorum; Luna ſæpè ecclypſatur, & lumen mendicat.* Sed quare clauum tenens ſtultus nuncupatur vt Luna, quæ mutatur, ſeu variatur, & lumen mendicat à Sole? Luna in ſui augmento, ac extenuatione eadem ſemper in ſubſtantia, ac qualitate perſeuerat; has tamen mutationes patitur ex approximatione, ac diſtantia Solis. Quod ergo eadem natura, ac qualitas proficiat, & creſcat ex approximatione Solis, ſcilicet regis, in familiaritate, ac conſanguinitate; decreſcátque, ac minuatur ſolùm ex illius remotione, ac elongatione in affectu, ac amore, ſtultitia eſt, ſtultúſque prælatus ſic ſecundum dicta, & facta ſubditorum mutatus.

Eccleſ. 27. Græcus. Tigurina. Hugo.

*Stultitia fauores præſtare ob affectus particulares.*

33. Prudentia autem eſt, vt quilibet in ſuo munere aſcendat, ac proſperè procedat ob ſua illuſtria facta, ac præclara merita, ſecluſo omni alio beneuolentiæ vinculo. Multiplicatis talentis à domeſticis ſuis, ait Dominus illi, qui quinque lucratus fuerat: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam.* Matth. 25. num. 21. De iuſtis, & ſanctis parabola loquitur: *Dedit nobis hanc charitatem, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Ioan. 1. cap. 3. n. 1. Si ergo iuſti nominantur, ac ſunt filij Dei, cur eos ſeruos vocat, & non potiùs filios ad maiorem honorem, & decorem? Agitur in parabola de ipſis ſeruis, quando vocantur ad gloriam: *Intra in gaudium Domini tui*: tunc non dicit filios, ſed ſeruos. *Euge ſerue bone.* Ait D. Thomas, *de bonitate laudat.* Vt cunctis ſit apertum, quod ad tantam beatitudinem, ac coronam vocantur, non conſanguinitatis vinculo, nec amicitiæ nexu, ſed obſequio tanquam à ſeruis perſoluto, in quo promerendo ſe maximè exercuerunt. Vide multa hoc tom. 1. & 2. verbum Dignitas.

*Dona ob merita danda.*

Matth. 25.

1. Ioan 3.

D. Thomas.

| | |
|---|---|
| *Luc. 4. n. 24.* | Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Euthymius.* | Nullus propheta acceptus eſt. |
| *Syriacus.* | Amen dico vobis, nullum eſſe prophetam, qui recipiatur in prouincia ſua. |
| *Syriacus apud Matth. cit.* | Non eſt propheta deſpectus, niſi in prouincia ſua. |
| *Græcus.* | Non eſt propheta inhonoratus. |
| *D. Hilarius.* | Non eſt propheta inhonorabilis. |

*Arabicus.* Non habetur propheta vilipendio, niſi in patria ſua.

### Alter Textvs.

*Matth.* 13. *n.* 57. Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & domo ſua.

*Marc.* 6. *n.* 4. Dicebat illis: Quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & cognatione ſua.

*Ioan.* 4. *n.* 44. Propheta in patria ſua honorem non habet.

### *EXPOSITIO II.*

34. AD vtramque præpoſitam obiectionem, tam ex humilitate generis, quam ex paucitate miraculorum in patria, reſpondet Dominus, altero prouerbio adducto; & in ipſos retorquet argumentum. Ac ſi diceret: nam ſi pauca miracula operatus ſum inter vos, non eſt ex defectu mei amoris, ſed fidei, ac meriti veſtri, quia in me non creditis, nec vobis in prętio ſum. *Amen dico vobis.* Quidam iurandi modus, eoque hic vtitur, vt notat Chryſoſtomus homil. 49. in Matth. Obiiciebat illis eorum malitiam; & defectum; & tam difficilis eſt homo ad illorum cognitionem obtinendam, vt veluti neceſſarium ſit, quod Deus interponat iuramentum. Nazarethni, qui Dominum intentabant arguere, ab ipſo ſunt redarguti, atque confuſi. *Nemo*, id eſt nullus; *propheta*, diuinæ veritatis annunciator, qui in eius confirmationem multa miracula operatur; *acceptus eſt*, ſeu in pretio, ac æſtimatione habetur in patria ſua quod maximè expreſſerunt Matthæus, & Marcus citati. Plura ſunt intelligenda, quàm dicuntur. Dat Dominus intelligi, quod ideo ipſe miracula non facit, quia more prophetarum deſpectus eſt in patria, eiuſque dictis minimè creditur: his inſtruimur, quàm cautè, ac modeſtè iniquorum delicta eis aliquando ſint obiicienda.

*D. Chryſoſt. Valde difficiliter cognoſcit homo ſuos defectus.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare propheta non eſt acceptus in patria ſua?*

35. NAZARETHNI quoddam prouerbium Chriſto Domino obiecerant: *Medice cura te ipſum*: Chriſtus Dominus alio prouerbio eorum calumniam diluit, & refutat: *Nemo propheta in patria ſua*, ſeu, vt habent Matthæus, & Marcus, *Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria*; ſeu iuxta alias verſiones, *Non eſt propheta deſpectus*, ſeu *inhonoratus, niſi in patria.* Vbi ſe Dominus prophetam appellauit, quia, vt ait D. Remigius, ſic dictus eſt à Moyſe Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus*, &c. Deinde, vt ait D. Thomas in cap. 13. Matth. Propheta dicitur eſſe, qui aliquid annunciat, quod eſt ſuper humanum intellectum per reuelationem; ſic Ieſus dici poteſt propheta, quia mens eius illuminata erat à Deo. Tandem, vt ait Abulenſis in cap. 13. Matth. quæſt. 87. Chriſtus voluit facere vnam propoſitionem vniuerſalem de homine alicuius probitatis, quod non honoratur in patria, & ad hoc valde aptè poſuit exemplum de Propheta, qui ſine humano ſtudio à Deo inſtruitur; ſic ipſe, quamuis litteras non didiciſſet, vt ei obiiciebant, à Patre illuminatus prædicabat, & docebat.

*Cur Chriſtus ſe prophetam appellet.* D. Remig. Deuter. 18. D. Thomas. Abulenſis.

36. D. Hieron. Ad quæſtionem reſpondet Primò D. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Propemodum naturale eſt, ciues ciuibus inuidere: non enim conſiderant præſentia viri opera, ſed fragilis recordantur infantiæ: quaſi non & ipſi per eoſdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint.* Idem habent D. Paſchaſius, Beda, Albertus Magnus, & alij. Cum ciues, ac vicini nos aliquando pueros balbutientes, ac imbecilles agnouiſſent, nullo ætatis progreſſu, nulla euidentia propoſita, à ſuo conceptu deſiſtere volunt, ſed in eo, quod ſemel apprehenderunt immobiles perſeuerant, & ſemper nos, vt pueros, ac rudes concipiunt. Sic ait D. Thomas in cap. 13. Matth. *Quandò homo eſt in patria ſua, multi, qui cognoſcunt infirma ſua, ſemper reducunt in memoriam infirma; hoc enim eſt à malitia hominum, vt magis infirma cogitent, quàm perfecta.* Vide ſupra cap. 15. quæſt. 17. num. 140. 141. & 142. & cap. 22. quæſt. 9. num. 53. & alia ibi citata loca.

D. Paſchaſ. Beda. Albert. Mag. *Difficiliter homo à ſua opinione diſcedit.* D. Thomas.

37. D. Chryſoſt. D. Cyrillus. Secundò, D. Chryſoſtomus homil. 34. in Ioan. *Quia conſuetudo*, ait, *contemptum parere conſueuit.* Sic ait D. Cyrillus. *Solemus*, inquit, *quod tritum, ac quotidianum eſt, etiamſi magnum ſit, parui pendere.* Et Theophylactus. *Conſueuimus*, ait, *ea contemnere, quæ valde familiaria ſunt; ſemper magis attendentes alienis, & inſolitis.* Eandem rationem aſſignat D. Thomas in cap. 4. Ioan. & ſubdit. *Ideo quos familiares magis habemus, minus reuereri conſueuimus; & quos familiares habere non poſſumus, magis reputamus.*

Theophyl. *Familiaritas parit contemptum.* D. Thomas.

38. Abulenſis. Tertiò, Abulenſis in cap. 13. Matth. quæſt. 88. ait. Sæpè viri, inſignes virtute, ſunt ex humili genere, quod extra patriam eſt ignotum, & ſola eorum virtus nota, quæ in magna eſt æſtimatione. At in patria conciues, humilitatem generis contemplantes, virtutis magnitudinem non attendunt. Sicut in Chriſto Nazarenæi non attendebant magnifica, quæ agebat, ſed quod filius fabri eſſet, vt credebatur. Pro quo vide, quæ dixi ſuperiori cap. vltimo.

*In homine virtus attendenda.*

39. Quartò. Non eſt acceptus propheta in patria ſua ex crudeli inuidia inhabitantium; quia maximè dedignantur, ac dolent, vt ſuus conciuis eis præferatur, vt iunior ſeniorem, pauper diuitem, plebeus nobilem præcellat. Theophylactus in c. 4. Ioan. *Quia*, ait, *ſuam confuſionem exiſtimant gloriam contribulis.* Et D. Ambroſius ad hunc locum D. Lucæ. *Non mediocris inuidia proditur, quæ ciuicæ charitatis oblita in acerba odia cauſas amoris inflectit.* O crudelis inuidia, quæ debiti amoris affectus in tuum vicinum, ac compatricium, in dira odij motiua retorquet! Vnde eleganter ait D. Chryſologus ſerm. 48. *Inter ſuos poſſe, morſus eſt, aduſtio eſt; inter ciues eminere proximos, proximorum vrit gloriam: propinquo propinqui ſi honorem debeant, reputant ſeruitutem.*

*Inuidia in cauſa eſt, vt propinquos non veneremur.* Theophyl. D. Ambroſ. Chryſolog.

40. Ioan. 7. Cum Chriſtus Dominus eſſet in Galilæa, *Dixerunt ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in*



*in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi hæc facis, manifeſta te ipſum mundo.* Ioan. 7. num. 3. Et ſubdit Euangeliſta: *Neque enim fratres credebant in eum.* Duo valdè notãda dicit Euangeliſta de fratribus. Vnum, quod Dominus tranſeat ex illo loco; & quod vadat in Iudæam, vt opera miraculoſa, quæ inter eos operabatur, ibi exhibeat, ſe ſéque toto mundo manifeſtet. Alterum; quod fratres non credebant in eum. Quomodo hæc cohærent? Si non credebant in eum, quomodo volunt, vt ab illo loco tranſeat in Iudæam, vt ibi magna miracula operetur? Fratres, vtpotè fratres, tanta in Chriſtum commouebantur inuidia, vt miracula, quæ inter eos edebat, videre, ac ſuſtinere non poſſent; ideoque eum à ſe volunt remoueri, vt ab eis diſcedendo in alium locum ſe conferat. D. Auguſtinus tract. 28. in Ioan. *Opera Domini diſcipulos non latebant, ſed iſtos latebant. Iſti enim fratres, id eſt conſanguinei, Chriſtum conſanguineum habere potuerunt; credere autem in eum ipſa propinquitate faſtidierunt.* Perpende vltima verba; quaſi ex ipſa propinquitate conſanguinei gloria ſit ſuis in nauſea, & tædio; ac tanquam quid eorum ſtomachis indigeſtum. Chryſoſtomus homil. 47. in Ioan. *A voluntate inuidia*, ait, *conſanguinitas enim ſolet quodammodo inuidia haberi.*

*Propinquitas inuidiam, ac faſtidium generat.* D. Auguſt. D. Chryſoſt.

41. Ioan. 7. Deinde dicebant fratres, vt tranſiret in Iudæam. Quibus Dominus reſpondit, non dum eſſe tempus mortis ſuæ. *Dixit eis Ieſus: tempus meum nondum aduenit.* cit. cap. 7. Ioan. num. 9. Sed ad quid ad illorum conſilium dicit Dominus, non dum adeſſe tempus ſuæ paſſionis: Fortè dicebant, vt tenderet potiùs in Iudæam, quàm in alium locum, quia ſciebant, quod Iudæi eum volebant apprehendere, vt eorum manibus moreretur. Propinqui tam pertæſi erant gloriam Chriſti, tamque dura eis erat, vt eius mortem appeterent. D. Chryſoſtomus citata homil. 47. *Hic & aliud*, ait, *quiddam videtur poſſe ſignificari: fortaſſe enim eum tradere Iudæis conſultabant; & ad hoc reſpondit: tempus meum non dum aduenit; hoc eſt crucis, & mortis. Quid autem tempus, vt moriar, properatis?* Vide plura ſuprà cap. 22. quæſt. 14. n. 77. 78. & 79. & cap. 25. quæſt. 1. num. 4. 5. 6. & 7.

*Propinqui de morte propinqui conſulunt.* D. Chryſoſt.

42. Obiectio. Theoph. Carthuſ. Obiicies cum Theophylacto cap. 4. Ioan. Carthuſiano, & aliis hic. Quia vidimus multos prophetas apud ſuos, id eſt in patria ſua honore haberi. Sic Nathan, & Gad, cæteríque vates ſui temporis venerati ſunt à Dauid Rege. Sic Iſaias in multa fuit æſtimatione apud Ezechiam.

43. D. Thom. D. Chryſoſt. Reſpondet D. Thomas ad cap. 4. Ioan. ex D. Chryſoſtomo ad hoc, *Quia Dominus hic loquitur, prout in pluribus accidit.* Vnde quamuis in aliquo ſingulari caſu detur inſtantia; inde tamen propoſitio non redditur falſa: nam in moralibus, ac naturalibus regula, quæ in multis verificatur, vera habetur, licet in aliquo raro caſu deficiat. Illud autem affatum: Nemo propheta in patria: in pluribus prophetis veriſſimum eſt, iuxta illud: *Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri.* Actorum 7. num. 52. *Et Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas.* cap. 23. n. 3. Sicque dicitur Abrahamo: *Exi de terra tua, & cognatione tua, faciámque te in gentem magnam.* Geneſ. 12. num. 1. Sicque *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cantic. 1. num. 5.

Actor. 7. Matth. 23. Geneſ. 12. Cant. 1.

## Qvæstio IX.

### *Quare Dominus in patria ſua non edidit miracula?*

AD præſentem difficultatem ſolutio patet ex illo communi proloquio: Nemo propheta in patria ſua: vt diximus ſuperiori quæſt. Nunc verò ad pleniorem doctrinam aliæ rationes aſſignandæ ſunt. 44.

Prima ratio deſumitur ex incredulitate ciuium Nazareth. Ac ſi dicatur: Alia eſt enim ratio eorum, qui ſunt in Capharnaum; & alia ciuium patriæ: iſti enim non credunt; illi verò maximè. Sic ait D. Marcus 6. num. 5. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Non poterat de lege ordinaria, vt iam dixi, quia non erat in illis fides, ſeu diſpoſitio ad fidem, ſine qua incapaces reddebantur ad diuina dona, ſine enim diuina fide, tanquam ſuper impoſito fundamento, non ædificatur ſpirituale ædificium cæleſtium donorum. Quod ex eorum dictis hic rectè colligit D. Antonius Vlyſiponenſis ſerm. fer. 2. poſt 3. Domin. Quadrageſ. *Hæc autem petitio: Quanta audiuimus*; ait, *vana fuit, quia non habuit ſolidum fundamentum: non enim fuit fundata in fide, & credulitate; quod benè oſtendit dictum ipſorum. Quanta, inquit, audiuimus? Quaſi dicat, neſcimus, vtrum ſint. Chriſtus nihil vult ædificare, niſi ſuper fundamentum ſolidum: fundamentum autem eſt fides; & non niſi ſuper fidem vult ædificare.* 45.

Marc. 6. *Non ædificandum, niſi ſuper ſolidum fundamentum.* D. Ant. Vlyſ.

Secundò, D. Chryſoſtomus hom. 49. in Matth. *Conſidera*, ait, *poſt quantam ſignorum manifeſtationem ad ipſos venerit, & nec ſic quidem ipſum ſuſtinuerint, quin rurſus odio inflammarentur. Quocirca nec fecit ſigna multa, ne maius ſupplicium illis accreſceret.* Ex benignitate miracula poſtulata non concedit Dominus, ne inde ipſi ex ſuo odio, ac incredulitate in maiorem incidant pœnam. Vide tom. 2. cap. 6. quæſt. 10. n. 67. 46.

D. Chryſoſt. *Deus ſæpè ex benignitate negat poſtulata.*

Tertiò, apud Nazarethnos à miraculis abſtinuit Dominus, ne eos ad inuidiam prouocaret; nam, vt ait D. Ambroſius, *Aſpernator inuidorum Dominus eſt.* Quartò, vel quia ipſa patria ob inuidiam inhabitantium indigna facta, quæ Chriſti nobilitaretur miraculis. Præclarè loquitur D. Ambroſ. ad hunc locum Lucæ. *Videte igitur*, ait, *quid mali inuidia afferat; indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua ciuis operetur, quæ digna fuit, in qua Dei filius conciperetur.* 47.

D Ambroſ. *Inuidia nos reddit indignos Dei beneficiorum.* D. Ambroſ.

Quintò, dixerunt Nazarethni: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac hic in patria tua:* Valdè ineptè argumentantur, magni principis eſt, omnia dona ſua, non in vnum locum conglomerare, ſed per multa loca partiri. Nazareth, vt ait D. Ambroſius, nobilitatur miraculorum maximo, vt Chriſtus in ea conciperetur: Capharnaum verò multis aliis miraculis. De hoc multa verbum. *Beneficium*, hoc tom. 1. & 2. 48.

*Beneficia sũt diſtribuenda per multos.*

Sextò, Nazarethni in ſua petitione magnam iniuriam Chriſto Domino intulerunt; valdéque ſtultè locuti ſunt; dixerunt enim: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac hic in patria tua:* cum Chriſtus eſſet omnibus natus, volebant ei aſſignare patriam, & locum particularem, in quem eius 49.

*Qui ſe iudicat digniorẽ, indignus eſt.*

eius beneficia coacetuarentur. Vnde & tali petitioni non annuendum. Septimò, Nazarethni, vtpotè Domini patricij, ſemetipſos miraculorum Chriſti digniores iudicant; & qui ita excellentiores ſe appretiant, efficax coniectura, vt indigni conſiſtant. Vide cap. 3. quæſt. 10. num. 56. & cap. 6. quæſt. 10. num. 72. 73. & 74.

50. Octauò, non edidit tanta miracula in patria, vt cunctis fieret manifeſtum, quod ipſe oculis tantùm intentus non verſabatur in eos, qui in proximo aderant, ſed etiam in illos, qui à longinquo aſtabant. Propinqui tanquam è propinquo aderant; Capharnaitæ tanquam à longè, & hos Dei clementia intuetur. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ait Paulus ad Hebræos 2. num. 16. Non angelicam naturam, ſed humanam apprehendit. Angeli è proximo aderant, aſſiſtentes ſunt Deo. Homines veluti à longinquo adſtabant. Et tamen non ſibi hypoſtatice vniuit eorum naturam, qui aſſiſtebant, ſed eorum, qui veluti à longè verſabantur. Patrocinatur D. Remigius. *Nec eſt*, ait, *tanta dignitas Angelis collata, vt in vna perſona eorum naturæ filius Dei coniungeretur, quam dignitatem, & honorem humanæ naturæ diuina gratia contribuit, vt Deus, & homo vna eſſet perſona. Et dixit, apprehendit, quia nos recedentes à ſe, & longè fugientes inſecutus apprehendit.* Vide infrà cap. 34. q. 5.

*Princeps non ſolùm videat, qui ſunt in propinquo, ſed etiam, qui à longè.*
Hebr. 2.
D. Remig.

51. Nonò, negat Dominus multitudinem miraculorum in patria ſua. Ipſa multis donis à Deo acceptis valdè ingrata extiterat. Incarnationem diuini Verbi non recognouit. Et cum Chriſtus Dominus apud eos eſſet educatus, & enutritus, multas diuinas virtutes oſtendens, & declarans, minime tamen à ſua patria veneratus eſt, ſed ibi potiùs crudeli odio proſecutus. Et qui donis acceptis ingratus exiſtit, omni beneficio ſe priuat. D. Laurentius Iuſtinianus lib. de humilit. cap. 15. Ingratus ſcilicet, *Diſperdit*, ait, *vtique repentè aggregatas cum ſudore maximo ſpirituales diuitias; obſtruit contra ſe oſtium diuinæ bonitatis, miſericordiarum Dei exſiccat fontem; & chariſmatum cœleſtium communione ſe priuat.*

*Ingratitudo exſiccat fontem miſericordiæ.*
D. Laur. Iuſt.

52. Puniens Deus Cain, ait illi Geneſ. 4. num. 11. *Maledictus eris ſuper terram, quam cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos.* In primo orbis molimine mandauit Deus terræ, vt germinet, & producat fructus; cur ergo, ſaltem exculta, Caino ſuos denegat partus? Cain ingratiſſimus extitit Deo: obtulit enim illi ſecundos, & viles fructus, vt eſt communis interpretum vox; ſibi verò primos, & meliores reſeruauit. Non ergo mirum, quod tanta ingratitudo diuinæ benignitatis, ac mandati fontem exſiccaret, vt ipſa terra, etiam exculta, ei ſterilis redderetur. D. Ambroſius lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 6. *Oblatio*, ait, *inſigne deuotionis, & indicium gratiarum eſt; non rectè diuiſit Cain, qui ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret Auctoris.* Vt ipſe S. Doctor ſe explicat lib. 1. de Abel, cap. 10. *Primitiua eſt oblata Deo gratiarum actio.* Et quia in ipſis gratiarum actionibus defuit, punitus eſt.

Geneſ. 4.
*Ingratitudo ſterilifat beneficia.*
D. Ambr.

53. Digito Dei ſcriptas tabulas e manu ipſius Dei accepit Moyſes; cumque deſcenderet de monte, & videret populum vitulum adorantem, *Iratus valdè proiecit de manu tabulas, & confregit ad radicem montis.* Exod. 32. num. 19. Poſtea verò ex Dei mandato præcidit alias tabulas inſtar priorum. Exod. 34. num. 1. quæ in Arca ſeruatæ ſunt. Si propter peccatum idololatriæ iratus Moyſes primas fregit, etiam Iſraël multoties in idololatriam relapſus eſt; & tamen ſecundæ tabulæ integræ cuſtodiuntur? Primæ acceptæ ſunt à Moyſe ſine vlla gratiarum actione; poſteriores verò magno laudis Cantico, in quo duodecim prærogatiuæ Dei celebrantur. *Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis.* Exod. 34. num. 6. Donum ſine gratulatione ſtipatum confringitur, ac colliditur; ipſamet verò communitum, tanquam magna cuſtodia appoſita, diu durat, ac perſeuerat. D. Ambroſius Præfat. in Pſalm. Dauid. *Legis tabulæ*, ait, *priuſquam Cantico firmarentur, per indignationem Moyſis fractæ, & comminutæ ſunt. Vbi verò tali ſignaculo conſecratæ ſunt, humana locum ira non habuit, quia ſanctificatio eam ſacræ ſuauitatis excluſit.* Ac ſi dicat: Sine gratiarum actione animus ira perturbatur, vt Dei donum perdat; illa verò præmiſſa, valdè quietus beneficium retinet, & poſſidet. Vide ſuprà cap. 22. num. 48. 49. & 50.

Exod. 32.
Exod. 34.
*Ingratitudo beneficium frangit.*
D. Ambr.

## Qvæstio X.

### *Si Chriſtus propter incredulitatem habitantium in patria non fecit miracula: Cur & alijs in locis fecit, cum ibi multi adeſſent increduli?*

Contra ſuperiùs dicta duas obiectiones hic mouet Cardinalis Toletus annot. 43. Et prima: Quia ſi Chriſtus non fecit miracula, quia in patria propheta non eſt acceptus: ergo Chriſtus miracula non faciebat, niſi apud eos, quibus erat acceptus: quod ſpeciem quandam ambitionis, ac vanæ gloriæ videtur inuoluere. Reſpondeo, quod verum eſt, quod Chriſtus faciebat miracula, vt homines eum reciperent, & eum verum eſſe filium Dei crederent. *Hæc dixi propter populum, qui circumſtat, vt credant, quia tu me miſiſti.* Ioan. 11. n. 42. Hoc autem non fiebat ab eo propter aliquam ambitionem, ſeu vanam gloriam, ſed ex ſumma in Patrem charitate, ac erga nos dilectione: Gloria enim Patris eſt, ac ſalus, & vita noſtra in eo conſiſtit, vt Ieſum filium Dei agnoſcamus, & credamus; Chriſtus autem ſummopere noſtram ſalutem cupiebat. Ioan. 11. num. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Ioan. 17. num. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolùm verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioan. 8. num. 24. *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* 54.

Toler.
Ioan. 11.
*Chriſtus faciebat miracula ob gloriam Patris, & noſtram ſalutem.*
Ioan. 11.
Ioan. 17.
Ioan. 8.

Secunda obiectio, & maximè ad quæſtionem propoſitam. Si Chriſtus non edebat miracula in Nazareth, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua; ergo nec etiam aliis in locis faceret miracula, in quibus non eſt acceptus, verbi gratia in Ieruſalem, vbi Phariſæi illum grauiter calumniabantur, eumque lapidare volueræant, & tandem conſilio inito comprehenderunt, ac crucifixerunt. Reſpondet citatus Toletus. Quod huiuſmodi miraculorum abnegatio, dilectionis ſignum fuit erga Nazarethnos. Quando enim homo beneficiis Dei eſt abuſurus, maius accipit beneficium, magíſque diligitur, ſi ea illi non conferantur: 55.

*Abnegatio donorum beneficium obſtinatis.*



miracula incredulis facta, beneficium eſt; eorum verò abnegatio, maius; tot enim ſignis eorum culpa grauior, ac inexcuſabilior apparet. Ioan. 15. num. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et iterum num. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* 2. Petr. 2. num. 21. *Melius erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo.* Vide cap. 20. num. 31. 32. & 33.

Ioan. 15.
2. Petr. 2.

56. Reſpondeo ad quæſtionem. In aliis locis, in quibus Dominus edidit miracula, quamuis à multis non eſſet receptus, tamen ab aliis eius diuina maieſtas agnita eſt. Mulier clamat: *Beatus venter.* Luc. 11. num. 27. Cæcus confitetur: *Credo Domine.* Ioan. 9. num. 38. Centurio adorat: *Domine non ſum dignus.* Matth. 8. num. 8. At in Nazareth, in qua ita incredulitas degebat, quamuis plura miracula faceret, à loci ciuibus, vt Deus, non erat recipiendus, ac adorandus. In Nazareth omnium miraculorum maximum, Incarnatio nempe diuini Verbi facta eſt. Et compertum apparet, quod illi homines, qui ſummo diuinæ potentiæ opere non ſunt aſtricti, minimè quocumque alio miraculo, reſtitutionis nempè oculorum cæcis, pedum claudis, ſanitatum infirmis deuincentur. Qui enim magnis, ac primis beneficiis non obligatur, paruis, ac minoribus non adducitur, ac compellitur in tui obſequium.

Luc. 11.
Ioan. 9.
Matth. 8.
*Qui maiori beneficio non pignorantur, nec maiori obligantur.*

57. Maximè ponderant ſacri expoſitores modum, quo Dominus ſe habuit cum Iuda in vltima cœna, cuius proditoriam nequitiam præuidebat Dominus; & tamen eum in communi reprehendit. *Vnus veſtrum me traditurus eſt.* Matth. 26. num. 21. *Væ homini illi.* Cum tamen iuxta veram Theologorum doctrinam, quando homo iam deprauatus in grauia ſcelera præcipitandus ſit, in particulari cum teſtibus eſt commonendus. Matthæus 18. num. 16. imò & teſtes poſſunt gradatim augeri, vt docent Malderus 2. 2. quæſt. 33. art. 8. Bonacin. 2. tom. diſput. 3. quæſt. 4. punct. 7. num. 14. quod maximè habet locum in prælatis per reſpectum ad ſubditum multò ſcelere fœdatum. Cur ergo Chriſtus Dominus omnium magiſtrorum caput, regula, & exemplum, videns Iudam in tantum ſcelerum barathrum emergendum, eum particulariter, ac coram aliquibus non commonefacit. Iudas poſt acceptum cœleſtem panem execrabile nefas apud ſe firmiter ſtatuit. *Poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Ioan. 13. num. 28. Meritò ergo ſignatim à Chriſto non reprehenditur; nam vt ait D. Hieronymus in c. 26. Matth. *Iudam non deſignat ſpecialiter Dominus, ne manifeſtè coargutus impudentior fieret.* Qui tam mirabili beneficio, vt ſuus magiſter, Dominus, ac Deus ſe ipſum illi in edulium, præberet; animo non religatur, vt à proditoria malitia cohibeatur, minimè correctionis beneficio aſtringetur, vt à tanta malitia ſuperſedeat, ac deſiſtat.

Matth. 26.
Matth. 18.
Malderus.
Bonacin.
Ioan. 13.
D. Hieron.
*Qui magnis non religatur, minimè paruis.*

*Luc. 4. n. 25.* In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra.

*Num. 26.* Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Veritatem etenim dico vobis, multas extitiſſe viduas in domo Iſraël in diebus Ilyo prophetæ, quum clauſi ſunt cæli annis tribus, & menſibus ſex, itaut fuerit fames magna in vniuerſa terra.

*Vatablus.* Multæ viduæ erant temporibus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum triennio, & ſex menſibus, cum orta eſſet fames magna per omnem terram.

*Arias.* Cum facta eſt fames per omnem terram.

### *Expositio III.*

58. *In veritate dico.* Rectè ait D. Ambroſius lib. de viduis. *Cum me*, ait, *admoneat, Dominus, quod in veritate dictus ſit, ad myſterium videtur ſolicitare aures.* Exemplo duorum prophetarum confirmat Chriſtus Dominus illud prouerbium: *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua*: & ſimul in eos retorquet argumentum, quod ſcilicet extraneos domeſticis præferat propter ipſorum domeſticorum incredulitatem, qua indigni inuenti ſunt cœleſtibus beneficiis. Titus Boſtrenſis quærens rationem, cur Deus auxilietur viduæ Sareptanæ per Eliam, & Naaman per Eliſæum, ſic ait: *Cur ita? Quia ex omnibus viduis illa ſola reperta eſt fidelis: pari modo ex omnibus leproſis Naaman idoneus inuentus eſt, cui hoc beneficium impertiret.* Explicemus textum: *Multæ viduæ*; egentes ſcilicet, fame, ac inedia oppreſſæ *erant in diebus Eliæ*, ætate Eliæ, miraculis clariſſimi. *Quando clauſum eſt cælum.* Metaphoricè, ait Caietanus, deſcribitur negatio pluuiæ per clauſum cælum, quia apparet pluuia deſcendere de cælo, ac per hoc impediri, ne deſcenderet, ex clauſura cæli. *Cum facta eſſet fames in omni terra*, ſcilicet per regionem Iſraël, ac vicinam, vt erat Sarepta, quæ Sidoniæ regio erat.

D. Ambroſ.
Boſtrenſ.
Caiet.

59. *Et ad nullam illarum*, viduarum Iſrael, *miſſus eſt Elias* à Deo ad ſubleuandam inopiam miraculo farinæ, & olei, *niſi in Sarepta Sidoniæ.* Tyro, & Sidonia duæ valde celebres ciuitates erant vicinæ, immò conterminæ Galilææ. Earum incolæ gentiles extabant, non Iſraelitæ. Sarepta quaſi media habebatur inter Tyrum, & Sidonem. Diſtabat Sarepta duobus à Sidone milliaribus. *Ad mulierem viduam.* Hanc cæteris Deus prætulit ob illius

lius eximiam charitatem, obedientiam, & fidem, vt docent D. Chryſoſtomus homil. 29. in 2. Corinth. & D. Ambroſius lib. de viduis. Nam cum Elias ab ea peteret buccellam panis, ipſa reſpondit, quod non habebat, niſi pugillum farinæ, & parum olei. *En colligo duo ligna, vt faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur; ad quam Elias ait: noli timere, ſed vade, & fac, vt dixiſti: veruntamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem, & affer ad me; tibi autem, & filio tuo facies poſtea. Hæc dicit Dominus: Hydria farinæ non deficiet*, &c. *Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ.* Vides charitatem, & obedientiam mulieris? Quamuis ipſa cum filio ſuo eſſet in extremis, fecit iuxta verbum Eliæ; & primum attulit ipſi panem. Vide fidem mulieris, quæ vno ſimplici verbo prophetæ credidit: *Hydria farinæ non deficiet*, &c.

D. Chryſoſt.
D. Ambr.
3. Reg. 17.
*Fides, & charitas mulieris,*

60. Senſus ergo eſt. Sicut temporibus Eliæ vna mulier gentilis, quia credidit Prophetæ, digna fuit tantis miraculis, quorum fuerunt incapaces Iſraelitæ ob ſuam incredulitatem; ſic vos, ô Nazarethni, ait Chriſtus, vobis præfero Capharnaitas, quia me cæleſtem doctorem à Patre miſſum audiunt, quod vos non vultis præſtare.

*Senſus legitimus.*

---

## Qvæstio XII.

### *Quare hic adducitur in exemplum Elias, cum eoque allegatur?*

61. Calvmniam ſibi obiectam de non editis miraculis in patria confutat Dominus communi dicto: *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua:* quodque confirmat facto Eliæ, qui derelictis multis viduis, fame oppreſſis in Iſrael, ad vnam alienigenam ſubleuandam miſſus eſt, vt explicatum eſt. Sed ad quid Domine ad comprobationem tuorum operum in medium adducis Eliam? Primò ad oſtendendum à ſe non moliri rem nouam, ſed iam perantiquam, & à magnis Patribus fieri ſolitam. Nouitas ſæpè periculoſa eſt. Vide ſupra cap. 1. quæſt. 19. num. 128. & 129.

*Nouitas fugienda*

62. Secundò. Ad quid allegatur Elias? Domine, ad comprobanda tua opera recte facta, ſat eſt, à te eſſe edita: ad quid ergo hic Propheta commemoratur? Voluit Dominus Parentem Eliam honorare, ſignificando, ac denotando, quod tanta erat eius opinio, ac authoritas erga populum, vt videretur, ſat eſſe, illud ab Elia eſſe perpetratum, vt in omnium oculis iuſtum, ac rectum haberetur. Et quid mirum, quod tanta rectitudo, ac ſanctitas appareat in Elia, cum ipſe Chriſti Domini geſſerit figuram, & typum, vt docent D. Baſilius in Catena, D. Bonauentura. S. Antonius Vlyſſipponenſis in homil. propria, & 3. Reg. 17. S. Eucherius. Angelomus; Lyranus, Salianus, Cornelius; tum in nomine, de quo quæſt. ſequenti; tum in multis, vt hic iam dico.

*Magna Eliæ apud omnes opinio.*
D Baſilius.
D Bonauent.
S Ant. Vlyſſ.
S Euchirius
Angelomus.
Lyranus.
Salianus.
Cornelius.

63. Et primò. Ad ſuſcitandum filium viduæ expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum. 3. Reg. 17. num. 21. In quo repræſentauit Incarnationis myſterium, quo diuinitas filij Dei ſe expandit ſuper totam humanitatem noſtram, eique quaſi ſe ipſam admenſa eſt, & coæquauit, vt eam frigidam calefaceret, & animaret exanimem, mortuamque viuificaret. S. Proſper. Par. 2. Prædict. cap. 31. *Elias, ait, vt mortuum paruulum ſuſcitaret, iuuenilia membra contexit. Et Dominus Ieſus ſe ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: paruum ſe illi paruo coaptauit, vt efficeret illud corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Iacens ſubter ſe frigidum ſuo calore ſuccendit: ſimiliter & noſter Saluator mundum, à cuius calore, non eſt iam, qui ſe abſcondat; inſufflauit illi tertio iacenti, vt trina confeſſio infunderetur credenti.* Et notat Cornelius à Lapide, quod ter Elias incubuit puero, eique ſe ipſum coarctando admenſus eſt. Ter ſe ipſum Chriſtus coarctauit, & humanæ naturæ commenſus eſt. Primò in vtero; ſecundò in præſepio; tertiò in cruce. Itaque mortuum genus humanum viuificauit, eique ſpiritum charitatis, paupertatis, & patientiæ inſpirauit. In hiſque notandum, quod primus mortuorum ſuſcitator Elias in Scripturai nuenitur: tot mirabilium primitiæ tanto Patriarchæ debebantur.

3. Reg. 17.
*In Elia repræſentatur Incarnationis myſterium.*
D. Proſper.
Cornelius.
*Elias primus mortuorum ſuſcitator.*

64. Secundò. Compone id, quod ait Chriſtus Dominus de Elia Matth. 17. num. 11. *Elias quidem veniet, & reſtituet omnia*: cum illo, quod Apoſtolus ait de Chriſto. *Inſtaurare omnia in Chriſto.* Ad Epheſ. 1. num. 10. Audi Ianſenium explanantem præfata Matthæi verba in ſua Concordia cap. 67. *Intelligendum eſt*, ait, *quod dicitur Elias omnia reſtauraturus, quomodo Chriſtus dicitur à Paulo inſtauraſſe omnia, quæ in cælis, & quæ in terris; nimirum quia homines, inter ſe, & cum Angelis diſſidentes, inter ſe, & cum Angelis, atque Deo pacificauit. Si enim & Elias reſtituet, quando incredulos Iudæos gentibus credentibus vniet, & ad fidem patriarcharum redire faciet.* Chriſtus vt omnium Saluator, & Redemptor, inſtaurabit omnia, quæ ſunt in cælis, vt explicat Diuus Auguſtinus in Enchidion. cap. 62. dum id, quod lapſum eſt in Angelis, ex hominibus, redditur; & id, quod lapsũ eſt in hominibus, à corruptione antiquę vetuſtatis renouatur. Elias, vt à Chriſto miſſus, reſtituet omnia, conuertendo corda patrum in filios. Malach. 4. n. 6. excitando in filiis fidem, animum, ac deuotionẽ, quam habuerunt eorum patres, quæ in ipſis filiis erat deperdita; ſicque ſua prædicatione eos reconciliabit Deo, vt explanant ad citatum locum Malach. D. Hieronymus, & D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 29.

Matth. 17.
Ad Epheſ. 1
Ianſenius.
*Elias reſtaurans omnia*
D. Auguſt.
Malach. 4.
D Hieron.
D. Auguſt.

65. Tertiò, Mors, & diabolus ante Chriſti aduentum regnabant in mundo. At ſanguine Chriſti mors extincta eſt. *Mors mortua tunc eſt, quando mortua vita fuit.* Sanguineque Chriſti diabolus debellatus, ac eiectus eſt à mundo. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ioan. 12. num. 31. Crudeli tyrannide Antichriſtus regnabit in mundo, crudeleque contra Sanctos faciet bellum: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet.* Matth. 24. Crudelis tamen hoſtis Eliæ ſanguine peribit. Accipe Tertullianum lib. de anima. cap. 50. *Tranſlatus eſt*, inquit, *Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Sanguine Chriſti mundus à dæmonum principatu liberatur; ſanguine autem Eliæ aliqualiter dici videtur, quod & mundus ab Antichriſto, vt dæmonum membro, regnante eximitur. *Vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Poſt mortem Eliæ ſubſequetur Antichriſti mors. Apocal. 11.

Ioan. 12.
Matth. 24.
Tertullian.
*Sanguine Eliæ Antichriſtus extinguitur.*
Apocal. 11.

Quartò



66. Quartò, Chriſtus venit in mundum, vt iram, ac indignationem ſui Æterni Parentis auerteret à nobis, noſque vt proprio ſanguine ſuo reconciliaret Deo. Elias autem, vt figura, ac vmbra ipſius Chriſti vt dicitur Eccleſiaſtic. 47. num. 10. *Scriptus eſt in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini.* Seu, vt legit Vatablus; *ad pacandam iram.* Magnum elogium Eliæ, quod ipſe Dei ſapientia adſcriptus, & reſeruatus eſt pro tali tempore, ac tali anno, vt ſuo zelo, ſua prædicatione ac doctrina valeat ſedare, ac lenire iracundiam Domini conciliando cor patris ad filium, vt Iudæi in fine mundi ſuos Patriarchas imitentur, ac Chriſtum verum Meſſiam iam præſentem credant, & adorent.

Eccleſ. 47.
*Elias leniet iram Dei.*

67. Quintò, Multus eſt D. Auguſtinus ſerm. 201. de tempore, in hoc argumento comprobando. Inter cætera ſic ait: *Elias figuram habuit Domini Saluatoris. Elias orauit, & ſacrificium obtulit; & Chriſtus pro vniuerſo mundo ſe ipſum immaculatum ſacrificium tradidit. Elias orauit in monte Carmeli; & Chriſtus in monte Oliueti. Elias orauit vt pluuia in terram veniret; & Chriſtus, vt in cordibus humanis gratia diuina deſcenderet. Quod autem dixit Elias ad puerum ſuum, Vade, & conſidera ſepties ſeptem ſancti Spiritus gratiam, quæ danda erat Eccleſiæ, deſignabat.* Ac multa alia ibi de hac re docet, *& Denique*, ait, *ſicut Dominus poſtquam multas virtutes exercuit, poſtea quam paſſus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cælum, ita & Elias poſt mirabilia, quæ per eum Deus fecit, igneo curru eleuatur in cælum.*

D. Auguſt.
*Elias in multis Chriſti figura.*

68. Sextò, Chriſtus Dominus conſtitutus eſt à Deo Patre, vt idea, & exemplar, quem omnes imitari debent, & à quo omnes omnia bona participant; vt colliges ex D. Thoma 3. p. quæſt. 54. ar. 1. Elias tam amplo ſpiritu ditatus eſt vt cunctis ſit in exemplum ad imitandum. Vniuerſo populo Chriſtiano proponitur Elias, vt eius zelum honoris Dei ſequatur, vt habetur in Iure Canonico 23. quæſt. 4. cap. *ſi illic.* Sacerdotibus proponitur Elias, vt ipſum imitentur in ſalute populi procuranda inquę rectitudine morum plantanda, turpibuſque vitiis pullulantibus propulſandis. Cap. *Quod Chriſtus.* & cap. *Guiliſarius.* eadem quæſt. Epiſcopis, & Prælatis proponitur Elias, vt ab ipſo hauriant exemplum ad rectè ſuum munus exequendum ſine reſpectu perſonarum 1. quæſt. 1. Cap. *Cum ſcriptura.* Vniuerſis miniſtris proponitur Elias, vt ab illo cuncti percipiant documenta ad contemnendos reges ſacrilegos, & tyrannos, ac ad comprimendos, ac interficiendos hæreticos, & apoſtatas. D. Chryſoſtomus lib. 3. de Prouidentia. Cunctis Religioſis proponitur Elias, vt in vita monaſtica eius exemplum ſequantur. Macarius Abbas ſerm. ad Monachos, qui incipit. *fratres chariſſimi.* refertur à Palæonydoro lib. 1. cap. vlt. in fine; & illius meminit Suarius tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 1. n. 1. *Eliam, & Eliſæum, ac filios prophetarum, quos conſtat veraciter veteris teſtamenti Monachos, imitari curate.* Sicque *S. Antonius*, vt teſtatur S. Athanaſius in eius vita; *Secum reputans*, ait, *oportere, Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere, ad ſepulchra non longè à villa conſtituta ſeceſſit.*

D. Thomas.
*Elias nobis exemplum ad imitandum.*
D. Chryſoſt.
Macarius.
Palæonyd.
Suarius.
S. Anton.
S. Athanaſ.

69. Tam magnus eſt Elias, tantúmque Chriſti vmbram, ac figuram gerebat, vt quando cum Chriſto in monte apparet in gloria, dicat Petrus Ieſu. *Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.* Matth. 17. n. 4. Quomodo magne princeps Apoſtolorum eodem modo dicis à te parandum vnum tabernaculum Chriſto, ac Eliæ? Eadem quaſi paras Domino, & ſeruo? Audi Tertullianum magnis verbis de magno Elia loquentem lib. de Ieiunio. aduerſus Pſychicos cap. 6. *Quid*, ait, *tu Elia hic? Tanta eſt circunſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem re vera pari.*



Matth. 17.
*Petrus Chriſto, & Eliæ parat tabernaculum.*
Tertull.

---

## Qvæstio XII.

### *Quare non exprimitur aliquod miraculum ex multis, quæ Elias fecerit apud viduam? agiturque de magno Eliæ nomine.*

Apvd hanc mulierem Sarephtanam multa miracula operatus eſt Elias farina creſcit, oleum multiplicatur, filius mortuus ſuſcitatur: & tamen nullum ex his exprimitur; ſed ſolum dicitur, quod cum clauſum eſſet cælum, Elias miſſus eſt ad mulierem viduam. In Eliſæo tamen de miraculo ab ipſo edito in curanda Naaman lepra expreſsè mentionem facit Dominus. *Et nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Cur ergo vnum miraculum in Naaman factum, in medium adducitur: tot vero, & tanta ab Elia in domo viduæ perpetrata ſilentio inuoluuntur? Extant multi præclari viri, iuſti, qui vt ſancti cognoſcantur, ac habeantur, exigitur, vt eorum miracula referantur, ac dicantur. At Elias tam illuſtris eſt quod vt magnus, ac vt excelſus habeatur, non neceſſarium ſit, aliquod eius miraculum apponere; ſed ſat eſt dicere, ac oſtendere, quod ipſe eſt Elias. 70.

*Ratio dubitandi.*
*Elias per ſe ipſum magnitudinem præfert.*

Tanquam in compendio refert Dominus Ioannis magnalia, eiuſque miram pœnitentiam, ac admirabilem conſtantiam laudat, eumque dicit prophetam, ac pluſquam prophetam, angelum, nullumque maiorem inter natos mulierum ſurrexiſſe, & tandem concludit: *Si vultis recipere, Ioannes ipſe eſt Elias.* Matth. 11. num. 13. Alij legunt, vt dixi cap. 13. *Si vultis approbare*, Sed quomodo inter illuſtria Ioannis elogia tamquam clauſula ponitur *Si vultis recipere, Ioannes ipſe eſt Elias.* Ait D. Thom. *Hic ponit excellentiam Ioannis.* Inter tot præclara encomia, cum Ioannes dicitur Elias, hic inſigniter nobis inculcatur eius excellentia, & tanquam quid maius fortitudine, propheta, ac angelo dici videtur. 76.

Matth. 11
D. Thomas.
*Ad excellentiam Ioannis dicitur Elias.*

Magnum Eliæ nomen. Elias ex Hebræo, iuxta D. Hieronymum, D. Athanaſium, D. Iſidorum, Angelomum, Gloſſam ſignificat, ac idem valet, ac *Dominus Deus.* Iuxta D. Chryſoſtomum quæſtione ſequenti, ex Græco Elias *Sol* interpretatur. Iuxta Cornelium à lapide ſtatim citandum, *Reſtaurans.* Ad quid tot ſignificationes importat Eliæ nomen? Ait Iſaias 9. num. 6. de Chriſto Domino Vocabitur nomen eius *Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Tot nomina ei apponuntur, ait Hector Pintus, vt eximia Chriſti excellentia cunctis aperiatur; ac ſi tanta maieſtas vno 72.

*Significationes nominis Eliæ.*
D Hieron.
D. Athanaſ.
D. Iſidor.
Angel.
Gloſſa.
D Chryſoſt.
Cornel.
Iſaiæ 9.
Hector.
Pintus.



nomi

nomine exprimi non valeret. Elias tot refert nomina, ac ſignificata: eximia eius virtus vno nomine, vno ſignificato exprimi non valebat. In eo, quod eius nomen idem valeat, ac Dominus, præclara poteſtas, quæ ei eſt conceſſa denotatur. In ſignificato, Deus, innuitur magnitudo gratiæ, ei elargitæ: gratia enim, iuxta commune Theologorum affatum, quædam eſt diuinæ naturæ participatio. Sol dicit excellentiam, quam habuit in prædicando, & docendo. Reſtaurans admirabilem recuperationem dicit, quam in fine ſæculi in Eccleſia operabitur. De quibus omnibus multa ſtatim dicam. Ad nomen reuertamur.

73. 3. Reg. 17. Cornel. *Eliæ nomen denotat, quod gerendum.*

Dicitur Elias Theſbites 3. Reg. 17. num. 1. à patria, quæ Theſbites nuncupabatur. Et hoc nomen, vt ait Cornelius à Lapide in cap. 4. Malach. num. 6. ſignificat conuerſionem, pœnitentiam, & reſtitutionem, ac renouationem, vt ipſe probat ex radice Hebraica. Dicitur Elias Theſbites, quia conuertet ſuorum corda per pœnitentiam ad Deum ſuum, iuxta citatum locum Malachiæ: *Conuertet cor patrum ad filios.* Eleganter dixit Caſſiodorus lib. 6. variar. cap. 7. *Grata ſunt omnino nomina, quæ deſignant protinus actiones, quando tota ambiguitas audiendi tollitur, vbi in vocabulo concluditur, quod geratur.* Sunt nomina indices, ac notæ rerum proprietatum. Sic dixit D. Ambroſius in Pſalm. 43. *Quid eſt nomen, niſi quo propriè quiſquis ſignificatur.* Elias Theſbites. *In vocabulo concluditur, quod geratur* in opere, ipſe enim in ſuis actionibus totus erit impenſus, vt hominum corda renouet, ac conuertat ad Deum ſuum.

Caſſiod. D. Ambr.

74. *Nomen gloriam, ac laudem indicat.* Pſalm. 47.

Sicut enim nomina ſunt indices proprietatum rerum; ſic etiam ſuarum laudum exiſtunt notæ, & ſigna: quod Spiritus ſanctus per os Dauid nobis indicat Pſalm. 47. num. 11. *Secundum nomen tuum, ſic & laus tua.* Cum Abigail vellet excuſare Nabal à ſua inſolentia, ac crimine erga Dauid, ait ei: *Quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt.* 1. Reg. 25. num. 25. Ex Hebræo legitur apud Caietanum: Secundum *nomen eius, ſic ipſe.* O magne Patriarcha, ſecundum nomen tuum, ſic & laus tua? & quid maius puro homini communicabile, quam Eliæ nomen, quod Dominum Deum ſignificat? De Chriſto ait Paulus ad Hebr. 1. n. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.* Ex quo præclarè ait D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 5. in principio. *Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, cum diuinæ eris particeps appellationis.* Tantáque appellatione Deus hunc ſuum famulum honorare voluit.

1. Reg. 25. Caiet. Ad Hebr. 1. D. Cyrill.

75. Ezech. 2. Daniel. 8. D. Hieron.

Ex omnibus prophetis Ezechieli cap. 2. num. 1. & paſſim; ac Danieli 8. num. 17. datur nomen filij hominis. *Et tu fili hominis.* Quod nomen proprium eſt filij Dei incarnati, Chriſti Domini ſcilicet; quod notans D. Hieronym. ait: *Ad Ezechielem crebro dicitur fili hominis; ad Danielem raro; quorum vterque in perſona eius, qui dixerat, filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, captiuum populum conſolatur.* Hi duo prophetæ inſigniter de libertate captiui populi pertractauerunt. Si Danieli, ac Ezechieli nomen filij Dei incarnati adſcribitur pro cura, quam habuerunt in excutiendo captiuitatis iugum ab vno populo; quàm potiori iure glorioſum nomen *Dominus Deus* conceſſum eſt Eliæ, cum non vnum populum, ſed totum mundum à tyrannide, ac oppreſſione Antichriſti præſeruabit, ac eximet, conuertétque corda patrum ad filios, reſtituétque omnia.

76.

Hanc tantam præeminentiam, quam Elias habet in nomine, ſtatim in ſua præſentia, habitu, ac diſpoſitione corporis ſecum gerebat, cunctíſque indicabat, ac manifeſtam faciebat. Accedit Elias ad mulierem viduam; petítque ab ea buccellam panis. Quæ ait ei: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem,* &c. 3. Regum 17. num. 12. In quibus verbis mulier eum, vt Dei prophetam, ac ſeruum reueretur, ac honorat. Sed vnde mulier eum cognouit eſſe prophetam? Quod dubium attigit D. Baſilius Seleucus orat. 11. Viuit Dominus Deus tuus. *Tanquam prophetam honoras, quem mendicum vides; vnde in prophetæ notitiam veniſti?* Et quamuis aſtruatur, quod mulier ad hoc habuit à Deo reuelationem; tamen ſatis conuenienter dici poteſt, quod ex ſitu, præſentia, ac geſtu viri, quæ ſanctitatem exhalabant, cognouerit, ipſum eſſe virum iuſtum, ſanctum, ac prophetam. Et quid mirum, quod Elias talem haberet præſentiam, cum ipſe ſemper ſe in oculis Dei cogitaret. *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.* 3. Regum 17. num. 1. Quod ponderans D. Athanaſius in vita S. Antonij, ait. *Non computabat Elias præteritum tempus, ſed tanquam quotidie in certamine poſitus talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat Dei dignum eſſe conſpectibus, purum corde, præparatum obedire voluntati eius.*

3. Reg. 17. D. Baſil. Sel. *Eliæ præſentia ſanctitatem exhalabat.* *Elias in Dei conſpectu ſe cogitabat.* 3. Reg. 17. D. Athanaſ.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare non dicuntur tempora, ſed dies Eliæ?*

77. D. Ambroſ.

PRIMO reſpondet D. Ambroſius hic. *In diebus Eliæ,* ait, *non quia Eliæ dies fuerunt, ſed in quibus Elias operatus eſt: aut quia dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiæ ſpiritualis, & conuertebantur ad Dominum.* Elias in mundo erat veluti fulgentiſſimus Sol *Helios* ſermone Græco Sol appellatur, vt teſtatur D. Chryſoſtomus ſermone de Aſcenſione Eliæ tom. 1. ſuis enim exemplis, ac virtutum radiis, expulſa tenebrarum caligine lucidiſſimos dies efficiebat ille iis, qui eius virtutes æmulabantur, atque in Dei cultu, ac veneratione perſiſtebant, ad ipſúmque Deum conuertebantur.

*Elias id eſt Sol.* D. Chryſoſt.

78. D. Ambr.

Secundò, idem Ambroſius in Pſalm. 36. *In diebus Eliæ quando clauſum eſt cælum, nox erat perfidis, ſed Eliæ lumen erat, clauſum erat perfidis cælum, ſed Eliæ patebat; fames erat perfidis, ſed Eliæ vbertas: neque enim eſurire poterat, cui cibum cæleſtia miniſtrabant.* Perpende quantum diſcrimen interſit inter obſequentes Deo, ac creaturas ſequentes. Eliæ verum Deum totius vniuerſi opificem adoranti, ac colenti, & ſuper omnia diligenti nil deerat, ſed omnia erant illi largiter conceſſa, dies, lumen, vbertas, ac ipſum cælum apertum: perfidis autem mundanis cultoribus dies, ros, epulum deficiebat; qui enim ſuis peccatis à Deo receſſerant, valdè

*Iuſtis dies, infidelibus nox.*



valdè etiam condignè Deus ab illis ſuis donis recedebat.

79. *Præ charitate vita Eliæ videbatur breuis.*

Tertiò. *In diebus Eliæ.* Elias per multos annos in hoc ſæculo ante ſuum raptum vixit. Cur ergo tot anni dies vocantur? Cur non potiùs anni dicuntur? Tanta erat puritas, charitas, ac zelus animarum Eliæ, vt omne tempus vitæ eius paruum; & pauci dies viderentur. Ait Chriſtus Dominus Iudæis: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8. num. 56. Variæ ſunt ſententiæ quid per diem, quem Abraham vidit, hic intelligat Chriſtus. Maldonatus. *Ego certè non dubito,* ait, *quin diem ſuum, aduentum ſuum in carne, totúmque tempus, quo in hoc mundo verſatus, appellet.* Idem docent Lucas Burgenſis, & alij. Quomodo Dominus triginta tres annos vitæ ſuæ diem appellat? Tanta erat eximia vitæ Chriſti puritas, qua in mundo fulgebat; tantáque illius charitas ſalutis animarum noſtrarum, vt tot annos tanquam paruum tempus reputaret, vt ei veluti dies vnus videretur.

Ioan. 8. Maldonat. Burgenſis.

80. Boſtrenſ. 3. Reg. 2. 3. Reg. 17. Apocal. 11.

Quartò. *In diebus Eliæ.* In Elia deſcribuntur, ac notantur dies; in aliis verò ſanctis tempora, & anni: ſic in præſenti Euangelio, vbi nos habemus: *Sub Eliſæo propheta:* Titus Boſtrenſis legit: *tempore Eliſæi:* Vatablus: *ætate Eliſæi.* De Dauid autem dicitur: *Regnauit quadraginta annis.* 3. Reg. 2. num. 11. At verò in Elia annumerantur dies: *In diebus Eliæ.* 3. Reg. 17. num. 7. *Poſt dies ſiccatus eſt torrens.* Apocal. 11. num. 3. *Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta.* Cur ergo in Elia ſunt dies; in aliis verò tempora, & anni? Differentia eſt inter dies, & tempora. Tempus includit claritatem diei, & tenebras noctis: dies verò lucem, & claritatem tantùm dicit. In aliis multis iuſtis inuenitur tempus, obſcuritas ſcilicet peccati, & ſplendor gratiæ: at in Elia inſunt dies; poſtquam enim in eo eluxit diuinæ gratiæ lux, non legimus in ipſo obſcuritatem peccati, ſed ſemper eum in gratiæ ſplendore ambulantem. Sicque Elias, iuxta D. Chryſoſtomum ſuprà citatum, ex Græco Sol interpretatur, qui in ſe tenebras neſcit, & ſemper in luce fulget, atque reſplendet.

*Eliæ ſanctitas ſemper in luce fulget.* D. Chryſoſt.

81. Eccleſ. 48. Vatablus. Syrus.

*Surrexit Elias propheta quaſi ignis.* Eccleſ. 48. num. 1. Vatablus. *Porrò Elias propheta velut ignis eſt exortus.* Syrus. *Surrexit propheta ſimilis igni.* Ignis tenebrarum expers, totus luce, ac fulgore reſplendet. Elias Dei gratia veluti proprietates habens ignis ſurrexit, peccati tenebrarum expers, totus in iuſtitia, ſanctitate, ac Dei zelo reſplendens, vt totus videretur alienus à quocumque terreno, ac corporali affectu. Dixit Iezabel, audita ſacerdotum Baal morte, de Elia: *Niſi hac hora, cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.* 3. Reg. 19. num. 2. Et ipſemet Propheta. *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* ibidem num. 4. Non anima, ſed corpus moritur; cur non corpori, ſed animæ exponit ſuam obitus petitionem? Sic enim viuebat in corpore, ac ſi extra corpus degeret; totúſque ad ſui ſpiritus conſiderationem rapiebatur; ſicque petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, ait Carthuſianus, vt Apoſtolus dixit: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Ad Philipp. 1. num. 23.

3. Reg. 19. *Elias veluti ſpiritus, ac ſi eſſet extra corpus viuebat.* Carthuſ.

82. 3. Reg. 19.

*Fugit Elias in deſertum, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* citato 3. Reg. Valdè mirum, ait Angelomus, quod Elias miræ virtutis vir ignem de cælo trahit; quinquagenarios viros cum ſuis omnibus petitione ſubita concremauit; verbo cælos à pluuiis claudit; verbo cælos pluuiis aperit; ſuſcitat mortuos; ventura præuidet; & tamen multo pauore vnam mulierem fugit. Quid tam mirabile! Theodoretus quæſt. 47. relatus in Gloſſa. *Cur cum tantas habeat vires, ſolam timuit Iezabel? quoniam non ſolùm erat propheta, ſed etiam homo, & alioqui timor erat diuinæ diſpenſationis.* Alta prouidentia inuigilatum eſt, ne Elias inter tot prodigia, & mirabilia pluſquam homo, & non homo videatur: ipſe verò vt homo fugiat, & timeat. Communiter ad hunc locum explicatur à concionatoribus illud Iacob. 5. num. 17. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis.*

Theodor. *Peculiari prouidentia exprimitur, quod Elias erat homo.* Iacob. 5.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Elias claudens cælum, in cælum curru igneo rapitur?*

83. 4. Reg. 2. D. Irenæus. D. Iuſtin. D. Hieron. D. Thom.

ELIAS ſacrilego populo claudit cælum, vt ex multis locis, ac præſenti textu patet. Curru igneo per turbinem aſcendit in cælum. 4. Reg. 2. num. 11. id eſt per cælum aëreum, vt interpretantur S. Irenæus lib. 5. contra hæreſes, c. 5. Iuſtinus quæſt. 85. ad Orthodoxos. S. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammach. S. Thomas 1. part. quæſt. 102. art. 2. ad 3. & 3. part. quæſt. 49. art. 5. ad 2. ad certum locum determinatum ad Deum. Sicut & quando dicitur claudere cælum, de aëreo eſt ſermo, vt notaui in expoſitione. Ad quid tanta præeminentia datur Eliæ? Vt inde cunctis eius eximia ſanctitas, virtus, ac poteſtas pateſiat, quibus locupletatus eſt à Deo, vt ſuprà conditionem humanam cælum claudat, ad ipſúmque inter ignis globos rapiatur. Quod hic conſiderari libet.

*Declaratur eximia Eliæ poteſtas.*

84. D. Chryſoſt. Carthuſ. 4. Reg. 2. D. Chryſoſt.

Meritò D. Chryſoſtomus in Catena, ac Carthuſianus hic inquiunt. *Elias terreſtris Angelus, homo cæleſtis.* Tantóque apice gratiæ ſublimatus eſt, vt veluti quid cœleſte videretur. Curru igneo aſcendit Elias in cælum. 4. Reg. 2. n. 11. D. Chryſoſtomus tom. 1. homil. de Aſcenſione Eliæ ponderat, quod in ipſo curru, *Totum corpus ignis ambit, nec læditur, per colla, per latera flamma diſcurrit innoxia.* Sed ad quid Elias totus inter flammas circuncingitur? Addit S. Doctor. *Mira prorſus ratio: ignis euehit, & munit, quidquid cœleſtis eſt naturæ.* Ignis diſpari modo ſe habet erga terreſtria, ac cœleſtia: terreſtria conſumit, & deuorat; cœleſtia verò ambit, & munit, vt ignea ſphæra ſe habet circa cœleſte corpus. Alta ergo prouidentia diſponitur, vt Elias totus igne circundatus pergat, & aſcendat, vt appareat, quod Elias quodammodo, ac veluti eſt quid cœleſte, & non terreſtre. Si enim ſolummodo eſſet terreſtre, edax flamma ipſum conſumeret, in cineréſque redigeret: at vtpotè quid gratia cœleſte, totum ignis ambit, & fulcit. *Euehit, & munit, quidquid cœleſtis eſt naturæ.* Vnde de Elia ait D. Gregorius Nazianzenus orat. 34. *Quem virum dico, quem igneus quoque currus in cælum euexit, ſignificans, vt opinor ſingularem quandam hominis virtutem, atque humanum faſtigium excedentem.*

*Elias ſuo modo, vt quid cœleſte, ab igne veneratur.* D. Nazianz.

85. Eccleſ. 8. Vatablus.

Magna Eliæ excellentia, quod in hominũ oculis apparet veluti ignis. *Surrexit Elias propheta quaſi ignis*; ſeu, vt habet Vatablus, *Elias propheta velut ignis exortus eſt.* Et additur: *Et verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Ab hominibúſque inter globos ignis videtur, vt eum vidit Eliſæus in ſuo curru igneo aſcendentem in cælum. Quod Deus Eliæ conceſſit, vt homines in eo quid valdè mirabile introſpicerent. Seruo ſuo Moyſi *apparuit Deus in flamma ignis.* Exod. 3. num. 2. alta, & mirabilia myſteria denotans. Quod præclarè ponderans Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſis. *E medio*, ait, *promicabat forma quadam pulcherrima, nulli viſibili ſimilis, diuinum ſimulachrum luce fulgens clariſſima, vt ſuſpicari poſſet Dei eſſe imaginem.* Sed vnde colligit ingenioſus Auctor, quod illud apparens inter flammas eſſet ſimulachrum diuinum, ac imago Dei? Prædixerat ipſe, quod rubus *manebat integer, & illæſus, quaſi non eſſet incendij materia.* Elias adeo ditatus eſt Dei donis, vt inter ignes intactus, ac cuſtoditus pergens in cælum appareat, vt Dei gratia veluti cuiuſdam diuini ſimulachri vmbram, ac ſuſpicionem præbere valeat.

Exod. 3. — Philo. — *Elias in igne vmbra, & ſimulacrorum Dei.*

86. Deuter. 4. D. Ambr.

*Deus noſter ignis eſt.* Deuter. 4. num. 24. Deus in igne apparet, Moyſi in rubo, vt modo notauimus; in cuius ponderatione præclarè ait D. Ambroſius tom. 2. lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 16. *Specie ignis exprimi, vel videri, diuinæ eſt conditionis.* Elias ſpecie ignis exprimitur, *Surrexit Elias propheta quaſi ignis*; in ignéque ab Eliſæo videtur in cælum aſcendens: ergo ſuo modo veluti quid *diuinæ eſt conditionis.*

*Elias in igne exprimi, & videri, diuinæ eſt conditionis ſuo modo.*

# QVÆSTIO XV.

## *Quanta fuerit præeminentia in Elia, vt habuerit poteſtatem ad claudendum cælum? Explicantur aliquot eius elogia.*

87. HÆc Eliæ excellentia valdè celebris eſt apud ſanctos Patres. Id verò maximè notandum, quod primò, & ante omnia abſque vlla operum ſerie, vel factorum diſcuſſione, de Elia in Scriptura narratur, quomodo ipſe clauſerit cælum. *Dixit Elias Theſbites, viuit Dominus Deus Iſraël, ſi erit annis his ros, & pluuia niſi iuxta verba oris mei.* 3. Reg. 17. num. 1. Elias tanta gratia Dei fuit præuentus, ac præmunitus, vt non labe peccati mortalis inquinatum legamus, ſed vbique gratia, meritis, ac donis proficientem videamus. Ex quo tanta eſt excellentia donatus, vt in eius operum limine claudens ipſum cælum introducatur. Quanta verò ſint eius merita, zelus, doctrina, ac dona breuiter inſpiciamus.

3. Reg. 17.

## *Merita Eliæ.*

88. D. Ambr.

TAnta operum magnitudine, tantiſque meritis reſplendet Elias, vt in terris degens veluti cœleſtem ageret vitam. D. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 2. *Merito*, ait, *illum*, ſcilicet Eliam, *dignum cælo diuina indicauit ſententia, vt cum ipſo raperetur corpore, quoniam cœleſtem vitam viuebat in corpore, ac ſuperna vſum concertationis exhibebat in terris.* Vnde Siracides conſiderans præclara Eliæ merita, vehementem eius zelum, efficacem vim verborum, intrepidam audaciam contra reges, & tyrannos, magnitudinémque portentorum, ac mirabilium ipſius, totus admirans exclamat. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis; & quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi.* Eccleſiaſt. 48. num. 4. Græcus. *Quoniam gloriam conſecutus es, ô Elia, mirabilibus tuis; & quis poteſt ſimiliter ac tu gloriari.* Vatablus. *Aut quis paria tecum glorietur.* Syrus, *Et qui eſt ſicut tu, ipſe laudetur.*

*Valdè mirabilis Elias.* Siracid. — Eccleſ. 48. — Græcus. — Vatablus. Syrus.

89. Matth. 10.

Suis diſcipulis prædixit Dominus mortem, flagellationem, ac labores, quos pro ſe paſſuri erant. *In ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & morte afficient; & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Matth. 10. num. 22. Inter varias cauſas, ob quas Dominus hæc prænunciauit ſuis diſcipulis, vna eſt, vt illis in magnum meritum creſceret, quod per tot annos prompta voluntate in acceptatione tot laborum, ac mortis viuentes degerent, vt dixi ſuprà cap. 10. num. 67. Vnde ait Apoſtolus. 2. Timoth. 4. num. 6. *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat; bonum certamen certaui, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ;* quod explanans ibi D. Thomas ait: *Antiquitus in ſacrificiis, quæ ex humidis offerebantur, quædam fiebant prægustationes, & hæ vocabantur delibationes, & ideo vocat paſſiones imminentes delibationes.* Acceptationem voluntatis, qua Apoſtolus erat præparatus ad flagella, paſſionem, & mortem, deliberationem, ſeu prægustationem dicit; ex talíque deguſtatione meritum eius in magnum proceſſit augmentum, vt glorioſiſſima ei eſſet iuſtitiæ corona præparata. Ex his ergo etiam coniicere poſſumus, quantum ſit meritum Parentis Eliæ, cum per tot annorum ſæcula perſeueret, in voluntate, & acceptatione laborum, ac perſecutionum, quæ illi ab Antichriſto infligentur. Apocal. 11. num. 7. Elias, vt multis placet, adhuc eſt in ſtatu merendi, vt docent Abulenſis 4. Reg. 2. quæſt. 24. & cap. 25. Matth. quæſt. 566. Epiſcopus Tenas cap. 11. Epiſtol. ad Hebræ. diſput. 4. ſect. 3. Viegas Apocal. 11. commentar. 5. ſect. 4. Henriquez lib. vlt. de fine hominis, cap. 23. Leſana tom. 1. Annal. anno mundi 3139. num. 13. Nec inde ſequitur, vt aliqui obiiciunt, quod merita Eliæ B. Virginis Mariæ merita ſuperabunt. Debilis eſt obiectio: nam quamuis Eliæ actus numero, ac duratione ſint futuri multo plures, quàm ſacratiſſimæ Virginis; tamen intenſione, ac feruore charitatis, ex quibus circunſtantiis ratio meriti maximè accreſcit, multò excellentiora ſunt opera puriſſimæ Dei genitricis; ac proinde multò magis meritoria.

2. Tim. 4. — D. Thom. — *Maximè accreſcunt Eliæ merita.* — Apoc. 11. Abulenſis. — Tenas. Viegas. Henriq. Leſana.

## *Zelus Eliæ.*

AIt Deus Moyſi: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me.* Exod. 20. n. 5. Quod multis, & latè explicat Origenes dicens: *Deus zelans eſt, & animam, quam ſibi deſpondit in fide, non vult illam permanere in contaminatione peccati. Si verò permaneat in peccatis audiemus illam, ſcilicet ſententiam, quæ poſita eſt in Euangelio, dicente Domino, diſcedite à me* 90. Exod. 20. — Origen.





*in ignem æternum, &c. Reddit autem miſericordiam in millia iis, qui diligunt me. Qui enim diligunt, correptione non indigent, neque enim peccant.* O quantum Elias magnus Deum zelatorem imitatur! Regum enim potentiam confregit; tyrannos, ac ſacrilegos profligauit; iniquos idolorum ſacerdotes interfecit; idololatras, ac delinquentes fame, & ſiti compreſſit, ac peremit. At verò in probos, & pios beneuolus, ac manſuetus eſt Elias, vt in viduam ad eius inopiam ſubleuandam, in eiuſque filium ad reſuſcitandum; in Abdiamque ad eum reuerendum; in diſcipulumque ſuum Eliſæum ad eum duplici ſpiritu locupletandum. Vnde Drogo Hoſtienſis ſerm. 1. Dominicæ Paſſionis, *piiſſimum Eliam* appellat.

*Elias imitatur Deum zelotem.* — Drogo.

91. Tam inſignis, & præclarus eſt Eliæ zelus, vt Deus illum habeat in magna reuerentia. Clauſit Elias verbo ſuo cælum: *Si erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. num. 1. Cum autem populus tam longa cæli clauſura, ac ariditate, magna fame premeretur, Deus ſua bonitate, ac pietate inclinatus pluuiarum imbres volebat laxare. Loquitur cum Elia, vt miſericordia flecteretur, vt latè ponderat D. Chryſoſtomus homil. 1. de Elia. Tamen cum ille totus zelo inflammatus verbum non relaxaret, obduratum cælum perſiſtit, & pluuia non emittitur. Sed bone Deus, cur miſericordia tua Eliæ verbo cohibetur? cur aquarum imbres non diffundis? Pulchrè D. Baſilius Seleucus Orat. 11. quæ eſt de Elia, ſic ait: *Noui ego, inquit Elias, qui ſit impiis punitionis modus; niſi per verbum oris mei, non erit ros, neque pluuia, compulſus Eliæ poteſtatem fecit Deus, miſerans quidem eos, qui dignè puniuntur, reueritus tamen Prophetæ zelum, vniuerſi Dominus, quid agat.* Et paulo ante præmiſit S. Pater. *Reueritus ſiquidem eſt Deus ardorem pietatis, & Eliæ creaturæ habenas permiſit.* Et D. Chryſoſtomus ſerm. 1. de Elia ait, Deus ſcilicet, *Prophetam ſimul reuereri videtur.* Quid hoc? Deus, cui omnis creatura obſequia præſtat, ſeruit, & adorat, *zelum Prophetæ reueretur?* Audis, *Deus ſiquidem miſerans eos*; & tamen aquarum imbres non diffundit *reueritus Prophetæ zelum.* O mira res! Efficacior apud Deum extitit, vt ita dicam, reuerentia verbo, & zelo Prophetæ impenſa, quàm impulſus pietatis, ac clementiæ, qui rorem, ac pluuiam ſolicitabat.

3. Reg. 17. — D. Chryſoſt. — D Baſil. Sel. — *Deus in magna reuerentia habet Eliæ zelum.*

92. *Eliæ zelus etiam poſt raptum.*

Hic autem zelus non ſolùm reſplenduit in Elia, dum inter nos degeret, ſed & poſtquam in paradiſum voluptatis tranſlatus eſt, in eo perdurat, & perſeuerat; multos enim poſt annos Regi Ioram *Allatæ ſunt ei litteræ ab Elia propheta, in quibus ſcriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui.* 2. Paralip. 21. num. 12. Quem locum obiter adducens Cornelius à Lapide Eccleſiaſti. 48. ad num. 6. *Videas*, ait, *Eliam, eſtò paradiſi colonum, tamen priſtinum pro Deo zelum gerere, ac res mortalium curare, déque ſuæ gentis ſalute eſſe ſolicitum, quam ſuo zelo curauerat.* Vt dixit D. Chryſoſtomus homil. 1. ad Populum. *Sufficit*, ait, *vnus homo zelo Dei ſuccenſus totum corrigere populum.*

2. Paralip. 21. — D. Chryſoſt.

## *Eliæ Prædicatio.*

93. 3. Reg. 17. *Eliæ prædicatio.*

AIt Scriptura 3. Reg. 17. num. 1. *Dixit Elias Theſbites*, &c. Ordo verborum maximè à nobis conſiderandus: non ponitur primò *Elias*, & poſtea *dixit*, ſed potius è contra (tam congenitum eſt Eliæ docere, ac dicere verbo vel facto) peculiariter cautum eſt, ne Elias introduceretur, niſi prius appoſita actione dicendi. Ait Moyſes: *In principio creauit Deus cælum*, &c. Geneſ. 1. numer. 1. Non dicitur Deus creauit, ſed ſcribitur prius creauit; noluit enim Deus, vt ſuum nomen proferretur, niſi actione creandi, ac benefaciendi præmiſſa. Diuus Theophylus Antioch. lib. 2. ad Autolycum. *Primo quidem*, ait, *eius principium, & eius creationem nominauit, deinde ipſum Deum poſuit; non enim eſt fas, Deum temerè, & otioſè nullo opere ſubiecto nominare.*



Geneſ. 1. — Theophyl.

Valde magnus Elias in ſua doctrina, nimia charitate ſuccenſa. De diuinis verbis ait Regius Vates Pſalm. 118. num. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quibus aſſimilatur Elias in ſuis verbis, de quibus dicitur Eccleſiaſt. 48. num. 1. *Surrexit Elias Propheta, & verbum illius quaſi facula ardebat.* Seu, vt habet Syriacus. *Et verbum eius ardens quaſi clibanus ſuccenſus.* Vatablus. *Et ſermo eius inſtar facis flagrauit.* 94.

Pſalm. 118. *Eliæ verba charitate plena.* Eccleſ. 48. Syriacus. Vatablus.

Magnus Elias in multitudine doctrinæ. De eo ait Chriſtus Dominus Matth. 17. num. 11. *Elias quidem veniet, & reſtituet omnia.* Arabicus vertit. *Docebit vos omnia.* Spiritus ſanctus promiſſus eſt à Chriſto Domino dicente: *Ille vos docebit omnia.* Ioan. 14. num. 26. Spiritus ſanctus, vt verus Deus, ac ſapientiæ fons docebit omnia: Elias vero, vt ab eo miſſus, tantiſque donis ipſius diuini Spiritus erit repletus, vt de eo dicatur *docebit vos omnia.* Tam vniuerſalis erit ipſe doctor datus à Deo ad docendum ea, quæ pertinent ad fidem, deuotionem, ac charitatem Chriſti. 95.

Matth. 17. — Ioan. 14. *Elias vniuerſalis magiſter.*

Magnus Elias tempore, & loco ſuæ doctrinæ. Prædicarunt Domini Diſcipuli, tunc prædicabant Paulus, & alij. Prædicabat Diuus Ambroſius, cum prædicarent multi alij doctores. At tunc prædicat Elias, cum pleno ore dicit: *Derelictus ſum ego ſolus.* 3. Reg. 19. numer. 24. nam quamuis alii Dei ſerui extarent, in ſpeluncis, ac cauernis latitabant. Elias autem, vt notat Diuus Auguſtinus ſerm. 201. de tempore, in publicum campum ſe dabat. In fine mundi contra Antichriſtum prædicabit, quando ſcribitur: *Tunc qui in Iudæa*, ſcilicet Eccleſia, *ſunt, fugiant in montes.* Matth. 24. numer. 16. Elias tamen per aperta loca verbum Dei intonabit. Prædicare autem, cum alij prædicant, magna laus: at prædicare, cum alij fugiunt, deſerunt, ac tacent, multo ſanè mirabilius. 96.

3. Reg 19. — Matth. 24. *Elias tunc prædicat, quando alij tacent.*

Deſcendens Moyſes de monte, videns totum populum idololatriæ vituli incumbentem: ait: *Accingat vnuſquiſque gladium ſuum, & pergat de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum ſuum.* Quod cum feciſſent filij Leui, ab ore Moyſis habuerunt vnum encomij verbum: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Exod. 32. numer. 29. Cum filij Iſraël in multa crimina ſe præcipitaſſent cum filiabus Moab, vnus de filiis Iſraël intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madian vidente Moyſe. Num. 25. n. 6. Quod cum vidiſſet Phinees, zelo Domini ſuccenſus ingreſſus eſt tentorium, & arrepto pugione perfodit ambos. Tunc Deus multis encomiis Phinees condecorauit, & addidit: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia Zelatus eſt pro Deo ſuo.* Ibidem n. 13. Cur pro tanta multitudine occiſa vno 97.

Exod. 32. — Numer. 25.

tantùm laudis verbo condecorantur filij Leui; at verò pro duorum interfectione tot encomiis, tantíſque benedictionibus Phinees ſublimatur? Filij Leui tantam mortuorum ſtragem ediderunt adhortante Moyſe: Phinees verò duos gladio transfigit, *vidente Moyſe*, ſeu explicat Rickelius, *vidente, & tacente Moyſe.* Zelari Dei honorem, zelante Moyſe, magnum eſt: at zelare, vidente, & tacente Moyſe, præclarius, ac mirabilius eſt, omni benedictione, gratia, ac dono digniſſimum.

Rickelius. *Valdè mirũ, zelari tacentibus omnibus.*

## *Eliæ dona.*

98. TAntis donis, ac prærogatiuis Elias condecoratus eſt à Domino, vt dicatur candelabrum lucens in eius aſpectu. De eo, ac Enoch ſcribitur Apocal. 11. num. 4. *Hi ſunt duo oliuæ, ac duo candelabra in conſpectu Domini terræ aſtantes.* Alludit Ioannes ad locum Zachariæ 4. num. 14. iuxta Aquilam, & Theodoretum. *Iſti ſunt duo filij ſplendoris, vel claritatis, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ.* Quod de Elia, & Enoch interpretatur ibi D. Hieronymus, & de Elia etiam intelligit D. Remigius ibi, & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22. Magni Ioannis Baptiſtæ magnum eſt elogium, vt dicatur *Lucerna ardens; & lucens.* Ioan. 5. num. 34. Quod explicans Ammonius à me relatus ſuprà cap. 2. quæſt. 11. num. 89. *Lucerna eſt Ioannes*, ait, *in ordine ad politiam Chriſti, qui Sol eſt, lucebat quidem Ioannes, ſed præ nimio ſolaris iubaris fulgore fuit obfuſcatus.* Idem habent Euthymius, & alij. Vnde pro magna gloria humanitatis Chriſti aſtruitur, quod ſit lucerna ad præſentiam diuinitatis. De cœleſti Ieruſalem ait Euangeliſta: *Claritas Dei illuminauit illam: lucerna eius eſt Agnus.* Apocal. 21. num. 23. Claritas Dei, id eſt Chriſtus Dominus ſecundum naturam diuinam; lucerna Agnus Chriſtus, ſecundum humanitatem. Vnde ait Viegas ibi ſect. 4. *Collige excellentiam humanitatis Chriſti, ſplendorem, & præſtantiam: ſiquidem cum lucerna dicatur, comparata fulgentiſſimo Soli diuinitatis; nihilominus in tanti Solis præſentia lucet: quod ſanè mirum videri debet.* Partem tantæ excellentiæ aliqualiter, ac ſuo modo Deus communicaſſe videtur Patriarchæ Eliæ, vt dicatur candelabrum, filius lucis, ſeu ſplendoris in conſpectu, ac oculis Dei dominatoris vniuerſæ terræ. Tantis donis reſplendet Propheta.

Apocal. 11. Zachar. 4. D. Hieron. D. Remig. Tertull. Ioan. 5. Ammon. Euthym. Apoc. 21. Viegas. *Elias candelabrum lucẽs ante Dominum.*

99. De eo, ac Enoch ait Deus in Apocal. 11. num. 3. *Dabo duobus teſtibus meis*, &c. Cur non exprimuntur, quæ Dominus illis dabit? Cur non dicitur. Dabo illis hæc, & illa? ſed danda ſilentio inuoluuntur. S. Thomas. *In hoc*, ait, *quod donum non exprimitur, intelligitur magnitudo doni, non enim dicitur, quod eis dabit, quia non eſt facilè narrabile.* Ex quo conſidera magnitudinem, ac excellentiam huius magni Patriarchæ, cuius dona melius explicantur ſilentio, quàm verbis. Sed quomodo ait Angelicus Doctor: *Non enim dicitur, quod eis dabit, quia non eſt facilè narrabile?* Ipſa diuina aquila Ioannes ad ſupremum Trinitatis thronum euolauit, vt diuinam nobis Chriſti generationem eructaret: *In principio erat Verbum.* Ioan. 1. n. 1. Ad ſupremas amoris Chriſti diuitias aſcendit: *In finem dilexit eos.* Ioan. 13. Quæ ſunt multò altiora, quàm ea, quæ ad Eliam ſpectant: Et tamen. *Non dicitur, quod eis dabit, quia non eſt facilè narrabile.* Cum Euangeliſta de Chriſto pertractaret, agebatur de Deo, & homine & cum Deus ſcriberetur, inde licitum erat, credibiléque fiebat, quidquid de eo diceret. In Deo enim omnia magnalia continentur; ipſe enim totius perfectionis pelagus eſt. Cum autem Euangeliſta ad purum quendam hominem, Eliam ſcilicet, vertit ſermonem, perdifficile viſum eſt de vno puro homine tot, & tanta dicere; vnde illa ſilentio premit, ac inuoluit.

Apoc. 11. D. Thom. Ioan. 1. Ioan. 13.

---

## Qværtio XVI.

### *Quare Elias mittitur in Sarepta Sidoniæ, & non alitur ab Abdia cum cæteris prophetis?*

CVM fames opprimeret terram, Abdias abſcondit centum prophetas Domini in ſpeluncis, & cauernis, & pauit eos pane, & aqua. 3. Reg. 18. num. 4. Cur ergo inter hos non habetur etiam Elias? Tota res ex alta Dei prouidentia diſponebatur, vt Elias non naturali modo, ſed valdè mirabili, ac miraculoſo ſuſtentaretur, ac aleretur. Res valdè mira, quod in Scriptura Eliam ſemper inueniamus extraordinario modo alimentum ſumentem. Quod breuiter oſtendo. 100.

3. Reg. 18. *Elias extra ordinario modo paſcitur.*

In ortu Eliæ quædam reuelatio valdè mirabilis patri eius viſa eſt, vt teſtatur Epiphanius in vitis Prophetarum. *Quem cum eniteretur parens eius, eiuſmodi Sobac patri eius viſio apparuit. Viri, niueum quendam præferentes habitum, puriorem ſalutabant, matriſque vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant.* Cum facta eſſet fames, mittitur in Torrentem Carith, vbi corui manè, & veſperè deferebant ei panem, & carnes. 3. Reg. 17. num. 6. Poſtea mittitur in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam, vbi miraculosè hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non minuitur, quibus Propheta alitur, citato cap. 17. num. 12. Cum tandem fugeret à facie Iezabel, Angelus ei defert panem, & aquam. 3. Reg. 19. n. 6. Cur tot, ac tanta miracula in cibo, ac pane Eliæ præſtito? Vt tam ſingularis Dei prouidentia erga ſuum ſeruum demonſtraretur; quam etiam, vt videretur, quod ea, quæ ad Eliam ſpectant, miracula quædam erant. 101.

Epiphan. 3. Reg. 17. 3. Reg. 19. *Quæ ad Eliã ſpectant, miracula ſunt.*

Tertiò, & ſuppono, quod in illa grauiſſima perſecutione in fine mundi Antichriſtus omni conatu, omnibúſque viribus intentabit auferre Euchariſtiæ ſacrificium, iuxta Danielem cap. 12. n. 11. *Cum ablatum fuerit iuge ſacrificium:* itaut nullus publicè hoc ſacrificium facere audeat. Ita docent ibidem D. Hieronymus, Theodoretus, Irenæus lib. 5. Primaſius in cap. 11. Apocal. Hyppolitus tract. de conſummatione ſæculi; Suarius tom. 2. ad 3. part. diſput. 49. ſect. 6. §. *ſecundò dicendum.* Quod maximè faciet Antichriſtus, vt fideles cibo hoc ſpirituali, quo mire corroborantur in tentatione, & perſecutione, priuentur, vt ita eos deiiciat, ſibique ſubdat. Catholici tamen, vt notat Cornelius à Lapide ad citatum Danielis locum, tunc priuatim in ſpeluncis, ac locis abditis Euchariſtiam celebrabunt, eaque contra Antichriſtum ſe communient, iuxta illud Chriſti Domini. Matthæus 28. n. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* 102.

*Antichriſtus omni conatu intẽtabit auferre Euchariſtiam.* Daniel. 12. D. Hieron. Theodor. D. Irenæus. Primaſius. Hyppolit. Suarius. Cornel. Matth. 28.

Eucha



103. Euchariſtiæ autem celebratio, & communio tunc maximè fiet, vt eſt valde probabile, Eliæ prædicatione, exhortatione, ac admonitione. Pro quo mihi eſt optima coniectura. Antichriſtus omni ſua vi conabitur, iuge Euchariſtiæ auferre ſacrificium, vt Eccleſia tanta protectione ſit deſtituta. Ergo Elias peruerſitati Antichriſti valde contrariis omnes vires adhibebit, Euchariſtiæ ſacramentum celebrari, vt Eccleſia ſit tanta protectione munita, vt dicatur illud Pſalm. 22. num. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me.*

*Euchariſtiæ communio tempore Antichriſti prædicatione Eliæ frequẽtanda.* Pſalm. 22.

104. Ad quæſtionem. Mittitur Elias in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam; quod moraliſat D. Auguſtinus ſerm. 201. de tempore. Quaſi quod hic ſignificetur illa miſſio, qua in fine ſæculi Elias deſtinandus ſit in Eccleſiam. *Vidua hæc*, ait S. Doctor, *ad quam Propheta mittitur, typum gerebat Eccleſiæ.* Quæ tunc vidua veluti dicetur ob ſuos filios occiſos, obque paſtores, ac prælatos ab Antichriſto interfectos, qui vices ſponſi illius gerunt. Propheta mittitur ad viduam Sarephtanam eo in tempore, quo grauiſſima fames farinæ, & panis vrgebat; qui panis ſacram Euchariſtiam adumbrabat, vt auctor eſt ipſe Auguſtinus. Dixit Sarephtana: *Colligo duo ligna, vt comedamus, & moriamur.* Ait S. Doctor: *nam quicumque corpus Chriſti dignè manducare voluerit, neceſſe eſt, vt moriatur præteritis.* Sed ad quid mittitur Propheta tempore famis ad viduam Sarephtanam? In domo tua *hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non minuetur.* In hoc præfigurabatur, quod in vltima perſecutione Elias mittendus ſit ad Eccleſiam tempore famis diuiniſſimi panis Euchariſtici. Sed ad quid tunc Elias tempore famis cæleſtis alimenti ad Eccleſiam deſtinatur? (vt typum viduæ proſequamur) vt in illius domo hydria farinæ non deficiat, hoc eſt, vt in illius templo, ſacrario pixis, vas farinæ ſacræ Euchariſtiæ habeatur, conſeruetur, ac dilatetur; vt fideles Angelorum eſca recreati, non moriantur, ſed viuant; in eiſque lecythus olei diuinæ gratiæ, ac chariſmatum non minuatur, ſed vt creſcat, ac augeatur. Hincque Elias tam diuini myſterij futurus propugnator, ac propagator, à Deo tanto dono eſt inſignitus, vt non communi pane ab Abdia, ſed miraculoſo, ac myſtico, vel creſcente farina in domo viduæ, vel ab Angelo oblato, paſcitur. Quod notans D. Ambroſius lib. 3. Epiſt. 25. ait: *Quo enim cibo, niſi myſtico aleretur Propheta.*

D. Auguſt. *Elias Euchariſtiæ propugnator, & propagator.* D. Ambroſ.

105. Igneo gladio depingitur ab Eccleſia Patriarcha Elias. Igneus ille gladius non eſt totus ad timorem incutiendum, ſed etiam ad defenſionem, ac protectionem præſtandam. *Collocauit Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. num. 24 ſeu, vt legunt Procopius, Moſes Barſepha, *ad cuſtodiendum iter arboris vitæ.* Sed quid eſt illa ignita romphœa, manu Cherub retenta in primo Paradiſo? Philo Hebræus lib. de Cherubim. *Igneus autem*, ait, *ideo gladius dicitur, quia requiritur hic vnà cum actionibus ſermo feruens, & igneus, qui nunquam moueri deſinit.* Igneus gladius eſt ſermo, ſeu prædicatio tota charitate ignita, qui nunquam moueri deſinit, ſed ſemper arguit, increpat, & inſtat opportunè, importunè, vnà cum actionibus, ſeu geſtis, & exemplis vitæ, ac operationum. Sic etiam in hoc paradiſo Eccleſiæ ſuæ Deus poſuit alterum Cherub, magnum ſcilicet Eliam, plenum ſpiritu ſcientiæ cum igneo gladio, *quia hic requiritur vnà cum actionibus ſermo feruens, & igneus, qui nunquam moueri deſinit.* Gladius igneus Eliæ, eius prædicatio, exhortatio, ac admonitio, tota charitate inflammata, quæ nunquam docendo, ac proclamando ceſſabit. *Verbum ipſius quaſi facula ardebat.* ſeu, vt habet Syriacus, *& Verbum eius ardens, quaſi clibanus ſuccenſus.* Vnà cum actionibus, ſeu operationibus, & factis eius ſanctitate ſuccenſis ad cuſtodiendam viam, ſeu acceſſum ligni vitæ, viuifici panis, vt expulſa aduerſarij machinatione ad illum conuolent, ac congregentur aquilæ fideles, illoque nutriantur, ne deficiant. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Pſalm. 22. num. 1. Transfert Pagninus. *Dominus paſcit me; ne deficiam.*

Geneſ. 3. Procopius. Barſepha. Philo. *Elias habet gladiũ igneũ ad cuſtodiendum, & defendendum.* Eccleſ. 48. Syriacus. Pſalm. 22. Pagninus.

---

## Qværtio XVII.

### *Quare hic ponitur Elias abſque aliquo titulo? Agiturque de eo vt principe ſtatus monaſtici.*

PONITVR Elias hîc in exemplum, & dicitur à Domino: *Miſſus eſt Elias.* Cur non cum aliquo titulo? Baptiſtam magnis nomenclaturis Dominus condecorauit, eúmque prophetam, & pluſquam prophetam appellat; de eóque ait, ſcriptum eſſe: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Matth. 11. num. 10. Petrum item beatum dicit: *Beatus es Simon Barjona.* Matth. 16. n. 16. Immò & in præſenti Euangelio Eliſæum prophetam nominat: *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta.* Cur ergo etiam Elias aliqua appellatione non inſignitur? Elias Monachus, ac Religioſus, & Religioſorum pater erat, in quo ipſi Religioſi denotabantur: & Religioſo nil ſplendidius, ac illuſtrius, quàm promptæ obedientiæ nota inſigniri, quæ in hoc ſignificatur, quod miſſus nuncupatur. Alij dicantur Prophetæ, Angeli, Eccleſiæ fundamenta: at Eliæ, vtpotè monacho, glorioſiſſimum ſanè eſt, quod miſſus, ac obediens inſcribatur. Tanta erat obedientia, vt M. Dominicus Grauina lib. cui titulus *vox turturis.* p. 2. cap. 5. eum. *Obedientiæ prototypum* appellet. Et notandum, quod Elias dicitur miſſus, & non ſcribitur à quo miſſus ſit, an à Deo, vel Angelo, vel homine, ſed abſolutè dicitur miſſus. Vera enim obedientia religioſa non attendit, nec cogitat, à quo miſſa ſit, ſiue ab hoc, ſiue ab illo; ſed in hoc tantum defixa eſt, vt obediat, non recogitando, à quo mittatur. Deinde ponderandum, quod in Eliſæo priùs ſcribitur perſona, deinde titulus. Sub Eliſeo Propheta. At in Elia prius ſcribitur titulus. *Miſſus*, & poſtea perſona refertur: *Miſſus eſt Elias.* Tam intrinſeca eſt obedientia Religioſo, vt prius in illo ſit conſideranda, quàm ipſamet perſona; & ideo prius de ipſa miſſione, quàm de Elia ſit mentio. 106.

Matth. 11. Matth. 16. *Obedientia magnum Religioſo elogium.* Grauina.

Huius obedientiæ magnus ſectator Elias, vt monachus, ac monachorum princeps, vt teſtantur grauiſſimi Patres. S. Dorotheus Martyr in libro, qui ſcribitur *Synopſis Prophetarum*, habetur in Bibliotheca mag. tom. 1. Elias, ait, *Hic primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cælum* 107.

*Elias monachorum princeps.* S. Doroth.

 *ſubmon*

ſubmonſtrauit. *Primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum vitam oſtendit.* Per vitam Angelorum, & hominum intelligit monaſticam,quæ vita angelica eſt, vt communiter à Patribus appellatur.

Caſſian.

Caſſianus lib.1. de Inſtituti. cap.2. *Itaque monachum, vt militē Chriſti accinctis lumbis oportet incedere; hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri teſtamento huius profeſſionis fundauere primordia, Eliam ſcilicet, & Eliſæum, diuinarum Scripturarum auctoritate demonſtratur.*

D. Iſidor.

D.Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 15. *Vnde ad monachos*, ait, *ſtudium defluxerit paupertatis; vel quis huius conuerſationis extiterit auctor, cuius iſti habitum imitantur? Quantum enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum ſcripturarum, huius propoſiti principes Elias, & Eliſæus eius diſcipulus.*

D.Hieron.

Quod ante eum ſcripſit D. Hieronymus Epiſt. ad Paulin. *Noſter princeps Elias, noſter Eliſæus.*

Rupert.

Rupertus Abbas lib.3. in Cantic. 4. circa illa verba: *Capilli tui ſicut greges*: Dixit Elias, viuit Dominus Deus Iſraël, ſi erit annis his ros, & pluuia, &c. *Hæc dixit, & fecit ille primus auctor, & inſtitutor eorum, qui dicti ſunt filij prophetarum, quos fuiſſe monachos in veteri teſtamento, conſentit auctoritas Patrum venerabilium.*

Leſana.

Et alij multi Patres, & Auctores, quos adducit R. P. M. Leſana tom.1. in Apparatu 5. ad annales.

108\. Magnum Eliæ elogium, vt inter eos, qui dicti ſunt monachi, ipſe ſit primus auctor, & inſtitutor.

*Magnū Eliæ elogium, quod ſit primus inter monachos.*

Matth. 10.

D. Paſch.

Referens numerum Apoſtolorum Diuus Matth. 10. num.1. ait: *Primus, qui dicitur Simon Petrus.* Sed cur Petrus dicitur primus? Rectè dubitat D.Paſchaſius lib.6. in Matth. An dicatur primus meritis, vel ordine? Reſpondet: *Haud dubium, quin ad vtrumque referri poſſit. Iure igitur in meritis primus æſtimatur, per quem, & in quo ad alios dona tranſmittuntur. Accipiunt autem reliqui in eo claues regni cælorum.* O quàm præclarè Elias primus dicitur, cum in eo, & per eum cæleſtia dona religionis, reformationis, paupertatis, & obedientiæ in alios deriuantur, ac tranſferuntur.

109\. Magnus de Iob encomiis concionator Deus eſt,

Iob 1.

& ſic loquitur ad Diabolum: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Iob 1. num. 8. Cuinam homini tale præconium Deus dedit, vt non ſit ſimilis ei inuentus in terra? Quibus meritis, quibus factis ad tantum apicem aſcendit? In hoc tantum ſibi fauorem Dei comparauit, quod nullum alium iam in hoc ſæculo degentem imitandum viderat, & tamen tanta virtute conſpicuus apparebat.

D.Aug.

D. Auguſtinus ex vtroque mixtim. quæſt. 118. *Non eſt enim*, ait, *Iob ſimilis in terris Dei cultor. Quis tantum potuit promereri, cui tale teſtimonium Dominus perhiberet, niſi hic, qui non imitator inuenitur, ſed auctor eorum, quæ geſſit.*

*Magnus, qui virtutem ſequitur, non habens exēplum.*

Maximè extollendus, ac admirandus Elias, cum ipſe inter monachos primus, ac princeps inueniatur, cúmque ſtatum ſit amplexatus, nullum in terris hominem in exemplum habens. Dico hominem in terris; nam ex diuina reuelatione habuit Chriſtum Dominum tanquam cauſam principalem, ac exemplarem ad imitandum, ad cuius veſtigia ſe totus ipſe compoſuit, vt dixi tom.1. lib. 2. cap.9. q.10. numer. 36.

110\. Notandum, quod Elias creat Eliſæum prophetam, ac ſucceſſorem ſui pallij largitione. *Miſit pallium ſuum ſuper eum.* 3.Reg.19. num.19.

3. Reg. 19.

Cornel.

Ait ibi Cornelius à Lapide. *Hac ceremonia Eliſæus ab Elia factus eſt Religioſus. Vnde ſtatim reliquit boues, domum, parentes, & ſecutus eſt Eliam.* Cúmque Eliſæus præintelligeret raptum ſui magiſtri, poſtulat ab eo duplicem eius ſpiritum. *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Cui ait Elias: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* In ſignumque communicationis ſui ſpiritus dat ei pallium ſuum.

4. Reg. 2.

4.Reg.2.num.13. Sed cur non alio ſigno datur ſpiritus Eliæ? cur quando ipſe ſpiritus communicatur, pallium datur? Spiritus Eliæ ſpiritus Religionis, reformationis, ac diſciplinæ regularis: quando ergo Elias hunc ſuum ſpiritum in diſcipulo vult plantare, dat ei pallium; nam vt reformationis norma vigeat, multum aliquando expedit, pallium habere, alimenta ſcilicet obtinere; ne illis deſtitutus Religioſus, eorum cogitationibus diſtrahatur, ac per publica loca vagetur.

*Ad Religionis reformationem ſpectat alimenta habere.*

# QVÆSTIO XVIII.

## *Elias Carmelitani Ordinis primus Patriarcha, ac fundator extitit.*

111\. NOSTRVM ſacrum Carmeliticum Ordinem ab Elia inſtitutore originem ducere, atque ab eo ſucceſſionem hæreditariam tenere in monte Carmelo, à quo nomen accepit, conſtans eſt totius Ordinis traditio per multos ſanctiſſimos, ac doctiſſimos viros continuata, & tanquam per manus tradita, eamque nobis communiunt, &

*Elias Carmelitarum auctor.*

Pontifices.

corroborant Summi Pontifices Ioannes XXII. Sixtus IV. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. qui in ſuis bullis, noſtro Ordini conceſſis, ita habent. *Tanquam Religionis ſpeculum, & exemplar charitate fulgentes, ſanctorumque prophetarum Eliæ, & Eliſæi, & aliorum Patrum, qui montem ſanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes.* Quod, vt potiſſimum, ac efficaciſſimum hac in re fundamentum adnotarunt

Suar.

Salian.

Sanch.

Cornel.

Suarius tom. 4. de Relig. lib. 2. de varietate Religionum in ſpecie cap. 10. num. 1. Salianus anno 1339. numer. 45. Gaſpar Sanchez in lib. 3. Reg. cap.17. n.12. & Cornelius à Lapide 3. Reg. c.18. verſ. 41.

112\. Sixtus V. in ſuo diplomate. *Eximi quod in vobis.*

Sixt. V.

Greg. XIII.

Breuiar. Carmel.

Nobis conceſſit celebrare officium S.Eliæ, & Eliſæi. Et Gregorius XIII. in Bulla *vt breuiarij.* approbauit noſtri Ordinis breuiarium; in quo continentur officia Sanctorum Eliæ, & Eliſæi. Et ſcribitur in Calendario. *Officium ſancti Eliæ Patris noſtri.* Et in hymno ad veſperas dicitur: *O Pater, ſalue, placidus tuos excipe alumnos.* Et in hymno ad laudes. *Nos nunquam auxilio deſtituat Pater.* Sub Paulo V. Pontifice Maximo non ſolum approbata fuerunt prædicta officia S. Eliæ, & Eliſæi à ſacra Congregatione Rituum ſub anno 1609. ſubſcribente Eminentiſſimo Domino Bellarmino, ſed etiam approbatum fuit Officium cōmemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis 16. Iulij. In quo lect.4. dicitur. *Viri plurimi, qui veſtigiis ſanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi inſliterant*, &c. Et in feſto ſancti Angeli Martyris



die 5. Maij. lect. 5. appellatur ipſe ſanctus Angelus *Patribus ſuis Eliæ, ac Eliſæo perſimilis.*

113\. Sub Vrbano VIII. à ſacra Congregatione Rituum non ſolùm approbata ſunt omnia prædicta

Vrban. VIII.

Breuiar. Carmel.

officia, ſed etiam officium S. Petri Thomæ Patriarchæ. In quo lect.5. ad matutinum dicitur, quo modo ipſi pro conſeruatione Religionis oranti apparuit ſacratiſſima Virgo, eique dixit: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura. Elias namque eius inſtitutor iam olim etiam à filio meo id impetrauit.* Et in feſto S. Spiridionis die 14. Decembris in Oratione dicitur: *Et ſicut ille Religionis, à propheta Elia inſtitutæ, fuit fidelis imitator.* Quod

*Auctoritas breuiarij multa.*

etiam habetur in Miſſali. Quæ autem Eccleſia canit, tam in choro, quam in Miſſarum ſolemnitate, adeo eximiæ, ac inſignis auctoritatis ſunt, vt S. Rota in vna Cæſarauguſtana *Cathedralis.* coram illuſtriſſimo Domino Coccino anno 1630. decidat: *Hiſtoriæ in præfatis breuiarijs contentæ, veluti canonizatæ ab Eccleſia cenſeantur.* De quo

Marian.

Moral.

Mariana in tract. aduentus S.Iacobi in Hiſpaniam. Ambroſius de Morales in Chronic. lib.9. cap.14. & lib. 8. fol. 213. Et quia in hac re habemus tot ſummos Pontifices, ideoque grauiſſimos Patres, ac Auctores, referre ſuperſedeo, quos citant R. P.

Franciſcus à S. Maria.

Leſan.

Franciſcus à S.Maria Hiſtoria Prophetica tom. 1. lib. 1. cap.10. & in Apologia Parte 2.§.2. fol.mihi 169. &c. Et ſatis ſpecioſè Doctiſſimus P. Leſana tom.1. Annalium. apparatu 6.

114\. Huius ergo ſacræ Religionis inſtitutor eſt Elias, à quo tanto Parente, Dei gratia inſpirante, non degeneres extiterunt filij, quod eius prima fundamenta nobis innuunt. Fundatus enim eſt hic ſacer ordo, iuxta Pontificum diplomata, & ex

Regula Carmelitarum.

prologo regulæ conſtat, *In monte Carmeli iuxta fontem Eliæ.* Quæ verba ſingula pro Religionis encomio ſunt expendenda.

115\. Fundatur Religio in monte, & non in rupe aliqua. Lapis ille, qui percuſſit Nabuchodonoſoris ſtatuam, *factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.*

Dan. 2.

Daniel. 2. num. 34. Connaturalius videbatur, quod ex lapide fieret petroſa moles: cur

Hugo.

potius mons? Hugo. *Lapis non creſcit in rupem, ſed mutatur in montem.* Lapis ille Chriſtum Dominum adumbrabat, ex ipſo namque de cælo deſcendente in terram conſurgit Eccleſia. Bene ergo in figura ex lapide mons, non rupes fit: nam Eccleſia non eſt ſterilis, vt rupes, ſed fœcunda vt pleniſſimus mons. Alta igitur Dei diſpoſitione, cum Carmelitana Religio ſanctiſſimorum virorum multitudine futura eſſet locupletiſſima, non in ſicca, & ſterili rupe, ſed in monte pingui, & coagulato fundatur.

1. Ioan. 1.

Ait Ioannes in ſua 1. Epiſt. cap. 1. num.1. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, teſtamur, & annunciamus vobis.* Elapſis annis

*Carmelitana Religio multis ſanctis abundat.*

oculis noſtris vidimus S. Thereſiam à ſummo Pontifice Gregorio XV. inter Diuos relatam. Et ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo S. Andream Curcinum inter ſanctos adſcriptum, & B.Mariam Magdalenam de Pazzi ab eodem Pontifice beatificatam anno decimo ſeptimo poſt eius obitum. Aliique ſunt venerabiles viri, vt R. P. Fr. Ioannes de la Cruce, R. P. Hieronymus Gracianus; R. P. Fr. Stephanus à Purificatione, quorum negocia agitantur in Romana Curia. Hæc, quæ omnes vidimus, teſtamur, & annunciamus vobis.

116\. Omitto referre innumerabiles exercitus multorum millium Martyrum, Angeli, Anaſtaſij, Gerardi, Petri Thomæ, & aliorum; ac etiam agmina ſcilicet Pontificum, & Confeſſorum Dyoniſij Papæ, Serapionis, Spiridionis, ac aliorum; & copioſiſſimos choros ſanctarum Virginum Euphraſiæ, Euphroſinæ, &c. Cum quidam pro Theodoſio laudando inſudaret in euoluendis antiquiſſimis progenitoribus Ænæa, Aſcanio, ac aliis, dixit

D. Ambr.

pulchrè D.Ambroſius: *Quid fatigaris in perſcrutanda antiquitate, cum in noſtro Imperatore tanta oculi noſtri viderint.* Pro gloria Carmeli decantanda non neceſſe eſt ad antiqua deflectere, cum in noſtro hoc ſæculo multa habeamus. Et pro

*Illuſtriſſimi in ſanctitate viri.*

hac re locupletiſſimos teſtes aduoco venerabiles Patres noſtros R.P.Fr.Angelum Sernobicho Macedoniæ principem, R. P. Bartholomæum Garro, R. P. Angelum Conceptionis noſtrum Luſitanum, R.P.Fr.Michaelem de la Fonte, R.P.Fr.Ioannem Sans, R.P.Fr.Stephanum Purificationis Luſitanum, & alios, qui multarum virtutum monumentis floruerunt in vita, de quorum geſtis peculiares extant libri, & agunt noſtri Auctores.

117\. In Anglia in illa crudeliſſima perſecutione

Philip. à Santiago.

Henrici Octaui teſtatur P.M.Fr.Philippus à Santiago in ſuo Catalogo dicens: *In Anglia plures beati Monachi Carmelitani, qui ab impiiſſimo rege Henrico, & regina Eliſabeth pro fidei defenſione diuerſis temporibus mortui ſunt.* Refert Petrus

Lucius.

Lucius in ſua Bibliotheca, quod Carmelitæ habitatores ciuitatis *Praga*, tuentes cauſam Chriſtianæ fidei, in illius odium ab Hæreticis ſunt occiſi.

Grauin.

R. P. Dominicus Grauina ex ordine Prædicatorum, quod anno 1566. Carmelitæ conuentus Lunel pro tuenda fide Catholica, ac ſacris Eccleſiæ rebus, ab Hæreticis ſunt interfecti. ſic ait ipſe. *Ceruices inflexerunt*, ſcilicet Carmelitæ, *& ſic enituit in vna hoſtia duplex oblatio Religionis, & fideii; ædem ſacram non tradiderunt, & tanti triumphi palmam obtinuerunt.* Alia multa omitto, quia ſatis operoſum eſſet omnia recenſere. Sicut etiam ab illuſtriſſima noſtrorum Diſcalceatorum familia abſtineo ſermonem, qui ſicut Angeli pacis vita, exemplo, ſanctitate, ac doctrina volitant in omnem terram Chriſtum, ac ſanctam eius fidem Catholicam annuntiantes. De quibus dicam ſequenti tomo, cum de S. Thereſia fuerit ſermo.

Carmelitica Religio, quamuis per tot millia annorum à ſuo ſit inſtitutore initiata; tamen eius charitas, ac amor in Deum non frigeſcit, ac tepeſcit; ſed ita feruidus, ac ſuccenſus eſt, acſi hodie nata eſſet ipſa Religio. Ponderat D. Bernardus ſerm.6. in Vigilia Natiuitatis quod in ipſo die ad Calendam canit Eccleſia: *Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethleem Iuda.* Cur non dicitur natus eſt, ſed naſcitur? Sic ait S.Doctor: *Non eſt hoc nouum, olim auditum eſt; olim factum eſt; olim natus eſt Chriſtus: natus eſt ergo Chriſtus, non modo, ante hæc noſtra tempora.* Et poſt pauca reſpondet: *Sicut enim quodammodo immolatur adhuc quotidie donec mortem eius annunciemus; ſic videtur & naſci dum fideliter repræſentamus eius natiuitatem.* Verum eſt, quod Chriſtus Dominus multis abhinc annis natus; tamen benè cantatur quotannis in Eccleſia *naſcitur*, amore ſcilicet, ac affectu erga ſuos; tot ſæculis elapſis eius charitas non eſt imminuta, ſed ita modo feruida, ac vehemens viget, acſi hodie eſſet natus, ac in mundum prodiret. 118.

*Religio Carmelitica, quamuis antiqua, charitate feruida.*

D. Bern.

*In monte Carmeli.* In hoc monte, & non in alio fundatur Religio. Quod factum eſt diuina diſpo 119.

*Carmeli nomen.*

D.Greg. Theodor. S.Thom. Beda Magal.

diſpoſitione, tam ratione nominis, quàm loci, ac figuræ. Carmelus, vt docent ſancti Patres Diuus Gregorius, Theodoretus, S. Thomas, Beda ad cap.7. Cantic. verſ. 5. ſignificat circuncifionem, vel Agnum circunciſum. Tertiò, vt tradit Magallianes ſuper Ioſue tom.2.in initio, dicit Carmelus teneritudinem meſſium. Quartò, vt tradit Rabbi Abrahamus apud Ghiſlerium in Cant.c. 7. verſ.5. expoſit. 1. ad litteram, Carmelus colorem coccineum importat. Quæ omnia alto numine dicuntur. Primò vt ſignificaretur, quod in illo monte futura erat prima ſedes, & cathedra circunciſionis ſpiritualis, quæ per Virginitatem, ac Religionem fit. Secundò, quod Agnus circunciſus ſequendus, ac diligendus erat. Tertiò, quod gens illa Carmeli alenda erat cæleſti meſſe ſpiritualis panis corporis Chriſti. Quartò, quod gens illa erat in corpore ſuo mortificationem portatura, ſuúmque ſanguinem pro Chriſto effuſura.

Rabbi Abrahamus. Ghiſler.

120. *Carmelus locus aptus ad contemplandum.* Nazianz.

Ratione loci. Carmeli mons ſeparatus eſt ab aliis montibus, ſequeſtratuſque à frequentia populi, ac multitudine gentium, vnde valde aptiſſimus ad vitam contemplatiuam agendam. Ex quo D. Gregorius Nazianzenus Orat. 5. ſic ait: *Qui omnibus omnia reliquiſſem; vt ab omni negotio feriatus, tranquillè philoſopharer, mecumque ipſe, & cum ſpiritu colloquium haberem. Heliæ Carmelum animo agitabam.* Et idem Orat. 16. ait. *Pulchra res ſolitudo, & quies: idque me docet Eliæ Carmelus.* Prima Religionis fundamenta in hoc monte ponuntur; in quo veluti erat cathedra ſolitudinis, ac contemplationis, & quietis, tanquam totius Religionis finis, ac ſcopus. Ratione etiam figuræ. Carmelus totus amœnus, iucundus, ac fœcundus. *Datus eſt ei decor Carmeli.* Iſai.35.n.2. Proindéque typus eſt ſacratiſſimæ Virginis Mariæ. Irridentibus aliquibus Hæreticis, quod nos explicantes Cantica Canticorum dicamus, quod ibi loquitur Anima Iuſti, vel Eccleſia, vel ſacratiſſima Virgo Maria, Reſpondet Ludouicus à Soto maior, Prologo in Cantica. *O fatuitas magna! Eſt ne Iuſtus ſine Eccleſia, vel Eccleſia ſine Maria?* Non eſt Iuſtus extra Eccleſiam, nec Eccleſia plena, ac repleta Iuſtis ſine Maria: nam ipſa ſua interceſſione, ac precibus eam fœcundat, ac parturire facit fructus iuſtitiæ, & ſanctitatis. Cum enim ſacra Carmelitarum Religio tot fulgentibus ſanctorum ſtellis futura eſſet inſignita, non decebat vt alio in loco ſua prima fundamenta haberet, niſi ea in parte, in qua typus ſacratiſſimæ Virginis exprimebatur, de cuius protectione multis donis fœcundatur.

Iſai. 35. Soto Maior. *Religio interceſſione Virginis fœcundatur.*

121. *Iuxta fontem Eliæ.* Non in qualibet parte montis initiatur Religio, ſed iuxta fontem, qui abundantiam, ac rerum exuberantiam innuit, quibus noſtra ſacra Religio à Deo eſt locupletata. Vidit Ioannes *fluuium aquæ viuæ, ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.* Apocal.22.numer. 1. Per fluuium cæleſtium donorum affluentiam interpretari poſſumus; ſicut & per lignum vitæ Religionem. Anſbertus Apocal.2. ad illa verba. *De ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Per lignum vitæ Religionem intelligit. Per duodecim fructus vniuerſitatem fructuum denotari dicunt Andreas Cretenſis, Primatius, & alij. Nam totus annus duodecim menſibus clauditur; per menſes ſingulos, hoc eſt per vniuerſas rerum ætates, & tempora. Sic noſtra ſacra Religio, Deo benignè reſpiciente, omnes Religionis fructus reformationis, paupertatis, caſtitatis, humilitatis, conuerſionis animarum, zeli, charitatis, ac amoris Dei per omnium rerum tempora, & ætates dedit, ac produxit.

Apoc.22. Anſbert. Cretenſ. Primat. *Religio arbor vitæ.*

*Luc.4.n.27.* Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* Multi leproſi erant in Iſraël ætate Eliſæi prophetæ.

*Boſtrenſis.* Eliſæi tempore.

*Syriacus.* Et ne vnus quidem ex eis purgatus eſt.

## *EXPOSITIO IV.*

ALTERVM exemplum adducit Dominus ex lib.4. Reg.c.5. Nam Eliſæus magiſtri Eliæ imitator, & inſecutor, ſicut non prophetauit ſuis conciuibus, ſed extraneis; ſic etiam non leproſos Iudæos, ſed gentilem Naaman Cyrum à lepra ſanauit. Quod eius fidei tribuunt Titus Boſtrenſis, & D.Ambroſius. Quæ in multis enituit, vt notat Toletus annot.47. Credidit puellæ vni, vt relicta Syria in Iudæam veniret. Et cum ſanatus eſſet, nullo alio ſpectato miraculo, cum antea idololatra exiſteret, errorem depoſuit, & vero Deo credidit dicens: *Verè ſcio, quod non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſraël.* 4.Reg.5. num. 15. Origenes vero hoc tribuit eximiæ reuerentiæ, ac obedientiæ, quam habuit Naaman erga Prophetam, eúmque honorauit oblatis muneribus ſuis, eique obtemperauit, vt ſepties in Iordane lauaretur. Sic ergo, ac ſi dicat Chriſtus, leproſos extraneos, ob eorum fidem, & reuerentiam in me, curo: Vos autem, ô Nazarethni, ob veſtram incredulitatem, irreuerentiam ac contemptum in me, prætereo, ac prætermitto. 122.

Boſtrenſ. D.Ambr. Tolet. 4.Reg.5. Origenes. *Reuerentia in prophetam multum promeretur.*

Ponderandum tamen hic. Quod Eliſæus ſeptena lotione ſanitatem Naaman præparauit. *Vade, lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* 4.Reg.5.n.10. Chriſtus autem leproſo dat remedium verbo, & manus tactu. *Extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare.* Luc.5.numer. 13. Quod notauit Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 9. *Vnde, ait, magis dignoſcitur Chriſtus à creaturis, quàm ex verbi poteſtate? Sed ideo alius Chriſtus, quia aliter, quàm Eliſæus, quia potentior dominus famulo ſuo. Quid conſtituis, Marcion, proinde res agi à ſeruis, quemadmodum ab ipſis dominis? non times, ne in dedecus tibi vertat, ſi ideo Chriſtum negas creatorē, quia potentior fuerit famulo creatoris, qui ad Eliſæi puſillitatem maior agnoſcitur.* Principum dona à ſeruorum actibus aperta nota diſcriminantur. Communicetur miniſtris poteſtas, ſed ſemper excelſior, ac nobilior operandi modus ſupre- 123.

4.Reg.5. Luc.5. Tertul. *Princeps excelſiori modo operatur, quā ſeruus.*

mo



mo principi, tanquam ei congenitus, ac natiuus, maneat reſeruatus. Eliſæus, vt miniſter ſeptena lotione conferat medicinam; Chriſtus vero, vt excelſus Dominus, vno verbo, & tactu.

*Luc.4.n.28.* Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Quúmque hæc audiſſent ij, qui erant in Synagoga, cuncti repleti ſunt furore.

*Græcus.* Repleti ſunt furore omnes ipſi.

## *EXPOSITIO V.*

124. CVM Nazarethni præpoſitis exemplis ſe infidelitate redargutos agnoſcerent, reprehenſione non meliores facti ſunt, ſed ſua culpa peiores euaſerunt, vt ira in mente concepta, vt ait D. Bonauentura, operis violentia contra Dominum inſurgerent. Huius iræ cauſa primo extitit, vt ait Auctor Græcus in Catena D. Thomæ, quod Dominus citatum Iſaiæ locum ſibi tanquam vero Meſſiæ adaptauerit. Secundò, ait etiam ipſe, quod ſe illis duobus prophetis Eliæ, & Eliſæo comparauerit, cum eſſet eorum conciuis, eiſque æqualis videretur. Tertiò, D. Bonauentura, quia Dominus eos increpauerit, ac arguerit. Prouerbior.15. num.12. *Non amat peſtilens eum, qui ſe corripuerit.* Amos 5. num. 10. *Odio habuerunt corripientem in porta.* Quartò, Carthuſianus. Quia his exemplis, à Iudæis ad gentes dona Dei tranſferenda eſſe, Chriſtus ſignificauerit. Quintò, Hugo, Caietanus, Toletus. Quia his duobus exemplis pungebantur de incredulitate, ignominiaque afficiebantur, cum iudicarentur Chriſti miraculis indigni. Et hæc videtur valde germana intelligentia: dolebant maximè, quod alij eis anteponerentur.

D.Bonau. Græc. D.Bonau. Prou.15. Amos 5. Carthuſ. Hugo. Caiet. Tolet.

*Luc.4.n.29.* Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

*Num. 30.* Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.

*VERSIONES.*

*Theophyl.* Eiecerūt illum à ciuitate.

*Syriacus.* Eúmque adduxerunt vſque ad verticem montis, ſupra quem ciuitas eorum erat extructa, vt eum deiicerēt de rupe.

*Arias.* Ad præcipitandum eum.

## *EXPOSITIO VI.*

FVROR mente conceptus iam in actiones externas prorumpit. *Surrexerunt, & eiecerunt illum.* Poſtquam ſurrexerunt, ira agitati, ac tumultu excitato, impetu etiam vnanimiter facto, vt notat Lucas Burgenſis; eiecerunt eum, non ſolum extra Synagogam, ſed etiam *extra ciuitatem*, tanquam ciuitate indignum. Mos illis erat, vt delinquentes extra ciuitatem punirentur. Sic Chriſtus extra portam paſſus eſt. Hebræor.13. num.12. Sic & Stephanus Actor.7. num.56.& 57. *Duxerunt illum*, veluti vi quadam inuitum, vt ipſi putabant; tamen re vera Chriſtus ſponte ſe trahi, ducíque ſinebat. *Vſque ad ſupercilium montis*, verticem nempe, ac ſuperiorem, & editiorem montis partem; *Super quem ciuitas illorum erat ædificata.* Ciuitas conſtructa erat, non in apice montis, ſed in parte quadam decliui illius. Vertex autem montis extra ciuitatem extabat, quidquid in contrarium dicat Adrichomius. *Vt præcipitarent eum*, tanquam contumelioſum in ſuos; vt ita dum ipſe præceps rueret, totum corpus dilaceraretur. In hácque intentione magnam iniuriam Nazarethni Chriſto ſuo conciui fecerunt; ſícque ſuo facto, vt ait Euthymius, Chriſti dictum confirmarunt, prophetam non haberi in honore in patria ſua. 125.

Burgenſ. Hebr.13. Actor.7. Adrichom. Euthym.

*Ipſe autem tranſiens per medium illorum.* Chriſtus Dominus ſua virtute diuina illæſus, ac valde quietus, & intrepidus ſine vi, ſine fuga, & abſque vlla greſſus concitatione, ſed ſua ſolita grauitate, tanquam ſi non eſſet ab hoſtibus circunſeptus, euaſit ab eis, vt ita ipſi neſcirent, quo pacto ab eorum manibus elaberetur. *Ibat*, abibat, proficiſcebatur, quo volebat, ita omnino liberè, ac ſi ab hoſtibus non eſſet vallatus, ita vt à nemine eorum impediri, aut retineri poſſet. 126.

---

## QVÆSTIO XIX.

### *Vnde in Nazarethnis tanta malitia, vt educentes Chriſtum extra ciuitatem, eum præcipitare vellent?*

RATIO litteralis appoſita eſt in expoſitione. Quia exemplis propoſitis Eliæ, & Eliſæi, ſibi perſuaſerant Nazarethni, Chriſtum Dominum maximè patriam ſuam infamaſſe, eámque multo dedecore, ac iniuria affeciſſe, cum ipſam ſuis operibus, ac miraculis iudicaret indignam, eique nationes exteras anteponeret. D.Bonauentura vero, & Toletus annot.49. dicunt, duxiſſe eum extra ciuitatem ad præcipitandum, vt occiderent, tanquam blaſphemum, cum ſe Meſſiam feciſſet. Nam quamuis ex lege Leuit.24. num.23. blaſphemus lapidandus eſſet, Chriſtum in ſaxa illidere, ac per lapides præcipitare, hoc idem eſſe iudicabant, ac ſi eum lapidarent. Proinde illis videbatur eſſe ſiue ſaxa in hominem, ſiue hominem in ſaxa iacerent, ac præcipitarent: immò hoc crudelius, 127.

*Litteralis ratio.* D.Bonau. Tolet. Leuit 24.

ac

ac terribilius. Sic S.Stephanum , vt blaſphemum, extra ciuitatem lapidarunt. Sic S. Iacobum primum Ieroſolymorum antiſtitem , tanquam blaſphemum, quod Chriſtum diceret verum Meſſiam, è pinnaculo templi præcipitarunt.

128. D. Ambroſ. Secundò. D. Ambroſius lib. 4. in Luc. *In hoc apparet , ait , diaboli nequitia , & improbitas, quod ita populo Iudæorum veſaniæ cæcitatem mentis effudit , vt populus neget , quem dæmones confitentur. O peior magiſtro diſcipulorum hæreditas. Ille verbo Dominum tentat ; hi facto. Ille dicit , mitte te ; iſti adoriuntur , vt mittant.* Diabolus verbo tantum dicit , mitte te deorſum. Matth.4.num. 6. At

Matth. 4. *Diabolus ad maiora nos provocat, quã ipſe agere audet.*

Nazarethni, non verbis tantum, ſed factis rem aggrediuntur , & Ieſum præcipitare conantur. Plus audaces in Ieſum , quàm diabolus , extiterunt. Vnde illis tanta malitia? Sæpe diabolus ſuos ſectatores ad eam malitiam ſtimulat , quam ipſe per ſe ipſum exequi veretur. Sic & Dæmones Chriſtum

Luc 4. filium Dei teſtificantur Luc. 4.num.41. & tamen in Iudæorum cordibus ſeſe diffuderant , vt ipſum negarent , & Barabbam peterent. Vide cap.8.n.69. & cap.22. num.42.

129. D. Ambroſ. Tertiò , Idem. D. Ambroſius. *Retribuebant* , inquit , *mala pro bonis : nam cum ipſe per populos beneficia diffunderet ; illi iniurias irrogabant. Nec mirum , ſi perdiderunt ſalutem , qui eiecerunt de ſuis finibus ſaluatorem.* In tam turpe factum prodeunt Nazarethni , vt ſuum regem Ieſum è ciuitate ſua repellant, vt inde fiat manifeſtum, quàm digniſſimè ipſi à regno ſuo in æternum expellantur.

*Iudæi valde dignè expelluntur à regno.*

130. Quartò , Vnum peccatum valde frequenter aliud parturit. Nazarethni primò inuidia aduſti ſunt , vt dicerent : *Quanta audiuimus facta in Capharnaum* , &c. Capharnaitis inuidebant eo quod Chriſtus inter eos miracula ediderat. Secundò , maximè commouebantur ambitione : cupiebant enim , patriam ſuam honore , ac donis ſublimari ; vnde & dicebant : *fac & hic in patria tua.* Tertio furore , ac ira in Chriſtum agitabantur : *Repleti ſunt ira.* Quartò in execrandum facinus prodeunt , vt Dominum præcipitare vellent. Qui enim peccata ſua non emendat , in alia maiora incidet , & cadet : *Cor nequam grauabitur in doloribus , & peccator adiiciet ad peccandum.* Eccleſiaſt. 3.num.29.

*Peccator ſẽper ex vno peccato ruit in aliud.*

Eccleſ. 3.

131. Quintò , Vehementer Iudæi Meſſiam exoptabant , ac ſi ipſe veniret ad eorum placitum , ac voluntatem gerendam : tamen cum eos de iniquè factis argueret , ac obiurgaret , illum de ſua ciuitate , ac loco abiiciunt , atque ex alta rupe præcipitare conantur. Dum Deus *illis* magna dona largitur , laudant ; cum tamen ob eorum turpitudines aduerſatur, contumeliis contra Dominum inſurgunt. Cum miraculosè mare traiiciunt, dicunt: *Cantemus Domino glorioſè.* Exod. 15. n. 1. Cum verò contra eorum beneplacitum commorantur ad radices Sinai , Aaroni dicunt : *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod.32. num.1.

*Iniqui ſolum recognoſcunt Deum cum, eis benefacit.*

Exod. 15.

Exod. 32.

132. Sextò , Chriſtus Dominus in tanto honore fuit apud Geraſenos , vt quamuis magnam pecorum multitudinem amiſiſſent , eo quod ex Domini iuſſu dæmones in ipſa eſſent ingreſſi ; tamen reuerenter Domino loquuntur deprecantes , vt ab eorum finibus tranſiret, Matth.8. num. 34. Et tamen Nazarethni Domini conciues , qui nullum ab eo damnum erant perpeſſi , ſed multa bona obtinuerant, illum ex montis vertice præcipitare ſtudent. O quàm frequenter homo ab alienigenis honore ſublimatur , à ſuis autem multa tribulatione, ac inſectatione perſequitur. Vide tom.1.& 2. Conſanguinitas , ibi multa.

*Conſanguinei crudeliores in ſuum cognatum , quam extranei.*

## QVÆSTIO XX.

### *Quare Chriſtus non eſt paſſus à Nazarethnis præcipitari, ſed tranſiens per medium illorum ibat?*

133. Euſeb. Chryſoſt. Origenes. Maldon. QVOMODO Chriſtus per medium illorum ibat? frequenter quærunt Expoſitores. Euſebius li.9. Demonſtration. cap. 1. Chryſoſtomus concione 1. de Lazaro. Origenes homil. 19. in Luc. Maldonatus hic , & alij aſtruunt , Chriſtum in præſenti ſe inuiſibilem præſtitiſſe. D.Ambroſius , & Beda cenſent , Chriſtum eorum voluntates mutaſſe , vt eum dimitterent liberum.

D.Ambr. Beda.

134. *Obſtupefacti Chriſtum nõ tenent.* Dicendum eſt, Chriſtum in hoc negotio oſtendiſſe virtutem ſuam diuinam. In quo omnes conueniunt. Et cum grauiſſimis Recentioribus ſic explicatur. Quod Chriſtus Nazarethnorum phantaſiam , & oculos diuerterit , eorumque corda, ac mentes obſtupefecit, pedes conſtrixit, manus continuit , vt quaſi ſtupidi , cum Chriſtum viderent, cum tamen tenere, aut apprehendere nec poſſent, nec auderent. Hanc ſententiam in præſenti nobis tradidit D. Ambroſius. *Ecce* , inquit , *per medium illorum , mutata ſubito , vel obſtupefacta furentium mente , deſcendit.* Cauſam huius rei apponit. *Etenim quando vult , capitur ; quando vult , elabitur , quando vult occiditur : quia non dum venerat hora eius.* Debebat enim adhuc docere , & prædicare , vt ex Patris altiſſimo decreto Paraſceue crucifigi Ieroſolymæ , non autem Nazareth præcipitari. Ita Titus Boſtrenſis, Euthymius, Beda, Carthuſianus , & alij.

D.Ambroſ.

Boſtrenſ. Euthym. Beda. Carthuſian.

135. Lyranus. Beda. Ericus. Borchard. Adrichom. Cornelius. Lyranus Sic ſcribit. Beda dicit , quod cum Dominus de manibus eorum elapſus de monte deſcenderet , & ſub rupe latere vellet , ſubito ad tactum dominicæ veſtis ſaxum illud ſubterfugit, & inſtar ceræ ſolutum quendam ſinum effecit, id eſt concauitatem , in qua dominicum corpus reciperetur. In quo loco omnia lineamenta , & rugæ veſtis , & veſtigia pedum in rupe apparent, adhuc, ſicut teſtantur, qui viderunt. Idem tradunt Ericus , & Borchardus 1. p. cap. 6. §. 8. & Adrichomius in theatro. In tribu Zabulum. num. 84. Cornelius à Lapide de hac hiſtoria dubitat. Aliquas huius rationes morales quæro.

136. D. Ambroſ. Primò , Chriſtus Dominus ibat dans locum iræ , ac illorum furori cedens. Secundò, D. Ambroſius lib.4.in Luc. *A paucis teneri potuit, qui à populo non tenetur. Sed noluit ſacrilegium eſſe multorum, vt à paucis quidem affigeretur, & pro toto Orbe moreretur.* Cur Dominus non paſſus eſt hic à populo præcipitari, non tamen à militibus cruci affigi ſuſtinuerit? Videbat Dominus totum populum in ſe concitatum , & omnes tanquam carnifices in eum ruere ; reſeruat ergo mortem ſuam ad crucem , in qua à paucis miniſtris crucifigendus erat. Hoc inerat ſtudium diuino magiſtro, ne tantus reatus ad multos extenderetur , neque tota ciuitas cruore tanto fœdaretur , & ideo vetuit mortis genus , per plures executioni mandandum , elegit autem illud , quod permiſſum erat, à pauciſſimis inferri : *Noluit ſacrilegium eſſe multorum.* Hoc magnatibus ſit ſtudium , ne quoduis vitium, eſtò permiſſum ſit, per omne communitatis corpus ſerpat , ſed quoad fieri poſſit, in paucorum numero comprimatur.

*Mala , etſi permiſſa ad paucos contrahenda.*



136. Caietanus. Tertiò. Caietanus. *Lege, ait, vniuerſam ſcripturam Euangelicam , & nullibi inuenies fuiſſe Ieſu iniuriam facti irrogatam vſque ad tempus mortis ſuæ, niſi à proprijs ciuibus. Immò nec tempore paſſionis ſæuierunt in Ieſum , niſi mediantibus miniſtris Curiæ.* Cur cum furioſi homines vellent manſuetiſſimum Ieſum præcipitare, ſuam prauitatem executioni non mandant? Verùm eſt, quod ira, inuidia , ac odio inſaniebant Nazarethni: tamen ſummum nefas , ac execrandum ſcelus excidij Saluatoris, non à quauis malitia perpetrandum erat, ſed illius executio tantum miniſtris Curiæ ſeruabatur. Quaſi crudelem mortem tam temerè nemo Chriſto Domino infligere auderet , niſi curialis miniſter, niſi Principes, comprehendendo; niſi milites prætorij flagellando, niſi Herodes, illudendo; niſi Pontifex, accuſando; Romanus præſes, crucifigendo. Sic enim Palatini veneno furiunt, vt illis perpetratio mortis Chriſti reſeruetur.

*Aulici valde apti ad ſummũ malum perpetrandum.*

137. 3.Reg.12. Suis clientibus ait Roboam : *Ego cædam vos ſcorpionibus.* 3.Reg.12.num... Quamuis communiter ab Expoſitoribus per ſcorpiones quoddam flagelli genus intelligatur , non abs re, ſaltem moraliter, per illos, crudeliſſimi , ac valde lethales ſerpentes accipi poſſunt. Sed cur hoc potius , quam aliud venenoſum animal in regum palatio inuenitur? Ait Tertullianus in ſcorpiaco contra Gnoſticos. *Magnum de medio malum Scorpion ſupputat; tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot ſpecies; tot dolores, quot colores Nicander ſcribit, & pingit, tamen vnus omnium violentiæ guſtus, de cauda nocere.* In ſcorpione omne , quod eſt peſtilentiſſimum, extat; tot ſunt venena, quot ingenia , ac inclinationes; tot dolores, quot colores, quamuis maximè depictus ſit ; tot pernicies, quot ſpecies, ac oculorum intuitus: nullumque efficacius venenum, quàm illius ; tamen præcipuè cauda blandiendo nocet. Sic ſanè in aula regis nil frequentius viſitur , quàm Scorpion ad necem , & malum vehementiſſimus , ibique omne ingenium, omniſque apparentia , ac intuitus veneno, pernicie, ac dolore abundat; & quò magis blandiuntur, eò magis interitum diffundunt.

Tertullian.

*In aulicis omne venenum.*

# CAP. XXXII.

## *Baptiſtæ Mors.*

*Marc. 6. n. 2.* Et cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus , & tribunis , & primis Galilææ.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et factus eſt dies notabilis, dum Herodes in domo natiuitatis ſuæ cœnam faceret magnatibus ſuis, & Chiliarchis, atque principibus Galilææ.

*Euthymius.* Quando Herodes in natalitiis ſuis cœnam præbebat primatibus ſuis , & centurionibus.

*Græcus.* Magnatibus , ac præfectis militiæ.

### *EXPOSITIO I.*

DE Ioannis incarceratione tractaui 2. tom. cap. 4. Mors autem eius communiter hîc apponitur à Recentioribus Ianſenio , Barradas , Beauxames , Luca Burgenſi , & Cornelio in ſuis itinerariis. Ex quo patet, quod Ioannes incarceratur in exordio primi anni prædicationis Chriſti: decollatur vero in fine ſecundi. Sacri autem Euangeliſtæ , vt notat Abulenſis in cap. 14. Matthæi quæſt. 14. in narranda hac hiſtoria Ioannis , non ſeruant ordinem rei geſtæ: nam Matth. 14. num.2. & Marcus 6.num.16. prius referunt Herodis dictum: *Ioannes ſurrexit à mortuis :* & poſtea ſcribunt illius mortem ; & tamen mors præceſſit illi dicto. Ratio autem eſt , quia Euangeliſtæ non ſcribunt hiſtoriam Ioannis ex principali intentione , ſed in ordine ad ea, quæ ad Chriſtum pertinent ad referendum ergo, quomodo Ieſus abiret trans mare Galilææ hanc hiſtoriam præmittunt. 1. Ianſenius. Barradas. Beauxames. Burgenſis. Cornelius.

Abulenſis.

Matth. 14. Marc. 6. Matth. 14.

*Cum dies opportunus.* Cur nam tam appoſitus hic dies dicatur? dubitabis. Primò dicitur *opportunus* Herodiadi, vt mortem , quamdiu Ioanni machinata fuerat , adferret: nouerat enim ipſa diem illum omni feſta, luxu, diſſolutione, ac voluptate repletum ; noueratque etiam Herodis ingenium, quod in conuiuio incaleſceret vino , tuncque nulli turpi facinori eſſe reluctaturum. Vel *opportunus dies* dicitur Herodi ad conuiuium exhibendum. *Accidiſſet,* hoc eſt adeſſet, ſeu eſſet. Rectè dicitur accidiſſet, acſi caſu veniſſet. Lætitia impiorum, vtpote breui tranſiens, caſu venit. *Natalis ſui.* Obſeruant Origenes homil.14.in Matth. D.Hieronymus, & Beda, qui ait hoc loco : *Soli mortalium Pharao.* Geneſ.40. num.20. *& Herodes dicuntur, diem natalis ſui celebraſſe, ſed vterque infauſto auſpicio feſtiuitatem ſuam ſanguine fœdauit ; ſed Herodes tanto maiore impietate, quanto innocentem, & ſanctum doctorem veritatis occidit.* Nota verba : *ſanguine fœdauit.* Principum feſtiuitates aliorum oppreſſione, ac ſanguine deturpantur. Et hoc infauſto auſpicio , quia ipſa feſtiuitas eorum mortem, ac mala denunciat. 2.

*Iucunditas impiorum caſu venit.*

Origenes. D.Hieron. Beda.

*Fecit cœnam,* vt ait Abulenſis cap. 14. Matth. quæſt. 21. ad maiorem gloriam , & celebritatem diei. *Cœnam,* quæ eſt ſub nocte, non prandium ſub die, quia, vt ait Chryſologus ſerm.174. *In quo noctis filius natus eſt, non diei.* Et quia gaudia impiorum omnia ſunt in tenebris , ne eorum fallaciam, ac deceptionem, & breuitatem videant. *Principibus, & tribunis;* quia, vt ait Chryſologus citatus, vt non ſolùm habeat ſui conuiuij ſocios , ſed etiam ſui criminis teſtes, & arbitros , qui illius inſolentiam, & turpitudinem ſugillent, & damnent. Hoc habet malitia, quod etiam à ſuo ſocio, ac commilitone arguitur, & condemnatur. 3. Abulenſis.

Chryſolog.

*Malitia obcæcat, ne impius videat ſuam miſeriam.*

*Marc.6.n.22.* Cumque intraſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus; Rex ait puellæ: Pete à me, quod vis, & dabo tibi.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et ingreſſa filia Herodiadis ſaltauit, & placuit Herodi, iiſque, qui accumbebant.

*D. Chryſologus ſerm.127.* Saltauit Herodiadis filia in medio triclinio.

*Arias.* Et placente Herodi, & vnà recumbentibus.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.14.n.6.* Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

### *EXPOSITIO II.*

4. CVM iam vino incaleſcerent, & ferculis eſſent repleti conuiuæ, ingreditur *filia ipſius Herodiadis*, Salome nomine; dicitur filia ipſius Herodiadis, de qua dixerat Euangeliſta num.19. quod inſidiabatur Ioanni. *Et ſaltaſſet*, ad menſam nempe Regis tripudiauit, geſticulationes laſciuo corporis motu præſtitit. Addidit D. Matthæus *in medio*. ſpectantibus ſcilicet cunctis, omnibúſque videntibus. In mundialium aula impudicitia meliorem obtinet locum; puritas verò infimum in carcere. *Et ſaltaſſet*. D. Remigius in cap.14. Matth. *Reprehendendus*, ait, *Herodes, qui paſſus eſt, regiam aulam fieri à muliere theatrum.* Subdit textus. *Et placuiſſet.* Nil vehementius ad alliciendum, ac emolliendum animum, quàm accommodata mulierculæ ſaltatio ad modos muſicos. Eccleſiaſticus 9. num.4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: ne audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Subdit textus. *Herodi, ſimulque recumbentibus.* Semper turpitudo, ac iniquitas ſecum vendicat ſocios. *Ait Rex: pete à me, quod vis.* Amor dona præparat, & inordinata voluntas inordinatum parturit affectum.

*Inter mundiales impudicitia meliorem habet locum,* D. Remig.

Eccli. 9.

## QVÆSTIO I.

### *De loco conuiuij, Herode, Herodiade, ac eius filia ſaltatrice, eorumque ſupplicijs.*

5. QVISNAM eſſet iſte Herodes, Herodiades, qualiſque locus conuiuij, iam explicaui tom.2. cap.4. quæſt.1. cum de incarceratione Ioannis agerem. Solùm de eorum pœna, ac ſupplicio aliqua adnotanda ſunt.

6. Quàm graue fuerit ſcelus ab Herode perpetratum in nece Ioannis Baptiſtæ, quámque grauiter culpa ab omnibus diiudicata, conſtat ex Ioſepho lib.18. Antiquit. cap.7. referens bellum, quod Areta rex illi intulit, eo quod filiam eius nuptui datam expulerit, vt Herodiadem duceret, in eoque bello victus Herodes fuerit. Sic ait ipſe. *Apud Iudæos, fuit opinio, iuſta vltione numinis deletum Herodis exercitum propter Ioannem, qui Baptiſta cognominatus eſt. Hunc enim Tetrarcha necauit virum optimum Iudæos excitantem ad virtutum ſtudia, & in primis pietatis, ac iuſtitiæ, ſimulque ad baptiſmi lauacrum.* Etiam ab impiis Iudæis deletus Herodis exercitus adſcribebatur Ioannis interfectioni.

Ioſeph.

*Herodis exercitus deſtruitur.*

Nec tantum hîc ſiſtit Herodis ſupplicium, ſed vt refert ipſe Ioſephus lib.18. cap.9. ob tanta eius ſcelera, Dei iudicio permittente, iniquis, & ambitioſis Herodiadis conſiliis ductus eſt Herodes, vt regis nomen ambiret. Vnde Agrippæ litteris de proditione accuſatus, à Caio Cæſare Tetrarchia priuatus eſt, & in exilium apud Lugdunum Galliæ vrbem miſſus eſt, quem comitatur vxor eius Herodiades. Ipſéque Herodes, vt teſtatur, Hegeſippus lib. 2. de excidio Ieroſolymit. cap.5. ibi in exilio mœrore conſumptus eſt. Et quæ cauſa extitit Herodi, vt Ioannem occideret, eadem etiam cauſa illi fuit, vt regnum perderet; & qui ex modica animi iucunditate tantum ſcelus perpetrauit, Dei alto iudicio, profunda animi anxietate, ac triſtitia periit. 7.

Ioſeph.

Hegeſip. *Herodis mors.*

*Per quæ qui peccat, per hæc torquetur.*

De ſaltatrice filia Herodiadis dicendum reſtat. Hanc etiam fuiſſe filiam ipſius Herodis, non diſplicet Abulenſi. Matth.14. q.23. inquit ibi, fortè hanc puellam filiam fuiſſe Herodiadis, & Herodis. In qua ſententia videtur eſſe Metaphraſtes in vita S. Ioannis. Manifeſtè eam tradit D. Chryſologus ſerm.174. *Reuera*, ait, *ſuam credidit Herodes, cum talem vidit.* Et iterum. *Reſpondi ſuo turpi generi, dum patri complacet turpiori.* Tamen non fuiſſe Herodis filiam, ſed alterius viri, docent Theophylactus, Albertus Magnus, qui ait. Non fuit filia Herodis, quia conſuetum eſt Scripturæ, filias potius dici patrum, quàm matrum. Deinde quia Euangeliſta ſolius Herodiadis, & non Herodis filiam dicit, nobis in hoc denotans, quod filia Herodis non erat. 8.

*Quæ iſta ſaltatrix.* Abulenſis.

Metaphraſt. D. Chryſol.

Theophyl. Albert. Mag.

Ioſephus verò lib.18. Antiquit. cap. 17. tradit, quod filia Herodiadis Salome nomine nupſerit Philippo Herodis magni filio, Tetrarchiam habenti Trachonitidis. Hac tamen in re fallitur Ioſephus; non enim Salome filia, ſed ipſa Herodiades nupſit Philippo Tetrarchæ, vt apertè ſcribit D. Marcus 6. num.17. *Ipſe autem Herodes*, ait, *tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.* Vnde communiter docent recentiores Maldonatus, Beauxames, & alij cum D. Paſchaſio lib. 7. in Matth. quod hæc ſaltatrix filia erat ipſius Herodiadis, ac Philippi prioris illius mariti. 9.

Ioſeph.

D. Marcus.

Maldonat. Beauxam. D. Paſchaſ.

Inuſitato mortis genere hæc ſaltatrix mortua eſt, vt refert Nicephorus lib.1. Hiſtoriæ cap.20. Eundum, ait, ei quopiam erat brumali tempore, & fluuius traiiciendus, qui cum glacie conſtrictus eſſet, pedes eum tranſibat; glacie autem rupta, idque non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & in vndis ſaltat. Caput verò glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem exhibet. Idem refert Simeon Metaphraſtes in vita Baptiſtæ. Idemque de ea refert Lucius Dexter in Chronicon anno Chriſti.34. 10.

Nicephor. *Mors ſaltatricis.*



## QVÆSTIO II.

### *Quare ſaltatrix ingreditur in conuiuium?*

11. INGREDITVR fœmina ſaltando in conuiuium geſtationeſque curporis faciens, vt ſolemniſaret diem natalis Herodis, Ioannique inſidiaretur, vt ait Abulenſis cap. 14. Matth. q. 25. Et ad hoc moliendum tempus conuiuij expectat, promittens ſibi auxilium in impudicitia ſua ab ipſa immoderantia, ac ſaturitate, vt regem in mortem Ioannis impelleret. D. Chryſoſtomus Orat. in decollatione Ioannis *Dracones* ait, *& aſpides, & ceraſtæ Ioannem formidarunt. Herodiades autem ipſum in cœna interfecit.* Perpende verba *in cœna*, ac ſi ipſamet luxuriæ petulantia tantam vim per ſe non haberet ad mouendum regem in tantum facinus, niſi à conuiuio, ac menſa auxilium obtineret. D. Fulgentius in decollatione Baptiſtæ. *Placuit*, ait, *& ſaltatrix:* ſed quid mirum, ſi inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella laſciuiens mulcet ſenſus, inclinet affectus? Vinum, & ſaltatio duplex incendium voluptatis.

Abulenſ.

D. Chryſoſt.

*Iniquitas multum auxiliatur à conuiuio.*

D. Fulgen.

12. Ab opiparo conuiuio nil bonum, ac honeſtum, ſed omne malum, & turpe vitium expectandum; in ipſo enim libidinum incendia creſcunt, & dæmones inſigniter præſulatũ tenent. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. *Heu*, ait, *qui ad luxum menſarum propenſi ſunt, præeſt dæmon beluo maximus, quem ego non vereor appellare ventridæmonem.* Tantamque prædam de hoc præſulatu ſibi dæmon ſperat, vt conuiuij tempus, illius feſtiuitatis tempus ſit. D. Baſilius Seleucus Orat. 18. in Herodiadem. *Natalium*, ait, *Herodis tempus inſtabat, ſplendidaq; vt veroſimile eſt, luxurioſi regis erat menſa, & conuiuium regifici luxus notis inſigne, in quo ebrietas perbacchabatur, & dæmonum fraternitas natiuitatis tempus, feſtum ducebat.* Expende vltima, verba, & quantum malum à conuiuio timendum, in quo de tui damno ſecurus dæmon feſtum agit.

Clem. Alex.

D. Seleuc.

*Conuiuij tẽpus feſtiuitas dæmonis.*

13. Inter multa fercula aderat Balthaſar in ſuo grandi conuiuio. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportauerat Nabuchdonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem, vt biberent in eis rex, & optimates eius.* Daniel. 5. num. 2. Maximè ponderandum, quod cum Nabuchdonoſor pater eius eſſet repletus multa turpitudine, ſuperbia, ac elatione, vt ſe quid ſupra hominem æſtimaret, & furore bellico ductus, captam tenens Ieroſolymam, vaſa tamen ſacra templi reuerenter tenet, vt ad ſacros vſus reſeruarentur. At filius eius Balthaſar tanta dementia agitatur, vt omni religione poſtpoſita ſacra vaſa ad prophanam menſam mandet venire, *vt biberent in eis rex, & optimates eius.* Pater non audet attingere, & filius illorum eſt tam aſpernator? Verum eſt, quod in Nabuchdonſor nimia rerum eminebat auiditas, ſuperbia, ac inſolentia, ſimulque bellicus furor: at vero in Balthaſare inſtabat immodica ventris ingluuies, exuberanſque conuiualium epularum ſaturitas, vt notatur in textu, *Præcepit iam temulentus*: & ad maiora crimina, ac peccata inducit vna gula, quam inordinata cupiditas, ſuperbia, ac furor, vt quibus hæc pepercerunt; conuiualis menſa minimè parcat; & non mirum, cum omnia mala ſecum ipſa afferat. Vnde meritò D. Auguſtinus tract. 17. de ſobrietate, & caſtitate ait: *Ebrietas flagitiorum omnium mater eſt, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis.*

Daniel. 5.

*Gula ſuper omnia mala ad peccatum inducit.*

D. Auguſt.



## QVÆSTIO III.

### *Quare ſaltatrix tantum placuit Herodi ac recumbentibus?*

INGREDITVR impudica ſaltatrix, & maximè complacet Herodi, ac ſimul recumbentibus. Valde mirum, quod in ampla aula regis laſciua fœmina omnibus placeat, nulluſque ſit, qui ei aduerſetur. *Cum placuiſſet Herodi, ſimul & recumbentibus.* Perpende verbum *ſimul.* Quæ enim, etſi immunda, atque iniqua, regi grata exiſtunt, ſimultaneè, ac concomitanter omnibus aulicis grata inueniuntur. Quæ vero regi ſunt inuiſa, omnibus quoque palatinis talem induunt conditionem. Impudica Herodi placuit, ſimul & recumbentibus placuit. Sed vnde tam iucunda Herodi? 14.

*Quæ regi placent, ſimul & aulicis placent.*

Primò D. Chryſologus ſerm. 174. *Reſpondet*, ait, *ſuo turpis generi, dum patri complacet turpiori. De adulterio non niſi turpis debuit procreari.* Laſciua fœmina, laſciuas corporis geſticulationes faciens, turpi, & immundo regi maxime delectabilis, ac grata conſiſtit: paritas enim morum paritatem animorum ingerit, & creat, ſicq; improbus improbo non diſplicet, ſed placet. 15.

D. Chryſol.

*Morum paritas paritatẽ generat animorum.*

Secundò. Impudica fœmina inhumanum facinus audax aggreditur. *Da mihi in diſco caput Ioannis.* Sed vnde tantum audet, vnde tantum complacet; vnde tantum aſtantium mentes ſolicitat, vt in tam graue ſcelus impellat, ac præcipitet? Totum impudico ornatui, ac cultui, tribuit D. Paulinus in Epithalam. Iuliani, ſic dicens. 16.

*Vnde nefas tantum meruit, niſi ab indice cultu*
*Impia ſaltatrix filia digna patre?*
*Nam niſi fulua leues texiſſet Bractea plantas,*
*Calcibus vt pictis luderet improbius;*
*Et fluidam criſpo duxiſſet ſyrmate veſtem*
*Fronte micans gemmis pone refuſſa comam:*
*Non ita corruptis ſpectantum mentib. intrans*
*Callida ad infandum præualuiſſet opus.*

*Impudica veſtis multum valet ad laſciuiam.* D. Paulin.

Impudico, ac immodico ornatu præualuit ad tam crudele facinus.

Tertiò, Diabolus in hoc negotio totus negotiator erat: nam, vt ait Theophylactus, Diabolus ſaltabat per puellam, illiuſque pedes, manus, ac digitos, corporiſque motus ducebat. Et ad quid diabolus tantus tripudiator erat? Pulchrè D. Fulgentius ſerm. de Decollatione Baptiſtæ. *Ecce iam diabolo procurante ludens cœpit delectare puella, ad hoc ſolum, vt poſſet occidere prophetam.* Omnẽ diabolus adhibet conatum, vt Ioannem occidat: nam, vt ait Philo Hebræus lib. de migratione Abrahami, Iuſtus dæmonis flagellum, illiúſque excidium. Et ſubdit. *Oremus, vt, ſeu columna in domo, in humano genere homo iuſtus permaneat ad calamitatum remedium: nam, hoc incolumi de publica* 17.

Theophyl.

D. Fulgen.

Philo. *Iuſti dæmonum excidium.*

*ſalute deſperandum non eſt.* Vnde omne machinamentum interponit dæmon, vt Ioannes non permaneat in ſæculo, ſed è medio tollatur, vt homini de ſua ſalute adimat ſpem.

18. Cum ergo videret diabolus, quod Herodes Ioannem reuerebatur, eúmque libenter audiebat. Quid tunc diabolus? Saltat ipſe per mulierem regi gratam, vt cor regis, ac circunſtantium ſolicitare, prophetámque occidere valeat: per manum enim mulieris tanquam per paratiſſimum inſtrumentum, diabolus omne malum tendit, & parat.

*Diabolus per mulierem parat omne malum.*

19. *Præcepit Pharao omni populo ſuo dicens, quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite, quidquid fœmineum reſeruate.* Exod. 1. num. 22. Cur durius ſæuit in viros, quàm in fœminas? cum viri multo nobilioris ſint conditionis, quàm fœminæ, nam ſi ampla populi Hebræorum multitudo liuorem in rege excitauerat, illíque timorem incuſſerat, etiam à fœminis populus multiplicari valebat. Vnde ergo tantum in viros excidium, tantáque in mulieres cuſtodia, atque tutela? Pharao diaboli typum gerebat, qui ſicut viriles animos pertimeſcit, ſic fœmineam eligit conditionem, vt ſuum per eam in cunctos poſſit venenum euomere, ſuámque diffundere malignitatis nequitiam. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de Adoratione. *Præcepit Pharao omni populo*, ait, *dicens, omne maſculum proijcite in flumen, omnem fœminam viuificate: nec enim de fœminarum genere cura erat illi vlla; imbellis eſt námque ſexus muliebris, neque ad prudentiam accommodatus: in vtroque autem virilis moleſtus eſt, vt qui tum ſapiens ſit, tum etiam ad bellum aptiſſimus. Iucundiſſimus eſt igitur, atque gratiſſimus tetro illi draconi, Satanæ inquam, muliebris ille animi ſenſus, effœminatus, & imbellis, ad ſapientiam quoque parum aptus. Propterea ergo muliebrem ſexum viuum ſeruat, & in eo ſolo deponit cruentam illam determinationem, atque conſilium.* Perpende verba, *In eo ſolo.* In ſola mulieris aſtutia, ac machinatione totius ſui turpiſſimi conſilij aſſecutionem, ac executionem ponit diabolus.

Exod. 1. — *Per mulierẽ diabolus euomit ſuum venenum.* — Clem. Alex.

20. Iacob benedicens Ioſeph, ait: *Filius accreſcens Ioſeph, decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Geneſ. 49. númer. 22. ſeu ſuper muros domorum, ac vrbium ad videndum Ioſeph ob illius pulchritudinem, ac venuſtatem. Per has tamen filias Rupertus lib. 9. cap. 9. intelligit vnam mulierem petulantem, quæ Ioſephum ad amorem laſciuum prouocauit. Sed cum vna tantum, ac ſingularis eſſet fœmina, quæ ſanctum adoleſcentem tentauit, cur de plurali loquitur: *Filiæ diſcurrerunt?* Quamuis enim mulier in perſona vna appareret, tamen animo multiplex erat, quæ ſecum in comitatu dæmonum habebat exercitum, vt caſto iuueni certamen admoueret, ac bellum. Diuus Baſilius Seleucus Orat. 8. in Ioſephum: *Præſtò aderat*, ait, *mulierculæ æmulator diabolus, qui & adulterij munerator erat, & laſciuiæ nymphagus.* Diabolus cum muliere pugnabat. Sic ſubdit S. Pater. *Luxuriæ dux diabolus.*

Gen. 49. — Rupert. — *Diabolus pugnat per mulierem.* — D. Seleuc.

*Marc 6. n. 23.* Et iurauit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et iureiurando ſpopondit ei: Quodcumque petieris à me, dabo tibi, vſque ad dimidium regni mei.

ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 7.* Vnde cum iuramẽto pollicitus eſt, ei dare, quodcumque poſtulaſſet.

## *EXPOSITIO III.*

21. LASCIVÆ adoleſcentulæ tripudio delectatus rex, ac ter inſanus, captus vino ſcilicet, & inceſtuoſo amore mulieris, ac lubrica iucunditate ex ſaltatriuncula perfuſus *Iurauit illi*, vt non tantum ſufficeret ei promittere, ſed omnis grauitatis, prudentiæ, ac auctoritatis oblitus, temerè iuramentum interponit. Inordinatus enim affectus omnia diuina, humanáque iura præterit. Vnde ait Diuus Chryſologus ſerm. 174. *Iurat miſer, dum quidquid honeſtatis eſt, & virtutis abiurat.* An vero hoc iuramentum fuiſſet adhibitum ex re compoſita, ac fabricata cum Herodiade ad decollandum Ioannem ſub religionis iuramenti prætextu, quem Herodes volebat occidere, ſed timebat populum, dicam infrà quæſtione 10. ad illa verba: *Contriſtatus eſt rex:* ex quo hæc præſens difficultas dependet.

D. Chryſol.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Herodes dimidium regni ſaltatrici pollicetur? Quantúmque ſit diſcrimen inter Eſther, & Herodiadem in hac oblatione?*

22. DIMIDIVM regni ſpondet Herodes; quod fecit primò ex impudenti, ac imprudenti temulento animo, nullum ſuæ prodigalitatis ſtatuente modum, pluris faciente oblectationem ex laſciua ſaltatrice conceptam, quàm dimidiam ſui regni partem. Secundò Herodes impudicæ ſaltatrici dimidium regni ſpondet; diuino autem præcurſori vitæ vſuram negat. Sic ſæpè mundiales, diuites, ac principes valde liberales, ac prodigi ſunt ad ſua vitia perpetranda; ad hiſtriones, ac tripudiarios multis donis nobilitandos; ac ad ludos magnis ſumptibus fabricandos: multum tamen tenaces, ac auari conſiſtunt ad virtutum opera exhibenda, ad pauperes alendos, pióſque vſus præſtandos.

*Laſciui pro ſua voluptate paruipendunt regna.*

23. Tertiò, dum Herodes ſaltatrici dimidium regni promittit, eius inſaniam, ac fatuitatem deprehendit Diuus Chryſologus ſerm. 173. dicens. *Non totum regnum ſuum, ſed dimidium dedit. Et quare ſibi pro parte ſeruauit, qui poſt tantam domus ſuæ gloriam, poſt tale caſtitatis exemplum, eſſe, videri, viuere non debebat.* Valde miſer rex

D. Chryſol. — *Qui luxurioſè peccat, ſibi mortem comparat.*



rex dimidium regni dat, & alterum dimidium ſibi ſeruat, tanquam ſi eſſet diu victurus, cum ſtatim perire deberet: nam poſt tale luxuriæ nefas perpetratum, poſt ſanctitatis, ac caſtitatis exemplum, Ioannem ſcilicet interemptum, ſtatim perditioni tradendus erat: ſuperfluè ergo ſcilicet ſibi aliquid ſeruat, cuius turpis luxuria iam mortem indicabat. *Poſt tale caſtitatis exemplum, eſſe, videri, viuere non debebat.*

24. Quartò, Herodes promittit dimidium regni ſaltatrici. Aſſuerus ad Eſther ait: *Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Eſther 5. numer. 6. Pro qua re obiter nota. Quod Herodes interponit iuramentum, *Iurauit illi*; non vero illud adhibet Aſſuerus. In Herode regnabat malitia, ac iniquitas, erat callidus, ac verſipellis, veluti vulpes, ſic dictus eſt à Chriſto: *Dicite vulpi illi* Luc. 13. n. 38. At Aſſuerus probus, & ſincerus. Etſi igitur iniquitati, ac temeritati, vt ei credatur, multa ſint neceſſaria; illis tamen probitas, ac ſinceritas ad fidem ſibi conciliandam non eget; ſed ſat eſt vnum illius verbum, vt aliorum animos ſecuros, quietóſque reddat.

Eſth. 5. — Luc. 13. — *Improbus indignus, cui credatur.*

25. Deinde optio datur Eſther ab Aſſuero petendi, quidquid vellet, etiam regni dimidiam partem; quæ itidem conceditur filiæ Herodiadis ab Herode. Sed quàm diuerſo diſcrimine vtraque fœmina ſe habet. Illa, ſcilicet Eſther, poteſtate, à rege data, vtitur in libertatem totius populi Hebræorum morte condemnati. Hæc vero capite Ioannis Baptiſtæ amputando abutitur. Quod non aliunde factum eſt, niſi quia poteſtas probis data, in aliorum bonum cedit, iniquis vero conceſſa damnum, ac perniciem iuſtis, ſanctis, ac toto mundo infert. Vnde ait S. Hieronymus Apologia contra Ruffin. lib. 2. *Benè quidem malitia non habet tantas vires, quantos conatus; perierat innocentia, ſi ſemper nequitiæ iuncta eſſet potentia, & totum, quod cupit, nequitia præualeret.*

*Poteſtas bonis data cedit in aliorũ bonum; data iniquis, in malum.* — D. Hieron.

26. Cum Pharao nollet dimittere populum, proceſſit Moyſes ex Dei mandato ad percutiendum Ægyptum, & vertit aquas in ſanguinem. *Fecerunt ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Exod. 7. numer. 23. Aquæ Ægyptiorum iam erant in ſanguinem commutatæ, ad quid malefici in ſanguinem vertunt, ſi volunt ſuæ potentiæ oſtentationem exhibere, cur ipſas aquas expulſa ſanguinis forma in ſuum priſtinum ſtatum non reuocant, vt ab Ægyptiis potabiles habeantur, à tantáque oppreſſione eximes fiant? cur ſuam poteſtatem in ſuorum non explicant vtilitatem? Perpende textum. *Fecerunt malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Malefici iniqui, ac peruerſi conſiſtebant, eorúmque poteſtas, non in malis auertendis, boniſque inferendis verſabatur, ſed vt ſuppliciis ſupplicia augeret, malúmque malo cumularet, ac totius populi ruinam intenderet. Aliorum autem vtilitati conſulere, Moyſi tantum reſeruabatur: nam ſi pro liberando Iſraël aquas in ſanguinem vertit, etiam pro commiſeratione Ægypti in ſuam priſtinam, ac potabilem conditionem eas reponit. Origenes homil. 13. in Numer. *Fecerunt*, ait, *incantatores Ægyptiorum, vt & aquæ verterentur in ſanguinem, ſed non potuerunt iterum ſanguinem vertere in aquam. Dei autem virtus, non aquam, ſed totum fluuium vertit in ſanguinem, & rurſum orante Moyſe, limpidis eum, ac naturalibus reddidit fluentis. Deus enim noſter delere facit, & iterum reſtituit; contraria autem virtus malè quidem facere poteſt, ſed reſtituere in integrum non poteſt.*

Exod. 7. — *Mali ſua poteſtate vtuntur in aliorũ damnum.* — Origen.



27. Cum perſequeretur Iſraëlitas Pharao, ait: *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Exod. 15. numer. 9. Gedeoni verò dicitur: *Vade in hac fortitudine tua*, ſeu, vt legitur ex Hebræo, *In robore manus tuæ liberabis Iſraël.* Iudic. 6. num. 14. Vnde tanta diuerſitas inter manus Pharaonis, & Gedeonis? Cum Pharao eſſet valde iniquus, poteſtas illius manus in perditionem erat: cum autem Gedeon probus, ac bonus extaret, fortitudo manus illius in ſaluationem tendebat. Vnde pro ablata iniquis poteſtate multas Deo gratias agit. D. Gregor. Nazianzen. Orat. 1. contra Iulianum. *Denegata eſt poteſtas*, ait, *nequitiæ, ne periret innocentia. Deinde ablata poteſtas, ne iuſti omnino perirent, & impij exaltarentur.*

Exod. 11. — Iudic. 6. — *Deo agendæ gratiæ pro denegata iniquis poteſtate.* — D. Nazianz.

*Marc. 6. n. 24.* Quæ cum exiiſſet, dixit matri ſuæ; quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Tunc exiit, dixítque matri ſuæ, quid petam ab eo? At illa egreſſa ſtatim dixit matri ſuæ.

## *EXPOSITIO IV.*

28. FACTA tanta ſtipulatione ab Herode, *Tunc*, vt habet Syriacus, hoc eſt in ipſo puncto, vt exprimit Theophylactus *ſtatim*; ſemper malitia contra ſanctos acceleratur. *Quæ cum exiiſſet*, nam mater fortè non aderat menſæ, tota meditabunda, ac intenta huic negotio occiſionis Ioannis. Vel fortè ſurrexit à menſa, vt ſimul mater, & filia in hac cauſa conſilium caperent. *Quid petam?* Expoſita regis prodigali ſtipulatione. Matthæus ait: At illa admonita à matre. Pulchrè notat Chryſoſtomus homil. 49. *Non inſultemus*, ait, *proximorum peccatis, ſed quantum poſſumus occultare conemur; imitemur Euangeliſtam, qui etſi de muliere fornicatrice, & homicida diceret, quantum potuit, tamen abſque vlla reprehenſione narrauit: non enim dixit, à ſcelerata, & veſana, ſed à matre puellam admonitam fuiſſe. Illo honeſtiſſimo vocabulo matrem appellauit.* Pro hoc vide multa Verbo *Defectus.*

Syriac. — Theoph. — D. Chryſoſt. — *Alij, et ſi iniqui, honorandi.*

29. *At illa dixit*, abſque vlla mora, re iam apud ſe firmiter ſtatuta. *Caput Ioannis Baptiſtæ*, hoc enim dimidio regni tibi charius, & optabilius ſit. *Nam Herodiades*, vt ait Diuus Hieronymus, *timens, ne Herodes aliquando reſipiſceret, vel Philippo fratri amicus fieret; atque illicita nuptiæ repudio ſoluerentur, monet filiam, vt in ipſo ſtatim conuiuio caput Ioannis poſtulet.* Semper iniquitas plena timoris eſt; & ſciebat mulier mundialium amorem eſſe inconſtantem. Et non ſolum dicit *caput Ioannis*, ſed addidit *Baptiſtæ*, qui ſcilicet prædicabat Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Solent iniqui inde odio habere ſanctos, vnde maximè obſequentes, ac obligati eſſe debebant; quia eis nimirum viam ſalutis oſtendunt, eóſque de illa commonefaciunt.

D. Hieron. — *Iniqui inſurgunt in iuſtos, vnde debebant eſſe ligatos.*

Zz 3 *Marc. 6.*

*Marc.6.n.25.* Cum introiſſet, ſtatim cum feſtinatione ad regem petiuit dicens: volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et ſtatim ingreſſa eſt cum cupiditate ad regem, & dixit ei: Volo ego, vt hac hora des mihi.

*Arias.* Et regreſſa ſtatim cum ſtudio ad regem.

*Euthymius.* Et ingreſſa protinus cum feſtinatione ad regem, petiuit dicens: Volo, vt des mihi confeſtim in diſco.

*Theoph.Vatabl.* Volo, vt protinus des mihi in lance.

*Radix Græc.* Cupio, vt protinus des mihi.

### Alter Textus.

*Matth.14.n.8.* At illa præmonita à matre ſua, da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.

### *EXPOSITIO V.*

30. Divvs Matthæus habet: *At illa præmonita à Matre*, illa nempe perſuaſa, ac inducta à matre. Syrus vertit, *edocta*. Valde frequenter filij conſilia, ac mores parentum ebibunt, ſuiſque progenitoribus ſimiles fiunt. *Filij ſequuntur conſilia patrum.* *Cúmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione*, Syriacus vertit, *cum cupiditate*, Græcus, *cum ſtudio*, hoc eſt ſtudioſè, quod ſignificat vehementem voluntatis ardorem ad rem aliquam peragendam. *Syriac. Græc.* Noſter autem Interpres retulit ad ſtudium feſtinationis; *Volo*, licet Græcè legatur, *cupio*; tamen imperioſius ſonat noſtra lectio *volo*; & addidit, *protinus*, Syriacus *hac hora*. D. Matthæus ſcribit, *da mihi hic*; quæ omnia denotant, vehementem, & acceleratam mulieris voluntatem. Quod triplici verbo explicat D. Marcus. *Cum introiſſet ſtatim cum feſtinatione*, & iterum, *Volo, vt protinus:* Noluit enim mulier, vt oblata occaſio euolaret; nam, vt ait D. Baſilius Seleucus Orat. 18. *Proferatur ocius, dum feruet compotatio, dum conuiuium pendet.* *D.Seleuc. Conuiuij tempus occaſio ad omne malum.* Sciebat conuiuij tempus occaſionem eſſe iniquitatis. Voluit ergo pro tunc abuti animo regis æſtuanti, ne fortè, vt inquit Abulenſis in cap. 14. Matth. quæſt. 29. decocto vino, digeſtis epulis, & digreſſis teſtibus refrigeſceret, atque à promiſſione reſiliret Herodes. *Abul.* In ſuis ſuggeſtionibus non vult diabolus pati moras, ne homo videat, & conſideret grauitatem criminis, ac turpitudinem ſceleris. *In diſco caput Ioannis.* Diuus Chryſologus ſerm.174. *D.Chryſoſt.* *Quid peteret, ait, luxuria, niſi caſtitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem, ſibi ſemper contraria ſanctitatis.*

---

## Qvæstio V.

### *Quare impudica ſaltatrix in ſua expoſtulatione ait: Volo, & non aliquam cauſam pertendit?*

31. *D. Chryſoſt.* Peracvte ad quæſtionem reſpondet D.Chryſoſtomus homil.49. in Matthæum. *Vide, ait, impudentiam puellæ; vides à diabolo penitus ipſam detineri: nec cauſam petitionis vllam affert, quippe nulla excogitari poterat, ſed abſque ratione, aliorum calamitatibus honorari contendit.* Tria ponderanda ſunt in verbis S. Patris. Et primò ab vltimo incipio: *Abſque ratione, aliorum calamitatibus honorari contendit.* Iniquorum ingenium, vt ſibi perſuadeant, non poſſe à ſe decorem, ac ſublimitatem, & gaudia comparari, niſi aliorum cæde, ſanguine, ac calamitate. *Iniqui damno aliorum ſibi honorem conciliari putant.* Tanta ſaltatrici optione data, ex qua multa obtinere valebat, nil petit, niſi Ioannis caput, cuius morte honorem, diuitias, ac cætera bona ſibi acquirere perſuadebat. Vide ſuprà cap.23. num.43. & tom.2. cap.10. num. 238.

32. Secundò, *nec cauſam petitionis vllam affert, quippe nulla excogitari poteſt, ſed abſque ratione.* *Valde damnabile, non rationem, ſed appetitum ſequi.* Maximè pertimeſcenda magnatum iudicia, tribunalia, ac deſignationes, in quibus non aliqua ratio, ſed affectuoſa voluntas militat. Non rationem aliquam, ſed propriam voluntatem in ſua petitione aſſignat mulier: *Volo, vt protinus*, &c. *D. Chryſoſt.* Inerat diabolus in muliere, vt ait D. Chryſoſtomus citato loco, qui ad nobis nocendum, non ratione, ſed ardore voluntatis mouetur. Sic de Barbaro Nabuchodonoſore ſcribitur Daniel. 5. num. 19. *Dan.5.* *Quos volebat, interficiebat; & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat; quos volebat, humiliabat.* Sícque Iudæi, diaboli membra Chriſto Domino dicunt Matth.12. n.38. *Matth.12.* *Magiſter, volumus, a te ſignum videre.* De quo egi ſuprà cap.24. quæſt.2. Vide ibi dicta.

33. Maximè fugienda ſunt ea, in quibus, non ratio, ſed appetitus vehementia viget. Cum Simon detineretur in vinculis in Ægypto, quoaduſque Beniamin illuc deſcenderet; obnixè à patre puerum expoſtulat Ruben dicens: *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi; trade illum in manu mea, & ego tibi reſtituam.* Geneſ.42. n.37. *Gen.42.* Iacob tamen, nec illi petitioni annuit, nec illius cuſtodiæ puerum committit. *Diſplicet Ruben, dum non rationé, ſed voluntatem ſequitur.* Bone ſenex, vt filius tuus Simeon à vinculis abſoluatur, tanta pro Beniamin cautione præſtita, cur primogenito tuo Ruben non tradis? Illius ergo optatis non annuit pater, in quibus non ratio, ſed vehemens appetitus, ac voluntas negotiabatur: erat enim omni prudentiæ valdè diſſonum, vt ipſe ſuos duos nepotes interficeret. Abulenſis. *Abul.* *Ruben, ait, locutus fuit iſta valde inconuenienter, & cum paſſione, quia iſta pactio valde erat illi ita vtrique, & tanquam ergo irrationabilem prorſus pactionem Ruben eiecit Iacob à ſe.* Perpende verbum *cum paſſione*. Vide multa Verbo *Ratio* hoc tom.1.& 2.

34. Tertiò: *Nec cauſam petitionis vllam affert, quippe nulla excogitari poterat.* Valde mirum, quod



quod hæc ſaltatrix non aliquam cauſam finxit, nec aliquos dolos eſt machinata, vt Iezabel contra Naboth. 3.Reg.21. num.8. *3.Reg.21.* vt inde ipſa ſibi obtineret Ioannis caput; ſed tantum ait: *Volo, vt protinus*, &c. Nunquid ad huiuſmodi tendiculas defuit aſtutia matri, ac filiæ? ſed *nulla quippe*, ſcilicet cauſa, *excogitari poterat.* *Magna apud populum Ioannis opinio.* Tanta erat opinio Ioannis ſanctitatis apud populum, tantaque illius auctoritas, ac reuerentia apud omnes, vt etiam execranda muliercula aliquod falſum crimen opponere non auderet, nihilque de eo maledicere, ac loqui præſumeret.

35. Cùm Iudæi maximè gloriarentur de patre ſuo Abraham, Chriſtus Dominus ob eorum incredulitatem, malitiam, ac peruerſitatem, eis obiicit: *Ioan.8.* *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ioan.8. num.44. Quod audientes Iudæi, ira, ac inuidia commoti, ſacrilego, ac nefando ore contra ſanctum Dei filium blaſphemant, eumque Samaritanum, ac dæmoniacum appellant, indeque ad lapides conuolant, vt iacerent in eum. Cùm Ioannes videret Iſraelitas ſe de progenitore Abrahamo maximè gloriari, in hoc eos grauiter pungit. *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira; & ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham, dico vobis, quia potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Luc.3. num.8. *Luc.3.* Et cùm hæc audirent Iudæi, nullus nec verbo, nec facto aliquid agit contra Ioannem, ſed potius multum venerantes turbæ, publicani, ac milites monita ſalutis ab eo inquirebant. *Ioannes maximè æſtimabatur à populo.* Tam pereminens erat ſanctitas Ioannis apud eos, in tantaque æſtimatione, ac reuerentia ab omnibus habebatur, vt etiam illis auditis, nihil contra Baptiſtam loqui, ac aſtruere præſumerent, ſed alto ſilentio ipſum reuerebantur. *Guerricus.* Vt dicat Guerricus Abbas ſerm. de Baptiſta. *Ioannis tam magnificè ſanctitas effloruit ſupra modum aliorum, vt crederetur ſanctus ſanctorum.* Vide ſupra cap. 13. num. 34. & tom. 1. lib. 3. cap.2. quæſt. 26. num. 94.

---

## Qvæstio VI.

### *Quomodo laſciua tripudiatrix audet inter epulas humanum ſanguinem commiſcere?*

36. *D.Ambroſ.* Inter *epulas, ac conuiuia, quod etiam omnes Barbari horrere conſueuerunt conſummandæ crudelitatis profertur edictum*; vt ait D. Ambroſius lib. 3. de Virgin. Sed quomodo humanum caput, ac ſanguinem inhoneſta fœmina audet opponere? *D.Fulgent.* Reſpondet Primò D. Fulgentius ſerm. de Decollatione Baptiſtæ. *Luxuria nullum crimen prætermittit.* *Præſumit, ait, de mercatore luxuriæ. O nequitia fœminæ! Elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret ſanguinem.* Herodes in multa reuerentia habebat Ioannem, eumque libenter audiebat; tamen de mercatore luxuriæ ſanguinem, ac vitam Præcurſoris profundere, ac tam turpe nefas perpetrare præſumit. Sacrilega muliercula nulli crimini, nullique ſumptui parcit, vbi negociator, ac merces luxuriæ eſt lenocinium, ac irritamentum.

37. Secundò. Primos Parentes tentauit Diabolus pulchro pomo obiecto. Diabolus verò hic, qui in muliere erat, vt notat D. Chryſoſtomus; & Theophylactus, ad caput, ac ſanguinem humanum inuitat. Cur inter fercula, non poma, non bellaria, non aues, ſed humanum caput profert? Primos Parentes ieiunos Diabolus inuenit; Herodis verò conuiuas cibis, ac vino opiparè repletos: Quos ieiunos habet, vt homines tentat, atque ad rationalis naturæ eſcam prouocat; *Gula facit homines bruta.* cùm verò ad nimis ſaturatos diuertit, eos vt bruta, ſylueſtreſque feras trahit, vt humana carne paſcantur, ſanguineque potentur: tales enim parturit gula, vt in rabidiſſimas feras homines conuertat. *D.Chryſol.* Perbellè D.Chryſologus ſerm. 174. *Serpens tunc, ait, latebat in fœmina, quæ raptans greſſibus flexuoſis lethale toto corpore virus effudit, vt diſcumbentium mentes furor, venenum corpora ſauciaret: homines verterentur in beſtias, ne vino iam tales, ſed ſanguine potarentur; ne pane rabidi, ſed carnibus veſcerentur humanis.*

38. Tertiò. Ecce inter epulas laſciua tripudiatrix ſacrum Ioannis caput petit. Sed vnde in tantam dementiam venit, quam rex timebat aggredi; nam quamuis vellet Ioannem occidere, timebat populum Matth. 14. num. 5. *D.Fulgent.* D. Fulgentius ſerm. in hoc feſto. *Molli puella greſſu procedit in medium homicidium petitura, & adultero placitura.* *Vt regis voluntati aduletur nullum facinus prætermittit.* Fortè inter Herodem, & Herodiadem res erat machinata, & pactum interuenerat, vt puella Ioannis caput peteret, vt docent D. Hieronymus, & alij Patres, de quo quæſt. 10. Vt ergo muliercula adultero regi intendebat complacere, non veretur inter conuiuia humani ſanguinis effuſionem potui offerre, humanumque caput proferre, ac omne turpe facinus ambire.

39. Tam procliue eſt, vt aulici in grande nefas prolabantur, vt regis voluntati obſequantur: quod ſi contrarium fiat, tanquam magnum miraculum habeatur. Videns Nabuchodonoſor tres pueros illæſos à camino ignis exeuntes, in hanc vocem erumpit. *Benedictus Deus Deorum, Sidrach videlicet, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt.* Daniel.3.num.59. *Daniel.3.* Glorificat, & ſuperexaltat Barbarus Deum; non tam quia pueri illæſi in medio ſuccenſæ fornacis perſtiterunt, quàm potius diuinam inde recognoſcit maieſtatem, *Magnum miraculum, quod aulici regis voluntati reſiſtãt.* quod pueri in regis palatio enutriti, verbum regis immutauerunt, regiſque decretum, ac voluntatem propter ipſum Deum contempſerunt; acſi maius miraculum, maiuſque diuinæ Omnipotentiæ ſignum iudicauerit, quod aulici in regali curia regis beneplacito non acquieſcerent, ſed reſtiterint, regiſque verbum immutauerint; quàm quod ipſi voraci flammæ reſiſterent, ab ipſaque illæſi euaderent, atque exirent. *D. Chryſoſt.* D. Chryſoſtomus homil. 18. in 1.Corinth. *Quid dicis, ait, ô Rex? contemptus es, & admiraris, qui te contemnunt? certè, inquit, ex contemptu mei admirationem capio. Itaque non propter ſignum tunc Deus tantum glorificandus eſt, ſed propter eorum, qui in fornace inecti ſunt, propoſitum.* Perpende maximè hæc vltima verba. Et ſubdit. *Et qua ratione non ſit incredibili admiratione dignum, cum Orbis terrarum rex à captiuis pueris contemnatur.* Vide tom. 2. cap. 4. quæſt. 9. num. 50. 51. & 52.

***

## Qvæstio VII.

### *Quare turpis muliercula, non aliud petit, niſi Ioannis caput*

40. D. Hieron. *Amori, vel odio humano nil ſidendum.*

DATVR optio dimidium regni petendi; & tamen illud præteriit mulier, & Ioannis caput expoſtulat. Ratio rei litteralis patet. Primò ex D. Hieronymo relato expoſit 4. Timebat enim Herodiades, ne Herodes Ioannis verbis aliquando reſipiſceret, vel fratri ſuo Philippo amicus fieret, & ita ab illicitis nuptiis abſtineret. Sciebat enim mulier, quod nihil amori, vel odio humano fidendum erat; & ideo, vt ipſa ſecurior redderetur in inceſtuoſo connubio, Ioannis caput amputari procurat. Secundò poſtulat adferri venerandum caput, vt certior fiat de viri morte, vtque illi quoque illudat linguæ, quæ laſciuiæ, ac turpitudini eius aduerſabatur.

41. D. Fulgen. *Crudelitas priuat regno.*

Tertiò, D. Fulgentius ſerm. 7. ait. *Eligit contemnere honorem, vt lucrifaceret ſanguinem: verè quia non cogitat de imperio, cui charior eſt turpitudo.* Non exquirit ſaltatrix dimidium regni promiſſum, ſed Ioannis caput: quæ enim tantum crudelitati, ac laſciuiæ indulſerat, à regno ſe expoliauerat, eoque priuata, ideo regno prætermiſſo humanum caput expoſtulat.

42. D. Fulgen. *Valde periculoſum cum muliere certare.*

Quartò, Idem D. Fulgentius citato ſerm. 7. *Quid agimus Ioannes*, ait, *Quem non terruit vaſta eremi ſolitudo, terrebit muliebris iſta ſaltatio? Caput tuum mulier petitura eſt. Sed melius eſt, inquit Dominus, vt vnum ex tuis membris abſcindas, quàm totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas.* Valde periculoſum eſt certamen cum muliere; vel enim in eo perdendum eſt caput, vel Deus derelinquendus, ac in inferni ignibus incidendum. Maximè S. Pater Ioanni gratulatur, quod cum haberet conflictum, cauſamque cum fœmina, caput dedit, vt in ſe firmiter ſemper Deum teneret, in eiuſque beneplacito feruenter permaneret.

43. D. Fulgen. Marc. 6. *Mulier vnde volebat dare iucunditatē, dat triſtitiā.*

Quintò, Idem S. Fulgentius citato loco. *Culmine regni*, ait, *contempto, caput Ioannis petiuit in diſco, plus odiens eum, qui interdixit inceſtum, quàm diligens eum, qui promiſerat regnum.* Plus præualebat in muliere odium in Baptiſtam, quam amor erga Herodem. Benè ſciebat mulier, quod audita Ioannis morte contriſtaretur rex: *nam audito eo Herodes multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Marc. 6. num. 20. Et tamen contempto regno Ioannis caput petit. O quàm efficaciter odium excæcat mentem! Illud enim medium, quod Herodiades elegit vt ſuum amorem firmaret erga Herodem, ipſomet medio demonſtrauit, eum ab ipſa odio haberi: nam ſi ob illius amorem Ioannem interficiebat, ipſa nece Herodis voluntati contrariebatur. Vnde ergo cogitabat Herodi voluptatem afferre, inde triſtitiam, ac mœrorem ingerebat. Ex quo facile, ſi rex bene eſſet inſtructus, deprehendere poſſet, quanto vehementius æſtuaret in mulieris pectore odium in Præcurſorem, quàm amor erga ſeipſum.

44. Genеſ. 3. D. Chryſol. *Malum, quod quis patitur grauiſſimum exiſtimat.*

Sextò, valde mirum, quod carnifex fœmina, regis fauore, ac promiſſione munita, non duriora tormenta, quæ odium, & inuidia miniſtrare ſolent, machinatur in Præcurſorem, niſi capitis abſciſionem. Ait. D. Petrus Chryſologus ſerm. 174. *Serpens latebat in fœmina:* Serpenti dictum eſt Gen. 3. num. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Cum ergo ſerpentis caput ſauciatum, ac contritum eſſet, ipſeque vulnerato capite laboraret; crudeliſſimè de ſuo iudicio ſibi perſuaſit in Baptiſtam ſæuire, cum vulnus in caput inferret. D. Chryſologus ſerm. 173. *Serpentis germen*, inquit, *caput hominis petit, cui ſuum caput ſententia principali ſciebat addictum, dicente Domino. Ipſe ſeruabit caput tuum; & tu illius obſeruabis calcaneum.* Malum, quod quis ſuſtinet, omnium acerbiſſimum, ac duriſſimum cenſet; nullumque maius nocumentum inimico infligere poſſe putat, quàm illud quod ipſe patitur.

45. D. Chryſol. *Per epulas diabolus in Chriſtum armatur.*

Septmò, Idem citatus Chryſologus. *Ecce quid pariunt*, ait, *totis noctibus protracta conuiuia. Ecce quid generat, quod cum menſura emitur, & ſine menſura bibitur vinum. Volo, vt des mihi in diſco caput Ioannis: iam tunc auidus draco in ſerui capite, Domini deguſtabat ſitiens paſſionem.* Non corpus, non linguam Baptiſtæ petit ſerpentina fœmina, ſed caput; non mulier ſola petebat, ſed diabolus in ipſa, qui cum homines epulis ſaturatos inueniſſet conuiuij occaſionem nactus, cœpit iam Chriſti ſanguinem ſitire, in ipſumque omnium creaturarum caput armatur, atque inter epulas interitum machinatur illius, qui in ipſo Præcurſoris capite deſignabatur. Sanctorum caput Chriſtus eſt.

46. Euthym.

Octauò, Euthymius in cap. 14. Matth. *Nec enim ſatis erat*, ait, *execrandæ mulieri, quod interfectus eſſet Ioannes; ſed optabat quoque in manus habere caput, quod in ſuam inuehebatur laſciuiam, ac libidinem, illud contumelia afficeret, ac inſectaretur conuiciis.* Tam crudelis mulieris ira in ſuũ præclarum monitorem: vt non eſſet contenta illius morte, ſed adhuc eius caput in manibus vellet habere, vt multis illud iniuriis, ac opprobriis proſequeretur.

47. Nonò, In Ioannis capite Chriſtus repræſentabatur: Diabolus per mulierem poſtulans Ioannis caput, Chriſtum ad mortẽ poſtulabat. *In ſerui capite, Domini deguſtabat ſitiens paſſionem.* Sed vnde diabolus exſtimauit, quod Ioannis mortem tractans, Chriſti etiam tractabat interitum, ſanguinemque ſitiebat? Adeo ſimiles Ioannes, & Chriſtus, vt ob eorum vniformitatem, diabolus, veluti ita dicam, quodammodo falleretur iudicans, Ioannem eſſe Chriſtum, & Chriſtum Ioannem.

48. Matth. 14. D. Chryſol. *Ioannes Chriſtum in moribus imitatur.*

Diuulgaretur in aula Herodis celeberrima Chriſti fama, qui pueris ſuis ait: *Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo* Matth. 14. num. 2. Quæ verba commentans Chryſologus ſerm. 173. ait: *Maleuolo quidem, ſed veraci ſenſu.* Quamuis hæc diceret Tyrannus ſiniſtra mente, tamen veraci ſenſu locutus eſt. Sed quonam pacto veraciter hæc ſunt prolata; nam Chriſtus, & Ioannes forma, delineamentis, ac corporis diſpoſitione erant diſſimiles: quid ergo eos ambos indiuiduos fecit? Ita Ioannes Chriſtum imitabatur, ad illiuſque vitæ normam, ſanctitatem, ac puritatem, ſe componebat, vt ipſi ſimillimus valde reputaretur, totuſque in Chriſtum transformatus videretur.

49. Luc. 1.

Cum Gabriel Archangelus ſacerdoti Zachariæ Ioannem concipiendum annuntiat, ſtatim illi proponit Verbum in carne venturum, *Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum.* Luc. 1. num. 17. ſcilicet Chriſtum, vt eſt etiam communis Patrum vox. Cùm verò idem Angelus ſacratiſſimæ Virgini annuntiat Dei Verbum in eius vtero concipiendum, ſtatim ſpeciem Ioannis Virgini repræſentat: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua.* Luc. 1. num. 36. Ad quid his ſanctiſſimis progenitoribus talium notitia explicatur? Multæ ſunt rationes ſuis locis datæ; nunc illam ſubiicio. Valde commune eſt placitum inter Philoſophos, fœtus illi rei ſimiles euadere, quam in generatione parentes mente voluebant. Sic Iacobinæ oues decorticatis virgutulis, poſitis in fontis canalibus, ad quarum intuitum concipiebant, variato vellere partus ſuos ediderunt. Geneſ. 30. num. 38. Cùm Ioannes concipitur, ad mentem parentis Chriſtus reducitur: cùm Dei Verbum in vterum Virginis deſcendit incarnandum, cum ipſa ſanctiſſima Matre de Ioanne pertractatur: ſicque ex aliqua coniectura denotabatur, quàm ſimiles futuros Chriſtum, & Ioannem, in quorum conceptionibus alternata notitia in parentum mentibus præceſſerat, infixaque aderat.

*Geneſ. 30. Ex notitia alternata cōceptionis cōiecturatur ſimilitudo Ioannis cum Chriſto.*

50. Marc. 1. Luc. 1. Ioan. 1. Guerricus.

Diuus Marcus cap. 1. num. 1. Diuus Lucas 1. num. 5. Diuus Ioannes 1. num. 19. omnes tres ſacri Euangeliſtæ in exordio ſuorum Euangeliorum de Ioanne ſermonem inſerunt. Ad quod reſpondet Guerricus Abbas ſerm. 3. de Baptiſta. *Vt totum deinceps commendabilius redderetur Euangelium.* Tamen D. Matthæus à Chriſti Natiuitate ſuum auſpicatur Euangelium, & ſtatim deflectit, ac calamum reducit ad Baptiſtam cap. 3. quaſi manus Euangelica, niſi comite Baptiſta, progredi neſciat. Pulchrè citatus Guerricus ait: *Matthæus enim, quia eum Natiuitas Domini in initijs occupatum tenuit, mox vt puerum nutriendum Nazareth commendauit, ad Præcurſorem, & Baptiſtam eius ſtylum conuertit, arbitrans, imperfectum fore, quidquid de ſponſo diceret, ſi de indiuiduo amico ſponſi reticeret.* Perpende vltima verba. Tam intima, ac connexa conſiſtunt, quæ ad Chriſtum ſpectant, cum iis, quæ Ioannis ſunt, vt Euangeliſta ad Ioannem verterit *ſtylum, arbitrans, imperfectum fore, quidquid de ſponſo diceret*, &c. Quaſi vnum ſine altero non valeat perfectè dici, & ad amuſſim explicari. Vnde & Incarnationis tempus à Ioannis conceptione numeratur ab Euangeliſta Luc. 1. numer. 26. *In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*, &c.

*Matth. 3. Guerricus. De Baptiſta dicendũ, vt, quæ ad Chriſtum ſpectãt, perfectè explicentur.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare carnifex fœmina petit Ioannis caput in diſco, & non potius, quod ipſe ad eius præſentiam adducatur, & ibi decolletur?*

51. D. Chryſoſt. *Laſciua fœmina Ioannis præſentiam timebat.*

AD quæſtionem reſpondet Chryſoſtomus homil. 49. in Matth. *Non poſtulat*, ait, *vt coram producatur, atque interficiatur; neque enim etiam ad mortem euntis libertatem ferre potuiſſet; ſed exhorruiſſet, etiam dum necaretur, vocem illius.* Laſciua fœmina, regis præſentia, ac fauore cuſtodita, etiam morientis hoſtis vocem expaueſcit. Tam integer erat Ioannes veritatis præco, diuinique Verbi vox, vt etiam in ipſa morte à munere ſuo non deſiſteret, ſed veritatem proclamaret, mulierem argueret, eiuſque impudentiam obiiceret, ac increparet. Quæ cum mulier de Ioanne ſentiret, ac de ſuo ingenio ferre non poſſe agnoſceret, illius capitis in carcere fieri procurat abſciſſionem.

52. D. Chryſol. *Vox ſanguinis Ioannis magis clamat, quàm Abel.*

Maximè falleris turpiſſima fœmina. Ioannis vox ſanguine non ſuffocatur, ſed perfuſo ſanguine magis loquitur, clamat, & atteſtatur. Pulchrè D. Chryſologus ſerm. 174. *Gratis concurritis*, ait, *Herodes, & Herodiades (nomine, non affectione ſociata, ſed crimine) qua vocem intercipi poſſe ſtultiſſime credidiſtis. Ego ſum, inquit, vox clamantis in deſerto, vox occidi non poteſt, ſed magis clamat anguſtiis corporeis abſoluta. Sic vox Abel in ſuo iam effuſa ſanguine magis ſonat, magis penetrat, magis pertendit ad cælum.* Vox ſanguinis clamat ab Abel vſque ad ſanguinem, non Zachariæ tantùm, ſed filij Zachariæ, ſcilicet Ioannis. Vox ſanguinis in Abel clamabat, cum illius innocentia inimici iniuria fuiſſet affecta. Innocentia excellentior, ac maior in Ioanne, quàm in Abel antiquitate, munere, ac puritate. Antiquitate, nam Ioannis innocentia, non ab ortu in lucem, vt in Abel, ſed cum adhuc ipſe teneretur in vtero, in eo eluxit. Munere, extitit enim Præcurſor, Prænuncius, ac Angelus ante faciem Domini. Puritate, quam in rigida pœnitentia cum voto firmatam obſeruauit. Ergo ſi innocentia ſanguine ab inimico rubricata vocem ſuam dat; quò maior fuerit innocentia, eò maiorem excitabit clamorem: proindeque cum Ioannis ſcientia multò ſit illuſtrior, quam Abel, vox illius ſanguinis multò plus clamabit, atque loquetur.

53. Tobiæ 14. *Ioannes mortuus à munere ſuo arguendi non deſtitit.* D. Ambroſ.

Affertur Ioannis caput in diſco, tradíturque ſaltatrici clauſis oculis, vt communiter Patres loquuntur. Emortuo oculorum palpebras claudere, pietatis, ac charitatis eſt ſignum. Sic de iuniore Tobia erga ſuos parentes dicitur: *Curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum.* Tobiæ 14. num. 15. Quis ergo hoc pietatis officium Ioanni in carcere præſtitit? Diſcipuli non aderant; aderat tunc ſolus crudelis carnifex, qui hoc obſequij munus ſine dubio reſpuit. Quis ergo tantæ pietatis auctor extitit? Non incongruè dici poſſe videtur, quod vbi primum illud lethale theatrum, totum luxuria plenum, in quo impudica fœmina laſciuè ſaltabat, totuſque rex libidine, ac cupiditate detentus in illa ſibi complacebat, ingreſſum eſt ſacrum illud caput abſciſſum, quaſdam veluti vitæ functiones, ac motus retinuit, clauſitque oculos, vt argueret tantam turpitudinem, quam pro ſui puritate ferre non poterat. Acſi diceret: ô Rex, mei viuentis operationes defunctus non amitto; nam ſi viuus durè tua vitia mea voce increpaui, adhuc mortuus coarguendi munere non deſtituor; tuorum ſcelerum odio clauduntur oculi mei, ne enim illa videant, abſconduntur. Eleganter Diuus Ambroſius lib. 3. de Virgin. *Cerne oculos*, ait, *in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectum deliciarum; clauduntur lumina, non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ.* Vide infra num. 58.

54. D. Seleucus.

D. Baſilius Seleucus Orat. 18. *Abſciſſum eſt caput*, ait, *nec tamen vox Ioannis tacet, æternum loquetur*

*loquetur poſt funera. Accuſatorem in te, mulier, armaſti; neque enim cum capite vocem quoque præcidiſti. Etiam poſt accuſationem ſuperſtes eſt tibi accuſator, plena tuorum criminum terra, audaciam maria ipſa mirantur; cælum ſuperne cum Ioanne vociferatur.* Immò nunc cum Ioanne clamat terra, mare, & cælum. Terra, quæ ſuſcepit eius defluentem ſanguinem. Mare, cuius vndæ Ioannis baptiſmatis miniſterio condecorabantur, quo ſe priuatas vident. Cælum vociferatur etiam cum iam non excipiat eius vocem, quam prædicantem audierat.

*Cum Ioanne clamant terræ, mare, & cælum.*

55. Immò ipſum Ioannis nomen eſt vox clamans, & loquens contra ſui interfectores. Expendens illud Luc. 1. Scripſit dicens: Ioannes eſt nomen eius: ait. Chryſoſtomus homil. 2. in Natiuitate Ioannis. *Ecce enim ipſum Iuſti nomen, & os aperuit ſilentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim oſtenditur vox clamans Ioannis, quoniam ipſum quoque nomen ſit vocis operatio. Ego enim, inquit, ſum vox clamantis in deſerto.* Tantùm Ioannes vociferabatur, quod ipſummet nomen Ioannis auditur clamare, & arguere tanti criminis auctores.

D. Chryſoſt.

*Ioannis nomē vox clamans.*

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Ioannis caput execranda ſceleratrix, non in alio, ſed in diſco petit?*

56. AD quæſtionem reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 49. in Matth. *Quaſi,* ait, *de dapibus loqueretur, ſic ſacrum illud caput afferri poſtulat, & abſque ratione aliorum calamitatibus honorari contendit.* Præ odio, ac ferocitate petulans fœmina in diſco venerandum caput poſtulat, acſi tantum homicidium pro dapibus æſtimaret; quaſi diceret ſaltatrix: In patinis menſæ tuæ non ſunt cibi, qui me ſiue exſaturare, ſiue oblectare queant, ſed hoc ſacrum caput rabidæ meæ feritati tantùm erit opportunum epulum.

D. Chryſoſt. *Crudelitas homicidium pro dapibus habet.*

57. Secundò D. Chryſologus ſerm. 174. cum ſaltatrice alloquens ſic ait: *Cur in diſco, cur pretioſe geſtas, quum viliter occidis? Hoc ipſum, quod vis, non agis, quomodo ipſa vis, quia agit te ſuperna ratio, aliter, quàm vis: in illo quidem tunc ferali antro, non aula regis, rabies tunc fera paſtum ſuum credidit, cum caput Martyris vidit. Sed Ioannes venit in ſublimi poſitus, vt lucerna ſuper candelabrum.* Cur laſciua mulier non petit abſolutè Ioannis caput, quemadmodum ſuæ ferocitati, ac odio erat valde conſentaneum, iniurioſè tractum, fune aliquo raptatum, vel alicui ſpiculo infixum, ſeu in ſacco, vel pera poſitum? *Quod non vis, agis, agit te ſuperna ratio.* Diuina prouidentia prouiſum eſt, vt in diſco ſibi afferri poſtularet. Res enim Ioannis, etiam inimicis, valde pretioſa, ac multum æſtimabilis eſt. Ioannis res, etiam in manibus inimicorum qui ipſum odio, ac inuidia proſequuntur, non niſi in alto poſita, atque in ſublimi apparet elata.

D. Chryſol.

*Ioannes, etiā inter inimicos, pretioſus.*

58. Tertiò. Perpende iterum illa verba. *Venit, vt lucerna ſuper candelabrum.* Mortuum Ioannis caput ſublimem occupat locum, ne ipſe adhuc vitæ functus videatur ab officio vitæ euacuatus. *Erat ille lucerna lucens, & ardens.* Ioan. 5. num. 35. Coram Herode ingreditur, non ſub modio abſcondita, ſed tanquam ſuo poſita candelabro, vt peccati tenebras arguat. Cum viueret, vox erat; & mortuum caput in ſublimi venit poſitum in diſco, tanquam ſuum retinens ſuggeſtum, vt inde loquatur, & clamet. Vide ſuperiori quæſt. num. 53.

Ioan. 5.

*Ioannes vita functus officium ſuum exequitur.*

59. Quartò D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Cur autem in diſco?* ait, *niſi vt ſacramentum figuraretur noſtræ redemptionis. Vt in diſco, & menſa, quo corpus Chriſti conſecratur, quod eſt caput Martyrum, ipſi participarent cum ſuo capite in oblatione æternæ ſalutis.* Venit caput in diſco, & ad menſam, veluti veſtigia quædam, ac vmbram gerens diuini epuli in ſacra Euchariſtia. *Vt participarent cum ſuo capite in oblatione æternæ ſalutis.* Sacrum illud caput abſciſſum, illa radiantia lumina clauſa, ille ſanguis effuſus cunctos trahebat, vt venenoſi ſuggeſtiones ſerpentis, qui tantum crimen perpetrauit, deteſtarentur; omneſque ad ſuorum ſcelerum compunctionem euocabat; & cum appareret humanum caput, quandam ſanctitatem exhalabat; omnibuſque erat excitamentum, vt virtutem, ſalutemque tenerent, & inſequerentur. Sicque ſanguis ille effuſus dolos, machinationes, ac tendicula draconis venenoſi ſuffocabat, ac interimebat. D. Chryſologus ſerm. 173. *Tota germina, ait, ſerpentis antiqui iſte Ioannes interemit, & effuſione ſui ſanguinis extinxit occiſus.*

D. Paſchaſ.

*Baptiſta vmbram quandam Sacramenti gerebat.*

*Ioannes ſuo ſāguine diabolum extinxit.*

D. Chryſol.

60. De Ioanne Baptiſta cecinit eius parens Zacharias: *Præibis ante faciem Domini, parare vias eius; ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Luc. 1. num. 76. Ioannes non venit ad dandam ſalutem, ſed ad dandam ſcientiam ſalutis. Duo mala inter alia multa per peccatum contraxit genus humanum: perdidit ſalutem: *Quoniam infirmus ſum ego.* Pſalm. 6. num. 3. *Non eſt ſanitas in carne mea.* Pſalm. 37. num. 4. perdidit & ſcientiam ſalutis, cum enim homo *in honore eſſet, non intellexit.* Pſalm. 48. num. 13. *Errauerunt ab vtero.* Pſal. 57. num. 4. nam Adamus, cum ſcientiam appeteret, cecidit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus. Venit filius Dei factus homo, vt ſalus, & vita noſtra, vtque ſapientia Patris ad hominem, perditum erigendum, ac reſtaurandum. Tamen cum ſuo Ioanne (aliqualiter dici poſſe videtur) partitur officia. Ipſe enim Vnigenitus Dei filius, vt omnium Redemptor, ſalutem tribuit; ſuo autem Præcurſori ſalutis ſcientiam dandam committit. D. Bernardus in ſerm. S. Ioannis Baptiſtæ. *Ad dandam, inquit, non ſalutem (nec enim ille lux) ſed ſcientiam ſalutis, vt teſtimonium perhiberet de lumine; ſcientiam, inquit, ſalutis in remiſſionem peccatorum. Ponamus tamen nec dum venire Ioannem, nec dum ſignificaſſe de Chriſto: Vbi ſalutem quæramus?*

Luc. 1.

Pſalm. 6. Pſalm. 37. Pſalm. 48. Pſalm. 57.

*Filius Dei incarnatus quodammodò cum partitur officia.*

D. Bernard.

61. Cùm Iudæi viderent Ioannem tam mirabiliter ſcientiam ſalutis prædicantem, ac diffundentem; *Miſerunt Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* Ioan. 1. num. 20. Moti ſunt ad hanc legationem ſibi perſuadentes eum eſſe Chriſtum. Sed vnde in hanc cogitationem venerunt, cum ipſum agnoſcerent ex tribu Leui natum; Meſſiam verò ex radice Ieſſe, ac Iuda proceſſurum? Lyranus ibi. *Intus excellentem ſanctitatem,* inquit, *cognouerunt, & ideo fuerunt moti ad opinandum ipſum eſſe Chriſtum.* Iudæi externis oculis apertè videbant, Ioannem hominem eſſe, tamen cum animaduerterent eximiam illius ſanctitatem, puritatem, ac vim & efficaciam verborum, doctrinæ, & prædicationis in danda ſalutis ſcientia,

Ioan. 1.

Lyranus. *Plus homines autumabant in Iordane, quàm videbant.*



ſcientia, veluti in vmbra cuiuſdam Sacramenti, aliquid intus latens ſuper hominem autumarunt, vnde compulſi ſunt, ab ipſo quærere, quis eſſet.

*Marc. 6. n. 26.* Et contriſtatus eſt rex propter iuſiurandum, ac propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Ægrè autem admodum id tulit rex: tamen propter iuſiurandum, ac propter accumbentes noluit ei denegare.

*Theophylactus, Vatablus.* Et dolore affectus rex propter iuſiurandum, eoſque qui ſimul accumbebant, noluit eam reiicere.

*Arias.* Contriſtatus factus rex propter iuramenta.

*Euthymius.* Noluit eam repellere.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 9.* Et contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſſit dari.

### *EXPOSITIO VI.*

63. CONTRISTATVS *eſt rex*, non ſimulatè, ſed verè, vt eſt probabilius, ob datam fidem; de quo quæſt. ſequenti. *Rex.* Herodes tetrarcha extabat: tetrarcha autem quid minus erat, quàm rex, titulo tantum, non autem poteſtate, ac dominatu; illis enim licebat in ſuis prouinciis, quod regibus in regnis. Appellatur autem hic rex ab Euangeliſta ad maximè explicandam eius abſolutam poteſtatem. *Propter iuſiurandum,* ne violaret iuramentum, cum tamen ipſe ſciret, iuramentum in re tam iniqua, & ſacrilega non obligare; tamen cenſuerat, coram tot primoribus verbum ſuum retractare, regale non eſſe. *Et propter ſimul diſcumbentes,* ne apud eos inconſtantiæ notam ſuſtineret. Vt ait D. Hieronymus, vult, omnes ſceleris ſui eſſe conſortes, vt in luxurioſo, impuróque conuiuio cruentæ epulæ apponerentur. Vel. In conuiuio non fuit aliquis, qui regem auerteret à nefario ſcelere: immò, vt ait D. Thomas in cap. 14. Matth. omnes aulici pro luxurioſa ſaltatrice rogabant (tale ſæpè eſt curialium ſtudium) vt poſtulatum caput concederet. Aderant enim Scribæ, & Phariſæi, qui mortem Ioannis deſiderabant. Sic Chriſtus de Ioanne loquens ait Matth. 17. num. 12. *Fecerunt in eo quæcumque voluerunt: ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis.*

D. Hieron.

D. Thom.

Matth. 17.

## QVÆSTIO X.

### *An triſtitia in Herode fuerit vera, vel ſimulata?*

64. HERODEM non verè fuiſſe mœrore affectum, ſed tantum fictitiè, ac ſimulatè in facie oſtendiſſe triſtitiam, cum tamen in corde lætitiam retinuiſſet, tradunt Strabus, D. Hieronymus, D. Paſchaſius, D. Carthuſianus, Albertus Magnus, S. Thomas, Hugo, Caietanus, Abulenſis in cap. 14. Matth. quæſt. 31. Qui omnes dicunt, totam hanc rem fuiſſe compoſitam, ac ordinatam inter Herodem, ac Herodiadem, vt occaſione natalis ſui, præparata magnifica cœna, cum optione data puellæ ſaltanti ſub iuramento, ipſe non ſponte, ſed ob religionem iuramenti, ac ob tot principes aſtantes compulſus videretur tam nefario ſceleri conſentire. Herodes autem dicitur contriſtatus, inquiunt D. Hieronymus, & Abulenſis citati, iuxta Scripturarum conſuetudinem, quæ aliquando ſolet ponere in narrationibus non ſolùm id, quod verè geſtum eſt, ſed etiam id, quod ab omnibus putabatur eſſe. Sicut Ioſeph in ſacra Scriptura pater Chriſti abſolutè ponitur: *Nonne hic eſt filius Ioſeph?* Ioan. 6. num. 42. & Matth. 13. num. 53. Et B. Virgo ait Luc. 2. num. 48. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Non quia Ioſeph reuera pater eſſet, quia ſingulariter ſola Maria munere Matris gaudebat, ſed quia ab omnibus filius Ioſeph putabatur. Luc. 3. num. 23.

*Prima ſententia.*

Strabus. D. Hieron. D. Paſchaſ. D. Carthuſ. Albert. Mag. D. Thom. Hugo. Caiet. Abulenſis.

Ioan. 6. Matth. 13. Luc. 2.

Luc. 3.

65. Contrariam ſententiam, ſcilicet non fictè, ſed verè contriſtatum fuiſſe Herodem, tuentur D. Auguſtinus ſerm. 1. & 2. de Decollatione Baptiſtæ, & D. Chryſoſtomus homil. 49. Theophylactus, Euthymius, Ianſenius, Maldonatus, Beauxames, Barradas, & alij. Fundantur in eo, quod Matthæus, & Marcus abſolutè dicunt eum contriſtatum. Licet enim Herodes vellet Ioannem occidere; tamen de tam inhumana, & ſibi proboſa eius nece doluit, quod ſcilicet virum tanta ſanctitate præclarum occideret in gratiam puellæ ſaltantis. Præuidebat, quod vniuerſi homines maximè eum criminarentur pro tanto ſcelere; & ſi Deum non timebat, verebatur tamen homines. Deinde peccatori inter ipſas ſuas iniquitates ſemper inſtat ſtimulus conſcientiæ, quæ eum pungit, ac torquet, & anxiatur. Sic ait D. Ambroſius lib. 3. officiorum cap. 4. *Quæ enim pœna grauior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? quod ſeuerius iudicium, quàm domeſticum, quo vnuſquiſque ſibi eſt reus, ſéque ipſe arguit.*

*Secunda ſententia.*

D. Auguſt. D. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Ianſen. Maldonat. Beauxam. Barradas.

*Stimulus cōſcientiæ cruciat.*

D. Ambroſ.

66. *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit; impij autem implebuntur malo.* Prouerb. 12. n. 21. Dicitur malum abſolutè, vt nullum malum excludatur. Malum autem interpretatur à Salazar dolor, ac mœror ex peccatis ſuſceptus. D. Chryſoſtomus homil. 1. in Epiſt. 2. ad Corinth. *Vt igitur iuſtus,* ait, *qui gaudio bonæ conſcientiæ fruitur, mœrore arripi non poteſt; ſic qui illud minimè amplexus eſt, à quibuſvis arripi, & expugnari poteſt.* Vbi S. Pater aſſignat rationem inter iuſtum, & impium: nam iuſtus cum gaudeat conſcientiæ bonitate, nullo malo affligitur, ſed in omni delectatur. At impius cum malæ ſibi conſcientiæ mentis aculeis ſemper interius pungatur, triſtitia, mœrore, ac omni malo cruciatur. Idem D. Chryſoſt. homil.

Prouerb. 12.

Salazar. D. Chryſoſt.

*Conſcientia maximè cruciat.*

D. Chryſoſt.

homil. 17. in Geneſim, ſic de Adamo diſſerens, ait: *Videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem, conſcientiam dico: neque enim alium obiurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, ſed vnicum illum, quem intrinſecus circumferebat.*

66. Matth. 27. Maledictus proditor, poſtquam execrandum illud magnum facinus perpetrauit, vendens ſuum ſacratiſſimum magiſtrum, *Proiectis argenteis in templo receſſit; & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Matthæus 27. num. 5. Cur tam feſtinanter ad mortem currit? Cur non potius ſiſtit, ac moratur? Quid, ô homo, te ſic agitat? D. Chryſoſt. Pulchrè D. Chryſoſtomus homil. 86. in Matth. *Nec enim potuit*, ait, *acerbos conſcientiæ ſtimulos, & flagella proferre.* *Suauior mors, quàm ſtimulus conſcientiæ.* Tantum namque ſceleſtus conſcientiæ propriæ morſibus cruciatur, ac vulneratur, vt ei ſuffocatione potius tolerabilior ſit viſus extremus exitus, quàm diu in tali anxietate degere, ac viuere.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Herodes contriſtatur propter iuramentum, cum tamen iuramento in tali re non teneretur?*

67. *Iuramentum Herodis non obligabat.* AVDITA petitione puellæ contriſtatur rex propter iuſiurandum, cum tamen euidens eſſet (& ſine dubio hoc Herodem non fugiebat) iuramentum datum in re tam turpi, iniqua, ac ſacrilega non obligare, quod probant D. Paſchaſius lib. 7. & Euthymius cap. 14. Matth. (D. Paſchaſ. Euthym.) exemplo Dauidis 1. Reg. 25. num. 22. Qui cum iuraſſet, ſe ſequenti die non relicturum hominem viuum in domo Nabal, de infauſto iuramento rogatu Abigail deſtitit; de eoque gratias Deo egit ibidem num. 33. (1. Reg. 25.) *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, &c. *Et benedicta tu, quia prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem.* Vnde ait D. Iſidorus. (D. Iſidor.) *In malis promiſſis reſcindenda fides; impia promiſſio eſt, quæ ſcelere adimpletur.* Sicque Herodes grauiter delinquit, dum ſub prætextu, ac ſpecie iuramenti facti tam crudele facinus exequitur. D. Hieronymus in cap. 14. Matth. (D. Hieron.) *Sub occaſione pietatis impius fuit, dum iuramento ſcelus excuſat.* Et D. Auguſtinus ſerm. 116. in nouis. (D. Auguſt.) *Puella ſaltat*, ait, *& mater ſæuit, & inter delicias, & laſciuias conuiuantium temerè iuratur; & impiè, quod iuratur, impletur.* Scelus ſcelere maiori cumulauit Herodes, periurium, inquam, ſeu temerarium iuramentum homicidio.

68. Deinde Ioannis caput, non pro dimidietate regni, ſed pro toto regno, & plus appretiandum erat. D. Baſil. Sel. D. Baſilius Seleucus orat. 18. ſic introducit Herodem loquentem. *Ego, puella, ſaltandi artem in te miratus, raptæ à me voluptatis præmium dimidiatum regnum pollicebar: tu verò Baptiſtæ caput exquiris, toto meo regno longè pretioſius, quodque ſceptris meis clarius emicat, ac dignitate mea longè eſt excelſius: nam aut alterum mihi Baptiſtam monſtra, & Ioannem alterum in regno ſupereſſe aut quod obſcurum non eſt, toto regno me ſpoliare aues.* *Ioannis caput toto regno pretioſius.* Audita petitione puellæ contriſtatur rex propter iuſiurandum. Sed cur mœrore afficitur; nam eſtò per impoſſibile, quod tale iuramentum obligaret, adhuc ad illud rex non tenebatur: nam ipſe pollicitus fuerat dimidium regni; at Ioannis caput toto regno pretioſius erat, ab illoque totum regnum pendebat. Nam Ioanne viuente regnum ſtabat, ac conſeruabatur, magnoque munimine cuſtoditum erat; at verò ipſo emortuo, minimè regnum ſtare valebat, ſed in vltimam ruinam abibat. Optimam ergo habebat à iuramento excuſationem, cum non dimidium regni, ſed totum regnum expoſcebat. Facili enim coniectura deprehendere poterat, quod vno iuſto ſtante totum regnum eſt incolume; ipſo verò deficiente, in extremam perditionem abit, atque ruit.

69. 2. Reg. 24. Cum Dauid accepiſſet numerum populi, ob tam graue peccatum. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël de manè vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo à Dan vſque Berſabee ſeptuaginta millia virorum.* 2. Reg. 24. num. 15. Cur ob vnius regis peccatum tanta mortuorum ſtrages fit in populo? Aliquorum eſt ſententia, quod populus ob proprium delictum nunc pœnas ſoluebat; magno enim crimine fœdatus eſt Iſraël ſequens Abſalon contra ſuum dominum, ac regem Dauid; nunc verò tanti ſceleris pœnas exoluebat. Sed cur modò, & non antea antiqui peccati flagella ſuſtinet? Cur non antea cum Abſalon plectitur? Aderat inter eos iuſtus Dauid, quem ne Deus tot ſuorum clientum interitu anguſtiaret, voluit delinquentium pœnas differre. Modò autem in numerando populo Dauid peccati reus eſt factus. *Vnus iuſtus totum regnũ cuſtodit, atque defendit.* Quandiu igitur ille in iuſtitia, ac rectitudine ſtetit, tanquam firmiſſimum, ſcutum, ac murus totum regnum ab omni ingruente malo cuſtodiuit: vbi verò ille à iuſtitia defecit, ſtatim & ipſa protectio defecit, totúmque regnum in tantum incidit malum. D. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 219. (Peluſiot.) *Qui autem*, ait, *ad Abſalonis partes ſeſe adiunxerant, pœnam, etſi non ſtatim (mœrorem enim concepiſſet Dauid, ſubditis, immò vt rectius loquar, regia dignitate orbatus) at certè non multò poſt ſoluerunt. Peſtis quippe eos depaſſa eſt, ſupplicij tamen radix ex illa culpa eſt orta, quæ poſtea fructum tulit, cum de rege quoque ob cenſum præter diuinam voluntatem populum ſupplicium ſumi oportebat.* Vbi pondera, quod quandiu iuſto Dauid Iſraëlis deuaſtatio valdè moleſta futura erat, ob illius preces à ſupplicio abſtinet Dominus; at verò cum ipſe iuſtitiam perdidit, & regnum perdidit ſuum præſidium. Vide ſuprà cap. 9. num. 23. & cap. 28. num. 61.

*Marc. 6. n. 27.* Et miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in carcere.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et confeſtim miſit rex carnificem, præcepítque, vt afferret caput Iouchanon. Profectuſque amputauit caput Iouchanon in domo vinctorum.

*Arias.* Et ſtatim legans rex ſpiculatorem iniunxit afferri caput.

*Græcus.*



*Græcus.* Qui cum abiiſſet, decapitauit eum.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 10.* Miſitque, & decollauit Ioannem in carcere.

### *EXPOSITIO VII.*

70. IN corde, multa iniquitate deprauato, non perdurauit triſtitia, ſed iniquus affectus animum rapuit. *Et confeſtim*, vt habet Syriacus, (Syriacus.) valde velox iniquitas, vt iuſtis noceat, *miſſo ſpiculatore*, id eſt *carnifice*, vt explicat Syriacus, nam, vt ait Calepinus, (Calepin.) carnifices erant milites Prætorem ſtipantes, qui ſpicula geſtabant. Iacobus Gretſerus lib. 1. de cruce cap. 25. (Gretſer.) ait ex Suida, & aliis, carnifices dici ſpiculatores ex nomine Græco, quod Latinè ſonat ſpiculator. Hi reos plectebant, principibúſque cuſtodiæ cauſa adeſſe tenebantur, ideoque hoſtilia facta, ac conſilia ſilentio ſpeculabantur.

71. Decollauit eum. Magnus Baptiſta ſpiritu prophetico præcognouit hunc ſuum exitum, hocque ſuum martyrium, vt teſtatur D. Nazianzenus. (D. Nazian.) Orat. 20. *Ego à te (ô Chriſte) baptizari debeo. Adde, & pro te: exploratum enim habebat, vt martyrio baptizaretur.* *Ioannes mortem ſuã præcognouit.* Ac proinde alta meditatione erat hanc horam expectans *in carcere*. In eo mandat Herodes, Ioannem decapitari, tanquam furtim, & in abſcondito: nam, vt ait Abulenſis (Abulenſis.) cap. 14. Matth. quæſt. 37. Si Ioannes educeretur extra carcerem, publicè hoc fieret, & tunc oportebat exprimi aliquam cauſam eius mortis, cum autem ipſe eſſet vir ſanctiſſimus, nulla cauſa aſſignari poterat, niſi quod Herodes, & Herodias eum oderant propter veritatem prædicationis. Deinde hoc mandat fieri, & præcipuè, propter timorem populi, qui Ioannem valde diligebat: *Ioannes valde dilectus à populo.* nam ſi ipſe populus videret Ioannem euntem ad mortem, illum raperet de manu Herodis. Cum ergo Herodes vellet eum occidere, hoc mandat perpetrari in carcere, vt nullus de populo ſciret hoc. In tanta enim Ioannes omni populo veneratione, ac dilectione erat.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Herodes, cum Ioannem haberet in multa reuerentia, eum occidere mandat?*

72. *Ratio difficultatis.* QVÆSTIONEM hanc tractaui tom. 2. c. 4 quæſt. 12. cum de incarceratione Ioannis agerem. videnda ibi dicta: nunc vero aliqua hîc peculiaria addenda. Et ratio difficultatis eſt. (Marc. 6.) *Quia Herodes*, vt ait D. Marcus hoc cap. 6. n. 20. *metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Si ergo in illum erat tam propenſus, ac bene affectus, quomodo tam ſubito mutatur, vt eius caput abſcindi præcipiat?

73. D. Chryſoſt. Reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 49. in Matth. *Mulier, ait, diaboli vſa patrocinio, petitionem peregit: ille enim effecit, vt ipſa ſaltans placeret, ille mentem Herodis eripuit.* Diabolus totius eſt iniquitatis aduocatus, & inſtigator; *Per fœminã diabolus inſtigat in peccata.* ipſe ergo in hoc negocio laſciuæ puellæ petitiones ordinauit, mentemque Herodis ſeduxit, & adduxit in tantum nefas, vt ob vnius amaſiæ rogatum Ioannem Baptiſtam interficeret. De quo vide ſupra hoc cap. quæſt. 3.

74. *Luxuria idololatriæ valde germana.* Et quid mirum quod luxuriæ impudicitia in tantum facinus trahat Herodem, cum luxuria ſit vitium valde idololatriæ germanum, quo homo deficit à vero Deo, omnium iuſtorum fonte, & capite. D. Baſilius Seleucus Orat. 18. (D. Seleucus.) *Herodiadis* ait, *tripudium nobis hodie inuulgat Euangeliorum vox, & atheam mulierum illarum publicitus pandit inſaniam.* Appoſitè luxuriantium furorem atheam inſaniam appellat; laſciuis enim valde proximus, & affinis eſt atheiſmus, quo ſine Deo viuitur. Ait Paulus 1. Corinth. 10. num. 7. (1. Cor. 10.) *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis quemadmodum ſcriptum eſt: ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere, neque fornicemur.* Notandum, quod iunxit Apoſtolus Idololatriam, & fornicationem, quaſi duo vitia inſeparabilia & multum amica. D. Ambroſius. (D. Ambroſ.) *Hæc luxuria eſt*, ait, *quæ ſemper oblectati in Dei rebus infideles inuenti ſunt; ideoque inſtruit, ne in hanc diffidentiam per affectum libidinis incidamus.* Idem D. Ambroſius lib. 6. Epiſtola. 36. (D. Ambroſ.) *Qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitet ſe luxuriæ, ac libidini, peſtiferis corporis paſſionibus. Qui autem ſe ingurgitauerit, atque immerſerit huiuſmodi voluptatibus, perfidiæ laqueos incurrit.*

75. Victor. Anthioch. Secundò, Victor Antiochenus. *quod ad Herodem attinebat norat, illum virum iuſtum, & ſanctum eſſe, multaque iuxta illius præſcriptum faciebat. Tandem improbis Herodiadis precibus victus incluſit illum in carcere mandato dato, &c.* Mulieris preces in multa mala impellunt homines contra id, quod volunt, & intelligunt. Tertiò, Herodes iuxta Ioannis præſcriptũ multa faciebat, & libẽter eum audiebat; *Iniquus valde incõſtans.* tamen Herodiadis precibus victus eum decollari mãdat. Iniquus valde mutabilis, ac inconſtans eſt in ſuis conſiliis; in bono propoſito ſtare neſcit, ſed de vno trãſit in aliud. Quartò. Apud ſæculi principes plus præualet mundialiũ amor, quàm iuſtitiæ, ac ſanctitatis affectus; hoc enim contempto ab amore mundi rapitur Herodes

76. *Mulier valde efficax ad exequendam voluntatem.* Quintò, Herodes metuebat Ioannem eúmque in multa reuerentia habebat. At Herodiades inſidiabatur Ioanni, vt conſtat ex Matthæo, & Marco citatis, eumque volebat occidere: Et potentior fuit voluntas ac maleuolentia mulieris, quàm reuerentia regis. Quæ enim mulieres volunt, & apud ſe efficaciter determinant, idque frequenter etiam viri beneplacito aduerſante, ad finem ac exitum perducunt.

77. Decreuerat Iſaac benedictionem conferre filio ſuo primogenito Eſau, ad hoc ipſum in agrum ad venationem miſit. E contra vero Rebecca toto nixu volebat, vt Iacob benedictionis munere frueretur. Cui cum mater expoſuiſſet determinationem ſuam, Reſpondit ei Iacob: *Noſti, quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis; ſi attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo,* *putet,*

Geneſ. 27. *putet, me ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me m… e lictionem pro benedictione.* Gen.27. num.11. N hilominus mater inſtat, eumque ſuadet dic… s: *Fili mi, audi vocem meam:* cui etiam iam di… erat: *Acquieſce conſiliis meis.* Quiſnam ex his duobus filiis benedictione donabitur: an Eſau, qui in cauſa ſua habebat patrem; an Iacob, qui matrem? Iacob benedictionem impetrat: contra patris voluntatem, contraque manifeſtam experientiam tot, & tanta adhibet fœmina in conquæſitione hœdi, in cibo, pulmento, veſtimentis, ac manibus, quas pelliculis contexit, vt Iacob obtineat benedictionem, à qua Eſau, obſiſtente patris voluntate manet expulſus. Catena Græca. *Rebecca,* ait, *pro cauſa Iacob animauit, fide omnia deturbans impedimenta, & non prius deſtitit, quàm voto potiatur.* Oleaſter. *Quam tenax propoſiti ſit fœmina, vt nihil mali vereatur, dum faciat, quod concupiſcit.*

*Id, quod mulier intendit, aſſequitur.*

Cat. Græc.

Oleaſter.

78. Iurat Iezabel, ſe Eliam interfecturam. *Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis. Timuit Elias, & ſurgens abijt,* &c. 3.Reg. 19. num. 2. Cur Elias tanto timore percutitur, qui ſe dare in conſpectu regis Achab non timuit, vt patet ex cap. 18. & notant Lyranus, & alij. Sciebat Propheta, quod efficacior, & potentior eſt mulier in ſua reſolutione, quàm vir, ac etiam ipſemet rex. Et notandum, quod ait *ponam animam tuam;* non dixit ponam corpus, ſed animam; cùm tamen ſolius poteſtatis creatæ ſit perimere corpus, & non animam. Scio phraſim Scripturæ; moraliter tamen dico. Tanta inſolentia præ ſui deſiderio fertur mulier, vt non ſe velit cohibere inter terminos humanæ iuriſdictionis, ſed extra eos tranſilire omni affectu intentat, vt non ſolum corpus, ſed etiam animam enecare conetur.

3.Reg. 19.

Lyranus.

*Præ ſui efficacia vult mulier ſuos terminos trãſilire.*

## Qvæstio XIII.

### *Quare Chriſtus non liberauit ſuum Ioannem à carcere, & à morte?*

79. Difficvltatis ratio eſt in promptu. Quia Chriſtus Dominus valde beneuolus ac propenſus erat in ſuos amicos, vt eos ab omni periculo cuſtodiret, eoſque in ipſis preſſuris multis recreat: & ipſe de reprobis conqueritur, quod in vinculis eum non inuiſerint. *In carcere eram, & non veniſtis ad me.* Matthæi 25. num. 36. Cur ergo cùm Dominus videret ſuum intimum amicum loco vinctorum conſtrictum, nec ipſum viſitat, nec liberat, ſed nequiſſimi regis manu permittit occumbere.

*Ratio difficultatis.*

Maath. 25.

80. Reſpondet primò D. Gregorius lib. 3. moral. cap. 4. *Quid eſt, quod Ioannes,* ait, *Dei voce laudatur, & tamen pro temulenti verbis in ſaltatricis præmium moritur? Quid eſt, quod Deus Omnipotens ſic vehementer in hoc ſæculo deſpicit, quos ſic ſublimiter ante ſæcula eligit, niſi hoc, quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco ſic eos premit in infimis, quia videt, quomodo remuneret in ſummis, & foras vſque ad deſpecta deiicit, quia intus vſque ad incomprehenſibilia perducit? Hinc ergo vnuſquiſque colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat, quos amat.* Alta ſunt Dei iudicia; ſuos electos multis laboribus ſinit in hoc ſæculo vexari, vt hic deprimantur, quod in æternum ſunt ſublimandi; vtque inde vnuſquiſque colligat, qualia paſſuri ſunt in inferno damnati, cum in hoc ſæculo ſic cruciari permittantur dilecti.

D Gregor.

*Iuſti multis in hoc ſæculo calamitatibus vexantur.*

81. Secundò Chriſtus Dominus à morte educit ſuum amicum Lazarum, Petrum, vinculis conſtrictum in carcere, cum eum eſſet producturus Herodes, in ipſa nocte liberauit. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Actor. 12. num. 36. Sicut ergo Petrum è carcere eripit vt ſuum nomen per totum Orbem annunciet; cur etiam Ioannem non liberat, vt cunctis gentibus eius nomen prædicet, atque teſtetur.

Actor. 12.

82. Valde peculiariter reſpondet Theophylactus in cap. 3. Ioan. *Opinor autem,* ait, *permiſſum Ioannis maturari mortem, vt omnis populus paratus ad Chriſtum tranſiret, & non diuiderentur ſententiæ de Chriſto, & Ioanne.* Tanta erat Ioannis opinio, apud populum, vt quamuis ille, digito oſtendens Chriſtum, dixerit: *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. ad Chriſtumque legatos deſtinauerit, interrogans: *Tu es, qui venturus es.* Matthæi 11. tamen multos haberet diſcipulos, populumque ad ſe inclinatum, qui paſſim procurabant Chriſti nomen obnubilare. Quid tunc? ait Theophylactus. Permiſſa eſt interitus Ioannis acceleratio. Conuenientius enim erat, vt tantus amicus Sponſi, ac Præcurſor occumberet, quàm quod tantiſper retardaretur Chriſtianæ Religionis propagatio, Chriſtique doctrinæ lux minus eniteſceret, atque fulgeret.

Theophyl.

Ioan. 1.

Matth. 11.

*Moritur Ioannes ne tãtillum Chriſtiana diſciplina retardetur.*

83. Inter panegyrica Ioannis, de ſe ait Chriſtus Dominus. *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Matth. 11. n. 11. Acſi diceret Chriſtus: Ego minor ſum tempore Ioanne, nam Chriſtus ex Virgine natus eſt poſt natum Ioannem: tamen de ſe ait, quod maior, ac ſuperior ſit in Eccleſia Ioanne, vt eſt per ſe euidens, cum Chriſtus ſit totius Eccleſiæ caput. De quo vide ſupra cap. 13. quæſt. 27. Sed cum Chriſtus Dominus ſit verus Deus, naturaliterque omnia, quæ Patris ſunt, poſſideat, ad quid de ſe apertè teſtatur, quod Ioanne maior ſit? Ioannes ab omnibus tam ingens, præclaruſque reputabatur, vt inter ſuas altiſſimas dignitates tanquam rem grandem de ſe dicat Chriſtus, quod eſt Ioanne maior. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Theſaur. cap. 4. ſic ait: *Quaſi rem magnam ſibi attribueret Chriſtus, quod Ioannem excederet, qui de Patris gaudet dignitatibus, omnia naturaliter poſſidens, quæ Patris ſunt.* Vide infra.

Matth. 11.

*Pro re grandi dicit de ſe Chriſtus, quod eſt Ioanne maior.*

D. Cyr. Alex.

## Qvæstio XIV.

### *Quare Baptiſta decollatus occubuit?*

84. Respondet Primò Diuus Fulgentius ſerm. 7. *Multorum,* ait, *iam capita piſcium, pecudumque præceſſerant, ſed quantum eſt ad regiam voluptatem nihil actum, nihil procuratum eſſet, ſi defuiſſet regio prandio caput humanum.* Mundialium principum tyrannis non ſatiatur tantum piſcium, pecudum, altiliumque capitibus, quantum potius ſuorum ſanguine; non enim cum

D. Fulgent.

*Principes ſæculi non niſi ſuorum ſanguine ſatiãtur.*

co



eo, quod ſibi eſt datum, acquieſcunt, ſed vltra ſubditorum ſanguini inhiant. Ait Deus Moyſi: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Num. 20. num. 8. Quid tunc? Moyſes aſſumpta virga pergit ad petram. *Et percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ.* Hæc faciens Moyſes amiſit promiſſæ terræ ingreſſum. Dum de vulnere intentat bibere, vult plus, quàm ſibi eſt datum; indeque in grauem notam incurrit.

Numer. 20.

85. Secundò D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 68. *Quoniam igitur,* ait, *maior quidem omnibus, qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes; caput autem ipſi ante donatum cælorum regnum præciſum fuit.* Quod etiam ait D. Thomas cap. 14. Matth. *Hic adimpletur, quod dixerat,* ſcilicet Baptiſta, Ioan. 3. num. 30. *Illum, ſcilicet Chriſtum, oportet creſcere, me autem minorari, quia Chriſtus in Cruce extenſus, iſte decollatus.* Chriſtus, cùm eum oporteret creſcere, in ſignum huius rei in Cruce exaltatur extenſis manibus ad mundi polos, tanquam omnia amplectens, & ad ſe trahens; Ioannes autem, cùm ipſum minorari oporteret, in ſignum huius rei abſciſſo capite moritur. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 1. quæſt. 35. num. 89.

D. Peluſiota.

D. Thomas.

*Ioannes minoratur pro ſui magnitudine.*

86. Tertiò. Idem D. Thomas citatus aliam aſſignat rationem. *Decollatio Ioannis,* ait, *ſignum fuit, quod auctoritate legis debebant amittere Chriſtum, & Legem.* Cùm Chriſtus ſit iuſtorum caput, Ioannis caput Chriſtum adumbrabat, vt iam ſupra dixi ex D. Fulgentio. Ioannes etiam, qui veteris teſtamenti clauſula nuncupatur à D. Chryſologo, Legem ſignificabat. Mandat Rex ob iuſiurandum amputare Ioannis caput, quo denotabatur, quod Iudæi à ſe Legem, & Chriſtum abſcondebant.

D. Thomas.

*Iudæi amiſerunt Chriſtum, & Legem.*

87. Quartò. Decollatur Ioannes, vt caput in vno loco ſepeliatur, corpus verò in alio, verbi gratia in Samaria Vrbe, de quo infra quæſt. 18. Cum tantus, ac talis eſſet Ioannes, & eius reliquiæ per multum tempus apud nos eſſent futuræ; alta prouidentia decollatur, & diuiditur corpus à capite, vt multis eſſet in auxilium, patrocinium, ac decorem. Moriens Ioſeph adiurauit fratres ſuos dicens: *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Geneſ. 50. num. 24. Cur non mandat transferri corpus ſuum, ſiquidem aromatibus conditum, à corruptione manebat illæſum? Cur ſaltem ſuos etiam cineres aſportari non mandat? Cur tantum de oſſibus eſt ſolicitus, vt bene notat Philo lib. de tranſmigrati. Abrahæ. Voluit magnus Patriarcha cunctis prouidere decore, fauore, ac auxilio. Ægypto ſcilicet ſuis conceſſis cineribus; Terræ verò Promiſſionis ſuis tranſlatis oſſibus, quo magnam cunctis Iſraeliticis dabat ſpem.

*Tantus erat Ioannes, vt vnus eum nõ caperet locus.*

Geneſ. 50.

Philo.

88. Maximè Ioannis decollatione cuncti nobilitantur. Tertullianus lib. de Præſcriptionibus aduerſus Hæreticos cap. 36. *Statu fælix Eccleſia,* ait, *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Hoc eſt, vt explicat Tertulliani Scholiaſtes, *eodem mortis, quo Ioannes Baptiſta, plexus eſt exitio.* Duo Eccleſiæ lumina voluit Deus peculiariter inſigniri: Petro conceditur Chriſti Crux; Paulo verò Ioannis gladius datur: acſi tanto Apoſtolo nulla glorioſior deputaretur corona, quàm illa quæ Ioannis exitus præ ſe ferret ſimilitudinem: poſt enim Chriſti Crucem, qua condecoratur Petrus, nulla illuſtrior gemma, quàm Ioannis gladius.

Tertullian.

Scholiaſtes.

*Ioannis gladio condecoratur Paulus.*



89. Quid mirum, quod tantus decor ſit in Ioanne, cùm ipſe diuina gratia tantum proceſſerit ſupra humanam conditionem, vt in eo peior fuerit Spiritus diuinus, quàm humanus, vt ait D. Chryſologus ſerm. 91. *Videtis, quemadmodum Ioannes ante perueniat ad cælum, quàm tangeret terram: ante accepit diuinum ſpiritum, quàm haberet humanum ante ſuſcepit diuina munera, quàm corporis membra.*

*In Ioanne ante ſpiritus diuinus, quàm humanus.*

D. Chryſol.

## Qvæstio XV.

### *Quare Ioannes è carcere vocatur ad mortem, Ioſeph autem è carcere accerſitur ad Ægypti principatum.*

90. Patriarcha Ioſeph, & Ioannes Baptiſta inſigni pudicitia fulgebant, pudicitiæque cauſa in vincula coniiciuntur. Et ſi ambo ſimiles in virtutibus, in exitu tamen valde diſſimiles inueniuntur; nam Ioannes in carcere capite decollatur; Ioſeph verò in carcere Ægyptiorum caput, ac principatum impetrat. Geneſ. 40. num. 19. Vnde tam auſpicia obtinet Ioſeph in carcere; Ioannes verò tam funeſta? Eleganter D. Chryſologus ſerm. 174. poſtquam multas combinationes facit inter Ioſeph, & Ioannem, ſic ait: *Ioſeph, ſomnia dum reuelat, euaſit ex morte, Ioannes, vt Dei filium reuelaret, ſuſcepit & mortem.* Ioſeph totus verſatur in explicandis regis ſomniis, quæ ſunt quædam adumbrationes, ac apparentiæ rerum, verbi gratia mons aureus ſomniatus nihil aliud eſt, quàm quædam ſpecies, ac repræſentatio ipſius montis in imaginatione, cum in veritate nil tale ſit in re. Ioannes autem totus erat intentus, vt nudam, & apertam veritatem filij Dei manifeſtaret, ac reuelaret. Ioſeph mundialium principum fauores comparat, Ioannes autem odia. Cum enim mundialibus quis ſomnia ac imaginationes rerum dicit, ſtatim eorum gratiam, quæ leuitate, & apparentia ſomniorum delectatur, maximè ſibi comparat. At verò ſiquis eis nudam veritatem, & id, quod maximè rerum conditio exigit, annunciat, ſtatim truculenta facie ſuſcipitur, & in mortis pœnas incurrit.

Geneſ. 40.

D. Chryſol.

91. Deus olim apparens apud Patres antiquos multo in honore fuit habitus. Sic cum ſe Deus exhiberet Abrahamo, cecidit Patriarcha *pronus in terra.* Gen. 17. num. 3. Cumque ſe ipſe manifeſtaret Iacob, erexit altare: Moyſes videns Deum non audebat aſpicere contra faciem Domini. Sicque Ioſue, Gedeon, ac alij in recognitionem tanti beneficij holocauſta obtulerunt. Venit tandem filius Dei factus homo in terram; ſtatim ſe illi principes opponunt. *Et ſui eum non receperunt.* Ioan. 1. Et, vt canit Regius Vates, *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Pſalm. 2. n. 2. Cur antiquitus Deus apparens in tanta erat reuerentia; modo veniens in carne noſtra opprobriis, morte, ac cruce afficitur. Perbellè D. Chryſologus ſerm. 131. *Si toties,* ait, *Deus ab hominibus in figura hominis videtur, quid eſt, quod Iudæus modò hominem videns Chriſtum, ſic exaſperatur?*

Geneſ. 17.

Ioan. 1.

Pſalm. 2.

D. Chryſol.



niſi

*niſi figura honor, veritas putatur iniuria.* Olim exhibebat ſe Deus in apparentia corporis humani, apparentíque humano corpore; poſtmodum verò venit ad nos in veritate, ac realitate ipſius carnis: & dum corpore apparenti, ac aëreo vtebatur, in magna reuerentia, ac æſtimatione erat apud omnes; at verò, cum in proprietate, ac veritate deſcendit ad nos, tanquam ſi eſſet orbi iniurioſus, odio habetur, ac crucifigitur. Species, & vmbra apud principes mundiales honorem vendicat; ſolida autem veritas in iniuria appretiatur: *Niſi fortè figura honor, veritas putatur iniuria.*

*Vmbra, & apparentia apud mundiales in amore eſt, veritas in odio.*

92. Ad Pharaonem ingrediuntur Moyſes, & Aaron; in ſignúmque ſuæ à Deo delegationis proiicit Moyſes virgam ſuam, quæ verſa eſt in colubrum. *Vocauitque Pharao ſapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptias. Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Exod. 7. num. 11. Et ſtatim ſubditur in textu: *Induratum eſt cor Pharaonis.* Videns id, quod ſui malefici ediderunt, vt notat Abulenſis. Sed vnde tantum ſibi complacuit barbarus rex in Ægyptiorum ſerpente, qui tantum ſibi diſplicuit in colubro à Moyſe operato? Colubri, quos malefici fecerunt, phantaſtici, ac apparentes extabant, vt notant D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſis, S. Proſper de promiſſione cap. 15. Iuſtinus in quæſtionibus Orthodoxis quæſt. 26. Tertullianus lib. de anima, Rupertus ibi, & alij. At contra ſerpens, editus à Moyſe, verus, ac proprius conſiſtebat, &, vt verus, odioſus eſt regi, cuius cor fallacia, ac mendacium ſeduxerat, & totum ad ſe arripuerat, & traxerat.

Exod. 7. Abulenſ. *Res phantaſtica regi placet, vera in odio eſt.* D. Nyſſen. D. Proſper. D. Iuſtin. Tertull. Rupert.

## Qvæstio XVI.

### *Quare decollato Baptiſta, non ſtatim denunciatur pœna Herodi, ſicut, interfecto Naboth, impiæ Iezabel?*

93. IN limine huius quæſtionis maximè notandum, quantum fuerit diſcrimen inter duos reges, ſcilicet Achab, & Herodem. Vterque maximè rapiebatur amore mulierum; Achab in Iezabel; Herodes in Herodiadem. Rex ille inter turpitudines ſuas maximè venerabatur Eliam Prophetam, qui quamuis multoties ſe in illius conſpectu dediſſet, ac valdè funeſta denunciaſſet, vt patet ex 3. Reg. cap. 17. & 21. nunquam tamen rex auſus eſt in illum mittere manum. At Herodes tantum laſciuiæ inſania agitabatur, vt ſanctum Præcurſorem in carcere decapitaret. Quomodo qui in mulierum affectu tam pares erant; in Prophetam reuerentia tam diſpares inuenti ſunt? Andreas Ieroſolymitanus orat. in hoc feſto S. Ioannis. *Ne illum quidem*, ait, *Achab alterum mulieris mancipium eſt imitatus Herodes, qui tunc habebat Iezabel magiſtrum multorum deorum cultus, ſicut nunc hic Herodiadem libidinis, & intemperantiæ.* Vterque rex fœminam habebàt in magiſtram. Achab idololatriæ doctrix erat Iezabel; Herodi verò libidinis magiſtra Herodiades: & maius malum vnius luxuriæ diſciplina intulit, quàm idololatriæ præuaricationis inſtructio; licet enim maius malum ſit idololatria; tamen luxuria plus ſeducit, excæcat, ac attrahit humanum affectum. Vide ſuprà dicta quæſtione 12. num. 74.

3. Reg 17. 21. *Luxuria valdè germana idololatriæ.* Andr. Ieroſ.

94. Quæſtio præſens inquirit: Cur ob mortem Naboth procuratam à Iezabel, ſtatim ei intimatur mortis pœna à Propheta Elia dicente: *Canes comedent Iezabel in agro Iezrael.* 3. Reg. 21. n. 23. Et tamen cum Herodiades tam crudeliter eſſet machinata Baptiſtæ mortem, nullam diuini iudicij pœnam legimus ei promulgatam; cum tamen multò ſanctior eſſet Baptiſta, quàm Naboth: nullus enim maior inter natos mulierum ſurrexit Ioanne Baptiſta.

*Ratio difficultatis.* 3. Reg. 21.

95. Pro ſolutione huius rei recole hiſtoriam. Cum enim Iezabel illius vineam ſibi comparare decreuiſſet, ad maiores, & optimates ex nomine regis ſcripſit litteras dicens: *Submittite duos viros filios Belial contra Naboth, & falſum teſtimonium dicant; Benedixit Deum, & regem; & educite eum, & lapidate, & ſic moriatur.* 3. Reg. cap. 21. num. 10. Iezabel non ſolùm decreuit, Naboth lapidari, ſed eius etiam honorem, ac famam maculare, cum eum blaſphemum in Deum, ac regem determinat diuulgari. At Herodiades Baptiſtæ morte quieuit, tantum per filiam ait: *Volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*: nil contra eum dicens. Etſi grande nefas ſit, probum virum interficere; turpiſſimum verò illius nominis gloriam infamare: pluris enim ſemper in magnis viris honor æſtimatur, quàm vita: &, ſi immoratur ſententia diuini iudicij in mortem viri ſancti affectante; maximè tamen acceleratur in eam, quæ ſimul vitæ, ac honori nocumentum inferre diſpoſuit.

3. Reg. 21. *Grauius, in honore lædere, quam in vita.*

96. Denunciat Samuel regi Saul, ob ſua peccata ipſum eſſe proiectum à facie Domini, regnum ab illo tranſlatum, & traditum proximo ſuo, illo multò meliori. Tunc ait Saul Prophetæ: *Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei.* 1. Reg. cap. 15. num. 30. Seu, vt legit Caietanus, *honora me, quæſo, coram ſenioribus.* Poſtea verò ſuccedentibus rebus, cum Saul magno bello premeretur à Philiſthæis, Samuelem ſuſcitat, eumque conſulit de rei euentu; qui dixit ei: *Dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus Philiſthiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* 1. Regum 18. num. 29. Et tamen Saul audita morte ſua, ac filiorum, nihil pro ſe, ac filiis deprecatur. Cur modò in cauſa vitæ tacet, qui olim audita grauitate ſuorum criminum tam ſolicitè rogabat honorari coram ſui populi ſenioribus? Angelomus. *In eo, quod ait, honora me, verecundiam paſſus eſt, quia timebat honores amittere.* Ne in honore aliquam iacturam patiatur Saul, valdè ſolicitè, & promptè rogat Prophetam; qui tamen, cum ſui, ac filiorum vita profundenda comminatur, omnino tacet, præferens propriæ famæ decorem, ſui, ac tot pignorum vitæ. Vide ſuprà cap. 9. num. 53. & quæſt. 15. num. 107. 108. 109. & cap. 27. num. 78.

1. Reg. 15. Caiet. 1. Reg. 28. *Honor pluris æſtimandus, quam vita.*

*Marc. 6. n. 28.* Et attulit caput eius in diſco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

### *Versiones.*

*Theoph. Vatabl.* Et attulit caput eius in lance, dedítque illud puellæ.

*Syriacus.* Et ipſa puella dedit matri ſuæ.



### Alter Textvs.

*Matth. 13. n. 11.* Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.

### *Expositio VIII.*

97. INIQVITAS promptos, ac celeres habet miniſtros: abſciſſum caput ſpiculator, ſeu carnifex affert in diſco, vt ſibi erat imperatum. Ex quo colligitur, quod carcer in propinquo loco erat. Et hoc maximè pertinet ad criminis grauitatem, quod epulæ humano ſanguine eſſent mixtæ, ac conuiuantium oculi abſciſſi capitis fœdarentur intuitu: ex quo maximè atrocitatem huius ſceleris probant D. Auguſtinus ſerm. 36. de ſanctis, & ſermon. 116. in nouis. D. Chryſologus ſer. 147. D. Ambroſius lib. 3. de Virg. *Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur.* Textus: *Dedítque matri ſuæ,* totius negotij architectrici, quæ acu diſcriminali ſanctiſſimam linguam perforauit. D. Hieronymus in fine Apologiæ contra Ruffi. *Ne magnopere glorieris, ſi feceris, quod faciunt ſcorpiones, atque canthariſdes fecerunt. Hæc eſt Fuluia in Ciceronem, & Herodiades in Ioannem; quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt.*

D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Chryſol. D. Ambroſ. D. Hieron. *Herodiades iniurioſè tractat ſacrum caput.*

## Qvæstio XVII.

### *Quonam tempore occiſus eſt Ioannes?*

98. CIRCA hanc difficultatem Abulenſ. in c. 14. Matth. quæſt. 24. ait, id definiri non poſſe. Salianus tom. 6. Annali. in fine ad annum Chriſti 32. num. 20. exiſtimat occiſum in fine anni 32. Chriſti, ac proinde menſe Decembri, in eo natus eſt Chriſtus. Et ait, quod ſeceſſio Chriſti in deſertum, de qua Matthæus agit cap. 14. facta fuerit, non ob mortem Ioannis, ſed quia cum fama miraculorum Chriſti multum increſceret, itaut aliqui putarent, Ioannem in eo reſurrexiſſe, vt docent Theophylactus, & alij, inde ſeceſſit Dominus.

Abulenſis. Salian. Matth. 14.

99. Tertiò, & probabilius, vt docent Beda, Baronius anno Chriſti 33. num. 8. Maldonatus, noſter Beauxames, Barradas, & fauere videtur D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 45. Ioannes occiſus eſt iuxta Paſcha, in quo concurrebat annus 33. ætatis Chriſti. Nam D. Matth. 14. num. 13. ait, Chriſtum audita Ioannis morte in deſertum locum abiiſſe, vbi ſaturauit quinque millia hominum; quod circa Paſcha accidiſſe, conſtat ex Ioannis 6. num. 4. Hanc denique ſententiam tenet Eccleſia in martyrologio Romano; ait enim die 29. Auguſti. *Decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ, quem Herodes circa feſtum Paſchæ decollari præcepit.*

*Verior ſententia.* Beda. Baron. Maldonat. Beauxam. Barradas. D. Auguſt. Matth. 14. Ioan. 6. Martyrol.

100. Aliqui cenſent, Ioannem occiſum fuiſſe die 29. Auguſti: hoc enim die Eccleſia celebrat feſtum decollationis Baptiſtæ. Sed eo die celebrari ab Eccleſia potius memoriam inuentionis capitis S. Ioannis Baptiſtæ, ex Beda tenet Baronius in ſuo martyrologio. *Decollationis*, ſcilicet Ioannis *Memoria hoc die ſolemniter colitur, quando eius venerandum caput ſecundo inuentum fuit.*

Beda. Baron.

*Marc. 6. n. 29.* Quo audito diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Et audierunt diſcipuli eius, & venerunt, ſuſtuleruntque truncum eius, & poſuerunt in domo ſepulchri.

*Vatablus.* Et ſuſtulerũt cadauer eius, & mandauerunt illud monumento.

### Alter Textvs.

*Matth. 14. n. 12.* Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud.

### *Expositio IX.*

101. RVMORE tanti criminis audito, non fugiunt Ioannis diſcipuli, ſed vt veri diſcipuli, ac amici, *venerunt.* Sed quomodo hoc fieri potuit, cum corpus Ioannis eſſet in carcere? Mihi dicendum videtur, quod Ioannis cadauer eius diſcipulis, forſitan eorum rogatu, ab Herode fuit conceſſum, vt ab eis ſepulturæ mandaretur: nam Herodes pro tanto ſcelere ſine dubio multum conſcientia cruciabatur, vt iam non auderet ſæuire in mortuum *corpus eius*, Syriacus habet, *truncum*, quod ſignificat corpus abſciſſum à capite. *Et poſuerunt in monumento*, quo non ſolùm gratitudinem erga ſuum magiſtrum manifeſtarunt, ſed inſuper oſtenderunt, magiſtri doctrinam profundè eſſe radicatam in eorum cordibus.

*Quomodo Ioannis diſcipuli habuerunt eius cadauer.*

## Qvæstio XVIII.

### *De loco ſepulchri Ioannis Baptiſtæ.*

102. IMPETRATO Ioannis corpore ab Herode, eius diſcipuli, vt vult Nicephorus lib. 10. cap. 13. D. Hieronymus in Epitaphio D. Paulæ, & in prologo Abdiæ prophetæ, ac D. Iſidorus in lib. de Patribus noui, & veteris teſtamenti, ſepelierunt diſcipuli in Sebaſte, quæ prius Samaria fuit dicta, vbi pariter Eliſæus, & Abdias prophetæ ſepulti ſunt. Poſtea verò cum Ioannes multis miraculis in vrbe Sebaſte coruſcaſſet, Iulianus Apoſtata mandauit, eius corpus comburi,

Niceph. D. Hieron. D. Iſidor.

buri,eiuſque cineres,ac reliquias per campos ſpargi; ſed Chriſtiani clam eas ſuffurati ſunt, & Alexandriam transferuntur, vt ex Theophylo teſtatur Baronius anno Chriſti 389.n.15. in epitom. *Baron.*

103. Caput autem Ioannis in Regia Herodis humatum eſt, vt tradit Nicephorus lib. 12. cap. 49. vbi ait, Herodiades Ioannis reprehenſionem quodammodo etiam poſt capitis reſectionem verita, coniungeréque rurſus reliquo corpori timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiore Regiæ loco ſepeliendum duxit. Diuinitus tamen varias habuit
D. Cypr. in diuerſis locis inuentiones. De quo agunt S.Cyprianus tract. de reuelatione capitis Ioannis, &
Beda. Baron. Beda homil.de Decollatione Ioannis; & Baronius anno 391. num. 2. in epitome; & anno 760. n. 1. & anno 125. num. 2. De quo fit etiam mentio in martyrologio Romano die 29. Auguſti.

# CAP. XXXIII.

## *Saturantur quinque millia hominum in deſerto.*

*Ioannis 6. n.* 1. Poſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Poſt hæc profectus eſt Ieſchua trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.* 14.*n.*13. Quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde in nauicula in locum deſertum ſeorſum.

*Marc.*6. *n.* 32. Et aſcendentes in nauim abierunt in deſertum locum ſeorſum.

*Luc.* 9.*n.*10. Aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethesaidæ.

### *EXPOSITIO I.*

1. POST *hæc*, non ſtatim, ſed ferè vno anno elapſo poſt geſta ſuperioris capitis. Curatio enim Paralytici, de quo cap. 5. agit Ioannes, facta eſt die Paſchæ, vt dixi 1. cap. hæc autem circa ſubſequens Paſcha euenerunt, vt patet infrà num.4. *Abijt Ieſus.* Cauſa huius ſeceſſus è Galilæa, nunciata mors Ioannis, ac aliæ cauſæ aſſignantur; de quo quæſt. ſequenti. Et Ioannes præter ſuam conſuetudinem hanc ſcribit hiſtoriam cum aliis tribus Euangeliſtis, vt inde tranſeat ad admirabilem, & ſublimem concionem, quàm de cœleſti, ac diuino pane Chriſtus habuit
*Conuiuij Euchariſtiæ typus.* in ciuitate Capharnaum, cuius typus, ac figura præceſſit in hoc miraculo quinque panum, vt
Albert.Mag. notat Albertus Magnus. *Trans*, id eſt vltra, hoc
Matth.14. eſt ex vna terra in aliam tranſacto mari, vt patet Matth.14. num. 13. & 22. *Mare*, lacus erat quidam aquæ dulcis, defluens ex Iordane, de quo
Matth 4. Matth.4. num.18. & nos egimus tom.2.cap.8.n.3. More tamen Hebraico quælibet cógregatio aquarum mare nuncupatur. *Quod eſt Tiberiadis*; ſic dictum eſt, eo quod defluebat iuxta ciuitatem Tiberiadem, quam Herodes Tetrarcha ædificauit in gratiam Tiberij Cæſaris, & ab eius nomine ſic
Ioſeph. appellauit, vt tradit Ioſephus lib. 18. Antiq. Iudic. cap.3.

2. Notandum, quod ait Euangeliſta. *Poſt hæc abijt*, id eſt poſt commiſſum ſcelus occiſionis Ioannis.
*Prius homo per peccata à Deo recedit, quàm Deus ab illa diſcedat.* Deus enim à nobis non diſcedit, niſi prius nos ab illo ob noſtra peccata recedamus. Vnde D.Hie-
D. Hieron. ronymus in cap. Iſaiæ 55. num. 7. ad illa verba: *Derelinquat impius viam ſuam:* ſic ait: *Inuocemus eum, dum prope eſt, ne noſtris vitijs, ac peccatis procul recedat: appropinquat enim appropinquantibus ſibi; & filio, longo poſt tempore reuertenti, lætus occurrit.* Sic Deus per Ieremiam loquitur: *Ego Deus appropinquans, & non de longè;* ſic progreditur S. Doctor, *eis, qui mihi appropinquant; & recedens ab his, qui à me procul infidelitate recedunt.*

---

### QVÆSTIO I.

#### *Quare Chriſtus ſeceſſit trans mare Tiberiadis?*

3. PRIMA cauſa huius ſeceſſus aſſignatur mors, & interfectio Ioannis nunciata. Ita D. Au-
D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Paſchaſ. D.Hieron. Theoph. Albert.Mag. D.Thom. guſtinus lib. 2. de conſen. cap. 4. Chryſoſtomus homil. 59. D. Paſchaſius lib.7. in Matth. D. Hieronymus in cap. 14. Matth. vbi Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas, & alij. Fundantur; Quia poſtquam occiſus eſt Ioannes, ait D. Matthæus citato loco num. 12. *Accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius, & ſepelierunt, & venientes nunciauerunt Ieſu, quod cum audiſſet, ſeceſſit in deſertum locum.* Nec obſtat id, quod con-
Tolet. tra hanc ſententiam obiicit Toletus annot.1. Quia ex noſtro Euangelio conſtat, miraculum hoc prope Paſcha celebratum, & conſequenter mortem Ioannis factam fuiſſe illo tempore, cuius contrarium Eccleſia celebrat: nam menſe Auguſti decollatio Ioannis peragitur. Hoc, inquam, non obſtat, quia vt dixi ſuperiori cap. quæſt. 17. & in martyrologio Romano die 29. Auguſti habetur, decollationem Ioannis factam fuiſſe ab Herode circa feſtum Paſchæ; eo verò die celebrari memoriam illius capitis inuentionis, quando ſecundò inuentum fuit Romæ.

4. Verba Hieronymi, ac Paſchaſij audiamus, quæ
D. Hieron. D.Paſchaſ. eadem ferè ſunt. Ait D. Paſchaſius. *Audita Ioannis nece ſeceſſit Chriſtus, non vt quidam arbitrati ſunt, timore mortis, ſed tres ob cauſas. Primum, vt parceret inimicis ſuis, ne homicidio homicidium iungerent. Deinde vt vſque in diem Paſchæ ſuam mortem differret, in quo propter Sacramentum immolatur agnus. Ad vltimum propterea receſſit, vt*



*nobis præberet exemplum vitandæ temeritatis, quia non omnes eadem conſtantia perſeuerant poſiti in tormentis.* Non receſſit Chriſtus ex timore, ſed ex conſilio ob rationes aſſignatas, quæ ſtatim magis ſunt expendendæ. Vnde Euangeliſta non ait,
D. Hieron. fugit, ſed abiit, & idcirco ait D. Hieronymus citatus, Abiit, *vt perſecutores vitauerit magis, quàm timuerit.*

5. Primò diſceſſit, *Vt parceret inimicis, ne homicidio homicidium iungerent.* Audita Ioannis mor-
*Ex Ioannis, ſanctorumq; contemptu in Dei contemptum deuenitur.* te, recedit Ieſus, volens ſuis inimicis ſubtrahere peccandi materiam, ne Ioannis interfectores maiori ſe ſcelere coinquinarent, dum Iuſti ſanguine guſtato, ſanguinem iam ſitirent diuinum, qui enim Ioannem, ac Dei iuſtos contemnit, & interficit, facilè in Chriſti contemptum, necemque proſiliet, multum enim hæc inter ſe connexa ſunt.
D. Cyrillus Alexand. Ait D. Cyrillus Alexandrinus lib.4. in Ioan.cap.1. *Dicimus ergo, Iudaici furoris opus fuiſſe, vt omnino Chriſtus crucifigeretur: & hoc omnino facturi erant exercitati ad cædem ſanguine prophetarum.* Maximum nefas, mors ſcilicet filij Dei, à nullis aliis hominibus potuit miniſtrari, niſi à ſolis Iudæis: hi enim inter cæteras nationes aſſueti erant, vt iuſtos perſequerentur, Deique Prophetas occiderent. Vnde à ſanguine prophetarum in ſanguinem Chriſti deuenerunt.

6. Secundò. Diſceſſit, *Vt vſque in diem Paſchæ ſuam mortem differret.* Ob magnum ſacramentum
*Immaturam mortem declinat Dominus.* mors Chriſti erat reſeruata ad tempus Paſchale: recedit ergo Chriſtus, ne mors fieret immatura,
Hugo. & ante tempus; nam, vt ait Cardinalis Hugo, He-
Matth. 14. rodes exiſtimabat, Chriſtum eſſe Ioannem: Audita Ieſu fama dicebat pueris ſuis: *Hic eſt Ioannes Baptiſta, & ipſe ſurrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo.* Matth.14.num.2. Ne ergo immatura mors machinaretur ab Herode, recedit Do-
Euthym. Beda. minus. Vnde Euthymius in c.14.Matth.& Beda in c.6. Marc.& Luc.9.cenſent, quod cum vtrumq; ſimul relatum fuiſſet Chriſto, nempe Ioannem occiſum, & Herodem miraculorum eius famã audiſſe, Dominus, Tyranni furorem declinans, abiit. In hoc ſe verum hominem demonſtrans, & nobis præbens exemplum: quæ eſt tertia ratio Hieronymi, & Pachaſij, quod quantum fieri poteſt, aliorum ſæuitias declinemus. Vnde dicebat ſuis
Matth. 10. *Cum perſecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugit in aliam.* Matth. 10. num.23. Ratio prima, & ſecunda mihi probabilior.

7. Quartò. D. Iſidorus Epiſt.233. *Quod Chriſtus*
D.Iſiodor. *viros ſanguinum abominetur, nec eos duntaxat, verum etiam omnes, qui cum ipſis degunt, quod ſcilicet eorum flagitia, & ſcelera minimè vlciſcantur, in Herode oſtendit. Etenim poſt nefa-*
*Crudelitas Chriſto odioſa.* *riam Baptiſtæ cædem, relicta regione ſeceſſit.* Crudeles, & inhumanos Herodem, & Herodiadem maxime exoſos habet Chriſtus, vnde à regione recedit. Et pondera, quot mala inferat iniqua ſocietas: qui enim ſimul cum deprauato Herode degebant in loco, ſummo bono præſentiæ Chriſti priuantur ob iniqui nequitiam.

8. Quintò. D. Hieronymus citato loco cap. 14.
D. Hieron. Matth. *Poſtquam*, ait, *à Iudæis, & Rege Iudæorum Prophetæ truncatum eſt caput, & linguam, ac vocem apud eos perdidit prophetia: Ieſus tranſit ad deſertum Eccleſiæ locum, quæ virum antea*
*In multo ſunt periculo, qui prædicatores perſequũtur.* *non habuerat.* O quantum malum ſit, doctrinæ Euangelicæ prædicatores vexari, eoſque iniuria, ac cæde affligere. Relinquit Chriſtus vrbes, vbi Euangelium non habet locum. Interfecto Ioanne, vbi cæleſtis prædicatoris vox non auditur, ab illa gente recedit Dominus ad Gentium deſertum, vbi doctrina diuina audiatur, & recipiatur.

Sextò. Alia ratio colligitur ex D. Marco: nam 9.
poſt mortem Ioannis, & poſtquam Apoſtoli reuerſi à ſua prædicatione conuenerunt ad Chriſtum, refert citatus Euangeliſta cap.6. num.31.
quod dixit eis Dominus. *Venite ſeorſum in deſer-* Marc. 6. Victor Antiochenus.
*tum locum, & requieſcite puſillum.* Quem locum commentans Victor Antiochenus ait. *Per hoc Chriſtus D.Eccleſiæ doctores, ac paſtores monet. ne externis turbis perpetuo ſe dent, ſed priuatim ſæpe, ſecretoque agentes animum colligant, eundemque à publicis negotiis, & occupationibus,*
*quantum res patitur, identidem ſeuocent.* Docet *A prædicatione, ac labore requieſcendum.*
Dominus eos, qui incumbunt aliorum vtilitati, ſiue prædicando ſiue docendo, ſiue aliis negotiis inſtando, quod eis liceat, aliquando animum relaxare, ab eoque munere abſtrahere, vt etiam ſuo commodo ſtudeant, vt aduertit ipſe Antiochenus, quod non ſolum liceat animum colligere, ſed etiam ipſum corpus relaxare. *Docet per eadem hæc etiam, in verbi miniſterio deſudantes, nonnunquam reſpirare, & interquieſcere, ſeſeque, & corpus ſuum ſuo tempore curare, & reficere debere, maximè vero poſt miniſterium abſolutum.*

Septimò. Noſter Cyrillus Alexandrinus lib.3. 10.
in Ioan. cap. 11. ponderat, quod relictis Iudæis D. Cyrillus Alexand.
abiit Dominus in deſertum, quod figurabat Eccleſiam gentium, quæ erat deſerta in viro, vt modo dixi ex D. Hieronymo, ſic ait D. Cyrillus. *Quum crudelitate Iudæorum ſæpius ad alienigenas abierit: quoniam apud hos, & tutari ſe ipſum videbatur, & honorifice tractabatur, Gentium Eccleſiæ iure datam palmam re ipſa oſtendebat; & impietatem Iudæorum pietas alienigenarum præ*
*oculis ponebat.* Docens nos ſuo exemplo, vt, quàm *Tranſeundũ ad eos, qui nos honorant.*
æquum ſit, ab eis declinemus, à quibus iniuria afficimur; & ad eos tranſeamus, ac apud illos commoremur, qui nos in honore, ac æſtimatione habent: *honorifice tractabatur.*

Octauò. Idem D. Cyrillus citato loco, paulo 11.
poſt: *Propterea*, ait, *recedens ab Ieroſolymis, non* D. Cyrillus Alexand.
*ad finitima caſtella diuertit, ſed trans mare Tiberiadis abiit, vt re ipſa Iudæis intimaretur, tam longe pro impietate eorum ab eis migraturum, vt inacceſſibilis ad eum via futura ſit: non enim poſſibile pedibus hominum maria tranſiri.* Quantus pauor occuparet Synagogam, ſi hæc perciperet, cum ob illius iniquitatem eius Meſſias Chriſtus
Ieſus tantum receſſit, tamque magnum chaos *Valde longinquè receſſit Chriſtus à Iudæis.*
inter vtrumque firmatum eſt, vt nullus vltro, citroque commeandi locus inueniatur, teſte Abrahamo, vt iam nullo proprio labore ſuperari queat: ideo ad hoc ſignificandum non tranſit Ieſus à Iudæa ad aliquem locum, & vicum, ſed abiit trans mare, quod humanis pedibus, ac greſſibus ſuperari non poteſt.

Nonò. Audita Ioannis morte ſeceſſit Ieſus in- 12.
de in nauicula trans mare, vt patet ex citato loco Matthæi; & iuxta Patres citatos prima ſententia, diſceſſit Dominus ab illo loco, veluti dolore, ac quadam mœſtitudine tactus ex Ioannis intimi ſui amici morte. Sed quid ad hæc receſſit trans mare in nauicula? Cur non potiùs tranſit ad aliquem amœnum, & periucundum locum, vt ſolet fieri ab eis, quibus aliquid moleſtum, ac inuiſum

 accidit?

accidit ? Ad quid tranſnauigat mare in cimba quadam ? Rupertus lib. 6. in Ioan. *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, id eſt*, ait, *tranſmigrauit amara via , & difficili nauigatione, ſcilicet portatus ligno Crucis , qua paſſus eſt ſub Pontio Pilato.* Naui euectus tranſit mare. Hic ſacra eius paſſio, quam ſub Præſide Tiberij Cæſaris ſuſtinuit, repræſentabatur. Nauis crucem præfigurabat; mare ſacram eius paſſionem adumbrabat. Quomodo ergo Chriſtus triſtitia affectus ad typos ſuæ Paſſionis conuolat ? Maximè ex hoc ſanè, cum enim ipſe mœſtitudine quadam ex morte amici teneretur , ad vmbras ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis venit, vt ipſis potiſſimè recrearetur, ac voluptatem perciperet : nihil ei erat dulcius , ac iucundius, quàm ſuæ mortis repræſentatio; ad propulſandam ergo triſtitiam conceptam has ſacras memorias, & figuras quærit Chriſtus.

Rupertus.

*Paſſionis memoria Chriſti oblectamentum.*

13\. Decimò, D. Cyrillus citato lib. 3. in Ioan. c. 11. ait, quod Chriſtus abiit trans mare, *Non quia aliquid pati poterat nolens , ſed vt exemplum nobis ſeipſum poneret , declinandos eſſe inimicos , vt hoc modo ira , & impetus eorum deferueſcat, & ſic multo magis illis, quam nobis conferamus.* Magna crudelitate occiſus erat Baptiſta ab Herode, maximéque hic ſanguinem ſanctorum ſitiebat : diſcedit Ieſus à loco ſuo, à patria ſua, ſæuitiæ tyranni cedens.

D. Cyr. Alex.

*Cedendum iræ.*

14\. Cum ob adeptam benedictionem animo maximè furioſo eſſet Eſau in fratrem ſuum Iacob ; hic ex matris conſilio fugit in Meſopotamiam; cúmque iam in deſertum locum ſe recepiſſet; Dormiuit in eodem loco. *Viditque in ſomniis ſcalam ſtantem ſuper terram , & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes , & deſcendentes per eam , & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. numer. 12. Cur Iacob in itinere tantam viſionem promeruit ? Cur illa non fruitur, quando commorabatur in domo patris ſui, habitans in tabernaculis, altæ meditationi, ac contemplationi deditus? Cur non vigilans in alta oratione tam cæleſti dono recreatur, ſed modo dormiens illo potitur ? Ex animi prudentia, ac cordis latitudine, qua ceſſit indignantis fratris furori , relinquens proprium locum, ac paternam domum , & ad aliena tranſiens, tantum Deo placuit, eíque extitit adeo gratus, dormiens, vt tam inſigni, ac ſingulari fauore recrearetur. Et quid cæleſtis gratiæ non acquirat, qui ſcit iracundiæ cedere? D. Ambroſius lib. 2. de Iacob. cap. 1. *Beatus eſt*, ait, *qui alterius culpam leuat , crimen auertit. Paratum itaque parricidium declinauit Iacob exilio voluntario , eóque facto ſibi ſalutem quæſiuit, fratri innocentiam donauit ; meritò itaque cum vbique diuina comitata eſt gratia, vt & cum dormiret , beatæ vitæ munus acquirat.*

Geneſ. 28.

*Qui ſcit dare locum iræ, multum promeretur.*

D. Ambr.

15\. Cum cognouiſſet Elias iram conceptam Iezabel ob ſacerdotes Baal interfectos. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abijt , quocumque eum ferebat voluntas.* 3. Reg. 19. num. 3. Cumque Propheta veniſſet in deſertum, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur; cúmque obdormiſſet, angelico pane, ac conſpectu recreatur: Denique venit ad montem Oreb , vbi Dei viſione fruitur. Duæ quæſtiones in præſenti ſe offerunt. Prima, & vulgaris cum Abulenſi , & Caietano : Quomodo Elias appetebat mortem , cum è manibus Iezabel fugeret , vt mortem declinaret ? Secunda verò quæſtio : Cur potius modò hic , quàm alibi tantis cæleſtibus donis ſublimatur ? Elias mortem appetebat, & mortem fugiebat. S. Eucherius , Angelomus. *Conſidera* , ait , *virum timore percuſſum , de manu Dei mortem petere , nec accipere ; de manu mulieris mortem fugiendo vitare.* Elias fugiebat Reginam , cum mortem vellet è manu Dei accipere : fugiebat ergo , non ex puſillanimitate , ſed ex animi magnitudine , ac prudentia , vt iræ mulieris cederet Et qui tantam obtinet animi latitudinem , merito magnis Dei muneribus afficitur, angelicáque præſentia , ac diuino conſpectu recreatur , cæleſtíque pane nutritur ; & talia nunc dona impetrat, qualia antea , idololatras occidendo , altaria deſtruendo, minimè erat adeptus. Vide hoc tom. 1. & 2. Verbum. Ira.

3. Reg. 19.

Abul. Caiet.

S. Eucher. Angel.

*Elias, dum dat locum iræ, multis donis recreatur.*

*Ioan. 6. n. 2.* Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna , quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et poſt eum abierunt cœtus multi, quoniam videbant ſigna, quæ edebat in ægrotis.

## ALTER TEXTVS.

*Marc 14. n. 13.* Et cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.

*Marc. 6. n. 33.* Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi: & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos.

*Luc. 9. n. 11.* Quod cum cognouiſſent turbæ , ſecutæ ſunt illum.

## *EXPOSITIO II.*

16\. ENARRATVRI erant Euangeliſtæ præclarum miraculũ magnæ multitudinis ſatiatæ quinque panibus, ideo explicant cauſam , cur hæc multitudo ſequebatur; & vnde veneric. *Sequebatur multitudo magna.* Vt ait D. Baſilius Seleucus Orat. 33. *Turba ſequebatur morborum depulſorem* ; ob ſanitatem impetrandam. Sic ait D. Lucas. *Et eos , qui cura indigebant , ſanabat.* Quidam , vt perfecti , ait D. Thomas, attracti dulcedine percipiendi eius doctrinam: quidam, vt ait Carthuſianus , *cum Dominus Ieſus eſſet ſpecioſus valde, & eloquentiſſimus , veriſſimile eſt, quod multi ſequebantur eum delectati ſpecie, & eloquentia eius.* Alij , vt tenent Albertus Magnus , & Lyranus , malitioſè , volentes eum capere in ſermone : alij vero ex curioſitate videndi miracula; quod innuit Ioannes dicens : *Quia videbant ſigna.* Loca vero, è quibus veniebant, exprimunt Matthæus, & Marcus , *è ciuitatibus.* Qui enim viam ſalutis aggre-

Seleuc.

D. Thom.

Carthuſ.

Albert. Mag. Lyran.

*Occaſio peccati omittenda.*



-ditur , non ſolùm delicta , ſed etiam eorum occaſiones, ac excitamenta debet fugere , ac derelinquere. D. Hieronymus in Matth. 14. *Secutæ ſunt eum turbæ* , ait, *relinquentes ciuitates ſuas , hoc eſt priſtinas conuerſationes.*

D. Hieron.

17\. Modum autem , quo ſequebantur, etiam declarant Matthæus, & Marcus , *pedeſtres*, vt notat D. Hieronymus citatus , ac Paſchaſius , ſecutæ ſunt turbæ, non in iumentis , vel vehiculis, ſed pedeſtres proprio pedum labore, quo maximè mentis affectum oſtendebant. Vnde tantus affectus multa diuina beneficia promeruit, vt ſequenti expoſitione ex Beda adnotabo. Deinde ait Ioannes, *Turba ſequebatur*, quia videbat ſigna. Quærit Euthymius : Quare Ioannes particularius non enumerat ſigna , vt facit Matthæus 11. *Cæci vident, claudi ambulant , leproſi mundantur.* Reſpondet citatus Doctor. *Quia hic Euangeliſta circa doctrinas , & conciones magis verſatur.* Erat totus intentus Euangeliſta hic , vt dixi ſuperiori expoſitione ad enarrandam concionem de ſacra Euchariſtia ; & ad præſentiam tam ſupremi miraculi cætera prætermittuntur, ac quodammodo è mente excidunt ; & ſolùm agit Euangeliſta de quinque panibus, hoc enim typus fuit diuini epuli , vt ex Alberto Magno dixi ſuperiori expoſitione.

D. Hieron. D. Paſchaſ.

Beda.

Euthym. Matth. 11.

*In præſentia miraculi Euchariſtiæ cætera abierunt in obliuionẽ.*

*Matth. 14. n. 14.* Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis , & curauit languidos eorum.

## *VERSIONES.*

*Vatablus.* Et egreſſus Ieſus vidit turbam multam , & miſertus eſt illorum.

*Syriacus.* Vidit turbas multas.

*Euthymius.* Miſertus illorum , curauítque eos , qui inter illos infirmi erant.

## ALTER TEXTVS.

*Marc. 6. n. 34.* Et exiens vidit turbam multam Ieſus, & miſertus eſt ſuper eos , quia erant ſicut oues non habentes paſtorem , & cœpit illos docere multa.

*Luc. 9. n. 11.* Et excepit eos , & loquebatur illis de regno Dei , & eos , qui cura indigebant, ſanabat.

## *EXPOSITIO III.*

18\. CVM turbæ ſequerentur Ieſum, *exiens* de ſolitudine deſerti , vt explicat Caietanus. Pulchrè verò D. Hieronymus in Matth. ait : *Egreſſus autem Ieſus , ſignificat , quod turbæ habuerint quidem eundi voluntatem , ſed vires perueniendi non habuerint : ideo Saluator egreditur de loco ſuo , & pergit obuiam.* Habe voluntatem exeundi ad Ieſum , & non verearis difficultates occurrentes , quod non habeas vires ad ipſum perueniendi ; ipſe enim ſua miſeratione tibi obuiam venit , manum porrigit , ac ſua gratia te corroborat. *Et miſertus eſt eis.* Turbæ pedeſtres ſequebantur : quantis ipſe hunc remunerat affectum , vt ponderat Beda in cap. 9. Luc. *Ipſe autem*, ait , *vt potens , piuſque Saluator , excipiendo fatigatos , docendo inſcios , ſanando ægrotos , reficiendo ieiunos , quantum deuotione credentium delectetur , inſinuat.* Primò benigniſſimè vidit, vt ait Matthæus. Secundò , vt declarat Lucas humaniſſimè excepit vultu , ac externis ſignis. Tertiò doctrinæ ſuæ verbum , vt exprimunt D. Marcus , & Lucas , eis communicauit , eos inſtruendo de regno Dei , & aduentu Meſſiæ. Quartò infirmos eorum ſanauit. Quintò ipſos fame tabeſcentes refecit.

Caiet. D. Hieron.

*In ſequendo Chriſtũ difficultates ne timeas.*

Beda.

19\. Quam benè dicitur : *Miſertus eſt eis* ; ſeu , vt legit Vatablus, *Intimè miſertus eſt eis*, quibus multo affectu ſimul cum ſua doctrina tanta bona communicauit. Beda in cap. 14. Matth. *Hoc eſt enim*, ait, *veraciter pauperum miſereri , eis veritatis viam docendo aperire , & moleſtias corporales auferre.* Diuinus Rex Chriſtus , qui eum ſequuntur , non vacuos dimittit , ſed tantis beneficiis exornat. *Loquebatur illis de regno Dei* , ait D. Lucas , *& eos, qui cura indigebant , ſanabat.* Theophylactus ibi. *Vt diſcas*, ait, *quæ ſecundum nos eſt ſapientia, diuiditur verbo , & opere, & quod decet dicere operata, & operari dicta.* Inſtruit nos Chriſtus ſuo exemplo , præclara opera verbis eſſe annectenda.

Vatablus.

Beda.

Theophyl.

*Ioannis 6. n. 3.* Subiit autem in montem Ieſus : & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

*Num. 4.* Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et aſcendit Ieſchua montem.
Prope autem erat feſtum Paſcha Iudæorum.

*Pagn. Vatabl.* Inſtabat autem Paſcha.

*Græc. D. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 11.* Erat propinquum Paſcha.

## *EXPOSITIO IV.*

20\. PARTICVLA illatiua *ergo* , poſita ab Euangeliſta , denotat cauſam, vt ait Toletus , cur montem aſcenderit. Cum enim multi adhuc confluerent , aſcendit montem , vt paululum ibi cum diſcipulis requieſceret , & reliquam turbam venientem expectaret ; exindéque eos doceret , atque ſanaret ; ac inde in omnes miſericordes ſuos oculos ſubleuaret. Chriſtus diſcedens ab vrbe , venit in deſertum , & in montem , ad quieſcendum , vt iam ex D. Marco cap. 6. num. 31. notaui. In vrbe labor ; in ſolitudine, ac monte quies. *Et aſcendit in montem* , tanquam in locum ſecretum , ac remotiorem ad orandum, vt notat Lyranus,

Tolet.

Lyran.

nus, *Subijt in montem, quia erat locus deuotioni aptus.* Volebat, ante mirabiliter multiplicatos panes gratias agere Patri; & cum ibi vellet requieſcere, ibat etiam ad orandum, ac ad docendum turbas: requies enim Chriſti, ac ſanctorum, orare, de rebus diuinis agere, ac aliorum bono conſulere, vt innuit Chryſoſtomus. (D. Chryſoſt.) *Neque enim ſimpliciter ſedebat cum diſcipulis ſuis, ſed diligenter loquens eis, & eos ad ſe ipſum conuertens:* Et nota, quod dicitur: *ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Bonus prælatus non ſolùm ſibi, ſed etiam ſuis debet requiem prouidere.

21. Græcus. *Erat autem proximum,* Ex Græco propriè erat propinquum *Paſcha*; tertium ſcilicet à Chriſti Baptiſmo, in quo terminabatur ſecundus annus prædicationis Chriſti, & incipiebat tertius. *Dies feſtus Iudæorum.* Theophyl. Theophylactus ait: *Obſerua autem, quod feſtum fuerit Iudæorum, non autem fuerit dies feſtus Chriſti.* Sed cur Paſcha, ſeu dies, in quo tam magnum miraculum operatus eſt Chriſtus, ex quo illius fama, ac honor apud omnes multum creuit, non dicitur illius dies feſtus? Non Chriſti feſtum, ſed Iudæorum dici, benè obſeruat Theophylactus; illius enim feſtiuitas futura erat ſequens Paſcha, in quo ipſe pro totius mundi redemptione immolandus erat in ara Crucis, omnia alia magnalia, ac miracula, comparatione crucis, ac paſſionis, quædam vmbræ reputabantur, Sic ex D. Cyrillo, Leontio ait Maldonatus in cap. 13. Ioan. num. 31. *Nunc clarificatus eſt.* Reſpondens, *eam claritatem, quam miraculis conſecutus fuerat, ſi cum ea comparetur, quam poſtea victo hoſte per crucem conſecutus eſt, tenebras fuiſſe.*

*Chriſti feſtū, eius paſſio, & mors.*

Maldonat.

## Qvæstio II.

### *Quare Euangeliſta explicat, propè eſſe feſtum Paſchæ, in quo Chriſtus, non in Ieruſalem, ſed in deſertum cum tanta multitudine pergit?*

22. D. Auguſt. Divvs Auguſtinus ſerm. 1. de Epiphania exiſtimat, hoc miraculum panum eſſe celebratum eodem die, quo nuptiæ factæ ſunt in Cana; non tamen eodem anno. At nuptiarum miraculum, vt dixi tom. 2. cap. 1. celebratum eſt die ſexto Ianuarij, longè ante feſtum Paſchæ. Hoc autem propè Paſcha eſt editum. D. Cyrillus. D. Cyrillus verò lib. 3. in Ioan. cap. 11. non legit Paſcha; vnde tenet, hoc feſtum eſſe tabernaculorum, quod menſe ſeptimo, Septembri ſcilicet celebrari ſolebat. Legendum eſt ergo cum omni codice Græco, Syriaco, ac Latino. *Erat autem proximum Paſcha.*

23. *Cur Ioannes obſeruet miraculū propè Paſcha.* Obſeruat autem Ioannes, miraculum accidiſſe propè Paſcha, ipſe enim inter omnes Euangeliſtas annos prædicationis Chriſti denotat, & exprimit de Paſchate in Paſcha, vt notaui tom. 2. in Prologo. In hoc autem Paſchate terminabatur ſecundus annus, & incipiebat tertius, vt iam in expoſitione dixi. Deinde Ioannes apponit tempus, vt inſinuet, ſe hoc ſuo ſilentio integrum annum geſtorum Chriſti præteriiſſe, quæ alij Euangeliſtæ narrauerunt, vt patet ex toto hoc noſtro tomo. Miraculum enim Paralytici contigit Paſchatis tempore, vt notaui cap. 1. hoc autem miraculum panum propè Paſcha perpetratum fuiſſe, apertè ſcribit Euangeliſta.

24. *Cur Chriſtus ad ſolemnitatē Paſchæ, non iuerit Ieruſalem.* Quæſtio præſens principaliter inquirit: Quare Chriſtus Dominus qui, quamuis Lege non eſſet ligatus, frequenter tamen ſe Legis obſeruatorem exhibebat, cur ergo, inſtante Paſchate, quo omnes ire in Ieruſalem tenebantur; ipſe autem, quem turbæ multæ ſequebantur, non in Ieruſalem inſtituit iter, ſed ad deſertum diuertit?

25. D. Chryſoſt. Reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 41. *Quanam gratia,* ait, *omnibus ad ſolemnitatem Ieroſolymam properantibus, ipſe in Galilæam, & inde in Capharnaum non modò abiit, ſed & ducit Diſcipulos? Ut paulatim Legem ſoluat, cum ex Iudæorum malitia occaſionem acceperit.* Cum in propinquo eſſet, vt Lex ceſſaret, ex malitia Iudæorum ſumens Chriſtus occaſionem, paulatim ipſe Legem ſoluebat, vt ita ſenſim homines ad eius abrogationem aſſuefierent.

*Lex Moſaica paulatim ſoluebatur.*

26. Lyranus. Secundò Lyranus. *Quamuis Chriſtus Legem ſeruauerit, tamen in hac ſolemnitate non fuit, quia illi, qui habebant inimicitias capitales, erant excuſati à præcepto Legis. Sic etiam erat de Chriſto quia Iudæi quærebant eum interficere.* Tertiò Albertus Magnus. (Albert. Mag.) *Tangit,* ait, *Euangeliſta temporis congruentiam, quia in Paſcha, futura erat cœna, ſacramentum Euchariſtiæ ſignificans. Et ideo conueniens erat, miraculum facere, ex quo doctrina Euchariſtiæ habet exordium, vt ſuo tempore cœnantes ſcirent, quod in myſterio cœnæ ſignificaretur.* Notatur tempus: nam ante diem feſtum Paſchæ, ſcilicet ſequentis anni, inſtituenda erat in cœna ſacra Euchariſtia; ideo nunc ante feſtum Paſchæ iam operatur miraculum, in quo typus Euchariſtiæ præceſſit, vt in tempore cœnæ ſcirent Apoſtoli, quid in myſterio agebatur. Et ideo, vt notant ſacri Euangeliſtæ. Luc. 9. *Dies autem iam cœperat declinare;* Et Matth. 14. *Veſpere autem facto.* Et obſeruat ibi D. Hieronymus. *Hoc,* ſcilicet miraculum panum, *facit non manè, non creſcente die, non meridie, ſed veſpere.* Ad veſperam enim ſacra Euchariſtia erat inſtituenda. Deinde ait Chryſoſtomus. *Turbarum fidem oſtendit, quod Dominum etiam famem patientes expectabant vſque ad veſperam.* Maximè exercitari debent in fide, qui ad fructus ſacræ Euchariſtiæ accedunt.

*Ad Euchariſtiam paulatim homines diſponebantur.*

Luc. 9. Matth. 14. D. Hieron.

D. Chryſoſt. *Ad Euchariſtiam homines in fide exercitētur.*

27. D. Thomas. Quartò D. Thomas. Dominus non aſcendit Ieruſalem, cuius ratio eſt. Quia Chriſtus Deus erat, & homo: & in quantum homo, ſuberat quidem Legi; in quantum Deus, ſupra Legem erat. Vt ergo ſe hominem oſtenderet, ſeruabat aliquando Legem; vt verò Deum, Legem ſoluebat. Quintò. Idem D. Thomas. (D. Thomas.) Tempus, ait, congruit refectioni. Paſcha enim interpretatur tranſitus. Exod. 13. *Eſt enim Phaſe tranſitus Domini:* vt det intelligere, quod quiſquis pane diuini verbi, & corpore, & ſanguine Domini ſe deſiderat refici, debet tranſire de vitiis ad virtutes. 1. Corinth. 5. n. 7. (1. Corinth. 5.) *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur, non in fermento veteri, &c. ſed in azimis ſinceritatis.* Eccleſiaſt. 24. num. 16. (Eccleſ. 24.) *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.*

28. Licet grauiſſimis, & vrgentiſſimis de cauſis Chriſtus Dominus cum ſuis Diſcipulis ad Ieroſolymitanum templum in Paſchali ſolemnitate non ſe contulerit; tamen de ſuo vſitato more nobis præbuit documenta, quomodo ſolemnes dies nobis





*Dies feſti in Dei obſequio ſunt tranſigendi.* bis ſunt peragendi. Diuinus magiſter tunc prædicauit, ac docuit turbas: in monte orauit; fameſcentibus alimoniam præbuit; languidis ſanitatis remedia exhibuit, vt inde nos hauriamus exempla, quod feſtiuo tempore dimiſſis terrenis, tantum diuinis rebus incumbamus. De Paſchali tempore mandauit Deus in Lege. *Nox iſta eſt obſeruabilis Domini, quando eduxit vos de terra Ægypti.* Exod. 12. num. 42. (Exod. 12.) In quo erat nox illa obſeruabilis? In tripudiis, choris, ac ebrietatibus, vt vulgus ſæpè facit in feſtiuis diebus? Minimè, ſed in lectionibus ſacris, ac in rebus ad diuinum cultum ſpectantibus. Lyranus. (Lyran. Abulenſ.) *Obſeruantur dicata diuino cultui.* Abulenſis. *Obſeruatio illa eſt, quia Hebræi tota nocte vigilabant legentes in ſacris libris.*

29. Exod 12. Septuag. *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris.* Exod. 12. num. 14. Septuaginta tranſferunt, *Etiam feſtum Domino.* Iſraëlitis præcepit Dominus, vt diem Paſchæ ſolemni ritu celebrarent. Sed cur hoc tantum Iſraëlitis? Cur non etiam omnibus nationibus? Inter vniuerſas nationes Iſraël erat populus circunciſus, ac Deo conſecratus; & ſolus ille, qui eſt circunciſus, ac alienus ab omni vitio, & Deo dedicatus in omnibus ſuis actionibus, aptus inuenitur ad Domini feſta peragenda. Iſaias Abbas Orat. 22. (Iſai. Abb.) de operibus hominis noui. *Sabbatum,* inquit, *ipſorum proprium eſt, qui circunciſi ſunt, & ſanctum Paſcha comederunt, vt oportet.* Et explanans, quomodo ſanctum Paſcha rectè ſit comedendum, ſubdit. *Non dixit eis, accingetis vos ſuper renes veſtros, nequis de cingulis dictum intelligeret, ſed renes veſtros accingetis, vt de caſtitate, & munditia intelligeremus: calceamenta ſignificant, vt prompti ſimus ad omnia fugienda, & declinanda, quæ conſcientiam pungunt; per baculos ſpes indicatur ad terram promiſſionis; hi ſunt, qui Sabbatum obſeruant.*

*Illi ſolum celebrant dies feſtos, qui à vitiis ſunt alieni.*

30. Exod 20. In promulgatione Legis mandauit Deus: *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.* Exod. 20. n. 8. Sat erat dicere, quod de die Sabbati recordarentur; vel quod cuſtodirent illum: cur addidit, vt ſanctificarent? Ex hoc tibi voluit explicare, quod dies feſtus non colitur, nec obſeruatur, niſi præſtita ſanctificatione, piis, & ſanctis operibus; non enim dies feſtos cuſtodiunt, qui in illis licentioſius epulis, iocis, ac vitiis indulgent; hoc non præcepit Deus; ſed vt ſanctifices probis, ac bonis actionibus. Oleaſter. (Oleaſter.) *Nota, Deum,* ait, *non dicere, quod Sabbati recorderis, vt in eo gaudeas, tripudies, aut tibi vaces, ſed vt ſanctifices.*

*Dies feſtus non colitur, niſi piis operibus.*

*Ioan. 6. n. 5.* Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima veniſſet ad eum, dixit ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi.

*Num. 6.* Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.

*Versiones.*

*Syriacus.* Et ſuſtulit Ieſchum oculos ſuos.

*Arias.* Attollens ergo Ieſus oculos, & intuitus, quod multa turba.

*Euthymius.* Cum ſuſtuliſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quod turba multa venit ad ſe.

*Pagnin. Vatab.* Vt edant iſti.

*Expositio V.*

Privs quæ ſpiritus ſunt, poſtea verò corporis negotia pertractanda. Prius Chriſtus mirabili doctrina docet turbas, animos cum corporibus ſanans. Illuminatio autem, ac ſanitas animi ad ſpiritum ſpectabant. Nunc vero ad corporis refectionem attendit. *Cum ſubleuaſſet ergo.* Particula *ergo* inſinuat, rem præcedentem, narratam ab aliis Euangeliſtis, iam enim declinauerat dies, iam Diſcipuli ad Ieſum acceſſerant, dicentes, deſertum eſſe locum, & alia, de quibus quæſtione ſequenti, *Subleuaſſet oculos,* ex magno diuinæ miſericordiæ, & pietatis indicio, *Et vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum.* Cum ad Ieſum confluerent turbæ, non poterant egeſtate laborare. Et quamuis aliquos traxerit propria vtilitas, tamen beneuolò animo, ac affectu venerant. Et licet aliqui etiam ſiniſtra mente venerint, vt Dominum caperent in ſermone; tamen ob ſocietatem bonorum cæleſtibus donis fuerunt recreandi, vt ita eorum durities emolliretur, ac meliores euaderent. *Dixit ad Philippum,* ad eum conuerſus ipſum interrogat, fortè quia de loco illo intelligentior erat, & de victu plus ſolicitus. *Vnde ememus panes.* Albertus Magnus ait: In pane notatur neceſſitas refectionis, non enim ſuperflua curauit Dominus. 31.

*Societas bonorum multum prodeſt.*

*De ſuperfluis non curandū.*

Albert. Mag.

*Hoc autem dicebat tentans eum.* Exponit Euangeliſta cauſam, cur Dominus Philippum interrogauerit, non ex aliqua ignorantia, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus, quidque Philippus reſponſurus. *Dicebat autem hoc tentans eum.* Tentare autem aliquem, vt ait Toletus annot. 4. propriè loquendo, nihil aliud eſt, quàm periculum facere ſcientiæ, ſiue virtutis, vel alterius rei, quæ in illo latet. Duplex autem eſt tentandi genus; vnum ad malum, quando homo in peccatum inducitur, vt fit à Dæmone, non enim hoc ipſe molitur, vt exprimentum accipiat, parum enim de hoc curat; ſed vt homines in peccatum impellat. Aliud vero, ad probandam, exercendámque alicuius virtutem, & vt aliis nota fiat. Sic Deus dicitur tentare Abraham. Sícque Philippum, vt eius fidem aliis notam faciat, vtque ipſe, remedium humanum deeſſe aduertens, totus ſe diuinæ Chriſti virtuti committat. Ex hoc morali documento inſtruantur prælati, ac principes, quod quamuis ſciant, quid facere debeant, non tamen reſpuant aliorum conſilia. 32.

Tolet.

*Duplex tentandi genus.*

*Conſilium non reſpuendum.*

## QVÆSTIO III.

### *Quomodo Euangeliſtæ conueniant in hac hiſtoria narranda?*

33. HIc breuiter, ac in ſumma refero textum Matthæi, Marci, Lucæ ad magis ſeriem hiſtoriæ exprimendam. *Veſpere autem facto*, vt ait D. Matth. 14. num. 15. ſeu, vt ſcribit Marcus 6. num. 35. *Cum hora multa fieret*; & Lucas 9. n. 12. *Dies autem cœperat declinare*. Totum diem Chriſtus couſumpſerat, docendo turbas, curando infirmos. Maximè hic ſanè admiranda in turbis auiditas adhærendi Chriſto, cum ob id, quæ corporibus neceſſaria erant, negligerent.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

34. Tunc accedentes duodecim diſcipuli Chriſto dixerunt, vt referunt Matth. Marc. & Lucas, Deſertus eſt locus, *& hora iam præteriit*, ſcilicet cõſueta ſumendi cibos; *dimitte illos*; tam affixi erant Chriſto, vt ab illo nollent diſcedere, niſi ab eo mitterentur; *vt euntes in caſtella, villaſque quæ circa ſunt, diuertant, & inueniant eſcas, quia hic in loco deſerto ſumus*, vt ſcribit Lucas: nam Diſcipuli, vt ait Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. adhuc imperfecti nihil de Chriſti virtute cogitarunt, nec ad altiora ſe erexerunt.

*Series textus Euangeliſtarum.*

D. Chryſoſt.

35. Diſcipulis reſpondit Ieſus, & dixit ſecundum Matthæum, & Marcum, *Non habent neceſſe ire, date illis vos manducare*. Prouocat Diſcipulos ad cibos miniſtrandos turbis, vt inde magis magnitudo miraculi apertior fiat. Et, vt notat Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. non dixit Dominus, Ego dabo eis, ſed vos date; quia illi, vt homines, loquebantur, idcirco, vt homo reſpondet. Deinde vt in omnibus oſtendat modeſtiam ſuam, & quod potius vult neceſſitati ſubuenire operibus, quàm verbis. Pondera etiam Domini magnificentiam: plus nobis concedit, quàm ab eo exoramus. Apoſtoli poſtulauerant, vt turbas dimitteret, vt ſibi quærerent eſcas; ipſe autem eis alimenta largitur. D. Cyrillus. *Dimitte eos, inquiunt, ne amplius anxientur. Accipe autem exuberantem manſuetudinem eius, qui rogatur; non enim illa tantum largitur, quæ poſtulant Diſcipuli, ſed ſequentibus ipsũ edidit bona munifica dexteræ, mandans eis eſcas exhiberi.*

D. Chryſoſt.

*Neceſſitati ſubueniendũ operibus, non verbis.*

*Dominus plus dat, quã petimus.*

D. Cyrill.

36. Secundum Marcum reſponderunt Apoſtoli, *Euntes emamus ducentis denariјs panes, & dabimus eis manducare.* Quod per ironiam, & tanquam de re impoſſibili dictum interpretantur Toletus in cap. 9. Luc. annot. 28. Barradas in præſenti, & Lucas Burgenſis in cap. 6. Marc. Acſi dicerent, præcipis nobis, date illis manducare, quod nobis videtur impoſſibile, cum ad tantam multitudinem paſcendam non habeamus cibos, ſicut nec habemus ducentos denarios, vt emamus panes, quos tantæ multitudini apponamus. Tunc Chriſtus ſubleuans ſuos pios oculos Philippum interrogat: *Vnde ememus panes*. Tunc ille æſtimationem Apoſtolorum veluti emendans, vt aduertit Lucas Burgenſis citatus, ait: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis.*

Tolet. Barradas. Burgenſ.

37. Mandat Dominus Apoſtolis, vt manducare dent turbis; à Philippo quærit, vnde ementur panes; vt omnes difficultatem, ac quodammodo impoſſibilitatem obiicientes, tunc maximè gratia, ac miſericordia Domini eluſceſceret, eiuſque ſoli pietati, ac benignitati tota miraculoſa, ac ſtupenda hominum ſaturatio attribueretur, ipſéque ſolus illius auctor agnoſceretur.

*Beneficia ſoli Deo tribuenda.*

38. Suo populo Iſraeli mandauit Dominus Leuitic. 25. n. 4. *Septimo anno Sabbatum erit terræ, agrum non ſeres, vineam non putabis; quæ ſpontè gignet humus, non metes, ſed erunt vobis in cibum, tibi, & ſeruo tuo, & ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ*, &c. Ad quid huiuſmodi lex præcipitur? melius quodammodo videbatur, quod domini anno ſeptimo agros ſuos colerent, campos ſeminarent, vineas putarent, & quod ipſi fructus non colligerent, ſed eos expoſitos, ac liberos pauperi, ac aduenæ dimitterent; hoc enim videbatur magis cedere in honorem, ac meritum dominorum agrorum, cum ipſi laborarent, ac ſererent, non ſibi, ſed pauperi, ac egeno. Pulchrè Philo lib. de charitate dubium ſoluit. *Poſſeſſoribus quodammodo*, ait, *vacuis, & intacta ab agricolarum opera, tota gratia ſoli Deo deberetur, omnibus egentibus expoſita.* Verum eſt, quod multa vtilitas percipitur ab agrorum dominis, ſi de illis ipſi curam agerent; tamen hoc prætermittitur, & mandatur, vt totus campus à dominis ſuis ſit vacuus, vt tota alimenti indulgentia, ac liberalitas, quæ tunc pauperi fieret, non alteri niſi ſoli Deo referretur: *tota gratia ſoli Deo deberetur.*

Leuitic. 25.

Philo.

39. Cum Eſther vellet ingredi ad Aſſuerum, vt ei pro populo ſuo deprecaretur pro reuocando crudeli edicto interfectionis Iudæorum; facundiam ac eloquentiam verborum ad regem perſuadendum exorabat à Domino. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo.* Eſther 14. num. 13. Simulque eleganti veſtitu ſe exornauit, vt regem ſua pulchritudine caperet. *Circundata eſt gloria ſua; cumque regio fulgeret habitu*, Eſther 15. num. 4. alto conſiderato ſermone, & venuſto veſtium ſplendore amicta, ad Aſſuerum ingreſſa *Regina corruit, & in pallorem colore mutato laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.* 15. num. 10. & tanta perturbatione fuit preſſa, vt nec vnum diceret verbum, ita vt ei diceret Aſſuerus, *mihi non loqueris?* Valde mirum, quod illa, quæ multum in ſuauitate verborum, vultúſque elegantia confidebat, iam tunc nec vnum proferat verbum, totaque facies ſuffundatur pallore. Nunquid, Domine, pulchritudo Eſther ad aliquid malum præparabatur? vel eloquentia eius aliquid ſiniſtrum intendebat? minimè ſanè. Ad quid ergo pulchritudo diſparet, ſermóque eius ex ore excidit? In nullo alio euentu tam benignum, ac propitium erga Eſther ſe exhibuit Aſſuerus, vt in præſenti, ſuis enim manibus, ac brachiis eam reclinauit; & ſine dubio ei annueret, quiquid ab eo poſtulaſſet. Ne ergo cogitaret, quod beneficium, Iudæis conceſſum, elegantia vultus, ac ſermo compoſitus Eſther negociata fuerint, diſpareant hæc vt tota gratia ſoli Deo tribueretur; omnia enim alia, in quibus confidebat, perierunt, & ſolum Dei auxilium opportunum in ipſa neceſſitate adfuit. Vide ſupra cap. 8. num. 93. 94. & 95.

Eſther. 14.

Eſther. 15.

*Pietas, ac clementia non alteri, ſed ſoli Deo tribuenda.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus oculos ſubleuauerit ad videndas turbas?*

40. RESPONDEO Primò, Scribitur, quod ſubleuauerit oculos Ieſus, vt ſignificetur, quod ipſe non fuiſſet vagis oculis, ſed compoſitis, & ad rem præſentem attentis, vt



ponderat Beda, *Non ſolebat Chriſtus*, ait, *oculos erigere, huc, atque illuc, ſed pudicè ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Chriſtus totius puritatis regula demiſſos ferebat oculos & non laxabat, niſi vt turbis egentibus miſericorditer ſubueniret. Inde nos modeſtiæ exempla ſumamus. Eccleſiaſtic. 19. n. 26. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Ex quo pulchrè ait D. Ambroſius lib. de Elia cap. 10. *Vultus quidem cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres, facies index plerumque conſcientiæ, & tacitus ſermo mentis.* Et D. Auguſtinus in Regula ad ſeruos Dei, quæ habetur in fine primi tomi. *Non dicatis*, inquit, *vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.* Vide tom. 2. cap. 17. quæſt. 15. num. 89. 90. & 91.

Beda.

*Oculi cum modeſtia ferantur.*

Eccleſ. 19.

D. Ambr.

D. Auguſt.

41. Secundò Origenes homil. 28. in Ioan. *Nunc autem*, ait, *cum ſuſtuliſſet oculos ſuos ſurſum, dixit: à primo namque dicto monemur, diſcipulos ſuos infernè non eſſe, quam ob cauſam eleuantur oculi magiſtri in eos.* Supra montem adſtabat Dominus; & adhuc aſſeritur ſubleuaſſe oculos, vt videat homines venientes ad ſe. Sine dubio oculi leuantur, vt quæ in alto ſunt poſita, videantur. Quomodo ergo Ieſus, vt videat venientes ad ſe, ſubleuat oculos, niſi vt ex hoc manifeſtè oſtendatur, quàm in alto, ac ſublimi verſantur, qui Ieſum ſequuntur: non in ſuppreſſo loco commorantur, ſed ita ad ſuperna volant, vt ſubleuandi ſint oculi, ad hoc vt percipiantur. Canebat Dauid Pſalm. 17. n. 34. *Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Cum perfecerit Deus pedes eius, vt ipſum ſequerentur, ibi conſtituit eum ſuper excelſa, & alta. Euſebius in Catena Græca. *Deus noſter*, ait, *certaminis præſes docet nos ad curſum celeres eſſe, & illius gratia ad ſumma, & excelſa nobis conſentanea impellit. Conſentanea dico, quoniam anima ſecundum naturam cæleſte domicilium, & excelſa, quæ illic ſunt, non vt à ſe aliena, ſed vt propria habet.*

Origenes.

*Qui Chriſtũ ſequuntur, in excelſo ſunt.*

Pſalm. 17.

Euſebius.

42. Tertiò. Rupertus lib. 6. in Ioan. ad hæc verba: *Cum ſubleuaſſet oculos:* ſic ait: *Oculi Ieſu feneſtræ ſalutis, & patentes miſericordiæ ianuæ, per quas gratia, & veritas emittitur. Subleuatio oculorum Ieſu præſens miſerorum compaſſio eſt.* Dei oculi fundunt pietatem, & miſericordiam. *Et quem ipſe benigno vultu reſpicit, miſer eſſe non poteſt.* vt ait Agellus in Pſalm. 30. num. 17. ad hæc verba. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum.*

Rupertus.

43. Quo ſenſu dicebat Deus ad populum ſuum Leuitic. 26. num. 9. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Origenes homil. 16. in Leuitic. ſic legit: *Reſpiciam ſuper vos, & augebo vos.* Ex quo pulchrè ait Heſychius ad dictum locum Leuitic. *Nihil melius, quam reſpici à Deo, cuius reſpectus ſalus eſt, auerſio autem mors.* Et Redulphus. *Reſpiciente nos Dei miſericordia, creſcere dicit, augerique nobis charitatem, vt deuoti ſeruiamus illi.*

Leuitic. 26. Origenes. Heſychius. Redulphus.

*Diuinus intuitus nos auget.*

44. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. num. vltimo. Omnia, quæ à Deo creata ſunt, vtpote illius opera, bona, & perfecta conſiſtebant: tamen ex Dei præſentia quandam videntur haurire bonitatem, vt quæ bona erant vſque huc, modo valde bona dicantur ex Dei conſpectu. Quod perbellè dixit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 4. *Honorans, conſignans, diſpungens bonitatem operum dignitate conſpectus.* Cunctæ creaturæ, ac vniuerſa Dei opera congruentem ſuæ naturæ bonitatem è manibus Creatoris detulerunt; poſtquam verò diuinus intuitus ea conſpicatus proponitur, ita ipſis oculorum radiis ea condecorauit, ac illuſtrauit, vt iam non tantum bona iudicarentur, ſed inſuper etiam valde bona.

Geneſ. 1.

Tertullian.

*Dei intuitu vniuerſa illuſtrantur, ac perficiuntur.*



## QVÆSTIO V.

### *Quare dicitur, quod ſubleuauerit oculos, non in diſcipulos, qui cum ipſo ſedebant, ſed in turbas venientes?*

45. PRIMÒ, & germane ad litteram. Subleuauit oculos Ieſus, vt videret multitudinem maximam venientem ad ſe: nam vt ait Cardinalis Hugo, prius circa diſcipulos ſuos habebat intentos. Et Theophylactus, Euthymius, & communiter Expoſitores.

Hugo. Theophyl. Euthymius.

46. Secundò reſpondeo, & moraliter. Dicitur, quod ſubleuauerit Ieſus oculos, vt videret multitudinem venientem ad ſe: maximè ponderandum, quod non ſubleuauit oculos, vt videret diſcipulos, qui iuxta ipſum ſedebant, ſed vt videret turbas, quæ à longe ſtabant. O quantum diſtant diuini Chriſti oculi ab oculis principum mundialium! In mundo ſolum fertur intuitus in proximos, ac propinquos; amicos ſcilicet, & conſanguineos; non verò in eos, qui à longè ſunt, extraneos ſcilicet, & alienos. At diuinus Chriſti aſpectus, non in amicos, ac conſanguineos, ſed in extraneos, ac neceſſitate oppreſſos dirigitur, ac fertur.

*Diuina benignitas reſpicit eos, qui à longè ſunt, ſi in neceſſitate poſiti.*

47. Ait Amos Propheta. *Hæc oſtendit mihi Dominus: Et ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cœmentarij.* Amos 7. num. 7. Stabat Dominus ſuper murum, inter alta mœnia, & ſublimes illius turres. Cur non in pinnis coronandis, ſed in cœmentariis, quæ valde inferiora ſunt, ſuum præſtat ſtudium? D. Remigius. *Per murum litum*, ait, *ſuper quem Dominus ſtabat, intelligitur ipſe populus, qui litus erat propter circunciſionem: per trullam verò auxilium Omnipotentis Dei.* Super murum, inter eius mœnia, & arces apparebat Dominus in populo ſuo; & tamen non coniiciebat oculos vt auxilium præſtaret murorum ſublimitatibus, ſed cœmentis, quæ quamuis à longè extarent, & in inferiori eſſent, neceſſitate tamen laborabant: & talium conditio diuinum ad ſe inclinat aſpectum.

Amos. 7.

D. Remig.

*Diuini oculi feruntur ad neceſſitate oppreſſos.*

48. Cum Arca Dei ſimul cum populo Iſraelitico eſſet in pugna contra Philiſthiim, dicitur, quod Heli *ſedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans.* Erat cor eius pauens pro Arca Dei 1. Reg. 4. n. 13. Vbi nos habemus *ſpectans*, ex Hebræo, ac Græco legitur *ſpeculans*, ſeu *proſpiciens*, quod denotat quidem acutiem in viſu: & tamen de ipſo Heli ſtatim ſubditur. *Heli autem erat nonaginta, & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.* num. 15. quod etiam de eo ſcribitur cap. 3. num. 2. Quomodo hæc inter ſe conferuntur? ſi ita pollebat viſu, vt eſſet ſpeculans, & proſpiciens, quomodo caligauerant oculi eius? Heli, quamuis fuiſſet negligens in corrigendis filiis, tamen multis virtutibus fuit illuſtris; & plus doluit de Arca capta, ac deſtructione populi, quàm de filiis interemptis. Vnde Chryſoſtomus homil. 17. in Matth. appellat eum *admirabilem Sacerdotem*, de

1. Reg. 4.

1. Reg. 3.

D. Chryſoſt.

D.Baſil. Innoc. III. Procop. Mendoça. *Præſul, non ſua, ſed quæ ſubditorum, videat.*

de quo latè Patres, Baſilius, Innocentius III. Procopius, & alij apud Franciſcum de Mendoça tom. 2. in lib. 1. Reg. cap. 4. verſu 18. numer. 8. & 9. Heli ergo vt Sacerdos, Iudex populi, ac caput regni caligabat viſu, vt ea, quæ prope ſe erant, ac ad ipſum, ſuáque attinebant, videre non poſſet; ſpeculans autem erat, & proſpiciens in illa, quæ ad populum, ac officium pertinebant. Abul. Abulenſis. Erat ſpectans *contra viam*, ait, *qua veniebatur de bello, vt perciperet, quid fieret de Arca, & populo.*

49. Ioan. 21. Conſtitutus Petrus caput Eccleſiæ à Chriſto Domino; ſtatim conuerſus ad Dominum de Ioanne quærit: *Hic autem quid?* Cui Dominus veluti increpando, reſpondit: *Quid ad te; tu me ſequere.* Ioan. 21. numer. 22. Si Petrus paſtor eſt creatus, quid mirum, quod de ſuis ouibus ſolicitum ſe præſtet, ac de illis quærat: Cur ergo in reprehenſionis notam incurrit? D. Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homil. 87. in Ioan. ſic loquitur in perſona Chriſti: *Hoc autem dixit, vt intempeſtiuum affectum, & conſuetudinis deſiderium tolleret.* Petrus creatus caput Eccleſiæ ſtatim conuertit oculos in approximatos, amicos ſcilicet, ac intime familiares, ac præexcelſa dignitate fulgentes: magna reprehenſione notabitur, cum illud ſit valde alienum à ſchola Chriſti; in hac enim illi primi reſpiciuntur, qui egeſtate, ac neceſſitate laborant; non vero qui ſublimitate eminent. Vide cap. 31. quæſt. 9. num. 50.

*Prelatus, reſpiciens in ſuos, reprehenditur.*

## Qvæstio VI.

### *Quare ſolus Chriſtus agit de huius magnæ multitudinis remedio?*

50. Ad ſubueniendum penuriæ, ac fami vniuerſæ huius multitudinis Apoſtoli dicebant: *dimitte eos in proxima caſtella*, vt retuli quæſt. 3. Philippus obiicit magnam difficultatem: *Ducentorum denariorum panes*, &c. tamen ſolus Chriſtus de prouidendo præſenti neceſſitati quærit: *Vnde ememus panes:* de quo iam aliqua dixi quæſt. 3. nunc altius examinandum.

51. Primò, Alta Dei ordinatione diſponitur, quod omnes Apoſtoli difficultates obiiciant, vt in præſenti beneficio, ac in ſubleuanda huiuſmodi neceſſitate ſolus Chriſtus recognoſcatur auctor. Volente Deo ſuum populum eximere à captiuitate Ægyptiaca, naſcitur Moyſes; qui vt dilectus filius adoptatur à filia Pharaonis, in eiúſque aula ſplendido ſumptu educatur: quo populus Hebræus magnam ſpem de ſua libertate concepit; tamen Dei diſpoſitione factum eſt, vt Pharao multo furore raperetur in Moyſem, ipſumque vellet interficere: vnde ille fugit ad deſertum. *Pharao quærebat occidere Moyſem, qui fugit de conſpectu eius.* Exod. 2. Exod. 2. numer. 15. Si Dominus diſponit educere populum ſuum de ergaſtulo Ægyptiorum, ad hoc aptius videbatur, quod Moyſes perſiſteret in Ægypto, ac in gratia Pharaonis, vt facili, ac ſuaui modo, ſua interceſſione, ac potentia populus Hebræus iugum illud excluderet. Deinde vt ipſe Moyſes ſua præſentia Populum inſtrueret, ac doctrina doceret, ne Ægyptiorum idololatria coinquinaretur. Quamuis ergo tot commoda ex præſentia Moyſis in aula Pharaonis euenirent; tamen ordinatur, quod ipſe declinet, & fugiat in deſertum: ne quis inconſideratè Populi libertatem potius tribuat gratiæ, ac aſſiſtentiæ Moyſis in aula Regis, quàm diuinæ Omnipotentiæ. Cum Deus vellet eruere populum ſuum in manu potenti, & brachio excelſo, ideo alto conſilio ordinatur, vt fugiat Moyſes, vt omnes apertè cognoſcant, quod totum eſt operata Dei magnificentia, atque potentia.

*Solus Deus in ſuis donis auctor beneficiorum cognoſcendus.*

Ait Paulus Roman. 11. numer. 32. *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.* 52. Rom. 11. *Soli Deo noſtra dona tribuenda.* Permiſit Deus omnium hominum peccata, & incredulitates, quibus maximè offendebatur; vt tamen in omnes exhiberet ſuam pietatem, ac miſericordiam, vt ita omnes deprehenderent, ac agnoſcerent, ſuam ſalutem ſoli Deo eſſe referendam. D. Thom. Diuus Thomas. *Concludi permiſit Deus omne genus hominum in incredulitate, ſicut in quadam erroris catena, vt in omni genere hominum ſua miſericordia locum habeat, vt ex hoc humilientur homines, & ſuam ſalutem, non ſibi, ſed Deo adſcribant.* Vide ſuprà quæſt. 3.

Secundò, Victor Antiochenus in cap. 6. Marc. 53. Vict. Antioc. ait: *Quandoquidem Deus Optim. Maxim. Manna Iſraëlitas per deſertum pauerat: Ne ea re inferior Patre videretur, ſcilicet Chriſtus, panes hic in deſerto multiplicat.* Deus cæleſti pane pauit Iſraëlitas in deſerto; Chriſtus Dominus ſui Æterni Parentis habens ingenium, ne in virtutibus inferior videretur, fameſcentes turbas miraculoſo pane in deſerto alit, vt operibus ſe ſui Parentis probaret, ac oſtenderet filium.

*Operibus ſe oſtēdit Chriſtus filium ſui Æterni Patris.*

Tertiò, cur non Apoſtoli pietate commouentur ſuper hanc multitudinem, vt eis cibos quærant; ſed ſolus Chriſtus miſericordia tangitur, vt de prouidendis cibis ſolicitus ſit: *Vnde ememus panes.* 54. Chriſtus in deſerto ſuſtinuit rigores famis: *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, poſtea eſuriit.* Matthæi 4. num. 2. Matth. 4. Cuius penuria Apoſtoli ita rigide adhuc non laborauerant. Cum ergo Chriſtus ſtimulos famis eſſet paſſus in deſerto, ſolus ille ſuper ciborum egeſtate tabeſcentes in deſerto intime commotus miſeretur.

*Qui neceſſitatem ſuſtinuit, facile de ea commiſeretur.*

55. Cum meus Ieſus immolandus aſtaret in ara Crucis, ipſum, etiam è ſua cruce pendens, Latro exorabat: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. Luc. 23. numer. 42. Statim omnium Saluator ei reſpondens ait: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Sine mora Latro in ſua petitione impetrat optatum. Et tamen Petrus, Domine, te ſequi volens per carcerem, & mortem, ei dicitur: *Non potes, me modo ſequi, ſequêris autem poſtea.* Ioan. 13. Ioan. 13. num. 36. Principi Apoſtolorum dilatio imponitur; Latroni autem nulla. D. Ambroſ. Pulchrè Diuus Ambroſius ſerm. 1. de Latrone, aliàs 49. *In cruce poſitus*, ait, *in Chriſtum Dominum noſtrum credidit crucifixum. Et ideo qui conſortio paſſionis vtitur, conſortio paradiſi condonatur.* Chriſto crucifixo ſuam expoſtulationem Latro è cruce pendens offert. Cum autem Chriſtus è ſuis doloribus, quos in cruce patiebatur, experimentaliter illos cognouit, quos & Latro in ſuo patibulo ſuſtinebat; inde maximè erga eum commiſeratione commouetur, & largiorem conceſſionem, & indulgentiam illi exhibet, quàm ipſe expopoſcerat Latro.

*Chriſtus crucifixus valde promptè commiſeretur Latroni crucifixo.*

Inter



56. Inter cæteras infirmitates, quas Dominus ſanauit, in magno numero, & valde promptè Leproſos mundauit, modo vnum apud Capharnaum Matthæi 8. numer. 2. modò decem apud quoddam caſtellum Luc. 17. numer. 12. Matth. 8. Luc. 17. Et ſi rectè ponderas, inuenies, quod ad vnam vocem illius Leproſi: *Domine, ſi vis, potes me mundare*: ait ei Chriſtus: *Volo, mundare.* Similiter cum decem clamarent: *Ieſu præceptor miſerere noſtri:* ſtatim Ieſus ad illis ſalutem impendendam ſeſe conuertit. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Et tamen ad aliquos laborantes aliis infirmitatibus aliquam moram interponit Dominus, vt patet in Chananæa, quam Dominus à ſe repellebat Matthæi 15. numer. 22. & in Cæco Iericho, qui multas voces edidit Luc. 18. num. 28. Cur ergo Leproſos in tanto numero ſanat, eíſque tam promptus ſe exhibet? Chriſtus Dominus aliquando ſub forma Leproſi viſus eſt: *Et nos putauimus eum quaſi leproſum.* Iſai. 53. Iſai. 53. numer. 4. Inde maximè benignus in Leproſos; vt hoc morali documento inſtruamur, quod cum quis infirmitates, licet in vmbra, & figura, in ſe experitur, facile inde maximè afficitur, vt ad illarum opem, & leuamen ſeſe accingat.

*Ex propria infirmitate commouetur ad alienas.*

## Qvæstio VII.

### *Quare Chriſtus Dominus tam ſolicitè de remedio horum hominum pertractat.*

57. Respondeo primò. Turbæ Chriſtum ſequebantur; indéque ſe maximè pignoratum agnouit, vt eis in neceſſariis prouideret: non enim ſolet Chriſtus ſuos ſequaces vacuos dimittere, ſed eos multis bonis replere. *Hi ſequuntur Agnum, quocumque ierit; Hi empti ſunt ex hominibus.* Apoc. 14. Apocal. 14. numer. 4. Dicuntur huiuſmodi Chriſtum ſequentes, pretio comparati; & ſine dubio ab ipſo Agno empti ſunt, vt explicat ibi Viegas ſectione 6. Viegas. *Quaſi Chriſtus peculiari quodam modo optimè locatum pretium ſui ſanguinis in eis arbitraretur.* Cur ergo non exprimitur, quod ab ipſo Agno pretio ſint acquiſiti? Cum dicitur, quod ſequuntur Agnum, ibi apertè denotatur, quod ab ipſo Agno empti ſunt magno ſui ſacratiſſimi ſanguinis pretio, vt illis de ſalutis, ac vitæ remedio prouideret.

*Qui ſequuntur Chriſtum magno præmio afficiuntur.*

58. Secundò, valde prompte Dominus præſenti neceſſitati occurrit; oppreſſa enim erat turba fame, ac penuria panis. Nil fortius fame; per multa, & grauia rumpit; nil magnum, & difficile veretur aggredi: Ne ergo turbæ alimenti egeſtate ad has anguſtias deuenirent, Dominus de remedio prouidendo pertractat.

*Fames per multa mala rumpit.*

59. Dauid panem petit ab Achimelech. Qui cum ſe excuſaſſet, panem non habere, niſi ſanctum, ipſum iterum Dauid obnixè petit, cum ibi adeſſet Doeg Idumæus, quem ipſe Dauid præuidebat, totam rem nuntiaturum eſſe Sauli; ex quo multorum ſacerdotum mors occaſionata, vt ipſemet Dauid fatetur: *Sciebam in die illa, quod cum ibi eſſet Doeg Idumæus,*



*proculdubio annunciaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui.* 1. Regum 22. numer. 22. 1. Reg. 22. Vehementer Dauid flagrabat deſiderio aquæ ciſternæ Bethlehem, quàm ei magno periculo attulerunt tres fortiſſimi milites. At ipſe noluit bibere, ſed libauit eam Domino. 2. Regum 23. numer. 16. 2. Reg. 23. Cur panem, quamuis ſanctum, tanto ſacerdotum vitæ diſcrimine accipit, & manducat, qui ab aquæ tam concupitæ abſtinuit potu? Cum peruenit ad Achimelech Dauid graui fame laborans, panem ſanctum tanto imminente ſacerdotum periculo comedere non recuſat: at cum aqua ei offertur, dum fames non vrgeret, facile ab illius guſtu ſe temperauit, & cohibuit. Abulenſis 1. Regum cap. 22. quæſt. 32. Abul. ex aliis auctoribus refert, quamuis *Dauid ſciuiſſet, quod ſacerdotes morituri eſſent, petit panem ab Achimelech, erat enim Dauid in magna neceſſitate famis.*

Ex Chriſti doctrina in Oratione Dominica 60. exoramus. *Panem noſtrum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra.* Matth. 6. num. 11. Matth. 6. Maximè hæc connexio ponderanda eſt, vt notauit Fortunatus, à me citatus tom. 2. cap. 15. Fortun. quæſt. 16. *Benè*, ait, *poſt eſcam quæſitam, poſtulatur venia peccatorum.* Si enim quis in panis egeſtatem deueniat, facile inde in debita, ac peccata incidet: ne ergo talibus debitis, ac iniquitatibus illaqueemur, panem noſtrum da nobis.

*Fames nos in peccata impellit.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus Philippum pòtius, quàm alium Apoſtolum in conſilium vocat?*

Interrogat Chriſtus hic Philippum: vnde ememus panes: non quia ignoraret, expreſsè ait Euangeliſta: *Ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.* 61. *Quare Chriſtus interrogat.* Quærit ergo primò, ait Amphilochius in Matth. cap. 14. vt ſe communi opinioni, qua homo æſtimabatur, accommodaret. Amphiloc. Secundò, D. Auguſtinus, Beda, Rupertus. D. Aug. Beda Rupert. Vt ex hoc ſumeret Chriſtus occaſionem, vt ſuis Diſcipulis, eorum incredulitatem oſtenderet. Tertiò, D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Ammonius inquiunt, quod voluit Chriſtus Dominus interrogando, ac vltro reſpondendo Diſcipulorum excitare fidem, eóſque ad conſiderandum futurum miraculum attentiores reddere, atque hoc pacto facere miraculi magnitudinem magis notam. D. Cyril. D. Chryſoſt. Theophyl. Ammon.

62. Ad quæſtionem reſpondet primò, Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 13. D. Cyr. Alex. *Libenter*, ait, *Philippus diſcebat, quærebátque ſæpius, ſed non erat adeo acutus, vt altiora poſſet intelligere: quod inde patet, quia magno tempore Saluatorem ſecutus, & varia Deitatis eius ſigna indies aſpiciens, & tam rebus, quàm verbis ad cognitionem attractus, quaſi nihil adeo didicerit, in vltimo ferè diſpenſationis tempore dicit ad Ieſum: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis: vt ergo rudiorem, ad ſublimiora ingenio conſequenda, & ad fidem vocans, & roborans rogat.* Idem habent Carthuſianus, Hugo, Cathuſ. Hugo.

*Philippus maiorem habebat erudiendi neceſſitatem.*



&

& alii cum enim Philippus eſſet ingenio tardior, ipſum interrogat, vt inde habeat maiorem occaſionem ad ipſum docendum, ac inſtruendum. Theophylactus. *Non alium interrogat Chriſtus, quàm Philippum, ipſe enim maiore indigebat eruditione.*

Theoph.

63. D.Cyrill. Secundò, Preme illa verba citata D. Cyrilli. *Libenter Philippus diſcebat quærebatque ſæpius.* Philippus frequenter Dominum conſulebat, àb ipſoque promeruit honorari, vt etiam ab ipſo Domino eſſet conſultus. Qui enim interrogando, ſe præclarum diſcipulum exhibuerit, præclarus etiam docendo magiſter efficietur. Salomon poſtulans à Deo ſapientiam, vt poſſet iudicare populum ſuum, ait ad Dominum: *Dabis ſeruo tuo cor docile.* 3. Reg. 3. num. 9 Hoc eſt cor facile, & promptum, vt doceatur. Hebraicus habet. *Cor audiens.* Græcus: *Cor ſapiens.* Qui enim habet animum diſpoſitum, vt audiat, & diſcat, valde ſapiens euadet Vide ſupra cap. 26. num. 87. 88. & 89.

*Qui interrogat, valde aptus, vt magiſter fiat.*

3. Reg 3. Hebraicus. Græcus.

64. Tolet. Tertiò, Toletus in commentario. Pro cuius rei intelligentia ſupponendum, quod ex aliis Euangeliſtis retuli quæſtione 3. Quod Dominus de turbis prouidendis cum Diſcipulis pertractauit: *Date & vos illis manducare.* Et iterum interrogauit, *Quot panes habetis?* Quod totum factum eſt optimo conſilio, vt Diſcipuli ſoliciti de victu, ac veſtitu, vt pote pauperes, cum nihil haberent, vnde ſibi comparare poſſent neceſſaria, niſi ex eleemoſynis, diuinæ prouidentiæ cõfiderent, eique ſe totos committerent, Hoc poſito reſpondet citatus Cardinalis, Quod ideo quærit à Philippo, Vel quia quando alios diſcipulos interrogauit, tunc cum illis non aderat Philippus: Vel quia Philippus inter omnes plurimum hac victus ſolicitudine premebatur. Quod ex eo colligitur, quod cum alij Apoſtoli dicerent, ducentos denarios ſufficere, & Dominus ab eo quæreret: *Vnde ememus panes?* reſpondit Phlippus: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt quiſque modicum quid arripiat.* Quod argumentum eſt, Philippum maiori circa victum ſolicitudine premi, magiſque de hac re eſſe ſolicitum; & hac de cauſa à Domino interrogatum.

*Philippus magis ſolicitus circa victum.*

65. Quartò, reſponderi poteſt, Philippum fuiſſe in his quæ ad victum comparandum pertinebant, peritiorem, & intelligentiorem, cuius rei argumento illud eſt eum iudicaſſe, ad comparandum cibum turbæ multæ ducentos denarios non ſufficere, vti cæteri Diſcipuli exiſtimarunt. Dominus autem hunc voluit interrogare, vt ſubſidium humanum vndique deeſſe omnibus conſtaret, quandoquidem nec qui inter eos intelligentior habebatur, illud potuit inuenire. Quintò, vt multis placet. Philippus à Domino eſt interrogatus, quia eius patria Bethſaida extabat, & ea habebat explorata loca, vnde cibus poterat comparari. Quo inſtruimur, eos in conſilium vocandos eſſe, qui maiori experientia, ac cognitione rerum pollent. Vide Verbum Experientia.

*Adhibe conſiliarium expertum.*

66. D Cyrill. Carthuſian. Sextò, Iuxta D. Cyrillum, Carthuſianum, ac alios. Philippus cæteris rudior. Hunc ergo conſulendo, magnum ſuæ humilitatis præbet exemplum, nobiſque efficaciter perſuadet, vt etiam rudiores, & imperitiores conſultum adeamus. Septimò. Aliquando Philippus Chriſto Domino dixit: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Ioan. 14. num. 8. Et vir ille, qui in rebus ſibi commodis, ac vtilibus nouit dicere, ſufficit nobis, valde præclarus, vt conſiliarius habeatur, in conſiliumque vocetur.

*Miniſter, qui dicit, ſufficit valde aptus.*

67. Marc. 6. Octauò, Alij Apoſtoli dixerunt, vt patet ex D. Marc. 6. num. 57. *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* Philippus autem horum aſſertioni reſtitit dicens: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Si ergo Apoſtoli conformes videbantur inclinationi, ac propenſioni Chriſti Domini vt panes emerentur; Cur hi non vocantur in conſilium, ſed tantùm Philippus, qui obſiſtens apparebat? Vt his inſtruamur, quod ab illis eſt petendum conſilium, non qui voluntati noſtræ ſunt obſequentes, ſed qui iuxta rectam rationem, ac prudentiam loquuntur. Verũ eſt, quod Apoſtoli in ſententia proferenda videbantur Chriſto morem gerere: at Philippus ſatis prudẽter loquitur, quod tam parua pecunia pro tot hominibus prouidendis non valebãt panes comparari: hunc ergo, & non illos in conſilium vocat Chriſtus.

*Conſiliarius adhibendus, non qui loquitur ad voluntatem, ſed qui dicit verum.*

68. 3. Reg. 22. Cum rex Achab, & Ioſaphat præpararentur ad pugnandum in Ramoth Galaad; tunc, cum falſi prophetæ vaticinarentur, Prophetam Domini quærit Ioſaphat. Cui ait Achab: *Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.* 3. Reg. 22. num. 8. Inſtat Ioſaphat, vt Propheta Domini, ſcilicet Michæas, coram ipſis regibus adducatur, ipſúmque vehementer obſtringit, vt verum aperiat. Ait ei: *Adiuro te, vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt in nomine Domini.* ibidem num. 26. Cur Achab in ſuum conſilium nolebat Michæam aduocare; ſecus verò Ioſaphat? Achab peſſimus; Ioſaphat autem pius, & bonus extabat: ille, vt peſſimus, non alios in ſuum concilium trahebat, niſi qui eius voluntati eſſent obſequentes, aliter enim eos odio habebat; at Ioſaphat, vt bonus, & probus, eos tantum ſibi in conclaui procurabat, qui veritatem ſincere proferrent. Abulenſis quæſt. 6. *Achab volebat audire prophetas adulantes, & non prophetam loquentem vera, quanquam dura; & ob hoc increpauit eum Ioſaphat, ſuper hoc dicens Achab, non loquaris ita Rex, quia non debes eum odiſſe licet dura prophetet.* Et perpende, quod cum Propheta eſſet cum Ioſaphat ſimul, & Achab, & ambo prædicti reges quærerent à Propheta, Ioſaphat tantum ei ait: *loquaris mihi, quod verum eſt*, mihi inquit, non nobis; ſolus enim ille, & non Achab volebat audire verum. Achab de eorum numero erat, qui apud Iſaiam 30. num. 10. *dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia.*

Abulenſis.

*Solus iuſtus, & non malus vult audire verum.*

Iſai. 30.

69. Nonò, Philippus rogabat à Chriſto, vt ſæpè dixi: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Quærit ergo ab eo Chriſtus.: *Vnde ememus panes?* vt ipſe apertè videns, & cognoſcens indigentiam, inde clarè deprehendat celſitudinem miraculorum, ac operum Chriſti; ex quo valeat inueſtigare Philippus, cuius nam filius ſit Chriſtus, opera enim cuiuſque indicant parentem eius: ſubuenire autem neceſſitate oppreſſis, non hominis, ſed filij Dei erat. Vide ſupra num. 53.

*Ex ſuis operibus cognoſcitur quilibet cuius filius ſit.*

70. Actor. 7. Cum lapidaretur Stephanus, *Vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait, Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem, &c.* Actorum 7. numer. 55. Eccleſia fatetur Ieſum ſedentem ad dexteram Patris, vt in hoc illius æqualitatem cum Patre prædicet; cur ergo Stephanus circunſeptus à perfidis Iudæis ait, ſe vidiſſe Ieſum ſtantem, & non potius ſedentem, vt Chriſti gloriam, & æqualitatem coram inimicis ſuis aperiat? Cur ſtantem dicit, quod ſeruorum habitum innuit. Nullo ſanè efficaciori modo poterat Stephanus Chriſti gloriam, ac æqualitatem eius cum Patre, eúmque Dei filium publicare, quàm ipſum in habitu opitulantis, ac ſubuenientis prædicare, vt homini laboranti, ac crudeliter ab inimicis vexato, in auxilium adeſſet. Petrus Damianus ſerm. de S. Stephano. *Ne Patre minor eſſe putetur, ſtat cum ſtante, cum bellatore bellatur, quia lapidatur cum lapidato.* Expende verba: *Ne Patre minor eſſe putetur. Nec minus* decantatur æqualitas Chriſti cum Patre à Stephano, cum eum aſtantem in ſubſidium ſerui videat, quàm ſi eum ad dexteram Patris ſedentem atteſtaretur.



Actor. 7.

*Subuenire oppreſſo, Deitatis index.*

Damian.

71. Tenebatur Daniël concluſus in lacu leonum, voléſque Deus illi de alimento prouidere, cum Habacuc propheta in Iudæa ferret prandium quoddam meſſoribus ſuis, *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum in capillo capitis ſui, poſuítque eum in Babylone.* Daniel. 14. numer. 35. Valde mirum. quod Angelus aſportat Prophetam in capillo. Cur non potius per manum, vel brachium ferebatur Propheta in auxilium hominis, in lacu inter leones detenti? Et vt moraliter dicam, tam difficiliter vnus homo alteri auxilium præſtat, vt ad hoc, veluti per capillos trahitur, & ducatur. Huc adũoco Chryſoſtomum homil. 5. in Matth. in Imperfecto, dicentem. *Habacuc homo conſtitutus ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babyloniam.* Expende illud: *homo conſtitutus.*

Dan. 14.

*Valde difficiliter vnus homo alteri ſubuenit.*

D. Chryſoſt.

## Qvæstio IX.

### *Quare non Petrum, vel alios Apoſtolos habet Dominus in conſiliarios?*

72. Non quærit Dominus Petrum, vt ſolebat, nec Iacobum, vel Ioannem, ſed Philippum ob multas rationes datas. Deinde nec vnus, vel alter, ſemper interrogando, eſt honorandus, ſed etiam alij, licet inferioris meriti, condecorandi ſunt, ne primi ſuperbeſcant, & ne alij tanta humilitate depreſſi diffidant.

*Omnes honorandi.*

73. Non Petrum, cum quo Dominus valde frequenter habebat ſermonem, vocat ad conſilium. Petrus ſanè prudentiſſimus, ac fideliſſimus conſiliarius erat: tamen in conſilio attendebat potius ad Regis, quàm regni vtilitatem. Sic cum audiret Chriſtum de ſua paſſione loquentem, ait ei: *Abſit à te, Domine; non erit tibi hoc.* Matth. 16. num. 22. Sícque in gloria Thaboris ait: *Bonum eſt, nos hic eſſe.* Matth. 17. num. 4. Quod quamuis videretur, in regis commodum cedere, vt dolores mortis euaderet; tamen in magnam regni perniciem fieret; cunctis enim gentibus æterna ſalus impediretur; & conſiliarius non eſt adhibendus, niſi qui audeat pro totius regni bono aſtare. Audito Ioſeph conſilio à Pharaone pro frumento ad totius populi ſuſtentationem prouidendo, Pharao *vertit nomen eius*, ſcilicet Ioſeph, *& vocauit lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Geneſ. 41. numer. 45. Cur non permanet nomen Ioſeph, ſed in illud alterum, Saluatorem mundi, mutatur? Ioſeph interpretatur augmentum domini ſui; bonus autem conſiliarius non debet eſſe in augmentum domini ſui, ſed in commune bonum, & ſalutem; non vnius, vel alterius, ſed in ſalutem mundi: *Vocauit ſaluatorem mundi.*

Matth. 16. Matth. 17.



Geneſ. 41. *Conſiliarius eſt vocandus, non qui pro rege, ſed qui pro bono communi loquatur.*

74. Solus Philippus vocatur in conſilium, & non alij; vt hoc morali documento inſtruamur, quod aliquando melius eſt, vt vnus interſit in regis conſilio, quàm quod multi conſiliarij ibi adſint. Peccat Populus grãdi peccato vitulum in deſerto adorans, pro ipſóque Populo Moyſes deprecatur dicens: *Dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exod. 32. n. 31. Poſtea vero flagrauit Populus carnium deſiderio. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus eſt in Populum; percuſſit eum plaga magna nimis.* Numer. 11. num. 33. Et tamen Moyſes tunc pro Populo, nec orat, nec loquitur. Cur tam diſpari modo ſe habet Moyſes nunc, ab illo primo euentu? Idololatria vituli accidit, cum ipſe totius Populi regimen teneret, at Iſraël plectitur ob carnium deſiderium, cum Septuaginta ex ſenioribus Num. 11. num. 16. onus Populi ſuſtinerent: & fœlicius res contigit Iſraëli, cum vnum haberet gubernatorem, & ducem, quàm cum plures ſortitus eſſet.

Exod. 32.

Num. 11.

*Vtilius viuere ſub vno gubernatore quam ſub multis.*

## Qvæstio X.

### *Quare Iudas non adſit conſiliarius in hoc negotio?*

75. Abbas Cell. Ivdas denarios aſportabat; & tamen hac in re conſiliarius non eſt adhibitus. Ex quo ſic diſſerit Petrus Cellenſis lib. de Panibus. cap. 1. *Dicit Dominus*, ait, *ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi. Domine Ieſu, non quæras à Philippo, quære à Proditore tuo, hic habet marſupium cum Scribis, & Phariſæis; hic inſidiatur ſanguini tuo, hic habet denarios triginta, vnde panes emantur ad ſocietatem omnis carnis.* Non aliunde habet Chriſti panis maius augmentum, quàm à Chriſti paſſione. A denario pretij ſanguinis Chriſti, ſeu ab illius mortis, ac crucis recogitatione cæleſtis panis dabit ampliſſimas ſegetes, quibus vniuerſorum fames expellentur, cunctíque populi ſaturabuntur.

*Sanguis Chriſti ad ſatiandum totum mundum.*

76. Ioan. 12. Cur ergo Iudam non adhibet ſibi conſiliarium? Reſpondetur communiter. Quia ipſe, vt ait Ioannes 12. numer. 6. *Fur erat, & loculos habebat.* Ac proinde ipſe Dominus eum non admittit, cum populi neceſſitati vellet ſubuenire. Ex conſiliario, quem vnuſquiſque ſibi quærit facile eius mens, ac intentio ſuſpicari poteſt. Cum Saul noluiſſet habere in cauſa Dauid Ionatham conſiliarium. 1. Reg. 20. num. 30. exploratum ſanè fiebat, quod eius mortem moliebatur. Et cum, peccante Populo grandi crimine Vituli idololatriæ, Dominus ſibi in conſiliarium adhibet Moyſem: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus:* inde apertum apparebat, quod Dominus commiſereri, ac parcere Populo intendebat.

*Ex conſiliariis, quos aduocas, pateſit mens tua.*

77. *Deo magis diſplicet crudelitas, quàm latrocinium.* Reſpondeo ſecundò. In Iuda duo grandia vitia regnabant; latrocinium, *fur erat, & loculos habebat*; ſecundum nimia crudelitas, viſcera ferrea in pauperes vendicabat; nam ex his, quæ portabantur, partem aliquam in pauperes diſtribuebat; reliquam vero ſibi ſuffurabatur, vt notant expoſitores ad citatum Ioannis locum. Iudas autem potius reiectus eſt ab hoc conſilio ob nimiam crudelitatem, & viſcera ferrea, quam ob latrocinij turpitudinem: nam primum vitium multum Deo deteſtabilius ſuper ſecundam iniquitatem.

78. Ponens Dominus rationem cum ſeruis ſuis, oblatum quendam, ei debentem decem millia talenta, nec habentem vnde redderet, mandabat ipſum venundari, ac vxorem eius, filios, & omnia ſua: ille tamen procidens, poſtulans à Domino miſericordiam impetrat. Donatus iſte ſeruus tanta Domini benignitate, egreſſus à facie eius, cum haberet quendam debitorem, *Suffocabat eum dicens, redde, quod debes*; ipſumque in carcerem detrudit, quoad vſque vniuerſum ſolueret debitum. Quod agnoſcens Dominus illius eum ad ſe vocat dicens: *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*, &c. *Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus.* Matth. 18. numer. 32. Quid eſt, quod

Matth. 18. *In ſeruo Dominus latrocinium ſuſtinet, non vero in humanitatem.* Dominus tanta miſericordia ſe habuit in ſeruum, valde ingentem auri copiam depopulantem, modò verò tam aſperè ob illius ſæuitias in conſeruum? ſuſtinuit bonus Dominus ſeruum ſuum latronem; non vero crudelem, & aſperum; ipſúmque, multas illius diuitias furantem, diſſimulat; minimè vero cum illum videt inhumanum, & rigidum, ſed tunc diſtrictè in iudicium contra

D. Chryſoſt. illum procedit. Diuus Chryſoſtomus homil. 62. in Matth. *Et quandoquidem*, ait, *decem millia talenta debebantur, non conuiciatus debitori, ſed miſertus fuit: quando vero aduerſum conſocium crudelitatem exercuit, tunc nequam, ac improbum ſeruum appellauit.*

79. 3. Reg. 21. Ait Elias Achab. *Occidiſti, inſuper & poſſediſti.* 3. Regum 21. numer. 19. Inter hæc duo vitia primum crudelitatem notat in occidendo, quaſi ex ipſa maximè diſpliceret; & poſtea ad illius malitiam, in iniquè rem alienam furando, ac poſſidendo, diuertit ſermonem. E contra vero villicus ille diffamatus eſt apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et cum ipſe à Domino ſuo ad reddendam rationem vocaretur, conuocatis debitoribus, vnicuique partem debiti remittit. Quod ſciens *Dominus laudauit villicum iniquitatis, quia prudenter, feciſſet.* Luc. 16. numer. 8. Latrocinij labe co-

Luc. 16. *Villicus, etſi iniquitatis, ob miſericordiam laudatur.* inquinatus eſt, nam de furto, ac diſſipatione rei alienæ, ſcilicet Domini ſui, vt ait Carthuſianus, accuſatus eſt: tamen ob pietatem in debitores tantum promeruit, vt ab ipſo dominico ore meruerit laudari, ac encomiis de prudentia extolli.

D. Bonau. Diuus Bonauentura. *Etſi villicus iſte, ait, deteſtandus eſt, quia fraudem commiſit, ratione cuius villicus iniquitatis dicitur; & laudandus eſt, qui prudenter ſibi contra periculum remedium adinuenit.*

## Qvæstio XI.

### *Quare Dominus in hoc negotio non explicat ſuam ſententiam, antequam à Philippo aliquid quærat?*

Antequam Dominus in hoc conſilio à Philippo aliquid quæreret, poterat ipſe ſuam mentem aperire, verbi gratia, ſi dixiſſet Chriſtus, quod tanta denariorum copia ſufficiebat pro emendis panibus ad hos homines prouidendos; quódque ipſi panes ex tali, & tali loco comparandi eſſent: neutrum ex his fecit Dominus; ſed ſua ſententia non explicata, à Philippo quærit. *Vnde ememus panes.* 80. *Ratio difficultatis.*

Reſpondeo. Quod Dominus ita ſe habuit in hoc negotio, vt antequam ipſe mentem ſuam aperiret, ab Apoſtolis quærendo, vnde emerentur panes, quilibet liberè, & non reſpectiuè ſuum ſuffragium proferret. Nam ſi Dominus ante alios ſuum iudicium explicaſſet, tali reſolutione declarata, eos traheret, ac compelleret in ſuam ſententiam, vt valde frequenter fit magnatum iudicio patefacto. 81. *Princeps in concilio ne ſuos in ſuffragio compellat conſiliarios.*

Cum meus Ieſus aſtaret coram Pontifice, ab hoc interrogatus de doctrina ſua, ait: *Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus ſum ipſis.* Ioan. 18. num. 21. A Pontifice etiam ſciſcitatur Chriſtus, quiſnam eſſet, & cum ille dixiſſet aliqua de æterno ſuo Parente. *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur?* Matth. 26. num. 65. Quid eſt, quod Chriſtus abſtinet ſe à ſuo iudicio proferendo circa ſuam doctrinam, & in hac re vult, vt auditores teſtes aduocentur: at vero Caiphas miro modo verbis, & factis Chriſti dictum damnat; nam Iudæi in re valde execranda veſtes dirumpere ſolebant: & tunc ab aliis quærit, *quid vobis videtur?* Chriſtus Dominus, vt veritatis magiſter, in ſua doctrina non vult approbationem dare, ſed hoc aliorum iudicio committit, vt ipſi integrè, & ſincerè, quid ſentiant, dicant. At verò iniquus Caiphas ante omnia Chriſti affatum tanquam blaſphemum reprobat, ac reiicit; & tunc ab aliis quærit, *quid vobis videtur?* Vt ſuo iudicio prolato, alios ad ſimilem ſententiam cogat, & impellat. Euthymius. *Auxit etiam ſuo dicto accuſationem, & blaſphemiam vocans reſponſum, & præiudicio damnans eum, & exinde cæteris viam faciens ad eum condemnandum, quaſi ſcilicet manifeſto eius delicto cogens eos ad pronunciandam ſententiam.* 82. Ioan. 18. Matth. 26. *Chriſtus aliorum ſententiam liberam relinquit.* Euthym.

*Ioan. 6. n. 7.* Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Ducentorum denariorum panis non ſufficeret eis, quum quid minimum



ſinguli eorum acciperent.

*Vatab. Pagnin.* Vt vnuſquiſque puſillum quippiam accipiat.

### *Expositio VI.*

83. Alii Apoſtoli, vt refert Diuus Marcus 6. num. 37. & iam notaui quæſt. 3. dixerunt, *Euntes emamus panes ducentis denariis.* Philippus autem, tanquam de victu magis ſolicitus, vel prouidus, ac maiorem habens notitiam de loco illo, reſpondet, non ſufficere ducentorum denariorum ſummam, quam viginti noſtri aurei, plus, minuſvè, conficiunt. Philippus vero diuinæ virtutis immemor, ſolum humana ſubſidia, non vero præterita miracula conſiderabat, vt ait Lyranus: Philippus ſpiritu humano ductus ſolum ad temporalia media erat intentus. Aliter vero Beatiſſima Virgo diuino Spiritu repleta, cum in Cana vinum defeciſſet, ad ſolam Dei potentiam recurrit: *Vinum non habent.* Ioan. 2. vbi remedium certiſſimum inuenit. *Qui ſpiritu humano agitur, ſolum humana intendit.* Lyran. Ioan. 2.

## Qvæstio XII.

### *An hæc pecunia ducentorum denariorum haberetur in collegio Apoſtolico: & quomodo Philippus ait, quod non ſufficit?*

84. *Prima ſententia.* Vulgaris hic quæſtio: An Apoſtoli habuerint hanc ducentorum denariorum ſummam? Quod illam haberent, affirmant aliqui; tum quia Philippus ducentorum denariorum fecerit mentionem; tum quia Apoſtoli apud Marcum citatum dixerunt: *Euntes emamus panes ducentis denariis.*

85. *Secunda ſententia.* D. Thom. Lyran. Ianſen. Carthuſ. Maldonat. D. Cyril. Caiet. Barrad. Secunda, & oppoſita ſententia eſt D. Thomæ, Lyrani, Ianſenij, Carthuſiani, Maldonati, Caietani, Barradas, quam ego libentiſſimè amplector, vtpotè conformem Apoſtolicæ paupertati. Sic loquitur Diuus Cyrillus in præſenti. *Vnde ememus panes, dixit Chriſtus, vt paupertatem Diſcipulorum oſtenderet, qui iam pridem colligendi æris abiecto ſtudio; vnde emere, non haberent.* Verba illa apud Marcum, dicta ſunt ab Apoſtolis per ironiam, vt ex communi ſententia dixi q. 3. Ad ſaturandos enim quinque millia hominum, non ducenti denarij, ſed quinque millia videbantur neceſſarij. Sícque Philippus ducentorum denariorum numerum appoſuit, tanquam quid impoſſibile referens ad tantã multitudinem ſaturandam.

86. Ioan. 14. Et ait Philippus. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis.* De æterno tamen Parente loquens, Ioan. 14. num. 18. ait: *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Corporalis panis in tam amplo numero non ſufficit, & vnus Pater ſufficit. Quidquid Dei, quamuis minimum, eſt abundans: Omne vero terrenum minimè ſufficit.

D. Anton. D. Anton. p. 1. tit. 5. cap. 4. §. 3. *Nam ſi quid perfectè, ait, & totaliter, & planè poſſideatur, non ſufficit panis, id eſt, refectio eius ad ſufficientiam: & ſi aliquando reficiat, Pater perfectè reficit.*

*Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Pſalm. 101. num. 5. Macerie tabeſcebat anima eius, & rationem apponens, non ait, *quia oblitus ſum comedere panem*, tantum, ſed addidit *meum.* Quidnam denotat per panem ſuum, ipſe enim quotidie comedebat corporale alimentum? Quidnam erat iſte panis, cuius penuria tabeſcebat? Panis iſte Deus ipſe erat; corporali enim pane ſumpto, adhuc anima conſumebatur fame, quidquid enim Dei ſolum ipſam reficit, & impingueſcit. D. Bernardus ſerm. *Ecce nos reliquimus omnia.* Sic diſſerit: *Macillentiſſimas iſtorum facies contemplatus, recordamur Prophetæ gementis mirabiliter, & dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Quid hæc proſunt? Non ſunt naturales cibi; magis famem hæc prouocant, quàm extinguunt. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.* 87. Pſalm. 101. *Solum, quæ Dei ſunt, reficiunt.* D. Bernard.

## Qvæstio XIII.

### *Quare Philippus ad interrogationem ſibi propoſitam formaliter, & directè non reſpondit?*

Quæſiuit Dominus à Philippo: *Vnde ememus panes?* De loco erat interrogatio; ipſe autem ait: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis.* Ad interrogationem debebat reſpondere, quod ex tali, & tali loco cibi erant comparandi, vel in tali, & tali loco inueniendi. Cur ergo hac quæſtione omiſſa ad ſummam denariorum recurrit? 88. *Ratio difficultatis.*

Reſpondeo primò. Quod in præfata interrogatione duo continebantur; vnum expreſsè, ſcilicet locus, in quo panes erant emendi; ſecundum denarij neceſſarij ad huiuſmodi emptionem. Philippus autem reſpondet ad hoc ſecundum, quod ſupponebatur, & magis ei videbatur impoſſibile, tantam ſcilicet ſummam denariorum habere. Secundò Philippus hac in re totus erat diuinæ virtutis immemor, & ſolum ad humana ſubſidia intentus: & qui ſolum de terrenis cogitat, errat, & neſcit perfectè loqui, ac appoſitè reſpondere. 89. *Philippus reſpondet ad id, quod ſupponebatur.*

Tertiò, Philippus recurrit ad ſummam denariorum: reſpondit enim ad id, quod magis ægrè ferebat, eique durius videbatur, homini enim nil acrius, ac perdifficilius, quàm è proprio marſupio pecunias, proferre, dare, ac elargiri. Ingreditur Chriſtus Dominus Zachæi domum; & cum admirabilem habuiſſet ſermonem exhortãs ad fidem, ſpem, charitatem, ac pœnitentiam, ait ei Zachæus: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. n. 8. Zachæus, vt notant Ianſen. Cornel. à Lapide, ac alij, Iudæus erat, & fidelis, *eo quod filius ſis Abrahæ*, cum ſpe viuẽs: Cur ergo ipſe non profert in medium fidem, & ſpem ſuam, ſed ſolum charitatem in pauperes: *Do pauperibus*: & iuſtitiam eius in proximos: *Et ſi quid aliquem defraudaui*, &c. Zachæus adhuc ex humano ingenio loquebatur, illúdque de ſe atteſtabatur, quod ſibi valde aſperum, & arduum videbatur, vt ſcilicet pecunias è manibus ſuis dimitteret, alienaret, in alióſque transferret, ac daret. 90. *Homini valde durum, pecunias à ſe dimittere.* Luc. 19. Ianſen. Cornel.

91. *Homines aliquando alijs remedia impediunt.*

Quartò. Valde mirum, quod Philippus, nolens his hominibus de remedio, ac ſubſidio prouidere, Chriſto etiam, de hac re cogitanti impedimenta opponat: *Ducentorum denariorum*, &c. Valde miſera hominis conditio, quod vnus non ſolùm nolit, vel non poſſit aliis ſubuenire, ſed etiam alterum volentem, ab hac cogitatione auertere, intenter. Mortuo Lazaro, venit Chriſtus in domum Marthæ, cui ob demortuum fratrem mœrore valde confectæ Dominus ait: *Reſurget frater tuus.* Ioan. 11. num. 23. Ipſa reſpondet: *Scio, quia reſurget in nouiſſimo die.* D. Chryſologus ſerm. 63. *Martha, Poteſt, poteſt Deus ſuſcitare ad temporale ſignum mortuum vnum, qui tunc omnes mortuos ad vitam perpetem ſuſcitabit. Martha, ante te eſt reſurrectio, quam tam longè mittis.* Mulier, audis Chriſtum dicentem: *Reſurget frater tuus:* quod de illo diei, ac horæ præſenti articulo intelligebatur: atque ſi tecum eſt ipſa vita loquens, quæ omnes mortuos ad vitam euocare valet, cur ad tam longum tempus, ad nouiſſimum ſcilicet diem, rem remittis? Et cum Dominus ad Lazari ſepulchrum pergeret, ait Martha: *iam fœtet, quatriduanus eſt.* Humanum ingenium. Mulier non volebat vitam fratri impendere: & tamen Chriſto, in illo temporis momento ad reſurrectionem properanti, obſtacula obiicit, retardare conatur, & ad vltimum tempus hominis reſurrectionem remittere intentat.

Ioan. 11. D. Chryſol.

92. *Humana cōditio ſolùm difficultates ſcit opponere.*

Quintò. Philippus in hac ſua reſponſione non apponit, quod poteſt ſufficere, verbi gratia trecentos denarios, ſed id, quod non ſufficit: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt:* nec ſe conuertit ad diuinam potentiam, in qua remedium certum aderat, ſed ad humana ſubſidia, in quibus difficultatum montes apparebant. O quam plures conſiliarij hoc ebibunt ingenium, vt in ſuo ſuffragio ferendo prætermittant ea, in quibus certum ineſt ſubſidium, & ſolum de his ſermonem faciant, vbi difficultatum voragines implicantur.

93. Flagrauit Populus carnium deſiderio, aitque Deus Moyſi, ſe ei carnes daturum, non per vnum, aut alterum diem, ſed per integrum dierum menſem. Cui ait Moyſes: *Sexcenta millia peditum huius Populi ſunt, & tu dicis: dabo eis eſum carnium menſe integro: nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient?* Num. 11. num. 21. In quo, vt ait Abulenſis, *dicit eſſe difficile, poſſe dari carnes tantæ multitudini.* Cur non confugis Moyſes ad diuinam Omnipotentiam, quam tot ſignis es expertus in Ægypto, vnde ei dicitur: *Nunquid manus Domini inualida eſt?* Sed potius totus intendis ad grandem difficultatem, quod, vt tantus populus ſaturetur, veluti neceſſarium ſit, vt omnes circuniacentes prouinciæ vniuerſos ſuos greges ſuppeditent? omitto hic quæſtionem: An Moyſes in hoc negocio deliquerit? quam quæſtionem pertractant ibi Abulenſis, Lyranus, Lorinus, & alij. Illud tamen ponderandum, quod immediatè ſequitur in textu. *Deſcenditque Dominus per nubem, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* ibidem num. 25. Magnum morale documentum. Meritò qui in his, quæ ad populi bonum ſpectant, non recogitat ea, quæ opem afferre poterant, ſed illa potius, in quibus multa perdifficilia apparebant, illi ſocij, ac conſiliarij in regimine adhibentur, vt in neceſſariis vniuerſæ reipublicæ prouideant.

Numer. 11. Abulenſis.

*Conſiliarius non de difficultatibus, ſed de remedio agat.*

Abulenſis. Lyranus. Lorinus. Numer. 11.

Obſidione facta ab inimicis, graui fame premebatur Samaria. Tunc Eliſæus, ſequenti die magnam rerum abundantiam, denunciat: *Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit; & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ.* 4. Reg. 7. num. 1. Tanta erit rerum copia, vt modius ſimilæ ſiclo vno venundetur. Audiens autem hoc vnus ex intimis aulicis regis, ſuper quem rex manum incumbebat, Homini Dei ait: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit eſſe, quod loqueris?* Tunc illi reſpondit Eliſæus: *Videbis oculis tuis, & inde non comedes:* Sic enim factum eſt in introitu portæ dux iſte conculcatus periit. Sed cur tam acceleratè in tam rigidam pœnam incidit aulicus iſte; immò indilatè ſuam futuram pœnam, quam poſtea paſſus eſt, audit, vt notat Caietanus. Et meritò ſanè. Qui enim, in preſſura, & fame neſcit recogitare, niſi illa, quæ difficultatem ingerebant, quod ſcilicet tanta eſuries nequibat tanta ſaturitate commutari; non verò mentem vertit ad ea, in quibus auxilium adeſſe valebat, ad Dei ſcilicet virtutem per Prophetæ verbum atteſtatam, ſuffocatus pereat, ne amplius in regis conſilio, ac conſiſtorio aſſiſtat, aut interueniat. Ad tantam rerum abundantiam duo leproſi occaſionē miniſtrabunt. Sicq; ad totam hanc multitudinem ſaturandam, non panes ducentorum denariorum, ſed quinq; panes, & duo piſces, Dei accedēte virtute, ſatis, ſuperq; erūt. 94.

4. Reg. 7.

Caietanus.

*Indignus cōſiliarius, qui ſolùm difficultates ſcit opponere.*

## Qvæstio XIV.

### *Quare Apoſtoli in Samaria confugiunt ad Chriſti potentiam; non verò in hoc præſenti caſu?*

Cvm Dominus appropinquaſſet Samariam, miſit ante ſe Apoſtolos, vt nunciarent eius aduentum, & pararent hoſpitium. Samaritani noluerunt eum recipere. Vnde indignati Apoſtoli dixerunt: *Domine, vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos.* Luc. 9. n. 54. In Samaria tanquam Chriſti Diſcipuli ſe exiſtimabant virtutem obtinere ad ignem de cælo immittendum, vt illam gentem igne perimerent. In hoc vero deſerto minimè ad Chriſti virtutem confugiunt, vt tantæ penuriæ, ac neceſſitati ſubueniat. Apoſtoli adhuc imperfecti ſe multam potentiam ad puniendum habere cogitabant; hic tamen ad opem ferendam nil de Chriſti virtute venit in mentem: attamen ipſe Dominus, vt omnium Saluator, maximè in miſericordiam, ac benignitatem propenſus, citato loco Luc. 9. num. 55. increpauit illos dicens: neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit *animas perdere, ſed ſaluare.* Et Ioan. 3. n. 17. ait ipſe Chriſtus: *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Vide multa de hoc, Verbum Miſericordia. 95.

*Ratio difficultatis.* Luc. 9. Luc. 9. Ioan. 3.

Aliter mundialium ingenium ſe habet; quorum tota poteſtas intenta eſt, non in bonum, ac vtilitatem aliorum, ſed in eorum damnum, & perniciem. Cum reipublicæ ſuæ cauſa Iſraëlitæ procederent ad bellum contra Philiſthim, *Non eſt inuentus enſis, & lancea in manum totius populi, qui erat cum Saule, & Ionatha.* 1. Reg. 13. num. 22. tamen poſtea ex Saul mandato Doeg Idumæus *irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod. Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladij.* 1. Reg. 22. num. 18. Antea non erat gladius, nec lancea in manu vniuſcuiuſque; & modò plures ad vnam ciuitatem diruendam inueniuntur? Ad tutamen, ac defenſionem reipublicæ non erat gladius, vel lancea; ad probos autem, & rectos Domini ſacerdotes iugulandos, ac interficiendos gladij ſuperſunt, atque ſuperabundant. 96.

1. Reg 13. 1. Reg. 22.

*Poteſtas humana ad perdendum, & non ad bonū.*



97. Cum Chriſtus Dominus taceret coram Pilato, ipſe iniquus iudex ait Domino: *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te.* Ioan. 19. n. 10. Meritò D. Ambr. ſer. 20. in Pſalm. 118. ait: *Poteſtas iſta poteſtas tenebrarum eſt.* Peruerſus iudex de ſua iuriſdictione loquens aſſerit, quod habet poteſtatem crucifigere, & poſtea dimittere! Tota iniqui poteſtas per ſe primò verſatur, & intendit, vt damnet, ac perimat, nocumentúmque afferat.

Ioan. 19. D. Ambroſ.

*Poteſtas humana intenta ad malū.*

*Ioannis 6. n. 8.* Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri.

*Num. 9.* Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid ſunt inter tantos.

### *Versiones.*

*Arias.* Eſt hîc puerulus quidam, habens quinque panes, & duos piſciculos.

*Syriacus.* Habens ſecum quinque placentas hordeaceas, & duos piſces: ſed hæc quid ſūt ad hos omnes.

*Nonius, Lucas Burgenſis.* Et duos piſces aſſos.

*Euthymius.* Sed hæc quæ ſunt inter tam multos.

### Alter textvs.

*Matth. 14. n. 17.* Reſponderunt ei: Non habemus hîc, niſi quinque panes, & duos piſces.

*Marc. 6. n. 38.* Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognouiſſent, dicunt: Quinque panes, & duos piſces.

*Lucæ 9. n. 13.* Ait ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces.

### *Expositio VII.*

Andreas *frater Simonis.* Apoſtolus iſte non ſolùm nominatur hîc Andreas, vt fit Ioan. 12. num. 22. *Venit Philippus, & dicit Andreæ, Andreas rurſum, & Philippus;* ſed hîc vlterius Simonis frater notatur, vt hoc ſigno veluti innuatur, quod res, quæ hîc agebatur, aliquid peculiare haberet cum Petro. Petrus conſtitutus erat à Chriſto princeps, & caput orbis: in præſenti tractabatur, vt turbæ fameſcenti in deſerto alimenta prouiderentur: rectè ergo Andreas ingrediens in hoc conſilium Simonis frater deſcribitur, tanquam quod res ipſa, & miraculum hoc eſurientes turbas paſcendi, peculiariter ad Petrum attineret. Vt inde prælati inſtruerentur, quod nil magis affine eis incumbit, quàm quod ſuis ſubditis fameſcentibus alimenta prouideant. 98.

Ioan. 12.

*Prælati eſt, ſubditis fameſcentibus prouidere.*

*Eſt puer vnus.* Vnus ſcilicet, ait D. Antonius Vlyſſiponenſis ſerm. in 4. Dominica Quadrag. cum Deo coniunctus, qui Chriſtum ſequatur, ei ſua offerens. Puer in Scriptura frequenter famulum ſignificat. Geneſ. 22. n. 5. Abulenſis in cap. 14. Matth. quæſt. 83. ſeruum ſignificare vult in præſenti, tanquam quod eſſet famulus alicuius de turba. Seu potiùs puer hic, id eſt adoleſcens quidam conſanguineus, amicus, vel comes alicuius Apoſtoli. Moraliter: non aliquis Apoſtolorum, ſed puer vnus panes, & piſces aſportat: Apoſtoli in prædicatione, ac rebus ſpiritualibus verſabantur occupati: & qui ſpiritualibus incumbit, non ſe terrenis, ac temporalibus committit, & implicat. 99.

D. Ant. Vlyſ. Geneſ. 22. Abulenſis.

*Habens quinque panes; & duos piſces.* Hæc dixit Andeeas, vt docent D. Chryſoſtomus hom. 41. in Ioan. Euthymius, Lyranus, Hugo, cum excellentior fide eſſet Philippo; non tamen perfectus extabat. Hæc autem protulit Andreas, non ſimpliciter ex ſe, ſed quia audierat ex Scriptura, quod Eliſæus 4. Reg. 4. num. 44. viginti panibus multiplicatis populum ſaturauerit, itaut ſuperfuerit. Sic putabat Andreas, vt inquit Chryſoſtomus, de paucioribus pauciora, de pluribus plura facienda fore. Sed Chriſtus Dominus nulla ſubiecta materia indigebat, de nihilo enim omnes cibos creare volebat. Aliquantulum Andreas credens, vt ait Hugo, præſentia commemorauit, ſed quia non ad perfectionem fidei venerat, ſubdit: *Quid hæc inter tantos.* 100.

D. Chryſoſt. Euthym. Lyran. Hugo. 4 Reg. 4. D. Chryſoſt.

## Qvæstio XV.

### *Vnde huiuſmodi panes, & piſces fuerint habiti? Explicaturque, quomodo Euangeliſtarum textus cohæreat.*

Hos panes fuiſſe venales, exiſtimant Euthymius, Maldonatus, Cornelius à Lapide in cap. 14. Matth. Fortè ab aliquo in deſertum confluente turba, deducti ſunt, vt ibi carius venderentur. Toletus verò in cap. 6. Ioan. tenet, fuiſſe alicuius de turba. 101.

Euthym. Maldonat. Cornel. *Panes venales* Tolet.

Contrarium docent D. Chryſoſtomus hom. 50. in Matth. D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. Leontius, Theophylactus, Albertus Magnus, Barradas, & alij, 102.

D. Chryſoſt. D. Cyrill. Leont. Theophyl.

Albert. Mag. Barradas.

alij, Hos panes, & piſces fuiſſe Apoſtolorum, vel per eleemoſynam datos, vel per eleemoſynam ab aliquo viro pio in deſertum miſſos. Et hæc ſententia mihi magis placet. Ad hoc multum *Panes Apoſtolorum.* vrgent Euangeliſtarum Matthæi, Marci, & Lucæ verba; inquiunt enim Apoſtoli: *Non habemus, niſi quinque panes, & duos piſces.* Nec ſatisfacit Euthymius: Quia cum illa eſſent venalia, facile poterant haberi; & ideò Apoſtolos ſic reſpondiſſe. Quæ enim venduntur, non dicuntur propriè à nobis haberi, niſi poſtquam illa comparamus, dum enim hæc tractabantur, poterant ab alio emi.

103. *Andreas de ſuis nunciat.* Panes, & piſces Apoſtolorum erant. Ex quo maximè laudandus eſt D. Andreas, quia non aliena, ſed quæ ſui erant, & ad ſe ſpectabant, annunciat, ac exponit ad commune omnium bonum, & vtilitatem.

104. *Concordia Euangeliſtarum.* Secunda quæſtionis pars de contextu Euangeliſtarum. Poſt Philippi datam reſponſionem ſcribit Ioannes id, quod Andreas protulit, cum tamen alij tres Euangeliſtæ, vt patet ex eorum textu, de Apoſtolis verba proferant. In quo, vt ait D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 46. eſt ſumma cohærentia: quod enim Andreas apud Ioannem de quinque panibus, & duobus piſcibus ſuggeſſit, hoc cæteri Euangeliſtæ, pluralem numerum pro ſingulari ponentes, ex Diſcipulorum perſona retulerunt. Auguſtinum communiter ſequuntur Recentiores. Toletus vero in cap. 9. Lucæ annot. 27. ſic ordinat Euangeliſtarum textum. Poſt Philippi verba dixit Andreas: *Eſt puer vnus.* Tunc ſequitur, quod tres Euangeliſtæ referunt: Dixit Apoſtolis Chriſtus. *Vos date illis manducare.* Apoſtoli autem, vt narrant D. Matthæus, & Lucas, inquiunt, *non habemus, niſi quinque panes.* Ieſus autem ad maiorem euidentiam, & claritatem miraculi, vt illi ſe ipſos omni humano ſubſidio deſtitutos agnoſcerent, ait illis, vt ſcribit D. Marcus, *Ite, & videte,* &c.

D. Auguſt. Tolet.

105. *Chriſtus cuncta videns, & multa diſſimulans.* Maximè Chriſti D. prudentia, hic ponderanda, quæ cunctis paſtoribus, ac regibus præbet alta documenta. Interrogat Dominus Philippum, interrogatque Apoſtolos, & audit Andream, vt magis euidentia miraculi clareſcant, maximeque eorum minima, ac tenuis fides appareat: Omnes enim ad ſubſidia humana conuerſi multam difficultatem opponunt. *Non habemus, niſi quinque panes.* Iterum: *Quid hæc inter tantos?* Et ſpem de miraculo non concipiunt, cum tot mirabilia in Chriſto vidiſſent. Et tamen Dominus eos hic non increpat, vt alibi fecit: *Modicæ fidei.* Matth. 8. num. 26. Interrogat, quanuis cuncta penetret, vt omnibus notum, quod bonus prælatus omnia interroget, ſciat, ac cognoſcat; aliquando verò increpationem omittat. Vt prælatis ſit documentum, ne ſemper in ſuos acri reprehenſione inuehantur, neque eos ſemper obiurgent, ſed aliquando aliqua diſſimulent, & prætermittant.

Math. 8.

106. Transfiguratur Chriſtus in monte coram Moyſe, & Elia, ac ſuis diſcipulis. *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Matth. 17. num. 2. Sed cur non eodem fulgore vultus, ac veſtimenta irradiant? nunquid minori pulchritudine niteret Dominus, ſi illius indumenta veluti Sol reſplendeſcerent? In Apocal. 12. num. 1. Mulier illa magna apparet amicta Sole: ad quid ergo tam diuerſus fulgor in Chriſto viſitur? Sol minutiſſima videt, & valde recondita penetrat. At verò nix cadens cooperit, & tegit. In illo alto concilio in Thaboris vertice perſonam gerebat Chriſtus Dom. ſupremi principis, ac doctoris: *ipſum audite.* Reſplendet ergo facies vt Sol; veſtimenta eius vt nix: magnus enim princeps, veluti Sol, cuncta debet videre, cognoſcere, ac penetrare; tamen veſtimenta veluti niuis vice fungantur, vt aliquos aliorum defectus velent, contegant, ac aliquando diſſimulent. Hoc eſt celebre affatum D. Bernardi. *Princeps cuncta videat, multa diſſimulet,* &c. Vide ſupra cap. 6. num. 50.

Matth. 17. Apoc. 12. *Prælatus etſi multa ſciat, aliqua contegat.* D. Bern.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare quinque panes hordeacei, & duo piſces eliguntur in materiam huius miraculi, & non plures, vel pauciores.*

107. Gloſſa. Beda. Haymon. D. Thomas.

AD myſticum, ac moralem ſenſum confugiunt Patres in hac re, Gloſſa, Beda, Haymon, S. Thomas inquiunt, quod quinque panes ſignificabant Legis doctrinam, quæ in quinque libris Moyſis continetur. Dicuntur autem panes hordeacei propter duritiem, & imperfectionem ipſius Legis. Per duos autem piſces, qui ſaporem pani dabant, interpretantur doctrinam Pſalmorum, & Prophetarum. Lex enim vetus, vt ait D. Thomas, non ſolum habebat quinque libros Moyſis, ſed etiam Pſalmos, & Prophetas. Vnde Chriſtus D. Luc. 24. num. 44. dixit: *Quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, & Pſalmis de me.*

D. Thom. Luc. 24.

108. D. Ant. Vlyſ. Secundò D. Anton. Vlyſſipponenſis ſerm. in 4. Dominica per hos panes, panes pœnitentiæ interpretatur. Quinque panes ſunt, ait, caſtigatio, & attritio quinque ſenſuum. Duo autem piſces, vnus eſt charitas, alter ſpes in preſſuris. Aliter etiam explanat, S. Pater. Quinque panes pœnitentiæ ſunt: *Dolor de omiſſo, ſecundus pudor de commiſſo, tertius horror iudicij, quartus timor ſupplicij, quintus ardor pœnitudinis. Piſces duo ſunt, propoſitum melioris vitæ, & ſpes obtinendi veniam.* Idem fere habet Albertus Magnus.

*Quinque panes pœnitentiæ.* Albert. Mag.

109. D. Auguſt. Tertiò, D. Auguſtinus lib. octoginta trium quæſtionum q. 61. ſic ait. *Duo piſces, qui ſaporem ſuauem pani dabant, duas illas perſonas videntur ſignificare, quibus populus ille regebatur, vt per illas conſiliorum moderamen acciperet, regiam ſcilicet, & ſacerdotalem. Quarum officium erat, procellis, ac fluctibus popularibus numquam frangi, atque corrumpi, & violentas turbarum contradictiones, tanquam aduerſantes vndas, ſæpe dirumpere, interdum eis, cuſtodita ſua integritate, cedere.* Per quinque panes hordeaceos, exiſtimat S. Pater, ſignificari populi multitudinem; per duos autem piſces, duas poteſtates, regalem ſcilicet, & ſacerdotalem, adumbrari: duplex autem hæc poteſtas populi multitudinem condit, & ſaporat, vt piſces panes. Et ſicut piſces nulla commotione aquarum, nulla aduerſa tempeſtate franguntur, ſed firmiores conſiſtunt, vt in nullo

*Bonus prælatus nulla populi commotione frangitur.*



fracti videantur. Sic excellentiſſimi principes, & magni prælati nullis popularibus commotionibus, ac altercationibus perturbantur, nec franguntur, ſed ſemper inuicti conſiſtunt. Et ſi aliquando cedunt, hoc præſtant ex animi prudentia, ac firmitate, vt ait D. Auguſtinus, *Cuſtodita ſua integritate cedunt.*

110. D. Chryſoſt. Quartò D. Chryſoſtomus homil. 41. in Ioan. *Hinc,* ait, *delicijs dediti intelligant, quid magni illi viri, & admirabiles comederint, quàm vilis, & modica eorum menſa fuerit. Intueamur eorum in omnibus abſtinentiam, & imitemur.* Apoſtolicæ abſtinentiæ magnum hic nobis præbet exemplum. Deinde quoddam morale documentum hauriamus. Chriſtus ſupremus Rex, Apoſtoli principes orbis conſtituti; & tamen pro eorum victu, non aliquis panis triticeus, ſuauis, & dulcis, ſed hordeaceus; erant enim turbæ fameſcentes in deſerto. Diſcant principes, diſcant prælati, ne dum ſubditi rerum penuria laborant, ipſi multarum copiæ, ac ſuauitati indulgeant, ſed tantum neceſſariis contenti ſint. Dormienti Eliæ ſub iunipero adeſt Angelus, qui ſurgens *reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* 3. Reg. 19. num. 6. Sed cur Angelus non præbet ei panes, & carnes, vt coruus miniſtrauerat, vel prandium, vt Propheta detulit ad Danielem in Lacu; quod Angelus facilè exhibere poterat? Totus populus fame premebatur; Elias igitur, qui veluti totius populi habenas tenebat, parco, & modico cibo vtatur. Tertullianus de ieiunio aduerſus Pſych. cap. 9. *Conſtitui oportebat,* ait, *exemplum docens tempore preſſuræ, & perſecutionis, & cuiuſcumque circunſtantiæ xerophaginis eſſe viuendum.* Per xerophaginas intelligit cibum pœnitentiæ, ſiccum, & auſterum.

*Preſſuræ tempore principes parco cibo vtantur.* 3 Reg. 19. Tertullian.

111. *Menſa ſtatui ſit proportionata.* Vel, ſi dicamus, vt quibuſdam placet, quod huiuſmodi panes fuerint alicuius de turba. Panes hordeacei ad cibum vulgaris gentis, & communis turbæ deferuntur: Sit panis, & menſa proportionata ſtatui, & conditioni. Ingrediens Rex conuiuij triclinium, vt videret inuitatos, *Vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali: & ait illi, amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem. Tunc ait Rex miniſtris: Mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. num. 11. Cur ob veſtitus defectum à nuptiali conuiuio expellitur? vt notauit Euthymius, *Iuſtè,* ait, *illum eijcit, qui ornatus non erat.* Non enim decebat, vt à pallio, ac veſtitu menſa diſcreparet; & qui in humili, ac ſordido habitu erat, in ſplendido, ac lauto conuiuio accumberet.

Math. 22. Euthym.

*Ioan. 6. n. 10.* Dixit ergo Ieſus, facite homines diſcumbere: erat autem fœnum multum in loco: diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Efficite, vt omnes homines diſcumbant; erat autem gramen multum in loco.

*Theophylactus, Euthymius.* Diſcubuerunt viri numero fermè quinquies millia.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 18.* Qui ait, afferte mihi illos huc. Et cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum.

*Marc. 6. n. 39.* Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum.

*Luc. 9. n. 14.* Erant autem fere viri quinque millia; ait autem ad diſcipulos ſuos, facite illos diſcumbere per conuiuia quinquagenos.

*Num. 15.* Et ita fecerũt Et diſcumbere fecerunt omnes.

### *EXPOSITIO VIII.*

DIXIT *ergo Ieſus.* Prætermittit id Ioannes, quod Matthæus ſcribit, nempe quod audito reſponſo Andreæ dixit Dominus, *afferte mihi eos huc.* Cum ergo fuiſſent allati panes, & piſces, dixit ergo Ieſus, *facite homines diſcumbere.* Iuſſit diſcumbere, non ſedere, vt notat Alcuinus. Sic enim ſolito modo accumbendo ad menſam comedebant veteres; à quo modo Dominus ſuos conuiuas non vult diſcedere. Marcus ſcribit, *vt accumberere facerent ſecundum contubernia:* hoc eſt per cœtus *centenos, & quinquagenos;* vt ita Apoſtoli ſine confuſione omnibus prouiderent, & vnuſquiſque nemine prætermiſſo ordinatim ſuam portionem acciperet. *Erat autem fœnum multum in loco,* vt notat Marcus, *viride fœnum,* ſeu viridis herba, vt ait Theophylactus, primò veris menſe Paſcha celebrabatur; & deſcribitur, vt ait Caietanus, locus congruus ad ſedendum. Deus attendit ad commoditatem, & opportunitatem ſuorum. 112.

Alcuinus. D. Marcus. Theoph. Caiet. *Deus ſuorum commoditates attendit.*

*Fœnum multum in loco.* Moraliter Euſebius Emiſſenus in 4. Dominica. *Super fœnum turbas diſcumbere facit, quatenus hoc cibo ille ſe intelligat eſſe indignum, qui nondum ſuper fœnum diſcumbit. Propheta enim dicit: Verè fœnum eſt populus. Quicumque igitur es, qui vis ſatiari de panibus Chriſti, diſcumbe priùs ſuper fœnum, priùs fœnum te eſſe cognoſce.* Expende vltima verba. Qui ſuæ vilitatis cognitionem obtinet, hîc aptatur, vt diuinis fauoribus, ac Chriſti menſa dignus inueniatur. Et D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. ait: *Iubet recumbere ſuper fœnum, vt ſuprà, quam calcauerunt, carnem, ſedeant, & ſuper omnes flores illius: quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Teſte Iſaia 40. num. 6. Omnis gloria fœno comparatur; qui ergo ſpreta mundi gloria humilis inuenitur, aptus fit, vt Chriſti menſæ accumbat. 113.

Emiſſen. *Cognitione ſuæ vilitatis aptatur homo ad diuinos fauores.* D. Paſchaſ. *Qui mundana contemnunt, ad Chriſti menſam veniunt*

*Diſcubuerunt ergo.* Illa particula *ergo* illationem 114.

nem facit ex præcedentibus, vt ſenſus ſit, ideo diſcubuerunt, quia diſcipuli, à Domino imperati, illos diſcumbere fecerunt: tanta obedientia Dominum ſequebantur, vt nec vellent requieſcere, niſi ex Domini iuſſu. *Quaſi*, ſic etiam habet Lucas *ferè*. Matthæus, & Marcus abſolutè ponunt numerum. *Quinque millia.* Textus Græcus adſcribit particulam minuentem; & eſtò non ponatur, nulla eſt contradictio; quia, vt notat Toletus, in magnis ſupputationibus adſcribitur numerus abſolutus, eſtò aliquid parum deſit. *Quinquies millia.* Quinquenarius numerus quinque ſenſus indicat, vt ait Alcuinus, mille perfectionem: perfectis ſenſibus Chriſto adhærere debemus.

Græcus. Tolet. Alcuin. *Perfectè Chriſto adhærendum.*

115\. D. Matth. D. Vinc. Fer.

D. Matthæus 14. num. 21. ait, quod fuerit manducantium numerus *quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.* D. Vincentius Ferreira atteſtatur, vniuerſorum numerum, ſcilicet virorum, fœminarum, ac paruulorum excediſſe viginti millia. Euangeliſta autem ſolùm virorum meminit. Pro quo pulchrè ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 16. Solùm mentionem de viris facit, *ænigmaticè monens omnibus, qui viriliter probitatem, ac fidem amplectuntur, non imbecillibus, ac mollibus cœleſtem à Saluatore cibum præberi, nam qui muliebri animo, aut pueruli ſunt, nihil magni cognoſcere poſſunt.* Solùm enim, qui virili animo ſunt præditi, ad cœleſtem menſam, ac ſublimium rerum cognitionem euehuntur.

D. Cyrill. *Virili animo ad Chriſti menſam admittuntur.*

*Ioannis 6. n. 11.* Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.

### *VERSIONES.*

*D. Cyrillus, Euthym. Vatabl.* Accepit autem panes Ieſus, cumque gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis; diſcipuli verò diſcumbentibus; ſimiliter, &c.

*Arias.* Similiter ex piſciculis.

*Alij Codices.* Quantum volebat.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 19.* Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis.

*Marc. 6. n. 41.* Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cælum benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante eos, & duos piſces diuiſit omnibus.

*Luc. 9. n. 16.* Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante turbas.

### *EXPOSITIO IX.*

ILLA particula. *Ergo* denotat, quod diſcumbentibus hominibus, vt à Domino fuerat imperatum, *Accepit Ieſus panes.* Septem circa panes, & piſces à Domino facta deſcribunt Euangeliſtæ. Primò accepit panes, & piſces in manibus, vt narrant Matthæus, Marcus, & Lucas, vt ſe miraculi oſtenderet auctorem. Secundò, aſpexit in cælum, vt tres citati Euangeliſtæ notarunt, vt ſe de cælo eſſe, & à Patre poteſtatem accipere ſignificaret. Tertiò, gratias egit, in quantum homo, pro diuino beneplacito, quo tantum miraculum in hominum ſpiritualem, ac corporalem ſalutem à ſe fieri ordinauit: noſtrum enim commodum, ſuum reputat Chriſtus. Quartò, benedixit, vt narrant Matthæus, & Marcus, per quam benedictionem virtutem quandam moralem panibus, ac piſcibus indidit ad miraculoſam multiplicationem à ſe illico faciendam. Quintò, fregit, & tali fractione multiplicauit. Sextò, dedit diſcipulis ſuis, vtpotè ſuis miniſtris, vt inter diſcumbentes diuiderent. Septimò, dedit in ſaturitate, quantum ſcilicet turbæ *volebant*, ex panibus ſcilicet, & piſcibus, qui magno ſapore conditi erant. Alij Codices habent. *Quantum volebat*, ſcilicet Chriſtus; noſtra tamen lectio, cum qua cohæret Syriacus, præferenda eſt. Vel explicabis, quod tanta obedientia illi homines defixi erant in Chriſtum, vt nil aliud vellent, niſi quod Chriſtus volebat, itaut Chriſti beneplacitum eſſet eorum voluntas. 116.

*Geſta Chriſti circa panes, & piſces.* *Noſtra volũtas in Chriſti volũtate reſignanda.*

Quæres: An his hominibus præbuerit etiam Chriſtus potum? Reſpondet Carthuſian. ad cap. 6. Ioannis. *Certum*, ait, *videtur, quod ſi non habuerunt aliunde potum, quod Chriſtus dedit illis cibis virtutem agendi, quod efficit potus, ita quod ſitim perpeſſi non ſunt, opera enim Chriſti perfecta fuerunt; quos ergo reficit, perfectè reficit.* Dicam, quod ſentio. Chriſtus non exhibuit vinum, quia non neceſſarium erat; neque etiam aquam miraculo edere voluit; propinquus enim erat lacus, ſeu mare Galilææ, aquæ potabilis, quæ etiam per aliquot riuulos per terram illam diffundebatur. 117.

*An Chriſtus dederit potũ.* Carthuſ.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare Chriſtus Dominus ante miraculum à ſe editum gratias agit?*

RESPONDET primò D. Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. quod Chriſtus Dominus ita ſe gerebat in ſuis actionibus, vt ſe Patri oſtenderet æqualem, & ſe ab eo eſſe miſſum. *Æqualitas quidem, ait, quoniam magna poteſtate omnia faciebat, demonſtrabatur. A Patre verò ipſum eſſe miſſum, vnde perſuaderetur, niſi multa cum humilitate quæcunque faciebat, in ipſum ita retuliſſet, vt etiam eum ad præclara facinora inuocaret.* Chriſtus vt Deus oſtendit ſuam æqualitatem cum Patre, dum ſumma poteſtate panes benedixit, ac multiplicat; tamen vt homo in cælum ſuſpicit, Patrem gratias agendo inuocat, vt multa cum humilitate; ac ſubmiſſione omnia Patri referat. Secundò. Gratias agens Chriſtus, inquit Gloſſa, *oſtendit ſe de noſtra refectione, & ſalute gaudere*; Chriſtus Dominus noſtrum bonum ſuum reputat, ac tantum de eo gaudet, vt omnium caput de illo gratias agat, & hoc ante editum miraculum, vt diſcamus, quàm celeres, ac diligentes eſſe debemus in gratiis exhibendis. 118.

D. Chryſoſt. *Chriſtus manifeſtabat ſe eſſe Deum.* Gloſſa. *Chriſtus noſtrum bonum ſuum reputat.*



119\. Chryſoſt. Albert. Mag.

Tertiò. Chryſoſtomus homil. 41. *Cur*, ait, *cum ſanaturus eſſet paralyticum, cum ſuſcitaturus mortuum, cum maris ſedaturus tempeſtatem, non agit gratias Chriſtus, hic autem agit? Scilicet vt oſtendat, ante cibum gratias Deo agendas.* Albertus Magnus: *Sic in omni menſa*, ait, *facere conſueuit, vt nos doceret, non ſine gratiarum actione, & verbo orationis panem ſumere, alia miracula, ſine oratione egit, hic autem gratias agit propter diuinæ largitatis donationem.* Multa miracula edidit Chriſtus non præmiſſa gratiarum actione vt cum ſanat paralyticum: Ioan. 5. num. 8. ſuſcitat filium Viduæ Naim, Luc. 7. num. 14. & filiam Archiſynago. Matthæi 9. num. 25. Et cum maris ſedatur tempeſtas, Matth. 8. num. 28. & tamen ante menſam tam hic, quàm alibi vt Matth. 15. num. 36. dat ſemper gratias; tanto documento inſtruamur, vt quotidianum alimenti beneficium, quod Dominus nobis concedit, non vileſcat vſu, vt notauit Auguſtinus tract. 24. in Ioan. Sed quantò magis beneficium eſt quotidianum, & frequens, tanto magis in nobis continua, & perpetua perſeuerat gratiarum actio. Euthym. in cap. 14. Matth. *Docens non prius menſam eſſe attingendam, donec Deo gratias agamus, qui nobis alimentum ſuppeditauit.*

Ioan. 5. Luc. 7. Matth. 9. Matth. 8. *Pro cibo quotidiano multas gratias agendum.* Euthym.

120\. D. Chryſoſt.

Quartò. D. Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. ait, *ne repugnantia quædam in ipſis videretur, in cælum minora peracturus reſpicit, cum maiora, cum poteſtate à ſe ipſo faciat.* Ad quid cæli auctor ad cælum reſpicit; iſte enim aſpectus in cælum poterat aliquam impotentiæ ſuſpicionem ingerere, & turbam veluti ancipitem reddere. Ad quid ergo hic cælum ſuſpicit, gratias agit, cum tamen in aliorum miraculorum operatione hoc minimè præſtiterit; quia minus miraculum erat hoc præſens, ideo modo gratias agit, ac in cælum ſuſpicit, vt alto documento nos doceat, ne parua contemnamus, ac exigua diſpiciamus, aliquando in re virtutis difficilius eſt minora facere, quam maiora exhibere, & quam ſæpè difficilius eſt ab exiguis noxis, quàm à maioribus abſtinere, aliquando fortiſſimorum hoſtium victor ab paruo homunculo proſtratur, non ergo minora ſunt negligenda, ſed multa cautela, circunſpectione, ac conatu agenda, ac de illis curandum. Hinc Chriſtus Dominus exemplum nobis præbens, vt ait Chryſoſtomus: *In cælum minora peracturus reſpicit, cum maiora, cum poteſtate à ſe ipſo faciat.*

*Minima virtutis non cõtemnẽda, ſed circunſpectè agenda.*

121\. Franc. Abb. *Gratiarum actio fons aliorum beneficiorum.*

Quintò. Franconius Abbas tom. 10. *tanta autem ait, poſt gratiarum actionem ſecuta eſt vbertas benedictionis, vt de paucis panibus tot millibus ſatiatis fragmenta, quæ ſuperfuerant, decem cophinos exuberarent.* Fœcundiſſima eſt gratitudinis virtus, Chriſtus dat gratias, vt ipſa gratiarum actio ingentem vbertatem ac fertilitatem pariat, neſcit enim in paruis ſiſtere, ſed ſemper in noua augmenta in dies proficit.

Dominica oratione petimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Math. 6. num. 11. Cur tam pro hodierno die, & non pro craſtino panem petimus, ac orationem, ſi enim cum gratiarum actione, ac gratos nos exhibentes receperimus hodiernum panem, inde nobis fons exuberans manat, vt pro omnibus diebus panem accipiamus. D. Chryſoſtomus homil. 72. ad Populum: *Menſa*, ait, *ab oratione ſumens initium, in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largius omnia nobis affert bona, ne tantum itaque prætermittamus emolumentum.* Expende illud, *fonte largius.* 122.

Matth. 6. *Gratitudo comparat beneficia.* Chryſoſt.

Cùm populus eſſet egreſſus de Ægypto, & veniſſet in deſertum, ſin antequam ei Dominus præberet manna, flagrauit populus deſiderio carnium. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium.* Exod. 16. num. 3. Ex quo magnam quæſtionem facit D. Auguſt. tom. 4. q. 62. in Exod. Quomodo potuerit Iſrael tanta carnium inopia laborare, egreſſus eſt enim populus cum multis ſuis pecoribus. Sic dixit Moyſes Pharaoni *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis vngula.* Exod. 10. num. 26. Sicque Pharao locutus eſt ad Moyſem. *Surgite, egredimini à populo meo, oues veſtras, & armenta aſſumite.* Exod. 12. num. 31. Et tamen ab exitu de Ægypto vſque ad hoc tempus, quando filij Iſrael carnes optauerunt, triginta tantum dies elapſi ſunt, vt conſtat ex ſacro textu: Exod. 16. quo tempore ea alimenta comederunt, quæ ex Ægypto aſportarunt, vt docent Caietan. Lipoman. & alij; & nihil adhuc de pecoribus, attigerant, quæ ſecum aſportarunt; ſi ergo carnes habent ad manum, cur de illis ſibi cibos non parant, cur tam vehementer eas appetunt. Reſpondet citatus D. Auguſtinus: *fortè dicatur peperciſſe illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam ſacrificiis neceſſaria defuiſſent.* Actiones autem gratiarum ſacrificiis fiebant, vt docet idem Auguſtinus tom. 6. lib. 1. contra aduerſarium Legis. c. 18. Nolunt ergo Iſraelitæ ſuos greges in deſerto occidere, eligentes potius famem, ac penuriam alimenti pati, quam defectum materiæ ſacrificij, ac gratiarum actionis ſuſtinere; ſciebant enim, quod ſi ſacrificiis ſe Deo gratos exhiberent, famem expellerent, & ciborum copia, ac multitudine abundarent: Ex quo factum eſt, vt ſtatim à Deo eis eſſet promiſſum, ac conceſſum manna, vt habetur eodem cap. 16. num. 4. vnde ait D. Bernardus ſerm. contra vitium ingratitudinis: *Felix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* Vide tam in hoc tomo, quam primo, & ſecundo. Gratitudo. 123.

Exod. 16. Exod. 10. Exod. 12. Caietan. Lipoman. D. Auguſt. *Fœcundiſſima ad beneficia eſt gratitudinis virtus.* D. Bernard.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Chriſtus Dominus hos panes, & piſces non creauerit, ſed ex acceptis multiplicauerit?*

RESPONDEO primò; quod Deus nihil denuo creat ex nihilo, ſed ex materia initio 124.

mundi creata, omnia producit, & transformat; ſic ex materia circuniacente manna confectum eſt, quod datum eſt filiis Iſraël. Exod.16. num.4. Sicque farina, & oleum ob Eliæ merita viduæ Sareptanæ multiplicatum. 3. Regum 17. num.14. Sic & in exordio mundi dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem, producant aquæ reptilæ animarum viuentium.* Geneſ.1.num.11. Eodem ergo, modo, ac methodo, quo Deus antiqua opera edidit, nunc, & præſens miraculum operatur, vt ſe omnium rerum oſtendat auctorem, & creatorem, cui omnium rerum materia ſubiecta, & ſubdita eſt. D. Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. *Non eſt minus*, ait, *ex quinque panibus tot panes produxiſſe, & ex duobus piſcibus tam magnam multitudinem piſcium, quàm aut germinaſſe à principio terram, aut aquas piſces produxiſſe. Hoc nempè ſignum erat terræ, ac maris ipſum eſſe creatorem.*

Exod. 16. 1. Reg. 17. Geneſ. 1. *Chriſtus ſe eſſe omnium creatorem oſtendit.* D. Chryſoſt.

125. Secundò, creatio eſt opus ſummæ, & infinitæ virtutis, itaut doceat D. Thomas 1. part. quæſt.45. art.5. quod puræ creaturæ etiam vt inſtrumentum nequeat communicari: Hæc autem panum, ac piſcium multiplicatio benè, & optimè fieri poterat per productionem, ac transformationem, non fuit ergo ſummum creationis opus in hoc negotio exhibendum.

D. Thom. *Quæ poſſunt fieri per minora non ſunt facienda per maiora.*

126. Tertiò, hæc panum multiplicatio magis Chriſti virtutem oſtendebat, ſi enim ad Chriſti orationem panes eſſent creati, dicerent turbæ, quod illos de cælo mittebat Deus, ſicut Eliæ precibus cælum pluit, aut in deſerto coturnices miſſæ ſunt; quod variis cauſis iuxta vniuſcuiuſque affectum poterant turbæ aſcribere; at cum Chriſtus in manibus accipit panes, eóſque multiplicat, nemo ambigere poterat in eo eſſe illam virtutem, ac ſacriſque illis in manibus tantam multiplicationem, vel ex materia aëris circuniacente, vt vult Euthymius, vel ex materia aliunde adaucta prouenire. Quartò, omnia hæc, vt iam dixi ex Alberto Magno propter doctrinam de ſacramento Euchariſtiæ pene facta ſunt, in qua non nouus panis creatur, ſed iam factus aſſumitur, qui diuina virtute in Chriſti ſubſtantiam, ſeu corpus conuertitur.

*Chriſtus oſtēdebatur miraculi auctor.* Euthym.

127. Quintò, Euthymius in cap.14. Matth. *Iuſſit*, ait, *panes, ac piſces afferri, docens, quod etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus, eoſque cibis ipſis præponere. Illi autem quanquam ſimiliter fame cruciati, nihil aliud haberent, ſine vlla tamen contradictione obediunt.* Panes non creat, ſed illos quinque, & duos piſces iubet ad ſe adduci, & quamuis pauci viderentur pro cibo Apoſtolorum; illos tamen per turbas diuidit; docens nos ex noſtris rebus, quamuis exiguæ videantur, pauperibus ſubuenire, & aliquid eis impertiri. Sic dicebat ſenior Tobias filio ſuo. 4. n.8. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Quæ verba adducens Petr. Damian. opuſcul.9. de eleemoſyna, cap.3. ait: *Vbi etiam diſcretionis modum ponit, & authenticam proculdubio regulam in qualibet poſſeſſionis, atque ſubſtantiæ quantitate præfigit, ait enim quomodo potueris eſto miſericors.* Sicque parens Elias à vidua Sareptana extrema neceſſitate laborante panem petens ait: *Mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruum.* 3. Regum 17.num.13. Propheta magna fame laborabat, & tamen paruum panem petit, cum enim mulier parum haberet, parum ab ea volebat Propheta elargiri.

Euthym. *Qui parum habet, parum eleemoſyna tribuat.* Tob. 4. Damian. 3. Reg. 17.

128. Sextò, D. Baſilius Seleucus orat.33. *O quas res tunc*, ait, *fuit videre! Panes pariebant panes: & menſæ alimento extemporario differtæ erant, panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu effloreſcebant.* Tanta panum multiplicatio, vt omnes ſaturarentur, & deinde duodecim cophini ſupereſſent, non protulit aratrum, nec ruſticanus labor, ſed manus extenſa pauperi, ac egenti, hæc enim veluti largiſſimus fons multa bona effundit & largitur, quæ enim pro Deo damus, aucta recipimus.

D. Baſil. *Eleemoſyna magnos prouentus facit.*

129. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis. *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* Luc.12. num.33. Si Dominus mandat vendere omnia, quæ poſſidentur, ad quid præcepit facere ſacculos, qui ad aliquid recipiendum deſtinantur, ſi omnia ſunt vendita, quid habes, quod in ſacculo reponas. Ait Chriſtus: *Date eleemoſynam*, ex cuius elargitione tot, ac tanta comparantur, vt largiſſimi ſacculi neceſſarij videantur. D. Chryſologus ſermon.22. *Homo tali monitu*, ait, *Chriſtus te voluit ditare, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire, perpetuari; non vacuari, ſacculos imperauit, iuſſit transferre, non perdere.*

Luc. 12. *Quod pro Deo das auctum recipis.* D. Chryſol.

130. Ex Dei iuſſu venit Elias parens ad viduam Sareptanam, à qua panem poſtular, cui ait mulier, quod non haber, niſi pugillum farinæ in hydria, & parum olei, vt ſibi, & filio ſuo faciat panem, & poſtea moriantur; tunc illi ait Propheta. *Vade, fac ſicut dixiſti. Verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies poſtea.* 3. Regum 17. num. 13. Nonne Magne parens ſufficiebat tibi ſecunda buccella, ad quid primam petis? Charitas incipit à ſe ipſa: in tam extrema neceſſitate mulier videbatur teneri ſibi, ac filio ſuo primum prouidere, & poſtea aliis: Quid eſt ergo, quod Propheta dixit: *Mihi primum fac*; optimè ſanè præcallebat efficaciam eleemoſynæ, ſciebat enim, quod ſi mulier, illi panem dediſſet, minimè poſtea ei, ac filio eius alimentum erat defuturum; imò vt copioſiſſimè habeant, ei dixit: *Mihi primum fac.* Ex quo inſpecta mulieris charitate ait ei: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque in diem, qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ:* Ex quo pulchrè dixit D. Ambroſius lib.1. de Abraham. cap. 5. *Vnius horæ hoſpitio vidua, quæ ſuſcepit Eliam, & exiguo cibo perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam de hydria farina deficeret.* Et S.Eucherius ait: *Facta eſt igitur manus viduæ perenne torcular, & mola iugiter fundens.*

3. Reg. 17. *Eleemoſyna magnum prouētum parit.* D. Ambroſ. D. Eucher.

## QVÆSTIO XIX.

### *Quomodo panes, ac piſces fuerint multiplicati, & agitur de eorum diſtributione?*

131. PANES, ac piſces ſunt multiplicati per conuerſionem ex materia aeris adiacentis in ſubſtantiam panis, vt iam dixi ſuperiori quæſtione ex Euthymio. In quorum nam manibus hæc multiplicatio facta eſt?



132. Primò; quod in manibus Chriſti facta fuerit tenet D. Auguſtinus tract.24. in Ioan. Secundò: in manibus diſcipulorum tradit D. Chryſoſtomus homil.14. Tertiò in manibus diſcumbentium ſentit D. Hilarius lib.3. de Trin. vtrumque connectit D. Ambroſius in Luc. in diſcipulorum ſcilicet, ac diſcumbentium manibus; quæ omnia vera eſſe cenſeo: & in Chriſti manibus, & Apoſtolorum, ac diſcumbentium facta eſt hæc multiplicatio, vna tamen Chriſti virtute omnia operante, ac huiuſmodi augmentum producente. Quod ideo ſic ordinatum eſt, vt huiuſmodi prouiſio, ac miniſtratio tanta multitudini fieret opportuna; tum vt etiam ſinguli virtutem diuinam recognoſcerent; in ipſis etiam cophinis ſunt aliqui, qui autumant multiplicationem factam fuiſſe.

*In quibus manibus multiplicati ſunt panes.* D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Hilar. D. Ambroſ.

133. Excreuit panis in diſcumbentium manibus, ſemper enim gratitudo adauget beneficia. Vide quæ dixi ſupra quæſt. 16. Excreuit panis in Apoſtolorum manibus, quamuis enim vnus tantum Philippus eſſet vocatus ad conſilium, tamen ad diſtributionem omnes duodecim Apoſtoli eliguntur. E contra verò in hoc ſæculo multi Conſiliarij conuocantur, ad diſtributionem verò, vnus tantum eligitur miniſter.

*In manibus Apoſtolorum multiplicatur panis.*

134. In Apoſtolorum manibus multiplicatur panis; & quantum intereſt, vt boni miniſtri in diuiſione interſint vt res ad omnes ſe extendat, omneſque amplectatur. *Comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus.* Cant. 7. num.5. Quid nam intelligitur per huiuſmodi comas capitis ſupremi regis? Philo Carpath. totam multitudinem fidelium interpretatur: non incongruè per illas accipiam prælatos, ac miniſtros Eccleſiæ; ſed quare cum canalibus conferuntur? optimè ſanè boni enim miniſtri non ſunt tanquam lácunæ, ac terræ meatus, qui aquam in ſe admittunt, vt illam bibant, ac exugant, ſed ſe habent tanquam canales, qui aquam recipiunt, vt ad alios, ſcilicet hortos, & campos irrigandos, ac fouendos illam diffundant. Aponius: *Purpuram dicit vinctam canalibus, quibus decurrens ſuccus ſuſcipitur iterum profuturus.* Et tunc huiuſmodi præclari miniſtri purpura regis nuncupantur, hoc eſt honor, & decor regis; fauet Lectio Ambroſij: *Ornatus capitis tui*

Cantic. 7. Carpath. *Bonus miniſter omnia ad alios vult.* Aponius. *Bonus miniſter regis honor.*

135. In Chriſti manibus primò, & principaliter virtute ſua diuina multiplicati ſunt panes, & piſces; moraliter verò excreſcit panis; *Accepit Ieſus panes, & diſtribuit diſcumbentibus:* ipſe enim per ſe panes accipit, & partitur; & quantum intereſt, vt rex per ſe ipſum rem exequatur, & non miniſtris committat: faciens rex nuptias filio ſuo; *Miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos, & noluerunt venire.* Matth.22.num.3. Quod etiam iterum factum eſt cum per alios ſeruos eos ad prandium vocaſſet, dicens *omnia eſſe parata: illi autem neglexerunt.* Aliter verò Paterfamilias; *qui exiit primò manè conducere operarios in vineam ſuam.* Matth. 20. num.1. Egreſſuſque eſt primo mane, & circa horam tertiam, ſextam, & nonam; cur iſte Paterfamilias per omnes diei horas reperit operarios ad ſudorem, ac ad agriculturam vineæ; minimè rex ille inuenit inuitatos ad nuptias, cùm vocaſſet ad prandium, ac conuiuium. Pater ille familias per ſe exiit ad conuocandum, rex verò ſeruos miſit; & ſi ſerui ad epulum, ac prandium non inueniunt, multi tamen Patrifamilias, cùm ipſe per ſe vocaret, omni temporis ſpatio, ad agriculturam, & laborem ſuperſunt, & abundant.

Matth. 22. Matth. 20. *Princeps per ſe & non per miniſtros exequatur.*



136. In Chriſti manibus multiplicatur panis; ait Euangeliſta: *Accepit Ieſus panes, & diſtribuit diſcumbentibus:* Non panem integrum dat, ſed partitum, & diuiſum, ex quo factum eſt, quod ad omnes perueniſſet, omneſque illo ſaturarentur; *Milites ergo cum crucifixiſſent eum*, ſcilicet Ieſum, *acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, & vnicuique militum partem, & tunicam.* Ioan. 19. numer. 23. Chriſtus præter tunicam inconſutilem aliis veſtibus ſimul induebatur, vt docent Euthymius, & alij communiter Doctores in cap. 27. Matth. haſque veſtes diuiſerunt quatuor milites in quatuor partes, itaut vnuſquiſque faceret ſibi partem, & tunicam; quid eſt, quod illæ ſacræ veſtes modò Chriſtum induebant, & iam ad quatuor milites, imò & ad totum mundum præſtant indumentum. Pulchrè D. Ambroſius lib.10. in Lucam ad cap.23. *Propter nos ergo*, ait, *diuiduntur veſtimenta eius, quia non poſſumus ſinguli habere omnia; quantos verò Chriſtus ſua veſte veſtiuit? Puto autem quod non quatuor tantum, ſed omnes veſtiuit milites, & omnibus abundauit.* Magnum documentum Chriſtus ſua ſacra veſte nobis præbet; prout illæ ſacræ veſtes erant inter ſe vnitæ, ac connexæ vnum veſtiebant, prout verò diuiduntur iam non ſolùm quatuor, ſed omnes veſtiunt, & cooperiunt, omnibuſque abundant.

Ioan. 19. Euthym. *Si bona diuidantur non vnus, ſed omnes ſaturantur.* D. Ambroſ.

137. *Eſt puer hic vnus habens quinque panes, & duos piſces*, prout puer hæc omnia in pera gerebat, tantum ſibi ipſe alimentum retinebat; at verò vt diuiduntur, iam quinq; millia de illis comedunt, & ſaturantur; non habeat vnus puer quinque beneficia, vel præbendas, partiantur, & diuidantur, & alij comedent, & ſaturabuntur, imo & omnibus abundabunt. Inter centum homines viginti panes mandat diuidi Eliſæus. 4. Reg.4. num.44. *Da populo, vt comedat, hæc enim dicit Dominus, comedent, & ſupererit. Poſuitque coram eis, qui comederunt, & ſuperfuit.* Sed quomodo ex tam paucis panibus tantus numerus hominum ſaturatur, & adhuc ſupereſt? Eleganter D. Ambroſius lib.6. examer.c.2. *Diuidere omnibus voluit*, ait, *& ſufficere omnibus indicauit.* Quid pulchrius? ſi bona diuiduntur, omnibus ſufficiunt.

4. Reg. 4. *Diuidantur bona, & omnibus ſufficiunt.*

*Ioan. 6. n. 12.* Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis; colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quumque ſaturati fuiſſent.

*Arias.* Colligite ſuperabundantia fragmenta.

*Græcus.* Ne quid depereat.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 6. n. 42.* Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt.

## EXPOSITIO X.

138\. D.Paſchaſ. Græc.

VT autem impleti ſunt: Seu ſaturati ex quinque ſcilicet panibus, & piſcibus, dulciſſimo illo cibo, ac ſuauiſſimo edulio, quid factum eſt, vt homines facilitarentur ad intelligendam doctrinam ſacræ Euchariſtiæ, in qua cæleſtis panis ſine ſui diminutione totum valet ſatiare orbem D.Paſchaſius lib. de Euchariſtia, c.7. *Etenim hydria farinæ*, ait, *ſiue panes creſcunt, & non minuuntur, dum ſatiant, quid putas Caro Chriſti:* dixit *diſcipulis ſuis*, tanquam miniſtris à ſe deputatis; *Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta.* Quod ideo factum eſt ad maiorem miraculi commendationem, vt magis tenacius eſſet infixum in mentibus eorum, qui aderant; *Ne pereant.* Græcus ſatis explicat: *Ne quid depereat.*

---

## QVÆSTIO XX.

### *Quare diſpoſuerit Chriſtus Dominus, vt tantæ fragmentorum reliquiæ ſuperfuiſſent?*

139\. D. Chryſoſt.

GERMANAM huius rei rationem nobis inculcat Chryſoſtomus homil. 41. in Ioan. Quod Chriſtus Dominus voluerit, vt tanta fragmenta abundauerunt, vt magis excellentia, ac magnitudo miraculi notior, & apertior fieret, cum repentè ex tanta inopia, ac fame Chriſti virtute in tam ingentem abundantiam, ac alimenti copiam deuentum fuerit, vt ita maximè Apoſtoli in fide corroborarentur, quod probat S. Pater: quia Dominus videns eorum modicam fidem in quadam nauicula eos arguit hoc miraculum in eorum memoriam reducens. Matth.16.n.9. Marc.8.n.18.

*Maior magnitudo miraculi.* Matth.16.

140\. D.Vincent. Secundò, D.Vincentius Ferreira ſerm. in Dominica 4. Quadrageſ. exiſtimat, quod cum panes cœperint multiplicari, ac diſtribui, homines è turba maximè erant anxij, an panes, & piſces ad omnes ſe extenderint, omnéſque ſuam portionem aſſequi valerent; vnde Dominus non ſolum voluit; vt omnes eſſent ſaturati, ſed vt tanta rerum copia adfuiſſet. Pulchrè Euſebius Emiſſen. ſerm. in Dominica 4. ait: *Certamen fit inter panes, & homines, homines manducant, panes creſcunt: vincunt panes, ſuperantur homines: Illi ſufficiunt, iſti deficiunt, niſi enim manducare homines ceſſaſſent, fortaſſe in infinitum panes creſcerent.* Expende illud, *Certamen erat.* Vt, inde diſcerent homines, quantum ſe debeant fidere, ac committere diuinæ prouidentiæ; nam Dei dona ſemperexcedunt omnem noſtrum captum, & deſiderium; homines illi ſolum appetebant parum panis ad parcè comedendum; at Chriſtus non ſolum panem, ſed etiam ſaturitatem præbet, & tam abundanter, vt tanta fragmenta ſupereſſent; vnde rectè dicitur: *ſuperauerunt.* Superare non ſolum dicit abundantiam, ſed etiam victoriam; Diuitiæ enim amoris Chriſti omnia noſtra ſuperant, & vincunt.

Euſeb. *Dei dona ſupra noſtrum deſiderium*

141\. D.Baſil. Tertiò, Diuus Baſilius Seleucus Orat. 33. *Si pro modo neceſſitatis*, ait, *dationem commenſus fuiſſet, decoris illius gratia adulterata eſſet, neque id, quod feciſſet, ſatis euidenter Dominus agnoſceretur, quippe, qui neceſſitati ſeruiſſet, nunc autem profuſior quam neceſſitas poſtularet, ſuppeditatio auctoris poteſtatem teſtatorum facit.* Decor, & excellētia diuinæ poteſtatis non neceſſitati ſeruit, ſed ſupra exigentiam, abundantiam, ac largitatem in ſuis donis nouit addere: Rectè ait Victor Antiochen. in cap. 6. Marc. *Tanta reliquiarum vis facta fuit, quo publicè conſtaret tantam rerum abundantiam magis prouenîſſe ad oſtendendam facientis virtutem, quam ad expellendam præſentem populi neceſſitatem.* Vide quæſt. ſequentem.

*Deus vt Dominus abundanter dat ſuper neceſſarium.* Vict. Antioc.

142\. D.Athan. Quartò, D. Athanaſius Orat. de Incarnatione Verbi. *Cum tamen*, ait, *paucis numero panibus, tanta vis populi alitur, & ex inopia copia repullulat. Quis aliud crederet, quam auctorem earum rerum Dominum eſſe, procuratoremque mundi.* Vltima verba expende. Tot panes multiplicat, ſimul vt Dominus, ac mundi procurator, & propitiator, qui vt verum frumentum cadens in terram multum fructum attulit, & copioſam nobis fecit redemptionem.

*Chriſtus vt mundi propitiator dat.*

143\. D.Bernard. Quintò, D. Bernardus ſerm.51. in Cantic. *Iubemur*, ait, *colligere fragmenta, id eſt, nec minima beneficij obliuiſci.* Fragmenta mandat Dominus colligere, vt ſe gratum pro tanto beneficio Patri oſtenderet; in gratitudinéque ſuos Apoſtolos inſtrueret, ſi enim ipſa fragmenta accepti panis, illiúſque micas memoria tenet, ac de eis minimè obliuiſcitur, quomodo maiora, ingentéſque panum acerui, ac cumuli è memoria excident? Si enim ipſe micas panis in tantum æſtimat, vt eas ſecum velit reportare, ac habere, tanquam perenne memoriale, quanto altius quæ maiora ſunt in mente fixa remanebunt, qui enim de minimis nō obliuiſcitur, maximè de maioribus recordabitur.

*Gratus animus etiam minima multum æſtimat.*

144\. D.Baſil. Sextò, D.Baſilius Seleucus, Orat.33. *Ideo nunc Dominus*, ait, *panes multiplicat præter neceſſitatem in potentiæ defenſionem.* Cur Chriſtus Dominus non ſolum neceſſariis contentus eſt, ſed etiam ad ſuperuacanea miraculum applicauit? Nónne ſufficiebat ex quinque duntaxat panibus tot hominum millia affatim ſatiare? Quorſum profuſior, quàm neceſſitas poſtulat eſcarum ſuppeditatio. Ait Seleucus: *In potentiæ defenſionem.* Maximè inuidia in præclariorem potentiam armatur, eámque obfuſcare, ac negare contendit; Maximè enim ex humana conditione, virtus, ac potentia vnius odioſa eſt aliis, vt vix poſſint homines adduci ad percipiendam, ac cognoſcendam excellentiam alterius. Vt ergo Chriſti Domini potentia aliis hominibus etiam inuidioſis eſſet credibilis, & nota, non ſolum miraculosè ex quinque panibus cibos quinque millibus hominum largitur, ſed etiam *in defenſionem potentiæ*, multa ſuperant fragmenta, vt tot reliquiæ diuinæ potentiæ eſſent teſtes, & Chriſti virtutem clamarent, hominéſque ad eam confitendam compellerent, vt contra tot teſtes nullus eam negare auderet: & ſi illa fragmenta non eſſent neceſſaria ad illos homines ſaturandos, neceſſaria tamen erant ad oſtentationem potentiæ facientis.

*Valde difficile vt homo potentiam alterius agnoſcat.*

145\. Albert. Mag. Septimò, Albertus Magnus inquirens: cur Dominus diſpoſuerit, vt tot fragmenta ſupereſſent; *ad hoc dicendum*, ait, *quod non eſt vitium, ſed virtutis largiſſimæ indicium, quando ſuperfluum conuertitur ad vtilitatem pauperum. Hunc enim modum adhuc tenet Dominus, quemadmodum habentibus agros, multo plus miniſtrat, quam indigeant; vt habeant, vnde tribuant pauperibus.* Luc.11.n.41. Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda



Luc.11. munda ſunt vobis. *Ideo enim præcipit colligi, vt collecta pauperibus diſtribuātur.* Hoc facto Dominus, diuites, at potentes ſæculi inſtruit, vt ſi multa habeant in neceſſariis ſibi prouideant de illis, alia verò, quæ ſuperſunt, egenis tribuant; quod monet Chryſoſtomus homil. 21. in Gen. *Exuere*, ait, *omni proſperitate, & cum ſatisfeceris tuo vſui, quæ ſuperuacua tibi, & otioſa iacent, neceſſariaque ſunt aliis, tribue fame laborantibus, & per illorum manus in tuam patriam tranſmitte, in quam prope diem tibi pergendum, vt omnia accipias.*

*Vtamur neceſſariis, & quæ ſuperſunt domus pauperibus,* Chryſoſt.

146\. Cum diues ille conſideraſſet agros ſuos & vidiſſet quod vberes fructus ei protulerint, cogitabat intraſſe dicens: *Quid faciam; quia non habeo quò congregem fructus meos? & dixit hoc faciam; deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi.* Luc. 12. num. 17. Statímque ſententia mortis contra eum profertur, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Quæro, quænam culpa appareat in hoc homine; ipſe enim vſque modo habebat horrea vt apertè ſupponitur in littera, in quibus recondebat ſuos fructus; ſi vero modo maiores prouentus nati ſunt, quod nam crimen, quod maiora horrea velit parare; vſque modo homo obtinebat repoſitoria ad colligendum, quæ ſibi erant neceſſaria: illa vero, quæ nunc condere intendit, ad ſuperflua abſcondenda parat; & quando homo neceſſarius ſibi vſus eſt proſpera fortuna illi accidit; cum vero ſuperflua cogitat recondere, ſtatim perit; non enim hæc illi dabantur ad colligendum, ſed vt ea pauperibus diſpergeret, vt inde in cœlis haberet theſauros. Euthymius: *Cum etiam de fructibus*, ait, *qui nuper culti erant partem erogare pauperibus oporteret; & ita locum facere etiam abunde patentem, hoc ille non cogitat, auaritia obtenebratus.* Theophylactus: *Habes horrea pauperum ventres, quæ multa capere poſſunt, quæque incorruptibilia ſunt, cæleſtia enim ſunt; non enim hæc ſe habere putabat ex Deo, alioquin, vt diſpenſator Dei aliter hæc diſpenſaſſet. Sibi nempe neceſſaria, ſuppeditantia pauperibus.*

Luc.12. *Damnatur diues quia præter neceſſaria, ſuperflua recondere cogitat.* Euthym. Theophyl.

147\. Apocal.2. Septem Angelis Aſiæ Epiſtolæ ſcribuntur Angelo Epheſi dicitur. *Habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Apocal. 2. num. 4. Epiſcopo vero Pergami mandatur. *Habeo aduerſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Ibidem n. 14. Angelo Thyatiræ ſcribitur: Habeo aduerſum te pauca, &c. ibidem num. 20. & ſic de aliis: ſtatim dubium pulſat animum, cur Epiſcopo Epheſi non dicitur. *Habeo aduerſum te pauca*, vt de aliis profertur cur mutatur ſtylus; & tantum pronunciatur: *Habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti:* Cur prætermittitur illud, *pauca?* ac ſi contra eum horribilia & tremenda habeat; quodnam tam grande crimen illius erat, *quod charitatem ſuam primam relinqueret:* Prima eius charitas erat charitas bene ordinata, qua ſolum ſibi neceſſariis contentus quieſcebat, quæ vero ſuperant, pauperibus erogabat, ab hac ergo charitate excedit, vt non ſolum neceſſaria, ſed etiam, quæ illi ſuperexcedebant, tanquam ſibi nata abſcondita apud ſe reponeret; ideo non pauca, ſed horrenda, ac terribilia contra eum pronunciantur. Aretas: *Accuſat autem*, ait *negligentiam circa neceſſaria ſubminiſtranda, quam ſuppeditationem mox reuocandam iubet. Prima inquiens: opera facito in iuſtitia; non enim, inquit, latet, quod charitatem erga indigentes contraxeris; cum ea ſcilicet, quæ tibi ſuppetant, pauperibus negaueris.*

*Valde deteſtabile præter neceſſarium retinere ſuperfluum.* Aret.

---

## QVÆSTIO XXI.

### *In his turbis paſcendis multò liberalior extitit Chriſtus Dominus quàm Moyſes in Manna adminiſtando?*

AIT Moyſes populo: *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum. Gomor per ſingula capita*, Exod.16.n.16. fecerúntque ſic filij Iſrael, *& qui non audierunt Moyſem, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* Sic ſe habuit Moyſes in diſtributione Manna, quod etiam Angelorū manibus confectum erat, vt dicitur Sapient. 16.n.20. At Chriſtus Dominus hic tanta abundantia turbas paſcit, vt duodecim cophini fragmentorum colligantur pleni. 148.

Exod.16. *Ratio difficultatis.* Sapient.16.

Multò liberalior Chriſtus in turbis paſcendis Moyſe Manna licet miniſterio Angelorum fieret, dabatur tamen quantum ſufficiebat, vt nihil ſuperflueret, itavt ſi aliquid per dies hebdomadæ ſeruaretur, euaneſcebat, dabatúrque per Gomor, quod menſuræ genus eſt; at Chriſtus Dominus ſine vlla menſura in multa largitur abundantia, itavt omnes ſaturati eſsēt; *ſaturati sūt omnes*; vtque ingentes fragmentorum cumuli ſupereſsēt, quæ in multū tēpus ſeruari valebant; vnde tanta differentia? Multa ſanè diuerſitas inter miniſtri manus, ac Domini manus, Mannâ licet à Deo daretur, & miniſterio Angelorum fieret, adminiſtrabatur tamen per manus Moyſis ſerui, ac adminiſtri licet fideliſſimi, tamen inde cum menſura dabatur, & quantum ſat erat; itavt nihil vtile ſupereſſet; *At Ieſus accepit panes in manibus, & diſtribuit diſcumbentibus*, vt ſupremus Dominus ſine vlla menſura cum multa abundantia, ac largitate dat, vt multa fragmenta in dies multos ſupereſſent. Pulchrè D. Baſilius Seleucus Orat.33. *De cælo Mannâ quondam Iſraëliticis dabatur, ſed quia miraculi adminiſter ſeruus erat, neceſſitati quoque donum ſeruiebat: Nunc autem profuſior, quam neceſſitas poſtularet, ſuppeditatio auctoris poteſtatem teſtatorem facit.* 149.

*Seruus dat per menſuram Dominus vero in multa abundantia.* D.Baſil.

In deſerto populus carnes appetiuit, quas Dominus in tanta abundantia illis conceſſit, vt cantat Regius Vates Pſalm. 77. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* Veniens parens meus Elias ad viduam Sareptanam ait illi 3.Reg.17.num.14. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Quid eſt, quod Deus largitur dona ſua veluti pluuiam, ac arenam maris, quæ numerari non poteſt: Elias autem per hydriam, & lecythum. Deus vt ſupremus Dominus veluti ingentes donorum imbres effudit ſupra omnem modum, & exigentiam, quæ viribus noſtris minutim numero ſuppeditari nequeunt. At Elias vt ſeruus, & miniſter per menſuram, quantum præſens neceſſitas poſtulat beneficiū diſpenſat. Citatus Diuus Baſilius Seleucus Orat. 33. *Elias*, ait, *hoſpitæ viduæ oleo perſuaſit; vt fontis inſtar flueret, & exiguus farinæ modius cum tempore non imminuebatur, ſed quantum in vſum naturæ abſumebatur, tantum gratia* 150.

Pſal.77. 3.Reg.17. *Seruus parcè, Dominus liberaliter donat.*

*refundebat*. Expende illud, *exiguus farinæ modius*. Et ſimul *quantum in vſum naturæ*.

151. Geneſ. 30. Meſopotaniæ multum locupletatur Iacob, habuítque multos greges, ſeruos, & ancillas; quod explicans Scriptura, ait, *Ditatúſque eſt homo vltra modum*. Geneſ. 30. num. 43. tam liberaliter diuina manus affluebat in Iacob, vt omnem conſuetum modum, ac menſuram hominum exceſſerit; aliter verò, & quam parce Ioſeph alimoniam Patri, ac fratribus ſuis partiebatur, *& alebat eos, omnémque domum patris ſui*. Geneſ. 47. num. 17. Septuaginta. *Triticum metiebatur Ioſeph Patri ſuo, & fratribus ſuis*. Dei manus abundanter vltra modum diffundit, ac largitur; parca autem Ioſeph manus iuxta neceſſitatem per menſuras, etiam Patri, ac fratribus neſcit ſe aliter extendere.

*Deus ſuprà modum, homo iuxta neceſſitatem dat.* Geneſ. 47. Septuag.

## Qvæstio XXII.

### *Quare Dominus mandat Apoſtolis colligere fragmenta, & non permittit vt turbæ ea ſecum deferant?*

152. Tolet. AD quæſtionem reſpondet primò Toletus in commentario. Sic habet; fragmenta in Cophinos duodecim colligi iuſſit Ieſus, & veriſimile eſt hæc fragmenta collecta, non eſſe omnia ea, quæ ex refectione ſuperfuerunt: multa enim ipſos comedentes ſibi reſeruaſſe in cibum futurum, ſiue in teſtimonium tanti miraculi, vt fieri ſolet, probabile eſt. Ex iis ergo, quæ relicta, collecta, fragmenta impleuerunt duodecim cophinos, quod Euangeliſta inſinuat dicens: *Quæ ſuperauerunt ijs qui manducauerunt*; id eſt, quæ reliquerunt manducantes, comederunt enim multa, multáque ſibi reſeruarunt, alia verò, vt ſolet fieri in multa abundantia, veluti per campos reliquerunt; & hæc ſentẽtia mihi etiam placet.

*Germana ratio ad literã.*

153. D. Chryſoſt. Secundò; & aliter videtur ſentire D. Chryſoſtomus homil. 41. in Ioan. *Quanam gratia*, ait, *non dedit turbis, vt ferrent, ſed diſcipulis? quoniam hos magis erudire volebat, qui totius orbis magiſtri erant futuri; & plurimam conſecuti ſunt vtilitatem. Erat autem, & hoc non parum ad Iudæ damnationem, qui cophinum portabat.* Non concedit Dominus, vt turbæ ferant fragmenta, eaque colligant, & ſi dicantur indignæ ad hoc officium, etiam inter Apoſtolos erat indigniſſimus Iudas, cur ergo hoc illis tantùm committitur? Panis ille, panis miraculorum erat, cum autem fructus miraculorum, Chriſti nempe diuinitatem, potentiam, ac virtutem agnoſcere, præcipuè Apoſtoli colligerent, apud eoſque maneret, æquiſſimè diſpoſuit Dominus, vt & ipſi in comparandis, ac ferendis fragmentis laborem, & onus ferrent; inde miſerrima Iudæ damnatio appareret, quod cum ipſe laboris cophinum aſportaret, illius tamen fructu omnino expers maneret.

*Qui colligit fructum, ferat, & laborem.*

154. D. Ambroſ. Tertiò, reſpondet D. Ambroſius lib. 6. in Lucam: *Non otioſè, ait, quæ turbæ ſuperſunt, à diſcipulis colliguntur, quia ea, quæ diuina ſunt apud electos facilius poſſis, quam apud populos reperire.* Panis ille, panis miraculoſus, diuinúmque panem, ac cœleſtia myſteria denotabat, non à turbis, ſed ab Apoſtolis vult Dominus colligi, & aſportari, vt hoc facto denotaretur, quod ea, quæ diuina, ac ſacra ſunt, non apud prophanos ſed apud ſpirituales viros, & probos, inuenies, ac reperies.

*Diuina ſolùm apud ſpirituales homines inuenies.*

155. Quintò, & moraliter in hac ſententia dico; mandat Dominus, vt Apoſtoli colligant fragmenta, aſportent, vt ſignificetur, quod ſic Dominus ſatiauit has turbas, vt ſemper ſecum habeat paratum panem, vt ſuis prouideat, eorúmque ſubleuet neceſſitates, indéque diſcamus, quod omnis noſtra cogitatio in eum tanquam communem prouiſorem ſit reponenda, ac iactanda.

*Chriſtus ſemper habet panem, vt ſuis prouideat.*

156. Exod. 25. Mandauit Deus Moyſi. *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in cõſpectu meo ſemper.* Exod. 25. num. 30. ad quid vult Deus, quod ſemper in menſa illa tabernaculi eſſent panes; quid denotatur in hoc; per menſam Dei prouidentiam ſignificari docent Philo lib. *Quis ſit hæres diuinarum rerum*; & lib. 3. de vita Moyſis, & D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Lyran. lib. 3. Reg. cap 7. Mandat Deus ergo, vt domus ſua ſemper in menſa habeat panes, oſtendens hac in re ſemper coram ſe panem habere, vt perpetuæ noſtræ indigentiæ ſubueniat, eíque opem in neceſſariis ferat. Oleaſter *voluit coram ſe ſemper panem habere, vt continuo noſtræ indigentiæ memor eſſet, quemadmodum pia mater fruſta panis ante ſe ponit, vt paruulis frequenter egentibus ſubueniat.* Expende ad rem præſentem; *fruſta panis ante ſe ponit.*

Philo. D. Thom. Lyran. *Deus noſtris neceſſitatibus ſubuenit.* Oleaſter.

## Qvæstio XXIII.

### *Quare Dominus mandat colligere fragmenta, ne pereant.*

157. RATIONEM literalem aſſignaui in expoſitione, quam ſcilicet tradunt communiter Patres, & commentatores: Hoc factum eſt ad maiorem miraculi euidentiam, & vt maximè eſſet defixum in hominum memoria. Secundò: aliquando iam dixi; quod Dominus mandat colligere, ac ſeruare, quæ ſuperfuerunt, non enim permiſit, vt panes conculcarentur, ac diſpergerentur, cum enim in ſubſidium, ac remedium populi conceſſi fuiſſent, non eſt paſſus, vt in materiam ingratitudinis caderent, ac deuenirent.

*Remedium non ſit ingratitudinis materia.*

158. D. Gaud. Tertiò, D. Gaudentius tract. 11. Aliàs primus de paralytico. *Iam quinque millium*, ait, *hominum famem quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus ſatiauerat, maiore miraculo conuiuium ſoluens. Amplior enim cibi appoſiti quantitate reliquiarum cumulus inuenitur, tot populorum famelicis cohortibus ſatiatis.* Expende illud, *maiore miraculo conuiuium ſoluens*. Quod nam maius miraculum eſt hoc, magnum ſanè miraculum extitit, quod ex quinque panibus, & duobus piſcibus tot millia hominum eſſent ſaturata; quomodo ergo poteſt eſſe maius miraculum, quod aliqua fragmenta ſupereſſent, & ab Apoſtolis colligerentur? Nullum ſanè maius miraculum moraliter loquendo, quam quod homines ſaturati deſiſtant à menſa, ac ea, quæ apud ſe habent, dimittant; homo enim quanto magis ſaturatus, tanto magis vult deglutire, ac apud ſe retinere: ergo quod homo ſaturatus à menſa ſuperſedeat, ac panem, quem inter manus habebat, dimittat, maius videtur miraculum aliqualiter, quam ex quinque panibus, quinque millium ſaturatio.

*Mirabile quod homo ſaturatus dimittat, quæ habet.*

Quartò,



159. Antioch. Quartò, Victor Antiochen. in cap. 6. Marci. *Hactenus*, ait, *tantum benefactoris munere vſi ſunt conuiuæ, quatenus neceſſitas poſtulabat; nam etſi magna reliquiarum vis ſuperfuiſſet, nihil tamen inde ſecum aſportarunt. Admonemur autem exemplo hoc percommodè rerum vſum ex neceſſitate ſpectandum, & metiendum eſſe; nihil autem vnquam grauiori neceſſitate ſecluſa propter habendi ſtudium ſubducendum.* In tam magnifico conuiuio cur turbæ relinquunt fragmenta, & non potius illa ſeruant, vt in poſterum abundent; hoc ex Ieſu habitu proueniebat, cum enim è manu Dei ſufficientia accepiſſent, illis contenti ſunt, & ad vlteriora manus non extendunt, vt inde diſcamus, quod in deſerto vitæ huius ſuperflua nec requirenda, nec aſportanda, ſed omnino dimittenda eſſe.

*Benis huius mundi vtendum ad neceſſitatem, & non ad ſuperfluitatem.*

160. Pſalm. 65. De Iuſtis canit Regius Vates. *In flumine pertranſibunt pede*: Pſalm. 65. num. 6. Nunquid Iuſtus claudus eſt, vt vnus tantum in eo pes notetur, cum in peccatoribus duo pedes ſcribantur; *veloces pedes* eorum ad effundendum ſanguinem. Pſ. 13. num. 3. Cur Iuſtus ergo duplici pede non tranſuadit flumen; pes affectum denotat; flumen mundialia denotat, vt docent D. Auguſtinus Hugo, & alij? Iuſtus vno tantum pede mundialia tangit, quo ſibi velit neceſſaria; iniquus vero duplici pede quo appetit neceſſaria ſibi, & ſuperflua, quæ voluptati inſeruiunt. Hugo dicit: *pede in ſingulari*, ait, *quia vnum tantum pedem debemus mergere in aquis huius fluminis, vt ſumamus de rebus tranſitoriis tantum ad neceſſitatem & non ad voluptatem: Hoc autem flumen pertranſeunt mali duobus pedibus, quia accipiunt bona tranſitoria, & ad neceſſitatem & ad voluptatem.*

Pſalm. 13. D. Aug. Hugo. *Iuſtus neceſſaria, & non ſuperflua quærit.* Hugo.

161. Vehementi carnium deſiderio æſtuabat populus dicens: *Quis dabit ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto, in mentem veniunt cucumeres, & pepones*, &c. Num. 11. num. 4. In quo grandi peccato peccauit Iſraël vt patet ex litera; & tamen pro populo non orat Moyſes. Sed cur Moyſes, vt meritò dubitat Burgenſis ibi addition. 4. qui communiter in aliis exceſſibus populi miſericorditer ſe habebat in tantum, quod in peccato vituli petebat deleri à Deo niſi ei parceretur. Exod. 32. num. 32. Etiam pro murmuratoribus orauit, & ceſſauit ignis. Num. 16. num. 46. In hoc tamen euentu non ſe conuertit ad orandum ad Deum pro populo, ſed ſolum ad ſubtrahendum ſe à regimine populi dicens. *Non poſſum ſolus ſuſtinere pondus populi huius*, &c. Populus in præſenti habebat cibum continuum, & ſalubrem, ac ſuauiſſimum, ſcilicet Manna, & tamen per concupiſcentiam illa ſuperflua cibaria deſiderabat, vnde & locus ille dictus eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ*; tam execrandum, ac horribile peccatum præter neceſſarium ſuperfluum appetere, vt Moyſes, qui in grauiſſimis ſceleribus pro populo exorauit; hic tamen horrori tanti peccati pertæſus orationem prætermittit, & minimè fundit, ſed totus, vt à ſe regimen excutiat, ſermonem dirigit. Burgẽſis, Moyſes, ait non orauit pro placanda ira Dei accenſa contra eos, qui ſuperflua deſiderauerant, nempe carnes, quando, ſufficiens cibus aderat. Vide ſupra.

Num. 11. Burgenſ. Exod. 32. Num. 16. *Grande nefas velle ſuperfluum.* Burgenſ.

*Ioan. 6. n. 13.* Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, qui ſuperfuerunt his, qui manducauerant.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Qui ſuperfuerunt his, qui comederant ex quinque panibus hordeaceis.

*Arias.* Qui ſuperfuerunt comedentibus.

*Pagnin. Caiet.* Duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus.

### Alter Textvs.

*Matth. 14. n. 20.* Et tulerũt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.

*Num. 21.* Manducantium autẽ fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.

*Marc. 6. n. 43.* Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.

*Lucæ 9. n. 17.* Et ſublatum eſt, quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

### *Expositio XI.*

162. PROMPTA obedientia Apoſtoli exequuntur, quæ eis à Domino mandantur. *Collegerunt, & impleuerunt duodecim cophinos.* In hoc conuiuio maximè omnia abundarunt; nam, vt ait Diuus Cyrillus Alexand. *Conuiuij princeps fidelium Chriſtus eſt.* Cum enim Chriſtus ibi adeſſet, valde conſequens extitit, vt ibi multa ſuperabundantia interueniret. *Duodecim cophinos*, id eſt, carbones, quos ad portanda ſibi neceſſaria turba multos deferebat; *Ex quinque panibus hordeaceis*: D. vero Marcus; explicat etiam: *Et de piſcibus.* Hæc autem fragmenta D. Matthæus *reliquias* appellat.

D. Cyril. D. Marc.

## Qvæstio XXIV.

### *Quare Euangeliſtæ de cophinis faciunt mentionem, & vnde hîc habiti fuerint?*

163. COPHINVS vox eſt Græca, qua omnes Euangeliſtæ vtuntur. Et Latinè propriè ſignifi

*Quid ſit cophinus.*

ſignificat corbos ex viminibus contextos; fuerúntque cophini ab olim valdè familiares Iudæis, vt conſtat ex Iuuenal. Satyra 3. & 6. Illíſque præcipuè vtebantur pauperes foris agentes, in eiſque neceſſaria reportabant; vnde liquet cophinum tantæ capacitatis eſſe, vt caperet tantum, quantum manus, vel brachium viri, ſcilicet Iudæi deferre valebat.

164. *D. Ambr.* Pulchrè D. Ambroſius lib. 6. in Lucam. *Qua ratione*, ait, *cophinos duodecim Chriſtus impleuit, niſi illud populi Iudaici ſoluerent, quia manus eius in cophino ſeruierunt.* Pſalm. 80. *Hoc eſt populus, qui antea lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Chriſti vitæ cœleſtis operatur alimoniam.* In Ægypto Iſraëlitæ cophino ſeruierunt Pharaoni, hoc eſt mundo; in cophino, & obſequia dant Apoſtoli Chriſto Domino: ſeruientes Pharaoni, ac mundo lutum, ſudorem, ac laborem colligunt, ſeruientes verò Chriſto cœleſtem alimoniam reportant: O quantum ſuperat Chriſti obſequium omnem mundi ſeruitutem. Seruitur in mundo Principibus, ac Magnatibus, quid inde habes, niſi lutum, & ſudorem ieiuniis, vigiliis, cum multò vitæ, ac ſanguinis diſcrimine circundatum; ſi verò Chriſto ſeruies, inuenies dulciſſimum panem miro ſapore repletum, qui te reficiet in vitam æternam. Perpende iterum verba S. Doctor. *Hic iam per crucem Chriſti vitæ cœleſtis operatur alimoniam.* Sub ſigno crucis tantùm locupletamur, vt vbi erat ſeruitutis lutum, ibi cœleſtis alimonia abundanter inueniatur.

*Seruitus mūdi preſſura, ſeruitus verò Chriſti dulcedo, & refectio.*

*Sub ſigno crucis pelluntur mala, habetur vita.*

165. Secunda quæſtionis pars inquirit, vnde huiuſmodi cophini habiti fuerint in deſerto, ad quod iam data eſt germana ſolutio in expoſitione, ac limine quæſtionis: nam in turba illa Iudaica multi erant cophini, quos illi homines aſportabant ad deferenda ſibi neceſſaria.

*Vnde cophini fuerint habiti.*

166. Moraliter tamen dicam. Deſertus erat ille locus, & tamen ſolùm reperti fuerunt quinque panes, & duo piſces, vnde ergo tot cophini habiti ſunt? O quanti extant homines, qui ad dandum nec vnam habent manum, ad accipiendum verò triginta manus paratas exhibent; in tota turba illa ad præbendum ſolùm quinque panes inueniebantur, ad accipiendum verò duodecim cophini prompti, ac parati reperiuntur. Cum Chriſtus Dominus peteret aquam à Samaritana, illa ſe excuſans ait: *Domine, neque tu quo haurias, habes.* Ioan. 4. num. 11. Ac ſi diceret mulier, Domine, non eſt hic vaſculum, per quod aquam propinare valeas; cum autem Chriſtus ei reſpondiſſet, quod ſi illa eum agnouiſſet, aquam ab eo petiſſet, vt non ſitiret in æternum; tunc mulier celeriter, ait: *Domine da mihi hanc aquam.* Quod carnaliter mulier accipiebat, vt ait D. Auguſtinus tract. 15. in Ioan. *Putabat hoc ſecundum carnem ſibi eſſe promiſſum à Domino.* Mulier modò non habebat vas ad parum aquæ exhibendum Chriſto, & iam habet, in quo multam appetit excipere: Hæc eſt hominum conditio, quod ad munuſculum aliquod concedendum, nec parum quid vendicant, at verò ad ſibi aſſumendum larga, & lata receptacula offerunt, ac exhibent.

*Ioan. 4.*

*D. Auguſt.*

*Homines non habent manus ad dandum, ſed ad accipiendum.*

***

## QVÆSTIO XXV.

### *Quare duodecim cophini tantùm colliguntur, & non plures, nec pauciores, etiam pro puero, qui habebat panes, & piſces?*

167. COMMVNIS eſt ſententia, vt ſtatim dicam; quod duodecim fuerunt cophini pleni propter duodecim Apoſtolos; dubitabis tamen, cur etiam pro puero, qui panes, & piſces habebat, ſuus cophinus plenus non ſuperſit? Dixi ego aliquando ei in præmium eſſe datum; panes, & piſces pro bono communi, ac ſaturitate tot millium hominum portare, ac exhibere; nullus enim maior honos, ac decus, quam pro bono communi ſtare, ac ſuffragari. *Vbi multæ ſunt opes, multi, qui comedunt illas; & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis.* Eccleſ. 5. num. 10. Lectio Veneta transfert. *Et quid gratius eſſe poterit Domino eius, quam videre hoc ipſum oculis ſuis.* Tanquam quod nil gratius ei accidere valeat, vt ſi de mercede quæras, quam reportabit Dominus portantis largiendis opibus ad comedendum, nulla ſanè maior, quam aliis tantùm diffundere ad alimoniam. Vt dixit Caſſiodorus lib. 3. variar. *Si regno proficis, nulla tibi maior gloria.*

*Magna gloria pro bono communi dare.*

*Eccleſ. 5.*

*Lect. Venet.*

*Caſſiodor.*

168. Duodecim fuerunt cophini propter duodecim Apoſtolos, tum quia illi panes, & piſces erant Apoſtolorum, per eleemoſynam comparati, tum etiam ob miniſterium, & myſterium, vt iam dicam. Et ad literam Maldonatus, & Cornelius in cap. 14. Matth. ita rem explicaut. Veriſimile eſt Chriſtum primò quinque panes manibus ſuis fregiſſe, & frangendo multiplicaſſe, ac eos in hos cophinos diſtribuiſſe, qui deinde eius iuſſu dum ab Apoſtolis per contubernia in turbas diſtribuerentur ſenſim magis, ac magis multiplicabantur, quare tot cophinos fragmentorum ad Chriſtum ex collectis fragmentis retulerunt quot cophinos panum ab eo primò acceperunt.

*Maldonat. Cornel.*

*Apoſtoli tot cophinos reddunt, quot acceperunt.*

169. *D. Chryſoſt.* Secundò ait D. Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. *Duodecim corbones abundarunt, vt Iudas etiam corbonem portaret.* Duodecim ſuperfuerunt cophini propter duodecim Apoſtolos, vt etiam Iudas, quamuis indignus ſuum cophinum portaret, ne illo denegato, publicus peccator fieret, ac impudentior euaderet; tum etiam, quia panis ille typus erat ſacræ Euchariſtiæ, vt multoties dixi, vt denotaretur, quod aliquando permittitur, vt cœleſtis panis ab indignis ſumatur.

*Iudas ſuum reportat cophinum.*

170. *D. Baſil.* Tertiò, D. Baſilius Seleucus orat. 33. *Pari cum Apoſtolis*, ait, *numero ſunt cophini: vt ſinguli ſingulos baiulando, laborem miraculi teſtem ſubeant, humerúſque dum teritur, rei geſtæ ſenſum ingerat, & memoria fatigatione conſeruetur.* Maximè Dominus prouidit, vt nullus eſſet Apoſtolus cophino vacuus, ſed vt quilibet ſuum impleſſet, ac portaret; nil magis tenacius memoria tenetur, quam id, quod labore comparatur, nilque magis ab homine æſtimatur, quam id, quod ſudore acquiritur, vt pro illo non recuſet homo in publicum ſtare, & exire. Cum valdè ferina ſit hominum conditio, vt citò beneficium à memoria eliminet; diſpoſuit Dominus, vt Apoſtoli laborarent

*Homo vt ingratus indiget excitatore beneficij.*



rent in cophinis implendis, ac portandis, vt ipſe labor memoriam excitaret, ac refricaret in perennem tanti miraculi recordationem. Sic ſubdit ipſe Seleucus. *Quod videlicet ejus quotidianus, dum notitiam repetit, memoriam excitaret.* Tum etiam vt ex labore in hoc negotio impenſo magnam miraculi æſtimationem conciperent, quæ enim fatigatione parturiuntur, alta, & magna reputantur æſtimatione.

*Quæ labore comparātur, magni æſtimantur.*

171. *D. Cyril.* Quartò, D. Cyrillus Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 18. *Liberalitas nobis*, ait, *hoc miraculo commendatur, & quaſi magna voce dicitur: quanto plura dabis liberaliter, ac miſericorditer, tanto tibi plura largius confluent.* Apoſtoli quinque panes, & duos piſces pro tota illa ingenti multitudine virorum, ac mulierum, & puerorum præſtiterunt, duodecim vero cophinos fragmentorum recipiunt, nulla enim magis creſcunt dona, quàm largitione egenis facta. D. Baſilius homil. in diuite Auar. *Quemadmodum*, ait, *frumentum in terram cadens lucrum proijcienti parit, ſic & panis in eſurientem proiectus multam in poſterum tibi reddet vtilitatem.*

*Quæ egenis dantur, duplicata recipiuntur.*

*D. Baſil.*

172. *Vict. Antioc.* Quintò, Victor Antioch. in cap 6. Marc. *Quin illis quoque*, ait, *benignè per hoc miraculum factum eſt, qui operam ſuam ad illud in medium contulerant: nam quod Domino in communem vſum impenderant, hoc ſumma liberalitate, & beneficentia compenſatum accipiunt.* Pro bono communi Apoſtoli quinque panes, & duos piſces exhibuerunt, & tamen duodecim cophinos reliquiis plenos reportant, quæ enim pro bono communi diſtribuuntur, luculenter ſuum poſſeſſorem replent.

*Quæ pro bono cōmuni das, aucta recipis.*

173. Vehementi deſiderio aquæ ciſternæ Bethlehem flagrabat Dauid. *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem: ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino.* 2. Reg. cap. 23. num. 16. Hi tamen tres fortiſſimi viri nullo dono à rege donati ſunt, aliter tamen factum eſt cum filiis Berzellai; *Cum enim Dauid fugeret à facie Abſalon, obtulerunt ei frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, dederúntque Dauid, & populo, qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt populum fame, & ſiti fatigari in deſerto.* 2. Reg. 17. num. 29. Quod tam gratum fuit regi, vt ipſe moriens in teſtamento filio Salomoni mandauerit: *Filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, erúntque comedentes in menſa tua, occurrerunt enim mihi, &c.* Berzellai valde ſecurus occurrit in deſerto Dauidi. tres illi milites multo vitæ diſcrimine inimicorum caſtra irruperunt; cur ergo tanto munere afficit filios Berzellai, vt inter conuiuas menſæ regis reponantur, cum tamen tres illi fortes milites pro ingenti facto nullo inſigniti ſint dono, ſi ergo illi præ depellenda fame tanto honore nobilitantur, cur non etiam hi pro ſedanda ſiti milites pro particulari regis ſiti extinguenda laborarunt, Berzellai vero pro fame populi ſubuenienda venit; *Suſpicati enim ſunt populum fame, & ſiti fatigari in deſerto.* Cum autem hic panis pro communi populi bono eſſet oblatus, non potuit multiplicis fructus, & honoris expers euadere, ſed attulit copioſum, & magnum prouentum.

*2. Reg. 23.*

*2. Reg. 17.*

*Quæ pro bono cōmuni ſunt, magnum augmentum recipiunt.*

174. Ab hoc Euangelio non diſcedo. Ait ſtatim Euangeliſta. *Ieſus ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Ob quinque mille homines paſtos Chriſtum regem acclamare volunt; merito dubitat D. Baſilius Seleucus Orat. 33. Cur Eliam ſaltem in Sarepta regem non creant conciues, cum viderent eius verbo farinam, & oleum augeri; *Nunquam*, ait, *vt Dominus honoratus eſt*, ſcilicet Elias; cur ergo panibus adauctis regem Chriſtum ſalutare cupiunt; miraculum perpetrabat Elias in vnius domus vtilitatem, Chriſtus autem vniuerſo populo proficiebat; dona autem, quæ pro tota communitate diffunduntur, in tam ſublime euehuntur, vt regnum, & amplum regnum promereantur.

*Seleuc.*

*Plus laudis acquiritur benefaciens populo, quam vni homini.*

175. Moritur Moyſes, & Dominus *ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diē.* Deuteronom. 34. num. 6. Abſconditur corpus Moyſis, ne homines idololatriē cultu ipſum adorarent; hoc tamen potius videbatur cauendum, quando ipſe conſtitutus eſt Deus Pharaonis, *Conſtituo te Deum Pharaonis.* Exod. 7. num. 1. Ex hac poteſtate facta multam virtutem in Elementis, aëre, terra, & aquis oſtendebat, at vero quando moritur, mors ipſa eius miſerrimam conditionem indicebat, ad quid tunc huiuſmodi cautio adhibetur, vt corpus abditis terræ viſceribus occultetur. Quando Moyſes Pharaonis Deus conſtituitur, vnius tantum Deus proponebatur; at quando moritur totius populi præclarus benefactor extiterat educens Iſraëlem de Ægypto, ac per deſertum reducens: cultui autem ac adorationi dignior eſt habitus proficiens vniuerſo populo, quam cum vnius tantum Deus creatus eſt.

*Deuter. 34.*

*Exod. 7.*

*Propinquus adorationi, qui reipublicæ proficit.*

*Ioan. 6. n. 14.* Illi ergo homines, cum vidiſſent, quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Verè hic eſt Propheta ille, qui venturus eſt in mundum.

### *EXPOSITIO XII.*

ILLI *ergo homines*; illa particula, *ergo*, illatiua eſt, veluti ex ingenti Chriſti benignitate, qua tanto edito miraculo tot millia hominum paſtus tanquam per bonam conſequentiam illi homines inducti, ac illuminati ſunt, vt Chriſtum confiterentur, *Verè Prophetam.* Euthym. *Cum autem impleti ſunt, tunc hunc eſſe prophetam dixerunt, qui ex Moyſis promiſſione ab eis expectabatur.* Cognitus fuit Chriſtus Propheta, ac rex promiſſus à Deo ex ſaturitate ſubditis præſtita. *Qui venturus eſt in mundum.* Græcus habet, *ille, qui venturus*, prædictus eſt à Moyſe Deuteron. 18. num. 15. Et à populo Iudaico expectabatur, & ob publicam Moyſis lectionem valde notiſſimus erat; adhuc ad mores preme verbum. De Chriſto præſenti loquuntur, & illum tanquam futurum, & abſentem dicunt, *qui venturus*, quod fortè aſtruunt ex magna Chriſti æſtimatione, quam ex miraculo conceperunt; præſentia ſæpè parui, abſentia vero magni appendun- 176.

*Euthym.*

*Deuter. 18.*

tur;

*Præſentia cõtemnimus, abſentia veneramur.*

tur; ita ergo illi homines Chriſtum vident præſentem, vt ob venerationem, abſentem, & venturum prædicent, reuera exiſtentia præſens, æſtimatione verò, vt futurus, ac abſens venerabatur.

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare pro pane hîc exhibito tot acclamationes Chriſto faciunt turbæ, auditis tamen verbis de cœleſti pane murmurant Iudæi?*

177. CVM populus agnouiſſet eximiam Chriſti virtutem, quod ſcilicet quinque panibus tot millia hominum ſatiaſſet, magnis acclamationibus ipſum dicunt, Prophetam, Sacerdotem, ac regem, omnia hæc de illo prophetæ promiſſo credebantur in populo; tamen cum Chriſtus Dominus ſe verum panem de cælo eſſe atteſtaretur, vt refert Ioan. hoc cap. 6. num. 41.

Ioan. 6. *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet, ego ſum panis, qui de cælo deſcendi; & dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem.* Cur ergo ob oſtenſionem cœleſtis panis tam aduerſo animo ſe habent in Chriſtum, vt ad de illo detrahendum, ad parentum humilitatem conuertant ſermonem, cùm tamen in noſtro caſu ob acceptum materialem panem, ipſum vt regem venerantur, ac adorant.

*Ratio diffi cultatis.*

178. D. Chryſoſt. Reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 44. in Ioan. *Qui cum comederent*, ait, *panem, Prophetam Ieſum appellabant, & regem facere volebant, hoc in loco indignati, fabri filium dicunt: & quidem videbantur indignari, quia de cælis deſcendiſſe diceret, non tamen hæc erat cauſa, ſed quod corpus non paſceret!* Et paucis interpoſitis, ſubdit. *Cum audirent non amplius edendum, incredulitatis prætextum inuenerunt, quod altius loqueretur.* Maximè rapitur homo terrenorum affectu, cum corporali pane reficiantur, Chriſtum venerantur, & adorant; cum autem de cœleſti pane verba percipiunt, illis offenduntur, Chriſtum contemnunt, ac aduerſus illum multas calumnias parant; vide ſuprà cap. 9. num. 73. & 74. & cap. 13. n. 94. & cap. 29. num. 99. & aliis in locis.

*Homines plus æſtimãt temporalia, quã ſpiritualia.*

179. Secundò, turbæ, vt benè affectæ Chriſti virtutem honorant, & colunt, Iudæi vt maligni, ac ingrati tanto beneficio obdurantur, multas detractiones contra Chriſtum parant. Tertiò, in præſenti panis iam erat exhibitus; at cœleſtis panis tantùm promittebatur, & magis aſtringuntur, ac alliciuntur homines donis datis, quam multis promiſſionibus futuris.

*Plus æſtimãtur dona data, quam promiſſiones futuræ.*

180. Geneſ. 49. Benedicens Iacob filios ſuos, ait Iuda: *Te laudabunt fratres tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens, accubuiſti vt Leo.* Geneſ. 49. num. 9. Poſtea verò deueniens ad alterum filium ſuum Aſer, ait illi: *Aſer panis pinguis, & præbebit delicias regibus.* ibid. num. 20. De commendatione tamen à fratribus habenda: nec verbum illi dicitur, ſi Aſer pane pingui repletur, quo ingentes ſuauitates, ac deliciæ regibus pronuntiantur, cur etiam laudibus non celebratur à fratribus vt Iuda. In Iuda magnalia illa, vt iam exhibita conſiderantur; *ad prædam fili mi aſcendiſti*, liberato populo inſigni victoria, quam ab hoſtibus reportaui; *requieſcens accubuiſti vt Leo*, magna pace, ac indulgentia data; at in Aſer ſuauitates, & deliciæ in futurum promittuntur; *præbebit delicias regibus*, & multò magis laudibus extolluntur beneficia iam conceſſa, quam illa quæ in futuro, ac ſpe præuidebantur. Vide ſuprà cap. 13. num. 95. 96. & 97.

*Magis celebrantur dona data, quam ſpes futura.*

| | |
|---|---|
| *Ioan. 6. n. 15.* | Ieſus ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, ac facerent regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Cognouit verò eos venturos ad corripiendum eum, vt ipſum facerent regem, & ſubduxit ſeſe in montem illum ſolus. |
| *D. Auguſtinus tract. 25. in Ioan.* | Ieſus ergo cum vidiſſet, quia venerant vt raperent eum. |
| *Tertull. lib. de Idol. c. 18.* | Regem ſe fieri, conſcius ſui regni, refugit. |
| *Euthym. Pagn.* | Seque rapturi, vt crearent ipſum regem rurſum ſeceſſit in montem ipſe ſolus. |

### ALTER TEXTVS.

| | |
|---|---|
| *Matth. 14. n. 22.* | Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. |
| *Num. 23.* | Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. |
| *Marc. 6. n. 45.* | Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere in nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, donec ipſe dimitteret populum. |
| *Num. 46.* | Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare. |

## *EXPOSITIO XIII.*

IESVS *ergo cum cognouiſſet*, vt Deus, vnde explicatius ponit D. Auguſt. cum vidiſſet, *quia venturi eſſent*, iam enim id apud ſe firmo, & reſoluto animo ſtatuerant, vel grato animo, vel ſaturitate gulæ impulſi, vt vult D. Chryſoſt. homil. 41. *Vt raperent eum.* Quod vim quandam ſignificat, erat enim Chriſtus Dominus honoribus tam contrarius, vt non ſolùm illos non affectaret, ſed etiam ad eos non niſi vi trahendus, 181. D. Auguſt.

D. Chryſoſt. *Chriſtus ad honores inuitus.*



trahendus, ac rapiendus videretur, quod turbæ non ignorarunt, vnde regnum illi non offerunt, ſed eum inuitum regem creare determinant. *Fugit iterum*: Hoc eſt ſeceſſit, ſeu ſubduxit ſe clamoribus populi, *iterum*, vt enim Ioannes ait initio capitis. *Subijt in montem*: A quo ad turbas paſcendas deſcendit, quem montem etiam nunc Chriſtus repetit; *In montem.* Moraliter, qui enim honores fugit in altum montem ſe ſubleuat.

*Qui honores contemnit, in altũ fertur.*

182. D. Matth. & Marc. Omittit hic Ioannes aliqua, quæ Matthæus, & Marcus narrant, quod ſcilicet cum cognouiſſet Chriſtus, quod illi homines venturi eſſent, vt facerent regem, ſtatim *compulit*, ſeu *coëgit* diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum. Et addit Marcus *ad Bethſaidam.* Dum ipſe turbas dimitteret; dimiſſis autem turbis, cum iterum ipſæ turbæ eximiam Chriſti virtutem conſideraſſent, vt ait Euthymius; & decreuiſſent reuerti, vt eum raperent, & facerent regem; eorum reſolutionem Chriſtus agnoſcens, & eorum cogitationes præueniens, tunc fugit in montem, & ſolus erat; docens, quod ad orandum, ſequeſtrandus eſt animus à turbis, & quod dum fugimus honores, ad orationem confugiendum, ne illorum affectu concutiamur. Interlineal. *Docens proſpera mundi fugere, & contra ea orare.*

Euthym.

Interlin.

## QVÆSTIO XXVII.

### *Quare Chriſtus Dominus fugit in montem?*

183. D. Matth. D. Marc. D. Aug. CAVSAM huius rei aſſignant D. Matth. & Marcus, vt ſcilicet Chriſtus Dominus oraret, Ioannes vero ne rex à turbis fieret; non enim, vt ait D. Auguſtinus tract. 25. in Ioan. talis erat rex, qui ab hominibus fieret, ſed talis rex, qui hominibus regnum daret.

184. D. Chryſoſt. Secundò, etiam ad mores D. Chryſoſtom. homil. 41. in Ioan. ait, *Proh quanta gulæ vis, quam mutabilis ſententia, iam non amplius calumniantur, nec Sabbati tranſgreſſionem curant, neque Dei zelo mouentur, omnes has curas pleno ventre abiecerunt, propheta erat, regem volebant, Chriſtus autem fugit.* In quam varias ſententias gula mutat animum, quantáſque varietates guloſi ſubeunt, omnia, quæ antea apponebant, prætermittunt, & regem Chriſtum facere volebant, ipſe autem fugit in montem; Reges enim, ac Prælati à ſobriis electoribus, cum magna prudentia, ac iudicio ſunt eligendi. Pſalm. 111. num. 4. *Diſponet ſermones ſuos in iudicio.* Et Seneca ad finem libri primi de beneficiis ait. *Non eſt beneficium cui deeſt pars optima, datum eſſe iudicio.*

*Iudicio omnia diſponenda.* Pſalm. 111. Senec.

185. D. Greg. Tertiò, D. Gregorius 1. par. Paſto. cap. 3. *Hæc breuiter*, inquit, *diximus, vt quantum ſit pondus regiminis monſtraremus: ne tentare ſacra regimina, quiſquis his impar eſt, audeat; & per concupiſcentiam culminis, ducatum ſuſcipiat perditionis. Hinc Iacobus prohibet.* cap. 3. Nolite plures magiſtri fieri fratres mei. *Hinc ipſe Dei, hominúmque mediator regnum præcipuè vitauit in terra, qui ſupernorum quoque ſpirituum ſcientiam, ſenſúmque tranſcendens, ante ſæcula regnat in cælis.* Fugit Diuinus Magiſter, vt nos ab ipſo diſcamus honores, ac prælaturas fugere, cum ipſe omnium Dominus, qui ſuper omnem principatum regnat in cælis: illas in terris fugerit.

*Ab honoribus fugiendum.*

Quartò, Beda in cap. 6. Marc. *Minus periculoſum eſt*, ait, *in his, quæ rectè agimus, aduerſantium nos improbitate fatigari, quàm honorum fauore demulceri; fauor enim ſæpè ſecuriorem corrumpit animum: aduerſantium improbitas circumſpectum ſæpè reddit, & cautum.* Non ſolum honores, ſed etiam blandientium voces, quibus acclamabatur fugiendas, nos Dominus hîc docet. Quintò, Gloſſa. Fugit Chriſtus; *ſignificare volens, quod altitudo eius non poteſt intelligi*, ſed omnem noſtrum captum ſuperat, & tranſcendit. 186. Beda.

*Fauſtæ acclamationes fugiendæ.* Gloſſ.

Sextò, D. Gregorius citatus. *Exemplum*, ait, *ſe ſequentibus præbens Chriſtus, ad crucis patibulum ſponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetit. Vt membra eius diſcerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere.* Præclarum exemplum nobis præbet Chriſtus Dominus: libenter quidem impoſitam ſibi crucem baiulabat. Ioan. 19. numer. 15. vt demonſtraret, crucem nobis libenter amplectendam, in qua ſpirituales fructus feliciter proueniunt; regnum vero humiliter deſerendum, in quo amplæ bonorum ſpiritualium meſſes exareſcunt. 187. D. Greg.

*Crux amplectenda, honor fugiendus.*

Septimò, D. Bernard. ſerm. 3. in Ramis Palmarum: *Sanè*, ait, *venturas aliquando turbas, vt raperent, & eum regem facerent, fugiens legitur declinaſſe: nunc vero etiam non quæſitus affuit, vt tanquam rex Iſrael ſuſciperetur, & prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipſa præconia eorum animos excitauit. Et hæc quidem præparatio ad paſſionem fuit, excitata hinc maxima inuidia ſacerdotum.* Prope Paſcha ingreditur Ieſus iumento Ieroſolymam, multis ſciſſis ramis proſternebantur veſtes, quæ veluti regalem apparatum indicabant, voces reſonabant: *Benedictus, qui venit rex in nomine Domini.* Luc. 19. num. 38. Imò potius illa ad tales acclamationes videbantur homines excitare. Cur ergo in ingreſſu Ieruſalem, ab hominibus amat rex proclamari; hîc vero in montem fugit, ne rapiant eum, & faciant regem. In introitu Ieruſalem non recuſat regium nomen, ac ſplendorem, cum iam in propinquo eſſet mors, & paſſio eius, vt inde diſcant omnes magnates, regio decori valde affine, ac proximum eſſe vitæ, ac ſanguinis diſcrimen. 188. D. Bernard. Luc 19.

*Regis corona morti, ac ſanguini propinqua.*

Octauò, fugit hîc Chriſtus regium nomen, & tamen in cruce regis titulus ei ponitur, & affigitur. *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum.* Ioan. 19. num. 18. Vt inde perpetuo omnium gentium ore rex decantetur, ac celebretur. Ibi enim pro ſuis vitam effundebat, & mortem obibat. Imò pondera, quod natus dicitur rex: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum.* Matth. 2. num. 2. Non tamen titulus ibi affigitur. In introitu Ieruſalem rex acclamatur. Matth. 21. num. 5. non tamen titulus ei affigitur; at in cruce affigitur, vt inde perpetuò duret, ac perſeueret, & ab omnibus gentibus celebretur: *Dominus regnauit*; in cruce pro omnium ſalute Chriſtus vitam exhalabat, & cum rex pro ſuorum vita propriam diffundit, tunc maior honor, & gloria ei referendus, ac tribuendus eſt. 189. Ioan. 19. Matth. 2. Matth. 21.

*Cum vita pro ſubditis funditur, tũc regis corona affigitur.*

Nonò, à regio nomine, ac regio titulo fugit Chriſtus in montem, vt inde celſitudo, ac magnitudo huius operis, cunctis innoteſcat, & appareat. Retributionis ſpes operis magnificentiam minuit, & ex tenuat; ne aliquis ergo ſiniſtre ſuſpicaretur, quod ex aliquo acclamationis, ac honoris ambitu miraculum eſſet editum omni humano applauſu contempto recedit, ac fugit Chriſtus, 190.

*Operis magnificentia, ſi fiat ſine mercedis intuitu.*

ſtus, vt talis ſuſpicio ſit amputata, & cunctis manifeſtum, quod non ex honoris affectu, ſed ex pietatis impulſu fameſcentibus turbis ſubuenit opulenter Dominus.

192. Luc.7. Matth.26.
Dupliciter Magdalena pretioſo vnguento ſacratiſſimum corpus Chriſti perunxit. Semel in domo Phariſæi. Luc. 7. n. 37. Et iterum prope Redemptoris paſſionem, in quo multo maiori encomio, quam antea celebratur. *Ad ſepeliendum me fecit: Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matth. 26. n. 12. Cur in hoc ſecundo euentu plus laudis promeretur? Imò prima vice maximè extollenda videbatur, tunc enim toto affectu ægra cucurrerat ad medicum veniam peccatorum quærens. Imò ex hoc maioribus encomiis toto orbe prædicandis in Bethania illuſtratur; apud Lucam perſonam quærentis, ac affectantis veniam peccatorum gerebat mulier; at apud Matthæum, amoris impulſum, *ad ſepeliendum me fecit*, vt illud obſequium Dominicæ ſepulturæ præſtaret, ducitur mulier, & ſi operis magnitudinem mercedis ſpes minuit, ipſum tamen opus maximè amoris affectus extollit, & euehit; & hunc aduoco Victor. Antioch. in cap.14. Marc. *Hoc*, ait, *vniuerſus terrarum orbis cogniturus eſt, quoniam mente pia, ferventi fide factum eſt: non enim tam propter impenſas gratum fuit, quam propter fidem, quam ſimul cum vnguento obtulit.*

*Amoris affectus ſine ſpe mercedis, extollit opus.* Antioch.

193. Matth. 25.
In vltima die iudicij mercedem regni tribuens Dominus ſuis electis; dicet. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes, Domine quando te vidimus eſurientem, & pauimus te*, &c. Matth.25. num.37. Meritò dubitat D.Paſchaſius lib.11.in Matth. quomodo ſancti potuerint hæc ignorare: *Hodie*, ait, *nemo eſt, qui ignoret Deo ſe præſtare, quidquid in pauperibus Chriſti tribuit*. Et ſic eis ſubdit rex, quidquid *vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; particulari prouidentia tamen diſpoſitum eſt, vt ignorarent, cui bona ſua irrogabant; nam ſi illum recogitarent, & aduerterent, à quo tam ingentia dona retribuenda eſſent, forſitan aliquibus videretur mercedis ſpe, operis decus aliquantulum minui, ac deuenuſtari.

D. Paſchaſ. *Magnitudo operis ſine ſpe præmij.*

# CAP. XXXIV.

## *Ieſus ambulans ſuper mare.*

*Marc.6. n.* 47. Cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Cum autem eſſet veſpera.

*Vatablus.* Cum autem ad veſperaſſet.

ALTER TEXTVS.

*Ioannis 6. n.*16. Vt autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare.

*Num.* 17. Cum autem aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus.

*EXPOSITIO I.*

1. *Quare Chriſtus fecerit ſuos diſcipulos aſcendere nauiculam.*
COMPVLIT, ſeu coëgit Ieſus, vt patet ex textu Matthæi, & Marci allegato ad finem ſuperioris capitis diſcipulos ſuos aſcendere nauiculam & præcedere eum trans fretum, ſeu trans mare Galilææ, iterum, atque iterum illud traiiciebat Chriſtus. Hoc autem ipſe Dominus fecit: quia ſolus volebat orare; orationis natura ſeceſſus amat; ſecundò, vt hac occaſione facilius effugeret turbas, quas ſciebat ipſum velle facere regem, ob panes multiplicatos. Tertiò, vt ſequentis miraculi in ſedanda maris tempeſtate præberetur anſa. Quartò, vt vult Abulenſis in cap.14.Matth.quæſt.133. Vt eius virtus ambulandi ſuper aquas nota fieret.

Abulenſis.

2.
*Cum ſerò eſſet*; ſeu, *cum adveſperaſſet*, quaſi diceret, cum iam eſſet noctis crepuſculum; intrantes Apoſtoli nauim, iter Capharnaum verſus direxerunt: & ſic intelligendus eſt Ioannes ſcribens: *Venerunt in Capharnaum*, hoc eſt verſus Capharnaum, vel per anticipationem narrat Ioannes; nec obſtat Marcus referens num. 45. quod Dominus iuſſit, vt *tranfretarent Bethſaidam*: nam inter locum, vbi miraculum ſaturitatis turbæ fuerat celebratum, & Capharnaum ſita extabat Bethſaida, iuxta quam erat tranſeundum: *In medio mari.* Hoc eſt in profundo mari. Sic ait Caiet. Non ſignificatur medium per æquidiſtantiam à ripis, ſed profundum mare: Et ipſe ſolus in terra orans, & vigilans pro ſuis.

D. Marc. Caiet.

*Marc.6. n.*48. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis, & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare: & volebat præterire eos.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et vidit vexatos, dum ſulcarent mare, erat enim ventus eis contrarius, vigilia verò quarta noctis venit ad eos.

*Vatablus.* Ieſuach dum ambularet ſuper aquas, erat enim ventus aduerſus eis.

*Arias.*



*Arias.* Circa quartam cuſtodiam noctis venit ad eos circum ambulans ſuper mare.

ALTER TEXTVS.

*Matth.4.n.*24. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

*Num.* 25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.

*Ioan.6. n.*18. Mare autem vẽto magno flante exurgebat.

*Num.* 19. Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia vigintiquinque, aut triginta.

*EXPOSITIO II.*

3 D.Paſch.
APOSTOLI inuiti, vt notat Diuus Paſchaſius lib. 7. in Matth. & colligitur ex Euangeliſtarum verbis allegatis, *compellit, coëgit, receſſerant a Domino, ne illo abſente naufragia ſuſtinerent*, vt ait D.Paſchaſ. *Videns eos.* Quod non ſolum de diuino, ſed etiam de corporeo intuitu interpretatur Caietanus; maximè ſignificatur ea, quam Saluator gerebat de diſcipulis cura, & eximius affectus, quo tangebatur auxilij ferendi afflictis. *Laborantes*, ſeu vexatos, quod ſecundum Matthæum tribuitur nauiculæ, *iactabatur.* Seu vt vertit Arabicus: *Agitabant eam fluctus.* Tunc ipſa vrgente tempeſtate. *Circa quartam vigiliam noctis.* Romani excubias, ac cuſtodes ciuitatis in noctis ſpatio per quatuor vigilias diſtribuebant, ne laboris pondus ſuper certos tantum milites caderet, ſed per omnes diuideretur; vnaquæque vigilia tres horas continebat, quarta autem vigilia iam nox declinabat, & diei crepuſculum erat, & per tres antecedentes vigilias, hoc eſt per nouem horas Apoſtoli tempeſtate oppreſſi laborabant. Sic ait Chryſoſtomus homil. 51. in Matthæum. *Quarta vigilia noctis ad eos veniſſe oſtendit tota nocte periclitatos*, & per totam noctem Chriſtus orauit. Ait Theophylactus in 14. Matth. *Docens quod nos non ſtatim ab orationibus diſcedere debeamus.*

Caiet. Arabic. *Labor per multos diuidendus.* Chryſoſt. Theoph.

4.
Ait Ioannes: *Cum remigaſſent ſtadia vigintiquinque aut triginta:* Id eſt, milliaria circiter quatuor, quarta parte vnius dempta. Euangeliſta ex reuelatione, ac inſtinctu Spiritus ſancti ſcribebat, & tamen non ponit numerum certum, ſed cum diſtinctione 25. aut 30. ſtadia. Spiritus ſanctus, vt Deus verus omnia noſcit, omniáque ei certa ſunt. Tamen aliquando humano more aliqua ſuos ſinit loqui, maximè in rebus, quæ parum ad rem pertinent, & intentioni nullum fit detrimentum; vt notarunt Caietanus Burgenſ. in Ioan. *Ambulans ſuper mare:* Per virtutem diuinam, quam habebat vt Deus, & per dotem agilitatis, quam ad tempus vt homo aſſumpſit, & venit non precibus exoratus, ſed ab ipſa neceſſitate, vt ſuis ſubueniret vocatus.

Caietan. Burgenſ. *Neceſſitas clamat.*



QVÆSTIO I.

*Quare tam grauis tempeſtas permiſſa eſt à Chriſto Domino.*

5. *Vehementia huius tempeſtatis.* Albert.Mag.
VEHEMENTIAM, ac magnitudinem huius tempeſtatis ex triplici circunſtantia colligit Albertus Magnus in cap. 14. Matth. Primò, ex paruitate inſtrumenti; erat enim non fortis nauis, ſed *nauicula*, vt ait D. Matth. quæ citius, & facilè ſubmergi poteſt. Secundò, ex impoſſibilitate declinandi, erat enim *in medio mari*, & diuertere non valebat: Tertiò, ex vehementi irruente vento; qui magnam aquarum commotionem excitabat; & erat huiuſmodi *ventus contrarius eis:* Quartò, addam; augebatur periculum ex diuturnitate tempeſtatis; *venit ad eos quarta vigilia noctis*, erant enim omnes laſſi, & fatigati tam ab obſcuritate noctis, quam à labore remigandi, ac tam longo tempeſtatis tempore.

6. Hugo.
Ad quæſtionem reſpondent primò Patres; quod nauis hæc ſignificat Eccleſiam: tunc ait Cardinal. Hugo in cap.6.Marc. eam ex vna parte impugnant hæretici: ex alia tyranni: ex alia falſi fratres: ex alia dæmones. Primi fidem. Secundi ſubſtantiam: Tertij mores. Quarti auferre animas nituntur; tamen contra has omnes irruentes aduerſarias tempeſtates ſemper Eccleſia firmè ſtat, habens ſemper ſibi in proximo Chriſti auxilium.

*Aduerſarij Eccleſiam impugnãtes.*

7. D. Chryſoſt.
Secundò. D.Chryſoſtom. homil.51. in Matth. *Abſentia Domini deſolati tempeſtatis acerbitate iactantur.* Vt diſcerent quantum nocumentum abſentia Magiſtri detulit. Tertiò. Vt Apoſtolorum fides excitaretur, & vt ardentius ſui Magiſtri opem flagitarent; & ne aliunde, quam ſcilicet ab ipſo ſalutis ſpem expectent. Vt ait Chryſoſtom. *Atque etiam tempeſtate ipſos per totam noctem laborare permittit, vt tempeſtatis, & temporis terrore perculſi magis ipſum deſiderent: eiuſque perpetuam memoriam retinerent.*

*Solum à Chriſto auxilium ſperandum.*

8. Chryſoſt. Theoph. Euthym.
Quartò. Idem Chryſoſtom. citato loco. *Paulatim enim*, ait, *ad maiora ipſos ita inducebat, vt excelſo cuncta perferre animo diſcerent.* Ita etiam Theophylactus, Euthymius ſuos diſponebat Chriſtus ad alta, & magna, & ad multos labores in prædicatione orbis perferendos, voluit eos, vt paulatim aſſueſcerent dura, & ardua pati. Quod confirmat Chryſoſtom. Duplici tempeſtate legimus Apoſtolos in mari vexatos. Primò, apud Matthæum 8. num. 13. Et tunc Dominus in nauicula aderat, in puppi dormiens; at verò nunc tempeſtate periclitantur, cum ipſe abſens eſſet, cur in primo caſu adeſt Dominus; non verò in ſecundo. In primo erant Apoſtoli multum incipientes, & imbelles, & ideo ſua præſentia voluit corroborari; at in ſecundo iam per annum profecerant in ſchola Chriſti, & vtpote fortiores maioribus procellis abſentia ſua committit, ſic ſubdit S. Doctor. *Vt excelſo cuncta perferre animo diſcerent: idcirco præſens quidem erat in primo periculo, ſed dormiebat, vt non longè ſalutem abeſſe crederent; nunc verò firmiorem illorum animum faciens, cum omnino abſit, in medio mari tempeſtatem exoriri ſinit.*

*Homo ad magna aſſueſiat laboribus.* Matth.8. D.Chryſoſt.

9.
Ex iuſſione parentum pergens Iacob in Meſopotamiam. *Cumque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebãt, & ſupponens capiti ſuo dormiuit*

*miuit in eodem loco.* Geneſ.28.num.11.Quomodo homo fatigatus pedeſter pergens, ex alta Dei diſpoſitione iter arripiens, tam durè excipitur, vt vice ceruicalis duriſſimus lapis ei inſeruiat, vt notauit D.Hieronym.in conſolatione ad Iulian. *Cur Deus*, ait, *ad ſe primo venientem tam duriter excipit.* Cur non ſupponit caput ſuper manum, brachium, vel teneras herbas? Tendebat Iacob in Meſopotaniam, vbi diſponebatur, quod ipſe rigido, & auſtero modo viueret *Die, noctuque æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Gen.31. num. 40. Ad tam aſperam vitam deſignatus abiectis deliciis paulatim diſponebatur, humi dormiens ſuper lapidem reclinatus. Vide ſupra cap.3. num. 25. & tom. 2. cap.14. quæſt.2. num. 11. & cap. 27. quæſt. 8. num. 46.

Geneſ. 28.
D.Hieron.
*Ad aſperam vitam aſſuefiat homo à laboribus.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare in hac tempeſtate maximè contrarius ventus notatur?*

10. GRAVITAS huius tempeſtatis non deſcribitur ex obſcuritate aeris, vel ex ſtrepitu tonitrorum, vel ex fulgure radiorum circumuolantium, nec ex impetu aquarum, quæ vehementiſſimè nauiculam concutiebant, ac iactabant, ſed ex vento contrario tota narratur.

*Ratio difficultatis.*

11. Et notandum; quod non dicitur ventus contrarius ei, ſcilicet naui, ſed contrarius eis; & bene quidem, qui enim de tanto beneficio heri impenſo in multiplicatione panum, non recordabantur modo, vt infra dicitur, ad hoc vt opem Magiſtri implorarent; quique cum prope ſe haberent remedium, ac auxilium, ipſum ſcilicet Dominum, eum non cognouerunt, ſed exiſtimauerunt Phantaſma, bene dicitur ventus ei contrarius

*Cur dicitur ventus contrarius eis, non verò ei, ſcilicet naui.*

12. Ad quæſtionem: de vento peculiariter fit mentio, ipſe enim, aquas commouet, & totius tempeſtatis cauſa conſiſtit. Moraliter. Euſebius Gallican. homil.in Sabbatho poſt Cineres. *Hoc ſignificatur, ait, quod poſt Chriſti Aſcenſionem ſancta Eccleſia in hoc mundo multa aduerſa eſſet paſſura.* Sed quomodo tot acerbæ perſecutiones tyrannorum contra Eccleſiam ventis comparantur? Meritò ſanè; ſunt enim omnes veluti ventus breui tranſiens, & cito euaneſcens.

Euſebius.
*Perſecutiones contra Eccleſiã veluti ventus tranſeunt.*

13. Vidit Propheta Zacharias 6. num. 1. quatuor quadrigas, ſeu quatuor equites; *In prima equi ruſi, in quadriga ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi; & in quadriga quarta equi varij, & fortes.* Tanta rei nouitate attonitus propheta, quærit ab Angelo. *Quid ſunt hæc Domine mi; reſpondit Angelus, & ait ad me, iſti ſunt quatuor venti cæli:* ibid.n.5. Illæ quatuor quadrigæ ſignificabant quatuor orbis Monarchias. Equi ruſi denotabant Monarchiam Aſſyriorum, & Chaldæorum; nigri Perſarum; albi Græcorum, varij Romanorum, vt tradunt D. Hieronym. Cyrill. Remig. Haymon, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribeira, Sanchez, Cornelius; ſed quomodo illa quatuor Orbis potentiſſima imperia venti nuncupantur? Nunquid multitudo Aſſyriorum, Perſarum dexteritas, Græcorum ingenium; Romanorum fortitudo ventus extabat; meritò ſanè; cum enim quatuor illa imperia conſpirauerint contra Iſrael, qui nomine populi Dei gaudebat, qui & ſanctam Eccleſiam exprimebat, omnis illa mundana poteſtas, veluti ventus, qui breui tranſit, & cito diſſoluitur, reputatur.

Zachar. 6.
D.Hieron.
D.Cyrillus.
D. Remig.
Haymon.
Lyranus.
Vatablus.
*Imperia contra Eccleſiã ſunt veluti ventus.*

14. *Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.* Pſalm. 96. num.1. Per has inſulas omnes Eccleſias interpretatur D. Auguſtinus. Sed quare cum his conferuntur Eccleſiæ; ſtant inſulæ circundatæ mari, inſurgunt vortices aquarum, vt illas veluti abſorbere videantur, tamen ipſi vndarum impetus franguntur, ac in quaſdam ſaliuas, & aquarum fluctus reſoluuntur; ſic omnes aduerſariæ poteſtates contra Eccleſiam exortæ, in quaſdam veluti ſpumas, ac ſaliuas deſinunt, & ſoluuntur. D.Auguſtin. *Quare*, ait, *ſcilicet Eccleſiæ, inſulæ; quia circunlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo inſula vndique circunſtrepentibus fluctibus tundi poteſt, frangi non poteſt; ſic & Eccleſiæ Dei paſſæ ſunt perſecutiones vndique frementium infidelium; ecce ſtant inſulæ, &c.*

Pſalm. 96.
*Perſecutiones cõtra Eccleſiam veluti ſpumæ tranſeunt.*
D.Auguſt.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dmoinus è tam diſtanti loco eos viderit, cùm ipſi Apoſtoli in proximo eum non cognouerint?*

15. ERAT Ieſus ſolus in terra, & tamen vidit eos laboranres in medio mari; quod non ſolùm de viſione diuina, ſed etiam de corporali interpretatur Caietan. vt iam dixi; *Nec obſtat*, ait, *quod nox eſſet, quoniam etiam nocte in monte exiſtentes videmus nauiculas in mari prope laborantes.*

Caietanus.

16. Ex quo inſurgit difficultas; quomodo fieri potuit, quod Dominus è terra, ac tam diſtanti loco viderit Apoſtolos remigantes in medio mari; remigauerant enim quaſi ſtadia 25. ſeu triginta, hoc eſt quatuor leucas, vt ait Ioannes, & vt ſcribit ipſe Euangeliſta, cum Dominus in proximo eſſet, vt narrat Marcus, eum non cognouerunt, ſed phantaſma eſſe cogitauerunt; Chriſtus tam largo interuallo interiecto, eos ita videt, ac intuetur, tanquam ſi in proximo eſſet; & Apoſtoli cum eum habeant in propinquo, tanquam quid à longe recogitant; quæ enim à longè videntur, veluti quid phantaſticum iudicatur: vnde tanta differentia; Chriſtus cum geſtet pietatis viſcera, lynceis fruitur oculis, & quamuis in remoto, ac ſeparato loco videatur exiſtere, tamen ſemper in proximo eſt, vt noſtræ neceſſitati ſubueniat, auxilium ferat, leuamen præbeat. At homines cum in propinquo habeant Chriſtum, tanquam in longinquo meditantur, ne ſuum benefactorem recognoſcant, ſed veluti quid phantaſticum iudicant, vt ait Hugo: *Cum vident aliquem benefacere dicunt phantaſma:* Ne illi ſe aſtrictos videant, & multas gratias exſoluant.

*Deus ſemper nos videt de proximo, vt ſubueniat.*
Hugo.

17. Cum filius ille prodigus reuertitur ad Patrem; *Cum adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt.* Luc.15.num.20. Præclarè dubitabis, ſi pater à longè aſpexit, quomodo tam intima pietate commouetur in ipſum; quænam tanta miſericordiæ cauſa? Forſitan, quia fame tabeſcentem; vnde vitulum occidere mandat, vel quia veſte diſſuta venientem vidit, vnde ſtolam quandam iubet afferri; quando vnus homo alterum

Luc. 15.



rum à longè vidit, non intuetur, an ille fame laboret, vel an rupta, ſeu compoſita veſte incedat. Quorſum ergo Pater videns à longè tanta benignitate pulſatur. Euthymius: *O viſum compatientis acutiſſimum, ſimul vt filius reſpicere in animo cogitauit, hunc etiam ſimul ipſe vidit.* In hoc parente Chriſtus exprimebatur, qui quamuis in longinquo videretur exiſtere, tamen perſpicaci viſu in valde intimo, ac proximo erat, vt minutim filij penuriam intueretur, opem ferret, ac in omnibus prouideret.

*Deus valde proximus, vt noſtris neceſſitatibus ſubueniat,*
Euthym.

18. E contra homines; & ſi Deum habeant in proximo, eum veluti à longè conſiderant: Auarus ille diues, cum ſe videret multis fructibus, ac prouentibus repleri, cogitabundus dicebat; *Non habeo, quo congregem fructus meos. Tunc, dixit, hoc faciam: deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi.* Luc.12. num. 18. ſtatim audit. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Quodnam crimen huius hominis, vt rectè diſcutit D. Paulinus Epiſtol. ad Alethium, alias. 31. quænam culpa, quod homo vellet congregare, quæ nata erant ei, vel quod homo diſpoſuerit frui bonis ſuis, hoc abſque lethali inquinamento fieri poterat, vnde ergo tantum flagitium, vt tam rigida ſententia proferretur *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* ſicut & contra illum alium, de quo Lucas 16. num. 19. rectè D.Paulin. *idcirco*, ait, *ſecuta eſt illa ſententia, quia nolunt intelligere, cui debeant fructus ſuos, quia neſciunt, quo largitore poſſideant. Tam grauis eorum culpa excreuit* qui cum Deum valde in proximo haberent, vt illis multa ampla dona largiretur; ita tamen diuinæ maieſtatis ſunt obliti, ac ſi veluti in longinquo, ac abſens eſſet, ne illi pro tantis beneficiis immortales gratias redderent.

Luc. 12.
D. Paulinus.
*Homo non recognoſcit Deum ſibi propinquum.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dominus venit quarta vigilia?*

19. PER hoc oſtenditur eos tota nocte, hoc eſt per nouem horas fuiſſe periclitatos, vt dixi in expoſitione D. Hieronym.14. Matth. *Quando ergo dicit quarta vigilia noctis veniſſe ad eos Dominum, oſtendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in conſummatione mundi eis auxilium præbiturum.* D. Auguſtin. ſerm.14. de verbis Domini. *Quarta ergo vigilia noctis venit, hoc eſt pene iam nocte finita: ſic veniet in fine ſæculi, iniquitatis nocte tranſacta, ad iudicandum viuos, & mortuos.* Quarta vigilia iuxta Hieronym. denotat auxilium, quod Deus in vltimo tempore ſæuiente Antichriſto conferet Eccleſiæ ſuæ; iuxta verò Auguſtin. iudicium, quod cum vniuerſis conſtituet.

D.Hieron.
D. Auguſt.
*Deus in auxilio ſuis adeſt.*

20. Secundò. Quarta vigilia, vigilia matutina eſt; in qua cum maximè in periculo eſſet conſtitutus Iſrael iuxta mare rubrum reſpiciens Dominus ſupra caſtra Ægyptiorum mirabiliter Iſraelem liberauit; ſic & Chriſtus ſe filium ſui Patris oſtendens, vigilia matutina mirabiliter diſcipulos à maris periculo liberat, & eximit, & vt etiam ex eadem regiminis methodo deprehenderetur, quod ille erat ipſemet Deus, qui ſuum populum ab ingenti diſcrimine incolumen ſeruauit matutino tempore.

*Chriſtus ſe filium ſui patris ſe oſtẽdit.*

21. Tertiò. D.Cyrillus Alexand.lib.3.in Ioan.c.23. *Opere prætium*, ait, *eſt obſeruare non ſtatim, neque in principio periculorum, ſed quando tam longe à terra remigauerant Chriſtum diſcipulis apparuiſſe Non enim incipientibus aduerſis, gratia Chriſti confeſtim nos ſaluat, ſed poſteaquam terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abiicit, & ab omni periculo liberans ineffabili virtute in ſummam tranquillitatem periculorum fluctus tranſponit.* Permittit ſcilicet Deus creſcere pericula, vt periclitantium merita augeantur, & fides erigatur, ſpes in Deum excitetur, charitas augeatur. Deinde cum pericula videntur ad extremum deuenire, tunc adeſt ipſa diuina ops, ac auxilium.

D. Cyrillus.
*Sylueira in Euang. Tom. III.*
*Cum ad extremum periculum venit, adeſt Dei auxilium.*

22. Tertiò, D.Chryſoſt.homil.51.in Matth. *Quarta vigilia noctis erudiens nos, non cito ſolutionem quærere aduenientium laborum.* Poſtque tam longum tempus in vltima vigilia venit, docens nos, vt diuturnitate laborum non frangatur animus, ſpes amittatur, ſed animoſè meliorem euentum ſperemus, nullus eſt enim tam aſſiduus labor, qui & ſuo termino non claudatur.

D. Chryſoſt.

23. Quartò, Idem Chryſoſtom. citato loco. *Quanto, ait, enim maior erat trepidatio, tanto lætior, atque gratior præſentia eius illis apparuit.* Vſque ad vltimam vigiliam, atque tempus differt Dominus ſuum aduentum, ac præſentiam, vt ipſis tam longa procella iactatis iucundior, ac gratior fieret eis Domini præſentia, auxilium, ac leuamen præbens.

Chryſoſt.
*Poſt tempeſtatem gratior ſerenitas.*

Aliquando Diuinus ſponſus ſubtraxit ſe à ſua dilecta ſponſa, quæ ſtatim multis precibus eum exorat. *Reuertere dilecte mi.* Cantic. 2.num. 17. Si tam ſolicitè quærendus erat à ſua dilecta, quam vehementiſſimè diligebat, cur ab illa receſſit D. Bernardus ſerm. 47. in Cantic. *Forte, ait, ideo ſe ſubtraxit, quo auidius reuocaretur, teneretur fortius* Abſentia enim illa excreſcente amore eius, præſentia maximè præiucunda, ac dulciſſima facta eſt; Penuria, ac abſentia rei eius copiam valde æſtimabilem, ac gratam fecit.

D. Bern.
*Ex abſentia maximè fit deſiderabilis præſentia.*

24. Cum Iſraëlitæ eſſent egreſſi de Ægypto, multa fame cœperunt laborare, vnde obmurmurantes contra Moyſem, & Aaron dixerunt; *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panes in ſaturitate, cur eduxiſtis nos in deſertum, vt occideritis omnem multitudinem fame.* Exod. 16. num.3. Cur Deus, qui velociſſimus eſt, & ambulat ſuper pennas ventorum in ſuorum auxilium, populum ſuum in has anguſtias ſinit deuenire, cur non ſtatim eis prouidet cæleſtem panem, manna, antequam tanta alimenti penuria opprimatur, vt rectè quærit D. Cyrillus Alexandr. lib. 3. in Ioan. cap. 35. Alto conſilio antequam manna daretur, tanta fames, tantúſque clamor permiſſus eſt in populo, vt magna neceſſitate vrgente, multo periculo imminẽte, magno ardore panis deſideraretur, ac illius elargitio gratior, ac periucundior fieret, in multáque æſtimatione ab omnibus haberetur, aliter hominis animus beneficij magnitudinem non penetrat, niſi ex antecedenti neceſſitate ad illius celſitudinem agnoſcendam inducatur.

Exod. 16.
D. Cyrillus.
*Penuria rei ſui copiam gratiorem reddit.*

***

## Qvæstio V.

*Quare Dominus greſſu corporis oſtenderit ſe velle eos præterire?*

25. D. Auguſt. Reſpondet primò D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 47. *Quomodo*, ait, *hoc intelligere potuerunt, niſi, quia in diuerſum ibat, eos volens tanquam alienos præterire, à quibus non agnoſcebatur, vt phantaſma putarent.* Caietan. in cap.6. Marc. *hoc eſt*, inquit, *diſpoſuit greſſus ad ſimilitudinem volentis præterire; talem enim ſe exhibet in ambulatione, qualis apud eos erat in mente, ſcilicet non fixus, non firma fide.* Valde promeritum erat vt Chriſtus eos præteriret, à quibus non agnoſcebatur, nec apud eos ſiſteret greſſus, qui ad illum non fixi, non firma fide ſe habebant; vide ſuprà, cap.9. num. 98. & tom.1. cap.4. quæſt. 37. num.138. & tom.2. cap.18. quæſt.6. num.32.

*Caiet.*

*Qualis homo Deo, talis Deus homini.*

26. D. Auguſt. Secundò reſpondet idem D. Auguſtinus citato loco. *Turbatis Apoſtolis, & exclamantibus ſubuenit Dominus, dicens, ego ſum, confidite, ego ſum, nolite timere, quomodo ergo eos volebat præterire, quos pauentes ita confirmat, niſi quia illa voluntas prætereundi ad eliciendum illum clamorem valebat.* Adeſſe quidem Dominus ſuis volebat, ſed adeſſe rogatus exoptabat, vt & ipſa deprecatio ad meritum obtinendi inſeruiret.

*Deus vult à nobis exorari.*

27. Hebr.7. Multæ diuinæ promiſſiones in diuina Scriptura continentur, quas Paulus ad Hebr. 7. num.6. & alibi paſſim promiſſiones, appellat. Sed cur tot repetitæ promiſſiones à Deo fiunt, antequam tribuat; vel non ſat erat vna promiſſio, ad quid tot iterantur, quaſi Deus ſuis promiſſionibus nos vellet excitari, ac auditores ad petendum fieri, ac ſi non tantùm merè gratuita dona; ſed veluti ex quodam meritò orandi impetremus. D. Bernard. ſerm. 4. ſuper. *Miſſus*, ſic diſſerit: *Vult à ſe requiri Deus etiam quod pollicetur, & ideo fortè multa, quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, vt ex promiſſione deuotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſaluos fieri, merita nobis exquirit à nobis: & dum nos præuenit, retribuendo, quod retribuat; gratis agit, ne gratis tribuat.* Deus vt piiſſimus Pater ſuis magnis donis, ac peculiari decore nos afficit; donis dum multa largitur; peculiari decore, dùm non merè gratis, ſed per orationis merita diſponit, vt obtineamus.

*D. Bernard.*

*Deus vult exorari, vt per merita donet.*

*Marc 6. n.49.* At illi, vt viderunt eum ambulãtem ſuper mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt.

*VERSIONES.*

*Arias.* Illi autem, vt viderunt eum circum ambulantem ſuper mare.

*Syriacus.* Illi autem vt viderunt eum ambulãtẽ ſuper aquas, reputauerunt apud ſe viſionem eſſe fallacem.

*Euthym. Theophylactus.* Putauerunt ſpectrum eſſe.

Alter Textvs.

*Matth.14.n.26.* Et videntes eum ſuper mare ambulãtem, turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt.

*EXPOSITIO III.*

Et videntes eum: ſcilicet Ieſum, non tamen agnoſcentes, cum ad id tum tempeſtas, ac noctis tenebræ occaſionem darent; tum etiam, quia vt ait Marcus. *Volebat præterire eos*, quaſi eos non curans, nec ad eos ſpectans, ſed veluti aliò pergens: *ambulantem ſuper mare.* Sciebant enim, vt ait Albertus Magnus illud non eſſe virtutis humanæ; putauerunt phantaſma eſſe, ſeu vt habet Syriacus apud Matthæum dicentes, quia viſio mendax eſt. 28.

*Albert. Mag.* *Syriacus.*

Phantaſma, vt ait Abulenſis in cap.14. Matth. quæſt.156. Nomen eſt Græcum, & ſignificat apparitionem, vel viſionem. Vnde diſcipuli putauerunt eſſe aliquam viſionem fallacem, ſeu illuſionem dæmonis, vt communiter authores commentantur apud Matth. moraliter ſic interpretatur Hugo: *Sic multi*, ait, *cum vident aliquem benefacere, dicunt, Phantaſma eſt: non facit, niſi propter hypocriſim.* Aliter dicam; cum nauigantes illi vidiſſent ſe in arcto poſitos, & quod imago illa volebat eos præterire, abſque eo, quod illis afferret opem, & adiuuamen, ſibi perſuaſerunt non eſſe rationalem perſonam, ſed quid phantaſticum, quod apparentem, & non verã habet exiſtentiam, non enim permittitur, vt vera perſona laborantes ſine ope, & adiuuamine prætereat. 29. Abulenſis.

*Hugo.*

*Qui non adiuuat laborantes non homo, ſed phantaſma eſt.*

Et exclamauerunt. Confuſus editus fuit timor elicitus à pauore, qualis eſſe ſolet nauigantium, cum ad naufragij periculum deueniunt. Et duplex hic erat Apoſtolorum timor, vnus ex tempeſtate, alter proueniebat ex æſtimatione phantaſmatis, ne nauiculam obruere, ac illi malum inferre vellet, vt commentantur Cornelius, & alij in Matth. Sed ſi volebat eos præterire, quomodo tunc tanto timore perturbati exclamant, fortè verebantur, ne ſimulatione aliqua nocumentum pararet, quod grauius eſſet. 30.

*Ex ſimulatione grande nocumẽtum.*

## Qvæstio VI.

*Quare, vt filij Iſraël tranſeant, diuiditur mare, non ſic ad Chriſti Domini ingreſſum in illud?*

Vt filij Iſraël mare tranſirent, ait textus Exod.14. n.21. *Cum extendiſſet Moyſes manus ſuper mare, abſtulit illum Dominus, & vertit in ſiccum, & diuiſa eſt aqua; & ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris.* At cum Ieſus hic ingrederetur mare, & ambularet ſuper illud, minimè aquæ diuiduntur, ſed ſolito curſu iter ſuum peragunt; cur vt Iſraël tranſeat, ſui diuiſionem patitur mare, à ſuo loco cedit, ſuúmque curſum immutat, aliter vero ad ingreſſum Creatoris ſine ſui diuiſione, ſine receſſu à loco, ſine itineris mutatione incolumis ſtat aquarum natura ſine ſui diminutione. 31. Exod. 14.

*Ratio difficultatis.*



31. D. Chryſoſt. Pulchrè reſpondit Chryſoſtomus in præſenti homil.42. in Ioan. *Tranſierunt quidem*, ait, *duce Moyſe mare rubrum Iudæi, ſed magna hic differentia: ille tanquam ſeruus ſupplicando: Ieſus propria, & abſoluta poteſtate tranſiuit: illi auſtro tunc ſpirante paruit aqua, & aridam præbuit tranſeuntibus, Ieſum nihil à ſua natura motum mare, vt Dominum admirabilius pertulit.* Multum perpende vltima verba: Ad ingreſſum Ieſus non diuiditur mare, vt ad ingreſſum Iſraël, & tamen multo admirabilius ſuum Dominum vidit mare, ſed in quo eſt tanta rei magnitudo; ſeruorum erat Iudæorum conditio, illi vt ſerui non parant ſibi ſalutem, niſi de damno alterius, de rupto ſcilicet mari, ac de excluſione eius à loco ſuo, at Ieſus, vt verus princeps, & rex ſine alicuius nocumento, ac deturbatione à loco, ſuis benefacit, adiuuamen, ac ſalutem exhibet.

*Ieſus benefacit ſine vllius iniuria, aliter homo.*

32. Exod.7. Tenetur Iſraël captiuus in Ægypto, à qua ſeruitute vt exeat, multas plagas in illam gentem mittunt Moyſes, & Aaron, vt habes Exod. à c.7. vſque ad 14. Tenetur Iſraël captiuus in Babylonia, à qua ſeruitute vt egrediatur, ingentia dona confert Dominus in Cyrum; *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendit dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius reges, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum vt ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Iſrael propter ſeruum meum Iacob.* Iſai. 45. num. 1. Cur vt Iſraël à captiuitate Ægyptiaca egrediatur tot ſupplicia inferuntur, vt vero à Babylonia exeat, tot dona in Cyrum alias indigniſſimum, ac valde crudelem conferuntur: Iugum Ægyptiacum excutiebat.

*Iſai.45.* *Deus vni confert bonũ ſine damno alicuius.*

33. Pſalm.76. Seruorum miniſterio. *Deduxit eos per manum Moyſis, & Aaron.* Pſalm.76. num.21. At à Babylonia ſuam libertatem recuperabat Deo per ſe ipſum Cyri cor mouente. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum.* Quantum diſtat ſeruorum conditio à ſuprema Dei natura, ſerui aliorum damno quibuſdam benefaciunt, Deus verò aliorum bono ſuis dona largitur, eoſque condecorat, ac extollit. Pro quo facit Procopius. Num. 23. Quod cum Dominus occurriſſet Baalam, poſuiſſetque verbum in ore eius, ſic ait; *Propter Iſraelem Cyrus etiam quantumuis indignum imperium ter maximum adipiſcitur, quo Iſraelem liberet, ad quem dixit propter Iſraelem ſeruum meum nomine tuo vocabo.*

*Deus cum bono aliorum benefecit, aliter homo.*

*Procop.*

34. Caſſiodor. Hoc eſt enim ingenium principis, vt ſuos multis afficiat, non officiendo aliis, nec aliorum oppreſſione ſuos reſplendeſcere facit. Dicere ſolebat Theodoricus apud Caſſiodorum 2. variar. cap.17. *Magnificentiam noſtram nulli volumus extare damnoſam, ne quod alteri tribuimus, alterius diſpendiis applicetur.*

***



## Qvæstio VII.

*Quare diſcipuli videntes Chriſtum ſuper mare ambulantem, non Magiſtrum cogitant, ſed phantaſma dicunt?*

Vident quandam hominis imaginem ſuper mare ambulantem; Cur non illum eſſe Magiſtrum eis venit in mentem cuius eximiam potentiam, ac virtutem in tantis miraculis viderant; cur ergo dicunt eſſe Phantaſma? 35.

*Ratio difficultatis.*

Rationem literalem dedi in expoſitione. Morales nunc ſubiicio, reuera ille homo Chriſtus erat, tamen Phantaſma eſſe recogitant; *volebat præterire eos*; vt exinde diſcamus, quod non ſat eſt, quod quis in nobilitate, ac perſona magnus, & excelſus ſit, niſi hoc beneficentia, clementia, ac pietate explicet, & declaret, aliàs vt phantaſma reputabitur. 36.

*Vt nobilitas agnoſcatur, operibus explicetur.*

Secundò. Cum imago illa hominis ad ipſos tendebat, forſitan Magiſtrum eſſe cogitarunt, at cum viderint, quod eos præteribat, Phantaſma eſſe ſibi perſuaſerunt, nec enim homines in hoc ſæculo ſplendidos honorificentiæ titulos ſciunt aliis irrogari, niſi iis, qui eorum commodo, ac vtilitati inſeruiunt. 37.

*Ex beneficentia quis agnoſcitur, & honoratur.*

Tranſacto mari rubro *ſumpſit Maria Propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua*, &c. Exod.15. num.20. & cœpit decantare Domino: ſed cur dicitur ſoror Aaron, & non potius Moyſis, cum ipſe eſſet totius exrcitus dux, & princeps. Cum Maria aliquãdo percuſſa fuiſſet lepra: Aaron pro ea multum eſt interpellatus Num.12. num.13. Cum autem Aaron tam vtilis Mariæ extitiſſet, eum peculiariter vt fratrem agnoſcit, talique nomine ſe inſigniri gaudet? Lyran. *Cauſa eſt*, ait, *quia Aaron oſtendit ſe multum zelare pro ea, quando percuſſa fuit.* 38. Exod.15.

*Lyran.*

*Marc.6.n.50.* Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt: & ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* In ipſo momento collocutus eſt eis: & dixit eis: bono eſtote animo, ego ſum, ne timeatis.

*Arabicus.* Eſtote fortes, ego ſum.

*Vatab. Euthym.* Ego ſum, ne terreamini.

Alter textvs.

*Matth.14.n.27.* Statimque Ieſus locutus eſt eis dicens: ego ſum, habete fiduciam, ego ſum nolite timere.

*Ioan.6. n.20.* Et timuerunt : ille autem dixit eis, ego ſum, nolite timere.

## *EXPOSITIO IV.*

39. OMNES *viderunt eum.* Nullus agnouit, nullus aliis dat animum; ita erant omnes tempeſtate, ac periculo conturbati, ac anxiati, *& ſtatim*: ſeu vt habet Syriacus; *in ipſo momento*, vt vidit eorum anguſtias, ac perturbationem, *locutus eſt eis.* Cum extremum vrget periculum, & in arcto res eſt poſita, tunc adeſt, ac aduolat Dei auxilium : *Confidite*; ſeu vt vertit Syriacus: *bono eſtote animo.* Arabicus : *eſtote fortes, ego ſum* Magiſter veſter, quem noſtis, cuiuſque beneficentiam, ac omnipotentiam in tantis miraculis, ac mirabilibus eſtis experti : nolite timere; ſeu non timeatis periculum, cum ego vobiſcum ſim.

Syriacus. Arabicus.

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus videns ſuos in mari conturbatos, ſtatim eis loquitur, ac fiduciam ingerit?*

40. RESPONDEO ad quæſtionem præmittendo id, quod Euangeliſta Marcus incipiens hanc enarrare hiſtoriam aduertit hoc cap. 6. n.45. *Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauiculam.* Quod etiam ſcribit D. Matth. *Compulit diſcipulos ſuos.* Sacri Apoſtoli ſecuri, ac immunes ab omni periculo erant in terra, & tamen Chriſtus eos coëgit, ac compulit aſcendere nauiculam ex cuius occaſione in tam manifeſtum, ac euidens periculum inciderunt, ex quo Chriſtus Dominus ſupremus princeps, æterna Patris ſapientia eis opem fert, ac auxilium præbet; magnæ enim ingenuitatis eſt, vt quos in diſcrimen adduxeris, eos non deſeras, ſed multa protectione, ac adiuuamine eis opituleris, ac eos in omni euentu incolumes ſerues, ac tuearis.

*Quos in periculo conſtituiſti non deſeras, ſed ſerues.*

41. Cum conglomerato agmine confluerent Iudæi in Horto ad Chriſtum Dominum comprehendendum, eis Chriſtus Dominus ſe obuiam dat interrogans, quem quærerent; cum ipſique dixiſſent Ieſum Nazarænum; ait illis omnium Saluator. *Ego ſum, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Ioan. 18. num. 8. tanquam ſi diceret: ſi vultis me comprehendere, hac conditione permitto, vt hos diſcipulos meos liberos, & illæſos ſinatis abire. Cur Domine, qui in hoc euentu omnia tua tam liberaliter pro hominum ſalute effundebas, nunc tam ſollicitus te habes pro tuorum incolumitate, ne & ipſi pereant? Apoſtoli immunes ab omni periculo aderant in cœnaculo, ex quo Chriſtus Dominus eos ſecum in hortum adduxit. *Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron.* ibid.num. 1. vbi in illud diſcrimen deuenerunt; Diuinus ergo Magiſter, quos in periculo conſtituit, non deſerit, ſed incolumes ſeruat: vnde ait: *ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.* D Cyrillus Alexand. ibi *ſemouet*, ait, *à periculo diſcipulos ſuos, non ignorans ad ſe ſolum certamen illud pertinere.* Expende loquendi modum. *Si ergo me quæritis:* quod videtur quandam propoſitionem conditionalem inferre; nam ſi ipſi vellent comprehendere Apoſtolos, Dominus eos mirabiliter liberaſſet, forſitan ſua alta diſpoſitione mortem ſuam quam vehementiſſimè deſiderabat, in aliud tempus tunc differret, ne videretur deſerere, quos in periculum adduxerat.

Ioan. 18. — *Chriſtus ſuos cuſtodit illæſos.* — D. Cyrillus.

42. Cum duo Angeli veniſſent Sodomam, recepit eos Loth hoſpitio in domum ſuam, quod cum agnouiſſent habitatores ciuitatis circundederunt domum, vt eis abuterentur, ac illos iniuriam afficerent, quod cum agnouiſſet Loth offert filias ſuas, vt iuuenes illos cuſtodiant, ſed quomodo pro hominibus extraneis, ea, quæ maximè ſui erant honoris, ac auctoritatis, contemnit, & ſpernit, ait Loth. *Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei.* Geneſ. 19. num. 8. Iuuenes illi oſtendebant ſe nolle in domum Loth diuertere, ipſe autem vt ibi dicitur num. 3. *Compulit illos oppido, vt diuerterent ad eum.* Inde ſe maximè aſtrictum agnouit Loth, vt quos in domum ſuam tanto conatu compulerat, ne quid mali inde paterentur. D. Chryſoſtomus ibi homil.43. in Gen. *Coegi eos*, ait, *& induxi ſub tectum meum, vt ne mihi adſcribatur iniquias, quæ eis contigerit, & ego eis auctor ſim contumeliæ: idcirco pro eis duas meas filias do, vt illi à manibus veſtris liberentur.*

Geneſ.19. *Loth quos introduxerat, defendit.* — D. Chryſoſt.

43. Profertur crudele edictum ab Aſſuero, vt omnes Iudæi vno die interficerentur; quod ſciens Mardochæus omni inſtantia, ac conatu populi ſalutem interueniente Eſther negotiatur; & valdè mirum, quod ex omnibus Iudæis, vnus tantum Mardochæus hoc negotium magna inſtantia pertractat: Cur ex omnibus Iudæis hanc cauſam Mardochæus, tanquam ſibi maximè propriam agit; nolebat ille Aman adorare, *quod cum ipſe experimento agnouiſſet, iratus eſt valdè, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas; magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri perdere nationem.* Eſther. 3. n.6. Cùm Mardochæus tanto periculo anſam præbuiſſet, totum negotium peculiariter ſibi incumbere iudicauit, vt pro incolumitate populi deſudaſſet, vt eum, qui ſui cauſa in periculum inciderat, eriperet, ac ſeruaret.

Eſther. 3. *Qui te in periculo conſtituit, à periculo eximat.*

*Matth.14.n.28.* Reſpondens autem Petrus dixit Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.

*Num. 29.* At ipſe Ieſus ait : Veni, & deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Domine mi, ſi tu es.

*Euthymius.* Iube, vt veniam ad te.

## *EXPOSITIO V.*

44. PETRVS audiens vocem Chriſti, certò agnouit ambulantem ſuper mare eſſe Chriſtum, vt vult Abulenſ. hic quæſt.166. Petit ab eo ſuper aquas venire. Theophylactus: *Feruentiſſima erat Petri erga Chriſtum charitas, deſiderabat ſtatim prope illum eſſe, & præ alijs.* Chryſoſtom. *Vides, inquit, quod vehementer Petrus arderet? Vides, quanta fides ipſius etiam nunc eſſet? nemo ita vt ipſe Ieſum amabat: Non ſolùm charitatem, ſed etiam fidem oſtendit. Quia enim credebat non tantummodo Chriſtum ſuper mare ambulare, verum etiam id alijs poſſe concedere, auſus eſt hoc petere, vt cum eo citius eſſe poſſet.*

Abulenſis. — Theophyl.



D. Chryſoſt. — *Feruens Petri charitas.*

45. Si verò contendas, quod illud verbum : *Si tu es*; eſſe veluti dubitantis, ac non certò ſcientis: Tunc dices, quod Petrus non poſtulat ſola iuſſionis externa verba, quæ potuiſſet & phantaſma proferre, ſed poſtulat etiam, vt ſua iuſſione inderet animo ſuo tantam fiduciam, audaciam, ac ſecuritatem, vt ipſo Domino iubente abſque vlla trepidatione ſuper aquas ambularet : vnde mox è naui exiens illico ſenſit, ſe ſuper aquas ambulare, abſque eo quod ipſæ cederent, vnde ſecurus ad Chriſtum tendebat. Ita Ianſenius, Lucas Burgenſ. & alij. Solus enim Deus mente illabitur, ſuiſque dat certa ſigna, quibus animum certũm reddit ſe eſſe illi loquentem, & non Angelum vel dæmonem, qualia ſigna habebant Prophetæ, dum audirent, ac annunciarent futura. Et Petrus magna modeſtia non ait : Veni ad me, vt volunt mundani, quod Deus eos quærat; ſed ait: *Iube me ad te venire*; & non ait, iube me ambulare, vel calcare aquas, ſed ad te venire. Sapiens homo rem arduam aggreſſus non vult longè eſſe à Ieſu, ſed ad illum venire, & iuxta illum eſſe, certus quod cum illo viam feliciter conficeret.

*Deus dat ſecuritatẽ, & fiduciam.* — Ianſen. Luc. Burg. — *In re ardua à Ieſu ne longè ſias.*

46. At ipſe ait : *Veni*, Chriſtus ſecuritatem, ac certitudinem indidit in mente Petri; quod Dominus conceſſit, tum vt monſtraret ſe eſſe eorum Magiſtrum, qui dixerat : *Ego ſum*, tum etiam vt fidem, ac dilectionem Petri commendet. *Deſcendens Petrus de nauicula:* Vt audiuit vocem Chriſti iubentis nil cunctatus eſt; ſed illico Chriſto eius animo mouente ſe ſuper mare committit. *Ambulabat ſuper aquas.* Quod factum eſt vno è tribus modis, vel quod Chriſtus detineret Petrum, ne mergeretur, ſicut Angelus rapiens Habacuc capillis ferebat Daniel.14.num. 35. Vel 2. quia non concurrebat Deus cum grauitate corporis Petri, vt eum grauidaret, ne ab aquis abſorberetur. 3. quia non præſtitit concurſum aquæ ad ſui diuiſionem, ſed fecit vt aqua ſolida, ac firma ſub Petri pedibus conſiſteret; ita Ioannes Maior in præſenti.

*Quomodo Petrus ambulabat ſuper aquas.* — Ioan. Maior.

*Matth 14.n.30.* Videns verò ventum validum timuit : & cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens : Domine ſaluum me fac.

*Num. 31.* Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?

*Syriacus n. 30.* Cum vidiſſet ventum vehementem timuit, cœpitque demergi : & attollens vocem ſuam dixit : Domine mi libera me.

*Arabicus.* Vidit autem validitatem venti, & prope erat, vt mergeretur, & exclamauit, &c.

*Euthym.Vatabl.* Et exterrritus eſt, & clamauit, Domine ſerua me.

*Syriacus, n.31.* Et in ipſius horæ puncto porrexit manum ſuam Dominus noſter, & prehendens eum dixit ei ô exigua fide prædite.

*Theophyl.* Paruæ fidei, ad quid formidaſti?

*Græcus.* In quid animum in duo diuiſiſti.

## *EXPOSITIO VI.*

VIDENS *verò ventum.* Quamdiu Petrus Chriſti virtutem, ac viſionem conſiderat : *Iube me ad te venire*; & iterum; *vt veniret ad Ieſum* : fide plenus attendebat, & ambulabat ſuper aquas; at vbi pauliſper dimotis à Ieſu oculis, cœpitque conſiderare vehementiam ventorum. *Videns ventum validum*, fluctuantemque vndarum naturam timore correptus cœpit fluctuare; & licet ex præcedenti miraculo, quo ambulabat ſuper aquas, debebat magis confirmari, tamen ex imbecillitate naturæ, tentatione venti accedente cœpit deficere. *Cúmque cœpiſſet mergi.* Quem fides ſuper aquam portauit, diffidentia merſit. *Clamauit.* Ad quid iſte clamor? Rectè D. Hieronym. *Vt intelligat ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia Domini ſeruatum.* Perpende : *Non facilitate.* Ne putaret Petrus tantum miraculum fuiſſe opus ſimplicis poſtulationis, ſed ſolicitæ potentiæ diuinæ. 47.

*Multum dãnum, ſi homo dimoueat oculos à Ieſu.* — D. Hieron. — *Magna non facilitate aſſequuntur.*

*Et continuò* : Seu vt habet Syriacus *in ipſo horæ puncto extendens manum apprehendit eum*; Subleuauit eum à voragine aquarum, qua mergebatur, eúmque ad ſe attraxit, ſed ad hoc non ſat erat vox Domini, ad quid manus extenſio. D. Hilarius. *Quod autem trepidanti Petro non virtutem perueniendi ad ſe Dominus indulſerit, ſed manum extendit, apprehenſúmque ſuſtinuit, hæc ratio eſt non erat quidem Petrus Domini ſui indignus acceſſu; nam & tentauit accedere.* Extendit Dominus manum, quod denotat ſuum eximium fauorem, vt canit Sedulius lib.3. Paſchali. Petrus tentauit accedere ad Ieſum, & cum mergeretur in itinere, non retroceſſit, ſed ſubſidium petit à Ieſu, & qui non conuerſus fuit retrorſum à ſuo itinere multum diuinum fauorem promeruit. 48.

Syriacus. — D. Hilar. — *Qui non retrocedit multo fauore dignus.*

*Modicæ fidei.* ſeu *exigua fide prædite* : vt habet Syriacus. Paruam fidem obiicit Dominus diſcipulo, admonens eum ſubmerſionis periculum, in quo deuenerat, non tantum à ventis, ac ab vndis, quæ antea ſolidum iter præbuerant eunti, ſed ab imbecillitate fidei proueniſſe, non enim ſat eſt habere vehementem fidem temporariam, ſed neceſſe eſt perpetuam, & cõſtantem obtinere: *Quare*; 49.

Syriacus.

id eſt ad quid ſeu quorſum : *Dubitaſti ?* Non dubitauit Petrus de Chriſti potentia, ſed fiduciam illam, quam conceperat ex potentia Chriſti, ac ex iuſſione eius aliquantulum remiſit dum timorem admiſit in animum ex vehementia venti plus æquo conſiderata; hacque voce à tentatione Dominus Petrum reuocat, eúmque ad fidei robur reducit D. Chryſoſtomus : *Sicut ſi pullus, ait, cum antequam volare queat, nido exiens in terram decidat, mater velociter raptum in nidum reſtituit : ſic tunc Chriſtus Petro peregit.*

*Proficit fides ſi non ſit tēporanea, ſed perſeuerans.*

D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Chriſtus permiſit Petrum aliquantulum mergi ?*

50. D. Hieron. D. Maxim. Theophyl.

RESPONDENT Primò. D. Hieron, *Paululum, ait, relinquitur tentationi Petrus, vt augeatur fides.* D. Maxim. ſerm. 1. de Apoſtolis Petro, & Paulo. *Petrus, ait, ob id trepidaſſe viſus eſt, vt fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominum ſeruumque differentia.* & Theophyl. *Hoc, inquit, fecit Chriſtus, ne Petrus ſuperbiret.* Permiſit hoc Chriſtus vt Petrus ſe humiliaret, ſcirétque quantū ex ſe, quantúmque ex Domino poſſet; ſuæque fidei infirmitatem agnoſceret, eiúſque augmentum à Chriſto expoſtularet fieretque petra fidei iuxta illud : *Tu es Petrus.*

*Humiliatur Petrus.*

51. D. Auguſt.

Secundò, D. Auguſtinus ſermo. 14. de verbis Domini : *Turbatio iſta, fratres, inquit, quaſi mors fidei fuit; ſed vbi exclamauit, fides iterum reſurrexit. Non ambularet, niſi crederet, ſed nec mergeretur, niſi dubitaret. In Petro itaque communis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, vt ſi nos in aliquo, tentationum ventus conatur ſubuertere, vel vnda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum.* Satis pulchrè rem totam explicat : Permiſit Dominus Petrum aliquantulum ſubmergi, vt nos diſcamus, quod ſi ventus contrarius vrget, tentationes inſtant, quod ad orationem confugiamus, clamemuſque ad Dominum, vt incolumes perſiſtamus.

*In diſcrimine clamandum ad Deum.*

52. D. Chryſol.

Tertiò, D. Petrus Chryſolog. ſerm. 90. *Petrus, ait, cum per æquora diuinos imitatur inceſſus, & nouus viator molle iter duris greſſibus calcat, antea dilapſus ſupplicat, quam gaudeat de donato.* Quandam iactantiæ auram maximè deuitat Dominus in ſuis; Ne ergo Petrus de tanto dono ſibi dato inanem lætitiam ruat; permittitur, vt in eum ventus validus inſurgat quo potius humiliter ſupplicet quam inaniter gaudeat de tanto dono.

*Inanis iactātia fugienda.*

53. D. Zeno.

Quartò, D. Zeno lib. 3. ſerm. 10. *Petrus,* ait, *æſtu marino feritur, non naufragus, ſed viator; Timet profundum intercipere non timentem.* Aquæ ſui immemores, veluti ſolida terra Petrum excipiunt, poſtea verò marini fluctus vehementer ad abſorbendum in eum inſurgunt: vnde tanta differentia ? Petrus primo omnino impauidus ſe commiſit marinis fluctibus, vt Chriſto frueretur, de eiúſque conſortio gauderet : animum autem impauidum, ac intrepidum pro Deo, Mare, terra, & vniuerſa mala reuerentur, nilque diſcriminis ei audent inferre, At ſi ipſe animus fluctuat, timore agitatur, magnæ tempeſtates in eum inſurgunt, multaque diſcrimina in eum armantur.

*Animum intrepidum pro Deo omnia venerantur.*

54. D. Auguſt.

Quintò, D. Auguſtin. ſerm. 14. de verbis Domini : *Attendite, ait, ſæculum quaſi mare, ventus validus, & magna tempeſtas. Vnicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt. Amas Deum ? ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſæculi ? Amas ſæculum ? Abſorbebit te Amatores ſuos ſorbere nouit non portare.* Dum Petus toto affectu rapiebatur ad Ieſum marinos vortices conculcabat. At vbi timor tempeſtatis, ac propriæ commoditatis in eum ingreditur, vt ad Ieſum retardare cœperit, iam fluctus non habet ſubiectos, ſed magno impetu in eum inſurgunt; innuebatur in hoc, quod illi, qui toto animi nixu Ieſum quærunt, ipſumque ſequuntur, ſub pedibus ſuis omnia mundialia ſubiecta obtinent, illorumque dominatu fruuntur; At verò ſi amore ſæculi tenentur, ad terrenaque bona mentem conuertent, ab ipſiſque bonis deuorantur, ac abſorbuntur.

*Qui Ieſum ſequitur terrena calcat, qui illa amat abſorbetur.*

55. D. Chryſoſt.

Sextò. D. Chryſoſtom. homil. 51. in Matth. *Quod maius erat, ait, ſuper maria ſcilicet de nauigio confidenter deſcendere, magno animo fecit, vi autem ventorum, & impetu fluctuum, quod erat minus ſuperatus timuit.* Ecce Petrus, qui primo horribiles, ac turbatiſſimos maris fluctus in altum, & in ima ſeſe ferentes non timuit, ſed valde animosè ad pedibus ambulandum ſuper illos ſeſe committit, modo verò ad flatum ventorum pauet, & trepidat. Sic ſe habet humana conditio, animoſa ſæpè ad magna, multum verò pauida ad minora; ſic & Petrus in horto ſtricto gladio contra totam militum cohortem armatur, in domo verò Pontificis vnius puellæ voce deficit, & totus exarmatur.

*Homo aliquādo ad magna animoſus, ad minima pauidus*

56.

*Simile eſt Regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes; ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleū ſecum.* Matth. 25. num. 1. Decem commemorantur virgines, & quinque fatuæ dicuntur, ac à nuptiis remanent excluſæ; cuius rei cauſa aſſignatur: *Non ſumpſerunt oleum ſecum.* Per oleum ſancti Patres communiter eleemoſynarum largitionem interpretantur, valde mirum, quod puellæ, quæ carnis illecebras calcarunt, quæ de mundialium voluptatibus glorioſè triumpharunt, in paruo oleo comparando defecerint, ac inde in tot mala inciderint, ſic ſe res habet, qui difficilia ſuperant, à facilioribus, ac minimis aliquando ſuperantur, & qui laſciuiæ flammas incombuſti pertranſeunt, defectu flammæ vnius lampadis comburantur. D. Chryſoſtomus homil. 79. *Non eſt,* ait, *corporis, & pecuniæ par cupiditas; ſed acrior multo, ac vehementior corporum eſt. Quanto igitur imbecilliori reluctamur, tantò minus, ſi vincimur, venia digni ſumus. Idcirco & fatuas appellauit, quoniam difficilioribus ſuperatis, faciliora perdiderunt.* Expende illud: *Difficilioribus ſuperatis.* Vide ſuperiori cap. 33. num. 120.

Matth. 25.

*Aliquando qui ſuperat difficiliora, à facilioribus ſuperatur.*

D. Chryſoſt.

*Marc. 6. n. 51.* Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus : & plus magis inter ſe ſtupebant.

*Num. 52.* Non enim intellexerunt de panibus : erat enim cor eorum obcœcatum.

*VER*



### *VERSIONES.*

*Syriacus, n. 51.* Et conquieuit ventus, & vehementer admirabantur, ac obſtupeſcebant apud ſe.

*Num. 52.* Non enim intellexerant de pane illo propterea quod cor eorum offuſum erat nube.

*Vatablus.* Super modum vehementer ſtupebant apud ſeſe, & admirabantur.

*Græcus.* Non enim meminerant panum. Cor eorum obduratum.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 32.* Et cum aſcendiſſent nauiculam, ceſſauit ventus.

*Num. 33.* Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes : Verè filius Dei es.

*Ioan. 6. n. 21.* Voluerunt ergo accipere eum in nauim, & ſtatim nauis fuit ad terram, in quam ibant.

### *EXPOSITIO VII.*

57. D. Chryſoſt.

DIVVS Chryſoſtomus in Ioan. homil. exiſtimat bis Chriſtum à diſcipulis fuiſſe conſpectum ſuper mare; ſemel apud Matth. & Marcum; & iterum diuerſa apparitione apud Ioan. dicitur enim ab ipſo; *quod voluerunt excipe eum in nauim :* Vnde exiſtimat citatus S. Doctor quod Chriſtus non aſcenderit nauim : Toletus in commentar. ex Græco exiſtimat quod idem eſt, voluerunt ſuſcipere, ac cupido animo ſuſceperunt : ſeu vt ait Ianſenius, cum diſcipuli agnouiſſent non eſſe phantaſma, ſed Chriſtum ipſum inuitauerunt. Aliter explicabis etiam, quod cum Chriſtus dixiſſet, *ego ſum,* & Petrus peteret facultatem ambulandi ſuper aquas, quam Dominus conceſſit, Apoſtoli, ſtatim voluerunt magiſtrum in nauim excipere, ſed ipſe ad magis confirmandum Petrum voluit, vt ait Euthym. Matth. 14. illum ambulare ſuper aquas : aliud argumentum, quod fit ex Bethſaida iam explicaui ſupra in hoc cap. num. 2. Vna, & eadem eſt ergo apparitio.

*Vna, & eadē apparitio.*

Tolet.

Ianſen.

58.

*Aſcendit ad illos in nauim.* At Matth. ait : *Cum aſcendiſſent,* ſcilicet Ieſus, & Petrus, de quo fecerat mentionem, *ceſſauit ventus.* Vt ex tanto miraculo certificarentur de Chriſti præſentia, ſemper ſe Dominus beneficiis dat cognoſci. Palacius, vbi verò intrauit in nauim Dominus, id eſt cum Domini præſentia in anima ſentitur, tunc nulla tribulatio ſentitur, vel quia ceſſauit exactor, vel quia licet premat, præſentia tamē Domini animus dulcedine abſorbetur. Apoſtoli autē plus magis intra ſe obſtupebant videntes tantam Chriſti virtutem, quam antea obſtupeſcerent, cum cogitauerint phantaſma, ſeu ſpectrum eſſe. Quatuor hic fuerunt miracula. Primum; quod Chriſtus ſuper aquas ambulauerit; ſecundum, quod & Petrum fecerit ambulare, ipſúmque, incipientem mergi erigeret. Tertium, quod ingreſſus in nauim illico ſedauerit ventum : Quartum, vt ait Ioannes, & ſtatim nauis fuit ad terram. Subitò ex medio mari ad littus nauiculam tranſtulit Chriſti virtus; vnde qui erant in naui, vt ait Matthæus adorantes dixerunt : *Verè filius Dei es.*

Palae.

*Chriſtus beneficiis ſe dat cognoſci.*

*Quatuor miracula.*

59.

*Non intellexerunt de panibus.* Reddit Euangeliſta rationem tantæ admirationis Apoſtolorum, quia non intellexerunt, ſeu non meminerunt; vt legit Vatabl. miraculi multiplicationis panum; nam ſi illud conſideraſſent, intelligerent Ieſu diuina virtute prædito nihil eſſe impoſſibile : *Erat enim cor eorum obcæcatum,* cum in manifeſtis Chriſti operibus cæcutirent.

Vatabl.

## QVÆSTIO X.

### *Quare ſacri Apoſtoli de miraculo heri facto modò non recordantur ?*

60.

MIRABILITER multiplicatis quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiauit Dominus quinque millia hominum antecedenti die ſub veſpore, & tamen modò quarta vigilia noctis, tranſactis fere duodecim horis, non intellexerunt, ſeu non meminerunt Apoſtoli, imo de hoc miraculo in nauicula maiorem admirationem habuerunt Apoſtoli, quam de antecedenti die de ſaturitate hominum; hic adorantes ad Chriſtum dixerunt : *Verè filius Dei es;* vt narrat D. Matthæus.

*Ratio dubitandi.*

61.

Reſpondeo primò. Quod humana conditio propria magis conſiderat, quàm aliena, & aduerſis citius eruditur quam proſperis; diſcipuli ergo, cum Chriſti virtutem non intellexiſſent in miraculo ſaturitatis quinque millium, præmittitur hoc eminens naufragium, vt ipſi liberati à periculo maris, à labore remigandi, à terrore ſpectri, ſeu phantaſmatis apparentis, hæc omnia attentiori animo reuoluentes, Chriſti virtutem recogitent, illiúſque agnitionem perpetuò, fixa mente retineant : Theophylactus. *Videtur, quod Chriſtus propter hoc permiſiſſet illos tentari, vt quoniam à panibus eum non cognouerant, notitiam è mari perciperent.*

*Homo magis conſiderat propria, quā aliena.*

Theophyl.

62.

Secundò, præclarum documentum hîc cunctis datur. Quantam perturbationem hora mortis in mortalium animis ingerit ? Ecce diſcipuli in ſchola Chriſti enutriti, cum tamen in mari, in periculo vitæ verſarentur, non meminerunt, nec recordantur de panibus, & tamen ab operatione miraculi ferè duodecim horæ erant tranſactæ; cautè viue, ſacramentali confeſſione purifica conſcientiam, nec negotia tuæ ſalutis ad horam mortis ſerues, quomodo enim tu in tam ſtricto tempore vt oportet de his recordaberis.

*Hora mortis multam perturbationem ingerit.*

63.

Tertiò, in ſaturitate turbæ non agnoſcunt Chriſti eximiam potentiam, ſed modo in præſenti miraculo, & maximè admirantur. In primo miraculo non indigentia laborabant diſcipuli, habebant

enim

enim quinque panes, & duos piſces; at in præſenti ipſi maximè periculo vrgentur Cum ergo in primo caſu eos non teneret neceſſitas, non apprime agnoſcunt Chriſti virtutem, qua turbis fameſcentibus ſubuenit. At vero modo, cum grauitas periculi, qua ſubmergebantur, eos perurgeret, ac apprehenderet, cum mirabiliter à Chriſto liberantur, apertè eius virtutem intuentur, ac venerantur; ſolum enim neceſſitate oppreſſi magnitudinem beneficij, ac excellentiam benefactoris recognoſcunt, & penetrant.

*Neceſſitatem expertus magnitudinem beneficij agnoſcit.*

64. Magno beneficio Elcana, & Annæ dedit Deus filium Samuëlem. Tunc Anna maximè gratulabunda hymnum in Dei laudem canit: *Exultauit cor meum in Domino.* 1. Reg. 2. num. 1. Tamen non legitur, quod Elcana gratias pro tanto dono exhibuiſſet Deo: cur ergo ſolum Anna? Non ſolum enim ipſa, ſed etiam Elcana ex illa filium optabat; *Quia Annam diligebat.* 1. Reg. 1. num. 5. Cur ergo Anna tantum tam gratulabunda ſe exhibet. Abulenſis quæſt. 1. *Quia ablatum eſt opprobrium de illius ſterilitate.* Verum ſe habet, quod donum vtrique fuerit conceſſum. At Elcana filios ex Phenenna obtinebat; Anna autem cum liberorum eſſet expers, ſterilitatis opprobrium patiebatur, & cum illa natorum indigentia tam grauiter vexaretur, ſolum illa celſitudinem beneficij penetrat, & agnoſcit, ac in multas gratiarum actiones prorumpit.

1. Reg. 2.

Abul. *Qui penuriã patitur donũ gratulatur.*

65. Cum Dauid cum ſuis militibus in deſerto agnouiſſet, quod Nabal magno conuiuio tonderet oues ſuas, per nuntios aliquid ab eo in ſubſidium petit ſubiiciens quod ipſe Dauid, ac milites eius nunquam fuerint moleſti eius paſtoribus; necè aliquando defuit quidquam eis de grege omni tempore, quo fuerunt nobiſcum 1. Reg. 25. num. 7. Quod audiens Nabal Carmelus valde iracundè, ac iniuriosè in incompoſita verba prorumpit; ſed quomodo ita iraſceris homo; nónne vides? quod multa modeſtia petunt, quodcumque inuenerit manus tua da ſeruis tuis. Nónne vides? quantum eis ſis aſtrictus pro bona ſocietate, ac tuta mine, quod gregibus tuis præſtiterunt. Nihil eorum ſe obligatum agnouit Nabal, dicitur enim de eo, ac eius familia. *Nunquam quidquam eis defuit.* Homo, qui nunquam nullius penuria laborauit nullum beneficium ſibi datum magnum reputat, nullúmque ſcit gratificare. Perpende quod obligationem erga Dauid non Nabal agnoſcit, ſed paſtores: *Hi viri pro muro erant nobis.* Cum enim paſtores eſſent experti latronum raptus, & furta inde agnouerunt; quam aſtricti eſſent Dauid pro beneficio boni comitatus ac ſocietatis.

1. Reg. 25.

*Cui nunquã quidquam defuit nullũ beneficium recognoſcit.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dominus ingrediens nauim de ſuo more non dixit diſcipulis ſuis Pax vobis?*

66. MVLTOTIES Dominus poſt Reſurrectionem, diſcipulis ſuis apparuit, eíſque dixit: *Pax vobis*; Luc. 24. num. 36. Ioan. 20. num. 19. & alibi ſæpè: Cur ergo hic ingrediens ad diſcipulos in naui non dixit etiam *Pax vobis*; Poſt Reſurrectionem apparebat Dominus, vt præclara munera; magnáſque dignitates Apoſtolis ſuis conferret; Petrum conſtituit caput Eccleſiæ: *Paſce oues meas.* Ioan. 21. num. 11. Apoſtolos creauit Epiſcopos, vt communiter interpretatur *illud, ſicut miſit me viuens, & Pater ego mitto vos.* Ioan. 20. n. 21. At vero in præſenti erant Apoſtoli multum tempeſtate, ac neceſſitate oppreſſi, non ergo dixit eis hic Pax vobis, vt Reſurrectionis tempore.

Luc. 24. Ioan. 20.

*Ratio difficultatis.*

67. Reſurrectionis diebus Pax annuntiatur diſcipulis, conferebantur tunc prælaturæ, ac dignitates, quæ ſæpè ad diſcordiam, ac ſeparationem, occaſionem miniſtrant, & ideo multum exigebatur; vt Pax à Chriſto commendaretur, ac daretur; quod ita in præſenti non requirebatur, cum Apoſtoli multa neceſſitate vrgerentur, ipſa enim neceſſitas pacem, ac vnitatem conſtituebat, vt omnes euolarent ad vela, remos, & clauum, omnibus enim pro vita negotium erat.

*Dignitas, ac prælatio diuiſionem, neceſſitas vnionem parit.*

68. Cum fame conſumerentur homines bis filij Iacob deſcenderunt in Ægyptum, vt ſibi, ac ſuæ familiæ emerent frumenta, & pro tunc nunquam Ioſeph fratribus pacem recommendauit; poſtea vero cum ſeipſum illis manifeſtaret, largáque munera ex omnibus Ægypti diuitiis eis dediſſet; Ait illis: *Ne iraſcamini in via.* Geneſ. 45. numer. 24. Cur modo, & non antea tam expreſsè amicitiam, ac concordiam recommendat? Antea deferebant quantum ſat erat pro eorum neceſſitate, modò vero opulenter precioſis veſtibus, ac gaſis ibant; & ſi antea rerum penuria amicitiam, ac confraternitatem adiungebat, à rerum copia multum ipſa diuiſio, ac diſiunctio timebatur: vnde prudenter valde ſtrictè de ea admonentur.

Gen. 45.

*Vbi opulentia diuiſio.*

*Marc. 6. n. 53.* Et cum transfretaſſent,
venerunt in terram
Geneſareth, & applicuerunt.

*Num. 54.* Cúmque egreſſi eſſent de
naui continuò cognouerunt eum.

### *VERSIONES.*

*Syriac. n. 54.* Et cum exiſſent de naui,
eo momento cognouerunt eum viri regionis illius.

### ALTER TEXTVS.

*Matth. 14. n. 34.* Et cum transfretaſſent
venerunt in terram
Geneſareth, & cum
cognouiſſent eum viri
loci illius, miſerunt in
vniuerſam terram illam, & obtulerunt ei
omnes malè habentes.

### *EXPOSITIO VIII.*

69. VENERVNT *in terram Geneſareth.* D. Matth. ſcribit *terram Geneſareth.* D. Chryſoſtom. & Lyranus in Matth. exiſtimant hanc eſſe terram Geraſenorum, cuius habita

D. Chryſoſt. Lyran.



habitatores ob demerſos porcos in lacum, Chriſtum rogauerunt vt ab eis diſcederet. Matth. 8. in fine, ac ſi illi fama operum, ac miraculorum Chriſti multum creſcente Chriſtum valde auide deſideraſſent, ídque Chriſtus ſciens tanquam ad meſſem iam Euangelio maturam redit. Tamen terram Geraſa, de qua Matth. 8. diſtinctam eſſe à Geneſar, de qua hic fit mentio; communior eſt ſententia: nam Geraſa erat trans mare Galilææ verſus Arabiam; Geneſareth autem erat cis mare iuxta Capharnaum, & Bethſaidam: Chriſtus autem in deſerto Bethſaidæ quinque millia hominum quinque panibus ſatiauit, de quo plura vide apud Recentiores Beauxam. Barrad. Lucam Burgenſ. Cornel. qui ex multis coniecturis has regiones eſſe diſtinctas colligunt.

Matth. 8.

Beauxam. Barrad. Burgen. Cornel.

70. *Cúmque egreſſi eſſent.* Chriſtus ſcilicet, & Apoſtoli *continuo cognouerunt eum*: Vt habet explicatius, Syriacus, *viri regionis illius.* Qui iam de Chriſti halitu quadam charitate præditi, vt ait D. Matth. *Miſerunt* ſcilicet per nuntios Domini aduentum diuulgari, vt omnes tanto bono fruerentur, ac vt in ſuis infirmitatibus haberent remedium.

D. Matth.

*Marc. 6. n. 55.* Et percurrentes vniuerſam regionem illã, cœperunt in grabatis eos
qui ſe malè habebant,
circunferre, vbi audiebant eum eſſe.

*Num. 56.* Et quocumque introibat
in vicos, vel villas, aut
ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel
fimbriã veſtimenti eius
tangerent, & quotcunque tangebant eum, ſalui fiebant.

### *VERSIONES.*

*Syriacus 55.* Cœperuntque adducere
eos, qui malè affecti
erant.

*Arabicus 56.* Deprecabantur eum, vt
vel extremitatem veſtiſtimenti.

*Syrus.* Vt vel alam.

### ALTER TEXTVS.

*Matt. 14. n. 36.* Et rogabant eum, vt vel
fimbriã veſtimenti eius
tangerent: & quicunque tetigerunt, ſalui facti ſunt.

### *EXPOSITIO IX.*

MIRA virtus Chriſti, hic deſcribitur, vt etiam tunica eius omnes tangentes ſanaret, à carne Chriſti tanta virtus dimanat, vt veſti, qua tegitur, tam admirabilem ſalutiferam vim communicet, ex quo rectè colligit Chryſoſtomus, ſi Chriſti fimbriam tangentes ſalutem aſſequebantur, quanto magis ſalutem obtinebunt, qui totum Chriſtum tangunt; imo & manducant in Euchariſtia, de cuius admirabili vi Chriſtus ſequentem inſtituit ſermonem.

## CAP. XXXV.

### *Sermo Euchariſticus.*

*Ioan. 6. n. 25.* Et cum inueniſſent eum
trans mare, dixerunt ei:
Rabbi, quando huc veniſti?

*Num. 26.* Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen, amen dico
vobis: Quæritis me, non
quia vidiſtis ſigna, ſed
quia manducaſtis ex panibus, & ſaturari eſtis.

### *VERSIONES.*

*Syriacus n. 25.* Magiſter noſter, quando
huc veniſti.

*Arias.* Quando huc factus es.

*D. Cyrill. Alex. lib. 3. c. 27.* Non quia vidiſtis ſignum.

*Syriacus.* Quia expleti eſtis.

*Nouatianus de cibis in append. Tertull.* Quia manducaſtis de panibus meis.

### *EXPOSITIO I.*

TVRBÆ, quæ præcedenti die ſaturatæ fuerant ex panibus, *Cum inueniſſent eum,* ſcilicet Ieſum, in Synagoga, ſcilicet vrbis Capharnaum, vt patet infra num. 59. *trans mare* à loco, in quo miraculum panum perpetratum fuerat. *Rabbi,* admirantes cum quadam adulatione, vt notat Euthymius, vt iterum eis menſam apponeret, qua ſaturarentur. Admirationis autem cauſa ea erat, quia videbant, quod vna tantum nox eſſet tranſacta, & quod terra illuc non niſi longo dierum ſpatio peruenire poterat. Videbant etiam, quod mari nauigando non venerat, nam ibi vna tantum erat nauis, in qua ſoli Diſcipuli abierunt, non enim introiuit Ieſus cum eis in illam, vt patet Ioan. 6. num. 22. Et in aliis nauibus quæ ſequenti die ſuperuenerant, in quibus turbæ tranſierant, non aderat cum eis Ieſus. ibidem num. 23. Vnde quærunt: *Quando huc veniſti?* non dicunt, Quomodo, nam cum tantum ad panes materiales eſſent intenti, virtutem Chriſti ambulandi ſuper aquas non ſuſpicabantur. Rectè Chryſoſtomus homil. 42. Hugo, & alij ponderant inconſtantiam turbæ: Heri magnis acclamationibus volebant Chriſtum conſtituere regem, ac prophetam venturum 1.

Euthym.

D. Chryſoſt. Hugo. *Turba valde inconſtans.*

turum dicebant; hodie verò quærunt, non vt regem faciant, ſed vt manducent.

2. *Reſpondit eis Ieſus:* Non reſpondet Dominus directè illorum interrogationi, *Quando veniſti:* tum quia curioſa, ſeu adulatoria eſſet, vt innuunt D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Albertus Magnus; tum etiam modeſtiæ cauſa, ne cogeretur dicere ſe ambulando ſuper mare illuc veniſſe, atque ita ſe iactare videretur: ſed reſpondit illorum intentioni, ac cogitationi, qua panum ſaturitatem appetebant, vt adnotarunt Chryſoſtomus, Cyrillus, D. Thomas, & alij, quo ſe verum eſſe Deum declarabat, cum illorum intima cordis penetraret. Et reſpondet Dominus, non ſimpliciter, ſed quadam reprehenſione, *vt oſtendat ſe*, ait Chryſoſtomus, *humanam gloriam non quærere, neque vllis delectari delectationibus.* Et non auſtera redargutione vtitur; non eos guloſos, ventriſque mancipia appellat, vt notauit Theophylactus; ſed leniter reprehendit, veluti blandè manum vulneri admouens: Increpatio enim ſupra modum dura, aliquando obdurationi, non correctioni inſeruit.

D. Chryſoſt. D. Cyrillus. Albert. Mag. D Chryſoſt. D. Cyrillus. D. Thomas. D. Chryſoſt. Theophyl. *Reprehenſio, nō nimis dura, vt proficiat.*

3. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna.* Acſi dicat Dominus: Heri in deſertum fuiſtis me ſecuti, quia videbatis ſigna, & prodigia, quæ faciebam ſuper his, qui infirmabantur Ioan. 6. num. 2. per quæ ſigna fidem, pœnitentiam, ac virtutes Euangelicas perſuadere laboro: at modò in Capharnaum me ſequimini, quia panibus ſaturati fuiſtis, & iterum impleri deſideratis: contemptis ſpiritualibus, ſolum de temporalibus eſtis ſoliciti. D. Auguſtinus tract. 25. in Ioan. *Propter carnem me quæritis, ait, non propter ſpiritum.* Idem habet D. Cyrillus Alexandrinus. Sed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Non enim donantem conuiuia attendebant, ſed ad ſola conuiuia ſpectabant. Quod etiam ponderat citatus Auguſtinus. *Quam multi*, inquit, *non quærunt Ieſum, niſi vt illis faciat benè ſecundum tempus. Vix quæritur Ieſus propter Ieſum.* Quam conditionem in multis Eccleſiaſticis deplorat D. Gregorius in cap. 30. *Per horum*, ait, *perſonam Dominus illos intra ſanctam Eccleſiam deteſtatur, qui per ſacros ordines ad Dominum propinquantes, non eiſdem ordinibus virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ præſentis quærunt; nec cogitant, quid viuendo imitari debeant, ſed quæ compendia percipiendo ſatientur. Satiatos quippe de panibus Dominum ſequi, eſt de ſancta Eccleſia temporalia alimenta ſumpſiſſe.*

*Homines pluris faciūt corporalia, quàm ſpiritualia.* D. Auguſt. D. Cy. Alex. D. Auguſt. D. Gregor. *Homines aliquando propter temporalem victum Eccleſiam quærūt.*

*Ioan. 6. n. 27.* Operamini, non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignauit Deus.

## *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Arabicus.* | Non cibum periturum. |
| *Arias.* | Non cibum pereuntem. |
| *Græcus.* | Hūc Pater ſigillauit Deus. |
| *Vatab. Pagnin.* | Hunc Pater conſignauit. |

## *EXPOSITIO II.*

4. DIVINVS Magiſter concione ſua altè conſurgit, & à pane corporali, quo heſterna die turbas in deſerto pauerat, ad panem ſpiritualem, ac multo magis neceſſarium, traducit ſermonem: ſicut & agens cum Samaritana, ab aqua puteana traduxit mulierem ad aquam ſpiritualem Ioan. 4. num. 13. *Operamini, non cibum, qui perit*, corporalem ſcilicet, qui corruptibilis eſt in ſe, & in effectu; vitam enim tantum temporariam conſeruat. Non prohibet hic Dominus cibi temporalis curam, cum ad vitam ſit maximè neceſſarius; ſed docet ſibi ſpiritualis curam eſſe præponendam Euthymius. *Non præcipit tantum operari cibum animæ, ſed admonuit, corporalem cibum obiter curare, animæ verò toto ſtudio.* Theophylactus. *Oportet, vos*, ait, *non omnino deditos eſſe ventri, ſed maximè ſpiritualem agere curam, & omnem ſolicitudinem in corporalem cibum inſumere.* vnde ſubdit. *Sed qui permanet in vitam æternam.* Qui hac eſca vtitur, quantum in ipſo cibo eſt, nam culpa manducantium aliquando fit, vt vita æterna non viuant. *Cibum autem iſtum*, ait D. Auguſtinus, *ſe ipſum inſinuat Ieſus, quod in ſequentibus illuceſcit: Ego ſum panis vitæ.* n. 35. De ſacra Euchariſtia eſt ſermo, vt quæſt. ſequenti dicam.

Ioan. 4. *De ſpiritualibus potius agendum, quàm de corporalibus.* Euthymius. Theophyl. D. Auguſt.

5. *Quem*; licet iuxta Græcum poſſit referri etiam ad vitam, ſcilicet *quam*, tamen ad ipſum cibum referendum eſt, vt apertè conſtat ex noſtra vulgata. *Filius hominis dabit vobis*, opportuno ſcilicet, ac conuenienti tempore. *Hunc Pater ſignauit*, ſeu, vt eſt in Græco, *ſigillauit.* Pronomen *Hunc* ad panem referunt Ammonius, & Rupertus. Solet enim, ait Ammonius, pani ſigillum imprimi, vt appareat, à quo ſit factus. Conſtructio autem Græca hanc expoſitionem non patitur: nam in Græco cibus eſt fœmineus; relatiuum autem *hunc* maſculinum. Vnde ſine dubio filium reſpicit. *Hunc autem filium Pater ſignauit*, hoc eſt ſigno ſuo, voce nempe, ac teſtimonio, operibus, ac miraculis, tanquam quibuſdam ſigillis appoſitis, eum à cæteris hominibus diſtinxit, ac filium ſuum, & Saluatorem mundi demonſtrauit, ac declarauit, vt docent Chryſoſtom. Euthym. D. Thomas, & alij infra citandi, hocque modo Chriſtus explicat, quomodo ipſe poſſit dare cibum permanentem in vitam æternā, cum ſit datus, ac declaratus filius Dei.

Rupertus. Ammonius. Chryſoſt. Euthymius. D. Thomas.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Euchariſtia dicatur cibus permanens in vitam æternam?*

6. FVERVNT Hæretici, nuncupati Maſſiliani, ſiue Euchitæ, id eſt precatores, qui dixerunt, vt referunt D. Chryſoſtomus homil. 43. in Ioan. D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, cibum permanentem in vitam æternam, quem Chriſtus, operando comparari iubet, eſſe orationem, ac ſi Chriſtus iuberet: nolite operari manibus, opus enim manuum conſumitur; operate ergo mente, ſcilicet Deum exorando; oratio enim cibus eſt ſpiritus, qui in vitam æternam permanet. Ex quo prædicti Hæretici inferebant, non eſſe manibus laborandum, ſed ſemper orandum. Hoc tamen eſt hæreticum dogma, vt docent ſancti Pa- tres

D. Chryſoſt. D. Auguſt.



tres citati, & apertè contra illud ſtat Paulus 2. Theſſalon. 3. num. 10. *Si quis, ait, non vult operari non manducet.* 1. Corinth. 4. num. 12. *Laboremus operantes manibus noſtris*; quod intelligendum eſt, vt dixi in Expoſitione: Laborandum, vt corporeæ neceſſitati ſeruiamus, præcipuè tamen, quæ ſpiritus ſunt, agenda.

2. Theſſal. 3. 1. Corinth. 4.

7. In Catholico, & vero ſenſu cibus iſte permanens in vitam æternam eſt fides, charitas, gratia, bona opera, ac ſacramenta, & præſertim ſacra Euchariſtia. D. Auguſtinus. *Credere in eum, eſt manducare cibum, qui permanet in vitam æternam.* Ita Ianſenius, Maldonatus, Beauxames, Cornelius à Lapide. Tanquam quod Chriſtus de minoribus, ac de his, quæ ſunt veluti antecedentia ad Euchariſtiam egit, & tunc de ipſo mirabili ſacramento inceperit ſermonem.

D. Auguſt. Ianſenius. Maldonat. Beauxames. Cornelius.

8. Tamen magis propriè, ac præciſè agitur hic de viuifico Euchariſtiæ ſacramento, de quo occaſione miraculi multiplicationis panum incepit hic Chriſtus tractare, ipſum, poſt annum vnum, aut circiter, in ſequenti Paſchate ante diem feſtum, donaturus; de eoque totum hunc ſermonem inſtituit. Et de ſe primum hic loquitur in tertia perſona, deinde in ſequentibus apertè, ac diſertè dixit, ſe eſſe hunc cibum: *Ego ſum panis viuus. Caro mea verè eſt cibus.* Ita D. Chryſoſtomus citata homil. 43. D. Auguſtinus tract. 25. in Ioan. N. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 28. Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, D. Bonauentura, Rupertus. *Qui permanet in vitam æternam*, ait, *id eſt, qui in hac mortali vita manducatus, ad hoc valet, ad hoc proficit, vt vitam det mundo æternam.* In cuius rei typum Deus poſuit in medio Paradiſi lignum vitæ. Geneſ. 1. n. 17. Explicans D. Damaſcenus inquit: *Lignum vitæ ſic dictum, quaſi habens operationem tributiuam vitæ.* Æternam vitam non conferebat arbor illa; ſolummodo deſignabat arborem Euchariſticam, ex qua accipimus permanentes fructus æternæ vitæ, ab omni vetuſtate alienos, & immunes.

*De Euchariſtia ſermo eſt.* D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Cyr. Alex. Euthymius. Theophyl. D. Thomas. D. Bonauent. Rupertus. Geneſ. 1. D. Damaſc.

9. Ait Ioannes in Apocalypſi 21. num. 11. *Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi iaſpidi.* Sermo eſt de Eccleſia Militante, cuius lumen Chriſtus eſt, in ipſa aſſiſtens. Sed cur Chriſtus in Eccleſia cum iaſpide, ſeu lapide viridi confertur? Cur non potius cum Sole, adamante, ſeu topazio? Talia nomina Chriſto tribuuntur ob miros, quos in nobis producit, effectus. Viridis color vitæ typum gerit; Chriſtus igitur in Eccleſia cum lapide viridi, ſeu iaſpide combinatur: quos enim in Eccleſia pabulo ſui corporis reficit, eis præſtat, vt nunquam marceſcant, ac areſcant, ſed ſemper virides conſiſtant, ac viuido flore perpetuò exultent, à morte præſeruati, æternæ vitæ munere donati. Andreas Cæſariæ Epiſcopus. *Hic autem*, ait, *per iaſpidem delineatur, tanquam perpetuò virens, cunctiſque viuentibus vitam largiens.* Ansbertus. *Iſta*, inquit, *viriditatis paſcua indeſinenter perfecti viri conſpiciunt, quo temporalia cuncta, quaſi arentia, deſpiciunt, eo interno viriditatis pabulo ſaginantur.*

Apoc. 21. *Euchariſtia dat vitam, & veluti à corruptione præſeruat.* Andr. Cæſ. Ansbertus.

10. Notat Rupertus Geneſ. 35. ad illa verba: *Mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ.* Quod *Rebeccæ mors nunquam inuenitur.* Cum tamen de aliis matronis Sara, ſcilicet, Rachele, Lia, mors commemoretur. Cur ergo tanto ſtudio Rebeccæ mors ſilentio premitur? Cum Iacob furatus eſt benedictionem à parente ſuo Iſaac, Rebecca mater, *Dediſque ei panes.* Geneſ. 27. num. 2. qui, vt auctor eſt D. Ambroſius apud Lippomanum, ſacram Euchariſtiam præfigurabant. *Cibum vtilem indicabat, quo futura erat remiſſio peccatorum.* Meritò de tantæ mulieris morte nulla ſit recordatio: quæ enim Euchariſtiæ typum geſtauit in manibus, ſuperior morte, donata æternæ vitæ reperitur. De quo multoties hic redibit ſermo.

Rupert. Geneſ. 27. D. Ambroſ. *Euchariſtia dat vitam.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare Chriſtus nobis mandat operari Euchariſticum cibum?*

11. AIT Chriſtus Dominus. *Operamini cibum.* Quod de ſacra Euchariſtia, iuxta ſanctos Patres, communiter intelligitur. Ad quid ergo tendit hic loquendi modus? nunquid hoc ſacrum edulium conficiendum eſt ab hominibus? Eſtne aliquis ex nobis, qui valeat hoc ſacramentum ſua pro pia operatione, ac virtute conficere? Minimè ſanè: ſolus enim Chriſtus illud eſt operatus, inſtituit, ac confecit. Ad quid tendit hæc phraſis: *Operamini cibum?* Docet nos Dominus, ne ad hanc eſcam edendam accedamus, quin illam prius virtutibus, obſequiis, vigiliis, ac laboribus promereamur. Sic ait Albertus Magnus. *Operamini cibum opere virtutis.* D. Bernardus ſermon. contra ingratitudinem, explicans hunc Ioannis locum ſic ſubdit. *Non ceſſemus ab operando hoc cibo, etiam cùm terrenis fortè occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu.* Si enim pro cibo, qui perit multum arantes, metentes, ac negotiantes deſudamus, quantò magis debemus laborem impendere pro cibo, qui permanet in vitam æternam.

*Euchariſticus panis à nobis eſt virtutibus operandus.* Albert. Mag. D. Bernard.

12. Ad hanc conſiderationem commendandam ſubdit Chriſtus Dominus. *Hunc Pater ſignauit Deus.* Particulam *hunc* ad panem refert Rupertus, vt iam notaui. Qui eleganter ait: *Hunc enim cibum ſignauit Deus, hoc eſt à communibus cibis diſtinxit, vt cum alios communes bonis, ac malis fecerit, ſolùm hunc panem, hunc cibum nunquam dare voluit, niſi dignis, id eſt operantibus opus Dei. Ita ſignauit, ita clauſis cæli portis muniuit, vt non cum cibis communibus patiatur, à porcis, & canibus inueniri.* Signauit, hoc eſt, veluti hunc panem ſigillo, ac nota diuiſit, ac diſcriminauit à cæteris eduliis; nam alij cibi communes fiunt dignis, & indignis; laborantibus, ac pigris. Hic autem cœleſtis ita ab aliis eſt ſegregatus, vt ad ſe non det auditum, & ingreſſum, niſi eis, qui laboribus, ac operibus digni illius efficiantur. Preme vltima Ruperti verba. *Ita clauſis cæli portis muniuit.* Rectè dicitur *ſignauit.* Signare, idem eſt, ac ſigillo claudere, *Signantes lapidem cum cuſtodibus.* Matth. 27. num. 66. vt dicam infrà. Hic cœleſtis panis multa cuſtodia adhibita eſt clauſus, & munitus, vt non niſi fortiter, ac validè laborantibus illius pateat aditus.

Rupert. *Euchariſticus panis ſolùm dignis datur.* Matth. 27.

13. Ait Iſaias 30. num. 20. *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Seu, vt habent Septuaginta. *Dabit vobis Dominus panem tribulationis, & aquam anguſtam.* Pagninus ex Hebræo, *panem*

Iſai. 30. Septuag. Pagnin.

Vatabl. D.Cyr.Alex. Leo à Caſtr. Cornel.

*panem anguſtiæ, & aquam oppreſſionis.* Vatablus, *aquas moleſtiæ.* Vaticinatur Propheta ſacram Euchariſtiam, vt explicant D. Cyrillus Alexandrinus, Leo à Caſtro, Cornelius à Lapide. Panis corpus Chriſti in Sacramento adumbrat. Aqua anguſta, ſeu oppreſſionis, ſeu moleſtiæ, eius pretioſiſſimum ſanguinem in paſſione effuſum. *Recolitur memoria paſſionis eius.* Euchariſtiæ ſacramentum panis vitæ dicitur, vt notaui ſuperiori quæſt. & in Apocalypſi iuxta Rupertum, Anſbertum, de eo agitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Apoc.2. num. 7. & cap. 22. num. 2. *Lignum vitæ afferens fructus duodecim*, id eſt omnem ſuauitatem, & dulcedinem. Quomodo hæc cohærent? Ab Iſaia dicitur panis arctus, tribulationis, anguſtiæ, ac moleſtiæ; à Ioanne verò vocatur lignum vitæ cum omni oblectamento, ac iucunditate? Optimè ſanè concordant Propheta, & Euangeliſta. Qui enim amplectitur virtutibus arctum viuendi modum; quique tenet tribulationem, ac anguſtiam pœnitentiæ, ac mortificationis, carnis ſpurcitias calcando, ipſe deguſtat, ac percipit ſuauitates, ac dulcedines huius ſalutiferi conuiuij. D. Cyrillus Alexandrinus in citatum Iſaiæ locum. *Panis igitur*, ait, *& aqua viuifica Chriſtus, ſed cum ſudore, & labore inuenitur: magna enim bona, & eximia non percipiuntur ab his, qui iacent, & deliciantur; ſed ab his, qui ſudores, ac labores in hac re collocatos contemnunt.*

(Rupert. Ansbert. Apoc.2. Apoc 22. — *Cæleſtis panis laborantibus deſignatus.* — D. Cyr Alex.)

14\. (3. Reg. 19.) Cum parens meus Elias obdormiret ſub vmbra iuniperi, *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, comede. Et ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* 3. Reg.19. num.6. Homines ſedentes panem comedunt. *Cum ſederis cum ſenatoribus terræ, vt comedas panem.* Et olim veteres recumbentes ad menſam ſtabant. Luc.7. num. 37. Propheta ſedebat, vel recumbebat ſub iunipero. Ad quid ad panem guſtandum, Angelus mandat eum ſurgere? Cur non patitur, vt conſueto modo panem comedat? Panis ille ſacram adumbrabat Euchariſtiam, vt habet Gloſſa in morali, & communis Patrum expoſitio. Iubet Angelus ſurgere; panis iſte non paratur ſedenti, vt quieſcat, ſed ſurgenti, vt ambulet. Hugo. *Surrexit Propheta à ſomno, & ambulauit per ſanctificationis laborem.*

(Luc. 7. — *Vt homo fiat Euchariſtiæ particeps ſurgat.* — Gloſſa. — Hugo.)

15\. (Prouerb. 9.) *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, poſuit menſam, miſcuit vinum: miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prouerb.9. num.3. Sæpè huius rei ſeries, ac contextus me in admirationem rapuit. Ponit ſapientia menſam ad comedendum, miſcet vinum, præparatur nempe ad bibendum; ad quid mittit ancillas vocari ad arcem, ac ad mœnia ciuitatis? Cur non potiùs ad menſam, & conuiuium, vt conſequentia rerum videbatur expoſtulare? Quid habet hæc menſa cum arce, ac mœnibus? Præmittuntur hæc tanquam præparationes ad hanc menſam; vt quis ad illam ingrediatur, prius vocatur ad arcem, & mœnia, in quibus eſt certamen, & vigilia, ex quibus hoſtes debellantur, ac proſternuntur. Benè ergo ante menſam ad loca certaminis vocantur. Non enim cœleſtis panis fiunt participes, niſi qui multo labore, ac luctamine inueniuntur probati, glorioſóque, & inſigni triumpho laureati.

(*Vt Euchariſtiam percipias, in luctamine prius, ſudoréque te exerce.*)

## QVÆSTIO III.

*Quare dicitur, quod Pater hunc ſignauit? Explicatúrque quam obſignata ſit Euchariſtia intellectui humano, quæ fidei eſt patens?*

16\. IAM explicaui in expoſitione, quod illa particula. *Hunc* ad Chriſtum refertur. Quo ergo ſenſu dicatur, quod Pater eum ſignauerit, eſt explicandum. Primò D. Cyrillus Alexandrinus lib.3. in Ioan. cap.29. Ammonius in Catena Græca, Albertus Magnus hoc de Filio Dei ratione diuinitatis interpretantur. Dicitur enim ſignari à Patre, quia Patris ſubſtantiam accepit. Character autem, quo ſignatus eſt à Patre, non eſt aliud, niſi ipſa forma, & ſubſtantia Deitatis. Vnde D. Gregorius Nazianzenus de Filio hæc ſcribit elogia. *Ille fons vitæ, & immortalitalitatis: illa archetypi expreſſio.* Quod explicans Nicetas ait: *Illud immotum ſigillum*, hoc eſt, quod non alteratur, nec in aliam formam tranſit, vt ipſemet Nicetas explanat. Et Paulus ad Hebr. 1. num.3. ait: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura*, Græcè expreſſa ſimilitudo, ſeu ſignum *ſubſtantiæ eius.*

(D. Cyr Alex. Ammon. Albert. Mag. *De Filio Dei interpretantur.* — Nicetas. Ad Hebr. 1)

17\. Secundò, ratione humanitatis aſſertum interpretantur D. Hilarius lib.8. de Trinit. D. Cyrillus citatus, D. Auguſtinus tract. 25. in Ioan. Toletus, Caietanus, & alij hic. Dicunt, quod Pater ſignauerit filium non in diuinitate, communicando illi ab æterno ſuam diuinitatem; ſed in humanitate, quando ſcilicet eam in tempore vniuit Verbo, communicando ei hypoſtaſim Verbi, itaut ipſa ſigillatio ſit diuinitatis vnio humanitati facta. Et vt rectè notat D. Hilarius, ſigillum imprimitur in materia diuerſa, quæ ſigillata dicitur. Sic & humanitas ſigillata eſt diuinate Filij, quæ omnino diuerſa eſt ab humana natura.

(D. Hilar. D. Cyrill. D. Auguſt. Tolet. Caiet. *De Chriſto, vt homine.*)

18\. Tertiò, Pater filium ſignauit, vt dixi in expoſitione, hoc eſt Pater filium manifeſtauit, ac declarauit voce, ac teſtimonio ſuo: Hic eſt filius meus dilectus: ac etiam operibus, ac miraculis, veluti quibuſdam ſigillis, Ieſum eſſe filium ſuum, verúmque Meſſiam, ac Redemptorem mundi cum ſuprema diuina poteſtate viuificum panem in vitam æternam inſtituendi, cæteráque Sacramenta conferendi, nouámque Eccleſiam, nouáſque leges condendi in ſalutem noſtram. Et tunc hæc præſens ſententia optimè cohæret cum antecedentibus. Dixerat Chriſtus, quod daturus erat panem permanentem in vitam æternam; inde hic explicat, vnde in eo tanta ſit poteſtas, quod ſcilicet ſit datus, ac declaratus filius æterni Patris. Hanc ſententiam tradunt D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, S. Thomas poſt alias relatas in vltimo loco. Gloſſa. *Signauit*, inquit, *hoc eſt proprio ſigno à cæteris diſcreuit.* Hæc ſententia ſupponit ſecundam, magíſque illam explicat: quia Pater diuinitate Verbi ſignauit humanitem Ieſu, indéque voce, ac operibus declarauit Ieſum verum eſſe Deum, ac filium ſuum cum tam ſuprema poteſtate. Hæc iuxta verum ſenſum. Nunc verò moraliter.

(*Signatus, id eſt declaratus, ac manifeſtatus.* — D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. D Thom. Gloſſa.)

19\. Sæpè iam dixi, & notaui ſuperiori quæſt. quod Rupertus



(Rupert.) Rupertus particulam illam, *hunc* ad panem refert; & ibi iam datus ait. *Hunc enim cibum ſignauit Deus. Ita ſignauit, ita clauſis cæli portis muniuit, vt iam cum cibis communibus patiatur à porcis, & canibus inueniri.* Signare, idem eſt, ac claudere: *Signantes lapidem cum cuſtodibus.* Matth.27. *Quem rex obſignauit annulo ſuo.* Daniel.6. num.17. Hunc ergo filium ſuum ſub ſacris ſpeciebus ita Pater ſignauit, recondit, ac obſcrauit, vt nullo humanæ rationis latratu, ac inueſtigatione valeat reperiri, ſed ſolùm fidei lumine ab ipſo Patre donato agnoſci poſſit.

(Matth.27. Daniel. 6. *Chriſtus ſub ſpeciebus obſignatus humano intellectui.*)

20\. (Iſai. 30.) Ait Iſaias 33. num. 20. *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ. Oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nunquam transferri poteſt, quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter, locus fluuiorum, riui altiſſimi, & patentes, non tranſibit per eam, nauis remigum.* Iuxta D. Hieronymum, Theodoretum, ac alios loquitur Propheta de Eccleſia Militante, prout in ea adeſt Chriſtus in ſacra Euchariſtia, & ideo appellat *ciuitatem ſolemnitatis*, ſeu feſtiuitatum, ſunt enim hæ maximè venerationi tanti myſterij debitæ, *habitationem opulentam*, diuitiis donorum, quæ ab hoc Sacramento dimanant. *Quia ibi ſolummodo magnificus eſt Dominus noſter.* De quo iterum infrà. *Locus fluuiorum, riui altiſſimi, & patentes*, ſeu, vt legit Vatablus, *circumfluunt riui altiſſimi*, ab illa enim hoſtia defluunt altiſſimi riui mirabilium arcanorum, quæ omnem humani intellectus captum tranſcendunt. In illa namque videtur panis, & non eſt panis, ſed illius tantum accidentia. Quomodo verò ibi ſint accidentia illa, & à quo ſuſtententur riui altiſſimi; ſeu per hos riuos altiſſimos interpretaberis altitudinem cœleſtium donorum, quæ ab hoc Sacramento dimanant. *Riui altiſſimi, & patentes, non introibit per eam nauis remigum.* Meritò in rem noſtram dubitabis: Si riui ſunt patentes, cur nauis hæc non ingredietur? Quænam eſt nauis iſta? Dicam hanc nauem eſſe humanum intellectum, cuius remiges ſunt naturales diſcurſus, ac ratiocinationes. Bene ergo huiuſmodi riui dicuntur patentes, & clauſi: patentes lumini fidei; clauſi verò humano intellectui, eiuſque diſcurſui. Et hac in re magnam habet emphaſim metaphora diuini ſpiritus, quod intellectus dicatur *nauis remigum*, qui enim remo nauigant, naturali induſtria, ac viribus vtuntur; qui enim naturali ſolertia, ac efficacia voluerit in hoc ſacramento diſcurrere, non introibit; non enim in hos riuos ingreditur humanæ rationis vi, ſed fidei obedientia: *Captiuantes intellectum in obſequium fidei.*

(D. Hieron. Theodor. — Vatabl. — *Chriſtus in Euchariſtia patet fidei, occultatur rationi naturali.*)

21\. (Iſai. 33.) Ab ipſomet Iſaia non diſcedamus. Eodem c.33. num.16. de Chriſto vaticinatus ſic: *In excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles.* Qui locus iuxta D. Iuſtinum dialog. contra Tryphon. de ſacra Euchariſtia intelligitur. Septuaginta legunt: *Habitabit in excelſa ſpelunca fortiſſimæ petræ.* Alij ex Hebræo transferunt: *Retia ſaxorum ſublimitas eius.* In quibus videtur veluti quædam contradictio apparere. Si enim abditur in ſpelunca fortiſſimæ petræ, quomodo inter retia habitat? Qui eſt inter retia, locum præbet per ipſa foramina ad ſui viſionem, qui verò in ſpelunca, ſeu receptaculo commoratur, omnem ſui intercludit intuitum. Quomodo ergo hæc coherent? Miro ſanè modo. In illo diuiniſſimo Sacramento inter illas ſacras ſpecies habet ſe Chriſtus veluti inter retia, vt ibi diuina fides eum agnoſcat, videat, ac veneretur: tamen ibi habitat in ſpelunca fortiſſimæ petræ, ne ratio naturalis eum inueniat, aut introſpiciat. Et dicitur ſpelunca fortiſſimæ petræ, cum tamen ſint quædam accidentia cuiuſdam quantitatis, coloris, albedinis, & ſaporis; tamen appellantur fortiſſima petra: nam ſi omnis naturalis vis, omníſque ſagacitas humani intellectus voluerit introire, ac illa ſacra arcana cognoſcere, non inueniet mera accidentia, ſed veluti quandam fortiſſimam petram, quam nulla humana ſolertia valet penetrare, & rumpere. *Aquæ eius* tamen *fideles*, ſcilicet diuina myſteria, largitionéſque gratiarum, quæ in hoc myſterio conferuntur, ſunt aquæ veræ, & fideles: nam ipſemet Ieſus, qui eſt ipſamet veritas, dixit: *Hoc eſt corpus meum. Caro mea verè eſt cibus. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ipſe hæc dixit, cuius potentia tantis miraculis nota eſt in Scriptura; cuius voluntas eſt potentia, & quidquid vult, operatur, vt latè hac in re diſcurrit D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini, cap.1.

(D. Iuſtin. Septuag. — Hebræus. — *Chriſtus in Euchariſtia abſconditur noſtræ rationi; manifeſtatur fidei.* — D. Paſchaſ.)

22\. Cur autem ſic voluerit hoc admirabile ſacramentum inſtituere? Multæ ſunt rationes, quas tradunt Theologi. Illa valdè celebris, quam inculcat D. Paſchaſius citato cap.1. *Vera eſt*, ſcilicet in hoc ſacramento, ait, *Chriſti caro, & ſanguis; ſed viſu corporeo, & guſtu propterea non demutantur, quatenus fides exerceatur ad iuſtitiam, & ob meritum fidei merces iuſtitiæ conſequatur.* Pulchrè aliam rationem excogitauit Rupertus, expendens illud, quod ſerpens dixit ad mulierem: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij.* Geneſ.3. num.4. Sic fatur præfatus Abbas. *Accipite, ait Chriſtus, & comedite: Hoc eſt corpus meum: non vident ibi carnis, ac ſanguinis ſpeciem. Profectò nec Eua videbat promiſſam ſibi à ſerpente Dei ſimilitudinem. Attamen in illa credidit, quod non videbat. Iuſta ergo lege, vt expietur iſte reatus malæ credulitatis, exigitur fides, vt credatis, quod non videtis.*

(*Cur Chriſtus abſconditus eſt in Euchariſtia.* D. Paſchaſ. — Geneſ. 3. Rupert. — *Mala credulitas expiatur credulitate bona.*)

## QVÆSTIO IV.

*Quare hic non ſolum dicitur Pater, ſed etiam cum expreſſione, ac additamento Deus nominatur, quod hunc panem ſignauerit?*

23\. SÆPE Chriſtus Dominus de ſuo æterno parente mentionem facit, cum de ſuis operibus agit. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Ioan.5. num.17. Cumque de glorificatione eius nominis lóquitur. *Pater, clarifica nomen tuum.* Ioan. 12. num. 28. Cumque in horto deprecatur: *Pater, ſi vis, transfer calicem hunc à me.* Luc.22. num. 42. Cumque pro inimicis rogat: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Luc.23. n.14. Cumque pro ſe orat: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ibid. n.46. In quibus locis, & aliis multis Patrem tantùm dixit: at in præſenti non ſolùm Patrem, ſed etiam Deum appellat. *Hunc Pater ſignauit Deus.* Nonne ſat erat dicere Pater, vt aliis in locis, Pater enim ipſe eſt Deus, vt fides Catholica profitetur; ad quid vlterius hic inſi

(*Ratio difficultatis.* Ioan. 5. Ioan. 12. Luc. 22. Luc. 23.)

*Euchariſtia valdè peculiare opus diuinitatis.*

inſigniter, & expreſsè Deus dicitur? Agebatur hic de Euchariſtico ſacramento. Vt ſignificaretur, quod hoc admirabile Sacramentum inter cætera eſſet valdè ſpeciale, ac peculiare opus diuinitatis, ac diuinæ omnipotentiæ; non ſolùm Pater, ſed cum expreſſione Deus dicitur, quod ipſum ſignauerit, dederit, ac confirmauerit, tanquam in oſtenſionem ſuæ diuinitatis, ac omnipotentiæ.

24\. *In Euchariſtia omnia Dei magnalia, vt in compendio.*

Hunc Pater ſignauit. Hoc admirabile Sacramentum Pater obſignauit, ſeu ſigillauit; in eo enim inſculpſit, ac impreſſit ſtemma ſuæ diuinitatis, ac omnipotentiæ; in eoque tanquam in compendio recapitulauit omnia ſua magnalia, omniáque, quæ ab ipſo ſunt, magna. Vniuerſa, quæ extant, in tres ordines diſtinguunt Theologi; in ordinem naturalem, ſupernaturalem, ac diuinum.

25\. In ordine naturali, ſcilicet in totius vniuerſi, cælorum, ac elementorum, & hominis creationis opificio, in eo maximè enituit, ac reſplenduit diuina omnipotentia, quod totam hanc mundi molem ſuper vacuum, ac nihilum poſuit, & firmauit. Quod admirans Iob cap. 26. n. 7. ait: *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Aquilonem*, id eſt cælum per Synecdochen pars pro toto, vt interpretatur Albertus Magnus, D. Thomas, Pineda, & alij. *Et terram appendit*, ſeu *ſuſpendit*, vt vertunt Septuaginta, *ſuper nihilum.* Admiramur ſanè, quomodo tota hæc terræ moles ſurſum non feratur: admirantur ſanè & Antipodæ, quomodo erga nos ipſa non vergat, & labatur. Super quas columnas æreas, vel ferreas Deus totam hanc mundi amplitudinem conſtituit? Quod admirabundus ſciſcitatur Iob 38. num. 6. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* Tamen Deus omnipotens ſua infinita ſapientia tali modo totum hunc creauit vniuerſum, vt conſtituerit in medio quoddam indiuiſibile punctum, vulgò centrum, quod omnes partes terræ æqualiter ad ſe contrahens, & compellens, mediante concurſu effectiuo ipſius Dei, ſuper vacuum, & nihilum totam hanc molem retinet, & conſeruat.

Iob 26. — Albert. Mag. D. Thom. Pined. Septuag. — Iob 38. *Structura mūdi ſuper nihilum fundatur.*

26\. D. Chryſoſt.

Hæc autem ſupereminens Dei omnipotentia, & ſcientia, de qua multum miratur D. Chryſoſtomus ſerm. de ieiuniis, maximè viſitur, & apparet in hoc admirabili Sacramento. In eo enim ſtatim omnes videmus quædam accidentia. Sed quæro: A quo ſuſtentantur? *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* In quo ſubiecto inhærent illa quantitas, ille color, albedo, & ſapor? Super nullam ſanè materiam. *Extendit Aquilonem ſuper vacuum.* Sed per quendam concurſum effectiuum à Deo retinentur, & conſeruantur extra omne ſubiectum. Quod eſt tam mirabile, & rarum, vt ſi fides illud non doceret, forſitan nulla ratio naturalis illud inueſtigare valeret, vt docent Theologi, Suarius in Metaphyſ. diſputatione 30. ſectione 17. num. 27.

*Accidentia Euchariſtiæ ſuper nullum ſubiectum ſuſtentantur.* — Suarius.

27\. In ordine ſupernaturali, ſeu gratiæ, in quo conſtituuntur illa, quæ non ſunt homini naturaliter debita, vt viſio beatifica, fidei myſteria, ſacramenta à Chriſto inſtituta. Inter vniuerſa hæc opera maximè ſupereminet diuini verbi Incarnatio. Immenſus enim Deus, quem tota mundi machina non capit, ſe contraxit, ac exinaniuit ad paruam quandam vnius pueri materiam. At verò in hoc Sacramento ad multo minorem, ac anguſtiorem locum Deus ipſe ſe redigit, ac contrahit, ad quodlibet ſcilicet illius ſacratiſſimæ hoſtiæ indiuiſibile punctum. Deinde illud valdè mirabile, quod Deus hypoſtaticè vnitus eſt humanæ naturæ, infinitus finito, creator creaturæ. Hæc eademmet vnio verè, & realiter reproducitur, quoties hoſtia à Sacerdote conſecratur. Tandem in Incarnatione Deus deſcendens de cælo in vtero Virginis ſibi hypoſtaticè vnam numero naturam vniuit; ad eiuſque exemplar, cum Deus maximè vellet, nos omnes ſibi habere vnitos, aliam vnionem, ſcilicet ſacramentalem, inuenit, per quam vniretur omnibus illis, à quibus per ſacram Euchariſtiam recipitur, & manducatur. Giſlerius in cap. 2. Cantic. verſ. 4. *Egregie*, ait, *quidam ſacramentum iſtud extenſionem appellant Incarnationis. Inuenit enim amor diuinus vnionem alteram, illi maximè ſimilem, per quam ſingulis vniretur hominibus: & vnio illa hypoſtatica extenderetur quodammodo ad omnes pariter, & ſingulos.* Vide infrà.

*Incarnationis myſteriū in Euchariſtia.* — Giſlerius.

28\. In ordine diuino conſtituitur ſupremum diuinitatis mirabile, ſcilicet ſacratiſſimum Triadis myſterium, quod ex eminentia, ac fœcunditate ipſius diuinæ naturæ prouenit. Æternus Pater producit diuinum Verbum communicando illi ſuammet numero eſſentiam, cum ſit tamen perſona ab eo realiter diſtincta. Huius rei quædam ſimilitudo ſuo modo viſitur in hoc ſacramento, vt ait Chriſtus Dominus infra: *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Vt explicant D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, S. Thomas, & alij infrà adducendi ſuo loco. Sicut meus Pater, ait Chriſtus, mihi communicat ſuam eſſentiam, & vitam; ſic manducanti meum corpus in Sacramento altaris ego communicabo me ipſum: *In me manet, & ego in illo.* Communicabóque ei quandam vitam ſpiritualem, cæleſtem, & æternam, quæ eſt quædam alta participatio meæ vitæ. Quod in proprio loco infrà latius explicabo.

Ioan. 6. — D. Chryſoſt. D. Cyrill. D. Thom. *Manducanti communicat Chriſtus vitam ſpiritualem.*

29\. O admirabile Euchariſtiæ Sacramentum, *omnium miraculorum, ab ipſo factorum, maximum*; vt ait D. Thomas in opuſculis cap. 57. In quo relucent cætera Dei opera, artificium creationis vniuerſi, admirabilitas Incarnationis, ſumma Dei miſericordia, ac potentia, & ſcientia, quæ tantùm valet huius myſterij celſitudinem explicare, & aperire.

D. Thom.

30\. Coniecit oculos ad huius mundi creationem Regius Vates, & ad Deum pro tanto opere laudandum conuocat creaturas omnes: *Benedicite Domino omnia opera eius.* Pſalm. 102. num. 22. Cumque eleuat mentem ad Incarnationis arcanum decantandum, Angelos, virtutes cælorum, & omnes gentes vocat: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonem eius.* Pſal. 102. num. 20. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.* At verò, cum ipſemet Propheta ad Euchariſtiæ Sacramentum conuertit ſermonem, ad celebritatem tanti operis ipſammet Dei miſericordiam inuitat. *Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum, quia ſatiauit animam inanem, & anima eſurientem ſatiauit bonis.* Pſalm. 106. num. 8. Animam inanem, ſeu animam *vacuam*, vt alij transferunt. Quid eſt, quod ad alia opera decan-

Pſalm. 102. — Pſalm. 116. — Pſalm. 106.

tanda



tanda creaturæ conuocantur, ad Euchariſtiam vero, non iam creaturæ, ſed ſola Dei miſericordia vocatur. In aliis Dei factis creaturæ valent aliquid dicere, & decantare. At Euchariſticum ſacramentum tam ſublime, ac mirabile eſt, vt non iam creaturæ, ſed ſola Dei miſericordia, quæ tam excellens ſui amoris ſacramentum inuenit, illud poterit, dicere, celebrare, ac nobis explanare.

*Sola Dei miſericordia poſſit Euchariſtiam dicere, & explicare.*

| | |
|---|---|
| *Ioan. 6. n. 28.* | Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, vt operemur opera Dei. |
| *Num. 29.* | Reſpondit Ieſus: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. |

*VERSIONES.*

*D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 30.* Vt operemur opus Dei.

*Syriacus n. 29.* Hoc eſt opus illud Dei.

*EXPOSITIO III.*

31\. D. Cyrill. Alexandr.

DIVVS Cyrillus Alexandrinus proximè citato loco exiſtimat hæc verba prolata fuiſſe à Iudæis ex arrogantia quadam, quod ſcilicet Chriſtus vellet docere, ac tanquam incuriæ animæ ſuæ reprehendiſſet, quod ſolum ob corporalem cibum eum ſectarentur. Chryſoſtomus, Euthymius aſtruunt, quod tanquam guloſi hæc dixiſſent, eo quod Chriſti panes quibus fuerant ſatiati, rurſus appeterent. Verius autem D. Auguſtinus tract. 27. in Ioan. Albertus magnus, Caietanus, & alij ſentiunt, Iudæos hæc dixiſſe animo ſincero multi enim erant inter eos qui doctrina Chriſti, ac panum miraculo excitati, de ſua ſalute aderant ſoliciti. Cum Chriſtus antecedenti verſu dixiſſet: *Operamini panem non qui perit, ſed qui permanet:* quærunt, Quænam ſint illa opera facienda. Per opera Dei, vt ait Leontius, non intelligunt illa opera, quæ ſunt Deo grata, ac in lege mandata, ſed illa quæ Deus per Ieſum determinauit, ac præſcripſit ad talem panem in vitam æternam habendum.

D. Chryſoſt. Euthym. — D. Auguſt. Albert. mag. Caiet. — Leontius.

32\. *Reſpondit Ieſus: Hoc eſt opus Dei.* Cohæret reſponſio interrogationi: Quæſierunt illi, quænam eſſent opera Dei? Ad hoc reſpondet Dominus. *Vt credatis in eum*, ſcilicet in me, qui tot ſignis, miraculis, ac teſtimoniis probaui, me eſſe à Deo miſſum. Loquitur de ſe in tertia perſona, modeſtiæ cauſa. Et fidem appellat opus, cum tamen videatur operibus opponi; ſiquidem fides in mentis aſſenſu conſiſtit? Loquitur Chriſtus de fide plena operibus bonis, ſeu de fide viua; fides autem ſine operibus mortua eſt.

*Fides cum operibus.*

## QVÆSTIO V.
### *Quare Chriſtus de ſola fide facit mentionem?*

33\. Theophyl.

RESPONDET Theophylactus in præſenti. *Fides profecto eſt opus ſanctum, & perfectum, & ſanctificans illos, qui illam habent. Dux enim ſit diligens fides ad omnem bonam operationem, & bona operatio conſeruat fidem. nam & opera ſine fide mortua ſunt, & fides ſine operibus.* Sub fide tanquam ſub radice charitatem, Spem, religionem, Pœnitentiam, ac omnes virtutes, quas fides generat, & ad quas excitat intelligit Chriſtus Dominus vt 2. Corinth. 3. late explanant commentatores.

*Sub Fide, vt ſub radice, aliæ virtutes.*

Secundò, agebatur de Euchariſtico pane. Vnde & Chriſtus Dominus ſtatim de fide facit mentionem. Excellentia enim fidei maximè in hoc ſacramento nitet, & irradiat. Ex quo hoc ſacramentum fidei myſteriū per antonomaſiam appellatur: fidéſque cum Euchariſtico calice in manu depingitur. Cur tanta excellentia fidei in hoc ſacramento? Quia hoc myſterium ſola fide tenendum eſt, & humanæ abiiciendæ ſunt rationes. Vel quia in eo intellectus credit, & aſſentitur contra id, quod omnes ſenſus agnoſcunt, & experiuntur. Omnes ſenſus experiuntur panem; & tamen fides firmiter credit, ibi nullam eſſe ſubſtantiam panis, ſed tantū carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti. 34.

*In Euchariſtia fides reſplendent.*

*Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Rom. 4. num. 3. Multíſque ibi, ac aliis locis Apoſtolus prædicat, ac extollit Abrahæ fidem. Sed cur tantis ſublimatur? an quia credidit Deum omnipotentem, ac mundi creatorem. Hæc aliqualiter, ac imperfectè naturale lumen valet inueſtigare. Commendatur autem tantis fides Abrahæ, quia *credidit in ſpem contra ſpem, vt fieret Pater multarum gentium.* Contra omnem naturæ ordinem, ac hominum ſcientiam, & experientiam heroica fide firmiter credidit Dei verbis ac promiſſioni, ex ſterili, ac annoſa Sara ſibi prolem fore naſcituram, vt notauit D. Thomas. *Quod Abraham fieret Pater multarum gentium certitudinem habebat ex parte Dei promittentis; ſed contrarium apparebat ex cauſa naturali, ſiue humana; ideo credidit in ſpem contra ſpem, vt fieret Pater multarum gentium.* Fides, quæ ſe extendit ad credendum contra ea, quæ hominum ſenſus, cognitio, ac experientia aſſequitur, fides eſt valde illuſtriſſima, multis prædicanda, ac celebranda. 35.

Rom. 4. — D. Thom. — *Mirabilis fides credens contra ſenſuū experientiā.*

Orbis fame maxime premebatur, & cum Iacob penuria rerum vrgeretur, filios ſuos ad ſe vocans ait illis: *Quare negligitis? audiui, quod triticum venundetur in Ægypto, deſcendite, & emite vobis neceſſaria* Gen. 42. num. 2. Quomodo Iacob iam ſenex, penè ſurdeſcens, domi retentus, bona nuncia de copia frumenti in Ægypto audit; Cur non potius filij, qui vt iuuenes per publica loca, & plateas verſabantur, vbi res nouæ & neceſſariæ frequenter practicantur? Triticum illud, iuxta D. Ambroſium citandum, typum gerebat diuini frumenti corporis Chriſti, cuius agnitionem non percipiunt iuuenes vagantes per ſæculum, ſed bonus ſenex in receptaculo domi clauſus, in quo cum probitate vitæ eminebat eximia ſanctitas cum omni virtutum ornamento; nam licet in auribus corporis videretur aliquantulum ſurdeſcere, tamen interior fides mentem erigebat, vt perciperet, ac intelligeret, quæ tanti myſterij erant. D. Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 8. *Citius vtique iuniores, ait, quàm ſeniores conſueuerunt audire, dum foris poſiti multa circumeunt. Sed hanc negociationem prius ſenex audit; ſed ille ſenex, in quo eſt fidei longæua canities. Prior ſenex intelligit ſed ille ſenex, in quo eſt venerabilis ſenectus, & ætas ſenectutis vita immaculata.* 36.

Geneſ. 42. — *Sola fides Chriſtū agnoſcit.* — D. Ambroſ.

37. 1.Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem :* ait Paulus 1. Corinth. 13. num. 12. Per ſpeculum aliqui legunt ex Hebræo. *Per inſpectorium* , tanquam medium , per quod aliquid videtur , qualia ſunt perſpicilia ſenum, Cornel. vt explicat Cornelius. Seu , vt alij vertunt , *Per cancellos.* Quomodo autem hæc inter ſe compatiuntur , ænigma , & ſpeculum , vt communiter dubitant Interpretes : nam ſi per ſpeculum hic Deum videmus ; ergo eum clarè videmus , & non in ænigmate , quod eſt obſcurum. Paulus loquitur Theod. de Sacramentis , vt explicat Theodoretus. In Eu- *Senſibus ænigma, fidei ſpeculum.* chariſtiæ Sacramento videmus Chriſtum per ſpeculum in ænigmate: hoc enim Sacramentum ſenſibus eſt ænigma obſcurum ; fidei vero ſpeculum perlucidum , ac clarum. Fortè non eſt longè ab Origen. hac conſideratione Origenes homil. 3. in Numer. *Tunc* , ait , *in ænigmate erat Manna cibus , nunc autem in ſpecie caro Verbi Dei , & verus cibus.*

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Chriſtus Dominus in præſenti fidem appellat opus?*

38. *Fides viua.* AIT Ieſus : *Hoc eſt opus Dei , vt credatis.* Fidem dicit opus ; cum tamen fides videatur ab opere diſtingui. Reſpondeo , vt iam dixi in Expoſitione : Loquitur Chriſtus de fide viua plena operibus bonis Iuſtitiæ , ac Charitatis ; de hac enim fide eſt præſens ſermo , vt D. Chryſoſt. explicat D. Chryſoſtomus ſerm. de fide , & lege naturæ. Agebat hic Chriſtus Dominus de ſacra Euchariſtia , ad quam nullus præſumat accedere, niſi cum omni ornatu , ac compoſitione virtutis, & fide viua operibus plena.

39. Tribus Angelis magnum Abrahamus parat conuiuium. *Ipſe ad armentum cucurrit , & tulit inde vitulum tenerrimum , & optimum , dedítque* Gen.18. *puero.* Geneſ.18.num.7. Optimè dubitabis : ſi ipſe Patriarcha tam feſtinus ad gregem tendit,cur ipſe etiam vitulum non tulit , ſed hunc deferendum puero commiſit ? Vitulus ille , vt eſt valde vulgare, Chriſtum Dominum in conuiuio Euchariſtico repræſentabat ; & licet ipſe Abraham eſſet fide præclarus , tamen vtpotè ſenex ſtatum veteris ho- *Ad Euchariſtiam recipiẽdam virtutum decor requiritur.* minis adumbrabat. Datur ergo vitulus puero , in quo , puerili ætate , innocentia , ſimplicitas , caſtimonia ſine corruptione veteris hominis exprimebatur. Non enim accipitur hic vitulus ſola fide , ſed vlterius exigitur omnis virtutum decor,ac D.Ambr. pulchritudo. D. Ambroſius lib. 1. de Abraham. cap.5. *Vir currat ad boues* , ait , *ſumat vitulum , & Sacramentum Dominicæ paſſionis feſtinato impiger ſtudio , non lento otio remiſſus, accipiat : tradat illud puero , qui innocentiam teneræ ſeruet ætatis, dolum neſciat , referire non nouerit,incorrupti corporis caſtimoniam cuſtodiat.*

40. Inito concilio Ioſeph vendunt fratres mercatoribus Iſmaëlitis.Sed cur his potius , quàm aliis? Quid in eis apparet , quo efficiantur digni , qui ſecum habeant Ioſeph ? De his mercatoribus ait textus : *Portantes aromata , & reſinam , & ſta-* Gen.37. *Odor virtutum.* *ctem in Ægyptum.* Geneſ.37.num.25. Ioſeph typum Chriſti Domini gerebat , vt planum eſt : & ſolum illi negociantur , vt eum mereantur recipere , qui ſecum habent , & aſportant aromata omnium virtutum , reſinam pœnitentiæ , quæ conſilidat fracturas animæ , ſtacten humilitatis , & propriæ cognitionis. Diuus Ambroſius lib. de Io- D.Ambr. ſeph cap. 3. *Illi igitur* , ait , *emunt Chriſtum , qui boni odoris deferunt thymiama , quo adolent altaria piæ mentis. Reſinam quoque , qua marmoreæ confracta ſociantur. Eſt reſina ſpiritualis , quæ fracturas animæ tuæ ſolidet , & diuulſa connectat , & ſoluta conſtringat.*

41. Ad celebrandum Paſcha mandat Deus filiis Iſraël : *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias , & domos ſuas.* Exod. 12. n.3. Exod.12. In noſtrum argumentum duo maximè notanda veniunt. Et primò tempus , quod ad agni conuiuium eligitur ; de quo plures rationes reddunt Procopius , Lyranus , Abulenſis , & alij. Illa ſa- Procop. Lyran. Abul. tis apta. Quod menſis ille erat Niſan , id eſt, Aprilis. Quid habet hoc tempus ad tantam menſam? Hoc menſe vireſcunt arbores, in flores erumpunt, *Ornatus virtutum ad agnum Paſchalem.* præiucundum , & ſuauem odorem emittunt. Voluit ergo Dominus ex hoc tempore denotare,qualis futurus eſſe deberet animus illius , qui ad hoc ſacrum edulium properaret , non aridus,& ſiccus, ſed multis veſtitus floribus , odoriferus virtutibus, ſanctíſque operibus plenus. Rupert. lib.2.in Exod. Rupert. cap.5. *In hoc myſterium eſt*,ait, *ipſe menſis Niſan, id eſt , Aprilis , verna temperies , cum tellus refloreſcit , totúſque poſt hyemem , quaſi poſt ſenium, rurſus iuueneſcit Orbis ; nónne ſenſatum hominem docent , quatenus renouatus ſpiritu mentis ſuæ , fide viridis , ſpe lætus , & charitate floridus paſchalis agni epulis interſit ſpiritualibus ?*

42. Aliud maximè notandum , quòd in hac ſolemnitate Paſchali mandat Dominus mactari agnum. Cur non potius aliam pecudem ? Agnus iſte ſacræ Euchariſtiæ typum gerebat. Voluit ergo Deus , vt *Innocentia agni ad Euchariſtiam.* ipſa victimæ natura , qualem exigebat animum accedentis , innueret. Agnus ſimplicitatem , innocentiam , ac puritatem notat ; hanc amplecti debet animus talem eſcam recepturus , vt illi ſit proportionatus , & habilis , vtque tali cibo ſaginatus proficiat , ac viuat. Nam ſi cibus eſt comedenti improportionatus , non nutrimentum , ſed nocumentum affert. D. Chryſoſtomus homil.1.de D. Chryſoſt. Paſſione. *Ad hodiernum conuiuium* , inquit , *qui frequentia ſolemni conuenitis , & cum Chriſti Diſcipulis immolationem agni Paſchæ facere conſueuiſtis , ſyncera , quæſo , & plena charitatis viſcera diuinis exhibete myſteriis , nulla ſit in mente duplicitas , ne liuoris libidine interior homo fuſcetur. Agnus comeſus agni innocentiam præferat, nec immaculatæ ouis mẽbra lupina transfundat in viſcera.*

*Ioan.6. n.30.* Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi , quid operaris ?

*Num.31.* Patres noſtri manducauerunt Manna in deſerto , ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare.

*Num. 32.* Dixit ergo eis Ieſus: Amẽ, amen dico vobis , non Moyſes dedit vobis panem de cælo , ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.



*Num. 33.* Panis enim Dei eſt , qui de cælo deſcendit , & dat vitam mundo.

### *VERSIONES.*

*Syriac. n.32.* Mouſes non dedit vobis panem illum è cælo, ſed pater meus dat vobis panem illum veritatis è cælo.

*Num. 33.* Panis enim Dei is eſt , qui deſcendit de cælo.

### *EXPOSITIO IV.*

43. D. Chryſoſt. QVOD *ergo tu facis ſignum ?* Rectè hos pungit Chryſoſtomus hom.44. in Ioan. *Nihil* , ait , *his ſtultius , nihilque inſipientius : cum ſignum in manibus haberent , tanquam nullum fecerit , rogant , quod ſignum facis ?* Quam ſtultitiam eorum intemperantiæ refert. *Hæc* , inquit, *obtuſum , & craſſum ingenium ; hæc carnalem animam reddit : hæc cæcat intellectum , nec ſinit , vt* *Iudæorum cæcitas.* D.Greg. *quidquam perſpiciat.* Cæcitati Iudaicæ hoc tribuit D.Gregorius lib.10.Moral. cap.11. vtens verbis Iob 12. numer. 15. *Benè vtique dicitur* , ait, *palpabant quaſi in tenebris , & non in luce : qui enim inter tot aperta miracula trepidat , quaſi in* *Inimicus non videt magnalia.* *tenebris palpat , quia quod tangit , non videt.* Non incongruè inimicæ maleuolentiæ hoc referes, quæ inter manifeſta ſigna nil magnum in te videt. *Vt videamus , & credamus tibi.* Ac ſi dicerent : Rem ſummam à nobis exigis , vt ſcilicet in te veluti Dei filium , ac Meſſiam credamus , & licet heri à te fieri viderimus miraculum multiplicationis panum , tamen ad tantam fidem tibi præſtandam, tale ſignum non ſufficit ; nam Moyſes quid ſimile, immò maius fecit præbens Manna in deſerto. Quod explicantes ſubdunt.

44. *Patres noſtri manducauerunt Manna.* Quaſi dicerent Moyſes pauit parentes noſtros , ſcilicet ſexcenta , & plura hominum millia cæleſti,ac ſuauiſſimo pane , nempe Manna ; ídque omnibus diebus in deſerto per quadraginta annos : quod quidem excellentius , & maius eſt , quàm heſter- *Iudæorum cæcitas.* na panum à te exhibita multiplicatio. Et tamen Moyſes ex hac cauſa noluit reputari , ac iudicari filius Dei , aut verus Meſſias. Si ergo tu , ô Ieſu, talis haberi vis , aliud maius exhibe , excellentiúſ- Albert.Mag. que oſtende ſignum. Sed Iudæi , vt ait Albertus Magnus , ſemper de ſuo more cæcutiunt. Rectè argumentari debebant: Ieſus dæmones eiicit, vniuerſos morbos curat , mortuos ſuſcitat , mirabili modo inflammat hominum corda ; quæ Moyſes non fecit : ergo ipſe maior eſt Moyſe , ac tantis ſignis verus Dei filius manifeſtatur.

45. D. Chryſoſt. Moraliter Chryſoſtomus homil.44. in Ioan.ait: *Sed quidnam ? nullum aliud ex prioribus ſignis meminerunt , cum plurima tunc temporis in Ægypto,* *Nil hominibus maius, quam id, quod deſiderant.* *in mari , in deſerto facta eſſent , ſed hoc duntaxat? quia hoc maximè impulſu ventris deſiderabant.* Cur inter tot prodigia à Moyſe facta pro libertate Populi, ſolum de Manna faciunt mentionem ? cur non potius de diuiſione maris rubri ? vel de aliis ſignis , quæ forſitan maiora videbantur ? Solum Manna commemorant , quia appetitu ventris vehementer cibum deſiderabant. Homines nil maius reputant , quàm id , quod multum exoptant. Vel Guloſi nil maius appendunt , quam cibum. *Maximum miraculum, quod homini eſt vtile.* Vel quia inter cætera prodigia nil magis eorum deliciis , ac vtilitati deſeruiuit , quàm Manna ; & hominum vtilitas illis erat miraculi præeminentia ; & probatio ſignorum vniuſcuiuſque commoditas.

46. *Dixit ergo eis Ieſus : Amen , amen dico vobis.* Magna vtitur aſſeueratione Chriſtus. Aſtruebat rem valde magnam præter eorum opinionem: opponit , ac proponit panem ſuum , hoc eſt, ſeipſum in Euchariſtia , Manna , ex multiplici ratione. De quo quæſt.10. *Panem de cælo verum.* Quod Diuus D. Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. 44. D. Cyrillus Alexandri- D.Cyril. nus lib.3. cap.34. D. Auguſtinus tract.26.in Ioan. D. Auguſt. ſic explicant. Primo *verum* vt diſtinguatur à Man- *Cur panis Chriſti dicitur verus.* na , in quo tantum erat figura ; in Euchariſtia autem veritas. Secundò , *verum* , quia dat veram vitam , tam animæ , quam corpori. Duas alias explicationes valde ad ſenſum conſonas profero. *Verum* , ſcilicet de cælo ; nam hic panis verè eſt cæleſtis , non ex aëre , vt Manna , ſed à ſummo cælo. Vel verum , hoc eſt , hic panis eſt verus , omnino perfectus , & abſolutus , in quo eſt omnis plenitudo , ac conſummatio eſſendi , ac alendi. De quo infra.

47. *Panis enim verus eſt , qui de cælo deſcendit.* In Græc. Græco *deſcendit* eſt in præſenti , & denotat con- *Continuus Chriſti deſcenſus in Euchariſtiam* tinuationem deſcenſus Chriſti in Sacramentùm altaris vſque ad finem ſæculi. *Et dat vitam mundo.* Probat ab effectu panem eſſe de cælo verum, quia non Iudæis tantum , vt Manna , ſed vniuerſo D.Cyril. mundo dat vitam. Ex quo pulchrè ait D. Cyrillus lib.3. in Ioan. cap. 34. *Panem cæleſtem Manna ex imperitia nuncupatis , quo quamuis innumeræ penè gentes in Orbe eſſent, ſolum tamen Iudæorum genus fuit enutritum. Neminem veſtrum errare volo , non erat panis ille cæleſtis , ſed hic eſt , qui vniuerſum terrarum Orbem poteſt nutrire , & toti mundo vitam præbere.* Panis Euchariſticus verè è cælo , cum *Dei dona omnibus communia.* ſit omnibus datus ; non ſic verò Manna , cum vni populo tantum eſſet reſeruatum ; quò enim dona pluribus communiora , eo magis propria Dei reputantur.

## QVÆSTIO VII.

### *Panis Euchariſticus in Manna præfiguratus ſine terrenorum mixtione ſumendus.*

48. MVLTÆ ſunt combinationes , per quas Auctores diſcurrunt , vt aſtruant , Manna typum extitiſſe ſacræ Euchariſtiæ : hac quæſtione & ſequentibus breuiter aliquas attingam. Tranſacto mari rubro , cum iam per quadraginta dies Populus eſſet egreſſus de terra Ægypti, promittens Manna ait Iſraelitis Moyſes : *Veſperè ſcietis , quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini.* Exod. Exod.16. 16 num.6. Pollicentur carnes veſperi in ſignum, *Euchariſtia Chriſti gloria.* quod Dominus eos eduxerit de Ægypto. Et manè promittitur gloria Dei , ſcilicet Manna, vt Euchariſtiæ

riſtiæ typus, dicitur gloria Dei; quia hoc ſacramentum, totum in noſtram ſalutem inſtitutum, maxime oſtendit maieſtatem, potentiam, ac gloriam Dei. S. Ignatius Martyr ad Epheſios ſic ait: *Feſtinate ergo accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei.* Aliter Tertullianus lib. contra Pſichycos c. 5. explicat, quod ſcilicet Deus habet pro gloria, agere de ſuorum ſalute. *De cælo*, ait, *epulas miſerat, id enim gloriam ſuam Dominus appellat, qui gloria magnificat us dicitur, ſuorum ſalute.*

S. Ignat. Mar. Tertull.

49\. Illud maximè ponderandum: Quod Manna datur conſumptis cibis, quos ex Ægypto aſportauerant Hebræi, vt notant Abulenſis, Caietanus, Lyranus, Lippomanus, & alij; & colligitur ex textu Exod. 16. num. 3. *Vt occideretis omnem multitudinem fame.* Cuius rei præclaram rationem nobis inculcat D. Nyſſenus lib. de vita Moyſis. *Cum Ægypti viatica*, ait, *& cibi Hebræis defecerunt, deſuper illis defluxit cibus. Diſcimus hinc, quod oporteat mundos, puroſque animos noſtros facere, ita vt omnino Ægyptiaca vitia, vitiorum ſcilicet omniũ turba, in nobis deficiat, & depurato, defæcatóque animo cæleſtem cibum eſſe ſuſcipiendum.* Cur, cum Populus egreditur de Ægypto, non ſtatim in eo liberalis Dei manus oſtenditur, vt cæleſti pane recreetur; ſed poſtquam defecerunt Ægyptiaca viatica, ac cibi: Præfigurabatur ibi, quod ſiquis vult fructus ſacræ Euchariſtiæ particeps fieri; conſumptis omnibus terrenis affectibus, purè, ſyncerè, ſine temporalium mixtione illam ſumat; & tunc illius ſaporem, atque delicias æterno dono hauſto deguſtabit,

Abulenſis. Caietanus. Lyranus. Lippoman. Exod. 16. D. Nyſſenus.

*Euchariſtia ſyncerè ſumenda ſine mixtione tẽporalium.*

50\. Cum ad Terram promiſſionis perueniſſent Iſraelitæ, *Comederunt de fructibus terræ die altero Azymos panes, & polentam eiuſdem anni. Defecitque Manna, poſtquam comederunt de fructibus terræ*, Ioſu. 5. num. 10. Fructus terræ, cibi liciti; tamen terreni, & temporales: ab his autem panis Euchariſticus, in Manna præfiguratus, multum ſegregatus, & diuiſus: qui ergo terrena comedunt, ſtatim dulcedinem, ac ſaporem huius diuini epuli deguſtare deſinunt. Guſtata dulcedine huius edulij inſipida eſt omnis terrena caro; & vice verſa cui ſapida eſt huiuſmodi caro, non guſtat hanc dulcedinem. D. Bernardus Epiſt. 3. ad Fulconem. *Quomodo ignis*, ait, *& aqua ſimul eſſe non poſſunt; ſic ſpirituales, & carnales deliciæ in eodem ſe non patiuntur. Vbi crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua dulciora ſuper mel, & fauum menti propinare non dignatur. Vbi curioſa ciborum diuerſitas, vbi diuitis ſuppellectilis diſcolor varietas oculos pariter paſcit, & ventrem; cæleſtis panis ieiunam deſerit mentem*

Ioſue 5.

*Euchariſtia non guſtatur temporalium admixtione.*

D. Bernard.

51\. Ab ipſo Manna non diſcedamus. Cum Moyſes illud promitteret Populo, ait: *Dabit vobis Dominus veſpere carnes, & mane panes in ſaturitate.* Exod. 16. num. 8. Si Dominus Populi neceſſitati parat ſubuenire, eumque cibo recreare; cur etiam cum carnibus non dat panes? Quis vnquam potens Dominus ſuis parans conuiuium, det carnes, & non apponat panes? Rupertus. *Per carnes*, ait, *vetera ſacrificia, per Manna nouum ſacrificium accipimus* Attende in his myſterium. Carnes carnalia, Manna ſacram Euchariſtiam innuebant. Hic autem cæleſtis panis non ſumitur in fructum, & profectum, mixtione carnalium, ſed ab illis maximè diſiunctus, & ſeparatus. Et ideo promittit carnes veſperè, panes manè. Cur non vice verſa panes veſperè, carnes manè? Carnes à terrenorum copia ſatiatis accipiuntur; panes verò manè, non niſi à puro, ac defœcato ſtomacho recipiuntur.

Exod. 16.

Rupertus. *Euchariſtia ſecum nõ patitur in ſui comeſtione temporalia.*

52\. Vrgente fame ſedebat Elias abſconditus in torrente Carith. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane; ſimiliter panem, & carnes veſperi; & bibebat de torrente.* 3. Reg. 17. num. 6. Poſtea verò, cum fatigatus dormiret ſub vmbra iuniperi, *Ait illi Angelus Domini; Surge, comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* 3. Reg. 19. num. 6. Nunquid corui magis liberales, ac magnifici, quàm Angelus? cur illi panem, & carnes aſportant; Angelus verò ſolum panem? Panis ab Angelo delatus hoc peculiare habebat, quod ſacram Euchariſtiam adumbrabat, quæ in ſui ſumptione nullius alterius rei admixtionem admittit, ſed purè, ac ſyncerè accipienda eſt.

3. Reg. 17.

3. Reg. 19. *Euchariſtia ſumenda ſine temporalium admixtione.*

# QVÆSTIO VIII.

## *Quare Manna Euchariſtiæ vmbra, cum rore deſcendebat?*

53\. AIT textus Exod. 16 num. 13. *Mane quoque ros iacuit per circuitum.* Quod de vulgari, ac communi rore interpretantur Vatablus, Caietanus, Oleaſter, Lippomanus. Deſcendebátque ros, vt ſubſterneretur. Tuncque ſuper illum deſcendebat Manna. Immò multi Hebræorum aſtruunt, Manna duplici rore fuiſſe contectum. Itaque vnum erat quaſi ſubtegmen, ſeu ſtramen, quo Manna excipiebatur; alterum quaſi inuolucrum deſuper erat, quo idem Manna obtegebatur; & inter vtrumque roris ſtramentum panis ille Angelorum, tanquam in theca ſeruabatur. Cur hoc regmine inuoluebatur Manna?

Exod. 16. Vatablus. Caietanus. Oleaſter. Lippoman.

*Manna duplici rore cõtectum.*

54\. Reſpondet Primò Genebrardus in Pſalm. 67. *Quia* ſcilicet cibus Manna, ait, *typus cenſeri poſſet corporis Chriſti latentis in ſpeciebus ſacramentalibus, & non prius ab intellectu noſtro intelligi, quàm ros humanæ rationis diſpareat ad lumen fidei.* Manna ſub roris tegumento occultabatur; at oriente Sole ros euaneſcebat, & apparebat Manna. Innuebatur ibi, quod ſacrum Euchariſtiæ myſterium obuelatum obiicitur rationi; at aſcendente fidei lumine, euaneſcit ratio, & diuinum myſterium apparet.

Genebrard.

*Euchariſtia, rationi obuelata, fidei lumine videtur.*

55\. Secundò Rupertus lib. 3. in Exod. cap. 11. *Ros ergo*, ait, *qui cum Manna deſcendit, Spiritum ſanctum ſignificat, per cuius ſanctificationem ad inuocationem Sacerdotis conficitur corpus Chriſti.* Ros Spiritum ſanctum adumbrat. Manna ſacram Euchariſtiam. Antequam Manna deſcenderet, veniebat ros. In hoc quoque innuebatur, quod nullus in ſe audeat recipere ſacram Euchariſtiam, niſi prius Diuini Spiritus gratia ſit inſtructus, & exornatus.

Rupertus.

*Euchariſtia ſuſcipienda, multa præuia Diuini Spiritus gratia.*

56\. Tertiò Ante Manna deſcendebat ros. *Cumque deſcenderet ros ſuper caſtra, deſcendebat pariter Manna.* Num. 11. num. 9. Ros humor eſt, qui ſereno tempore defluit. Magnum datur nobis documentum, quod ante ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem, tota anima noſtra ſit lachrymarum rore perfuſa, vndique multum rorent oculi, vt anima hoc aquarum imbre purificetur, ac mundetur, vt condigne ſuſcipere valeat tantum ſacramentum. Venit parens meus Elias ad viduam Sarephtanam, ab eaque

Numer. 11. *Anima lachrymis purificetur ad Euchariſtiã ſuſcipiendã.*



que petit: *Da mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam: Affer mihi, obſecro, buccellam panis in manu tua.* 3. Reg. 18. numer. 10. Cur Propheta cum eſſet ieiunus prius à muliere petit aquam, & poſtea panem? Panis ille typum gerebat ſacræ Euchariſtiæ: prius aquam poſtulat innuens, quod ad hunc panem guſtandum prius præmittenda ſit aqua lachrymarum, & contritionis.

57\. Ait Regius Vates Pſalm. 101. num. 10. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Et tamen antea prædixerat Propheta: *Panem Angelorum manducauit homo.* Pſalm. 77. num. 25. Quomodo ſibi cohæret Propheta: ſi panis dulcedo eſt Angelorum, quomodo cum cinere, id eſt, dolore, ac gemitu mixtus cum lachrymis, *& potum meum cum fletu miſcebam?* Qui enim panem hunc cæleſtem ſumit cum dolore, ac fletu, ipſe guſtat, ac comedit Angelorum dulciſſimum panem; ipſæ enim lachrymæ acuunt, & excitant animum, vt huius ſacri edulij dulcedinis particeps fiat. Philippus Abbas Epiſtol. 8. *Comedit peccator conuerſus cinerem tanquam panem, cibatur pane lachrymarum, cum exceſſus præteritos humiliter deflere, & fletu irriguo illos ſatagit abolere: quia qui panem comedit humilium peccatorum, meretur pane refici ſublimium Angelorum.*

Pſalm. 101.

Pſalm. 77.

*Vt Euchariſtia tibi ſit dulcis, cum lachrymis recipe.*

Philip. Abb.

58\. Poſt Domini reſurrectionem, cum ipſe ſtetiſſet in littore, ait Ioannes Petro: *Dominus eſt. Simon Petrus, cum audiſſet, quia Dominus eſt, miſit ſe in mare. Alij autem Diſcipuli nauigio venerunt.* Ioan. 21. numer. 7. Cur in hoc negocio Petrus ab aliis Diſcipulis ſe diſiungit? Cur non cum illis nauigio venit? Ad quid ſe mittit in mare? Vel, cur ipſe Petrus à Domino non poſtulat, vt è medio maris ſtatim nauis deueniat ad terram, vt eſt in alia nauigatione factum: *Statim nauis fuit ad terram.* Ioan. 6. num. 21. Cur ergo ita ſe mittit in mare? Sciebat bonus Chriſti Diſcipulus, in ſchola eius maximè verſatus, quod poſt peccatum multis homo, vt ad Chriſtum accedat, irrigationibus, & ablutionibus indiget: Mittit ſe in mare Petrus, vt illa externa lotione indicaret internam animæ cum lachrymis ablutionem. Diuus Chryſologus ſerm. 78. *Mittit ſe in mare*, ait, *vt mare dilueret, quod negatio taliter ſordidauerat.*

Ioan. 21.

Ioan. 6. *Vt ad Euchariſtiam accedas, lachrymis animam mũda.*

D. Chryſol.

59\. Sæpè anima in Canticis Canticorum deſcendit in hortos, & campos multis floribus conſitos, multíſque ſuauiſſimis fructibus, malogranatis, ac punicis repletos; nunquam tamen pane, & melle reficitur, niſi poſtquam ad myrrham deuentum eſt. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo.* Canticor. 5. num. 1. Seu, vt legunt Septuaginta, *Comedi panem meum.* Hunc ſuauiſſimum panem non guſtat, cum inter amœniſſima pomaria degeret, ſed cum veniſſet in amariſſimam myrrham, quæ lachrymas excitat, mortificationem, ac pœnitentiam denotat. Meritò ſanè. Panis ille ſacræ Euchariſtiæ typum gerebat, vt docet D. Ambroſius lib. 5. de Sacrament. cap. 3. Hic autem diuinus panis non guſtatur, nec fit dulcis in ore, vt mel, inter periucundos deliciarum hortos, ſed inter acerbam pœnitentiæ, mortificationis, ac fletus myrrham.

Cant. 5. Septuag.

D. Ambr. *Vt Euchariſtia tibi ſit dulcis, cum mortificatione veni.*

# QVÆSTIO IX.

## *Quare Manna, Euchariſtiæ typus, omnem dulcedinem, ac ſaporem referebat?*

60\. DE Manna ait Sapientia 16. num. 20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem; ſubſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat.* Ad quid tot ſaporum, ac dulcedinum differentias Deus in Manna conſtituit? Vmbram gerebat ſacræ Euchariſtiæ, in qua omnium ſuauitas, ac dulcedo percipitur. Eleganter Matthæus Epiſcopus Vormacenſis homil. de Cœna Domini. *Futuræ*, ait, *iucunditatis amabile præludium, Eccleſiæ Militantis cum Triumphante ſuaue glutinum, dum eandem dulcedinem, qua illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub Sacramento.* Tanta ſuauitas guſtatur in hoc Sacramento, vt cum ea conferatur, ac explicetur, quæ in Patria experitur. Ex quo ait D. Paſchaſius lib. de Corpore, & Sanguine Domini. cap. 9. *Hoc frumentum, corpus videlicet Chriſti, non ſolum adipem habet, ſed & omnes delicias; ita & potus ſanguinis. Vnde quod de petra typicè manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur. Quia quicquid prægustare ſpiritualiter potueris, hoc totum ibidem inuenies.*

Sap. 16.

*Mira dulcedo in Euchariſtia.*

Epiſc. Vor.

D. Paſch.

61\. Pulchrè de hac re diſſerit Cæſarius Arelatenſis homil. 5. de Paſchate. *Illud Legis Manna*, ait, *cælitus illapſum, per multimodas ſuauitates naturæ meritum, & generis ſui excedit intuitum. Et cum creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtus, quod ignorabat aſpectus. Quod igitur illic auiditas faciebat, hic*, id eſt, in Euchariſtico pane, *fides faciat. Quod ſi in corpore cibus ſapiat, in pectore Deus credulitate proficiat.* Manna oculis quid tenue, & minutum, ſicut ſemen Coriandri; at guſtui omnium ſaporem reddebat. *Præbebat guſtus, quod ignotabat aſpectus.* Sacra Euchariſtia oculis videtur quid minutum, quædam ſcilicet accidentia albedinis, & coloris, at ſi dignè accedis, percipis omnem dulcedinem. Viſu Euchariſtia cibus quidam apparet; at ſi purè venis, ſuauitates, ac dulcedines Dei mirè experiris. *Quod ſi in corpore cibus ſapiat, in pectore Deus credulitate proficiat.*

Cæſar.

*Euchariſtia oculis panis, cordi autem Dei dulcedo.*

62\. Pſalm. 67. iuxta D. Auguſtinum, Hieronymum, Brunonem vaticinatur Propheta Chriſti Domini myſteria, aduentum ſuum in mundum: *Cum ingredereris in conſpectu populi tui.* num. 8. Poteſtatem, ac virtutem, quam dedit ſuis prædicatoribus. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus.* num. 12. Chriſti mortem. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine.* num. 24. Aſcenſum in cælum. *Aſcendiſti in altum.* num. 19. Inter hæc conuertit oculos ad Chriſtum Dominum in Sacramento Altaris, & ait: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael; ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* num. 27. Rectè Chriſtus in Sacramento Altaris appellatur Benjamin, qui idem valet, ac filius doloris; exprimebat enim ille in domo patris ſui Iacob Rachelis matris ſuæ mortem, ſic & Chriſtus Dominus dicitur vir dolorum, & repræſentat in domo Patris ſui, Eccleſia ſcilicet ſancta, mortem

D. Aug. D. Hieron. D. Brun. Pſalm. 67.

*Chriſtus in Euchariſtia cum mortis repræſentatione.*

mortem ſuæ ſanctiſſimæ humanitatis. Et dicitur Beniamin adoleſcentulus; nam Beniamin adoleſcens in domo patris ſui erat ſemper retentus, & clauſus, ne quid ſimile, vt Ioſeph, ei accideret. Vatablus legit: *Ibi Beniamin paruulus:* Chriſtus Dominus enim in ſacramento Altaris maximè ſe contraxit, vt in qualibet minima parte hoſtiæ ibi adſit. De hoc iterum redibit ſermo.

Vatablus.

63. Pſalm. 67.

Ad noſtrum intentum. Ait Propheta: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael.* Mandat nobis Propheta Deum laudare, & benedicere ob fontes benedictionum, & gratiarum, quæ ab hoc Sacramento in nos defluunt. Quomodo exuberantes gratiæ huius ſacramenti dicuntur fontes Iſrael? Iſrael, id eſt *videns Deum.* In hoc ſacramento ſunt fontes videntis Deum; Deus in hoc magno arcano eſt abſconditus: *Verè tu es Deus abſconditus.* Quomodo ergo dicuntur fontes, ex quibus Deus videtur, & agnoſcitur? Totum in hoc admirabili arcano inuenitur. Deus eſt abſconditus, & Deus eſt manifeſtus. Ipſe Beniamin adoleſcentulus Chriſtus Ieſus perſona ſua in realitate, ac veritate eſt abſconditus ſub ſpecierum velamento. At in fontibus gratiarum, benedictionum, ac ſpiritualium conſolationum, quæ dignè accipienti communicantur, Deus eſt manifeſtus. Pulchrè Euſebius Cæſarienſis. *In ſacramento* ait, *fide Deus adeſſe creditur, benedictione ſentitur.* Si cœco à natiuitate in hyeme dicas: Pulcher dies illuceſcit, & valde ſplendidus Sol exoritur: fide humana credit, Solem adeſſe; at verò ſi ad radios Solis accedit, ſtatim ſe ſentit calefieri, & à membris ſuis frigus expelli, experientiaque cognoſcit, Solem fulgere. Fide diuina credimus, in hoc Sacramento Chriſtum adeſſe; at verò ſi dignè accedimus, ex effectu caloris, ac conſolationis mirificè cognoſcimus, ibi Deum exiſtere, ac eſſe; à cuius fontibus ſolùm tantam dulcedinem haurire poſſumus.

*Chriſtus in Euchariſtia in ſe occultus, in effectibus manifeſtus.*

Euſebius.

64. Pſalm. 33.

Pſalm. 33. num. 9. ait Regius Vates: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Iuxta communem Patrum ſenſum, ſermo eſt de Euchariſtiæ Sacramento. Et guſtare, nihil aliud eſt, quàm ſummis labiis tantillum quid attingere. Compone hæc modò cum eo, quod ait Sapientia Eccleſiaſti. 24. num. 26. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini; ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis.* Explicant Expoſitores, Gloſſa, Ianſenius, Cornelius verbum illud: *à generationibus meis implemini:* id eſt à fructibus meis, ſcilicet à gratiis, donis, ac illuminationibus, quibus repleti agnoſcetis dulcedinem diuini ſpiritus. Nunc quæro: Ad percipiendam ſuauitatem Chriſti in Sacramento Altaris ſat eſt guſtare, hoc eſt ſummis labiis tantillum quid attingere: & ad ſentiendam dulcedinem diuini ſpiritus, ac ipſiuſmet Dei, prout eſt Auctor gratiæ, exigitur, vt cor impleatur, magnumque cumulum cæleſtium donorum capiat: *à generationibus meis implemini?* Tanta eſt ſuauitas, ac dulcedo Chriſti in ſacramento altaris, vt quid minimum illius, ſummis labiis deguſtatum, efficacius exiſtat ad omnem ſaporem, ac oblectamentum ſpirituale communicandum, quàm vniuerſus cumulus omnium donorum, gratiarum, ac bonorum ſpiritualium; tantam enim dulcedinem, ac opulentiam hoc admirabile Sacramentum in animam noſtram infundit. Huc adduco id, quod dixit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Iſaiam ad illa verba cap. 65. *Serui mei comedent, & vos eſurietis.* ſic ait S. Doctor: *Qui verè Deum cognouerant, deliciabantur verè ſupernis benedictionibus, ſaginantes corda, accedentes ad viuificam menſam omnium, noſtri Saluatoris Chriſti panem edentes.* In cognitione Dei ſunt benedictiones; at in Chriſti menſa omnes ſanè benedictiones. *Ad viuificam menſam omnium.*

Eccleſ. 24.

Gloſſa. Ianſenius. Cornelius.

*Plus dulcedinis habet paruus guſtus ſacræ Euchariſtiæ, quàm cumulus gratiarũ.*

D. Cyrillus.

65. Cantic. 5.

Inuitatur Deus ab Anima Cantic. 5. num. 1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum; & comedat fructus pomorum ſuorum.* Cui ait diuinus ſponſus Deus: *Veni in hortum meum, comedi fauum cum melle meo.* Qui locus communiter de Euchariſtia interpretatur à D. Nyſſeno, D. Ambroſio, Pſelio, Paſchaſio, Ruperto, & aliis. Quid eſt, quod Sponſus inuitatur ab Anima ad poma; ipſe verò reſpondit, quod comederit mel? Anima, imperfectè penetrans ſaporem, ac dulcedinem huius Sacramenti, eam cum pomis comparat. At Deus eam perfectè intuens, ac dignoſcens, cum excellentiori mellis dulcedine illam componit, & aſſimilat. Solus enim Deus, cuius eſt infinita ſcientia ſupereminentiam huius dulcedinis perfectè dignoſcit, & comprehendit.

D. Nyſſenus. D. Ambroſ. Pſelius. D. Paſchaſ. Rupertus.

*Dulcedinem huius ſacramenti ſolus Deus cognoſcit.*

66.

Tam ingens eſt dulcedo, quæ ex hoc ſacramento hauritur. Si enim anima in ſe dignè recipiat Deum, ſtatim illius diuinæ præſentiæ multos experietur effectus. Videns Moyſes populum in adoratione vituli idololatrantem, diuino zelo accenſus *Arripiens vitulum combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Exod. 32. num. 20. Ad quid Moyſes vitulum, quem fecerant Iſraelitæ, in puluerem contritum bibendum eis dedit? Nonne ſacrilegi hunc tanquam numen coluerunt? ergo longè ab eis remouendus erat, vt omnis idololatrandi eis occaſio adimeretur? Cur ergo non ſolùm non remouet, ſed bibendum præbet? Voluit Moyſes populum à ſua idololatria diſſuadere, eique manifeſtè aperire, vitulum Deum non eſſe, ſed creaturam: illumque ad hoc in cineres comminutum dat populo in potum. D. Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam. *Vituli puluerem,* ait, *quem adorauerat Iſrael, in potum accipit, vt contemnere diſcat.* Alta, & magna conſideratione rem perpendit Moyſes. Bibant Iſraelitæ vitulum, eumque inter viſcera ſua recipiant, & tunc non diuinitatis, ſed cuiuſdam creaturæ effectus in ſe ſentient, & experientur; hocq; medio, omni alio aptiori, apertè deprehendent, vitulum non eſſe Deum, ſed creaturam; non enim valet anima Deum dignè in ſe recipere, ac habere, quin etiam ipſius diuinæ præſentię quoſdam effectus in ſe percipiat, & hauriat.

Exod 32.

*Si Deum dignè recipis, effectus illius ſenties.*

D. Hieron.

67. D. Bonauent.

Rectè D. Bonauent de Præparat. ad Miſſam, diſcurſu alio argumentatur contra eos, qui ad hanc menſam conueniunt, illius ſuauitatis expertes. *Si autem,* ait, *affectionem ibi nullam habuit anima, recogitet ſignum eſſe infirmitatis, vel mortis. Ignem poſuit in ſinu: & calorem non ſentit? mel poſuit in ore: & dulcedinem non percipit?* Quid pulchrius, & grauius.

*Signum mortis, ignem in ſinu non ſentire.*

## QVÆSTIO X.

### *Panis Chriſti excellentior Manna, ac quocumque alio opere.*

68. *Panis Chriſti excellentior Manna.*

LONGE excellentior, ac præſtantior eſt panis Euchariſticus Manna; Pro quo maximè audiendus



D. Ambroſ.

venit D. Ambroſius lib. de his, qui initiantur myſteriis cap. 9. *Manna illud,* ait, *è cælo; hoc ſupra cælum. Illud cæli; hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur; hoc alienum ab omni corruptione: quod quicumque religioſè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit. Illud in vmbra, hoc in veritate. Si illud, quod miraris, in vmbra eſt; quantum & illud eſt, cuius & vmbram miraris?*

69.

Secundò. Manna homines paſcebat, eoſque tamen ab infirmitatibus tam animi, quàm corporis non præſeruabat; nec eos ab hoſtibus viſibilibus, & inuiſibilibus cuſtodiebat, & armabat: quod totum præſtat diuinum Euchariſtiæ ſacramentum, quod noſtrum eſt medicamen, atque munimen. D. Thomas. 3. part. quæſt. 79. art. 6. *Sacramentum hoc,* ait, *præſeruat à peccato, roborat ſpiritualiter vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & medicina ſpiritualis.*

D. Thomas.

70. Euthymius. D. Cyrillus.

Tertiò. Moyſes, vt purus homo, & miniſter, dedit ſoli populo Iſraelitico Manna, vt notat Euthymius. At panem hunc Euchariſticum dat Deus Pater toti mundo. Quartò. Manna non erat panis de cælo: *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo.* Erat enim ex Aere, vt ros, vel pluuia. Dicitur autem de cælo latè, vt dicuntur volucres cæli, quia per Aerem volitant. At panis hic verè, & propriè eſt à ſummo cælo; immò & è ſinu Patris, vt hic aduertunt D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas, & alij. Quintò. Manna reficiebat corpus ad tempus. At hic panis Euchariſticus in vitam æternam, vt etiam aduertunt Chryſoſtomus, Cyrillus, Carthuſianus. Sextò. Moyſes non formauit, nec dedit Manna, ſed Deus per manus Angelorum ad preces Moyſis illud dabat. At panem hunc Euchariſticum, vt ponderat D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 33. Ipſe Chriſtus ſua Omnipotentia, ſuiſque manibus format, & dat.

D. Chryſoſt. Theophyl. Albert. Mag. D. Thomas.

Chryſoſt. Cyrillus. Carthuſ.

D. Cyrill.

71.

Septimò. Pro noſtra veritate ſtabilienda expendo præſentem Ioannis textum. Ait Chriſtus Dominus. *Amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cælo: ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Hic panis Chriſti dicitur panis verus, hoc eſt, vt dixi in expoſitione, panis perfectiſſimus, ac eximius, in quo eſt omnis plenitudo tam eſſendi, quàm alendi, ac corroborandi; omnis enim eſſentia creata, vtpote Manna, ſi cum eſſentia increata, puta cum Deo, qualis eſt Chriſtus in Euchariſtia, conferatur, non habet eſſe verum, ſed vmbraticum, diminutum, ac imperfectum. In ſolo enim Deo, ac Chriſto veritas eſt ſolida, conſummata perfectio, ac plenitudo eſſendi, ac inſtar panis perfectiſſimi, alendi. Ait Deus Moyſi: *Ego ſum, qui ſum: Qui eſt miſit me ad vos.* Exod. 3. n. 14.

*Chriſti panis in ſũmo apice perfectionis.*

Exod. 3.

72. Apocal. 22.

Ait Ioannes in ſua Apocalypſi cap. 22. num. 1. quod vidit fluuium ſplendidum aquæ vitæ procedentem à ſede Dei, & Agni, *Et ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius, ſed ſedes Dei, & Agni erunt in illo. Et ſerui eius ſeruient illi.* De ſacra Euchariſtia locum interpretatur D. Chryſoſtomus homil. 61. ad populum. Lignum vitæ Chriſtus Dominus in ſacramento Altaris: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* ferens fructus duodecim, hoc eſt omnes fructus; nam, vt inquiunt Andreas Cretenſis, Primaſius, annus duodecim menſibus clauditur: Duodenarius ergo vniuerſitatem ſignificat, In hoc enim ſacramento ſunt omnes fructus gratiarum, donorum, ac bonorum ſpiritualium. *Folia ad ſanitatem gentium.* Hæc folia ſunt ſacramentales ſpecies, ſicut enim folia in arbore circundant, & contegunt fructum; ſic & ſpecies in hoc ſacramento abſcondunt, & velant viuificum fructum, ſcilicet carnem, & ſanguinem Ieſu Chriſti. Dicuntur ad ſanitatem gentium; nam iuxta D. Thomam, & alios Theologos, in hoc ſacramento non ſolùm caro, & ſanguis Chriſti producunt gratiam, & vitam, ſed etiam ſpecies ſacramentales, vt inſtrumenta quædam, hanc vim, ac efficaciam obtinent.

D. Chryſoſt.

Andreas Cretenſis Primaſius.

*In Euchariſtia omnes fructus.*

UNIVERS…

73.

In rem noſtram maximè ponderandum, quod cum in hac arbore tot excellentiæ nobis enarrentur, nempe quod eſſet lignum vitæ cum fructibus, & foliis; nulla tamen de floribus fit mentio; cum tamen Aaronis virga foliis, floribus, ac fructibus eſſet exornata. *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Num. 17. num. 8. Cur ergo in ſacramentali arbore nullus apparet flos, cum in Aaronis virga tot viderentur? Flos, iuxta Pierium, quid imperfectum denotat ad conſummationem tendens: at verò fructus ſignificat rem perfectam, & conſummatam in vltimo ſuo ſtatu. In virga Aaronis flores pendebant, in illo enim ſacerdotio multæ erant imperfectiones, quæ poliendę, ac auferendæ erant. At verò in arbore ſacramentali vitæ nullus flos, ſed vndique fructus apparet; nulla ibi eſt imperfectio, ſed totum conſummatum, perfectum, & abſolutum: *Sedes Dei, & Agni erunt in illo:* nam, vt ait Lyranus, *ibi maximè eorum maieſtas relucet.*

Numer 17.

Pierius. *In Euchariſtia conſummata perfectio.*

Lyranus.

74.

Quamuis omnia opera ad extra ſint communia toti Trinitati; tamen vnicuique diuinæ perſonæ ſua peculiaria attributa accommodant Theologi. Patri, cum ſit totius diuinæ generationis, ac proceſſionis principium, attribuitur poteſtas. Filio, quia per actum intelligendi gignitur, ſapientia. Spiritui ſancto, cum per actum voluntatis procedat, Amor. His omnibus attributis tres diuinæ perſonæ Euchariſticum panem ſuper vniuerſa opera mirificè ſublimarunt, ac extulerunt.

*In Euchariſtia reſplendent Dei attributa.*

75.

Pater ſua Omnipotentia. Cum Iſaac mitteret filium ſuum Iacob in Meſopotaniam, eique à ſe datam benedictionem commemoraret, ait filio. *Deus autem Omnipotens benedicat tibi.* Gen. 28. num. 3. In ipſis rerum primordiis, cum de creatione Vniuerſi agitur, ſolum nominatur Deus. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Gen. 1. n. 1. Cum de opificio hominis tractatur, Deus dicitur: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Gen. 1. num. 27. Cumque Incarnationis arcanum, ac noſtræ redemptionis myſterium promittitur Abrahæ, Dominus nuncupatur. *Per me metipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22. num. 16. Quod de Incarnatione Verbi, ac Chriſti morte communiter interpretantur Patres. Cur ergo in ipſo libro Geneſeos, in primordiiſque rerum, vbi alta documenta tradebantur, in aliis magnis operibus, in aliis altiſſimis myſteriis ſolùm Deus, vel Dominus dicitur; at verò cum benedictio Iacob repetitur, non ſolùm Deus dicitur, ſed etiam additur *Omnipotens: Benedicat tibi Deus Omnipotens.* In benedictione Iacob promittebatur in typo, & vmbra ſacra Euchariſtia, vt Diuus Auguſtinus ſerm. 44. de Diuerſis; Diuus Ambroſius, Eucherius interpretantur illa verba: *Det tibi Deus de rore cæli, &*

*Omnipotẽtia reſplendet in Euchariſtia.* Geneſ. 28.

Geneſ. 1.

Geneſ. 22.

Ge n.27. *& de pinguedine terræ.* Geneſ. 27. numer. 28. Et iterum, *Pane, & vino ſtabiliui eum.* Cum ergo in hac benedictione deſignaretur, in figura ſacra Euchariſtia, inter cætera opera, ac myſteria decreuit Deus, vt hic inſigniter eius Omnipotentia proferretur, cuius tam peculiare eſt opus Euchariſtia, vt non patiatur Deus, quod ipſa in figura deſignetur ab Iſaac ſine peculiari Omnipotentiæ expreſſione, cuius valde mirabile eſt opus. Vnde in Symbolo ſub articulo Omnipotentiæ diuinum hoc Sacramentum includitur, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 1. art. 8. *Quantum ad illud vero*, ait, ſcilicet myſterium, *quod continet Chriſti corpus ſecundum veritatem, hoc Sacramentum, cum ſit miraculum, pertinet ad articulum Omnipotentiæ, Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Huc reuoco dicta ſuprà quæſt. 4.

*Euchariſtia pertinet ad articulum Omnipotentiæ.* D.Thom.

76\. Tam ſupereminens eſt hoc miraculum diuinæ Omnipotentiæ, vt illius comparatione alia opera, ac miracula, quid minimum, ac paruum appareat. Poſtulabat Chananæa à Domino ſanitatem filiæ ſuæ. Cúmque ipſa mulier à Domino haberet repulſam *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Multa fide reſpondet illa. *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Matth. 15. num.27. Quid intelligit prudens fœmina per micas? Miracula ſcilicet Chriſti, ſuſcitatio mortuorum, dæmonum expulſio, oculorum reſtitutio, manuum, ac pedum redintegratio: & hæc magna miracula micas appellat mulier. Menſa illa, in qua ſupremus Dominus Chriſtus aderat, menſam ſacræ Euchariſtiæ præfigurabat, vt habet D.Laurentius Iuſtinianus apud Surium in eius vita die 8. Ianuarij, magnus Baſilius, & alij Patres ſuo loco dandi. Miracula illa, licet valde illuſtria conſiſterent; comparatiuè tamen ad menſam Chriſti, veluti micæ quædam reputantur. Tam ampla, ac excelſa eſt hæc menſa, vt ad illius intuitum vniuerſa alia opera, veluti micæ iudicentur, ac appendantur.

*Alia miracula comparatione Euchariſtiæ, veluti quid minimum.* Matth. 15. D.Laur. Iuſt.

77\. Sapientia diuina maximè emicuit in hoc opere. Quod conſiderans Dauid admirabundus exclamat: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Pſalm.67.num.27. Tam admirabilis eſt inuentio, diſpoſitio, ac inſtitutio huius magni myſterij, vt veluti quidam exceſſus mentis ipſiuſmet diuini Benjamin videatur. Vide quæ dixi ſuprà quæſt. 4. numer.26.

*Sapientia Chriſti in Euchariſtia.* Pſalm.67.

78\. Diuinus Amor mirificè in hoc Sacramento reſplendet. Scribit Ioannes de Chriſto cap. 13. n.2. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Multas habet explicationes illud *in finem.* Sidonius Apolinaris lib. 3. Epiſt. 1. amico ſuo, ait: *Et quod fatendum eſt, diu erectis vtrinque amoris machinis, ipſe culmina poſuit.* Ac ſi diceret: Chriſtus, cum degeret apud homines, multa ſui amoris ſigna præbebat; cum verò ad finem vitæ peruenit, inſtituens in Cœna Euchariſticum Sacramentum, ibi coronidem, ac culmen ſui amoris præfixit.

*Dei Amor in Euchariſtia.* Ioan.13. Apolin.

*Ioan.6.n.34.* Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc.

*Num. 35.* Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam.

*Num. 36.* Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis.

## *VERSIONES.*

*Syriac. n.34.* Dicunt ei: Domine noſter, ſemper da nobis panem iſtum.

*Arabic. n.35.* Non ſitiet in æternum.

*Vatablus, Arias n.36.* Sed dixi vobis, quod etiam vidiſtis me, nec creditis.

## *EXPOSITIO V.*

79\. Auditis verbis Chriſti, dicunt Iudæi: *Domine, da nobis hunc panem.* Dubium eſt, an de vita corporis, vel animi loquerentur Iudæi. Maldonatus, & Barradas, eos de vita animi fuiſſe locutos, aſtruunt. Additque Maldonatus, eos irriſoriè petiiſſe hunc panem ſpiritualem, æternam vitam communicantem. Tamen de corporali cibo eos hæc dixiſſe, conſtans eſt Patrum ſententia, D. Chryſoſtomi, Cyrilli, D.Auguſtini, Theophylacti, Euthymij, S. Thomæ, Caietani, eos de materiali cibo dixiſſe, ad quem toti erant intenti. D. Cyrillus lib.3.in Ioan. cap.35. *Etſi*, ait, *multis verbis à carnali eos ſenſu Saluator remoueret, nihil tamen proficiunt, neque à carnalibus vllo modo recedunt.* Et notandum, quod dicunt: *Semper da nobis.* Vnica oratione, ne iterum illam repetant, totum volunt conſequi. Stulta ſanè petitio, Dominicæ Orationi contraria: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Matth.6. num. 11. Cur hodiernum, & craſtinum petit panem? Quia craſtina die iterum à Deo cæleſtem panem vult petere, vt & multiplicatis precibus, & beneficia multiplicentur.

Maldonat. Barrad. D. Chryſoſt. D. Aug. Theophyl. Euthym. D.Thom. Caiet. D.Cyril. Matth.6. *Quotidie à nobis Deus eſt exorãdus.*

80\. *Dixit Ieſus.* Iudæorum ruditate non indignatur Dominus, ſed vt benignus magiſter eos docet, & inſtruit. *Ego ſum panis vitæ.* Phraſis eſt hebraica, id eſt, panis viuificus præſtans vitam. D.Chryſoſt. Euthym. Theophyl. exiſtimant, diuinitatem ſuam appellari à Chriſto panem vitæ. Aptius vero D. Cyrillus putat, etiam humanitatem vocari panem vitæ, provt ipſa eſt coniuncta, & vnita perſonæ Verbi Dei. Hactenus Dominus de ſe locutus fuerat in tertia perſona: nunc verò cum tanto deſiderio illius panis teneantur, dicit ſe eſſe panem illum; paulatimque eos ad maiora deducens: *Qui venit ad me;* explicat modum, quomodo hic panis ſit habendus. *Qui venit ad me,* per fidem nempe; quod magis explicauit ſequentibus verbis. *Qui credit in me.* Vbi declarauit, quid eſſet ad ſe venire, nempe credere in eum fide viua, ac plena bonis operibus. Non dixit, qui manducat me, vt ſenſim abſtrahat eos à cogitatione corporeæ manducationis.

D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. D.Cyril. *Venire ad Chriſtum, eſt credere.*

81\. *Non eſuriet, non ſitiet.* Tres proprietates diuini panis, dicit hic Chriſtus Dominus dat vitam, tollit eſuriem, & ſitim. Dat vitam ſcilicet æternam, quod nec Manna, nec vllus panis vnquam præſtitit. Tollit famem in æternum, quod nec Manna, nec vllus vulgaris panis fecit, niſi ad

*Tres proprietates panis Chriſti.*





breue tempus per quatuor, vel quinque horas. *Non eſuriet.* Extinguit ſitim, quod non facit naturalis panis; in quo miros huius ſacri edulij explicat effectus ſuper omnem alimenti naturam. Totam ſententiã D.Auguſt. præclaris verbis explanat. *Qui venit ad me,* ait, *hoc eſt, quod* ait, *& qui credit in me. Et quod dixit; non eſuriet; hoc intelligendum eſt, & non ſitiet vnquam, vtroque illo ſignificatur æterna ſatietas, vbi nulla eſt egeſtas. Panem de cælo deſideratis; ante vos habetis, & non manducatis.*

D.Aug.

82\. *Sed dixi vobis.* Dubitatur, quando Chriſtus dixerit huic turbæ, quia vidiſtis me miracula facientem, non creditis. Chryſoſtomus, Euthymius inquiunt, Dominum hoc dixiſſe, licet aliàs id nullibi ſit ſcriptum à Ioanne. D. Cyrillus exiſtimat, dixiſſe per Iſaiam cap.6. num.9. *Audite audientes, & nolite intelligere. Videte viſionem, & nolite cognoſcere.* Communiter Recentiores tenent, quod dixerit ſupra num. 26. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna ſed quia ſaturati eſtis ex panibus.* Et cap. 5. à num.32. vſque ad finem. *Quia* ex Græco quanuis, vel quia *vidiſtis me,* hoc eſt cognouiſtis me. Videre enim Chriſtum, eſt claram notitiam habere de illo, vt rectè obſeruant Lucas Burgenſis, Cornelius, & alij. Clarè enim cognouiſtis me tot miracula, & opera facientem; ex quibus aperte me cognoſcere potuiſtis & debuiſtis, me eſſe filium Dei, & à Deo miſſum, ac panem vitæ. Et non credidiſtis ob veſtram obdurationem, & obſtinationem. Euthym. *Vidiſtis me, ſiue cognouiſtis, quia ego ſum, & à teſtimonio Ioannis, & à ſignis, quæ edidi, & à teſtimonio Scripturarum, quæ vobis aperui, ſed voluntariè malum operantes non credidiſtis.*

D. Chryſoſt. Euthym. D. Cyril. Iſai.6. Burgenſ. Cornel. Euthym.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Iudæi hic Chriſtum Dominum appellant?*

83\. Feqventer Iudæi Chriſtum Rabbi, Magiſtrum, & aliquando iniurioſè Dæmoniacum, vel Samaritanum appellarunt. Hic autem Dominum dicunt, vt ſic facilè inducerent eum ad dandum illis panem cæleſtem, quem petebant. Sic & Samaritana, cum aquæ viuæ excellentias audiret; *Dixit, Domine, da mihi hanc aquam.* Ioan.4. n.24.

*Petens Dominum dicit.* Ioan.4.

84\. Secundò, petebant ipſi ſpiritualem panem, vt autumant Maldonatus, Barradas, & alij: & vbi ad Euchariſticum cibum duxerunt ſermonem, ſtatim Chriſtum Dominum, ac Regem fatentur, & publicant. Proprium eſt enim ſupremi Domini Ieſu Chriſti, ſuos ſpirituali alimento cibare, veluti Domini temporalis, ſuos corporali eſca reficere: *In hàc menſa noui Regis, nouum Paſcha nouæ legis, Phaſe vetus terminat.* Canit Eccleſia. In Euchariſtia Chriſtus nuncupatur nouus Rex, hic nouo veluti iure inchoare regnare videtur. *Nouum Paſcha Phaſe vetus terminat.* Phaſe idem eſt, ac Paſcha, & tranſitum ſignificat. In hoc enim Sacramento terminatur Phaſe vetus, id eſt, antiquus tranſitur, quem homo ad mundana faciebat, & initiatur nouum Paſcha, hoc eſt nouus tranſitus ad Deum.

Maldon. Barrad. *Chriſtus in Euchariſtia veluti nouo iure Rex.*

85\. Tangens Thomas Ieſu Chriſti carnem ait: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioan. 20. numer. 28. Cur non Magiſtrum dicit, vt aſſolebat, ſed Dominum, ac Deum confitetur? Vbi enim Thomas



ſuauitatem carnis Chriſti attigit, ſtatim ſupereminentes Regis, ac Domini delicias perſenſit, & guſtauit. D. Cyrillus Alexandrinus lib.12.in Ioan. cap. 59. *Vnum*, ait, *& eundem Dominum Ieſum Chriſtum cognouit cum carne.* Tactu ſcilcet carnis Ieſu, illius dominationem, maieſtatem, ac regalem magnificentiam præcognouit.

Ioan.20. D.Cyril. *Caro Chriſti indicat maieſtatem eius.*

86\. Ait Iſaias 33.n.16. *Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles; Regem in decore ſuo videbunt.* Sermo eſt de Chriſto Domino in Sacramento Altaris, vt ſupra dixi quæſt. 3. n. 21. Varia nomina de Chriſto Domino recenſet, & refert ipſe Propheta cap. 9. num. 6. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Et tamen nullum ex his nominibus Iiaias hic tribuit Chriſto, ſed nouo titulo nuncupat *Regem in decore ſuo.* Conſiderabat Propheta Chriſtum Dominum in Sacramento Altaris, nullúmque nomen aptius ei agnouit conuenire, quam Regẽ, cum ſuos proprio corpore, & ſanguine paſceret, ac reficeret. Et dicit *Regem*, non vtcumque ſed *in decore ſuo*, hoc eſt in tota magnificentia, ac maieſtate ſua. Septuaginta legũt: *Regem cum gloria.* Quod Chriſtus in hoc Sacramẽto adſit, pro gloria reputat. Alij legunt: *In eximia pulchritudine ſua.* Chriſtus vbíque formoſus in ſtola ſua: *Specie tua, & pulchritudine tua:* at in Sacramento Altaris valde gratus, & periucundus, vt omnium corda, ac animos ad ſe trahat, & alliciat. Pulchrè Abbas Cellenſis lib.de Panibus cap. 1. *Vbique*, ait, *gratioſus Ioſeph, ſed in conuiuio magis, multóque amplius iucundus.*

Iſai.33. Iſai.9. *Chriſtus in Euchariſtia Rex.* Septuag. *Euchariſtia gloria Chriſti.* *Chriſtus in Euchariſtia valde formoſus.* Abb.Cel.

87\. Vidit Ioannes in ſua Apocalypſi cap.6. num.1. quatuor equos; & quilibet ſuum habebat ſeſſorem. Primum album, ſecundum rufum, tertium nigrum, quartum pallidum. Tamen inter omnes ſedenti ſolum ſuper equum album *data eſt corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Ibidem num.2. Meritò dubitabis: Cur ſolum equitanti ſuper equum album conceditur corona? Quidnã in illo pluſquam in aliis apparet? Aretas, Primaſ. Anſbertus exiſtimãt, quod omnes ſeſſores Chriſtum Dominum ſecundum varia ſua myſteria exprimebant. In equo rufo ſignificabatur ipſe degens in hac vita totus igne charitatis ſuccenſus, & inflammatus. In nigro denotabatur eius poteſtas iudiciaria, in cuius ſignum Sol obſcurabitur. In equo verò pallido eius ſacratiſſima mors innuebatur. In equo autem albo exprimebatur ipſe in Euchariſtico arcano ſub albedine illarum ſpecierum. Cur ergo inter tam alta myſteria, ſolum in hoc diuino pane data eſt ei corona? In Sacramento Altaris ſplendidè triumphat Chriſtus, & tanquam in apice, ac vertice omnium ſuorum miraculorum, & operum, regio diademate inſignitur, ac coronatur.

Apoc. 6. Aret. Primaſ. Anſbert. *Chriſtus in Euchariſtia triumphat, vt in ſummo opere.*

88\. Multipliciter Sponſa Chriſtum Dominum in Canticis vocat Sponſum, Dilectum, Fratrem. Ter tamen Regem dicit: *Introduxit me Rex in cellaria ſua:* Canticorum 1. num. 4. Et iterum: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* Et iterum: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Canticor. 2. numer. 4. Cur potius in his, quam in aliis Regem dicit, & celebrat? In his locis conſiderabat Anima ſancta Chriſtum Dominum in Sacramento Altaris, iuxta D. Ambroſium lib. 5. de Sacramentis, D. Gregorium Nyſſenum homil. 4. Philonem Carpatium, & alios. Vbi noſtra vulgata habet *in cellaria ſua*, Græcus legit *in promptuarium ſuum.* Vbi Sponſa vidit ſuum dilectum eam introducentem in ſuum promptuarium, vt

Cant.1. Cant 2. D.Ambr. D Nyſſen. Phil Carpat. *Chriſtus in Euchariſtia inſigniter Rex.*

illam Euchariſtico vino lætificaret, eúmque cognouit accubantem in menſa, vt diuino pane ſuos paſceret, ac reficeret; tunc valde peculiariter eum vt Regem, ac Dominum recognoſcit, ac reueretur.

89. Mandauit Deus Moyſi, vt faceret menſam, in qua ponerentur panes propoſitionis; & ait illi: *Facies menſam de lignis ſetim, faciéſque illi labium per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem, Altam quatuor digitis.* Exod.25. num.24. Præcipitur Moyſi, facere candelabrum aureum, vt luceret in templo. Ibidem num. 32. Mandauítque ei fabricare altare de lignis Setim, in quo offerebantur ſacrificia. Exod. 27. num. 1. Et tamen nec in candelabro, nec in altari, ſed ſolum in menſa imperat ponere coronam interraſilem, id eſt, quæ totam menſam claudebat, ne ex ea panes decidant. Candelabrum adumbrabat Chriſtum in vita ſua miraculis, ac doctrina mirificè lucentem. Sacrificia in altari Chriſtum in ara Crucis repræſentabant. At panes in menſa viuificum Chriſti panem in Communionis menſa præſignabant. Rupertus in lib. 4. in Exod. cap. 7. *Quæ eſt hæc menſa*, ait, *niſi menſa Corporis, & Sanguinis Domini. Redemptionis noſtræ opifex menſam parauit, accipiendo panem, quem benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum.* Menſa illa figuram gerebat Euchariſtici panis; ibi ſtatim corona affigitur. In hac enim menſa corona eſt ſuorum operum; in hac námque inter vniuerſa alia facta maximè eius regia maieſtas irradiat, ſuo enim corpore, & ſanguine nos alit, & paſcit.

Exod.25.

Exod.27.

Rupert.

*Euchariſtia corona operũ Dei.*

## Qvæstio XII.

### *Quare Chriſtus in Euchariſtia panis nuncupatur.*

90. CHristvs Dominus ex ſuo ineffabili amore decreuit, ſe nobis dare in cibum, & potum, non in propria ſpecie, ſed ſub accidentibus panis, & vini, vt omni horrore ſublato hic diuinus panis, inſtar ſeminis, præclaris virtutum fructibus cor noſtrum repleat. D. Cyrillus Alexandrinus Epiſt. ad Colloſirium Epiſcopum. *Ne horreamus*, ait, *carnem, & ſanguinem, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus; influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritate propriæ carnis, vt corpus vitæ, quaſi quoddam ſemen viuificatiuum inueniatur in nobis.* Deinde alias ad hoc rationes vide ſuprà quæſt. 3. numer. 22. Ad quæſtionem, Chriſtus dicitur panis, quia ſub illius ſpeciebus ſe nobis præbet.

*Cur Chriſtus non datur ſub ſpecie carnis.*

D. Cyril.

91. Cur ad hoc elegit ſpecies panis? Reſpondet primò Diuus Thomas Opuſculo de Sacramento cap. 10. *Quia eſt*, ait, *granum eius*, ſcilicet tritici; *præcipuæ nobilitatis; & hac ratione congruum eſt, vt nobiliſſimum corpus, quaſi nobiliſſimus panis filiorum Dei, detur filiis ſub ſpecie nobiliſſimi panis.* Cum triticum ſit nobiliſſima ciborum ſpecies, hæc ſanè decebat nobiliſſimum corpus, ſub qua daretur Deus nobiliſſimis, ac chariſſimis filiis. Olim Deus Iudæis, vt ſeruis, dedit Manna in deſerto. *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto*: Vt in loco aſpero, & inaquoſo; nobis autem vt filiis dat panem in menſa. Olim Deus Iudæis, vt ſeruis, dedit panes hordeaceos in deſerto; nobis vero vt filiis dat hunc ſublimem panem triticeum in alimentum. *Filios enutriui, & exaltaui.* Iſaiæ 1. num. 2. In Hebræo eſt, *grandes feci*: Explicat Leo à Caſtro. *Alens eos pane cæleſti.*

D. Thom.

*Sub ſpecie panis, vt nobiliſſima ſpecies.*

*Chriſtus in Euchariſtia ſuos exaltat.*
Iſai. 1.
Hebr.
Leo à Caſt.

Secundò, hanc edulij ſpeciem elegit, vt vnitatem fidelium inter ſe aptiſſimè indicaret. Sicut enim panis ex multis granis ad vnionem coagulatus efficitur; ſic fideles refecti cæleſti pane, depoſitis querelis, ac controuerſiis vnum pace, ac charitate firmentur. Diuus Auguſtinus ſerm. ad Infantes ad altare de Sacrament. apud Bedam 1. ad Corinthior. 10. *Recolite*, inquit, *quia panis non fit de vno grano, ſed de multis; grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in vnitate confunditur. Ita Dominus noſter ſignificauit, & nos ad ſe pertinere voluit. Myſterium pacis, & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit.* Hanc vnionem indicans Paulus 1. Corinthior. 10. n. 17. ait: *Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto.* Quod explicans Diuus Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 13. ait: *Etſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus, omnes enim participamus.* Efficaciter argumentatur Apoſtolus. Quæ ſunt eadem in vno tertio, ſunt idem inter ſe. Ergo ſi omnes Chriſtiani communicantes ſunt in vno tertio Chriſto, ergo & inter nos idem debemus eſſe. De quo iterum infra. 92.

*Vnitas nobis commẽdatur.*

D. Auguſt.
Beda.

1 Cor. 10.
D. Cyril.

Tertiò, D. Algerus de Sacramento lib. 2. cap. 5. *Quia panis, & vinum propriè*, ait, *proprius cibus, & potus eſt, non beſtiarum, ſed hominum. Ideo Chriſtus vtriuſque eſt vſus myſterio, vt ſingularis, & propria hominum crederetur refectio.* Non inſtituit Dominus hoc magnum Sacramentum in pomis; quæ comedunt aues; non in carne alicuius animantis, qua veſcuntur bruta, & feræ; non in hordeo, quod pertinet ad iumenta, & equos; ſed in pane, & vino, quod eſt proprium hominis intellectualis, ac rationalis creaturæ nutrimentum; indicans, quod hoc ſacrum edulium non eſt ſumendum vtcumque, ſed cum ratione, ac iudicio, vt cogitemus ad quam menſam accedimus. Ait Paulus 1. Corinthior. 11. numer. 29. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Diuus Chryſoſtomus ibi. *Non diiudicans, id eſt, non diſſerens, non examinans, vt oportet, magnitudinem eorum, quæ ſunt appoſita.* 93.

D. Alger.

*Conſideret homo, quid manducet in Euchariſtia.*

1. Cor. 11.

D. Chryſoſt.

De proditore Iuda ait Ioannes 13. num. 3. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo, erat enim nox.* Cur tam citò Iudas diſcedis à cœnaculo, vbi tot magna, ac valde præclara, & curioſa agebantur, vt ſimilis occaſio nunquam data fuerit in Orbe? Quid te adurget ad tam celeratum egreſſum? Perbellè Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioan. cap. 19. *Tunc, vt credo*, ait, *Diabolus, ne, morando, locus pœnitentiæ detur, & quaſi à tumultu mentem ſuam, rectius cogitans, homo eripiat, hac de cauſa feſtinat, ac impellit.* Accepto ſacro edulio, vehementer Diabolus Iudam è Cœnaculo expulit, ne conſiderando recogitaret, quid in diuina menſa acceperat; quídque ipſe perageret: ſi enim ille conſideraſſet, quid in hoc Sacramento acceperat, ſine dubio à proditorio facinore deſiſteret, & ſacrum ſuum Magiſtrum Iudæis minimè traderet. 94.

Ioan. 13.

D. Cyril.

*Non ſinit Diabolus, Iudam conſiderare Chriſti menſam.*

Qvæstio



## Qvæstio XIII.

### *Quare ſpecies panis ad hoc Sacramentum eligitur? Tres alias rationes aſſigno.*

95. QVarto. D. Gregorius Nyſſenus Orat. Mag. Catech. cap. 37. *Quomodo*, ait, *qui venenum ſumpſerunt, alio medicamento illud expellunt; ita peccatori adhibendum eſt corpus Chriſti medicamentum, cuius virtus in vniuerſum corpus diſtribuitur. Et quomodo dicit Apoſtolus, modicum fermentum totam maſſam aſſimilat; ita corpus Chriſti ſumptum, totum ad ſe tranſmutat.* Scilicet hominem. Mors per cibum ingreſſa eſt; alius paratur cibus, vt det ingreſſum ad vitam. Et vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 5. num. 6. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; ſeu, vt alij legunt, *aſſimilat*; noſtram naturam, veluti quandam maſſam, peccato inſipidam, frigidam, ac diſſolutam, ſacra Euchariſtica particula, veluti quoddam fermentum, eam valde ſapore conditam, charitate ſuccenſam, ac gratia veluti Deo ſimilem; ac vnitam reddit, & facit.

D. Nyſſen.

1. Cor. 5.
*Euchariſtia nobis fermẽtum ad vitam.*

96. Quintò, D. Auguſtinus tract. 12. in Ioan. *Cum cibo, & potu*, ait, *id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant.* Ideo Chriſtus Dominus ſub illis ſpeciebus hoc diuinum Sacramentum inſtituit. Non aliquam extraordinariam materiam, aurum, vel topazion quæſiuit; ſed illam maximè, quæ eſt in quotidiano hominum vſu. Tum etiam vt nos doceret, res valde exquiſitas, & raras fugere; media communia eligere; tum etiam vt ex qualitate materiæ ad frequentationem huius myſterij inuitaret. Vnde ait Diuus Ambroſius lib. 5. de Sacrament. cap. 4. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum accipis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* D. Bonauentura tractat. de Proc. Religion. cap. penultimo, *Quod ſi ad vſum quotidianum*, ait, *aliquis ſe indignum reputat. Cogitet, quod tanto magis, & neceſſe habet requirere medicum, quantò magis ſenſerit ſe ægrotum, non enim opus eſt valentibus medico, ſed malè habentibus.*

D. Aug.

*Euchariſtia frequentãda.*

D. Ambroſ.

D. Bonau.

97. Sextò, D. Hieronymus explicans illud Zach. 9. numer. 17. *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum?* Sic ait S. Doctor: *Frumentum Chriſtus Dominus*, ait, *De hoc tritico efficitur panis ille, qui de cælo deſcendit, & qui confirmat cor hominis. Hunc panem comedunt, qui in Chriſto robuſti ſunt, de quibus.* Ioan. 1. cap. 2. n. 14. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes eſtis, & viciſtis malignum.* Hic cæleſtis panis inſtituitur ad confirmandum, ac corroborandum cor noſtrum aduerſus pugnam hoſtium inuiſibilium. Rectè ergo ſub ſpecie panis, & vini inſtituitur. Multi ſunt cibi, qui vires opprimunt, & eneruant: at panis, & vinum maximè illas confirmant, augent, & ſolidant. Ad hoc ergo innuendum in tanto Sacramento valde appoſitè talis hæc materia panis, & vini eligitur.

Zach. 9.
D Hieron.

1. Ioan. 2.

*Euchariſtia nobis aduerſus hoſtes fortitudo.*

98. *Aſcendens coturnix cooperuit caſtra, manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum.* Exod. 16. num. 3. Præclarè dubitabis. Dat Deus populo ſuo coturnices, & panem, ſcilicet Manna; ſicut coturnix caſtra cooperuit per medium eorum deſcendens; in medióque ab hominibus capitur; cur etiam Manna non in medio caſtrorum iacuit, ſed per eorum circuitum; cum tamen militaris ordo ſit ſeruandus, vt nullus à ſuo præſcripto termino exeat, cur ergo ſicut carnes deſcendunt in medio caſtrorum, non etiam Manna? Erat enim Manna ſacræ Euchariſtiæ typus; venítque tanquam murus per circuitum caſtrorum, vt innueretur, quod hoc diuinum Sacramentum omnium caſtrorum ſit caſtra, eorúmque tutela, munimen, & antemurale, quo milites fortes fiunt, victores, ac triumphatores de hoſtium inſidiis, ac copiis. Pulchrè Stephanus Cantuarienſis in Allegor. Tilma. *Nota*, ait, *quod Manna iacuit per circuitum caſtrorum; de cælóque deſcendens gratia vndique nos munit, immò caſtris loco caſtrorum eſt.*

Exod. 16.



*Euchariſtia caſtrorũ munimen, ac antemurale.*

Cantuar.

Benedicens Moyſes tribus Iſraël ait: *Aſer ferrum, & æs calceamentum eius: ſicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.* Deuteronom. 33. numer. 25. Ad quid tendit eiuſmodi benedictio? Quid in ea exprimitur, ac ſignificatur? Æs, & ferrum pro calceamento explicat Procopius, quod Aſer erit robuſtus, ſuúmque robur perpetuò ſeruabit, perinde ac ſi ære, & ferro eſſet calceatus. Additúrque quod ſicut dies iuuentutis ita erit ſenectus, id eſt, vt interpretantur Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, tam fortis erit in ſenectute, ac in iuuentute. Sed vnde Aſer tot vires obtinuit? Iacob illi benedictionem impartiens dixit: *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Geneſ. 49. num. 20. Cum enim hæc tribus fuerit dignata habere in benedictione quendam Euchariſticum typum, inde tantam animi celſitudinem, corporis robur, ac firmitatem eſt adepta, vt æri, ac ferro ſit aſſimilata, illiúſque ſenectus veluti viridis iuuentus ſit reputata. 99.

Deuter. 33.

Procop.

Lyran.
Abul.
Carthuſ.

Gen. 49.
*Euchariſtia firmat noſtras vires.*

## Qvæstio XIV.

### *Quare dicitur, quod hic panis tollat eſuriem, & ſitim?*

COmmvnis panis famem expellit, non tamen ſitim extinguit. At Chriſtus Dominus hos omnes effectus ſuo pani attribuit; ait enim, *Qui venit ad me, non eſuriet, non ſitiet vnquam.* Ex quo præclarè ait D. Ambr. ſerm. 18. in Pſ. 118. explanans mirabiles effectus huius diuiniſſimi Sacramenti. *Accedite ad eum*, ait, *& ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum, & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eum, & liberamini, quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & alleuiamini, quia remiſſio peccatorum eſt.* 100.

D. Ambr.
*Euchariſtia nobis omne bonum.*

Ait Iſaias 55. numer. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite, & comedite.* Vbi noſtra vulgata habet. *Emite* legitur ex Hebræo, vt teſtantur Pinto, Leo à Caſtro, Cornelius, *frangite.* Maximè tamen ponderandum, quod Propheta ad aquas nos conuocat; & tamen ſubdit: *frangite, & comedite*: quod propriè ad panem, & cibum ſpectat. Quomodo hæc cohærent? Optimè ſanè: Loquitur ille de fontibus diuiniſſimi Sacramenti, in quo inuenitur potus, & cibus. Potus ad extinguendam ſitim; & panis ad famem expellendam, vtque animam reficiat in vitam, & ſalutem. D. Hieronymus. 101.

Iſai. 55.

Pinto.
Leo à Caſt.
Cornel.

*Euchariſtia cibus, & potus.*

*Mirum in modum* , ait , *non bibunt aquas , ſed comedunt. Ipſe enim & aqua, & panis eſt , qui de cælo deſcendit. Et ait, niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum , non habebitis vitam in vobis.*

102. In celebri eo conuiuio , quod Dominus turbis præbuit in deſerto , *Accepit Ieſus panes , & cum gratias egiſſet , diſtribuit diſcumbentibus ; ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Ioan.6. n.11. (Ioan.6.) Si Dominus populo præparat menſam ex pane, & piſcibus , miro ſapore conditis , cur de potu nulla fit mentio ? Cur Dominus in hac menſa non poſuit etiam vinum ? (Carthuſ.) Carthuſianus ſupra datus cap. 33. numer. 117. ſic ait. *Chriſtus dedit illis cibis virtutem agendi , quod efficit potus , ita quod ſitim perpeſſi non ſunt : opera enim Chriſti perfecta fuerunt ; quos ergo reficit , perfectè reficit.* Itaque panis ille erat ſimul cibus , & potus ex Chriſti virtute. Sed cur Chriſtus Dominus hanc opulentiam dedit huic pani in deſerto , non verò cibis illis , qui in nuptiis apponebantur in Cana Galilææ ; nam deficiente vino , miraculoſum à Domino fit ? (*Eucharistia extinguit ſitim , & famem.*) Panis in deſerto typum gerebat Sacramenti Altaris , vt ex ſanctis Patribus multoties retuli; exindéque , vt tanti Sacramenti figura , Chriſtus dedit pani talem virtutem , vt ſimul eſſet cibus, & potus , in eoque eſſet tota integra hominis refectio in cibo , & potu , in alimentum ſpiritus , & vitæ. (D.Vinc.Ferr.) Pulchrè Diuus Vincentius Ferreyra ſerm. 2. in Dominic. 4. Quadrag. agens de hoc conuiuio in deſerto. *De pane , & piſce illo* , ait , *exibat quidam liquor , qui refocillabat comedentes.* Et ſubdit. *Quia in Hoſtia conſecrata eſt ibi totum corpus ex vi verborum , & totus ſanguis ex concomitantia reali.*

103. Pſalm.106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* Pſalm. 106. numer. 18. Loquitur Dauid de Manna , quod Hebræi contempſerunt , ac multa contra illud ſunt locuti. Sed cum Manna eſſet veluti ſemen coriandri , ac veluti vnus cibus, quomodo , illo contempto , dicitur omnem eſcam eos abominaſſe ? (*In Eucharistia omne bonum.*) Erat enim illud ſacræ Euchariſtiæ typus , proindéque omnium eſcarum ſaporem referebat , atque omnia , quæ guſtui, ac delectationi inſeruire poterant , in illo experiebantur , ac ſentiebantur. Agítque Propheta in hoc veluti Moyſes , qui , vt denotaret , in Paradiſo eſſe omne elegans viſui , & delectabile guſtui , dixit : *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum , pulchrum viſu , & ad veſcendum ſuaue.* (Gen.2. D.Nyſſen.) Geneſ. 2. numer. 9. Diuus Gregorius Nyſſenus tract.1.cap.8. in Pſalm. *Vt enim* , ait , *ibi omne lignum nominat plenitudinem omnis boni; ita hic verum illum , & omnipotentem cibum appellat omnem eſcam.*

| | |
|---|---|
| *Ioan.6. n.37.* | Omne, quod dat mihi Pater , ad me veniet , & eum , qui venit ad me, non eiiciam foras. |
| *Num.38.* | Quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatẽ eius, qui miſit me. |
| *Num.39.* | Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me , Patris, vt omne , quod dedit mihi , non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. |
| *Num.40.* | Hæc eſt autem voluntas Patris mei , qui miſit me: vt omnis, qui videt filium , & credit in eum , habeat vitam æternam , & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus, Theophyl. n.38.* | Deſcendi de cælo , non vt faciam, quod ego volo , ſed quod vult is, qui miſit me. |
| *Græcus , Vatablus n.39.* | Hæc eſt enim voluntas eius , qui miſit me Patris, ne quid perdam ex omnibus , quæ dedit mihi. |
| *Syriacus.* | Vt ſuſcitem illum vltimo illo die. |
| *Exemplaria, Græca n.40.* | Hæc eſt enim voluntas eius , qui miſit me , vt omnis contemplans filium. |

### *EXPOSITIO VI.*

IVDÆIS eorum malitiam, & obſtinationem arguit, & obiicit Dominus. Dixerat enim ſuperiori verſu : *Quia vidiſtis me , non creditis.* Cum vidiſſent eius opera, in eum tamen non crediderunt. Nunc verò ſubdit , quod ob eorum incredulitatem , & obdurationẽ indigni facti ſunt, vt tanquam filij, & fideles ei eſſent dati à Patre , atque ad fontem vitæ venirent. Ita Chryſoſtomus, D.Cyrillus , Leont. Euthym. Theophyl. & alij. Ex híſque docet Chriſtus Dominus , fidem eſſe Dei donum , ad quam ipſe per gratiam ſuam præuenientem , & cooperantem vocat efficaciter Electos, & Prædeſtinatos, facítque nos actu cõuerti , & libere credere Chriſto. Alióſque non prædeſtinatos etiam vocat , licet inefficaciter. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Illíſque dat media ſufficientia ad ſalutem. Vnde in culpa eorum eſt , quod ipſi non ſaluentur , cum Dei vocationi obſiſtant , & reſiſtant. Ita D. Thomas hic. Hæc de connexione textus. 104. *Connexio textus.* D. Chryſoſt. D. Cyril. Leont. Euthym. Theoph. D.Thom.

*Omne.* Genere neutro potius , quàm maſculino vtitur Chriſtus , vt magis expreſsè ſignificet vniuerſitatem omnium gentium. *Omne* , id eſt, omnis gentis, omnis generis, omnis ætatis , & ſexus vniuerſitas, & populus. *Dat mihi Pater* , mihi, vt humani generis mediatori ; mihíque vt eius filio , in hæreditatem Pſalm. 2. numer. 8. *Poſtula à me , & dabo tibi gentes in hæreditatem.* Et ait Chriſtus, Pater dat. Diuus Cyrillus. *Non quia ipſe non poſſit quoſcumque vellet adducere , ſed quia nemini hoc , niſi ſoli diuinæ naturæ conceditur , vt ignorantiæ tenebris inuolutos illuminet , ſicut homo hanc rem Patri attribuit.* 105. Pſalm.2. D.Cyril.



Subdit Chriſtus , *ad me veniet*, in me credet, verba mea excipiet. (Interlin.) Interlinealis. *Ad me veniet ; Per fidem mihi vnietur.* Oſtenditque ſe Chriſtus Dominus maximè paratiſſimum , ad excipiendos illos qui ad ipſum venerint. *Et eum* , quicumque ſit , *qui venit ad me.* (Interlin.) Explicat Interlinealis. Venit non greſſibus corporis , ſed *paſſibus fidei , & bonæ operationis.* Subditur in textu. *Non eiiciam foras* ; non repellam à me meáque ab Eccleſia, vt ait Theophylactus, ad omnes eſt promptiſſimus Euthymius , *Non abiiciam eum hic à mea familiaritate, neque ibi à regno cælorum.* Et D. Auguſtinus. *Non eiiciam ex gaudiis cœli æternis.* (Theoph. Euthym. D. Auguſt.)

106. *Quia deſcendi de cœlo.* Subiungit cauſam, quare non ſit reiecturus eos, quos Pater adduxerit, eique dederit. *Quia deſcendi de cœlo* in terram factus homo , *non vt faciam voluntatem meam , ſed voluntatem eius , qui miſit me.* Loquitur de ſe , vt homo. (Tolet.) Nec hoc dicit , ait Toletus quaſi contrariam voluntatem vt homo , à voluntate Patris habeat , eſt enim ei valde conformis : ſed tali vtitur verbo , quia prior eſt voluntas Patris , & cauſa , cur ipſe velit ; nam quoniam Pater vult , propterea vult Chriſtus , vt homo; tamen vult idem , quod Pater.

107. D. Cyrillus. Valde profundè , & docte N. D. Cyrillus Alexandrinus in Concilio. Epheſino totam rem explicat. *Dum non ſuam* , ait , *ſed ſui Patris voluntatem ſe perficere addit , Iudæorum veſaniam ex obliquo perſtringit , vtpote qui ſuam ſemper voluntatem conſtituere ſatagentes , diuináſque leges flocci facientes , de Domini ſui placitis nihil quicquam penſi haberent : dum, inquam, ſuum hoc loco promptum obſequendi ſtudium palam commendat , illorum rebellionem neutiquam obſcurè incuſat.* (*Per obedientiam reſtauratur homo.*) Iudæi ſicut primus homo , propriam voluntatem facere volentes , in perditionem abeunt. Vt ergo ſalutem aſſequantur , non ſuam ſed Patris voluntatem adimpleant. Ideoque ſe illis in exemplum obedientiæ Chriſtus proponit , quem imitari debeant. (D. Eucher.) Sicque etiam interpretatur D. Eucherius in lib. 1. Reg. cap. 15. *Quis autem neſciat* , ait , *quod voluntas Filij à Patris voluntate non diſcrepat. Sed quoniam primus homo, qui ſuam facere voluntatem voluit , à Paradiſi gaudio exiuit , ſecundus homo ad redemptionem hominum veniens , cum voluntatem ſe Patris, & non ſuam facere oſtendit , permanere nos intus docuit : quia dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubdit, viam nobis egreſſionis claudit.*

108. *Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me Patris.* Dixerat ſupra ſe deſcendiſſe , vt Patris voluntatem exequeretur : modo exponit quænam ſit hæc voluntas Patris. *Vt omne* , cuiuſcumque gentis, ætatis , ſexúſue ſit, *quod dedit mihi Pater non perdam ex eo* , ne quidquam eorum quæ dedit mihi, perdam. Explicatque id quod ſupra dixerat , *non eiiciam foras* ; quod magis vlterius exponens ſubdit , *Sed reſuſcitem illud* , non ſolum non ſinam perire ; verum etiam *illud* iuſtificabo , inque iuſtitia conſeruabo , denique illud viuificabo æterna vita ac ſalute perfecta & conſummata , non tantum animæ ſed etiam corporis. (*Cur dies nouiſſimus.*) idque innúens addit , *In nouiſſimo die* Dicitur autem dies nouiſſimus , ſeu vltimus ; quia ceſſabit Cœlorum motus & conſequenter tempus ; illorum enim motus, temporis eſt menſura ; & conſequenter tunc erit omnium dierum , menſium, ac annorum finis.

109. D.Auguſt. D.Chryſoſt. D.Cyrill. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei.* Ita legunt Auguſtinus , & D. Chryſoſtomus. D.Cyrillus autem lib.4. in Ioan. cap. 1. & alij ex Græco. *Hæc eſt enim.* Repetit id , quod ſuperius dixerat , ſed clarius exponit. *Vt omnis qui videt filium* , Græcus habet , Contemplatur filium, viſu ſcilicet ſpirituali, quo ex Dei reuelatione ducimur ad fidem. (Græcus.) *Et credit in eum* , ſcilicet credit me eſſe filium Dei & panem vitæ , *habeat vitam æternam.* Et ſic exactius explanat ſuperius aſſertum *non eiiciam foras* ; & iterum , *non perdam* ex eo. *Et ego reſuſcitabo eum.* Alij legunt , *vt reſuſcitem eum.* Hic Chriſtus noſtram reſurrectionem ponit. (Tertull. *Reſurrectio ſpes Chriſtianorum.*) Tertullianus lib. de Reſurrecti. *Spes Chriſtianorum* , ait, *eſt reſurrectio mortuorum.* (D. Chryſoſt.) D. Chryſoſtomus homil. 46. in Ioan. *Vitæ vbique meminit* , inquit , *nam eius trahimur cupiditate , & nihil ſuauius, quam non mori.* (*Cupiditas vitæ attrahit.*) *Etenim in veteri teſtamento longa vita , & multi dies promittebantur : nunc verò non ſimpliciter vitæ longitudo , ſed vita ſine fine promittitur. Simul & oſtendere vult quod ſupplicium ex peccato inductum nunc reuocat , ſententiam illam mortis ſoluendo , & vitæ ſempiternæ inducendo, contra ſuperiorum temporũ inſtitutionem.*

---

## QVÆSTIO XV.

### *Quomodo ad Chriſtum venitur in Sacramento Altaris ?*

110. Interlin. AIT Chriſtus Dominus in præſenti. *Qui venit ad me.* Explicat Interlinealis. *Qui venit ad me paſſibus fidei, & bonæ operationis.* Et iterum. *Qui venit ad me , & comedit me.* Accedendum eſt ergo ad Chriſtum comedendum in Sacramento Altaris paſſibus bonæ, & rectæ conſcientiæ , quæ maximè ſit mundata ab omni peccato , & inquinamento.

111. Mortuo Domino , vnus militum lancea latus eius aperuit , & *continuo exiuit ſanguis, & aqua.* (Ioan.19. D. Chryſoſt.) Ioan. 19. num.34 Quæ verba ponderans D.Chryſoſtomus tom.5. homil. ad Neophytos, ait , *Mortuo Ieſu , & adhuc in cruce pendente , approximauit miles , & latus percuſſit lancea , & exinde aqua fluxit , & ſanguis. Vnum Baptiſmatis ſymbolum , aliud ſacramenti : ideo non ait , exiit ſanguis , & aqua , ſed exiit aqua primum, & ſanguis: quia primo baptiſmate diluimur , & poſtea myſterio dedicamur.* A latere Chriſti profluit aqua , & ſanguis. (D. Chryſoſt. D. Cyrill.) Aqua iuxta Chryſoſtomum, & Cyrillum, ſignificat Baptiſmum , qui eſt Ianua Eccleſiæ , ac cæterorum Sacramentorum ; ſanguis repræſentat Euchariſtiam , quæ eſt omnium Sacramentorum finis , & complementum : ad quæ duo quaſi ad principium , & finem , cætera ſacramenta reducuntur. (D.Auguſt.) Vnde ait D. Auguſtinus tract. 120. quod *Ex latere Chriſti omnia ſacramenta manarunt.* (*Ad Euchariſtiam accedẽdum animi puritate , ac munditie.*) Ad quid ergo aqua baptiſmalis, & ſanguis Euchariſticus ? ad innuendum , quod nullus audeat accedere ad potandum ex illo ſacratiſſimo ſanguine, niſi polleat ea puritate, ac innocentia , quam aqua baptiſmalis communicat , & infundit ; id eſt tam purus accedat, acſi è fonte baptiſmali eſſet egreſſus. (Chryſoſt.) Et nota, quod Chryſoſtom legit in præſenti: *Exiit aqua, & ſanguis*: ad exprimendum magis quod ipſa innocentia Baptiſmatis præcedat ad hauriendum potum, è tanto ſanguine. (Tertull.) Tertullianus lib de Baptiſmo cap.16. Exiuit ſanguis, & aqua *Quia*, inquit,

*qui ſanguinem crederent, aqua lauarentur; qui aqua ſe lauaſſent, etiam ſanguinem portarent.*

112. Luc. 15. Blandè excipit bonus Pater prodigum filium reuertentem. *Dixit autem ad ſeruos ſuos: cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius. Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Luc. 15. num. 22 Filius fame, ac inedia conſumptus veniebat; cur Pater non intentat prius illi cibum prouidere, quàm veſtes? Pater diſpoſuit, filium admittere ad menſam vituli ſaginati; vnde & prius de veſtibus curat. Beda. Quod notauit Beda in cap. 15. Luc. *Notandum*, ait, *quod ante ſtola prima, ante annuli, ante calceamenta præſtantur; & ſic deinde vitulus immolatur.* Stola prima Baptiſmi gratiam interpretantur Titus Boſtrenſis. Annulus bona opera denotat, vt ait Aſterius in Catena Græca. Calceaméta verò abiectionem leuiſſimi pulueris, ſeu terreni affectus important. Et tunc ad menſam vituli admittitur filius. Non ſat eſt, bona opera habere, nec excluſionem mundani affectus; ſed vltra requiritur prima ſtola gratiæ, veluti quando homo egreditur à fonte Baptiſmi; aliter Pater non vult filium introducere ad menſam Euchariſticam.

*Ad Euchariſtiam accedendum mũditia baptiſmali.*

113. Geneſ. 47. Moriturus Iacob ait filio ſuo Ioſeph: *Pone manum tuam ſub fœmore meo, & facies mihi miſericordiam, vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis; & auferes me de terra hac, concludéſque in ſepulchro maiorum meorum.* Gen. 47. num. 29. Et tamen Ioſeph. patitur, vt ſaltem ad tempus, corpus eius ſepeliatur in Ægypto. Geneſ 50. Solum iuramento dato, ait fratribus: *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum.* Gen. 50. num. 24. Cur ergo Iacob tanto nixu inſtat, ne corpus eius in Ægypto ſepeliatur, cum Ioſeph hoc non recuſet? Si ſanctus Iacob, ſanctus etiam Ioſeph: vnde tam diuerſimoda intentio? Chriſtus Dominus naſciturus erat ex Iacob per Iudam, non verò ex Ioſeph: Cum ergo virtualiter, ac in ſemine Chriſtum in ſe contineret, nullo modo ſuſtinet, vt corpus eius condiatur in Ægypto turpitudine, ac iniquitate ſordidata, ſed vult terram benedictam promiſſionis, in qua iacebat Abrahamus pater fidei, & Iſaac plenus obedientia, caſtitate, ac cæteris virtutibus. Non enim patitur Chriſtus vt etiam in vmbra ingrediatur habitaculum vitiis, & peccatis immundum; hacque de cauſa Iacob noluit, vt tumulus eius ſit in Ægypto, ſed ad illum terram Chanaam deſignauit. Damian. Petrus Damianus ſerm. de Tranſlatione S. Hilarij. *Humanæ ſalutis Auctorem*, ait, *ille nouerat de ſuo ſemine naſciturum; hinc eſt, quod Iacob filium ſuum Ioſeph obſecrat dicens, ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis.*

*Chriſtus etiã in figura, non niſi in locum purum & mũdum ingreditur.*

114. Satis vulgare eſt apud Patres, quod Agnus Paſchalis præfigurabat Chriſti mortem in ara Crucis, & ipſummet Chriſtum in Sacramento Altaris. Chriſti mortem adumbrabat, dum ipſe Agnus mactabatur, ac in ſacrificio offerebatur. Chriſti Domini in Euchariſtia etiam gerebat typum, prout à Iudæis comedebatur. Tamen ad illius occiſionem cæremoniæ, ac præparationes non præcedebant, ſed tantum quinque ante diebus domum inferebatur. At vero ad illum comedendum multæ cæremoniæ, ac præparationes mandabantur. Exod. 12. *Sic comedetis illum, renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Exod 12. num 11. Lex præcipit, vt ponderant D. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Paſchate. D. Eligius homil. 14. D. Nazianz. D. Eligius. Vt renes eſſent præcincti, cingulo nempe omnium virtutum; tenentes baculos manibus, perſeuerantiam, ac firmitatem in eis indicantes. Calceamenta habentes in pedibus, ſe liberos ab omni affectu terreni pulueris declarantes: feſtinanter tanquam tranſeuntes ab hoc mundo, & ſolum in cæleſtem Patriam intenti ſe oſtendebant. Cur in comeſtione tot cæremoniæ, cum in occiſione tam pauca præcederent? Agnus occiſus Chriſtum crucifixum; Agnus comeſus Chriſtum in Euchariſtia adumbrabat, vt iam dixi: hic ergo præſcribit omnes præparationes, ac diſpoſitiones in nobis, oſtendens ſe plus æſtimare, ac appendere corpus ſuum datum in ſacramento Altaris, quàm ipſummet corpus crucifixum oblatum in ara crucis; plúſque requiri diſpoſitionis in nobis, indicans, ad celebrandum arcanum ſui ſacratiſſimi corporis ſacramentati; quàm myſterium ipſiuſmet corporis in ara crucis pendentis; vnde vt hoc altè nobis inſinuaret, tot leges Agnum comeſturis præſcribit Dominus. D. Macar. hom. 47. D. Marcar. *Iubet ad veſperam*, ait, *edere agnum cinctos renibus, calceatos, & habẽtes baculos in manibus, niſi enim prius omni ex parte per opera bona quantum in ipſa eſt præparata ſit anima, non conceditur illi, vt edat de Agno* ad ſalutem nempe.

*Plus præparationis ad celebrandum Chriſtum in Euchariſtia, quàm in cruce.*

115. Luc 15. Cum reuertetur filius prodigus, ait Pater ſeruis. *Adducite vitulum ſaginatum.* Lucæ 15. n. 23. Ad apponendum filio pœnitenti non contentus eſt pater petere quemlibet vitulum, etiam optimum ex grege, ſed inſuper vitulum, ſaginatum petit. Et cur ſaginatum? Vitulus ſaginatus ille eſt, qui multis ante diebus curatur, ac ſaginatur, vt in conuiuio, ac regali menſa proponatur, vt magis conuiuantibus placeat. Optimè ergo hic vitulus dicitur ſaginatus, ſeu præparatus. Vitulus iſte Chriſtum Dominum in Sacramento Altaris præfigurabat, vt ſatis vulgare. Dicitur ergo hic vitulus præparatus, quia ipſe Dominus ſe præparauit, vt ſe ipſum nobis ſub Sacramento in hac regali menſa daret, & apponeret. D. Anaſtaſ. Huc ſpectat D. Anaſtaſius Sinaita lib. 8. Exameron. *Saginatus vitulus*, ait, *nominatur Chriſtus quoniam multis temporibus ante nuptias, eius vnionem cum Eccleſia, parabatur à ſuo Patre in eſum gentium & quodammodo ſaginabatur ſacramentum.* O quam præclarum documentum hinc haurire poſſumus! Si enim Chriſtus, qui eſt ipſamet puritas, & ſanctitas, ſe ipſum præparauit, vt ſe nobis ſub mirabili Sacramento Altaris daret, quanto magis nos miſeri debemus nos met ipſos purificare, ac emundare, vt ad tam altum myſterium accedamus.

*Chriſtus ſe ipſum præparauit, vt in Euchariſtia ſe daret.*

---

## Qvæstio XVI.

### *Pater ad Chriſtum trahit in Euchariſtia per confeſſionem.*

116. Intetlin. Explicat Interlinealis. *Qui venit ad me, & comedit me:* Ille venit ad comedendum Chriſtum in Euchariſtia, qui per confeſſionem venit. D. Auguſt. Nam vt ait D. Auguſtinus relatus à D. Thoma. Opuſcul. 58. cap. 18. *Quam temerarium eſt, quamque nefarium cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare filium! Quis auditus ſuſtineret aurium? Quis oculus non confunderetur ad intuitum? Cuius mens non repeteretur in exceſſum, vbi mundi pretium mittitur in ſterquilinium? Non enim minus eſt deteſtabile, in os pollutum, quàm in lutum mittere filium Dei.* Purganda eſt ergo anima omni puritate, & munditie, quam confert confeſſio ſacramentalis, vt ſubdit D. Thomas, vt dignè anima Chriſti fiat habitaculum.



*Purificetur anima confeſſione ante Euchariſtiæ communionẽ.*

117. Pſalm. 67. Inuitat Regius Propheta: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael. Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Pſalm. 67. n. 27. Excitat nos ad Deum laudandum in Eccleſiis, quia ibi eſt verus Beniamin Chriſtus Dominus in Sacramento Altaris, vt iam dixi. Et ſubdit: *Principes Iuda duces eorum; principes Zabulon, principes Nephtali.* Sed cur in decantandis laudibus Chriſti in Sacramento Altaris conſtituit duces principes Iuda, Zabulon, & Nephtali? Cur non potius ex aliis tribubus, ſcilicet ex Ruben, vel Simeone? Fuerunt aliqui, qui dixerunt, Prophetam illas tres tribus nominaſſe, quia ex illis Apoſtoli nati fuere. D. Aug. Quod D. Auguſtinus ibi nec approbat, nec reprobat, cum ad hoc non videat fundamentum. Et ſubdit S. Doctor. *Duces eorum, qui in Eccleſiis benedicunt Dominum, video commendari. Plus me delectat, quod ex iſtorum nominum interpretatione clareſcit. Iuda confeſſio interpretari dicitur. Zabulon habitaculum fortitudinis. Nephtalim dilatatio mea.* Duces eorum, qui ad hoc Sacramentum accedunt, perfecta eſt confeſſio cum firmo, ac ſtabili propoſito non peccandi de cætero ac cum magna dilatatione charitatis, diligendo Deum ſuper omnia.

*Confeſſione, ac firmo propoſito, & charitate ad Euchariſtiã accedendum.*

118. Magna ponderatione dignum, quod benedicens Iacob filios ſuos, alta myſteria illis prædicens, magna dona largiens, ſolum in benedictione Iuda, & Aſer appoſuit altiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Iudæ ait: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam, lauabit in vino ſtolam ſuam.* Gen. 49. num. 11. Geneſ. 49. Tertullian. D. Ambroſ. D. Gaudent. Quod de Euchariſtiæ Sacramento interpretantur Tertullianus lib. 3. contra Marcion. D. Ambroſius cap. 4. de benediction. D. Gaudentius tract. 2. & alij Patres. Geneſ. 49. D. Ambroſ. D Paſchaſ. Rupertus. Aſer dixit. *Pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* ibidem num. 20. Quod de Euchariſtia interpretari valde commune eſt cum D. Ambroſio cap. 9. de benediction. Paſchaſio lib. de corpore, & ſang. cap. 21. Ruperto lib. 9. in Geneſ. cap. 34. Cur ergo ex tantis filiis ſolùm Iudæ, & Aſer Euchariſticum myſterium in benedictionem datur? D. Auguſt. Dicam ex citatis Auguſtini verbis. *Ex iſtorum nominum interpretatione clareſcit veritas.* Iuda idem valet, ac confeſſio, vt planum eſt. Oleaſter. Aſer verò, vt tenet Oleaſter cap. 30. Geneſ. num. 13. *Appellauit eum Aſer.* ſignificat Aſer *Rectum*, ſeu directum, ſeu integrum. Meritò ergo eis pro ſignificatione datur Sacramentum Altaris in benedictionem. Solùm enim illi, qui confeſſionem rectam, & integram emittunt, benedictionem, ac fructum huius altiſſimi myſterij participant, & aſſequuntur. *Effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum.* Pſalm. 61. Hugo. Pſalm. 61. numer. 9. Explicat Cardinalis Hugo. *Effundite coram illo corda veſtra per confeſſionem. Cor enim peccatoris eſt quaſi vas plenum ſtercoribus.* Et tunc ſtatim ſenties, ac experieris Deum adiutorem in anima tua.

*Qui rectè cõfitentur, fructum Euchariſtiæ percipiunt.*

119. Valdè lætanter benignus Pater excepit filium Prodigum ad ſe reuertentem; & ſeruis ſuis ait: *Adducite vitulum ſaginatum.* Cum magna autem feſtiuitate epulantibus, audiens filius ſenior, qui erat in agro, totus indignatus, quia nunquam Pater ei dediſſet nec hœdum, *nolebat introire. Pater verò illius egreſſus cœpit rogare illum.* Luc. 15. numer. 28. Luc. 15. Rogabat eum, ſcilicet vt introiret in domum, vt eſt communis Interpretum vox. Si filius ſenior iraſcitur pro vitulo dato iuniori fratri, cur bonus Pater multum diues non mandat ſeruis, vt alium vitulum adducant pro ſeniori filio? Vel cur ſaltem ipſum non inuitat ad eſum vituli appoſiti, ſed tantùm vt ingrediatur in domum? Perpende. Vitulus ille ſaginatus Chriſtum in Sacramento Altaris præfigurabat, vt multoties dixi: & Prodigus, cum iam præmiſiſſet ſuorum delictorum confeſſionem: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus:* illius ſacræ menſæ, ac epuli erat capax, ac dignus. At verò ſenior frater, cum inuidia, odioque tabeſceret, valde improportionatus erat ad menſam; vnde & prudenter Pater, non ad conuiuium illum inuitat, ſed ad introitum domus per confeſſionem, & contritionem, vt exinde ad menſam valeat accedere. D. Paſchaſ. Fauet D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini. cap. 22. *Quam iuſtè*, ait, *quia profecto ſenior frater cœcatus mente noluit introire intus, nec corde pœnitere; idcirco nec hœdum indulgentiarum meruit acquirere, dum vitulus repœnitenti filio iuniori tenerrimus immolatur.*

---

## Qvæstio XVII.

### *Quare Chriſtus hic in præſenti facit mentionem de illis, qui ad eum veniunt?*

120. De Euchariſtia eſt totus hic ſermo, vt ſatis patet ex eius diſcurſu, ac ex dictis. Et tamen hic interponit Chriſtus Dominus ſermonem de illis, qui ad eum veniunt. Optime ſanè. Halitus enim Euchariſtici Sacramenti efficaciſſimum medium trahendi, ac adducendi ad Chriſtum, ad vitamque æternam. Nocte, qua egreditur Iſrael de Ægypto, immolatur Agnus Paſchalis. Exod. 12. num. 28. Exod. 12. qui typus erat Chriſti in Sacramento Altaris. Pulchrè Algerus: Algerus. *Vt ductore Agno ducerentur in terram promiſſionis.*

*Euchariſtia nos ducit ad gloriam.*

121. Iſaiæ 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui.* Iſai. 1. num. 3. Mirandum ſanè, quod bos, & aſinus bruta animantia dicantur cognouiſſe, cum cognitio propria ſit intellectualis animæ functio; quomodo ergo his pecudibus attribuitur? Cum cæleſtis panis Chriſtus appoſitus fuit in præſepio Bethlehemitico, tam efficax fuit halitus diuini illius panis, vt etiam bruta animantia, peccatores nempe illius odore fuerint illuminati, vt cognoſcerent, ac venirent, vt tanto conuiuio fruerentur. D. Chryſologus ſerm. 159. D. Chryſol. *Vterque agnouit*, ait, *quia vterque ad vnum præſæpe Domini epulaturus acceſſit.*

*Odor Euchariſtiæ nos illuminat, vt ad Deum veniamus.*

122. Halitus Euchariſticus valde præclaros in anima generat affectus. Dilecta Sponſa, ac pura anima

ma ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni.* Cantic 3. num. 2. Optimè ſanè ait D. Bernardus ſerm. de triplici cohærentia vinculorum. *Non eſt parua res parui animi, cum illa, quæ ſingulari pietatis nomine gloriatur, ſæpius ſeſe queratur eſſe fruſtratam; dicens, Quæſiui illum, & non inueni.* Anima charitate, & amore Dei vulnerata per tot vicos, & anfractus ipſum quærit, & non inuenit. Res ſanè miranda. Et augetur difficultas: nam filius Prodigus, plenus luxuriis, inquinamentis, ac peccatis, cum apud ſe ſtatuiſſet: *Surgam, ibo ad patrem meum:* ſtatim nouit iter, recto tramite venit ad Patrem, ipſumque ſine multa inquiſitione inuenit, eique Pater fit obuiam. Et tamen Anima pura, & ſancta ipſum diligenter inueſtigans non inuenit, nec, in quo ipſe adſit, locum agnouit! vnde tanta diuerſitas? Anima ſancta ferebatur quodam impulſu charitatis, & gratiæ, quo vehementiſſimè præſentiam ſui dilecti cupiebat. At Prodigus quodam deſiderio panis Chriſti in Sacramento Altaris mouebatur: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus.* Luc. 15. num. 17. Cum ergo iſte tanti myſterij concepiſſet affectum, ac deſiderium, puriſſimæ animæ inter cæteras, quæ extabant, prælatus eſt: halitus enim, ac deſiderium huius Sacramenti grandiores, ac illuſtriores gignit effectus, quam quicumque alius cumulus gratiæ, & charitatis. Suis diſcipulis ait Petrus 1. cap. 2. n. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Lac hoc rationabile ſacram Euchariſtiam interpretantur Salmeron, & Turrianus. Illud mirandum, quod non monet nos ſuggere lacteum Euchariſtiæ cibum, ſed concupiſcere: hoc enim ſat eſt. Vnum enim Euchariſtiæ deſiderium valde magnos, & perexcelſos in anima producit, & creat effectus.

[Margin: Cantic. 3. D. Bernard. — Luc. 15. *Euchariſtia in nobis grādiores gignit effectus, quā alius cumulus gratiæ, & charitatis.* 1. Petri 2. — Salmeron. Turrianus. *Deſiderium Euchariſtiæ magnos effectus producit.*]

## Qvæstio XVIII.

### *Qui ad Chriſtum venit, non eijcitur foras, ſed multo honore ſublimatur.*

123\. D. Cyrillus. AIT Chriſtus Dominus. *Qui venit ad me, non eijciam foras.* Quod explicans D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 40. Qui venit ad me, ait, *Non abdicabitur, nec vt inglorius eijcietur qui venit ad me, nec erit expers meæ benignitatis, ſed recondetur in horreum, & in cæleſtes manſiones diuertet, ingredieturque, quo mens hominum nequaquam cogitauit.* Quod veriſſimum eſt de omnibus illis, qui ad Chriſtum per fidem, & bona opera veniunt. Peculiariter tamen dicam de illis, qui ad Chriſtum per ſacram Euchariſtiam veniunt, qua maximè condecorantur, ac ſublimantur. Ait Chriſtus Dominus Matth. 24. num. 28. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Cur qui ad Chriſti corpus conueniunt, aquilis comparantur? Chryſoſtomus: *Vt in aquilis regalibus regalis ſanctorum dignitas oſtendatur.*

[Margin: *Chriſti corpore nobilitamur.* — Matth. 24. — D. Chryſoſt.]

124\. Cum Iſaac degeret in terra Gerara, ſeminauit ibi agrum. *Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.* Geneſ. 26. num. 13. Valde ponderandum, quod cum Iſaac eſſet illuſtriſſimus, tum ex genere ſuo, vtpote filius Abrahæ; tum etiam ex ſuis moribus, & virtutibus; & etiam ex multis diuitiis, quas poſſidebat: nunquam tamen dicitur magnus vehementer effectus, niſi poſtquam agrum ſeminauit. Origenes homil. 11. premit verbum: *magnus effectus eſt.* & ſic ait. *Apparet, quod nondum magnus erat, ſed poſtquam ſeminauit & collegit centuplum, tunc factus eſt magnus valde.* Area illa tritici non incongruè typum ſacræ Euchariſtiæ continet. Quamuis igitur Iſaac ex genere, diuitiis, ac moribus eſſet tam illuſtris; nunquam tamen dicitur, quod creuerit, ac vehementer magnus effectus ſit, niſi poſtquam vmbram Sacramenti Altaris eſt adeptus, quo ſolum magni, ac grandes conſtituuntur.

[Margin: Geneſ. 26. — Origenes. — *Euchariſtia nos magnos efficit.*]

Facta conſecratione ſui ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis, ait Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam.* Luc. 22. num. 29. Regnum Chriſti non eſt ſicut regnum aliorum principum huius ſæculi. Quodnam regnum eſt, quod ipſe nobis tradidit ad bibendum, & edendum, ſicut ei Pater diſpoſuit? Euſebius Emiſſenus ibi. *Sic ego diſpono*, ait, *& vobis Eccleſiæ regnum trado, ſicut & Pater meus mihi illud diſpoſuit, vt mea vice illud regatis, & ſuper menſam meam edatis panem verum, qui de cælo deſcendit, & bibatis calicem noui teſtamenti.* Regnum magnum Dominus in vltima cœna ſuis diſpoſuit, vt ſcilicet corpus ſuum, comedant, & bibant. Sicut enim Pater dedit Chriſto poteſtatem, vt ſacratiſſimum corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini conſecraret; ſic & ipſe Diſcipulis ſuis dedit poteſtatem, vt vice ſua corpus, & ſanguinem eius conficiant, aliiſque præbeant. Quod regnum magnum eſt, quo reges, & valde potentes efficimur. 125.

[Margin: Luc. 22. — Euſebius. — *Euchariſtia reges facit.*]

*Vidi*, ait Ioannes, *vnum Angelum ſtantem in Sole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium.* Apocal. 19. num. 17. Quod de Euchariſtia interpretari non eſt abs re. Et in hanc ſententiam adduci poteſt Alcaſar. Angelus ad Euchariſticam menſam vocat. *Dixit Angelus Eliæ, ſurge, & comede.* 3. Reg. 19. num.... Pulchrè D. Hieronymus *Angelus eſt, qui comedere ſuadet*, ait, *qui enim tibi ſuadet comedere, Angelus tibi eſt, qui ſuadet.* Licet homo ſit, qui te ad hanc menſam inuitat, tibi tamen Angelus eſt. Et quos ad hanc menſam vocat Angelus? non qualeſcumque, ſed aues volantes per medium cæli, illos ſcilicet, qui alites ſunt, & valde ſeparati à terra, ac toti in cælum intenti. Ad quid vocat? Ad magnam cœnam Agni, in qua caro, & ſanguis Chriſti nobis apponitur. Et rectè dicitur cœna, & non prandium, quia poſt hanc menſam non repetat homo terrena. *Vt comedatis carnes regum, & fortium.* Nonne ad hanc menſam vocantur *Pauper, ſeruus, & humilis*; & etiam in Euangelio, *claudus, & cæcus?* Quomodo ergo ſolum hic dantur carnes regum, & fortium? Qui participat de hac menſa, iam non pauper, & claudus eſt, ſed rex, & fortis conſtituitur. Diuus Paulinus Epiſt. 9. *Regum panis eſt, quo nos ſaginamur.* 126.

[Margin: Apocal. 19. — Alcaſar. — 3. Reg. 19. D. Hieron. *Qui te ad Euchariſtiā ſuadet, Angelus.* — *Euchariſtia reges conſtituimur.* — D. Paulin.]

Sicque



127\. Ezech. 39. Sicque etiam in ſenſu accommodatitio explicabis Ezechielem cap. 39. num. 17. *Tu fili hominis, dic omni volucri, & vniuerſis auibus cunctiſque beſtijs agri. Conuenite, properate vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem ſuper montes Iſraël. Carnes fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ comedetis.* Conuocantur aues, & beſtiæ, ſcilicet magni, & parui; docti, & ſimplices. Et hoc vndique, nullus, qui venit, vt oportet, excluditur, *ad victimam meam*; in hoc enim ſacramento incruentè ipſemet Chriſtus offertur in ſacrificium, *victimam meam*; peculiariter Chriſtus hoc Sacramentum ſuum reputat. *Victimam grandem*, ob altitudinem myſterij, *ſuper montes Iſraël*, id eſt videntis Deum; quamuis enim Chriſtus in ſe ſit occultus, tamen in effectibus eſt manifeſtus, vt iam dixi. *Carnes fortium, ac principum terræ.* Hac eſca, illam comedentes, fortes, ac principes efficiuntur. Rupertus lib. 1. in Apocalypſim cap. 1. *In hoc regno*, ſcilicet Eccleſia ait, *omnes, qui Chriſti ſanguine ſacrati ſunt, ſplendidi reges ſunt.*

[Margin: *Euchariſtia efficitur homo princeps, ac fortis.* — Rupert.]

128\. Geneſ. 38. Cum Zaram, & Phares eſſent in vtero, inſtante tempore partus, Zaram *protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum*, Geneſ. 38. num. 27. Et tamen illo retrahente manum egreſſus eſt alter. Zaram emiſit manum, vt prior exiret è matris vulua; cur modo ab incepto deſtitit? D. Cyrillus Alexandrinus apud Lippomanum ait: *Coccinum ſanctiſſimum Chriſti ſanguinem ſignat.* Et vbi Zaram ſe agnouit inſignitum vmbra ſanguinis Chriſti, tam magnum, ac excelſum ſe reputauit, vt ſtatim omnes ſæculi maioratus, ac principatus contempſerit, & parum duxerit.

[Margin: D. Cyrill.]

*Ioannis 6. n. 41.* Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.

*Num. 42.* Et dicebant: Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi?

*Num. 43.* Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis? Nolite murmurare inuicem.

*Num. 44.* Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

### *Versiones.*

*Syriacus, n. 41.* Quod dixiſſet, Ego ſum panis ille, qui de cælo deſcendi.

*Syriacus, n. 43.* Ne murmuretis vnus cum alio.

*Vatablus.* Ne murmuretis inter vos.

*Arias.* Ne murmuretis cum aliis alij.

### *Expositio VII.*

MVRMVRABANT *ergo*, vt patet ex verſu 44. inter ſe, ac etiam ſubmiſſa voce, vt eſt detrahentium ingenium. Iudæi calumniabantur eum. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 3. *Quæ apud Moyſen*, ait, *ſcripta ſunt, mente ſæpè reuoluens, quaſi paternam hæreditatem murmurationem de rebus bonis ad Iudæos deſcendiſſe comperio.* Et notat Caietanus, quod dicuntur Iudæi; non ruſticani, non Galilæi, ſed Iudæi, qui ex Ieroſolymis venerant, has quæſtiones opponebant, & excitabant: *Quia dixiſſet, Ego ſum panis viuus*; quod Dominus protulit verſ. 35. *qui deſcendi, de cælo*; quod dixit verſ. 38. *Hucuſque quidam*, ait Theophylactus, *exiſtimabant, de pane ſenſibili eum loqui, & manſuetè ipſum ferebant; nunc autem, quia reuelauit eis, quod de ſpirituali pane ſermonem haberet, contempto illo, murmurabant.* 129.

[Margin: D. Cyrill. *Iudæorum ingeniū murmurare.* — Caiet. — Theophyl.]

*Dicebant: Nonne hic eſt Ieſus.* Oſtendebant, ſe cum optimè agnoſcere ex nomine. Tamen, vt ait Albertus Magnus, effectum, & ſignificatum nominis non cognouerunt. *Filius Ioſeph*, ſcilicet putatiuus, *cuius nos nouimus patrem, & matrem.* Hæc dicunt, vt multam de eo ſe habere cognitionem oſtenderent. Sed vnde parant detractiones contra eum, inde magis ſuam inſipientiam, ac ignorantiam declarant. Nam, vt inquiunt Albertus Magnus, S. Thomas, Chriſti matrem veram cognoſcebant, Patrem Chriſti verum non agnoſcebant. Quamuis enim Chriſtus Dominus in hoc ſermone de ſuo æterno Parente à num. 27. & alibi mentionem feciſſet; illi tamen ſua malitia excæcati non intelligebant, ſed ad terrena tantum intenti, Ioſeph mente voluebant. *Quomodo hic dicit, deſcendi de cælo.* Hæc erat murmurationis ratio, & cauſa, ait Caietanus, tanquam ſi dicerent: Ille de ſe loquitur, ac ſi more mortalium non eſſet genitus ex patre, & matre; ſed velùti Angelus lapſus de cælo. Offendebat eos, ait Cyrillus, infirmitas humani corporis; tamen ex eius operibus, miraculis, ac dictis, & teſtimoniis Scripturæ tenebantur eius virtutem diuinam perſpicere, & eum pluſquam hominem agnoſcere, & fateri. Nota quod Iudæi hic de Chriſto murmurant; & tamen cum in deſerto eos paſcit, regem facere volunt, vt notaui ex Chryſoſtomo ſuprà cap. 33. 130.

[Margin: Albert. Mag. — *Ex quo impius arguit, redarguitur.* — Albert. Mag. D. Thom. — Caiet. — D. Cyrill. — D. Chryſoſt.]

*Reſpondit eis Ieſus.* Benè aduertit Euthymius, quod *Chriſtus non dixit: Non ſum filius Ioſeph, neque quicquam de genere ſuo docuit ſciens, quod illi nondum audire poterant admirandum ſui partum, & multò minus æternam ſui generationem, ac natiuitatem.* Sed eorum imbecillitati condeſcendens ait: *Nolite murmurare inuicem*, hoc eſt inter voſmet ipſos, quia verba mea nullam continent offenſionis materiam; & ſi ea non capitis, ex culpa, ac cæcitate veſtra prouenit. 131.

[Margin: Euthym. — *Accommodādum auditorum imbecillitati.*]

*Nemo poteſt.* Rectè notat Chryſoſtomus: Poterat Chriſtus Dominus dicere; non eſt mirum, ô vos Iudæi, quod ea, quæ ego dico, quod ſum panis, qui de cælo deſcendi, non intelligatis, nec credatis, quia carnales, duri, & proterui eſtis. Multò tamen ſuauius, ac ſublimius reſpondet, quod ſcilicet nemo in eum credat, niſi ei ſit datum à Patre per reuelationem, & gratiam ſuam. *Traxerit eum.* Hoc verbum *trahere* non denotat violentiam in libero arbitrio, vt perperam hæretici dixerunt; nam, vt ait in præſenti D. Cyrillus: 132.

[Margin: D. Chryſoſt. — *Nulla ſit voluntati violentia.* — D. Cyrill.]

*Trahimur*

D. Chryſoſt. D. Auguſt. Matth. 16.

*Trahimur monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta.* D. Chryſoſtomus: *Neque enim hoc noſtrum tollit arbitrium, ſed diuino egere auxilio oſtendit.* D. Auguſtinus hic tract. 26. *Noli cogitare,* ait, *te inuitum trahi, trahitur animus & amore. Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Matth. 16. num. 17. *Iſta reuelatio ipſa eſt attractio.* Et poſtquam multa præclarè de hac re diſſerit, adducens illud Poëtæ: *Trahit ſua quemque voluptas*, ſubdit. *Da amantem, & ſcit, quid dicam; ſi autem frigido loquor, neſcit, quid loquor.* Solùm enim hæc myſteria percipit animus charitate ignitus.

133\. *Qui ſit iſte tractus.*

Tractus ergo iſte ſignificat vim, & efficaciam gratiæ, cum quadam tamen ſuauitate, ac lenitate, quæ liberum arbitrium non cogat, ſed alliciat, mulceat, ac blandiendo adducat, vt poſita ipſa gratia liberum arbitrium infallibiliter, liberè tamen conſentiat.

## QVÆSTIO XIX.

### *Vtrùm Euchariſtiæ Sacramentum magis pro ſola Virgine, quàm pro reliquis fidelibus ſimul conglomeratis fuerit inſtitutum?*

134\. INTER Iudæorum altercationes circa Euchariſtiæ Sacramentum fit mentio de Chriſti Matre: non erit abs re, inquirere, an ob ipſam peculiarius Euchariſtia fuerit inſtituta? Sacram Euchariſtiam, ait Salazar in cap. 9. Prouerb. verſ. 4. *Propter Mariam inſtitutam fuiſſe, vt ſcilicet poſt Chriſti paſſionem moras ſuæ beatitudinis hac eſca confirmata facilius ferre poſſet.*

Salazar. *Sacra Euchariſtia inſtituta propter Virginẽ.*

Præuidens Chriſtus Ieſus, ſe è mundo receſſurum, ne dilectam Matrem in hac lachrymarum valle triſtem, & mœrentem deſereret, ſacram Euchariſtiam inſtituit, vt eam crebrò Mater percipiens, tum dilecti abſentiam, tum ſuæ beatitudinis moram facilius ferret. Et ideo valdè probabile eſt, vt docent Chriſtophorus de Caſtro lib. Hiſtoriæ Deiparæ cap. 16. num. 6. Barradas tom. 4. in Euang. lib. 1. cap. 17. in fine, & Paulus Sherlogus tom. 3. in Cantic. inueſtig. 37. n. 20. Quod Chriſtus Dominus in vltima nocte, cum ex hoc mundo diſcederet, quando inſtituens ſacram Euchariſtiam, ſuos diſcipulos refecit; ſimùl Beata eius Mater ſub eodem tecto Paſcha celebrans, agno manducato, Dominicum ſumpſit corpus. Ad noſtram quæſtionem

Caſtro. Barradas. Sherlog. *Virgo ſumpſit Euchariſtiã in noctis cœna.*

135\. Dico, Sacramentum Euchariſtiæ magis pro ſola Virgine, quàm pro reliquis fidelibus ſimul ſumptis fuiſſe inſtitutum. Hanc concluſionem tenet Ioannes Baptiſta Nouatus de eminentia Virg. tom. 1. cap. 17. quæſt. 10. Probatur primò. Hoc admirabile Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto Domino ob ſuum eximium amorem, quo homines proſequebatur. Atqui Chriſtus Dominus magis amabat ſolam Virginem Mariam, quàm omnes alios homines collectiuè ſumptos. Ergo magis pro ſola Virgine, quàm pro omnibus aliis Euchariſticum myſterium eſt inſtitutum. Conſequentia rectè colligit. Maior probatur, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 12. cap. 2. dicente. *Sacramentum hoc inſtituit,* ſcilicet Chriſtus Ieſus, *in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* Minor probatur ex Damiano, D. Bernardo, D. Amadæo relatis ſuprà cap. 16. quæſt. 18. n. 124. 125. D. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 51. de feſtiuitatibus Virg. art. 3. cap. 1. *Virgo,* ait, *Beata in conceptione filij Dei conſenſu plus meruit, quàm omnes creaturæ, tam homines, quàm Angeli in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis.* D. Auguſtinus relatus à D. Bonauentura in ſpeculo Virg. cap. 6. cum ipſa alloquens ait: *Te ipſe Rex regum, vt matrem veram, & decoram ſponſam præ omnibus diligens amoris amplexu ſibi aſſociat.* Hanc denique ſententiam, quod Virgo fuerit plus dilecta, pluſque gratiæ in ea ſola, quàm in omnibus aliis ſanctis ſimul ſumptis, docent Suarius ad 3. part. tom. 2. diſput. 18. ſect. 4. concluſione 2. Barradas tom. 1. in Euang. lib. 6. cap. 10. §. *In quæſtionem vocari poteſt.* Salazar tom. 2. in Prouerb. cap. 31. verſ. 29. Ægidius Luſitanus de conceptione lib. 4. quæſt. 5. art. vnic. num. 10. Et hanc ſententiam piam, & probabilem appellant Henriquez lib. de vltimo fine hominis, cap. 10. num. 7. Ludouicus de Torres Selectar. Diſput. Theolog. part. 1. diſp. 14. dub. 11. Petrus de Morales in cap. 1. Matth. lib. 2. tract. 9. num. 18. Cornelius à Lapide in Prouerb. cap. 31. verſ. 29. §. *Sextò.* Deus enim ſemper confert gratiam proportionatè ad dignitatem, quam tribuit. Dignitas autem Matris Dei excedit dignitatem omnium ſanctorum collectiuè. Ergo & gratia cum dignitate data.

Nouat. *Euchariſtia inſtituta magis pro Virgine, quam pro omnibus aliis.* Trident. D. Damian. D. Bernard. D. Amad. D. Bernardin. D. Auguſt. D. Bonau. Suarius. Barradas. Salazar. Ægid. Luſit. Henriq. Torres. Morales. Corn. à Lap.

136\. D. Thom.

Probatur ſecundò ex D. Thoma opuſc. 57. Euchariſtia mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Atqui Virgo electa eſt, vt omnium ſpiritualium abundantia chariſmatum impinguaretur, itaut omnes ſanctos ſimul ſumptos excederet. Ergo magis pro ipſa quàm pro omnibus aliis ſimul conſideratis factus eſt Euchariſticus panis.

137\. *Incarnatio facta principalius pro Virgine.* D. Bernardin. D. Ildeph. Suarius. *Paſſio Chriſti pro ſola Virgine.* Salazar. Sherlog.

Tertiò, Filius Dei magis pro redimenda Virgine, quàm pro omnibus aliis ſimul conſideratis carnem aſſumpſit, vt docent D. Bernardinus tom. 4. ſerm. 8. cap. 3. *Deus,* ait, *aſſumpſit carnem potius propter ſaluare Virginem ſingularem, quàm omnes alias creaturas.* Et idem habet ſerm. 61. art. 3. cap. 3. & D. Ildephonſus lib. de Virg. Maria, cap. 12. Idémque tenet Suarius citata ſect. 4. §. *ſecunda ratio.* Et in paſſione ipſam ſolam maius obiectum extitiſſe, quàm aliorum omnium collectionem, aſtruunt Salazar de conceptione cap. 24. §. 14. & Paulus Sherlogus tom. 3. in Cantic. Inueſtig. 37. num. 20. Ergo ſimiliter Sacramentum Euchariſtiæ magis pro ſola Virgine inſtitutum, quàm pro omnibus aliis; quæ enim maior ratio dari poteſt.

138\. *Virgo Deo maximè vnita.*

Quartò, Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum eſt ad ſpiritualem vnionem animarum cum Chriſto: *In me manet, & ego in illo:* ſed in B. Virgine datur quædam ratio magis exigitiua huius vnionis, quàm in aliis fidelibus. Ergo pro ea inſtitutum eſt hoc admirabile Sacramentum. Minor probatur; nam cætera patent. Quia quo magis aliquid appropinquat primo principio, magis participare debet de illo: Sed Virgo per maternitatem maximè appropinquat primo principio ſcilicet Deo: Ergo magis debet participare de illo. Ergo magis pro illa modi participandi inſtituti ſunt.

139\. Quintò, Deus in liberalitate, ac magnificentia ſuperat omnem creaturam. Atqui Virgo dedit



Dei Verbo ſuam carnem, & ſanguinem: Ergo vt magis Verbi liberalitas manifeſtaretur, conuenientiſſimum extitit, vt hoc diuinum Sacramentum inſtitueret, in quo corpus, & ſanguinem ſuum ſuperaddita diuinitate Virgini redonaret. Confirmatur Chriſtus magis debebat Virgini, quàm aliis creaturis, vt docet D. Methodius in Hypopante. *Euge,* ait, *quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo vniuerſi debemus, tibi verò etiam ille debet.* Ergo magis pro Virgine eſt inſtitutum Sacramentum, quàm pro aliis. Confirmatur ſecundò. Ex illis partibus corporis, & ſanguinis, quæ in vtero Virginis fuerunt aſſumptæ, ac vnitæ Verbo diuino, ſemper quædam illius portio conſeruata eſt in corpore Chriſti, tam modò in cælo, quàm in Euchariſtia, vt dixi in Epiſtola Dedicatoria huius libri. Ergo valdè decens erat, vt illam portionem vnitam diuinitati Deus Virgini redonaret.

S. Method. *Virgo Deum ſibi debitorẽ habet. Aliqua portio aſſumpta ex carne Virginis conſeruatur modo in Euchariſtia.*

140\. Trident.

Dices, Sacramentum hoc, vt ait Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. inſtitutum eſt, tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruamur. Atqui hic effectus non potuit habere locum in Virgine. Ergo pro ea non fuit primariè inſtitutum. Reſpondetur, quod ille non eſt primarius, & neceſſarius effectus Euchariſtiæ. Primarius eius effectus, vt conſtat ex Concilio Florentino in litteris vnionis, & ex Tridentino citato loco, ac ex D. Thoma 3. p. quæſt. 79. art. 1. & ex multis Conciliis relatis à Suario 3. p. diſput. 63. ſect. 1. eſt augmentum gratiæ, ſeu vberior gratia, qua B. Virgo maximè proficiebat, vt magis vniretur Deo, magis, ac magis fieret inimica peccati.

Florent. Trident. D. Thom. Suarius.

## QVÆSTIO XX.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc murmurantibus Iudæis tam benignè, ac manſuetè reſpondit?*

141\. SÆPE de Chriſto Domino murmurantibus Iudæis, ipſe Dominus rigidè eos reprehendit. Matth. 9. num. 4. *Vt quid cogitatis malè in cordibus veſtris.* Matth. 15. num. 7. & 22. n. 18. vbi eos hypocritas appellat. Et Ioan. 8. num. 44. eos ex patre diabolo dicit. Tamen cum Iudæi hic diſtrictè eum calumniarentur: *Murmurabant Iudæi:* non apertè illos obiurgatur Chriſtus Dominus, ſed tantum cum multa modeſtia, ac manſuetudine ait illis: *Nolite murmurare.* Cur etiam hic non iraſcitur? Vt diſcant prælati, non ſemper ſeuerè agere, ſed aliquando patienter ſuſtinere, vt iam ſæpè dixi.

Matth. 9. 15. & 22. Ioan. 8. *Ratio difficultatis.* *Prælatus aliquando patienter agat.*

142\. Reſpondeo deinde ad quæſtionem. Agebatur in præſenti de admirabili Euchariſtiæ Sacramẽto, ad cuius præſentiam omnes iræ, ac iracundiæ ſopiuntur, ac extinguuntur, & in totum ſe pietas, ac miſericordia prodit. Poſtquam Iſaac benedictionem filio ſuo Iacob fuit impertitus, cumque illam ex agro reuerſus Eſau à parente ſuo expoſtulaſſet, dixit illi pater: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Geneſ. 27. num. 35. Et antea iam ille dixerat: *Benedixi ei, & erit benedictus,* ibidem num. 33. Res ſanè multa admiratione digna. Iſaac fatetur, quod filius ſuus Iacob tulerit benedictionem fraudulenter; & tamen contra eum nec iraſcitur, nec benedictionem reuocat, nec pro ea maledictionem infert, ſed potius eam confirmat. *Et erit benedictus.* Quod ponderat D. Auguſtinus lib. 16. de ciuit. cap. 37. *Magno,* ait, *Sacramento Iſaac deuitat indignationem, & confirmat benedictionem.* Benedixi ei, & erit benedictus. *Quis non hic potius maledictionem expectaret irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur? O res geſtas in terra, ſed cœlitus; per homines, ſed diuinitus!* Et quæ tanti myſterij ratio? Ea valdè congruè. Quod Iacob in figura ſacræ Euchariſtiæ, vt interpretatur D. Paſchaſius lib. de Corpore, & ſanguine Domini, cap. 12. Accepit panem, & vinum. *Frumento, & vino ſtabiliui eum. Et tibi poſt hæc fili mi, quid faciam?* ibidem num. 37. Cum ergo Iacob Euchariſtiæ typo eſſet cuſtoditus, ac munitus, non in indignationem, ac maledictionem incurrit; ſed potius omni cœleſti bono, ac dono ditatur, ac impinguatur, omniáque bona in illum augentur, ac confirmantur.

Geneſ. 27. D. Auguſt. *Ad Euchariſtiæ præſentiã nulla maledictio, ſed miſericordia, ac benedictio diffunditur.*

143\. Apoc. 6. Anſbertus. Lyran. *Præſẽtia Euchariſtiæ arcetur caſtigatio.* Gloſſa.

Clamant ſancti, *voce magna dicentes: Vſquequo Domine ſanctus, & verus non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra: dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum.* Apocal. 6. num. 10. Quod de tempore diei iudicij intelligitur communiter ab Anſberto, Lyrano, & aliis. Et cur modo ipſa vindicatio, & caſtigatio tam iuſtè debita non exequitur? Cur differenda eſt vſque in diem iudicij? In Eccleſia adeſt modo diuinum Euchariſtiæ Sacramentum vſque ad conſummationem ſæculi; & præſentia tanti myſterij arcetur omnis debita vindicta, minuitúrque omnis ſeuera caſtigatio, & vndique miſericordia fluit. Gloſſa in Pſalm. 64. ad illa verba. *Paraſti cibum illorum.* Sic ait: *Iſtum cibum paraſti, vt illis des miſericordiam.* Vt ergo carnifices exactè puniantur, ad diem iudicij remittitur pœna. Vide ſuprà dicta cap. 15. quæſt. 22. num. 174. 175. & 176.

*Ioan. 6. n. 45.* Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei: Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.

*Num. 46.* Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui à Deo eſt, hic vidit Patrem.

*Num. 47.* Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

*Num. 48.* Ego ſum panis vitæ.

*Num. 49.* Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt.

*VERSIONES.*

*Syriacus, n. 45.* Scriptum eſt enim in prophetis, futuros omnes doctos à Deo.

*Arabicus.* Scriptum eſt in Iſaia, futuros vniuerſos filios do-

ctos

ctos à Domino. Omnis qui audit à Patre, ſcit me.

*Arias, n.46.* Niſi exiſtens à Deo, hic vidit Patrem.

*Theoph.Vatabl. n.47.* Amen dico vobis, qui confidit mihi.

## *EXPOSITIO VIII.*

144. DVRVM videbatur Iudæis id, quod Dominus dixerat antecedenti verſu. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Id ipſum Chriſtus Dominus probat, & confirmat ex Scriptura Prophetarum, ex Iſaia citato ab Arabico cap. 54. num. 13. *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Idem vaticinantur Ieremias cap.31.n.33. & 34.Ezechiel.36.num.26. Ioël 2. num.28. & 29. Erúntque omnes Chriſti fideles, ac credentes ad vocem externam Chriſti, ac eius prædicatorum, interius à Deo Patre illuſtrati, ac illuminati inſpiratione diuinæ doctrinæ, vt credant, & obediant. Sic ait D. Auguſt. in Epiſt.1. Ioan. tract. 3. *Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt.* Et ſubdit. *Omnibus locutus ſum, ſed quibus vnctio illa intus non loquitur, quos Spiritus ſanctus intus non docet, indocti redeunt: Magiſteria forinſecus adiutoria ſunt quædam, & admonitiones; cathedram in cælo habet, qui corda docet.*

[Arabic. Iſai. 54. Ierem.31. Ezech 36. Ioël.2. — D. Auguſt.]

145. *Et omnis, qui audiuit,* ſcilicet intellectuali modo, vt ait Euthymius, *& didicit*, prompta ſcilicet obedientia, quæ de me ei inſpirantur, ac reuelantur à Patre meo, *venit ad me*, credendo, me eſſe verum filium Dei, ac verum Meſſiam. Et ſic explicauit, ait D. Auguſt. in præſenti, *Quomodo trahit Pater, docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.*

[Euthym. — D. Auguſt.]

146. *Non quia Patrem vidit quiſquam.* Ne craſſi Iudæi exiſtimarent, inquiunt Euthymius, Albertus Magnus, Patrem ita eſſe videndum, vt diſcipuli audiunt homines magiſtros, ſubiicit, quod Patrem ſenſuali, ac viſibili modo nunquam quiſquam vidit, vel audiuit; ipſe enim inuiſibiliter menti loquitur, eamque illuminat. *Niſi is, qui à Deo eſt.* Nemo enim hominum Patrem cernit, præter eum, *qui ex Deo eſt*, id eſt præter me, qui ex Deo natus ſum, & in mundum miſſus ab eo, *vtpote*, ait Euthymius, *eiuſdem naturæ, ſubſtantiæ, & ſcientiæ, & qui eſt in ſinu Patris.*

[Euthym. Albert. Mag. — Euthym.]

147. *Amen dico vobis.* Repreſſa Iudæorum murmuratione, ac calumnia proſequitur Dominus ſuum ſermonem, *Amen, amen dico vobis.* Vtitur geminata aſſertione pro magna confirmatione. *Qui credit in me*, eſſe verum filium Dei, verúmque Meſſiam, *habet vitam æternam*, iure ſcilicet merito, ac certiſſima ſpe; non tamen adhuc modo in re. Et frequenter Chriſtus Dominus in hoc ſermone commendat in ſe fidem, vt totius ſpiritualis ædificij fundamentum, ac omnis boni principium. D. Chryſoſtomus. *Ita nolentes*, ait, *firma præmij ſpe ad fidem impellit: quid enim melius, ac ſuauius mortem, & corruptionem timentibus, quàm vita æterna.*

[*Fides ædificij ſpiritualis fundamentum.* — D. Chryſoſt.]

148. *Ego ſum panis vitæ.* Cum Dominus ſuum ſermonem proſequatur, hæc repetit, tanquam totius ſermonis principale thema. *Ego ſum panis vitæ*, ſcilicet reficiens me comedentes æterna vita. *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto*, per quadraginta annos, & tamen *mortui ſunt*, non enim illa eſca ſaginati per multum tempus durarunt. At hæc eſca mea, ait Chriſtus, vt ponderat Theophylactus, eſt perpetuò durans, perpetuóque homines perdurare facit in vitam.

[Theophyl.]

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare credentes, ac fideles dicuntur hîc docibiles?*

149. TOTVS ſermo eſt de Euchariſtia, eoque in ſe credentes, ac eum in ſacramento comedentes, docibiles, ſeu doctos dicit, & appellat. Et meritò ſanè; hoc enim diuino ſacramento maximè illuminatur intellectus, docetur animus, vt percipiat, ac intelligat, quæ ſalutis, ac Dei ſunt. *Cùm Iudas accepiſſet buccellam, exiuit continuò.* Ioannes 13. num. 30. Cur tam vehementer diabolus vrget Iudam, vt accepto cœleſti pane abeat, & recedat à cœnaculo. Præſentiebat ipſe, quam efficax eſſet ille diuinus cibus ad mentem illuminandam, tenebráſque propulſandas: timuit ergo, ne ex ſumpta eſca mens eius illuſtraretur, vt ſuam proditoriam malitiam agnoſcens, ab illa pœnitens recederet, eamque magno dolore, ac lachrymis retractaret. D. Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 19. *Etiam Iudam*, ait, *quum poſt panem omnino ſeparauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, nè ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate.*

[*Euchariſtia dat intellectum, & cognitionem.* — Ioan. 13. — *Euchariſtia illuſtrat intellectum.* — D. Cyrill.]

150. *Obtulit Iethro cognatus Moyſi holocauſta, & hoſtias Domino, venerúntque Aaron, & omnes ſeniores Iſraël, vt comederent panem cum eo coram Domino.* Exod.18.num.12. Conſumptóque epulo, videns Iethro, quod Moyſes totius populi cauſas ſolus audiſſet, eum ſtultitiæ arguit, docétque vt muneris functiones per viros prudentes, ac Deum timentes diuidat. Sed quodnam hic latet myſterium? Cur documenta tantæ prudentiæ, ac vtilitatis exhibet Iethro, poſtquam hoſtias obtulit, ac panem comedit? cum tamen magna negotia ſoleant à præclariſſimis viris ante conuiuium exhiberi. Cur hunc ordinem Iethro non ſeruat? Holocauſta illa, panéſque quædam erant ſacræ Euchariſtiæ adumbrationes. Tam alta documenta, tantámque prudentiam, vt doceat homo, vtque Moyſes illam diſcat, non aſſequuntur, niſi poſtquam fulgore Euchariſtici typi ſunt illuſtrati, ac irradiati, cuius fulgor ſtatim viſitur, ac cognoſcitur in verbis, ac operibus eorum, qui illo ſunt communiti. D. Cyrillus Alexandrinus lib.3. de adoratione. *Poſtea quam comedimus panem in conſpectu Dei, meliora, tum ſentire, tum loqui didicimus.*

[Exod. 18. — *Euchariſtia illuminat intellectum, vt doceas, & diſcas.* — D. Cyrill.]

151. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1.n.6. Notandus ordo. Prius quærit ſponſi paſcuam, deinde eius accubitum in meridie. Cum tamen prius homo ſedeat, & recumbat, & poſtea paſcuis reficiatur. Cur ergo ſponſa prius de comeſtione rogat? Optimè præſciebat ipſa, ſui dilecti præclaram cognitionem, veluti lucem meridianam, non aſſequi, nec dari, niſi prius eius diuini pabuli odor, ac halitus in nobis præcedat. D. Nyſſenus hom.2. in Cant. *Doce me*, inquit, *vbi paſcas, vt ſalutari*

[Cant. 1. — *Euchariſtia dat intellectui lucem meridianam.* — D. Nyſſen.]



*ſuſcepta paſtione æterno implear nutrimento, quod qui non comedit, non poteſt ingredi in vitam; ſi enim in his me paſcas, me omnino facies cubare in meridie.*

---

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare toties Dominus in hoc ſermone ſui diuini panis excellentias repetit?*

152. SÆPE Chriſtus Dominus in præſenti ſermone magnalia, ac præclara encomia ſui cœleſtis panis nobis inculcat. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Ego ſum panis vitæ.* Iterum. *Ego ſum panis viuus.* Et iterum. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ad quid toties nobis hoc myſterium inculcat? Chriſtus in hoc magno myſterio inſtituendo, veluti, vt ita dicam, multum negotium impendit, vt infra dicam; ideo toties, ac tam iteratis verbis illius pingues vbertates nobis dicit, & commendat, ad nos inuitandum, vt illius effectu vacui non remaneamus, ſed cum illo multum fructum faciamus.

[*Chriſtus multum veluti impendit in myſterio inſtituendo.*]

153. Vrgente fame in orbe duo miniſtri aſtiterunt Eliæ; coruus, & Angelus. *Corui deferebant ei panem, & carnes mane; ſimiliter & veſperi.* 3.Reg.17. num.6. Hæ aues aſportantes panem, & carnes ante Eliæ conſpectum hæc deponebant, & ſtatim recedebant, & abibant. At Angelus afferens panem, & aquam, *bis tetigit eum, & dixit illi, ſurge, comede.* 3. Reg.19. num.5. Cur Angelus tanta inſtantia vrget Eliam, vt comedat; cum tamen alter miniſter nil ad eum prouocandum exhibeat? Angelus tot exhortationes Eliæ interponit. Abulenſis quæſt.5. ſic ait: *Auguſtinus dicit, panem illum mirabiliter fuiſſe factum miniſtrantibus Angelis.* Angelus multum negotium in panis operatione impenderat; vndique non eſt paſſus, vt ille fruſtratus effectu remaneret, ſed maximè vrget, vt illius commodi, ac vtilitatis Elias particeps fiat.

[3 Reg 17. — 3.Reg.19. — Abulenſ. — *Angelus perſuadet Eliæ, vt comedat de ſuo pane.*]

154. Secundò, tantis Dominus fructus huius diuiniſſimi panis nobis commendat, vt illius deſiderio accenſi frequenter, & quotidie ad hanc menſam accedamus. D.Thom.3.part.quæſt.80.art.10. *Sicut cibus*, ait, *corporalis quotidie ſumitur, ita & hoc Sacramentum quotidie ſumi laudabile eſt.* Chrom. in cap.6. Matth. *Hoc autem*, ait, *ſpiritualiter nobis præceptum eſſe, debemus aduertere, vt panem quotidianum petamus, id eſt panem illum cœleſtem, & ſpiritualem, quem quotidie ad medelam animæ, & ſpem æternæ ſalutis accipimus.*

[*Euchariſtia frequentāda.* — D. Thom. — Chrom.]

155. Non diſcedamus à magno parente Elia. Fugit ille totus terrore perterritus in deſertum minas Iezabel; & quærens locum, vbi illam declinaret, laſſus ex itinere proiecit ſe, & dormiuit ſub vmbra iuniperi. Defert ei Angelus panem, & aquam. Quo hauſto iterum dormiens, iterum ab Angelo excitatur, porrecto pane, & aqua. Quo guſtato, *ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg.19. num.8. Comedit Elias ſecundò, & virtute illius cibi degit per ſpatium quadraginta dierum, & noctium, peruenítque ad montem Dei, vt ibi tutus, ſicut optabat, conſiſtat; Dei viſione, ac colloquio fruitur, ac facultas inſtituendi diſcipulos ei datur. Cur quando primò comedit, hos non aſſequitur effectus, niſi quando ſecundò guſtat? Panis ille typum exprimebat Euchariſtici panis. Adumbratur ibi, quod vt quis illius dulciſſimos participet effectus, iterum, ac iterum ad hanc menſam conueniat: Si enim primò eos in ſe non experitur, iterum, & iterum accedat, vt creſcente deuotione, ac reuerentia, tantorum diuitiis dignus inueniatur, vt illis locupletetur, ac repleatur. Angelomus. *Quid ergo*, ait, *hic Elias bis paſtus ab Angelo exprimit, niſi naturæ infirmitatem. Quibus non ſufficit ſimplex paſtus, ſed duplex, quatenus ad ſuprema valeamus aſcendere,*

[3.Reg.19. — *Magna vtilitas ex Euchariſtiæ frequentatione.* — Angelom.]



*Ioan.6. n.50.* Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.

*Num. 51.* Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

*Num. 52.* Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.

## *VERSIONES.*

*Syriacus, n.50.* Hic eſt panis ille, qui deſcendit de cœlo, vt comedat homo, & non moriatur.

*Vatablus n.51.* Qui è cœlo deſcendi, ſi quis ederit ex hoc pane.

*Syriacus. n.52.* Et panis, quem ego dabo, corpus meum eſt quod pro mundi vita do.

*Euth.Theoph.* Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.

## *EXPOSITIO IX.*

156. ITERVM Chriſtus excellentiã diuini panis ſuper Manna exprimit. *Hic eſt panis de cœlo.* Panis, de quo ego loquor, à ſummo, ac ſupremo cœlo eſt *deſcendens*; præſentis temporis eſt, vt ex radice Græca patet, & ſignificat continuum deſcenſum. *Vt ſiquis.* Particula *vt* cauſam finalem, vt notat Caietanus, ſignificat, quod ſcilicet propterea deſcendit, vt edentes à morte ſeruentur. *Siquis.* Phraſis eſt hebræa, & quædam loquendi formula vniuerſalis, vt aduertit Lucas Burgenſis; & idem valet, ac quicunque, ſeu quilibet: *ex ipſo* dicit, non ipſum, ne aliquis putaret, quod hic panis eſſet conſumptibilis, & quod à multis comeſtus deficere poſſet; *non moriatur* æterna ſcilicet morte, tam animæ, quam corporis. Animæ quam quantum eſt ex vi ſacramenti, à gratia non cadet, in quo vita animæ ſita eſt, vt hic bene aduertit Albertus Magnus. Corporis autem licet mortem ſubeat, in ea tamen non permanebit in æternum, ſed ad vitam perennem reſurget glorioſum.

[*Chriſti deſcenſus ad Euchariſtiã.* — Caiet. — Burgenſ. — Albert. Mag.]

157. D. Cyrill. *Ego ſum panis viuus.* Rectè ait D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 11. *Non eſt ambigendum, quin ſumma ſupplicia ſubituri ſint, qui ſæpe hæc à Chriſto repetita non capiunt.* Et ait Dominus in præſenti: *Ego ſum panis viuus*, & ſupra verſ. 48. de ſe ipſo dixerat: *Ego ſum panis vitæ.* Rectè explicat D Cyrillus citato loco cap. 10. Panis viuus dicitur, quia in ſe vitam habet: panis vitæ, quia alios viuere facit. Vitam enim, quam Chriſtus in ſe habet, ſuis communicat. In quo oſtendit ſuum panem multò excelſiorem Manna: hoc enim non erat panis viuus, nec perennem vitam dabat. *Qui de cœlo deſcendi.* Quanuis Iudæi ſupra n. 41. murmuraſſent, quod hæc Chriſtus dixiſſet; tamen ob eorum peruerſitatem non deſtitit à ſua doctrina, ſed in ea magis perſiſtit, eamque magis repetit, vt eorum obdurationem emolliat. Deinde, vt ait Chryſoſtomus, *cum de cœlo cibum quærerent, ideo frequenter de cœlo ſe deſcendiſſe teſtatur.* Vt eorum affectum ineſcaret. *Viuet in æternum.* Hic explicat, quod dixerat ſuperiori verſu, & nos ibi ſententiam enucleauimus. Ab hoc verſu, & deinceps in toto hoc ſermone agit de Euchariſtia ad litteram, adeo eſt certum, vt Maldonatus, & Cornelius à lapide dicant, contrarium eſſe temerarium, & penè erroneum; quod late probant.

*[Margin: D. Cyrill. — Vitam quam in ſe Chriſtus habet ſuis communicat. — Bonus magiſter non deſiſtit à ſua doctrina. — D. Chryſoſt. — Maldonat. Cornel.]*

158. *Et panis quem ego dabo.* Hucuſque dixerat Dominus, quod eſſet *panis vitæ, panis viuus*, & tantum ſupra dixerat verſ. 27. *Quem filius hominis dabit vobis:* hic vero expreſſe ait, quod daturus ſit illum panem. *Quem ego dabo.* Euthymius. *Non dixit, ait, quem ego do, ſed quem dabo: daturus namque erat in vltima cœna, quando ſumptum panem actis gratiis fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite*, Panis autem non datur, niſi ad comedendum, & edendum. *Caro mea eſt.* Theophylactus ſic ait: *Non enim dixit Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea eſt.* Hactenus dixerat Dominus, ſe eſſe panem verum: nunc explicat, quod ſit panis verus ratione ſuæ carnis, quam nobis ſub ſacramento eſt daturus. Syriacus, Arabicus, D. Cyrillus, Theophylactus, Theodoretus legunt. Et *Panis, quem ego dabo, corpus meum eſt, quod ego dabo pro mundi vita.* Loco carnis ponunt corpus. *Caro mea eſt, quam ego dabo*, Senſus eſt: Panis, id eſt cibus Euchariſticus, quem ego dabo in vltima cœna, eſt caro mea, quam ego dabo id eſt offeram Deo Patri in cruce in pretium ad mundum è morte redimendum. *Pro mundi vita*, id eſt pro ſeculi vita. Euthymius. *Hic, ait, crucifixionem ſuam præſignat, & vltroneam paſſionem.* Quod etiam notarunt D. Cyrillus, Albertus Magnus, Theophylactus, & alij.

*[Margin: Euthym. — Theophyl. — Syriac. Arabic. D. Cyrill. Theophyl. Theodor. — Euthymius. D. Cyrill. Albert. Mag. Theophyl.]*

## Qvæstio XXIII.

### *Quare Chriſtus Dominus hic ait quod qui manducauerit ex hoc pane, viuet, & non morietur?*

159. AIT Chriſtus in hoc Euchariſtico ſermone: *Qui manducauerit ex hoc pane, non morietur, viuet in æternum. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Ad quid toties repetitur vita? Dei miſericordia hoc Sacramentum inſtituit, vt pœnas, quas Iuſtitia intulerat, reſtauraret, ac reſarciret; ſicque miſericordia veluti à Iuſtitia ſemetipſam repignoraret. Ob peccatum primi hominis, duplici morte eum affecit Dei iuſtitia, vna ſpirituali, qua eſt denudatus gratia, altera corporali. *Morte morieris.* Inſtituit ergo Dei benignitas hoc Sacramentum, vt duplicem vitam homini donaret; vnam ſpiritualem: *Viuet in æternum*; alteram corporalem: *Ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

*[Margin: Dei miſericordia.]*

160. Euchariſtia dat vitam ſpiritualem, infundens gratiam ſanctificantem animabus noſtris, vt late ex ſcriptura, conciliis, ac Patribus probant Theologi cum D. Thoma 3. part. quæſt. 79. Quod confirmant ipſi ex illo 1. Petri 1. num. 9. *ſalutem animarum.* Hanc ſalutem ſacram Euchariſtiam interpretantur Tertullianus lib. de pudicitia c. 18. D. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia: cap. 1. Vbi ſacram Euchariſtiam appellant ſalutem, medicinam, ac vitam animarum noſtrarum.

*[Margin: Euchariſtia dat vitam ſpiritualem. D. Thom. — 1. Pet. 1. Tertull. Dion Areop.]*

161. *Paruuli petierunt panem.* Threnor. 4. num. 4. Paruuli vberibus inhærent, maximeque lactari gaudent. Vnde & Paulus dicebat ſicut infantibus, *lac vobis potum dedi, non eſcam.* 1. Cor. 3. num. 2. Cur ergo non pro lacte, ſed pro pane ſuſpirant? Lac apud Paulum ſacram doctrinam ſignificat. Panis ille diuiniſſimam Euchariſtiam adumbrabat. Cum in extremo periculo Iſraelitæ verſarentur, illiſque mors maximè immineret, panem cæleſtem vehementer deſiderant, quo euadant periculo, vt tam anima, quam corpore viuant. D. Paſchaſius lib. 4. in Thren. *Paruuli, ait, cogitatus, cum de Chriſto ſempiterna vita concipiuntur, mox requirunt panem illum, qui de cœlo deſcendit.*

*[Margin: Threnor. 4. — 1. Cor. 3. — Euchariſtia euitatur mors. — D. Paſchaſ.]*

162. Quod autem caro Chriſti nobis det vitam, & reſuſcitet in vitam æternam, etiam citati Theologi oſtendunt. Breuiter pondera. Mortuo Domino, *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormiebant, ſurrexerunt.* Matth. 27. num. 51. Magna, & rara ſunt hæc prodigia, tum in ſignum doloris mortis ſui Creatoris; tum etiam cur Terra ſit tremore commota, bene intelligitur, cum ſacrum illud corpus eſſet ſuſceptura, ſimiliter & quod monumenta ſint aperta, auiditas terræ ad illud diuinum depoſitum excipiendum declaratur; quot enim ſepulchra erant reſerata, tot ora porrigebat, vt diuinus hoſpes, ingrederetur, ſed ad quid corpora ſanctorum tunc reſurgunt, cum illorum Dominus mortem obiret? Cur tunc ipſi felici reſurrectione exultant? cum Terra iam eſſet in proximo, vt diuinum illud cadauer ſuſciperet, iam ex illius odore, ac halitu ſpiritus vitales concepit, vt quos mortuos detinebat, viuos iam redderet, ac vita donatos. Rupertus in cap. 6. Ioan. *Corpora, ait, illorum*, ſcilicet ſanctorum, *in monumento iacentia, virtute cibi huius non caruerunt, mox, vt eodem ventre, quo tenebantur, & ipſa recepit corpus eius, ſicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, nam & virtute huius cibi factum eſt, vt multa ex ipſis reſurgerent in teſtimonium futuræ reſurrectionis. Qui vtique (vt quidam exiſtimarunt) non iterum morituri reſurrexerunt.*

*[Margin: Matth. 27. — Ex halitu Euchariſtiæ vita. — Rupert.]*

162. Vidit Ioannes animas ſanctorum Martyrum ſubtus altare. Cur potius non ſupra altare, cum ibi nobiles



nobiles Chriſti Athletæ collocentur. Vel cur non in circuitu throni, vt viginti quatuor ſeniores Apocal. 4. num. 2. Vel cur non videntur inter cælorum exercitus Chriſtum ſequentes. Apocal. 19. num. 14. Sancti Martyres vehementi deſiderio reſurrectionis ſuorum corporum flagrabant; & ideo obnixè diem Iudicij expoſtulabant, vt exponunt veteres, & moderni Doctores cũ Gregorio Magno lib. 4. Moral. cap. 4. *Quid eſt, inquit, animas vindictæ petitionem dicere, niſi diem extremum iudicij, & reſurrectionem extinctorum corporum deſiderare.* Sicque interpretantur illorum voces: *Vſquequò Domine (ſanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra.* Apocalyp. 6. num. 10. Expoſcunt, vt Deus ſuorum corporum ſanguinem iudicet; vt ipſa corpora reſurrectionis dono afficiantur; quod inſeruiet eorum inimicis in confuſionem, & vindictam. Sed ad quid, dum ſuorum corporum reſurrectionis deſideriis æſtuant, ſubtus altare conſtituuntur? Cur non potius tunc apparent iuxta thronum; vel in equis Dominum ſequentes? Dominus adſtabat in throno regnans in gloria, in comitatu equitum dominans in Orbe: In altari vero ſub ſpeciebus panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ, vt ponderat Diuus Auguſtinus ſerm. 11. de ſanctis. *Rectè ſub altari, ait, animæ Sanctorum requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur.* Vt ergo ſanctis Martyribus ſuorum corporum reſurrectionis magnum daretur pignus, quo tanquam bono ſolatio in ſuis deſideriis fruerentur: non iuxta ſedem, vel in comitatu Agni, ſed ſub altare myſterij Euchariſtiæ collocantur: Ex habitu enim, ac approximatione Sacramenti Altaris excellentius noſtræ reſurrectionis pignus, quàm ex throno regnantis, vel comitatu dominantis participatur, & accipitur.

*[Margin: Apoc. 4. Apoc. 9. — D. Greg. — Apoc. 6. — D. Aug. — Sacra Euchariſtia magnum noſtræ reſurrectionis pignus.]*

## Qvæstio XXIV.

### *Quare Chriſtus hic ait, quod panis iſte ſit caro ſua pro mundi vita?*

164. MVLTIS modis Chriſtus Dominus inculcat præclara magnalia huius diuiniſſimi panis. Ait enim, quod qui comederit ex illo, non morietur, ſed viuet in æternum. Tandem nunc ſubdit, quod panis iſte ſit caro ſua, quam pro mundi vita dabit. Vt tum ex fructu vitæ Sacramenti; tum ex redemptione noſtra per carnem eius in mortem traditam comparata nos inducat, ac compellat in venerationem, ac cultum huius myſterij, quod omnibus modis, omníque feſtiuitatis apparatu vult recoli, ac celebrari à nobis.

*[Margin: Euchariſtia multa ſolemnitate à nobis celebranda.]*

165. Cum Dominus iaceret in ſepulchro, tres illæ ſanctæ fœminæ *emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marc. 16. numer. 1. Et quamuis illæ valde diluculo properarent, tamen antequam ad locum perueniſſent, Dominus anticipatè è monumento glorioſè reſurrexit. Cur Dominus aliquantulum non moratur, cum tres dies, quos de ſua ſepultura prænunciauerat, adhuc exactè non eſſent completi vt ſic illarum ſanctarum mulierum obſequium ſuſcipiat, eíſque pro tanto affectu gratuletur. Pulchrè D. Bernardus, ſerm. 12 in Canticor. *Forte prouidè, ait, ob hoc Dominus Ieſus paratam ſibi confectionem expendi noluit in ſuo corpore mortuo, vt ſeruaret viuo.* Ante aduentum mulierum accelerat Dominus reſurrectionem ſuam, tanquam ſi diceret: nolo, vt hæc vnguenta pretioſa profundantur in meo corpore mortuo: vbi in Eccleſia mea adeſt meum corpus viuum in Euchariſtiæ Sacramento, ad illud accedite, ibi facite omnes expenſas, omniáque odoramenta diffundite. Voluit enim Chriſtus parcere ſumptui ſui corporis naturalis, vt ſeruaretur in applauſus, ac celebritates ſui corporis ſacramentati.

*[Margin: Marc. 16. — D. Bernard.]*

166. Ad domum Patris reuertitur filius ille Prodigus. Et tamen nullus eſt amicus, vel familiaris, qui ei de ſuo aduentu gratuletur; vel qui cantilenis, ac exultationibus illum celebret. Ponitur menſa, adducitur vitulus ſaginatus, & ſtatim cantus auditur: *Exaudiuit ſymphoniam, & chorum.* Luc. 15. numer. 26. Et maximè ponderandum, quod nec Pater mandat fieri feſtiuitatem, ac gaudium in domo, niſi appoſito ipſo vitulo. *Adducite, ait, vitulum ſaginatum, & manducemus, & epulemur.* Vitulus ſaginatus typus Chriſti in Sacramento Altaris, vt docet Diuus Chryſologus ſerm. 5. *Hic eſt vitulus, qui in epulum noſtrum quotidie, ac iugiter immolatur.* Et idem tradunt Diuus Ambroſius, & Beda in Lucam. D. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum de Duobus filiis, D. Cyrillus, & Ioannes Geometra in Catena Græca apud Corderium in cap. 15. Luc. Quando Prodigus ingreſſus eſt paternam domum, quidam Chriſtianus ad pœnitentiam conuerſus exprimebatur. At vero quando Prodigus adeſt in menſa, repræſentabatur Chriſtianus ad ſacram Communionis menſam. Et cum corpus Chriſti apparet in menſa, cúmque de illa participat Chriſtianus, tunc ibi in domo Dei cum omni muſica, ac cantu fit omnis lætitia, & exultatio; túncque Deus Pater mandat omnes feſtiuitates, ac applauſus fieri, & celebrari.

*[Margin: Luc. 15. — D. Chryſol. D. Ambr. Beda. — D. Hieron. D. Cyril. Geometra. Corder. — Vbi adeſt Euchariſtia, ibi Deus vult, vt feſtiuitates fiant.]*

167. Ad Incarnationis myſterium mittitur vnus Angelus Gabriel Luc. 2. n. 26. ad Ioſeph, vt cum Puero deſcendat in Ægyptum, ab illóque reuertatur, vnus adſtat Angelus. Matth. 2. n. 13. & 19. In Horto vnus apparet Angelus, Chriſtum confortans. Luc. 22. n. 43. Ad feliciſſimas Chriſti Reſurrectionis nuncias diuulgandas, duo veniunt Angeli. Luc. 24. n. 4. Sic & in die Aſcenſionis ad Apoſtolorum triſtitiam mitigandam, ac ſubleuandam, duo videntur Angeli. Actor. 1. n. 10. At vero, cum Dominus eſuriret in deſerto, *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Matth. 4. n. 11. In aliis myſteriis veniũt, vnus, vel duo Angeli; hic vero in deſerto accedunt Angeli in tam numeroſa multitudine, vt eorum numerus non ſcribatur? *Acceſſerunt Angeli*, vt inquiũt D Th. D. Bonau. Abul. à me citati ſuo loco tom. 1. lib. 3. c. 3. q. 44. n. 197. *vt miniſtrarent cibum, & potũ.* Et cum ibi celebraretur conuiuium, quod typum gerebat ſacræ Euchariſtiæ; ad recolendam tantam maieſtatem, ſine computatione, ac numero conuolant Angeli.

*[Margin: Luc. 2. — Matth. 2. — Luc. 22. — Luc 24. — Actor. 1. — Matth. 4. — D. Thom. D. Bonau. Abul. — Euchariſtia ſolemnitate recolenda.]*

168. *Mons Dei, mons pinguis.* Pſalm. 67. num. 16. De ſacra Euchariſtia loquitur Regius Vates, vt interpretantur D. Auguſtin. noſter Incognitus, Gloſſa, & alij, verſ. 18. ſubdit. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.* Singula ponderemus. *Currus Dei*, ſeu, vt alij legunt, *vehiculus Dei*; ſicut enim, quod

*[Margin: Pſalm. 67. D. Auguſt. Incognit. Gloſſa.]*

curru, vel vehiculo fertur, ad illius motum mouetur; ſic caro, & ſanguis Chriſti ad motum ſpecierum mouetur. *Decem millibus multiplex.* Septuaginta. *Viginti millium millia Angelorum.* Vatablus. *Bis decem millia, immò multa millia Angelorum.* Quod explicans D. Hieron. ait: *Adminiſtratoriæ poteſtates innumerabiles.* N. Incognitus. *Multis millibus ſtipatus.* Sed ad quid tot millia millium Angelorum conueniunt. *Lætantium*, ſeu exultantium, qui faciunt iubilos, & choros. *Dominus in Sina in ſancto*, ſeu, vt legit Vatablus, *Dominus inter eos ſicut in Sina in ſanctuario.* Tot exhibentes feſtiuitates, & plauſus ob alta, & recondita myſteria; ob larga beneficia, quæ Deus præſtat in monte Sion Eccleſiæ ſuæ, in ſanctuario ſuo, in ſacrario ſuo, in illo admirabili Euchariſtiæ Sacramento.

Septuag. Vatabl. D. Hieron. Incognit. Vatabl. *Angeli feſtiuè volant ad Euchariſtiã.*

*Ioan.6. n.53.* Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicẽtes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

*Num. 54.* Dixit ergo eis Ieſus: Amẽ, amen dico vobis, niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

*Num. 55.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

### *VERSIONES.*

*Syriacus n.53.* Rixabantur autem Ithoudæi, alius cum alio, & dicebant: Quomodo poteſt iſte corpus ſuum dare nobis ad edendũ?

*Pagninus.* Decertabant ergo inter ſe Iudæi.

*Græcus, n.54.* Si non manducaueritis carnem.

*Græcus, n.55.* Ego ſuſcitabo eum in extremo die.

### *EXPOSITIO X.*

169. De reali ſuæ carnis comeſtione verba Chriſti Iudæi intellexerunt. *Litigabant*, ſeu, vt habet Græcus, decertabant, ſeu pugnabant, & altercabant. *Quomodo.* Incredulitatis verbum eſt, vt ait Chryſoſt. in præſenti, *Quando ſubit quæſtio, quomodo aliquid fiat, ſimul ſubit incredulitas.* Vnde rectè idem Chryſoſtomus hos Iudæos pungit. *Si hoc inquiris*, ait; *cur non quoque idem in miraculo panum dixiſti, quomodo eos in tantum auxit? Ex eo enim & hæc credere oportuit ei facilia factis eſſe.* Vnde rectè D. Cyrillus appellat. *Quomodo Iudaicum populum.* Sic & Nicodemus dixit Ioan. 3. n. 9. *Quomodo poſſunt hæc fieri.* Sed hi Iudæi maiori reprehenſione digni, cum poſt tot miracula viſa hæc dicant. Et pulchrè contra eos argumentatur idem D. Cyrillus. *Dic, ô Iudæe, quomodo exiſti de Ægypto? rogabo. Quomodo in ſerpentem Moyſaica virga fuit conuerſa? quomodo lepra manus affecta ſanitati in momento reſtituta? Quomodo in naturam ſanguinis aquæ tranſierunt?* &c. Ex iſtorum poſſibilitate diuini Sacramenti poſſibilitatem credere tenebantur.

D. Chryſoſt. D. Cyrill. Ioan. 3. D. Cyrill.

170. Vnde dicam cum eodem D. Cyrillo. *Nam cum oporteret eos, qui diuinam virtutem Saluatoris, ac poteſtatem, ſignorum miraculo perceperunt, ſermonem eius libenter ſuſcipere, & ſi qua difficilia videbantur, eorum ſolutionem quærere: contra omnino faciunt: & quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare? De Deo non ſine maxima impietate conclamant; nec in mentem venit, nihil eſſe impoſſibile apud Deum.* Vnde concludit ipſe Cyrillus dicens: *Cum Deus operatur, non quæramus quomodo, ſed operis ſui viam, atque ſcientiam ſoli Deo concedamus.* Satis nobis eſt, quod ipſe Chriſtus, cuius eſt infinita poteſtas, dixerit: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei.* Vnde rectè ait Algerus, quod *His verbis Chriſtus Dominus omnes Hæreticos interfecit.* Non dicant Hæretici, quomodo Chriſtus perfectus homo poteſt eſſe in tam parua hoſtia? dicant & ipſi, quomodo totus Angelus eſt in puncto? Quomodo Deus vbique? Quomodo anima rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte? Si enim hæretici hæc non valent dicere, & capere, nolint per tenuitatem ſuorum intellectuum Dei magnalia metiri, ac diiudicare.

D. Cyrill. *Operibus Dei ſubijciendus intellectus.* Algerus.

171. *Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis.* Rectè D. Chryſoſtomus. *Cum ipſi*, ait, *id fieri poſſe negarent, non ſolùm non impoſſibile, ſed & neceſſarium aſſerit.* Et modum, quo id fieri poſſet, non explicat, non enim erant capaces ad hæc audienda; & ideo ad ſuam doctrinam magis tradendam, ac confirmandam procedit.

D. Chryſoſt.

172. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis.* Præceptum de reali ſumptione Euchariſtiæ, quæ ſumenda eſt ad ſalutem in re, vel in voto, vt docent communiter Theologi cum D. Thom. 3. part. quæſt. 80. art. 11. in corpore. Hoc tamen præceptum communicandi ſub vtraque ſpecie, vt docent Concilia Generalia Conſtantienſe ſeſſ. 23. c. 1. Trident. can. 1. & 2. non eſt impoſitum, niſi tantum ipſis ſacerdotibus, conficientibus corpus, & ſanguinem Domini; eis enim dixit Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Aliis verò non eſt datum præceptum communicandi ſub vtraque ſpecie. Nam, vt ait Concilium Trident. cit. ſeſſ. 21. cap. 1. Qui dixit, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Dixit quoque: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Neque Chriſtus hic dixit, communicandum eſſe ſub vtraque ſpecie, ſed tantum corpus, & ſanguinem ſuum ſumendum. Qui autem participat de pane Euchariſtico, accipit corpus Domini ex vi verborum poſitum in ſacramento; ſanguinem verò per concomitantiam, corpus enim Chriſti non eſt exangue; & ſic participat de ſanguine Domini: Sicut etiam ſumens Euchariſtiam ſub ſpeciebus vini, ex vi verborum accipit poſitum ſanguinem ſub ſacramento, carnem vero per concomitantiam, quia ſanguis Chriſti ſine carne non exiſtit.

D. Thom. Conſtant. Trident. *Sub ſpecie panis, verbigratia, accipitur caro ex vi verborũ ſanguis per concomitãtiam.*



173. Deindè Chriſtus Dominus hic de carne, & & ſanguine fecit mentionem, nam cum ipſe dixiſſet: *Panis, quem ego dedero, caro mea eſt. Litigabant Iudæi. Quomodo poteſt hic*; &c. Tunc Chriſtus, *Niſi manducaueritis*, &c. de carne, & ſanguine agit, vt magis explicaret, ac confirmaret ſuam doctrinam, magiſque nobis aperiret celſitudinem myſterij, magnitudinem ſuæ liberalitatis, perfectionem ſui conuiuij, memorialéque ſuæ paſſionis: & ideo Sacramentum ſub vtraque ſpecie eſt inſtitutum.

*Connexio textus.*

174. Admoneo etiam lectorem cum D. Auguſtino lib. 3. de Doctrina Chriſtiana. cap. 17. Aliqua præcepta tradi abſolutè in Scriptura, quæ ſolùm per aliquos ſunt adimplenda, non vero per omnes; vt illud Gen. 1. num. 28. *Creſcite, & multiplicamini.* Cum tamen maximè laudabilis ſit Virginitas: præceptum ſolum reſpicit aliquos, vt ducant vxores ad propagandum genus humanum. Item illud Chriſti Matth. 6. n. 6. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Et tamen oratio publica maximè laudabilis eſt in Eccleſia, de quo egi tom. 2. cap. 15. quæſt. 5. Chriſti verba reſpiciunt aliquos, ne vana gloria concutiantur. Sic in præſenti: *Niſi manducaueritis*: verba Chriſti ad aliquos diriguntur, ad ſacerdotes nempe, conficientes corpus, & ſanguinem Domini, vt iam dixi.

D. Auguſt. *Canon ad intelligendas Scripturas.* Geneſ. 1. Matth. 6.

175. *Non habebitis vitam in vobis.* Vt idem videatur animæ Euchariſtia, quod corpori anima ſit: nec aliud quidem, quam viuum cadauer, cenſeri debet, qui Chriſti corpori non communicat. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 14. *Quoniam igitur Saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, coniuncta viuifica effecta eſt; quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta eſt:* Ac proinde ſine ipſa carne nobis mors.

*Anima ſine Euchariſtia veluti cadauer.* D. Cyrillus.

176. *Qui manducat meam carnem.* Terrore, ac minis priuationis vitæ voluit Dominus ad ſe compellere Iudæos: nunc vero ſpe doni eos ad ſe allicit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Ait Rupertus. *Semper dignè ſubaudiendum eſt.* Pergit Dominus in textu. *habet vitam æternam*; Cum habeat vitam gratiæ, quæ ducit, & conſeruat in vitam æternam. Carthuſianus. *Habet vitam æternam, qui habet me ipſum, & habet vitam gratiæ, quæ virtute huius ſacramenti continuatur donec ad vitam gloriæ ſempiternæ pertingat.* Deinde ſubdit Chriſtus: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Reſuſcitabo ſcilicet me comedentem, vt ei conferam gloriam ſuam.

Rupert. D. Carthuſ.

---

## QVÆSTIO XXV.

### *Quare Dominus hic dicit, neceſſarium eſſe ad ſalutem, ſumere carnem, & ſanguinem ſuum, cum tamen populus prohiberetur à ſanguine ſacrificiorum?*

177. In præſenti apertè ait Chriſtus Dominus, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cum tamen ſumere de ſanguine eorum, quæ offerebantur in ſacrificio, omnino per legem vetitum eſſet populo Iudaico Leuit. 7. num. 26. & 17. num. 11. & 14. Quam difficultatem excitat D. Auguſtinus tom. 4. quæſt. 57. in Leuiticum, dicens *Quid ſibi vult, quod à ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohiberetur, ſi illis ſacrificiis vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera ſit remiſſio peccatorum: à cuius tamen ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? Quærendum igitur, quid ſignificet, quod homo prohibetur in lege ſanguinem manducare, eúmque Deo fundere iubetur.* Quæſtionem mouet D. Auguſtinus, eam tamen non ſoluit.

Leuit. 7. & 17. D. Auguſt.

178. Reſpondeo primò, Rationem ſumendam eſſe ex verbis infra dictis à Domino num. 57. *In me manet, & ego in illo.* In his enim verbis perfectiſſima vnio manducantis cum cibo indicatur. Potus vt inquiunt Philoſophi, eſt vinculum alimenti. Per vetera ſacrificia non dabatur perfectio vnionis; & ideo non requirebatur potus in manducante animalium carnes. Per Euchariſticum conuiuium perfecta vnio hominis cum Deo prætenditur; & ſic requirebatur potus in manducante, vt fieret perfecta advinculatio inter cibum, & comedentem.

*Vnio inter Chriſtum, & communicantem.*

179. Secundò, Quod Deus in Euchariſtico Sacramento exhibet eximias diuitias ſui amoris, ac liberalitatis, in eoque plus nobis donat, quàm promiſerat in figuris. Vetera illa ſacrificia Euchariſtici typum gerebant. In illis ſolum concedebatur caro ad comedendum. At verò in Euchariſtico ſacrificio caro, & ſanguis nobis proponuntur ſumenda. In hoc enim multo liberalior Deus nobis ſe exhibet, quàm in vmbris pollicitus fuerat. Suis diſcipulis ait Apoſtolus Petrus Epiſt. 1. cap. 2. num. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Per rationabile lac ſacram Euchariſtiam interpretatur Salmeron, Turrianus, & alij. Sed quomodo hic diuiniſſimus cibus dicatur lac veluti infantibus propoſitum, cum tamen ſit caro regum, & fortium. *Vt manducetis carnes regum, & fortium* Apocal. 19. num. 18. *Mamilla regum lactaberis.* Iſaiæ 60. num. 16. Quomodo ergo lac infantium nuncupatur? In ſacra Euchariſtia multo plus inuenitur, & guſtatur, quam in illius figura ac metaphora dicitur, & exprimitur. Vt infantium lac promittitur; cum vero comeditur, regum, ac fortium alimentum experitur.

*Deus liberalior in ſacramento, quam in promiſſione.* 1. Petri. 2. Apoc. 19. Iſaiæ 60. *Plus in Sacramento, quàm in figura, & promiſſione.*

180. Tertiò, ſanguis vitæ conſeruatiuus eſt, ipſaque vita ab eo dependet. Chriſtus voluit, nos propter eum viuere. *Qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Omnem ergo prorſus occaſionem amouit exiſtimandi, ab alio quouis ſanguine, quàm à ſuo pro nobis fundendo, vitam noſtram vllatenus dependere, vt illum tantummodo veneremur, & appetamus: & ideo non ſolum ſuam carnem, ſed & ſanguinem ſuum nobis concedit.

181. *Viuo ego, iam non ego, viuit in me Chriſtus.* Ad Galat. 2. num. 20. Quid dicis, magne Doctor gentium? nonne tu in viuis degis? quomodo dicis, quod tu non viuis. *Viuo ego, iam non ego?* Tunc præclare ſe ipſe agnoſcit viuere, quando cognouit, quod ipſe non viuat, ſed quod in eo viuit Chriſtus per quem eius vita verè ſuſtentatur, ac alimentatur. D. Gregorius Nazianzenus Orat. de Statu Epiſcop. cap. 17. *Verum illud*, ait, *de ſe non tanquam penitus mortuo dicit, ſed quod meliorem*, quàm

Ad Galat. 2. *Noſtra vita à Chriſto.* D. Nazian.

*quàm plures alij, vitam viuat: ac vitam adeptus ſit permanentem, quæ nulla morte poſſet finiri.*

182. *Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate.* 1. Corinth. 11. num. 23. Ad quid in ipſa nocte, in qua Domini paſſio imminebat, tantum Sacramentum inſtituitur? Nocte illa, vt ipſe Dominus dixit: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum.* Luc. 22. num. 31. Tunc tota Diaboli poteſtas armabatur in Apoſtolos, vt eos eriperet è manu Chriſti, eorumque fidem, ac vitam ſpiritualem depopularetur, ac perimeret: neceſſe ergo fuit, vt Euchariſtica refectione corroborarentur, vt illa cuſtodiantur, viuant, ac ſeruentur. D. Bernardus ſerm. 3. de Ramis palmarum. *Cæterum ante paſſionem,* ait, *affectuoſius Dominus refectionem ſuis curauit exhibere domeſticis, & in hoc quoque apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris. Cum enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos; & dicebat: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Oportebat enim. Expetierat eos Satanas, vt cribraret ſicut triticum: opus erat, præuenire refectionem.*

1. Corint. 11.
Luc. 22.
*Vita, & robur ab Euchariſtia.*
D. Bernard.

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare Chriſtus Dominus in hoc ſermone Euchariſtico multoties de morte facit mentionem?*

183. *Fundamentũ quæſtionis.*

PASSIM Chriſtus Dominus in hoc tanti Sacramenti ſermone mortis memoriam interponit. *Patres veſtri manducauerunt Manna, & mortui ſunt.* Et iterum *Si quis manducauerit ex hoc pane, non morietur.* Et in præſenti: *Niſi biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* ſed mortem lucrabimini. Ad quid, dum ad Euchariſtiam exhortatur toties mors obiicitur? Vt mortis memoria homines ad hoc Sacramentum diſponerentur, acſi illico eſſent morituri.

184. Exod. 12.

De Agno Paſchali præcipit Dominus: *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Exod. 12. num. 6. Cur non mane, vel meridie, qua hora victima offerebatur; ſed ſub veſperi? Perbellè D. Antoninus 1. part. tit. 14. §. 7. *Sumatur,* ait, *Euchariſticus Agnus ad veſperam. Signat, quod eum tanta deuotione debet ſumere quis, & humilitate, acſi in veſperi ſuo, id eſt in fine vitæ ſuæ acciperet.*

D. Antonin.
*Hamo ad Euchariſtiã, vt moriturus, accedat.*

185. Patens Elias pertæſus de itinere, ac vita, *Proiecit ſe, & obdormiuit ſub vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi; Surge, comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* 3. Reg. 19. num. 5. Cur modo cæleſti illo pane, qui ſacræ Euchariſtiæ typus erat, recreatur? Cur non antea cum in conſpectu Achab ſe exhibet? Vel quando in monte Carmelo illuſtre ſacrificium peregit: Vel quando Sacerdotes Baal interfecit; ſed modo? Elias nunc *petiuit animæ ſuæ, vt moreretur;* & de morte recogitans proiecit ſe, & obdormiuit. Cui enim mors eſt ante oculos, de illaque pertractat, is valde aptiſſimè diſponitur, vt tanti Sacramenti refectione particeps fiat.

3. Reg. 19.
*Mors ante oculos bona ad Euchariſtiam diſpoſitio.*

186. Secundò. Toties mors nobis inculcatur, quia qui ad hoc Sacramentum volunt accedere, debent ſe mundo, mundaniſque rebus tanquam mortuos diiudicare. De ſacra Euchariſtia agit Regius Vates, vt ſæpe dixi: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael: ibi Beniamin adoleſcentulus.* Antea autem Propheta præmiſerat: *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Pſalm. 67. num. 26. Ad quid ad hanc celebritatem veniunt iuuenculæ virgines cum tympanis? Cur non potius cum organo, vel in cymbalis bene ſonantibus, ſeu in voce tubæ; ad quid cum tympanis? D. Auguſtinus, D. Hieronymus. *Ideo autem tympaniſtriarum: quoniam mortuum eſt corpus ipſorum peccato.* Tympanum fit ex corio animalis demortui: illi enim ad celebritatem huius menſæ vocantur, qui ſe habent tanquam mortuos mundo, ac illius concupiſcentiis, & vitiis.

Pſalm. 67.
Pſalm. 67.
D. Auguſt.
D. Hieron.
*Vt mortui mundo ad Euchariſtiã accedamus.*

187. Cùm Daniel Propheta eſſet detentus in lacu leonum, diſpoſuit Deus, vt Angelus ad lacum ferret Prophetam Habacuc ferentem prandiũ quoddam. *Ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo.* Daniel. 14. num. 32. Cum pane, pulmento, ac carne parat Deus prandium Prophetæ, qui in valde rigida, ac auſtera pœnitentia in Regis palatio viuebat, non carnes, ſed tantum legumina tangens. *Dentur nobis legumina ad veſcendum.* Daniel. 1. num. 12. Si Deus vult Prophetam cibare, cur legumina non præparat, hoc enim eius ſociis Sidrach, Miſach, & Abdenago ſeruatur in prandium. Deinde Menſa debet proportionari ſtatui; in extrema igitur miſeria volutanti miſer ſit cibus. Quid ergo ſibi vult, quod Propheta in aula Regis panem, & carnes non attigit, & tamen in lacu ex illis menſa præparatur? Illa refectio, illeque panis ſacræ Euchariſtiæ refectionem, ac panem repræſentabat; & huius diuini epuli non fit particeps homo inter mundi, ac palatij illecebras, & voluptates, ſed morte ante oculos obuerſante, inter rugientes leones in teterrimo lacu poſitus.

Daniel. 14.
Daniel. 1.
*Diſponitur ad Euchariſtiam, non inter delicias, ſed inter mortis memorias.*

*Ioan 6. n. 56.* Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Corpus enim meum verè eſt cibus.

*Apollinaris in Catena Græca apud Corderium Leontius & alij.* Verè eſt cibus, verus eſt potus.

*Paulin. Epiſt 3. ad Seuerum.* Caro enim mea verè cibus vita eſt.

## *EXPOSITIO XI.*

188. CVM non ſolitum ſit, carnem hominis manducari, & ſanguinem eius bibi; in præſenti reddit Dominus, vt notat Caietanus, cauſam, cur ſupra dixiſſet, carnem ſuam eſſe manducandam, & ſanguinem bibendum, vt apertè indicat particula *enim.* Non poteſtate, ſed ratione cuncta Chriſtus diſponebat. Caro mea: Non dixit, Ego ſum cibus, ſed caro mea, ſeu corpus meum. Sacramentum hoc inſtituebat, vt perpetuum memoriale ſuæ paſſionis, in qua ſanguis à corpore erat ſeparandus; & ideo, vt notauit D. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 5. & ſequuntur omnes Theologi, Sacramentum hoc ſub duplici ſpecie inſtituit: In illis enim ex vi verborum corpus, & ſanguis ſeparata ponuntur. *Vere eſt cibus,* ſeu, vt habet Græcus, *Verus eſt cibus. Verè,* id eſt non parabolicè, non ænigmaticè, non figuratè, ait ex Chryſoſtomo Euthymius, ſed verè, propriè, & realiter, vt verba ſonant. De quo infra.

Caiet.
D. Ambroſ.
Græcus.
Euthymius.
D. Chryſoſt.



## QVÆSTIO XXVII.

### *Quare Chriſtus facit hic expreſſam mentionem de corpore, & ſanguine; non verò de anima, ac diuinitate ſua?*

189. IN hoc admirabili Sacramento, non ſolùm verè, & realiter eſt corpus, & ſanguis Chriſti, ſed etiam eius anima, & diuinitas, vt fides docet. Cur ergo in illo Chriſtus Dominus ſolùm commemorat carnem ſuam, ſanguinem ſuum? communis ſolutio eſt. Nam, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. In hoc diuino Sacramento ſub ſpecie panis continetur corpus Chriſti ex vi verborum; ſanguis verò, anima, & diuinitas, ac tota Trinitas per concomitantiam. Similiter ſub ſpecie vini ex vi verborum adeſt Chriſti ſanguis; per concomitantiam verò eius corpus, anima, & diuinitas, ac tota Trinitas. Fecit autem Chriſtus Dominus expreſſam mentionem de corpore, & ſanguine, quia hæc ponuntur ex vi verborum, ac primaria intentione in Sacramento. Corpus ſub ſpecie panis, ſanguis ſub ſpecie vini. De quo infra queſt. Secundò, & moraliter. Corpus, & ſanguinem expreſsè commemorat Chriſtus in hoc Sacramento; & tamen animam ſuam, diuinitatem, ac totam Trinitatem, quæ in hoc myſterio nobis dantur, alto ſilentio premit; in quo magna ſua pietate conſulit gratis, & ingratis. Gratis, cum eis, quæ minora ſunt, proponuntur, magis eorum gratitudo relucet, ac reſplendet, cum erga illa minora tam aſtrictos, ac obligatos ſe exhibeant, & oſtendant. Conſulit etiam deprauatis, ac ingratiſſimis, ne ſupremo rerum apice contempto, eorum iniquitates grauiores, ac deformiores apparerent. O magna diuina pietas!

Tridentin.
*Caro ex vi verborũ ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini.*
*Deus conſulit gratis, & ingratis.*

190. *Magnificus tacet maiora, quæ dat, minora diuulgat.*

Tertiò. Solùm de corpore, & ſanguine facit mentionem, tanquam magnificus, & excelſus princeps in ſuis donis, in quibus minora ſolet publicare, ac propalare; maiora verò multo ſilentio inuoluere. Corpus, & ſanguinem ſuum, tanquam rem minorom in hoc magno opere Chriſtus dicit, & diuulgat. Animam autem, & diuinitatem, vt quid valde excellentius tacet, nulla de illis facta mentione. Æternus Pater loquens filio ſuo, humana carne induto, ait: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſalm. 2. n. 8. Hæreditas Chriſti Domini ſolùm terminis terræ clauditur; ſolùm gentium dominatu finitur? Minimè ſanè, vt notat D. Auguſt ſuper enim vniuerſum ordinem hunc viſibilem ſuperque vniuerſum gratiæ, & gloriæ principatum ſe extendit. *Ipſe eſt rex gloriæ.* Ipſeque omnium Angelorum tenet dominationem, teſte Apoſtolo Paulo. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ad Hebræos 1. n. 6. Vnde ait D. Thomas in Pſalm. *Hæreditas tua. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrinm, & infernorum.* Qua ergo conſequentia Æternus Pater publicam hæreditatis Vnigeniti filij ſui faciens oſtentationem, ſolùm hunc ordinem viſibilem commemorat, *Gentes hæreditatem tuam, poſſeſſionem tuam terminos terræ?* Deus, vt magnus natura, & eſſentia, in tradenda ampla hæreditate vnigeniti filij ſui ſolùm quæ inferioris erant conditionis, vt terræ globus, ac vniuerſæ gentes, manifeſtat; altiora verò, quæ ad ordinem gratiæ, & gloriæ ſpectabant, prætermittit, & tacet.

Pſalm. 2.
D. Auguſt.
Ad Hebr. 1.
D. Thom.
*Pater, quæ filio dat, minora dicit, maiora tacet.*

191. Loquens Deus per Iſaiam 1. n. 19. de premio ſuis Electis deſignato, ait: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Publicationẽ faciens Deus donorum, quæ ſuis Electis ſunt reſeruata, ſolùm bona terræ proponit; cum tamen ex ipſo Propheta dicat Apoſtolus 1. Corinth. 2. n. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus, iis, qui diligunt illum.* Si ergo Deus tanta Electis ſuis diſpoſuit, vt ea nullus valeat intellectus inueſtigare; quomodo in eorum enarratione ſolùm bona viſibilia refert? Prudenter quidem Propheta, & Apoſtolus in diuinis donis recenſendis, quæ excellentiora ſunt, vtpore inuiſibilia, recognoſcunt, & fatentur. At Deus, vt valde magnus potentia, & maieſtate, eum à ſe ſuis præparata exponit, ſolùm in medium minora producit, ſublimiora tacens, & prætermittens. Tertullianus de Reſurrectione carnis cap. 26. Apud Iſaiam, *inquit, bona terræ edetis, bona carnis intelliguntur, quæ illam manent in regno Dei reformatam, & angelificatam, & conſecuturam, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.*

Iſai. 1.
1. Corint. 2.
*Excelſus in donis minora dicit; gratus in his, quæ accipit, maiora recognoſcit.*
Tertullian.

192. Ait Dominus: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſiquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo.* Apocal. 3. n. 20. Cœnam dicit, & æternam felicitatem intelligit, vt exponunt Andreas Cæſareæ Epiſcopus, Aretas, Primaſius, Anſbertus, & alij communiter. Sed quomodo permanentes delicias æternæ beatitudinis cœnam vocat, quæ breui tranſit, & paruo tempore durat? Deus, vt valde magnificus in ſuis donis, in illis pauca dicit, & refert, cum tamen multo maiora, & excellentiora præbeat, & largiatur.

Apocal. 3.
Andreas.
Aretas.
Primaſius.
Anſbertus.
*Deus in donis inferiora dicit.*

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Quare Chriſtus dicit, ſuam carnem verum eſſe cibum, cum humana caro valde ſit improportionata homini ad eſcam?*

193. *Ratio difficultatis.*

MERITÒ in præſenti eſt inquirendum: Quomodo dicat Chriſtus Dominus, quod caro eius verè ſit cibus, & ſanguis verè ſit potus, ſiquidem, vt rectè notat Theophyl. in c. 6. Ioan. nil magis improportionatum eſt homini ad eſcam, quàm humana caro; hæc enim cibus eſt ferocium animantium. *Carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.* Pſalm. 78. num. 2.

Theophyl.
Pſalm. 78.

194\. *In Euchariſtia omnium dulcedo, & ſapor.* Facilis tamen eſt ſolutio. Si humana caro inepta eſt homini ad cibum, ſiquidem tædium, ac horrorem generat; Caro tamen Chriſti Sacramentata ſuper omnia homini maximè conueniens, & proportionata: in illa enim omnium ſapor, ſuauitas, ac dulcedo inuenitur; nam, vt rectè ait D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 23. (D. Cyrillus.) *Si mel, cum naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit, quibus immiſcetur: quanto magis viuifica Dei natura?*

195\. Benedicens Moyſes tribubus Zabulon, & Iſſachar, ait illis: *Inundationem maris quaſi lac ſugent.* Deuteron. 33. num. 19. (Deuter. 33.) Sed vnde aquæ maris, quæ ſunt ſalſæ, & amaræ, eis fient ſuaues, & dulces veluti lac? Dixerat illis Propheta in câdem benedictione: *Immolabunt victimas iuſtitiæ:* quod ad victimam Legis gratiæ refert Rupertus ibi. (Rupertus. *Ex Euchariſtia ſua vita omnis.*) Et cum in illis ſacræ Euchariſtiæ typus reluceret, inde omnis ſapor, ſuauitas, ac dulcedo in eos deriuabatur, ac transfundebatur. Nil ſanè præiucundius, ac delectabilius, quàm caro, & ſanguis Chriſti. Pulchrè ait D. Cyprianus ſerm. de cœna Domini. (D. Cyprian.) *Quam dulciſſimus eſt*, ait, *Calix iſte, vbi ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam.*

196\. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 83. num. 3. (Pſalm. 83.) De ſacra Euchariſtia eſt ſermo, iuxta multorum ſententiam; de cuius ſuauitate, ac exultatione facit mentionem in corde, & carne: nulla eſt enim pars hominis, ſiue in anima, ſiue in corpore, quæ in hoc Sacramento non obtineat magnum oblectamentum. Præclarè Origenes homil. 1. Reg. (Origenes.) *Singulis ſenſibus animæ ſingula quæque Chriſtus efficitur; idcirco & verum lumen dicitur, vt habeant oculi animæ, quo illuminentur; idcirco & verbum, vt habeant aures, quod audiant; idcirco & panis vitæ, vt habeat guſtus, quod deguſtet; idcirco & vnguentum, vel nardus appellatur, vt habeat odoratus animæ fragrantiam; idcirco & palpabilis, & manutractabilis*, &c. (*In Euchariſtia omnes ſenſus habēt oblectamentum.*) Scilicet per ſpecies, vel in ſuis effectibus, vt dixi ſupra quæſt. 9. num. 63. & 66. Nullus eſt ſenſus expers dulcedine huius conuiuij in quo Chriſtus fit omnia ſingulis. Vide ſupra citata quæſt. 9. num. 64. 65. & 66. de quo etiam infra quæſt. 33.

## QVÆSTIO XXIX.

### *Quare hic potius, quàm alijs in locis Chriſtus carnem, & ſanguinem dicit ſuum?*

197\. *Ratio difficultatis.* SÆPE Chriſtus Dominus in hoc ſermone carnem ſuam, ſanguinem ſuum dicit: *caro mea vere eſt cibus; ſanguis meus vere eſt potus; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Cur hic tantoties repetit hoc verbum *meũ, meum?* Et augetur difficultas ex triplici capite.

198\. Primò. Chriſtus in Horto ſuum corpus intelligens carnem non dicit ſuam. At ſuis Apoſtolis: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Matth. 26. num. 41. (Matth. 26. D. Athanaſ. Beda. Haymon.) De carne enim ſua ibi agebat, iuxta D. Athanaſium citat. in 6. Synodo Generali Conſtantinop. Act. 4. in Epiſtola Agathonis Papæ; Bedam in cap. 14. Marci; Haymon in cap. 26. Matth. Et tamen in præſenti ſermone frequenter eam ſuam appellat. *Caro mea*, &c. In Horto non dicit ſuam, vel quia ipſa caro, ſeu appetitus, vt natura eſt, ac ſecundum portionem inferiorem, mortem recuſabat: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix*, &c. Vel quia ipſe tunc carnem ſuam retinebat, in ſuique poſſeſſione erat. At in Sacramento Altaris nobis ipſe dat ad manducandum carnem ſuam. (*Magnificus id reputat ſuum, quod dat.*) Et magnifici ingenij eſt, id peculiariter ſuum dicere, quod aliis præbet, & elargitur. Vide ſupra cap. 26. num. 36. & 37. & tom. 2. cap. 20. num. 29. 30. & 31. Vel tertiò, Hic carnem ſuam dicit, quam in hoc magno myſterio exhibebat; peculiariter Chriſtus Dominus inter vniuerſa Sacramentum Euchariſtiæ ſuum reputat. Vide ſupra cap. 26. num. 36. & 37.

199\. Secundò. Quomodo hic dicit carnem ſuam, ſanguinem ſuum; cum tamen in Cruce, & paſſione ſanguinem non dicat ſuum. *Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Iſai. 63. n. 3. (Iſai. 63.) Sermo eſt de ſanguine, quem ipſe Dominus Ieſus effudit in torculari ſuæ paſſionis, vt interpretantur ad hunc locum D. Cyrillus, Rupertus, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 40. D. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. Origenes tract. 9. in Ioan. D. Auguſtinus homil. 178. de Tempore. (D. Cyrillus. Rupertus. Tertullian. D. Cyprian. Origenes.) Cur ergo in paſſione non dicit ſanguinem ſuum; hic verò toties ſuum repetit? In paſſione ex alto conſilio ſuo ſanguis effundebatur, miniſtrante etiam, ac mortem machinante Iudæorum odio. At in hoc Sacramento ſui eximij amoris miniſterio ſanguinem ſuum dat; ipſumque tunc magis reputat ſuum, vt ita dicam, quando eius ſingularis amor totum negociatur, ac præbet, & conficit. (*Id ſuũ dicit Chriſtus, quod eius amor miniſtrat.*) Orans Chriſtus Dominus in Horto dicebat: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. num. 39. (Matth. 26.) Et tamen per Regium Prophetam ait ipſe Dominus: *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Pſalm. 22. num. 5. (Pſalm. 22.) modo in Pſalmo *Calix meus*; in Horto *Calix iſte?* In Horto *Calix iſte*, calix paſſionis erat, vt eſt ſatis vulgare: *Calix* autem *meus* apud Dauidem, Calix ſacræ Euchariſtiæ denotabatur, vt interpretantur D. Auguſtinus, noſter Incognitus, Gloſſa, & alij. (D. Auguſt. Incognitus. Gloſſa.) Calicem ergo Paſſionis, ad quem ſanguine implendum etiam conuenerat malitia Iudæorum, non meum, ſed iſtum dicit Chriſtus. Calicem autem ſacræ Euchariſtiæ, quem tantum eius diuinus amor per ſe ſolum miniſtrabat (*Chriſti amor ſolus nobis Euchariſtiã miniſtrat.*) (ipſe enim calicem accipiens in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, illum conſecrauit, deditque Diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & bibite ex eo omnes) hunc præclarum ſuum dicit.

200\. Tertiò. Chriſtus Dominus in hoc Sacramento oſtendit diuitias ſui eximij amoris, vt docet Tridentinum iam ſupra citatum. Quomodo hic repetit toties Caro mea, ſanguis meus; cum tamen feruidus amator nil ſuum reputet, ſed omnia ſui eſſe dilecti recognoſcat, & fateatur. Vnde apud citatum Iſaiæ locum 63. num. 3. (Iſaiæ 63. *Difficultas dubij.*) *Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtem meam.* Quamuis enim in veritate ſanguis eſſet Chriſti; cum tamen homines diligeret, non ſuum, ſed eorum reputat ſanguinem. Quomodo ergo ipſe Dominus carnem, & ſanguinem, quæ nobis in Sacramento exhibet, toties ſua eſſe aſtruit, & repetit?

201\. *Euchariſtia ſignum, ac monumentũ amoris Chriſti.* Verum eſt, quod intimè diligens omnia ſua exiſtimat eſſe dilecti, præter id, quod in ſignum, ac pignus ſui amoris ſibi eligit, & aſſumit; hoc



enim ſui tantum, & non alterius eſſe vult. Cum autem Chriſtus Dominus inter vniuerſa, quæ eſt operatus, hoc admirabile myſterium in ſignum ſui amoris deſignaſſet, ac conſtituiſſet, hoc inter cætera omnia ſuum eſſe, aſſeuerat, ad nullúmque alium, illud referri patitur.

202\. (Cant. 2. Hebr.) Recenſens Iuſti anima Dei fauores erga ſe, ait: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Cant. 2. num. 4. Quæ verba ſic legit Hebræus: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, poſuit vexillum eius ſuper me amor.* Cum Sponſa fuiſſet introducta in cellam vinariam, ſtatim ſui dilecti amor poſuit ſuum vexillum ſuper illam? Quid eſt hæc cella vinaria? Quidnam hoc vexillum? Cum Sponſa ingrederetur in cellam vinariam, ad menſam Communionis Corporis, & Sanguinis Chriſti fuit admiſſa, vt exponunt Diuus Gregorius Nyſſenus homil. 4. Philo Carpatius; (D. Nyſſen. Carpat.) idem extitit, quod Sponſa tanti conuiuij particeps facta eſſet; ac quod Chriſti amor in ea conſtituiſſet ſuum vexillum, ſignum, ac monumentum. Ait Iſaias 19. num. 19. (Iſai. 19. *Euchariſtia ſignum Chriſti amoris.*) *In die illa erit altare in medio terræ Ægypti; & erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum.* Ad Chriſti tempus eleuauit Propheta oculos, teſte D. Cyrillo, D. Thoma; cum vidiſſet altare, in quo Corpus Chriſti celebratur, ſtatim ipſum vidit in ſignum, & teſtimonium diuini ſui erga nos amoris.

203\. (Matth. 26.) Inſtituens Chriſtus Dominus hoc admirabile Sacramentum, ait: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.* Matth. 26. num. 28. Quonam pacto ſanguinem ſuum nouum teſtamentum appellat? difficultas eſt: nam teſtamentum iuxta humanas leges dicit vltimam diſpoſitionem voluntatis; & tamen hoc Sacramentum non fuit vltima diſpoſitio voluntatis Chriſti; multa enim poſt eius inſtitutionem ordinauit, atque ſanciuit in alto ſermone in Cœnaculo habito, in ſuæque ſacratiſſimæ paſſionis diſcurſu: quomodo ergo teſtamentum dicitur? Diuus Chryſoſtomus apud D. Thomam in Catena. (D. Chryſoſt.) Teſtamentum hoc erit vobis veluti *memoriale*; vnde præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Teſtamentum hoc peculiare habet, quod quamuis teſtator omnia ſua diuidat, ac relinquat, teſtamentum tamen valde peculiariter ſibi ſeruat, & reſeruat, tanquam ſignum ſuæ voluntatis, ac affectus. (*Euchariſtia memoriale, ac ſignum amoris Chriſti.*) Alta ergo myſteria expoſita, ac manifeſtata in ſermone Cœnæ, ac in ſua ſacratiſſima Paſſione non dicantur teſtamentum, ſed hoc tantum nomen attribuitur huic Sacramento; hoc enim inter vniuerſa ſua mirabilia elegit, vt eſſet ſignum, memoriale, ac monumentum ſuæ voluntatis, ſui amoris, ac affectus erga hominum vitam, atque ſalutem.

## QVÆSTIO XXX.

### *Quare Chriſtus Dominus ordinauerit, quod in hoc Sacramento poneretur ex vi verborum caro, & ſanguis?*

204\. (D. Ambr. Euthym. D. Thom. D. Bonau.) IN præſenti, vt rectè obſeruant S. Ambroſius, Euthymius, D. Thomas, D. Bonauentura, ait Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus:* Quia ex vi verborum, ſeu primaria intentione caro ponitur ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini. De anima autem non fit hic expreſſa mentio, quia ipſa, non ex vi verborum, ſed per concomitantiam ponitur. Sed cur non ordinauerit Chriſtus, vt anima etiam poneretur ex vi verborum? Multas de hac re rationes Theologis relinquo. Ad noſtram ſententiam in præſenti explicandam.

205\. *Perfectio rei vnitas.* Notandum ex Communi placito Philoſophorum, quod quantum vna res habet vnitatis, tantum & perfectionis vendicat; quanto enim res in ſe magis eſt vna, tantò magis perfecta eſt. Vnde ait D. Bernardus lib. 5. de conſideratione cap. 7. (D. Bern.) quod Deus tam vnus eſt ſuper omnia alia, vt de eo proferat: *Si dici poſſit, vniſſimus eſt.* Et lib. 2. de Conſideratione dixerat: *Si Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnum non eſſet*, ſcilicet in natura, *Deus non eſſet.* Cum illis diuinis perſonis, vnitas, ac ſimplicitas, perfectionis apex deeſſet.

206\. Cum hoc tamen cohæret, quod quamuis vniuerſa, quæ Deus condidit, ſint perfecta: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Geneſ. 1. num. 32. (Gen. 1.) Tamen in illis paſſus eſt aliquam diuiſibilitatem, ac ſeparationem. In ordine naturali. Contemplare hanc vniuerſi molem tanto ordine diſpoſitam, tanta varietate exornatam. Tamen *Tota mundi machina diſſoluetur.* Coniice oculos ad ipſos cæleſtes globos fulgentibus ſtellis condecoratos; tamen *Igni reſeruati in diem iudicij.* 2. Petri 3. numer. 7. *Et ſtellæ cadent de cælo.* Matth. 24. num. 29. (2. Petr. 3. Matth. 24.)

207\. Eleua mentem ad myſteria gratiæ, & inuenies in illo altiſſimo Incarnationis myſterio, etiam pro aliquo breui tempore interueniſſe aliquam ſeparationem. Deus in hoc magno arcano principaliter, ac ex primaria intentione intendit, ſibi naturam humanam vniri, fieríque hominem. Tamen, vt docent Theologi cum D. Thoma 3. p. quæſt. 50. art. 4. & ibi Caietanus, Suarius diſput. 37. ſect. 2. (D. Thom. Caiet. Suar.) quamuis ſemper perdurauerit vnio facta inter Verbum, & partes, ſcilicet animam, & corpus, & ſanguinem; vnio autem facta inter Verbum, & humanitatem pro triduo mortis deſiit eſſe. (*Pro triduo mortis non fuit humanitas.*) Et ratio eſt manifeſta; quia de eſſentia humanitatis eſt vnio animæ, & corporis: atqui per Chriſti mortem corrupta eſt hæc vnio: ergo & tunc deſiit humanitas, ac proinde per deſitionem vnius extremi extincta eſt vnio ad illum, vt rectè obſeruant Theologi ex Durando in 3. diſt. 21. quæſt. 1. (Durand.) Vnde inferunt citati Theologi, quod pro triduo mortis hæc propoſitio non erat vera: *Deus eſt homo*, quia pro illo triduo Chriſtus non erat homo, vt obſeruat citatus D. Thomas.

208\. Voluit tamen Deus vnum opus facere, Euchariſtiæ ſcilicet Sacramentum, taliqưe ordine, ac diſpoſitione illud ordinare, vt in eo nulla interueniret diſiunctio, aut ſeparatio, vt ex eius magna vnitate, illius excellentem perfectionem colligeremus. Inſtituit Dominus, vt corpus ponatur ex vi verborum; anima autem per concomitantiam. (*Summa perfectio Sacramenti Euchariſtiæ.*) Cur vnum ex vi verborum, ac primaria intentione; altera per concomitantiam? Communis eſt Theologorum doctrina, Corpus Chriſti Sacramentatum dependere à corpore naturali. Vnde inferunt, quod ſi tempore Paſſionis hoſtia conſecrata eſſet, in cœnaculo verbi gratia, tunc, cum corpus naturale mortem ſubiret, etiam corpus ſub Sacramento moreretur. Et ſi pro triduo mortis fieret Sacramentum, cum corpus naturale eſſet

ab

ab anima ſeparatum, tunc ſolum in Sacramento poneretur corpus, & non anima. Alto ergo conſilio Dei Sapientia tali modo hoc diuinum Sacramentum ordinauit, vt ex vi verborum, ac primaria intentione ſub ſpeciebus panis poneretur corpus, & non anima, vt in eo, quod erat ex vi verborum, ac primaria intentione in hoc Sacramento, nulla vnquam diſiunctio, ac diuiſio fieret, ſed ſumma vnitas, & inſeparabilitas ſemper daretur, vt ex ſumma vnione illius ſummam, ac perexcellentem perfectionem deprehenderemus. Si enim ex vnione perfectio demonſtratur, agnita magna huius myſterij vnione, magna illius agnoſcitur perfectio, ſiquidem vbi vnitas, ibi perfectio.

209. Hácque de cauſa multum ſemper inuigilauit Dei prouidentia, vt in his, quæ ad hoc Sacramentum ſpectabant, nulla vnquam fieret diuiſio, aut ſeparatio. Præcepit Deus filiis Iſraël Exod. 12. num. 46. quod Agnum Paſchalem Chriſti Domini typum ita comederent, *ne os illius confringetis*. Quod adimpletum eſt in Corpore Chriſti mortuo, vt obſeruat Ioannes cap. 19. num. 39. Dei conſilio decretum eſt, vt anima ſepararetur à corpore; ſanguis à venis, & ipſa ſacratiſſima caro multis ſciſſuris, ac vulneribus aperta eſſet: cur noluit permittere, vt os eius frangeretur? Certum eſt apud Philoſophos, quod ratio formalis corporis præter carnem dicit oſſa inter ſe connexa, & diſpoſita. Vnde docent multi Theologi cum Ægidio Coninch. de Sacrament. q. 78. a. 2. dub. 3. n. 38. quod ſi Sacerdos dicat: *Hæc eſt caro mea*: non efficiet Sacramentum, quia caro in rigore minus ſignificat, quam corpus, quod etiam oſſa complectitur. Patitur Chriſtus, vt cætera omnia, ſupra numerata, aliquam habeant diuiſionem; non tamen vult admittere fractionem in ſuis oſſibus; quæ ad rationem corporis ſpectabant, ne ſi pro triduo mortis conſecraretur corpus in Altaris myſterio, cum diuiſione, ac mutilatione aliqua poneretur. Decreuit ergo, vt corpus ſuum naturale ſemper eſſet integrum, & ſaluum, vt ea, quæ Euchariſtiæ Sacramentum ſpectabant, ſemper eſſent integra, & indiuiſa. Albertus Magnus. *Oſſa Chriſti*, ait, *Eccleſiæ fortiora Sacramenta ſignant, quæ integra ſunt ſeruanda.*

Exod. 12.

Ioan. 19.

Coninch.

*Chriſtus voluit, vt in Sacramento poneretur corpus integrum, & perfectum.*

Albert. Mag.

210. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſalm. 15. num. 10. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem.* Pſalm. 29. num. 10. Iuxta noſtrum Incognitum, D. Thomam, Brunon. ac alios, Chriſti orationes ſunt ad Patrem, ne corpus ſuum in corruptionem abeat, in cineréſque redigatur. Valde ponderandum, quod Chriſtus Dominus feruentiſſimo amore corpus ſuum pro nobis tradidit multis opprobriis, iniuriis, ac vt flagellis cæderetur; manus, ac pedes, vt clauis transfigerentur, lancea vt latus aperiretur; caput vt eſſet ſpinis coronatum, tandem ipſe Dominus in Cruce vitam exhalauit: & tamen valde efficaciter clamat, & rogat vicibus multiplicatis, ne corpus ſuum in cineres conuertatur.

Pſalm. 15. Pſalm. 29. Incognit. D. Thom. Brunon.

*Quare Chriſtus poſtulat, ne ſuū corpus corrūpatur.*

211. Pro ſolutione ſupponendum eſt, vt iam dixi ex communi placito Theologorum, præſentiam Sacramentalem Corporis Chriſti dependere ab illius præſentia naturali, ſiue hæc dependentia ſit veluti intrinſeca, ſiue ex inſtitutione diuina, vt diſputant Theologi, Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 4. Soto quæſt. 1. art. 2. Ledeſma quæſt. 14. art. 5. Caietan. 3. part. quæſt. 76. art. 2. Suarius tom. 3. ad 3. part. diſput. 48. ſect. 2. §. *Dico primò*. Potuit enim Deus ordinare, vt Corpus Chriſti naturale tanquam inſtrumentum concurreret ad reproductionem, & conſeruationem eiuſdem corporis ſub Sacramento. Vnde inferunt citati Theologi, quod, ſi Corpus Chriſti naturale per Dei potentiam corrumperetur, tunc deſineret eſſe in Sacramento; & ſi pro tali tempore fieret conſecratio, tunc non daretur Sacramentum, nec corpus ſub ſpeciebus panis poneretur. Orat Chriſtus Patrem: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Ardentiſſimo amore tradidit Saluator corpus ſuum opprobriis, flagellis, clauis, lanceæ, ac ſpinis: non tamen pati vult, vt corpus ſuum deſcendat in corruptionem. Et quare? Satis probabiliter dicam. Ne ad illud deueniatur, vt corpus deſinat eſſe ſub Sacramento Altaris. Adeo hoc magnum Sacramentum eſt illi in corde; adeo in eo complacet, vt libenter ſuſtineat flagella, & clauos; tamen pro breui tempore ferre non poteſt, vt corpus ſuum deſit in Sacramento Altaris, in eoque aliqua fiat, aut diuiſio, aut ſeparatio.

Scot. Soto. Ledeſm. Caiet. Suar.

*Non vult Chriſtus vt corpus ſuum aliquande deſit in Sacramento Altaris.*

## Qvæstio XXXI.

### *Quare Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum in ratione ſacrificij, vt ipſe eſſet repræſentatione mortuus, cum in realitate ſit viuus?*

I N præſenti ait Chriſtus Dominus. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Cum tamen ipſe ſimul cum ſuo corpore nobis præbeat ſuum ſanguinem per concomitantiam. Tamen ex primaria intentione, ac ex vi verborum corpus ſub ſpeciebus panis ponitur ſeparatum à ſanguine, ſicut & ipſe ſanguis ex vi verborum ſub ſpeciebus vini ſeparatus à corpore. Cuius rei rationem reddunt Theologi, quia voluit Sacramentum inſtituere in ſuæ mortis repræſentationem. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* 1. Corinthior. 11. num. 26. Ac proinde in ratione ſacrificij, quod conſiſtit in eo, quod corpus, & ſanguis, quantum eſt ex vi verborum, ſeparatim ponuntur; cum enim ſanguis ſeparatur à corpore, ſtatim mors interuenit. 212.

*Ratio ſacrificij in hoc Sacramento.*

1. Cor. 11.

Ad quod reſpondet Cluniacenſis Epiſt. contra Pettrum Bruſian. ſic dicens: *Quare mortem Domini? Quare non ſimiliter dixiſti, ô Apoſtole, Incarnationem Domini, natiuitatem, vel quod maius videretur, Reſurrectionem Domini? Quare illa, quæ, glorioſa videntur, dimiſiſti; & quod erat ignominioſius elegiſti? Vt oſtenderem,* inquit, *iſtud opus eius præponderare omnibus operibus eius.* Mortem potius, quàm alia facinora ſua elegit Dominus, vt in hoc opere memoriali repræſentaretur Chriſto nos ſummè diligenti mors ſuper omnia glorioſa: *Iſtud opus eius præponderare omnibus operibus eius.* Et ideo ad commemorationem ſuæ mortis in ratione ſacrificij Sacramentum inſtituit. 213.

Cluniac.

*Amanti nil glorioſius, quàm vitam dare.*

Nunc maximè ad noſtram quæſtionem: cur ſic Chriſtus Dominus ordinauerit hoc magnum myſterium, quod cum poneretur repræſentatione mortuus, realitate eſſet viuus? Si Dominus realitate eſt viuus, cur etiam viuus non repræſentatur; cum apud Deum valde abominabile ſit aliquid 214.



aliud apparere præter id, quod eſt. Si ergo Chriſtus Dominus ponitur re vera viuus, cur cum expreſſione mortui? Diuinæ Sapientiæ extitit admirabile inuentum. Diuinus amor Chriſto Domino dedit vitam, & mortem. Vitam, vt nos doceret; mortem, vt nos redimeret. Si Chriſtus Dominus in Sacramento poneretur realitate, ac repræſentatione viuus; non omnia ſua nobis relinqueret, ſiquidem mortem non donaret. Si autem mortuus realitate, ac repræſentatione reproduceretur, non omnia ſua nobis concederet, ſiquidem vitam non exhiberet. Quod autem ſub ſpeciebus ſimul viuus, & mortuus realitate conſtitueretur, impoſſibile erat. Diſpoſuit ergo Dei Sapientia, vt eſſet viuus cum repræſentatione mortui, vt omnia ſua, tam vitam, quam mortem nobis largiretur; nihílque in eo eſſet, quod multa cum liberalitate nobis non dediſſet, ac reliquiſſet in ſuo hoc Sacramento.

*Chriſtus in Sacramento dat nobis omnia ſua.*

215. Cum Iſaias Propheta conſideraſſet diuitias Eccleſiæ Catholicæ, iuxta D. Hieronymum, Theodoretum, & alios, ait cap. 33. num. 20. *Videbunt oculi tui Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquàm transferri poterit; quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter.* Inter has Eccleſiæ opulentias conſiderat Propheta Euchariſtiæ Sacramentum, vt iam ſupra notaui, de eóque ait; *Solummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter.* Seu, vt explicat Cardinalis Hugo, *ſolummodo ſecundum magnificentiam.* Multam difficultatem præſens hic textus importat: nam ſi ad principia noſtræ fidei, ac veræ Theologiæ recurramus, facile inuenimus, quod Deus per attributum ſuæ Immenſitatis eſt in omni loco, quem replet; per potentiam in omni re, quam conſeruat; per gratiam in anima iuſti; per claram ſui notitiam, quam ſuis Electis communicat, in Beatitudine. Quomodo ergo ait Propheta, quod in hoc Sacramento *ſolummodo magnificus eſt Dominus noſter*, ſeu, *ſecundum ſuam magnificentiam.* In aliis rebus adeſt Deus manifeſtans vnum, vel aliqua ſua attributa, verbi gratia ſuam immenſitatem, potentiam, vel ſcientiam, cuius participes fiunt eius Electi per beatitudinem. At vero declarans, ac manifeſtans omnia ſua attributa, omniáque ſuá magnalia, ſuam potentiam, ſuam ſcientiam, ſuum amorem, ſuam bonitatem, miſericordiam, & iuſtitiam ſolummodo in hoc magno ſuo Sacramento. Expende loquendi modum, magnificus enim hic dicitur abſolutè. Quando Iſraël ab Ægypto liberauit, cantatur à Moyſe *magnificus in ſanctitate.* Exod. 15. num. 11. hoc eſt magnificus in certo ordine, in certo genere, *in ſanctitate.* At abſolutè in omni genere, in omnique gradu, ac conſideratione, ſolummodo magnificus in hoc ſuo Sacramento celebratur.

D. Hieron. Theod. Iſai. 33.

Hugo.

*Chriſtus in Euchariſtia oſtendit omnem ſuam maieſtatē, & attributa.*

Exod. 15.

216. In hac proportione interpretandus venit alius locus eiuſdem Iſaiæ 45. num. 14. vbi Propheta, iuxta D. Irenæum, Sanchez, Cornelium, & alios, loquens cum illa ſacra hoſtia conſecrata, ait: *Tantum in te eſt Deus; non eſt Deus abſque te; verò tu es Deus abſconditus.* Multa difficultate inuoluitur locus, quod in hoc Sacramento dicatur Chriſtus Dominus Deus abſconditus, benè intelligitur, occultatur enim ſub ſpeciebus conſecratis. Sed quomodo dici poteſt: *Tantum in te eſt Deus:* cum Deus ſit in omni loco, vt ſupra explicaui. Et augetur difficultas ex ſubſequentibus: *Non eſt Deus abſque te.* Antequam hoc Sacramentum inſtitueretur, forſitan non erat Deus? Planum, & euidens eſt, quod ab omni æternitate Deus eſt exiſtens cum omni ſua magnitudine, amplitudine, ac naturæ eminentia, vt modo poſſidet abſque vlla mutatione, vel viciſſitudinis adumbratione. Quid ergo eſt, quod dicitur: *Non eſt Deus abſque te?* Alto conſilio ſic dicitur: *Non eſt Deus abſque te*: ſcilicet tam magnus Dominus Deus noſter in nobis, vt in hoc Sacramento. Deus principium ſine principio omnium ſæculorum eſt. At ipſe Deus ita hominibus manifeſtans, ac declarans ſuam bonitatem, excellentiam, potentiam, ſcientiam, ac amorem, *Non eſt abſque te,* abſque hoc diuino Sacramento. In hoc enim admirabili myſterio facit Deus oſtentationem, ac publicationem omnium ſuorum attributorum, vt in nullo alio opere tam magnus, & excellens, ac magnificus oſtendatur, vt in illius comparatione cætera Dei opera abeant in obliuionem.

D. Iren. Sanch. Cornel. Iſai. 45.

*In Euchariſtia oſtenſio diuinorū attributorum.*

Beneficiorum Dei ſcribens Catalogum Regius Vates, quaſi ad illius finem perueniens, ſic ſubdit: *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Pſal. 22. num. 5. Quidnam magnum eſt hoc, quod de calice Domini decantatur, quod inebriari, ſeu à mente alienari faciat? Qui mentis compos non eſt, in obliuionem tranſmittit omnia, quorum memoriam tenebat. D. Auguſtinus. *Poculum tuum inebrians*, ait, *id eſt, poculum tuum obliuionem præſtans priorum.* Ac ſi diceret. Calix tuus adeo eſt præclarus, vt præ illius excellentia in aliorum operum, ac magnalium obliuionem abeam; ſuauitate guſtus illius nihil alterius recordor. 217.

Pſalm. 22.

D. Aug.

*Ad præſentiam Euchariſtiæ alia magnalia in obliuionem abeunt.*

Pro magis confirmanda, & ſtabilienda hac veritate: Quæro, in quonam opere Deus magis manifeſtauit ſuam magnitudinem, ac amplitudinem, quàm in illa admirabili inuentione, qua in cruce exaltatus pro nobis vitam exhalauit? Sed multo magis ſeſe ipſa eius magnificētia declarauit, & oſtentauit in diuino Sacramento Altaris. Apparuit Deus Abrahamo, eíque Patriarcha præparauit, obtulítque conuiuium, cum vitulo tenerrimo, pane, & lacte. Geneſ. 18. num. 7. Tunc Dei liberalitas largiſſimè tot, & tam magna beneficia contulit in Abrahamum, vt nunquam ſimilia fuerint conceſſa: De abditiſſimo Trinitatis myſterio ei notitiam dedit; vnde dicitur quod Abrahamus. *Tres vidit, & vnum adorauit.* Filium ex Sara cum magna poſteritate ei promiſit, vt communiter Interpretes explicant: *Habebit filium Sara vxor tua.* Admirabiléque Incarnationis myſterium eſt ei pollicitus: *Benedicendæ ſunt in illo omnes nationes terræ.* Eúmque ſuum familiarem veluti à conſiliis conſtituit, vt explicant Chſyſoſtomus, Lippomanus, Abulenſis, & alij: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Poſtea verò ex Dei mandato obtulit ipſe Patriarcha filium ſuum in holocauſtum, opus valde rarum, quod quamuis quotidie maximè laudetur, nunquam ſatis pro dignitate. Eíque promiſſiones factæ repetuntur, ac confirmantur. Promittitur numeroſa proles in Iſaac, ac Incarnationis myſterium: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Geneſ. 22. numer. 18 Abſque dubio præclarius eſt, & excellentius opus, quo Abrahamus voluit offerre filium ſuum in ſacrificium, quam quod conuiuio Deum hoſpitio receperit. Cur ergo merces non proportionatur operi? Cur ob conuiuium maioribus afficitur donis? Vitulus ille, appoſitus in menſa Chriſtum Dominum in Sacramento Altaris præfigurabat, vt docent 218.

Gen. 12.

Chryſoſt. Lippom. Abulenſ.

Gen. 22.

D. Ambr. Interl. Rabban.

docent D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 5. Interlinealis, Rabbanus, & alij. Iſaac verò in ſacrificio, Chriſtum Dominum in ara Crucis adumbrabat, vt docent D. Auguſtinus, D. Ambroſius, D. Hieronymus, Eueherius, & alij communiter. Et liberalitate maior, & donis profuſior ſeſe Deus declarauit, ac manifeſtauit ad repræſentationem Corporis Chriſti in Sacramento Altaris, quàm ad eiuſdem corporis typum in patibulo crucis pendentis.

D. Aug. D. Ambr. D Hieron.

*Liberalior Deus ad repræſentationem Corporis Chriſti in Sacramento, quàm in ara Crucis.*

219. Ad calcem huius quæſtionis quæres: cur Chriſtus decreuerit, vt ipſe eſſet potius viuus in Sacramento Altaris, & repræſentatione mortuus; quàm realitate mortuus, & repræſentatione viuus? Ad quod Reſpondeo. Præuidit Chriſtus ſua ſapientia, vt Deus, quod quamuis ipſe in realitate amplexurus eſſet mortem; repræſentatione tamen in horto eam erat ſecundum portionem inferiorem recuſaturus: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. num. 39. Antequam ergo Chriſtus in Horto pro declinanda morte repræſentata Patrem exoraſſet, prius ipſe in cœnaculo ſub mortis repræſentatione ſe nobis dedit in Sacramento: tales enim ſunt diuini amoris exceſſus.

Matth. 26. *Exceſſus diuini amoris.*

## QVÆSTIO XXXII.

### *Quare Chriſtus ordinauerit, vt ſacrificium Legis Gratiæ eſſet Corpus, & Sanguis eius in Sacramento Altaris?*

220. AIT Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*: Quia ex vi verborum caro ponitur ſeparata à ſanguine; & ſanguis à carne; in quo vera ratio ſacrificij conſiſtit, vt explicaui ſuperiori quæſt. in initio. Quod ſacrificium Chriſtus Dominus permanere in ſua Eccleſia, ac Lege Gratiæ ordinauit; quo Deus maximè ſuam Eccleſiam, ac noſtram Catholicam religionem nobilitauit, ac ſublimauit ſuper omnes alias quaſcumque leges, ac religiones, itaut nunquam vlla alia daretur, vel dari poſſit noſtræ Eccleſiæ Catholicæ nobilitate æqualis. Quod hoc diſcurſu oſtendo.

221. Omnis Religio, ſiue vera, ſiue falſa ſemper extitit enixa, ac ſtabilita aliquo ſacrificio, tanquam ſigno proteſtatiuo recognitionis maieſtatis, ac excellentiæ diuinæ; à quo ſacrificio tanquam principaliori actu ſuam auctoritatem omnis religio ſibi ſemper vendicauit. Immò in hominibus viatoribus ordinatis ad finem ſupernaturalem, ſaltem ordinariè loquendo, vt à quæſtionibus abſtrahamus, non poteſt eſſe aliqua lex, vt docent Theologi 1. 2. quæſt. 102. art. 3. & 3. part. quæſt. 25. art. 1. abſque aliquo ſigno externo proteſtatiuo, quo illi homines Dei eminentiam recognoſcant, & fateantur.

*Omnis Religio habet ſignum proteſtatiuum Dei.*

222. D. Aug. Hoc autem ſignum in omni lege ſemper fuit ſacrificium, vt docet D. Auguſtinus lib. 1. contra Aduerſar. Leg. & Prophetar. cap. 18. & Epiſt. 49. In Lege naturali ab exordio mundi inuenimus ſacrificia incepta in Abel, quæ deinde deducta, & continuata ſunt per antiquos Patriarchas Noë, Abraham, Iſaac, & Iacob. In Lege ſcripta tot, & tanta ſunt ſacrificia. vt de eorum differentiis, ac cæremoniis vnus integer liber detur in Scriptura, Leuiticus nempe. Si ad Idololatras, ac Gentiles oculos coniiciamus, inueniemus, eos multis, & variis ſacrificiis repletos, & abundantes. Et adeo congenitum eſt legi ſacrificium, vt Apoſtolus Paulus profundè diſſerens circa leges, vt oſtenderet, ſacrificium Legis Veteris eſſe extinctum, ad hoc formauit argumentum ex extincto ſacerdotio, & Lege. *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & Legis tranſlatio fiat.* Ad Hebr. 7. num. 12. Expende illud: *Neceſſe eſt*: quod dicit veluti conſequentiam neceſſariam, adeo enim intrinſecum, & connaturale eſt vnicuique legi ſuum ſacrificium, & ſacerdotium; nam ſacerdotium ordinatur ad ſacrificium, Lex autem ad ſacrificium, & ſacerdotium, tanquam ad ſuum principalem actum, quem reſpicit tradendo præcepta, & cæremonias circa ſuum ſacrificium, & ſacerdotium. Et in hoc ſenſu explicant locum Apoſtoli D. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Cornelius à Lapide. *Neceſſe eſt, vt tranſlato ſacerdotio, & Legis tranſlatio fiat.*

*Per omnes leges fuere ſacrificia in cultum Dei.*

Ad Hebr. 7.

D Chryſoſt. Theodor. Theoph.

223. Hoc iacto fundamento, ſic noſtrum aſſertum facile, & demonſtro, & comprobo. Omnis Religio, omnis lex enititur in ſacrificio ſibi proprio, ab eóque, vt à principaliori actu ſumit ſuam nobilitatem, ac decorem: Atqui proprium, & peculiare ſacrificium Legis Euangelicæ eſt Sacramentum Altaris: Ergo ſicut non eſt dabile illuſtrius, ac excellentius ſacrificium in ſubſtantia, ac entitate, quàm illud, quod conſtat ex Carne, & Sanguine Ieſu Chriſti veri Dei, & hominis; ſic etiam nec eſt dabilis illuſtrior, ac excellentior Eccleſia, quàm noſtra Eccleſia Militans, ac lex Euangelica. Proindéque vnum ex motiuis, ob quod Chriſtus Dominus decreuit inſtituere hoc Sacramentum in ratione ſacrificij, extitit ſublimatio, ac exaltatio Eccleſiæ noſtræ in tantum apicem, & verticem.

*Lex Euangelica ſuperior, ac ſublimior omni alia lege.*

224. Iſai. 33. Iterum redeo ad locum Iſaiæ 33. num. 20. ſuperiori quæſt. citatum. *Viderunt oculi tui Ieruſalem habitationem opulentam, quia ibi ſolummodo magnificus eſt Dominus noſter.* Qui locus intelligitur de Eccleſia Militante, in qua Deus adeſt in Sacramento Altaris. Noſtram ſanctam Eccleſiam dicit Propheta *habitationem opulentam.* Cur ſaltem metaphoris, & figuris eius opulentiam non explicat, ſicut Ioannes diuitias cæleſtis Ieruſalem nobis propoſuit Apocal. 21. à num. 11. dicens, quod lux eius erat ſicut cryſtallum, plateæ ex auro mundiſſimo, murorum ſtructura ex lapide iaſpide; murorum fundamẽta ex omni lapide pretioſo ornata; ciuitatis portæ ex margaritis compoſitæ. Cur ergo etiam opulentia noſtræ ciuitatis noſtræq; Eccleſiæ Militantis, auro, vel argento non exprimitur, ac ſignificatur? Diuitiæ, ac vbertates, quas Eccleſia cæleſtis ſibi vendicat ex Chriſti glorificati præſentia, aliquantulũ ex huiuſmodi combinationibus ab auro, vel lapide pretioſo deſumptis denotari valent. At decorem, celſitudinem, ac pinguedinem, quam noſtra Eccleſia Militans ex Chriſto Sacramentato participat, nullæ figuræ, nullæ metaphoræ, nullúſque dicendi modus exprimere, ac declarare poſſent. Vide infra num. 279.

Apocal 21.

*Diuitiæ gloriæ etſi valeant explicari, non verò, quæ in Sacramento.*

225. Sæpè Scriptura facit mentionem de adoratione, quam Angeli exhibent Chriſto Domino in cælorum regno. *Adorate eum omnes Angeli eius.* Pſ. 96. num. 8. & Paulus ad Hebr. 1. num. 6. ait: *Adorent eum*

Pſalm. 96. Ad Hebr.



*eum omnes Angeli eius.* Iſaias 6. numer. 3. vidit Deum inter Seraphim, qui Dominum ipſum laudabant. Et apud Danielem 7. n. 10. multa millia Angelorum adſtabant ante thronum. At Ioannes frequenter vidit in ſua Apocalypſi, quod ante Agnum tanquam occiſum. *Procidebant viginti quatuor ſeniores, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: Sedenti in throno benedictio, & honor, & gloria*, &c. Apocalyp. 4. num. 10. Et ceciderunt in facies ſuas. cap. 5. numer. 14. & 7. num. 11. & 11. num. 16. & 19. num. 4. Cur Angeli adorant, laudant, & adſtant: at ſeniores in Apocalypſi non ſolum adorant, laudant, & adſtant ante thronum, ſed inſuper cadentes in facies ſuas procidunt mittentes coronas ſuas? Angeli adorabant, ac laudabant Chriſtum regnantem in gloria, ſeu in Eccleſia Triumphante. At viginti quatuor ſeniores venerabantur Chriſtum Dominum Agnum tanquam occiſum in Sacramento Altaris inter Miſſarum ſolemnia in noſtra Eccleſia Militante, vt interpretatur Alcaſar ad citatum caput 4. Apoc. Seniores *procidebant*, ait, *diuinum cultum repræſentantes, quem Chriſtiani Sacerdotes in Miſſarum celebritate Deo deferunt.* Adoratio, vt docent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 25. art. 1. & 2. oritur in nobis ex excellentia, ac auctoritate recognita in obiecto: Seniores pleni ſpiritu ſapientiæ, & intelligentiæ, non ſolum Chriſtum Dominum adorant in Sacramento Altaris, vt Angeli in gloria; ſed etiam profundiori, ac ſubmiſſiori cultus actu ipſum venerantur cadentes in facies ſuas, veluti præclariorem clementiam, ac maieſtatem in eo ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quàm in ipſomet regnante, ac triumphante inter thronos, ac applauſus cæleſtis beatitudinis recognoſcentes. Vide infra quæſt. 42.

Iſai. 6. Dan. 7. Apoc. 4. 5. 7. 11. & 19.

Alcaſar.

D. Thom.

*Profundior cultus datur Chriſto in Euchariſtia, quam in throno maieſtatis.*

## QVÆSTIO XXXIII.

### *Quare Chriſtus Dominus non ſimpliciter, ſed addita particula* verè, *dixit, carnem ſuam eſſe cibum, & ſanguinem potum?*

226. IN præſenti non ſolum dixit Dominus, carnem ſuam eſſe cibum, & ſanguinem potum, ſed etiam addidit illam particulam *verè.* Vt oſtenderet, ſe non figuratè, parabolicè, aut ænigmaticè loqui, vt ſæpè conſueuerat, vt notarunt D. Chryſoſtomus, Euthym. Carthuſ. Sed verè, realiter, ac ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem ſuum eſſe cibum, & potum, qui manducatur, & bibitur.

D. Chryſoſt. Euthym. Carthuſ.

227. Albert. Mag. Secundò, Albertus Magnus, *Verè cibus, & potus*, ait, *quoniam nihil habet admixtum de contrario. Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Iſai. 25. n. 6. Alij cibi etſi ad vitam ſuſtentandam, ac nutriendam conferant, habent tamen aliquas qualitates morbos generantes, quæ vitam perimunt. At Chriſti conuiuium, *conuiuium vindemiæ defæcatæ, pinguium medullatorum*, nil habens admixtum de contrario, ſed totum, ac totaliter vitam communicat, atque largitur.

Iſaiæ 25. *Chriſti conuiuium totũ ſalutare, nil habens de contrario.*

228. D. Paſch. Tertiò, D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini cap. 19. *Cum naturaliter homines*, ait, *cibum, & potum permaximè appetunt, vt non eſuriant, neque ſitiant, & ne moriantur; hoc vtique communis iſte non præſtat cibus, nec potus, ſed caro Chriſti, & Sanguis, qui immortales, & incorruptibiles facit; & ideo verè cibus, & potus nominatur.* Homines vtuntur cibo, & potu, vt abſumptas vires reſtauret, vitam conſeruet, ac mortem excludat; hoc, non temporalis, ſed ſolum Euchariſticus cibus verè præſtat, omnia enim perdita reſtaurat, mortem eliminat donata immortalitate. Quod iam magis explico.

*Euchariſtia dat vitam.*

229. Ariſtot. Quartò, Ariſtoteles lib. 1. de Generat. cap. 1. veri cibi aſſignat naturam, & conditionem. Verus enim cibus materialis à corpore expellit famem, nutrítque eius temporariam vitam, & amiſſas vires recuperat. Chriſti ergo Sacramentum dicitur verè cibus, & potus ex analogia à cibo temporali; quod enim cibus temporalis præſtat corpori, hoc diuinum myſterium animæ communicat. Eam ſpiritualiter nutrit, penuriam amouet, vires corroborat, & auget, vitámque æternam, non ſolum animæ, ſed etiam corpori exhibet. Euthymius cap. 64. in Matth. *Verè cibus*, inquit, *id eſt, aptiſſimus, vtpotè animam, quæ propria hominis pars eſt, nutriens.* Ex quo ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. de Adorat in ſpiritu ſtatim poſt principium. *Natura hominis quam facile in quoduis abſurdum prolabitur, niſi contineat illam Saluatoris gratia, cæleſtibus bonis ſuis locupletans: nutrit enim robur ſpirituale panis viuus, hoc eſt Verbum Dei, ſcriptum eſt enim:* Panis cor hominis confirmat; *Liberátque à ſeruitute, & affectionibus, & gloria libertatis ſupra modum ornat.* Tot enim ſunt prouentus huius cæleſtis conuiuij, ad quos Chriſtus Dominus nos inuitans, illius dapes carnem, & ſanguinem ſuum verè cibum, & potum appellat.

Euthym. D. Cyrill.

*Multi prouentus ab Euchariſtia.*

230. Verus eſt Panis Chriſtus in Euchariſtia, qui omnem eſuriem, & ſitim extinguit, vt iam dixi ſuprà numer. 101. 102. & 103. ſatiátque animam opulentia tanta, vt abundantiſſimus ſit ad totum ſatiandum, ac replendum Orbem. Cum Prodigus reuerteretur ad Patrem, hic ait ſeruis ſuis. *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Luc. 15. num. 23. Quomodo bonus Pater, qui valde locuples diuitiis erat, qui multa famulorum caterua abundabat, pro tam ampla familia vnum vitulum iubet adduci: cur non plures? cur non multas aues? cur non varia ciborum genera parare mandat? Cum ad conuiuium totam domum ſuam inuitet: *Manducemus, & epulemur.* Cur ergo vno tantum vitulo contentus eſt? Non times Pater, ne inter miſeros computeris? Caietanus. *Vitulus hic inſignis valde, vtpote Chriſtus, ipſe pinguis ad ſatietatem, & delicias totius mundi ſufficiens.* Vitulus vnus erat; tamen cum typum Chriſti in Sacramento Altaris expreſſiſſet, ſuperabundantiſſimus extabat, vt omnes omni ſuauitate, ac dulcedine ſaturaret, ac repleret.

Luc. 15.

Caiet.

*Euchariſtia cibus cum omni delicia ad ſaturandum totum mundum.*

231. Paſcunt Corui, & Angeli magnum Parentem Eliam. Corui *deferebant ei panem, & carnes manè, ſimiliter & veſperi.* 3. Regum 17. num. 6. At Angelus venit ad Prophetam, *qui reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* 3. Reg. 19. num. 6. Lautiora conuiuia parant Corui, quam Angelus. Cur hic cæleſtis ſpiritus tam parcè cibat Prophetam, præcipuè cum ille modò magna obſequia Deo præſtitiſſet, in monte

3. Reg. 17.

3. Reg. 19.

Carmeli ei holocauſta obtulit; prophetas Baal interfecit. Cur ergo Deus diſponit, vt Prophetæ alimonia tam parcè præbeatur, cum ipſe primo homini valde largiſſimè dederit, eíque præceperit: *Ex omni ligno Paradiſi comede.* Geneſ. 2. n. 16. excepto ligno ſcientiæ boni, & mali. Noë dederit Deus omnes volucres cæli, omnia animantia terræ, omnéſque piſces maris dicens: *Omne, quod mouetur, erit vobis in cibũ. Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Gen. 9. n. 4. Cur ergo Deus ſuum Prophetã, tam magnis meritis præclarum, ſolo pane alit? Panis ille, vt ſæpè dixi, ſacræ Euchariſtiæ vmbra extabat, ac proinde quamuis panis vnus eſſet, in ſe habebat ſaporem, & delicias omnium fructuum Paradiſi, volatilium cæli, ac animantium terræ, piſciumque maris. De hoc enim Pane ait D. Paſchaſius lib. de Corpore, & ſanguine Domini c. 9. *Hoc frumentum, corpus videlicet Chriſti, adipem habet, & non ſolum adipem, ſed & omnes delicias: quia quidquid prægustare ſpiritualiter potueris, hoc totum ibidem inuenies.* De hoc vide ſuprà quæſt. 28.

Gen. 2. — Gen. 9. — *In Euchariſtia omnes deliciæ, & ſaturitates.* — D. Paſch.

232. Ait D. Cyrillus, quod cæleſtis panis *liberat à ſeruitute, & affectionibus.* Sic animam nutrit in gratia, vt eam omnino à ſeruitute, ac iugo peccati eximat, & liberet. Perpende Lector ipſum Prodigum, à quo nolo diſcedere. Cum ille eſſet in regione longinqua, in ſe reuerſus dixit: *Ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. numer. 19. Sæpè per iter, vt mihi perſuadeo, hanc orationem Prodigus repetiuerat, vt eam optimè fixa mente retineret, expeditéque Patri dicere valeret. Cúmque ad genitorem deueniſſet, totam ſuam orationem, vt propoſuerat, expoſuit; de vltima tamen illius parte: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis:* vt patet ex textu, eſt oblitus, illámque penitus prætermiſit, & non dixit. Cur de mercenarij conditione non recordatur? Caietanus attingens, & ſoluens dubium ait: *Tanquam abſorptus a paterna benignitate, tanquam iaciens ſe totum in paternam gratiam.* Dicam tamen: In paterno amplexu odoratus eſt Prodigus cæleſte conuiuium, quod ei à Patre parabatur: *Adducite vitulum ſaginatum:* Vnde in filiorum conditionem iam totus euectus, recordatus non eſt ſeruilis ſtatus. Panis enim hic, vt canit Eccleſia, *Panis filiorum*; cujus dulcedine Prodigus ſe fatetur indignum.

Luc. 15. — Caiet. — *Euchariſtia à ſeruitute eximit, libertatem dat.*

## QVÆSTIO XXXIV.

### *Quare Chriſtus in hoc ſermone, & non in Cœnaculo dixit, carnem ſuam verè eſſe cibum, & ſanguinem potum?*

233. IN præſenti ſermone non ſolũ dixit Chriſtus, carnem ſuam eſſe cibum, & ſanguinem potum; ſed addidit illam particulam *verè*; dicens, verè eſſe cibum, verè eſſe potum, cum tamen in Cœnaculo inſtituens hoc admirabile Sacramentum ſolum dixerit: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt calix ſanguinis mei.* Matth. 26. n. 26. Marc. 14. n. 23. Luc. 22. n. 19. nulla appoſita particula *verè.* Cur non in Cœnaculo, ſed in præſenti ſermone illa dictione *verè* vtitur? In Cœnaculo aderat Dominus cum ſuis Diſcipulis, Apoſtolis, ac amicis, quibus, vt crederent Chriſti verba, quódque illud eſſet corpus, & ſanguis eius, ſat erat, quod ipſe Dominus hoc dixiſſet. At in hoc ſermone loquebatur Chriſtus cum Iudæis, qui maximè ei aduerſabantur: *Murmurabant Iudæi; litigabant Iudæi:* & ideo cum eſſent tam crudeles hoſtes, vt hi Chriſti verbis acquieſcerent, non tantum ſimpliciter dixit, ſed interpoſito iuramento *verè* aſſeruit, carnem eſſe cibum, & ſanguinem potum.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. — *Coràm inimicis multa aſſeueratione loquendum.*

234. Ad portas Cæſareæ confitetur Petrus Ieſum: *Tu es,* ait, *Chriſtus filius Dei viui.* Matth. 16. n. 16. At mortuo Domino, viſo terræmotu, & ſignis, quæ fiebãt, exclamat Centurio: *Verè filius Dei erat iſte,* Matth. 27. n. 54. Petrus ſimpliciter tantum ait: *Filius Dei es.* Et Centurio tanta aſſertione, ac veluti interpoſito iuramento vtitur. *Verè Filius Dei erat iſte,* Petrus loquebatur coram Diſcipulis, Dominum ſequentibus. At Centurio profitebatur in Iudæorum conſpectu, qui crudeli odio Chriſtum perſequebantur; indéque in ſua proclamatione multam ponit aſſertionem, & efficaciam.

Matth. 16. — Matth. 27.

## QVÆSTIO XXXV.

### *Quare Chriſtus loquitur de præſenti, cum Sacramentum adhuc non eſſet inſtitutum?*

235. IN hoc ſermone loquitur Dominus per verbum de præſenti: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et tamen Sacramentum tunc non erat inſtitutum; ſequenti enim anno ante feſtum Paſchæ ſuum ſacratiſſimum corpus, & ſanguinem conſecrauit: Quomodo ergo non de futuro, ſed de præſenti loquitur?

*Ratio difficultatis.*

236. Reſpondeo primò. Quod Chriſtus Dominus vſus eſt hoc loquendi modo, quo ſæpè futura in præſenti ponuntur. Secũdò, quod cum Chriſtus Dominus, hæc loqueretur, litigabant ad inuicem Iudæi; *Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare nobis ad manducãdum?* Cum ergo neceſſitas de præſenti appareret, de præſenti etiam ad hominum ſalutem voluit deſignare remedium. In ſuo Cantico laudãs Deum Zacharias ait: *Viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Luc. 1. n. 68. Et tamen redemptio tũc non erat facta, & adimpleta, vt ſuo loco dixi: cum tamen humani generis neceſſitas pro quolibet puncto ſeſe maximè manifeſtaret, decreuit etiam & in præſenti illius remedium celebrare.

*Præſens neceſſitas præſens remediũ expoſtulat.* — Luc. 1.

237. Tertiò, beneficia humano generi præſtita, quæ tantum à diuina voluntate pendẽt, adeo ſunt certa, támque celeriter nobis communicantur, vt in illis, non futurum, ſed ſemper veluti præſens conſiderare debeamus. Aliter vero in perpendendis his, quæ hominum voluntatem concernunt, mens noſtra ſolet ſemper ſe habere.

*Remedia, quæ à Dei voluntate ſunt, valde certa.*

238. Valde commune apud ſanctos Patres, & Auctores, tam antiquos, quam recentiores, quod Iacob in benedictione illa, quàm dedit filio ſuo Iudæ, Chriſtum Dominum reſpiciebat. Ait Patriarcha. *Iuda te laudabunt fratres tui, ad prædam, fili mi, aſcendiſti.* Gen. 49. n. 8. conueniunt omnes, quod Propheta vaticinatur gloriam, quæ ab hominibus decantanda erat Chriſto Domino. Secundò redemptionem, ac libertatẽ à poteſtate Diaboli, quam Chriſtus

Gen. 49.



ſtus nobis præſtitit. S. Eucher. *Ad prædam, fili, mi, aſcendiſti, perinde eſt, ac ſi dicat, aſcendens in Crucem captiuos populos redemiſti, & quos ille Leo contrarius inuaſerat, tu moriens eripuiſti.* Sed quænam connexio, ac conſequentia viſitur in hoc loquendi modo. *Te laudabunt* de futuro. *Ad prædam aſcendiſti:* de præterito. Primum ab hominum arbitrio, ſecundum à Chriſti voluntate pendebat. Etſi, quæ ab homine ſunt, ob illius inconſtantiam, antequam fiant, in futuro ſint conſideranda: tamen quę à Dei voluntate proueniunt, etiam antequam prodeant in actu, ita certa, & fixa conſiſtunt, vt tanquam in præteritum recogitanda ſint.

Eucher. — *Quæ ab hominis arbitrio, incerta; quæ à Dei voluntate, certiſſima.*

239. Canit Regius Vates: *Gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt, tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum, quia venit.* Pſalm. 95. num. 15. De primo Chriſti aduentu vaticinatur Propheta, iuxta multos Patres. Et ait: *Gaudebunt campi,* ſcilicet animæ ſanctæ, & virgines, vt interpretatur D. Hieron. *Exultabunt omnia ligna ſyluarum,* ſcilicet Pagani, & Gentiles, vt exponunt D. Greg. hom. 36. in Euangelia, D. Remig. noſter Incognit cauſam tantæ lætitiæ aſſignat Propheta: *Quia Dominus venit.* In præſenti, iuxta Græcum, ſeu, vt ait Euthym. *Præſens per præteritum.* Quorſum huiuſmodi loquendi modus, *Exultabunt,* de futuro; *venit,* de præſenti: dicendum videbatur, venturus erit. Dei beneficia tam celeriter nobis communicantur, vt ſemper tanquam in præſenti ſint veneranda. Hominum vero obſequia, ſic tarda, & ſera, vt à longè, & in futuro æſtimentur.

Pſalm. 95. — D. Hieron. — D. Greg. — D. Remig. Incognit. Græc. Euthym. — *Dei beneficia in præſenti; hominis obſequia à lõgè.*

## QVÆSTIO XXXVI.

### *Quare de hoc myſterio, antequam fieret, Chriſtus loquitur de præſenti, cum de aliis myſteriis loquatur de futuro?*

240. CHRISTVS ait in hoc ſermone: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et quando hæc hic dicebat, adhuc myſterium non erat inſtitutum: nam poſt hunc ſermonem, lapſo anno, corpus, & ſanguinem ſuum conſecrauit. Et tamen de aliis magnis operibus, ac myſteriis, quãdo de illis tractatur, antequã facta eſſent, per verba de futuro explicantur. Quando Deus per Prophetã de Incarnationis myſterio loquitur, ait: *Ecce Virgo cõcipiet, & pariet filium.* Iſai. 7. n. 14. Itẽ quando Chriſtus Dominus cũ ſuis Diſcipulis agit de ſua ſacratiſſima morte, ac paſſione, ait: *Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Luc. 18. n. 32. Et in Cœnaculo inſtituens hoc admirabile Sacramentum, ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt calix ſãguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Et tamen intra breuiſſimum ſpatium corpus erat tradẽdum, & ſanguis effundendus. Cur de aliis myſteriis in futuro; de hoc verò in præſẽti? Sic & Dauid Pſ. 22. n. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam.* Pſ. 80. n. 6. *Cibauit eos ex adipe frumenti.* Zach. 9. n. 17. *Quid bonum eſt eius, niſi frumentum electorum.*

*Ratio difficultatis.* — Iſai. 7. — Luc. 18. — Pſalm. 22. Pſalm. 80. Zach. 9.

241. Quædam differentia inter Euchariſtiæ Sacramentum, ac alia myſteria eſt conſideranda: nam alia myſteria ſic Deus edidit, vt etiam in illis interuenerit liber hominum conſenſus, eorúmque operatio. In Incarnationis opere affuit Virginis conſenſus: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum:* ipſaque ſuum phyſicum concurſum ad corporis Chriſti organizationem præſtitit. In Chriſti morte homines liberè in tantum nefas prolapſi ſunt, vt filium Dei crucifixerint. Cum autem huiuſmodi opera à voluntate humana liberè penderent, antequam in actum prodirent, de illis in futuro loquitur, vt oſtendatur noſtri liberi arbitrij libertas: & ideo in multis Scripturæ locis ponitur particula *fortè*, vt iam ſupra notaui.

*Inter Euchariſtiam, & alia myſteria quædam differentia.*



242. At vero in Euchariſtiæ Sacramento, ante eius inſtitutionem præſentis modo vtitur Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Hoc enim admirabile opus ſolum diuina voluntate ordinante editum eſt, ſolúmque Deus in eo eſt operatus. Ad celebrationem huius myſterij Chriſtus diſponit menſam. *Paraſti in conſpectu meo mẽſam.* Pſalm. 22. Panem ipſe accepit in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, non ei ab aliquo porrigitur. Ante Paſſionem Diſcipulis ſuis orare mandat. *Vigilate, & orate:* Matth. 26. n. 41. At hic modo ſolus ipſe orat gratias agens, benedixit, ac fregit panem, & conſecrauit, dedítque Diſcipulis ſuis. In conuiuio, in quo ſaturantur quinque millia, Chriſtus multiplicat panes, & piſces. *Et dedit Diſcipulis ſuis, Diſcipuli autem turbis.* Matth. 14. n. 19. Et ſi hoc detur in aliis operibus, ac miraculis: tamen in hoc magno Sacramento, vtpotè valde peculiariter ſuo, ſolum Chriſtus totum decreuit operari, perficere, & abſoluere.

*Euchariſtiæ Sacramẽtum inter cætera opera Chriſto valde peculiare.* — Pſalm. 22. — Matth. 26. — Matth. 14.

243. Egreſſus Populus de Ægypto, cum fame premeretur, ei Deus prouidens Manna. *Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce ego vobis pluam panes de cælo.* Exod. 16. num. 4. Magna, & mirabilia prodigia, edidit Deus, vt populum ſuum eximeret de ſeruitute Ægyptiorum, per deſertumque duceret in terram Promiſſionis; omnia ferè per Virgam Moyſis, vel per Aaron facta ſunt. Vnde frequenter Deus ait Moyſi: *Tolle Virgam:* ſiue dum aquas in ſanguinem conuertit, ſiue dum muſcæ, ac ranæ, vel ſcyniphes fiunt; ſiue cum aquæ maris diuiduntur; vel cum aquæ de petra educuntur. Cur ergo etiam, vt Manna è cælo cadat, non dicitur Moyſi: *Tolle Virgam.* Sed Deus ait: *Ego pluam.* Extabat Manna Sacramenti Altaris typus, quod opus tam magnum, ac perexcelſum eſt, támque proprium diuinæ Maieſtatis, ac potentiæ, vt non patiatur Deus, quod etiam in illius figura manus hominis interueniat, ſed totum Deus ſolus efficit, ac operatur. D. Greg. in cap. 14. lib. 1. Regum. *Quod Manna,* ait, *in deſerto pluerit filiis Iſraël Dominus, miraculum vtique ſine homine fecit Deus; adeo Euchariſtiæ beneficium res humanas excedit, adeo ad Chriſtum ſolum verum Deum ſpectat, vt non modo illud non attingere poſſint homines, ſed neque ad eius figuram, & typum, nempe Manna.*

Exod. 16. — *Etſi alia homines in operando comitẽtur; in Euchariſtiæ Sacramento Deus totum operatur.* — D. Greg.

244. Benedicens Iſaac filio ſuo Iacob ait: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini.* Geneſ. 27. numer. 28. iuxta D. Auguſtinum lib. 16. de Ciuit. cap. 37. Per rorem cæli intelligitur prædicatio Euangelica, per pinguedinem terræ, populi ad fidem conuerſi deſignantur; per abundantiam frumenti, & vini, Sacramentum Altaris ſignificatur. Sic ait Diuus Auguſtinus. *Eius,* ſcilicet Chriſti, *eſt multitudo frumenti, & vini; hoc eſt multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento corporis, & ſanguinis eius.* Sed iam inſurgit dubium. Cum in Chriſto multa ſint myſteria, eius natiuitas, Paſſio,

Gen. 27. D. Aug.

*Euchariſtiæ Sacramētum pro benedictione Chriſto impēſum.*

Reſurrectio, Aſcenſio, & triumphus in gloria; cur nullum ex his ei datur in benedictionem, ſed tantum Euchariſtiæ Sacramētum? Apud antiquos Patriarchas benedictio, eis à ſuis maioribus conceſſa, erat vnicuique valde peculiaris, ac propria, & in multa æſtimatione habita. Vt ergo denotaretur, Euchariſtiæ Sacramentum Chriſto Domino eſſe in multa æſtimatione, eíque inter cætera opera maximè proprium, ac peculiare, inſigniter ei pro benedictione impenditur, & largitur; & ſi alia miracula homini committantur, quæ vero huius magni Sacramenti Deus ſibi tantum ſeruat, & reſeruat.

*Etſi alia homini committantur; in Euchariſtiæ Sacramento Deus totum operatur.*

---

## QVÆSTIO XXXVII.

### *Quare in hoc myſterio vtitur verbo ſubſtantiuo, cum in aliis myſteriis verbum adiectiuum ponatur?*

245. *Ratio difficultatis.*

MAXIMÈ ponderandum, quod quando agitur de magno Euchariſtiæ Sacramento, tam in hoc ſermone, quàm in eius inſtitutione verbum ſubſtantiuum *eſt* ponitur: *Caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus verè eſt potus.* Et iterum. *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit.* In inſtitutione: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt calix ſanguinis mei.* Cum tamen alia myſteria per verba adiectiua ſoleant explicari ab Spiritu ſancto. *Verbum caro factum eſt.* Ioan. 1. num. 14. *Factus eſt obediens vſque ad mortem.* Ad Philipp. 2. n. 8. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Iſai. 9. n. 6. *Qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Actor. 10. num. 42. Sicut ergo myſteria Incarnationis, Paſſionis, Principatus, ac Poteſtatis Iudiciariæ Chriſti nobis Spiritus ſanctus proponit, & aperit per verba adiectiua; cur etiam in Sacramento Altaris ſimili methodo loquendi non vtitur, vt Chriſtus proferret verba hoc modo: Hic panis factus eſt corpus meum: ſicut de eo dicitur. *Factus obediens?* Ad quid hoc modo loquendi prætermiſſo, verbum ſubſtantiuum interponitur. *Hoc eſt corpus meum*: & in præſenti. *Caro mea verè eſt cibus.*

Ioan. 1. Ad Phil. 2. Iſai. 9. Act. 10.

246. Fonſec.

Notandum eſt, vt patet ex Logica Fonſeca lib. 1. Inſtitution. Dialecticar. cap. 24. Verbum adiectiuum, verbi gratia factus, conſtitutus, ſemper importare in ſuo ſignificato dependentiam. Vnde huiuſmodi verba ſemper dicunt reſpectum ad creaturas, vt patet ex his, quæ notarunt SS. Patres D. Auguſt. D. Cyrill. S. Thomas, Albertus Magnus in cap. 1. Ioan. At verbum ſubſtantiuum nomen eſt proprium Diuinitatis. *Ego ſum, qui ſum.* Et iterum. *Qui eſt miſit me.* Exod. 3. num. 14.

D Aug. D Cyril. D. Thom. Albert. Mag. Exod. 3.

247. Quando myſteria Incarnationis, ac alia tractantur, per verba adiectiua ſignificantur, verbi gratia: *Verbum caro factum eſt.* Vt oſtendatur, quod quamuis natura humana in tantum ſit ſubleuata, vt Deo ſit vnita; tamen adhuc ibi vt creatura retinet ſuam dependentiam à Deo in eſſe, & conſeruari. Cum autem de Corpore, ac Sāguine Chriſti agitur ſub ſacramentalibus ſpeciebus verbum ſubſtantiuum, Diuinitatis proprium, exprimitur; videtur enim, ex eo quod Corpus Chriſti ſub ſacramentalibus ſpeciebus exiſtat, ita per Dei potentiam ſupra humanam conditionem eſſe ſubleuatum, vt veluti, vt ita iuxta noſtrum loquendi modum dicam, Diuinitatis terminos pertigerit. Non intendo dicere, quod Corpus Chriſti in Sacramento factum ſit diuinum. Abſit, vt hoc dicam. Quid creatum eſt. Sed tantum intendo innuere, quod per conſecrationem ei quædam altiſſima Diuinitatis participatio communicata ſit.

*Corpus Chriſti per conſecrationem ad magnā participationem Diuinitatis euehitur.*

248. Deus per attributum Immenſitatis eſt vbique; cuius participationem quandam, quantum fas eſt, habet Corpus Chriſti ſacramentatum. Eſt enim in vniuerſis hoſtiis conſecratis per vniuerſum mundum. Deus eſt inuiſibilis in ſe, vt nec de potentia abſoluta poſſit videri ab oculo corporeo, vt communiter docent Theologi. Corpus Chriſti in Sacramento etiam diuinitus non poſſe videri ab oculo corporeo, docent Paludanus, Capreolus in 4. diſt. 10. quæſt. vltima Hiſpalenſ. ibid. quæſt. 1. art. 3. ad 6. & alij cum Suārio tom. 3. ad 3. part. diſp. 53. ſect. 4. Deus eſt impaſſibilis, & immortalis. In quo etiam Corpus Chriſti ſacramentatum ſuo modo aliquam habet participationem. Nam ſi tempore Paſſionis hoſtia quædam conſecrata in Cœnaculo ſeruaretur, quamuis moreretur Chriſtus in præſentia naturali propria, ſub ſpeciebus ſacramentatis non erat animam emiſſurus, vt docent multi Theologi cum Ægidio Louanienſi de Sacrament. q. 81. art. 4. n. 4. §. *Si tamen.* Potentia Dei eſt infinita, quæ nunquam exhauriri poteſt. Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus in ſui reproductione habet quandam infinitatem ſincathegorematicè ex inſtitutione diuina: nam ſi verbi gratia infiniti ſacerdotes darentur, & vnuſquiſque ſuam hoſtiam conſecraret, ſub omnibus reproduceretur Corpus Chriſti, & adhuc ſub aliis poni poſſet, quamuis non tot, quin plures eſſent, itaut ipſa reproductio vſque ad finem ſæculi nunquam valeat exhauriri.

Palud. Capreol. Hiſpal. Suar. Louanienſ.

249. Pro magna dignitate Corporis Chriſti in Sacramento Altaris perpondera. Agit Regius Vates in celebri Pſalm. 109. de Chriſto Domino, vt filio Dei, ac vt Sacerdote. De eo ait vt filio Dei: *Dixit Dominus Domino meo*; id eſt, dixit Pater filio ſuo, qui Dominus eſt Dauid, *Sede à dextris meis*; quod ideo à Patre filio ſuo dictum eſt, vt exponunt ſancti Patres, ne filius putaretur minor Patre, ſed vt per omnia ei oſtendatur æqualis. Et ideo, vt notant Diuus Hilarius, Diuus Auguſtinus, Incognitus, ſubdit: *Ex vtero ante luciferum genui te*; id eſt, ex mea propria ſubſtantia ante omnem creaturam te genui. Poſtea vero ipſummet filium, vt ſacerdotem, introducit, & ait: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et ſtatim addit: *Dominus à dextris tuis.* Brunonius. *Dicitur in principio*, ait, *Sede à dextris meis; ſi ipſe ad dexteram Patris ſedet, quomodo Pater rurſum ſedet ad dexteram filij, vt æqualis filio Pater oſtendatur.* In exordio, quando ſermo eſt de Diuinitate, declaratur, quod filius non ſit minor Patre, ſed ei æqualis: nunc vero quando ad Chriſti ſacerdotium dirigitur oratio, apertè exprimitur, quod Pater non ſit eo minor, ſed per omnia illi compar. Ex eo quod Chriſtus eſſet Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; ac corpus, ac ſanguinem ſuum conſecraret ſub ſpeciebus panis, & vini; in tantum apicem ſubleuatus eſt, vt ne quis erraret, perperam cogitando, quod pro tanta dignitate Pater ei eſſet inferior, apertè, & clara voce Pſalmiſta clamet, & aſtruat, quod Pater ei omnino ſit æqualis, & in nullo inferior exiſtat.

Pſalm. 109. D. Hilar. D. Aug. Incognit. Brunon.

*Ex conſecratione Corpus Chriſti in magnā ſublimitate.*





250. Apoc. 5.

Ait Ioannes in ſua Apocalypſi cap. 5. num. 6. *Vidi Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptē, & oculos ſeptem.* Per ſeptē oculos ſeptem Spiritus ſancti dona denotātur. Per ſeptē cornua omnem dignitatem, ſublimitatem, ac poteſtatem interpretatur ibi Viegas: hoc enim frequenter ſignificat cornu in Scriptura *In nomine tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Pſalm. 88. num. 18. *Protector meus, & cornu ſalutis mea.* Pſal. 17. num. 3. Septenarius autem numerus perfectionis, ac vniuerſitatis ſymbolum eſt, vt ait ipſe Viegas. Difficultas tamen inſurgit: Cur vniuerſa ipſa poteſtas ac excellentia, & perfectio non videntur in Agno occiſo, ſed in Agno tanquam occiſo? Agnus occiſus Chriſtus Dominus in ara Crucis, in qua verè eſt mortuus pro noſtra redemptione. Agnus autem tanquam occiſus, Chriſtus Dominus in Sacramento Altaris, vt interpretantur Anſbertus, & alij communiter, in quo Chriſtus Dominus repræſentatione eſt mortuus; recolitur enim ibi ſuæ Paſſionis memoria. Non dicitur, quod omnis poteſtas, & excellentia viſa ſit in Chriſto Crucifixo, ſed in Chriſto ſacramentato: quamuis enim in ara Crucis multum eius amor, benignitas, ac poteſtas enituerit; tamen valde inſigniter in hoc Sacramento eius maieſtas, ac excellentia reſplendet, ac fulget, dum nos proprio ſuo corpore, ac ſanguine paſcit, ac nutrit. De quo iterum infra.

Viegas. Pſalm. 88. Pſalm. 17. Anſbert.

*In Chriſto ſacramentato maximè reſplēdet excellentia omnis.*

*Ioan. 6 num. 57.* Qui manducat meam carnem, & bibit meū ſanguinem, in me manet, & ego in illo

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Qui comedit meum corpus, & bibit meum ſanguinem. |
| *Arias.* | Manducans meam carnem, & bibens. |
| *Vatabl. Pagnin.* | Qui edit meam carnem. |
| *Græcus.* | In me habitat, & ego in illo. |

### *EXPOSITIO XII.*

251. DIXERAT ſuperiori verſu Dominus carnem ſuam verè eſſe cibum & ſanguinem verè eſſe potum: nunc verò oſtendit proprietates cibi, & potus carni, ac ſanguini ſuo conuenire. Tanquam enim proprius cibus, & potus vendicant, vt vniantur comedenti, & bibenti, & viciſſim comedens, & bibens illis. Hac de cauſa ait: *manet in me, & ego in illo*; id eſt intimè coniungitur, & vnitur mihi, & ego illi: proindéque Chriſtus, latens ſub ſpeciebus, realiter, ac verè intrat corpus noſtrum, & Chriſtus nobis, & nos carni Chriſti, ac conſequenter ipſius diuinitati vnimur, & commiſcemur; ſicut cibus realiter vnitur, & commiſcetur ſtomacho, & carni noſtræ D. Chryſoſtomus. *Dixit Chriſtus, in me manet*, ait, *vt cum ipſo ſe admiſceri oſtendat.* Euthymius. *In me manet: vnitur mihi per tranſumptionem, & communicationem carnis meæ, meique ſanguinis, & in vnum corpus mecum efficitur.* Sicque communiter alij ſancti Patres explicant. De quo quæſt. 41.

*Explicatur vnio inter Chriſtum, & communicantem.*

D. Chryſoſt. Euthym.



252. Igitur Chriſtus Dominus realiter, ac verè in nobis manet, quandiu ſpecies ſacramentales panis & vini manent in ſua integra natura, illis vero à ſtomacho digeſtis, & conſumptis, deſinit eſſe Chriſtus in nobis ſubſtantialiter, & ſub illis accidentibus Dei virtute ponitur materia quædam, quæ in noſtram ſubſtantiam conuertitur. Gratia autem, producta à ſacramento, in nobis perſeuerat, & durat, quandiu digni ſumus animamque tanquam ſpiritualis cibus nutrit, & corroborat; corporíque eſt veluti morale ſemen ad eius reſurrectionem, cuius cauſa phyſica eſt diuinitas Chriſti, eius vero humanitas inſtrumentum.

*Explicantur ſpecies in accipiente.*

253. Triplex tamen differentia inter vulgarem, & hunc ſacrum cibum notanda eſt. Prima. Quod cibus communis in nobis non manet, ſed mutatur in chilum, ſeu lacteam materiam in ſtomacho: indéque hepatis, ac venarum miniſterio in hominis ſubſtantiam conuertitur. At caro Chriſti in Euchariſtia non conuertitur in ſubſtantiam manducantis, ſed corrupta in ſe permanet, vtpote immortalis, & glorioſa. Secunda differentia, quod cum vulgaris cibus ex ſe ſit inanimis, animatur, & recipit vitam à mādụcante. At caro Chriſti in Sacramento eſt viua, & viuifica, vitamque manducanti dat. Tertia differentia. Communis cibus non efficit vitam, niſi conuerſus, ac mutatus in naturam eius, qui ederit. Diuinus autem hic cibus, quia incorruptibilis eſt, non mutatur in naturam eius qui comederit, ſed contra potius conuertit edentes in ſe & ſui ſimiles facit. Hoc eſt quod Chriſtus Dominus dixit D. Auguſtino: *Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.* Gratiam, ac vitam largitur hic cibus, non ex ſui conſumptione, ſed ex illa coniunctione, licet temporali, quam cum Chriſto habuimus in Sacramento.

*Triplex differentia.* D. Auguſt.

254. Caiet. Circa etiam litteram textus notanda ſunt tria. Primò cum Caietano. Non dixit Chriſtus, vt videbatur conſequens, *manet in carne mea, & caro mea manet in ipſo*; Sed ego in ipſo, & ipſe in me; denotans, ipſum ſuppoſitum diuinum, & perſonam. Ac ſi dicat; Qui carnem meam manducat, in me manet, qui ſum Deus; & ego in eo maneo. Qui enim manducat, & ſanguinem bibit, habet in ſe Deum carni, & ſanguini vnitum. Secundò *manet in me*, non vno, vel altero die, ſed ſpiritualiter per gratiam vſque ad mortem. Tertiò, Prius ait: *in me manet*, hoc eſt hoſpitatur in me; deinde, *& ego in illo.* Prius enim Dei beneficia in nos confluunt; poſtea vero hominum obſequia exhibentur.

*Prius Dei beneficia, quàm noſtra obſequia.*

---

## QVÆSTIO XXXVIII.

### *Ad vnionem ſacramentalem præcedat fidei vnio cum Chriſto.*

255. AIT Chriſtus Dominus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Et tamen homo, quando accedit ad ſacramentum, non videt, nec guſtat carnem, & ſanguinem, ſed accidentia panis, & vini. Vt in eo Chriſtus maneat & ipſe in Chriſto; ſic accedat, vt credat fide viua contra id, quod ſenſus iudicant, & experiuntur. Sic de ſua ſancta matre Monica loquens D. Auguſtinus lib. 9. Confeſſion. ait: *Ad pretij noſtri ſacramentum*, ſcilicet Eucha-

D. Auguſt.

riſtiam, *ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei.* Vt anima particeps fiat vnionis ſacramentalis, de qua egi in expoſitione, neceſſe eſt, vt prius ipſa anima ſit vnita, ac ligata Deo per fidem viuam, vt credat, in Sacramento nullam eſſe ſubſtantiam panis, aut vini, ſed tantum carnem & ſanguinem Chriſti. Hac fide præparatur homo ad vnionem Sacramenti. Inter cætera enim motiua, quæ fuerunt Deo ad inſtitutionem huius ſacramenti, vnum extitit, vt eſſet celſitudinis fidei noſtræ magnum argumentum, & oſtentatio.

*Euchariſtia argumentum celſitudinis fidei noſtræ.*

256. Duæ celebres petitiones expoſitæ ſunt Chriſto Domino vna à muliere Chananæa, quæ inſtanter ſalutem filiæ ſuæ à Domino expoſtulabat allegans pro ſe dicebat: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Matth. 15. num. 27. Reſpondit Chriſtus Dominus. *O mulier, Magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut petiſti.* Tria hic exhibet Chriſtus. Primò, in externa apparentia oſtendit admirationem: *O mulier!* nam in re in Chriſto Domino non dabatur admiratio, vt docent Theologi, & iam ſæpe notaui. Secundò laudat mulieris fidem: *magna eſt fides tua.* Tertiò annuit poſtulatum: *fiat tibi ſicut petiſti.* Latro è cruce Chriſto Domino dicebat: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Ait illi Ieſus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. num. 42. Conceſſit Chriſtus latronis petitioni; tamen erga hominem non oſtendit apparenter admirationem, nec laudat eius fidem. Cur valde ſubtiliter in Chananæa laudatur? non vero in latrone? cum tamen huius fides perpenſis noſtri iudicij rationibus multò excellentior videatur, quam illius: nam fœmina hæc tam præclare de Chriſto teſtatur, cum ipſe multis miraculis fulgeret, totúſque orbis eum ſequeretur; at Latro Dominum profitetur, cum ipſe eſſet iniuriis, doloribus, ac tormentis plenus in Cruce. Tamen Dominus pro Chananæa rem diſcidit, illiuſque, & non latronis fidem laudat, illiúſque admirationem oſtendit. Latro poſtulabat, vt cum Chriſto regnaret in paradiſo: at mulier expoſcebat micas menſæ ſacramentalis Chriſti, vt interpretatur D. Ambroſius lib. 8. in Lucam, vt dicam ſequenti tomo. Extollit ergo Dominus mulieris fidem, & non latronis. Animoſior, ac grandior extitit Chananææ fides micas Chriſti ſub Sacramento appetens, quàm latronis fides, thronos, ac trophæa in gloria, ac beatitudine regnantis affectans. Tantum fides in hoc myſterio reſplendet, vt cum ad illud terminatur, inſigniter laudibus celebretur.

Math. 15. — Luc. 23. — D. Ambr.

*Magna generoſitas fidei in Euchariſtia.*

257. Cum Centurionis puer ægrotaret, expoſtulabat Centurio à Domino vt puerum ſanaret. Ait illi Ieſus. *Ego veniam, & curabo eum.* Tamen Centurio profunda humilitate Chriſto reſpondet. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Matth. 8. num. 8. Quod *audiens Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael.* In hominum oculis oſtendit Dominus admirationem, & hominis fidem extollit ſuper omnem, quæ inuenta fuerat in Iſrael. Valde mirabile eſt hoc Chriſti aſſertum. Nonne maior eſt fides Nathanaelis, qui aperta voce te confeſſus eſt: *Tu es Filius Dei: Tu es Rex Iſraël.* Ioan. 1. n. 49. Nonne maior eſt fides Petri, qui alta voce proclamauit: *Tu es filius Dei viui.* Matth. 16. num. 16. Recognouit enim tuam diuinitatem, æternam generationem, & arcanum Trinitatis. Tunc fides ſine dubio eſt illuſtrior ac ſublimior, quando excellentius, ac maius obiectum reſpicit, ad illudque terminatur. Fides Apoſtolorum profitetur ſupereminentiam diuinitatis Chriſti. Fides autem Centurionis recognouit Chriſti virtutem ad miracula in remotum, ac diſtans operanda. Quanuis tamen iuxta noſtri iudicij diſcurſuſque pondus illorum confeſſio multis ſit præferenda: tamen Chriſtus Dominus erga Centurionem admirationis oſtentationem exhibet, de illiuſque fide laudes profert: *non inueni tantam fidem in Iſrael.* Diuus Chryſologus ſerm. 102. exiſtimat, quod Centurio in ſuis verbis præfigurauit fidem Chriſtianorum, cum ad menſam ſacræ Communionis accedunt. *Fratres, hoc tectum,* ait, *corpus eſt quod tegit animam. Sub hoc ergo tecto Centurio indignum ducit intrare Chriſtum, hoc eſt in corpus humanum diuinam ſuccedere maieſtatem.* Merito ergo Chriſtus Dominus Centurionis fidem aliis omnibus præfert, multò enim ſublimior, ac excellentior huius hominis fides ſe ſe declarauit, ac demonſtrauit recognoſcens Chriſtum ſaltem in typo ſub ſacramentalibus ſpeciebus quàm aliorum fides, cum etiam illius ſupremam diuinitatem, ac ipſum è ſinu Patris per actum intellectus procedentem proteſtatur, ac confitetur.

Matth. 8. — Ioan. 1. — Matt. 16. — D. Chryſol.

*Fides in Euchariſtia multis laudibus celebranda.*

## Qvæstio XXXIX.

### *Quare Chriſtus non dixit, Qui manducat, & bibit dignè, ſed abſolutè poſuit pronunciatum?*

258. Ait Chriſtus Dominus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Manducat indignus, & ſceleribus onuſtus; & tamen in eo non manet Chriſtus: ergo ſine dubio iuxta principia noſtræ fidei, ac Apoſtoli doctrinam, de qua ſtatim, Chriſti propoſitio explicanda eſt de dignè manducante. Cur ergo diuinus magiſter in tam amplo ſermone hanc particulam *digne* non expreſſit.

*Difficultas quæſtionis.*

259. Reſpondeo primò, tantummodo dignum manducare Corpus Domini. Indignus autem, licet accedat ad menſam, & exterius habeat ſpeciem manducantis, tamen ſpiritualiter non manducat carnem Domini. Quapropter non fuit neceſſe, vt adderetur particula, Qui manducat dignè: nam qui manducat, & bibit, dignus eſſe demonſtratur; qui autem indignus accedit, ieiunus à fructu ſacramenti recedit: Vnde de Manna peccatores dicebant: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo:* vtpote indigni, guſtus tanti epuli expertes omnino erant. D. Paſchaſius lib. de Corpore, & ſanguine Domini cap. 5. *Niſi prius,* ait, *in me maneat; & ego in illo, carnem meam manducare non poteſt, neque ſanguinem bibere. Ecce omnes indifferenter quam ſæpe ſacramenta Altaris percipiunt. Percipiunt planè, ſed alius ſpiritualiter*

*Qui accedit indignè ad ſacramentũ non manducat.*

D. Paſchaſ.





*carnem Chriſti manducat, & ſanguinem bibit. Alius verò non, quamuis buccellam de manu ſacerdotis videatur percipere.*

260. Lis eſt apud ſanctos Patres: An Iudas corpus, & ſanguinem Domini in cœnaculo acceperit? Negant D. Hilarius in cap. 12. Matth. D. Auguſtinus ſermon. 26. ſuper Ioan. Affirmant D. Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 19. S. Leo Papa ſermon. qui incipit: *Scio quidem fratres;* & alij enixi in eo, quod Ioannes ſcribit de Iuda: *Cum accepiſſet buccellam, exiuit continuo.* Ioan. 13. num. 30. Quomodo Patres tam graues ſic inter ſe diſceptant? Eleganter Algerus Abbas lib. 1. de Sacram. cap. 21. *Ne tanti Patres,* ait, *in quibus erat vnus ſpiritus, non diſſenſionis, ſed pacis, à ſe diſſentire videantur; reſpondetur, accepiſſe quidem Iudam ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter accepiſſe. Ieiunus enim à cœna diſceſſit, quia non manebat in Chriſto, nec Chriſtus in illo.* Cum non manducauerit ſpiritualiter, abſolutè dicitur, quod non manducauerit. Cuius rei quandam rationem præmiſerat ipſe Algerus adducens Hilarij verba: *Sine Iuda,* ait, *Paſcha, id eſt tranſitum ad vitam, confici dicit,* ſcilicet Hilarius, *quia ſpiritualiter eius particeps non fuit.* Euchariſtia eſt Sacramentum Paſchæ, ſeu tranſitus; qui ad manducandum hunc panem, non tranſit de vita temporali ad ſpiritualem, ac reformationem morum, non manducat, non celebrat Domini Paſcha, id eſt tranſitum.

D. Hilar. — D. Auguſt. — D. Cyrill. — S. Leo. — Ioan. 13. — Algerus.

*Qui non mutat vitam nõ manducat.*

261. Secundò, non dixit Chriſtus *dignè*, ſed tantum nobis explicat beneficia, quæ per Sacramentum in nos conferuntur, ratione cuius magna fit vnio inter Deum, & hominem, vt dicam quæſtione 41. homo habitat in Deo, & Deus in homine, huicque datur æterna vita. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Onera autem, ac diſpoſitiones ad tantum donum accipiendum, Chriſtus noſtro fidit amori, ſuiſque miniſtris, ac Apoſtolis commiſit, vt proponant, & explicent.

*Chriſtus rem cõmittit noſtro amori.*

262. Tertiò, non dixit Chriſtus, qui manducat dignè, vel cum meritis, ſed abſolutè ait, *Qui manducat.* Vt oſtendatur celſitudo, ac magnitudo beneficij, quod omnem noſtram condignitatem, omniáque noſtra merita ſuperexcedit, vt nulla ſint, quæ tanto dono valeant coæquari, ac proportionari. Imperiali diademate, regioque veſtitu indutus Mardochæus ſuper æquo regio ferebatur, clamante præcone: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.* Eſther 6. num. 9. Cur potius ex regis decreto præco alta voce non intonat: Sic honorabitur, quicumque dignus fuerit, vel meritis præclarus extiterit: hoc enim magis videbatur regis æquitatem oſtentare, ac declarare? Cur ergo dicitur, *Quemcumque voluerit rex honorare?* Tam ſublimis erat ille honor, tam inſignis ille decor, vt nullis poſſet operibus promereri, nullis meritis obtinere; ideóque totus regis voluntati adſcribitur, atque refertur.

*Omnis noſtra diſpoſitio impar ad Euchariſtiam.*

Eſther 6.

263. In vineam ſuam vocauit Pater operarios horà prima, tertia, ſexta, & nona. Et cum iam ſub Solis eſſet occaſu, mandat procuratori ſuo: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis.* Matth. 20. num. 8. Primis, & vltimis æqualis præcipitur dari merces; cum tamen vltimi vna hora laborauerint. Immò mandatur, vt his primò ante alios largiatur præmium: quod eſt quid valdè gratum, & magnus honor. Eleganter Chryſoſtomus in Catena ait. *Incipiens à nouiſſimis: libentius aliquid damus illis, quibus gratis damus, quia pro ſolo noſtro honore damus.* Vltimis primò, & æqualis mandatur dari merces, vt apertè oſtendatur, quod tantum præmium meritis non ſit aſſecutum, ſed donantis liberalitate largitum; ſitque potius dantis magnificentia conceſſum, quàm iuſtitia ab operariis obtentum.

Math. 20. — D. Chryſoſt.

*Merita inæqualia ad Dei præmiũ.*

## Qvæstio XL.

### *Quare Chriſtus in hoc ſermone non impoſuit pœnas indignè manducanti?*

264. Ad hanc difficultatem patet ſolutio ex ſuperiori quæſt. Chriſtus Dominus in hoc ſermone non pertractauit de indignè communicante; ac proinde nec de pœnis illi impoſitis: hoc enim tractandum commiſit ſuo Apoſtolo. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* 1. Corinth. 11. n. 27. Deinde

*Ad litteram ſolutio.*

1. Cor. 11.

265. Reſpondeo primò, quod nec in hoc ſermone, nec in cœna pertractat Dominus pœnas indignè communicantium: noluit enim Dominus cum ſolemnitate huius ſermonis, ac cum feſtiuitate huius cõuiuij triſtia miſcere, nec cum terrore pœnæ ſuos conuiuas conturbare; & ideo hoc ad Apoſtolum differt. Secundò, indignè communicantibus non aſſignat ſupplicium; quos enim ſecum ad menſam cubare conceſſerat, noluit de eorum pœna pertractare, ſed hoc Apoſtolo dicendum reſeruat. Cum filij Iacob in Ægypto eſſent metu maximè perturbati, eis Ioſeph conuiuium parat: *Sederunt cum eo,* &c. Geneſ. 43. num. 33. vt tanto beneuolentiæ ſigno eorum metum expelleret, & animos quietos, ac ſecuros redderet. Sic & Iudith 12. n. 2. cum mortem Holofernis meditaretur, noluit cibum de illius menſa: *Non potero manducare,* &c.

*Quos Chriſtus ſecum ad menſam ponit, de eorum pœna nõ vult tractare.*

Geneſ. 43. — Iudith 12.

266. Tertiò, Chriſtus Dominus in hoc ſermone nobis proponit, & explicat magna beneficia, quæ ex hoc ſuo Sacramento percipimus, magnámque vnionem, quæ inter ipſum, & communicantem datur: *Manet in me, & ego in illo:* vitámque æternam, quæ ex hoc Sacramento hauritur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Pœnas autem indignè ſumenti intimare, ac diuulgare, hoc Apoſtolo ſuo committit. Magni enim principis eſt, beneficia largiri per ſe ipſum; ſupplicia verò imponenda, miniſtris tradere.

*Principis eſt beneficia largiri, miniſtris pœnas committere.*

267. Decem Decalogi præcepta dedit Deus populo ſuo: *Non habebis Deos alienos,* &c. Exod. 20. num. 3. nullo impoſito ſupplicio. At legibus, quæ à Moyſe diuulgantur, ſeueriſſimæ pœnæ ſunt annexæ, vt patet ex Exod. 21. num. 12. *Morte moriatur.* In beneficiis largiendis, hominibus illuminandis, ac inſtruendis in via iuſtitiæ, ac ſanctitatis Deus promulgator adeſt. At in caſtigationibus, ſuppliciiſque publicandis vnus homo miniſter eligitur. Deus enim pro ſua clementia, quæ benignitatis, ſibi reſeruat; quæ verò rigorem iuſtitiæ ſonant, aliis remittit. Quod rectè notauit Philo Hebræus lib. de Decalogo 2. tom. *Hoc,* ait, *eſt proprium miniſtris Dei, quemadmodum in militari ſit imperio, ſeuerè animaduertunt in*

Exod. 20. — Exod. 21. — Philo.

*Deus, quæ benignitatis, ſibi reſeruat, quæ rigoris, alijs committit.*

*deſertores ordinum: ipſe verò magnus rex gaudet appellari conſeruator, cuſtóſque pacis publicæ rerum vniuerſarum; nam reuera penes Deum cura pacis eſt, belli verò penes eos, quibus ille ſub præfectis, & miniſtris vtitur.*

268. Matth. 26. *Gratiora obſequia amoris, quam timoris.*

Quartò, nec in præſenti ſermone, nec in inſtitutione. Matth. 26. num. 26. pœnam vllam malè communicantibus minatur Chriſtus. Voluit enim Dominus, vt homines ad ſuam menſam, ſuumque hoſpitium amore potius, quam timore præpararentur: gratiora enim ſunt Deo obſequia, quæ amore exhibentur, quàm quæ timore extorquentur.

269. Exod. 20. Philo.

Iterum redeo ad citatum locum Exod. 20. numer. 3. In monte Sinai decem Decalogi præcepta promulgantur à Deo: & tamen eorum tranſgreſſoribus, vt in aliis legibus fit, nulla taxatur pœna. Quod rectè ponderauit Philo citato loco. *Addamus*, ait, *cauſam, cur Deus in his decem præceptis, ſiue legibus, contentus iubere, vetaréque, ſecus facientibus nullam pœnam decernit, quemadmodum ſolent alij legiſlatores ſtatuere. Quia Deus erat, & conſequenter bonus Dominus, ſolorum bonorum Auctor, mali verò nullius. Proinde exiſtimauit, nihil magis naturam ſuam decere, quàm vt ſalutaria præcepta daret, puta non admixtis pœnarum terroribus. Ne quis imprudens, metu malo conſultore, vſus, inuitus pareret: ſed potius vt ſapiens, rationem, voluntatémque ſequutus, verteret ſe, & applicaret ad id, quod eſt optimum.* Propoſitis ſalutaribus præceptis decreuit Dominus potius eorum amore ad legis obſeruantiam homines allicere, quàm terrore, ac multis pœnis adiunctis eos trahere: quæ enim amore fiunt, valdè ſpontanea ſunt, quæ Deo maximè placent. Vide de hoc multa verbo Benignitas.

*Amore potius quam timore Chriſtus nos trahere voluit.*

---

## QVÆSTIO XLI.

### *Quanta ſit vnio inter Chriſtum, & communicantem?*

270. D. Hilar. D. Irenæus. D. Cyr. Ieroſ.

DIVVS Hilarius lib. 8. de Trinit. D. Irenæus lib. 4. cap. 34. hanc vnionem naturalem appellant, quia realiter caro, & ſanguis Chriſti nobiſcum vnitur, & coniungitur. Hinc D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſ. 4. *Myſtagogiam* dicit, id eſt nos in ſacra communione fieri Chriſtiferos; immò concorporeos, ac conſanguineos Chriſti.

271. D. Cyr. Alex. *Magna vnio inter Chriſtum & communicãtem.*

D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 34. *Sicut*, ait, *ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alterum cum altero per totum commiſceat, neceſſe eſt: ita ſi quis carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur.* Et lib. 10. cap. 13. aſſeuerat, *Non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur: Sic communicatione corporis, & ſanguinis Chriſti eſt ipſe in nobis, & nos in ipſo.*

272. Non ſunt intelligendi hi magni Patres, & alij ſic loquentes, vt velint aſtruere, ex Chriſto ſumpto, ac ſumente vnum ens fieri naturale. Valdè eorum mens ab hac doctrina eſt aliena. Sed tantum denotare intendunt, quod præter vnionem, quæ ratione gratiæ, charitatis, & fidei eſt; adeſſe etiam intra nos ipſos verè, & realiter Chriſtum Dominum, qui cauſa eſt eiuſdem fidei, charitatis, & gratiæ, quandiu ſpecies ſacramentales ſuam propriam naturam panis, & vini retinent, vt iam latiùs explicaui in expoſitione.

*Quomodo Patres intelligendi.*

Cum ergo communicantes verè, & realiter habeamus intra noſmetipſos Chriſtum Dominum, qui producit in anima gratiam, & charitatem, quæ eam nutrit, & conſeruat; magna ſine dubio vnio ratione huius ſacramenti datur inter Chriſtum, & dignè communicantem. Poſt Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutionem, iuxta D. Auguſtinum, Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis, *Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis*, ſeu, vt habet Arabicus, de ſucco huius vitis, *vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Matth. 26. n. 29. Chriſtus forſitan in regno cælorum ſui Patris, in ipſa cœleſti beatitudine bibit ne ſacramentaliter ſuum ſanguinem? Ibi ſanè non datur communio ſacramentalis. Quomodo ergo Chriſtus Dominus ait, quod illum calicem non eſt bibiturus ante mortem ſuam, niſi poſtea cum ſuis diſcipulis in regno cælorum ſui Patris? Difficilis locus. Pro eius tamen intelligentia, perpondera, quod Chriſtus ait, non bibam de hoc calice, vſque dum bibam illum *vobiſcum*, meis nempe fidelibus, meiſque diſcipulis; nam quamuis Chriſtus regnet in cœleſti beatitudine, & fideles adſint in Eccleſia Militante, tamen per communionem ſacræ Euchariſtiæ ita vnitur, ac coniungitur homo Chriſto, vt pro idem reputetur, & quod homines in Eccleſia Militante participent, ac quod Chriſtus in cœleſti beatitudine bibat. Perbellè D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini cap. 21. *In quo nimirum*, ait, *iam Chriſtus illud bibit nouum, quoties fideles intra Eccleſiam dignè iſtud percipiunt.* Et iterum. *Bibit illud nouum in regno Patris, id eſt in Eccleſia, quoties eum dignè ſui, aut comedimus, aut potamus.* 273.

D. Auguſt. Matth. 26. *Magna vnio inter Chriſtum, & communicantem.* D. Paſchaſ.

Ponderandum. Non dixit, non comedam de hoc cibo, vſque dum comedam vobiſcum, ſed ait: *Non bibam de hoc genimine vitis, vſque dum bibam illud vobiſcum.* Quando ſacerdos, verbi gratia, accedit ad Altaris Sacramentum, vt Chriſti corpus communicet, cum adhuc illud non acceperit, nec eum in ſe realiter habeat, tanquam quid à Chriſto diiunctum æſtimatur; proindéque ſolus homo communicare dicitur. At verò cum ad Euchariſticum calicem bibendum deuenitur, iam ſacerdos ſub ſpeciebus panis habet receptum corpus Domini, ac per communionem illius iam eſt particeps, ac quodammodo, vt ait Paſchaſius, *nos per eum transformamur in illum.* lib. de corpore, & ſanguine Domini cap. 1. proindéque ex eo, quod homo tunc hauriat, veluti quod etiam Chriſtus bibat, aſtruitur, & aſſeueratur. 274.

*Cur Chriſtus non dixit, non comedam, ſed non bibam.* D. Paſchaſ.

*Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* Apocal. 7. num. 14. De ſanctis Martyribus eſt ſermo. Videbatur ergo potius dicendum, quòd 275.

Apoc. 7.



quod ſtolas ſuas intinxerint in ſuo ſanguine. Cur dicitur in ſanguine Agni? Solemnis erat antiqua conſuetudo primitiuæ Eccleſiæ, vt Chriſti athletæ antequam ad Martyrium ducerentur, quod ſacra communione reficerentur, vt teſtatur D. Cyprian. c. 54. per quam communionem ita vniebantur, ac veluti in Chriſtum transformabantur, vt, cum lauarent ſtolas ſuas, veſtimenta ſua in ſanguine ſuo, viderentur ea in Agni ſanguine abluere. Primaſius. *Hoc meritum*, ait, *in Eccleſia ſpecialiter deſignari debet, quos pro Chriſto contigit ſanguinem fundere, quia etſi quis Domini ſui fonte mundatur, carne paſcitur Agni, igne ſpirituali ſuccenditur.*

D. Cyprian. *Vnio inter Chriſtum, & Martyres.* Primaſius.

276. Mandauit Deus Moyſi: *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas. Quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues.* Leuitic. 24. numer. 5. Panes præcepti, ſunt panes propoſitionis, qui ſacram Euchariſtiam ſignificabant, in qua ſub ſpecie panis corpus Chriſti ponitur, vt docent D. Hieronymus in cap. 1. Malach. Cyrillus Catecheſ. 4. Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 14. Heſychius, Rupertus, & alij. Sed cum panes eſſent duodecim, ſtatim numerus Apoſtolorum in eis adumbrari venit in mentem. Chriſtus panis. *Ego ſum panis viuus*; & cum ipſi ſacratiſſimum panem per communionem acciperent, participatione Sacramenti ita Chriſto vniebantur, ac ad illius formam trahebantur, vt & ipſi panes dicerentur. Diuus Cyrillus Alexandrinus in Catena Græca Diui Lucæ ad cap. 6. numer. 20. *Panis ſiquidem*, ait, *de cælo deſcendens, & vitam dans mundo, quiſnam alius ſit præter omnium Saluatorem Chriſtum? Ad imitationem autem ipſius panes appellati ſunt beati Diſcipuli conſortes facti panis nutrientis nos in vitam æternam: quin & ipſi nutriunt ſcriptis ſuis eos, qui ſitiunt iuſtitiam.*

Leuitic. 24. D. Hieron. D. Cyr. Ier. D. Damaſc. Rupert. D. Cyr. Alex. *Apoſtoli panes.*

---

## QVÆSTIO XLII.

### *Quam nobilitata ſit Eccleſia ex vnione ad Chriſtum per Sacramentum Euchariſtiæ.*

277. *Nobilitas Eccleſiæ.*

VNVM ex præcipuis motiuis, quod Deus habuit in inſtitutione huius Sacramenti extitit exaltatio, & ſublimatio noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Militantis, vt iam dixi quæſt. 32. Et nunc iterum confirmo hac ratione.

278. In omni lege, in omnique ſtatu ſemper inter Deum, & hominem interceſſit magna diuiſio. In Lege naturæ, Munera *obtulit Abel de primogenitis gregis ſui*. Geneſ. 4. numer. 4. Cur non obtulit de ſecundò, vel tertiò natis, cum fieri poſſet, vt hæc eſſent meliora? Primogenitum ex ſua ratione diſtinctionem, ac diuiſionem habet à cæteris, vt notarunt Diuus Chryſoſtomus, Diuus Ambroſius, Rupertus. Dei conſilium decreuit ſibi aſſumere ea, quæ ex ſui ratione diuiſa extabant ab illis, quæ hominum vſui deputabantur.

Geneſ. 4. D. Chryſoſt. D. Ambroſ. Rupert.

279. In Lege ſcripta dedit Deus Moyſi ipſam Legem ſcriptam in duabus tabulis, ex quibus ipſa Lex totam ſuam nobilitatem, ac decorem hauſit, indeque Lex ſcripta dicitur. *Deditque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Exod. 31. num. 18. Et vt docent Iſidorus, Abulenſis, Hugo, Lippomanus, & communiter Hebræi, In prima tabula erant ſcripta, quæ ad Deum, Deique dilectionem, ac cultum ſpectabant. In ſecunda verò tabula erant exarata præcepta, quæ ad proximum, ac eius dilectionem attinebant. Cur non potius omnia hæc præcepta in vna tabula, ſed in duplici? Hæc extitit alta Dei diſpoſitio, vt ſemper, quæ Dei erant, diiuncta, ac ſegregata eſſent ab illis, quæ ad hominem ordinabantur.

Exod. 31. Iſidor. Abulenſis. Hugo. Lippoman. *Quæ Dei ſunt, ab eis diuiſa, quæ ad homines attinent.*

Subleuemus oculos ad cæleſtem Ieruſalem, & inueniemus multam diuiſionem inter Deum, ac beatificos illos ſpiritus. Vidit Ioannes in Apocalypſis 4. num. 10. quod *procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & mittebænt coronas ſuas ante thronum.* Cur ſeniores non inclinantur, ac coronas ſuas mittunt ad pedes, ſeu ſub pedibus Agni; ſicut Ioannes *cecidit ad pedes* Angeli, qui loquebatur cum illo Apocal. 19. num. 10. vt eum adoraret. Cur ergo etiam ſeniores illi non procidunt ad pedes Agni, ac veluti etiam ſub illius pedibus coronas deponunt. Cur ante thronum? In illa cæleſti curia multa mediat ſeparatio inter Deum, & cæleſtes ſpiritus. Seniores ad thronum accedunt, Agnum non attingunt. Conceditur illis, vt ad Sedem Maieſtatis appropinquent. At quod per thronum brachium eleuent, manum extendant, Agnum attingant, hoc illis non permittitur. 280.

Apocal. 4. *In cæleſti curia Beati non attingunt Agnum.* Apocal. 19.

At in Eccleſia Militante Chriſti quæ diſtinctio, ac ſeparatio eſt inter ipſum, ac homines, quoad locum, in quo adſunt? Veluti quodammodo nulla, vt ita dicam. Nam in Eccleſia Chriſti, non ſolum ad thronum accedimus, non ſolum Agnum attingimus, ſed etiam verè, & realiter eum ſumimus; & per ipſam communionem Chriſtus realiter ingreditur, & adeſt intra hominem, quamdiu ſpecies ſacramentales propriam naturam conſeruant, vt explicaui quæſt. 41. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Diuus Cyrillus eodem loco citato. *Siquis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat, neceſſe eſt; ita ſiquis carnem, & ſanguinem Domini recipit, &c.* 281.

*Quanta coniunctio inter Chriſtum & fideles in Eccleſia.* D. Cyrill.

Vidit Iſaias 6. numer. 6. Dominum ſedentem inter Seraphim, & ait: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Pro calculo vertunt alij ex Græco *Carbo*, ſeu *prunam ignitam*. At Diuus Hieronymus *Carbunculum*. Seraphim medio inſtrumento calculum arripit. Cur non manu propria? Calculus ille typus extabat ſacræ Euchariſtiæ, vt docent Diuus Chryſoſtomus homil. 61. ad populum. S. Iuſtinus reſponſ. ad quæſtion. 44. à Gentibus Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. *Carbonem*, ait, vidit Iſaias. *Carbo autem non ſimplex lignum, ſed vnitum igni: ſic panis communionis, non panis ſimplex eſt, ſed vnitus Diuinitati.* Reuolue totam ſcripturam, & inuenies, quod in nullo alio loco Seraphim, qui eſt ſupremus ſpiritus Angelicus iuxta grauiſſimos Theologos, nominatur, niſi in hoc præſenti, dum 282.

Iſaiæ 6. Græcus. D. Hieron. D. Chryſoſt. S. Iuſtin. D. Damaſc.

dum de miniſterio cuiuſdam vmbræ ſacræ Euchariſtiæ agitur. Vt diſcas, quam præclarus & purus miniſter ad tantum Sacramentum exigatur. Theodoretus apud Leonem à Caſtro. *Sunt ſupremi*, ait, *omnium Angelorum Seraphim neque manu tamen diuinum corpus attingunt, rem ſanctiorem quærunt, forcipe accipiunt.*

Theodoret.

283. In rem noſtram. Seraphim manu non attingunt calculum; hic tamen ad labia Prophetæ admouetur. Propheta in præſenti populum Chriſtianum, cui Deus dedit altiſſimi Trinitatis myſterij notitiam; & domus repleta fumo, Chriſti Eccleſiam adumbrabat. Non Seraphim manus, ſed Prophetæ labia calculum attingunt. Præclara excellentia, ac magna ſublimitas attingendi corpus Chriſti, non Seraphim, ſed populo Chriſtiano conceditur, & datur: non enim permittitur illis beatiſſimis ſpiritibus tantum arcanum pertingere; hoc tantum nobis Sacerdotibus eſt reſeruatum.

*Dignitas tãgendi Chriſtum in Euchariſtia, non Seraphim, ſed Sacerdotibus conceditur.*

## Qvæstio XLIII.

### *Quare Chriſtus non dixit, manet in gloria, vel regno, ſed manet in me?*

284. Qvi particeps eſt corporis, & ſanguinis Domini, ei Chriſtus non ſolùm thronos, & ſedes in regno parat, ſed & hic per ſui exhibitionem ſemetipſum habitaculum præbet. Et quodnam præſtantius, ac excellentius poteſt excogitari beneficium? Hanc dignitatem conferens D. Chryſoſtomus homil. 45. in Ioan. cum illa, quam habent cæleſtes ſpiritus in Beatitudine, ait: *Qui huius ſanguinis ſunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis virtutibus commorantur, ipſam regiam Chriſti ſtolam induti, ſpiritualibus armis muniti: ſed nihil dixi, immò ipſum induti ſunt regem.* In Apocal. 6. num. 11. & 7. num. 9. Ante thronum Dei apparent Iuſti ſtolis albis induti, & palmæ in manibus eorum. At in Euchariſtica menſa, non tantum ſtolis albis, ſed ipſomet rege componuntur, ac exornantur, eumque viuidiſſimè repræſentant.

D. Chryſoſt.

Apocal. 6. 7. *Manducatione Euchariſtia prælati ſumus Angelis.*

285. Rupertus in Ioan. explicans hæc verba: *Manet in me, & ego in illo*: *Quid nobis*, ait, *hoc dicto hic Dei filius vnicus pollicitus eſt, niſi acſi apertè dixiſſet: Dij eritis, & filij excelſi omnes.* Et poſt pauca ſubdit, & ego in illo. *Quis autem ego, niſi Deus, niſi Dei ſapientia; niſi vera, ſumma, & ſempiterna Diuinitas? Ergo is, in quo maneo ego, diuinitatem in ſe transfuſam habens, Deus factus eſt.* Macharius Orat. de Exaltatione S. Crucis apud Grethſerum: *Huius*, ſcilicet Sacramenti, *vera ſumptio, & communio immortalitatem, & filiorum adoptionem donat, & ex terreſtribus cæleſtes, Deoſque ex hominibus, eos, qui accipiunt, reddit.* Hi loquendi modi ad hoc tendunt, vt explicent quantam dignitatem per communionem adeptus ſit homo, vt Deus in eo maneat, fiatque homo per participationem Deus, ac altiſſima quadam ratione filius Dei adoptiuus ſit creatus. Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 4. *Sumpto corpore, & ſanguine Chriſti*, ait, *efficimur ei comparticipes. Sic Chriſtiferi erimus, hoc eſt Chriſtum ferentes, cum eius corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus, vt beatus Petrus dicit* 1. cap. 1. *diuinæ naturæ conſortes efficimur.* Similiter diſſerit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 14.

Rupertus.

Macharius. *Per Euchariſtiam participes ſumus diuinæ naturæ.*

*Quantam homo dignitatem per Communionem habeat.*

D. Cyr. Ier.

D. Cyr. Alex.

286. Loquens de filiis Heli ſacer textus, qui vi rapiebant ab offerentibus carnes, ait: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à ſacrificiis Domini.* 1. Reg. 2. numer. 17. Perpende, quod ait ſacra hiſtoria, *retrahebant homines*: Nonne ſat erat dicere, impediebant offerentes, non ſinebant ſacrificia offerri; ad quid exprimitur, quod *retrahebant homines*? Si enim non à ſacrificio impedirentur, ſi enim victimas ſuas Deo dedicaſſent, ac eorum epulis implerentur, iam non homines, ſed dij dicerentur. Perbellè Diuus Gregorius Papa lib 2. Expoſition. cap. 2. *Et notandum*, ait, *quia qui retrahebantur à ſacrificio, homines dicuntur, quia nimirum ſi in fidei noſtræ vera confeſſione perſiſterent, hos diuinus ſermo, filiorum Dei appellatione ſignaret.*

1. Reg. 2. *Per Euchariſtiam homo Deus per participationem.*

D. Gregor.

287. Hinc hoc aliti pane valde generoſos ſpiritus concipiunt, vt ad altiora filiorum Dei dona euolent. Apparuit Deus Moyſi, eique accedere intercluditur ad viſionis locum abſque eo, quod prius calceos ſuos deponat: *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. num. 4. Compone modo hanc hiſtoriam cum Abraham, qui cum filio ſuo Iſaac pergeret ad ſacrificium, aſcenderetque locum deſtinatum, ſcilicet montem *Moria*, minimè Patriarcha cohibetur; nec ei de calceis detrahendis aliquid mandatur, cum locus ille eſſet valde venerandus, itaut ex proprio nomine appellaretur *Dominus videbit.* Geneſ. 22. num. 14. Si terra illa, in qua Deus Moyſi apparuit, ob Domini præſentiam terra ſancta nuncupatur; etiam ille mons ob eandem Domini præſentiam ſanctus cenſendus eſt, immò multò maiori ſanctitate illuſtris reputandus, in illo enim iuxta D. Hieronymum, Lippomanum, & alios, celebratum eſt ſacratiſſimum mortis Chriſti myſterium. Nec ſat eſt dicere, quod Moyſes egreſſus erat de Ægypto; nam etiam Abrahamus exierat de Vr Chaldæorum. Et tandem Abrahamus degebat per ciuitates, inter reges, & principes; Moyſes autem iam per multos annos relicta Ægypto per montium deſerta incedebat, & in hoc euentu totus abſorptus altiſſima meditatione verſabatur, & ideo, vt exponunt D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſis, Abulenſis, & alij, gregem ſuum ad deſerti interiora deduxit, vt quietius contemplaretur. De qua vita ait Diuus Laurentius Iuſtinianus lib. de vita ſolitaria c. 18. *Tu ſcientiæ ſchola, futuræ vitæ cæleſtis imago.* Et tamen Moyſi aditus intercluditur ad locum ſacrum, in quo de libertate populi erat agendum; & patens relinquitur Abrahamo, vt de redemptione generis humani cum illo ageretur? Verum eſt, quod Moyſes per tot annos per deſerta alta contemplatione in futuræ vitæ cæleſtis imagine degebat. At Abrahamus ſecum ferebat Iſaac Chriſti ſub Sacramento typum. *In figuris præſignatur, cum Iſaac immolatur*; vt canit Eccleſia. Non ergo mirum, quod aditus ad locum ſacrum, vbi alta myſteria erant tractanda, prohibeatur Moyſi, & patens detur Abrahamo.

Exod. 3.

Geneſ. 22.

D. Hieron. Lippoman.

D. Nyſſenus. Abulenſis.

D. Laur. Iuſt. *Ad myſteria percipienda magis adaptatur homo Euchariſtiæ vmbra, quã gloriæ imagine.*



Hic enim vna Altaris Sacramenti vmbra magis ſublimatus, ac dignus inuentus eſt ad ſacra arcana percipienda, quàm Moyſes cæleſtis beatitudinis, ac beatifici ſtatus imagine, ac repræſentatione. Origenes in cap. 22. Geneſ. *Moyſes, cùm veniſſet ad locum*, ait, *quem oſtendit ei Deus, non permittitur aſcendere, ſed ante ei dicitur, ſolue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abrahæ nihil horum dicitur, & Iſaac, ſed aſcendunt, nec calceamenta deponunt. Venit Abraham ad locum, & ædificat altare.*

Origenes.

## Qvæstio XLIV.

### *Quare Chriſtus in homine manet tanquam Sponſus?*

288. Manet *in me, & ego in illo.* Quomodo Chriſtus maneat, eſt inquirendum. Reſpondet Hugo in præſenti. *Sicut ſponſus in thalamo ſponſæ.* Et hoc ipſum reſpondit Chriſtus Dominus Brigittæ eadem interroganti. *Ingredior*, ait, *vt ſponſus.* de Reuelation. B. Brigittæ lib. 4. cap. 62. Intrat Dominus hominis animam, vt ſponſus in thalamum, tanquam in locum ſibi valde gratum, ac iucundum, vt animam multis bonis adimpleat, corroboret in ſancta ſpe, ac ab omni malo, & timore cuſtodiat.

Hugo.

Brigitta. *Delectatur Chriſtus.*

289. Ait Iſaias 58. num. 11. *Requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Iuxta D. Cyrillum, Procopium, vaticinatur Propheta felicem ſtatum Eccleſiæ Catholicæ, & vt dicam ſub præſentia Sacramenti Euchariſtiæ, quo anima habet requiem, & repletur ſplendoribus, ſeu, vt habet Hebraicus, *ſplendore ſplendorum*; auxiliorum, & gratiæ, & oſſa arida liberantur à corruptione perpetua, Qui enim manducat hunc panem, ait Chriſtus, *Ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et erit quaſi hortus irriguus, plenus omnibus donis, & diuitiis cæleſtibus. De quibus omnibus hucuſque multa dixi.

Iſaiæ 58.

D. Cyrill. Procopius.

Hebræus. *Multa felicitates, & dona ab Euchariſtia.*

290. Hoc diuinum Sacramentum munit, ac corroborat animam in ſpe; ac expectatione ſua. *Conueſcens præcepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Actor. 1. num. 4. Cibum, quo Dominus hic vſus eſt, ſacram eſſe Euchariſtiam, multorum Patrum eſt ſententia apud Lorinum. Ad quid, quando eos mandat expectare, præbet ſui corporis communionem? Vt de ſpe eſſent certi, non ſat erat Dei verbum; ad quid ipſa communio? Illa enim maximè erant confirmandi, ac corroborandi in ſpe, ac expectatione. D. Vincentius Ferreira ſerm. 2. de Epiphania. *Tota ſpes Chriſtiana conſiſtit in victu: quia victus ſacræ Euchariſtiæ eſt radix ſpei noſtræ.* Et Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Epiſtol. 1. *Exere*, ait, *palatum fidei, dilata fauces ſpei, viſcera charitatis extende, & ſume panem vitæ, interioriſque hominis alimentum.*

Actor. 1. *Euchariſtia corroborat ſpes noſtras.*

D. Vinc Fer.

Fulber. Car.

291. Mortua Rachel, quæ typum gerebat Eccleſiæ, ſepelitur Bethlehem Gen. 35. num. 19. quæ Dominus panis interpretatur. Cur non potius illius monumentum datur apud Caluarium montem, ſiue apud illius hortum, vbi Dominus eſt ſepultus; valde enim congruum videbatur, vt & ibi Eccleſiæ eius Sponſæ ſepultura deſignaretur? Quid plus præſtare potuit Eccleſiæ ſepultæ Domus panis, quàm Chriſti monumentum? In horto ſepulchri Chriſtus ſemel reſumpſit vitam, cum glorioſus reſurrexit. At in domo panis, quæ eſt Euchariſtia, quotidie reuiuiſcit, ac reproducitur, nouoque ſe multiplicat exortu & maiorem ſpem vitæ in ſuis filiis concepit Eccleſia à Domo panis Chriſti, vbi quotidie nouo exortu multiplicatur, quàm à ſepulchri horto, in quo ſemel reuixit, ac reſurrexit. D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *Rachel figuram*, ait, *gerens Eccleſiæ, ibidem ſepulta legitur, vt in eodem loco plena requies eius ſignetur, vbi Chriſtus panis viuus, qui de cælo deſcendit, quotidie exortu nouo ſine defectu verſatur.*

Geneſ. 35.

*Ab Euchariſtia ſpem vitæ filiorum habet Eccleſia.*

292. Cùm Iſrael eſſet valde oppreſſus ſub Madian, Angelus Domini ſedit ſub quercu, & apparuit Gedeoni, eique denunciauit, quod ipſe liberaturus erat Iſrael de manu Madian. Iudic. 6. num. 11. Qui conſurgens cum decem viris ſuccendit aram Baal, lucumque eius. Dixitque Gedeon ad Deum: *Si ſaluum facis per manum meam Iſrael, ponam hoc vellus lanæ in area, ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam, quod per manum meam liberabis Iſrael.* Ibidem num. 36. Cur, vt rore vellus impleatur in victoriæ ſignum, eligit aream, & non potius quercum, vel locum iuxta illam, in quo Angelus ei apparuit, felicia nuncia accepit, & ipſe ſacrificium obtulit. Semper antiqui in multa veneratione habuerunt loca, in quibus diuinas reuelationes acceperunt. Et quercus valde auſpicata Iudæis: ſub illa Abrahamus Angelos excepit. Geneſ. 18. num. 1. Deinde arbor illa Chriſti Crucem, ac Paſſionem adumbrabat, vt docent D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto in procœmio, D. Iſidorus, Carthuſianus, Hugo, Ioannes Freire ad citatum locum; & Peneda lib. 2. de Salomone cap. 10. num. 6. Et tamen non iuxta quercum Gedeon ponit vellus, vt rore cæli impinguatur, ſed in area vbi frumentum Chriſti ſub Sacramento Altaris præfigurabatur Maiorem, ac validiorem ſpem concepit Gedeon ad excipiendum cæleſtem beneficentiam, ac rorem præſentia areæ panis Chriſti conſecrati in Sacramento, quàm præſentia mortis, & crucis ipſius Crucifixi. D. Auguſtinus ſerm. 108. de Tempore. *Nec otioſè*, ait, *Gedeon vellus, nec in campo poſuit, nec in prato, ſed poſuit in area, vbi meſſis eſt tritici* ſcilicet cæleſtis panis.

Iudic. 6.

Geneſ. 18. D. Ambroſ. D. Iſidor. Carthuſ. Hugo. Freire. Peneda. *Sub Euchariſtia vmbra ſpes noſtra valde ſecura.*

293. Tandem Chriſtus in anima tanquam Sponſus timorem excutit, ſecuritatem præſtat: Magna conſideratione perpende mecum. Quotieſcumque apparuerunt Angeli ſanctis Patribus timore percuſſis, ſtatim in exordio ſermonis ab eorum cordibus timorem excutiebant. Sic dixit Angelus Abrahamo: *Noli timere, Abraham.* Geneſ. 15. num. 1. Sicque dixit Iacob: *Noli timere deſcendere in Ægyptum.* Geneſ. 46. num. 3. Sic & Ioſue 1. n. 9. *Noli timere.* Et Gedeoni: *Pax tecum, ne timeas.* Iudic. 6 num. 23. Zachariæque dicitur, *Ne timeas*: Luc. 1. num. 15. Et D. Ioſeph. *Ioſeph fili Dauid, noli timere.* Matth. 1. num. 20. Et quod magis eſt; mittitur Gabriel Angelus ad Virginem Mariam, cui valde peculiariter ſuper omnes alias puras creaturas tota Trinitas aderat; & tamen altitudine myſterij, dixit ei Angelus, *Ne timeas, Maria.* Luc. 1. num. 30. Cum autem Elias totus magno timore perterritus fugeret à facie Iezabel, fatigatus ſub vmbra iuniperi dormiuit: apparet ei Angelus

Geneſ. 15. Geneſ. 46. Ioſue 1. Iudic. 6. Luc. 1. Matth. 1.

Luc. 1.

gelus proferens panem, & aquam, biſque eum excitat, aitque illi: *Surge, comede.* 3.Reg.19.num.5. (93 Reg. 1.) Et tamen Angelus de ſuo more ab eo timorem non explodit, cum tamen Elias tanto timore teneretur. *Timuit Elias, & fugit.* Cur ergo non ait ei Angelus, ne timeas Elia, vt erga alios, & præclariſſimos viros vidimus factum? Proferebat Angelus Eliæ panem, ſacræ Euchariſtiæ typum, vt iam ex ſanctis Patribus notaui, per quam Deus nos miro modo defendit, ac munit; & ideo ſuperuacaneum dicere iudicauit Angelus, noli timere: ſibi perſuadens, plus roboris, fortitudinis, ac ſecuritatis illi vmbram ſacræ Euchariſtiæ præſtare, quàm aliam quamlibet ſupremi numinis protectionem. Cum enim Deus in Euchariſtia altiſſimo modo adſit, magis per eam, quàm per quodcumque aliud opus nos munit, & corroborat; & ideo ad tantum munimen, ab vmbra Euchariſtiæ collatum, innuendum, & manifeſtandum, Angelus de ſuo more non dixit Eliæ, noli timere D. Gregorius Magnus homil. 14. in Ezechielem. *Apparet*, ait, *fugienti Angelus, cibum præbet: & tamen de corde timorem non excutit: quia in corde Prophetæ, mentis magna erat cuſtodia fortitudinis.* Expende, cibum præbet, timorem non excutit; cum nempe talem cibum exhiberet. Vide ſupra num.97.98. & 99. & num.275.

*Euchariſtia nos plus, quā aliud Dei opus corroborat, & munit.*

*D.Gregor.*

*Ioan.6.n.58.* Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.

### *VERSIONES.*

*D.Hilarius de Trinitate.* Et ego viuo per Patrem, ſeu à Patre.

*Marc. Victor. l.1.aduerſus Arium.* Et ego viuo per ipſum.

*Arias.* Et manducans me ipſe viuet quoque propter me.

*Euthym.Vatab.* Et qui manducat me, ipſe viuet quoque propter me.

## *EXPOSITIO XIII.*

294. *Senſus totius ſententiæ.*

ALTISSIMA comparatione Chriſtus Dominus explicat, quomodo per ſui corporis, & ſanguinis communionem hominibus vitam largiatur. Totius huius perdifficilis ſententiæ ſenſum explico. *Sicut miſit me viuens Pater*; quemadmodum Pater meus, qui eſt fons vitæ, & vita per eſſentiam, miſit me è cælo in terram hominem efficiens: miſſio Incarnationis myſterium denotat. *Et ego viuo propter Patrem.* Et ego homo factus vitam habeo à Patre, vitam, inquam, non ſolùm humanam, ſed etiam diuinam ex conſortio Diuinitatis, cui mea humanitas hypoſtaticè eſt vnita, & ſemper illi coniuncta manet; Ita etiam *qui manducat me.* Pariter etiam, qui manducat me, qui ſum fons vitæ, ac vita per eſſentiam, vtpote verus filius Dei, *viuet propter me*; propter coniunctionem participatione mei corporis, & ſanguinis mecum factam; viuet non ſolùm ſpiritualiter, & per gratiam, ſed etiam æternaliter, non tantùm anima beata, verum etiam corpore beatifico, *Ego enim reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Illa particula *Propter Patrem* aliqui interpretari volunt per Patrem, vel à Patre; idem tamen eſt ſenſus. *Viuo propter Patrem*, id eſt propter coniunctionem, quam habeo cum Patre ratione Diuinitatis meæ perſonæ, cui mea humanitas eſt vnita.

---

## QVÆSTIO XLV.

### *Pro maiori explicatione textus multa reſoluuntur.*

295. *Connexio in textu.*

QVÆRO Primò: Quare Chriſtus Dominus hanc præſentem ſententiam hic protulit? Dixerat Dominus de ſe ſupra: *Ego ſum panis vitæ: Ego ſum panis viuus: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Iterum: *Caro mea verè eſt cibus; Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo*: nunc hanc ſententiam connectit: *Sicut miſit me viuens Pater.* Veluti in ſumma reddens rationem ſuperiorum omnium. Sicut enim Pater filio ſuo miſſo in mundum vitam communicat, itaut filius factus homo viuat propter vnionem, quam habet cum Patre: ſic Chriſtiano, eum dignè ſumenti, vitam communicat, itaut ipſe homo propter vnionem, quam habet cum Chriſto, viuat vita æterna, ac vita ſuperioris ordinis; ipſeque maneat in Chriſto, & Chriſtus in ipſo, illiuſque cibus, & potus ſit. Vnde ait D. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 1. Sacerdotem *In Deitatis conſortium tranſire.* Et cap.3. Dignè communicantes *Per vitæ ſyncerǽ, ac diuinæ ſimilitudinem Chriſto compaginari.*

*Euchariſtia euehit in Deitatis cōſortium.*

*D. Dionyſ.*

296. Secundò quæro: An hic vna, vel duplex ſit comparatio? D.Chryſoſtomus, Leontius, Euthymius, Theophylactus, Maldonatus, Lucas Burgenſis putant, hic fieri duas comparationes. Vnam in prioribus verbis: *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* Alteram in poſterioribus *Qui manducat me, viuet propter me.* At D. Auguſtinus, D. Cyrillus, Beda, quod & magis probat Ambroſius lib.4.de fide.cap.5. & ſequitur Toletus vnam tantum eſſe hic comparationem dicunt. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Et hoc mihi veriſimilius, vt ſit ſenſus: Sicut Pater, qui eſt vita per eſſentiam, miſit me filium ſuum fieri hominem; & ego homo factus vitam habeo à Patre propter vnionem cum ipſo in Diuinitate: Ita qui me manducat, propter vnionem, qua in me manet, & ego in eo, ſuſcitabitur, & viuet propter me.

*D. Chryſoſt. Leontius. Euthym. Theophyl. Burgenſis.*

*D.Auguſt. D. Cyrillus. Beda. D. Ambroſ. Toletus. Vna tantum comparatio.*

297. *An Chriſtus loquatur de ſe hic, vt Deus, an vt homo.*

Tertiò quæro: An Chriſtus loquatur hic de ſe, vt homo tantum, an etiam vt Deus? D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 18. D. Hilarius de Trinitat. D. Chryſoſtomus homil. 46. Euthymius, Theophylactus, verba etiam de Chriſto vt filio Dei eſſe exponenda, aſtruunt. Vnde ad argumentum Arij, qui maximè ad defenſionem ſui erroris hoc loco vtebatur. Reſpondent citati Patres, dici filium viuere propter Patrem, non quod accipiat denuò vitam, quam antea non poſſidebat, nec quod aliam diſtinctam vitam habeat ab ea, qua Pater viuit. Sed ſicut à Patre per æternam generationem eandem habet eſſentiam cum illo, ita & vitam; ſicut enim in Patre, & Filio vna eſt eſſentia ita & vita. Illud autem *Propter* non ſignificat finem, ſed principium, à quo communicatur vita, ſeu per quod, vt explicat D. Hilarius, filius viuit.

*D. Cyrillus. D. Hilar. D. Chryſoſt. Euthym. Theophyl.*



298. Hanc reſponſionem, quantum ad doctrinam approbant D. Ambroſius citato lib.4.de fide cap.5. D. Auguſtinus tract. 26. in Ioan. Dicunt tamen, non eſſe ad mentem Euangeliſtæ, quia loquitur de Chriſto, vt homine. Quod conſtanter docet D. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, & in Apologia de ſua diſceſſione, Marius Victorinus lib.1. contra Arium, S.Thomas, & alij. Et hæc ſententia mihi maximè probatur, quia Chriſtus loquitur de ſe, vt miſſo à Patre: *Miſit me viuens Pater:* Miſſio autem myſterium Incarnationis, ac Chriſtum hominem factum oſtentat.

*D.Ambroſ. D.Auguſt.*

*D.Baſil. Mar. Vict. S. Thom.*

299. *Gradus, per quos ad nos vita deſcendit.*

Quartò quæro: Per quos gradus vita ad nos deſcendat? Reſpondetur. Quod primus gradus eſt Pater, qui filio vitam communicat, ſecundus filius factus homo, qui eſt tanquam cauſa media, & velut fons, per quem vita in nos diffunditur. Tertius eſt vita, ſeu communicatio gratiæ, & gloriæ, quam nos à filio haurimus. Deus Pater totius vitæ ſcaturigo, cum à nobis diſtet; Chriſtus quaſi medius ſtatuitur, per quem ad nos vita deſcendat. Sic docent Lucas Burgenſis, Cornelius à Lapide.

*Burgenſis. Cornel.*

---

## QVÆSTIO XLVI.

### *Quare Chriſtus Dominus alia myſteria per res humanas explicat; Euchariſtiæ verò Sacramentum per ſuam æternam vitam à Patre communicatam?*

300. *Ratio difficultatis.*

CVM Chriſtus Dominus ageret de ſua crucifixione, ac eleuatione in Cruce, per ſerpentem Moyſis æneum explanat: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ioan.3.num.14. Cum de ſua ſepultura tractat, Ionæ hiſtoriam in medium producit: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Matth. 12.n.40. Et etiā per templi ſolutionem. *Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Ioan. 2. num. 19. At verò cum ad Euchariſtiæ myſterium explanandum deuenitur, iuxta Chryſoſtomum, Hilarium, ac alios Patres relatos ſuperiori quæſt. ſuam æternam generationem, ac communicationem eſſentiæ, & vitæ à Patre commemorat. Vt ex ſublimitate comparationis, ſublimitatem myſterij deprehendamus.

*Ioan. 3.*

*Matth. 12.*

*Ioan. 2. Euchariſtiæ myſteriū cæteris ſublimius.*

301. Cum Abrahamus euaginato gladio extenderet manum, vt filium percuteret, ac ſacrificaret, cohibetur ab Angelo clamante; ne faceret illam rem. *Leuauitque oculos Abraham; viditque poſt tergum arietem inter vepres, cornibus hærentem, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Geneſ.23. n.13. *Inter vepres* interpretatur Aquila apud D. Hieronymum in quæſtionib. Hebraicis, *Inter condenſa, & implexa virgulta.* Et Symmachus, *inter rete*: Maximè tamen ponderandum, quod Abrahamus in montis cacumine aderat: & qui eſt in vertice montis, vt videat, quæ circa illum fiunt, oculos non ſubleuat, ſed potius demittit. Quomodo ergo dicitur: *Leuauit oculos Abraham, & vidit arietem?* Extabat Abrahamus totus defixis ac intentis oculis in ſacrificium Iſaac, in quo ſacrificium Chriſti Ieſu in Cruce exprimebatur. At verò Agnus *inter vepres*, ſeu, *condenſa, & implexa virgulta*, ſeu *rete*, Chriſtum Dominum inter ſpecies ſacramentales denotabat. Et ad tantum Sacramentum videndum leuauit oculos: quamuis enim ipſe adſtaret ad præſentiam vmbræ mortis, & paſſionis Chriſti; tamen vt ipſum inter condenſas ſpecies ſacramentales in figura contempletur, neceſſe eſt, vt tanquam ad quid ſublimius, & excellentius ſurſum aſcendat, oculos eleuet, ac mentem erigat, vt tanti myſterij apicem aliquantum pertingat.

*Geneſ. 23. Aquila. Hebræus. Symmach.*

*Myſterium Euchariſtiæ ſublimius myſterio paſſionis.*



302. Cum Iſaac benedictienem vellet impendere filio ſuo, ait illi, vt ſumptis armis tendat in venationem, vt ex apprehenſis faciat ei pulmentum, quo hauſto ei benedictionem conferat. Quod cum feciſſet Iacob, attuliſſetque duos hœdos, quos dedit matri, vt illa pararet cibum. Quo præparato, Rebecca filio ſuo Iacob *dedit pulmentum, & panes, quos coxerat.* Geneſ.27. num.17. Hic tamen magnum dubium inſurgit ex verbis D. Ambroſij, & D. Gregorij apud Lippomanum aſtruentium, quod Iſaac ſpiritu prophetico præuidens Chriſti mortem poſtulauit duos hœdos: ſic ait D. Ambroſius. *Iſaac ſpiritu prophetico futura præuidens.* Idem habent D. Gregorius homil. 1. in Ezechiel. Damianus. lib. ad Leonem Epiſcopum. cap. 5. Et ait Ambroſius. *Cibum nullum credidit, dulciorem eſſe, quàm Chriſtum, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt.* At verò Rebecca præter poſtulatum dedit panes. De quo ait D. Hieronymus apud eundem Lippomanum. *Rebecca plena Spiritu ſancto, magis autem formam Spiritus ſancti deferens.* Panis ille typum gerebat Chriſti in Sacramento. Quænam ratio ſanctis Patribus extitit, vt tam mirabile aſſertum protulerint, vt dicant, quod Iſaac in illo cibo conſiderauerit Chriſti mortem ſpiritu prophetico, qui eſt vnum tantum ex Spiritus ſancti donis. At verò Rebecca in pane reſpiciens Chriſtum ſub Sacramento, plena dicitur Spiritu ſancto, qui modus loquendi omnia illius ſeptem dona importat? Iſaac ſufficit ſpiritus Prophetiæ; Rebeccæ verò ſeptem dona requiruntur. Iſaac præuidebat Chriſti mortem: & quamuis mirabile opus, ad illius conſiderationem ſat erat ſpiritus Prophetiæ, vnumque Spiritus ſancti donum. At Rebeccam, cum ferretur mente ad Chriſti panem, neceſſe erat, tanquam ad quid ſublimius, & excellentius, mente eleuari, non vno ſpiritu, ſed omnibus ſpiritibus, omnibuſque donis. Cum enim in hoc Sacramento omnia, quæ Dei ſunt, dentur, etiam ad illius conſiderationem omnia deſiderantur.

*Geneſ. 27. D.Ambroſ. D.Gregor.*

*Damian.*

*D.Hieron.*

*Altior cognitio ad Euchariſtia, quā ad paſſionis myſterium.*

303. Cum Daniel per ſex dies detineretur in lacu leonum, Angelus Domini ex Iudæa aſportauit quendam prophetam cum prandio, ac panibus. Quod cum ante Danielem apponeret, ipſe in magnas gratiarum actiones prorumpit: *Recordatus es mei Deus: & non dereliquiſti diligentes te.* Daniel.14 n.37. Per ſex dies detinetur Propheta illæſus inter fame tabeſcentes leones; & tamen non legitur perſoluiſſe gratias, quas pro pane, & prandio appoſito exhiber: cum tamen primum maius

*Daniel. 14.*

eſſet donum magiſque illo eniteret diuina potentia, quàm in hoc ſecundo, ſiquidem panes illi induſtria humana miniſtrari poterant; ora autem eonum concludere, ſolum Dei potentia præſtare valebat: & tamen pro hoc gratias perſoluit, & non pro obſtrictis leonibus. In eo, quod Daniel Dei virtute eſſet liberatus à leonibus præfigurabatur noſtræ redemptionis myſterium, in quo Chriſtus Dominus diuina virtute nos eripuit à eone dæmoniaco, qui circuit quærens, quem deuoret. In pane verò Chriſtus Dominus ſub ſacramentalibus ſpeciebus Prophetæ repræſentabatur. Ingentes ergo gratias refert potius pro pane exhibito, iquàm pro ore leonũ alligato; magis ſe veluti obſtrictum recognoſcens vmbræ Chriſti ſub Sacramento, quàm ipſiuſmet Domini figuræ in ara Crucis pendentis. Multum ſuper omnem modum omnes aſtringimur noſtræ redemptionis myſterio. At Chriſtus in conuiuio maximè animas noſtras ad ſe allicit, ac tradit. Vide ſupra. numer. 200.

*Propheta potius gratificatur Euchariſtiam, quam Crucis myſterium.*

## QVÆSTIO XLVII.

### *Quare Chriſtus hic facit mentionem de ſuo Patre viuente?*

304. *Chriſtus gloriatur de vita, quam nobis præbet.*

IN limine huius quæſtionis notandum. Ait Chriſtus: *Ego viuo propter Patrem. Qui manducat me, viuet propter me.* Facit mentionem de vita, quam ei Pater communicat, ac de ea, quam nobis in Sacramento largitur: acſi, vt ita dicam, tam grata, & periucunda ei ſit vita, quæ ipſi communicatur, ac ea, quam nobis concedit. *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis.* Ioan. 17. n. 22. Commemorat tum claritatem, ſeu vitam ſibi datam, tum ab eo nobis exhibitam, vtpote vtraque ei in magno pretio, ac æſtimatione. Ad noſtram quæſtionem.

Ioan. 17.

305. Rationem litteralem huius rei dedi in Expoſitione. Nunc moraliter quæro. Quando Chriſtus Dominus agit de ſuo corpore, & ſanguine ſub ſacramentalibus ſpeciebus, particulariter mentionem facit de ſuo Patre viuente. Dicebat Chriſtus Dominus Ioan. 8. num. 50. *Ego non quæro gloriam meam, eſt, qui quærat, & iudicet.* Ait ergo Chriſtus Dominus, quod Pater ſuus ſit viuus, vt obſequia exhibita ſuo corpori, ac ſanguini ſacramentato remuneret; ſacrilegia, ac irreuerentias contra ipſum productas puniat.

Ioan. 8. *Obſequia exhibita Euchariſtiæ, remunerantur, ſacrilegia puniuntur.*

306. Exploratores miſſi à Moyſe in terram Promiſſionis, venientes ad torrentem botri *abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in veſte duo viri.* Num. 13. num. 24. Botrum hunc ad Chriſtum Dominum, duoſque portantes ad duos populos, Iudæum ſcilicet, & Chriſtianum referunt D. Auguſtinus ſerm. 100. de Tempore, S. Ambroſius ſerm. 72. de S. Cypriano, S. Hieronymus ad Fabiol. man. 15. S. Proſper part. 3. Prædic. cap. 9. Rupertus lib. 1. Numer. cap. 37. D. Bernardus ſerm. 44. in Cantica. Dicuntque, per priorem Antecedentem denotari populum Hebræum, qui prior à Deo eſt vocatus; per ſubſequentem verò congregationem ex gentibus præfigurari. Tamen in duobus populis valde diſpar extitit conditio: nam antiquus populus repudiatus, ac deiectus eſt; at Eccleſia ex gentibus congregata, maximè dilecta, exaltata, ac ſublimata eſt. Sed quæ Hebræis tanti mali occaſio; quæ verò Chriſtianis tantæ felicitatis? Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædago. initio cap. 2. exiſtimat, Chriſtum Dominum ſub ſacramentalibus ſpeciebus adumbrari in illo botro. Qui prior antecedebat botrum portans in vecte, illi terga, tanquam contemnens, vertebat; qui verò ſubſequebatur, vultum, ac oculos, tanquam venerans, in Sacramentum ferebat: & qui hoc magnum myſterium contemnit, irreuerenter tractans, à Deo repudiatur, & magno ſupplicio punitur; qui autem reuerenter adorat, magnis donis à Solis ortu vſque ad occaſum ſublimatur, ac exaltatur. Audiamus D. Auguſtinum. *Poſſunt iſti duo populum Iudaicum, & Chriſtiannm figurare. Salutem ſuam hic ante conſpectum ſuum gerit; ille poſt dorſum: hic obſequium præfert; ille contemptum: ideo de Iudæis Propheta teſtatur, obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Chriſtianus ergo præſenti munere fruitur. Iudæus ſolo onere prægrauatur; quia Chriſtus ſicut credenti ſalus, ita onus eſt non credenti.*

Numer. 13. D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Hieron. D. Proſper. Rupertus. D. Bernard. Clem. Alex. *Contemptus in Euchariſtiam punitur; cultus remuneratur.* D. Auguſt.

307. Ait Paulus, de Hebræis in deſerto loquens, *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto.* 1. Corinth. 10. num. 3. Quare comedentes Manna, & illum potum bibentes proſternuntur in deſerto, cum tamen cibo illo multi vitam obtinuerint, ac conſeruauerint. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum.* Sap. 16. num. 20. Præfigurabatur ibi diuinum Euchariſtiæ Sacramentum: *Hæc autem in figura contingebant illis.* Qui enim Dei beneficia reuerenter, ac gratificantes accipiebant, vita, ac multis donis afficiebantur; qui verò irreuerenter contemnebant, ac parui faciebant, proſternebantur. D. Chryſoſtomus. *Qemadmodum,* ait, *tu corpus Dominicum manducas, ita & illi Manna manducarunt: & ſicut tu ſanguinem bibis, ita illi aquam de petra biberunt.* Et poſt pauca ſubdit. *Atqui quum eos tanto honore dignaretur; nihil tamen eis id profuit, ſed plures perierunt, ſiquidem neque ipſi vllum præ ſe tulerunt dilectionis argumentum.* Vide infra quæſt. 51.

1. Corinth. 10. Sapient. 16. D. Chryſoſt.

## QVÆSTIO XLVIII.

### *Quare dicitur, quod homo viuat propter Chriſtum?*

DE ſenſu litterali tractaui in Expoſitione: Moralem quæro. De manducante, ac bibente corpus, & ſanguinem Domini dicitur, quod viuat propter Chriſtum, propter vnionem, ac coniunctionem, quam habet cum Chriſto, vt conſideratione inhabitantis in ſe Chriſti homo à terrenis ſegregatus, ac totus in Deum eleuatus viuat, actioneſque ſuas dirigat, & componat. 308.

*Homo conſideret donũ, quod accipit in Euchariſtia.*

Cum Elias fugeret Iezabel, & dormiret ſub vmbra iuniperi, ab Angelo excitatus comedit ſubcinericium panem, *& ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. numer. 8. Panis ille vmbra ſacræ Euchariſtiæ, vt ſæpè ex Patribus dixi. Sed ex hoc magna mihi oritur difficultas: Si magnus Parens Elias tanto 309.

3. Reg. 19.



tanto pane ſe communitum, ac corroboratum ſentit, cur ſe non dat in conſpectum Achab, vel Iezabel, vt eorum nequitiam arguat, ac malitiam refrænet? Cur deſertum, ac ſolitudinem petit? Alto numine omnia diſponebantur, vt in receſſu illo magnitudinem myſterij profunda meditatione, ac contemplatione recogitaret, excellentiam doni conſideraret, proque tanto beneficio gratias perſolueret.

*Poſt communionem à tumultu recedendum.*

310. *Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt, regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longe; cor tuum meditabitur timorem.* Iſai. 33. n. 16. Quod ſuprà cum D. Iuſtino, ac aliis Patribus de Euchariſtia interpretari, iam dixi. Sic nunc explico de Chriſtiano Chriſtum in Sacramento communicante. *Panis ei datus eſt*, ſcilicet diuinus, ac cœleſtis. *Aquæ eius fideles*, nempe dona promiſſa. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hæ enim promiſſiones ſunt veriſſimæ, & infallibiles. *Cernent terram de longe.* Sermo eſt de homine viatore in hoc ſæculo. Cum ergo ipſe conſtitutus ſit in terra, quomodo fieri poteſt, quod oculi eius cernant terram de longe? Qui hoc diuino pane paſcitur, ſic degat in terra, vt tamen corde, & affectu longe ſit à terra, terreniſque rebus. D. Thomas. *Quaſi longe,* ait, *ſupra dignitatem naturæ, vel idoneitatem multorum, nunc in ſpe, & ſic ſe tenet cum terra.* Tunc ſequitur: *Cor meditabitur timorem*, vt explicat S. Thomas, *filialem*, ſcilicet, ac reuerentialem tam perexcelſi myſterij, ac doni.

Iſai. 33. D. Iuſtin. *Qui Chriſti pane paſcitur, cor à terra ſeparatum habent.* D. Thom.

311. *Matribus ſuis dixerunt: vbi eſt triticum, & vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis.* Threnor. 2. num. 12. Per hunc panem, & vinum, quod tam auidè cupiebant, Sacramentum Altaris interpretatur Paſchaſius mox citandus. Sed quomodo cum deſiderio diuini pabuli, quod vitam dat, & communicat, iſti miſerè pereunt? fructu cœleſtis panis non gaudent, *cum deficerent quaſi vulnerati in plateis.* Eius deſiderio tenebantur in plateis, inter mundi negotia, inter humanas, ac prophanas conuerſationes *in ſinu matrum ſuarum*, inter eius ſæculi blanditias, ac delicias; & ibi cœleſtis conuiuij fructus non capitur, nec inuenitur. D. Paſchaſius ibi lib. 2. ſuprà alia conſideratione iam datus. *Hoc vinum,* ait, *& hunc panem à matribus exquirunt, ſed quia in plateis non inueniuntur, exhalant animas ſuas in ſinu matrum.*

Threnor. 2. *Cœleſtis conuiuij fructus non obtinetur inter mundanas cõuerſationes.* D. Paſchaſ.

*Ioan. 6. n. 59.* Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit: Non ſicut manducauerunt patres veſtri Manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Hic eſt panis ille, qui deſcendit de cælo: non ſicut illud comederunt patres veſtri.

*Græcus.* Hic eſt panis de cælo delapſus.



*Vatablus.* Qui edit hunc panem, viuet in æternum.

*Arias.* Manducans hunc panem.

### *EXPOSITIO XIV.*

CVM Chriſtus Dominus in hoc ſuo conuiuio maximè magnificentiam, ac liberalitatem ſuam oſtentet, pereximiè illius prouentus nobis aperit, & declarat, vt ad illius fructum percipiẽdum nos excitet, atque moueat. Et Chriſtus tanquam in compendio, quæ ſuprà dixerat verſ. 31. 32. & 33. hic repetit. *Hic eſt panis*, ſe ipſum intelligit. Quomodo autem Chriſtus dicatur panis? latè explicaui ſuprà q. 12. & 13. *Qui de cælo deſcendit*, non à cælo aëreo, vt Manna, ſed è ſupremo cælo; immò è ſinu Patris. Vide ſuprà dicta expoſitione 4. Sed quomodo dicitur, vt ait Ambroſius lib. 6. de Sacrament. cap. 1. quod hic panis de cælo deſcenderit; ſiquidem caro Chriſti panis eſt, qui minimè de cælo deſcendit? Reſpondet. *Quia idem Dominus noſter conſors eſt & diuinitatis, & corporis.* Ratione ergo ſuppoſiti diuini panis de cælo deſcendiſſe dicitur; humanitatis enim, & verbi ſuppoſitum vnicum eſt. Nota, quod dicitur panis in ſingulari, cum tamen figuræ fuerint panes in plurali: *Ego pluam vobis panes.* Exod. 16. n. 4. Panes propoſitionis. Exod. 23. num. 30. Ad explicandas excellentias, fructus, ac vbertates huius magni ſacramenti, multi panes, ac figuræ introducuntur, ac proponuntur. 312.

*Senſus litteræ.* D. Ambroſ. Exod. 16. Exod. 23.

*Non ſicut manducauerunt patres veſtri.* Hoc iam dixerat Dominus ſuprà verſ. 49. 50. & 51. Vide ſuprà expoſit. 9. Cum auditorum aures eſſent obduratæ, repetenda fuit doctrina, vt in eorum cordibus altius inſinuaretur. Hic panis, ait Chriſtus, qui de cælo deſcendit, non quale, Manna erat; nam Manna æternam vitam tribuere patribus veſtris manducantibus minimè potuit. In quo autem Manna extitit figura panis Chriſti, iam ſuprà enucleaui q. 7. & 8. ac 9. Quanta verò excellentia ſit panis Chriſti ſuprà Manna, vide q. 10. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, anima ſcilicet, & corpore. Vide ſuprà citatum locum. 313.

*Sæpè ob auditorum duritiem dicta repetenda.*

## QVÆSTIO XLIX.

### *Quare Chriſtus in Euchariſtia dicitur panis, cum hic nulla ſit ſubſtantia panis?*

MAXIME decepti ſunt hæretici, aſſerentes, in Sacramento Altaris eſſe ſubſtantiam panis, quia poſt conſecrationem adhuc panis dicitur. Nullam in eo eſſe ſubſtantiam panis, docet fides, vt decernit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 2. & Theologi cum D. Thomà 3. part. quæſt. 75. art. 1. & 2. ac quæſt. 77. art. 1. Ibi Caietanus; noſter Corneio, Suarius, Ægidius Louanienſis, Vaſquez, Cardinalis Lugo; qui Patres, per omnes ætates idem aſtruentes, referunt. Cur autem Chriſtus in Sacramento panis dicatur, ſuprà dixi quæſt. 12. & 13. Nunc propius ad quæſtionem, accedendo reſpondetur. 314.

Trident. D. Thom. Caiet. Corneio. Suarius. Vaſquez. Ægid. Lugo. D. Auguſt.

315. D. Auguſt. Primò. D. Auguſtinus Epiſt. 23. ad Bonifacium. *Species*, ait, *ipſæ panes, dicuntur etiam panis, vt continens pro contento accipiatur, vt ſolet fieri ſæpe in locutionibus communibus.* Species conſecratæ nomen accipiunt à ſuo contento, quod ante conſecrationem habuerunt; & hac de cauſa panis, & vinum dicuntur. D. Iſid. Pel. Secundò D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 306. *Panis Domini*, ait, *appellatus eſt, ipſemet ſibi hocnomen imponit, ſi ſenſum, qui prima fronte ſe offert, ſpectes; quia ſalutaris* (id eſt æternæ vitæ) *cibus omnibus extitit.* Cum enim Chriſti caro omnibus hominibus extitiſſet vitalis, ac ſalutaris cibus in Sacramento; inde nomen panis ſortita eſt. *Phraſis hebræa, quod nutrit, panis dicitur.* Phraſis hebræa, quod nutrit, panis dicitur, quamuis ſubſtantia panis non ſit. Pſalm. 77. Sic Pſalm. 77. num. 24. *Panem cæli dedit eis; Panem Angelorum manducauit homo.* Exod. 16. Exod. 16. *Ego pluam vobis panes de cælo.* Et tamen Manna panis ſubſtantia non erat. Eccleſ. 15. Eccleſiaſti. 15. numer. 3. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.* Itaque ab optimo animæ nutrimento Caro Chriſti panis dicitur.

316. Tolet. Tertiò. Toletus annot. 31. ait, quod ſcriptura ſolet rem appellare ex nomine eius, quod exterius apparet, quamuis verè talis ſubſtantia non ſit. Geneſ. 18. Geneſ. 18. numer. 1. Tres viri apparuiſſe dicuntur, cum eſſent tamen Angeli. Tobiæ 12. Tobiæ 12. numer. 1. Dictus vir Raphael. Actor. 1. Et Actor. 1. numer. 10. *Aſtiterunt duo viri.* *Ab externa apparentia nomen.* Speciem viri exhibebant, ſed re vera Angeli erant. Cum ergo Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis exiſtat, quæ panis ſpecies noſtris oculis obiiciuntur, panis dicitur, quamuis re vera panis ſubſtantia non ſit.

317. *Nomen ſumitur à re conuerſa.* Quartò. Scripturæ conſuetudo eſt, vt res conuerſa in aliam, à priori vocabulo nomen ſortiatur; non quod eadem res maneat, ſed vt rem, in quam eſt conuerſa, ex illius conuerſione factam eſſe, ſignificetur. Exod. 7. Sic dicitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Exod. 7. num. 12. iam enim virga non erat, ſed ſerpens: non virgæ, ſed ſerpentes habent os, quo alia deuorare poſſint. Eſt Metonymia. Res frequenter appellantur ex eo, quod fuerunt, ſiue ex nomine rei, ex qua ſunt conuerſæ. Philo. D Ambroſ. D. Auguſt. Caiet. Cornel. Philo lib. de vita Moyſis. S. Ambroſius lib. 3. Officior. cap. 14. D. Auguſtinus, Caietanus, Cornelius, & alij.

318. *In honore ne obliuiſcaris antiqui ſtatus.* Ex quo magnum accipe documentum. Panis non eſt, ſed tantum poſt conſecrationem ſpecies panis ſunt. Attamen huiuſmodi accidentia, cum in tantam nobilitatem euecta ſint, vt carni, ac corpori Chriſti copulata extent, tamen in obliuionem non abeunt ſuæ antiquæ conditionis, quod panis fuerant, paniſque dicebantur. Sic & Aaronis virga, de qua proximè dixi, cum vitæ, ac ſpiritus modò nobilitate fruatur, vt ſerpens ſapientiæ ſymbolum exiſtat, non tamen antiquum ſuum ſtatum omninò præterit, ſed adhuc virga dicitur. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Vide ſupra multa cap. 11. quæſt. 21. n. 151. 152. & 153. & cap. 20. quæſt. 3. numer. 21. 22. & 23.

319. *Præclara elogia tunc deferuntur, cum de aliorum ſalute agitur.* Et hic notandum, quod de hoc pane multas excellentias hic prædicat Chriſtus, vt dixi, & videbimus in ſequentibus quæſtionibus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hæc tamen præclara elogia de hoc ſuo pane aſſeuerat, cum de eodem teſtatur, quod deſcenderit, non verò quod aſcenderit. *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit.* Deſcendit in remedium, ac ſalutem hominum. Cum Chriſtus in cælorum ſublimius aſcenderit, quærunt Angeli: *Quis eſt rex gloriæ.* Pſalm. 23. num. 8. Pſalm. 23. At verò in Horto deſcendit, *procidit in faciem ſuam.* Matth. 26. num. 39. Matth. 26. Tunc apparet Angelus, iuxta D. Epiphanium dicens illi: D. Epiphan. *Tua eſt potentia, tuum eſt regnum.* Deſcendebat in remedium, ac ſalutem hominum; vnde & tam præclara elogia de eo prædicantur.

---

## QVÆSTIO L.

### *Quare ſicut Chriſtus ſæpè dixit in hoc ſermone: Hic eſt panis, qui deſcendit de cælo: non dixit etiam, Hic calix ſanguinis mei de cælo deſcendit?*

SÆPE Chriſtus Dominus in hoc ſermone dixit, quod hic diuinus panis de cælo deſcendit n. 33. & 50. & 52. 320. *Ratio difficultatis.* Si ergo Chriſtus Dominus toties ait, quod corpus ſuum ſit panis, qui de cælo deſcendit; cur etiam non ait, quod eius ſanguis, eiuſque pretioſiſſimus calix de cælo deſcendit: nam diuinus hic panis dicitur, quod de cælo deſcendit ob vnitam diuinitatem corpori, vt docent D. Auguſtinus, D. Thomas, D. Bonauentura. D. Auguſt. D Thom. D. Bonauent. Vel quia eius corpus formatum fuit in Virginis vtero cæleſti virtute. Sed etiam hæ rationes militant in ſanguine; hic enim etiam eſt diuinitati vnitus; & ſicut corpus formatum eſt cæleſti virtute, ſic & ſanguis. Cur ergo ſolum de ſuo corpore ait, quod ſit panis de cælo deſcendens?

Reſpondeo Primò. Quod caro, & ſanguis Chriſti eſt ſub duplici ſpecie panis, & vini; tamen in præſenti Chriſtus de vna ſpecie mentionem facit: quia totus Chriſtus eſt ſub qualibet ſpecie; & , ſi ſumatur, vitam præbet. 321.

Secundò. De ſuo corpore hic expreſsè ait Chriſtus, quod de cælo deſcendit; cumque de ipſo pertractat, ſemper primo loco ponit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus;* ipſique corpori præclaros tribuit effectus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Cur ergo ſimiliter non ait de ſanguine? S. Thomas in ſuo commentario docet, quod corpus Chriſti ſignificat omnes fideles. 1. Corinth. 12. num. 27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* At verò ſanguis Chriſti eius merita ſignificat. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine Agni.* 1. Petri 1. num. 18. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo.* Apocal. 5. num. 9. Corpus denotat fideles; & ſanguis Chriſti merita: inde ergo liquefit, quod corpori omnes excellentiæ, ac præeminentiæ aperrè, & expreſsè referendæ ſint; omni enim honore, ac præexcellentia, vult Chriſtus, vt ſui condecorentur; nil verò ipſe ſibi aſſumit, atque reſeruat. 322. D Thom. 1. Corint. 12. 1. Petri 1. Apocal. 5. *Chriſtus omnes honores vult ſuis fidelibus.*

Tertiò, & maximè ad litteram. Chriſtus Dominus, vt dixi in initio huius capitis, iuxta communem conſenſum Patrum, habuit occaſionem, ad hunc mirabilem ſermonem de ſacra Euchariſtia edendum, ex eo, quod turbæ ipſum ſequebantur panis deſiderio; nam heſterna die quinq; panibus quinq; millia hominũ ſatiauerat. Sic Chriſtus Dominus in exordio ſermonis dixit ſupra n. 26. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia mãducaſtis* 323.



*ex panibus, & ſaturati eſtis.* Hinc Chriſtus exorſus eſt ſuam concionem oſtendens excellentias ſui panis ſuper Manna, vt explicaui ſupra quæſt. 10. *Patres veſtri*, ait Chriſtus, *manducauerunt Manna in deſerto; ſicut ſcriptum eſt, Panem cæli dedit eis: Non Moyſes dedit vobis panem de cælo verum, ſed Pater meus.* ſupra num. 31. & 32. *Sermo inſtituendus, iuxta materiam propoſitam.* Cum ergo de pane cæli, quem auditores auidiſſimè cupiebant, ſermo incideret, & controuerſia eſſet exorta: ideo Chriſtus Dominus de pane ex cælo deſcendente toties mentionem facit, ac verba repetit. Optimus enim Magiſter, iuxta materiam propoſitam, ac auditoribus conuenientem, ſuum inſtituit, ac proſequitur ſermonem.

324. Matth. 24. *Doctrinæ ſit ad auditorũ menſuram.* De ſolicito, ac fideli præſule, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ait ipſe, *vt det illis cibum in tempore.* Matth. 24. num. 45. Non ſat eſt ad bonum ſeruum, vt det cibum, ſed vltra exigitur, *vt det in tempore;* hoc eſt vt doctrinam, quæ eſt animæ cibus, conuenienti, ac congruenti occaſione diffundat. Albert. Mag. Albertus Magnus. *Opportunè*, ait, *diſtribuenda ſunt pabula pro congruentia perſonarum, locorum, ac temporum.* Nam, vt ait D. Thom. D. Thomas, *Si enim vult dicere verba, quando non competit, perdit.* Vt ergo tanquam fidelis ſeruus non perdat, dicat in tempore. Luc. 12. Vnde Lucas 12. num. 24. ait, *vt det illis in tempore tritici menſuram*, hoc eſt ad menſuram temporis, occaſionis, ac perſonarum Doctor diſtribuat triticum doctrinæ.

325. Bis Anima ſancta egreſſa eſt è domo ſua, quærens Dilectum ſuum; & in vtraque occaſione à cuſtodibus cinitatis quæſiuit: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Statim prima vice poſt factam interrogationem, paucis greſſibus datis, eum inuenit. *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Cantic. 3. Cantic. 3. num. 4. Secunda autem vice, multa adhibita diligentia, eum non inuenit; immò potius in cuſtodes incidit, *qui circumeunt ciuitatem; percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, & tulerunt pallium meum mihi.* Cantic. 5. Cantic. 5. num. 7. Vnde tanta diuerſitas in vtroque loco; ſiquidem quæ quærit, eadem anima eſt; Deſideratus, idem Chriſtus; Inter quos quæritur, iidem ciuitatis cuſtodes; Interrogationis verba, eadem: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quomodo ergo ex tam ſimili cauſa tam diuerſus prodiit effectus? Vnde nam quod in vno loco facile tenetur Dilectus; in altero verò minimè inuenitur? D. Ambroſ. Quæ difficultas cum ſeſe offerret, D. Ambroſius ſerm. 7. in Pſalm. 118. de illius ſolutione ait: *Nunquid reperire potero? hæreo.* Anima ſancta hoc loco ſignificat doctorem, ac prædicatorem, vt interpretantur Aponius, Theodoretus, Ghiſlerius, & alij; Aponius. Theodoret. Ghiſlerius. qui prædicatione per publicas plateas Deum quærit. Vis capere, vnde tanta differentia prouenit? Attende occaſioni, tempori, ac cuſtodibus. Primo tempore cuſtodes erant animæ ſanctæ, *qui cuſtodiunt ciuitatem*, in vigilantes ſanctis, ac piis actionibus. At verò ſecunda vice cuſtodes erant peccatores obdurati in iniquitate, *Cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem.* In circuitu enim degere, obſtinationem in peccatis ſignificat: Pſalm. 11. *In circuitu impij ambulant.* Pſalm. 11. numer. 9. Dixerunt impij: 1. Sapient. 2. *Circumueniamus iuſtum.* Sapient. 2. numer. 12. *Vt proficiat prædicator, auditoribus ſe accommodet.* Verba ergo, quæ multum profuerunt, vt Deus inter iuſtorum animas reperiretur, non proportionata extiterunt, vt inter obduratos peccatores inueniretur. Teneritudo enim, ac affectus, qui multum efficax extitit erga pios, & deuotos; non ita proportionatus extitit obſtinatis: alia enim verborum acrimonia, aliuſque dicendi modus exigebatur, vt optato fructu frueretur. Vide tom. 2. Verbum Accommodare.

---

## QVÆSTIO LI.

### *Quare abſolutè Euchariſtia ſine additamento aliquo panis nuncupatur?*

SVPRA quæſt. 12. & 13. ſatis explicaui, cur caro Chriſti in Sacramento panis dicatur. 326. *Difficultas quæſtionis.* Vide ibi dicta. Nunc verò quæro, cum variæ ſint ſpecies panis, vt tractant Theologi in materia de Euchariſtia, cur abſolutè panis dicitur ſine aliquo additamento, vel expreſſione.

327. *Euchariſtia panis perfectiſſimus.* Reſpondeo tamen, quod, cum abſolutè dicatur Panis, intelligitur panis perfectiſſimus, & excellentiſſimus: nam iuxta Logicorum regulas, nomen abſolutè poſitum ſumitur pro ſuo principali ſignificato. Sed ſtatim inſurgit magna difficultas. Mandauit Dominus Gedeoni, vt trecentis viris procederet ad bellum contra Madianitas; quorum multitudo tanta erat, vt dicat textus, *ſicut arena, quæ eſt in littore maris.* Et ne ob tantam multitudinem Gedeon pertimeret, ad eum confortandum, ait illi Deus, vt cum ſuo ſocio iuxta aduerſariorum caſtra nocte ſimulatè deſcenderet, & exauditis, quæ aduerſarij inter ſe loquantur, animus eius maximè corroborabitur ad prælium. Adimpleuit Gedeon ea, quæ ſibi erant imperata. Et cum appropinquaſſet ad caſtra, audiuit vnum ex Madianitis familiari ſuo ſomnium quoddam ſuum, quod viderat, referentem. *Vidi ſomnium*, ait, *& videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere.* Iudic. 7. numer. 13. Iudic. 7. Reſpondit is, cui loquebatur: ſomniaſti panem hordeaceum deſcendere in caſtra noſtra; hoc pro certo habe; *Non eſt hoc aliud, niſi Gedeonis gladius.* Acſi diceret Madianita: Panis ille hordeaceus, quem vidiſti, gladius Gedeonis eſt, qui nos perimet, ac deuaſtabit. Panis ille hordeaceus, vt communiter docent hodie Recentiores Leo à Caſtro in cap. 9. Iſai. Lorinus in Pſalm. 103. Barradas tom. 4. lib. 3. cap. 11. Oſorius apud Suarium quæſt. 22. typus extitit diuiniſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Leo à Caſtro. Lorinus. Barradas. Oſorius. Serarius.

328. Quomodo hæc cohærent? Chriſtus ait in Euangelio, quod ſit panis perfectiſſimus, & excellentiſſimus: *Hic eſt panis:* & tamen figura panis eſt valde humilis, & infimus, panis hordeaceus. Euchariſtia panis Angelorum: *Panem Angelorum manducauit homo:* & figura panis hordeaceus irrationabilium animalium. Euchariſtia panis vitæ, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Figura panis interfectionis, *gladius Gedeonis.* Quomodo ergo tantum diſcrepat figura à figurato? *Euchariſtia fideli panis vitæ; infideli gladius.* Optimè ſanè. Et omnes hi effectus in admirabili Euchariſtiæ Sacramento inueniuntur. Catholicis, qui fide viua ſacroſanctum myſterium profundè venerantur, panis eſt Angelorum, vitæ, ac ſalutis; at verò perfidis Madianitis, & Hæreticis, qui ſuis erroribus obcœcati tantum myſterium contemnunt, ac veluti panem hordeaceum

reputant, nihil aliud illis eſt niſi Gedeonis gladius, qui eos omnino interficiet, deſolabit, ac eradicabit. Fideli veneranti panis eſt ſalutis, ex homine euehens ad angelicum gradum per gratiam. Hæretico vero contemnenti gladius eſt, eum perimens, ac omnino conſumens.

329. Cum per deſerta Idumeæ incederent Rex Iſraël & Ioſaphat rex ad præliandum contra regem Moab, vehementi ſiti ac multa aquarum penuria laborabant. Ad parentem meum S. Eliſæum confugiunt, vt à Deo illis miſericordiam impetraret. Cuius oratione *Factum eſt igitur manè quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & terra repleta eſt aquis.* 4.Reg. 3.num. 20. At vero inimici *Orto iam Sole ex aduerſo aquarum viderunt Moabitæ è contra aquas rubras quaſi ſanguinem.* ibidem num.22. Et notatur in textu, quod hæc viderunt tempore ſacrificij. Caietanus. *Vt intelligamus virtutem ſacrificij eſſe cooperatam ad hoc miraculum.* Tempore ſacrificij vident Iſraëlitæ aquas perlucidas ad ſalutem; at Moabitæ aquas rubras tanquam ſanguinem gladio effuſum. Sacrificium illud ſacræ Euchariſtiæ typus extabat. Iſraëlitæ, id eſt fideli, illius virtutem recognoſcenti, ac veneranti viuidiſſimæ aquæ ſunt in Sacramento vitæ & ſalutis. At vero Moabitæ, ſeu Idololatræ ſacrificium aſpernenti ſanguis gladio effuſus conuolat.

*4. Reg. 3.* — *Caiet.* — *Veneranti vita: contemnenti mors.*

330. In inſtitutione huius magni Sacramenti, ait Chriſtus Dominus. *Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti.* Matth. 26. num. 28. In quo videtur Dominus reſpicere ad ſanguinem Agni qui dicebatur ſanguis teſtamenti: *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit Dominus* Exod. 24.num.8. Ad Hebræos 9.num.20. D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini cap. 21. *Sanguis teſtamenti*, ait, *quia figura erat & vmbra huius myſterij.* Quid ſanguis Agni habebat? Ad quid Dominus in inſtitutione tam admirabilis myſterij ad ſanguinem Agni facit alluſionem? Sanguis Agni poſitus ſuper portarum limina conferebat Hebræis vitam, Ægyptiis autem mortem, *Erit autem vobis ſanguis in ſignum; in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terrā Ægypti.* Exod.12.n.13. Valde præclara huius diuini conuiuij hæc eſt figura. Accedenti fide viua & ardenti charitate multa veneratione myſterium recolenti vita, & ſalus æterna largitur. Venienti autem obſtinata conſcientia, & mente cæca, mors, & interitus infligitur. *Qui indigne manducat, iudicium ſibi manducat.*

*Matth. 26.* — *Exod. 24.* — *Ad Hebr. 9.* — *D. Paſchaſ.* — *Fideli vita, Ægyptiis mors.* — *Exod. 12.*

331. Rem hac comparatione explico, Conſidera arborem quandam in medio campi plantatam; quæ quandiu aquis irrigatur, nullus ei fauorabilior amicus quàm Sol: ipſe eam facit creſcere, ac dilatare, foliis veſtiri, ac fructibus exornari. At vero ſi ad illius radices aqua ſiccatur, nullus ei maior aduerſarius, quam Sol; ipſe enim exſiccat, ab omnibus denudat, ac lignum aridum reddit, vt ad nullum alium vſum inſeruiat, niſi ad ignem. Sic etiam anima, ſi ad Chriſti menſam venit lachrymis plena contritionis aqua irrigata, nil ei propitius, ac magis eam cæleſti dono replet, quam hac diuinum Sacramentum. At vero ſi peccatis inquinata non veretur accedere, ſupra modum ab hac diuina menſa iudicium, & condemnationem manducat, vt gehennæ igni deputetur.

*Chriſti menſa contritis vita, obſtinatis mors.*

## QVÆSTIO LII.

### *Quare Chriſtus de ſuo cæleſti pane aliquando loquitur per primam perſonam; frequentius verò per tertiam?*

332. CONSIDERA hunc admirabilem Euchariſticum ſermonem; & reperies, quod Chriſtus Dominus aliquando loquitur de ſe vt diuino pane, per primam perſonam? *Ego ſum panis vitæ.* num. 35. *Ego ſum panis viuus.* num. 51. Frequentius vero per tertiam perſonam agit in ſermone. *Panis Dei eſt, qui deſcendit de cælo.* num.33. *Hic eſt panis de cælo deſcendens.* num.50. *Si quis manducauerit ex hoc pane.* num.52. Et in præſenti: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Qui manducat hunc panem.* Apud Ariſtotelem optimi magiſtri regula eſt in terminis perſiſtentia, ac cohærentia? varietas enim in illis maxime declinanda eſt. Cur ergo diuinus magiſter terminos mutat, aliquando per primam perſonam aliquando per tertiam agit.

*Ratio difficultatis.* — *Ariſtot.*

333. In Chriſto Domino duo ſimul aderant: magiſtri ſupremi obligatio; ac ſummæ humilitatis gradus. Magiſtri munus exigebat, vt Chriſtus Dominus aperte, ac clara voce ad amputandas Hæreticorum tergiuerſationes diceret de ſe in prima perſona: *Ego ſum panis vitæ; Ego ſum panis viuus.* at Chriſti ſumma humilitas veluti, vt ita dicam, non permittebat, quod Chriſtus valde frequenter tam magna, & alta diceret de ſuo corpore & ſanguine, illum nempe eſſe ſacramentatum in hoc magno myſterio. Vt ergo tantæ humilitatis haberetur ratio, frequenter de ſe modeſtiæ cauſa, per tertiam perſonam loquitur; & ita ſupremi magiſterij, ac ſummæ humilitatis conditioni eſt ſatisfactum.

*Modeſtiæ cauſa Chriſtus de Euchariſtia loquitur per tertiam perſonam.*

334. In huius rei confirmationem perpondera quod quando Chriſtus Dominus loquitur de ſe per primam perſonam, tantum ait, *Ego ſum panis vitæ; Ego ſum panis viuus.* At vero quando ſermo incidit per tertiam perſonam, non ſolum expreſsè & apertè inquit, quod ſit panis vitæ, ſed vltra addit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* & inſuper teſtatur, quod in hoc pane Pater omnia ſuæ potentiæ ſigna ſigillauerit. *Hunc Pater ſignauit Deus:* vt explicaui quæſt. 4. Quando ergo ſermo eſt de hoc viuifico Pane per tertiam perſonam maiora elogia apertè, & expreſsè de eo teſtificantur à Domino, vt ſit panis, in quo ſunt totius Diuinitatis ſtemmata. Quando ſermo eſt in prima perſona, ac doctoris muneri ſatisfit, tantum dicitur, quod ſit panis vitæ. At vero ad excellentiora encomia prædicanda per tertiam perſonam inſtituitur oratio, alius dicendi modus quæritur. Aliqualiter dici poſſe videtur, quod eximia Redemptoris noſtri humilitas non permittebat, apertè tam magna de ſe dicere. Et ideo modeſtiæ cauſa per tertiam perſonam loquitur humillimus meus Ieſus.

*Maiora elogia de Euchariſtia dicit Chriſtus per tertiam perſonam.*

335. Inſtituens Chriſtus hoc admirabile ſacramentum dixit: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.* Matth.26.num.27. Sicut & in

*Matth. 26.*



in præſenti Euangelio: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Solùm de corpore, & ſanguine facit mentionem; non verò de anima, ac diuinitate. Et in panis conſecratione ſanguinis non meminit; ſicut & in conſecratione vini, non meminit corporis. Communis Theologorum ſolutio eſt. Quod Dominus expreſſit in forma illa, quæ ponuntur in ſacramento ex vi verborum, ſeu per directam illorum ſignificationem, vt latè ſuprà explicaui. Diuinitas verò, & anima, & cætera ponuntur per concomitantiam. Sed hæc, quæ ponuntur per concomitantiam, cur etiam non explicauit, cum verè, & realiter in Sacramento nobis dentur; Et augetur difficultas: nam in aliis donis poteſtatis, & iuriſdictionis exprimebat ea, quæ conferebat. *Sicut miſit me viuens Pater, ego mitto vos.* Ioan.20. num.21. Sic etiam in doctrina, ac cognitione ſupernaturalium rerum, quam communicabat. *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis.* Ioan.17. num.2. Sic etiam in poteſtate ad perpetranda miracula. *In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent*, &c. Marc.14. n. 27. In aliis donis, ac muneribus aperit Chriſtus ea, quæ concedit, & communicat. At in magno Euchariſtiæ Sacramento ſolum nobis proponit Chriſtus minora, quæ dantur; altiora ſcilicet animam, ac diuinitatem ſilentio premit. Inter alia opera, ac Euchariſtiæ Sacramentum quædam interiacet differentia: nam in aliis operibus, quamuis multa dentur, diuinæ tamen potentiæ, ac amori videbantur pauca, multo enim maiora præſtari poſſunt. At verò in Euchariſtiæ Sacramento planum erat diuino amori, ac potentiæ ob magnitudinem doni nil maius concedi valere. In aliis operibus patitur humilitas Chriſti, vt apertè dicantur omnia, quæ ab illo largiuntur: vniuerſa enim illa ſuo amori veluti parua videbantur, cum ipſe maiora proferre poſſet; at in Euchariſtia inſpiciebat diuina ſapientia, donum eſſe ſupremum, & nil dabile eſſe maius; & quod Chriſtus ſupremum omnium donum à ſe eſſe datum, aſtrueret, eius eximia humilitas non permittebat; minora ergo in illo data, corpus ſcilicet, & ſanguinem ſuum, manifeſtè declarat; altiora verò, diuinitatem nempe, & animam, quæ in eo continentur, modeſtiæ cauſa tacet, & Apoſtolis, ac Eccleſiæ ſuæ explicanda committit.

*Ioan. 20.* — *Ioan. 17.* — *Marc. 14.* — *Chriſtus modeſtia cauſa de Euchariſtia dicit minora.*

## QVÆSTIO LIII.

### *Quare non dicitur: Hic panis miſſus eſt de cælo: ſed qui deſcendit de cælo?*

336. IN quæſtionem voco: Cur in præſenti non dixit Chriſtus Dominus: Hic eſt panis miſſus à Patre de cælo, ſed ait: *Hic eſt panis, qui deſcendit de cælo.* Perpensè conſiderata hiſtoria Euangelica, Chriſtus Dominus actiones ſuas ad Patrem refert. Sic paſſim in hoc cap.6. Ioan. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me.* num.40. & num.44. Sic, cum de ſua prædicatione agit, *Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, verax eſt.* Ioan.7. n.18. Cum de ſuis miraculis agit, à Patre ſe miſſum dicit: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Matthæi 15. num.24. Humani generis redemptionem ad Patrem refert. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Ioan.3. n. 16. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Ioan.14. num.31. ſuam aſcenſionem in cælum mandato Patris adſcribit: *Vado ad eum, qui miſit me.* Ioan.16. num.5. Sicut ergo actiones ſuas veniendi in mundum, ac aſcendendi in cælum miſſioni Patris refert, cur etiam expreſsè de hoc pane non ait, quod ſit miſſus à Patre, ſed quod deſcendit de cælo?

*Ioan. 7.* — *Matth. 15.* — *Ioan. 3.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 16.*

337. Notandum eſt ex communi ſententia Theologorum cum D. Thoma 1. part.q.43.art.1. & Suario tom.1.ad 1. p.lib. 12. de Trinit. cap.1. num.2. Miſſionem dupliciter ſumi poſſe. Vel, vt de facto datur inter homines; & hoc modo dicit imperfectionem, importat mutationem rei miſſæ, ac ſæpè ſeparationem à mittente, in eoque denotat quandam ſuperioritatem in ordine ad miſſum. Secundo modo ſumitur miſſio in diuinis inter diuinas perſonas; & in hac conſideratione dicit ſummam perfectionem, vnitatem, ac æqualitatem, denotat enim actum æternæ proceſſionis, vt docent D. Athanaſius orat. in illud *Deum de Deo*; & D. Auguſtinus lib.2. de Trinitate cap.5. & latè explicant Theologi.

*D. Thom.* — *Suarius.* — *Miſſio dupliciter ſumitur.* — *D. Athanaſ.* — *D. Auguſt.*

338. Hac igitur certa doctrina ſuppoſita, quando Chriſtus Dominus dicebat, ſe eſſe miſſum à Patre, cum Iudæi eſſent ſuis erroribus obcæcati, ac altitudinem myſterij non caperent; miſſionem cum ſuis imperfectionibus, vt de facto datur in hominibus, & etiam notarunt D. Cyrillus, & D. Auguſt. intelligebant. Cum Chriſtus Dominus pertractat de ſuo aduentu in mundum, de ſuíſque miraculis, ac operibus, de redemptionéque totius generis humani ab ipſo facta, dicit, ſe eſſe miſſum: nam quod de ſe ipſo ſecundum præſentiam naturalem, prout ipſe degebat in mundo, aliquis intellectus malignè, ac deprauato errore conciperet aliquid alienum à ſua infinita perfectione, vnitate, ac æqualitate, tacet, & diſſimulat pro tunc, dummodo ſuam doctrinam, ac præſentia myſteria, de quibus agebatur, explicet, vt paulatim auditores inſtruat. At verò quod de ſuo corpore ſub ſacramentalibus ſpeciebus aliquid intellectus, etiam deprauatus, errando aliquid ſiniſtrum, ac imperfectum, alienum à tanta maieſtate, ac diuinitate recogitet, & conſideret, minimè patitur Chriſtus; ideo hunc panem expreſsè non dicit eſſe miſſum, ne imperfectiones, quas miſſio inter homines importat, illi attribuantur; ſed aſtruit, quod deſcendit de cælo: Deſcenſus enim de cælo ſummam potentiam, ac diuinitatem arguit.

*D. Cyrill.* — *D. Auguſt.* — *Non patitur Chriſtus, vt quis, etiam errando, aliquid imperfectū de Euchariſtia cōcipiat.*

339. Conſidera textum Euangeliſtarum, & inuenies, quod Chriſtus Dominus multoties tacuit, ac diſſimulauit ad iniurias, ac blaſphemias Iudæorum, vt patet in proceſſu ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis: *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* Eandem hanc patientiam demonſtrauit apud Ioan. cap.7. à num.41. Etiam ſanato cæco à natiuitate Ioan. cap.9. & aliis in locis. At quantum capio, non recordor, quod, cum Chriſtus ſederet ad menſam, calumnias, ac detractiones contra ſe, etiam ſubmiſſe oppoſitas, diſſimulaſſet, ac præteriſſet; ſed valdè ſedulè eas refellendo, ac confutando, ſtatim illis occurrit. In domo Phariſæi, cum hic inter ſe diceret: *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum:* ſtatim occurrit Chriſtus: *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Luc.7. num. 40. Cum etiam in alia occaſione Iudas calumniaretur Magdalenæ obſequium exhi-

*Ioan. 7.* — *Ioan. 9.* — *Luc. 7.*

bitum Chriſto ad menſam, ſtatim Chriſtus petulantiam hominis redarguit: *Quid moleſtiſ huic mulieri: bonum opus operata eſt in me,* Matth. 26. n. 10. Cum intraret Ieſus *domum cuiuſdam principis Sabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.* Luc. 14. num. 1. abſque mora Dominus miraculo, ac efficaci argumento eorum ora compreſſit. Sic etiam in domo Matthæi 9. num. 10. cum diſcumberet ad menſam, murmurationes Phariſæorum repreſſit. Valdè mirum! Diſſimulat Chriſtus Iudæorum detractiones, cum prædicat, miracula operatur, Paſſionis myſterium adimplet: & tamen ad menſam accumbens minimè illas ſuffert, ac prætermittit. Ait Caietan. in cap. 7. Luc. quod corpus Chriſti in menſa repræſentabat ſe ipſum ſacramentatum in menſa Euchariſtica. Cum ergo Chriſtus Dominus degeret in ſua præſentia naturali, ſiue prædicans, ſiue pro nobis vitam exhalans, quod aliquis intellectus maligno, ac deprauato errore quid imperfectum in eo temerè conſideret, ad iacula ſuæ blaſphemiæ retorquenda, tacet, & diſſimulat. At quod in repræſentatione ſui corporis ſub ſacramentalibus ſpeciebus quis, etiam maleuolentia, ac errore quid ſiniſtrum recogitet, minimè ſuſtinet Chriſtus; ſed ſtatim occurrit eius audaciam refrænans: tanta eſt enim huius operis excellentia, ac maieſtas, vt non patiatur Dominus; quod aliquis intellectus, etiam per deceptionem, ac errorem, quid imperfectum in eo conſideret, ac cenſeat.

Matth. 26. Luc. 14. Matth. 9. Caiet.

*Occurrit Chriſtus ne quis in Euchariſtia aliquid imperfectum recogitet.*

340. Audito hoc admirabili Euchariſtico ſermone, multi ex Domini diſcipulis receſſerunt ab eo. *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro.* Ioan. 6. num. 67. Conuerſus Dominus ad ſuos Apoſtolos. *Dixit ergo Ieſus ad duodecim, nunquid & vos vultis abire.* Modò Dominus eis optionem dat, an velint ab eo diſcedere. Suffert Dominus Philippi ignorantias, cum ait: *Domine, oſtende nobis Patrem.* Ioan. 14. num. 8. Suffert, & Petrum, cum eius mortem velit impedire. *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Matth. 16. n. 23. Et tamen nunquam eis dixit, ſi vellent abire, vt modo facit. Patitur Chriſtus in ſuo comitatu per aliquod tempus, quoad vſque ſui eſſent capaces, vt in myſteriis inſtruerentur, eorum ignorantias circa nobilitatem ſui corporis naturalis circa ſui Patris celſitudinem, ac circa ſui amoris diuitias: non tamen per aliquod breue ſpatium ignorantias, ac errores circa ſui corporis in Sacramento ſublimitatem, ac maieſtatem diſſimulat, & ſuffert; & ideo eius dictis in hoc Euchariſtico ſermone non quieſcentibus dat optionem abeundi.

Ioan. 6. Ioan. 14. Matth. 16.

*Ignorantias excellentiæ Euchariſtiæ non diſſimulat Chriſtus.*

## Qvæstio LIV.

### *Quare abſolutè dicitur, quod hic panis deſcendit de cælo, cum ad eius formationem terra materiam miniſtrauerit?*

341. AD formationem huius ſanctiſſimi panis conuenerunt cælum, & terra. E cælo deſcendit diuinitas, quæ Chriſti humanitati eſt vnita: è terra prodiit humanitas, ſeu corpus in vtero Virginis, vt ſatis explicaui ſuprà quæſt. 49. Tamen hic panis nobis abſolutè proponitur, vt deſcendens de cælo. Vt inde inſtruantur, qui ad Chriſti menſam accedunt, tanta puritate, ac integritate venire, quanta venirent, ſi toti eſſent è cælo dilapſi. Inquiunt Philoſophi, quod, vt cibus proficiat, ac nutriat, exigitur, quod ſit proportionatus, ac conueniens manducanti. Totus ergo hic panis nobis vt cæleſtis proponitur, vt innuatur, quod homo accedens vita, ac puritate totus ſit veluti cæleſtis, ab omni terrenorum affectu denudatus ſine alicuius illorum permixtione.

*Cæleſti puritate ad Chriſti menſam accedendum.*

342. Cum Ioſeph detineretur in carcere, duo ex ſociis eius habuerunt ſomnia; & Præpoſitus pincernarum prior ſomnium ſuum narrauit, quod ſcilicet per ſomnium viderat tres vitis propagines, quas ſcilicet exprimebat in calicem, quem tenebat manu, & tradidit Pharaoni. Ait illi Ioſeph. Felix nuncium; poſt tres dies reſtituet te Pharao in tuum gradum priſtinum. Audito ſui ſocij tam bono euẽtu, piſtorum magiſter magnum animum concepit, & ſomnium ſuum aperuit Ioſeph. *Ego vidi ſomnium,* ait, *quod, tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno ca[illegible] uod erat excelſius, portare me omnes cibos, qu[illegible] rte piſtoria, auéſque comedere ex eo.* Geneſ. 40. n. 6. Ait ei Ioſeph; infauſtum præſagium. Poſt tres dies auferet Pharao caput tuum, & in furca ſuſpendet te. Quæro, cur potius Præpoſitus pincernarum obtinet vitam, quàm piſtorum magiſter? Reſponderi poteſt ex Gloſſa Interlineali, ac D. Cyrillo, vinum illud expreſſum in calice, à Præpoſito miniſtratum, typum fuiſſe ſacræ Euchariſtiæ, ac proinde à figura tanti ſacramenti vitam habuiſſe. Ex hoc tamen mihi ſuboritur quæſtio: Tam figura ſacramenti eſt panis, quàm vinum; ergo ſi Præpoſitus pincernarum tam eſt aſſecutus ob vinum Sacramenti vmbram, cur etiam Magiſter piſtorum ob panem non fruitur etiam vita? Alta conſideratione perpende textum. Præpoſitus pincernarum tantum habuit purum vinum ſine alicuius miſtione. At Magiſter piſtorum ſimul ferebat panem permixtum cum omnibus cibis, qui in Regis menſa ponuntur, *Et in vno caniſtro portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria,* Euchariſticum Sacramentum, ſi ab anima dimiſſis omnibus terrenis purè excipitur, vitam, ac ſalutem illi præbet, & largitur. At verò ſi cum temporalium mixtione acceditur, non vitam, ſed ſupplicium, ac æternam mortem incutit, & infligit. Qui ſolùm vinum habuit, vitam; qui verò panem commiſtum aliis, mortem reportat.

Geneſ. 40. Interlin. D. Cyrill.

*Euchariſtia ſumpta ſine terrenorum affectu dat vitam; cum illorum miſtione mortẽ.*

343. Magno diſcrimine ſe habuerunt duæ huius magni Sacramenti figuræ; ſubcinericius ſcilicet panis in parente meo Elia, & Manna in filiis Iſraël. Comedit Elias panem, *Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* 3. Reg. 19. num. 8. quin toto hoc tempore dormiret, vel quieſceret, ſemper degens ab omni malo incurſu, ac periculo omnino ſecurus. Præbet Deus filiis Iſraël Manna Exod. 16. num. 15. Et tamen, iuxta D. Auguſt. Abulenſem, & alios, bis in die neceſſe erat illud comedere. Deinde paſſim per deſertum in multos labores, pericula, ac mortes incidunt. Quomodo ergo huiuſmodi Euchariſtiæ vmbræ tam diſpares pariunt effectus? Elias comedit panem, cum in tædio haberet omnia terrena: *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* At Iſraëlitæ veſcuntur cum terrenorum deſiderio. *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones,* &c. Num. 11. n. 5. *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo; quamobrem miſit Dominus igniτos ſerpentes,* Num. 21. num. 5. Si denudato à terrenis

3. Reg. 19. Exod. 16. D. Auguſt. Abulenſis. Numer. 11. Numer. 21.



nis affectu ad Chriſti menſam venias, vita frueris; ſi vero auido illorum deſiderio tenearis, in plagas, ac mortem incides.

*Ex Euchariſtia Elias fortitudinẽ; Iſraëlitæ mortem obtinent.*

344. De ſe, ac ſuis ſociis ait Daniel Præpoſito, eis conſtituto à Nabuchodonoſore: *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum.* Dan. 1. n. 12. Poſtea vero coniicitur Daniël in lacum leonum; & cum ibi detineretur per ſex dies, Angelus Domini apprehendit Habacuc prophetã, qui in Iudæa prandium quoddam cum panibus ferebat ſuis meſſoribus, *Et ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo.* Dan. 14. n. 32. Poſuítque eum Angelus impetu magno ſuper locum; qui & dedit illa Daniëli ad veſcendum. Quæro tamen, cur Propheta non dedit Daniëli perfectum prandium, aquam ſcilicet cum pane, & carne? Vel cur Daniel aquam ab Angelo non poſtulat, ſicut eam in regio palatio à præpoſito eunuchorum popoſcerat? Quis vnquam comedit abſque potu? Magna ſanè interiacebat differentia inter vnum, & alterum panem; inter vnum, & alterum prandium. Panis enim, qui in regis palatio à præpoſito eunuchorum dabatur, erat naturalis, ac elementalis, at vero miniſtratus à Propheta, panis erat myſticus, ſacræ Euchariſtiæ typus. Panis naturalis ad corporis nutrimentum, ac ad ſuam operationem edendam aqua eget; at vero panis cæleſtis Chriſti, vt fructum gratiæ, & ſalutis producat in anima, pure, ac ſimpliciter ſine mundanæ aquæ mixtione participandus, ac ſumendus eſt. Vide ſupra num. 49. 50. 51. & 52.

Dan. 1. Dan. 14.

*Panis Chriſti pure, ſine mixtione ſumendus eſt.*

## Qvæstio LV.

### *Quare Chriſtus in hoc ſermone dixit:* Patres veſtri: *& non potius, Patres noſtri* manducauerunt?

345. AIt Chriſtus Dominus in præſenti: *Non ſicut manducauerunt Patres noſtri:* de ſenſu litterali egi in expoſitione, quod manducantes Manna mortui ſunt, panem Chriſti manducantes viuunt in æternum. Tamen pro morali noſtra inſtructione expende illud: *Non ſicut:* Vt admoneamur, quod nobis cauendum eſt, ne ſic manducemus Chriſti panem, vt antiqui Hebræi ſuum Manna manducauerunt, & mortui ſunt. Illi ſic comedebant: *Manna deſeruiens vnius cuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Sap. 16. n. 21. Cum Manna ſeruiret eorum affectui, mortui ſunt. Vt ergo homo Chriſti pane viuat, non ſic manducet, vt cæleſtem panem ad ſuum nutum pertrahat, ſed potius illius impulſui, ac directioni ſeſe ſubmittat, ac obtemperet: D. Dionyſius Areopagita cap. de communione: *Oportet enim,* ait, *ſi communionem, participationémque eius cupimus, in vitam eius, quam in carne vixit, intueri; & imitatione, atque ſimilitudine ſanctitatis ad habitum diuinæ, & incorruptæ virtutis recurrere.*

Sap. 16.

*Homo cæleſti pani ſe accommodet.*

D. Dionyſ. Areopag.

346. Quæſtio præſens inquirit: cur Chriſtus ſæpè in hoc ſermone dixerit, *Patres veſtri manducauerunt,* & non potius, Patres noſtri, ſiquidem omni proprietate hæc dicere poterat Chriſtus provt homo, ac Virginis filius, quæ ab illis hominibus originem trahebat; vnde & ipſa in ſuo Cantico ait: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham.* Luc. 1. num. 55. Quo ergo motiuo Chriſtus hanc ſeparationem intulit, & dixit: *Patres veſtri.*

Luc. 1.

347. Sic dixit Chriſtus, vt oſtenderet, ſe habere alium Patrem ingenitum, cuius & filius loquebatur, & dicebat: *Caro mea verè eſt cibus; qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Iterũ quæres: cur Chriſtus modo voluerit, manifeſtare, ſe potius hic loqui vt filium Dei, quàm vt filium hominis? In præſenti habebat Chriſtus verba de altiſſimo Euchariſtiæ myſterio: & agere de tam admirabili Sacramento, de diuiníſque arcanis in eo contentis, adeo eſt ſublimis, excelſaque res, vt non præſciſè ad filium hominis, ſed ad filium Dei hæc dicere, & explanare pertineat.

*Agere de Euchariſtia non ad hominem, ſed ad Deum ſpectat.*

348. De hoc diuino Sacramento loquens Chriſtus Dominus ait: *Hunc Pater ſignauit Deus.* Ioan. 6. n. 27. de quo multa dixi ſupra. Et particulam. *Hunc* ad Panem referunt Rupert. & Ammon, vt dixi ſupra q. 2. Quãdo Rex aliquid obſignat annulo ſuo, ea de cauſa hoc facit, vt nullus valeat illud aperire, nec ad talem locum introire, niſi tantum ipſe rex. Sic cum Daniël eſſet miſſus in lacum leonum, illius oſtium *obſignauit Darius annulo ſuo.* Dan. 6. n. 17. Sic & fecit rex clauſo oſtio templi, quod obſignauit annulo ſuo, ne quis ante ipsũ ingrederetur. Dan. 14. n. 10. Sic & de Sepulchro Domini dicitur: *Signantes lapidẽ cum cuſtodibus.* Matth. 27. n. 66. vt non poſſet ab aliis aperiri, niſi tantum ab ipſiſmet imperialibus miniſtris. Hũc ergo cæleſtem Panem Pater ſuo ſtygmate, ac ſigillo ſignauit, vt nullus ad illa altiſſima myſteria, quæ ſub illis ſpeciebus clauduntur, valeat penetrare, ac introire, niſi tantum ipſe Pater, ac eius filius, qui eiuſdem naturæ eſt cum illo. Rupertus *Hunc Pater ſignauit Deus, clauſis portis muniuit, vt non patiatur cum cibis communibus inueniri.* Hæc dixi ex citata q. 2. ad confirmandam maiori claritate noſtrã ſententiam.

Ioan. 6. Rupert. Ammon. Dan. 6. Dan. 14. Matth. 27.

*Solus Deus penetrat Euchariſtiæ arcana.*

Rupert.

349. Pertractans Deus cum Moyſe de nocte, qua populus erat egreſſurus de Ægypti captiuitate, mandat illis Deus, vt in ipſa nocte peragant ſolemne ſacrificium Agni Paſchalis. *Edent carnes nocte illa aſſas igne.* Exod. 12. n. 8. Tam ſolemne ſacrificium, in quo altiſſima myſteria mortis, ac paſſionis Domini & Corporis, ac Sanguinis eius ſub Sacramento præfigurabantur, nocte fieri mandatur? Cur non potius in clara luce, ac die, vt videant Ægyptij, quanta veneratione ipſe à populo ſuo colitur. Tamen ait Deus, non die, ſed nocte immolabitur. Sed cur non alia nox eligitur? illa enim, in qua populus egrediebatur, valde improportionata noſtro iudicio videbatur; vnuſquiſque enim in nocte illa multis implicabatur negociis, multúmque erat occupatus in parãdis iis, quæ ad ſe pertinebant. Attamen mandat Deus, vt nocte; & nocte illa, & non alia ſacrificiũ peragatur. In nocte illa duo interueniebant: Primum cum nox eſſet, obſcura, & caliginoſa extabat; Secundum fuit nox, in qua Omnipotentia Dei inſonuit. *Cum quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus venit.* Sap. 8. n. 14. Nocte illa ergo egreſſionis mandat Deus, vt fiat ſacrificium Agni Paſchalis, figura Euchariſtici myſterij, vt docent D. Ambr. ſerm. 8. in Pſ. 118. D. Aug. Conc. 1. in Pſ. 33. D. Greg. hom. 22. in Euangel. S. Machar. hom. 47. S. Eligius hom. 15. D. Chryſoſt. homil. 7. in Iob. & alij Patres. In hoc enim Euchariſtico Sacramento duo quoque inueniuntur: oculis nox obſcura, & caliginoſa; auribus tamen reſonat Omnipotens Dei verbum: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt calix ſanguinis mei.* Oculis nox caliginoſa; nullus enim naturalis intuitus, ſiue corpo

Exod. 12. Sap. 8. D. Ambr. D. Aug. D. Greg. S. Machar. S. Elig. D. Chryſoſt.

*Euchariſtia oculis nox obſcura; auribus Omnipotens Dei verbum.*

corporis, ſiue humani intellectus, alta myſteria, quæ ſub ſpeciebus ſacramentalibus reconduntur, valet aſſequi, ac penetrare. Auditui tamen infallibilis adeſt diuina fides, teſtificans, certiſſimum eſſe Dei verbum, illud eſſe ſuum corpus, & ſanguinem.

Arnold. Arnoldus Carnotenſis tractat. vltimo de ſeptem verbis Domini. *Ideo nocte*, ait, *agnum mactare præcipimus, quia nondum ad liquidum elucet operis ratio, cuius fides miniſtrata eſt.*

350. Summa eſt Euchariſtiæ celſitudo, totius Omnipotentis Dei opus ſummum. Poſtquam Abrahamus debellatis quinque potentiſſimis regibus magnam obtinuit victoriam, cum regrederetur, occurrit ei Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, qui nuncupatur *Sacerdos Dei Altiſſimi*. Gen. 14. n. 18. & à Paulo ad Hebr. 7. n. 1.

Gen. 14. Ad Hebr. 7. appellatur *Sacerdos Dei ſummi*. Qui victori Patriarchæ benedictionem impartiuit dicens: *Benedictus Abraham Deo excelſo*. Id eſt, Abrahamus à Deo excelſo habuit benedictionẽ Ex hoc loquendi modo oritur magna difficultas. Idem eſt Deus Melchiſedech, ac Abrahami; vnde ergo tanta differentia in modo proponendi; provt Deus Abrahæ, ac Melchiſedech nominatur; nam Melchiſedech nuncupatur ſuperlatiuo *Deus altiſſimus, Deus ſummus*, hoc eſt valde magnus: at Abrahæ dicitur Deus excelſus, id eſt, magnus; *Benedictus Deo excelſo*. Vnde ergo tanta differentia? Deus Abrahæ vocatur, provt ſignificatur Deus factus homo, ſicut

Luc. 1. promiſſum eſt Abrahæ: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham*. Provt eſt Deus, qui mortuus eſt in cruce, quod præfiguratum fuit in ſacrificio Abrahæ Provt Deus, qui ſe per fidem reuelat: *Pater fidei noſtræ Abraham*. Provt per gratiam communicatur: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. At vero nuncupatur Deus Melchiſedech, provt denotatur Deus, qui ſub ſacramẽtalibus ſpeciebus panis, & vini ſe nobis in cibum præbet: nam Melchiſedech fuit primus, qui huius magni Sacra-

D. Aug. menti figuram obtulit. D. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. cap. 22. *Ibi primum*, ait, *apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur*. Cum ergo dicitur Deus in ordine ad Incarnationem, Paſſionem, ac ad ſui communicationem per fidem, & gratiam, Deus ex-

*Deus in Euchariſtiæ Sacramento altiſſimus manifeſtatur ſuper omnia opera ſua.*

celſus, Deus magnus appellatur. At vero provt eſt Deus, qui ſub ſacramentalibus ſpeciebus ſe nobis in cibum præbet, Deus altiſſimus, id eſt, valde magnus nominatur. Et ſi in aliis myſteriis Deus excelſus, Deus magnus; at in Euchariſtico Sacramento Deus altiſſimus, Deus valde magnus, hoc enim arcanum infinita Omnipotentia ſuper vniuerſa opera ſua ipſe edidit, & fecit.

## QVÆSTIO LVI.

### *Quare Chriſtus in hoc ſermone multoties de Manna facit mentionem?*

351. MVLTOTIES Chriſtus in hoc ſermone antiquum Hebræorum Manna commemorat. n. 32. *Non Moyſes dedit vobis panem*. & n. 49. *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt*. Et in præſenti textu num. 59. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt*, &c. Quanam de cauſa toties hic Chriſtus ſermonem de Manna interponit? Poſt illud magnum miraculum, quo Dominus quinque panibus quinque millia hominum ſatiauit, hunc ſermonem exorſus eſt Chriſtus; ad cuius initium ipſe dicere cœpit, ſe eſſe filium Dei, eiúſque opera omnium Prophetarum factis eſſe maiora. *Hunc*, ſcilicet filium, *Pater ſignauit Deus*. Et iterum n. 29. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quẽ miſit ille*. Obiiciũt Chriſto Domino Iudæi. *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi*. Numer. 30. id eſt, quodnam eſt opus tuum, vt credamus, te eſſe filium Dei, ac maiorem prophetis? nam quod quinque panibus quinque hominum millia ſint ſaturata, inquiunt ipſi, *Patres noſtri manducauerunt Manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem cæli dedit eis*. Et hoc præſtitit Moyſes, cum eſſent ſexcenta hominum millia; & non pro vno, vel altero die, ſed per quadraginta annos. Series text.

352. D. Cyril. D. Aug. Tunc ac ſi dicat Chriſtus: Vos dicit: *Quodnam tu facis ſignum*. Petitis ſignum, vt explicant D. Cyrillus, D. Auguſtinus, meæ potentiæ, Diuinitatis, ac ſupereminentiæ: Ecce do vobis ſignum: *Ego ſum panis vitæ*, qui eſt verus cibus animam ſuſtentans, ac nutriens, *Non ſicut manducauerunt Patres noſtri Manna, & mortui ſunt; qui manducat hunc panẽ viuet in æternum*. Ideo de Manna toties facit mentionem ad oſtendendas ſuper illud excellentias ſui panis. Hunc enim panem conſtituit Chriſtus Dominus vt eſſet ſignum, ac teſtimonium ſuæ maieſtatis, excellentiæ, ac Diuinitatis. Vide ſuprà num. 201. 202. & 203.

*Euchariſtia teſtimonium Diuinitatis Chriſti.*

353. Poſtulante Archiſynagogo, ingreditur Chriſtus domum eius ad ſanandam filiam ſuam; & cum puella eſſet iam mortua, magnus fletus ab omnibus excitabatur. Ait illis Chriſtus Dominus: *Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit*. Quod cum audiſſent circunſtantes, *Deridebant eum*. Matth. 9. n. 25. Luc. 8. num. 53. Chriſtus Dominus adoleſcentulam ſuſcitauit, *& iuſſit illi dari manducare*. Luc. citato loco n. 55. Perpende cætera Chriſti miracula, vel quando filium Viduæ ſuſcitat. Luc. 7. n. 15. vel Lazarũ à mortuis excitat Ioan. 11. n. 44 vel alia edidit miracula, nulli vnquam præcepit dari manducare, niſi huic puellæ. Sed quid magni myſterij in hoc latuit? Hoc puellæ miraculo in circunſtantibus magna ſeſe manifeſtauit incredulitas, vt in hoc negocio magis, quàm in vllo alio, veluti pignorata videretur diuina auctoritas. Inquit enim textus, quod adſtantes *deridebant eum*. Hic adoleſcentulæ cibum mandat apponi, qui ſacræ Euchariſtiæ typum exprimebat, vt docet Diuus Chryſoſtomus homil. 7. in Marc. Hac de cauſa dixit illi, ſurge. *Niſi ſteterimus*, ait, *Corpus Chriſti accipere non valemus*. De quo dixi tom. 2. cap. 29. q. 16. In hoc miraculo Chriſtus ſui corporis Sacramenti mandat adhibere figuram; in hoc enim euentu in aſtantibus magna incredulitas valde impudenter prodiit; indéque maximè in hoc negocio auctoritas Chriſti pignorata videbatur, ideóque ipſe figuram ſui corporis in Sacramento Altaris interponit, tanquam præclariſſimum ſuæ Diuinitatis, ac maieſtatis teſtimonium, vt inimicorum maleuolentia reprimatur, ac obmuteſcat.

Luc. 8. Matth. 9. Luc 7. Ioan. 11. D. Chryſoſt

*Euchariſtia, vt Diuinitatis Chriſti teſtimonio obmuteſcũt inimici.*

354. Inter vniuerſa Dei opera hoc Euchariſticum myſterium magnam habet celſitudinem, ac ſublimitatem; in eóque maximè declaratur diuina auctoritas, & maieſtas. Cum Daniël Propheta vehementer affligeretur ob captiuitatem ſui populi Iſraëlitici qua Babylone detinebatur; apparet ei Angelus quidam, qui felices nuncias de libertate populi detulit, dicens: *Princeps autem regni Perſarum*



Daniel. 10. *reſtitit mihi viginti, & vno diebus*. Daniel. 10. num. 13. Princeps autem iſte regni Perſarum eſt Angelus præfectus, datúſque cuſtos regni Perſarum, vt interpretantur S. Hieronymus, Theodoretus, S. Gregorius lib. 17. moral cap. 7. S. Thomas 1. p quæſt. 113. ar. 7. Lyranus, Carthuſianus Pereira, Pinto, & alij Idem eſt, ac ſi diceret, Angelus cuſtos Perſarum pro ſuis Perſianis diſceptauit, mihique reſtitit viginti, & vno diebus, ne tuus populus Hebræus à captiuitate exiret. Angelus autem ille Sanctus bene videbat de libertate populi promiſſionem Dei ſcriptam per Iſaiam cap. 45. Et tamen adhuc Angelus pro ſibi commiſſo munere pro Perſis cauſam agit! Et augetur difficultas. Quando populus Hebræus egreſſus eſt de Ægypto, cur etiam pro Ægyptiis eorum Angelum non fuiſſe locutum, ac reſtitiſſe ſcribatur? Angelus Perſarum pro ſuis diſceptat; non vero Angelus Ægyptiorum pro ſuis? Quid eſt hoc? Pro exitu à Babylone vrgebat diuina promiſſio; multæ autem promiſſiones ſunt conditionales. Pro exitu vero ab Ægypto interueniebat immolatio Agni Paſchalis. Exod. 12. n. 8. quæ Euchariſtici myſterij vmbra erat qua Iſraëlitici protegebantur. Quando ergo interuenit Dei promiſſio, adhuc Angelus ſanctus pro ſuo munere ſtat, & loquitur, quo ad vſque vltimum & abſolutum Dei decretum ſit reuelatum, cui Angelus maximè ſe ſubmittit, & conformat; at verò cum mediat Euchariſtici myſterij vmbra, tanta eſt illius altitudo, ac obumbratio, vt nullus ei reſiſtere audeat; ſed omnes ſpiritus angelici ſubmiſſè illud venerantur, & adorant.

D. Hieron. Theod. D. Gregor. D. Thom. Lyran Carthuſ. Pereira. Pinto. Iſaiæ. 45. Exod. 12.

*Euchariſtia protegit, & veneratur ſupra Dei promiſſionem.*

## QVÆSTIO LVII.

### *Quare Chriſtus valde frequenter in hoc ſermone de Manna agens, ſemper illud minuit, & deprimit exaltans ſuum Euchariſticum panem?*

355. SVPRA quæſt. 10 multas explicaui excellentias, quibus panis Chriſti ſuperior, ac ſublimior eſt Manna: nunc vero in quæſtionem vocamus: Cur quando Chriſtus Dominus de ſuo diuino pane pertractat in hoc ſermone, ſẽper Manna minuit & deprimit, vt patet ex locis citatis ſuperiori quæſtione ad initium. *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo verum, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. Et in præſenti. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem*, &c. Nunquid panis Chriſti de illorum conditione eſt, qui ad ſui laudem, aliorũ extenuatione, ac depreſſione indigent? minimè ſanè. Cur ergo Chriſtus Dominus hoc tam frequenter agit.

*Ratio difficultatis.*

356. Reſpondeo primò, & ad litteram. Quod cum apud Iudæos eſſet valde celebre Manna, & ipſi ad Manna maximè affecti tenerentur, tanquã ad maximum Dei donum, ſicque illud obiecerunt Chriſto Domino in hac diſputatione. *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi? Patres noſtri manducauerunt Manna in deſerto, ſcriptum eſt*, &c. hoc Ioan. 6. n. 30. Hac occaſione ſũpta Chriſtus in ſermone minuit, & deprimit Manna, ſuper illud oſtendens eminentes diuitias ſui panis, qui incomparabiliter Manna, & quodcumque aliud donum creatum excedit. In hoc Chriſti pane verè, & realiter eſt omnis bonitas, ſuauitas, dulcedo, ac ipſamet Diuinitas. Vnde hunc panem præſtantiorẽ paradiſum paradiſo terreſtri dicit Chryſoſt. hom. 13. de Regreſſu. In excellentiorẽ enim naturam nos euchit, & conuertit. Quod nec in Manna, nec in paradiſo terreſtri, ſed ſolum in Chriſti menſa inuenitur. Sic ait Chryſoſtomus. *Paradiſum recepi illo paradiſo meliorem; & ibi quidem ſerpens erat inſidians, hic autem Chriſtus myſteria celebrans, In illo paradiſo vnumquodque genus ſementis in ſuo perſeuerat ſtatu, in iſto vero paradiſo, ſi inuenero labruſcam, vitem vberem efficiam: ſi inuenero oleaſtrum, veram oliuam efficiam, talis enim eſt terræ iſtius natura* Eleganter ſanè. In terreſtri paradiſo vnumquodque ſtat in ſuo genere; at qui dignè ad hunc Chriſti paradiſum venit, in altiorẽ conditionem euehitur, & extollitur, vt ex labruſca fiat vitis.

Ioan. 6.

*Euchariſtia præſtantior paradiſus paradiſo terreſtri.* D. Chryſoſt

357. Secundò, In hac collatione tantũ extulit Chriſtus Dominus panem ſuũ ſuper Mãna, vt illius deſiderio hominum appetitus excitaretur ad tantam ſuauitatem ac oblectamentũ percipiendum, ac guſtandũ. Videns Cain, quod ſacrificiũ fratris ſui Abel Deo fuiſſet maximè gratũ, inuidia tabeſcebat. Ait illi Deus: *Cur concidit facies tua, nonne ſi bene egeris recipies*. Gen. 4. n. 7. tam apertè bonæ operationis apponit præmium. Philipp. Abbas. tract. de ſilentio Cleric. cap 107. *Peccatorem inuitat Deus, vt quieſcat, ne iterata culpa velut in faſciculum cõgregetur, ſed vt bonum operetur*. Vt tanto propoſito bene agendi præmio, eius deſiderium inflammet, vt omiſſa iniquitate fructum iuſtitiæ edat, vt illius guſtu delectetur.

*Ex diuitiis inflammatur deſiderium ad eius ſuſceptionem.* Geneſ. 4. Philipp. Ab.

358. Tertiò, Chriſtus tanquam maximè zeloſus ſui panis, non patitur, quod cum illo, Manna, vel aliquid aliud comparetur. D. Gregor. magnus in lib. 1. Reg. cap. 14, ſic loquitur: *Reſpondit Chriſtus non Moyſes dedit vobis panem de cœlo: quid eſt quod Chriſtus Moyſi detrahere videtur, quem aliàs ſæpe commendat? ſane zelo quodam vrgetur Chriſtus, neque in dando cibo hominibus quemquam patitur ſibi comparari*. Idemque docet D. Cyrill. Alexan. lib. 3. in Ioan. cap. 4. Non patitur Chriſtus vt aliquis ei in ſuis donis comparetur. Petit Chriſtus à muliere Samaritana aquam ex illo puteo Iacob, & inde occaſionem aſſumit maximè laudandi, ac extollendi aquam ſuam minuendique illam putei. *Reſpondit Ieſus, & dixit: Omnis, qui bibit ex hac aqua ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. Ioan. 4. n. 13. Ad quid Dominus in illa aqua tantum minuit? Magno zelo ſuæ aquæ, per quam gratiam intelligebat, Dominus tenebatur; & ideo eam tantum euehit; non enim patiebatur, quod ei alia comparari poſſet. In principio creauit Deus cælum & terram; *Terra autem erat inanis, & vacua*. Gen. 1. n. 1. Septuaginta. *Inuiſibilis, & incompoſita*. Quid eſt quod poſt cœlorum creationem, ſtatim terræ magitudinem extenuat; quod erat inanis, & vacua; inuiſibilis, & incõpoſita? Deus veluti de ſuorum cælorum pulchritudine zeloſus, videtur terræ amplitudini derogare, vt apertum omnibus fiat, quod terrenus globus cum ſuperiori ſphæra in nullo valet comparari.

D. Gregor. D. Cyr. Alex. Ioan. 4. Geneſ. 1.

*Non patitur Chriſtus vt alia ſuis donis comparentur.*

359. Hinc quoties Euchariſtiæ arcanum in collationem cum aliis myſteriis, ac operibus venit, magnã ſemper Euchariſtiæ ſupereminentiam denotat, & manifeſtat Dominus. Ieiunarunt Moyſes, & Elias quadraginta diebus abſque cibo, & potu.

Quæ

Alb. Magn. Quærit Albertus magnus in cap. 4. Matth. quodnam horum duorum ieiunium extitit maius miraculum? Iuxta illius mentem pro Eliæ ieiunio quæſtio decidenda: nam Elias quadraginta ieiunij 3. Reg. 19. diebus non quieuit in vno loco, ſed *ambulauit vſque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. num. 8. At Moyſes ieiunauit, cum in vno loco quietus reſideret, & ab illo non diſcederet, receptus in me- Exod. 24. dio cuiuſdam nebulæ. Exod. 24. n. 18. Maius eſt, quadraginta horis ieiunum ambulare quàm toto illo ſpatio abſque cibo ſedere, deambulatione enim maxime digeritur, ac decoquitur alimentum. Præſtantius ergo extitiſſe videtur Eliæ ieiunium.

*Præſtantiores effectus generat vna vmbra Euchariſtiæ, quam beatitudinis imago.*

Ex quonam principio euenit, vt hoc Eliæ ieiunium excellentius emineret? Moyſes quadraginta illis diebus extitit in conſortio ſermonis Dei, ac veluti qui quadam Beatitudinis imagine frueretur. At Elias ante illos quadraginta dies quodam pane Euchariſtici myſterij figura refectus eſt. Præclariores effectus in anima generat vna Chriſti in Sacramento Altaris vmbra, quàm cuiuſcumque beatitudinis imago, etiam per multos dies, & noctes participata, & obtenta. Deus de ſuo pane diuino maximè zeloſus ſemper in illo magnas excellentias ſuper cætera ſua opera declarauit, ac manifeſtauit.

# QVÆSTIO LVIII.

## *Quare Chriſtus ait:* Qui manducat: *cum tunc Sacramentum adhuc non eſſet inſtitutum?*

360. CVM Chriſtus hæc prædicabat, magnum Euchariſticum Sacramentum non erat inſtitutum, vt planum eſt, & ſæpè dixi. Et hac de cauſa Chriſtus in hoc ſermone ait numer. 50. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Prius extitit, quod hic panis à Domino eſſet elargitus, quàm quod homo illum manducaret. Cur ergo de manducante loquitur in præſenti, de ſe verò largiente in futuro. *Panis, quem ego dabo.*

*Ratio difficultatis.*

361 Reſpondeò. Quod homo hoc diuinum Sacramentum recipiat, hunc diuinum panem manducet tanquam magnum ſui obſequium Dominus reputat. Ad hunc ſenſum videntur D. Auguſtinus, & Beda explicare illa verba: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Quod autem ipſe ſe nobis præbeat in cibum; ſingulare, ac ingens eius beneficium. Quod ergo rationem obſequij inducit: *Qui manducat hunc panem:* in præſenti refertur. Quæ verò rationem doni vendicant, in futuro narrantur: *Panis, quem ego dabo.* Noſtra enim obſequia in præſenti apponuntur, cum large ab ipſo remunerentur: beneficia eius in futuro, quia quanuis valde magna ſint, adhuc maiora ab eo deſiderantur dari, & elargiri. Et ideo in Sacramento non ſolum nobis dat ſuam carnem, ſed etiam in calice ſanguinem, & in vtraque ſpecie per concomitantiam animam, & Diuinitatem.

D. Auguſt. Beda.

*Eximia liberalitas non ſatisfit iis, quæ donat, ſed maiora intendit.*

362. Pſalm. 36. De Iuſto ait Regius vates: *Tota die miſeretur, & commodat;* Pſalm. 36. num 26. Opera miſericordiæ commemorat; quæ Iuſtus exercet. Et ſtatim ſubdit. *Deus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos; in æternum conſeruabuntur.* Hoc eſt perpetuo ſuo auxilio, ac gratia eos proteget, & conſeruabit. Tamen iuxta veram, ac ſanam doctrinam Deus ſuum auxilium, ſuamque gratiam adiuuantem, ac ſuam protectionem, non ſolum in futurum, ſed etiam actualiter, ac in præſenti confert Iuſtis: nam cum ſint iuſti, habent Dei auxilium, & gratiam, qua corroborantur ac conſeruantur. Quo ergo motiuo Regius vates hanc Dei beneficentiam in ſuos ſanctos in futurum canit: *non derelinquet, conſeruabuntur:* Cum tamen de Iuſto dicat: *Tota die miſeretur, & commodat?* De Iuſtorum meritis ſic in præſenti loquitur, vt fiat euidens, in quanta apud Deum æſtimatione ſint: at verò eius gratiæ largitas, auxiliorum, & donorum multitudo, quamuis actualiter communicetur, non tamen conſideratur, pro vt actualiter confertur, ſed multo maior eorum abundantia, quæ in futuro eſt largienda; non eximia liberalitas ſatisfit iis quæ actu donat, ſed attendit ad ampliora, quæ concedere valet. Vide ſupra quæſt. 36.

*Eximia liberalitas datis de præſenti non inhæret, ſed maiora intendit.*

# QVÆSTIO LIX.

## *Quare hoc diſcrimen ponitur inter Manna, ac Chriſti panem, quod hic tribuat vitam?*

PRO diſcrimine lato, ac magna excellentia panis Chriſti ſuper Manna videnda ſunt, quæ dixi ſupra quæſt. 10. Nunc verò pro præſentis textus maiori explicatione aliquid dicendum circa id: Quomodo ſcilicet panis Chriſti vitam æternam conferat, quam Manna non præſtabat. 363.

Nam licet Manna proficeret ad temporalem vitam aliqualiter conſeruandam; ad mortem tollendam non proficiebat; & minus ad æternitatem tribuendam. Panis autem viuificus Chriſti, & mortem abigit, & æternam vitam largitur. Nec mirum ſanè, quod à Pane æternæ vitæ vita nobis communicetur æterna. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 37. *Viuificat,* ait, *corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit: non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem Incarnati Verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo vniuerſa viuunt, & ſunt.* De hoc vide, quæ dixi ſupra numer. 8. 9. 10. 162. & 163.

*Panis vitæ æternæ vitam dat æternam.*

D. Cyr. Alex.

Secundò. Idem D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 19. *Magna certè ſunt,* ait, *quæ à magnis aguntur: & ideo quæ à Deo nobis præbentur, digna profectò diuina magnificentia ſunt: ſi enim credis, panem de cælo deſcendiſſe, quod quidem quam maximum eſt; cur non credis, æternam ab eo vitam credentibus immitti? Decet enim æterna eſſe, quæ ab æterno donantur.* Manna edentes moriebantur, cæleſti autem Chriſti pane participantes vitam accipiunt immortalem. Illud Manna per corruptibilia aeris elementa deſcendebat, non ergo mirum, quod comedentes illud cum illo incorruptionem habeant. At Panis hic viuificus ab æterno Patre exortus, à filio eius Ieſu Chriſto nobis immediate datus, æternam in nobis generat vitam, Qualis enim fuerit datoris manus talia erunt munera abeo aliis collata: *Debet enim æterna eſſe, quæ ab æterne dantur.* 364.

D. Cyrill.

*Talia munera, qualis datoris manus.*

Æter



365. Pſalm. 109. Æternum Sacerdotium in Melchiſedech celebrat Regius Vates. Pſalm. 109. num. 8. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cur ab æterno Sacerdotio Aaronis ordo excluditur; ordo autem Melchiſedech aſſumitur? Quid magis ad perpetuandum ſacerdotium in hoc, quàm in illo viſitur? Aaronis Sacerdotium per generationis propaginem à temporalibus parentibus in filios transferebatur. At verò Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine vlla temporali generatione introducitur, ac proponitur; vt apertè denotetur, ſub ſolo Deo parente eſſe. Cum ergo de æternando Sacerdotio tractatur, meritò ille ordo reiicitur, qui per corruptibiles parentes transfunditur, à quibus mors, & corruptio neceſſe eſt vt veniat; & ille ordo eligitur, qui ſolùm eſt ſub Deo parente, qui vtpotè æternus æternitatem, & incorruptionem ſolus communicat. S. Leo ſerm. 2. in Anniuerſario Aſſumptionis. *Tu es Sacerdos in æternum,* ait, *ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, non ſecundum ordinem Aaron, cuius Sacerdotium per propaginem ſui ſeminis currens temporalis miniſterij fuit, & cum veteris teſtamenti lege ceſſauit: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, in quo æterni Pontificis forma præceſſit: & dum, quibus parentibus ſit editus, non refertur, in eo ille intelligitur oſtendi, cuius generatio non poteſt enarrari,* qui eſt ſcilicet Deus.

*Ab æterno æterna munera veniũt.*

S. Leo.

366. Semper dona datoris manus ſequuntur. Poſt Reſurrectionem apparet Chriſtus ſuis diſcipulis, & ait illis: *Pax vobis. Et cum hoc dixiſſet oſtendit eis manus, & latus. Dixit ergo eis iterum: Sicut miſit me viuens Pater, ego mitto vos: & cum hæc dixiſſet, inſufflauit; & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Ioan. 20. n. 20. Plenariam poteſtatem dat Chriſtus ſuis Apoſtolis regendi, ac gubernandi Eccleſiam. Sic explicant Chryſoſt. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius illud: *Sicut miſit me:* id eſt ſimili poteſtate, qua Pater me miſit ad inſtituendam, ac regendam Eccleſiam; ego pariter vos mitto eius doctores, ac rectores. Deindéque dat eis Spiritum ſanctum ad abſoluenda, & remittenda peccata. Sed ad quid ante tantæ poteſtatis collationem oſtendit eis manus, & latus? Cur non poſt datam poteſtatem, ſed ante oſtendit eis manus, & latus? Hæc illis in oſtenſionẽ præbet, vt cognoſcãt, non eſſe phantaſma, ſed verum, & reale corpus, vt ex vero corde, veriſque manibus vera dona ſe accepiſſe credant. Tertull lib. 3. contra Marcion. cap. 8. *Cum mendacium,* ait, *deprehenditur Chriſti caro, ſequitur, vt & omnia, quæ per carnem geſta ſunt, congreſſus, contactus, conuictus, ipſæ quoque virtutes mendacio geſtæ ſint: non poteſt verè actum credi, ſine corporis ipſius veritate; nihil ſolidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licet.*

Ioan. 20.

D. Chryſoſt. D. Cyrill. Theophyl. Euthym.

*Ex veris manibus vera dona accipiuntur.*

Tertull.

*Ioan. 6. num. 60.* Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum.

*Num 61.* Multi ergo audientes ex diſcipulis eius dixerunt, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.

*Num. 62.* Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?

### *VERSIONES.*

*Græcus, n. 61.* Rigidus eſt hic ſermo.

*Arabicus.* Difficilis eſt hic ſermo.

*Arabicus, n. 62.* Sciens in ſemetipſo

*Syriacus.* Sciens in anima ſua, dixit eis: Hoc vos offendit?

### *EXPOSITIO XIV.*

TAM celebris ſermonis explicat Euangeliſta locum, in quo habitus eſt, *In Synagoga* nempe, quæ erat veluti Eccleſia, ac ſchola publica, qua Iudæi conueniebant ad orandum, ac ad lectiones ſacræ Scripturæ audiendas. Vnde in Synagoga dicebat, vt ait Chryſoſt. quia multitudinem volebat attrahere ſéque oſtendere, Patri non eſſe contrarium. Et qui pro ſalute omnium venerat, non angulos, ſed loca publica, & patentia quærebat. *In Capharnaum.* In hac ciuitate habitus eſt ſermo. Chryſoſt. *In Capharnaum, vbi multa miracula fecerat, & proinde maximè audiendus erat.* Vt ex tot viſis miraculis fides eius dictis daretur, & maximè auditorum incredulitas, ac obſtinatio patefieret. 367.

*Veritas non angulos quærit.*

D. Chryſoſt.

*Multi ergo audientes ex diſcipulis eius.* Quinam eſſent hi diſcipuli, dubitabis? Euthymius hic exiſtimat, non fuiſſe ex Apoſtolis, ſed ex Septuaginta diſcipulis. D. Auguſt. tract. 1. in 1. Epiſt. Ioan. tradit, ferè omnes Septuaginta hac doctrina fuiſſe ſcandalizatos. D. Epiphan. hæreſi 51. ſcribit, duos Euangeliſtas Marcum, & Lucam, qui erant ex Septuaginta duobus diſcipulis, ob hoc verbum: *Niſi manducaueritis,* &c. fuiſſe diſperſos; tamen Marcum per Petrum, Lucam per Paulum reuocatos eſſe, docet. Sententia tamen Theophylacti præferenda eſt, qui ait: *Quando audis, quod diſcipuli eius recedunt, ne intelligas eos, qui verè ſunt diſcipuli, ſed eos, qui ſequebantur in ordine diſcipulorum, & videbantur figuram quidem gerere diſcipulorum, cum docerentur ab eo. Etenim & inter diſcipulos erant quidam, qui ad reliquam turbam collati dicebantur eius diſcipuli, manebant enim apud eum longiori tempore, quàm turbæ.* Et Marcum non audiſſe Chriſtum, ſed poſt eius mortem à S. Petro fuiſſe conuerſum, docent S. Hieron. in ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Marco; & Theodor. in præfatione Hiſtoriarum ſanctorum Patrum; & communiter Interpretes in illud S. Petri Epiſt. 1. cap. 5. verſ. 13. *Salutat vos Marcus filius meus.* Illi ergo hic dicuntur diſcipuli, qui à turba ſic nuncupabantur; non verò ex illis, qui à Domino fuerant deſignati. 368.

*Quinam erãt diſcipuli hi.* Euthym. D. Auguſt. D. Epiphan. Theophyl. D. Hieron. Theodor. 1. Petr. 5.

*Dixerunt, durus eſt hic ſermo.* Tertull. lib. de carnis reſurrectione cap. 37. *Durus ſermo,* id eſt, *intolerabilis.* Chryſoſt. hom. 46. *Difficilis intellectu.* Euthymius, *ægrè admitti poteſt.* Theoph. *Aſper, & qui ſuſcipi nequeat.* Dicunt, *durus eſt ſermo,* hac phraſi loquuntur, ſimilitudine ſumpta à cibo, qui pro duritie mandi non poteſt; ſed tota durities in eorum incredulitate erat: nam, vt ait D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 12. *Ad immanes,* ait, *ferarum mores vocari ſe, arbitrabantur, incitarique, vt vellent crudas hominum carnes manducare, & ſanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia ſunt.* Vehementer errabant; hæc Chriſtus ſic non dixit, ſed quod mirabili, 369.

Tertull. D. Chryſoſt. Euthym. Theoph. D. Cyrill.

mirabili, ac ſacramentali modo eis eſſet daturus carnem ſuam, qua nihil ſuauius, & iucundius. *Et quis poteſt eum audire.* Vitium ſuum aliorum iudicio defendunt; & cum Chriſti ſermo eis, ex ſua malignitate, durus videretur, ex ſe ipſis alios iudicabant.

*Homo ex ſe alios iudicat.*

370. Græcus. D. Chryſoſt. Syrus.
*Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum*, ſeu *in ſemetipſo*, vt habet Græcus, hoc eſt per ſuam omniſcientiam, nullo dicente, vt occultorum agnitor. Rectè Chryſoſt. ait: *Hoc enim erat diuinitatis argumentum, quò ſecreta reuelaret.* Et tunc dixit eis Chriſtus: *Hoc vos ſcandalizat?* Syrus, *offendit.* Ac ſi dicat: Hoc vos ſcandalizat, qui tot, & tam magna à me facta eſtis videntes miracula, ex quibus apertè probatur, me eſſe miſſum à Patre cum multa potentia, ac virtute ad mirabilia operandum; meamque doctrinam, vtpotè illius filij, eſſe veram, & infallibilem.

## Qvæstio LX.

### *Quomodo Iudæi tam impudenter dicunt: Durus eſt hic ſermo?*

371. D. Auguſt.
Rete primò reſpondet D. Auguſtinus: *Acceperunt*, ait, *illud ſtulte, carnaliter illud cogitauerunt; putauerunt, & quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt, durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo; etenim ſi duri non eſſent, ſed mites, dicerent ſibi: non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens: manerent cum eo, & non diſcederent ab illo.* Ita Auguſtinus, vt refert Barradas. Multa malitia hi Iudæi erant infecti. Audito ſermone ſtatim à Domino receſſerunt; nam ſi cum illo permanerent, ab eo inſtruerentur, & illuminarentur. Deinde cum Sacramentum latens in Chriſti verbis non intelligerent, non cum humilitate ab eo quærunt, vt doceantur, ſed vt ait idem Auguſt. tract. 27. in Ioan. *Prout voluerunt, intellexerunt, & more hominum.* Vt ipſi aptius haberent detrahendi occaſionem; & dixerunt, *durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo.*

*Iniqui perperam intelligũt, vt murmurent.*

372. D. Auguſt. Guarric.
Secundò, idem D. Auguſt. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli. *Dixerunt, durus eſt hic ſermo, & quis eum poteſt audire? Durus eſt, ſed duris, id eſt incredibilis incredulis.* Guarricus Abbas ſerm. 1. de S. Benedicto, ait. *Durus eſt, inquiunt, hic ſermo; nunquid non verus eſt? lapis durus eſt, nunquid non pretioſus eſt? Quare autem veritas dura eſt tibi, niſi propter duritiem cordis tui? Nec ob aliud pretioſum electum à Deo lapidem reprobauerunt, niſi quia durum putauerunt. Erat quidem petra Chriſtus, ſed virtute, non duritia. Erat petra, ſed quæ conuerſa eſt in ſtagna, vel in fontes aquarum, vbi mollia, & humilia, quibus influeret, inuenit corda fideliũ.* Sermo Chriſti durus duris, ac obſtinatis; illis verò, qui docili ſunt corde, fons eſt aquarum, & dicunt, vt his accommodat D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 21. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Pſalm. 118.

*Veritas dura ob duritiem tuam.*

*Sermo Chriſti durus duro, ſuauis docili.* D. Cyrill.

373. D. Cyrill.
Tertiò, idem D. Cyrillus citato loco. *Hi*, ait, *maiores ſuos imitantur, & quemadmodum illi ipſum Manna aſpernabantur, dicentes, exaruit anima noſtra in hoc Manna: ſic iſti verum panem non erubeſcunt obijcere, dicentes, durus eſt hic ſermo.* Facilè vnuſquiſque ſuæ gentis mores ebibit, & malitiam, quam antiqui Hebræi habuerunt in Manna, Euchariſtiæ typum, hi in ipſummet Sacramentum proferunt impudenter.

*Quiſque maiores ſuos imitatur in malo.*

374. D. Bernard.
Quartò D. Bernard. lib de diligendo Deo. *Durus eſt hic ſermo, ait generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius, ſed magis ſperans in incerto diuitiarum. Verbum crucis audire grauatur, ac memoriam Paſſionis ſibi iudicat oneroſam.* Auditis Chriſti myſteriis, dicere, durus eſt ſermo, Phariſaicum verbum eſt; nam qui, agnoſcentes eximiam Chriſti charitatem, qua nobis carnem ſuam dedit in cibum, ac pro nobis crucem aſcendit, tamen obſequio ſuo diuitiis indulgentes, recuſant tanto beneficio correſpondere, vt pro Chriſto nolint vitam dare, iis durus eſt ſermo. Qui verò prompti ſunt animo, vt tanti beneficij memores pro Chriſto omnia ſubeant tormenta, his ſuauis, & dulcis eſt ſermo.

*Facilis eſt ſermo ijs, qui Chriſto parati ſunt vitã dare.*

375.
Quintò, non poterant Phariſæi intelligere, quomodo Chriſtus Dominus, tam potens, & magnificus rex, paruulis, & humilibus ſe daret in cibum. Vulgare eſt enim apud homines, vt principes, & magnates comedant pauperes, & minimos; at verò quod ipſi paruuli, & minimi veſcantur regem, ac principes, res videtur difficilis intellectui. Somniauit Pharao, ſe vidiſſe iuxta ripam fluminis ſeptem boues pulchras, & craſſas nimis: *Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, & paſcebantur in ipſa amnis ripa, deuorauerúntque eas, quarum mira ſpecies, & pulchritudo corporum erat.* Geneſ. 41. n. 4. Expergefactus Pharao conuocat omnes ſapientes Ægypti, & *nemo erat, qui interpretaretur.* Vnde hoc ſomnium tam abſtruſum, vt nullus illud valeat coniecturari. Præpondera, quod dicitur: Boues nempè macilentæ deuorabant pingues obeſis carnibus. Et cum hoc eſſet tam valdè nouum, nullus erat, qui interpretaretur; oppoſitum enim frequenter euenit in hoc ſæculo, vt vberes, & repleti extenuatos deglutiant; ſed cum vice verſa contingeret, ab humana ratione non capiebatur.

Geneſ. 41.

*Principes deuorant pauperes.*

376. D. Cyrill. Procop. Iſaiæ 60.
At Chriſtus Dominus ſupremus Rex in hoc Sacramento nos nutrit, & reficit. Vnde ſanctæ Eccleſiæ ait, vt interpretantur D. Cyrillus, Procopius, *Mamilla Regum lactaberis.* Iſai. 60. n. 16. Non inquit, lactaberis fluminibus, ſed mamillis. Flumen, cum aquis repletur, ſuperbiùs intumeſcit; at mamilla repletur, vt alios reficiat, illíſque alimentum præbeat.

*Ioannis 6. n. 63.* Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius?

*Num. 64.* Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.

*Num. 65.* Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt: ſciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum.

*Num. 66.* Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.

*Num. 67.* Et ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum eo ambulabant.



### *Versiones.*

*Arabicus, n. 64.* Corpus non poteſt quidquam facere.

*Syrus.* Spiritus ſunt, & vita ſunt.

*Vatablus, n. 65.* Et quis proditurus eſſet eum.

*Syriacus n. 67.* Propter hunc ſermonem.

*Arabicus.* Propter hoc.

### *Expoſitio XV.*

377. D. Cyrill. Euthym. Maldonat.
*Si ergo videritis.* Non retractat Ieſus, quæ dixerat, ſed, vt ait D. Cyrillus, *Alia eos re mirabili ad fidem impellit.* Et ait Dominus, *Si ergo videritis*; Euthymius. *Loquitur*, ait, *de futura ſua in cælum Aſcenſione.* Quod ita intelligo, à quo non diſtat Maldonatus. Si videritis veſtris oculis, vel certo auditu, ac relatu à meis Apoſtolis, *filium hominis*, ſe ipſum intelligit, modeſtiæ tamen cauſa ſic loquitur, *aſcendentem*, ſecundum humanitatem, *vbi erat prius*, quoad diuinitatem, vt interpretantur Euthymius, Albertus Magnus, S. Thomas. Si hæc videritis, ait Euthymius, non ſcandalizabimini de his, quæ dico; nam ex meo in cælum aſcenſu per propriam virtutem cognoſcetis, me de cælo deſcendiſſe, meque eſſe verum Deum, ac filium Dei, cui omnia ſunt poſſibilia, immò & facilia: Exindéque cognoſcetis, me poſſe vobis in cibum dare carnem meam, per illámque vos in vitam æternam ſuſcitare.

Euthym. Albert. Mag. D. Thom.

378. D. Cyrill. D. Auguſt. Leontius. Rupert.
*Spiritus eſt, qui viuificat.* Dupliciter hæc verba explicantur. Primò à D. Cyrillo, D. Auguſtino, Leontio, Ruperto. Ac ſi dicat Chriſtus: Caro mea ſola non prodeſt comedenti ad vitam æternam conferendam, ſed *Spiritus viuificat*, id eſt Deitas mea meæ carni coniuncta viuificat, tam animam, quam corpus in reſurrectionem. Sicut dicitur, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec corpus ſenſit, ſed ſpiritus, id eſt anima, quæ per oculum videt. D. Auguſt. tract. 27. in Ioan. *Caro ſola non prodeſt*, ait, *ſed accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum; nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro fieret.* Et lib. 10. de ciuitat. cap. 24. *Caro*, ait, *non per ſe ipſam mundat, ſed per Verbum, à quo ſuſcepta eſt.* Similiter D. Cyrill. Et ſubditur. *Verba, quæ ego locutus vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, id eſt ſpiritus viuus, & viuificans, ſcilicet ipſa Deitas mea, quæ eſt ſpiritus, & per comeſtionem meæ carnis communicatur.

D. Auguſt.

D. Cyrill.

379. D. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. D. Thom.
Aliter, & aptius explicabis cum Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio, S. Thoma, & aliis. *Caro*, id eſt, ac ſi dicat Chriſtus, carnalis ſenſus, quo vos exiſtimatis, carnem meam, inſtar carnis bouinæ, verbi gratia, eſſe dentibus premendam, & manducandam, *non prodeſt quidquam*, ad æternam vitam præbendam, *ſpiritus eſt, qui viuificat*, ſcilicet ſpiritualis ſenſus, quo credimus, Chriſti carnem diuinitati vnitam, ſacramentali modo ſub ſpeciebus panis, & vini occultatam in Altaris myſterio, manducandam eſſe à nobis, quæ animæ, & corpori dat æternam vitam. *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita sũt.* Hoc eſt *Spiritus*, hæc quæ dixi, vt ait Euthymius, ſpiritualia ſunt, ſpiritualiter, ac ſacramentaliter accipienda ſunt, vt modò dixi, & non carnaliter, vt vos perperam Phariſæi interpretamini: *Et vita ſunt*, vitalia nempe, vitam audienti, manducantíque præbent. Hic modus loquendi hebraiſmus eſt, abſtractum pro concreto: ponitur enim ſæpè caro, & ſpiritus pro carnali, & ſpirituali ſenſu. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* 2. Corinth. 3. num. 6. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* Matth. 16. num. 17.

1. Cor. 3. Matth. 16.

380. D. Auguſt. Rupert. Albert. D. Chryſoſt.
*Sed ſunt.* Illa particula, *ſed* cauſam connexionis indicat; murmurationis, ac receſſionis iſtorum, ego non ſum cauſa, nec mea verba, ſed illorum incredulitas, qua ipſi obſtinati non credunt verbis meis, quæ tot, tantíſque ſunt miraculis confirmata, vt ponderant D. Auguſt. Rupert. Albert. *Sciebat enim ab initio*, ſuæ prædicationis, ac vocationis diſcipulorum, vt ait D. Chryſoſt. Vel *ab initio*, id eſt à primo inſtanti ſuæ conceptionis per ſcientiam ſuæ humanitati communicatam. *Qui eſſent non credentes*, increduli nempè futuri, *Et quis traditurus eſſet eum.* Hic denotat Euangeliſta, vt aduertunt D. Auguſt. Beda, Albertus Magnus, Franciſcus Lucas, Iudam proditorem fuiſſe vnum ex non credentibus, qui audito ſermone de eius carne comedenda offenſus eſt; hoc enim exigit verborum connexio, aliàs hic de traditore mentio non fieret.

D. Auguſt. Beda. Albert. Mag. Franc. Luc.

381.
*Et dicebat, propterea*, &c. *niſi datum fuerit à Patre*, *niſi* ſcilicet *Pater meus traxerit eum*, verſ. 44. Vide ibi dicta in expoſitione.

382. Euthym. Syriacus.
*Et ex hoc*, ſcilicet tempore, interpretatur Euthymius. At Syriacus habet, *proper hunc ſermonem.* Propter nempe auditum Chriſti ſermonem, *multi diſcipulorum eius abierunt retro*, relinquentes Ieſum, *Et iam non cum illo ambulabant.* Hi non fuerunt duodecim Apoſtoli, nam ſequenti verſu excipiuntur. De diſcipulis iam ſuprà dixi.

## Qvæstio LXI.

### *Quare, cum Chriſtus denunciat Diſcipulis futuras perſecutiones nullus abit, aut recedit, vt faciunt audito hoc ſermone?*

383. Matth. 10.
Mvltas Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis denunciat perſecutiones, quas pro ipſo erant ſubituri. *Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Matth. 10. num. 17. Et iterum: *Tradet frater fratrem in mortem & Pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* ibidem num. 21. Cum hæc tam dura, & aſpera audiunt Diſcipuli, nullus ſcandalizatur, nullus retrocedit, ſed omnes firmo gradu ſtant. Cum verò Dominus in præſenti ſermone de ſuo corpore in cibum apponendo pertractat, *multi ergo audientes ex diſcipulis eius dixerunt, durus eſt hic ſermo.* num. 60. & in præſenti ſcribit Euangeliſta, *Ex hoc multi diſcipulorum*

*Ratio difficultatis.* *lorum abierunt retro.* Hominibus nihil eſt pretioſius, quam vita, & honor; & tamen cum illis prædicat Chriſtus, quod illius cauſa vitam grauiſſimis tormentis exhalaturi ſint multiſque iniurijs & opprobriis afficiendi; omnes conſtantes, immobileſque perſiſtunt; cum autem eis prædicit ſuum corpus in cibum eſſe dandum, tunc quamplures deficiunt, ac Dominum relinquunt.

384. *Homo facilius vitam contemnet, quam acquieſcet his quæ nõ intelligit.* Reſpondeo. Quod facilius noſtri corporis infirmitas conculcabit incommoda propriæ vitæ, ac honori aduerſantia; quam quod noſtri iudicij debilitas ſuperet, & vincat difficultates, quas propria illius ratio non aſſequitur; & contra id quod illius ſenſus experiuntur, ac ſentiunt; facilius enim homo vitam contemnet, quàm acquieſcet iis, quæ illius non capit ratio.

385. Ioan. 11. Cum Dominus vellet ire in Iudæam, auertebant eum Diſcipuli ab itinere dicentes, quia nunc quærebant te lapidare. *Tunc Thomas; qui dicitur Didymus, dixit ad condiſcipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum illo.* Ioan. 11. num. 16. Et tamen poſt Reſurrectionem, cum ei dicunt Apoſtoli, ſe ipſos Dominum rediuiuum à mortuis vidiſſe, cum eoque conuerſatos eſſe, ait: *Niſi video in manibus eius fixuram clauorum & mittam digitum meum in locum clauorum & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ioan. 20 num. 25. Antea tam firmus, & conſtans erat. Beda. *Thomas*, ait *præ omnibus ſocios hortatur, vt eant, & moriantur cum illo, in quo magna apparet conſtantia.* Quomodo ergo poſt Reſurrectionem tam inconſtans in fide? In primò euentu agebatur de vita pro Chriſto mortis periculo exponenda, vnde audacter dicebat. *Eamus, & moriamur cum illo.* At poſt Reſurrectionem res erat vt crederet hominem mortuum rediuiuum, quod eius intellectus non capiebat, ſed illi multo ſuperius erat; ex quo dicebat: *Niſi mittam manum meam, non credam.* In contemnenda pro Chriſto vita, nimis audax, in ſubiicienda tamen Apoſtolorum teſtimonio ratione multum incredulus, pertinaciter reluctans, in fideque inconſtans.

*Ioan. 20.* *Beda.* *Thomas in cõtemnenda vita audax; in ſubiicienda ratione incõſtans in fide.*

*Ioan. 6. n. 68.* Dixit ergo Ieſus ad duodecim: nunquid & vos vultis abire?

*Num. 69.* Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba æternæ vitæ habes.

*Num. 70.* Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, n. 68.* Dixit Ieſus Dodecadi ſuæ

*Arabicus.* Ad congregationem duodecim.

*Syriacus, n. 69.* Domine mi, ad quem ibimus.

*Arabic. n. 70.* Et nos certi ſumus.

*Græcus.* Tu es ille Chriſtus, ille filius Dei viuentis.

### *EXPOSITIO XVI.*

386. DIXIT *Ieſus ad duodecim*; cũ multi ex dictis à turba diſcipulis ſcandalizati, ac offenſi abirent; modeſto, ac quieto vultu dixit Ieſus ad duodecim. Ait D. Auguſt. *Illis duodecim, qui remanſerant, namque Iudas receſſit*, ne ſolus ex Apoſtolis retrocederet, ac proinde Apoſtatæ nota infamaretur. Secundò. Vt aleretur ex Chriſti eleemoſynis. Tertiò. Vtque geſtans loculos quaſi procurator Chriſti familiæ, nummos, quos portabat, ſurriperet. Erat enim ipſe fur, & latro.

D. Auguſt. *Cur Iudas non receſſit.*

387. D. Cyrill. *Reſpondet Simon Petrus.* D. Cyrillus. *Decet enim* ait, *non omnes confuſè, ne proſilientes imprudenter quaſi rupta vi oratione, ſed cedere iis qui & concilio, & ordini præpoſiti ſunt.* Pro omnibus reſpondet Petrus, vt ordine maior, fide firmior, ac Ieſu amantior. *Domine ad quem ibimus.* D. Auguſt. tract. 27. in Ioan. *Repellis nos à te: da nobis alterum te: ad quem ibimus, ſi te relinquamus?* Ex quo ait Chryſ. hom. 48. ad Populũ. *Ipſe*, ſcilicet Chriſtus, *erat eis omnia, neque cælum, neque cæleſte regnum ante deſideriũ ducebant. Tu mihi cuncta illa.* Hugo in præſenti. *Quoniam omnibus eſt eis Chriſtus honorabilior, & & patribus, & matribus, & aliis omnibus, vt deſiſtentes ab eo non reputent ſe alibi refugiũ inuenire.*

D. Auguſt. D. Chryſoſt. Hugo. *Chriſtus mihi omnia.*

388. D. Cyrill. *Verba æternæ vitæ habes.* Verba tua, ô Ieſu grata, ſuauia, ac viuifica ſunt; certam enim rationem docent conſequendi vitam æternam. D. Cyrillus. *Non dura*, ait, *vt illi* (Capharnaitæ) *dicunt verba, ſed æternæ vitæ habes quæ conducere credentes poſſunt ad vitam incorruptibilem.* Cuius tanta eſt ſuauitas, ac dulcedo, vt ſermo Chriſti, quemadmodum in ore illius leonis quem occidit Samſon, repertus eſt fauus mellis ſic interpretatur hæc verba D. Proſper lib. de Promiſſi. p. 2. cap. 1.

*Verba Chriſti dulcia.* D. Proſper.

389. *Et nos credimus*, te docente, ac reuelante; *& cognouimus* ex teſtimonio Ioannis Baptiſtæ noſtri magiſtri, ac ex virtutibus, & miraculis tuis, *quia tu es Chriſtus filius Dei.* In textu græco cuilibet verbo apponitur articulus *ille*, vt notat D. Cyrill. Tu ſcilicet es ille Chriſtus à Deo promiſſus, & per tot ſæcula deſideratus: Tu es ille filius Dei naturalis per propriã ſubſtantiã, & non adoptiuus per gratiam.

Græcus. D. Cyrill.

390. Pro tam præclara fidei confeſſione à Petro prolata, cum multi recederent, nullam ei in remunerationem legimus promiſſionem factam, vt vidimus ad portas Cæſareæ, Matth. 16. num. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.* Cur ergo non etiam in hoc euentu? Finiuerat Dominus modò admirabilem ſermonem, in quo ſuum corpus in Euchariſtia pollicitus eſt; qua ſponſione facta nihil maius ſupererat in promiſſionem dari.

Matth. 16. *Euchariſtia nullum maius donum.*

## QVÆSTIO LXII.

### *Quare Chriſtus hic quærit à Diſcipulis ſuis, an & ipſi velint abire?*

391. D. Cyrill. RESPONDET primò D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 27. *Ne putarentur*, ait, *Apoſtoli Iudæorum imperitia detineri, aut cum illis murmurare diſcipulis, vtiliſſime interrogauit an vellent abire, vt hac interrogatiuncula ad confeſſionem veræ fidei prouocaret.* Ne Apoſtoli viderentur aliorum errore infecti, eos ſic publicè interrogat vt eorum affectus probaretur, conſtantia pateſieret ac rectæ fidei confeſſio exprimeretur.

*Confeſſio fidei.*

Secun



392. D. Chryſoſt. Secundò D. Chryſoſtomus homil. 46. *Non eis dixit*, ait, *abite: hoc enim eſſet eos expellere: ſed interrogauit eos, an vellent abire, auferens eis vim & neceſſitatem: ex neceſſitate enim detineri, par eſt, acſi abirent.* Idem habet D. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. Eis Dominus optionem dat, an velint permanere, vel recedere; non vult eos vi, aut verecundia detineri, ſed liberè, ac ſpontaneè. Coacta enim religio ſpecies irreligionis eſt, & ſacrilegij blandimentum.

D. Cyprian. *Deus vult obſequia voluntaria.*

393. Theophyl. Tertiò Theophylactus. *Per hoc autem demonſtrauit*, ait, *quod, ſcilicet* manendo, *beneficium potius accipiant, quàm præſtent: & accipiant magis, quàm dent.* Permanendo in Chriſti comitatu, non gratiam, nec beneficium exhibebant Chriſto, ſed ſibimet ipſis. Quartò. Vt hac libertate conceſſa eos ſibi magis deuinciret, ac ad permanendum alliceret: ſæpe enim contingit, vt rogati nolimus, non rogati velimus; vt inuitati fugiamus, non inuitati accedamus. Pro quo facit Chryſoſtomus citandus.

*Aliquando rogati nolumus, non rogati volumus.*

394. D. Chryſoſt. Quintò. D. Chryſoſtomus. *Per hunc autem modum*, ait, *oportebat eos trahi: nam ſi eos laudaſſet, paſſi eſſent aliquid humanum, exiſtimantes, ſe gratiam Chriſto facere, eum non derelinquendo. Oſtendens verò, ſe non indigere eorum ſequela, magis eos detinuit.* Agnoſcant Chriſti Apoſtoli, quod eorum opera Chriſtus non eget; nullus ſibi inaniter perſuadeat, quod Chriſti ſchola, vel Eccleſia, eius eloquentiæ, eiuſque operis indigeat. Vt hoc ergo Chriſtus declararet iis ait, an vellent abire; nam eſto abirent, adhuc ſchola Chriſti permaneret. Vnde eleganter Tertullianus in Apologia Gentium; eorum deos irridebat dicens, *non ſufficimus, hominibus, & diis veſtris mendicantibus opem ferre.* Deos mendicantes faciebant, qui multa hominum opera indigebant. Quale erat idolum apud Babylonios. *Cui impendebantur per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Daniel. 14. num. 2.

*Chriſtus nullius opera indiget.* Tertullian. Daniel. 14.

395. Geneſ. 8. Egreſſus ab Arca ædificauit Noe altare Domino, *& tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Geneſ. 8. num. 20. Cur non illa integra Domino reſeruantur? Ad quid in holocauſtum offeruntur? In holocauſto omnia igne conſumuntur: ſic ergo diſpoſuit, quod illa oblata edax flamma deuoraret, vt inde fieret euidens, quod Deo illa non erant neceſſaria; ſed quod munera ita Deo præſentabantur, vt in offerentium cederent vtilitatem, non verò quod Deus illis egeret. D. Chryſoſtomus homil. 27. in Geneſ. *Accepta fuit Deo*, ait, *oblatio iuſti, vt per ipſam ſciatur, Dominum nullius indigere; & propterea conceſſit, vt igne conſumerentur: vt ex ipſis, quæ fiunt, diſcant etiam ij, qui offerunt, quod omnia propter ſuam vtilitatem fiant.*

*Deus noſtris donis non eget.* D. Chryſoſt.

*Ioan. 6. n. 71.* Reſpondit eis Ieſus: nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus eſt.

*Num. 72.* Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotẽ: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet vnus ex duodecim.

### *VERSIONES.*

*Sy[illegible]cus.* Et ex vobis vnus Satanas eſt.

Loquebatur de Iuda filio lio Schemeon Scariouto, futurus enim erat, vt ipſe proderet eum.

### *EXPOSITIO XVII.*

396. RESPONDIT *eis*, nam quamuis Petrus ſolus eſſet locutus, omnium nomine locutus eſt, & ideo Euangeliſta ſcribit, *Reſpondit eis: nonne* tanquam per interrogationem ad maiorem verborum efficaciam, *ego vos duodecim elegi*, ex omnibus meis diſcipulis in Apoſtolos, ac doctores Eccleſiæ, quo nullam maiorem ordinaui dignitatem, *& vnus ex vobis diabolus eſt.* Acſi diceret. Chriſtus, ait Theophylactus, Tu Petre omnium nomine loqueris, tanquam ſi omnes in me credant, meque agnoſcant filium Dei, mihique ſint fideles amici; ſcito tamen, te falli; vnus enim ex eis ingratiſſimus, & mihi infidus, diabolus eſt, qui me eſt proditurus. An Iudas eſſet bonus, quando electus fuit à Chriſto; & cur electus? dixi ſupra cap. 5. quæſt. 20. & 21.

Theophyl.

397. Nonius. *Cur Iudas diabolus.* Peluſiota. Diabolus eſt, Nonius, *qui dicetur apud poſteros alius nouus diabolus.* Et rectè quidem, nam, vt ait D. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 364. *Totus diabolus in eum ſe iniecit.* Cum videret illius malitiam, & vitia. Deinde quia inſtar diaboli à Deo recedentis Iudas à Chriſto receſſit. Tertiò quia Iudas fuit incredulus, & mendax Chriſto; diabolus autem pater mendacij dicitur. Ioan. 8. Quartò Syriacus habet *Satanas* ſcilicet aduerſarius, maximè enim Iudas fuit contrarius Chriſto, in omnibus illi ſe oppoſuit.

Syriacus.

398. *Cur nomen nõ exprimit.* D. Chryſoſt. Illius nomen non exprimit, nec declarat Chriſtus. Chryſoſtomus homil. 46. *Conſidera Chriſti ſapientiam: neque enim eum Chriſtus manifeſtum fecit, ne inuerecundum faciat, & ſic litigioſior fiat.* Non declaratur Iudas; nam qui ſine honore viuit, ſine verecundiæ fræno præceps fertur. Vel illius nomen non propalatur, vt cæteros in humilitate conſeruaret; dum quiſque eorum neſciens, quem Chriſtus deſignaret, ab ea ſibi ignominia timeret, ac timendo, de ſuo ſtatu minimè ſuperbiret.

399. *Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem.* Hæc dixit Chriſtus præmonens Apoſtolos, vt cum poſtea ipſi viderent illius execrabile nefas, certò ſcirent, quod Chriſtus Dominus illa omnia certiſſimè ſciebat, & agnoſcebat; tamen ob altitudinem ſui conſilij, ac diuitias ſui amoris pro nobis ſe in mortem tradidit.

## QVÆSTIO LXIII.

### *Quare Iudas, manens in Chriſti comitatu, vocatur ab ipſo diabolus, non verò diſcipuli recedentes?*

400. *Ratio difficultatis.* CVM audiſſent diſcipuli admirabilem Chriſti ſermonem, multi *dixerunt; durus eſt hic ſermo, & ex hoc multi diſcipuli eius abierunt retro,*

*& iam cum illo non ambulabant.* Et tamen nullus ex recedentibus diabolus dicitur, quod nomen hic Iudæ tribuitur permanenti in Domini ſchola: *vnus ex vobis diabolus eſt.*

401. Reſpondeo. Maius crimen commit Iudas, maiorique dolore Chriſtum affecit, dum pſe permanet in eius comitatu, vt indigniſſimè Domini corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus ſacramentalibus acciperet, & communicaret. Maius, inquam, crimen commiſit, quàm illi alij, qui ab eius ſchola, ac doctrina abierunt, & receſſerunt. Nullum maius execrabile nefas, quàm puriſſimum Domini corpus, & ſanguinem in polluto corde, & anima ſuſcipi. Tam ingens ſcelus eſt, ad Chriſti menſam indignè accedere, vt homo talia perpetrans, non tantùm diabolus, ſed peior diabolo videatur. D. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. *Dico*, inquit, *horribile quoddam, atque tremendum; non eſt ita malum, Dæmoniacos intrà Eccleſiam eſſe, ſicut iſtos.*

*Indignè communicare, grauiſſimum peccatum. Indignè mãducans diabolo peior.*

D. Chryſoſt.

402. Pertractat Iudas cum Iudæis, pactumque cum eis init, quod illis Dominum Ieſum ſit traditurus: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Matth. 26. num. 15. Cum hæc Iudas peregiſſet, erga illum Chriſtus ſe offenſum non declarauit, ſed amicabiliter cum eo agit, eius pedes, vt multi volunt, ante omnes lauat, ac oſculatur. At cum ille mala conſcientia, tanto crimine coinquinata, ſacratiſſimum Domini corpus in cœnaculo accepiſſet, ſtatim de illo Dominus conqueritur, illiuſque magnam indicat ingratitudinem. *Poſt bucellam introiuit in eum Satanas; & dixit ei Ieſus, quod facis, fac citius.* Ioan. 13. num. 27. Hæc verba: *quod facis, fac citius*: iuxta Chryſoſtomum homil. 71. in Ioan. Theophylactum, ſunt dicta veluti per modum exprobantis, ac conquerentis; tanquam ſi dixiſſet Chriſtus: Tanta dona à me accepiſti; & extrema mala mihi moliris? hæccine ſunt tua maleficia, quibus tot beneficia mea rependis? Sed age, quod agis. Cur modò exprobrat Iudæ ſuam malitiam, & non potius quando cum Iudæis venditionem paciſcitur? Vehementiori dolore animam Chriſti vulnerauit Iudæ crudelitas, cum ſacratiſſimum eius corpus ſacramentatum polluta ſuſcipit anima, quàm dum cum inimicis negociatur, ipſummet naturale corpus in eorum manus ad crucem, & mortem tradere.

Matth. 26.

Ioan. 13. D. Chryſoſt. Theophyl.

*Grauiſſimum Iudæ crimen. polluta anima Chriſtũ ſuſcipere.*

403. Quod maximè confirmatur ex his, quæ ſcribit Ioannes. *Poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Nonne antea in eum diabolus erat ingreſſus, cum Iudas Sacerdotum principibus dixiſſet: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Matth. 26. num. 15. Quomodo ergo dicitur, quod Poſt buccellam introiuit in eum Satanas? Num diabolus pdiuini epuli virtutem comntefit? Abſit. D. Anaſtaſius Sinaita de ſancta Synaxi. *Non quod*, ait, *diabolus panem illum deſpiceret, ſed vt eum, qui ſumpſerat, redargueret, in iudicium enim ſuum ſumpſerat.* Cum Iudas indignè communicaſſet, veluti nouo, ac ſpeciali iure dicitur diabolus in eum ingreſſus, vt illum accuſaret, redargueret, ac in iudicium æternæ damnationis impelleret.

Ioan. 13.

Matth. 26. *Valde ſpecialiter diabolus in Iudam eſt ingreſſus.* D. Anaſt. Sin.

404. Grandi peccato peccauit Iſraël adorans vitulum in deſerto; tamen in eos Dominus pœnam per ſe ipſum immediatè non intulit, ſed ex mandato Moyſi filij Leui ſumentes gladium quamplurimos interfecerunt. *Si quis eſt Domini, iungatur mihi*, &c. Exod. 32. num. 26. Poſtea verò cum populus murmuraſſet contra Manna, piſces, ac carnes Ægypti deſiderans. *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto*, &c. *Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Num. 11. num. 5. Quod fuit adeo inuiſum diuino numini, vt ſtatim ſubiiciatur: *Ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis*, ibidem. num. 33. Quæ plaga magna fuit vehemens, ac terribilis ignis, vt notant Expoſitores, & patet ex eodem cap. num. 2. cum lectione Septuaginta. Cum profecti de monte Hor iterum murmuraſſent contra Manna: *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Num. 21. num. 5. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes.* Ex quorum plaga quamplurimi ſunt mortui. Cur quando ei homines debitam adorationem negant, illamque creaturæ, vni nempe vitulo tribuunt, Dominus per ſe ipſum à ſupplicio abſtinet, illudque Moyſes imponit, & exequi mandat; at cum contra Manna loquuntur in vno, & altero caſu, ſtatim valde rigidè ira Dei in eos deſæuit? Manna diuiniſſimi Sacramenti Altaris figura extabat: & nihil magis oculos diuinæ maieſtatis offendit, quàm quòd tanti myſterij altitudo ſupremâ religione non proſequatur, ſed in nobis vileſcat. Quod debitus honor ſuæ infinitæ Diuinitati denegetur, Deus aliquantulum diſſimulare videtur: at quod diuinum Euchariſtiæ Sacramentum, eiuſque vmbra conuenienti, ac requiſita veneratione non colatur, minimè patitur, ſed ſtatim diſtricta vindicta valde rigidè in eos concitatur, & deſcendit. D. Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam. *In his*, ait, *Manna faſtidiunt, à ſerpentibus vulnerantur.*

Exod. 32.

Numer. 11.

Septuaginta.

Numer. 21.

*Grauiſſimũ peccatum, ſi Euchariſtia non ſuprema veneratione colatur.*

D. Hieron.

405. Trahat nos Pater ad hanc ſacratiſſimam Chriſti menſam, vt auido corde, & pura mente dignè ad eam accedamus, vt ad illa reſurrectionis gaudia quantocius peruenire valeamus, vt ait D. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini. in fine. Quo finitur ſecundus annus prædicationis Chriſti. Cuius tertium annum, ipſo annuente, vſque ad geſta in cœnaculo excluſiuè, quartus tomus explanabit.

## Laus Omnipotenti Deo, Puriſſimæque Dei Genitrici Mariæ, noſtriſque ſanctis Virginibus, Tereſiæ, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzi.



# INDEX

## Rerum memorabilium, quæ hoc tertio Tomo continentur.

### A


*Abiectus.*

ABIECTIO propter Deum, magnum lucrum, & ſublimatio. pag. 218. n. 107. 108. & 109

Id, quod erat abiectum, ignominia nobilitatur. p. 482. n. 53

Vide *Humilitas.*

*Abſcondo.*

Abſconditis per humilitatem operibus Deus efficaciſſimè capitur. p. 250. n. 80

Abſcondi non poteſt malitia. p. 415. n. 11

Dum ſe abſcondit malitia, proditur. p. 415. n. 16

Deus, quò magis abſconditur, eo magis ſuæ cognitionis radios emittit. p. 495. n. 20. 21. & 22

Abſcondenda cæleſtia dona. p. 494. n. 14

In abſcondito verſantes Chriſtum inueniunt. p. 502. n. 63

De abſconditis in corde aliorum cogitationibus homo maximè dolet. p. 519. n. 6

*Abſentia.*

Abſentia pluris facimus, quàm præſentia. p. 210. n. 60. 61. & p. 585. n. 176

Ex abſentia maximè deſiderabilis fit præſentia. p. 591. n. 23

*Abundantia.*

Abundantia temporalium in ciuitate, ruina virtutum. p. 102. n. 29

In Chriſto omnia abundant, in homine omnia ſicca. p. 54. n. 20. & 21

Solum, quę Dei ſunt, ſufficiunt, & abundant. p. 562. n. 86. & 87

*Accedere.*

Vt ad Chriſtum venias, & accedas, conſumenda ſunt peccata, inflammanda voluntas, reſecanda carnalia. p. 146. n. 14. 15. 16

In acceſſu ad Deum ſtat noſtra ſalus, & ideo receſſus fugiendus. p. 245. n. 48

Qui ad Chriſtum accedit, ſtat, & iam valet non cadere. p. 249. n. 74

Quanto magis quis familiaris, tanto magis accedit ad Deum. p. 256. n. 117

Homo, vt ad Deum accedat, ab alio ferri debet. p. 331. n. 76

*Acceptio.*

Acceptio perſonarum in Deo non eſt. pag. 67. n. 40. & p. 329. n. 12.

*Accipere.*

Accipienda doctrina cum peccatorum dolore. p. 446. n. 99

Quæ facilè accipiuntur, facilè dimittuntur. p. 470. n. 100

*Accommodare.*

Accommodandum potius præſenti conditioni, quàm maieſtati perſonæ. p. 3. n. 9

Accommodandum ſtatui propriæ conditionis. p. 71. n. 16

Accommodandum non poteſtati, ſed rationi, ac conuenientiæ. p. 71. & 72. n. 17. 18. 19. & 20

Accommodandum omnibus, tam maioribus, quàm minoribus. p. 88. n. 11

Accommodandum tempori, & occaſioni ad operandum. p. 110. n. 38

Accommodandum imbecillitati, vel robori aliorum. p. 127. n. 19

Accommodandum ſtatui potius, quam potentiæ. p. 185. n. 2. & p. 204. n. 27

Prædicator accommodet ſe ſuis auditoribus. p. 652. n. 323. 324. & 325

*Accuſare.*

Accuſatorem habere, quem ſperabas defenſorem; valde durum. p. 51. n. 123

Accuſant iniqui, in quo ſe excuſant. p. 240. n. 11

Conſiderare, non quæ accuſant, ſed quæ excuſant diuinum ingenium. p. 242. n. 26. 27. & 28

*Adiuuare.*

Vt adiuuentur infirmi, ſuperiores deſcendant. p. 8. n. 36

Vide *Auxilium.*

*Admiratio.*

Admiratio in Chriſto Domino non fuit. p. 176. n. 127

Admirantur de Chriſti magnalibus, qui eius myſteria ignorant. p. 374. n. 63

*Admonere.*

Vide *Reprehendere.*

*Adoratio.*

Euchariſtia multa feſtiuitate adoranda. pag. 627. n. 166. 167. 168

*Adoleſcens.*

In adoleſcentibus ætas, ad peccandum incitamentum. p. 195. n. 72

*Aduerſitas.*

In aduerſitate, beneficiis obligatus, non deſiſtat, ſed perſeueret. p. 136. n. 70

Qui te in aduerſitate ſequitur, & fatetur, amicus verus. p. 392. n. 30

# Index Rerum, & Verborum.


In aduerſitate manifeſtatur virtus. p.395. n.48.49. & 50

In aduerſis, ac proſperis firmus ſtat animus fortis. p.643. n.119. 120. & 121

Vide *Amicus*.

*Adulatio.*

Adulatio ſeparat hominem à Deo. p.157. & 158. n.12. 13. & 14

Si adulatione capitur homo, in multa peccata incidit. n.12.13. & 14. ibid.

Qui adulatione capitur, in magnum ſupplicium incidit. p.158. n.14

Adulari, ſeu laudare aliquem in eius præſentia, valde inurbanum eſt. p.315. n.100

Adulator indignus nomine. p.436. n.20

*Æſtimatio.*

Quod multum ſtetit, in magni æſtimatione habetur. p.504. n.81

*Affectus*, *vel Affectuoſus.*

Affectus beneuolus ad audiendam fidem requiritur. p.93. n.46.47.& 48

Quæ beneuolè affecto videntur magna, ab inimico iniurioſa iudicantur. p.214. n.82.& 83

Affectus cordis Deum efficacius mouet, quàm oris ſermo. p.251. n.86

Affectus miſericordiæ prodeat in opus. pag. 256. n.121

Affectuoſus negotij proprij, ſi ei non defertur, ſtatim de aliorum incuria conqueritur. pag. 285. n.78. & 79

Affectio pia requiritur ad recognoſcendam virtutem. p.380.n.96

Affectus plus poteſt obligatus amore, quàm donis. p.391. n.19.20. & 21

Ab affectu carnali ſeparandum, vt operi diuino incumbas. p.435. n.18

Affectum bonum impij extinguere intendunt. p.452. n.66

Vide *Cupiditas*, vel *Deſideria*.

*Ambitio.*

Intolerabilis, qui omnia ſibi arripere cupit. p.366. num.20

Vide *Cupiditas*.

*Amicitia*, vel *Amicus*.

Amicus ille ſolus reputandus, qui te in aduerſitate non deſerit, ſed confitetur. p.392. n.30

Quæ ſunt amicitiæ, paucis communicanda; quæ officij, omnibus largienda. pagin. 90. num.23. 24. & 25

Nullum eſt amicitiæ fœdus, in quibus eſt in fide diſparitas. p.122.n.111.& p.123.n. 119

Non eſt amicitia, vbi Dei timor non eſt. ibid.

Amicitia nulla, nullúmque fœdus in ſeruis diaboli eſt. p.122. n.112.& 113

Amicum nullum habere, ſumma miſeria. p. 123. n.116

Ab amico grauior, quàm ab extraneo illata iniuria. ibid.

Ex amico ſuo quilibet iudicatur. p.132. n.46

Amici eſt, veritatem, ac vtilia dicere. pagin.134. num.57

Per amicos, ac familiares deprecantur reges. p.159. num. 18

Inuidioſi amici laudes tuas non percipiunt. p.176. n.128

Quæ amicus magna iudicat, inimico iniurioſa videntur. p.214. n.82. & 83

Tempore neceſſitatis, ac famis ſolos fidos amicos habebis. p.275. n. 7. 8. & 9

Qui tibi, non amicitia, ſed commoditate ſociantur, te in neceſſitate deſerunt. ibid. n.9

Amicus verus dicit verum, licet appetitus aduerſetur. p.287. n.89.90.& 91

Amicitia apud principes citò deficit. p.296. n.150. & 151

Amicitiæ fœdera in nobis ne ſint ex fortuito, ſed ex magno ſtudio. p.314. n.96

Amicitia non facilè reſcindenda. p.318. n.120

*Amor*, *ſeu Amare.*

Amor facit operari, & non quieſcere. pagina 31. num.6

Quilibet opus ſuum maximè amat. ibid. num. 7. & 8.

Amor non diuidendus in Deum, & creaturas. p.350. n.26

Amor, quod in vno approbat, in altero reprobat. p.67. n.43

Amor omnia facit ſuauia, & leuia. pag. 116. n.76.& p.344.n.114.& 117

Amor nullus eſt in ſeruis diaboli, nec in patrem, nec in fratrem. p.122 & 123. n.112.& 113

Amoris vis dolores in dilecto grauiores exiſtimat. p.156. n.3

Dilectorem ſuum quilibet diligat. p.159. n.22

Amor operibus oſtenditur. ibid. n.23.

Amor verus in laboribus non deſerit. pagin. 164. num.49

Amor paternus omnes difficultates ſuperat, ne à filio ſeparetur. pagin.188.& 189. num. 27. 28. & 29

Amor non patitur moras. p.165. n.57

Amorem ſuperat odium. p.211. n.65.66. & 67

Amor perfectus verba neſcit; opera intendit. p.251. num.87

Amor perfectus dilecti negotium totum per ſeipſum vult adimplere. p.253. n.100

In amante abundant omnia; in ſuperbo autem deficiunt. p.267. n.198

Verus amor, non verbis, ſed operibus demonſtratur. p.270.n.219.& 220

Vbi eſt amoris affectus, non ſunt neceſſaria verba. p.278. n.26

Ex tuo amore deprehenditur meus amor. pag.279. num.36

Amanti ſi vnum deficiat, omnia ſibi deficere putat. p.284. n.72

Amoris vis non ſuffert obiecta contra dilectum. p.286. n.88

Deus amandus ſine modo, & menſura. pag. 350. num.27

Amor erga Deum eſt non tam liberalis, quam repenſus, & ex debito. p.351. n.32

Vt amore reciproco Deum diligamus, ipſe nos inducit. ibid.n. 33.

Amor Dei, & proximi maximè connectuntur. ibid. n.34.

Amor magnus intendit beneficiorum magnitudinem. p.361.n.102

Amor verus ipſe ſolus expenſas facere optat. pagin.362. n.103

Amor plus poteſt, quàm ex acceptis donis obligatio. p.391. n.19.20.21. & 22

Amor in contradictione, ac aduerſitate cernitur. p.395. n.51

Amor multa vi ingenij pollet. pagina 427. numer.92

Amor vnitus fortior. p.503. n.74

Amoris affectus, operari ſine intuitu mercedis. p.588. n.191. 192. & 193

Gratio

Gratiora obſequia amore, & non timore fiunt. p.644.n.268.269.

Qui tibi ſociantur ex ſua commoditate, in neceſſitate te deſerunt. p.275.n.7.8.9

*Amor Dei*, *vel Chriſti.*

Amor Chriſti nobis data, ſibi facta reputat. p.35. num. 29

Chriſtus vult, potius reputari, ſuum iudicium erraſſe, quàm affectum. p.85.n.121

Amore miro Chriſtus proſequitur ſuos. p. 132. num. 46

Amore Chriſti magnus: ad diſcipuli, ac addiſcentis habitum pro nobis ſeſe omittit. p.173.174. n.108.109. & 110

Præ amore Chriſtus pluris æſtimat noſtrum remedium, quàm ſuam reputationem. p. 194. num. 62

Chriſtus ſic vnum, ac omnes dilexit. p.502.&.503. n.66.& 73.

*Amor Chriſti in Euchariſtia.* Vide *Euchariſtia*.

Chriſtus id dicit ſuum, quod eius amor miniſtrat. p.632.n.199

Vide *Euchariſtiam*.

*Anima*, *ſeu Animus.*

Qui animo paruo ſunt, ad magna non apti. p.88. n.12

Animi affectus ſupra omne donum æſtimandus. p.191. n.45.46. & 47

Anima ſecundum totam ſuam virtutem ſit Deo obediens. p. 198. n.91

Animi diſtractio valde nociua. p.286. n.86

Animi magni, aſpirare ad magna. p.290.n.113

Vt anima à vitiis purgetur, in præſenti cruciantur corpora. p.339.n.83

Animi leuitatem oſtendit corporis motus. p.349. n.19

*Animoſus.*

Animoſos vult Dominus Diſcipulos ſuos. p.302. n.13

Vide *Fortis*.

*Anteponi.*

Quod eis anteponantur alij, homines ferre non poſſunt. p. 375. n.69

Prælatio aliorum amicis, ac conſanguineis valde dura. Vide *Conſanguineus*.

*Apoſtolus.*

Apoſtolorum dignitas valde præclara, & ad eam explicandam multa neceſſaria. p.76. n.53

Apoſtolorum numerus duodenarius ita à Deo eſt determinatus, vt nulla creata vi potuerit minui. ibid. n.54

Apoſtoli, excepto Petro, æquales. p.81.n.81

Apoſtoli ab honoribus adeo alieni, vt illorum ordinem ignorarent. ibid.n.86

Apoſtoli quando primo miſſi ſunt ad prædicandum. p.98.n.3

Præceptum Apoſtolis datum de non portanda pera, & calceis, temporale erat. p.101.n.18.& 19

Apoſtolica dignitas, per reſpectum ad Apoſtolorum magna merita, veluti pars. p.295.n.139

*Appetitus.*

Ad appetitus, ac voluptates principum plana, & ſine impedimento ſunt omnia. p.90. 91.n.29 & 30

Appetitus per Chriſtum rationi ſubiiciuntur. p.144. n.4

Appetitus carnalium amputandus, vt ad Chriſtum venias. p.146.n.14.15.& 16

*Arguere*, ſeu *Argumentum*.

Argumentum cum aduerſariis ab euidentibus eſt ſumendum. p.220. n.121

Argui ab inferiori, grandis pudor. p.432.n.122. 123.& 124

*Arrogantia.*

Qui cum arrogantia venit, redargutus abit. p.355. n. 68

Vide *Superbus*.

*Aſcendere.*

Vt aſcendant humiles, deſcendant magnates. p.87. n. 4

Aſcenſus in cælum eſt facilis nobis. p.320. n.128

*Auaritia*, ſeu *Auarus*.

Auaritiæ materia nos ducit in interitum. p.254. n.107

Vide *Cupiditas*.

*Audire*, ſeu *Auditores*.

Vt mens audiat diuinum verbum, mundus eſt relinquendus. p.87.n.4

Vt doctrina benè audiatur, ac recipiatur, multum intereſt beneuolus auditorum animus. p.93. n.46.47.& 48

Auditorum ſcandalum vitandum. p.179. n.145

Nemo audit laboribus vexatum. p. 203. n.17

Sæpè ob auditorum peccata prædicatoris lingua frigeſcit. p.310.n.66

Qui ab audiendo Dei verbo abſtinent, timeant perditionem ſuam. p. 438. n.30

Ille verus auditor, qui eſt obediens. p.38.n.50

Magiſter accommodet ſe ſuis auditoribus. p.652. 653. n.323.324. & 325

*Aulicus.*

Aulicorum gratia, ac familiaritas apud ſuos principes citò deficit, ac perit. p.296. num. 150. & 151

Aulici ſic ambiunt regem, vt illius lucem, ac beneficentiam aliis intercludant. p.451.n.57.58. & 59

Aulici regis lucem veluti ſuam aliis prohibent. ibid. n. 58. & 59

Aulici in valde minuta deſinunt. ibid. n.59

Aulici valde apti ad ſummum malum perpetrandum. p.450 451.n.136.& 137

In aulicis omne vitium. ibid.

Quæ regi placent, aulicis placent. p.543.n.14

Magnum miraculum, quod aulici regis voluntati reſiſtant. p.547.n.39

*Aurum.*

Auri cupiditas inebriat. p.86.n.127

*Author.*

Deus in operibus ſuis vult author recognoſci. p.194.n.66

Homo author eſt illius, quod præcipit. p.494. n.12

*Auxilium.*

Auxiliandum, ac ſubueniendum imperfectioribus. p.93.n.44

In auxilium tuum verbis tuis non commouebitur, qui intuita miſeria non commouetur. p.283. n.62

Auxilium Dei tunc adeſt, cum humana deſunt. p.357.n.74.75.& 76

Auxilium vexatæ innocentiæ ferre, omnibus competit. p.395.396.n.52.& 53

Auxilium proportionatum ad ſuperandas tentationes. p.471.n.50

Qui auxiliantem pro ſe hominem habet, creſcit, & augetur. p 487.488.n.46.47. & 48

Si habeas hominem auxiliantem, viues; alioquin morieris. p.488. n.48

Auxiliari oppreſſo, Deitatis index. p.568.n.70

Valde

Valde difficiliter homo homini auxiliatur. p.569. n.71
Auxilium Dei adeſt ſuis extremè laborantibus. p.591.n.19.& 21
Qui in aduerſitate non auxiliatur ,non homo, ſed phantaſma reputatur. p.592.n.29
Quos in periculo conſtituiſti ne deſeras , ſed eis auxiliare. p.594.n.40.41.42. & 43

B

*Baptiſmus.*

BAptiſmus mundat à peccatis. p.5.n.19

*Beatitudo* , vel *Beatus.*

Beatitudinis æternæ ſuauitas hac in vita , non inter delicias,ſed inter labores deguſtatur. p.309. n.59
In beatitudinem vult homo portari à Deo. p.341. n.95

*Bellum.*

Deus,quos mittit in bellum,tuetur. p.121.n.105

*Benedictio.*

Iuſtus omnes benedictiones,ac fauores aliis refert. p.276.n.17. & 18

*Beneficium* , *vel*, *Benefacere.*

Qui maiori beneficio non pignoratur,minori minimè obligabitur. p.527.n.56.& 57
Beneficia ſoli Deo tribuenda. p 57.n.37.38.& 39
Deus ſine vllius injuria benefacit ; aliter autem homo. p.592.593. n.31.32.33. & 34
Ex beneficentia quis agnoſcitur , & honoratur. p.593.n.37.& 38
Solum neceſſitatem ſuſtinens agnoſcit beneficij magnitudinem. p.597.598.n.63.64. & 65
Beneficia,ſi omnia in vnum conferantur,aliis ſunt in dolorem ac afflictionem. p.7.n.33.34.& 35
Animus nobilis,dum vni benefacit,ſi alij pereant, maximè dolet. p.10.n.55
Pro conferendis in vnum beneficiis omnibus non ſunt omnia perturbanda,neque mouenda. ibid. n.56.57.& 58
Beneficium ex raritate , ac ſingularitate creſcit. p.11.n.67.& p.465. n.82
Beneficia,vt magna habeantur,dentur,non inuito, ſed volenti. p.15. n.91. & 92
Beneficium accreſcit ex feſtinatione. p 19. n.122
Beneficia in digniores diſtribuenda. p.20. n.123
Beneficia homines maximè grauant. p. 21. 22. n.136.137. & 138
Beneficium occultare,crimen eſt, p.29.n.189
Deus multiplex beneficium confert.p. 93. n. 41. & 42
Deus ſi in temporalibus , etiam in ſpiritualibus benefacit. ibid.
Benefica poteſtas exeat in aliorum ſalutem,ac bonum. p.95.n.59.& 60
Beneficia regis non ſunt in amicis coarctanda,ſed in omnes diffundenda. p.96.n.63
Animi magis beneficiorum largitate, reconciliantur, quàm copia verborum. p.97.n.72. & 73
Beneficus vbique ſecurus , & nihil timet. p.109. n.28.29. & 30
Deus magis recordatur de noſtro exiguo obſequio , quàm de ſuis magnis elargitis beneficiis, p.142.n.102.& 103
Chriſtus, non in ſuppliciis, ſed in beneficiis ſe declarat authorem. ibid. n.105
Dei beneficia maiora ſunt , quàm ea, quæ dicit, p.166.n.62
Anima fidelis diuinorum beneficiorum magnitudinem recognoſcit. p.168.n.77
Poteſtas ad benefaciendum valde innoteſcit ; non ſic verò ad caſtigandum. p.171.n.92
Aliquando homines volunt , vt Deus, in benefaciendo , eorum beneplacito ſe accommodet. p.173. n. 106
Beneficia præter ſpem maiora videntur. p. 186. n. 15
Deus alta prouidentia ſua beneficia facit; mundus autem caſu. p.187.n.16.17. & 18
In beneficiis internus animi affectus ſuper omne donum æſtimandus. p.191. n.45,46.& 47
Ad ſuſcipienda diuina beneficia requiritur animus hilaris. p.192.n.49
Beneficium cito datum,maius videtur.p.193.n.57
Beneficentia Chriſti,non verbis,ſed operibus manifeſtatur. p. 196. n.77
Beneficio aſtrictus inſeruiat. p.197.n.84
Beneficiis ſuis, tanquam vinculis,te volunt homines,ſemper ligari. p.198.n.87. & 88
Beneficia diuina, non in vno coarctantur , ſed deriuantur in omnes. p.199.200.n.94. & 99
Beneficentia plenitudinem diuinitatis oſtendit. p.203.n.19
Beneficentia operum,non generis celſitudo,maieſtatem declarat. p.210.n.59
Beneficium quodlibet de præſenti pluris æſtimatur , quàm ingentes promiſſiones de futuro. p.216.n.95.96.& 97
Quæ benefactori dantur, ſint optima. p.247.n.62
Beneficia,volunt homines,etiam lege repugnante, ſibi conferri;aliis nec ſecundum legem. p.258. n.138
Beneficia diuina diu occultari nequeunt. p.273. n. 243
Chriſtus in obſequiis noſtris recenſendis largus; in donis ſuis referendis parcus. p.270. n.217
Benefactor, nec leuiter iniuria afficiendus. p.319. n. 121
Beneficia negare illis , quibus in perniciem ſunt futura ; magna benignitas. p.332. n.31.32.33. & p. 326.n.55
Beneficium magnum , date alicui , quod aliis eſt negatum. p.333.n.37
Ad benefaciendum, non ſufficit ſola poteſtas, ſed & requiritur voluntas. p.338.n.71
Beneficij excellentia ex ſingularitate accreſcit, p 346.n.3
Beneficij excellentia maximè creſcit , cum datur quibuſdam , quod aliis fuit negatum. p. 347. n 11
Beneficiis deterior factus,indignus, qui videatur, ac agnoſcatur. p.371.372.n.48.49.& 50
Beneficia contempta in condemnationem. p.380. n 95
Ex beneficiis datis maior gloria , quàm ex acceptis. p.403. n.96
Beneficia collata amorem ſolicitant. p.406.n.118
Beneficiis in malum vti , extrema malitia. p.418. n.27
Ex beneficiis ſumere ad peccandum occaſionem; grande malum. p.420.n.45.46.& 47
Ex beneficiis acceptis accreſcit iniuria.p.421.n.48
Benefacit Deus bonis , & malis. p.444. 445.n.16. 17. & 18
Deus vult multos , quibus benefaciat. ibid.
Beneficia diuina ad omnes ſe extendunt. p. 490. 491.n.63.64. & 65

Qui

Qui beneficio abutuntur , in malum incidunt. p.510.n.117
Principis eſt beneficia per ſcipſum elargiri;ſupplicia miniſtris committere. 267.
Vide *Donum* , vel *Gratitudo*, *Obliuiſci.*

*Benignitas.*

Quos non adducit benignitas compellit amor. p.36.n.34
Plus vincitur benignitate , quàm rigore p.104. n.42. & p.107.n.16.17.18.& 19
Benignitas Dei in ſuos magna. p.163.n.46
Valde benignus , & humanus in ſubditos , qui ſe ſub alterius poteſtate meminit. p.174. n.114
Benignitas , non merita ſed neceſſitatem reſpicit. p.190.n.38.
Qui Deo benignitatem negat , eius diuinitatem inficiatur. p.258. n.135
Benignitas in principe appareat prior, & poſterior dominationis maieſtas. p.330.n.17
Benignitas , & rigor coniungantur in principe , ibid.n.18.
Benignitate verborum deuincitur plus,quam ferri rigore p.338.n.77
Benignitatem prælatus cum ſeueritate habeat. p.358.n.83
Benignitate plus , quam rigore vtendum p.359. n.86.87.& 88
Benignitas in pauperes, propria regis. ibid.n.89
Benignitate plus conficitur , quàm verborum aſperitate. p.363.n.108

*Bona.*

Bona noſtra ſunt à Deo , mala autem à nobis p.140.n.94
Bona præter ſpem valde iucunda p.180.n.155
Bona furto, vel rapina obtenta, dulciora. p.198. n.87.& 88
Bona homines, non præſentia , ſed præterita æſtimant. p.346.&.347.n.6.7.& 8
Bona poſſeſſa paruipenduntur. ibid.n.6.7.& 8
Bonum difficiliter ingreditur , malum vero faciliter p.364.n.7
Bonum omne in Deum referendum. p.456.n.85
Vide *Gratus.*

*Bona diuina*,vel *Spiritualia*,

Homines huius ſæculi plus de temporali,quàm de ſpirituali malo dolent. p.137.n.73.& 74
Bona homines plus temporalia , quàm ſpiritualia æſtimant. ibid.n.74
Bona omnia ſunt in Deo. p.170.n.89
Bona à Deo data non auferuntur , niſi ipſe homo ea à ſe dimittere velit. p.288.n.100
Bona diuina vni collata non minuuntur ad alios. p.336.337.n.62.63.& 64
Bona noſtra à Deo omnia manant. p.485.n.32. & 33
Bona diuina ad omnes ſe extendunt. p.499.491. n.63.64.65.& 66
Bona cæleſtia, nec, vt facilia contemnenda,nec,vt difficilia,de eis deſperandum. p.496.n.24
Bonum beatitudinis meritis , non fælicitate comparatur. p.500.n.48
De bonis ſpiritualibus potius,quàm de temporalibus agendum. p.600.n.4
Vide *Beneficium.*

*Bona temporalia.*

Bona temporalia ad vnum ſe extendunt ; dolores verò multos apprehendunt. p.12.n.70
Miniſter Euangelicus ſit à temporalibus alienus. p.102.n.27
Temporalium poſſeſſio,mors. p.103.n.34
Qui temporalia renunciant , nil timent. p.104. n.40
Qui bona temporalia contemnunt , ſecuri viuunt. p.109.n.26
Bona temporalia natura ſua cadunt , ac ruunt. p.164.n.52.53.& 54
Homo,cum bona temporalia à ſe dimittit , valde ſublimatur. p.184.n.182
Bona,quæ amittuntur,propriis videre oculis ; magnus dolor. p.185.186.n.8.& 9
Bona mundialia in ſuo flore decidunt , & quando incipiunt,cadunt. p.186.n.10. & 11.& 12
In bonis ius ſuum vnicuique ſeruandum. p.193. 194.n.58.59.& 60
Bona mundi,quaudo magis neceſſaria , tunc deficiunt. p.198.n.86
Temporalia terreni plus æſtimant, quàm ſpiritualia. p.216.n.94.& p.586.n.178
Valde iucundum Deo,vt homines pro ipſo exhibeant,quæ pro terrenis faciunt. p.230.n.184
Qui temporalia meditatur,turbatur;qui verò æterna,ſecurus degit. p.283.n.67.& 68
Bona temporalia mortem ; illorum abiectio , ſeu contemptus vitam cauſat. p.313.n.86
Bona negare,quibus futura ſunt in perniciem;magna pietas. p.332.n.31.32.& 33
Temporalia , non meritis , ſed fœlicitate comparantur. p.500.n.48
Bonis temporalibus emenda æterna. p.501.n.58
Temporalia aliquando apud homines plus quàm ſpiritualia præualent. p.507.n.99
Bona diuidantur,& omnes ſaturabuntur. p.579. n.136.& 137

C

*Cadere.*

Vide *Ruina.*

*Calumnia.*

CAlumniator,plus affirmat , quàm cognoſcit. p.25.n.159
Calumnia dictis,& factis refutanda. p.55.n.26
Calumnia in diſcipulos facta,in magiſtrum retorquetur. ibid.n.27
Calumnia inimicorum amputanda. p.64.n.21

*Capillus.*

Capilli numerati ſingularem in nos Dei prouidentiam indicant. p.138.n.81.& 82
Capillatura,peccatorum moles. p.139.n.85

*Carcer.*

Carceris duriſſima acerbitas. p.211.n.68
Incarceratis nil gratius,quàm libertas.p.212.n.69. & 70
In carcere Ioannes adeò pulcher,vt laudatore non indigeret. p.219.n.117

*Carmelitæ.*

Carmelitica Religio illuſtriſſima fœcunditate propagatur. p.537.n.115.116.& 117
Carmelitana Religio Virginis interceſſione fœcundatur. p.538.n.121
Carmelitas Scapulare venuſtat. p.412.n.150
In Carmelitas multa Virginis clementia. ibid. n.151
Carmelitæ B. Virginem ab antiquo venerati ſunt. p.409.n.137
Carmelitæ multis à B. Virgine honorantur beneficiis. p.409.410.n.138.& 139
Carmelitis datur Scapulare , vt multis fauoribus plenum. p.410.n.141.142.&143
Carmelitæ Scapulari à B.Virgine proteguntur à malis. p.411.n.145

Carme

Carmelitæ ab Elia fundatore. pag.536.num.111. 112

*Carnalia.*

In Chriſti Diſcipulis amputanda carnalia. p.146. n.17

Carnalium voluptates ſcindendæ vt ad Deum accedas. p.146.n.14.15.& 16

*Caſtigare.*

Vide *Supplicium*, vel *Punire*.

*Cauſa.*

Peccati cauſa amouenda, Vide *Radix*.

*Cautus.*

Cautè agendum cum inimicis, opera confundere volentibus. p.21.n.132

Pro cautela aliquando fugiendum. p.126.127.n.9. 13.& 14

Qui aliorum reprehenſione non fiunt cauti valde obſtinati. p.271.n.226

Præ ſcientia periculi reddit cautum. p.311.n.71

Ex dura reprehenſione vnius alij cautiores fiunt. p.415. n.4

Vide *Improbus*.

*Charitas.*

Charitas non ſibi ſolum retinet bonum, ſed & aliis manifeſtat, vt illius participes fiant. p.29. n.190

Charitate interius quis prius ardeat, & poſtea in opere fulgeat. p.48.n.108

Charitas, quæ verbo prædicatur, actione, & opere oſtendatur. p.81.n.88

Charitas plus aliorum vtilitati, quàm propriæ voluntati defert. p.127.n.16.& 17

Charitas Iuſtorum etiam cum incommodo proprio fugit, aliis dare occaſionem peccandi. p.128.n.24.25.& 26

Charitas, ſi de vnius peccato dolet, de alterius conuerſione lætatur. p.130.n.33.34.& 35

Charitatis in prædicatorem opus multum promeretur. p.153.n.51

Per Charitatis opera poſſumus fieri participes aliorum ieiunij, abſtinentiæ, atque martyrij. p.153.n.53

Qui in charitatis opere ſe exercet, apud Deum multum promeretur. p.161.n.34

Charitas in ſeruos, Deo valde grata. p.168.n.74. & 75

Charitas, in hominibus ad Deum trahendis, valde ingenioſa. p.171. 172. n 97.98. & 100

Charitas Chriſti eximia, vt ſuos honoret, ac nobitet, ſe demittit. p.176.n.127

A charitatis opere nullus excuſetur. p.154.n.106

Sine charitate opera parum valent. p.269.n.206

Chariſſimi, dimiſſis omnibus, tanquam inebriati, ſoli Deo inuigilant. p.274.n.245

Charitas omnium virtutum perfectiſſima. p.271. n. 222

Charitas Dei, & proximi in prædicatore. p.306. n.41

Charitas facit homines morte ſuperiores. p.313. n. 86

Charitas perfecta, non verbis, ſed operibus declaratur. p.357.n.77

Quæ charitate impenduntur, non deſunt.p. 357. n.77

Charitas perfecta nullum habet terminum.p.361. n. 101

Charitas veluti fermentum. p.490.n.60

Charitas prælatorum in ſubditos. ibid.n.61

Charitas inter omnes virtutes quærenda. p.502. n.67

Præ charitate tempus vitæ videtur vnus dies breuis. p.523.n.79

Vide *Amor*.

*Chriſtus.*

Chriſto, dum nobis benefacit, dies feſtus eſt.p.3. n.12

Chriſtus, etiam indignè tractatus, bonum exhalat. p.13.n.76.& 77

Chriſtus ob modeſtiam ſua magnalia occultabat. p.27. n. 173

Chriſtus Dominus omnia in ſui Patris gloriam referebat. p.33.n.20

Chriſtus Dominus nobis conceſſa, ſibi data reputat. p.35.n.29

Chriſti in homines magna benignitas. p.38.n.47

Chriſtus Dominus dicitur teſtis ob triplicem rationem. ibid.n.49

Chriſti magna erga Patrem obedientia. p.42.n.72

Chriſtus granum frumenti. p.54.n.18

In Chriſto omnia abundant, in homine omnia arida videntur. ibid.n.20.& 21

Chriſtus communes conſuetudines laudabiles obſeruabat. p. 60. n.1

Chriſti charitas in vnumquemque eximia. p.62. n. 10

In Chriſto manus extenſio vitam; in Adamo mortem attulit. p.64.n.25

Chriſtus ſuauitate, ac manſuetudine regit. p.67. n.41

Chriſtus vult, magis reputari, ſuum erraſſe iudicium, quàm affectum. p.85.n.121

Chriſtus ſibi reſeruat difficilia, ac aſpera; nobis facilia, ac plana. p.90.n.28

Chriſtus fons virtutum, ac ſalutis. p.95.n.56

Chriſtus noſtrum ſit indumentum. p.103.n.31

Chriſtum recipiant Chriſtiani, ac imitentur. p.107.n.11

Chriſti virtus ſuos conſeruat inter lupos. ibid. n.15

Vbi Chriſtus adeſt, ſecura, ac tuta ſunt omnia. p.109.n.25

Chriſtus dona ſua in paruo reputat; in multo obſequia noſtra, de hiſque recordatur.p.124 n.123

Chriſto exhibita obſequia, planum eſt, ab ipſo remunerari. p.124.n.124

Chriſtus de Eccleſia Gentium ita lætatur, vt de Synagoga perdita obliuiſcatur. p.130.n.34. & 35

Chriſtus ſuos miro amore proſequitur. p.132. n.45

Chriſtus ſuis Electis mirificè exornatur. p.138. n. 83

Chriſtus in beneficiis ſe declarat authorem; non autem in ſuppliciis inferendis. p.142.n.105

Chriſti aduentu pax tripliciter eſt introducta. p.144.n.4

Chriſtus communem ſibi cum ſuis ſeruis honorem, & contumeliam facit. p.152.n.47

Ad Chriſtum ſuſcipiendum omnia videntur parua. p.168.n.77

Chriſto pacis amatori ſigna diſſidij diſplicent. p.169.n.81

Chriſtum ſuſcipere, quilibet timeat .p.169.n.83

In Chriſto non fuit admiratio. p. 176.n.127

Chriſtus, vt ſuos extollat, ac honoret, ſe demittit. p.176.n.127

Ex Chriſti ſimilitudine multum bonum participamus. p.191. n.39

Chriſtus poteſtatem cum humilitate coniungit. p.194. n.61

Chriſtus

Index Rerum,

Chriſtus plus æſtimabat noſtrum remedium, quàm ſuam reputationem. ibid.n.62

Chriſtus verbis, & operibus ſe Deum oſtendit. p.195.n.68

Chriſti beneficentia, non verbis ſed operibus manifeſtatur. p.196.n.77

Chriſti præſentia maxime attrahebat. p.212.n.71

Chriſtus ob modeſtiam de ſe loquitur per tertiam perſonam. ibid.n.71

Chriſti hoſpitio terra iungitur cælo. p.238.n.37

Chriſtus nos expectat. p.239.n.3.

Chriſtus cibatur noſtris lachrymis, ac pœnitentia. ibid.n.4.

Chriſtus ingentia dona parum appellat.p.251.n.85

In Chriſti præſentia de re impura nemo loqui audebat. p.260.n.152.

Chriſtus largus in noſtris obſequiis recenſendis; parcus in ſuis donis referendis. p.270.n.217

Chriſtus Dominus, vt omnium gentium Redemptor, omnibus prouidet ad ſalutem. p.302.303 n.17.18.& 19

Chriſtus vtrumque populum redemit. p.303.n.19

Chriſtus ab illis ſolum portatur, qui in vnitate viuunt. p.306.n.44

Chriſtus ſuis nominibus inſigniuit ſuos. pag.312. n.78

Chriſtus id, quod habet per naturam, nobis per gratiam communicat. p.329.n.11

Per Chriſtum Patrem habemus benignum.p.335. n.53

Chriſtus omnia bona in nos diffundit. pag.336. n.61

Chriſtus ſimul nobiſcum fert laborem pag.340. n.86

Chriſtus prius in ſe adimpleuit, quæ præcepit. p.344.n.111.

Chriſtus nobis ſuauis, inimicis noſtris fortis. p.359.n.85

Qui Chriſti myſteria ignorant, de eius magnalibus admirantur. p.374.n.63

Chriſtus, cur dicatur diabolo fortior. p.382.383. n.114.115.& 116

Chriſtus obſequium, ſuis exhibitum, ſibi factum reputat. p.397.n.61

Chriſtus operatur miracula hominibus proficua. p.420.n.42

Chriſtus operatur miracula de Meſſia prædicta. ibid.n.42.

Chriſtus morte ſua omnes à morte liberat. p.424. n.69.& 70

Chriſtus id dicit ſuum quod eius amor miniſtrat. p.632.n.199

Iuſti æſtimantur à Chriſto vt omnia. p.336.n.57. 58

Chriſti mors vitam nobis dedit. ibid.

Chriſtus in ſepulchro miram habuit ſuauitatem. p. 424.n.72

Chriſtus obliuiſcitur de iniuriis, recordatur de obſequiis.p.426. n.80.81. & 82

Chriſtus Dominus in ſuis donis conferendis ceſſare neſcit. p.431. n.114

Chriſtus venit ad ſeminandam in nobis ſalutem. p. 445. n. 19

Chriſtus ſibi dura, nobis verò gaudia reſeruat. p.445.n.22.23. & 24

Chriſtus, non ad perdendum, ſed ad miſerandum venit. p.446.n.26

Chriſtus id quod dat, ſibi retinere videtur. p.447 n 36.

Chriſtus omnium ſalutem intendit. p.453.n.68



Chriſtus vult omnium ſalutem, & bonum. p.454. n.73

Chriſtus Martyres ſuos mortis ac gloriæ ſuæ participes facit. p.482.n.15

Chriſtus agit pro ſe ratione, pro nobis poteſtate, homines autem è contra.p.367.368.n.25. 26.& 27

Chriſti vulneribus genus humanum ſolidatur. p.490.n.62

Chriſti dona ad omnes ſe extendunt. p.490.491. n.63.64.& 65

Chriſtus credendus eſt vt Deus, & homo. p.498. n.34

Lex, & Prophetæ bonæ margaritæ, Chriſtus pretioſa. p.502.n.60

Chriſtus per multarum virtutum amplexum inuenitur. ibid.n.62

Chriſtus ſic vnum, ac omnes dilexit. ibid. n.66

Chriſtus declinat immaturam mortem. p.559. n.6

Chriſtus ſe omnium oſtendit authorem. p.577. n.124

*Chriſti amor*. Vide *Amor Chriſti*.

*Chriſtianus.*

Chriſtianus ſit à terrenis cupiditatibus ſeparatus. p.308.n.55

Chriſtiani Chriſtum excipiant, ac imitentur. p.107.n.11

*Cibus,*

Cibus ſit ſtatui proportionatus. p.575. n.110. & 111

Pro cibo quotidiano agendæ Deo gratiæ. p.577. n.119

*Ciuitas.*

In ciuitate regnant peccata, & mala. p.129.n.27. 28.& 29

Vide *Curia*.

*Clementia.*

Vide *Benignitas*,

*Cœlum*, vel *Cœleſtia*.

Qui in deliciis viuunt, vim faciunt cælo, ne cælum teneant, quod facile aſſequuntur. qui in mortificatione degunt. pagin. 230., n.181

In cœlum aſcenſus nobis eſt facilis. pag. 320. n.128

Deus nos portat in cœlum. p.341.n.95

Vt cœleſtia percipias, terrena dimitte. pag.456. n.86

Cœleſtia conſideranda, non terrena. p.499.n.42. 43.& 44

Cœlum meritis, non fœlicitate comparatur. p.500.n.48

Cœleſtia temporalibus emenda. pagin.501. n.58

Ob cæleſtium amorem terrena contemnenda. p.502.n.68

*Cogitatio.*

Anima, quæ fertur cogitatione in Deum, ſecurè degit, nil timet. p.283.n.67.& 68

De occultis in corde cogitationibus homo maximè dolet. p.519.n.6

Cogitatione propriæ vilitatis aptatur homo ad diuinos fauores. p.575.n.113

Cogitationes noſtræ omnes Deo ſunt manifeſtæ. p.138.n.84

Cogitationes, vt veniant bonæ, recedant malæ. p.176.n.125



Cogita

# Index Rerum, & Verborum.


Cogitationes noſtræ ad Chriſti pedes religentur. p.254. n.105

*Cognitio.*

Sancti premuntur cognitione delictorum, quibus antea recreabantur. p.21. n.133

Homo, vt proficiat, ſuorum peccatorum cognitionem habeat. ibid. n.134

Ad cognoſcendum Chriſtum requiruntur multa. p.24. n.155

Deus cognoſcit omnes noſtras cogitationes. p.138. n.84

Iuſtus ſolum ſuimet defectus dicit, & cognoſcit. p.168. n.76. & 77

Deus vult, vt magna de ipſo concipiamus, ac cognoſcamus. p.178. n.138

Qui ſuum principium, ac finem cognoſcunt, ſaluantur. p.180. n.151.152. & 153

Valde difficiliter homo ſuum peccatum cognoſcit. p.195.196. n.72.73. & 74

Qui propria peccata cognoſcit, flet; qui aliena conſiderat, murmurat. p.261. n.159. & 160

Homines in propriis rebus cæcutiunt, cum ſint in alienis oculatiſſimi. p.264. n.177

Cognitionem propriæ vilitatis habeat quilibet inter ſuæ dignitatis ſplendores. p.330. 331. n.21. 22. & 23

Cognitio propriæ vilitatis multa bona parit. p.331. n.22. & 23

Non cognoſcunt homines in ſe, ſed in aliis miſerias ſuas. p.340. n.87

Omnium malorum cauſa, radicem illorum non agnoſcere. p.354. n.55. & 56

Crudelis inimicus, qui te tuam non ſinit intelligere miſeriam. p.370. n.37. & 38

*Commodum.*

Homo, cum ſeruit commodis ſuis, valde deprimitur; cum autem Dei obſequio, valde ſublimatur. p.184. n.182

In commodum noſtrum Deus ordinat omnia. p.199. n.95

Deus ſuorum commoditates attendit. pag. 575. n.112

Vide *Charitas*, *Prælatus*.

*Commune.*

Communia ad paucos non reſtringenda. p. 319. n.127

Quæ communia ſunt, particularitatis nota ne afficiantur. p.371. n.46. & 47

Communis Magiſter communem tradit doctrinam. p.408 n.129

Qui communi bono attendit, rex dicitur; qui priuato, homo tantum. p.464.465. n.7.8 & 9

Pro communi bono ſua dare, gloria magna. p.584. n.167

Si pro communi bono tua præſtes, multum acquires. p.585. n.172.173.174. & 175

*Communicare.*

Chriſti benignitas omnibus ſe communicat. p.185. num.2

Deus vult multis dona ſua communicare. p. 501. n.54.55. & 56

Communicentur bona, & ſaturabuntur omnes. p.579. n.136. & 137

*Concordia.*

Concordia fratrum laudabilis. p.82. n.90

Concordia res creſcunt. p.298. n.2

Prædicatores, ac Prælati magnam inter ſe concordiam habeant. p.306. n.43

Vide *Vnio*.

*Condemno.*

Vide *Iudex*.

*Confeſſio.*

Confeſſionis Sacramentum ad peccatorum remiſſionem neceſſarium. p.17. n.101

Qui verè peccata ſua confitetur, vitam habet; ſecus qui fictè. p.86. n.129. & 130

Confeſſio debet eſſe corde, & ore. pag.141. n.96. & 97

Confeſſio peccatorum multum potens ad obtinendam delictorum veniam. p. 168. num. 175. & 176

Confeſſio ſit clara, & patens ſine vlla ſimulatione. p.273. n.238.239.240. & 241

Confeſſio clara, & patens ducit in cælum. ibid.

Confeſſio animæ pulchritudo. p.369. n.33

Multi in mundialibus loquaces, in confeſſione muti. p.372. n.52

Valde grata confeſſio tacentibus aliis. pag. 406. n.115

Valde difficile, quod homo alterius virtutem cognoſcat, atque potentiam. p.580. n.144

*Confido.*

Sæpè quidam confidit in alio, & res domini perit. p.466. n.14

*Conformatio.*

Conformandum cum diuina voluntate. pag. 328. num.7

Cum diuina voluntate in omnibus conformandum. p.334. n.47. & 48

Homines volunt cum Deo ſe conformare in inferioribus, non in maioribus. ibid.

Noſtra voluntas in Dei voluntate reſignanda. p.576. n.116

*Confuſio.*

Confuſio magna, quod vir magnus à fœmina ſuperetur. p.267. n.199

Confuſio magna, quod homo à muliere doceatur. p.391. n.24

*Coniux.*

Inter coniuges ſumma ſit vnitas, ac concordia, ita vt vnum quid reputentur. pag. 149. num.31. 32. & 33

Coniuges magnam inter ſe vnitatem habeant. p.489. n.52

*Conſanguinei.*

Conſanguineorum inordinato amore, pro eis locupletandis, ac tuendis, ne teneamur. p. 111. n.48

Pro conſanguineis ditandis Eccleſiaſtici ne ſint rapinæ aues. ibid. n.49

Si conſanguinei deficiant, quomodo extranei adhærebunt. p.121. n.107

Magnum Deo obſequium, ei offerre, quod dat conſanguinitatis affectus. p.208. n.51

Conſanguinei ſæpè ſæpius tibi ſunt ad honores impedimentum. pag. 377. num. 77. 78. & 79

Conſanguineis ſuis quemque eſſe gratum; valde mirabile. p.433.434. n.5.6. & 7

A conſanguineis magis, quàm ab aduerſariis timendum. ibid. n.5.6. & 7

Conſanguinei traditores, durius, quam extranei. p.438. n.32

Coniunctio ſanguinis parum prodeſt, ſi datur mentis diſiunctio. p.440 n.44

Cognatio virtutis magis, quàm ſanguinis conſideranda ibid. n.45

Homines habent odio ſuos; diligunt extraneos. p.521. n.18

Conſanguinei in faſtidium habent ſuorum honores. p.525. n.39.40. & 41

Conſanguinei in ſuum cognatum crudeliores, quàm extranei. p.540. n.132

*Conſcientia.*

Conſcientia plus poteſt, quàm affectus. p.212. n.71

Conſcientiæ quietem lex Chriſti præbet. p. 345. n.120

Conſcientiæ ſtimulus cruciat. pag. 551. n.64.65. & 66

Suauior mors, quàm ſtimulus conſcientiæ. ibid.

*Conſeruatio.*

Conſeruat ſuos Chriſti virtus inter lupos. p. 107. n.14

Conſeruanda res eſt à quo producta. p. 171. n.94. & 95

Excellentia doni, cum tutela, ac conſeruatione dari. p.358. n.84

*Conſideratio.*

Conſideratione multâ ſunt diſponenda magna. p.72. n.22

Conſiderare debet plus eligens ad dignitates, quàm electus. p.74. n.40.41. & 42

Qui ſuam conſiderat poteſtatem, cadit; qui humilitatem, exurgit. p.174. n.113

Homo magis conſiderat propria, quàm aliena. p.597. n.61

Vide *Examen Cognitio*.

*Conſilium*, vel *Conſiliarius*.

Conſiliarius quærendus, non qui ad voluntatem loquatur, ſed qui verum dicat. p.568. n.67. & 68

Conſiliarius vocandus, non qui pro rege, ſed qui pro communi bono loquatur. p.569. n.73

Conſilia iniqua fugienda. p.65. n.32

In conſiliis fluctuat animus mœrore affectus. p.157. n.12

Nemo adeo ſapiens, vt alterius conſilio non egeat. p.305. n.36

Qui aliorum conſilia ſpernit, in multa mala incidit. p.332. n.27

Prudens aduocet conſilium. p.563. n.32

Conſiliarius expertus quærendus. p.568. n.65

Ex conſiliariis, quos aduocas, mens tua pateſit. p.569. n.76

Conſiliarios Princeps ſua authoritate non debet, in ſuam ſententiam trahere. p.570. n.81. & 82

Conſiliarius bonus, non de difficultatibus, ſed de remedio agit. p.572. n.92.93. & 94

*Conſolatio.*

Conſolatio magna, pro Chriſto pati. pag.117. n.77

Conſolatio vera confertur ſine mora. pag. 192. n.50

Conſolatio in laboribus danda. p.305. n.35

Conſolatio verbis non æſtimanda, cum fieri poſſit operibus. p.373. n.59

*Conſtantia.*

Conſtantia in iuſtitia, & ſanctitate fundatur. p.117. n.113. & 114

Cum Conſtantia eſt ſanctitas, cum infirmitate vitium. ibid. n.115

Conſtantia neceſſaria ad percipiendos fructus. p.463. n.118

*Conſuetudo.*

Conſuetudines communes laudabiles ſeruandæ ſunt. p.60. n.1

Vt à conſuetudine laudabili recedatur, multum requiritur. p.164. n.55

*Contemnere.*

Vbi quis contemnitur, ſtatim exoriuntur querimoniæ. p.79. n.73

Prælatus ſubditos, ne in ipſum inſurgant, minimè contemnat. p.87. n.7

Qui contemptum mundi prædicat, illum ſeruet, ac teneat. p.102. n.27

Contemptus terrenorum, vita. p.103. n.34

Qui contemnunt mundialia, ſecuri in præſenti ſæculo viuunt. p.109. n.26

Contemptores ſuos mundus perſequitur. p. 123. n.118

Homo, cum contemnit terrena, ſublimatur valde. p.184. n.182

Contemnendæ pro Chriſto dignitates omnes. p.255. n.108

Contemnendus nullus, quantumuis vilis. p.256. n.120

Contemptus temporalium cauſat vitam. p. 313. n.86

Qui aliorum contemnit doctrinam, in multa mala incidit. p.332. n.27

Si contemnitur bona indoles, debilitatur animo. p.448. n.42

Contemptum parit familiaritas. p.524. n.37

Qui contemnit honores, fertur in altum. p. 619. n.181

*Contemplatio.*

Bonus prælatus prius ad ſubditorum bonum intendit, poſtea ad contemplationem exurgit. p.256. n.119

Contemplatiui omnia pro cælo relinquunt. p.275. n.11

Contemplatio Dei vtiliſſima nobis. p.289. n.104. 105. & 106

Contemplatione probantur filij Dei. ibidem. n.105

Optima pars vacare Deo contemplando, & miniſtrare proximis. ibid. n.114

Contemplatio Dei perficitur in Patria. pag. 296. n.146

Contemplanda cæleſtia, non terrena. p.498.499. n.41.42. & 43

*Contraria.*

Contraria iuxta ſe poſita maximè eluceſcunt. p.268. n.203

*Contritio.*

Contritionis ſigna det homo in conuerſione ſua. p.197. n.81

Per contritionem ſanantur fracturæ animæ noſtræ. p.360. n.95

Vide *Pœnitentia*.

*Contumelia.*

Vide *Iniuria*.

*Conuerſatio.*

Conuerſationes, ac colloquia iniquorum fugienda. p.109. n.31

Ex conuerſione cuiuſdam iuſti multa bona. p.201. num.3

Ex conuerſatione diuturna cognoſcitur hominis ſanctitas. p.319. n.123

*Conuerſio.*

De conuerſione peccatorum lætantur Iuſti. p.130. num. 33. 34. & 35

Conuerſio ſenis iniqui valde difficilis. p.148.149. n.27.28. & 29
Conuerſio Gentium cum gaudio ſemper proponitur. p.179. n.145
Conuerſi ad Deum ſiue in iuuenture, ſiue in ſenectute, in cælo recumbent. p.180. n.149
Homo, quando conuertitur, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem exhibeat. p. 197. num 80
Quam difficiliter ex peccato conuertitur ad iuſtitiam. ibid. n 80
Homo ſurgens à peccato gaudet Eccleſiæ fructibus. p.198. n.86
Conuerſi, Vide *Incipientes*, vel *Pœnitentes.*

*Conuiuium.*

Conuiuij tempus, dæmonum feſtiuitas. pag. 543. n.12
Conuiuium multum auxiliatur iniquitati. ibid. n.11.12. & 13
Conuiuij tempus, occaſio ad omne malum. p.546. n.30
Per conuiuia armatur diabolus contra Chriſtum. p.548. n.45

*Cor.*

Cordis affectus Deum efficacius mouet, quam oris ſermo. p.251. n.86
Quod in corde exiſtit, in exteriori appareat. Vide *Exterius.*
Cor humanum valde inconſtans. p.430. n.110

*Correctio.*

Vide *Reprehenſio.*

*Creatio*, vel *Creator.*

Creata res, à quo producitur, conſeruanda. p.171. n 94. & 95

*Credere.*

Vt credat quis alicuius dictis, prius in eius virtute, ac probitate inſtrui debet. p.28 n.184
Improbus indignus, qui credatur. p.367. n.24

*Crimen.*

Criminum inueſtigatio, quædam damnatio eſt. p.37. n.43
Crimina ſæpè medentur, dum teguntur. p.360. n.93

*Cruciatus.*

Cruciantur corpora in præſenti, vt animus à vitiis purgetur. p.339. n.83

*Crudelitas.*

Crudelitas diſplicet Deo plus, quam latrocinium. p.569. n.77.78 & 79
Crudelitas priuat regno. p.548. n.41
Crudelitas pro dapibus habet homicidium. p.550. n.56
Crudelitas Chriſto valde odioſa. p.559. n.7

*Crux.*

Per Crucem reſtaurantur, ac recompenſantur damna, in humanum genus illata. p.110. n 39
Non niſi Crucis virtute ſalus, & vita confertur. p.194. n.64
A Cruce omne bonum, & etiam Deus ipſe tenetur. p.230. n.182
Sub Crucis ſigno pelluntur mala, habetur vita. p 568. n 64
Crux amplectenda, honores fugiendi. p. 587. n.187

*Culpa.*

Non culpæ, ſed earum excuſationes conſiderandæ; & etiam ea, quæ minuunt. p.242. n.26. 27. & 28
Culpam vnus vult referre in alium. p.472. n 55
In culpa qui ſunt pares, & ſint in ſupplicio. p.477. n 85
Vide *Peccatum.*

*Cupiditas.*

Cupiditas auri inebriat. p.86. n.117
Cupiditas, ac libido propria, hominis crudelis carnifex. p.188. n.25
Cupiditates humanas refrænando magna dulcedo percipitur. p.345. n.122
Cupiditas auri homines magis impellit, quam conſanguinitas, ac amicitia. pag. 362. n.106. & 107

*Cura.*

Curæ, ac cogitationes principatui annexæ. p.285. n.77

*Curia.*

Curia regis plena vitiis; & valde mirum probus in ea. p.91.92. n.35. 36. & 37

*Curioſitas.*

Curioſitatibus non eſt implicandum, ne omittantur neceſſaria. p.314. n 97

D

*Damnatus.*

DAmnatorum vita, mors, non vita eſt. p.39. & 41. n.51. & 65

*Damnum.*

Damnum ob malum Iuſti reportare non debent. p.92. n 38

*Dare.*

Dare ante preces; magnum beneficium. p 14. n.87
Dat Deus pluſquam petimus. p. 17. num. 107. & p.165. n.61
Dat Deus maiora, quàm ea, quæ dicit. p. 166. n.62
Quæ dantur abſque precibus, valde gratiſſima. p.191. n.43
Dare cito; maius beneficium. p.193. n.58
Dare citò; valde gratum. p.191. n.45
Quæ Deo damus, maximè nobis retinemus, atque ſeruamus. p 272. n.233.234. & 235
Vbi eſt dare, ibi potius nomen domini, quàm vbi accipere. p.280. n.39
Qui dat, ſugere poteſt. p.402. n 91
Ex his, quæ damus, nobis maior reſultat gloria, quàm ex illis, quæ accipimus, eſto magna. p.403. n.96
Quæ faciliter dantur, contemnuntur; quæ cum labore acquiruntur, æſtimantur. p. 494. 495. n.15.16. & 17
Dandum, non vni tantum, ſed per omnes diuidendum. p.579. n.136. & 137
Dat ſeruus per menſuram; dominus in multa abundantia. p.581.582. n 150. & 152
Ad dandum habent homines manum vnam, ad accipiendum multas. p.584. n.166
Vide *Beneficium*, vel *Dona.*

*Debitor.*

Debitorem ſoli Deo ſe cognoſcere; magna hominis fælicitas. p.198. n.85

*Defectus.*

Iniqui ſolum vident id, quod defectus cogitant, non vero virtutes. p.25. n.163.164 & 166
Iniuſti ſolum defectus; Iuſti autem virtutes vident. ibid. n.165. & 166
Iuſti aliorum defectus tacent, & ſolum proba dicunt. p.94. n.51.52. & 53
Iuſtus ſolum ſuos conſiderat, & dicit defectus; non vero aliorum. p.168. n.76. & 77
Non defectus, ſed eorum excuſationes conſiderare debemus. p.242. n.26.27. & 28
Defectus proximi, etiam manifeſti, non videntur, vbi diuinitas. p.258. n.134
In alienis defectibus oculatiſſimi ſunt homines, cum in propriis cæcutiant. p.264 n.177
Defectus magnatum dicendi ſunt ſoli Deo, qui & ſolus eos mederi valet. p.283. n.60
Defectus dicendi ei, à quo poſſint habere remedium. ibid. n.61
Defectus aliorum Chriſtus obtegit. pag. 358. n.78
Defectus ſæpè remedium accipiunt, dum teguntur. p 360. n.93
Defectus ſuperioris ſuppleat inferior. pagin. 390. n.15.
Defectus aliorum, dum proponunt, Iuſti excuſant. p.466.467. n.18.19. & 20
Defectus noſtros cooperit Deus. pagin. 505. n.82
Defectus ſuos homo valde difficiliter cognoſcit. p.524. n.34

*Defendo.*

Defenditur à Chriſto, qui ob ipſum periculo ſe committit. p.262. n.166

*Deliciæ.*

Qui in deliciis viuunt, ſi cælum teneant, vim ei faciunt. p.230. n.181
Vide *Bona temporalia.*

*Deſertum.*

Per deſerta, non in ciuitate, eſt puritas, ſanctitáſque quærenda. p.129. n.27.28. 29
In deſerto plus, quàm in ciuitate, ſibi comparat homo. p.496. n.25 26. & 27

*Deſiderium.*

Deſideranti dentur beneficia, vt magna habeantur. p.15. n.91. & 92
Deſiderium bonum Deus, vt factum reputat. p.268. n.204
Supra deſiderium noſtrum dat Deus. pagin. 580 n.140

*Deſperatio.*

Ne deſperet de aſcenſu, qui in humili loco exiſtit. p.305. n.31.32. & 33

*Deſtructio.*

Deſtruere eſt Diaboli, ac filiorum eius. pag. 160. num. 24

*Detrahere.*

Detrahere aliis potius vult calumniator, quàm de propria agere vita. p.18. n.111.112. & 113
Detrahentium linguas nullo viuendi modo euitare poſſumus. p.234. n.11
Vide *Murmuratio.*

*Deus.*

Deus vult recognoſci author in beneficiis ſuis. p.11. n 66 & p.472.473 n 56.57.58
Deus in magno pretio hominis ſalutem habet. p.11. n.67
Deus à nobis non plura requirit, quàm quæ præſtare valemus. pag. 14. num. 85. & p. 87. 88. n.9. & 10
Deus, quando videt, tunc miſeretur. p.20. n.125. & 126
Deus ob ſuam miſericordiam ſua dat homini dona; homo autem ſibi ſupplicium præparat. p.27. n.174
In Dei gloriam ſunt referenda omnia. pagin. 33. num.20
In Deo non eſt acceptio perſonarum. pag. 67. num.40
Deus cogitat de ſalute, homines de perditione. p.69. n.2
Deus omnes, quos aduocat, honorat. pag. 75. num.44
Deus in ſuis donis conferendis tacet ſuaue, exprimit difficile. p.77. n.60
Deus iudicat ex præſenti, non ex futuro. pag. 85. n.117
Si Deus hominem non quærat, hic ad illum ſe non mouebit. p 87. n.6
Deus in ſuis præceptis difficultatem tollit. p.87.88. n.8 9. & 10
Deus noſtras ſuſcepit infirmitates. pag. 85. n.122
Deus, & mundus in vna anima ſimul eſſe non poſſunt. p.93. n.41. & 42
Iuſtus vult, vt Deus ſibi ſit Dominus, aliis vero Rex beneficus. p.96 n.63
Deus in ſuis donis ita vult recognoſci authorem, vt ſibi ſoli, & non alteri tribuantur. p.119. n.94. 95.96. & p.564. n.37.38.39. & p 565. n.51.52
Deus è malis bona educit. p.128. n.21
Deus ſuis multas tutelas, & defenſiones parat. p.131. n.41 & 42
Deo ſunt manifeſtæ omnes cogitationes noſtræ. p.138. n.84
Deus ea dicitur numerare, quæ cuſtodit, & ſeruat. p.139. n.86.87. & 88
Deus magis eſt pronus ad bonos præmiandum, quàm ad malos caſtigandum. p.140. n.93
Deus vltionem coarctat, miſericordiam extendit in omnes. ibid. n.93
A Deo noſtra ſunt bona, à nobis mala. ibid. num 94
Dei in ſuos benignitas mira. p.163. n.46
Deus in ſuperiorem taliter ſe habet, qualiter ſe ſuperior in ſuos oſtendit ſubditos. p. 166. n.67. 68. & 69
Deus ſuos, veluti contrariis mediis tentat, in eadémque virtute comprobat. p.157. n.7
Ad Dei honorem potius, quam ad noſtrum commodum attendendum. p.169. n.79
In Deo ſunt omnia bona. p.170. n 89
Dei verbum velociſſimè operatur. ibid. n.90
Aliquando volunt homines, vt Deus eorum placito in benefaciendo ſe accommodet. p.173 n.106
Deus vult, vt de eo magna concipiamus. p. 178. n.138
Deus alta prouidentia dat beneficia ſua, mundus autem caſu. p.187. n.16.17. & 18
Deus vult in operibus ſuis author recognoſci. p.194. n.65
Deus magnos, & paruos honorat. pag. 198. 199. n.92.93. & 94
Deus miris modis homines ad ſe trahit. pag. 233. num.8
Diuina bonitas maximè agnoſcitur in multitudine peccatorum dimittenda. p.244. n.36
Deus ob pœnitentiam præuiſam honorat. ibidem n.39. & 40
Deus iudicat pro eo, quod quilibet eſt de præſenti, non ſicut homines pro præterito. pag. 259. n.140.141.142. & 143

Deus congaudet innocentibus, ac pœnitentibus. p.267.268. n.200.201. & 202
A Deo data homini bona non auferuntur, niſi ipſe homo ea à ſe dimittere velit. p.288. n.100
Deus nobis merendi occaſiones præbet. p.310.311. n.68. 69. & 70
Deus ſolus nemine indiget. p.318. n.114
Deus caſtigat, ſed non inhonorat. p.324. n.14
Dei iudicia non ſunt diſcutienda. p.334. n.45
Deus ſolus omnes reficere poteſt. p.338. n.72
Deus per contraria media ſuos, quos intendit, producit effectus. p.341. n.92
Deus nos portat in cælum. ibid. n.95
Deus propter ſeipſum ſolum, & non propter bona ſua quærendus, & amandus. pag. 350. n.29. & 30
Deus à nobis vult ſolum, quod præſtare poſſumus. p.361. n.100
Cum Deus infert ſupplicium, obmuteſcat lingua. p.370. n.39
Cum Deus exit ab anima, ſtatim ad illam confluit Diabolus. p.386. n.142. & 143
Deus, & Diabolus in anima ſimul eſſe non poſſunt. p.386. n.142. & 143
Deum volunt homines in ſuam adducere voluntatem. p.420. n.44
In Dei vocibus etſi aliquando iuſtitia appareat; in opere tamen eſt miſericordia. p.425. n.74
Deus nunquam manum à noſtræ ſalutis negocio amouet. p.444. n.11
Deus diligit vniuſcuiuſque ſalutem inſtar omnium. ibid. n.13
Deus in auxilium noſtrum valde promptus, & celer. p.446. n.29.30. & 31
In Deum referenda omnia noſtra bona. p.472.473. n.56. 57. & 58
Deus quò magis abſconditur, eo magis ſuæ cognitionis radios emittit. p.495. n.20.21. & 22
Deus non dimidiatum vult obſequium noſtrum. p.498. n.36.37. & 38
Deus tam ardenter diligit vnum, ac omnes. p.503. num.73
Deus dicitur videre bonum illud, quod aliquando habuimus. p.505. n.83
Deus per ſe benefacit; aliis ſupplicia committit. p.511. n.125.126. & 127
Deus peccatores apud ſe non patitur. pag. 517. num.19
Dei diuinitas ſine hominum adminiculis declaratur. p.517. n.22
Deus plus dat, quàm ab eo petimus. pag. 564. num.35
Deus ſemper nos de proximo videt, vt neceſſitatibus ſubueniat noſtris. pag. 590. 591. n. 16. 17. & 18
Deus omnibus conſulit, tam gratis quam ingratis. p.630. n.188
Quæ à Deo ſunt valde certa antequam ſint. p.638. n.237. & 239
Vide *Miſericordia, Iuſtitia, Promiſſio grata, Liberalitas, bona diuina.*

*Diabolus.*

Diabolo peior homo malus. p.115. n.69
Diabolus, quod per ſeipſum facere non valet, per malum hominem facit. ibid. n.69
In Diaboli ſeruis nullus amor, nec in patrem, nec in fratrem. p.122.123. n.112. & 113
Diabolus tunc vehementer tumultuatur, cum è manu eius homines exeunt. p.123. n.117
Diabolus quare dicatur Beelzebuth. p.131. n.45
Diabolus breuiter nocet. p.324. n.13
Diabolus Phariſæorum cœtu audax. p.366. n.16
Diabolus fugiendus vt hoſtis. p.369. n.32
Quæ Diabolus dicere non audet, homines ſæpè loquuntur. p.370. n.42
Diabolus quidam habet principatum in alios. pagin.374. n.60
Diabolus cur dicatur fortis, & armatus. pag. 382 n.109. & 110
Diabolus in homine peccatore, deliciatur. p.385. n.129
Diaboli requies, & gaudium, nocere homini. p.386. n.137.138. & 139
Diabolus cum ab homine eiicitur, ſi iterum reuertatur, maiori ſtipatu ſe munit. pag. 387. n.144
Diaboli debilitas magna. p.388. n.149
Diabolus nobis bellum omni tempore ingerit. p.467. n.22
Diabolus intendit, vt inde habeamus pœnam, vnde ſperamus remedium, ſeu præmium. p.467. num.22
Diabolus pro emolumento habet, nocere hominibus. p 468. n.25
Pluſquam Diabolus homo homini nocet. p. 470. n.41.42. & 43
Quidquid de manu Diaboli venit, abundans ad perdendum. p.470. n.44
Diabolus in ſua nos vult habere catena. pag. 471. num.45
Diabolus ad iniquiora nos prouocat, quàm ipſe per ſe agere audet. p.540. n.128
Diaboli excidium Iuſtus. p.547. n.17
Diabolus omne malum per mulierem parat. p.544. n.18.19. & 20

*Dicere*, vel *Dicentes.*

Ex iis, quæ tibi dicuntur, recogita æſtimationem, quàm de te faciunt. p.260. n.152

*Difficultas.*

Non de difficultatibus, ſed de remedio bonus conſiliarius agit. p.572. n.92.93. & 94
In re difficili à Ieſu ne diſcedas. p.595. n.45

*Dignitas.*

Dignitates veluti ludo, ac talis dantur. pag.500. n.48
Dignitas labor, & ſeruitus eſt. p.508.509. n.105. 106. & 107
Mundus iniquis præſtantiora dat loca. pagin, 510, n.113
Dignitates ſine amicitiæ reſpectu honorant. p.612. n.132
Ad Dignitates, qui ſe iudicat dignum, indignus eſt. p.525. n.49
Dignitate vt vnus extollatur, non ſunt omnia conturbanda. p.10. n.56.57. & 58
Velle non omnia occupare loca, ſed & aliis dare; opus pium. p.23. n.144
Ante Dignitates appareant, ac videantur merita. p.55. n.25
In Dignitates nemo ſe intromittat. p.74. n.39
In Dignitatibus, quas Chriſtus confert, aſperum exprimit; ſuaue tacet: homo autem è contra. p.77. n.58. & 59.
Ad Dignitates paulatim eundum. p.78. n.65
Dignitates pro meritis diſtribuendæ, ac metiendæ ſunt. p.78.79. n.69. & 70
Dignitates Deus aliquando dat, vel denegat ob noſtræ ſalutis bonum. p.79. n.74. & 75
Dignitatis, ac honoris ordinem Iuſti, ac perfecti ignorant. p.81. n.82
Dignitas non conſanguinitatis iure diſtribuenda. p.87. n.2. & p.523. n.32. & 33
In dignitates, & loca, ad quæ non vocatur, nemo ſe intromittat. p.88. n.14.15. & 16
Dignitas confertur, non ad otium, ſed ad onus, ac laborem. p.89. n.18.19. & 20
Dignitates multos ſecum labores afferunt. p.106. n.6.7. & 8
Ad dignitatis menſuram perſecutiones creſcunt, atque labores. ibid.
In dignitatibus magna cuſtodia, humilitas. p.174. n. 112
Dignitatem ſuam qui conſiderat, cadit; qui ſuam humilitatem, exurgit. ibid.
Dum in ſuam dignitatem quiſque alium videt introductum: pœna magna. p.180. n.155
Non à dignitate, ſed ab operibus, ac virtute deprehenditur excellentia vera. p.201. n.6.7.8. & 9
Dignitas, non titulis, ſed operibus dignitati proportionatis manifeſtanda. p.213.214. n.78.79. & 80
Dignitas ita danda vni, vt mœrore non afficiantur alij. p.303. n.22. & 23
Dignitates omnes pro Chriſto contemnendæ. p.255. n.108
Ad dignitates vocantur ſancti, ſibi eas iniqui arripiunt. p.304. n.27.28. & 29
In dignitate alta nemo ſuperbeſcat; in loco humili nemo deſperet. p.305. n.31.32. & 33
Dignitas, tanquam iugum, onuſque, portanda. p.305. n.34
Dignitatem nemo ſibi exoptet, aut petat. p.308 n. 51
Dignitas indignis neganda; benemeritis conferenda. p.329. n.10
Dignitates ſuas homines ne amittant, mala multa faciunt. p.390. n.12. & 13
Dignitatis onus magis, quàm honor conſiderandus. p.403. n.98
Dignitas grande pondus, & onus. p.405. n.109. 110. & 111
Dignitatum omnia loca non violentia ſunt occupanda. p.435. n.15
In deiectos à Dignitate inſurgunt omnes. p.448. n. 44. & 45
Homines, cum ſe vident electos in Dignitate, in multa vitia ſe præcipitant. p.466. n.15.16. & 17
Dignitas diuiſionem, neceſſitas vnionem parit. p.598. n.67. & 68
Valde iucundum Deo ſi homines ea, quæ pro terrenis faciunt, exhiberent pro Deo. p.230. n.184
Vide *Electio, Donum, Officium, Cognitio, Contemnere.*

*Diligentia.*

Diligentia multum valet apud Deum. p.230. n.178
Cum diligentia agendum nobis commiſſum munus. p.308. n.50
Diligentia virtutes creat. p.500. n.49.50. & 51
Diligentia plus prævalet, quàm fortuna bona. p.506. n.90.91. & 92
Diligentia vincit pigritiam. ibid. n.91

*Diſcere.*

Nullus adeo ſapiens, vt aliquid adhuc diſcere non valeat. p.305. n.36
Vt diſcant, apti ſunt paruuli, & non magnates. p.333. n.37.38.39. & 40
Qui diſcere vult, emendationis eſt capax. p.262. n. 163

*Diſcipulus.*

In diſcipulos facta calumnia retorquetur in magiſtrum. p.55. n.27
Diſcipuli Dominum nocte, & oratione comitabantur. p. 74. n.35
Diſcipulum dedecet in otio eſſe; in labore magiſtrum. p.89. n.18
Diſcipulus magnam in magiſtrum reuerentiam habeat. p.131. n.44
Dum ad diſcipuli, ac addiſcentis formam Sapientia ſe demittit; magna charitas. p.173.174. n.108. 109. & 110
Diſcipuli vt ſint, ac diſcant, humiles apti. p.279. n. 34. & 35
Vt diſcipulus ſit, aptus non eſt, qui cathedram habet. p.333. n.38. 39.40. & 41

*Diſcordia.*

Diſcordes ſunt in multis huius ſæculi diuites; concordant tamen in eo, quod ruant. p.164. n.52
Diſcordia Deo maximè diſplicet. p. 287. n. 94
Diſcordia diſſoluuntur cuncta. p.378. n.85
Vide *Diuiſio.*

*Diſſimulo.*

Diſſimulare aliqua, ſciat prælatus bonus. p.94. n.50
Diſſimulare iniurias, prudentia magna. p.114. n.65
Diſſimulare aliquando, magna prudentia. p.239. n.6
Diſſimulant viri pij aliquando temporalia, vt ſpiritualia ſecurius exhibeant. p.241. n.15

*Diuiſio.*

In diuiſione malitia; in vnione bonitas. p.12. n.72. & 73
In turba diuiſiones faciente Chriſtus non inuenitur. p.24. n.157

*Diuitiæ*, vel *Diuites.*

Diuites dona Dei ne ſibi appropriare velint. p.11. n.61
Diuitiæ ſeditionis cauſæ. p.97. n.70. & p.104. n.41
Diuites huius ſæculi natura ſua ruunt, & cadunt. p.164. n.52.53. & 54
Diuitiæ graues, & ponderoſæ. p.312. n.82
Diuitiis pluſquam ſapientia alliciuntur mundiales. p.337. n.65
Diuitiæ, ſeu rerum ſubſtantia, pars vitæ hominis. p.354. n.57
Diuitiæ ſunt ſpinæ, quæ cogitationibus pungunt. p.460. n.104
Diuitiæ retentæ mortem; expenſæ vitam cauſant. ibid. n.105
Diuitiarum amor ſemel ingreſſus difficile expellitur. ibid. n.106
Diuitiæ, malorum radix, & ruinam cauſant. p.461. n. 108. & 107
Diuitiæ dant famem. ibid. n.109
Diuitiæ inconſtantes, & tranſeuntes. ibid. n.110
Diuitiæ mendacium, & fallaciam aſportant. ibid. n.111. & 112
Vide *Bona temporalia.*

*Doctor*, vel *Doctrina*, vel *Docere.*

Doctrina ſit in corde, & non in codice. p.49. n.111
Doctores mali manifeſta non capiunt, & iuxta ſuam malignitatem ſcripturas intelligunt. p.68. n.46. & 47
Doctores iniqui, loquaces in falſitate, circa veritatem obmuteſcunt. p.62. n.12. & 13
Doctor bonus verbo, & opere docet. p.71. n.15
Ad doctrinam capeſcendam bonus in auditoribus requiritur affectus. p.93. n.46.47. & 48
De doctrina potius, quàm de cibo agendum. p.289. n.103
Doctrinam aliorum qui contemnit, in multa mala incidit. p.332. n.27

Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam magnus requiritur virtutum ornatus. p.606.num. 39. 40.41. & 42
Euchariſtia ſincerè ſumenda ſine terrenarum rerum admixtione.p.608.n.49.50.51.52.& p.656. 657.n.341.342. 343.& 344
Denudato affectu à terrenis Euchariſtia ſumenda. ibid.
Euchariſtia multa diuini Spiritus gratia ſuſcipienda. p.608.n.55
Ad Euchariſtiam rectè diſponitur homo, non inter delicias, ſed inter mortis memorias. p.630. n.187
Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam pœnitentia, ac mortificatio. p.609 n.59
Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam lacrymis eſt mundanda anima. p.608.609.n.56.57.58.59
Dum homo ad Chriſti menſam accedit, illius celſitudinem conſideret. p.614.n.93.& 94
Diabolus non permiſit, Iudam menſæ Chriſti conſiderare celſitudinem. ibid. n.94
Ad Euchariſtiam accedendum multa animi puritate, atque munditie. p.617.618.n.111.112.113. 114.& 115.
Ad Euchariſtiam accedendum Baptiſmali munditie. p.612.617.& 618.n.111.& 112
Chriſtus ſe ad Euchariſtiam præparauit. p.618. n.115
Ad Euchariſtiæ Sacramentum anima confeſſione purificetur. p.6118.619.n.116.117.118 & 119
Accedendum ad Euchariſtiam cum firmo propoſito non peccandi, & integrè confitendi. ibid.
Accedat homo ad Euchariſtiam, tanquam illico moriturus. p.630. n.183.184.& 185
Vt mortui mundo ad Euchariſtiam accedamus. ibid.n.186.& 187
Qui indignè accedit ad Euchariſtiam, non manducat. p.642.643.n.259.& 260
Qui non mutat vitam, non manducat. pag.643. n.260
Omnis noſtra diſpoſitio impar ad Euchariſtiam. p.643.n.262.& 263
Vt ad Euchariſtiam accedamus mundanda eſt conſcientia à peccatis. p.110.n.37
Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam omnia parua, & anguſta videntur. p.168. n.77. &. p.284. 285. n.73.74. & 75.
Multi, cum maieſtatem Chriſti in Euchariſtia non conſiderant, illam ſuſcipere audent. pag.169. n.80
Quilibet timeat, Chriſtum ſuſcipere in Euchariſtia. ibid.n.83
Vt Chriſtus in Euchariſtia ſuſcipiatur, prius eſt conſcientia per confeſſionem mundanda. ibid. n.84
Homo, vt ad Euchariſtiam digne accedat, prius eſt ipſomet Deo communiendus. p.252.253.n.95. & 96
Ad Chriſtum in Euchariſtia ſuſcipiendum neceſſaria puritas magna. p.276.n.13
Ad Euchariſtiam magis, ac magis omni ſanctitate eſt anima præparanda. p.285.n.75
Homo donum quod in Euchariſtia accipitur, profundè conſideret. p.650. 651.n.308. 309. 310. & 311
Euchariſtia animo à negotiis ſeparato ſumenda, vt illius fructu fruamur. p.601.n.11
Euchariſtia accedenti dignè vita, indignè mors, p.654 n.330.& 331
Ad Euchariſtiam cœleſti puritate dimiſſis terrenis accedendum. pag.656. 657.n.341. 342.343. & 344
Chriſtum in Euchariſtia ſuſcipere polluta anima, grauiſſimum crimen. p.666. n.401.402.& 403

*Euchariſtiæ frequentatio.*

Euchariſtia frequentanda. p.615. n 96

*Magnitudo, & excellentia myſterij.*

Euchariſtia animi, non corporis cibus. pag.428. 429. n.101. & 102
In Euchariſtiæ Sacramento quare dicatur ſanguis effuſus pro multis, & non potius pro omnibus. p.505. n.82
Ad præſentiam miraculi Euchariſtiæ cætera miracula obliuiſcuntur. p.561.n.17
Euchariſtia Chriſti gloria.pag.607.n.48.& p.613. n.86
Chriſti panis excellentior Manna. pag.610. 611. n.68. 69. & 70
Euchariſtia opus ſummè perfectum. pap.611. 612. n.71. 73.& 76
Comparatione Euchariſtiæ cætera opera parua ſunt. p.612.n.76
Euchariſtia valdè peculiare Dei opus. p.603.n.23
Omnia Dei magnalia, ac opera in Euchariſtia recapitulata. p.604. n.24.25.26.27 & 28
Sola Dei miſericordia myſterium Euchariſtiæ explanare, ac dicere poteſt. ibid. n.30
Euchariſtia corona operum Dei. pag.613. n.87. & 88
Euchariſtia ſignum, ac monumentum amoris Chriſti. p.632.633.n.200.201. 202. & 203
In Euchariſtiæ Sacramento ſumma perfectio. p.633.634.n.208.209.210
Deus nil imperfectum paſſus eſt in Sacramento Euchariſtiæ. ibid.
Ad Euchariſtiæ præſentiam omnia magnalia obliuiſcuntur. p.635.n.217
Diuitiæ gloriæ poterunt explicari; non verò quæ ſunt in Euchariſtiæ Sacramento. p.636. n.224. & p.505.n.87
Euchariſtiæ Sacramentum inter cætera opera Chriſto Domino valdè peculiare. p.639.n.242. 243.& 244
Etſi alia opera homini committantur, Deus tamen Euchariſtiæ Sacramentum ſibi reſeruat. ibid. n.243
Euchariſtiæ Sacramentum pro benedictione Chriſto datum. ibid.n.244
Myſterium Euchariſtiæ ſublimius myſterio Paſſionis Chriſti. p.649. n.300.301.302.& 303
Panis Euchariſticus perfectiſſimus. p.653.n.327
Tanta eſt maieſtas huius ſacramenti, vt Chriſtus de ſe in illo loquatur per tertiam perſonam. p.654.n.333.334. & 335.
Ob ſublimitatem myſterij, modeſtiæ cauſa, de illo Chriſtus minora prædicat. ibid.n.335
Non patitur Chriſtus, vt quis, etiam per errorem, cogitet aliquam imperfectionem in ſuo Euchariſtico pane. pag.654. 655. num.338. 339. & 340
Agere de Euchariſtia, non ad hominem, ſed ſolum ad Dei filium ſpectat. p.657. n. 346. 347. & 348
Deus in Euchariſtia altiſſimus manifeſtatur ſuper vniuerſa opera ſua. p.657. n.349
Euchariſtia data eſt, vt apertum diuinitatis, ac maieſtatis Chriſti teſtimonium. p.625. n.152. 153. & 154
Euchariſtia ob ſui maieſtatem ſupremè veneratur ab Angelis. ibid.n.154





*Dei attributa, tam in communi quam in particulari.*

Ad Euchariſtiæ præſentiam Dei Iuſtitia, & eius iræ ſopiuntur. p.629.n.174.175.& 176
Dei omnipotentia reſplendet in Euchariſtia.p.611. n.75.& 76.
Dei Amor in Euchariſtia. p.612.n.78
Ad præſentiam Euchariſtiæ Dei Miſericordia diffunditur. p.623.n.142.&.143
Deus liberalior in Sacramento Euchariſtiæ quàm in illius promiſſione. p.629.n.179.
Solus Chriſti amor nobis Euchariſtiam miniſtrat. p.632.n.199.
Euchariſtia ſignum, ac monumentum amoris Chriſti. p.632.633.n.200.201.202.& 203
Eximia Chriſti liberalitas in Altaris Sacramento. p.635 n.215.216.217.& 218.

*Chriſti Maieſtas in Euchariſtia*

In Euchariſtia Chriſtus omnium bonorum theſaurus. p.494.n.10
In Euchariſtia Chriſtus pretioſa margarita. p.502. n.64.
In Euchariſtia Chriſtus delectatur. p 517.n.16.
Chriſtus in Euchariſtia, veluti nouo iure, Rex, regnareque dicitur. p.613.n.84.85 86.87.& 88
Chriſtus in Euchariſtia valde formoſus.p.613.n.86
Chriſtus in Sacramento Altaris dat omnia ſua p.634.635.n.214.215.216.217.& 218
Chriſtus in Sacramento Altaris omnem ſuam oſtendit maieſtatem. ibid.n.216.& 217
Corpus Chriſti per conſecrationem ad magnam Diuinitatis participationem eſt euectus. p.640. n.247.
Corpus Chriſti in Euchariſtia aliqualem habet diuinorum attributorum participationem. ibid. n.248
Ex conſecratione corpus Chriſti maximè ſublimatum p.640.641.n.249. & 250
Chriſtus in Euchariſtia altiſſimus manifeſtatur ſuper vniuerſa opera ſua. p.657.n. 349.
Chriſtus de ſuo Pane maximè zeloſus non patitur, quod cum illo aliquid comparetur. p.659. n.358.

*Intellectus, ſeu Senſus.*

Euchariſtia illuminat intellectum. p.619.n.121
Euchariſtia dat cognitionem, ac illuminat intellectum. p.624.n.149.150.& 151
Euchariſtia illuminat intellectum, vt doceas, & diſcas. ibid.n.150
Dei operibus ſubiiciendus eſt intellectus. p.628. n.170
Euchariſtia intellectui nox caliginoſa, fidei verbum omnipotens. p.657.n.349

*Fides.*

In Euchariſtia Chriſtus fide inuenitur. p.495. n.19
Chriſtus in Euchariſtia humanæ rationi occultatur; fidei tamen patet. p.603.n.20.21.& 22
Cur Chriſtus abſconditus eſt in Euchariſtia. ibid. n.22
Fides maxime relucet in Sacramento Altaris. p.605.n.34.&.35.
Sola fides Chriſtum cognoſcit in Sacramento ibid.n.36
Chriſtus in Euchariſtia ſenſibus ænigma, fidei ſpeculum. p.606 n.37
Maximè declaratur in Euchariſtia fidei magnitudo, multiſque laudibus celebranda p.641.642. n.255.256.& 257
Arcana Euchariſtiæ oculis nox caliginoſa, Auditui fidei Dei verbum p.657.n.348

*Fortitudo.*

Euchariſtia fortitudo nobis aduerſus hoſtes.p.615. n.97.98.& 99
Euchariſtia caſtrorum munimen. ibid.n.98
Martyres ante martyrium communione muniendi reficiebantur. p.644.n.275.
Magna nobis ab Euchariſtia fortitudo; ipſaque timorem excludit. p.647.n.293
Euchariſtia protegit, ac tuetur ſuper vniuerſa Dei opera. p.659.n.354.

*Vnitas.*

In Euchariſtia vnitas nobis commendatur. p.614. n.92.
Inter Chriſtum, & comedentem mira vnitas. p.629.n.178
Magna vnio inter Chriſtum, & communicantem. p.644.645.n.273.274.275.& 276
Propter vnionem communicantes dicuntur panes. ibid.
In Euchariſtia pluſquam in alia quacumque re maxime vnimur cum Chriſto. p.645.n.280. 281.& 282

*Effectus Euchariſtiæ in nobis.*

Per Euchariſtiam habemus magnam cum Chriſto vnionem. p.497.n.65.& 66
Gaudia & ſuauitates, ex ſacra Euchariſtia participatæ explicari nequeunt; maximè vero quæ ex Beatitudine hauriuntur. p.505.n.87.& p.635. n.224.
In Euchariſtia Chriſtus animas noſtras inflammat. p.483.n.17.
In Euchariſtia Chriſtus nos ditat. p.483.n.17
Euchariſtia dat vitam, & veluti à corruptione præſeruat. p.601.n.8.9.10.& p.626.627. n.162. & 163.
Euchariſtia oculis panis; cordi dulcedo Dei p.601.n.61.& 62
In Euchariſtia Chriſtus in ſe occultus; in effectibus manifeſtus. p.610.n.65.& 66
In Euchariſtia ſuauiſſimus Chriſtus. ibid.n.64. 65.& 66
Euchariſtiæ dulcedinem ſolus Deus valet explicare. ibid. n.65
Qui digne Euchariſtiam recipit, illius dulcedinem ſentit. ibid.n.66.
Qui indignè recipit, non ſentit. ibid.n.67
In Euchariſtia omnes fructus. p.611.n.72
Euchariſtia nobis fermentum ad vitam.p.615.n.95
Euchariſtia nobis omne bonum. p. 601. n. 100. & 103
Euchariſtia nobis cibus, & potus. p.615.616. n.101.102 & 103
Euchariſtia extinguit, famem, & ſitim p.616. n.101.& 102
Euchariſtia ad Deum nos dirigit. p.619.n.120
Euchariſtiæ odor nos illuminat, vt ad Deum veniamus. ibid.n.121
Affectus ad Euchariſtiam grandiores in nobis producit effectus, quam quilibet gratiæ cumulus. ibid.n.122
Euchariſtiæ deſiderium magnos in uobis generat effectus ibid.n.122
Qui in Euchariſtia Chriſtum fide ac deuotione tangunt, ſanantur. p.95.n.54
In Euchariſtia corpore Chriſti paſcitur Iuſtus p.·07.n.12.
In Euchariſtia Caro Chriſti viuifica. p.194.n.63
Ad Euchariſtiæ præſentiam omnes iræ diuinæ extinguũtur, & ſopiuntur.p.264.n.174.175.& 176

Euchariſtia efficaciſſima ad luxuriam refrænandam. p.257.n.128. & 129
In Euchariſtia ex Chriſti præſentia hauritur dulcedo maxima. p.272.n.230
In Euchariſtia Chriſtus omni bono, omnibuſque diuitiis reficit.p.339.n.78.& 79
In Euchariſtia Chriſti caro nobis pro vehiculo eſt. p.358.n.79
Euchariſticus panis adeo ſuauis Chriſto, vt ad eius ſimilitudinem omnem dulcedinem explicet. p.439.n.37
Chriſti corpore nobilitamur; reges, ac principes conſtituimur. p.620. 621. n.123.124.125.126. & 127
Ad præſentiam Euchariſtiæ nulla ira, aut maledictio; ſed miſericordia, & benignitas diffunditur. p.623. n.142. & 143
Euchariſtiæ præſentia arcetur omnis caſtigatio. ibid.
Euchariſtia dat vitam & ſpiritualem, & temporalem. p.626.627.n.161.162.163. & 164
Ex Euchariſtiæ halitu vita. ibid.
Anima ſine Euchariſtia velut cadauer.p.629.n.175
A Chriſti ſanguine in nobis vita.p.629.630.n.180 181.182.
Ab Euchariſtia robur in nobis. ibid. n.182.
In Euchariſtia omnium ſapor, atque dulcedo. p.63.n.194 195.196.& p.637.n.230.& 231
Ab Euchariſtia multi prouentus. p.637. n.229. & 230
Euchariſtia ad totum mundum ſatiandum. ibid n.230
Euchariſtia à ſeruitute liberat; dat filiorum libertatem. ibid. n.232
Ab Euchariſtia multæ felicitates, & dona. p.647. n.289
Euchariſtia ſpes noſtra corroboratur. ibid.n.290. 291.& 292
Euchariſtia paradiſus terreſtri paradiſo præſtantior. p.659. n.356
Ex diuitiis Euchariſtiæ ad illius ſuſceptionem inflammetur deſiderium ibid. n.357

*Quanta Dignitas in nobis ex Euchariſtia.*

Ex Chriſti hoſpitio in Euchariſtia terra iungitur cælo. p.238.n.37
Chriſtus in Euchariſtia ſuos exaltat. p.614. n.91
Chriſti corpore reges ac principes conſtituimur. p.621.622.n.123.124.125.126. & 127
Euchariſtiæ communione prælati ſumus Angelis. p.646.n.284.285.& 286
Per Euchariſtiam homo Deus per participationem. ibid.
Ad alta myſteria homo magis adaptatur Euchariſtiæ typo, quàm Beatitudinis imagine. p.646. n.287

*Feſtiuitas, ſeu Solemnitas.*

Euchariſtia multa feſtiuitate celebranda. p. 627. n.165. 166.167. & 168
Angeli deſcendunt ad Euchariſtiæ feſtiuitates. ibid n.168
Cultus Euchariſtiæ exhibitus muneratur, contemptus punitur.p.650.n.306.& 307
Veneranti Euchariſtiam ſalus; contemnenti mors. p.653.654.n.327.328.329.& 330
Chriſtus reſeruauit ex ſuo corpore naturali, vt fiant expenſæ in ſuo corpore ſacramentato. p.610. n.66
Profundiorem cultum exhibent Angeli Chriſto. in Sacramento Altaris, quàm in throno gloriæ p.636. n.225

*Eccleſia.* Vide *Motiua.*

*Irreuerentia.*

Irreuerentia erga Euchariſtiam punitur rigidè. p.650.n.306.& 307
Contemptus in Euchariſtia punitur. ibid. n. 306. & 307

*Examinare.*

Examen multum ante electiones faciendum.p.90. n.26

*Exceſſus.*

Excedere alios homo ne ſemper velit.p.52.n.128. & 129

*Excitare.*

Excitatur maximè animus ad tolerantiam laboris prouentu. p 307.n.48

*Exemplum.*

Si vitæ exemplum non adſit, oris loquela minimè prodeſt. p.136.n.70
Exemplum ſuperioris multum efficax.p.174 n.114
Exemplo ſanctorum appoſito non moueri; valdè damnabile. p.236.n.26
Exempla ſanctorum valde efficacia ad trahendum. ibid. n.27
Exemplum bonum, in quocumque ſit, ſequendum. p.392.393.n.33.& 34

*Exercitium.*

Exercet Deus ſuos in eadem virtute veluti contrariis mediis. p.167.n.71

*Exhortare.*

Exhortant, & excitant nos ad opus pium gentilis ſæpè, atque extraneus. p.159.n.18

*Experientia*

Expertus miniſter eligendus, ac quærendus. p.9. n.51.& 52
Experientia probandi homines antequam ad dignitates euchantur. p.78.n.65. & 66
Expertus conſiliarius quærendus. p. 568. n.65

*Explicare.*

Explicanda myſteria cæleſtia terrenis comparationibus. p.443.n.8. & 9
Qui id explicare neſcit, quod intelligit, inſciens iudicatur. ibid. n. 10
Explicandum, quod impij obſcurare volunt. p.74. n.38

*Exterius.*

Non ex factis externis, ſed ex intentione opus ponderandum. p.379.n.91.& 92
Externa facies bene compoſita multum valet. p.468.n.76
Externa facie declarat ſinapis, quod in ſe continet. p.481. n.8
Virtus non ſolùm exiſtat in intimo, ſed & in exteriori facie appareat. p.215. n.89. 90. & 91

*Extaſis.*

Vt in extaſi, Iuſti charitate inebriantur. p.274. n. 245

*Extraneus.*

Extranei ſæpè ad regem tibi aditum aperiunt, & conſanguinei intercludunt. p.376. n.79

*Ætas.*

Ætas aliquando ad peccandum motiuum. p.195. n.71
Non ætas, ſed merita præcedunt. p.513.n.135

## F

*Facies.*

FAcies Domini irata maximè timenda. p. 250. n.82

*Facilis.*

Qui facilia negat, quomodo difficilia miniſtrabit. p.266. n.191
Facilis, & ſuauis via ſalutis. pag. 486. num. 39. & 40
Facilitas multa in cultu, ac religione. ibid. numer.40.
Quæ faciliter dantur, contemnuntur; cum labore comparata æſtimantur. pag.494. num.15. 16. & 17

*Fama.*

Fama nominis in vno ne terminetur. pag.57. numer.36
Quando alicuius fama maximè periclitatur, tunc maximè publicanda veritas. pag. 218. numer.106
Fama bona amiſſa homo turpitudini traditur omni. p.244.n.35
Fama publica rem, aliàs notoriam, in dubium, ac quæſtionem ponit. pag. 260. num. 147. 148. & 149
Vide *Honor*, *Infamis.*

*Fames.*

Fames, ac penuria in deſerto, tentatio magna. p.102. n.29
In tempore famis tuos ſolum amicos habebis. p.275.n.7.8. & 9
Fames multa mala inuadit. pag. 567. num. 58. & 59
Fameſcentibus ſubditis, prælati eſt, prouidere. p. 573. n. 98
Famis tempore paruo cibo vtendum. pag. 575. n.110

*Familiaris.*

Quanto quis magis familiaris, tantò magis ad Deum accedit. p.256.n.117
Familiaritas parit contemptum. pag. 524. numer.37

*Fauor.*

Si fauores omnes in vnum conglomerentur, cæteri ægrè ferent. p.7.n.33.34.& 35
Fauores, & benedictiones aliis adſcribit iuſtus, ſibi autem preſſuras, & incommoda. pag.276. n.15.16. 17. & 18
Fauore, ac beneficio abutentes, in malum, ac pœnam incidunt. p.510.n.117

*Felicitas*, vel *Felix.*

Felicitas huius ſæculi augurium infelicitatis. p.186. n.12
Sæpè magis placet experta miſeria, quam non guſtata felicitas. p.15. n.90
Felicis magna laus, quod non totum ambiat, ſed vna parte ſit contentus. p.294.n.136
In Dei palatio, ſi vnus felix, benemeriti multi: in domo autem mundi felices multi, benemeritus vnus ad plurimum. p.409. num.133. 134. & 135
In felicitatibus, ac aduerſitatibus firmus ſtat animus fortis. p.463. n.119.120. & 121
Felicitas poſt tempeſtatem gratior. pag.591. n.23. & 24

*Feſtum.*

Feſtiuitates cum mentis eleuatione celebrandæ. p.2. n.3
Feſta celebremus operibus charitatis in proximos. p.3. n.11
Feſtus dies Chriſto dum nobis benefacit. ibid. n.12
Feſtorum ſolemnitas ex maiori Chriſti cognitione maior accreſcit. ibid.n.13.& 14
Feſtiuus dies non eſt aliqua ex parte contriſtandus. p.94.n.51
Feſti dies in Dei obſequio tranſigendi. p.562.563. n.28. 29. & 30

*Fictio.*

Ex fictione, ſeu ſimulatione, mala multa parantur. p.92. n.30
Ficta virtus maximè deteſtanda. p.386.n.140
Vide *Hypocriſis.*

*Fides.*

Fides totius ſpiritualis ædificij fundamentum.p.38. n.50
Fides ſine operibus mortua eſt. p.41. n.65
Fides aliquorum ita pene extincta, vt iam non ardens ſit, ſed veluti fumigans. pag.68. numer.50
Vt fidei detur animi aſſenſus, requiritur prius beneuolus auditorum animus. pag.93.num.47. & 48
Fide, ac deuotione Chriſtum tangentes, ſanantur. p.95.n.54
Qui in fide torpeſcit, Chriſtum contemnit, ac comprimit. ibid.n.57.& 58
Fides ſi nobis adſit, in promptu ſunt omnia. p.119. n.90
Fide propiùs, quàm corpore accedendum ad Chriſtum. p.157. n.11
Fidei confeſſione Deus veneratur. pag. 162. numer.40
Fides vera internum ſolum quærit affectum, non verò externas adorationes, quas debilis fides requirit. p.162.163.n.41.42.& 43
Fides vera magnum Deo palatium præparat.p.163. n.43
Parum prodeſſet, Deum in domo habere, ſi in corde non eſſet. p.163.n.44
Fides in magna ſuper omnes gazas æſtimatione apud Deum eſt. p.176.n.127
Per fidem fons, ac ianua omnium bonorum nobis aperitur. p.178.179.n.142.143.& 144
Ex præclara extraneorum fide, domeſticorum arguitur infidelitas. p.181.n.164
Fides miracula promeretur. p.184.n.179
Nulla homini maior nobilitas, quàm de illius fide teſtimonium. ibid. n.181
Ad fidem pia affectio in voluntate. pag. 204. numer.25
Fides ſalutis initium. p.272.n.228
Fidei cauſa deſerta eſſe non poteſt. p.390.n.16.17. & 18
Nunquam deerit, qui pro fide teſtimonium ferat. ibid.
Fidei cauſa cum magna eſt libertate, vocéque agenda. p.393.n.37.38.& 39
Fidei confeſſio tempore contradictionis Deo valdè grata. p.395.n.47.48.49. & 50
Fides vera pari ſe modo habet in proſperis, ac in aduerſis. p.463.n.120
Fides ſuper omnia æſtimanda. p.493.n.4
Fidei Chriſti diuitiæ inexplicabiles. ibid.n.7
Ad fidem ſuſcipiendam dimittantur errores. pagin.497. n.33
Fides ſine operibus mortua. p.507.n.95
Fides proficit, ſi ſit, non temporaria, ſed perſeuerans. p.595.n.49

*Fiducia.*

Fiducia nos inuerecundos ne faciat. pag.250. numer.78
Qui pro te laborat, fiduciam habet, vt pro ſe, negotióque ſuo loquatur. p.282.n.52

Fiducia eſt præditus multa, qui in cauſa iuſtitiam habet. p.282.n.53

Fiduciam, & ſecuritatem Deus præbet ad magna. p.595. n.45

*Filius.*

Filij pij à piis naſcuntur parentibus. p.34. num.22. & 23

Filium ſe quilibet ſui patris operibus probat. p.253.n.99

Filiorum virtutes magnum parentibus ornamentum. p.396 n.58

Filius, ſi à parentibus degenerat, grauiter arguitur. p.418. & 419.n.31.32. & 33

Filium ſui Patris ſe Chriſtus oſtendit operibus. p.566. & 568. n.53. 69.& 70

Filius viduæ in omni vitio verſatur. p. 187. n.20. & 21

Vide *Pater.*

*Finis.*

Finem in ſuis eundem aſſequitur Deus, veluti contrariis mediis. p.167.n.71

*Fœdus.*

Fœdus amicitiæ nullum in his, in quibus eſt fidei diuerſitas. p.122.n.110. & 111

*Fortitudo.*

Erga fortes, humiles; in humiles feroces ſe habent huius ſæculi homines. pag. 124.n.22.23. & 24

Non fortitudine, ac vi, ſed aſtutia ſunt peragenda negotia. p.110.n.40

Fortis vir vno aduerſo caſu non deſiſtit. pag.129. n.31

Fortitudo nos re omni ſuperiores facit. pag.135. num.61

Fortitudo animi in propria patria infirmatur, dum ad extranea, ac foras exit, manifeſta apparet. p.160. n.58.59. & 60

Fortes, ac animoſos vult Dominus diſcipulos ſuos. p.321. n.136

Fortis animus ſtat in proſperis, aduerſiſque firmus. p.463.n.119.120. & 121

*Fuga.*

Fugere ex iuſta cauſa, decorum. pag.65. num.33. & 34

Fuga aliquando laudabilis. p.126.n.8.& 9

Fuga quando ſub præcepto cadat, quando non ibid. n.10

Fuga aliquando dictatur à fortitudine. ibid.n.12

Fuga ſæpè prudentiæ actus. p.126. & 127. n.13. & 14

Fuga aliquando à religione, & charitate imperatur. p.127.n.15.16 & 17

*Furari*, vel *Furtum.*

Quæ furto, ac rapina obtinentur, dulciora. p.231. n.186. & 187

Qui ſibi omnia furari, ac arripere cupit, intolerabilis eſt. p.366.n.20

Multi te in alio ſpoliant. pag. 396. num. 56. & 57

*Futura.*

Futurorum prædictio, diuinitatis index. pag.425. num.77

Pluſquam futuræ promiſſiones æſtimantur dona data. p.586. n.179. & 180

Futura, quæ à Dei voluntate pendent, ita certa ac ſi eſſent in præſenti. p.638.639. num.237. 238. & 239

G

*Gaudium.*

Gaudium huius ſæculi breuiſſimè tranſit. p.186. n.10. 11. & 12

Gaudio ſit animus perfuſus ad beneficia diuina ſuſcipienda. p.192. n.49

Non gaudendum in alterius punitione. pag.326. n.23

Gaudendum ſolum de iis, quæ ſunt iuſtorum propria. p.326.n.24

Gaudij ſunt magni, quæ ex merito proueniunt. ibid. n.29

Cum gaudio exhibendum donum. pag.497. numer.28

Gaudium magnum exprimi non poteſt. pag.505. n.86

Gaudia impiorum caſu veniunt. p.518.n.2

Mulier vnde volebat dare gaudium dat triſtitiam. p.548. n.43.

Gaudium eſt maius poſt tempeſtatem. p.591.n.23

Qui eſt particeps doloris, ſit & gaudij. pag.396. n.59. & 60

*Gentilitas.*

Gentilis Chriſtum Iudæis demonſtrat. pag.159. n.18

Gentilis, & extraneus ad opus pium ſæpè nos excitat. ibid. n.17

Gentium conuerſio ſemper cum gaudio proponitur. p.179. n.145

*Genus*, vel *Generatio.*

Magna parentum gloria, quod eorum nomen per varias generationes clareſcat. p.181.n.159.

*Gloria*, ſeu *Beatitudo.*

Omnis gloria in noſtris operibus Deo tribuenda. p.299.n.6. & 7

Vide *Beatitudo.*

*Gloria Vana.*

Gloria vana fugienda. p.26. n.169.& 170

Gloriæ vanæ ambitio homines excæcat. pag.51. n.120

Gloriæ vanæ ſtudioſus in fide iacturam facit. p.51. n.121. & 122

Gloriam vanam quærentes foris ſanari volunt. p.66. n.39

*Gratia.*

Gratia Dei neceſſaria, vt homo ad Chriſtum veniat. p.27.n.172

Gratia apud Chriſtum occaſum neſcit; apud homines citò deficit. p.296.n.150. & 151

Per gratiam ſuam nos Deus præuenit. pag.334. n.43

Gratia ſua Chriſtus Dominus animæ noſtræ fracturas ſanat, & redintegrat. p.360.n.95

Gratia diuina ex peccatoribus fulgidas facit ſtellas. ibid.n.96. & 97

*Gratus*, ſeu *Gratias agere*, vel *Gratulari.*

Gratificandum pro acceptis beneficiis. p.21. 22. n.136.137. & 138

Gratus animus noua beneficia promeretur. p.27. n.172

Gratus crimen exiſtimat, beneficium tacere. p.29. n.189

Bona noſtra Deo referenda. p.71.n.15

Gratificatio vera, non verbis fit, ſed operibus. p.80.n.77

Grati ſimus noſtræ gentis beneficiis. p.91. n.33

Gratificat Chriſtus obſequia noſtra, quamuis aliàs debita. p.141.n.99


Grati


Gratificanda inſigniter pietas Dei. p.191.n.45.46. & 47

Gratiarium actio ſit ſpontanea, non coacta. p.198. n.89

Quæ dantur in gratiarum actionem, optima ſint. p.247. n.62

Vt grati ſimus, vult Deus, ad maiora in nos beneficia diffundenda. p.275.n.6

Gratiæ maiores pro maiori beneficio exhibendæ. p.328. n.7

Gratuletur Princeps beneficia ſubditis data. p.328. num.8

Gratulanda maximè gubernatio, quæ iuſtos exaltat, & iniquos deprimit. ibid.n.9

Gratitudinem in accipiente tanquam penſionem beneficium poſtulat. pag.329. & 330. num.14. & 16

Omne bonum noſtrum in Deum referendum. p.456. n.85

Omne noſtrum bonum Deo referendum, & pro illo gratiæ agendæ. p.473. n.56.57.& 58

Gratiæ Deo agendæ pro quotidiano cibo. p.577. n.119

Gratitudo perennis beneficiorum fons, & ipſa comparat. ibid. n.122. & 123

Gratus animus etiam minima multum æſtimat. p.580. n.143

Deus omnibus conſulit, gratis, & ingratis. p.630. n.188

*Gubernator.*

Qui gubernatoris officium rectè adminiſtrat, multum promeretur. p.181. n.160

Vtilius, ſub vno gubernatore, quàm ſub multis viuere. p.569.n.74

Vide *Leges*, *Iudex.*

*Gula.*

Guloſus dæmonium inhabitans habet. pag.319. n.124

Guloſus omni vitio plenus. ibid.n.125

Gulæ appendix luxuria. ibid.

Gula omnis malitiæ prænoſticum. pag.319. numer.126

Iniquitas maximè auxiliatur à gula, quæ feſtum agit Diabolo. p 543. n.13

Gula ſuper omnia mala ad peccatum inducit. ibid. n.13

Gula homines facit bruta. p.547.n.37

H

*Hæreticus.*

Hæretici Chriſtum contemnunt, & comprimunt. p.95.n.57.& 58

Ab hæreticorum colloquio, ſiue in via, ſiue in domo fugiendum. p.98.n.5

Hæretici cum Catholicis nullum verum habent amicitiæ fœdus. p.122.n.110. & 111

Hæretici in principio aliquam boni oſtendunt ſpeciem. p.468. n.28. & 29

*Homo.*

Homo quidam omnia ne velit occupare loca. p.23. n.144

Homo, niſi Deus illum trahat, ad Chriſtum non poteſt ſua virtute venire. p.27.n.171

Homo ſibi ſupplicium præparat. ibid.n. 174

In homine miſeria, in Chriſto fœcunditas. pag.55. n.20.& 21

Homo ſæpè expeditus ad malum, impeditus ad bonum. p.64.n.23





Homo de perditione, Deus de ſalute cogitat. p.69. num.2

Ab homine Deus vult, non plus, quàm præſtare poteſt. p.87. 88. n.8.9.& 10

Homines ſuam in aliorum malum poteſtatem habent. p.96. n.61

Homines huius ſæculi in humiles ſunt furioſi, & in furioſos, ac potentes, humiles. p.108.n.22. 23. & 24

Hominis malum, reiice, bonum accipe ad imitandum. p.113. n.60

Homo malus peior, quàm Diabolus. pag.115. n.68

Per hominem malum facit Diabolus, quod per ſe non valet. ibid.n.68

Homo ferocior, ac crudelior omni bruto animali. p 115. n.69

Hominis vita multum æſtimanda. p.128.n.22

Qualis homo Deo, talis Deus homini. pag.141. n.98 & p.592.n.25

Homo animi ſui virtutem declarat, non in propria patria, ſed egreſſus ab ea. p.165. n.58. 59. & 60

Homines aliquando volunt, vt Deus eorum beneplacito ſe accommodet. p.173. num.106. & p.518.n.3

Homines opinioni ſuæ valdè tenaciter adhærent. p.203.204. n.20.21.& 22.

In homine conſideremus, non defectus, ſed naturam. p.70.n.7

Homines, quæ in aliis condemnant, ſibi eſſe licita perſuadent. p.258.n.136

Homines Dei dona iuxta ſuum beneplacitum extendere, & ampliare volunt. ibid.n.137

Homo ab hominibus iudicatur, non pro eo, quod eſt in præſenti, ſed pro eo, quod aliquando extitit. p.259.n.140.141.142.& 143.& pag.372. n.53

Homo minimum proprium ſuper aliorum illuſtria facta appendit. p.282.n.54.55.& 56

Homines ita æſtimantur à Chriſto, vt ei ſint omnia. p.336.n.56

Homines ſuas non in ſe, ſed in aliis miſerias vident. p.340. n.87

Homo in hac vita nunquam ſine labore. pag.341. n.94

Homo vult, à Deo in cælum portari. ibid.n.95

In homine bonum imitandum, malum fugiendum. p.363. n.110

Homines aliquando loquuntur, quæ Diabolus dicere non audet. p.371. n.43

Homo ſua malitia pignoratus ab ea non deſiſtit. ibid. n.44. & 45

Homo notior à virtute, quàm à proprio nomine. p.389. n.3. & 4

Quod homo à muliere doceatur, magna confuſio. p.391.n.24

Homines ad ſuam voluntatem Deum adducere volunt. p 420.n.44

Homines in rigidum mites, in mitem rigidi. p.423. n.62

In homine bonum imitandum. p.430.n.107

Homo plus nocet homini, quàm Diabolus. p.470. n.40.41.42.43

Homines pro ſe poteſtate, pro aliis ratione agunt. p.367.368.n.25.26.& 27

Qui hominem habet auxiliantem, viuet, niſi verò peribit. p.487.488.n.46.47.& 48

Homo per ſeipſum alios iudicat. pag. 662. numer.369




Honor.

*Honor.*

Honor ad poteſtatis æqualitatem exhibetur. p.36. n.35

Honorandus eſt, qui in tuo fuit obſequio. p.55. n.24

Vbi honorantur omnes, & nullus contemnitur, nemo conqueritur. p.79. n.73

Honor plus æſtimandus, quàm vita. p.133. n.53. & p.156 n.95. & 96

Infamiæ pœna grauior, quàm corporis, cum illa dedecorer. p.142. 143. n.107.108.109

Honorem, & contumeliam ſibi Chriſtus cum ſuis ſeruis facit communem. p.152.n.47

Honorem,& reuerentiam ſolus nobilis,& non ruſticus ſcit exhibere. pag. 170. num. 85. 86. & 87.

Perſona in reuerentia exhibenda, quò nobilior, eò maior. ibid.

Honoratur à ſubditis ſuis, qui ſuos ſuperiores honorat. p.174.n.113

Vt honoret, ac nobilitet ſuos,Chriſtus Dominus ſeſe demittit. p.178. n.127

Honorat Deus paruos, & magnos. pag.198. 199. n.92. 93. & 94

Honorandus ignobilis, ne in diffidentiam abeat. p.198. n.92

Honorare ſuos potius,quàm alienos princeps exoptat. p.205.n.31.& 32

Honoris noua recipit augmenta, qui ſuum periculo honorem ob Chriſtum exponit. pag.262. n.166

Vt honoremus honorantes nos, maximè expedit. p.406. n.117.& 118

Honoris nobis plus, quàm expectamus, Deus confert. p.441.n.49

Honor pluſquam res propria æſtimandus, p.476. n.78

Cum illis, qui nos honorant, commorandum. p.559. n.10

Vide *Dignitas*, *Officia*.

*Hoſpes.*

Hoſpitalitas pauperum multum apud Deum promeretur. p.153.n.49

Hoſpitio Chriſti terra iungitur cælo. pag. 238. n.37

Hoſpitibus ciuiliter deferendum. pag. 264. numer.173

Hoſpitibus ſingulariter munerandum. ibid. numer.177

Hoſpes non contriſtandus. p.319.n.121

Vide *Peregrinus*.

*Humilitas.*

Ob humilitatem ſua Chriſtus occultabat magnalia. p.27. n.173

Humiles in furioſos, in humiles feroces ſunt huius ſæculi homines. p.108. n.22.23.& 24

Humilitate maximè acceditur ad Deum, eique fit homo præſens. p.157. n.10

Ob humilitatem Centurio ſe putat indignum, qui ad Chriſtum accedat. p.158. n.15

Humilitas in oratione facit ipſam exaudiri.p.167. n.73

Humilitas, & charitas orationis alæ. ibid. numer.73

Humilis ſe paruum reputat, cum apud alios magnus habeatur. p.168. n.76

Humilis ſuam ſolum, & non aliorum, conſiderat, & dicit imbecillitatem. ibid. n.76.& 77

Quò humilior animus, eò maiora recipit ſpiritualia dona. p.171. n.97

Humiles ad Deum accedere non audent. pag.399. n.74

Humilitas in dignitatibus magna cuſtodia. p.174. n.112

Qui humilitatem ſuam conſiderat, exurgit; qui poteſtatem, cadit. ibid.

Quæ in humilitate fundantur, creſcunt in altum. p.178. n.139

Cum humilitate Chriſtus poteſtatem coniungit, eiſque vtitur,prout temporis ratio exigit. p.194. n.61

Humilitas primus ad pœnitentiam gradus. p.197. n.79

Humilitas,ſeu aliqua demiſſio propter Deum,magnum lucrum. p.218.n.107.108.& 109

Vt humilietur homo neceſſe eſt,vt exaltetur. ibid. n.109

Qui ſe humiliat, ac deiicit ad pedes propter Chriſtum, erigitur,ac ſublimatur. p.249. 250. n.75. 76. & 77

Humilitatis ſtipendium ſublimatio. ibid.

Per humilitatem abſconditis operibus Deus efficaciſſimè capitur. n.80.p.250

Humilitas vera ex corde. p.339.n.80

Humilitas in Innocente difficilior, quàm in pœnitente. p.266. n.193

Humilitas ad diſcendum,ad Deumque tenendum, valdè fortis. p.279.n.34.& 35

Qui in humili loco eſt, de aſcenſu ne deſperet. p.305.n.31. 32 & 33

Humilitatis occaſiones ſuis dat Deus.p.316.n.107. 108. & 109

Vt humiliemur inter magnalia, vult Deus. ibid.

Humiles ſublimare, & magnos delinquentes punire; magna excellentia. p.329.n.11.12

Humiles à Chriſto æſtimantur, vt omnia. p.336. n.57. & 58

Humiles ad quoddam diuinitatis faſtigium euehuntur. ibid.n.59. & 60

Humilitas & manſuetudo ſociantur. pag.339. numer.82

Quæ cum humilitate ſuſcipiuntur, facilia reputantur. p.342. n.99

Humilitas perfectionis plenitudo. p.342.n.101

Humilitas ad magna opera valdè potens. ibid. n.104

Humilitas ſpecialis Chriſti virtus. pag.343. numer.105

De humilitate tanquam virtutum ſumma Chriſtus gloriatur. ibid.n.106. & 107

Humilitatis elogia. ibid.n.108

Humilitas modus amplificandi gratiam. pag.487. n.42

*Hypocrita.*

Hypocriſis, ſeu ficta virtus maximè deteſtanda. p.386. n.140

Hypocriſis ad grauiſſima peccata aditum parat. p.388. n.150.151. & 152

In hypocriſi malitia multa, & ex ipſa multa mala diffunduntur. ibid.n.151. & 152

Hypocrita, & infidelis eadem plectitur pœna. p.422.n.58.& 59

Vide *Fictio*.

I

*Iacobus Apoſtolus.*

Iacobus etiam poſt mortem hoſtes terret. p.83. n.103

*Iactantia.*

Iactationis oſtentatio vitanda, & neceſſariis vtendum. p.204. n.24

Vide *Vana gloria*.

*Idololatria.*

Idololatriæ crimen grauiſſimum. pag. 479. numer.99

*Ieiunium.*

Ob ieiunium Ioannes eſt Angelus dictus. p.223. n.138.

*Ieſus.*

Ieſus nomen ſalutiferum præbet omne bonum, & dat tutamen. p.24.n.151.152.& 153.& p.29. n.190

Ad Ieſum cognoſcendum multa requiruntur.p.24. n.155

Ieſus nomen non niſi in puro ore habetur. ibid. n.158

Ieſus nomen percipit, ac pronunciat ſola mens pura. p.30. n.192. & 195

Ieſus nomen humiles pronunciare non audent. p.393. n.36

*Ignorantia.*

Ignorantis cenſura inflato ſcientiæ valdè dura. p.60. n.55. & 56

Non ignorantes, ſed ſimplices vult Chriſtus ſuos. p.112.113. n.56. & 57

Ignorantiam, ac inſcientiam aliquam aliquando diſſimulare, prudentia eſt. pag.209. num.54. & 55

Peccata ex ignorantia excuſationem habent. p.217. n.100

Quæ ignoratur ab ægrotante infirmitas grauiſſima. p.263. n.170

Ignoranti reſpondendum. p.419.n.36

Vide *Inſcientia*.

*Ignobilis.*

Ignobilis honorandus ne in diffidentiam abeat. p.198. n.92

*Illudere.*

Irriſiones patienter ſuſtinere, magna pœnitentia. p.245. n.49

Illudere hominem, iniuria grauis. pag. 419. numer.37

*Imitatio.*

Imitandum hominis bonum;reiiciendum malum. p.113.n.59.& p.363. n.110.

Imitari Chriſtum in paſſionibus gloria, ac perfectio noſtra. p.132.n.51. & 52

Qui alicuius mores imitatur, illius perſonam gerit. p.232. n.192

Imitandum in homine id,quod eſt bonum. p.430. n.107

*Impero.*

Imperare rectè ſcit ille, qui prius obedire nouit. p.174. n.115. 116. & 117

Ad imperrandum iuſtus difficilis, ad obediendum facilis. n.118. p.175

*Imperfectus.*

Imperfectioribus, ac debilioribus ſubueniendum. p.93. n.44

Imperfectiones ſuas quilibet homo habet. p.106. num.9

*Impius.*

Impij ex coniunctione ad ſancta in bonum etiam veniunt. p.12.13.n.74.75.76.& 77

Impietas ſemper in maius malum præcipitatur. p.32. n.9

Impius magna deuorat, & in paruis ſæpè ſcrupuloſum ſe exhibet. p.56. n.31. & 32

Impij taciturni in bonitate, in vanitate loquaces. p.71. n.12. & 13

Ad impios, & proteruos, ne murmurare valeant, obmuteſcendos, humana non ſufficit,ſed diuina exigitur ſapientia. p.118.n.87

Impius omnia vertit in malum. p.257.n.130

Impij ex ſe metiuntur alios. p.258 n.133

Impij deprimendi, boni exaltandi. pag.328. 329. n.9.11. & 12

Impij potius volunt, ſe iniquos reputari, quàm alterius virtutem profiteri. p.375.n.68

Impij ex bonis mala colligunt. p.416.n.17

Impij conueniunt contra iuſtos. p.446.n.25

Impij ita vniuntur, ac ſi vnus ſit homo. pag.452. n.65

Impij inſurgunt ad extinguendum bonum affectum. ibid. n.66

Impius de ſua nequitia erubeſcit. p.467.n.21

Impij Deum ſolum recognoſcunt, cum eis benefacit. p.540. n.131

Inter impios meliorem locum iniquitas habet. p.542. n.4

*Improuidus*, vel *Incautus*.

Improuidus,& Incautus in multa pericula incidit. p.353. n.48

*Incarnatio.*

Per Incarnationem terra iungitur cælo. p. 238. num.37

*Inceptus.*

Incepta res, perficienda. p.438.n.31

Ab incepto non deſiſtit magnorum ingenium. p.453. n.71. & 72

Vide *Conſtantia*, *Perſeuerantia*.

*Incipiens.*

Incipientes in virtutis via oppugnatores habent. p.22. n.139

Incipientes in virtute benignè fouendi ſunt. p.266. n.194

Plus committendum militi veterano, quam incipienti. p.306.n.40

Contra incipientem virtutem inſurgunt multi. p.469.n.37.

*Inconſtantia.*

Inconſtantes qualibet re mutantur. pag.450. numer.50

Inconſtantia comitatur regales delicias. p.221. n.125

Inconſtantiæ nota fugienda. p.318.n.119

Iniquus valdè inconſtans. p.553.n.75

Vide *Mutabilitas*.

*Incredulus.*

Per incredulitatem clauditur diuinæ beneficentiæ oſtium. p.179.n.144

*Indignus.*

Indigni dignitates ſibi arripiunt. p.304. n.27. 28. & 29

Indigni cum benemeritis æquiparati volunt.p.522. n.23

*Infamis.*

Infamiæ pœna grauior, quàm corporis. p.142. n.107

In infamiam incidit, qui à Deo diſcedit. p.352. n.42

*Infælix.*

Infœlix, qui omnibus expoliatus nullum habet, qui pro ipſo loquatur. p.367. n.21

*Inferior.*

Inferior ſuppleat ſuperioris defectus. pag. 390. num.15

Vide *Subditus*.

# Index Rerum, & Verborum.


Ioannes, & Chriſtus valdè ſimiles. p. 548. n. 47. 48. & 49
Ioannis præſentiam timet laſciua fœmina. p.549. n.51
Ioannis ſanguinis vox magis clamat, quàm ſanguinis Abel. ibid. n.52
Ioannes mortuus munere ſuo fungitur. p.549.550 n.53. & 58
Ioannis nomen vox clamans. p.550. n.55
Ioannes etiam inimicis ſuis pretioſus. ibid. n.57
Ioannes cuiuſdam ſacramenti vmbram gerebat. ibid. n.59.60. & 61
Ioannes ſanguine ſuo extinxit Diabolum. ibid. n.59
Cum Ioanne quomodo Filius Dei Incarnatus officia partiatur. ibid. n.60
In Ioanne homines plus autumabant, quam videbant ibid. n.61
Ioannis caput toto regno pretioſius. p.552. n.69
Ioannes ſuam mortem cognouit. p.553. n.71
Ioannes moritur, ne Chriſti manifeſtatio tantillum retardetur. p.554. n.82. & 83
Pro re grandi Chriſtus de ſe teſtatur quod ſit Ioanne maior. ibid. n.83
Ioannes minoratur pro ſui magnitudine. pag. 555. n.85
Ioannes tantus erat, vt vnus eum non caperet locus. ibid. n.87
Ioannis gladio Paulus condecoratur. ibid n.88
In Ioanne ante ſpiritus diuinus, quàm humanus. ibid. n.89
Ex Ioannis contemptu in Dei contemptum deuenitur. p.559. n.5

*Ioannes Euangeliſta.*

Ioannes verbo, & ſcriptis inſonuit toto in orbe. p.83. n.98
Ioannes poſt mortem hoſtes terret. ibid.n.102
Ioannes Euangeliſta ob peculiaria inſignia familiaritatis cum Chriſto dicitur maior in Eccleſia, quàm Baptiſta. p.228. n.168

*D. Ioſeph.*

D. Ioſeph in qua arte exercitaretur. p. 516. n. 13. & 14
D. Ioſeph quo tempore mortuus. pag. 517. n. 17. & 18
De Ioſeph gloriabatur Chriſtus, quod filius putaretur. p 519. n.5

*Ira.*

Iræ inimicorum cedendum, quæ maximè deferueſcit ex præſentia. p.26. n.167. & p.560.n.13. 14. & 15
Iraſcitur Deus in peccatum, & in hominem miſerationem habet. p.63, n.19
Iram cohibere cum poteſtate perdendi; præclara patientia p.67. n.42. & 43
Iræ dandus eſt locus, p.128. n.23
Irata Domini facies timenda. p.250. n.82

*Iudas.*

Iudas Iſcariothes, quid ſignificet. p.84. n.113
Iudas an quando electus eſt in Apoſtolum bonus eſſet, vel malus? p.85.n.115.116.& 117
Iudas, quem Chriſtus futurum improbum præſciebat quare in Apoſtolum fuerit electus. ibid. 119. 120 & 121

*Iudæi.*

Iudæi à Deo derelicti. p.9. n.45. & 46
Iudæorum confuſio, quod exteri Chriſtum quærebant, quem ipſi contemnebant. p.91.n.34
Iudæos Deus multis proſequebatur fauoribus. p.99. n.9
Iudæorum Synagoga ſemper diruta. p.160. n.24
Iudæi hoc tempore Diaboli habitatio. pag. 385. n.135
Iudæis dat Dominus ad eorum condemnationem ſignum. p 421. n.52
Iudæi ex Gentium fide condemnantur. pag. 430. n.106
Iudæi etiam à Dæmonio arguuntur. p.432. n.123
Iudæi ignorantur à Deo. p.438. n.33
Iudæorum durities veluti petræ ad ſacram doctrinam recipiendam. p.449. n.49
Iudæi à Deo ſeparati, ſemen nequam. pag. 468. n.27
Iudæi meritiſſimè regno expelluntur. pag. 540. n.129
Iudæi Chriſtum, & Legem amiſerunt. p. 555. n.86
A Iudæis valde longinquè Chriſtus receſſit. p.559 n.11
Iudæorum ingenium murmurare. p.621.n.129

*Iudex.*

Iudicandi ſuum iudicem videant. p.37. n.40
Vt Iudex, optimus, qui iudicium eſt expertus. p.37. n.42
Iudex, diſcutiendo crimina, damnare videtur. p.37. n.43
Iudicem nobis dari noſtrum cognatum, & fratrem; eximius fauor. p.371. n.45.46. & 47
Iudex, in iudicando, ſuum amoris, vel odij ne ſequatur affectum. p.43. n.73. 74. & 75
Iudex, non ſecundum ſuam poteſtatem, ſed ſecundum Leges iudicet. ibid.
A Iudice ſit alienus amoris, vel odij affectus. p.143. n.111. & 112
Magna prudentia, quod caueat criminoſus, ne ipſe primus ante Iudicem aſſiſtat. pag. 246 n.51
Ante Iudicem Reus, qui ſponte ſua conuenit, cum miſericordia ſuſcipiendus. p.273. n.237
Iudex ne accipiat munera, nec fercula. pag. 290. n.108.109. & 110
Iudex ſi accipiat munera, ipſe, & iuſtitia polluitur. p.290. n.110
Iudicem talem habere, qui te ab intus agnoſcat; grandis pœna. p.380. & 381. n.100. & 101

*Iudicare.*

Iudicat Deus ex præſentia, & non ex futuro. p.84. n.113
Iudicatur quilibet ex amico ſuo. p.132.n.46
Ex ſe iudicant iniqui, ac metiuntur alios. p. 258. n.133
Iudicatur homo ab hominibus, non pro eo, quod in præſentiarum eſt, ſed pro eo, quod antea fuit. p.259. n.140.141. & 142. 143. & p.372. n.53
Iudicandum diuerſimodè ex iiſdem factis. p.379. n.91. & 92
Iudicanda non ſunt à nobis occulta peccata. p.475. n.74
Homo ex ſeipſo alios iudicat. p.662. n.369

*Iudicium.*

Iudicium finale maximè formidandum. p.38.n.48
Iudicij memoria ad reprimendos impios valde efficax. p.41. n.65
Sub Iudicij extremi memoria viuentes ſaluantur. p.180. n.150
In Iudicium pro ſubditis vocandus prælatus. p.472. n.55

*Iuramentum.*

Iuramentum de re illicita non obligat. p.552. n.69

Ius.

*Ius.*

Ius ſuum illæſum, & integrum vnicuique ſeruandum. p.194. n.59.60. & 61

*Iuſtitia.*

Quæ ex Iuſtitia, prius fiant, quàm quæ ex miſericordia. p.99. n.9
Iuſtum, & rectum facere, iuſtum, & decorum eſt. p.202. n.12
Pro Iuſtitia pati, valde nobile. ibid. n 11. & 12
Iuſti diuerſum ab iniquis loquendi modum habent. p 210.211. n.62.63.& 64
Iuſtitia in prælato ad pauperes, & diuites æqualis; veluti miraculum. p.215. n.87
Iuſta petitio dat ad dicendum fiduciam. pag. 282. n.53
Ob Iuſtitiæ, & Miſericordiæ oſtenſionem Deus glorificandus. p.328. n.6
Iuſtitia in Deo illuſtriſſima perfectio. ibid.
Ad Iuſtitiam tuendam quilibet ſufficit. p.391.n.25
Iuſtitiæ vox elata. p.393. n.39
Ibi Iuſtitiæ maior rigor, vbi maior miſericordia. p 478. n.86
Iuſtitiæ rigorem experiuntur, qui Dei miſericordia abutuntur. p.479. n.96.97.& 98

*Iuſtus.*

Iuſti premuntur, cognitione delictorum, quibus antea recreabantur. p.21. n.133
Iuſti ſolum virtutes vident, ac diuulgant. p. 25. n.165
Iuſti cum Dei voluntate conformantur. p.79.n.72
Inter Iuſtos ſæpè aliqui mali inueniuntur. p. 85. n.124
Iuſtus nunquam de ſe ſit ſecurus. p.86. n.125
Iuſti ob malos damnum reportare non debent. p 92. n 38
Iuſtus vult, vt Deus ſibi ſit Dominus; aliis autem Rex beneficus. p.96. n.63
Iuſtus quilibet ſuas imperfectiones habet. p.106. num.9
Iuſti magis conſulunt aliorum vtilitati, quàm proprio commodo. p.127. n.15.16. & 17
Quod à Iuſtis ſit locus deſertus; magna perſecutio. p.128. n.23
Iuſtus, ſi dolet de peccato vnius; de alterius conuerſione lætatur. p.130. n.33.34. & 35
Iuſtis ſuis multas Deus tutelas, ac defenſiones parat. p.131. n.41. & 42
Iuſti vnionem magnam habent. p.137. n.79
Iuſti ad volandum valde veloces. pagin. 139. n.85
Iuſtus ad Legem Dei adimplendam, valde facilis: imperfectus, valde difficilis. p.175.n.119. & 120
Iuſti ad virtutem attendunt: imperfecti ad proprium commodum, p.185. n.2
Iuſti ex malo ſumunt occaſionem ad bonum. p.200. n.2
Iuſti aliquando diſſimulant temporalia, vt exhibeant ſpiritualia ſecurius. p.241. n.15
Iuſti ex peccandi occaſione eliciunt motiua virtutum. p.245. n.45
Iuſtus cum de peccatis propriis erubeſcat, de extraneis non curat. ibid. n.46
Iuſtus Ieſum ſolum quærit, ſolóque ipſo contentus eſt. p.255. n.111.112.& 113
Iuſtus cum Deo pacem habet. p.272..n.229
Iuſti charitate tanquam inebriati ſolum Deo inuigilant. p.274. n.245
Iuſtus omnes preſſuras, ſibi; fauores aliis adſcribit. p.276. n.15.16.17.& 18
Iuſto, ac perfecto viro omnia ſuauia. pag. 345. n.117
Iuſtorum paucitas inſuperabilis. p.383.n.120
Iuſtorum animæ Diabolo arida loca. pag. 386. n.136
Iuſtos Deus maximè diligit. p.441. n.49
Iuſti ob peccatores non ſunt contemnendi, nec in diſcrimen dandi. p.476. n.75
Iuſti per malos exercentur ad coronam. ibid. n.78
Iuſti aliquando ex æmulatione peccantium in virtute augentur. ibid. n.77
Per vnum Iuſtum ſtant populi. p.490. n.61
Iuſtos vult Deus multos, quibus bona ſua communicet. p.501. n.54.55.& 56
Iuſtus vnus æſtimatur à Deo, ac ſi eſſent multi. p.504. n.75
Iuſti dicuntur videre illud bonum, quod aliquando habuimus. p 505. n.83
Iuſti permixti malis. p.507.n.94
Iuſtis dies, Infidelibus nox. p.530. n.78
Iuſti Dæmonum excidium. p.543.n.17
Iuſtus vnus totum regnum defendit, ac cuſtodit. p.552. n.68. & 69.
Iuſti multis calamitatibus in hoc ſæculo vexantur. p.554. n.80
Iuſtus, vt non decipiatur, ne decipiat. pag. 113. n.57

*Iuuenis.*

Iuuenes faciliter conuertuntur; ſenes autem iniqui valde difficile. p. 148. 149. num. 27. 28. & 29

## L

*Labor.*

Laboribus paulatim aſſueſcat homo. p.55. n.25
Labores ad Chriſtum ducunt. p.92. n.38
Labores multos ſecum habent honores, ac dignitates. p.106. n.6.7.& 8
In Laboribus leuamen dat præſentia Chriſti. p.117. n.78
Labor omnis, ac preſſura finem habet. pag. 122. n,108
Labori non eſt ſemper inſtandum, ſed aliquando dandum reſpirandi tempus. p.128. n.20
In laboribus ſuis dat Deus Iuſtis, tutelas ac ſubleuationes. p.131. n.41.42. & 43
Non debent membra ſperare ſuo capite feliciora eſſe, vt ſine laboribus aſſequantur ſalutem. p.132. n.48
Labor totus non eſt imponendus vni, ſed per multos diuidendus. p.176 n.126
In laboribus, ac carcere eſſe, cum iniuſtitia regnat; valde illuſtre. p.201. n.5
Laboris, qui ſuſtinet pondus, præmio condecoretur. p.275. n.12
Laborans pro te, multam habet fiduciam, vt pro ſe, ſuóque loquatur negocio. p.282. n.52
Qui Laboris tui intuitu in auxilium tuum ſe non mouet, verbis tuis minimè commouebitur. p.283. n.62
A Laboribus quies, quædam eſt ad nouos præparatio. p.299.& 300. n.12.& 13
Labor pro Chriſto ſuſceptus ſuauitates, & dulcedinem habet. p.308. & 309. n.56.57. & 58
Laborum ſpes facit beatos. p.309. n.57
Labores ſunt, veluti quoddam Sacramentum, qui habent occultatam dulcedinem. ibid. n.58


In

In Laboribus, & non deliciis deguſtatur ſuauitas æternæ Patriæ. ibid. n.59
Sine labore nunquam homo in hac vita. p. 332. n.94
Laborantibus pro Chriſto adeſt Spiritus ſanctus. p.345. n.118
Labores catenatim ſuccedunt. p. 354. n.51.52. & p.444. n.12
Labor in mundo, in Chriſto requies. pag. 470. n.43
Labore comparata æſtimantur faciliter acquiſita contemnuntur. p.494.495. n.15.16.17
Quod Laboris multum ſtetit, in magna æſtimatione habetur. p.504. n.81
Labores amplectendi, honores fugiendi. p. 587. n.187
Labor per multos diuidendus. p.589.n.3
Laboribus homo ad magna aſſueſiat. ibid. n.8. & 9
Labore diuturno ne frangatur animus. p.591.n.22. & 24.
Poſt laborem felicitas gratior. ibid. n.23. & 24
Seruire mundo Labor, Chriſto autem ſeruire dulcedo. p.584. n.164

*Lachrymæ.*

Lachrymæ ad cognoſcendam diuinitatem viſum acuunt. p.260. n.145
Lachrymarum optimus, & permanens fructus. p.296. n.147
Lachrymæ viduæ ad mouendum cor regis efficaces. p.191. n.40.41. & 42
Lachrymas fundere pro defunctis; pium. p. 192. n.48
Lachrymandum pro peccatis ſolum. ibid. n.49
Lachrymis purgantur oculi. p.240. n.14
Lachryma valde audax, vt ad Chriſtum accedatur, ac veniam aſſequatur. p.246.n.52.53.& 54
Lachrymæ potentiores ad impetrandum, quam quælibet familiaritas intima. p.246 n.53
Lachrymæ multam cum Deo fiduciam habent. ibid. n.54
Lachrymæ adeò æſtimantur à Deo, vt coram ipſo nil aliud in earum comparatione pretioſum dicatur. p.248. n.64.65. & 66
A lachrymis pretioſum dicitur ſacrificium. ibid. n.66
Lachryma pietatis adeps. ibid.
Lachryma vna totum negocium reconciliationis abſoluit. p.249. n.69
Lachrymæ ad mouendum Deum multum efficaces. ibid.
Lachrymis apud Deum melius, quàm verbis negociatur. p.251,252. n.88.89.& 90
Lachrymæ apud Deum valentiores, quàm orationes. ibid.
Lahrymis noſtris Chriſtus, ex natura ſua mundiſſimus, quodammodo purgari, ac mundari dicitur. ibid. n.93
Lachrymæ pœnitentium ſuper innocentiam extolluntur. p.253. n.97
Lachrymis Magdalena in Dei amorem magis accendebatur. ibid.n.98

*Lætitia.*

Vide *Gaudium.*

*Laicus.*

Vide *Sæcularis.*

*Latro.*

Latrones rem ſemicompletam relinquunt. p.354. n.53
Latrones, pœna affecti, pauci; ſine ſupplicio innumeri. p.355. n.62. & 63

*Laus.*

Laus in ore proprio maximè periclitatur. pag.44. n.83.84. & 85
Laus in ore proprio apud aliquos inſipientiæ habet notam. ibid.
Laudans maiores ſuos, ſe ipſum laudat. p.67.n.40
Laus ne ſit ab ore proprio. p.121. n.105
Laus publica, valde ſpecioſa. p.141.n.100
Laudes tuas, non inuidioſi amici, ſed ſimplices animi percipiunt, & intelligunt. p. 176. n.128
Laudes à viro obligato ſunt ſuſpectæ. pag. 200. n.98
Laudare aliquem in eius præſentia, valde inurbanum. p.217. n.100
Laus omnis in operibus noſtris Deo tribuenda. p.299. n.6. & 7
In laudibus ſuis publicandis nullus ſit author, ſed alius diſtinctus quæratur. p.331. n.25.& 26
Laudes, quæ ab animo obligato prodeunt, non multum æſtimandæ. p.373. n.57
Ad laudem res eadem inſeruit ſimplici; improbo ad calumniam. p.375. n.66
Ad Laudes viri excellentiſſimi decantandas quilibet ſufficit. p.391.392. n.26.27. & 28
Laudes in conſpectu inimici decantare, valde periculoſum. p.394. n.43
Laudes tunc verè publicantur, quando ſine nota, ac infamatione alterius prædicantur. ibid. n.44
Laudes tuas audire, inimico valde durum. ibid. n.45
Laudare vnum in alio, valde elegans. p.396. n.55
Laus data à viris probis, valde honorifica. p.406. n 116
Laudes ſuas, ac Matris ſuæ Chriſtus prætermittit. p.408. n.129

*Lex.*

Ad Leges condendas optimus, qui legibus obtemperauit. p.37. n.41
Ad Legem Dei implendam, Iuſtus valde facilis; è contra iniquus. p.175. n.119. & 120
In Lege eſſe, & ſub Lege eſſe, quid ſit. p.175. n.120
Lex non ſit ſubtus, ſed ſuper nos. p.339.n.81
Legiſlator prius, quæ præcipit, in ſe adimpleat. p.344. n.111
Lex ad omnes ſit æqualis. ibid. n.112
Ex bona Legis intelligentia Chriſtus inuenitur. p.502. n.61
Vide *Præceptum.*

*Lex Gratiæ.*

Lex Gratiæ maximè excellit ſuper Veterem. p.10. n.59
Legis Gratiæ quanta excellentia, quam nec aduerſarius miniſter infirmat. p.85.n.121
Lex Gratiæ multum ſuauis. p.358.359. n.80. & 85
Lex Gratiæ, Lex amoris. p.340. n.84
Lex Gratiæ multum recreat ſuper Veterem. p.341. 342. n.96. & 97
In Lege Gratiæ multa ſuauitas; in Veteri auſteritas multa. p.342. n.97. & 98
Lex Chriſti multum ſuauis ſuper Veterem. p.344. n.110
Lex Gratiæ leuis, nóſque facit in cælum volare. ibid. n.113
Lex Gratiæ maximè delectat, ac periucundat. ibid. n.115. & 116
Lex Gratiæ dat conſcientiæ quietem. p.345.n.121

*Liber.*

Liber vitæ quid ſit. p.326. n.21

*Liberalitas.*

Liberalitas, ac magnificentia in ſuos Principum celſitudo ſumma. p.70.& 71.n.9.10.11.& 12
Deus dat pluſquam ab eo petimus. p.165.n.61
Liberalis animus, paruum, ac paucum appendit p.251.n.83.84.& 85
Eximia liberalitas non inhæret his, quæ dat de præſenti, ſed maiora intendit. p.660.n.361.& 362
Liberalitas Dei occaſiones præparat, quibus ſua in nos beneficia diffundat. p.274.n.5
Deus tam largè dat, vt è manu eius dona cadere videantur. p.444.n.12
Liberalis, quod dat ſibi retinere videtur. p.447. n.36.& 37.& p.632.n.198.
Liberalis tacet maiora quæ dat, diuulgat minora. p.631.n.189.190.& 191

*Libertas.*

Libertas incarceratis ſuper cætera dona valde gratiſſima. p.212.n.69.& 70

*Lingua*, ſeu *Loqui.*

Loquela indicat internam virtutem; & occultari non poteſt. p.39.n.53
Loquaces iniqui circa falſitatem; taciturni in veritate, ac bonitate. p.62.n.22.& 13
Dicunt Iuſti de aliis bona, mala tacent. p.94.n.51. 52.& 53
Dum quis clare loquitur, ſapientia eius oſtenditur. p.113.114.n.62.63.& 64
Quod locutiones noſtræ, nos filios Dei eſſe, oſtendant, valde glorioſum. p.120.n.99.
Locutio oris, totius hominis index ac interiora declarat. ibid.n.101.& 102
Quantumcumque ſe quiſque abſcondat, tamen cum ad locutionem deuenit ſe ipſum declarat, ac manifeſtat. ibid.
Loqui tempeſtiuè, magnum Dei donum. p.121 n.104
Loqui veritatem, ac vtilia, eſt amici. p.134.n.57
Loquela oris, ſi vitæ exemplum non adſit, parum prodeſt. p.136.n.70
Verba humana effectu ſunt vacua. p.178.n.141
In loquendi modo ſeſe Iuſti ab iniquis diuidunt, atque diſcernunt. p.210.211.n.62.63.64
Loquuntur iniqui contra ſemetipſos, ſibi non conſtantes. p.240.n.9.10.& 11
Locutio oris minus mouet, quàm cordis affectus. p.251.n.86.
Loquitur peccator contra ſemetipſum. p.258. n.139
Loqui de re impura in præſentia Chriſti nemo audebat. p.260.n.152
Ad loquendum, qui pro te laborat, fiduciam habet. p.282.n.52
Loquitur fiducialiter, qui iuſtam petitionem habet. ibid.n.53
Loquelam oris ſine operis fructu Deus in ſuis non quærit. p.314.n.98
Locutio critica multos in perditionem trahit. p.324.n.16
Linguam Chriſtus dat, ac ſoluit valde difficiliter. p 365.n.9.10.&11.
Loquatur pauca operaturus magna. p.365.n.11
Loquuntur homines ſæpe, quæ Diabolus dicere non auder. p.370.n.42
Locutiones oris, quæ factis contradicuntur non æſtimandæ. p.373.n.58.& 59
Loquuntur frequenter impij boni tacent. p.374 n.62
In Locutione homines largi; in operibus parci: & tunc aliorum virtutem agnoſcunt. p.376.n.76
Loquatur quilibet, quod mente capit, ac intelligit. p.394.n.46
Iniqui dictis & factis ſuis ſibimet contradicunt. p.415.n.6.7.& 8
Coram amicis ſat eſt ſimplex loquela, coram inimicis multa aſſeueratione opus eſt. p.638. n.233.& 234.
Vide *Murmurator.*

*Lites.*

A litibus eſſe alienum, Chriſti ſignum. p.66.n.39

*Locus.*

Loca homo occupare ne velit omnia. p.23.p.145
Loci ſanctitas multum valet ad impetrandum. p.61.n.2.
In loco ſibi aſſignato ſtet quilibet vt ſe benè gerat. p 70.n.8
Quod locus ſit à ſanctis deſertus, magna pœna p.129.n.23.
In locum ſuum videnti alium introductum; pœna magna. p.180.n.155.
Locum ſibi conuenientem vnuſquiſque eligat. p.250.n.81.
Non locus, ſed interna virtus triumphos parat. p.323.n.6.

*Lucrum.*

Ob lucrum homines in occaſione deficiunt. p.17. n.100
Lucrum temporale non eſt in Chriſto quærendum. p.54.n.16.
Ad lucrum non eſt vtendum miniſterio Euangelico. p.102.n.28
Lucrum magnum, propter Deum demiſſio, ſeu humiliatio. p.218.n.107.108.& 109
Lucri intuitu ſolum operantur homines. p.362. n.105.106.& 107
Operis magnificentia, fieri ſine lucro, ac mercedis intuitu. p.588.n.191.192.& 193

*Lux.*

In Luce, ac manifeſto vir ſimplex, & verax ſemper ambulat. p.112.n.50.

*Luxuria.*

Luxuria ſecum catenata omnia habet peccata. p.244.n.37
Ad luxuriam refrænandam multum eſt neceſſarium p.257.n.127
Ad laſciuiam reprimendam aptiſſima ſacra Euchariſtia. p.157.n.128.& 129
Luxuria vna ſæpè quodammodo prophetia eſt, ac index alterius. p.260.n.151
Luxurioſi pro ſua voluptate parui pendent regna. p.544. n.22
Luxurioſè peccans, ſibi mortem comparat. p.367. n.23
Luxuria nullum vitium præterit. p.369.n.36
Luxuria idololatriæ valde germana. p.376.n.74.& & p.380.n.93

M

*Magdalena.*

MAgdalena in magno ſanctitatis apice eminet. p.271.n.223.& 224
In Magdalena multi virtutum flores. p.268.n.205
Magdalena ter audiuit à Chriſto, ſibi eſſe remiſſa peccata. p.269. n.212
Magdalena in quanto emineret ſanctitatis apice. p.271.n.223. & 224
Magdalena charitate vulnerata, tanquam in extaſi

taſi, ſolum Deo inuigilabat. p.273.274.n.244. & 245
Magdalenæ humilitas proportionata obſequia eligit. p.256.n.117
Magdalena ter impugnatur, & à Chriſto laudatur. p.262.n. 165
Magdalenæ lachrymas Chriſtus maximè honorat. p.263.n.169
Ad Magdalenæ intelligenda magnalia neceſſarius eſt diuinus afflatus. p.266.n.190
Magdalena ita in Chriſtum rapiebatur, vt præter ipſum ad nihil aliud attenderet. p.267. n.195. 196.197. & p.271.n.225
Magdalena in nullo, niſi in Chriſto leuamen, ac conſolationem habebat. p.267.n.197
Magdalenæ virtutes quantæ fuerint. p.240.n.14
Magdalena vna, & non triplex. p.241.n.18.& 19
Magdalena nobilitatur Mariæ nomine. p. 243. n.30
In conuerſione Pauli mutatur nomen; non in conuerſione Magdalenæ, ob eius ſingularem pœnitentiam. ibid.n.31
De Magdalena mala quæuis ſuſpicio reprehenditur; non de Saulo. ibid. n.32
Magdalena prima inter reliquas fœminas, quæ pro ſalute animæ, non corporis ad Chriſtum acceſſit. p.245.n.42
Magdalena ob humilitatem in domum ſuam non inuitat Chriſtum. p.246. n.56
Magdalena ante Euchariſtiæ inſtitutionem corporis Chriſti Sacramentum prælibauit. p.252. n.94.& 95
Magdalena lachrymis magis in Chriſti amorem accendebatur. p.253. n.98
Magdalena Virgines ſuperauit. p.254.n.104
Magdalena vi amoris extra ſe rapiebatur. ibid. n.104
Magdalena ſolum Ieſum quærit, ipſoque ſolò contenta eſt. p.255.n.111.112. & 113
Magdalena maximè rapta in Dei amorem. p. 283. n.59
Magdalena vitam contemplatiuam per totam vitam elegit. p.295.n.141

*Magiſter.*

Magiſter in ſe adimpleat, quæ præcipit. p.73.n.29
Magiſter verus agnoſcendus, vt ſequatur. p.80 n. 97
Magiſtrorum pluralitas valde periculoſa. p. 203. n.19
Magiſtri amor diſcipulos in multa impellit. ibid. n. 19
Magiſtri non apti, vt diſcant, ſed paruuli. p.333. n.37.38.39. & 40

*Magnus*, vel *Magna.*

Magnorum defectus ſoli Deo ſunt dicendi, à quo ſolo remedium habere poſſunt. p.283. n.60
Magni animi aſpirare ad magna. p.290.n.113
Magnos delinquentes punire, excellentia magna. p.329.n.11.& 12
Ad magna laboribus aſſuefiat homo. p.589. n.8. & 9
Ad magna in animo dat Deus ſecuritatem, atque fiduciam. p.595.n.45
Magna non aſſequuntur cum facilitate. ibid. n.47
Magna ſunt diſponenda conſideratione multa. p.72.n.22. & 26
Inter magnos aliqualis etiam turba, & vulgus eſt. p.87. n.2
Magnates deſcendant, vt humiles erigantur. ibid. n. 4
Ad magna inepti, qui immis adhærent. p.88. n.12
Magnitudo, ac excellentia vera, non à loco, ſed à virtute, ac factis deprehenditur. p.201.n.6.7.8. & 9

*Maiores.*

Maiores ſuos qui laudat, ſe ipſum laudat. p.58.n.40
Vide *Pater.*

*Malitia.*

Malitia obcœcat, ne miſeriam ſuam videat impius. p.541. n. 2
Malitia ſua pignoratus homo à malo non deſiſtit. p. 371.n.43. & 44
Malitia occultari non poteſt. p. 415. 416. n. 11. & 16
Malitia nunquam quieſcit. p.416.n.18

*Malum.*

In malum maius præcipitatur iniquitas. p.32.n.9
Ad malum expeditus homo; impeditus ad bonum. p.64. n. 23
Ex malo ſumit Deus occaſionem ad bonum. p.85. n. 123
Malum hominis reiice, bonum ad imitandum accipe. p. 113. n. 59
Ex malis Deus educit bona. p.128.n.21.
De malo temporali plus dolent homines, quàm de ſpirituali. p.137.n.73.& 74
Mala noſtra ſunt à nobis, bona autem à Deo. p.140.n.94
Malum qui intulit, extinguat, & abluat. p.252.n.93
Malum facilè ingreditur; bonum difficilè. p.364. n.7
Mala omnia effugies, ſi peccati cauſam deleas. p.368.369.n.28.29.30.& 31
Ad malum inferendum non deeſt adiuuamen. p.452.n.63
Malum ſtatim amputandum. p.475.n. 73
Malum, quod quiſque patitur, grauiſſimum putat. p.548. n.44

*Manifeſta.*

Manifeſta non indigent expreſſione. p.91.n.33

*Manſuetudo.*

Manſuetus in omni caſu ſecurus. p.109.n.27
Manſuetudine vincuntur omnia. p.132. n.49
Manſuetudo, & Lex Euangelica ſociantur. p.339. n.83
Ex manſuetudine, ac modeſtia alicuius contra eum anſam quiſque arripit. p.350. n.26
Manſuetudine gubernandum. p.67. n.41
Vide *Benignitas.*

*Maria Virgo.*

Maria, vt mater pia, nos omnes in ſuis viſceribus habet. p.403.404.n.99.100.101.& 102
In Maria omnes vitam, & auxilium habent. p.404. n.102
Mariæ filium dici, Chriſto Domino valde gratum. ibid. n. 104
Mariæ oratio, vbi interuenit, exauditur. p.404 n.106.
Maria inclinatur Deus ad pietatem. ibid.n.105
Per Mariam ſauantur omnes. p.5.n.23.24.& 25
Per Mariam habemus omnia bona. ibid.
Deus in Virgine tantam inuenit puritatem, vt reſpectu illius omnia humana habitacula videantur immunda. p.169.n.82
Mariæ nomen ibi ſolum, vbi puritas. p.242.n.23
Mariæ nomen illuminat. ibid.
Ex Mariæ nomine ſanctitas participatur. p. 243. n. 29
Maria ita ſancta, vt ob virtutes ſuas quid cæleſte dicatur. p.277.n.22.23.& 24
Mariæ Virginis gloria nullis verbis poteſt explicari. p.278. n.27
Mariæ gloriam inueſtigare, pauent Beati. p. 278. n.28.29.30. & 31
Virginis gloria à noſtro intellectu minimè comprehenditur. ibid. n.31
Maria, non ex fauore, ſed ex iuſtitia ad tantum gloriæ apicem aſcendit. p.280. n.40.41.& 42
Maria perfectiſſima in via actiua, & contemplatiua. p.291. n.115
Maria dormiens habebat mentem in Dei contemtione vigilantem. ibid.
Maria pro gloria, & corona habet orare, & intercedere pro hominibus, eóſque ad pœnitentiam conuertere. p.291. n.116.118. & 119
Maria pro gloria habet, homines protegere, ac defendere. ibid. n.119
Mariæ Deus miſericordiam committit; ſibi poteſtatem retinet. ibid. n.117
Maria miſericordiæ fons. ibid.
Maria in gratia, & gloria puras creaturas collectiuè ſumptas ſuperat omnes. p. 292. 293. n. 120. 121.122.123.124. & 125
Mariæ gratiam nemo cogitare valet. pag. 292. n.124
Chriſtus non ſatis ſibi glorificatus videbatur, donec Mater glorificaretur. p.293. n.129
Gloria Filij eadem cum gloria Matris. ibid.
Virgo thronus Chriſti. ibid.n.129
Virginis præſentia cæleſtis curia noua perfunditur gloria. p.294. n.131
In Maria Deus veluti in ſpeculo relucet. ibid. n.132
Maria virginitatis æternitas. ibid.
In Maria immenſitas quædam. ibid.
In Maria Dei attributa relucent. ibid. n.133
Per Mariam Dei gloria contemplatur. ibid. n.134
Cur Chriſtus ſecum in gloriam non deferat Matrem. ibid n.135
Omnis merces Virgini data, veluti pars videtur per reſpectum ad eius merita p.294.295.n.138. 139. & 140
Maria per ſua excelſa merita præmium elegit. p.295. n.142. & 143
Maria Dei maternitatem non affectauit, ſed per ſua merita inuenit. ibid. n.144. & 145
Virginis gloria ſupra humanum captum inæſtimabilis. p.296. n.153
Virginis gloria non niſi per partes explicari poteſt. p.297. n.154
In Virgine peccati nulla labes. ibid.n.155
In B. Virgine merita è Dei maternitate, veluti è fonte, emanarunt. ibid. n.159
Inter Virginem, & Chriſtum in gloria connexio multa. p.298. n.160. & 161
Virgo in gloriam ſingulariter ordinata. ibid. n.161
Virginis Mariæ laudes celebrare, res principum, regúmque propria. p.389. n.6. & 7
Mariæ nomen pronunciare, humiles non audent. p.393. n.36
In Virginis cognitionem deuenimus ex Dei magnalium cognitione p. 452. n.62. 63. & 64.65
Per Mariam Dei magnitudo cognoſcitur. p. 397. n.63. & 65
Quod virgo Maria ſit donis tam ſublimis, valde mirum. ibid. n.64
Per Mariam Deus magnus dicitur. p.397. n.65
Per Mariam Chriſti diuinitas, & poteſtas maximè cognoſcitur. p.397.398. n.67.68.69
Virginis magnalia ſolum Chriſtus intelligit, ac explicare valet. p.399. n.77.78.& 79
Virgini collata gratiarum multitudo incomprehenſibilis quodammodo intellectui creato. ibid. n.79
Mariæ valde ingenita Beatitudo. pag.400.num.80. & 81
In Virgine prius gratia, quàm natura conſideratur. ibid. n.81
Maria dupliciter gratiæ filia. ibid.
Maria Dei gratiæ magnitudinem oſtendit. ibid.
In Maria gratia conſummata. ibid.n.84
Gloria totam replet Mariam. ibid.
Maria prius Deum mente, quàm ventre concepit. p.401. num.85.& pag.407.408.num.125.126. & 127
Multum Maria æternæ Patriæ ſaporem habuit in via. p.401. n.86
Maria Dei gloria nuncupatur. ibid. n.87
In Maria Deus maximè delectatur. ibid. n.87
Ex Maria veluti è cælo Iuſtus participat gaudium. ibid. n.88
B. Virgo lac præbens plus promeruit, quàm Martyres, ſanguinem effundentes. pag. 402. n.92
Omnis Mariæ gloria, & laus ab vtero. ibid. n.93. & 94
Maria communem cum Deo Patre habet filium. ibid. n.94
Mariæ Deus debitor dicitur. ibid. n.94
De Virginis excellentiis ſolum, quæ minora ſunt, dici poſſunt. p.405. n.112
Virgo Deum tam perfecta contemplatione ſemper habebat in mente, ac ſi illum portaret ventre. ibid. n.113. & 114
Maria Virgo ſanitatem, vitámque exhalat. p.407. n.122
Ob Virginis deſiderium Chriſti accelerata Reſurrectio. p.427. n.92
Maria iram Dei auertit. p.435. n.13. & 14
Ex Virgine omnes mira ſuauitate tenebantur. p.436.n.21
Maria theſaurus omnium donorum, & theſaurus ad noſtram defenſionem. p.494. n.11
Maria in ſua puriſſima conceptione, velut pretioſa margarita. p.502. n.65
Ob Virginem Mariam Euchariſtia principalius inſtituta, quam ob omnes alios collectiuè ſumptos. p.622. n.135.136.137
Virginis caro in Euchariſtia. p.622. n.139

*Martha.*

Marthæ occupatio, cum Chriſtum hoſpitio ſuſcepit, bona erat, quamuis Mariæ melior. p.288. n.99

*Martyrium*, vel *Martyr.*

Martyrium Sanctorum nobis lectio, Deo ſacrificium. p.114. n.66
In Martyribus ſuis Chriſtus maximè delectatur, eoſque condecorat. p.147. n.21.& 22
Martyres veluti per tormenta aſcendunt in cælum. p.230. n.178
Ad Martyrium deſtinatur prædicandi munus. p.311. n.72
Martyres ſuos Chriſtus mortis, & gloriæ ſuæ participes facit. p.482. n.15
Martyres ante martyria Euchariſtia reficiebantur. p.644. n.275

# Index Rerum, & Verborum.


*Mater.*

Mater præ vi amoris ſe à filio ſeparare non poteſt. p.188.189. n.27.28. & 29

*Matrimonium.*

Vide *Coniux.*

*Medicamenta.*

Medicamenta in Dei verbo ad omnem morbum. p.358. n.83

*Medicina.*

Medicina ſit morbo proportionata. p.480. n.1

Medicina pro morborum varietate. p.487. n.43

*Meditatio.*

Qui meditatur temporalia, turbatur; qui æterna, ſecurus degit. p.283. n.66. & 77

Vide *Contemplatio*, *Oratio.*

*Medium.*

Mediis veluti contrariis eundem Deus aſſequitur finem. p.167. n.71

*Mendax*, vel *Mendacium.*

Mendacium arguit timor dicendi. p.393. n.41

Vide *Fictio.*

*Meritum.*

Pro meritorum qualitate, dignitatéque conferendum præmium. p.78.79. n.69. & 70

Meritum Deo pluſquam poſſeſſio placet. pag.191. n.161. & 162

In loco, vbi ſunt merita, ibi & reſplendeat præmium. p.219. n.117

Inter meritum, & præmium magna coniunctio. p.279. n.33

Merendi Deus nobis occaſiones præbet. pag. 310. n.68.69. & 70

Quæ ex merito, magni ſunt honoris, & gaudij. p.326. n.29

Meritis potius, quàm poteſtati attendendum. p.394. n.45

Quæ ſunt meriti, plus laudanda, quàm quæ honoris. p.403. n.98

Benemeriti multi in Dei domo; felix vnus: in mundo vnus benemeritus, felices multi. p.409. n.133.134. & 135

Benemeritus ieiunat, & ad regem non habet aditum. ibid. n.135

Merita habens debilitatur animo, ſi contemnitur, p.448. n.42

Meritis comparata libera ſunt ab inuidia. pag.506. n.89

Merita, & non ætas, præcedunt. p.141. n.135

Ob merita, non ob conſanguinitatem dona danda. p.523. n.31.32. & 33

Vide *Præmium.*

*Miles.*

Militi veterano plus, quam incipienti committendum. p.306. n.40

*Minima.*

Minimum proprium ſuper aliorum magna facta appretiatur. p.282. n.54.55. & 56

Minimum Dei maius magnitudine mundi. p.480. num.6

Minima virtutum non contemnenda, ſed circunſpectè agenda. p.577. n.120

*Miniſter.*

Miniſtri oblati ad executionem valde ſuſpecti, & crudeliſſimi. p.478. n.90.91. & 92.

Miniſtri decor, ſi obligatio officij præualeat naturæ. p.512. n.131

Miniſter, qui in cauſa propria dicit: ſufficit: valde aptus. p.568. n.66

E miniſtri manu difficilè, & parcè dona veniunt. p.15. n.94

Miniſtri ſi iniqui, parum prodeſt princeps bonus. p.17. n.104. & 105

Ad Miniſtrorum vincendam inſolentiam Dei præſentia exigitur. p.19. n.118. & 119

Magna excellentia, quam nec aduerſarius miniſter infirmat. p.85. n.121

Miniſter Euangelicus ſit à temporalibus alienus. p.102. n.27

Miniſtri de ſuo, ac vltra domini mandatum multa ponere, ac addere ſolent. pag. 161. n.30. & 31

Miniſter ſit ad veritatem dicendam ſine paſſionis affectu. p.204. n.25

Miniſtros multos habere magnitudinis eſt; prudentiæ autem, paucis vti. p.204.205. n.28. & 29

Miniſtri probitas, imperantis laus. pag. 218. n.104

Miniſtrorum defectus in deſignantem, ac eligentem retorquentur. p.283. n.63.64. & 65

Miniſtri vocationes ſuas habeant. p.299. n.10

Quæ miniſtri operantur, à rege fieri dicuntur. p.301. n.8

Miniſtri ne extra commiſſionem ſuam exeant. ibid. num.9

Miniſtros ſuos princeps condecoret, atque nobilitet. ibid. n.10

Miniſtris ſuis commiſſas functiones princeps ne interpellet. p.301.302. n.11. & 12

Miniſtros tot Deus ad ſui obſequium eligit, quot dat nobis. p.302. n.16

Miniſtri in labore æquales, & ſint in præmio, fauoréque æquales. p.307. n.45.46

Miniſter Euangelicus venenum non timet. p.313. n.87

Miniſtri Dei æquales ad omnes, ſiue magnos, ſiue paruos. p.316. n.103

Miniſter poteſtatem habeat exequendi, quod intelligit. p.394. n.46

Miniſtri ſæpè in voce lenitatem, in opere rigorem oſtendunt. p.425. n.73

Sub vno gubernatore viuere, vtilius, quam ſub multis. p.569. n.74

Miniſter bonus de ſuis, & non de alienis ad rempublicam annunciat. p.574. n.103

Miniſter bonus omnia ad alios vult. p.579. n.135

Non per Miniſtros princeps diuidat ſua, ſed per ſeipſum. ibid. n.135

*Miniſtrare.*

Miniſtrare proximis, & vacare Deo; pars optima. p.291. n.114

*Miraculum.*

Ad miraculum tunc recurrendum, quando viribus noſtris res fieri non poteſt. p.18. n.110. & p.118. n.86

Miracula contra inuidioſos inimicos ſunt arma. p.100. n.12

Melius, quam miracula facere, eſt virtuosè viuere. ibid. n.13

Ad miraculum non eſt recurrendum, ſi per media naturalia, res fieri queat. p.128. n.20

Miraculum fieri meretur fides. p.184. n.179

Miraculum efficaciter trahit ad fidem. pag. 429 n.104

*Miſeria*, vel *Miſer.*

Miſeria experta ſæpè magis placet, quàm non guſtata felicitas. p.15. n.90

Miſeriam qui videt, adiuuamen præſtet; & non decet, vt quis eam videat, & remedium deneget. p.20. n.125. & 126

Miſero vult magis Deus, vt ſubueniamus, quam vt ſuo cultui operam demus. p.59. n.51

Miſeria viſa maximè mouet. p.62. n.9

Ad miſerabilium remedium multæ apud reges ſunt difficultates. p.90.91. n.29. & 30

Miſeriam qui videt, illi ſubueniat: contrarium à regia maieſtate valde alienum. pag.96. n.64. & 65.66

Miſeria illi aperienda, à quo poteſt habere remedium. p.283. n.61

Miſeriæ tuæ intuitu qui ſe non mouet in auxilium, verbis minimè commouebitur. ibid. n.62

Qui miſeriam tuam intelligere, ac deplorare te non ſinit, crudelis inimicus. pag. 369. 370. n.36.37. & 38

Miſeria, ac debilitas humanæ naturæ conſideranda ad excuſationem. p.242. n.26.27. & 28

*Miſericordia*, vel *Miſericors.*

In Miſericordiam Dei natura tota propenſa. p. 37. n.44

Miſericordia Chriſti magna in homines. pag. 38. n.47

Cum miſericordia quid erit, ſi ſuam Deus cum ira effundit beneficentiam? p.63. n.19

Miſericordiam ſuam Dei bonitas extendit in omnes; vltionem vero coarctat. p.140. n.93

Miſeretur facilè, qui afflictiones videt. pag. 190. n.36

Miſericordia Dei inſigniter gratificanda. pag.191. n.47

A miſericordiæ operibus nemo ſe excuſare poteſt. p.193. n.54

Miſericordia, ac bonitas diuina maximè agnoſcitur in multitudine peccatorum dimittenda. p.244. n.36

Miſericordiæ in pauperes, ac religioſos affectus in opera prodeat. p.256. n.121

Miſericordia ſuſcipiendus eſt reus, qui ſponte ad iudicem conuenit. p.273. n.237

Miſericordia in pauperes iram diuinam, & iudicis furorem auertit. p.321. n.137.138. & 139

Ob Miſericordiæ, & Iuſtitiæ oſtenſionem Deus glorificandus. p.328. n.6

Miſericors in pauperes miſericordiam inuenit. p.359.360. n.90. & 91

Ad miſerendum quilibet ex ſua nobilitate pignoratur. p.402. n.90

Miſericordia eſt in opere Dei, & ſi in vocibus Iuſtitia appareat. p.425. n.74

Miſericordia agit vices veritatis. p.427. n.94

Qui Dei Miſericordia abutuntur, Iuſtitiæ rigorem experiuntur. p.479. n.96.97. 98. & 99

Qui miſericordiam contemnit, rigorem inuenit. p.510.511. n.118.119. & 120

Vide *Oculus.*

*Mitis.*

Mites in rigidum homines; & in mitem rigidi. p.423. n.62

*Modeſtia.*

Ob modeſtiam ſuam Chriſtus per tertiam perſonam de ſe loquitur. p.212. n.72

*Mora.*

Sine mora exhibenda eſt conſolatio. p.208. n.50

Vide *Negligentia.*

*Mores.*

Mores à pueritia accepti valde imprimuntur in animo. p.202. n.17

Mores boni à bona educatione proueniunt. p.220. n.118. & 119

Mores parentum filij ebibunt. p.253. n.99

Vide *Conſuetudo.*

*Mors*, vel *Mortui.*

Mortis conſideratione ſe homo à peccatis abſtinet. p.509. n.110.111. & 112

Mortis hora, ſeu conſideratio multam ingerit perturbationem, ne homo præterita cogitet. p.597. n.62

Mortis memoria obturentur aures contra Dæmonum ſuggeſtiones. p.110. n.35

Mortem contemnit, qui mortis timore viuit. p.136. n.71

Mors requies noſtra. ibid. n.72

Qui cum mortis memoria viuunt, ſalutem, aſſequuntur. p.180. n.151.152. & 153

Pro mortuis orandum. p.185. n.4

Mortis memoria in Deum nos excitat. ibid. num.4

Moriendi occaſiones ſunt, quæ ſunt viuendi ſæpè cauſæ. p.187. n.22

Mortuis homines præſtare obſequia ſua, valde mirabile. p.189. n.30.31. & 32

Qui mortuis pietatis opera præſtant, multum apud Deum promerentur. pag. 189. 190. n. 33. 34. & 35

In mortuum miſericordia omnem aliam miſericordiam ſuperat. p.190. n.35

Mortuum moderatè flere, pium eſt. p.192. n.48

Mortuo paruus locus ſufficit. p.193. n.54

Mortis viſus, ac conſideratio ad temporalium contemptum efficacius, quam cætera mouet, & attrahit animum. p.199. n.95. & 96

Mors noſtra fit ſuauis Paſſione Chriſti. pag. 483. n.18.19. & 20

*Mortificatio.*

Per Mortificationes, ac pœnitentias, veluti per ſcalas, in cælum aſcenditur. p.230. n.178

*Motus.*

Motus corporis oſtendit animi leuitatem. p. 349. n.19

*Mulier.*

A muliere ſuperari, viro magno confuſio eſt. p 267. n.199.

Mulier è domo ne egrediatur foras. p. 489. n. 54. 55.56 & p.494. n.12

Per mulierem omne malum Diabolus parat. p.544. n.18.19. & 20

Cum muliere contendere, valde periculoſum. p.548. n.42

Mulier vnde volebat dare iucunditatem, dat triſtitiam. ibid. n.43

Per mulierem in peccata inſtigat Diabolus. p.553. n.73. & 74

Mulier valde efficax ad exequendum, quod cupit. p.553. 554. n.76.77. & 78

*Mundus.*

A Mundo ſeparandum, vt Chriſti paſſione fruamur. p.11. n.68

Mundi miſeriam ne appetamus, cum Chriſtus adeſt. p.19. n.117

Mundus ſuos contemptores perſequitur. pag.123. n.118

Mundus dona ſua dat caſu; Deus vero alta prouidentia. p.187. n.16.17. & 18

Ex mundialium dedicatione res obfuſcatur. p.247. n.63

In Mundo multa iuga, & labores. p.340. n.85

*Munus.*

Munera, quæ dantur abſque precibus, valde

In noſtris obſequiis referendis Chriſtus valde largus. p.270. n.217
Obſequia ſubditorum ſunt principum ſolicitudines. p.285.286. n.80.81. & 82
Obſequium ſuis dilectis exhibitum Chriſtus ſibi factum reputat. p.397. n.61
De obſequiis recordatur Chriſtus, de iniuriis obliuiſcitur. p.426. n.80.81. & 82
Qui in Dei obſequio agit, progreditur. pag. 497. n.29. & 30
In obſequio Dei ne ſit dimidiatus homo. pag. 498. n.36.37. & 38
Gratiora obſequia, quæ amore & non timore fiunt. p.644. n.268. & 269

*Occaſio.*

Occaſio noſtræ ſalutis, à nobis arripienda, ne prætermittatur. p.11.n.62.63.& 64
In occaſione homines ob ſuum lucrum ſæpè deficiunt. p.17. n.100
Occaſioni accommodandum. p.27. n.171
Ab occaſionibus huius mundi, neceſſe eſt, vt homo exeat, ad ſalutem aſſequendam. p.92. n.39
Vt occaſio poſtulat, ſit Iuſtus prudens, & ſimplex. p.113. n.58
Pro occaſione ſit in prælato lenitas. ibid. n.61
Ne occaſionem peccandi aliis demus, etiam cum proprio incommodo fugiendum. pag.417.418. n.24.25. & 26
Occaſione, ac tempore inopportuno datum remedium non proficit. p.192.193. n.51.52. & 53
Occaſionem ad bonum ex malo Iuſtus ſumit. p.200. n.2
Occaſio ſalutis non omittenda, ſed opportunè, ac importunè rapienda. p.245. n.43
Ex occaſione peccandi eliciunt motiua virtutum, qui ſpiritu Dei aguntur. ibid. n.45
Ab occaſione peccati exeundum. p.246.n.56
Occaſio, & temporis opportunitas, ad doctrinam, & reprehenſionem, captanda. pag. 287. n.93
Occaſio peccati omittenda. p.560. n.16

*Occultare.*

Vide *Abſcondere.*
Occultandi proximi defectus. Vide *Defectus.*

*Oculus.*

Oculi, ſi miſeriam vident, ſubueniant. p.20.n.124. 125.& 126. & p.96. n.64.65. & 66
Oculi cum modeſtia ferantur. p.564. n.40
Oculi Chriſti, diuinæ miſericordiæ fontes. p.565. n.42
Oculi Dei bona multa conferunt. pag. 565. n. 42 43. & 44
Oculi diuini proſpiciunt eos, qui neceſſitate opprimuntur, ſiue propè ſint, ſiue à longè. p.565. n.46.47. & 48
Si oculos à Ieſu homo diuertat, multum damnum reportat. p.595. n.47
Vide *Viſio.*

*Odium.*

Odium, quod in vno approbat, reprobat in altero. p.67. n.43
Odium rationem excludit. p.63. n.15
Odiis magnis magna impetitur poteſtas. pag. 123. n.119
Odium ſubditorum in prælatum. pag. 123. 124. n.120.121. & 122
Odium plus poteſt, quàm amor. p.211. n.65. 66. & 67
Odium obſcurat, ac obtenebrat mentem. p. 232. n.190
Odium prætermittit nomen. p.257. n.130
Odium excæcat mentem in manifeſtis. pag. 376. n.72

*Officium.*

Officia ſunt non vni omnia danda. p. 9. n. 49. & p.478. n.88
Cum officio debita detur poteſtas. p.75. n.45
Quæ officij, omnibus largienda; quæ amicitiæ, paucis danda. p.90. n.23.24.& 25
Ab officio deſiſtendum non eſt ex vno caſu aduerſo. p.129. n.31
Ad officium rectè exequendum timor eſt deponendus. p.135. n.62
Officij ratio in mente maximè affixa. p.156. n.2
Qui in officij ſui opere ſe exercet, multum apud Deum promeretur. p.161. n.34
Officio ſuo ſubditus eſt homo. p.174. n.113
Officium ſibi commiſſum adimplere, Chriſtus maximè intendebat. p.240. n.8
Officium tibi commiſſum adimple. p.36.n.37
In officio ſibi commiſſo impediendus non eſt miniſter bonus. p.301.302. n.11. & 12
Officia nobis commiſſa, cum diligentia agenda. p.308. n.51
Officij ratio vbi eſt, ipſa ſolicitat, & preces neceſſariæ non ſunt. p.367. n.22.23.& 24
Cum officium datur, illius onus explicetur. p.311. n.71
De his, quæ ſui muneris ſunt, quilibet agat. p.402.n.89
Officia ſibi omnia nullus aſſumat. p.420. n.44
Pro officij munere omnes deliciæ contemnendæ. p.446. n.29
Muneris obligatio plus æſtimanda, quàm perſonæ, ac dignitatis decor. p.519. n.8
Ad officia videat rex, non ſolum eos, qui ſunt in propinquo, ſed etiam qui à longè. p. 526. n.50
Ab officij onere requieſcendum. p.559. n.9

*Opinio.*

Opinioni ſuæ homines valde tenaciter adhærent, vt ab ea non poſſint diuelli. p.203. 204. n.20. 21. & 22
Ab opinione ſua hominem diſcedere, valde difficile. p.209. n.52.53. & p.524. n.36

*Opportunitas.*

Opportunitas loci, ac temporis quærenda ad ſpiritualia exercitia. p.73.n.32

*Opus.*

Ab opere virtutis homo ceſſare non debet. pag.31. num.5
Operari, & non quieſcere facit amor. pag. 31. num.6
Ad opus ſuum quilibet, vt illud perficiat, & augeat, magno afficitur amore. ibid n.7.& 8
Opera, & non verbum, dent teſtimonium. p.44. n.80
Opere, & verbo docendum. p.71. n.15
Operi non ſemper inſtandum, ſed aliquando requieſcendi tempus dandum. p.128. n.20
Ab operibus illuſtribus, non autem à loco, vera deprehenditur excellentia. p.201. n.6.7.8. & 9
Opera ſuas habent linguas, & voces. p. 213. n.78
Operibus dignitati proportionatis ipſa, & non nominibus, declaratur. p.213.214. n.78.79.80
Operum teſtimonium ſapientia quærit. p. 234. n.13
Opera verus amor intendit, & verba neſcit. p.251. n.87
Operibus ſe quilibet patris ſui filium probat. p.253. n.99
In opus prodit miſericordiæ affectus. p.256.n.121
Operibus, & non verbis oſtenditur amor. p.270. n.219.& 220
In operibus, ac factis ſe ſolum ſui iuris perſecutor exiſtimat. p.284. n.71
Qui operentur bona, pauci; qui loquantur, multi. p.309. n.60
Sine operis fructu oris loquelam Deus non vult in ſuis miniſtris p.314.n.98
Operibus, non verbis, perfecta charitas declaratur. p.357 n.77
Operaturus magna, pauca loquatur. p.365.n.11
Quæ operibus contradicuntur, non æſtimanda verba. p.373.n.58.& 59
Homines in ſermone largi; in operibus parci: & tunc aliorum virtutem agnoſcunt. p.376.n.76
Operibus, & non verbis, ſuam Chriſtus oſtendit virtutem.
Vt operi incumbas diuino, à carnali affectu ſeparandum. p. 435. n. 18
Ex opere, non ex nomine excellentia viſitur. p.464.n.5
Operis magnificentia fieri ſine lucri, aut mercedis intuitu. p.588.n.191.192. & 193
Operibus nobilitas cognoſcitur. p.593.n.37.& 38

*Oratio.*

Qui rectè orat, aſcendit. p.69.70.n.3.& 7
Orandum mente à terrenis ſeparata. p.70.n.5.& 7
In oratione perſeuerandum. p. 72.n.21
Ad orandum Chriſtus nos excitat. p.73.n.32
Oratio multam habet efficaciam. ibid.n.33
Oratio pernoctantis magna, & alta promeretur. p.73.74.n.33.34.& 35
Oratio ſecreta valde potens. ibid.
Oratio, vt exaudiatur, ex humilitate fiat. p.167. n.73
Oratio pro ſeruis, Deo valde grata, & exauditur. p.168.n.74.& 75
In oratione, gaudet Chriſtus, vt ipſum multa inſtantia compellamus. p.230. n.179
Ad contemplationem prælatus exurgat, poſtquam ſubditorum bonum intenderit. p. 256. n. 119
Orationi Iuſtorum bonus euentus tribuendus. p. 286. n. 87
Oratio Iuſtorum multum prodeſt aliis. ibid.n.87
Orandum ad Deum in neceſſitate. p. 310. n.67
Orationis preces non ſunt neceſſariæ, vbi interuenit officij ratio. p.367.n.22.23.& 24
Orationem noſtram Deus cito exaudit, nec illius finem expectat. p.446.n.30.& 31
Orationis alæ humilitas, & charitas. p.167.n.73
Ad orandum animus à tumultu ſequeſtrandus. p.561.n.18
Exorari vult Deus à nobis. p.592.n.26.& 27
Orandum multum ad aſſequenda magna. p.595. n.47

*Oſtium.*

Oſtium principis ſit apertum; & ipſe ſe manifeſtet. p. 87. n.5.6. & p. 245. n. 44
Oſtium apertum ad Chriſtum, ad ipſumque omnes habent ingreſſum. p.436.n.20

*Otium.*

Otium noſtrum Diaboli requies. p.386.n.141

P

*Parcere.*

PArcere delicta, maieſtas Domini. pag.280. n.39

*Parens, ſeu Pater.*

Patres complacent, dum imitatores ſui filios vident. p.34.n.21
A Parentibus piis probi filij naſcuntur. ibid. n.22. & 23
Pater filios non deſerit anguſtiæ tempore. p.121. n.104
Parentibus obediendum, dummodo Dei obſequio non repugnent. p. 146. n.18
Parentes ob Deum omittere, pia durities, ac magnum, ſanctumque opus. p.150 n.38.39 & 40
Parentum gloria magna, quod eorum nomen per varias filiorum generationes clareſcat. p. 181. n.159
Patris amor omnes difficultates ſuperat, ne à filio ſeparetur. p.188.189. n.27.28. & 29

*Particulare.*

Particularitatis notam fugiat princeps. p.239.n.5
Particularitatis nota non afficiantur, quæ communia ſunt. p.371.n.46.& 47

*Paſſio, ſeu Pati.*

Pati pro Chriſto, nulla maior gloria. p.77.78.n.62. & 63
Pati pro Chriſto, magnum bonum. p.105.n.4
Pati innocenter, & ſine legis crimine, magna conſolatio. p.117.n.79.80.& 81
Patiens innocenter aſſimilatur Chriſto. p.117. n.81
Pati pro Chriſto, magna conſolatio. p.122.n.108
Pati pro Iuſtitia, ac Chriſto, valde dulce. p.202. n.11. & 12
Quod quis patitur, malum grauiſſimum putat. p.548. n.44

*Paſſio Chriſti.*

In Paſſione Chriſtum imitari, gloria, ac perfectio noſtra. p.132.n.51.& 52
Paſſio, ac mors Chriſti, ſignum eius diuinitatis. p.421.422.n. 54.55. & 56
Paſſio, ac mors Chriſti declarat eius diuinitatem. ibid.
Paſſio Chriſti nos à morte liberauit, & vitam dedit. p.424.n.69. & 70
Paſſionis Chriſti vmbra, vt trahat ad pœnitentiam, efficax. p.430.n.108.109.110.& 111
Paſſionis Chriſti memoria vitam refrænat. ibid. n.110
De Paſſione Chriſti guſtare, maximè gratum. p.438. n.34
Paſſione Chriſti ſuauis fit mors noſtra. p.483. n.18.19.& 20
Paſſio, & mors à Chriſto in multa æſtimatione habentur. p.503.n.69.70. & 71
Paſſionis, ac Crucis triumphus celebratur à Chriſto. ibid.
Paſſionis, ac Crucis memoria Chriſto oblectamentum. p.559.n.12
Paſſio, & mors, Chriſti feſtum. p.562.n.21

*Patientia.*

Patientia maximè probatur, dum quis mitè ſuſtinet intempeſtiuam interrogationem. p. 15. n.89
Patientia præclara, iram cum poteſtate cohibere. p.67.n.42
Patientiæ documenta nobis Chriſtus præbet. pagin.85.n.122
Patientia viſitur in occaſionibus. p.105. n. 2
Patiens verè non murmurat, nec malum infert. p.106. n.10
Patientia, ac manſuetudine vincuntur omnia. p.132. n.49

Patientia potius quàm imperio diuina declaratur poteſtas. p.312.n.79.80.& 81
Patientia diuinitatis index. p.398.n.69 70.&p.425. num.78
Ex Patientia alicuius, contra eum quis anſam arripit. p.436.437.n.24.25.& 26
Patitia neceſſaria, vt iuſtitiæ fructus producantur. p.462.n.116
Patientia ipſa magna merces,& prēmiū.ibid.n.117
Patientia Dei ad pœnitentiam peccatores expectat. p.477.n.81.82.& 83

*Patria.*

In patria propria virtutes ſuas homo non declarat donec egrediatur ab ea. p.165.n.58.59. & 60
Homo æſtimet patriã ſuam vt ſeipſam.p.520.n.14.
Patria plus æſtimanda quam propria vita,ac bona. p.520.n.15.& 16

*Patrocinium.*

Patrocinio ſanctorum deſtitui grande malum. p.321.n.135

*Patronus.*

Quem Patronum ſperabas, accuſatorem habere, valde durum. p.51.n.123
Patronum non habens perit. p.448.n.42

*Paulatim.*

Paulatim ad magna diſponendum. p.5.n.19.
Paulatim in virtute procedendum. p.28.& 29. n.185.186.& 187.& p.197.n.82.83.84.
Paulatim ad dignitates progrediendum. p.78.n.65
Paulatim nosDeus aſſuefacit ad Magna. p.184.n.1
Paulatim ex imperfecto ſtatu homo ad perfectionẽ ſurgat. p.197.n.81.82.&.83.& p.256.n.118.

*Paupertas*, ſeu *Pauper.*

Pauperis negotium, diuitibus oppoſitum, nullum habet patronum. p.18.n.115
Quod Pauperes animum, ac conſtantiam habeant ad veritatem dicendam, valde mirum. p.215. n.89.& 90
A Paupere veritas prolata vim magnam, ac efficaciam habet. p.215.n.91.& 92
Pauperes ſpiritu rapiunt cœlum. p.230.n.185
Pauperibus ſuperflua danda. p.255.n.108
In Pauperem inſurgunt omnes. p.353.n.47
In Pauperes miſericors miſericordiam inuenit in die Iudicij. p.359.360.n.90.& 91
Pauper qui eſt omnibus expoliatus nullum habet interceſſorem. p.367.n.21.

*Pax.*

Pax vbi, vita, ac ſanitas ibi. p.4.n.15.
Pax aduentu Chriſti tripliciter introducta. p.144. num.4
Pax cum iniquis rumpenda. p.23.n.5.& 6
Pax,Iuſtitiæ contraria tollitur à Chriſto. p.144.n.7
Pax vera Iuſtitiæ ſociatur,& bellum iniquitati indicit. p.145.n.8.9.& 10
Pacis amator Chriſtus,cui diſplicent diſſidij ſigna. p.169. n.81
Pacem cum Deo iuſtus habet. p.272.n.229.
Vide *Concordia*, *Vnio.*

*Peccator.*

Peccator quantumuis iniquus,non contemnendus. p.69.n. 53
Peccatores aliqui ſæpè etiam inter Iuſtos inueniuntur. p.85.n.120
Peccatores ponderoſi, ac graues. p.139.n.85
Peccator publicus, proximus vt in inferno ſepeliatur. p.187.n.19
Peccator ſuiſmet peccatis ligatur, ac tendit in ſepulturam, p.188.n.23.24.& 25
Peccator in ſe ipſo ſui tortores habet ibid.
Peccator per gratiã renouatur in ſẽſibus.p.195.n.71
Peccatores ita in ſuis ſunt ſopiti delictis, vt niſi nominatim vocentur, minimè veniant. p.195. 196.n.72.73. & 74
Peccator delictum ſuum valde difficiliter cognoſcit. p.195.196.n.72.73.& 74
Peccator ex peccato reſurgens præbeat vitæ ſigna ibid.n.74
Peccatores contra ſemetipſos loquuntur. p.240. n.9.10.& 11
Peccatores, ſe dum excuſant, accuſant. ibid.n.11
Peccatores ſine nomine. p.241.n.22
Sub Peccatoris dominio vilia omnia, atque abiecta. p.247.n.61
Peccator contra ſe ipſum agit,ac loquitur. p.258. num.139
Peccator occultus valde difficilè emendatur. p.366. n.17.
Peccatoris vox depreſſa. p.393.n.40
Peccatores inconſtantes. p.415.n.5
Peccatores in ſuis dictis, & factis ſibimet contradicunt p.415.n.6.7.& 8.
Peccator indignus,cuius votis ãnuatur. p.420.n.41
Peccator ſtultus. p.471.n.46
Peccator Dei oculos effugere optat. ibid. n.47.& 48
Peccatores retrogrediuntur. p.497.n.30
Peccator ſemper ex vno peccato ruit in aliud. p.540.n.130
Peccatoribus data poteſtas eſt in aliorum malum. p.545.n.25.26.& 27
Peccatores damno aliorum ſibi honorem conciliari putant. p.546.n.31
Peccator valde inconſtans. p.553.n.75
Peccatores petunt ea, quæ ſunt ad ſui deſtructionem. p.416.n.15.
Vide *Impius*, *Obduratio.*

*Peccatum.*

Peccata reiterata grauiter à Deo puniuntur. p.28. n.180.181.& 182.
In Peccatum Deus iraſcitur, & ſuper hominem miſericordiam habet. p.63.n.19
Peccata, vt grauia, homines deprimunt. p.88.n.13
Peccatum reiiciatur, vt virtus veniat. p.176.n.124
Peccatum in peccatore imperiũ habet.ibid. n.125
Peccatum per ſenſus noſtros ingreditur. p.186.n.14
Peccatis homo ſuis in ſepulturam fertur, atque in tormentum. p.188.n.23.24.& 25
Peccatũ,hominis carnifex crudelis.ibid.n.24.& 25
Quod in peccatum à virtute tranſeat homo, lamentabile valde. p.236.n.25
Peccata nobilium magis nota. p.244.n.35
Ex peccati occaſione,qui ſpiritu Dei aguntur,motiua virtutum eliciunt. p.245.n.45
Peccata publica ſatisfactionem, ac pœnitentiam publicam exigunt. p.247.n.57.58.&.59
Peccati inſtrumenta omnia in Dei obſequium conuertuntur. p.249.n.71
Per quæ quis peccat, per eadem & torquetur. p.253.254.n.101.& 102
Peccati turpitudinem abſcondere, Diaboli eſt: Deus autem diſcooperit, vt fugiatur, & homo emendetur. p.260.n.146
In peccatis dimittendis maximè reſplendet maieſtas. p.280.n.39
Peccandi anſam ſæpè ſolitudo præbet. p.306.n.37
Pec ans in multa mala incidit; qui exurgit multa bona inuenit. p.353.n.44.45.&.46
Peccata non agnoſcere, valde nociuum. p.354. n.55.& 56





Peccatum, animæ mors crudelis. p.355.n.58.59. & 60
Peccatum ipſum in ſuppliciũ hominem ducit.ib.
Peccata vt extinguantur, eorum radix, ac origo amputanda. p.368.369.n.28.29.30.& 31
In peccatum reincidentia, malum grauiſſimum. p.388.n.148. & 149
Peccatum in ſuo initio ſtatim amputandum. p.475. n.73
Peccata occulta, & ambigua, non ſunt à nobis diiudicanda. ibid. n.74
Peccata,etſi,quandiu occulta, diſſimulanda,vt publica caſtiganda. p.507.n.100.& 101
Peccata, ſi permittantur, ad paucos contrahenda. p.540.n.135
Peccatum obcœcat peccatorem,ne ſuam miſeriam videat. p.541. n.3
Per peccatum prius homo recedit à Deo, quam Deus ab ipſo. p.558.n.2
A peccato ſurgere. Vide *Conuerſio.*
Peccati inſtrumenta. Vide *Inſtrumentum.*

*Pecunia.*

Pecunia perditionem cauſat. p.86.n.126. & 127
Pecuniæ cupiditas inebriat hominem. ibid.n.126. & 127
Pecuniam à ſe reiicere, homini valde durum. p.614. n.90
Vide *Aurum.*

*Perdere.*

Qui nil timet perdere, optimus ad veritatem dicendam. p.390.n.11.12. & 13
Ne perdant dignitates ſuas,valde timidi homines, & multa mala perpetrant. ibid. n.12. & 13
Ob perditionem vnius non eſt à negocio deſiſtendum. p.444. n. 14
Perdita reſtaurare,plus eſt,quàm illæſa conſeruare. p.474.n.68

*Peregrinus.*

In hoc ſæculo viuendum,vt peregrini. p.275.n.6

*Perfectio.*

Ad perfectionem paulatim eundum. p.197. n.82. 83.& 84

*Periculum.*

Pericula fugienda. p.128.n.22
Qui periculo ob Chriſtum ſe committit, ab ipſo defenditur. p.262.n.166
Cum periculum in extremo vrget, tunc adeſt Dei auxilium. p.591.n.21
Quos in periculo conſtituiſti, ne deſeras, ſed eis auxiliare. p.594.n.40.41. 42. & 43

*Perſecutio.*

Perſequitur mundus contẽptores ſuos. p.123.n.118
Perſecutio fugienda. p.126.n.9.& 10
Perſecutionibus virtutes creſcunt. p.438.n.35
In perſecutionibus probatur virtus. p.474.475. n.69.70. & 71
Perſecutiones contra Eccleſiam veluti ventus tranſeunt. p.590. n.12. 13. & 14

*Perſeuerantia.*

Perſeuerantia neceſſaria ad impetranda bona. p.15.n 89
Perſeuerandum in opere iniuncto, vt proficias. p.22. n. 140
Perſeuerantia ſit in pœnitentia. p.236.n.22
Perſeuerantiam habent Dei dona, & contra poſſeſſoris voluntatem non auferuntur. p. 296. n.149
Perſeuerantia facit Beatos. p.406.n.118
Quæ perſeuerantiam non habent, pereunt. p.448. n.41

*Perſuadere.*

A blandis iniquorum perſuaſionibus fugiendum p.115.n.70

*Petere.*

Petunt iniqui, quæ ſunt ad ſui deſtructionem p.416. n.15
Poſtulata Deus ſæpè ex benignitate negat. p.525. n.46
Ante petitionem dare,magnum donum. p.14.n.87
Pluſquam petimus, Deus dat. p. 17. n.107. & 165.n.61. & p.564.n.35
In petendo pudor,quædam eſt magna negociatio. p.17. n.108
Dum petit perſona grauis, valde graue ei, à quo petit, & ſæpè ob verecundiam negandi conceditur. p.158.n.16
Petere,viro ingenuo,ac nobili,graue,ac moleſtum valde. p.159.n.19.20.21. & p.318.n.115
Petitiones ſuorum princeps aliquando concedat, aliquando differat,prout occaſio exigat. p.167. n. 72
Abſque precibus munera data, valde gratiſſima. p.191. n.43

*Petrus.*

Petrus Apoſtolorum primus,quia caput,& rector. p.82.n.93.& 95
Petri fraternitas, laus magna. ibid n.97
Petri feruens charitas. p.594.n.44

*Pietas.*

Vide *Clementia, Benignitas, Miſericordia.*

*Piger.*

Piger ſeruus valde moleſtus. p.68. n.51
Vide *Negligentia.*

*Pœna.*

Vide *Supplicium.*

*Pœnitentia.*

Ad pœnitentes Deus magis aliquando afficitur, quam ad innocentes. p.266.n.194
Pœnitentibus, ac innocentibus Deus delectatur. p.267.268.n.200.201. & 202
Pœnitentes confidenter cum innocentibus commiſcentur. ibid.
Pœnitens,ac conuerſus Dei affectum ad ſe trahit vehementer. p. 285. n.77
Pœnitentia mundat à peccatis. p.5.n.22
Pœnitentia vera eſt cum fructu,& non cum apparatu. p.86.n.230
Pœnitentia arcta reformanda vita. p. 110. n.33
Pœnitens ditatur Spiritus ſancti donis. p.113.n.60
Pœnitentia ad obtinendam peccatorum veniam valde potens. p.183.n.175.& 176
Cum Pœnitentia viuentes,faciliter cælum tenent. p.230.n. 181
Pœnitentia ſit cum perſeuerantia. p.236.n.22
Per Pœnitentiam recuperatur nomen deperditum per peccatum. p.242.n.25
Pœnitentia non eſt in vitæ finem reſeruanda. p.186. n.14
Ob pœnitentiam præuiſam Deus hominem honorat; vnde aliquando non ſigillatim omnia peccata recenſet. p.244.n.39. &40
Pœnitentia publica egent publica peccata. p.247. n.57.58.& 59
Pœnitentia noſtra Chriſtus mundari quoddammodo dicitur. p.252.n.93
Pro pœnitentia, in qua eſt de præſenti,& non pro peccato, in quo olim extiterat, homo iudicandus. p.259.n.141.142.& 143
Per pœnitentiam ex peccatoribus ſtellæ fiunt. p.360.n.96. & 97

Per pœnitentiam abluitur peccatorum fœditas. p.360.361. n.97. & 98
Pœnitentibus peccatoribus,& iuſtis omnibus cœleſtia dona dantur. pag.427. 428. n.95. 96. 97. & 98
Pœnitentia ad magnam euehit altitudinem. ibid. n.95. 96.97. & 98
Ad pœnitentiam Deus peccatores expectat.p.477. n.81. 82. &83

*Poſſeſſio.*

Poſſeſſa bona paruipenduntur. pag.442. 443. n.6. 7. & 8
A poſſeſſione ſua difficile quiſque deiicitur.p.366. n.18

*Potentia*, ſeu *Poteſtas*.

Ad poteſtatis menſuram honor exhibetur. p.36. n.35
Poteſtas regum, non in aliorum damnum, ſed in ſalutem exeat. p.95.n.59.& 60
Poteſtas mala in damnum. p.96.n.61
Poteſtas ſit ad ædificationem, non ad deſtructionem. p.111.n.45
Poteſtas magna magnis odiis impetitur. pag.123. n.119
Potentes huius ſæculi natura ſua ruunt. pag.164. n.52.53. & 54
Poteſtas ad benefaciendum valdè innoteſcit; & ne ſit ad caſtigandum. p.171.n.92
Potentiam ſuam qui conſiderat, cadit, qui ſuam humilitatem, exurgit. p.174. n.112
Poteſtatem Chriſtus cum humilitate coniungit. p.181.n.161
Non potentia, ſed ratione res agenda. p.365.n.12. 13. & 14
Poteſtas probis data in aliorum bonum, iniquis in malum. p.545.n.25.26.& 27
Poteſtas humana ad perdendum. p.572. num.96. & 97

*Præceptum*, vel *Præcipio*.

In præceptis ne deficiant, qui voluntaria adimplent. p.2.n.3
Præcepta Chriſti retinenda memoria. p.22.n.140
Non præcipit Deus, niſi quæ faciliter præſtare poſſumus. p.87.88.n.8.9. & 10
Præcepto æquali Dominus inferiores, & ſuperiores aſtrinxit. p.313.n.83
Præcipit Dominus, quæ quilibet ſuauiter exercere poteſt. p.342. n.100
Vide *Lex*.

*Prædeſtinati.*

Prædeſtinatorum numerus minui non poteſt.p.76. n.54. &55

*Prædicator.*

Prædicator ad docendum opportunum tempus quærat. p.3.n.10
Vt prædicatoris dictis quilibet acquieſcat, debet prius in eius probitate, ac virtute in ſtrui. p.28. n.184
Prædicator prius ardeat vita, & poſtea opere illuminet, atque ſermone. p.50. n. 116. 117. 118. & 119
Prædicatores inſtruantur in omni virtute. pag.70. num.6
Prædicare veritatem, magna merces. pag.77. numer.61
Quæ prædicatur verbo, oſtendatur opere charitas. p.81.n.84
Prædicatores prius opere niteant, verbóque poſtea ſonent. p.83. n.104.105
Prædicator auditoribus conformetur. p.90.n.27
Qui prædicat mundi contemptum, hunc teneat, ac ſeruet. p.102.n.27
Prædicandi munus reddit homines immortales. p.305. n.34
Qui prædicat pacem, pacem ferat. p.104.n.42
Prædicatoris vita, lingua tacente, prædicet. p.107. n.13
Prædicatores ad prædicandum tempus explorent. p.110. n.38
Prædicator ſuam oſtendit ſapientiam, dum clarè loquitur. p.113.114.n.62.63.& 64
Prædicatio Euangelicæ conſumit peccata, inflammat voluntatem, & carnalia amputat. p.146. n.14.15.& 16
In prædicatorem Euangelicum charitatis opus multum promeretur. p.153. n.51
Ad prædicandum pauperes valdè apti. pag.215. n.92
Prædicatores etiam aliquando requieſcant. p.299. n.11
Prædicatores charitatem,& amicitiam inter ſe habeant. p.306.n.42.& 43
In prædicatore ſit Dei, & proximi charitas. ibid. n.41
Prædicatores concordiæ typum ſecum ferant.ibid. n.43
Prædicatio ſit cum opere iuncta. p.309.n.60
Prædicandi munus, magnum donum. p.310. n.65
Prædicatoris lingua ex auditorum demeritis ſæpè frigeſcet. p.310.n.66
Prædicandi munus ad martyrium deſtinatum. p.311. n.72
In prædicatoribus ſuis Dominus non verborum blanditias vult. p.315.n.99.100. 101.& 102.
Prædicatores critici maximè arguuntur. ib. n.101. & 102
Prædicatores ſuam ſemper in tuto, ac ſecuro mercedem habent. p.316.n.105
Prædicatori licitum, alimenta accipere. pag.317. n.113
Prædicandi labor tantus, vt omnis terrena merces, pro eo data, nihil ſit. p.318 n.118
Prædicator in ſe adimpleat, quæ docet. pag.437. n.28
Prædicare, perfectionis apex. ibid. n.28
Prædicator à Deo maximè dilectus. ibid.
Prædicatio ſit ſermone iucunda. p.442.n.4
Prædicator obſeruet ad prædicandum opportunitatem. p.445.n.20
Prædicare, tacentibus aliis, valdè mirum. p.533. n.96. & 97
Qui prædicatores perſequuntur, in magno periculo ſunt. p.559.n.8
A prædicatione requieſcendum. ibid.n.9
Prædicator accommodet ſe ſuis auditoribus.p.652. 653. n.323. 324. & 325

*Prælatio.*

Vide *Anteponere*.

*Prælatus.*

Prælatus inſtruatur in omni virtute. p.70.n.6
Prælatorum nobilitas, ſua cum ſuis diuidere, ac diſtribuere. p.70.71.n.9.10.11.& 12
Prælatus debet in ſe adimplere, quæ mandat.p.73. n.29
Prælatus ſit vigilans pro grege ſuo. p.82.n.90
Prælatus non ſemper cum ſuis familiaribus clauſus, ſed & populo ſe manifeſtet. p.87.n.5
Prælatus, ſi fiat inacceſſibilis, ſolus erit. ibid.n.6
Prælatus, ne ſubditi in ipſum inſurgant, eos ne contemnat, ſed vrbanè tractet. ibid.n.7
Prælatus

Prælatus ex nomine ſuos agnoſcat. p.81.n.82
Prælatus quiſque creatur, non ad requiem, ſed ad laborem, ac onus. p.89.n.18.19.& 20
Prælatus per ſeipſum negotia peragat. p.105.n.1
Prælatus iniurias ſibi illatas non reſeruet ad vindictam. p.106.n.10
Prælati à ſeipſis detrahant, vt alij alimententur. p.107. n.12
Prælato corrupto, omnia pereunt; ipſo ſaluo, reparantur. p.109.n.32
Prælatus de his, quæ ſunt in præſenti, futuro, ac præterito, prouidentiam habeat. p. 111. n.41. & 42
Prælati poteſtas ſit ad ædificationem, & non ad deſtructionem. ibid. n.45
Prælatus ab omni particulari affectu ſit alienus. ibid. n.46
Prælatus magis doleat de ſuorum malis, ac doloribus, quàm de propriis. p.112. n.53. 54.& 55
Prælatus quot ſubditos habet, tot inimicos retinet. p.123.124. n.120. 121.& 122
Prælatus, quod ſuis mandat, in ſe adimpleat, ac exequatur. p.147. n.19
Prælati in ſuos quanta ſit cura, vt eis bonum prouideat. p.163.n.46
Prælatus bonus ſubditorum infirmitates iudicat proprias, eoſque, cum poſſit liberare, vexari non ſinit. p.163.164.n.48.& 51
Prælatus quamuis multos habeat ſubditos, pro vniuſcuiuſque ſalute ſit multum ſolicitus.p.164. n.51
Prælatus per ſeipſum viſitet ſuos. p.166.n.62
Qualiter Prælatus ſe habet in ſubditos, taliter Deus ſe habet in illum. ibid.n.67.68.& 69
Prælatus in iis penuriam patitur, in quibus deficit ſuis. p.166. n.68
Prælatus eum, quem in ſubditos habet modum, in ſe ſperet à Deo. p.173.n.105
Prælatorum maieſtati nihil inglorioſum pro ſuorum ſalute. ibid.n.107
Prælatus ille in ſubditos valdè humanus, qui ſe in alterius poteſtate agnoſcit. p.174.n.114
Prælatus ſolus ille ſcit rectè regere, qui prius obedire nouit. p.174.n.115.116.& 117
Prælationis officium rectè adminiſtrantes maximè apud Deum promerentur. p.181.n.160
Prælatus de ſuis ſubditis curam habeat. pag.205. n.31
Prælatus ſuos potius, quam alienos honorare velit. p.205.n.31.& 32
Quod in Prælato æqualis ſit ad pauperes, & diuites iuſtitia, eſt veluti miraculum. p.215.n.87
In Prælato particularitatis nota fugienda. p.239. num.5
Ad Prælatum ſuum ſubditus ſemper aditum habeat. p.245. n.44
Prælatus primò intendat ſubditorum bonum; deinde ad contemplationem exurgat. pag.256. n.119
In Prælato vita actiua, & contemplatiua. p.294. n.137
Prælatus ſuos habeat ante oculos. p.300.n.3
Prælatus ſequatur ſuorum miniſtrorum veſtigia. ibid. n.4
Prælati munus labore, ac ſolicitudine plenum. p.310. n.63. 64
Prælati ſint æquales ad omnes. p.316. n.103
Prælatus beneficia ſubditis data gratuletur. p.328. num.9
Prælatus bonus ad proximos, & remotos æquali modo ſe habet ad omnes. p.352.n.30
Prælatus habeat cum rigore ſerenitatem. pag.358. n.82
Prælatus plus benignitatis, quam rigoris exhibeat. p.359. n.85
Ad Prælati munus non ſtatim ex infima conditione euolandum. p.373.n.55 & 56
Prælati defectus ſuppleat inferior. p.390.n.15
Prælati non dedignentur, ab inferioribus erudiri. p 393.n.35
Prælatus à quiete ad laborem exeat. pag. 446. num.27
Prælati nomen meretur ille, qui bono communi, non particulari attendit. pag. 464. 465. num.7. 8. & 9
Prælati ſomnus, & negligentia inducit mala multa. p.466. n.13
Prælatus pro ſubditis in iudicium vocandus.p.472. n.55
In Prælato bonitas nimia contemptum, ſeueritas reformationem parit. p.482. n.16
Prælatus ad dignitates videat, non ſolum qui ſunt in propinquo, ſed & qui à longè. p.526. n.50
Prælatus reſpiciat, non ſuos, ſed neceſſitate oppreſſos. p.466. 467. n.46.47.48.& 49
Prælati eſt, ſubditis fameſcentibus prouidere. p.573. n.98
Prælatus bonus omnia ſciat, multa diſſimulet, ac cooperiat. p.574.n.105. & 106
Prælatus aliquando patienter agat. p.623.n.141
Vide *Rex*.

*Præmium.*

Præmij ſpes certa facilitat labores. p.105.n.5
Per merita nobilitatur data corona. p.107.n.12
Præmio, & timore mouetur homo. pag.140. numer.93
Ad præmiandum bonos Deus magis pronus, quàm ad caſtigandos malos. ibid.n.93
Præmium magnum, laus, ac teſtimonium à viro eminenti. p.141. n.100
Deus etſi multos videat benemeritos, valdè tamen ſingulariter quemlibet præmiat. ibid.n.101
Præmium ſupernaturale quærendum. pag. 153. num.50
Præmium habet ſuum, etiam minimum Deo exhibitum obſequium. p.155.n.60.61.& 62
Præmium dat Deus de præſenti, quamuis in futuro adhuc conſideretur obſequium. pag.217. n.99
Vt appræmietur ſeruus benemeritus, ſtimulat conſcientia. p.285.286. n.81.& 82
Inter præmium & meritum magna coniunctio. p.279 n.33
Præmium condigni ſerui ſit alte fixum in mente regum. p.286.n.83
Præmium per reſpectum ad magna merita veluti pars videtur. p.294.295.n.138.139.& 140
In præmio, ac fauore ſint æquales, qui & in labore. p.307.n.45. & 46
Ob præmium rigor legis fit ſuauis. p.344.n.111
Præmia danda iuxta vniuſcuiuſque merita. p.441. n.49.& 50 & p.78.n.69.& 70
Magnitudo operis, ſi fiat ſine præmij ſpe. p.588. n.191.192.& 193

*Præſentia.*

Præſentia valdè efficacia ad mouendum. pag.68. n.48
Ex præſentia Deus, non verò ex præſcientia iudicat. p.85.n.117
Præſentia

Præſentia Chriſti in laboribus, & preſſuris magna firmitas, & conſolatio,quæ dat leuamen. p.117. n.78
Præſentia Chriſti maximè attrahebat. pag. 212. n.71
Sub præſentia Dei homo carneus fit Angelus. p.224. n.145. & 146
Ex præſentia Chriſti mira dulcedo hauritur.p.272. n.230
A præſentia Dei non diſcedere, magnum bonum. p.290.n.112
Præſentia Præſulis in Eccleſia valdè neceſſaria. p.309. 310. n.61. & 62
Præſentia bona homines non æſtimant, ſed præterita. p.346.347.n.6.7. & 8
Præſentia ſola mouent, & memoria retinentur. p.417. n.20

*Præſumptio.*

Ne præſumat homo multum de ſuis viribus.p.128. n.22
Qui præſumunt ſe ſapientes, nihil ſciunt. p.332. n.29
Qui de ſe præſumit parum, in multum extollitur. p.333. n.37
Malum quod quis de aliis præſumit ſe illius reum declarat. p.375. n.67
Valdè difficile præſumptuoſo,ſui cordis tumorem deponere. p.423. n.63.& 64

*Primus.*

Primi in aliqua virtute, aut opere, maximè honorandi. p.166.n.66
Primi in obſequio, venerandi. pag.180.n.156
Qui primus venit, vim multam facit. pag. 230. n.178
Primus in aliqua virtute maximè laudandus.p.392. n.31.& 32. & p.536.n.108. & 109

*Princeps.*

Princeps miniſtros ſuos condecoret, atque nobilitet. p.301. n.10
Principis, ac domini proprium, ſuos à tyrannide tueri. p.364. n.6
Principis eſt largire beneficia per ſe:ſupplicia aliis committere. p.643.n.266.& 267
Vide *Rex*.

*Principium.*

Ex principio præclaro exitus totius proceſſus deprehenditur. p.220.n.119
Vide *Radix*.

*Promiſſio.*

Promiſſio Dei ita certa, ac poſſeſſio. pag.39. numer.51
Qui promittit multa in futurum, det aliquid in præſenti, vt ei credatur. p.39.n.57.& 58
Qui promiſſionem diuinam habet, omnia habet. p.170. n.91
Pluſquam promiſſiones magnas de futuro, donum quodlibet de præſenti æſtimatur. p.216. n 95.96.& 97. & p.586. n.179.& 180
Plus quàm promittit Deus verbis,dat donis.p.322. num.2.
Promiſſio adimplenda. p.327.n.1

*Proprium.*

Proprium minimum ſuper aliorum facta illuſtria iudicat homo. p.282.n.54.55.& 56
Propria magis, quàm aliena conſiderat homo. ibid. n.55. & 56

*Prouidentia.*

Prouidentiam habeat, & conſideret præſul de his, quæ ſunt in præſenti, præterito, ac futuro. p.111. n.41.& 42
Prouidentiam miram Deus de ſuis electis habet. p.138. n.81. & 82
Prouidet Chriſtus neceſſaria ſuis.p.152.n.46.& 48
Prouidet illis Deus, qui in Dei negotio occupantur. ibid.n.46.& 48
Prouidentiæ diuinæ omnia ſunt in promptu. p.360. n.94
Prouidentia diuina ſemper habet, vt ſuis neceſſaria prouideat. p.582.n.155.& 156

*Proximus.*

Erga proximum appropinquandum,non loco, ſed animo. p.356.n.67

*Prudens*, ſeu *Prudentia*.

Prudentia, & patientia viſitur in occaſionibus. p.105. n.2
Prudentia, & aſtutia potius, quàm viribus agenda eſt res. p.110. n.40
Prudentes vult Chriſtus ſuos, & non malitioſos; ſimplices,& non ſtultos. p.112.n.56
Prudens,& ſimplex ſit iuſtus, vt occaſio poſtulat. p.113.n.58
Prudentibus viris magna negotia committenda. p.204.n.26
Prudentia eſt, ſæpè ignorantiam aliquam ſimulare. p.209.n.54.& 55
Prudentia adminiſtranda omnia. p.337.n.66
Pluſquam prudentiam mundani diuitias diligunt. ibid.n.65
Prudentis eſt, rem inceptam perficere. pag.438. n.31
Prudentia, ac iudicio omnia diſponenda. p.587. n.184

*Pudor.*

Pudor in petendo, quædam negotiatio magna. p.17.n.108
Pudor ex delatione criminis, valdè vehemens, vt homo emendetur. p.143. n.107
Cum pudore, ac dolore non eſt remedium conferendum. p.165.n.56
Qui de propriis peccatis erubeſcit, de his, quæ ſunt exterius,non curat. p.245.n.46

*Punire.*

Punitio quædam, criminum inueſtigatio. pag.37. n.43
Punire alienum à Deo. p.478. n.89
Vide *Supplicium*.

Q

*Quærere.*

MAgnates ſæculi volunt, vt quærant ipſos cœleſtia dona. p.6.n.29
Si Deus non quærat hominem, hic ſe non mouebit ad illum. p.87.n.6
Quæramus Chriſtum ſemper. p.112.n.50
Quærit Chriſtus ſuos. p.446.n.26

*Querimonia.*

Querimoniæ excitantur ſtatim, vbi quis contemnitur. p.79. n.73
Querimonias contra miniſtros ſemper excitat ſui iuris perſecutor. p.284.n.71
Conqueritur ſtatim de aliorum incuria ſui iuris negotiator, ſi ei non defertur. pag. 285. n.78. & 79
Querimoniæ ſolum illi dicendæ, qui poteſt remedium dare. p.347. n.9.10.& 11

*Quies.*

Quies à laboribus, ad nouos eſt præparatio quædam. p.299.300.n.12.& 13





R

*Radix.*

RAdix peccatorum amputanda, vt peccata, ac mala extinguantur. p.368.369.n.28.29.30. & 31
A Radice totum malum prouenit. p.449.n.46

*Ratio.*

Rationi & non poteſtati pro loco, & tempore accommodandum. p.71.72.n.17.18.19.& 20
Ratione & non potentia, eſt tractanda res.p.365. n.12.13.14.& p.440.n.44
Non Ratione, ſed voluntate operantur iniqui. p.415.n.11
Rationis lumen auferri, magnum ſupplicium. p.417.n.21 22.& 23
Ratione Chriſtus pro ſe agit; pro nobis vero poteſtate homines autem è contra. p.367.368. n.25.26.& 27
Non Rationem ſed appetitum ſequi damnabile valde. p.546.n.32.& 33

*Reformatio,*

Reformanda vita Spiritus diuini radiis. pag.110. n.34
Reformatio morum paulatim introducenda.p.365 num.8

*Religio Chriſtiana.*

In Religione, ac cultu Dei facilitas. p.486.n.40

*Religioſus.*

Religio ei valde ſuauis, qui eam propria voluntate eligit. p.341.n.92
Qui in Religione defecerunt,valde peſſimi.p.387. n.147
Religioſus in viis publicis conteritur, ac contemnitur. p.448.n.42
Religioſi aliqui in virtute ſæcularibus inferiores. p.455.n.79.& 80
Religioſus, cùm Deo conſecratur nihil in ſe mundo vacuum relinquat. p.498.n.37.& 38
Religioſo obedientia elogium magnum. pag.107. n.106
Ad Religionis reformationem ſpectat, alimenta habere. p.536.n.110

*Relinquere.*

Relicta ſemel pro Deo, iterum non repetenda. p.175.n.122
Relinquenda omnia pro Chriſto. p.437.n.29
Relinquenda domus, & ciuitas, vt Chriſtum inueniamus. p.496.n.25
Quod Relinquat ſaturatus homo, quæ habet valde mirabile. p.582.n.158.

*Remedium.*

Remedia homines impendiunt ſæpè aliis. p.564. num.91.
Remedium ne ſit ingratitudinis materia. p.582. n.157
De Remedio proprio agendum abſque alicuius querimonia. p.16.n.99
Remedium Deo relinquendum, at neceſſitas exponenda. p.161.n.3
Remedium non eſt dandum cum dolore, ac pudore illius, cui confertur. p.165.n.56
Ex Remedio improportionato nulla vtilitas, & ſanitas. p.192.193.n.51.52.& 53
Res ſolum cum illis tractanda, qui remedium exhibere valent. p.202.num.14.15. & p.520. n.9. & 10
Deus ordinat, vt medicinæ remedium fiat, quod morbi erat cauſa. p.249.n.76





A quo Remedium haberi poteſt, ei dicenda miſeria. p.283.n.61
Remedium noſtræ ſalutis ſignum aptiſſimum Dei. p.425.n.79

*Remiſſio.*

In remittendis peccatis Dei Virtus maxime reſplendet. p.30.n.194.& 195
Remittuntur peccata per pœnitentiam.p.360 361 n.97. & 98
Repetenda non ſunt ſemel dicta,ſed abbreuianda. p.97 n.71.
Repetenda non ſunt,dimiſſa pro Deo.p.175.n.122
Repetenda, quæ neceſſaria ſunt. p.307.n.47

*Reprehendere.*

Reprehenſio timenda. p.18.n.109
Reprehenſione bonus prælatus non ſemper inſtet, ſed aliqua diſſimulare ſciat. p.94.n.50
Reprehenſio aliquando tacite, & aliquando veluti in communi danda. p.216.n.98
Virtutis opus ita faciendum, vt non videamur aliorum facta reprehendere. p.256.n.123
Reprehenſio ſit grauis, vel leuis pro qualitate culpæ. p.263.n.172.
Qui Reprehenſione aliorum non emendantur. valde obſtinati. p.271.n.227
Ad Reprehendendum opportunitas temporis captanda. p.287.n.93
Reprehenſionem ſæpè inde quis portat, vnde ſperabat laudem. ibid.n.93
Ex Reprehenſione dura vnius fiunt alij cautiores. p.415.n.4
Reprehendi ab inferiori grandis pudor. p.432. n.122.123.& 124
Qui non reprehendit, malum cum poſſit,ſuum facit. p.472.n.53

*Requies.*

Requieſcendi eſt dandum tempus & labori non ſemper inſtandum. p.126.n.20
Requies in Chriſto, in mundo labor. p.487.n.43

*Res.*

Res, ſeu rerum ſubſtantia, pars vitæ hominis p.354.n.57

*Reſpondere.*

Reſpondendum ſtulto, ne ſtultitia ſua inſoleſcat. p.419.n.36

*Reſurrectio.*

Reſurget homo cum omni ornamento, & omnibus ſuis. p.138.n.83
Vt Reſurgat homo ad vitam, à mala couerſatione recedat. p.194.195 n.66.67.& 68
Reſurgens homo ex peccato, ſigna vitæ præbeat. p.196.n.76
Reſurrectio ex infima conditione glorioſior, quam quælibet illuſtris natiuitas. p.225.n.152
Reſurrectionis lætitia ibi eſt, vbi pœna mortis. p.396.n.60
Reſurrectio abſtulit Crucis ſcandalum.p.424.n.66
Reſurrectio Chriſti ob Virginem accelerata.p.427 num.92

*Retrocedere.*

Qui non retrocedit ab incepta via, multo fauore dignus. p.595.n.48

*Reuerentia.*

In Reuerentia exhibenda, perſona eò maior, quo nobilior. p.170 n.85.86.& 87
Reuerentiam exhibere ſcit ſolum perſona nobilis, non autem ruſtica. ibid.n.86

*Reus.*

Reus,qui ſponte ſua ante iudicem conuenit,multa indulgentia recipiendus. p.273.n.237

*Rex*, vel *Regnum*.

Rex bonus parum prodeſt, ſi miniſtri ſunt iniqui. p.17.n.104.& 105
Regis patientia præclara, cohibere iram, cum perdere poſſit. p.67.n.42. & 43
Regum apex, ſuis benefacere, ac cum ſuis ſua diuidere; & non ſibi ſoli retinere. p.70.71.n.10 11.& 12
Apud Reges omnia ad eorum voluptates plana; ad aliorum commodum difficultatibus plena. p.90.91.n. 29.30.& 31
A Regia magnificentia alienum, videre miſeriam, & illi non ſubuenire. p.96.n.64.65.& 66
Regali dignitati labor, ac ſanguinis profuſio annexa. p.106.n 6.7.& 8
Reges huius ſæculi, quæ ſuo beneplacito contrariantur, obſcurare volunt. p.120.n.98
Reges per amicos, ac familiares deprecantur. p.159. n.18
Rex ſuorum poſtulata aliquando ſtatim concedat, aliquando differat, prout occaſio exigit. p,167,n.72
Regnare regnante iuſtitia, valde illuſtre. p,202.n.5
Quod Reges, ac principes habeant aulicos, ac familiares indignos, ægrè ferendum. pagin.258 .n.131
Regi, ac principi curæ ſunt annexæ. pagin. 285.n.77
Rex magnam habeat ſolicitudinem, vt ſerui benemeriti habeant condignum præmium.p.285. 286.n.80.81.& 82
Regalis ſedes labore, ac ſolicitudine plena. p.310. num.64
Reges à ſubditis lac, non ſanguinem ſugant.p.318. num.117
In Rege prius appareat clementia patris, & poſtea dominationis maieſtas. p.330. n.17
Reges ſint ſimul patres, & domini. ibid.n.19
In Rege coniungantur benignitas, & rigor. ibid. num. 18
Reges omnia pro ſua voluntate faciunt. p. 334. num. 46
Reges dicendi illi, qui ſe rectè regunt. p.348.n.14. 15.& 16
Regis corona, obſeruantia legis. ibid.n.16
Regis proprium, benignitas in pauperes, ac debiles. p. 359. n.89
Reges ſæculi non niſi de ſuorum ſanguine ſaturantur. p.554.n.84
Rex per ſe ipſum bona diuidat, non per miniſtros. p.579.n. 135
Regis corona tunc figitur, ac ſtabilitur, cum pro ſubditis vita funditur. p.587.n. 190

*Rigor*.

Rigor, & benignitas in principe coniungantur. p.330.n.18.& p.358.n.82
In principe plus benignitatis, quam rigoris exhibeatur. p.359.n.85
Priuſquam rigore, vtendum benignitate. ibid. n.86.87. & 88
Rigor etſi in Dei vocibus appareat; in opere eſt miſericordia. p.425.n.74
Rigorem in opere, & in voce lenitatem miniſtri ſæpè oſtendunt. ibid.n.75
Rigorem inuenit, qui pietatem contemnit. p.510. 511.n.118.119. & 120

*Ruina*.

In ruina alterius quilibet timeat. p.323.n.5
Ruere cum incipit homo, in perpetuo motu eſt ſemper cadendi. p.353.354.n.50.51.& 52

S

*Sabbatum*.

SAbbatum dicebatur apud Iudæos quodlibet feſtum. p.53.n.9
Sabbati die prohibita erat ciborum præparatio. ibid.
Sabbatum primum ſecundum, quodnam eſſet. pagin.53.n.12. & 13
Sabbati die quodnam eſſet Iudæis licitum iter. p.55.n.28
Sabbati die an eſſet Iudæorum medicis, curare, licitum. p.61.n. 6.7.& 8

*Sacerdos*.

Sacerdos etiam ab iniquis habetur in reuerentia. p.353.n.49
Sacerdos debet eſſe miſericors. p.355.n.64

*Sacra*.

Sacra, & diuina, etiam indignè tractata, bonum exhalant. p.12.13.n.74.75.76. & 77

*Sacrificium*.

Sacrificium, Deo, nobis autem lectio, martyrium ſanctorum. p.114 n.66
Euchariſtia inſtituta ſub ratione ſacrificij. p.634. n.214

*Sæcularis*.

Sæculares in virtute aliquando Eccleſiaſticos antecellunt. p.356.n.70
Sæcularibus aliquando Religioſi in virtute inferiores. p.455.n.79. & 80

*Salus*.

De ſalute noſtra multum ſoliciti ſimus.p.11.n.62. 63.& 64
Quod ſaluti vniuſcuiuſque conuenit, Deus dat, vel negat. p.79.n.74.& 75
Ad ſalutem aſſequendam, mundus, ac illius occaſiones relinquantur. p. 93.n.40
Nolint membra capite ſuo eſſe fæliciora, vt ſine laboribus ſalutem aſſequi velint. p.132. n.48
Salui, ac ſani ſunt ſerui Dei. p.163.n.47
Salutaria ſibi prudentia admittit, noxia deuitat. p.175.n. 123
Salutis occaſio non omittenda, ſed rapienda. pagin, 245. n.43
Salus noſtra æſtimatur à Chriſto tanquam omnia. p.336.n.56
In ſalutis negocio circunſpectè agendum. p. 345. n.119
Homines plus faciunt pro terrenis rebus, quàm pro vita cæleſti. p.432.n.120
Salutis negocium cum diligentia agendum.p.442. num.2
A ſalutis noſtræ negocio Deus nunquam amouet manum. p.444.n.11
Ad ſalutem in nobis ſeminandam Chriſtus venit. p.445.n.19
Ea, quæ ſalutis ſunt, intentat Diabolus, vt è memoria excidant. p. 447. n.39
Salutem omnium Chriſtusi intendt. pagin. 453. num.68
Salus nullius deſperanda. ibid. n.69
Qui pro aliorum ſalute deſcendit exaltatur. p.652. num. 319
Vide *Via*.

*Sanctitas*.

Sancta, etiam indignè tractata, bonum exhalant. p.12.13.n.74.75.76.& 77
Quod à ſanctis ſit locus deſertus, pœna maxima. p.128 . n.23





*Sanctificatio*.

Sanctificatur peccator per gratiam pœnitentiæ. p.195.n.71

*Sapientia*, vel *Sapiens*.

Sapientia oſtenditur, dum quis clarè loquitur. p.310.n.62.63. & 64
Sapientia humana non ſufficit, ſed requiritur diuina ad proteruos ſubiiciendos. p.118. n.87
Sapientiæ verba dat anima ſolum, in qua Deus habitat. p.119.n.92
Sapienti valde durum, ad addiſcentis formam ſe ſubmittere. p.173. 174. n.108.109.& 110
Sapiens ſolum interrogat. p.207.n.40.41.& 42
Sapientia teſtimonium ab operibus quærit.p.234. num. 13
Qui ſe ſapientes coram propriis oculis iudicant; nihil ſunt. p.332.n.29
Pro ſapientia comparanda multum laborandum. p.432. n.121

*Satisfactio*.

Satisfaciat quiſque per eadem, per quæ peccat. p.253.254.n.101.& 102

*Scandalum*.

Scandalum peccatis noſtris ne aliis demus. p.110. num. 36
Scandalum vitandum, veritas aperienda. p.179. n. 145
Scandala ex illis, quæ ignorant, multoties arripiunt homines. p.258.n 134
Scandalum eſt amputandum, non enim ſat eſt ſolum rectè viuere. p.306. n.38

*Scientia*, vel *Scire*.

In doctrinæ falſæ cœtu manus hominis ad operandum eſt arida. p.64.n.26
Non ſcientia, ſed virtus præualet apud Deum. p.357. n.73

*Scriptura*.

Scriptura ſit in corde, & non in codice.p.49.n.111
Scripturam falſi doctores iuxta ſuam intelligunt malitiam. p.68. n.47
Ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam requiritur animi puritas. p.110. n.36
Scriptura ſacra munimur contra Hæreticos. pagin. 128. n.21
Scriptura regnum Dei dicitur. p.456. n.82
Scriptura ſacra theſaurus. p.493.n.8

*Scrupulus*.

Scrupuloſi in minimis maiora deglutiunt. p. 56. n,31. & 32

*Secretum*.

Secreta omnia non omnibus ſunt dicenda.p.416. num.17

*Securitas*.

Secura, & tuta ſunt omnia, vbi Chriſtus adeſt. p.109.n.25
Securus degit, qui mundialia contemnit.ibid.n.26
Securus viuit manſuetus. ibid.n.27
Securus vbique beneficus, & nemini iniurioſus. ibid.n.28.29.& 30

*Senex*.

Senes iniqui, & improbi difficiliter conuertuntur; aliter verò iuuenes. p.148.149.n.27.28. & 29

*Sententia*.

Sententiam ſuam, valde difficile, deponit homo. p.209.n.52.& 53

*Sequi*.

Ob ſequendum Chriſtum relinquenda omnia. p.54. n.17
Sequenda Chriſti veſtigia, atque ducatum. p.250. num. 80





Qui ſequitur Chriſtum perfectè, ei vult in omnibus aſſimilari. p.256.n.125
Sequens, dum alij fugiunt, maximè laudandus. p.463.n.121
In ſequendo Chriſtum nullam timeas difficultatem. p. 561.n.18
Qui ſequuntur Chriſtum, magno præmio afficiuntur. p.567.n.57

*Sermo*.

Vide *Loqui*, ſeu *Verbum*.

*Seruus*, vel *Seruire*.

Seruiant ſpiritui ad ſanctificationem membra, quæ peccato ſeruierant. p.21. n.135
Seruus piger valde moleſtus. p.68. n.51
Talis ſeruus in malitia, aut bonitate, qualis & dominus. p.161.n.35
Seruus gratioſè ſeruiens fidelis, ac intelligens, multum æſtimandus. p.161.162.n.36.37. & 38
Seruus fidelis, æſtimandus ſuper omnes fratres, ac conſanguineos. ibid. n.37
Pro ſerui fidelis ſalute multum debet agere dominus. p.161.n.36
Serui Domini ſtant incolumes; ſerui autem mundi iacent infirmi. p.163.n.47
Serui in infirmitatibus non deſerendi. p.164.n.49
Seruorum cura Deo valde grata. p.166.n.65
Pro ſeruis oratio, & charitas, Deo valde grata. p.168.n.74.& 75
Seruus vnus ſæpè in alterius cuſtodia innititur, & res domini perit. p.466 n.14
Serui boni domino ſuo omnia dicunt.p.472.n.54
Seruus vnus vult in alium culpam referre. ibid. num. 55
Serui non patiuntur damnum domini ſui. p.473. num. 60
Serui agant pro domini nutu. ibid.
Qui ſeruit alteri, conſideret, quod agit. p.498.n.41
Seruire mundo, labor; Chriſto autem ſeruire, dulcedo. p.584. n.164
Seruus dat per menſuram. Dominus verò in multa abundantia. p.581.582.n.149.150. & 151
Vide *Obſequium*.

*Similis*.

Aſſimilari in omnibus Chriſto optat, qui ipſum perfectè ſequitur. p.256.n.125

*Simplicitas*.

Simplicitas quibus modis ſumatur. p.111.n.43
Simplicitas vera vnum in corde, & aliud in ore non tenet. ibid. n.44
Simplex vir in manifeſto ambulat. p.112.n.51
Simplices, & non ſtultos vult Chriſtus ſuos. pagin.112.n.56

*Singularitas*.

Singularitas in actionibus fugienda. p. 20. 21. n. 128. & 129
A ſingularitate, ac raritate virtus Iuſti maximè decantatur. p. 139. 140. n.90.91. & 92
Non ſingularia, ſed communia ſequenda. p.326. num. 24

*Societas*.

Societas malorum fugienda, vt cæleſtia habeamus. p.12. n.172.& p.468.n.30.31. & 32
Societas malorum multa mala parit. p.108.n.21
A ſocietate mala iniquorum recedat homo, vt ſeruetur, ac ad vitam reſurgat. p.194.195.n.65.66. & 67
In ſocietate malorum maximè periclitatur iuſtus. p.195. n.67
A ſocietate malorum recedere, multum prodeſt. p.200. n.98

Societas perfectorum optanda. p.284. n.71
Propter conſortium peccatoris inſenſibilia redduntur impia. p.321.n.133
Quod quis in ſocietate malorum ſit probus,valdè mirabile. p.357.n.72
In ſocietate malorum difficile cognoſcitur iuſtus. p.477. n.84

*Solitudo.*

Solitudo anſam peccandi ſæpè præbet. p.306.n.37

*Solus.*

Solum ſe exiſtimat in factis, & operibus perſecutor ſui iuris. p.284.n.71
Qui ſolus ambulas,valdè ſuſpectus. p.306.n.38
In ſolum,ac pauperem inſurgunt omnes.pag. 353 num.47

*Somnus.*

In ſomno facta iniuria,grauis non eſt. p.467.n.24

*Spes.*

Sperare debent illi ſolum, qui merita habent. p.6.7.n.30.31. & 32
Spe ſint vacui, qui & meritis. ibid.
Spes,non in homine, ſed in ſolo Deo magnum munimen,& impetrat multa. p.15.16.n.95. 96. & 97
Præter ſpem valdè iucunda bona. p.180.n.155
Homines nihil faciunt niſi ob mercedis ſpem. p.189.n.30
Qui in Chriſtum confidit, nil humanum timet. p.245. n.47
Spe,ac timore accedendum ad Deum. p.248.n.67
Spes noſtra in ſolo Deo ponenda. p.312. n.82
Non deſperandum de meliori euentu. p.454.n.73
Spem paruulis dat Sinapis, diſſuaſionem ſuperbis. p.487. n.45
Spe, ac timore homines trahuntur in cælum. p.507. n.96

*Spiritualia.*

Vide *Bona Spiritualia.*

*Spiritus ſanctus.*

Spiritus diuini radiis reformanda vita.p.110.n.34
Spiritus ſanctus cur digitus dicatur. p.381. n.104. 105.& 106
Per Spiritum ſanctum Pater operatur omnia. ibid. n.107

*Status.*

Status dignitas non ſanctificat hominem. pag.85. n.124
Statui proprio accommodandum. p.71. n.16
Statui potius, quàm potentiæ accommodandum. p.185. n.2.& p.204 n.27
Ad ſtatum ſupremum non ſtatim ex infima conditione euolandum. p.373.n.55. & 56
Statui ſit menſa proportionata. p.575.n.111

*Stultus.*

Stulto reſpondendum. p.419.n.36

*Subditus*

Pro ſubditorum ſalute nihil maieſtati indecorum. p.173. n.107
A ſubditis ſuis honoratur, qui ſuos ſuperiores honorat. p.174. n.113
Subditus ad principem aditum ſemper habeat. p.245. n.44
Subditi non contemptibiliter, ſed vrbanè à prælatis tractandi. p.87.n.7
Ad ſubditorum remedium difficultates ſunt apud principes multæ. p.90.91.n.29.& 30
Subditi prælatorum inimici, & facilè contra eos conſpirant. p.123. 124. n.120.121. & 122
In ſubditos quanta ſit paſtoris cura. p.163.n.46
Subditorum dolores bonus princeps proprios iudicat, & illos liberare cum poſſit, vexari non ſinit. ibid.n.48
Qualiter in ſubditos ſe habet ſuperior, taliter & Deus in illum. p.166. n.67. 68.& 69. & p.173. n.105
Vide *Seruus*, *Prælatus.*

*Sufficiens.*

Sufficientibus eſto contentus. p.468.n.29

*Superbia*, vel *Superbus.*

In ſuperbos humiles,in humiles valde ſuperbi homines. p.108.n.22.23.& 24
In ſuperbo deficiunt omnia, in amante abundant. p.267. n.198
Ne ſuperbeſcat, qui eſt in vertice alto; neque qui in humili loco, deſperet. p.305.n.31.32.& 33
Superbia ſumma ſummo caſu, ac ruina punitur. p.324. n.17. & 18
Superbus non ſtat, ſed deſcendit. p.353.n.43
Superbia etiam Dei contemptum parit.p.415.n.10
Superbus deterrendus. p.419.n.36
Superbus vt in infidelis punitur. p.422.n.60.& 61
Superbum à ſua præſumptione remouere, valdè difficile. p.423.n.63.& 64
Superbos à magnitudine ſua diſſuadet Sinapis. p.487.n.45

*Supererogatio.*

Supererogationis opus apud Deum multum promeretur. p.362.n.104

*Superflua.*

Superflua pauperibus danda. p.255.n.108
Superflua inducunt mala multa. p 469.n.36.& 37
De ſuperfluis non curandum. p.563.n.31
Superflua pauperibus danda. pag.580. 581. n.145. 146. & 147
Superflua mundi non tenenda, ſed relinquenda. p.583. n.159.160.& 161

*Supplicium.*

Supplicium ſibi præparat homo. p.27.n.174
Supplicij tempus longius peccati tempore. p.28. n.179
Supplicio grauiori peccatorum reincidentia punitur. p.28.n.180.181.& 182
Deus magis pronus ad præmiandum bonos,quàm ad caſtigandum malos. p 140.n.93
Supplicij timore magis mouentur homines, quàm amore bonorum. p.142.n.104
Sine ſupplicio ſuo minimum etiam non præterit peccatum. p.155.n.62
Supplicium magnum, dum quis alium videt in ſuum locum introductum. p.180.n.155
Supplicium ſuiſmet iniquitatibus ſibi parat peccator. p.188.n.24.& 25
Supplicium ſit publicum, ſi & peccatum publicum. p.247. n.59
Deus punit,ſed non inhonorat. p.324.n.14
De ſupplicio alterius non lætandum. p.326.n.23
Quæ punit iniquos, & exaltat bonos, gubernatio optima. p.328.329. n.9.10.& 12
Cum Deus infert ſupplicium, obmuteſcat lingua. p.370.n.39
Grandis pœna,ab eis habere ſupplicium, à quibus ſperabas munimen. p.380.n.99
Supplicia docent, quos beneficia non inſtruunt. p.421. n.53
Supplicium magnum ex peccato magno. p.429. n.105
In ſupplicio ſint pares, qui & in culpa. pag.477. num.85
Supplicia Deus committit aliis, per ſe benefacit. p.511.n.125.126.& 127





Quos ad tuam menſam poſuiſti non ſupplicio afficias. p.643. n.265
Vide *Caſtigare*, *Punire.*

*Suſpicio.*

Suſpicionem mali à ſua doctrina doctor remoueat omnem. p.42.n.71

## T

*Tacere.*

TAciturnitas apud Deum multum promeretur. p.286.n.83
Taceant omnes, cum Ieſus facit. p.370.n.40
Tacent multoties boni, & loquuntur improbi. p.375. n.65

*Temporalia.*

Temporalia ob Chriſtum ſequendum omnia contemnenda. p.54. n.17
Vide *Bona temporalia*,vel *Mundialia.*

*Tentatio.*

Qui tentans venit, redargutus ſæpè abiit. p.356. n.68

*Teſtamentum.*

Inter Teſtamentum nouum, & vetus mira concordia. p.514.n.142.143.& 144

*Teſtimonium.*

Teſtimonium in abſentia efficax. p.26.n.167
Teſtimonium opera,& non verba præſtent. p.44. n.80
Teſtimonium ab eminenti viro, magnum præmium. p.141. n.100
Teſtimonium ab inimico valdè efficax. pag.178. n.14
Teſtimonium ab operibus ſapientia quærit.p.234. n.38
Cum timore iuſtitiæ poſſidenda bona. p 28.n.178
Timor compellit, quos beneficiorum benignitas non adducit. p.36. n.34
Timent, qui mundo implicantur; qui ab illo expediti, minime. p.104. n.40
Timendus Deus ſuper omnia. p.134. n.58
Timidus nil fiducialiter agit. p.135.n.60
Timor Dei cæterarum rerum timores expellit. p.135. 136.n.63. 64. & 69
In timore Dei tota ſtat noſtra perfectio.ibid.n.65. 66. & 67
Ex timore malorum temporalium eſt ad mala ſpiritualia diſcendus timor. p.137.n.73
Timor timore expellitur. p.137.n.75.& 76
Timore,& præmio mouetur homo. p.140. n.94
Timore ſupplicij magis mouetur homo, quàm amore bonorum. p.142.n.105
Timor reuerentiæ ſignum. p.169. n.82
Timore,ac ſpe accedendum ad Deum. p.241.n.67
Timoris donum quomodo ſit in beatis.p.278.n.30
Timet multum,qui habet multum. p.383.n.122
Qui nil timet perdere,audax in dicendo. pag.390. n.11.12. & 13
Timore,ac ſpe homines trahuntur ad Deum.p.507. n.96
Timor pœnæ vehementius, quàm gloriæ amor trahit imperfectos. n.128.p.512

*Titulus.*

Vide *Nomen.*

*Traditor.*

Ne homo de iniuriis traditoris recordetur, gratia ſancti Spiritus exigitur. p.114.n.65

*Tranquillitas.*

Tranquillitas, ac ſecuritas animi in omni negotio tenenda. p.286. n.86

*Tribulatio.*

Tribulatio omnis habet finem. p.122.n.108
Vide *Aduerſitas*, *Labor.*

*Tributum.*

Principes à ſubditis lac, non ſanguinem exigant. p.318. n.117

*Trinitas.*

Trinitatis fides mundum illuminat. p.302.n.16
Ex Trinitatis ſigno vtilitas noſtra. p.426.n.84

*Triſtitia.*

Triſtitia ex vnius lapſu, ex alterius erectione recompenſatur lætitia. p.497.498.n.33.34.& 35
Triſtitia excludenda ad diuina beneficia ſuſcipienda. p.192.n.49
Triſtes videre ſuos non ſuſtinet Dominus. p.427. n.93
Triſtitiam dat mulier, vnde lætitiam præſtare volebat. p.548.n.43

*Tutela.*

Tutelas, ac defenſiones ſuis iuſtis Deus multas parat. p.131.n.41.& 42
Tueri ſuos à tyrannide, eſt principis proprium. p.364. n.6

*Tyrannus.*

Principis proprium,ſuos à tyranno tueri. p.364.n.7

## V

*Venia.*

VEniam,præſentatis maioribus delictis,minora facilius habent. p.246.n.50

*Verbum Dei.*

Verbum Dei cuncta velociſſimè operatur. p.170. n.90
Verbum Dei, ſeu eius vox multam habet efficaciam. p.195. n.70
Verba Dei quandam permanentem in ſuis dilectoribus gratiam conferunt. p.296.n.148
In Verbo Dei medicamen ad omnem morbum. p.358 n.83
Verbum Dei ad mouenda corda efficacius, quàm miracula. p.398. n.71.72.& 73

*Verbum noſtrum.*

Verbum beneuolum vincit animum. p.16.n.98
Verba,vbi beneficia adſunt,pauca ſufficiunt. p.97. n.72. & 73
A verbis blandis amicorum fugiẽdum. p.115.n.70
Cum verba, & verbis Deus proportionata dat opera. p.120.n.100
Verba humana effectu ſunt vacua. p.178.n.141
Verborum dulcedine plus deuincitur, quàm ferri rigore. p.338.n.77
Verba prolata, quæ factis contradicunt, non æſtimanda. p.373.n.58.& 59

*Verecundia.*

Vide *Pudor.*

*Veritas.*

Veritas vna vno ore loquitur. p.503.n.76.77.& 78
Apud mundiales veritas eſt in odio, rerum verò apparentia in pretio. p.555.556.n.90.91.& 92
Regi placent res phantaſticæ, veræ autem ſunt in odio. ibid.n.92
Non iniquus ſed ſolus iuſtus vult audire verum. p.568. n.68
Si adeſt veritas nulla eſt particularitas, ſed omnimoda æqualitas. p.18.n.116
Veritatem annunciare magna merces. p.77.n.61
Magna eſt veritas, quàm nec aduerſarius miniſter infirmat. p.85.n.121

Vir verax ſemper in apeŕto,ac manifeſto ambulat. p.112.n.50
Amici eſt veritatem, ac vtilia dicere. p.134.n.57
Veritas aperienda ſcandalum vitandum. pag. 179. n.145
Ad veritatem dicendam miniſter ſit ſine paſſione. p.204.n.25
Veritas dicta à paupere valde efficax ad perſuadendum. p.215.n.91.& 92
Veritatem ſequi valde efficax ad propulſanda vitia. p.270.n.218
Verus amicus dicit verum, licet appetitui aduerſetur. p.287.n.89 90.91
Multum proficit, qui verum dicit. p.287.n.90
Veritas maximè duorum teſtimonio comprobatur. p.306.n.39
Miniſter veritatis venenum non timet. pag. 313. n.87
Ipſa veritas ſine vllo fuco verborum efficax ad perſuadendum. p.315.n.99.& 100
Veritas mendacium obſcurat, & in multis ſuperat. p.324.n.15
Qui nil timet perdere, aptus ad veritatem denunciandam. p.390.n.11.12.& 13
Pro veritate magna libertate, ac voce ſtandum eſt. p.393.n.37.38.39
Ex libertate dicendi veritas cognoſcitur. ibid.n.40
Veritas non indiget ornatu verborum. p.486.n.37

*Veſtis.*

Veſtis ſit ſtatui proportionata. p.71.n.16
Veſtis Chriſti quotuplex fuerit. p.103.n.30
Indumentum noſtrum ſit Chriſtus. p.103.n.31
Veſtium mollities animum, & corpus debilitat. p.221.n.123
Veſtis indicat eos, qui Deo, vel mundo militant. ibid.n.124
Veſte delicata induti non in Dei domo ſunt, ſed in mundo. ibid.n.126.& 127
Veſte ſua Eccleſiaſticus odorem Eccleſiæ præbeat. ibid.n.127
Veſte, ac apparatu à multis Eccleſiaſticis illuditur Chriſtus. ibid.n.128
Ex veſtitus exterioris ornatu deprehenditur, ac diiudicatur internus animus. p.161.n.153.154.& 155
Veſtium nimius cultus valde ſuſpectus. ibid.
Veſtis impudica multum ad laſciuiam prouocat. p.366.n.15
Veſtis Ieſus datur in ſignum aduentus eius. p.411.n.148

*Via.*

Viam ſequi, quam tibi cognoſcis vtilem, atque proficuam; prudentia eſt. p.279.280.n.37.& 38
Via ſalutis facilis, & ſuauis. p.486.n.39.& 40
In via cæli inueniuntur maiora, quàm homo deſiderat. p.504.n.80
Qui à via incepta non deſiſtit, multo fauore dignus. p.595.n.48

*Victoria*, vel *Vincere.*

Ad victoriam dat animum certa non euadendi reſolutio. p.105.n.2
Victoria glorioſa, inimicum armis ſuperare, quibus ipſe vincebat. p.255.n.109
Victoriam victis referre, ſumma malitia, ac ingratitudo. p.376.n.73
Victoria glorioſa, inimicum ſuperare in ſua ſede, ſuiſque armis. p.383.n.117.& 118

*Videre*, vel *Viſio.*

Vt videat noſtras neceſſitates Deus ſemper in proximo. p.590.n.16.& 17
Viſa miſeria maximè mouet. p.62.n.9
Videre miſerias, & illis non ſubuenire, valde alienum à maieſtate regia. p.96.n.64.65.& 66
Videre propriis oculis bona, quæ amittuntur; magnus dolor. p.185.186.n.8.& 9
Qui videt miſerias, miſeretur. p.190.n.36
Vide *Oculus*, vel *Neceſſitas.*

*Vidua.*

Viduæ filius denotat in omni vitio criminatorem. p.187.n.20.& 21
Quod Viduæ filius ſit probus, valde mirabile. ibid.n.21
Viduæ lachrymæ ad obtinendum valde efficaces. p.191.n.40.41.& 42.

*Vigilare.*

Vigilantia officium patrisfamilias maximè declarat. p.464.n.6
Vigilia valde intrinſeca prælatis. p.89.n.20
Vigilantia Dei pro ſuis maior, quàm inimici crudelitas. p.383.n.122
Vigilat Deus in ſuorum cuſtodiam. p.474.n.62.63.& 64
Inuigilet prælatus ſuper ſuos. ibid.

*Vilis.*

Nemo, quantumuis vilis, deſpiciendus. p.256.n.120

*Vindicta.*

Ad vindictam prælatus iniurias ſibi illatas ad tempus non reſeruet. p.106.n.10

*Virginitas.*

Ob Virginitatem Ioannes Baptiſta eſt Angelus dictus. p.223.n.138
Vide *Caſtitas.*

*Virtus.*

Virtus tenera cito deficit. p.450.n.50
Cum virtus plantatur ſtatim iuxta eam inuenitur vitium. p.451.n.60
Virtus tenera graues hoſtium patitur incurſus. p.452.n.61.62.& p.469.n.35
Virtus ex inimicorum contradictione illuſtrior fit, atque celebrior. p.23.n.145.& 146
Virtus ſuam habet infantiam, in qua paulatim procedendum. p.28.29.n.185.186.& 187
A virtutis opere homo ceſſare non debet. p.31.n.5
Virtutes ſunt inter ſe connexæ. p.97.n.69
Virtus vna munitur, cuſtoditúrque alia. p.115.n.57
Virtutes ſe inuicem concomitantur. ibid.
Virtus à ſingularitate, ac raritate maximè extollitur, ac nobilitatur. p.139.140.n.90.91.& 92
Virtutes aliquando occultantur, vt homines exiſtimantes, ſe ad vitia currere, virtutes inueniant. p.171.172.n.98.99.& 100
Virtus ad nos ſtatim volat, dum peccata reiicimus. p.176.n.124.& 125
Ad virtutem paulatim eundum. p.197.n.82.83.84
Quod in virtute à pueritia, te exercere incipias, multum valet. p.203.n.17
De virtute, non de nomine, aut titulo curare debemus. p.242.n.24
Virtus generoſa fomitem peccati in pietatis vertit materiam. p.254.n.105
In virtutis negocio nunquam quieſcendum. p.255.n.109
Virtutis opus ita faciendum, vt aliorum facta non taxentur. p.256.n.123
Virtus non ſolum in interiori niteat, ſed & in exteriori reſplendeat. p.313.314.n.89.90.& 91
A virtute diſcedens, in multa incidit mala; ad illam accedens, multa bona inuenit. p.351.n.44.45.& 46





A virtute in mundum rediens, multa mala inuenit. ibid.
Virtus ſola apud Deum, non dignitas, nec ſcientia præualet. p.376.n.73
A virtute homo notior, quàm à proprio nomine. p.389.n.3.4.& 5
Virtutem non dedecorat nobilitatis defectus; maximè nobilitatē virtutis carētia. p.389.n.9.& 10
Virtutis excellentia oſtenditur in oppoſitione, ac contrarietate. p.395.n.48.49.& 50
Virtutem etiam minimam Chriſtus plus æſtimat, quàm ſupremam dignitatem. p.408.n.130
Pluſquam virtutem ſupremam, minimam homines æſtimant dignitatem. ibid.n.130
Vbi virtus, ibi nobilitas. p.432.n.125
Virtus fulget dignitate regia. ibid.n.126
Virtus, in quocumque ſit, ſuo afficitur præmio. p.432.433.n.127.& 128
Virtus vera nobilitas. p.440.n.42
Virtutis potius, quàm ſanguinis conſideranda cognatio. ibid.n.45
Virtus abſcondita ſecura. p.333.n.40
Virtus in perſecutionibus probatur. pag.474.475.n.69.70.& 71
Virtus in tribulationibus augetur. ib.n.69.70.& 71
Virtus creſcit aliquando ex æmulatione peccantium. p.476.n.77
Virtutum ſumma quærenda. p.501.n.53
Virtus attendenda in homine. p.524.n.38
Virtus inter impios deteriorem habet locum, iniquitas meliorem. p.542.n.4
Virtutū minima circunſpectè agenda. p.577.n.120

*Viſitare.*

Viſitet ſuos prælatus per ſe ipſum. p.165.n.61
Viſitare ſuos, eſt principi, ac prælato valde annexum. p.208.n.48

*Vita*, vel *Viuere.*

Vita hominis multum æſtimanda. pag.128.n.22
Viuendi cauſæ, etiam mortis occaſionem parant. p.187.n.22
Viuendum in hoc ſæculo, vt peregrini. p.275.n.6
Vita *Damnatorum.* Vide *Damnatus.*

*Vitium.*

Res ex dedicatione ad vitia obfuſcatur. p.247.n.63
Vitia faciunt quodammodo alteram naturam. pagin.258.n.131
Ad vitia propulſanda valde efficax veritatem ſequi. p.270.n.218
In vitia, ac turpitudines maximè inclinata noſtra natura. p.452.n.63

*Vnio*, vel *Vnitas.*

In Vnione bonitas, in diuiſione malitia. p.12.n.72.& 73
Vnitas operationis vnitatem Eſſentiæ monſtrat. p.32.n.32
Vnionem magnam Iuſti habent. p.137.n.79
Vnitas inter fratres omnia facit communia. p.276.num.14
Vnitas maximè Deo placet. p.287.288.n.94.95.& 96
Solum ab illis, qui in vnitate viuunt, portatur Chriſtus. p.306.n.44
Ob vnitatem, Iuſti, quamuis multi, vnus dicuntur. p.483.484.n.22.& 23
Vnitas, Deo placens, omnibus præferenda. p.503.num.72
Vnitas perfectio rei. p.633.n.205
Impij contra iuſtum vniuntur. p.452.n.65.& 66

*Vocare*, vel *Vocatus.*

Deus omnes, quos aduocat, honorat. pag.75.n.44
Quod quis non vocatus ſe intromittat, valde periculoſum. p.88.n.14.15.& 16
Vocat ad ſe Deus homines adinuentionibus miris. p.171.172.n.98.99.& 100
Vocantur homines à Deo per ea, per quæ decipiebantur. ibid.
Vocandus aliquis non eſt ante præſentiam principis abſque eius nutu. p.282.n.58
Aduocat nos Chriſtus ob noſtram vtilitatem. pagin.335.n.54
Vocandi omnes ad ſalutem. p.507.n.97

*Voluntas*, ſeu *Voluntarium.*

Voluntaria adimplentes, in præceptis ne deficiant. p.2.n.3
Volenti, & non inuito dentur beneficia, vt magna habeantur. p.15.n.91.& 92
Voluntas Deo pro magno pretio ibid.n.91
Voluntatem à nobis ſolum Chriſtus requirit, ipſe cætera præſtat. p.119.n.92
Voluntas noſtra erga Deum pro magno merito. p.150.n.35
Voluntariè reddatur gratiarum actio. p.198.n.89
Voluntaria Deus ab omnibus obſequia vult, & neminem cogit. p.232.n.190
Voluntatem bonam Deus pro opere reputat. pagin.268.n.204
Voluntatis libertas meritorum radix. p.302.n.82
Volūtas noſtra Deo pro magno pretio. p.338.n.76
Quæ voluntate propria eliguntur, valde ſuauia. p.341.n.92
Quæ ſunt contra voluntatem propriam, valde grauia. ibid.n.92
Voluntate, non ratione operātur iniqui. p.415.n.11
Voluntate ſua homines volunt, fieri, ordinarique cuncta. p.416.n.12.13.& 14
Volunt homines, vt illis ſe Deus accommodet. p.420.n.44
Voluntas humana valde inconſtans. p.428.n.100
Voluntas noſtra in Dei voluntatem reſignanda. p.576.n.116
Quæ à Dei voluntate pendent certa, quæ ab hominis arbitrio incerta. p.638.639.n.237.238.&239

*Vox.*

Vox peccatoris depreſſa, vox iuſtitiæ elata. p.393.num.39
Vox Dei ad corda mouenda efficacior, quam miracula. p.398.n.71
Vide *Lingua, Loqui, Verbum.*

*Vrbanitas.*

Vrbanè prælatus ſubditos tractet. p.87.n.7
In vrbanitate exhibenda, quò perſona nobilior, eò maior. p.170.n.85.86.& 87
Vrbanè ſcit exhibere honorem, non ruſtica, ſed nobilis perſona ſolum. p.170.n.86
Vrbanitas multum efficax ad voluntates trahendas. p.314.n.95

*Vtilitas.*

Vtilitas propria obligat, quos amor non ducit. p.338.n.74

Z

*Zelus.*

SVb zeli prætextu illata pœna, valde rigida. p.114.n.66
Zeli prætextu crudelis hoſtis. p.376.n.75


*FINIS.*